BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
VI
F
26
NAPOLI

SANCTI CÆCILII
CYPRIANI
OPERA

AD VETVSTISSIMORVM EXEMPLARIVM FIDEM SEDVLO EMENDATA, DILIGENTIA

NIC. RIGALTII I.C.

CVM EIVSDEM ANNOTATIONIBVS INTEGRIS, PAMELII, & Aliorum commentariis, ſeorſim anteà editis.

ACCEDVNT

MARCI MINVCII FELICIS OCTAVIVS *de Idolorum vanitate.*
ARNOBII AFRI ADVERSVS GENTES, *Libri VII.*
IVLII FIRMICI MATERNI V. C. *de Errore profanarum Religionum.*
COMMODIANI INSTRVCTIONES *aduerſus Gentium Deos.*

Cum eiuſdem N. RIGALTII Notis integris, & Variorum commentariis vno conſpectu diſpoſitis.

PH. PRIORIVS argumenta & Notas in Libros omnes, de nouo adiecit.



PARISIIS,
Sumptibus IOANNIS DV PVIS, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Coronæ aureæ.

M. DC. LXVI.

Cum Priuilegio Regis & Approbationibus.

ILLVSTRISSIMO PETRO SEGVIERIO FRANCIÆ CANCELLARIO.

POſtquam diu ſilentio admiratio tui noſtra ſeſe feſſa eſt, SEGVIERE ILLVSTRISSIME, nunc tandem in vocem erumpit. Vocalem eam reddiderunt Viri diſertiſsimi, quos emendatiſſimos hac poſtremâ editione, ſub auſpiciis clariſſimi Nominis tui in lucem dare conſtituimus. Nempe haud aliter muſicæ aues, cytharæ ſono ad cantus ſuos prouocantur. Amplitudinem verò tuam pro argumento ſumpſimus: tum vt quod facultati deerat, materia ſuppeditaret: tum quia fulgore tuo pérſtricta mens ac veluti fulgurita, nihil aliud cogitare poterat. Intrauerant animum geſti magiſtratus maxima cum laude & ingenti plauſu bonorum, in quorum altero, quamuis oſtendiſſes quid poſſet virtus ad ſummum euecta; tamen ea quæ ſequuta ſunt effecere, vt quod ſummum erat, ſi mortalitas ſpectaretur, tibi communem ſortem ſupergreſſo, quaſi rudimentum eſſet: adeò emicuit in ſuprema legum adminiſtratione, quam per triginta amplius annos, adhuc obtines, diuina quadam, natura tua, dicam, an

ſolertia, an induſtria, an conſtantia? Sed quidquid eſt, illud omninò diuinum eſt. An non diuinum; quod per tot caſus & varietates temporum, in gradu perſtiteris, rariſſimamque rem in Aula ſis conſequutus, diu placere? An non diuinum; quod nec blandienti fortunæ nimis indulgendo, nec ſæuienti nimis cedendo, vtrâque te maiorem oſtenderis? Adde quod non per contumaciam, aut libertatis abrupta, dignitati conſuluiſti, ſed morum quadam facilitate deuinxiſti principum animos; vt in fœdam adulationem minimè pronus, ita obſequio proximus. Ergo tam carus es, filio Regi ſenex; quàm anteà parenti, iuuenis fueras. & certè vterque habet quamobrem iudicio ſuo gratuletur: LVDOVICVS XIII. qui, per quædam documenta, virtutem tuam ita perſpexerit, vt Reipublicæ feliciſſimè admoueret: LVDOVICVS XIV. qui per multa experimenta, eamdem ita probauerit, vt iampridem Reipublicæ admotum feliciſſimè retineret. Vnde ingentia bona Galliæ, per te parta, obuenere, reuerentia æqui, legibus ſuum robur, atque etiam inter tumultus bellicos pax ſecura; quantò magis poſtquam Orbi Chriſtiano clementia principis quietem reſtituit. Iam verò ita felicitati publicæ curas impendis, vt bona priuata non deſeras: pulcherrimis artibus das operam, & in medio actu rerum, erudita otia excolis. Quidquid in obſtruſioribus diſciplinis reconditum; quidquid in elegantioribus literis amœnum, capaciſſimâ mente hauſiſti. Ex quo euenit, vt quoties, in conuentu Optimatum, vice ſacra, verba facere neceſſe eſt, caſtigatiſſimâ ſimul atque doctiſſimâ oratione, auditores ita perfundis; vt quæ vix armis, ab inuitis extorquerentur, ea ſuauiſſimis eloquentiæ viribus, à lubentiſſimis concedantur. Itaque Literatorum natio

omnis te certiſſimum Patronum habet, quos ſimilitudine quadam & conſenſu ſtudiorum, opibus, gratia, omnibus rebus foues: & ipſi viciſſim Nomen tuum in ore habent; atque addictiſſima veneratione proſequuntur. Quibus & nos typographi quodammodo accenſeri cupimus; magna enim nobis, cum eruditis, conſuetudo & frequens vſus eſt. Quod profectò intellexiſti, cum à te numquam alienum iudicaueris, res noſtras promouere. Quare accipe & illorum nomine & noſtro, eruditos illos, quos typis mandamus, authores: ſiue tamquam munus in gratitudinis obſequium: ſiue tamquam clientes in patrocinium. Nec minus ideò clientes exiſtima, quod multis anteà ſæculis vixere: *adhuc enim viuunt, vt ipſe optimè noſti, meliore parte ſui, & libitinam ingenia vitant.* Sed & eſt alia auguſtior æternitas, qua beatiſſimæ mentes (de Cypriano certum) in complexu Patris, ſuauiſsimè perfruuntur: atque ex illâ erit ſperare, ſi te Patronum, ſcriptis elegantiſsimis, apud mortales exhibeas; tibi viciſsim Patronos apud Cælites non defuturos. Et ecce iam votis incipimus appellare, vt te diu nobis incolumem & florentiſsimum ſeruent. Quamuis enim ætati & gloriæ ſatis vixiſſe videri velis; profectò patriæ & bonorum vtilitatibus vixiſti parùm. Nec mirum, ſi plurimorum mortalium fata impleat is, qui tot mortalibus eſt cauſa viuendi. Viue igitur & vale.

CANCELLARIE ILLVSTRISSIME,

Amplitudinis tuæ

Obſeruantiſſimus I. DVPVIS.

DE DIVI CYPRIANI SCRIPTIS IOANNIS TRITHEMII TESTIMONIVM.

CYPRIANVS *Eccleſiæ Carthaginienſis in Africa Epiſcopus, vir doctus atque ſanctiſsimus, multis annis Rhetoricam glorioſè docuit, & in omni literatura ſæculari doctor magnificus fuit. Deinde perſuadente Presbytero Cæcilio, à quo ſortitus eſt cognomen: ad fidem Chriſti conuerſus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit. Ac non multò poſt in Presbyterum electus, etiam Epiſcopus ordinatus eſt. Qui cùm in diuinis ſcripturis ſtudioſus eſſet; ad ædificationem fidelium multa vtiliter edidit, & ſubjecta volumina Latino ſermone conſcripſit: videlicet. De gratia Dei ad Donatum, contra Demetrianum. De Pietate & Eleemoſyna. De Laude Martyrij. De Zelo & Liuore. De Bono Patientiæ. De Mortalitate. De Virginitate. De Lapſis. De Sacramento calicis. De Vnitate fidei. De Oratione Dominica. De Vanitate Idolorum. De Vita Clericorum. De duobus Montibus. Ad Antonianum, de Nouato. De Iudæis ad Quirinum, libros duos. Ad Cornelium Papam Epiſtolas octo. De Aleatoribus. Ad Iubajanum. Epiſtolarum ad diuerſos librum vnum. Sed & alia multa compoſuiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras non venerunt. Libellus de duodecim Abuſionibus ſæculi, Cypriano à pleriſque adſcriptus, phraſin eius non redolet. Paſſus eſt tandem ſub Valeriano, eo die quo Cornelius Romæ, ſed non eodem anno, videlicet anno Domini* CCXXVIII. *Indictione* XII. XVIII. *Kalend. Octobris.*

OBSER-

OBSERVATIO GALEATA QVAE ET CATHOLICA,

COMMVNIS VNIVERSIM SEQVENTIBVS AD CYPRIANVM OBSERVATIONIBVS, ET REGVLA CVNCTARVM.

SCRIPTVRÆ ſacræ ſanctiſſimus interpres Hieronymus, præfationem in libros Regum ſuam, prologum dici voluit galeatum, ſcholaſtico rhetorum vocabulo, principia galeata recitantium, quæ omnibus argumentis facilè conuenirent. Nos, exemplo ſiue ratione non abſimili, Obſeruationem iſtam inſcribimus, Galeatam, quæ ſic debeat eſſe communis & apta ſequentibus, vt ſi quid in illis ab iſta diſſideat, ſtatim ad concordiam reducatur. adeóque ſub galeato principio pax, haud iniquo ſtudio noſtra legentibus, ſanciatur. Catholicam quoque nuncupamus, vt Catholica dicunt etiam rhetores & medici, quæ ſunt Vniuerſalia. Neque ſanè magis alio gaudeat Vnitas Eccleſiaſtica cognomento. Sequitur Tertullianum Cyprianus, hortatorem martyrii ſummum fortiſſimus martyr, & Chriſtianæ diſciplinæ acerrimus propugnator. Si quid eſt infra magiſtrum diſcipulus, hoc certè magiſtro ſuo felicior æſtimabitur, quòd perfectius eſt præſtitiſſe, quàm ea quæ præſtari oportere videbantur oſtendiſſe. Ambo diligentiſſimi rerum Dominicarum procuratores hoc ſeculo redeunt in Eccleſiam, cum ſuo quidem ipſi priſtino cultu, quid adhuc illa Chriſtiani ſapiat, exploraturi. Et obtulit ſeſe prior Tertullianus. Sed quotuſquiſque hominis Africani ſeueritatem natiua grandiloquentia nixam ſuſtinuit? Tolle tuum, inquiunt, Xerophagum, & cum tota Pallii ſui moroſitate reporta Carthaginem. Hæc ſi ponè magiſtrum Cyprianus auſcultat: quid non metuat exploſo præceptore diſcipulus, qui Romam appellationis ergo nauigantes pati non potuit; quem Romanus ſub Antichriſti nomine proſcripſit! Viderit Pamelius, qui Scriptoris vtriuſque tempora ſequentibus ita compoſuit, vt cùm maximè diſſentiant, tum maximè inter ſe conuenire perſanctè iuret. Nos ad illa quidem Chriſti maximè, & ad proxima Chriſto ſecula ſic reſpicimus, vt ea quæ ſunt poſterioribus ſeculis continuato, perſonarum ſucceſſione, Spiritu ſancto, ſummorum Pontificum & Conciliorum decretis ſancita, etiam ad ſalutem æternam pertinere dicamus. Hoc certè liceat ſcripta priſcorum legentibus, obſeruare quid illi fecerint dixerintve, vnde poſteriora probentur fuiſſe certiora prioribus, & hodierna ſentiamus eſſe commodiora priſtinis. Nemo crimini vertit quod eſt nobis à Paulo traditum, ſe reſtitiſſe in faciem Petro; Petrum fuiſſe reprehenſibilem, nec recto pede ad euangelium inceſſiſſe, quòd Gentibus ad Chriſtum conuerſis, aliquid Iudaïci ritus obſeruandum præciperet. Conuerſationis hoc erat, non fidei, non doctrinæ: adeóque, pro variis perſonarum & temporum & locorum qualitatibus accipi aut deponi fas erat, & quandoque neceſſe. Nam quis audeat idcircò Petrum deprimere, aut detrahere quidquam de primæ adlectionis illius prærogatiua? quem Paulus ipſe adeo ſuſpexit, vt eius videndi conſultandique ſtudio aſcenderit Hieroſolyma, ne fortè caſſo labore fatigaretur, ſi poſtquam ſecundùm Petrum credidiſſet, non ſecundùm Petrum euangelizaret. Nam ſe Paulus agnoſcebat ipſe poſtremum & abortiuum, etſi tam à Deo deſtinatum ad Gentes, quàm ad Iudæos Petrum. Sed & optimè omnium nouerat, quantum iuris ac poteſtatis Petro Chriſtus contulerat, quum ad Patrem ſe recepturus, Petrum coram cunctis apoſtolis de amoris & fidei præſtantia trina interrogatione tentatum probatumque, ouium ſuarum Paſtorem conſtituit. Et ceteri quidem Apoſtoli partes ouilis erant egregiæ, proptereáque eximia cura primi ac præcipui Paſtoris induſtria paſcendæ. Hoc fecit Petrus erga Ponticos preſbyteros: *Paſcite*, inquit, *gregem vobis commiſſum*. Paſcit ecce paſtores. Et quemadmodum acceperat à Chriſto, Paſce oues

meas ; ſic iſtis ipſe paſtoribus mandat, *Paſcite* : Quòd mandatum eſt Epiſcopi ſuper ipſos paſtores conſtituti. Non dicit : Oues meas. etenim ſciebat eſſe oues Chriſti. Sed modeſtè ac ciuiliter, vt compreſbyteros ſuos, adfatur ac monet, paſcant gregem curæ ſuæ creditum, ſicut ipſi forma facti gregis, ſub principalis paſtoris ordine curâque paſcebantur. Denique Chriſtus, qui ob dilectionis & fidei profeſſæ firmitatem, de ſuo Simone fecerat Cepham, quod Latini vertêre Petrum, ſiue Petram, ſuper hanc Petram ædificauit Eccleſiam ſuam. Eamdem verò Petram ſiue Petrum eumdem, coram omnibus Diſcipulis, de quibus commodùm facturus erat Apoſtolos, quorum certè capitibus conſtabat grex ille Chriſti primitiuus, paſtorem primitiuum ſiue principalem gregi ſuo præfecit. atque, vt ouilis ſui monſtraret vnitatem, ſuper vnam illam Petram ouile ſuum concepit & condidit. quæ ſanè petra erat ipſe Chriſtus. Et quia Simon primus agnouit & profeſſus eſt Petram Chriſtum, ob illam fidei firmitatem, à Petra Chiſto nominatus eſt Petrus. Nec malè Cyprianus noſter & alii Patres pleriſque locis, pro Petra dixêre Petrum, &, Eccleſiam fundatam fuiſſe ſuper Petrum qui non extitit Petrus, niſi agnito Chriſto Petra. Sed quia ſacros etiam apices diligentiſſimè obſeruari decet, quotiens apud Patres legimus Eccleſiam fundatam fuiſſe ſuper Petrum, obſeruamus verba Chriſti ſic habere : *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* : nec propterea noxam adſcribimus Cypriano vel aliis Petram in Petrum mutantibus. quando nec Simoni Chriſtus nomen indidit Petro, niſi poſt effatum illud Petrinum, Tu es Chriſtus, filius Dei viuentis. Nam propter iſtud elogium, Simon factus eſt Petra, ſiue Petrus : & ſuper hanc Petram Chriſtus fundauit Eccleſiam. Etenim ſoli Petro dixit, *Paſce oues meas.* quâ ſanè mandandi formulâ poteſtatem contulit Petro paſcendi regendíque ouilis Chriſtiani, cuius potiſſima pars erant Diſcipuli, poſt Petrum adlecti. Hæc igitur fuêre ἀρχιποιμενικὰ Petri : Quod Petrus primus à Chriſto vocatus adlectuſque eſt : Quod ſoli Petro Chriſtus coram ceteris Diſcipulis Paſcendi facultatem nuncupauit. Quæ paſcendi facultas Claues ſecum intulit anteà promiſſas. Claues, inquam, multiplices. Nam & neceſſariæ fuerant ouili paſcendo Claues. Hæ poteſtatis, iubendi vetandique, eximio iure ac principali. Alias verò claues accepit vnà cum ceteris, quæ fuêre claues Aperiendi, Claudendi, Ligandi ſoluendíque : Docendi, Interpretandi. Hæ claues Scientiæ : Verbum Dei, datum in commune omnibus Diſcipulis Apoſtolica illa formula : *Ecce ego mitto vos* : & quæ ſequuntur. Eminebat inter Diſcipulos Petrus iam πρωτόκλητος, iam ἀρχιποίμην, iam Paſtor ouilis, quod erat corpus Apoſtolorum. Hanc regiminis Eccleſiaſtici formam Chriſtus inſtituit. Agmen ducit & regit Petrus, Paulus includit & continet. Spiritus ſanctus amplificat. atque inde eſt longa ſerie ſucceſſorum, Chriſti nomen ita propagatum in varias Eccleſias, vt omnes vna ſint illa Petrina, vnum illud ouile creditum Petro, quem ſibi vicarium Chriſtus ad Patrem reuerſurus, hoc etiam ſignauit ſacramento, vt in Vrbe, totius Imperii capite, communi Crucis martyrio vices ſuas poſteris longo ſuccedendi ordine duraturis tradere voluerit. Sic per plures Petros ad vnius originem Petri cui Dominus dixit : Paſce oues meas, ſcandendo recurrimus, ac per plures Petras ad illam primam, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam. Sic denique per Petrum attinemus ad Chriſtum quotquot in Eccleſia ſumus, quæ cùm vna eſſe debeat, vnius Paſtoris monarchico miniſterio conuenientiſſimè regitur. Sic voluit Chriſtus cùm in corona Diſcipulorum dixit vni Petro, Paſce. Hoc enim mandato totum illud ouile ſuum ſubdidit curæ Petri : monarchicæ quidem, ſed non propterea tyrannicæ. immo, ciuili, & Chriſtianæ, & Paſtorali. Nam & ipſe Petrus erat in ouili : & præfecturæ ſuæ paſtoralis rationem debebat Domino. Itaque, ſancta illa monarchia fuit & planè diuina, quam adeo, præſentes Diſcipuli abſque inuidia, abſque æmulatione, ſacro aduenerationis ſilentio ſunt proſecuti. Nam & ordine vocationis poſtremus omnium Paulus aſcendit, vt ſuprà diximus, ad Petrum, vt exinde certior ad ea pergeret quæ incœperat. Habuerunt autem etiam ceteri Diſcipuli ſuas à Chriſto quoque dignationes : & ad eos dixit Chriſtus : *Ecce ego mitto vos. Si cui remiſeritis peccata, remittentur ei. Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis.* Hoc & Petrus accepit in commune cum ceteris. Nec indignamur aut ſuccenſemus Cypriano dicenti : *Hoc vtique fuiſſe ceteros Apoſtolos quod fuit Petrus : pari conſortio præditos honoris & poteſtatis.* Æqua fuit illis Euangelii prædicandi, remittendi aut retinendi peccati, poteſtas. verùm abſque præiudicio Petrinæ illius poteſtatis, Paſcendi catholico regimine ouilis etiam Apoſtolici. Hoc iure ſaluo, ſalua eſt Eccleſiæ vnitas, ſalua pax, ſalua concordia. Diuinæ ordinationis archetypum, quà poſſunt terrena reſpondere cæleſtibus, Petri nepotes ad ſe tranſmiſſum longiſſima ſucceſſione poſſident. Sedet Apoſtolicæ pietatis heres in Vrbe, quam ſanguine ſuo Petrus Eccleſiæ Chriſtianæ propriam fecit. nec ſine myſterio Princeps Apoſtolus Crucem Chriſti per ſuum corpus impreſſit Romæ, vbi formaretur Eccleſia ceteris orbe toto datura nomen, vnde Catholicæ pietatis & orthodoxæ fidei, ratio tota conſtaret. Hoc exemplo Cyprianus æquum eſſe dicit vt cedat Romæ Carthago. Et Auguſtino, de ſtatuis Deorum, quæ iam Romæ de templis ſublatæ fuerant, tractante, populus

pulus acclamauit: QVO MODO ROMA, SIC ET CARTHAGO. naturali lege populorum cordibus inſculptâ, vt etiam claræ ciuitates habeant, quas imitentur & ſequantur, matrices, & matricibus cunctis antiſtet vna matrix & regina cunctarum. Adeóque Paulus exultat, ὅτι ἡ πίστις Ῥωμαίων καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Et in Nicæna Synodo, Patres Alexandrini ad formam Romani Pontificis componi deſiderant. Hac fidei norma ſemel recepta, conſtitutis Apoſtolorum diligentia per vniuerſas mundi prouincias Paſtoribus, vocatis ſubinde ad cælum ipſis Apoſtolis & Petro, manſit perpetua Romæ Petri ſucceſſoribus auctoritas paſcendi ſuffectos Apoſtolis Paſtores, ac per ipſos, Eccleſiam vniuerſam, de Gentibus vniuerſis imperio Romano ſubiectis. Adeóque poſt aliquot ſæculorum ætates, diſiectis illius Imperij rebus, nihilominus perſtitit Eccleſiæ Romanæ Petra. Varia paſſim de corporis vaſtiſſimi ruinis regna fundata; diuerſiſſimæ nationes pro diuerſa cæli temperie, próque natiua ingeniorum diuerſitate, moribus planè diuerſis, manifeſtiſsima numinis prouidentia, principes contrariis vbique ſtudiis inter ſeſe diſcordes, Chriſti fide ſuſcepta, mox & Romanum adeò coluere Paſtorem, vt qui maximus eſſet Pontificum, idem eſſet hominum adeóque Principum ſummus. Ad eum verò ſuos quiſque miſére legatos, ac tandem apud ipſum, de cardinalibus omnium linguarum clericis, conſtituêre Senatum. Vnde fit vt Roma ſit patria communis omnium nationum, in qua nemo cenſeatur peregrinus, niſi qui factus extorris Eccleſiâ, exſors pœnitentiæ, exſpes ſalutis. Sic res Chriſtiana rediit ad illius primitiuæ pietatis originem, vt plebeius quiſque ſi Chriſtiana ſapit, per diaconos ſacerdotes epiſcopos, ad ſacerdotij cardinalis collegium Apoſtolicum, (clerus hic fuerit Romanus,) ac denique per Petrum, ad Chriſtum tandem pertineat. Vnitatis Eccleſiaſticæ retinendæ conſilia ſuggerit vbique Cyprianus. Et ſi fortè alicubi Stephanum ſuum indiligentiùs vel inclementiùs tractare videatur, hoc fecit quæſtionibus adhuc in medio poſitis & indeciſis, non litigandi turbandíve propoſito, ſed veritatis inquirendæ ſtudio. Scripta Romani aduerſus Pœnum hunc noſtrum non exſtant. Sed cauſam Stephani, hoc eſt Eccleſiæ Romanæ, tantis ingenij viribus explicat Afer Auguſtinus, vt res hodie terminatas ac definitas cum vtriuſque pace, non iniucundè nec infructuosè, vti ſunt à Cypriano diſputatæ, legantur. nec ſine deſiderio litterarum Stephani, quæ tantam Auguſtino diſſerendi copiam reliquerunt. Sic legimus ea Pauli quæ vulgò videntur aduerſus Petrum dicta vehementiùs. Sed inter Apoſtolos pronunciare quicquam, niſi cum adueneratione vtriuſque maxima, formidamus. Sic legimus Hieronymi & Auguſtini ſuper eiuſdem Petri negotio certamina ſanè aſpera & propemodum crudelia. Sed mox amicè compoſita. Nam & Paulus, ad Petri prudentiam accedens, agnouit factum ſe Iudæis tamquam Iudæum vt Iudæos lucraretur Chriſto. & alicubi etiam fatetur, per amorem Chriſtiani nominis factum ſe omnibus omnia, vt omnes lucrifierent Domino. Quod verò inter Cyprianum & Stephanum diſsidium fuit, tandem conquieuit. Vicit Roma Carthaginem. Africana concilia ceſſere Romanis. Etenim Stephanus & Cyprianus, ambo poſtmodum martyres, adunati ſunt Chriſto. nec offecit majeſtati Romanæ horridior Africani ſupercilij libertas, vtrimque ad Eccleſiæ Chriſtianæ gloriam diuerſis rationibus animata. Compeſcuit ſeruorum ſuorum diſcordiam Dominus, in exſequendis ipſius mandatis, etſi per diuerſa currendi ſpatia, ſtrenuè concordem. Hoc erit infirmitatis humanæ argumentum, quod etiam bona piaque mente peccamus. Apud hæreticos eſſe baptiſma negat Cyprianus: adfirmat Stephanus. Auferamus iurgia: tollamus ſtudia partium: conueniunt ambo ad fidelium ſalutem. Dicat ergo Cyprianus in pace, Eſſe apud hæreticos baptiſma. non contradixerit mandato baptizandi Dominico. nam illic de miniſtro baptizante nulla fit mentio. Audiat igitur etiam in pace Stephanus Cyprianum dicentem, Eſſe apud hæreticos baptiſma. Concedet hoc quidem Stephanus; tantùm adiiciet, Sed inutile eſt hæretico baptiſma. Audiat tandem Cyprianus Stephanum dicentem: Inutile eſſe apud hæreticos baptiſma: Iam in eo res erit, vt verbis Dominicis ſua conſtet auctoritas atque poteſtas. & ſit quidem apud hæreticos baptiſma; ſed non proſit baptizato, quamdiu hæretico. Itaque deponat hæreſin baptizatus, intrabit Eccleſiam Dominicum baptiſma cum illo nuper hæretico, iam fideli, & proficiet baptizato baptiſma: non ab hæreticæ perſonæ miniſterio, ſed Verbi Dominici, etiam per hæreticum miniſtrati, virtute. Sic Stephanus & Cyprianus ſatis vtrimque fidelibus ſuis cauerint. & tantulo caritatis Chriſtianæ ſpiritu, tantæ argutiarum & ſubtilitatum machinæ diſſlantur. Patrum ſcripta legentibus occurrunt huiuſcemodi plurima, quæ ſunt à me depromta vel eruta curioſiùs; non quòd ea reduci velim, nam hoc eſſet vbique ferè temerarium & rancidum. aliquando etiam impoſſibile & nefarium: Sed obſeruare tamen oportuit, vt neceſſaria ſcitu, ad percipienda quæ Cyprianus, & alij proximorum Cypriano ſæculorum Scriptores, pro ſuorum temporum neceſſitatibus, decreuerunt, vnde mutatis rerum argumentis multa ſunt à noſtris examinata diligentiùs, adinuenta feliciùs, vel fortiùs adſtricta, vel ſtabilita conſtantiùs. Apparent in hiſce noſtris ad Cyprianum lucubrationibus veteris illius Eccleſiæ moribus receptæ epiſcopos inter & presbyteros loquendi formulæ, quæ ſummos Pontifices fratrum & collegarum nomine compellant: papæ & ſacerdotis vocabula tribuunt epiſcopis: & euchariſtica ſacrificia ſub ſacrificiis orationum comprehendunt: ſacerdotium communicant diaconis,

& preſbyteros ab epiſcopis non diſtingunt. adeóque hierarchica noſtra turbant, vel negligentiùs adorant. Quæ ſanè paupertinis Eccleſiæ tum reculis accidiſſe credimus: & ſi quid iſtis hodie confundimur aut erubeſcimus, tamen infantiæ noſtræ pannucia reuerenter inſpicimus, laudes & gratias agentes Domino, qui de magnificentia Sæculi conceſſit Eccleſiæ quod vagientis olim fletus & lacrimas & pædorem abſtergeret. Itaque nec Decimis Eccleſiaſticis inuidemus. immò fraudatores aut maligna præbentes quotidie damnamus pro tribunalibus. Sed & regum & principum pietatem agnoſcimus qui de ſuis in vſus Eccleſiæ liberaliter contulerunt: atque vt porrò conferant exhortamur. nec vetamus Diſpenſatores ipſos etiam ſibi frangere, ſi cum exultatione pauperum lautitias miſcent ſuas. Eccleſiæ bona quæ vocantur, abutentibus mala ſunt pernicioſiſſima: eadem verò benè vtentibus, bona. Nec deſunt hodie qui diuitias inter & Sæculi poteſtates ſanctæ paupertatis modeſtiam colant, & ſub faſtigiis elatioribus, ſiue Paparum ſiue Pontificum, ſiue Primatum ſiue Metropolitanorum, & ſub archiepiſcorum, archipreſbyterorum & archidiaconorum titulis, priſtinæ ſimplicitatis verecundiam ſeruent, hæc dignitatum Eccleſiaſticarum diſcrimina, functionibus diſtinguendis neceſſaria, non ambitiosè, non arroganter affectant; oblatis vtuntur innocentiſſimè, & memores formulæ paſtoralis, vt villici, vt opiliones, vt paſtores ſeruiunt & miniſtrant ſalutaria gregi Chriſtiano. Praua & contumax calumniatorum natio, ſpurcis contactibus ſanctiſſima quæque corrumpit & fœdat. Nos acta veterum ſic laudamus, vt ſi qua fuerint peruerſa, damnemus, vtamur interim noſtris quæ bona ſunt & conuenientia Chriſti mandatis. Neque alia mente accipi velim, quæ ſunt etiam iſtic obſeruata De tranſmarinis appellationibus. Etenim hiſtorica ſunt potiùs quàm dogmatica, & opportuniùs explicabitur Romani cleri cauſſa, ſiquando Deus annuerit votis, quæ nomini ſuo pro totius Africæ reſtitutione nuncupamus. Hoc ampliùs; nec erit iſta minimi momenti cautio: Vbi de Corporis Chriſti manducatione paſſim iſthic tractabitur, Ne quis exiſtimet à nobis aliquid eſſe tractatum quod officiat aut præjudicet reali Corporis in Euchariſtia manducationi. Etenim, cùm ſit manducatio Corporis Chriſti duplex, vna Spiritalis, qua de agitur Euangelio Ioannis, cap. VI. altera Realis, quæ deſcribitur Matthæi cap. XXVI. & Pauli Epiſtola ad Corinthios I. II. hîc agitur tantùm de Spiritali: cuius officia præclarè & eleganter monſtrauit, commentario de Reſurrectione carnis, Tertullianus: *Exequitur Chriſtus, quid velit intelligi Spiritum: Verba quæ loquutus ſum vobis ſpiritus ſunt: vita ſunt. Qui audit ſermones meos, & credit in eum qui me miſit, habet vitam æternam. Itaque Sermonem* (Nos Verbum dicimus) *conſtituens viuificatorem, quia ſpiritus & vita ſermo, eumdem etiam Carnem ſuam dixit. quia & Sermo caro erat factus, proinde in cauſam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.* Hæc igitur ſpiritalis manducatio, tantùm abeſt, vt realem excludat, quin & conſummatur & perficitur reali, euchariſtica, quam Chriſtus inſtituit & exhibuit vltima illa Cœna, qua Panem Corpus ſuum fecit, & vinum ſanguinem. Nec diſſimulari debet, iſtam realem Corporis Chriſti manducationem variis locis adſeri à Cypriano multò clariùs quàm à Tertulliano: ſed præſertim libro Cypriani de Lapſis, vbi narrantur Euchariſtiæ miracula valdè memorabilia. ex quibus hoc etiam diſcimus, ſacramenti Corporis & Sanguinis Dominici celebrationem, acceptiſſimum eſſe Deo ſacrificium, & cotidiana ſeu frequenti manducatione reali, etiam ea quæ de ſpiritali promittuntur & ſperantur impleri. Plura de Cypriano præfari aut prædicare, ſuperuacuum videatur, quum ſatis epiſcopatu ſuo ſemetipſe demonſtrauerit, epiſtolis ad collegas plurimis, ad Chriſtianæ diſciplinæ vigorem facientibus. Ex iis autem ſumere ſibi argumenta quiſque poterit, quâ prudentiâ, quâ ſanctitate vir maximus Eccleſias adminiſtrauerit per omnem Africam celeberrimas. Atque hæc omninò vita eſt Cypriani noſtri maniſeſtiſſima, quæ ab eo ferè incipiat, quo nomen & fidem Chriſti ſuſcepit: adeóque fruſtrà nos aliam veſtigamus: cùm ab iſta ſola cenſeri debeat Chriſti Sacerdos. Itaque contenti ſimus ipſo ſui Apelle Cypriano. Ad Epiſtolas & Tractatus, oſtendi præcipua veteris Scripturæ liniamenta, ab ipſius Auctoris ſtilo ſeruata fideliter in optimis exemplaribus, Veronenſi & Beneuentano, collatis olim à Marcello P P. & Antonio Auguſtino Epiſcopo tunc Allifano: quæ in Cypriani volumine, manu illuſtriſſimi & reuerendiſſimi Toloſatum Archiepiſcopi Caroli Monchalli, Patrum omnium, præſertimque veterum, lectione exercitatiſſimi, & rei totius Eccleſiaſticæ peritiſſimi, ſumma diligentia, ſumma fide deſcripta, perpetuo nobis vſui fuêre. Atque hîc illa quidem in ipſo Cypriani operum contextu repræſentari omnia debuiſſe non infitior; nec me huiuſce conſilij ambiguum fuiſſe vnquam exiſtimari velim. triſtiſſimè tuli quòd feſtinantibus operis typographicis adeſſe mihi non licuerit. Ceterùm, Obſeruationibus iſtis inſerui tractatum, ſanè egregium, De baptiſmo hæreticorum, ſcriptoris antiquiſſimi; ſed in Remigiana bibliotheca, vnde eſt deſcriptus, anonymi. Adjeci etiam ad Tertulliani ſcripta nonnihil, quod Cypriano minimè diſpliceat, & præcedentium editionum Obſeruationibus inſeri debeat, ſi quando rei typographicæ intererit, mea recudi. Etenim, quantùm ad Tertullianum attinet, vix eſt, vt rediuiuus vnquam vb vllo mortalium dici queat, qui iam ſit horrendis vegrandium commentariorum ſarcinis obrutus & contritus.

VITA S. CAECILII CYPRIANI
PER PONTIVM EIVS DIACONVM.

CYPRIANVS Religioſus Antiſtes, ac teſtis Dei glorioſus, tametſi multa conſcripſit, per quæ memoria digni nominis ſuperuiuat; etſi eloquentiæ eius ac Dei gratiæ larga fœcunditas ita ſe copia & vbertate ſermonis extendit, vt vſque in finem mundi fortaſſe non taceat: tamen, quia operibus eius ac meritis etiam hæc prærogatiua debetur, vt exemplum ſuum in litteras dirigatur, placuit ſummatim pauca conſcribere; non quod aliquem gentilium lateat tanti viri vita, ſed vt ad paſtores quoque noſtros incomparabile & grande documentum in immortalem memoriam porrigatur. Certè durum erat, vt [cùm maiores noſtri plebeiis & cathecumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro martyrii ipſius veneratione dederint, vt de paſſionibus eorum multa, aut, propè dixerim, penè cuncta conſcripſerint, vt ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, peruenirent] Cypriani, tanti Sacerdotis, & tanti Martyris, paſſio præteriretur, qui & ſine martyrio habuit quæ doceret; & quæ dum vixit geſſerit, non paterent: quæ quidem tanta, atque tam magna, & mira ſunt, vt magnitudinis contemplatione deterreat, ac imparem me eſſe confitear ad proferendum dignè pro meritorum honore ſermonem, nec poſſe ſic proſequi facta tam grandia, vt, quanta ſunt, tanta videantur: niſi quod numeroſitas gloriarum ſibimetipſa ſufficiens, alieno præconio non eget. Accedit ad cumulum, quod & vos de eo multum, aut, ſi fieri poteſt, totum deſideratis audire, concupiſcentes ardore flagranti, vel facta eius cognoſcere, etſi interim viua verba tacuerunt. In qua parte ſi dixero nos opibus facundiæ defici, minus dico, facundia enim ipſa deficit digna facultate, quæ deſiderium veſtrum pleno ſpiritu ſatiet. Ita vtrimque grauiter vrgemur: ille nos virtutibus ſuis onerat, vos nos precibus fatigatis. Vnde igitur incipiam? vnde exordium bonorum eius aggrediar, niſi à principio fidei, & natiuitate cæleſti? ſi quidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, niſi ex quo Deo natus eſt. Fuerint licet ſtudia, & bonæ artes deuotum pectus imbuerint: tamen illa prætereo, nondum enim ad vtilitatem, niſi ſæculi, pertinebant, poſtquam & ſacras litteras didicit, & mundi nube diſcuſſa in lucem ſapientiæ ſpiritalis emerſit, ſi quibus eius interfui, ſi qua de antiquioribus eius operibus comperi, dicam: hanc tamen petens veniam, vt quidquid minus dixero [minus enim dicam neceſſe eſt] ignorantiæ meæ potiùs, quàm illius gloriæ derogetur. Inter fidei ſuæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quàm ſi continentiam tueretur: tunc enim poſſe idoneum fieri pectus, & ſenſum ad plenam veri capacitatem peruenire, ſi concupiſcentiam carnis robuſto atque integro ſanctimoniæ vigore calcaret. Quis vnquam tanti miraculi meminit? Nondum ſecunda natiuitas nouum hominem ſplendore toto diuinæ lucis oculauerat, & iam veteres ac priſtinas tenebras ſola lucis paratura vincebat. Deinde quod maius eſt, cùm de lectione diuina quædam iam non pro conditione nouitatis, ſed pro fidei feſtinatione didiciſſet: ſtatim rapuit quod inuenit promerendo Domino profuturum. Diſtractis rebus ſuis ad indigentiam pauperum ſuſtentandam, tota prædia pretio diſpenſans, duo bona ſimul iunxit, vt & ambitionem ſæculi ſperneret, qua pernicioſius nihil eſt, & miſericordiam, quam Deus etiam ſacrificiis ſuis prætulit, quam nec ille qui legis omnia mandata ſeruaſſe ſe dixerat, fecit, impleret: & præpropera velocitate pietatis, penè antè cœpit perfectus eſſe, quàm diſceret. Quis oro de veteribus hoc fecit? Quis de antiquiſſimis in fide ſenibus, quorum mentes & aures per plurimos annos diuina verba pulſauerant, tale aliquid impendit, quale ahuc rudis fidei homo, & cui nondum forſitan crederetur, ſupergreſſus vetuſtatis ætatem, glorioſis & admirandis operibus, perpetrauit? Nemo metit ſtatim vt ſeuit. Nemo vindemiam de nouellis ſcrobibus expreſſit. Nemo adhuc vnquam de nouiter plantatis arbuſculis matura poma quæſiuit. In illo omnia incredibilia cucurrerunt. Præuenit, ſi poteſt dici [res enim fidem non capit] præuenit, inquam, tritura ſementem, vindemia palmitem, poma radicem. Aiunt Apoſtoli litteræ, debere neophytos præteriri, ne ſtupore gentilitatis nondum fundatis ſenſibus adhærente; aliquid in Deum nouitas inerudita peccaret. Ille fuit primus, & puto ſolus exemplo, plus fide poſſe, quàm tempore promoueri. Sed etſi in Apoſtolorum Actis eunuchus ille deſcribitur, quia toto corde crediderat, à Philippo ſtatim tinctus; non eſt ſimilis comparatio. Ille enim & Iudæus erat, & de templo Domini veniens Prophetam legebat Iſaiam & ſperabat in Chriſto, etſi nondum eum veniſſe crediderat: Hic de imperitis gentibus veniens, tam matura cœpit fide, quantâ pauci fortaſsè perfecerint. Mora denique circa gratiam

Dei nulla: nulla dilatio. Parum dixi: Preſbyterium, & ſacerdotium ſtatim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? Multa ſunt quæ adhuc plebeius, multa quæ iam Preſbyter fecit, multa quæ ad veterum exempla iuſtorum, imitatione conſimili proſecutus, promerendo Dominum totius religionis obſequio præſtitit. Nam & ſermo illi de hoc fuerat vſitatus, vt ſi quem prædicatum Dei laudatione legiſſet, ſuaderet inquiri, propter quæ facta Deo placuiſſet. Si Iob, Dei teſtimonio glorioſus, dictus eſt verus Dei cultor, & cui in terris nemo compararetur, faciendum docebat ille, quidquid Iob antè feciſſet: vt dum & nos paria facimus, ſimile in nos Dei teſtimonium prouocemus. Contemptis ille diſpendiis rei familiaris, in tantum exercitata virtute profecit, vt nec pietatis temporalia damna ſentiret. Non illum penuria, non dolor fregit. Non vxoris ſuadela deflexit: non proprij corporis dira pœna concuſſit. Permanſit in ſuis ſedibus fixa virtus, & altis radicibus fundata deuotio; nullo diaboli tentantis impetu ceſſit, quominus Dominum ſuum, fide grata, etiam inter aduerſa benediceret. Domus eius patuit cuicumque venienti. Nulla vidua reuerſa eſt ſinu vacuo: nullus indigens lumine, non illo comite directus eſt: nullus debilis greſſu, non illo baiulo vectus eſt: nullus nudus auxilio de potentioris manu, non illo tutore protectus eſt. Hæc debenr facere (dicebat) qui Deo placere deſiderant. Et ſic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores ſemper imitatur, etiam ipſe ſe fecit imitandum. Erat ſanè illi etiam de nobis contubernium viri iuſti, & laudabilis memoriæ Cæcilij, & ætate tunc & honore Preſbyteri, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis à ſæculari errore correxerat. Hunc toto honore, atque omni obſeruantia diligebat, obſequenti veneratione ſuſpiciens, non iam vt amicum animæ coæqualem, ſed tamquam nouæ vitæ parentem. Denique, ille demulſus eius obſequiis, in tantum dilectionis immenſæ merito prouocatus eſt, vt de ſæculo excedens, arceſſitione iam proxima, commendaret illi coniugem ac liberos ſuos, & quem fecerat de ſectæ communione participem, poſtmodum faceret pietatis hæredem. Longum eſt ire per ſingula: ſancta eius facta oneroſum eſt enumerare. Ad probationem bonorum operum, ſolum hoc arbitror ſatis eſſe: quod iudicio Dei & plebis fauore, ad officium ſacerdotij, & Epiſcopatus gradum adhuc neophytus, & vt putabatur, nouellus, electus eſt. Quamuis in primis fidei ſuæ adhuc diebus, & rudi vitæ ſpiritalis ætate, ſic generoſa indoles reluceret; vt etſi nondum officij, ſpei tamen fulgore reſplendens, imminentis ſacerdotij totam fiduciam polliceretur. Non prætenbo etiam illud eximium, quemadmodum cùm in dilectionem eius & honorem totus populus adſpirante Domino proſiliret, humiliter ille ſeceſſit; antiquioribus cedens, & indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans, vt dignus magis fieret. Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur excuſat. Quod tunc ardore plebs æſtuans fluctuabat, ſpiritali deſiderio concupiſcens (vt exitus docuit) non tantùm Epiſcopum; ſed in eo quem tunc latentem diuinitatis præſagio taliter flagitabat, futurum etiam Martyrem requirebat. Obſederat fores domus copioſa fraternitas, & per omnes aditus ſollicita charitas circuibat. Potuiſſet fortaſsè tunc illi Apoſtolicum illud euenire, quod voluit, vt per feneſtram deponeretur; ſi cum Apoſtolo etiam ordinationis honore ſimilaret. Erat videre cæteros omnes ſuſpenſos anxio ſpiritu expectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem. Inuitus dico; ſed dicam neceſſe eſt. Quidam illi reſtiterunt, etiam vt vinceret. Quibus tamen quanta lenitate, quàm patienter, quàm beneuolenter indulſit, quàm clementer ignouit, amiciſſimos eos poſtmodum & inter neceſſarios computans mirantibus multis? Cui enim poſſet non eſſe miraculo, tam memorioſæ mentis obliuio? Exinde quemadmodum ſe geſſerit, quis referre ſufficiat? quæ illi pietas? qui vigor? miſericordia quanta? quanta cenſura? Tantum ſanctitati & gratiæ ex ore eius lucebat, vt confunderet intuentium mentes. Grauis vultus & lætus: nec ſeueritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta vtrimque temperies; vt eſſet ambigere, vereri plus an diligi mereretur: niſi quod & vereri & diligi merebatur. Sed nec cultus fuit diſpar à vultu, temperatus & ipſe de medio. Non illum ſuperbia ſæcularis inflauerat: nec tamen prorſus affectata penuria ſordidarat: quia & hoc veſtitus genus à iactantia minus non eſt, quàm oſtentata taliter ambitioſa frugalitas. Quid autem circa pauperes Epiſcopus faceret, quos catechumenus diligebat? Viderint pietatis Antiſtites, ſeu quos ad officium boni operis inſtruxit ipſius ordinis diſciplina: ſeu quos ſacramenti religio communis, ad obſequium exhibendæ dilectionis artauit. Cyprianum de ſuo talem accepit cathedra, non fecit. Statim denique pro talibus meritis etiam Proſcriptionis gloriam conſecutus eſt. Nec enim aliud oportebat, quàm vt eum, qui intra ſecretam conſcientiæ latebram, religionis & fidei toto honore florebat, etiam publicè celebrata gentilium fama titularet. Potuiſſet quidem tunc pro velocitate qua ſemper omnia conſecutus eſt, etiam martyrij circa eum debita corona properare; maximè cùm & ſuffragiis ſæpè repetitis ad leonem poſtularetur: niſi per omnes ordines gloriarum tranſeundum illi eſſet, & ſic ad ſumma veniendum; & niſi imminens ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret. Finge enim tunc illum martyrij dignatione tranſlatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis oſtenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimonia dignum, velut frenis quibuſdam lectionis Dominicæ coërceret? Quis doceret pœnitentiam lapſos, veritatem hæreticos, ſchiſmaticos vnitatem, filios Dei pacem, & Euangelicæ precis legem? per quem gentiles blaſphemi repercuſſis in ſe iis quæ nobis ingerunt vincerentur? A quo Chriſtiani mollioris affectus

circa amiſſionem ſuorum, aut quod magis eſt, fidei paruioris conſolarentur ſpe futurorum? Vnde ſic miſericordiam, vnde patientiam diſceremus? quis liuorem de venenata inuidiæ malignitate venientem dulcedine remedii ſalutaris inhiberet? Quis martyras tantos exhortatione diuini ſermonis erigeret? quis denique tot Confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſeruatos, incentiuo tubæ cæleſtis animaret? Bene, bene tunc, & verè ſpiritaliter contigit quod vir tam neceſſarius, tam multis & bonis rebus à martyrii conſummatione dilatus eſt. Vultis ſcire ſeceſſum illum non fuiſſe formidinem? Vt nihil aliud excuſem, ipſe poſtmodum paſſus eſt: quam paſſionem vtique ex more vitaret, ſi & antè vitaſſet. Fuit verò formido illa, ſed iuſta, formido quæ Dominum timeret offendere: formido quæ præceptis Dei mallet obſequi, quàm ſic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides diuinis admonitionibus mancipata, credidit ſe, niſi Domino latebram tunc iubenti paruiſſet, etiam ipſa paſſione peccare. Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis vtilitate diſſerenda, tametſi iamdudum pauca perſtrinximus: per hæc enim quæ videntur poſtmodum ſubſecuta ſciamus, ſequitur vt probemus, ſeceſſum illum non hominis puſillanimitate conceptum, ſed ſicuti eſt, verè fuiſſe diuinum. Vaſtauerat Dei populum perſecutionis infeſtæ, inſolens, atque acerba graſſatio, & quia omnes decipere vna fraude non poterat artifex hoſtis: quacumque miles incautus prodiderat latus nudum, diſpari genere ſæuiendi, ſingulos diuerſa ſtrage deiecerat. Debebat eſſe qui poſſet ſaucios homines & varia expugnantis inimici arte iaculatos, adhibita medicinæ cæleſtis medela pro qualitate vulneris vel ſecare interim, vel fouere. Seruatus eſt vir, ingenii præter cætera etiam ſpiritaliter temperati: qui inter reſultantes collidentium ſchiſmatum fluctus, Eccleſiæ iter medium, librato limite gubernaret. Nónne hæc, oro, conſilia diuina ſunt? Hoc fieri ſine Deo potuit? Viderint qui putant poſſe fortuitu iſta contingere. Eccleſia illis clara voce reſpondet, dicens: Ego ſine Dei nutu neceſſarios reſeruari non admitto. Percurramus tamen cætera, ſi videtur. Erupit poſtmodum lues dira, & deteſtabilis morbi vaſtitas nimia, innumeros per diem populos à ſua quemque ſede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis inuaſit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium; exponere ſuos impiè: quaſi cum illo peſte morituro, etiam mortem ipſam aliquis poſſet excludere. Iacebant interim tota ciuitate, non iam corpora, ſed cadauera plurimorum: & miſericordiam in ſe tranſeuntium, contemplatione ſortis mutuæ flagitabant. Nemo reſpexit aliud, præterquàm lucra crudelia. Nemo ſimilis euentus recordatione trepidauit. Nemo fecit alteri quod ſibi fieri voluit. Quid inter hæc egerit Chriſti & Dei Pontifex, qui pontifices mundi huius tantò plus pietate, quantò religionis veritate præceſſerat, ſcelus eſt præterire. Aggregatam primò in loco vno plebem de miſericordiæ bonis inſtruit, docens diuinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum proſint officia pietatis. Tunc deinde ſubiungit non eſſe mirabile ſi noſtros tantum debito charitatis obſequio foueremus; eum perfectum poſſe fieri, qui plus aliquid publicano, vel ethnico fecerit; qui malum bono vincens, & diuinæ clementiæ inſtar exercens, inimicos quoque dilexerit; qui pro perſequentium ſe ſalute, ſicuti Dominus monet & hortatur, orarit. Oriri facit Deus iugiter ſolem ſuum, & pluuias ſubinde nutriendis ſeminibus impertit; exhibens cuncta iſta non ſuis tantùm, ſed etiam alienis: & qui ſe Dei etiam filium eſſe profitetur, cur non exemplum patris imitatur? Reſpondere nos decet natalibus noſtris, & quos renatos per Deum conſtat, degeneres eſſe non congruit; ſed probare potiùs in ſobole traducem boni patris æmulatione bonitatis. Multa alia & quidem magna prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur prolixiore ſermone replicari. De quibus hoc tantùm dixiſſe ſatis eſt. Quod ſi illa gentiles pro roſtris audire potuiſſent, forſitan ſtatim crederent. Quid Chriſtiana plebs faceret, cui de fide nomen eſt? Diſtributa ſunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum miniſteria. Multi qui anguſtia paupertatis beneficia ſumptus exhibere non poterant, plus ſumptibus exhibebant; compenſantes proprio labore mercedem diuitiis omnibus cariorem. Et quis non ſub tanto doctore properaret inueniri in parte aliqua talis militiæ, per quam placeret & Deo patri, & iudici Chriſto, & tam bono interim ſacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate quod bonum eſt ad omnes, non ad ſolos domeſticos fidei. Fiebat plus aliquid quàm de Tobiæ incomparabili pietate ſignatum eſt. Ignoſcat ille, & ignoſcat iterùm, & frequenter ignoſcat: aut, vt verius dixerim, merito concedat, tametſi ante Chriſtum plurimum licuit, plus aliquid licuiſſet poſt Chriſtum: cuius temporibus plenitudo debetur. Necatos ille à rege & proiectos ſui tantùm generis colligebat. His tam bonis & tam piis actibus ſuperuenit exilium. Hanc enim vicem ſemper repræſentat impietas, vt melioribus peiora reſtituat. Et, vt quid Sacerdos Dei Proconſule interrogante reſponderit taceam, ſunt acta quæ referant. Excluditur interim è ciuitate. ille qui fecerat boni aliquid pro ciuitatis ſalute; ille qui laborauerat, ne viuentium oculi paterentur infernæ ſedis horrorem, ille inquam qui excubiis pietatis inuigilans (pro nefas!) ingrata bonitate prouiderat ne omnibus tetram ciuitatis faciem relinquentibus multos exules, deſerta reſpublica, ac deſtituta patria ſentiret. Sed viderit ſæculum, cui inter pœnas exilium computatur: Nobis patria minùs cara, & commune nomen eſt; qui parentes ipſos, ſi contra Dominum ſuaſerint, abhorremus. Illis extra ciuitatem ſuam viuere grauis pœna eſt. Chriſtiano, totus hic mundus vna domus eſt. Vnde licet in abditum &

abſtruſum locum fuerit relegatus; admixtus Dei ſui rebus, exilium non poteſt computare. Adde quod Deo integrè ſeruiens, etiam propria in ciuitate peregrinus eſt. Dum enim ſe carnalibus deſideriis continentia ſancti Spiritus abſtinet, conuerſationem prioris hominis exponens; etiam inter ciues ſuos, aut propè dixerim, inter parentes ipſos, vitæ terreſtris alienus eſt. Accedit, quod & ſi hæc talia pœna poſſent videri, in huiuſmodi tamen cauſis atque ſententiis, quas ob approbandæ virtutis experimenta perpetimur, non eſt pœna, quia gloria eſt. Sed eſto ſanè nobis pœna exilium. Illis vltimum crimen, & peſſimum nefas etiam ipſorum conſcientia teſtis adſcribat, qui poſſunt innocentibus irrogare quod putant pœnam. Nolo nunc deſcribere loci gratiam; & deliciarum omnium paraturam interim tranſeo. Fingamus locum illum ſitu ſordidum, ſqualidum viſu, non ſalubres aquas habentem, non amœnitatem viroris, non viciniam litoris; ſed rupes vaſtas ſiluatum, inter inhoſpitas fauces deſertæ admodum ſolitudinis auia mundi parte ſummotum. Poſſe, licet talis locus, habere nomen exilii, quò Cyprianus ſacerdos Dei venerat; cui ſi hominum miniſteria deficerent, vel alites, vt Heliæ, vel vt Danieli Angeli miniſtrarent? Abſit, vt credat aliquis, cuilibet minimo, dummodo in confeſſione nominis conſtituto, aliquid deſuturum. Tantum abeſt vt Dei Pontifex ille, qui miſericordiæ ſemper rebus inſtiterat, horum omnium opibus indigeret. Iam nunc quod ſecundo poſueram loco, cum gratiarum actione repetamus. Prouiſum eſſe diuinitus etiam pro animo tanti viri, apricum & competentem locum, hoſpitium pro voluntate ſecretum, & quidquid apponi eis antè promiſſum eſt, qui regnum & iuſtitiam Dei quærunt. Atque vt omittam frequentiam viſitantium fratrum, & ipſorum inde ciuium charitatem, quæ repræſentabat omnia, quibus videbatur eſſe fraudatus; admirabilem viſitationem Dei non prætereo: qua Antiſtitem ſuum ſic in exilio eſſe voluit de ſecutura paſſione ſecurum, vt imminentis martyrii pleniore fiducia, non exulem tantummodo Curubi, ſed & martyrem poſſideret. Eo enim die quo primùm in exilii loco manſimus, (nam & me inter domeſticos comites dignatio charitatis eius delegerat exulem voluntarium, quod vtinam & in paſſione licuiſſet.) apparuit mihi, inquit, nondum ſomni quiete ſopito, iuuenis vltra modum hominis enormis: qui cùm me quaſi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali ſedentis tum Proconſulis admoueri. Is vt in me reſpexit, adnotare ſtatim cœpit in tabula ſententiam, quam non ſciebam, nihil enim de me ſolita interrogatione quæſierat: ſed enim iuuenis, qui à tergo eius ſtabat, admodum curioſus legit quidquid fuerat adnotatum. Et quia id verbis proferre non poterat, nutu declarante monſtrauit, quid in litteris tabulæ illius haberetur. Manu enim expanſa & complanata ad ſpatæ modum, ictum ſolitæ animaduerſionis imitatus; quod volebat intelligi, ad inſtar liquidi ſermonis expreſſit. Intellexi ſententiam paſſionis futuram. Rogare cœpi, & petere continuò, vt dilatio mihi vel vnius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione diſponerem. Et cùm preces frequenter iteraſſem, rurſus in tabula cœperat neſcio quid adnotare. Senſi tamen de vultus ſerenitate, iudicis mentem, quaſi iuſta petitione commotam. Sed & ille iuuenis, qui iamdudum de paſſionis indicio geſtu potiùs, quàm ſermone prodiderat; clandeſtino identidem nutu, conceſſam dilationem, quæ in craſtinum petebatur, contortis poſt inuicem digitis, ſignificare properauit. Ego quamuis non eſſet lecta ſententia, & ſi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertæ ſic tremebam, vt reliquiæ formidinis, cor exultans, adhuc toto pauore pulſarent. Quid hac reuelatione manifeſtius? quid hac dignatione felicius? Antè illi prædicta ſunt omnia, quæcumque poſtmodum ſubſecuta ſunt. Nihil Dei verbis imminutum: nihil de tam ſancta promiſſione mutilatum. Singula denique, ſecundùm quod oſtenſa ſunt, recognoſcite. Dilationem petit craſtini cùm de paſſionis ſententia cogitaretur: poſtulans, vt res ſuas die illo, quem impetrauerat, ordinaret. Hic dies vnus ſignificabat annum, quo ille poſt viſionem acturus in ſæculo fuerat. Nam vt manifeſtiùs dicam, eo die poſt exactum annum fuerat oſtenſum. Diem autem Domini, & ſi non annum in diuinis litteris legimus, promiſſioni tamen futurorum, debitum illud tempus accipimus. Vnde nihil intereſt; ſi ſub diei ſignificatione ſolus annus oſtenſus eſt; quia illud plenius debet eſſe quod maius eſt. Quod verò nutu potius, & non ſermone explanatum eſt, repræſentationi temporis ſeruabatur ſermonis expreſſio. Solet enim tunc verbis quodcumque proferri, quotiens quidquid profertur impletur. Nam & verè nemo cognouit quare hoc ei oſtenſum fuiſſet, niſi poſtquam eodem die quo id viderat, coronatus eſt. Medio nihilominus tempore imminens paſſio pro certo ab omnibus ſciebatur: Paſſionis tamen dies certus ab eiſdem omnibus quaſi ignorantibus, tacebatur. Sanè & in ſcripturis tale aliquid inuenio. Nam Zacharias ſacerdos, promiſſo ſibi per Angelum filio, quia non crediderat obmutuit; ita vt filii nomen, ſcripturus potiùs quàm relaturus, nutu tabulas poſtularet. Meritò & hic, vbi Dei nuncius paſſionem Antiſtitis imminentem nutu potiùs expreſſit: & fidem admonuit & ſacerdotem muniuit. Dilationis autem petendæ ratio, de ordinatione rerum & de voluntatis diſpoſitione veniebat. Quæ verò res illi, aut quæ voluntas ordinanda, niſi Eccleſiaſtici ſtatus? Suprema idcirco accepta dilatio eſt, vt quicquid circa pauperum fouendorum curam ſupremo iudicio diſponendum fuerat, ordinaretur. Et puto propter nihil aliud, immo verò propter hoc tantùm, etiam indulgentia ab ipſis, qui eiecerant, & qui occiſuri erant, admiſſa eſt; vt præſens præſentes pauperes, nouiſſimæ diſpenſationis extremis,

& vt plenius dixerim, totis ſumptibus releuaret. Ordinatis ergo tam piè rebus & ſic voluntate diſpoſita; proximabat dies craſtinus. Iam de Xiſto bono & pacifico ſacerdote, ac propterea beatiſſimo Martyre, ab vrbe nuncius venerat. Sperabatur iam iamque carnifex veniens, qui deuota ſanctiſſimæ victimæ colla percuteret: & ſic erant omnes dies illi quotidiana expectatione moriendi, vt corona ſingulis poſſet aſcribi. Conueniebant interim plures egregii & clariſſimi ordinis & ſanguinis, ſed & ſæculi nobilitate generoſi: qui propter amicitiam eius antiquam, ſeceſſum ſubinde ſuaderent: & ne parum eſſet nuda ſuadela, etiam loca in quæ ſecederet offerebant. Ille verò iam mundum ſuſpenſa ad cælum mente neglexerat; nec ſuadelis blandientibus annuebat. Feciſſet fortaſſe tunc etiam quod à plurimis & fidelibus petebatur, ſi & diuino imperio iuberetur. Sed nec illa ſublimis tanti viri gloria ſine præconio tranſeunda eſt: quia iam ſæcula tumeſcente & de fiducia Principum infeſtationem nominis anhelante: ille ſeruos Dei, prout dabatur occaſio, exhortationibus dominicis inſtruebat, & ad calcandas paſſiones huius temporis, contemplatione ſuperuenturæ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit ſacri cupido ſermonis, vt optaret ſic ſibi paſſionis vota contingere, vt dum de Deo loquitur, in ipſo ſermonis opere necaretur. Et hi erant quotidiani actus deſtinati ad placentem Deo hoſtiam ſacerdotis; cùm ecce Proconſulis iuſſu ad hortos eius (ad hortos inquam, quos inter initia fidei ſuæ venditos, & Dei indulgentia reſtitutos, pro certo iterum in vſus pauperum vendidiſſet, niſi inuidiam de perſecutione vetaret) cum milibus ſuis princeps repentè ſubitauit; immò, vt verius dixerim, ſubitaſſe ſe, credidit. Vnde enim poſſet tamquam improuiſo impetu mens ſemper parata ſubitari? Proceſſit ergo jam certus expungi, quod diu fuerat retardatum; proceſſit animo ſublimi, & erecto, hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem. Sed dilatus in craſtinum ad domum principis à prætorio reuertebatur; cùm ſubitò per Carthaginem totam ſparſus rumor increbuit, productum eſſe iam Taſcium, quem præter celebrem glorioſa opinione notitiam etiam de commemoratione præclariſſimi operis nemo non nouerat. Concurrebant vndiqueuerſus omnes ad ſpectaculum, nobis pro deuotione fidei glorioſum, gentilibus & dolendum. Receptum eum tamen & in domo principis conſtitutum vna nocte continuit cuſtodia delicata; ita vt conuiuæ eius, & cari in contubernio ex more fuerimus. Plebs interim tota ſollicita, ne per noctem aliquid ſine conſcientia ſui fieret, ante fores principis excubabat. Conceſſit ei diuina tunc bonitas vere digno vt Dei populus etiam in ſacerdotis paſſione vigilaret. Forſitan tamen quærat aliquis, quæ cauſa fuerit à præterio reuertendi ad principem. Et volunt hoc ſcilicet quidam de ſuo, tunc Proconſulem noluiſſe. Abſit vt in rebus diuinitùs geſtis ſegnitiem ſiue faſtidium Proconſulis conquerar. Abſit vt malum hoc intra conſcientiam religioſæ mentis admittam; vt de tam beatiſſimo Martyre ructus hominis iudicaret. Sed craſtinus dies ille, quem ante annum dignatio diuina prædixerat, verè craſtinus eſſe debebat. Illuxit denique dies alius, ille ſignatus, ille promiſſus, ille diuinus; quem ſi tyrannus ipſe differre voluiſſet, numquam prorſus valeret: dies de conſcientia futuri Martyris lætus; & diſcuſſis per totum mundi ambitum nubibus, claro ſole radiatus. Egreſſus eſt domum principis, ſed Chriſti & Dei princeps, & agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus eſt. Sic autem comitatui eius infinitus exercitus adhærebat, quaſi ad expugnandam mortem manu facta veneretur. Eundi autem interfuit tranſitus ſtadij. Bene verò, & quaſi de induſtria factum, vt & locum congruentis certaminis præteriret, qui ad coronam iuſtitiæ conſummato agone currebat. Sed vbi ad prætorium ventum eſt, nondum procedente Proconſule, ſecretior locus datus eſt. Illic cùm poſt iter longum nimio ſudore madidatus ſederet (ſedile autem erat fortuito linteo tectum, vt & ſub ictu paſſionis epiſcopatus honore frueretur) quidam ex teſſerariis quondam Chriſtianus res ſuas obtulit; quaſi vellet ille veſtimentis ſuis humidis ſicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quàm vt proficiſcentis ad Deum Martyris ſudores iam ſanguineos poſſideret. Cui ille reſpondit, & dixit: Medelas adhibemus quetelis quæ hodie forſitan non erunt. Mirum, ſi contempſit laborem corpore, qui mortem mente contempſerat. Quid plura? ſubitò Proconſuli nunciatus eſt; producitur, admouetur, interrogatur de ſuo nomine, ſe eſſe reſpondit; & hactenus verba. Legit itaque de tabula iam ſententiam iudex, quam nuper in viſione non legerat: ſententiam ſpiritalem non temerè dicendam; ſententiam Epiſcopo tali, & tali teſte condignam; ſententiam glorioſam; in qua dictus eſt ſectæ ſignifer, & inimicus deorum, & qui ſuis futurus eſſet ipſe documento, & quod ſanguine eius inciperet diſciplina ſanciri. Nihil hac ſententia plenius, nihil verius; omnia quippe, quæ dicta ſunt, licet à gentili dicta, diuina ſunt. Nec mirum vtique, cùm ſoleant de Paſſione Pontifices prophetare. Signifer fuerat, qui de ferendo ſigno Chriſti docebat: inimicus deorum, qui idola deſtruenda mandabat: documento autem ſuis fuit, qui multis pari genere ſecuturis, prior in Prouincia, martyrij primitias dedicauit. Sanciri etiam cœpit eius ſanguine diſciplina: ſed martyrum; qui doctorem ſuum imitatione gloriæ conſimilis æmulati, ipſi quoque diſciplinam exempli ſui proprio cruore ſanxerunt. Et cùm exiret prætorij fores, ibat comes militum turba, & ne quid in paſſione deeſſet, centuriones, & tribuni latus texerant: ipſe autem locus æqualis eſt vbi pati contigit, vt arboribus ex omni parte denſatis ſublime ſpectaculum præbeat. Sed per enormitatem ſpatij longiaris viſu denegato per confuſam nimis turbam, perſonæ fauentes in ramos arborum

repſerant; ne vel hoc illi negaretur vt ad Zachei ſimilitudinem de arboribus videretur. Sed iam ligatis per manus ſuas oculis moram carnificis vrgere tentabat, cuius munus eſt ferrum; & labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam pretioſi viri mortem, clarificationis hora matura, centurionis manum conceſſo deſuper vigore firmatam, permiſſis tandem viribus expediret. O beatum Eccleſiæ populum, qui Epiſcopo ſuo tali, & oculis pariter & ſenſibus, & quod eſt amplius publicata voce compaſſus eſt; & ſicut ipſo tractante ſemper audierat, Deo iudice coronatus eſt. Quamuis enim non potuerit euenire, quod optabant vota communia, vt conſortio paris gloriæ ſimul plebs tota pateretur; quicumque ſub Chriſti ſpectantis oculis, & ſub auribus ſacerdoris ex animo pati voluit, per idoneum voti ſui teſtem legationis quodam modo literas ad Deum miſit. Sic conſummata paſsione perfectum eſt; vt Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam ſacerdotales coronas in Africa primus imbueret: quia & talis eſſe poſt Apoſtolos prior cœperat. Ex quo enim Carthagini Epiſcopatus ordo numeratur, numquam aliquis, quamuis ex bonis, & ſacerdotibus ad paſsionem veniſſe memoratur; licet ſemper Deo mancipata deuotio, dicatis hominibus pro martyrio deputetur: Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam Domino conſummante profecit; vt in ciuitate ipſa, in qua taliter vixerat, & in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam ſacerdotii cæleſtis inſignia glorioſo cruore decoraret. Quid hoc loco faciam, inter gaudium paſsionis, & remanendi dolorem? in partes diuiſus animus, & anguſtum nimis pectus affectus duplices onerant. Dolebo, quòd non comes fuerim? ſed illius victoria triumphanda eſt. De victoria triumphabo? ſed doleo, quòd comes non ſim. Verùm vobis tamen & ſimpliciter confitendum eſt quod & vos ſcitis, in hac me fuiſſe ſententia. Multum, ac nimis multum de gloria eius exulto; plus tamen doleo, quod remanſi.

De hac vita S. Hieronymus ita ſcribit in Catalogo virorum illuſtrium: Pontius diaconus Cypriani, vſque ad diem paſsionis eius cum ipſo exilium ſuſtinuit, egregium volumen vitæ & paſsionis reliquit.

ACTVS PASSIONIS CYPRIANI, CVIVS IPSE PONTIVS meminit, ſecundùm editiones Manutij & Morelij.

TEMPORE Valeriani & Gallieni, cùm glorioſum nomen Chriſti à gentilibus exoſum, intentione maxima conaretur auferri, & eſſet perſecutio apud vrbem Romam: beatiſsimus Cornelius Pontificatum prædictæ vrbis ſummis virtutibus præditus tunc regebat; comprehenſuſque à Præſide & diuturnis tormentis afflictus gladio finiuit temporalem vitam, percepturus à Deo ſine fine perpetuam. Sed cùm hoc odium fuiſſet etiam in Libycis terminis irrogatum; multi Chriſtianorum populi malentes tranſitoriam vitam amittere, & illa quæ à Deo promiſſa ſunt adipiſci, diuerſis tormentis afflicti conſummabantur. Ferunt etiam tunc à Præſide clibanum calcis accenſum; & in ore illius prunas cum thure exhibitas, & Præſidem dicere Chriſtianis: Eligite è duobus vnum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, ſe ictu rapidiſsimo, Chriſtum Dei filium Deum fatentes, iecerunt in ignem, & inter vapores calcis puluerei ſunt demerſi; quos ſibi Chriſtus conſecrauit. In his autem diebus cùm talia gererentur, beatus Antiſtes Cyprianus Carthaginienſem regebat Eccleſiam Qui comprehenſus à gentilibus ſedente Paterno Proconſule in ciuitate, iniquis tribunalibus præſentatur. Cui Paternus ait: Nobilium Imperatorum ad me ſcripta venerunt: vt hi qui diis cæremonias execrantur immolate, ad ſacrificandum compellantur inuiti. Exquiſiui de nomine tuo; quid reſpondes? Sanctus Cyprianus reſpondit: Nullos Deos noui, niſi vnum & verum, qui fecit cælum & terram, & quæ in eis ſunt, huic Deo nos Chriſtiani deſeruimus; hunc deprecamur diebus ac noctibus & pro ſalute populi, & pro ſtatu Imperatorum veſtrorum. Proconſul dicit: Ergo in hac voluntate perſeueras, vt non ſacrifices? Sanctus Cyprianus reſpondit: Bona voluntas quæ Deum nouit, mutari non poteſt. Proconſul dixit: Iuſſum eſt etiam vt & Preſbyteros requiram: volo ergo ſcire per te, qui ſunt Preſbyteri, qui in hac ciuitate conſiſtunt. Sanctus Cyprianus reſpondit: Legibus veſtris bene atque vtiliter cenſuiſtis, nos delatores non eſſe. Itaque eos exhibere non poſſumus. Sed nec ipſi ſe vltrò offerunt, cùm hoc ſcriptura ſancta prohibeat. A te enim quæſiti, inuenientur. Proconſul dixit: Iuſſum eſt, vt nulla conciliabula faciant, neque cœmiteria ingrediantur. Quod qui facere deprehenſus fuerit, capite plectatur. Sanctus Cyprianus reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt. Et poſt hæc ductus eſt in exilium beatus Martyr per præceptum Aſpaſii Proconſulis in ciuitatem Curubitanam. Poſt dies autem multos regreſſus de exilio, habitabat in hortis ſuis. Cumque ibidem moraretur, venerunt ad eum duo principes ex officio Proconſulis Galerii Maximi, & leuantes eum in curriculum ſuum duxerunt ad Proconſulem in locum vbi pro reparanda ſanitate degebat. Et collectus ab Adſtatore officii ſeceſsit in hoſpitium eius in vicum, qui dicebatur Saturni, & habitabat ibi. Conuenit autem ad eum omnis populus fratrum. Quod cùm comperiſſet beatiſsimus Martyr, præcepit cuſtodiri puellas, quæ aduenerant

aduenerant audire verbum Dei; quoniam ante oſtium principis manebant ob amorem Martyris glorioſi. Mane autem facto oblatus eſt Beatus Cyprianus Proconſuli. Quem intuitus ait; Tu es Thaſcius Cyprianus qui te Papam ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Iuſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores ſacrificare. Conſule tibi ne pereas. Sanctus Martyr reſpondit; Ego ſum Cyprianus: Chriſtianus ſum, & diis ſacrificare non potero; tu verò quod tibi præceptum eſt fac. In re enim tam iuſta, nulla conſultatio eſt. Tunc iratus Proconſul dixit; Diu ſacrilega mente vixiſti, & plurimos tibi nefariæ conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te diis Romanis & ſacris religionibus conſtituiſti, nec te pii ſacratiſſimique Imperatores ad conſenſum cæremoniarum ſuarum reuocare potuerunt. Et ideò cùm ſis nequiſſimi criminis auctor & ſignifer deprehenſus, eris ipſe documento his, quos ſcelere tuo tecum aggregaſti; Sanguine tuò ſancientur diſciplinæ. Et his dictis decretum ex tabella recitauit; Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet. Sanctus Cyprianus hæc audiens dixit: Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis dignatur abſoluere. Et cùm duceretur, populus fratrum plangens & eiulans dicebat: Et nos cum eodem decollemur. Perductus autem glorioſus Martyr, exuit ſe lacernum birrum, quem indutus erat: complicans, & poſuit ad genua ſua. Dehinc tunicam tulit, & Diaconibus tradidit. Et ſtans in linea, expectabat ſpiculatorem: cui & viginti aureos dare præcepit. Fratres verò flentes, linteamina & oraria ante eum ponebant: ne ſanctus cruor defluens abſorberetur à terra. Ligatis quoque manicis ad ceruicem à Tulliano Preſbytero ipſe ſibi manu propria oculos texit; & ſic gladio percuſſus, occubuit. Hucuſque corpus propter gentilium curioſitatem, cum magna turba populi in proximo collocatum eſt. Sed ne à gentilibus tolleretur, nocte adueniente, ex eodem loco vbi poſitum fuerat, ſublatum eſt: & inde cum cereis & ſcholaribus in area cuiuſdam Candidi procuratoris, cum magno triumpho ſepultum eſt. Tale martyrium beatus Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus expleuit pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. Curubitana ciuitas dicitur, vbi in exilium fuit. Vicus vbi in domo principis officiorum habitauit, dicitur Saturni, inter Veneriam & Salariam. Atrium quoque Proconſulis dicitur Sauciolum. Locus in quo decollatus eſt vocatur Sexti. Sepultus eſt in areis Macrobii Candidi procuratoris, quæ ſunt in via Appellenſi iuxta piſcinas. Paſſus eſt XVIII. Kalend. Octobris. Galerius Maximus Proconſul, poſt dies paucos diſceſſit è ſæculo.

S. CYPRIANI PASSIO EX VET. COD. MS.

CENSVRA PAMELII.

Quum non modo editione Morelii duobus in locis variè deſcriptus reperiatur hic Paſsionis actus, ſed & à Volphango Lazio latius editus cum Abdia de Vitis Apoſtolorum. & in Manuſcripto Guilhelmitarum Brugenſium quodam codice, putaui operæpretium, ſeorſum à præcedenti hunc etiam publicare, præſertim quum quæ ex Actu Paſsionis infra citantur à Diuo Auguſtino & Paulo Diacono, magis cum hoc quàm cum illo conueniant. In hoc item, non in alio, reperitur illud, quod citat idem Auguſt. lib. de 2. ſeu potius 1. contra Epiſtolam Gaudentii cap. 25. in hæc verba: His ſacris litteris eruditus Cyprianus, in Confeſsione dixit: Diſciplinam prohibere, ne quis ſe offerat.

a IMPERATORE Valeriano quartùm, & Gallieno tertiùm conſulibus, tertio Kalendarum Septembrium, Carthagine in ſecretario, Paternus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit: Sacratiſſimi Imperatores Valerianus & Gallienus, litteras ad me dare dignati ſunt, quibus præceperunt, eos qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas cæremonias recognoſcere. Exquiſiui ergo de nomine tuo. quid mihi reſpondes? Cyprianus Epiſcopus dixit: Chriſtianus ſum, & Epiſcopus. Nullos alios Deos noui, niſi vnum & verum Deum, qui fecit cælum & terram, mare & quæ in eis ſunt omnia. Huic Deo nos Chriſtiani deſeruimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis, & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipſorum Imperatorum. Paternus Proconſul dixit: In hac ergo voluntate perſeueras? Cyprianus Epiſcopus reſpondit

pondit

Obſeruationes Rigaltii ad Acta Martyrii S. Cypriani.

Cypriani martyrium duabus Actorum editionibus exhibuit Pamelius: tertiam adiecimus ex codice Victorino. Ex iis verò tribus quartam concinnare caſtigatiorem, pretium fuiſſet, niſi facti fiducia temeritas haberi periclitaretur. Satis fortean fuerit, varias lectiones proponere, quas olim ad eam quæ incipit: *Imperatore Valeriano quartùm*, in S. Mauri Foſſatenſis & S. Germani Pratenſis exemplaribus collegit Nicolaus Faber, vir iſtarum ſanè litterarum peritiſſimus, adiectis etiam pauculis, quæ & nos obiter obſeruauimus.

a IMPERATORE VALERIANO QVARTVM) In martyrologio veteri, incipit: *Tuſco & Baſſo coſſ. Carthagine in ſecretario.* Atque ita etiam in Foſſatenſi.

bona voluntas, quæ Deum nouit, immutari non poteſt. [a] Paternus Pronconſul dixit: Poteris ergo ſecundùm præceptum Valeriani & Gallieni, exul ad vrbem Curubitanam proficiſci? Cyprianus Epiſcopus dixit: Proficiſcor. Paternus Proconſul dixit: Non ſolùm de Epiſcopis, verumetiam de Preſbyteris mihi ſcribere dignati ſunt. Volo ergo ſcire ex te, qui ſint Preſbyteri, qui in hac ciuitate conſiſtunt. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Legibus veſtris bene atque vtiliter cenſuiſtis, delatores nos non eſſe. Itaque detegi & deferri à me non poſſunt: in ciuitatibus autem ſuis inuenientur. [b] Paternus Proconſul dixit: Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Cùm diſciplina prohibeat, vt quis ſe vltrò non offerat, & tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat: nec offerre ſeipſi poſſunt, ſed à te exquiſiti inuenientur. Paternus Proconſul dixit: A me inuenientur. Et adiecit: Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur. Siquis itaque hoc tam ſalubre præceptum non obſeruauerit, capite plectetur. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt. Tunc Paternus Proconſul iuſſit beatum Cyprianum Epiſcopum in exilium deportari. Cúmque diu ibidem moraretur, ſucceſſit Aſpaſio Paterno proconſuli Galerius Maximus Proconſul, qui Sanctum Cyprianum Epiſcopum ab exilio reuocatum ſibi iuſſit præſentari. Cúmque Cyprianus ſanctus Martyr, electus à Deo, de ciuitate Curubitana, in qua exilio præcepto Aſpaſii Paterni tunc Proconſulis datus fuerat, regreſſus eſſet; ex ſacro præſcripto in hortis ſuis manebat. Inde quotidie ſperabat veniri ad ſe, ſicut illi oſtenſum fuerat. Et cùm illic demoraretur, repentè Idibus Septembris Tuſco & Baſſo conſulibus, venerunt ad eum principes duo: vnus ſtator officii Galerii Maximi Proconſulis, qui Aſpaſio Paterno ſucceſſerat, & alius equiſtrator à cuſtodiis eiuſdem officii, qui & in curriculum eum leuauerunt, in medióque poſuerunt, & in Sexti perduxerunt. Vbi idem Galerius Maximus Proconſul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat. Et ita idem Galerius Maximus Proconſul, in aliam diem Cyprianum ſibi reſeruari præcepit: Et eo tempore beatus Cyprianus ductus, ad principem & ſtatorem eiuſdem officii Galerii Maximi Proconſulis clariſſimi viri ſeceſſit. Et in hoſpitio eius, cum eo in vico qui dicitur Saturni, [c] inter Veneriam & Salariam manſit. Illuc vniuerſus populus fratrum conuenit. Et cùm hoc ſanctus Cyprianus comperiſſet, [d] cuſtodiri puellas præcepit, quoniam omnes in vico ante ianuam hoſpitii principis manſerant. Et ita altera die, octaua decima Kalendarum Octobrium, mane, multa turba conuenit ad Sexti, ſecundum præceptum Galerii Maximi Proconſulis. Et ita idem Galerius Maximus Proconſul eadem die Cyprianum ſibi offerri præcepit, [e] in atrio Sauciolo ſedenti. Cúmque oblatus fuiſſet, Galerius Maximus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit: Tu es Thaſcius Cyprianus? Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Ego ſum. Galerius Maximus Proconſul dixit: Tu Papam te ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Ego. Galerius Maximus Proconſul dixit: Iuſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores [f] ceremoniari. Cyprianus Epiſcopus dixit: [g] Non facio. Galerius Maximus ait: Conſule tibi. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt: in re tam iuſta, nulla eſt conſultatio. Galerius Maximus collocutus cum conſilio, ſententiam vix ægrè dixit verbis huiuſmodi: Diu ſacrilega mente vixiſti, [h] & plurimos nefariæ tibi conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te diis Romanis & ſacris legibus conſtituiſti, nec te pij & ſacratiſſimi Principes Valerianus & Gallienus Auguſti, & Valerianus nobiliſſimus Cæſar, ad ſectam ceremoniarum ſuarum reuocare potuerunt. Et ideò cùm ſis nequiſſimorum criminum auctor & ſignifer deprehenſus; eris ipſe documento his, quos ſcelere tuo tecum aggregaſti, ſanguine tuo ſancietur diſciplina. Et his dictis decretum ex tabella recitauit: Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet. Cyprianus Epiſcopus dixit: Deo gratias. [i] Poſt hanc verò ſententiam turba fratrum dicebat: Et nos cum ipſo decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus eſt, & multa turba eum proſecuta eſt. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti productus eſt, & ibi ſe lacerno birro expoliauit, & genu in terra flexit, & in orationem ſe Domino proſtrauit. Et cùm ſe dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, [k] in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere. Cùm veniſſet autem ſpiculator, iuſſit ſuis, vt eidem ſpiculatori xxv. aureos darent. [l] Lintreamina verò & manualia à fratribus ante eum mittebantur. Poſtea verò Beatus Cyprianus manu ſua oculos ſibi texit. Qui cùm lacinias manuales ligare ſibi non potuiſſet, Iulianus Preſbyter, & Iulianus Subdiaconus ei ligauerunt. Et ita beatus Cyprianus paſſus

a PATERNVS PROCOS DIXIT: *Poteris ergo ſecundùm præceptum Valeriani & Gallieni exul ad vrbem Curubitanam proficiſci. Cyprianus dixit: Proficiſcor.*] Hæc non leguntur in exemp.

b PATERNVS PROCOS. DIXIT: *Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Cùm diſciplina prohibeat, vt quis ſe vltro offerat, &c. tua quoque cenſura hoc diſpliceat) nec offerre ſe ipſi poſſunt. ſed à te exquiſiti inuenientur.*, Neque item hæc.

c INTER VENERIAM ET SALARIAM.] Salutariam. In aliis; Saltuariam.

d CVSTODIRI PVELLAS) Caſtigari. Hoc eſt, admonuit vt caſtiſſimè ſeſe haberent; caſtitatis, ſanctitatis; & pudicitiæ memores.

e IN ATRIO SAVCIOLO.) Setuliolo. Cod. S. Germ. nihil mutat.

f CAEREMONIARI.) Cærimoniari.

g NON FACIO.) Non faciam.

h ET PLVRIMOS NEFARIÆ TIBI CONSPIRATIONIS, HOMINES AGGREGASTI.] Diu ſacrilega mente vixiſtis & nefarios tuæ conſpirationis h. ag.

i POST HANC VERO SENTENTIAM TVRBA FRATRVM D.) Et cùm duceretur, populus fratrum dicebat: Et nos cum eo decollemur.

k IN LINEA STETIT.] In lineis.

l LINTEAMINA VERO ET MANVALIA.] Oraria In cod. S. Ger. Linteamina & mantilia ante eum fratres mittebant.

eſt. Eiúſque corpus propter gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt [a] cum cereis & ſcholaribus, in areis Macrobii Candidi procuratoris, quæ ſunt in via Mappalienſi iuxta piſcinas, cum voto & triumpho magno. Poſt paucos autem dies Galerius Maximus Proconſul deceſſit. Paſſus eſt autem beatiſſimus Cyprianus Martyr die octaua decima Kalendarum Octobrium, ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus: regnante verò Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

PASSIO

a CVM CEREIS ET SCHOLARIB.] Baronius, ad Ann. Chr. 261. num 56. *Priſtinus bie mos referatur Chriſtianos ſepeliendi, præcedenti clero diuerſarum claſſium atque ſcholarum, accenſas faces geſtantibus ſingulis* In exemplaribus legitur. *Ad cereos & ſcolaces.* Rectiſſimè. Scolaces Græcæ originis vocabulum, ſirpos aut funes intortos ſignificat. ex quibus ceratis funalia, in vſum nocturni luminis. Funales & ſcolaces erant candelæ, quæ quoquo verſus arctè vinciebant thecam librorum Numæ. Erant enim ſequacis ad vincula lentitiæ, & ſub terram depoſitæ non computreſcebant, ſtipatæ cedro ceráque.

PASSIO S. CYPRIANI EX MS. S. VICTORIS.

Ex die qua martyrium Cyprianus tulit. Ordo autem martyrii hac lectione demonſtratur & declaratur.

CVM Cyprianus, ſanctus martyr, electus à Domino, de ciuitate Curubitana, in qua exilio datus erat ex præcepto Paſſi Paterni tunc proconſulis clariſſ. viri regreſſus eſſet ex ſacro reſcripto [a] ſpecialiter hoc & perſonaliter emiſſo in hortis ſuis manebat, [b] & ad diem omnibus veniri, ſicut ei oſtenſum erat, ſperabat. Idem cùm illic demoraretur, repentè Idib. Septembrib. Tuſco & Baſſo conſulib. venerunt ad eum principes duo. vnus ſtrator officii Galerii Maximi proconſulis clariſſ. viri, & in curriculum eum impoſuerunt, & ambo eum tenuerunt, & in Sexti tulerunt, vbi idem Galerius Maximus proconſul bonæ valitudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat. Eumdémque Cyprianum idem Galerius Maximus proconſul vir clariſſ. alia die, id eſt, craſtina, offerri ſibi præcepit & ita idem Cyprianus cum principe & ſtratore officii Maximi proconſulis clariſſ. viri ſeceſſit, & [c] in hoſpitio eius, cum eo, vico Saturni, [d] inter Venaria & Salutaria manſit. Illic ante ianuam vniuerſus populus fratrum manſit. & cùm hoc Cyprianus comperiſſet, caſtigari puellas præcepit, quoniam in vico omnes ante ianuam hoſpitii principis iacebant. Et ita altera die, id eſt XVIII. Kal. Octob. mane multe, ad Sexti, ſecundùm præceptum Galerii Maximi proconſulis clariſſ. viri, [e] in atrio ſedentis obuoluto & Sauciolo oblatus eſt. Quo oblato, idem Galerius Maximus proconſul clariſſimus vir Cypriano dixit. Tu papatum ſacrilegæ mentis hominibus exhibuiſti? Cyprianus dixit. Ego. Galerius Maximus procos. clariſſ. vir locutus cum conſilio, ſententiam vix & ægrè dixit, verbis huiuſmodi: Diu ſacrilega mente vixiſti, & plurimos tibi nefariæ conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te conſtituiſti Diis Romanis & religionibus ſacris, nec te pii & ſanctiſſimi principes noſtri Valerianus & Gallienus Auguſti, & Valerianus nobiliſſimus Cæſar ſecta feliciſſimorum temporum ſuorum, [f] obdurati furoris, ad cerimonias percolendas bonámque mentem habendam tanto tempore potuerunt reuocare. & ideò

Obſeruationes Rigaltii ad Acta Martyrii S. Cypriani.

Hanc de Cypriani martyrio narrationem, vt eſt breuiſſima ſic etiam eſſe antiquiſſimam arbitramur. Plurima Pontius pio erga ſuum epiſcopum adfectu rhetorica libertate ingenioſè commentus eſt. Multa etiam alii, pro captu quiſque ſuo, adiecerunt, aliena ſeculo, aliena perſonis. quædam etiam detraxerunt valde bona. Vt iam pauca ſuperſint quæ præſtare poſſimus ſincera.

a SPECIALITER HOC ET PERSONALITER] Hæc ineptus aliquis de grege leguleiorum intruſit.

b ET AD DIEM OMNIBVS VENIRI.] Legendum videtur, *Et ad ſe diebus omnibus veniri.* Auguſtinus: *Et inde quotidie ſperabat veniri ad ſe.* Ipſe Cyprianus, epiſt. LXXXII. vbi de litteris Valeriani: *quas litteras quotidie ſperamus venire.*

c IN HOSPITIO EIVS.) Pontius: delicata cuſtodia.

d INTER VENARIA ET SALTVARIA.] Acta, ex cod. Foſſatenſi & Pratenſi: *inter Venariam & Salariam.* In aliis codicib. legitur, *Salutariam.* Non eſt ſpernendum quod in Victorino ſcriptum eſt: *inter Venaria & Salutaria.* hac enim manu ducor, vt exiſtimem ſcriptum fuiſſe, *inter venaria & ſaltuaria*, ab aliquo ſciolo qui apud Pontium legerat; locum, vbi Cyprianum pati contigit, fuiſſe arboribus ex omni parte denſatis conſitum.

e IN ATRIO SEDENTI OBVOLVTO ET SAVCIOLO.) Nihil iſtorum Pontius: hoc tantùm. *Receptum eum tamen, & in domo principis conſtitutum vna nocte.* Et paulò pòſt *Plebs ante fores principis excubabat.* Iſte igitur in codice Victorino ſcriptor, dixit: in atrio ſediſſe Galerium Procos ibique ſententiam aduerſus Cyprianum dixiſſe.

e IN ATRIO SEDENTI OBVOLVTO ET SAVCIOLO.] Hactenus nemo hanc potulit ex vllo exemplari ſcripturam. Vulgatiſſima illa eſt: *In atrio ſedenti Sauciolo.* & in Actis à Manutio & Morelio editis: *Atrium quoque proconſulis dicitur Sauciolum.* Sed parum probabile videtur, vllum fuiſſe atrio cognomentum. Faber teſtatur, in veteri codice reperiri: *Sclutiolo.* Quod igitur in iſto Victorino ſcriptum eſt, obuoluto & ſauciolo, ſi cui diſpliceat iſtud, *ſauciolo*, emendari poterit leuiſſima mutatione: *Mane multo ad Sexti, ſecundùm præceptum Galerii Maximi proconſulis clariſſimi viri, in atrio ſedenti, obuoluto & helucioſo, oblatus eſt.* Scriptor iſte qui venaria dixit, pro venationibus aut venatoriis, helucioſum quoque dixerit pro helucoſo, vt ſit helucoſus ſiue helucioſus, ὁ [illegible]. Notandum verò eſt, eumdem Scriptorem hoc quoque tradere: Proconſulem in locum, qui dicitur Sexti, ſeceſſiſſe, valetudinis gratia, locum nempè amœnum, inter venationes & ſaltus. Notandum etiam in iſta narratione, Proconſulem vix & ægrè interrogaſſe & allocutum eſſe. Itaque ſediſſe in atrio obuolutum, pannis fortaſſe & focalibus, vt ſolent ægrotantes aut ſauciati. vnde aliquis poſteà dixerit *obuolutum & ſauciolum.* Quæ coniecturà firmatur eo quòd in Actis aliis legitur: Poſt paucos dies proconſulem deceſſiſſe.

f OBDVRATI FVRORIS.) Aliquid hîc turbatum eſt. Nam hæc verba ſunt proconſulis, in Cypriani conſtantiam, & fidei Chriſtianæ robur. quaſi Galerius allocutione ad martyrem ſua dixiſſet: *Nec te obdurati furoris, pii & ſanctiſſimi principes noſtri ſecta feliciſſimorum temporum ſuorum ad cerimonias percolendas reuocare potuerunt; &c.*

ideò quòd nequiſſimi criminis auctor & ſignifer deprehenſus es, quo tu ſcelere docuiſti, ipſo documento peribis, vt quoniam tuo adniſu durauit ſacrilega contumacia, tuo ſanguine ſanciatur diſciplina. Et decretum ex tabella recitauit. Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet.

Ruffinus, Apologia pro Origene.

Sancti Cypriani martyris ſolet omne Epiſtolarum corpus vno codice ſcribi. Huic corpori hæretici quidam, qui in Spiritum ſanctum blaſphemant, Tertulliani libellum de Trinitate, reprehenſibiliter, quantum ad veritatem fidei noſtræ pertinet, ſcriptum ineſrunt, & quamplurimos codices de talibus conſcribunt.

VITA BEATI CÆCILII CYPRIANI PER DIVVM HIERONYMVM.
Ex Catalogo Virorum illuſtrium.

CYPRIANVS Afer primùm glorioſè Rhetoricam docuit: exinde, ſuadente presbytero Cæcilio, à quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit: ac poſt non multum temporis, electus in Preſbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginienſis conſtitutus eſt. Huius ingenij ſuperfluum eſt indicem texere, cum ſole clariora ſint eius opera. Paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno Principibus; perſecutione octaua, eodem die, quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno.

AVRELII PRVDENTII PASSIO S. CYPRIANI EPISCOPI.

Punica terra tulit quo ſplendeat omne quicquid vſquam eſt,
Inde domo Cyprianum: ſed decus orbis & magiſtrum.
Eſt proprius patriæ Martyr, ſed amore & ore noſter:
Incubat in Lybia ſanguis, ſed vbique lingua pollet,
Sola ſuperſtes agit: de corpore ſola obire neſcit,
Dum genus eſſe hominum Chriſtus ſinet, & vigere mundum.
Dum liber vllus erit, dum ſcrinia ſacra litterarum
Te leget omnis amans Chriſtum, tua Cypriane diſcet.
Spiritus ille Dei qui fluxerat auctor in Prophetas,
Fontibus eloquij te cælitus actus irrigauit.
O niue candidius linguæ genus! ô nouum ſaporem!
Vt liquor ambroſius cor mitigat, irrigat palatum,
Sedem animæ penetrat; mentem fouet & pererrat artus;
Sic Deus interius ſentitur, & inditur medullis.
Vnde bonum ſubitum terris dederis, pater, reuela.
Deerat Apoſtolicis ſcriptis opulentus exſecutor.
Eligitur locuples facundia quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata diſputaret.
Quo mage cruda hominum præcordia perpolita noſſent,
Siue timoris opus, ſeu myſtica, vel profunda Chriſti.
Vnus erat iuuenum doctiſſimus artibus ſiniſtris.
Fraude pudicitiam perfringere, nil ſacrum putare.
Sæpe etiam magicum cantamen inire per ſepulchra,
Quo geniale tori ius ſolueret æſtuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repente Chriſtus.
Diſcutit, & tenebras de pectore pellit, & furorem.
Implet amore ſui, dat credere, dat pudere facti.
Iamque figura alia eſt quam quæ fuit oris, & nitoris.
Exuitur tenui vultus cute, tranſit in ſeueram
Chriſticolæ, aut mediæ ſponte irruerent in ima foſſæ.
Proſiluêre alacres curſu rapido ſimul trecenti,

Deſlua cæſaries compeſcitur ad breues capillos:
Ipſe modeſta loqui, ſpem quærere, regulam tenere.
Viuere iuſtitiæ Chriſti, penetrare dogma noſtrum.
His igitur meritis digniſſimus vſque epiſcopale
Prouehitur ſolium doctor, capit & ſedile ſummum.
Valerianus opum Princeps erat atque Gallienus,
Conſtituere ſimul pœnam capitis Deum fatenti,
Millia terrigenum ſpurciſſima iuſſerant ſacrati,
Contra animas populi doctor Cyprianus incitabat,
Ne quis ab egregiæ virtutis honore diſcreparet.
Neu fide pretium quis ſumere degener timeret:
Eſſe leuem cruciatum ſi modò conferas futura
Quæ Deus ipſe viris intermina fortibus ſpopondit.
Merce doloris emi ſpem luminis, & diem perennem:
Omne malum volucri cum tempore tranſuolare curſim.
Nil graue quid peragi finis facit, & quiete donat.
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris,
Seque caput gladio ſummittere, ſanguinem dicare.
Qui ſociare animam Chriſto velit, vt comes ſequatur.
His vbi corda virum Chriſto calefacta præparauit,
Ducitur ante alios Proconſule perfurente, vinctus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis altius repoſta
Conſcia tartareæ caliginis abdicata ſoli:
Clauſus in his ſpecubus ſanctus Cyprianus, & cathena
Nexus vtramque manum, nomen patris inuocat ſupremi:
Omnipotens genitor Chriſti Deus, & creator orbis,
Chriſte parens hominis, quem diligis, & vetas perire;
Ille ergo, vipereis quem tu bonus oblitum venenis
Criminibus variis tinctum miſeratus abluiſti,
Iamque tuum fieri mandas; fio Cyprianus alter.
Et nouus ex veteri, nec iam reus, aut nocens, vt ante,
Si luteum facili chariſmate corpus expiaſti:
Viſe libens tenebris ergaſtula cæca diſſipatis.
Eripe corporeo de carcere vinculiſque mundi
Hanc animam, liceat fuſo tibi ſanguine immolari,
Ne qua ferum reprimat clementia iudicem tyranni,
Neu ſciat inuidia rhiteſcere, gloriam negare:
Da quoque ne quis iners ſi de grege quem tuum regebam
Ne cadat impatiens pœnæ, titubet ne quis tuorum,
Incolumem vt numerum reddam tibi, debitumque ſoluam.
Vocibus his Dominum permouerat, influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis auctor acrioris
Ingenij, ſtimulis vt pectora ſubditis calerent
Ad decus egregium diſcrimine ſanguinis petendum.
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Chriſtum ſapere, & fidem tueri.
Fama refert, foueam campi in medio patere iuſſam,
Calce vaporifera ſummos prope margines refertam;
Saxa recocta vomunt ignem, niueuſque puluis ardet,
Vrere tacta potens, & mortifer ex odore fletus.
Adpoſitam memorant aram fouea ſtetiſſe ſumma.
Lege ſub hac, ſolis aut micam, iecur & ſuis litarent

Gurgite pulvereo merſos liquor aridus vorauit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicauit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes,
Candida maſſa dehinc dici meruit per omne ſeclum.
Lætior intereà iam Thaſcius ob diem ſuorum,
Siſtitur indomiti proconſulis eminus furori.
Dogmatis, atque loci iuſſus genus, Chriſtianus, inquit,
Seruo ſalutiferi myſteria conſecrata Chriſti.
Ille ſub hæc, Satis eſt iam criminis, ipſe confitetur,
Thaſcius ipſe Iouis fulmen negat, expedite ferrum,
Carnificis gladio pœnam luat hoſtis Idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, & canit triumphans.
Fleuit obire virum mœſta Africa, quo docente facta eſt,
Cultor, eloquio cuius ſibi docta gloriatur;
Mox tumulum lacrymans ſtruxit, cinereſque conſecrauit.
Deſine flere bonum tantum, tenet ille regna cœli;
Nec minùs inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.
Diſſerit, eloquitur, tractat, docet, inſtruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantùm regit, exit vſque in ortum
Solis, & vſque obitum Gallos fouet, imbuit Britannos,
Præſidet Heſperiæ, Chriſtum ſerit vltimis Hiberis.
Denique doctor humi eſt, idem quoque Martyr in ſupernis,
Inſtruit hic homines, illic pia dona dat patronus.

SERMO DIVI AVGVSTINI, DE SANCTO CYPRIANO MARTYRE.

SERMONEM à nobis debitum, auribus & cordibus veſtris exigit tam grata & religioſa ſolemnitas, qua paſſionem beati Martyris celebramus. Triſtis proculdubio tunc Eccleſia fuit, & non damno cadentis, ſed deſiderio recedentis, ſemper cupiens videre præſentem tam bonum rectorem atque doctorem: ſed quos afflixerat ſollicitudo certaminis, conſolata eſt corona victoris. Et nunc, non ſolùm ſine vlla triſtitia, verùm etiam cum ingenti lætitia, cuncta quæ tunc geſta ſunt, legendo recolimus, dieque iſto nobis gaudere conceſſum eſt, non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, ſed expectamus hilariter redeuntem. Placet itaque vniuerſam illam fideliſſimi, & fortiſſimi, & glorioſiſſimi Martyris paſsionem cum exultatione recordari præteritam, quam tunc fratres ſuſtinuère futuram. Primò igitur quòd pro fide confeſsionis Chriſti in exilium Curubim miſſus eſt; non ſancto Cypriano aliquid nocitum, ſed multum illi præſtitum ciuitati. Quò enim ipſe mitteretur, vbi ille non eſſet, propter cuius teſtimonium mittebatur? Chriſtus ergo qui ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi, in omni loco membrum ſuum excipiebat, quocumque furor inimici pellebat. O ſtulta infidelitas perſequentis? Si quæris exilium quo Chriſtianus iubeatur ire; prius ſi potes, inueni vnde Chriſtus cogatur exire. De patria ſua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Chriſto nuſquam exulem, in carne vbique peregrinum? Sed iam commemorare & conſiderare delectat, poſt illud, quod Cyprianus non ſenſerat, ſed inimicus putabat exilium, quid ex ordine paſsionis ipſum conſecutum ſit. Cùm enim Cyprianus ſanctus Martyr electus à Deo, de ciuitate Curubitana, in qua exilio præcepto Aſpaſii Paterni Proconſulis miſſus fuerat, regrederetur, in hortis ſuis manebat. Et inde quotidie ſperabat venire ad ſe, ſicut oſtenſum erat illi. Quid iam fremeret perſecutoris impetus, aduerſus cor ſemper paratum, accedente etiam Domini reuelatione firmatum? Quando enim deſereret patientem, qui non eſt paſſus præoccupari neſcientem? Iam ergo quod ad eum paſsioni exhibendum duo miſsi ſunt, qui eum etiam ſecum in curriculum leuauerunt, in medioque poſuerunt; & hoc diuinæ admonitionis fuit, vt gaudens recoleret, ad eius ſe corpus pertinere, qui inter iniquos reputatus eſt. Chriſtus namque inter duos latrones ligno ſuſpenſus, ad exemplum patientiæ præbebatur: Cyprianus autem inter duos apparitores ad paſsionem curru portatus, Chriſti veſtigia ſequebatur. Quid illud, quod cùm in alium diem dilatus apud cuſtodes eſſet, atque illuc ſe multitudo fratrum ac ſororum congregans, pro foribus pernoctaret, cuſtodiri puellas præcepit; quanta intentione conſiderandum, quanta laude

Matth. 28.

prædicandum, quanto præconio commendandum eſt? Vicina corporis morte, non moriebatur in animo paſtoris vigilantia paſtoralis; & cura tuendi Dominici gregis, vſque ad extremum vitæ huius diem mente ſobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiam fideliſsimi diſpenſatoris, manus tam proxima cruenti carnificis. Ita ſe Martyrem cogitabat futurum, vt eſſe non obliuiſceretur Epiſcopum, magis curans, quam rationem paſtorum Principi de commiſsis ſibi ouibus redderet, quàm quid infideli Proconſuli de fide propria reſponderet. Amabat quippe eum qui Petro dixerat: Amas me? Paſce oues meas. Et paſcebat oues eius, pro quibus ſanguinem fundere, illum imitans, properabat. Cuſtodiri puellas præcepit, ſciens ſe non ſolùm habere ſimplicem Dominum, ſed etiam verſipellem aduerſarium. Itaque aduerſus leonem apertè frementem, in confeſsione virile pectus armabat, aduerſus inſidiantem lupum gregi, ſexum fœmineum muniebat. Ita verè ſibi conſulit, qui Deum iudicem cogitat; apud quem cauſam geſtæ huius vitæ, atque ab illo ſibi muneris iniuncti quiſque dicturus eſt. Vbi omnis homo recepit, ſicut teſtatur Apoſtolus, quæ per corpus geſsit, ſiue in bonum, ſiue in malum. Ita ſibi conſulit, qui ex fide viuens, & ſatagens ne ab extremo præoccupetur die, extremum computat omnem diem, & ſic Deo placitos mores perducit vſque ad extremum diem. Ita ſibi beatus Cyprianus Epiſcopus miſericordiſsimus, & Martyr fideliſſimus conſulebat: & non ſicut eum lingua ſubdola diaboli per os poſſeſsi à ſe impii iudicis monere videbatur, dicens: Conſule tibi. Cùm enim eius immobilem mentem videret, quando ei dixit; Iuſſerunt te principes cæremoniari. Reſponditque ille, non facio: adiecit & ait: Conſule tibi, ipſa eſt lingua ſubdola diaboli, & ſi non huius qui neſciebat quid loqueretur, illius tamen qui per eum loquebatur. Loquebatur enim Proconſul non tam ſecundùm principes homines, quorum iuſſa ſibimet iniuncta iactabat, quàm ſecundùm principes poteſtatis aëris, de quo Apoſtolus dicit: Qui operatur in filios diffidentiæ. Quem per huius quoque linguam operari Cyprianus nouerat, quod ipſe non nouerat. Nouerat, inquam, Cyprianus, cùm à Proconſule audiret, Conſule tibi; quod caro & ſanguis dicebat ſtolidè, hoc diabolum dicere ſubdolè: atque intuebatur in vno corpore duos, iſtum oculis, illum fide. Nolebat eum iſte mori: nolebat ille coronari. Proinde circa iſtum placidus, circa illum cautus, huic apertè reſpondebat, & illum occultè vincebat. Fac, inquit, quod tibi præceptum eſt. In re tam iuſta nulla eſt conſultatio. Dixerat quippe ille: Conſule tibi. Ad hoc reſponſum eſt: In re tam iuſta nulla eſt conſultatio. Conſulit enim, qui conſilium vel impertit, vel quærit. Sed Proconſul non à Cypriano conſilium accipere volebat, ſed eum potiùs vt à ſe acciperet admonebat. At ille: In re, inquit, tam iuſta, nulla eſt conſultatio. Non adhuc conſulo, quia non adhuc dubito. Abſtulit enim mihi dubitationem ipſa iuſtitia. Iuſtus autem vt ſecurus moriatur in carne, certus viuit in fide. Præceſſerant Cyprianum multi Martyres, quos flagrantibus exhortationibus ſuis ad vincendum diabolum accenderat: & erat vtique iuſtum, vt quos veridicus loquendo præmiſerat, patiendo intrepidus ſequeretur. Ergo in re tam iuſta, nulla eſt conſultatio. Quid ad hæc dicamus? quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorum? In quid erumpat cor noſtrum, & os noſtrum, niſi in ipſam venerabilis Martyris vltimam vocem? Cùm enim Galerius Maximus decretum ex libello recitaſſet: Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet; reſpondit ille: Deo gratias. Habentes igitur de re tanta memoriam præſentis loci, feſtiuitatem ſolemniſsimi diei, propoſitionem ſaluberrimi exempli; omnibus medullis noſtris & nos dicamus; Deo gratias.

Auguſtinus, contra Creſconium lib. 3. cap. 31.

Nullam Cypriano facimus iniuriam, cùm eius quaſlibet litteras, à canonica diuinarum Scripturarum auctoritate diſtinguimus, neque enim ſine cauſa tam ſalubri vigilantia canon Eccleſiaſticus inſtitutus eſt.

Idem, ibid. cap. ſeq.

Ego huius Epiſtolæ auctoritate non teneor: quia litteras Cypriani non vt canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero, &c. quod autem non congruit, cum pace eius reſpuo.

Procopius lib. 1. Belli Vandalici.

Κυπριανὸν ἅγιον ἄνδρα μάλιστα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβονται, καὶ αὐτῷ νεών τινα λόγου πολλοῦ ἄξιον πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι παρὰ τὴν τῆς θαλάσσης ἠϊόνα, τά τε ἄλλα ἐξοσιοῦνται, καὶ ἄγουσιν ἐνιαύσιον ἑορτήν, ἣν δὴ Κυπριανὰ καλοῦσι.

PASSIO BEATI CYPRIANI EPISCOPI CARTHAGINIENSIS per Paulum Diaconum edita.

Censvra Pamelii.

De Paulo Diacono ita ſcribit Sigebertus in Chronico: Anno Domini 807. Carolus Imperator per manum Pauli Diaconi ſui, decerpens optima quæque de ſcriptis Catholicorum Patrum, lectiones vnicuique feſtiuitati conuenientes, per circulum anni in Eccleſia legendas compilari fecit. Quare rectè hæc paſſio anteà Pontio perperam inſcripta, Paulo Diacono adſcripta eſt à Manutio & Morelio.

TEMPORIBVS Valeriani iniquiſſimi Imperatoris, fuit in Carthagine, quæ eſt in Africa, glorioſiſſimus vir, nomine Cyprianus, qui primò quidem Rhethoricam docuit: deinde à quodam Presbytero, nomine Cæcilio, conuerſus ad fidem Chriſti, nomen quoque ſortitus eſt Cæcilius: qui omne culmen geſtiens
Matth. aſſequi Chriſtianæ religionis, perfectionem (quam Chriſtus conſulenti iuueni
19. de vita æterna deprompſerat) ſecutus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit; vt nudum mater Eccleſia ſuſciperet, quem nudum mater carnea terræ edidiſſet, veraciter perſpiciens, non poſſe perfectè in inenarrabili Dei ſapientia Philoſophari terrenis cupiditatibus innixum. Namque ita Dei ineffabili ſapientiæ contemplandæ ſe tradidit, vt toto orbe propè notiſſima, ſole clariùs extent eius innumera volumina, quæ in Euangeliis & aliis voluminibus optimè perorauit: chronicam quoque valdè vtilem compoſuit, & exhortatorias ad multos ſanctorum Epiſtolas, in quibus ardorem fidei velut bonus demonſtrauit athleta. Poſt mul-
Matth.5. tum verò temporis, vt non abdita maneret lucerna ſub modio, ſed vt luceret inſtar ſtellæ ſpiritalis ſolis, poſita eſt ſuper candelabrum; vt præſentes & ſecuturi agnoſcerent, non debere doloribus momentaneis cedere: quibus perpetua beatitudo fixa maneret. Denique comprehenſus à miniſtris Paterni Proconſulis Carthaginienſis, ante eum in quoddam ſecretarium adductus eſt, cui ita dixit: Sacratiſſimi Imperatores Gallienus & Valerianus ad me litteras dirigere dignati ſunt; in quibus ſanxerunt, vt omnes homines, deos quos Romani adorant, debeant adorare; & qui contempſerint hoc præceptum, gladio feriantur. Audiui verò, quòd tu deorum cultum pro nihilo ducas: vnde hortor vt conſulas tibi, & deos honores. Cyprianus reſpondit: Chriſtianus ego ſum, nullos alios deos noui, niſi vnum & verum Deum, qui creauit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Huic Deo Chriſtiani ſeruimus, hunc noctéque diéque deprecamur pro omnibus, etiam pro Imperatoribus. Paternus Proconſul dixit: Si in hac voluntate perſeueraueris, peſſima morte peribis. Sanctus Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Bona voluntas eſt, quæ Deum timet; & ideò non poteſt immutari. Paternus
Pſal.23. Proconſul dixit: Quia in hac voluntate permanes, ſecundùm præcepta Principum exilio deputandus es. Sanctus Cyprianus reſpondit: Exul non erit, qui Deum in mente habebit: quoniam Domini eſt terra & plenitudo eius. Paternus Proconſul dixit ad eum: Antequam proficiſcaris, dic vbi ſint Presbyteri, qui in hac ciuitate eſſe dicuntur, vel ſimiles tui. Sanctus Cyprianus reſpondit: Benè atque viriliter legibus veſtris ſanxiſtis, nullos delatores fore debere; idcircò à me prodi non debent, ſed à vobis inueniantur; quia & hoc cenſuiſtis, vt nullus ſe vltrò offerret. Proconſul dixit: Ego à te cum tormentis eos exquiram. Sanctus Dei reſpondit: Per me non prodentur. Proconſul dixit: Præceptum Principum eſt, ne qui Chriſtiani conciliabula faciant, vel cœmeteria ingrediantur, & ſi quis hoc violauerit, gladio animaduertatur. Sanctus Dei reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt. Cùm ergo videret animum eius immutabilem in religione diuina, fecit eum in ciuitate Curubitana exulari, vbi aliquandiu exemplo boni operis multis profuit, nemini obfuit. Cúmque ibi Domino in ſanctitate deſeruiret, mortuus eſt Paternus Proconſul. Et ipſe de exilio regreſſus, in quodam hortulo commanebat. Cumque de eo perlatum eſſet ad Galerium Maximum, qui Paterno ſucceſſerat; miſit duos miniſtros, & iuſſit eum ad ſe adduci. Qui cùm veniſſent ad eum, leuauerunt eum in curru ſuo, & ad Galerium Maximum perduxerunt. Qui cùm vidiſſet eum, ait: Tu es Thaſcius Cyprianus? Sanctus Cyprianus reſpondit: Ego. Galerius Proconſul dixit: Tu es quem Chriſtiani Papam ſuum nominant? Sanctus Dei reſpondit: Ego. Proconſul dixit: Iuſſerunt tibi Principes noſtri adorare deos. Sanctus Dei reſpondit: Non faciam. Proconſul dixit: Melius facies ſi ſaluti tuæ conſulas, & deos non contemnas. Sanctus Dei reſpondit: Salus mea & virtus mea Chriſtus Dominus eſt, cui ſine fine ſeruire deſidero. Proconſul dixit: Vicem tuam doleo, & vellem conſulere tibi. Sanctus Cyprianus reſpondit: Conſultum mihi melius non eſſe quæro, quàm vt Deum meum adorans, ad ipſum tota mentis auiditate feſtinem: quo-
Rom.8. niam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Iratus Galerius Proconſul, ait: Diu ſacrilega mente vixiſti, & nefariæ conſpirationis homines aggregaſti tibi, & inimicum te diis & ſacris religionibus eorum præbuiſti, & non æquiſsimis conſiliis Principum aſſenſum vmquam præbuiſti; ſed ſemper auctor iniqui nominis

nominis & ſignifer extitiſti, & propreteà cæteris quos ſceleri tuo aggregaſti, exemplum eris, & in ſanguine tuo diſcent diſciplinam. Tunc ergo dictauit ſententiam, dicens: Thaſcium Cyprianum dijs libamina offerre renuentem, gladio animaduerti placet. Cumque duceretur ad decollandum, ſequebatur eum multitudo populi, & alij clamabant: Moriamur ſimul cum ſancto Epiſcopo. Et cùm perueniſſet in locum qui dicitur Sexti, quarto ab vrbe milliario, expoliauit ſe birro, & tradidit carnificibus, Dalmaticam verò tradidit Diaconis, & ſtetit in linteis, expectans ſpiculatorem. Et dum ille appropinquaſſet, iuſsit ſuis illi dare viginti aureos. Cumque proſtrauiſſet ſeſe in terram, orauit cum lachrymis, & à fratribus linteamina offerebantur, vnde oculos ſibi tergebat. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, ſententia ex tabella recitata eſt, ita: Thaſcius Cyprianus gladio feriatur. Et ſtatim reſpondit ſanctus Dei: Amen. Et ceruicem obtulit gladio, temporalemque vitam finiuit, recepturus à Deo ſine fine perpetuam. Sic ergo beatus Cyprianus ſubſecutus eſt fide glorioſa ſanctum Cornelium, eodem martyrij genere, eodem paſsionis die, licet non eodem anno, deuicto diabolo, triumphator migrauit ad cælum. Et ſicut ſcriptum eſt: Quo modo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati. Ambo fide clari, ambo conſtantia inuicti, ambo martyrio glorioſi. Nos ergo fratres, oremus Omnipotentem Deum, pro ſereniſsimo Imperatore Carolo: quatenus qui beatum Cornelium Papam & martyrem de Romanis partibus ob munimen ſui, cunctorumque fidelium ſibi proximari fecit, ac nos de tam magno patrono honorauit: per ſuffragia huius incliti Martyris beatitudine perennis vitæ ſibi conceſſa, Sanctorum omnium, quos venerabiliter excoluit, conſortia adipiſci mereamur perpetuò obtinenda: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto; qui cum Patre viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ENNODII EPISCOPI TICINENSIS HYMNVS, DE SANCTO CYPRIANO.

VATIS Cypriani & martyris
Cor, lingua, ſenſus, dignitas
Mortem ferendo proferunt.
Vitalis ictum nex dedit;
Mucrone parta lux micat.
Dictis fuit præfulgidus,
Et ore diues vnico;
Torrentis vnda gurgitis
Impacta cornu ſpicula
Sermone vincens pro malo.
Opes verendi pectoris
Qui jure Chriſto reddidit,
Nunc munus implet priſtinum;
Orator orat, obtinet.
Et dura cauſis temperat.
Facit beatos ex reis
Peccata rumpens carmine.
Non flamma, carcer, vinculum
Poteſt nocere quos juuat.
Mactare juſſus hoſtias
Lugenda riſu numina.
Inſtante mox periculo,
Fugit pericla funere.
Paruas loquendi ſchemate
Moras remiſit ictibus.
Accidit enſes lætior,
Currente leto plus celer.
Proconſul eſſe ſæuior
Nequiuit ille Maximus,
Dum quod minatur munus eſt.
Nec tardat ira lenior
Chriſtum volentes viſere.

BEATI AGOBARDI EPISCOPI LVGDVNENSIS LII. CARMEN, DE TRANSLATIS LVGDVNVM RELIQVIIS ſanctorum Martyrum, Cypriani, Sperati, & Pantaleonis.

Huius tranſlationis meminerunt Venerabilis Beda in Martyrologio ad 16. Kalend. Auguſti, ac Ado Viennenſis in Chronico, vbi etiam Leidradi & Agobardi Epiſcoporum meminit. Paucis verò eam ipſam in hæc verba recenſet Sigebertus: Anno Domini 802. Legati Imperatoris Caroli, ab Aaron Ammira venientes; inter cetera munera, corpora etiam Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi & Martyris, & Sperati primi Scillitanorum Martyrum, & caput Pantaleonis Martyris in Franciam adferunt. De Scillitanis verò Martyribus ſcripſit etiam D. Auguſtinus ſermonem vnum teſte Poßidio, qui non extat. Porrò carmen hoc Morelio acceptum debeo.

REctor magnificus piuſq; Princeps
Auguſto Carolus decore fultus,
Sceptrũ nobile Francicũ regebat,
Subjectos populos piè gubernans;
Lectos æquora iuſſerat ſecare,
Eorumque ducem viros adire,
Dum pacem colit ac ſtudet quieti,
Et famam cupit eleuare regni,
Ac iam propitio ſibi tonante,
Poſt multos nimiæ viæ labores
Ingreſſu reduci ſalum petentes,
Intrarunt Libycos repentè fines;

Qua Carthago graui iacens ruina
Deſlet præteritæ decus iuuentæ:
Quondam diues opum, coruſca bello,
Florens conciliis, fidéque pollens;
At nunc Barbaricis ſubacta frenis,
Et priſco penitus honore nuda,
Vix vitam tenuem gemendo ducit,
Curis anxia, ſeruiens tributis.
Hic dum Baſilicas Deo dicatas,
Et Chriſti ſubeunt verenda templi,
Cernunt vt tua Cypriane Martyr
Seruaret loculus neglectus oſſa.
Tum verò nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum tuentes,
Poſcunt auxilium Dei perennis,
Pro quo, ſancte, caput tibi reciſum eſt.
Et mox æditais precanda flexis
Pandunt ſarcophagum, certantque ſacros
Artus ſtringere linteis paratis,
Committuntque ſacro corpus locello
Sperati quoque Martyris beati,
Nec non Pantaleonis oſſa raptim
Tollunt, cuncta ſimul ligantque pannis,
Ac tantas loculis gazas recondunt.
Conſcendunt celeres ratem paratam,
Nec feri metuunt pericla ponti;
Portantes Domino pios alumnos,
Quorum cuncta preces tremunt profunda,
Egreßis Arelas opima, portu
Occurrit placido, ſinuque læto
Feſſos accipit, ac fouet benignè,
Gaudentes reditu ſoloque noto.
Illic eximias opes ouanti
Deponunt animo, ſtupente portu
Terrenis ſolitos patere fluctus,
Cæleſtes ſubitò tuliſſe gazas.
Quod mox comperit optimus ſacerdos
Lugduni placidam tenens cathedram,
Sollerti ſtudij calore flagrans;
Intentuſque ſacris rebus vbique
Leidradus, prece ſupplici ſerenum
Regem poſtulat, impetratque raptim,
Vt ritè ſacra Martyrum piorum
Noſtris manibus oſſa conderentur.
Et nunc ad placidam Ioannis aram,
Qui Chriſtum vitrea reſperſit vnda,
Dignis cultibus & honore claro,
Florens inclite Cypriane dormis.
Sed quæſo vigiles, vigilque noſtris
Intendas precibus: fiaſque nobis
Clemens & validus Deo patronus:
Soluas crimina, conferaſque vota.
Sit quæſo memor illa lingua noſtri,
Quæ confeſſa Dei perennè verbum,
Ceruicem gladio dedit ſecandam:
Sed Chriſtum cecinit, ſilere neſcit.
Hanc Chriſtus iugiter benignus audit,
Vel ſacro populos ſtilo excitantem,
Hæreſeſve prauas deoſque falſos,
Verbi fulmine funditus cremantem:
Hanc & pro populo & patrono noſtro
Semper quæſumus audiat rogantem,
Paſtorem foueat, gregem propaget,
Det munus fidei, decus ſalutis.
O doctor ſacer, ô beate Martyr,
Serua Pontificem pius Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuumque feſtum
Dictis extulit, & honore compſit.
O triplex honor, ô triforme culmen,
O tres magnifici, pijque teſtes,
Sit nobis triplici, ô fauens precatu,
Pollens vnica Trinitas per æuum.

DE EARVMDEM DIVI CYPRIANI RELIQVIARVM TRANSLATIONE AD ECCLESIAM ROTHNACENSEM EPISTOLA IOANNIS de la Haye Theologi, Canonici Tornacenſis, ad Ampliſſum Præſidem Dominum Vigilium Zvvichemum Friſium.

QVEMADMODVM gloriatur Cicero nobiliſsimam Græciæ Ciuitatem Syracuſas, acutiſsimi ciuis ſui Archimedis monumentum ignoraſſe: donec ab homine Arpinate & peregrino illud didiciſſet: ſic tanti, tamque celebris hoſpitis (Cyprianum dico) perpetua ſanè ignorantia Tornacum laboraſſet: niſi veſtræ monitionis claſsico, tamquam reuelatione quadam ſolemni, & planè θεοπνύςη, nobis innotuiſſet. Bruxella enim non ita pridem reuerſus, percunctari cœpi, num aliquando D. Cypriani corpus quieſcere Rothnaci territorio audiiſſent, qui eò aliquando fuiſſent profecti. Illi planè ignorare affirmauerunt; celebre quidem illuc eſſe D. Hermetis & Cornelij nomen, ſed de Cypriano nihil. Ideò à non multo tempore me accinxi itineri; &, ſatis prolixo ſermone habito cum Canonicis, illi me deduxerunt ad gazophylacium templi. Ibique oculis meis expoſuerunt feretrum cupreum deauratum Apoſtolorum imaginibus interſtinctum, in tres veluti diſtinctum capſulas laminis tribus deauratis, quod opus antiquiſſimum iudicarunt adhibiti aurifices; cuius longitudo quinque ferè pedes æquat; in cuius margine tales inſcribuntur verſus.

Duplex vita tenet cælos, hic oſſa tenentur,
Sufficit ad titulum, Celeſtinum capit aula,
Oſſa ſigillauit hic operoſa manus,
Gaudent in cælis Cornelius & Cyprianus.
Vita Celeſtini gladio fuerat data fini,
Cornelius gladij ſuſcepit acumine funus,
Cum quo bis deni gladio cæduntur & vnus,
Carnificiſque manu ſic paſſus erat Cyprianus.
Hic Celeſtinum ſanctos locat & Cyprianus.
Hic eſt dæmonium pellens, morbumq; caducũ,
Hæc breuis arca, patres coniungit Apoſtolicos tres.

Et certè Ludouicus Pius, fundator fuit Rothnacenſis Eccleſiæ; cuius filii Caroli tempore, reliquiæ D. Cypriani ad Monaſterium nouum (quod dicunt eſſe Endenſe iuxta Aquiſgranum) Lugduno fuerunt delatæ. Cuius Monaſterii Abbas aliquando fuit Dominus temporalis totius territorii Rothnacenſis, quod vendidit poſteà Guidoni Comiti Flandriæ; ex quo Abbate, tales ſe ſuſcepiſſe reliquias, profitentur. Curaui bona fide exſcribendum quod in Archiuis & antiquis codicibus deſcriptum habebatur. Quæ omnia bona fide exſcripta, manu ſecretarii Capituli D. V. deſtino. Cui dignas rependere grates haud opis ſit noſtræ: cuius indicio contigerit, me ſacrum tanti Martyris corpus venerari præſentem, cuius viſendi gratia Carthaginem lubens perrexiſſem.

In Archiuũ verò hæc leguntur.

Poſt multa curricula annorum, glorioſiſſimo Karolo Francis imperante, contigit legationem Francorum ferentes illuſtres ac ſapientia circumſpectos legatos, tranſitum per Africam feciſſe. Hi cum Carthaginem dirutam, & loca venerabilia ſanctorum Martyrum, reuertentes à Rege Perſarum Aaron, qui excepta India totum penè tenebat Orientem, vidiſſent; facile ſibi conciliato Principe, ac fauorem re tali præſtante; pro magno munere rogauerunt, vt oſſa beati Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, continuò poſtulata conceſſit; vtque Imperatori, cuius gratiam omnium Regum qui in toto orbe terrarum erant ac Principum amicitiæ præponeret, ipſi ea ferrent, libenter aſſenſit. Cumque venerabiles Legati, ingentia dona, Martyrum ſcilicet reliquias, ferentes; & beati Sperati Martyris membra, qui vnus fuit de illis 1200. Martyribus præclariſſimis Scillithanis, caput etiam glorioſi Martyris Panthaleonis ſecum cum beatis oſſibus Cypriani habentes, reuerterentur; proſperis vſi velis, tandem peruenerunt Arelatem: ibique ſacrorum membra Martyrum ſignata interim relinquentes, legationem ſuam glorioſo Imperatori renunciare, multo iam exacto tempore, feſtinauerunt: & vt animum Regis de legatione ſtrenuè peracta reconciliarent, inter alia de Sanctorum reliquiis ab Africa deportatis animum eius attollunt. Vnde ille plurimum lætus, eas tamdiu apud Arelatem digna veneratione reſeruari iuſſit, donec ipſe magno aliquo opere in regno ſuo templum conderet, vbi tam pretioſum pignus ingenti cultu & ornatu reponeret. Sed emergentibus cauſis, dum opus tardiùs conſtruitur, occaſionem nactus Leuidradus venerabilis Lugdunenſis Epiſcopus, glorioſum Imperatorem rogauit, quatenus ad ſuam ciuitatem deferre beata Martyrum oſſa ei liceret. Annuit Imperator, ſed & idem ociùs opus ſuum perfecit. Cum honore ergo in ciuitatem Lugduni deportata ſunt, ibique in maiori Eccleſia beati Ioannis Baptiſtæ ac S. Stephani Martyris aliquanto tempore ſunt cuſtodita, & ad defenſionem ciuium, Deo id miſericorditer operante retenta. Imperatore verò iam votum ſuum de ædificatione templi non longè alias tranferente, ſanctus Epiſcopus beatiſſimas reliquias glorioſorum Martyrum poſt venerabile & ſacrum altare decentiſſima ſepultura recondidit, ac poſteris ciuibus ſuis profuturum honorabiliter commendauit. Sed poſt, interpoſito tempore, glorioſo Carolo regnante Ludouici filii Imperatoris filio, reliquiæ iterum beati Cypriani ad Monaſterium nouum, quod idem Rex auguſto opere conſtruxit in Compendio palatio, Deo iubente tranſlatæ ſunt. Referuntur autem cum beato Cypriano paſſi, Creſcentianus, Victor, Roſula & Generalis.

Deſcripta ſunt hæc ad verbum ex Adonis Martyrologio, ex quo etiã quædam caſtigauı.

Hucuſq; Ado.

VITA D. CYPRIANI CARTHAGINIENSIS, EX IPSIVS ſcriptis Collecta, per Iacobum Pamelium.

MIRABVNTVR ſat ſcio plerique, quidam ταυτολογίας, alij temeritatis fortaſſis arguent, quòd poſt tot ſanctorum veterum Elogia, velut anſer (quod aiunt) inter olores, D. Cypriani vitam denuò deſcribendam ſuſceperim. Verum aduertant, quæſo, illi, non nouo me exemplo id facere; quippe quum ante me id attentarint, de D. Ambroſio poſt Paulinum Preſbyterum Io. Coſterius; de D. Chryſoſtomo poſt Palladium & Theodorum Eraſmus Roterodamus; idem denique poſt alios complures, & poſt eum longe eruditiſſ. Theologus Marianus Victorius de D. Hieronymo. Spero itaq; & me non ingratam ſtudioſis operam nauaturum, ſi de D. Cypriano, tum, quæ ab aliis compendii gratiâ prætermiſſa ſunt, ex ipſius ſcriptis ſuppleam, tum, quæ cum hiſtoriæ veritate mi-

nus conſentire videntur, pro viribus in concordiam redigam; vt ita tandem illius ætatis Africana hiſtoria, obſcura hactenus, magis innoteſcat. Priuſquam tamen inſtitutum adgrediar, ne quis nominum poſthac hallucinetur affinitate, paucis demonſtrandum venit, plures fuiſſe Cyprianos, qui in numerum diuorum relati ſint: atque adeò alium eſſe hunc noſtrum Cyprianum Carthaginienſem, à D. Cypriano qui Nicomediæ cum Iuſtina Martyrium paſſus eſt, item à D. Cypriano Vnizibirenſi in Africa Antiſtite martyre; vt prætercam D. Cyprianum Pictauienſem martyrem, cuius feſtum à Pictauis celebratur 13. Iulii, & D. Cyprianum Abbatem Petragoricum, cuius meminerunt in Martyrologiis Beda & Vſuardus 9. Decemb. Quod vt compendio perſtringam, verum eſſe quod dixi de duobus poſtremis, nemo eſt qui dubitet: de Vnizibirenſi etiam Cypriano ſatis id conſtat, quippe qui longo poſt tempore (iuxta quod recenſent Victor Vticenſis libro 2. de perſecut. Vandal. & Beda in Martyrolog. ad 12. Octobris) paſſus ſit, cum quatuor millibus nongentis ſeptuaginta ſex aliis, ſub Hunericho Rege Arriano. Atqui de altero illo Cypriano cum Iuſtina paſſo, haud exigua eſt controuerſia, quibuſdam magni nominis Auctoribus pro eodem vtrumque reputantibus. Verùm eſto Aloyſii Lippomani ſententiæ non aſſentiri non poſſum, quod ille à noſtro Cypriano prorſum diuerſus ſit; vtpote qui ſub alio Imperatore, in alia prouincia, in alia ciuitate, ſub alio iudice, cum alia paſſionis comite, & alio die martyrii coronam adeptus ſit. Noſter enim Cyprianus, ſub Imperatoribus Valeriano & Gallieno, in Africa, Carthagini, ſub iudice Galerio Maximo, Comitibus Creſcentiano & aliis tribus, XVIII. Kalend. Octobreis paſſus eſt. Alter ſub Imperatore ſiue Claudio ſiue Diocletiano in Bithynia, Nicomediæ, ſub iudice Eutholmio, cum Iuſtina virgine, VI. Kalend. Octobreis. Huius quoque reliquiæ Romam ſtatim delatæ ſunt; illius longo poſt tempore adſeruatæ in Africa. Quicumque autem tamdem poſſint oboriri ſcrupuli, vt non me patiar diuelli ab hac noſtra ſententia, facit Auctoritas Eccleſiæ, quæ variis diebus iam prænotatis, vtriuſque feſtum iam olim celebrat. Manifeſtum id euadit, ex Bedæ, Adonis, Vſuardi, Vvandelberti, & Romano Martyrologiis: ac veteri Ms. Sacramentorum libro Bibliothecæ D. Bauonis Gandenſis, in quo reperire eſt alias atque alias de illis, Collectas & Præfationes Eccleſiaſticas. Nobis etiam conſentiunt M Marullus, Raphaël Volaterranus, S. Antoninus, Vincentius Bellouacenſis & Hermannus Contractus. Aſtipulantur quoque DD. Auguſtinus ac Hieronymus, & Lactantius; dum Oratorem ſiue Rhetorem, non verò Magum, noſtrum Cyprianum fuiſſe teſtantur, neque Iuſtinæ virginis vel verbo mentionem iniiciunt: immo verò è contrario, non à virgine, ſed à Preſbytero Cæcilio conuerſum tradunt. Adde, quod ſi magus fuiſſet, non diceret D. Pontius, bonis illum artibus ante Chriſtianiſmum imbutum fuiſſe: neque ipſe Cyprianus Epiſt. ad Donatum, vbi ſuam narrat conuerſionem & vſque adeò in dæmones inuehitur, id reticuiſſet. Verùm de hoc plus ſatis. Vnum hoc hîc adhuc præfandum duxi, noſtro huic Martyri, præter Cypriani nomen, fuiſſe etiam prænomen Thaſcii, idque ethnicis notum magis, vti patet ex paſſione ipſius per Pontium & Prudentium. Qui quum conſtanter legant Thaſcius, non, Titius, aut Thacius, ſeu Statius, prorſus illud legere oportet apud D. Auguſtinum, Paulum Diaconum, ac Adonem, præſertim quum ipſe Auctor ſe Thaſcium nuncupet Epiſt. ad Florentium Pupianum. Rem ipſam aggrediamur. Qui linguas itaque infantium facis diſertas Deus, tuque ſanctiſſime Chriſti Martyr Cypriane (vt cum Diuo Nazianzeno loquar) ex alto propitius nos reſpice, & noſtrum ſermonem ac vitam dirige.

CYPRIANVS, qui & Thaſcius vel ipſo teſte, Epiſt. iam dicta, Carthagini natus eſt ciuitate Africæ primaria, de qua infrà ad Concilium Carthaginienſe latiſſimè. Parentum ſuorum nuſquam meminit; at D. Gregorius Nazianzenus diuitiis clarum fuiſſe ſcribit, potentia conſpicuum, genere cognitum; immo ſenatorii ordinis illi nobilitatem adſcribit. Quorum illud, quod ad diuitias adtinet, ex hortis aliiſque bonis ab ipſo diſtractis ſatis conſtat. Inſtitutio fuit liberalis & bonis artibus ac ſtudiis (D. Pontio teſte) pectus eius à tenera adoleſcentia imbutum eſt. In tantam etiam venit gloriam eloquentiæ (inquit D. Hieronymus) vt Oratoriam quoque publicè doceret Carthagini. Quo tempore fuiſſe illi ſe ſodalem indiuiduum; ſignificat ſua ad ipſum Epiſtola Donatus: Credo (inquit) te retinere, ſanctiſſime Cypriane, quæ nobis fuerit apud Oratores garrulitas, vnus ſenſus, vna cogitatio, indiuidua lectio. Cauſſarum verò patronum etiam aliquandiu fuiſſe, mihi fit veriſimile ex Epiſtola ipſius ad eumdem Donatum, vbi verbis vtitur foro tantum non propriis. Procul igitur abeſt vt Magus fuerit, quum etiam apud ethnicos omni functione tales excluderentur; præſertim & Lactantio adfirmante Inſtitut. diuin. libr. 4. cap. 1. magnam illum ſibi gloriam (non ex Magia) ſed ex artis Oratoriæ profeſſione quæſiuiſſe. Græcæ autem linguæ æquè atque Latinæ peritiſſimum fuiſſe ex eo probatur, quod poſtea Chriſtianus factus, peculiari penè ſibi ſoli ſcripturarum & potiſſimum Pſalmorum vtatur verſione; vt certo mihi perſuadeam, de ipſo inter cæteros veriſſimum eſſe illud Diui Auguſtini, quod vnuſquiſque ex Græco propriam ſibi interpretationem ſcripturarum commentatus ſit; atque hinc factum, vt ſua ætate tot eſſent; tamque variæ editiones Latinæ: vt prætercam quod ſubinde Græcis vtatur vocibus; & in hoc quoque Tertullianum imitetur, quod citet Euangelia, κατὰ Matthæum, & ſic de cæteris.

Atque hæc de ipſius inſtitutione ante baptiſmum. Inter ipſa fidei ſuæ prima rudimenta, poſtquam & ſacras litteras didicit; ſtatim quod ſibi profuturum putabat inde arripuit. Ita fa-

Epiſt. 69.

Tom. 2.

Epiſt. 1.

Li. Trib. Teſt. ad Quirinum.

ctum, vt & continentiam tueretur, & diſtractis rebus ſuis omnem ſubſtantiam in pauperes erogaret; idque teſte Pontio, adhuc Cathecumenus; vt antè penè cœperit perfectus eſſe, quàm diſceret. Catechiſtam habuit, qui & illum ad agnitionem veræ fidei traduxit, Cæcilium (non Cæcilianum, vti male habent exemplaria Pontii) Preſbyterum; à quo & Cæcilii prænomen ſortitus eſt; cuius ipſe quoque meminit Cyprianus dicta ad Florentium Epiſtola. Collegam verò illi in baptiſmo fuiſſe Donatum illum de quo ſuprà: tum Donatus ipſe, tum Cyprianus apertius ſignificat ſua ad illum Epiſtola: Scis ipſe (inquit) & pariter mecum recognoſcis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors iſta criminum, vita virtutum. In qua Epiſtola ita ſtilum ſuum exercet; tali vtitur adparatu verborum pompaque ſermonis, quali poſtea numquam. Quod & conſulto feciſſe illum putat D. Auguſtinus libro 4. de Doctrina Christiana, cap. 14. vt ſciretur à poſteris, quam linguam doctrinæ ſanitas ab iſta redundantia reuocarit, & ad eloquentiam grauiorem modeſtioremque reſtrinxerit: qualis & in aliis eius ſcriptis ſecure amatur, religiosè adpetitur, ſed difficilè impletur. In quibus ſuis ſcriptis omnibus, quam perpetuo Tertullianum imitetur, ſæpiſſimè commonſtrauimus: vnum hoc loco ea de re ſufficeret D. Hyeronimi teſtimonium: Vidi ego [inquit Catalog. ſcript. Eccleſiaſt.] quemdam Paulum, Concordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui ſe beati Cypriani iam grandis ætatis Notarium, cùm ipſe admodum adoleſcens eſſet, Romæ vidiſſe diceret, referréque ſibi ſolitum: numquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione vnam diem præteriſſe; ac ſibi crebro dicere ſolitum: Da magiſtrum, Tertullianum ſignificans. Verum hæc de ſtilo ipſius ſufficiant. Adhuc Neophytus Cyprianus per omnia Eccleſiaſtica munia ad preſbyterium promotus eſt. In quo qui ſe geſſerit, longum eſſet inquit Pontius, ire per ſingula: ad probationem bonorum operum hoc ſatis eſſe arbitror, quod mox ad officium ſacerdotii & Epiſcopatus gradum electus ſit. Quam inuitus verò, quum iam ea de cauſa ſe ſubduxiſſet, quanta flagitatione, quanta vi ad Epiſcopatum raptus ſit, latius proſequitur Pontius: eo ipſo profecto dignus magis, quod ſe indignum exiſtimaret. Atque id eſt quod ad plebem ſuam ſcribens de ſe dicit. Sacerdoti quem tanto amore & ardore feciſtis. Et de eadem ſua ordinatione loquitur in hæc verba Epiſtola ad Cornelium 7. de Fortunato & Feliciſſimo: Quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi vniuerſi ſuffragio deligitur. Vbi etiam ſatis inſinuat, quemdam Donatum fuiſſe ſuum in Epiſcopatu proximum Deceſſorem; non verò Agrippinum illum, qui primus hæreticos rebaptizandos cenſuit. Quamquam enim Epiſtola ad Quintum, hunc bonæ memoriæ virum dicat; addit tamen cum cæteris coepiſcopis ſuis qui illo tempore, &c. quum alioqui dicere debuiſſet: noſtro tempore; & ad Ianuarium, ſententiam illam iampridem ab Anteceſſoribus ſuis ſtatutam dicit; ad Iubaianum verò, multos iam annos & longam ætatem interceſſiſſe, ex quo ſub Agrippino Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint. Nuncupat quidem D. Auguſtinus lib. 2. contra Donatiſtas cap. 7. Agrippinum Cypriani prædeceſſorem, ſed non proximum; & lib. 3. cap. 12. verbis infrà citatis, nobiſcum ſentire ſe ſatis oſtendit. Pro nobis etiam facit, quod dicta ad Cornelium Epiſt. meminerit Cyprianus Concilii Lambeſitani iam anteà celebrati; in quo condemnatus fuerit Priuatus hæreticus; quod ego poſt illud Agrippini Concilium conueniſſe cenſeo. Et eo quoque poſterius videtur, illud ſub Anteceſſore Cypriani celebratum Concilium, cuius meminit Epiſtola ad Furnitanos, quo ſtatutum narrat, ne quis excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, pro eo defuncto non oraretur.

Epiſt. 69. — Epiſt. 1. & 2. — Epiſt. 40. — Epiſt. 55 — Epiſt. 71 — Epiſt. 70 — Epiſt. 73 — Epiſt. 55 — Epiſt. 66

Porrò de tempore quo optatus eſt ad Epiſcopatum Cyprianus, difficultatis eſt plurimum. Etſi enim Epiſtola ad plebem de quinque Preſbyteris, in ſeceſſu biennium ſe tranſegiſſe ſignificet, & dicta Epiſtola ad Cornelium iam tum quadriennio ſe dicat in Epiſcopatu probatum; hos tamen quatuor annos conciliare cum annis Conſulum, Decii Imperatoris, & Pontificis Cornelii, hoc opus hic labor eſt. Vſque adeò vt Oedipo quopiam coniectore ſit opus, neque videam quo pacto ex hoc Labyrintho extricare me queam; atque adeo etiam tacere mallem, niſi pollicitis ſtandum foret. Ego certè, ex eo quod eam Epiſtolam ſcriptam conſtet, anno quinto Epiſcopatus Cypriani, inſtante immo iam cœpta, perſecutione quæ ſub Gallo & Voluſiano facta eſt, qua paulo poſt in exilium miſſus, & poſtea etiam paſſus eſt Cornelius; ita colligere mihi poſſe videor: hos quatuor annos, vt anno à Chriſto nato ducenteſimo quadrageſimo nono, in Epiſcopum delectus & ordinatus fuerit Cyprianus. Verum diſſoluendi veniunt nodi duo, vti eſt in prouerbio, plane Gordii, tum de biennio quo in ſeceſſu fuit Cyprianus, tum de tempore ordinationis Cornelii in Epiſcopatum Romanum. Quod enim ad illud attinet, quum non niſi poſt cædem Philipporum Cæſarum exordium ſuum cœperit ſeptima illa ſub Decio Imperatore Chriſtianorum perſecutio, qua Fabianus Romanus Pontifex paſſus eſt; difficile eſt inuenire biennium integrum; præſertim, quod vix duobus annis videatur imperaſſe Decius; & tamen poſt Paſcha ex ſeceſſu rediiſſe Cyprianum conſtet, iam occiſo tyranno & pace Eccleſiis reddita. Hic ſi dicamus anno 250. paſſum Fabianum, nihil erit ſcrupuli, ſed obſtat calculus annorum 14. qui ipſi tribuuntur. Quare ſi hunc numerum ſaluum velimus, cum pleriſque hiſtoricis diuinandum erit, ſtatim à Philipporum clade ſeceſſiſſe Cyprianum, paulo plus dimidia anni parte ante obitum Fabiani, quod ſi ſub Paſcha anni 250. contigiſſe dicamus, inde ad Paſcha vſque anni 252. duo anni computantur. Quam coniecturam noſtram probabilem fa-

Epiſt. 40 — Epiſt. 55 — Lib. de Lapſis.

cit, quod dicto anno 250. in faſtis Romanorum Conſulum ponatur initium Imperii Decii, & tamen inter Philippos & Decium intermedius à quibuſdam ponatur Imper. Cæſ. Mapinus P. F. Auguſtus; qui paulò poſt interfectus ſit, item quod ſatis inſinuet Marianus Scotus, occiſos Philippos Menſe Ianuario, dum imperaſſe eos dicit Kalend. vſque Februarias. Pro eadem facit, quod ſcribit Dionyſius Alexandrinus Epiſtola ad Fabium Antiochenum apud Euſeb. Eccl. hiſt. libr. 6. cap. 31. Alexandriæ anno integro ante edicta principalia perſecutionem hanc ſeptimam ſumpſiſſe exordium, miniſtro quodam Dæmonum ſuperſtitioſum vulgus agitante. Videtur ergo & Carthagini plebs perſecutionem cœpiſſe iam ante edicta Decii, præſertim, cum Cyprianus non vno in loco plebis ſe ad Leonem poſtulantis, Imperatorii verò decreti *Epiſt. 55* (vti poſteà Epiſtolis ad Antonianum & Succeſſum) nuſquam in ſeceſſu meminerit. Maior eſt *& 55.* ſcrupulus de initio Pontificatus Cornelii, ob locos quoſdam Cypriani prima ſibi inuicem facie *Epi. 52.* *& 82.* contrarios, vt omittam iam olim receptam hiſtoricorum ſententiam, quod non diu vacauerit *Epi. 31.* ſedes Romana inter Fabianum & Cornelium; & quorumdam quod ſub Decio vterque paſſus ſit: contrà tamen, diſertis verbis indicat Clerus Romanus Epiſtola 2. ad Cyprianum, diu, immo anno integro tum vacaſſe Pontificatum; dum & nondum ſibi Epiſcopum poſt exceſſum Fabiani conſtitutum ſcribit, & paulò antè gratias illi agit, de miſſis ad confeſſores Romanos litteris, quibus felicitates illorum condignis laudibus proſecutus fuerat. Atqui illæ ad confeſſores litteræ, præſertim priores, prorſus conuincunt, per annum in carcere illos fuiſſe: & verò non niſi poſt mortem Fabiani coniectos illos in vincula, teſtatur in illius vita Damaſus. Huius *Epi. 16.* verba ſunt: Poſt paſſionem verò Fabiani, Moyſes & Maximus Preſbyteri, & Nicoſtratus Diaconus, comprehenſi ſunt & in carcerem miſſi. Ipſius verò Cypriani: Eant nunc Magiſtratus & Conſules ſiue Proconſules, annuæ dignitatis inſignibus & duodecim faſcibus glorientur; ecce dignitas cæleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt, & iam reuertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate tranſgreſſa eſt. Vbi etiam hyberno tempore comprehen*Epi. 52.*ſos illos inſinuans, prorſus cum Damaſo conſentit. Iam verò Decio ſuperuixiſſe Cornelium, adſerit Cyprianus Epiſt. ad Antonianum: Qualis (inquit) firmitas fidei? Sediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra, eo tempore, quum tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur. Et paulò poſt: Cornelius, quantum ad eius deuotionem pertinet *Epi. 41.* & timorem, paſſus eſt quicquid pati potuit; & tyrannum armis & bello poſtmodum victum, *& 42.* ipſe prior ſacerdotio ſuo vicit. Cui tamen rurſum aduerſari videtur Epiſtolis duabus primis ad Cornelium, vbi conuentus Epiſcoporum meminit, qui videtur fieri non potuiſſe ante pacem datam, atque adeò neque ante cædem Decii; & tum primum nihilominus electionem Cornelii pro legitima agnoſcit, repudiata Nouatiani electione ſchiſmatica. Quid hic dicam, quo me vertam, quo pacto me extricem non video; præſertim quum duas ordinationes menſe Decembri à Cornelio factas commemoret Damaſus, & ſi dictam ſententiam amplectamur de 14. annis Fabiani & anno integro vacationis; vix vno anno potuerit Pontifex eſſe Cornelius, aut ſaltem non duobus Decembribus. Perplexum etiam me magis reddit, quod incertum ſit, quo anni tempore Pontificatum inierit Cornelius, etiam apud Onuphrium doctiſſimum illum Chronographum. Nam quem in Epitome Romanorum Pontificum XIIII. Kalendas Aprileis, in Chronico non ita pridem editio III. Idus Iulias creatum dicit; & aliter rurſum Chriſtianus Maſſæus Chronic. lib. 9. delectum ſcribit XXVII. Ianuarii. Ego equidem, vero non abſimile exiſtimabam, electum quidem anno 251. Cornelium Menſe Iulio, & non ordinatum niſi anno ſequenti. Sed obſtat, tum quod Moyſes Confeſſor paulo poſt Martyr, & Nouatianus *Epi. 52.* ipſe ſubſcripſerint adhuc dictæ Cleri Romani Epiſtolæ, teſte Cypriano Epiſtola ad Antonianum, ita vt non niſi anno integro poſt Fabiani deceſſum, potuerit ſchiſma Nouatiani contingere; tum quod non diceretur ſediſſe Romæ in ſacerdotali cathedra ante ordinationem, vt præteream, quod eo ipſo loco ſatis inſinuetur, iam prius & delectum & ordinatum fuiſſe. Quare non video aliud effugium quàm vt dicamus 13. dumtaxat annos in Pontificatu vixiſſe Fabianum, & paſſum anno 250. iam occiſis, illis ipſis diebus, Philippis Imperatoribus; quo *Epiſt. ead.* etiam anno Cyprianus poſt Paſcha ſeceſſerit. Atque ita anno euoluto & vno atque altero Men*Epi. 41.*ſe, anno 251. creatum Cornelium, ac mox ab ordinatione ipſius, confeſſores Romanos à Nouato ſeductos, vbi primum carcere prodierunt, ſchiſma excitaſſe, ac Nouatianum Epiſcopum feciſſe. Atque adeò ſediſſe Romæ Cornelium anno fere integro vſque ad Decii tyranni cædem, quum multo (inquit Cyprianus) patientius & tolerabilius audiret leuari aduerſum ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem. Neque tamen anteà, omnium Epiſcoporum Africæ ſuffragiis pro legitima habitam ipſius ordinationem, quam pace iam data, anno 252. in Concilio 1. de Lapſis paulò poſt Paſcha; iuxta quod indicat Cyprianus Epiſtola ad ipſum prima. Anno verò 253. ſub Imperatoribus Gallo & Voluſiano paſſum Cornelium, imperante cum illis adhuc Q. Herennio Hetruſco Decio, ſenioris Decii filio. Nam eo anno demum interfectum illum teſtantur Faſti Conſulares; Decium verò illum qui paulò poſt patrem interfectus eſt, nuncupant C. Valentem Hoſtilianum Meſſ. Quinctum, ipſius Decii non filium, ſed generum; cui vxor fuerit Herennia Hetruſcilla Imperatoris Decii filia, quemadmodum ex antiquis numiſmatis comprobat Onuphrius. Quam ſententiam ſi ſequamur; &

conciliabuntur Hiſtorici, quorum alii ſub Gallo & Voluſiano, alii ſub Decio paſſum Cornelium ſcribunt, & cæteri etiam ſcrupuli eximentur. Neque verò etiam neceſſe erit ad illud confugere, quod ſupra coniecimus, vt ante mortem Fabiani Cyprianus ſeceſſerit. Obſtat tantummodo communis chronographorum ſententia, quod quatuordecim annis ſederit in Pontificia ſede Fabianus. At contrà, nobiſcum ſentit Euſebius in Chronicis, non modo iuxta excuſſa exemplaria (ne forte quis mendum ſubeſſe ſuſpicetur) ſed & iuxta Ms. codices Bibliothecarum D. Victoris & D. Genoueſes apud Lutetiam Pariſiorum. Neque multum diſſentit Marianus Scotus, qui etſi ex Martyrologiis allegat annos 14. prius tamen tredecim dumtaxat annos Fabiano attribuit. Martinus item Polonus non amplius quàm tredecim annos & aliquot menſes enumerat. Per me interim licet vnicuique hic in ſuo ſenſu abundare, dummodo dictos locos Cypriani inter ſe & cum aliis Hiſtoriis in concordiam valeat redigere, immo verò pergratum fuerit, ſi quis aliud quid adinuenerit quod probetur magis, quippe qui hæc tam latè ea ſolum de cauſa tractauerim, vt aliis anſam præberem veritatis diligentius inueſtigandæ.

Anno igitur (vt ad inſtitutum redeat oratio) à Chriſto nato 249. in Epiſcopum delectus eſt Cyprianus, Imperatoribus Cæſaribus M. Iulio Philippo Auguſt. III. & M. Iulio Aug F. Philippo Aug. II. Conſulibus, qui fuit 13. Fabiani Pontificis, & Milleſimus ab vrbe condita: quod ex Ludis ſæcularibus dicto Conſulatu celebratis teſtatum faciunt nummi veteres. Epiſcopatum autem geſſit toto decennio & aliquot menſibus ad 18. vſque Kalend. Octobreis anni 259. In quo adminiſtrando quæ illi pietas, qui vigor, quanta ſenſu, quanta miſericordia, quanta ſanctitas, ex ſequentibus manifeſtum euadet. Principio adhuc pace Eccleſiæ perdurante, in eam curam totus incubuit, vt Diſciplinam diuinitus traditam reſtitueret, quam (vel ipſo teſte) *Lib. de Lapſis.* pax longa corruperat: atque hoc eſt quod de ſe dicit: In quiete ſeruiens diſciplinæ. Quæ eius *Epiſt. 55* verba à priori me ſententia reuocarunt, quam in Adnotationibus meis infrà reperiri eſt; vt *Tom. 1.* etſi primo loco inter cæteros tractatus, non tamen (quod ibi cenſebam) à Preſbytero adhuc, ſed iam Epiſcopo, librum de Diſciplina & habitu Virginum hoc primo Epiſcopatus anno conſcriptum putem.

Anno verò 250. Conſulibus Fuluio Æmiliano & Vettio Aquilino, non multis elapſis in Epiſcopatu menſibus (vnde fit vt ſtatim id contigiſſe dicat Pontius) iam paſſo Fabiano & in carcerem Romæ coniectis Moyſe, Maximo, Nicoſtrato, Celerino, Rufino, Vrbano confeſſoribus; pro meritis talibus proſcriptionis gloriam promeruit Cyprianus; Proſcriptus adplicito & adiuncto Epiſcopatus nomine. Publicè enim lectum fuiſſe teſtatur ipſe Epiſtola ad Pupianum: *Epiſt. 69* Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum; vt (inquit) *Epiſt. 69* etiam qui non credebant Deo Epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederent Epiſcopum profitenti. Mox deinde, quum hæc plebi ethnicæ non ſufficerent, ſed (vti ad Clerum Romanum *Epiſt. 55* ſcribit) turbationis impetu primo, clamore violento ad Leonem eum populus repetitis ſuffragiis flagitaret, non tam ſuam ſalutem quàm quietem publicam cogitans, ſeceſſit, ne per inuerecundam præſentiam ſuam, ſeditio, quæ cœperat, plus prouocaretur. Ante tamen ſeceſſum, aliquod confeſſionis pro Chriſto ſpecimen ab illo editum, colligi videtur ex verbis illis *Epiſt. 55* Epiſtolæ ſæpè dictæ ad Cornelium: In Circo, in Amphitheatro diuinæ dignationis te- *Epiſt. 6.* ſtimonio honoratus. Quò verò ſeceſſerit, reperiri non licuit; at ſeceſſiſſe cum illo Victorem Diaconum fit veriſimile ex Epiſtola ipſius 1. ad Clerum, fortaſſis eum ipſum, qui poſteà cum *Epiſt. 1. & 15.* illo paſſus eſt. Illud conſtat, ægrè tuliſſe illius ſeceſſum Romanos Preſbyteros ſede iam vacante, quod id teſtentur tum ipſorum ad Clerum Carthaginienſem litteræ, tum ad ipſos Cypriani purgatoria Epiſtola. Immo & Carthagini non defuiſſe, qui ſeceſſum calumniarentur, patet, tum ex Pontio, qui multis verborum ambagibus illum excuſat, tum ex frequentibus ad ſuum Clerum & plebem Cypriani litteris, quibus quod latebram teneret ſe purgat. Duas verò potiſſimum ſui ſeceſſus cauſas adfert. Priorem, quod ex diuino mandato id fecerit. Hinc eſt illud Epiſtolæ ad Clerum de Preſbyteris qui Lapſis temerè pacem dabant: Audietis omnia quando *Epiſt. 10* ad vos reducem me Dominus fecerit, qui vt ſecederent iuſſit; cui ſimilia reperire eſt in vita ipſius per Pontium. Alteram, ne præſentia ſui gentilium inuidiam prouocaret; præſertim quum aliorum Preſbyterorum non eſſet tam inuidioſa præſentia. In hoc ſeceſſu, etſi abſens cor- *Epiſt. 35 & 8.* pore (verbis eius vti pergo) nec ſpiritu tamen nec actu nec monitis defuit, quo minus ſecun- *Epiſt. 15.* dum Domini præcepta, fratribus, in quibus poſſet, ſua mediocritate conſuleret. Et quid egerit, loquuntur imprimis Epiſtolæ numero 13. quarum exemplaria ad Clerum Romanum miſit; quarum pleráſque, ne hic ſim æquo prolixior, ſuo ordine quo Epiſtola 15. commemorantur, ab Epiſtola tertia ad illam vſque reperiet lector. Deinde omnes illæ, quæ prima Epiſtolarum *Epiſt. 6. 7. 37. & 40.* claſſe continentur, ſummam ipſius vigilantiam abundè produnt; præſertim conſtitutis qui ſua vice fungerentur, tum Tertullo Preſbytero, poſteà Epiſcopo, & Rogatiano ſeniore poſtmodum Martyre, tum Britio & Numidico Preſbyteris. Eodem ſeceſſus tempore, quem ad *Tom. 3* biennium perduraſſe docet dicta ad Clerum Epiſtola 5. de Preſbyteris conſcriptos exiſtimo libros eius de Spectaculis, de Diſciplina & Bono pudicitiæ, & de Laude Martyrii.

Atqui abſentis Cypriani animum angebat haud parum, Lapſorum (quos ſacrificatos &

Epiſt. 12. Epiſt. 15. libellaticos vocat) impudentia, qui, quum initio Decianæ perſecutionis ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis conſcientiam polluiſſent, exambibant (inquit) ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna deprecatione corrumpebant, vt ſine diſcrimine vel examine ſingulorum darentur libellorum millia. Immò verò Preſbyterorum *Epiſt. 10. 11. 12.* quorumdam temeritas qui ſiue prece ſiue pretio conducti, pacem temerè Lapſis dabant, citra Epiſcopi conſcientiam. Huc pertinent Epiſtolæ illæ tres, ad Clerum, ad Martyres, ad plebem, de Lapſis qui pacem petierant, cum plurimis ſequentibus. In quibus ita ſuam hac de re definit ſententiam, vt ante exactam pœnitentiam, ante exomologeſin factam, ante manum ab Epiſcopo &, Clero impoſitam, ad communionem non admittantur Lapſi, neque *Epiſt. 15* nomen eorum in Eccleſia recitetur. Ita tamen, vt iis qui in infirmitate deprehenſi eſſent & pœnitentes communicationem deſiderarent, ſubueniretur: Cæterorum verò cauſæ vſq; in pacem Eccleſiæ differrentur, quamuis Libello accepto à Martyribus; & tum primùm Lapſorum tra- *Epiſtol. 26. ac 57.* ctaretur ratio, collatione conſiliorum facta, cum Preſbyteris, Diaconis ac Laïcis ſtantibus, id eſt, iis qui in fide perſtiterant. Quod ipſum etiam definierunt Clerus Romanus, ac Moyſes & Maximus, cæterique Confeſſores, vti ex ipſorum Epiſtolis conſtat; & cum illis etiam Noua- *Epiſt. 52* tianus, Cypriano teſte ad Antonianum, contrà tamen quàm poſteà ſenſit, vti infrà latiùs. Immò *Epiſt. 31* verò anno ſecundo ſeceſſus Cypriani, anno (inquam) 251. ſede Fabiani adhuc vacante, celebrata Romæ Synodus de Lapſis idipſum cenſuit; facit eius mentionem Clerus Romanus Epiſtola 2. ad Cyprianum. Atque hæc prima fuit Eccleſiæ de Lapſis ſententia, quæ poſteà tamen legitima ex cauſſa bis immutata eſt. Ad cuius intellectum maiorem, tribus, quod aiunt, verbis *Epiſt. 52* indicandum eſt, quid diſcrepent libelli Lapſorum à libellis Martyrum, ne quis nominum affinitate falſus, Cyprianum ſecus, quàm ſenſit, intelligat. Libelli igitur Lapſorum, quos Proconſuli offerebant, vt euaderent ſupplicia, hæc reperitur, Epiſtola ad Antonianum, formula: Ego prius legeram & Epiſcopo tractante cognoueram, non ſacrificandum idolis, nec ſimulachra ſeruum Dei adorare debere, & idcircò ne hoc facerem quod non licebat, quum occaſio libelli fuiſſet oblata (quem nec ipſum acciperem niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad Magiſtratum veni, vel alio eunte mandaui: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aram diaboli me venire non poſſe; dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Cui ſimilia *Tom. 2.* videre eſt libro de Lapſis. Libelli autem Martyrum exemplar non inueni diſertis verbis expreſ- *Epiſtol. 17.* ſum in Cypriano, ſed ſpecimen quoddam præbet Epiſtola illa breuis à Luciano nomine Confeſſorum omnium conſcripta ſeu conficta potiùs, in hæc verba: Scias nos vniuerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc formam per te & aliis Epiſcopis volumus innoteſcere. Quod, vt fiat clarius, iam olim, etiam ætate Tertulliani [vti conſtat ex libro eius ad Martyres] vetus erat conſuetudo vt Lapſi ad carceres commeantes pacem à Martyribus peterent, priuſquam pro Chriſto mortem capeſſerent. Illi viciſſim petentium deſideria ponderantes, merita quoque ſingulorum & delictorum genera expendentes, pacem quibuſdam concedebant, eamque libello à ſe ſubſcripto ſignatam ad Epiſcopum deſtinabant; qui diligentiùs examinatis ſingulorum deſideriis, exomologeſi, & manus impoſitione præuia, ad communionem eos admittebat. Quæ certè pax non aliud fuiſſe videtur, quàm pœnitentiæ per Epiſcopos impoſitæ relaxatio, atque adeò indulgentiarum genus quoddam. Acceſſit abſentis Cypriani animo tabeſcenti dolor maior, acceſſit alia perſecutio, *Epiſt. 6.* & alia tentatio, quod infeſta tempeſtas [rurſum verbis eius vtor] quæ plebem maxima ex parte proſtrauerat, etiam Cleri portionem ſua ſtrage perſtringeret; quod nempè non modo ex Clero quam plurimi Chriſti fidem deſererent tormentorum metu, ſed etiam ſemel Chriſtum confeſsi confeſſores, gloriam ſuam vita improba commacularent. Quod quidam etiam Preſbyteri pluſculum ſibi auctoritatis arrogare præſumerent, atque adeò ſchiſmatis fomenta quædam miniſtrarent. Hi quum initio inter ſe δὶς διὰ πασῶν diſſentirent, poſteà tamen vnum ſchiſma fecerunt. Erant enim quinque numero, qui, vt iam diximus, temerè nimis pacem & communionem Lapſis concederent. Alij quidam, & inter hos Nouatus & Fortunatus, omnem omninò pacis ſpem illis præcludebant. Quum verò & ad horum ſcripta reſcribere differret Cyprianus, & certi aliud præterea nollet de Lapſis ante pacem Eccleſiæ datam ſtatuere; criminibus in eum conuenientibus, ex vtraque ſibi mutuo repugnante, conflata eſt vna factio. Atque hoc eſt, quod Epiſtola quadam de quinque ſcribit Preſbyteris, qui ſe Feliciſsimi factioni coniunxerant. Eamdem enim Feliciſsimi fuiſſe quæ Nouati erat, manifeſtum fit, tum ex eo quod illum *Epiſtol. 40.* ſigniferum ſeditionis & ducem factionis nuncupet Cyprianus, tum quod de Nouato in hæc verba ſcribat ad Cornelium: Idem eſt Nouatus, qui apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis *Epiſt. 38 ac 55. Epiſtol. 40.* incendium ſeminauit, qui quoſdam iſtic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregauit, qui in ipſa perſecutione, ad euertendas fratrum mentes, alia quædam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt, qui Feliciſsimum ſatellitem ſuum, Diaconum, nec permittente me nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit. Vbi & hæc de illo adiicit: Spoliati ab illo populi, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Eccleſiæ denegatæ; has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conſpicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus. Vterus vxoris [adlegebantur enim tunc etiam coniugati in Preſbyterorum ordinem] calce peruſtus. Hanc conſcientiam criminum iampridem timebat, propter hanc ſe non de Preſbyterio tantùm exci-

tati,

tari, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat; & vrgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos cauſſa eius ageretur, niſi perſecutio antè veniſſet. Similia facinora narrat alibi Feliciſsimi: Ad rapinas [inquit] & fraudes eius, quas dilucida veritate cognouimus, etiam adulterij crimen acceſsit. Epiſt 38 Neque verò ſanctiores fuiſſe quinque illos Presbyteros, patet ex epiſtola ad Cornelium ſæpè citata, vbi pleroſque illorum, ob nefanda ſacrificia & crimina in ſe probata, ſententia nouem Epiſcoporum [en conuentum Africæ Cypriano abſente] condemnatos dicit. Epiſ. 55 Erant hi, Felix, Iouinus, Maximus, Repoſtus, & Fortunatus; quorum iſte poſteà à veteri hæretico Priuato & aliis quatuor Carthagini Pſeudoepiſcopus conſtitutus fuit. Epiſ. 38 & 39. Haud parum interim commendanda venit Cypriani etiam adhuc deliteſcentis vigilantia, qui Caldonio & aliis Epiſcopis ſcripſerit, vt Feliciſsimum & complices excommunicarent, idque in hæc verba: Quum Feliciſsimus comminatus ſit, non communicaturos in monte ſecum, qui nobis obtemperaſſent, id eſt, qui nobis communicarent; accipiat ſententiam quam prior dixit, vt Abſtentum ſe à nobis ſciat. Quod ipſum ſe feciſſe Epiſcopi reſcripſerunt. Abſtinuimus, inquit, communicatione Feliciſsimum & Augendum, item Repoſtum, &c. quæ verba ea de cauſa huc adduxi, quòd veterem contineant excommunicationis formulam, quali tamen etiamnum vtimur. Ad plebem verò inſuper ſcripſit Cyprianus, vti diligenter ſibi cauerent à lupis illis ouile Dominicum infeſtantibus, vt ab eorum contagione diſcederent, & ſermones eorum velut cancer & peſtem fugiendo vitarent. Epiſ. 40 Seruatus eſt itaque ad hoc à Domino Cyprianus in ſeceſſu, vt ipſe poſtmodum martyrio deſtinatus, prius ad Dominum complures ſua exhortatione Martyres præmitteret, qui alioqui incentiuo tubæ cæleſtis deſtituti, à fide excidiſſent. Huc pertinent, tum dictus liber de Laude Martyrij, tum Epiſtolæ ipſius ad Romanos ac Africanos Martyres. Tom. 3. Seruatus eſt deinde (inquit Pontius) vir iſte ingenij præter cætera etiam ſpiritaliter temperati, qui inter reſultantes ſchiſmatum fluctus, Eccleſiæ iter medium librato tramite gubernaret. Epiſt. 9. 16 & 28 Poſtquam enim hæc flagitia à factione Nouati & Feliciſſimi in Africa deſignata ſunt, dicto anno 251. Imper. Cæſar. Cn. Meſſio Traiano Decio Aug. II. & Annæo Maximo Grato conſulibus, ipſe Nouatus (inquit Cyprianus Epiſtola ad Cornelium ſexta) cum ſua tempeſtate Romam quoque ad euertendam Eccleſiam nauigans, Epiſ. 49. ſimilia illic & paria molitus eſt; à Clero portionem plebis auellens, fraternitatis benè ſibi cohærentis & ſe inuicem diligentis concordiam ſcindens. Et planè, quoniam magnitudine ſua Carthaginem Roma debeat præcedere, illic maiora & grauiora commiſit. Qui iſtic aduerſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit. Quam hiſtoriam vt latiùs paulò proſequamur, creatus fuit hoc tempore Romanus Pontifex Cornelius Caſtini filius. Non tamen ad Epiſcopatum, inquit alibi Cyprianus, ſubitò peruenit, ſed per omnia officia Eccleſiaſtica promotus, ad Sacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Epiſt. 52 Tum deinde Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit, nec voluit, nec inuaſit; ſed quietus & modeſtus, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus à plurimis collegis qui tunc in vrbe Roma aderant, de Dei & Chriſti iudicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; quum nemo ante ſe factus eſſet, quum Fabiani locus, id eſt, quum locus Petri & gradus cathedræ ſacerdotalis adhuc vacaret: contrà tamen, Romam quum veniſſet Nouatus, ſimilitudine quadam ſanctitatis, continuò in ſuas partes pertraxit Nouatianum Presbyterum, Epiſ. 25. & 34. deinde & Confeſſores quoſdam primos in clero, è carcere prodeuntes, de quibus ſuprà, Maximum, Nicoſtratum, Sidonium, Vrbanum & Macharium; Moyſe iam defuncto, & Celerino [vti Epiſtolis de illo perſpicuum fit] iam pridem in Africam profecto. Et paulò poſt, gliſcente, inquit Cyprianus, & in peiùs recrudeſcente diſcordia, Nouatus Nouatianum Epiſcopum Romæ conſtituit; & contra ſacramentum ſemel traditum diuinæ diſpoſitionis & catholicæ vnitatis, adulterum & contrarium caput extra Eccleſiam fecit. Epiſ. 49. Quæ ordinatio Nouatiani quanta vi facta ſit, latiſſimè proſequitur Cornelius epiſtola ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium Eccleſ. hiſtor. lib. 6. cap. 33. & Nicephorum lib. 5. cap. 3. ac 5.

Anno Domini 252. dicto Imperatore Decio & Q. Herennio Etruſco [pro quo quidam perperam olim ſcripſerunt Ruſtico] Decio Cæſare illius filio, conſulibus; ſtatim poſt Paſcha, iuxta quod prædixerat è ſeceſſu rediit Cyprianus; Epiſ. 40. iam occiſis fraude Galli per Barbaros Gothos Decio patre & eius genero, & pace Eccleſiis reddita. Statim verò conciliando dicto Eccleſiæ ſchiſmati omnem nauit operam. Et imprimis [vti conſtat ex epiſtola 2. ad Cornelium] litteras dedit, quibus Romanum clerum ad concordiam hortatus eſt. Deinde concilium Africæ Carthagini indixit, ex quo mox Romam miſſi ſunt Caldonius & Fortunatus Epiſcopi, qui præſentia ſua & conſilio eniterentur quantum poſſent, & elaborarent, vt ad catholicæ Eccleſiæ vnitatem ſciſſi corporis membra componerent. Epiſ. 42. Neque tamen è contrario ſuis partibus deerant Schiſmatici: verùm deſtinati ſunt ad hanc Synodum à Nouatiano [quod habet epiſtola 1. ad Cornelium] Maximus Presbyter, Augendus Diaconus, Machæus quidam, & Longinus: Epiſ. 42 qui ordinationem Nouatiani Africani ſignificarent, & libellum famoſum aduerſus Cornelium ſecum adferrent. Hi cùm in ſtatione inuidioſis conuitiis & clamoribus turbulentis proruerent & flagitarent, vt crimina quæ ſe adferre ac probare dicebant, publicè & à plebe recognoſcerentur

tur; non eſt paſſus Cyprianus. Quin potiùs certiores redditi qui illuc plurimi conuenerant
Epiſcopi, ex reditu Stephani & Pompei; collegarum, de legitima electione & ordinatione
Cornelij: ipſos ſtatim à communicatione ſua cohibendos cenſuerunt. Atque vna iterato illic
Epiſt.55 abſtenti ſunt (teſte alibi Cypriano) quinque illi Preſbyteri factionis Feliciſſimi. Intereà verò
quæ Cornelio obiiciebantur, fuit calumnia illa, cuius meminit Epiſtola ad Antonianum, quod
Epi.52. Trophimo cuidam & aliis thurificatis, hoc eſt, qui idolis thus immolauerant, communicaſſet.
Atque adeò conſtat, ſimili in Cornelium vſos illos calumnia, quali poſteà in Cæcilianum Do-
natiſtæ. Et certè (vt obiter id hîc quoque dicam) hinc Καθαροὺς ſe nuncuparunt, quod immun-
dis, ita lapſos vocabant, non communicarent, quum tamen ipſi nihil minus quàm puri fuerint;
ad quod cognomen adludere mihi videtur Cyprianus Epiſtola ad Magnum: Et nomina, in-
Epi.76. quit, adulterata fingentes. In hoc ipſo autem concilio (iam ante edito per Cyprianum libro de
Tom.1. Lapſis) ſcripturis diu ex vtraque parte prolatis, temperamentum tale, ipſo teſte, de ratione
lapſorum ſalubri moderatione libratum eſt, vt examinatis cauſis & voluntatibus & neceſſitati-
bus ſingulorum, Libellatici tamquam qui minus deliquiſſent admitterentur; ſacrificati verò
diu pœnitentiam agerent, & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis accipe-
Epiſt.52 54. & 56. rent. Conſenſit in hanc ipſam ſententiam paulò poſt & Cornelius, habito Romæ concilio,
quod loco citato Euſebius celeberrimum fuiſſe dicit, Epiſcoporum nempe 60. Preſbyterorum
totidem, cum Diaconis pluribus. Vbi tum Nouatianus cum factione Nouati & Feliciſſimi ab
Eccleſia pulſus eſt, tum Lapſorum ratio (eodem Euſebio teſte) pertractata, vt conſtare videa-
tur, non duo tunc Romæ concilia, ſed vnum idemque fuiſſe, quod & lapſis & contra Nouatia-
Epiſt.68 num indictum fuerit. Huius quoque Romanæ Synodi Decretum fuiſſe puto, cuius in hæc ver-
ba epiſtola ad Hiſpanos Cyprianus meminit: Iampridem etiam Cornelius Collega noſter de-
creuit; Epiſcopos lapſos ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione ta-
men Cleri atque ſacerdotali honore prohiberi. Quod etiam in omnibus Africanis Conciliis ea
de re factis ſtatutum fuiſſe, eo ipſo loco Cyprianus ſignificat, & eiuſdem etiam fit mentio Epi-
ſtola ad Epictetum. Interea verò non otioſa fuit Cypriani pia ſollicitudo ad ſchiſma compo-
Tom.2. nendum, ſed & aureum illum librum de vnitate Eccleſiæ ac librum de Oratione Dominica hu-
ius rei gratia conſcripſit; & vna cum ſecunda ſua ad Cornelium Epiſtola, qua ordinationem
Epiſt.48 & 49. eius comprobauit, ad confeſſores quoque à Nouato ſeductos litteras dedit adhortatorias, vt ad
vnitatem redirent. Quas ipſas litteras magna ex parte reditus eorum cauſam fuiſſe, vel ex eo vi-
detur conſentaneum, quòd paulò poſt ad mentem & Eccleſiam redierint Maximus, Vrbanus,
Sidonius & Macharius. Cuius rei hiſtoriam, quo pacto recepti ſunt, latiùs proſequitur Corne-
lius, in Epiſtola ad Cyprianum, quæ hactenus huic perperam inſcripta eſt, & Epiſtola dicta ad
Fabium Antiochenum. Solus ex ipſorum conſortio non rediit Nicoſtratus Diaconus, quippe
qui Eccleſiaſticis pecuniis ſacrilega, inquit Cyprianus, fraude ſubtractis, & viduarum ac pu-
pillorum depoſitis denegatis, conſcientia rapinarum & criminum ab vrbe fugerit. Rediit enim
Nouatus Romæ Eccleſia eiectus, in Africam, vna cum illo, ac cum Euariſto, Primo, & Dio-
nyſio, vt denuò nouam illîc Tragediam excitaret; quod & feciſſe ex Euſebii Cronico, fit per-
ſpicuum, qui ſcribit à Nouato in Africa cõnſtitutum Epiſcopum Nicoſtratum, & ex ipſo etiam
Cypriano, dum de Nicoſtrato: Quomodo, inquit, adſumit ſibi regendæ Eccleſiæ curam, qui
Epiſt.45 ſpoliauit & fraudauit Eccleſiam? Neque verò his omnibus contentus Cyprianus, etiam hoc
Epiſt.52 Tom.3. præſtitit ſchiſmatis ſoluendi cauſa, vt ſingulos in Italiam nauigantes hortaretur, vti Eccleſiæ
Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent: & ad ſingulos collegas qui adhuc hæſitabant, de
legitima Cornelii electione litteras daret: inter quas vel præcipua eſt illa ad Antonianum. Im-
mò & ad Nouatianum, quòd ſpes veniæ lapſis non ſit deneganda, ſcripto libro latè proſecutus
eſt. Dum hæc in Africa geruntur, celebrata eſt & Synodus Antiochena contra Nouatianum,
Euſebio teſte Eccleſ. hiſt. lib 6. cap. vltimo, cui Dionyſius Alexandrinus, Helenus Tharſi
Ciciliæ, Firmilianus Cappadociæ, Theotecnus Paleſtinæ, & Fabius Antiochiæ Epiſcopi in-
terfuêre. Quorum Dionyſius ſtrenuam etiam nauauit operam pro Eccleſiæ vnitate, ſcriptis
tum ad ipſum Nouatianum, tum ad Confeſſores & ad Cornelium litteris. Alia item Concilia
id temporis celebrata aduerſus Nouatianum, per Italiam & alias Prouincias, teſtatur diſertis
verbis Euſebius dict. lib. cap. 33. Atqui Nouatiani quæ fuerit de pœnitentia hæreſis, ne hîc ſim
prolixior, reperiet lector Epiſtola ad Antonianum, & latiùs in Adnotationibus. Quod chriſma
Epi.52. quoque Nouatiani contempſerint, demonſtrauimus Epiſtola ad Stephanum. Quod denique
ſecundas damnarint nuptias, nullum quidem eſt in Cypriano iudicium, ſed vno id ore adteſtan-
tur Epiphanius, Philaſtrius, Auguſt. & Theodoretus, libris dè hæreſibus. Nouatiano etiam
Epiſt.73 adtribuit D. Hieronymus [præter Epiſtolas quarum meminit Epiſtola ad Paulum Concor-
dienſem] Catal. ſcript. Eccleſ. librum de Trinitate, quaſi Epitomen operis Tertulliani, quod
plerique neſcientes Cypriani olim exiſtimabant; quo quædam contineri, iis fauentia qui Spiri-
tum ſanctum blaſphemabant, tradit Rufinus Apologia in Diuum Hieronymum.

Porrò Anno Domini 253. Imperator. Cæſar. C. Vibio Treboniano Gallo Auguſt. II. &
Imperator. Cæſare C. Vibio Auguſti filio Voluſiano Auguſt. Conſulibus, celebrata eſt Car-
thagini ſecunda de Lapſis Synodus, Idibus Maiis; idque iam inſtante altera perſecutione.
Imperator enim Gallus, quum regnum ſuum [inquit Dionyſ. Alexandr. apud Euſeb. lib. 7.

cap. 1.) floreret initio, & cuncta ei ex ſententia ſuccederent; ſanctos viros qui pro pace regni eius Deo ſummo ſupplicabant, perſecutus, & proſperitatem fugauit & pacem. In hoc Concilio factum eſt Epiſcoporum Africæ nouum de lapſis decretum, quod ipſum Cornelio Pontifici ſuis litteris in hæc verba indicarunt. Placuit nobis ſancto ſpiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra militem Chriſti; & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare, immo pugnaturis arma ſuggerere; quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. In eodem Concilio (teſte Cypriano) quum Priuatus vetus hæreticus cauſam agere ſe velle diceret, nec admiſſus eſſet; Fortunatum ſtatim Carthagini Pſeudepiſcopum fecit, vna cum quinque illis Preſbyteris Feliciſſimi, de quibus ſuprà adeò (vti loquuntur etiam poſt Cyprianum Optatus & D. Auguſtinus) altare contra altare conſtituit. Hi quinque ſoli numero cum paucis vel ſacrificatis vel malè ſibi conſciis, non veriti ſunt iactitare 25. Epiſcopos Fortunati ordinationi interfuiſſe. Quo in mendacio poſteaquam detecti ſunt in Africa atque confuſi, Romam quoque cum mendaciorum ſuorum merce nauigarunt, & ad Petri Cathedram, inquit, atque ad Eccleſiam principalem vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt à Schiſmaticis literas ferre auſi ſunt. Quæ quidem multis in Cyprianum erant refertæ calumniis; verum vel hoc vno ipſius ſanctitas teſtata eſt, quod iis ipſis diebus quibus hæc ſcripſit, ob ſacrificia quæ edicto propoſito celebrare populus iubebatur, clamore populariuin ad Leonem in circo denuò poſtulatus fuerit; hac tamen perſecutione Dei protectus auxilio. Immò velut imperterritus Chriſti miles, non eſt veritus Demetrianum Proconſulem ſcripto libro increpare durius; & latius comprobare, quod bella illa quibus Decii interfecti ſunt, & quæ imperantibus Gallo & Voluſiano perdurarunt, ac lues illa quæ totum tunc orbem peruagata eſt per annos 15. non Chriſtianis, ſed ethnicis ſiue gentilibus (vti ipſe loquitur) imputanda veniant, eo quod Chriſto bellum indicerent. Quæ peſtis quum occaſionem dederit conſcribendis libris de Mortalitate ac opere & Eleemoſynis; ſatis conſtat, hac temporum ſerie illos à Cypriano editos. In ipſa verò tam vaſta corporum clade, quantum operæ impenderit, tum in eleemoſynis colligendis, tum in miniſterio neceſſario etiam ethnicis impendendo, latè tractat Pontius. Et verò etiam in omnes pauperes miram ipſius largitionem, teſtatam facit Epiſtola ad Epiſcopos Numidas, qua eum miſit in redemptionem captiuorum ſeſtertiorum decem millia; quod hoc ferè eodem contigiſſe tempore, ex eo fit veriſimile, quòd à Barbaris illos in captiuitatem abductos ſcribit. A Gotthis enim ſiue Schytis hoc factum eſt, contra quos Decius in bellum profectus eſt; aut ab illis, qui paulò poſt per Boſphorum (teſte Ioan. Zonara) in Pontum Euxinum irruperunt. Fortaſſis & tum temporis, vt ſuos ab idololatria dehortaretur, librum ſcripſit: quod idola dii non ſunt: in quo aut ipſum imitatur ad verbum, qui eadem ætate iuxta Freculphum vixit, Minutius Felix in Octauio, aut ſi ipſum is præceſſerit (vti volunt alii] Minutium imitatus eſt Cyprianus. Porrò neque ceſſaſſe eum à ſolita exhortatione ad Martyrium, tum liber inſcriptus de exhortatione Martyrum ad Fortunatum: tum ad Thibaritanos, & Cornelium iam in exilio conſtitutum, Epiſtolæ ſatis comprobant. Nam cum primum Cornelius, & Centumcellas miſſus eſt in exilium, & non ita diu poſtea 18. Kalendas Septembris paſſus eſt, poſtquam duos ſediſſet annos & menſes aliquot. De qua Cornelii paſſione, & quod illius occaſionem quamdam dederit Cypriani Epiſtola, de qua modo diximus, videat lector Damaſum in Pontifical. & Adonem in Martyrologio: quæ quum & inſcribatur & tractet de confeſſione Cornelii, planè cenſeo legi debere apud Damaſum de ſua confeſſione, pro eo quod eſt, confirmatione: & ex Damaſo reſtituendus Ado, vt legatur: per Celerinum Lectorem: vbi eſt, de Celerino Lectore. Cornelio autem eodem anno, menſe vel Octobri vel Nouembri (nam hic etiam variant ſcriptores & ipſe Onuphrius) Lucius ſucceſſit Porphyrii filius, Romanus, qui & ſtatim ab ordinatione ſua in exilium, eadem Galli & Voluſiani perſecutione, miſſus eſt. Atque hoc eſt quod Epiſtola ad Lucium, quæ exſtat, ſcribit Cyprianus. Nuper quidem tibi, frater chariſſime, gratulati ſumus, quum te, honore geminato, in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione, confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit diuina dignatio. Alludens ad Epiſtolam priorem quæ deſideratur, qua illi ſe de exilio pro Chriſti nomine gratulatus fuerat.

Epiſt. 4. Epiſtol. 55. Tom. 2. Epiſtol. 60. Tom. 1. Epiſt. 56 & 57. Epiſt. 58

Anno Domini 254. Voluſiano Cæſare & M. Valer. Max. Conſulibus, Lucius ab exilio reuerſus eſt. Gallo enim & Voluſiano Imper. fraude Æmiliani interfectis, & ipſo deinde Æmiliano poſt tres menſes extincto, initio Imperii Valer. & Gallieni ceſſauit aliquantulum perſecutio. Huius reditum quum intellexiſſet Cyprianus, dicta Epiſtola concelebrat, quam conſcriptam conſtat in Concilio quodam, eò quod etiam collegarum nomen ſit additum in Epiſtolæ inſcriptione. Et certè illud ipſum fuiſſe Concil. Epiſcoporum 66. de baptizandis infantibus, è quo ſcripta eſt ad Fidum Epiſtola; mihi fit veriſimile, tum ex eo quod ſcripta ſit illa poſt vtramque Synodum de Lapſis, tum quod vtriuſque Epiſtolæ ἐπιγραφὴ ſatis inter ſe conueniat, & alibi ſimilis vix dum reperiatur; quippe quum vna ſit: Cyprianus & collegæ; altera: Cyprianus cum collegis. Ipſe verò Lucius Pontifex etiam Synodum quampiam celebraſſe videtur contra Nouatianos, & de Lapſis; nam dandam eſſe pacem (teſte Cypriano) cenſuit, & pœnitentia acta, fructum communicationis & pacis negandum non eſſe, litteris ſignauit; at deſideratur hoc ipſius decretum. An verò hoc temporum tractu, an poſtea, ſcripta ſit Epiſtola Cypriani ad Aſſur-

Epiſt. 59 Epiſtol. 67.

Epiſt.62 ritanos de Fortunatiano ipſorum Epiſcopo, non perinde certum eſt, quare etiam illam in va-
& 63. riarum claſſem reiecimus. Inter quas (vt hoc obiter dicam) ſi quæ aliæ, lectu profectò ſunt di-
Tom. 2. gniſſimæ Epiſtolæ ad Pomponium de virginibus, & ad Cæcilium de ſacramento calicis. Fortè
eadem ætate conſcripti ſunt libri illi tres teſtimoniorum ad Quirinum: quandoquidem tunc
pluſculum illi otii fuerit. Præter quos ſcripturarum veluti locos communes, nullum in ſcri-
pturas commentarium edidit. Quum enim totus eſſet (inquit ad Paulam D. Hieron.) in exer-
citatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtiis, de ſcripturis ſanctis nequaquam diſ-
ſeruit. Quare fallitur Paulus Diaconus, dum in Euangelia optimè illum peroraſſe ſcribit; atque
eiuſdem eſt momenti, quod adfert de ipſius Chronica. Hoc tamen diffiteri nemo queat, qui
indicem ſcripturarum ab illo citatarum inſpexerit: quod etſi ex inſtituto illas non explicauerit,
innumeros tamen locos velut aliud agens elucidauerit. Verum ad hiſtoriæ ſeriem reuertamur.

Anno Domini 255. Imperatoribus Cæſaribus P. Licinio Valeriano Aug. II. & P. Licinio
Gallieno Aug. Conſulibus, martyrii palmam promeruit Lucius Pontifex, 4. nonas Martias,
poſtquam duas menſe Decembri ordinationes celebraſſet, & annum vnum ſediſſet cum aliquot
menſibus. Neque verò multo poſt menſe Aprili ſucceſſor illi creatus eſt Iulius Stephanus Iulii
filius etiam Romanus: anteà ipſius Archidiaconus, cui & theſaurum Eccleſiæ (teſte Damaſo)
moriens concrediderat. Huius Pontificatus initio, quum Martianus Arelatenſis Epiſcopus ad
Nouatiani ſchiſma & hæreſim defeciſſet, Cyprianus certior factus per Fauſtinum Lugdunen-
ſem Epiſcopum, ſtatim Stephano ſcripſit, vt Martianum ab Eccleſia eiiceret, & alium Epiſco-
Epiſt 67 pum in ipſius locum ſubſtitueret. Eodem verò anno celebratam exiſtimo poſt Paſcha Synodum
Epiſt.68 illam Africæ Epiſcoporum 37. aduerſus Baſilidem Aſturicenſem & Martialem Emeritenſem
in Hiſpaniis Epiſcopos lapſos: in qua (Cypriano teſte qui illi præfuit) pronunciatum eſt, iux-
ta Decretum Cornelii in Concilio Romano, de quo ſuprà, ab omni honore ſacerdotali prohi-
bendos illos eſſe; atque adeò comprobata eſt electio Felicis & Sabini in ipſorum locum. Tunc
etiam celebrata Concilia illa Orientalium de rebaptizandis hæreticis, ex eo mihi colligere vi-
deor: quod paulò poſt ſcripſerit Stephanus ad Firmilianum, Helenum & cæteros, qui illis in-
terfuerant, communicaturum ſe illis, quamdiu in ea ſententia perſiſterent. Horum alterum
apud Symnada, alterum apud Iconium Phrygiæ oppida, commemorat Dionyſius Alexandri-
Epiſt.75 nus Epiſtola ad Fabium apud Nicephorum. De quorum hoc in hæc verba Firmilianus ad Cy-
prianum: Planè (inquit) quoniam quidam de eorum baptiſmo dubitabant, qui, etſi nouos
Prophetas recipiunt & κατὰ φρυγὰς appellantur, eoſdem tamen Patrem & filium noſſe nobiſ-
cum videntur; plurimi ſimul conuenientes in Iconio, diligentiſſimè tractauimus & confirma-
uimus, repudiandum eſſe omne omninò baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum. Ad
quod conueniſſe idem teſtatur, ex Galatia, Cilicia & propinquis regionibus Epiſcopos; Aug.
Epi.70. verò numero 50. fuiſſe dicit lib. 3. contra Creſconium Gramm. c. 3. Et fortaſſis eodem anno,
bis enim in anno quando neceſſitas Eccleſiæ requirebat, vſitata fuerunt olim concilia inter Paſ-
cha nempe & Pentecoſten, menſe Septembri vel Octobri, celebratum eſt primum Africanum
eadem de re concilium, Epiſcoporum Africæ dumtaxat, quos conſtat fuiſſe 32. ex inſcriptio-
ne epiſt. ad Ianuarium & cæteros Numidas Epiſcopos, qui quæſtionem Cypriano mouerant.
Niſi quis malit, anno ſequenti, & hoc & alia duo Africana celebrata dicere. Neque enim ma-
gnopere refert, modò mihi concedatur, tria omninò in Africa fuiſſe ſub Cypriano de rebapti-
zandis hæreticis Concilia, & non niſi ſub Stephano contigiſſe hanc tragœdiam. Quorum illum
Epiſt.73 tum ex D. Aug. conſtat lib. 3. de bapt. contra Donatiſt. cap. 10. tum ex Epiſtola Cypriani ad
Rom. 2. Iubaianum, & Initio Concilii Carthaginienſis. Hoc verò comprobatur ex D. Hieron. contra
Lucifer. Auguſtino compluribus in locis, & Vincentio Lirinenſi in libello aduerſus profanas
hæreſum nouitates qui conſtanter Stephani mentionem faciunt hac de re ſcribentes, & nuſ-
quam Cornelii. Item ex Nicephoro, qui lib. 6. c. 7. Dionyſium Alexandrinum primam de hoc
Epiſt.16 & 73. baptiſmo Epiſtolam ad Stephanum ſcripſiſſe tradit; quam haud dubiè ad Cornelium ſcripſiſſet,
ſi ſub eo cœpiſſet hæc controuerſia. Conuincit etiam hoc ipſum Epiſt. Cypriani 2. ad Stepha-
num, qua primum cum illo communicat & confert tamquam rem nouam ſuam & collegarum
Epi. 17. hac de re in vtroque Concilio ſententiam. Scripſit autem ſtatim poſt primam Synodum eiuſ-
dem argumenti Epiſt. Cyprianus ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum. Fuit interim quæſtio
non tam de rebaptizandis quàm de baptizandis hæreticis; quippe quum ipſorum baptiſma
non haberet pro legitimo Cyprianus; alioqui certè, ab Anabaptiſmo prorſus alienum ſe com-
monſtrat Epiſt. ſupradicta ad Cæcilium, vbi negat baptiſmum iterari poſſe. Quem etiam ita
Epiſt.63 abominatur D. Auguſt. vt diſputet, ſatius ne ſit non baptizari, quàm rebaptizari, lib. 2. de
baptiſ. contra Donat. cap. 24. Neque verò vlla de Lapſis baptizandis (in quo hallucinatur
Nicephorus) fuit diſceptatio, quum iam anteà illi in Catholica baptizati forent.

Anno Domini 256. Imperatoribus Cæſaribus Valeriano III. & Gallieno II. Conſuli-
bus, celebratum eſt ſecundum Epiſcoporum Africæ & Numidiæ Concilium; in quo non
modò baptizandos eſſe qui ex hæreſi reuertebantur decretum eſt, ſed & illud, ne Epiſco-
Epiſt.72 Epi 67. pi aut Preſbyteri ab iiſdem redeuntes, alia conditione recipiantur, quàm vt communicent
Epiſt.73 laici, id eſt, in ordine laicorum. Exſtat hæc vtraque definitio, dicta ad Stephanum Epiſtola:

quo magis miror dicere D. Auguſt. lib. 6. de bapt. cap. 15. nihil continere de baptiſmo Epiſtolam Cypriani ad Stephanum; vidiſſe adeò illum ſuſpicor Epiſtolam primam ad Stephanum dumtaxat, de qua ſuprà. Ex Epiſtola autem ad Iubaianum, Epiſcopos 71. huic Synodo interfuiſſe conſtat. Quæ ipſa Epiſtola ſcripta eſt accepto reſponſo à Stephano. Quod quidem hodie deſideratur; verùm multa inde citantur, tum hac ad Iubaianum, tum ad Pompeium Cypriani, & ad Cyprianum Firmiliani Capadociæ Epiſcopi Epiſtolis; quæ tres ex propo- Epiſ.74
ſito aduerſus eam Stephani Epiſtolam conſcriptæ ſunt. Niſi malit quis, binas eadem de re & 75.
ſcripſiſſe litteras Stephanum. Cui fauere videtur, quod aliquandiu poſt Epiſtolam ad Iubaianum ſcriptæ videantur dictæ ad Pompeium & Firmiliani Epiſtolæ, immò & poſt Carthaginienſe Concilium tertium: Quod hic ipſo anno celebratum conſtat Carthagini, Calendis Septembris, Epiſcoporum numero 87. ex Africa, Numidia, & Mauritania, quo- Tom. 1.
rum omnium etiamnum exſtant ſententiæ. Atqui vt ad Stephanum recurrat oratio, ex verbis his ipſius: Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditum eſt, vt manus imponatur; conſtat vrſiſſe illum, non tam ſcripturas, quàm traditionem Eccleſiæ contrariam, eámque Apoſtolicam. Quæ enim (inquit D. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſ. cap. 8. verba illa pertractans) per vniuerſam Eccleſiam cuſtodiuntur, non niſi ab Apoſtolis tradita & commendata credi oportet, etiamſi in litteris eorum non reperiantur. Quare rectè Vincentius Lirinenſis: Primus (inquit) omnium Agrippinus Carthaginienſis Epiſcopus, contra diuum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium ſacerdotum, contra morem atque inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Neque tamen etiam ab Agrippino ad Cyprianum vſque, in vſu fuiſſe dictum Decretum, pulchrè argumentatur hoc pacto D. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſ. cap. 12. Cæterùm [inquit] ſi permanebat ab Agrippino vſque ad Cyprianum conſuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, vt quid facta ſunt à Cypriano hac de re Concilia? Vt quid Iubaiano dicit, non ſe rem nouam facere aut repentinam; ſed ab Agrippino inſtitutam? Cur enim Iubaianus de nouitate turbaretur, ſi ab Agrippino vſque ad Cyprianum hoc tenebat Eccleſia? Cur denique tot eius collegæ in Concilio dixerunt; rationem & veritatem conſuetudini præponendam, ac non potiùs dixerunt, eos qui aliud facere vellent, & contra veritatem & conſuetudinem facere? Anteà certè ante Agrippinum, vſitatam fuiſſe de non rebaptizandis hæreticis conſuetudinem etiam in Africa, ſatis oſtenditur [inquit idem Auguſt. lib. 2. de Baptiſm. cap. 9.] ex ipſius B. Cypriani verbis in eadem ad Iubaianum Epiſtola. Ait enim. Sed dicit aliquis: Quid ergo fiet de iis, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine baptiſmo admiſſi ſunt? Vbi certè quid fieri ſoleret, etſi fieri non vellet, ſatis oſtendit. Firmilianus quidem dicta ſua Epiſtola dicit, conſuetudini Romanorum opponere ſe contrariam ſuorum conſuetudinem. Verùm ipſæ cauſſæ ſuæ ſeruiebat, & pluſculum profecto ſibi ſapere videbatur. Licebit enim & aduerſus illum cum Auguſt. arguere: Si conſuetudo talis fuit in Oriente; quod opus fuit, huius rei gratia, nouum in Iconio indici Concilium? Quocirca non contentus Stephanus, ſua illa definitione, traditionis veritatem proponere; etiam Firmilianum & Collegas Orientales communicatione ſua abſti- Epi.75.
nuit, quamdiu in ſuo inſtituto perſiſterent. Quod ipſum & feciſſe illum de Cypriano ac coëpiſcopis, indicare videntur D. Auguſt. lib 5. de Baptiſm. cap 25. & Firmilianus in Epiſtolæ ſuæ Epi.74.
calce. Ipſe è contrario Cyprianus, quantumuis ad Pompeium duriuſculè quædam in Stephanum irritatus profuderit; ab Eccleſia tamen ſe ſeparare noluit; & cum ipſo etiam Sthephano Epi.75.
concordiam & pacem noluit labefactare. Atque hoc eſt quod Epiſtola ad Iubaianum ſcribit: Seruatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, concordia ſacerdotij. Propter hoc etiam libellum de bono Patientiæ conſcripſimus. Vbi paucis occaſio- Tom. 2.
nem indicat ſcripti dicti libelli; qua ipſa de cauſſa, vt ſuos collegas à liuore & inuidia in Stephanum alienos redderet, librum etiam de zelo & liuore in lucem edidit. Atqui quis (inquit Lirinenſis) totius huius negotii exitus? quis vtique, niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt antiquitas, exploſa nouitas. Quid? ipſius Africani Concilii quæ vires? Donante Deo nullæ; ſed vniuerſa, tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt. Et, ô rerum mira conuerſio, auctores eiuſdem opinionis Catholici; conſectatores verò, hæretici iudicantur. Nondum enim [inquit Auguſt. lib. 2. de baptiſm. cap. 7.] erat diligenter illa baptiſmi quæſtio pertractata, ſed ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia. Quam tamen conſuetudinem, niſi ante prior Agrippinus & nonnulli per Africam coepiſcopi etiam per Concilii ſententias diſſerere tentauiſſent, non auderet Cyprianus ſaltem ratiocinari aduerſus eam; ſed in tam obſcura quæſtione turbatus, & vbique intuens vniuerſalem robuſtamque conſuetudinem, coarctaret ſe potiùs, & prece, & teſtatione mentis in Deum, vt quod poſteà plenario Concilio viſum eſt, id verum eſſe perſpiceret & doceret. Quum enim ſecutum ſe dicat ſententiam dicti Concilii; hac atteſtatione ſatis oſtendit, multò magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod de hac re tranſmarinum vel vniuerſale Concilium factum eſſet. Poſtea verò, dum inter multos ex vtraque parte tractatur & quæritur, non ſolùm inuenta eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque deducta: poſt Cypriani quidem paſſionem: ſed antequam [inquit] nos nati eſſemus: & fortaſsè etiam factum eſt [ait idem Auguſt. lib. 2. cap. 4.] vt veritati patefactæ ceſſerit, ſed neſcimus. Neque enim omnia quæ in illo tempore inter Epiſcopos

geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandare potuerunt, aut omnia quæ mandata ſunt, nouimus. Cui ſimilia in Cypriani excuſationem habet idem Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincentium Donatiſtam in hæc verba; Correxiſſe illum ſententiam, non inuenitur; non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt quod correxerit, & fortaſsè ſuppreſſum eſt ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Aut igitur hoc non ſenſit omninò, aut hoc poſtea correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi næuum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum & vnitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis copioſiſſimè defendit, & perſeuerantiſſimè retinuit vinculum pacis. Acceſſit etiam huc, quòd tamquam ſacramentum fructuoſiſſimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgauit pater falce paſſionis. Hæc ille, de Cypriani correctione adhuc ſuſpenſam retinens ſententiam. D. Hieron. etiam Dial. contra Lucifer. Epiſcopos quidem, qui cum Cypriano rebaptizandos hæreticos ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuolutos, nouum ſcribit emiſiſſe decretum, ſed de Cypriano tacet. Verùm Dionyſius Alexandrinus, verbis infrà citatis in præfatiuncula ad Concilium Tom. 2 Carthaginienſe, videtur retractationem quamdam etiam ipſi Cypriano adſcribere, quum ad Stephanum ſcribens, cui ille ſuperuixit, omnes vbique Antiſtites cum ipſo ſentire adſerit. Et certè Ven. Beda libello 8. Quæſt. quæſt. 5. diſertis verbis Cypriani Palinodiam adſerit: Cyprianus [inquit] cum ſuis coepiſcopis qui erant in Africa, rebaptizandos eſſe hæreticos contra morem Eccleſiæ ſtatuit, ſed quia in ſuo ſenſu, qui ſibi rectus videbatur, bonis abundare operibus ſtuduit, mox corrigi meruit, atque ad vniuerſalem ſanctæ Eccleſiæ normam ſpiritualium virorum inſtitutione reduci. Neque verò obſtare poteſt huic ſententiæ quod D. Gelaſius apud Gratianum Diſt. 15. Romana Eccleſia, inter Apocrypha numeret librum de Pœnitentia Cypriani, quandoquidem neque nos vtamur illius libri teſtimonio, & Antoninus in ſumma Hiſtorali, de Cypriano apud Nicomediam paſſo conſcriptum illum tradat. Cuius generis enumerat etiam philacteria quædam titulo orationis Cypriani, quæ multos characteres & nomina dæmonum continebant. Vt interim ſit de Cypriano, certè non ſolùm Afri iuxta quod modò diximus, ſed & Orientales illi Epiſcopi qui Iconij & Synnadæ conuenerant, ſuum reſcidêre decretum. Cuius rei locuples teſtis eſt D. etiam Auguſt. lib. 3. contra Donat. cap. 1. 2. & 3. Poſtea verò & plenario ſiue œcumenico Concilio (quod Nicenum eſſe Epiſt. ad Iubaian. comprobauimus) Stephani ſententia confirmata eſt, & inde in hunc vſque diem ad nos per manus tradita. Soli olim Donatiſtæ, & Hilarius quidam, non (vti opinatur Ioan. Langus in Nicephorùm) Pictauienſis Epiſcopus, ſed Romanus Diaconus, denuò hanc camerinam mouerunt. At illos totis libris 7. de baptiſmo Auguſtinus, hunc vero Hieronym. egregiè refutat Dialog. contra Lucifer. Quorum vterque diſertis verbis dictam noſtram de Concilio Niceno confirmat ſententiam. Auguſt. quidem, dum lib. 2. c. 7. plenarium illud ſiue vniuerſæ Eccleſiæ Concilium, antequam natus eſſet, celebratum dicit, quod de Niceno veriſſimum eſt. Hieronymus verò in hæc verba: Synodus (inquit) Nicena omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis; vbi allludit ad 19. Canonem.

Anno Domini 257. M. Valerio Maximo, & M. Acilio Glabrione Conſulibus, celebratum Epiſ. 66 conijcio illud Africæ Concilium, è quo ſcripta eſt Epiſt. ad Furnitanos; eo quòd Geminius Epiſ. 65 ille victor Epiſcopus, quem illic defunctum conſtat, Synodo Carthaginienſi anno præcedenti interfuerit. Ex quo etiam ſcripta videtur illa ad Rogatianum Epiſcopum Epiſt. de ſuperbo Diacono, ob ſimile vtriuſque exordium Si autem viuo adhuc Stephano) quod indicare videtur loco ſuprà citato Dion. Alex.) ſuam ſententiam retractarint Orientales & Afri Epiſcopi; oportet vt conuenerint duo Concilia hoc anno aut ſequenti, alterum in Oriente, alterum in Africa; in quibus priori contrarium Decretum ediderint. Nam altero horum annorum paſſum conſtat B. Stephanum Pontificem, variant enim hiſtorici. Onuphrius quidem in Chronico, in hunc annum paſſionem illius reiicit, quem ſi ſequamur, ſedit ille dumtaxat annos duos & menſes aliquot; quod ſentit quoque Euſebius & in chronico & in Eccl. hiſt. Verùm, quum Marianus Scotus & Martinus Polonus 4. Ado, Rhegino, & Platina 7. illi annos adtribuant; magis placet eiuſdem Onuphrij in Epitome Pontificum prior ſententia, de tribus annis. Quippe quæ confirmetur his verbis Damaſi: Fuit temporibus Valer. & Gallieni (ita enim lego, pro, Gallicani) & Maximi (cui adiiciendum cenſeo, ac Glabrionis) vſque ad Valerianum quartò & Gallienum tertiò conſules. Cùm igitur Conſules hi in ſequentem annum inciderint, neceſſe eſt tres annos Stephano tribuamus, & apud eumdem Damaſum legere oportrebit 3. pro eo quod 7. eſt enim facilis error in numerorum notis. Atque adeò etiam Xiſto Pontifici non annum integrum & menſes 10. aut 11. cum aliquot diebus contribuere licebit, ſed dumtaxat menſes 11. dies 13. qui computantur ab XI. Cal. Sept. quo die creatum ſcribit Onuphrius in dicta Epitome, vſq; ad VIII. Idus Auguſt. Tuſco & Baſſo Conſulibus. Quod ipſum confirmari videtur ex Euſebio, apud quem in vtroque libro legitur ſediſſe Sixtus, annos XI. ſi ibi legamus menſes 11. Sed quum hæc omnia meris coniecturis nitanrur, liceat & hic vnicuiq; ſequi quod volet; modò tamen in hoc mihi & Onuphrio conſentiat, quod paſſus ſit Xiſtus Papa ante Cyprianum dictis Epiſ. 75 Conſulibus. Pro mea interim illud facit ſententia, quod Firmilianus Epiſt. ſua dicat 22. ferè annos interceſſiſſe ad id vſq; temporis ab initio perſecut. ſub Max. qui inueniri iuſto calculo nequeunt, niſi adnumerentur Stephan. anni 3 præſertim quum illo adhuc viuo, ſcripta ſit illa Ep.

Anno Domini, mea quidem ſententia, 258. Imperat. Cæſaribus, Valeriano IV. & Gallieno III. Conſulibus, paſſus eſt Stephanus Martyrium IV. Nonas Auguſti, quod latiſſimè deſcribitur ab Adone in *Act. pa.*
Martyrologio; & paucis interiectis diebus, creatus eſt Pontifex Xiſtus eius nominis ſecundus, Philoſophi filius, Athenienſis, Græcus. Et deinde 3. Calend. Septembres, Cyprianus Chriſtum publicè profeſſus, proculdubio hoc anno, à Proconſule Aſpaſio Paterno Curubin in exilium relegatus eſt. Qui Proconſul an idem ſit cum Ouinio Paterno, qui aliquot poſt annis Conſulatum Romæ geſſit, aliorum permitto diſquiſitioni. Curubis verò oppidum eſt, mari Lybico, Peninſulæ in morem circumdatum, haud procul à Pentapoli; locus apricus & amœnus, teſte Pontio Diacono qui Cyprianum ſpontaneus exul comitatus eſt. Huc quum veniſſet Cyprianus, mox ex viſione quadam [qualique frequentiſsimè vtebatur, & plurimum tribuebat) dicit, ſe intra annum ipſo die Martyrii corona decoratum iri, quo primum illic hoſpitio exceptus fuerat. Neque verò etiam in exilio ocioſum fuiſſe Cyprianum, teſtan- *Epiſt. 77*
tur inde ad Martyres conſcriptæ litteræ, quos ad extremum vſque vitæ diem non deſtitit ad mortem *Epiſt 78 79 & 80*
pro Chriſto obeundam adhortari. Inter has exſtat inſignis illa Epiſtola ad Nemeſianum, Lucium & *Epiſt. 81*
alios Epiſcopos ad metalla damnatos. Quibus adeò etiam, etſi in exilio conſtitutus, ſubſidium vitæ miſit; vti ex tribus illorum reſponſis conſtat. Item illa ad Rogatianum Iuniorem in carcere conſtitutum, de Martyrio Rogatiani ſenioris. An verò hoc anno, an ſequenti paſsi ſint 300. illi Maſſæ candidæ Martyres, de quibus in actu paſsionis Cypriani Pontius ac Prudentius, & Martyrologia ad 2. Auguſti, non ſatis conſtat; ſub Valeriano tamen & Gallieno paſſos vno ore teſtantur omnes; ita dictos, quod in clibanum calcis ardentis demerſi fuerint.

Anno denique 259. M. Aurelio Memmio Tuſco, & Pomponio Baſſo Conſulibus (Tuſcum enim nuncupant Damaſus, Camodorus, Faſti Græci, Marianus Scotus, Gregorius Alexander, Chriſtianus Maſſæus, Ioan. Cuſpinianus, & Ms. tres codices in Actu paſſionis Cypriani; quum Fuſcum ſoli appellant Trebellius Pollio, Fl. Vopiſcus, Onuphrius, ac Hubertus Goltſius) decreta eſt à *Epiſt. 82*
Cæſaribus veluti noua quædam & acerba magis quàm antea, perſecutio; de qua ita ſcribit Epi. ad Succeſſum Cyprianus: Reſcripſit Valerianus ad Senatum, vt Epiſcopi & Preſbyteri & Diaconi in continenti animaduertantur; Senatores verò & egregii viri, & equites Romani, dignitate amiſſa etiam bonis ſpolientur, & ſi ademptis facultatibus Chriſtiani eſſe perſeuerauerint, capite quoque mulctentur. Subiecit etiam Valerianus Imperator orationi ſuæ exemplum literarum, quas ad Præſides prouinciarum de nobis fecit; quas litteras quotidie ſperamus venire. Xiſtum autem in cœmiterio animaduerſum ſciatis octauo Iduum Auguſtarum die, & cum eodem Quartum. Sed & huic perſecutioni quotidie inſiſtunt Præfecti in vrbe: vt ſi qui ſibi oblati fuerint, animaduertantur, & bona eorum fiſco vindicentur. Hactenus ille. Conſtat autem hinc, paulo antè paſſionem Cypriani paſſum Romæ Xiſtum Pontificem; quæ quum contigerit Tuſco & Baſſo Conſulibus, ipſo anno obiiſſe Xiſtum dicamus, neceſſe eſt; præſertim cum dictæ Cypriani Epiſtolæ meminerint Martyrologia Bedæ, Adonis & Vſuardi, ac Marianus Scotus, qui etiam diſertis verbis adſerit, martyrio coronatum Xiſtum dictis Conſulibus. Cum Xiſto verò paſſos ſcribunt tum B. Quartum, tum Feliciſſimum & Agapitum Diaconos, ac Ianuarium, Magnum, Vincentium [ſeu potius, iuxta Platinam, Innocentium] & Stephanum Subdiaconos. Quem etiam poſt triduum IV. Idus Auguſti ſecutus eſt D. Laurentius ipſius Archidiaconus, cui theſauros Eccleſiæ aſſeruandos tradiderat. Deinde etiam altero elapſo triduo Hipolytus cum aliis 19. Atque hoc eſt quod ſuperioribus verbis ſcribit Cyprianus, quotidie Romæ Præfectos perſecutioni inſtitiſſe. Atqui Cyprianus, quum iam ab exilio reuocatus, per hos dies ex ſacro reſcripto [ita vocabant edictum Imperatorum) in hortis ſuis moraretur, & nunciaretur, *Epi. 83.*
miſſos eſſe Lictores qui illum Vticam perducerent; ſeceſſiſſe iuſta de cauſſa ſcribit ad aliquot dies; quod congrueret, Epiſcopum in ea ciuitate in qua Eccleſiæ Dominicæ præeſt, Dominum confiteri. In qua etiam Epiſtola ſuos monet, ne ſe vltrò tradant, dicens diſciplinam Dominicam id prohibere; quod ipſum denuo ab illo repetitum in paſſione, citat D. Auguſt. lib. 1. contra Epiſt. Gaudentii, qui perperam ſecundus inſcribitur. Exſpectabat igitur Cyprianus in abdito ſeceſſu Proconſulis aduentum, quum repente ſuperuenerunt Idibus Septembris duo Magiſtri officii ſiue Adparitores, qui eum ad Galerium Maximum, nouum proconſulem forraſſis eumdem qui Valerius Maximus nuncupatus, bis iam antea Romæ Conſulatum geſſerat) pertraherent. A quo dilatus in craſtinum, Deo *in Act.*
ita deſtinante, vt interea de rebus Eccleſiæ diſponeret, poſtridie XVIII. Calendas Octobreis ad *Paſſ.*
Prætorium perductus eſt. Vbi à Proconſule hanc excepit ſententiam: Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet. Atque inde eductus in locum qui dicebatur Sexti, eam orationem pronunciaſſe creditur, quæ titulum habet: in die paſſionis eius: ac ita capite plexus Martyrium ſubiit, & vitam hanc caducam cum ſempiterna commutauit. Primus [inquit Pontius] qui ſacerdotales coronas in Africa ſuo ſanguine imbuerit. Paſſos vero cum illo reſtantur Martyrologia, Victorem Diaconum, Creſcentianum, Roſulam, ac Generalem. Atqui corpus ipſius cum cereis ſepultum eſt in areis Macrobii Candidi Procuratoris, quæ ſunt iuxta piſcinas in via Appellenſi, ſeu potius Mappalienſi. Teſtatur enim Victor Vticenſis lib. 1. dirutas à Vandalis duas egregias Eccleſias S. Martyris Cypriani, vnam vbi ſanguinem fudit, aliam vbi eius ſepultum eſt corpus, qui locus dicitur Mappalia. Cætera quæ in hac paſſione contigerunt, latiſsimè proſequitur Pontius, Actus paſſionis vterque D. quoque Auguſtin. & Paulus Diaconus; quare ad illos Lectorem remitto. E quibus plus ſatis conſtat, paſſum Cyprianum, vti iam diximus, ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus; quod ipſum etiam teſtantur Euſebius in hiſtor. & chronico, Hieronym. catal. ſcript.

Beda in chronico, Haymo de Chriſt. rerum memoria, Freculphus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Gregorius Turonenſis in Francorum Annalibus, Marianus item Scotus, Nicephorus, Martinus Polonus, Hermannus Contractus, Vincentius Bellouacenſis, Antoninus, & I. Philippus Bergomas Hiſtorici. Verum de Xiſto non item, quem Martyrologia & complures [quemadmodum etiam de Cypriano ſentiunt Gregorius Nazianzenus, Symeon Metaphraſtes, Ioannes Zonaras, & alii quidam) ſub Decio paſſum volunt; cuius etiam Decretalis Epiſtola ſcripta legitur Valeriano & Decio conſulibus. Huius diſcrepantiæ conciliandæ gratia, Marianus anno poſt hunc ſecundo, quo in faſtis ponuntur Cornelius Sæcularis II. & D. Iunius Donatus Conſules, ponit Decium Cæſarem & Valerianum; ſed quum ipſemet fateatur, paſſum Xiſtum Tuſco & Baſſo Conſſ. non ſatis conſtat ſibi. Martinus Polonus dicit à Valeriano & Gallieno creatum quemdam Decium in Cæſarem, qui non fuerit Imperator, & Decius Iunior dictus ſit [fortaſſis alludens ad dictum D. Iunium] ac ſub hoc paſſum ſcribit D Laurentium. Et hanc ipſam ſententiam citat Antoninus; verùm placet illi magis Vincentii ſententia, vt Gallienus Imperator, etiam Decius cognominatus ſit. Ego verò, quandoquidem cum Ethnicis ſcriptoribus illa minus conueniant, probarim maximè alteram illam, quam etiam recenſet Marianus, & ad quam alludunt Martyrologia ſententiam; vt Decii ac Valeriani perſecutio pro vna reputetur, atq; adeò 16. aut plures recenſeantur anni perſecutionis Decianæ. Præſertim quum & D. Hieron. quantumuis alibi duas has perſecutiones diſtinctas faciat; in vita tamen Pauli Eremitæ ſub initium, Decium & Valerianum perſequutores ſimul iungat. Confirmatur verò ex eo hæc ſententia, quod ſtatim ab initio imperii ſui Decius, illum ipſum Valerianum qui poſtmodum Imperator extitit, Cenſorem Romæ conſtituit; atque adeò ſit veriſimile vnam ab vtroque perſecutionem indictam fuiſſe. Quod ipſum diſertis verbis habet Ioan. Zonaras Annal. Tom. 2. Decius (inquit) imperii amplitudine conſiderata, vt quidam aiunt, Valerianum collegam adſciuit; & vterque alterum cohortatus, perſecutionem atrociſſimam contra Chriſtianos inſtituerunt Porro (vt illud, ad hiſtoriæ Africanæ cognitionem maiorem adiiciam] ex eo quod Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Petilianum, Epiſcopos Carthaginienſes enumerat Cyprianum, & Lucianum, qui Cæcilianum præceſſerint, videtur Cypriano in Epiſcopatu ſucceſſiſſe Lucianus. Operæ pretium verò viſum eſt adiicere, quanto illum honore Lybies poſt obitum coluerint. De hoc enim Procopius apud Nicephorum lib. 17. c. 12. Cyprianum [inquit] virum ſanctum maximè omnium colunt Carthaginienſes, eique templum magnificum pro vrbis mœnibus ad litus maris ſtatuerunt. Atque præter multos alios cultus quos ei exhibent; feſtum quoque anniuerſarium diem celebrant, quem Cypriana nominant. Et eodem, quo feſtum eum conuentum, nomine tempeſtatem quamdam procelloſam appellare ſolent nautæ; quandoquidē in id tempus incidere ſolet. Hoc templum Vandali ſub Honorico Rege Catholicis Chriſtianis per vim ademptum euertère, eiectis inde cum magna contumelia ſacerdotibus; & deinceps id, vtpote Arrianis commodum, reſtaurarunt. Quum autem vicem eam dolerent atque deplorarent Lybies, perſæpe Cyprianum ferunt, in ſomnis quibuſdam apparentem dixiſſe: Chriſtianos minimè de ſe ſollicitos eſſe debere, ipſum enim ſe tempore ſuo vindicem atque vltorem fore. Eam rem (inquit) quum illi renuntiaretur, Iuſtinianus Imperator vt auſpicatum omen accepit. Et prædictio hæc oracularis, in Belliſari tempora recte incidit, quo duce Carthago, Romano imperio ſubiecta eſt, nonageſimo quinto anno poſtquam templum id à Chriſtianis eſt redemptum. Eo bello Vandali omninò ſunt expugnati, & Arrianorum opinio ex Lybia eiecta, Chriſtiani autem templa ſua recuperarunt, iuxta Cypriani Martyris prædictionem. Hactenus ille. Idipſum teſtantur tum 4. D. Auguſtini tractatus de natali Cypriani, quorum meminit Poſſidius in Indiculo, & ſermo habitus ad Menſam Cypriani de conductis in vineam; tum quod dicit ille Epiſtol. 120. ſe Pſalmum 72 expoſuiſſe, nocte qua illuceſcebat Beatiſ. Cypriani ſolemnitas. Alibi autem etiam illius diem feſtum iam olim celebratum, vt recentiores omittam & Martyrologia, in Oriente, id perſpicuum faciunt D.D. Nazianzenus & Symeon Metaphraſtes ſuis in illum Encomiis; in Occidente verò D. Prudentius hymno γ. περὶ στεφάνων, & Maximus ac Petrus Chryſologus ſermonibus de illo editis. Cæterum quæ de tranſlatione S. Cypriani inter Prolegomena collocauimus, ſua auctoritate Ado Viennenſis in ſuo Chronico ſub anno Chriſti 804. & Ado Treuirenſis Archiepiſcopus in ſuo Martyrologio 16. Kalend. Auguſti confirmarunt. Primum itaque anno Domini 802. Legati Caroli Magni Imperatoris, reuerſi ab Aaron Ammira Perſarum Rege, ſecum adtulerunt in Gallias D. Cypriani reliquias, ſub Leidrado Lugdunenſi Epiſcopo, cuius ſucceſſor fuit Agobardus à quo carmen illud conſcriptum eſt. Inde Carolus Ludouici Pii filius Caroli Magni nepos, ad Monaſterium nouum illa tranſtulit. Ab eius denique Monaſterii Abbate tum temporis domino eius territorii, Rothnacenſes noſtri illas ipſas D. Cypriani reliquias accepiſſe ſe gloriantur: Situs eſt is locus, medio fere inter Tonacum & veteres Neruios, quos Aldenardanos dicimus itinere; Collegiata Eccleſia inſignis Gratuletur itaque ſibi de tanto theſauro Belgium, nec minus quàm olim Africa feſtis laudibus tantum Martyrem proſequatur. Quod reſtat; ſi quid minus eruditum, minus concinnum, expolitum minus dixerim, humanì fragilitati ingenii adſcribendum Lector meminerit: ſi quid contrà, quo ad vitæ pietatem ac eruditionem promoueri queat, in hoc noſtro ſcripto atque adeò hoc opere repererit; non nobis, ſed Deo Opt. Max. acceptum referat. Cui laus & benedictio & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. Amen.

INDEX OPERVM OMNIVM
SANCTI CYPRIANI IVXTA EDITIONEM ET CENSVRAM PAMELII.

TOMVS PRIMVS EPISTOLAS CONTINENS NVMERO LXXXIII.

Epiſtolæ ſtatim à Baptiſmo D. Cypriani conſcriptæ.

I.	DONATI ad Cyprianum.	*Lib. cap. 2.*
II.	Cypriani ad Donatum.	*Ibidem.*

Epiſtolæ in ſeceſſu Cypriani toto biennio conſcriptæ.

III.	Cleri Romani ad Clerum Carthaginenſem, de ſeceſſu Cypriani.	*Lib. 3. ep. 21.*
IV.	Cypriani ad Clerum Romanum, de dormitione Epiſcopi Vrbici.	*Lib. 5. ep. 2.*
V.	Ad Clerum ſuum, de cura pauperum & quiete plebis.	*Lib. 3. ep. 10.*
VI.	Ad eumdem, de cura pauperum & confeſſorum	*Lib. 1. ep. 5.*
VII.	Ad Rogatianum & cæteros confeſſores, de obſeruanda diſciplina.	*Lib. 4. ep. 4.*
VIII.	Ad Clerum de precando Deo pro peccatis.	*Lib. 2. ep. 6.*
IX.	Ad Martyres & Confeſſores, de Mappalico.	*Lib. 3. ep. 14.*
X.	Ad Clerum de Preſbyteris qui temerè pacem lapſis dederant, necdum ſedata perſecutione, & citra conſcientiam Epiſcoporum.	*Lib. 3. ep. 15.*
XI.	Ad Martyres & Confeſſores qui petierant Lapſis pacem dari:	*Lib. 3. ep. 16.*
XII.	Ad plebem de reſcripto Martyrum ac iis qui pacem petebant.	*Lib. 3. ep. 17.*
XIII.	Ad Clerum de lapſis Cathecumenis, ne vacui communione exeant.	*Lib. 3. ep. 5.*
XIV.	Ad eumdem de iis qui ad pacem feſtinabant.	
XV.	Ad Clerum Romanum, de præcedentium epiſtolarum exemplis è ſuo ſeceſſu Romam miſſis.	*Lib. 1. ep. 4.*
XVI.	Ad Moyſen & Maximum & cæteros confeſſores Romanos, de eorum confeſſione.	*Li. 3. ep. 14.*
XVII.	Confeſſorum vniuerſorum ad Cyprianum de pace Lapſis data.	
XVIII.	Cypriani ad Clerum de præcedenti & duabus ſequentibus epiſtolis.	*Lib. 3. ep. 19.*
XIX.	Caldonii ad Cyprianum & compreſbyteros de iis qui ſacrificarent, ſiue de Lapſis.	*Lib. 5. ep. 15.*
XX.	Cypriani ad Caldonium reſponſum.	*Lib. 3. ep. 20.*
XXI.	Celerini ad Lucianum de Numeria & Candida.	
XXII.	Luciani ad Celerinum de pace omnibus Lapſis data.	
XXIII.	Cypriani ad Clerum Romanum de ſex epiſtolis præcedentibus & Luciani inuerecundia.	*Lib. 5. ep. 4.*
XXIV.	Ad Clerum ſuum de litteris præcedentibus Romam miſſis, & Saturno Lectore ac Optato hypodiacono factis.	*Lib. 5. ep. 28.*
XXV.	Ad Moyſen & Maximum & cæteros confeſſores de confeſſione eorum, & Lapſis.	*Lib. 4. ep. 3.*
XXVI.	Moyſis & Maximi & cæterorum ad Cyprianum Reſcriptum.	*Lib. 5. ep. 12.*
XXVII.	Cypriani ad Lapſos, qui illi de vſurpata pace per Paulum martyrem data, ſcripſerant.	*Lib. 5. ep. 6.*
XXVIII.	Ad Clerum de Gayo Didenſi ac aliis qui Lapſis communicabant.	*Lib. 5. ep. 5.*
XXIX.	Ad Clerum Romanum de iiſdem Lapſis qui ſibi pacem à Paulo martyre datam vindicabant.	*Lib. 5. ep. 5.*
XXX.	Ad Cyprianum Cleri Romani reſponſum.	*Lib. 5. ep. 13.*
XXXI.	Ad eumdem Cleri Romani aliud eadem de re reſcriptum.	*Lib. 2. ep. 7.*
XXXII.	Cypriani ad Clerum ſuum de miſſis Romam, & acceptis inde litteris.	*Lib. 3. ep. 4.*
XXXIII.	Ad Clerum & plebem de Aurelio Doctore ordinato.	*Lib. 2. ep. 15.*
XXXIV.	Ad eoſdem de Celerino Lectore ordinato.	*Lib. 4. ep. 5.*
XXXV.	Ad eoſdem de Numidico ordinato preſbytero.	*Lib. 4. ep. 10.*
XXXVI.	Ad Clerum de cura pauperum & peregrinorum.	*Lib. 3. ep. 24.*
XXXVII.	Ad eumdem vt Confeſſoribus in carcere conſtitutis omnis humanitas præbeatur.	*Lib. 3. ep. 6.*
XXXVIII.	Ad Caldonium & cæteros de abſtinendo Feliciſſimo.	*Lib. 5. ep. 7.*
XXXIX.	Caldonij & cæterorum ad Clerum Carthaginienſem de abſtento Feliciſſimo cum ſuis.	*Lib. 5. ep. 16.*
XL.	Cypriani ad plebem de quinque preſbyteris factionis Feliciſſimi.	*Lib. 1. ep. 8.*

Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Cornelij & Lucij.

XLI. Ad Cornelium, quod ordinationem Nouatiani non receperit. *Lib. 2. ep. 11.*
XLII. Ad eumdem, de ordinatione eius à ſe comprobata, & Feliciſſimo. *Lib. 1. ep. 10.*
XLIII. Ad eumdem, quod ad Confeſſores à Nouatiano ſeductos litteras fecerit. *Lib. 3. ep. 9.*
XLIV. Ad Confeſſores Romanos vt ad vnitatem redeant. *Lib. 3. ep. 2.*
XLV. Ad Cornelium de Polycarpo Hadrumetino. *Lib. 3. ep. 2.*
XLVI. Ad Cyprianum Cornelij de Confeſſoribus ad vnitatem reuerſis. *Lib. 4. ep. 8.*
XLVII. Cypriani ad Cornelium reſponſum congratulatorium de illorum reditu ex ſchiſmate. *Lib. 2. ep. 12.*
XLVIII. Ad Cyprianum Cornelij de factione Nouatiani cum ſuis. *Lib. 3. ep. 12.*
XLIX. Cypriani ad Cornelium de Nouati ſceleribus reſponſum. *Lib. 2. ep. 8.*
L. Maximi & cæterorum Confeſſorum ad Cyprianum de ſuo reditu ex ſchiſmate. *Lib. 3.*
LI. Cypriani ad illos de reditu congratulatoria. *Lib. 3. ep. 3.*
LII. Ad Antonianum, de Cornelio & Nouatiano. *Lib. 4. ep. 2.*
LIII. Ad Fortunatum, & alios collegas de his qui per tormenta ſuperantur. *Lib. 3. ep. 23.*
LIV. Ad Cornelium Synodi Africanæ de pace Lapſis danda. *Lib. 1. ep. 2.*
LV. Ad eumdem Cypriani de Fortunato & Feliciſſimo. *Lib. 1. ep. 3.*
LVI. Ad Thybaritanos exhortatoria ad Martyrium. *Lib. 4. ep. 6.*
LVII. Ad Cornelium in exilio, de eius Confeſſione. *Lib. 1. ep. 1.*
LVIII. Ad Lucium reuerſum ab exilio. *Lib. 3. ep. 1.*

Epiſtolæ miſcellaneæ in pace Eccleſiæ variis temporibus conſcriptæ.

LIX. Ad Fidum de infantibus baptizandis. *Lib. 3. ep. 8.*
LX. Ad Epiſcopos Numidas de redemptione fratrum ex captiuitate Barbarorum. *Lib. 3. ep. 8.*
LXI. Ad Euchratium, de Hyſtrione. *Li. 1 ep. 10.*
LXII. Ad Pomponium de Virginibus. *L. 1. ep. 11.*
LXIII. Ad Cæcilium de Sacramento Dominici calicis. *L. 2. ep. 3.*
LXIV. Ad Epictetum & plebem Aſſuritanorum de Fortunatiano quondam eorum Epiſcopo. *Li. 1. ep. 7.*
LXV. Ad Rogatianum Epiſcopum, de ſuperbo Diacono. *Li. 3. ep. 9.*
LXVI. Ad Clerum & plebem Furnitanorum de Victore qui Fauſtinum tutorem nominauit. *Li. 1. ep. 9.*

Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Stephani, & de baptizandis hæreticis.

LXVII. Ad Stephanum Papam de Martiano Arelatenſi, qui Nouatiano conſenſit. *Li. 3. ep. 3.*
LXVIII. Ad Clerum & plebem Hiſpaniarum de Baſilide & Martiali. *Li. 1. ep. 4.*
LXIX. Ad Florentium Pupianum de obtrectatoribus.
LXX. Ad Ianuarium & cæteros Epiſcopos Numidas Cypriani, & coepiſcoporum de Baptizandis hæreticis. *Li. 3. ep. 9.*
LXXI. Ad Quintum de Baptizandis hæreticis. *Li. 1. ep. 12.*
LXXII. Ad Stephanum Cypriani & Collegarum de Concilio.
LXXIII. Ad Iubaianum de baptizandis hæreticis. *Lib. 2. ep. 1.*
LXXIV. Ad Pompeium contra Epiſtolam Stephani.
LXXV. Ad Cyprianum Firmiliani contra eamdem Stephani Epiſtolam.
LXXVI. Cypriani ad Magnum de baptizandis Nouatianis, & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur. *Lib. 1. ep. 6. & li. 4. ep. 10.*

Epiſtolæ in exilio conſcriptæ, & ſub finem vitæ.

LXXVII. Ad Nemeſianum & cæteros Martyres in metallo conſtitutos. *Lib. 3. ep. 25.*
LXXVIII. Ad Cyprianum Nemeſiani cum collegis reſponſum. *Lib. 5. ep. 10.*
LXXIX. Ad eumdem Lucij cum collegis reſponſum. *Lib. 3. ep. 7.*
LXXX. Ad eumdem Felicis & cæterorum reſponſum. *Lib. 5. ep. 11.*
LXXXI. Cypriani ad Rogatianum Iuniorem & cæteros Confeſſores in carcere conſtitutos. *Lib. 4. ep. 1.*
LXXXII. Ad Succeſſum de nuntiis Roma reuerſis perſecutionem nuntiantibus. *Lib. 5. ep. 9.*
LXXXIII. Ad Clerum de ſuo ſub finem vitæ ſeceſſu. *Lib. 5. ep. 1.*

TOMVS SECVNDVS, LIBROS CONTINENS ET TRACTATVS VARIOS.

De Diſciplina & habitu Virginum.
De Lapſis.
De Vnitate Eccleſiæ Catholicæ vulgo de ſimplicitate prælatorum.
De Oratione Dominica.
Ad Demetrianum.
De Idolorum vanitate.
De Mortalitate.
De opere & Eleemoſynis.
De bono Patientiæ.
De Zelo & Liuore.
Ad Fortunatum de exhortatione Martyrij.
Ad Quirinum Teſtim. contra Iudæos liber primus.
Ad eumdem Teſtim. contra Iudæos liber ſecundus.
Ad eumdem Teſtim liber tertius.
Concilium Carthaginienſe de baptizandis hæreticis.

TOMVS TERTIVS, OPERA CYPRIANI ADSCRIPTA CONTINENS.

De Spectaculis.
De Diſciplina & bono pudicitiæ.
De Laude Martyrii ad Moyſen & Maximum & cæteros Confeſſores.
Ad Nouatianum, quod Lapſis ſpes veniæ non ſit neganda.
Ad Cornelium Papam de Cardinalibus operibus Chriſti.
De Natiuitate Chriſti.
De ratione Circumciſionis.
De Stella & Magis ac Innocentium nece.
De baptiſmo Chriſti & manifeſtatione Trinitatis.
De Ieiunio & Tentationibus Chriſti.
De Cœna Domini & prima inſtitutione omnia conſummantis Sacramenti.
De ablutione pedum.

De vnctione Chriſmatis & aliis ſacramentis.
De Paſſione Chriſti.
De Reſurrectione Chriſti.
De Aſcenſione Chriſti.
De ſancto Spiritu.
De Aleatoribus.
De Montibus Sina & Sion contra Iudæos.
Carmen, Geneſis.
Carmen, Sodoma.
Carmen, ad Senatorem Apoſtatam.
Hymnus de Paſcha Domini.
Oratio pro Martyribus.
Oratio quam dixit Cyprianus in die Paſſionis ſuæ.
De ſingularitate Clericorum Origenis ſecundum quoſdam,
In Symbolum Apoſtolorum Rufini Aquileienſis expoſitio.
Ad Virgilium Celſi in altercationem Iaſonis & Papiſci præfatio, de Iudaica incredulitate.
Aduerſus Iudæos qui inſecuti ſunt Chriſtum.
De reuelatione capitis beati Ioannis Baptiſtæ.
Ad Fortunatum de duplici Martyrio.
De duodecim abuſionibus ſæculi.
Diſpoſitio Cœnæ.

INDEX OPERVM D. CYPRIANI

IVXTA VVLGATAM ET MANVTII EDITIONEM.

EPISTOLÆ LIBRI PRIMI.

I. Cognouimus frater. Ad Cornelium Papam de confeſſione eius. *Epiſt. 57.*
II. Statueramus quidem, ad eumdem de pace Lapſorum. *Epiſt. 54.*
III. Legi litteras tuas, ad eumdem, de Fortunato & Feliciſſimo. *Epiſt. 55.*
IV. Cùm in vnum conueniſſemus. Ad Clerum & plebem in Hiſpania conſiſtentes, de Baſilide & Martiale, *Epiſt. 68.*
V. Etiam pridem vobis. Ad Rogatianum & cæteros Confeſſores. *Epiſt. 7.*
VI. Pro tua religioſa diligentia. Ad Magnum de Nouatiano, & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur. *Epiſt. 76.*
VII. Grauiter & dolenter motus. Ad Epictetum & plebem Aſſurianorum, de Fortunatiano quondam Epiſcopo eorum. *Epiſt. 64.*
VIII. Quamquam fratres chariſſimi. Ad plebem, de quinque preſbyteris ſchiſmaticis. *Epiſt. 40.*
IX. Grauiter commoti ſumus. Ad Clerum & plebem Furnitanorum, de Victore qui Fauſtinum preſbyterum tutorem nominauit. *Epiſt. 66.*
X. Pro dilectione tua. Ad Eucratium, de Hiſtrione. *Epiſt. 61.*
XI. Legimus litteras tuas frater. Ad Pomponium, de virginibus. *Epiſt. 62.*
XII. Cùm ſimul in Concilio eſſemus. Ad Ianuarium & cætæros, de hæreticis baptizandis. *Epiſt. 70.*

Epiſtolæ libri Secundi.

I. Ad quædam diſponenda. Ad Stephanum Papam de Concilio. *Epiſt. 72.*
II. Bene admones Donate. Ad Donatum. *Epiſt. 2.*
III. Quamquam ſciam frater. Ad Cæcilium, de ſacramento Domini calicis. *Epiſt. 63.*
IV. Cunctos vos pariter. Ad Moyſen & Maximum Preſbyteros & Confeſſores. *Epiſt. 16.*
V. In ordinationibus. Ad Clerum & plebem, de Aurelio Confeſſore, lectore ordinato. *Epiſt. 33.*
VI. Exulto lætus & gratulor. Ad Martyres & Confeſſores. *Epiſt. 9.*
VII. Quamquam bene ſibi conſcius: Cleri Romani ad Cyprianum. *Epiſt. 31.*
VIII. Et cum diligentia. De Nouato & Nouatiano. *Epiſt. 49.*
IX. Et religioſum nobis. Ad Cornelium de Confeſſoribus. *Epiſt. 43.*
X. Quod ſeruis Dei. Ad Cornelium de ordinatione eius. *Epiſt. 42.*
XI. Venerunt ad nos frater. Ad Cornelium de ordinatione Nouatiani. *Epiſt. 41.*
XII. Et egiſſe nos & agere. Ad Cornelium de Confeſſoribus regreſſis. *Epiſt. 47.*

Epiſtolæ libri tertii.

I. Et nuper quidem tibi. Ad Lucium de exilio reuerſum. *Epiſt. 58.*
II. Cùm frequenter chariſſimi. Ad Confeſſores prauos. *Epiſt. 44.*
III. Lectis litteris veſtris fratres. Ad Confeſſores de ſchiſmate reuerſos. *Epiſt. 51.*
IV. Quales litteras. Ad Clerum de Epiſtolis tam ſuis quàm Romanorum edendis. *Epiſt. 25.*
V. Quoniam comperi fratres. Ad Clerum Romanum de ſeceſſione ſua. *Epiſt. 31.*
VI. Quamquam ſciam vos fratres. Ad Clerum, vt Confeſſoribus in carcere conſiſtentibus omnibus humanitas præbeatur. *Epiſt. 37.*
VII. Exultantibus nobis Lucii Papæ & cæterorum tam Martyrum, quàm Confeſſorum. *Epiſt. 79.*
VIII. Legimus litteras tuas. Ad Fidum de infantibus baptizandis. *Epiſt. 59.*
IX. Grauiter & dolenter. Ad Rogatianum Epiſcopum de ſuperbo diacono eius. *Epiſt. 65.*
X. Optaueram quidem fratres. Ad Clerum de cura pauperum & quiete Confeſſorum. *Epiſt. 6.*
XI. Quantam ſolicitudinem. Ad Cyprianum de Confeſſoribus reuerſis. *Epiſt. 46.*
XII. Ne quid minus ad pœnam. Ad Cyprianum de quibuſdam ſchiſmaticis. *Epiſt. 48.*
XIII. Fauſtinus collega noſter. Ad Stephanum de Marciano Arelatenſi, qui Nouatiano conſenſit. *Epiſt. 67.*
Certi ſumus frater. Ad Cyprianum à Maximo, Vrbano, Sidonio, Macario, cum Cornelio Epiſcopo pacem feciſſe. *Epiſt. 53.*

XIV. Diu patientiam meam. Ad Clerum de Preſbyteris, qui temerè pacem Lapſis dederunt, necdum ſedata perſecutione. Epiſt. 10.
XV. Soli cirudo loci. Ad Martyres & Confeſſores, qui Lapſis petierunt pacem dari. Epiſt. 11.
XVI. Ingemiſcere vos. Ad plebem de reſcripto Martyrum, & Lapſis, qui pacem petierunt. Epiſt. 12.
XVII. Miror vos fratres. Ad Clerum de Lapſis, & Cathecumenis ne vacui exeant. Epiſt. 13.
XVIII. Legi litteras veſtras fratres. Ad Clerum de eis qui ad pacem feſtinant. Epiſt. 14.
XIX. Dominus loquitur & dicit. Ad Clerum, non dandam Lapſis pacem ante Pœnitentiam actam. Epiſt. 18.
XX. Accepimus litteras veſtras. Ad Caldonium prima. Epiſt. 20.
XXI. Cùm de exceſſu boni viri. Ad Clerum Romanum, de dormitione Epiſcopi Vrbici. Epiſt. 4.
XXII. Ne quid conſcientiam. Ad Clerum de litteris Romam miſſis, & de Saturno Lectore, & Hypodiacono Oprato factis. Epiſt. 24.
XXIII. Scripſiſtis mihi frar. Ad Fortunatum & cæteros de iis qui per tormenta ſuperantur. Epiſt. 53.
XXIV. Saluto vos fratres. Ad Clerum propter curam pauperum, & peregrinorum, vt de pecuniis eius ſtipendienrur. Epiſt. 36.
XXV. Gloria quidem veſtra. Ad Martyres & Confeſſores in metallo conſtitutos. Epiſt. 77.

Epiſtolæ libri quarti.

I. Saluto vos fratres chariſſimi. Ad Rogatianum & cæteros Confeſſores. Epiſt. 81.
II. Accepi primas litteras. Ad Antonianum de Cornelio, & Nouatiano. Epiſt. 52.
III. Gloriam fidei & virtutis. Ad Moyſen & Maximum preſbyteros, & cæteros Confeſſores. Epiſt. 25.
IV. Quamquam ſciam fratres. Ad Clerum de deprecando Deo pro peccatis noſtris. Epiſt. 8.
V. Agnoſcenda & amplectenda ſunt. Ad Clerum & plebem, de Celerino Confeſſore lectore ordinato. Epiſt. 34.
VI. Cogitaueram quidem fratres. Ad Thibaritanos de exhortatione martyrii. Epiſt. 56.
VII. Quæſiuiſti etiam fili. Ad Magnum ſecunda, de iis qui in lecto gratiam conſequuntur. Epiſt. 76.
VIII. Legi litteras tuas frater. Ad Cornelium de Polycarpo Hadrumetino. Epiſt. 45.
IX. Ego te frater credideram. Ad Florentium quem & Puppianum. Epiſt. 69.
X. Nunciandum vobis fuit. Ad plebem de Numidico Confeſſore preſbytero ordinato. Epiſt. 35.

Epiſtolæ libri quinti.

I. Cùm perlatum ad nos fuiſſet. Ad Clerum de ſeceſſu eius. Epiſt. 8.
II. Saluto vos incolumis. Ad Clerum de cura pauperum & quiete plebis. Epiſt. 5.
III. Integre & cum diſciplina. Ad Clerum de Gaio Diddenſi preſbytero, & Philumeno Hypodiacono, & Fauorino Acolutho. Epiſt. 28.
IV. Poſt factas ad vos litteras. Ad Clerum Romanorum de multis Confeſſoribus, & de Luciani inuerecundia, & Celerini Confeſſoris modeſtia. Epiſt. 23.
V. Et dilectio communis. Ad Clerum Romanorum de iis qui ſibi pacem à Paulo Martyre datam vendicabant. Epiſt. 29.
VI. Dominus noſter. Ad Lapſos, qui illi de vſurpata pace ſcripſerunt. Epiſt. 27.
VII. Vehementer contriſtatus ſum. Ad Caldonium, & Herculanium Epiſcopos. Epiſt. 38.
VIII. Cùm maximo animi noſtri gemitu. Ad Epiſcopos Numidas, de redemptione fratrum ex captiuitate barbarorum. Epiſt. 60.
IX. Vt non vobis. Ad Succeſſum Epiſcopum de nunciis Roma reuerſis. Epiſt. 82.
X. Semper magnis ſenſibus. Nemeſiani & aliorum ad Cyprianum. Epiſt. 78.
XI. Reſalutamus te. Felicis & cæterorum, ad Cyprianum. Epiſt. 80.
XII. Inter varios. Moyſis & Maximi & cæterorum Confeſſorum ad Cyprianum. Epiſt. 26.
XIII. Quum perlegiſſemus. Cleri Romani, ad Cyprianum Epiſt. 30.
XIV. Scias nos. Confeſſorum vniuerſorum ad Cyprianum de pace Lapſis data. Epiſt. 17.
XV. Neceſſitas. Caldonii & cæterorum ad Clerum Carthaginenſem de abſtento Feliciſſimo cum ſuis. Epiſt. 19.
XVI. Abſtinuimus. Caldonii & cæterorum ad Clerum Carthaginenſem de abſtento Feliciſſimo cum ſuis. Epiſt. 39.

LIBRI ET TRACTATVS.

Oblatrantem te. Ad Demetrianum.
Diſciplina cuſtos ſpei. De habitu virginum
Cùm moneat Dominus. De vnitate Eccleſiæ.
Deos non eſſe quos colit vulgus. Quod idola dij non ſint.
Multa & magna ſunt. De opere & eleemoſynis.
Zelare quod bonum videas. De Zelo & Liuore.
De patientia locuturus. De bono patientiæ.
Et ſi apud plurimos veſtrûm. De mortalitate
Pax ecce dilectiſſimi fratres De oratione Dominica.
Deſideraſti Fortunate. Ad Fortunatum de exhortatione Martyrum.
Obtemperandum fuit. Ad Quirinum aduerſus Iud.
Chriſtum primogenitum eſſe. Ad eumdem aduerſus Iudæos.
Pro fide ac deuotione tua. Ad eumdem.
Scripſiſti mihi frater chariſſime. Ad Iubaianum de hæreticis baptizandis.
Quamquam plenè ea. Ad Pompeium, contra Epiſtolam Stephani.
Retulit ad me, frater chariſſime. Ad Quirinum.
Concilium Carthaginienſe. De baptizandis hæreticis.

OPERA ADSCRIPTA CYPRIANO.

Etſi integruum eſt. De laude martyrij, ad Moyſen, & Maximum & cæteros confeſſores,
Probatio capitulorum. De montibus Sina & Sion aduerſus Iudæos
Vt me ſatis contriſtat. De Spectaculis.
Promiſeram. De ſingularitate Clericorum.
Solent matres De cardinalibus operibus Chriſti vſq; ad eius Aſcenſum ad patrem.
Aliquas officiorum. De diſciplina & bono pudicitiæ.
Cogitanti mihi. Ad Nouatianum, quod Lapſis ſpes veniæ non ſit neganda.
Mihi quidem Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum, Rufino Aquileienſi preſbytero auctore.
Multifariam. De duplici martyrio.
Hagios. Oratio pro Martyribus.
Domine ſancte. Oratio B. Cypriani, quam ſub die paſſionis ſuæ dixit.
Narrat Ioſephus. Tractatus de reuelatione capitis B. Ioannis Baptiſtæ.

INDICVLVS CODICVM TVM EXCVSORVM tum Ms. quibus vſus eſt Pamelius in D. Cypriani recognitione, cum præmiſſa Notula qua citari ſolent.

Afflig. *Codex Abbatiæ Affliginienſis haud procul Bruxella, Manuſcriptus.*

Angli. *Codex Anglicus Ms. Io. Clementis, qui ad me quaſdam inde caſtigationes miſit.*

Aug. *Libri 7. Auguſtini de baptiſmo contra Donatiſtas. excuſi & Ms.*

Bland. *Codex Abbatiæ Blandinienſis apud Gandenſes quæ D. Petri nuncupatur Ms. nunc à ſectariis concrematus,*

Camb. *Codex Ms. Abbatiæ Cambionenſis in Hannonia, omnium optimus.*

Carr. *Fragmentum quoddam Lud. Carrionis, quo quædam Cypriani opuſcula continentur.*

Cauch. *Excuſus codex, cum caſtigationibus ad marginem. Ioa. Cauchij Vltraiectini, ex Ms. variis codicibus.*

Co.Ms. *Codex D. Pantaleonis apud Coloniam.*

Col. ex. *Editio Colon. apud Hieronem Alopacium anno 1520.*

Coſter. *Caſtigationes Ioannis Coſterij, ad marginem adſcriptæ codicis Cauchij.*

Dun. *Codex Ms. Abbatiæ Dunenſis in Flandria, ex incendio ſectariorum ſuperſtes.*

Eraſm. *Editiones omnes ex caſtigatione Eraſmi circa annum 1520.*

Froben. *Editiones Frobenij, & præſertim anni 1549.*

Grau. *Editio Henrici Grauij, Coloniæ excuſa anno 1549. in officina Quintiliana.*

Editio Lugdunenſis apud Sebaſt. Gryphium anni 1549. in forma 8. Gryph.

Codex Ms. Ioan. Harriſij Angli, ex quo caſtigationes haud pœnitendas ad me miſit. Harriſ.

Hieron. operum triplex editio, vnde caſtigatum eſt Rufini Symbolum. Hiero.

Editio Romana apud Paulum Manutium, cæteris omnibus multò caſtigatior. & Epiſtolarum libro. 5. auctior. annni 1563 Manut.

Codex Ms. Abbatiæ Marchenenſis, haud procul à Duacenſi Academia. March.

Editio Guilielmi Morelij apud Lutetiam Pariſiorum anni 1564. auctior præceteris & egregiè etiam recognita. Morel.

Editio Pariſienſis apud Arnulphum Langelier anni 1541. Pariſ.

Editio vetus, ante Eraſmi recognitionem Pariſiis excuſa, apud Guilielmum Remboldum, qui primus Epiſtolas in libros diſtinxit. Remb.

Codex Ms. Abbatiæ D. Nicolai extra muros. Tornacenſes. Torn.

Editio omnium vetuſtiſſima, ſine nomine Typographi aut Oppidi, quantum apparet excuſa ſtatim poſt inuentam artem Typographicam, multò Eraſmi editione caſtigatior. Vet. ed.

Vulgatæ editiones omnes præter Manutij & Morelij. Vulg.

INDEX

OPERVM D. CYPRIANI,

IVXTA PRÆSENTEM RIGALTII EDITIONEM.

Epiſtola S. Cypriani, ſtatim à Baptiſmo conſcripta.

I. CYPRIANI *ad Donatum.*

Epiſtolæ in ſeceſſu Cypriani toto biennio conſcriptæ.

II. *Cleri Romani ad Clerum Carthaginienſem, de ſeceſſu Cypriani.*

III. *Cypriani ad Clerum Romanum de dormitione Epiſcopi Vrbici.*

IV. *Ad Clerum ſuum, de cura pauperum & quiete plebis.*

V. *Ad eumdem, de cura pauperum & confeſſorum.*

VI. *Ad Rogatianum & cæteros confeſſores, de obſeruanda diſciplina.*

VII. *Ad Clerum, de deprecando Deo pro peccatis.*

VIII. *Ad Martyres & Confeſſores, de Mappalico.*

IX. *Ad Clerum, de presbyteris qui temerè pacem Lapſis dederant, necdum ſedata perſecutione, & citra conſcientiam Epiſcoporum.*

X. *Ad Martyres & Confeſſores qui petierant Lapſis pacem dari.*

XI. *Ad plebem, de reſcripto Martyrum, ac ijs qui pacem petebant.*

XII. *Ad Clerum, de Lapſis Cathecumenis, ne vacui communione exeant.*

XIII. *Ad eumdem, de ijs qui ad pacem feſtinabant,*

XIV. *Ad Clerum Romanum, de præcedentium epiſtolarum exemplis è ſuo ſeceſſu Romam miſſis.*

XV. *Ad Moyſen & Maximum & cæteros confeſſores Romanos, de eorum confeſſione.*

XVI. *Confeſſorum vniuerſorum ad Cyprianum, de pace Lapſis data.*

XVII. *Cypriani ad Clerum, de præcedenti & duabus ſequentibus epiſtolis.*

XVIII. *Caldonij ad Cyprianum & compresbyteros, de ijs qui ſacrificarent, ſiue de Lapſis.*

XIX. *Cypriani ad Caldonium reſponſum.*

XX. *Celerini ad Lucianum, de Numeria & Candida.*

XXI. *Luciani ad Celerinum, de pace omnibus Lapſis data.*

XXII. *Cypriani ad Clerum Romanum, de ſex epiſtolis præcedentibus & Luciani inuerecundia.*

XXIII. *Ad Clerum ſuum, de litteris præcedentibus Romam miſſis, & de Saturno Lectore ac Optato hypodiacono factis.*

XXIV. *Ad Moyſen & Maximum & cæteros confeſſores, de confeſſione eorum, & Lapſis.*

XXV. *Moyſis & Maximi & cæterorum ad Cyprianum Reſcriptum.*

XXVI. *Cypriani ad Lapſos, qui illi de vſurpata pace per Paulum martyrem data, ſcripſerant.*

XXVII. *Ad Clerum, de Gaio Diddenſi, & alijs qui Lapſis communicabant.*

XXVIII. *Ad Clerum Romanum, de iiſdem Lapſis qui ſibi pacem à Paulo martyre datam vindicabant.*

XXIX. *Ad Cyprianum Cleri Romani reſponſum.*

XXX. *Ad eumdem Cleri Romani aliud eadem de re reſcriptum.*

XXXI. *Cypriani ad Clerum ſuum de miſſis Romam, & acceptis inde litteris.*

XXXII. *Ad Clerum & plebem, de Aurelio Lectore ordinato.*

XXXIII. *Ad eoſdem, de Celerino Lectore ordinato.*

XXXIV. *Ad eoſdem, de Numidico ordinato presbytero.*

XXXV. *Ad clerum, de cura pauperum & peregrinorum.*

XXXVI *Ad eumdem, vt Confeſſoribus in carcere conſtitutis omnis humanitas præbeatur.*

XXXVII. *Ad Caldonium & cæteros, de abſtinendo Feliciſſimo.*

XXXVIII. *Caldonij & cæterorum ad Clerum Carthaginienſem de abſtento Feliciſſimo cum ſuis.*

XXXIX. *Cypriani ad plebem, de quinque presbyteris factionis Feliciſſimi.*

Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Cornelij & Lucij.

XL. *Ad Cornelium, quòd ordinationem Nouatiani non receperit.*

XLI. *Ad eumdem, de ordinatione eius à ſe comprobata & de Feliciſſimo.*

XLII. *Ad eumdem, quòd ad Confeſſores à Nouatiano ſeductos litteras fecerit.*
XLIII. *Ad Confeſſores Romanos, vt ad vnitatem redeant.*
XLIV. *Ad Cornelium, de Polycarpo Hadrumetino.*
XLV. *Cornelij ad Cyprianum, de Confeſſoribus ad vnitatem reuerſis.*
XLVI. *Cypriani ad Cornelium reſponſum congratulatorium de illorum reditu ex ſchiſmate.*
XLVII. *Cornelij ad Cyprianum, de factione Nouatiani cum ſuis.*
XLVIII. *Cypriani ad Cornelium, de Nouati ſceleribus reſponſum.*
XLIX. *Maximi & cæterorum Confeſſorum ad Cyprianum, de ſuo reditu ex ſchiſmate.*
L. *Cypriani ad illos, de reditu congratulatoria.*
LI. *Ad Antonianum, de Cornelio & Nouatiano.*
LII. *Ad Fortunatum & alios collegas, de his qui per tormenta ſuperantur.*
LIII. *Synodi Africanæ, ad Cornelium de pace Lapſis danda.*
LIV. *Ad eumdem, Cypriani de Fortunato & Feliciſſimo.*
LV. *Ad Thybaritanos exhortatoria ad Martyrium.*
LVI. *Ad Cornelium in exilio, de eius Confeſſione.*
LVII. *Ad Lucium, reuerſum ab exilio.*

Epiſtolæ miſcellaneæ in pace Eccleſiæ variis temporibus conſcriptæ.

LVIII. *Ad Fidum, de infantibus baptiʒandis.*
LIX. *Ad Epiſcopos Numidas, de redemptione fratrum ex captiuitatæ Barbarorum.*
LX. *Ad Euchratium, de Hiſtrione.*
LXI. *Ad Pomponium, de Virginibus.*
LXII. *Ad Cæcilium, de Sacramento Dominici calicis.*
LXIII. *Ad Epictetum & plebem Aſſuritanorum, de Fortunatiano quondam eorum Epiſcopo.*
LXIV. *Ad Rogatianum Epiſcopum, de ſuperbo Diacono.*
LXV. *Ad Clerum & plebem Furnitanorum, de Victore qui Fauſtinum tutorem nominauit.*

Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Stephani, & de baptizandis hæreticis.

LXVI. *Ad Stephanum Papam, de Martiano Arelatenſi, qui Nouatiano conſenſit.*
LXVII. *Ad clerum & plebem Hiſpaniarum, de Baſilide & Martiali.*
LXVIII. *Ad Florentinum Pupianum, de obtrectatoribus.*
LXIX. *Ad Ianuarium & cæteros Epiſcopos Numidas, Cypriani & Coepiſcoporum, de baptizandis hæreticis.*
LXX. *Ad Quintum, de baptizandis hæreticis.*
LXXI. *Ad Stephanum, Cypriani & Collegarum, de Concilio.*
LXXII. *Ad Iubajanum, de baptiʒandis hæreticis.*
LXXIII. *Ad Pompeium contra Epiſtolam Stephani.*
LXXIV. *Ad Cyprianum, Firmiliani contra eamdem Stephani Epiſtolam.*
LXXV. *Cypriani ad Magnum, de baptizandis Nouatianis, & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur.*

Epiſtolæ in exilio conſcriptæ, & ſub finem vitæ.

LXXVI. *Ad Nemeſianum & cæteros Martyres in metallo conſtitutos.*
LXXVII. *Ad Cyprianum, Nemeſiani cum collegis reſponſum.*
LXXVIII. *Ad eumdem, Lucij cum collegis reſponſum.*
LXXIX. *Ad eumdem, Felicis & cæterorum reſponſum.*
LXXX. *Cypriani ad Rogatianum Iuniorem & cæteros Confeſſores in carcere conſtitutos.*
LXXXI. *Ad Succeſſum de nuntijs Roma reuerſis perſecutionem nunciantibus.*
LXXXII. *Ad Clerum de ſuo ſub finem vitæ ſeceſſu.*

TRACTATVS VARII.

De Diſciplina & habitu Virginum.
De Lapſis.
De Vnitate Eccleſiæ Catholicæ, vulgò, de ſimplicitate Prælatorum.
De Oratione Dominica.
Ad Demetrianum.
De Idolorum vanitate.
De Mortalitate.
De Opere & Eleemoſynis.
De Bono Patientiæ.
De Zelo & Liuore.
Ad Fortunatum, de exhortatione Martyrij.

Ad Quirinum, Teſtimoniorum contra Iudæos liber primus.
Ad eumdem, Teſtimoniorum contra Iudæos liber ſecundus.
Ad eumdem, Teſtimoniorum liber tertius.
Concilium Carthaginienſe de baptizandis hæreticis.

OPERA CYPRIANO ADSCRIPTA.

De Spectaculis.
De Diſciplina & bono pudicitiæ.
De Laude Martyrij ad Moyſen & Maximum & cæteros Confeſſores.
Ad Nouatianum, quod Lapſis ſpes veniæ non ſit neganda.
Ad Cornelium Papam de Cardinalibus operibus Chriſti.
De Natiuitate Chriſti.
De ratione Circumciſionis.
De Stella & Magis, ac Innocentium nece.
De baptiſmo Chriſti & manifeſtatione Trinitatis.
De Ieiunio & Tentationibus Chriſti.
De Cœna Domini & prima inſtitutione omnia conſummantis Sacramenti.
De ablutione pedum.
De unctione Chriſmatis & alijs ſacramentis.
De Paſſione Chriſti.
De Reſurrectione Chriſti.
De Aſcenſione Chriſti.
De ſancto Spiritu.
De Aleatoribus.
De Montibus Sina & Sion, contra Iudæos.
Carmen, Geneſis.
Carmen, Sodoma.
Carmen, ad Senatorem Apoſtatam.
Hymnus de Paſcha Domini.
Oratio pro Martyribus.
Oratio quam dixit Cyprianus in die Pasſionis ſuæ.
De ſingularitate Clericorum, Origenis, ſecundùm quoſdam.
In Symbolum Apoſtolorum, Rufini Aquileienſis expoſitio.
Ad Vigilium Celſi in altercationem Iaſonis & Papiſci præfatio, de Iudaïca incredulitate.
Aduerſus Iudæos qui inſecuti ſunt Chriſtum.
De reuelatione capitis beati Ioannis Baptiſtæ.
Ad Fortunatum de duplici Martyrio.
De duodecim abuſionibus ſæculi.
Diſpoſitio Cœnæ.

INDEX
S. SCRIPTVRARVM
TOTO OPERE CITATARVM
LOCVPLETISSIMVS.

QVum in Veterum operibus ſoleant plerique non aliud quàm Scripturarum toto opere explicatarum Indicem texere, idque etiam verbis immutatis, ita vt quæ plerumque citantur iuxta editionem 70 Interpretum, ipſi deſcribant iuxta vulgatam D. Hieronymi editionem (quam rectè viderint alij conſilio eruditiſſimorum quorumdam Theologorum, & verbo tenus ipſum Cyprianum ſecutus ſum, & quidquid apud illum citatur, in hunc indicem contexui, addito tamen illis ſcripturis aſteriſco, quæ aut ab Auctore aut à me in Adnotationibus explicantur. Ita habebit ſtudioſus Lector veterem Pſalmorum tranſlationem, ac in alijs editionem 70. puram putam, ex qua collatione cum cæteris veteribus facta, caſtigari poſſit, quæ hodie illius titulum præfert, & ne per ſingula vagari neceſſe ſit (quod quam moleſtum ſit, ipſe multotiens experientia didici) ſcripturæ locos explicatos haud difficilè deprehendet: Primus numerus indicat locum Scripturæ: Alter verò paginam huius libri in quo citatur.

EX GENESI.

SPIRITVS Domini ferebatur ſuper aquas, *cap. 1.* pagina 283. 320. 345.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, *ibid.* 166.

Creſcite & generate. *ibid* 168.

Compleuitque Deus die ſeptima opus ſuum. *ibid.* 239.

Plaſmauit Deus hominem, & inſufflauit in faciem eius flatum vitæ. *ibid.* 131.

Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum. *ibid.* 126. 333.

Et erunt duo in carne vna. *ibid.* 163. 293.

Tunc dixit Deus ad ſerpentem; Quia tu hoc feciſti, maledictus tu ab omni pecore, & ab omni genere beſtiarum terræ. Pectore tuo & ventre repes, & erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitæ tuæ. Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen eius: ipſe tuum obſeruabit caput, & tu obſeruabis calcaneum eius. *cap. 3.* 252.

Multiplicans multiplicabo triſtitias tuas, & gemitus tuos, & in triſtitia paries filios, & conuerſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur. *ibid.* 167. 272.

Tunc dixit Dominus ad Adam: Quia exaudiſti vocem vxoris tuæ, & manducaſti ex illa arbore, de qua ſola præceperam tibi ne manducares; maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos eiiciet tibi, & edes pabulum agri. In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram de qua & ſumptus es, quia terra es & in terram ibis. *ibid.* 225. 275.

Ad Cain munera non reſpexit Deus. *cap. 4.* 183. 194.

Et interfecit fratrem ſuum Abel. *ibid.* 78. 89. 159. 224. 227.

Et vocauit nomen eorum Adam. *cap. 5.* 131.

Et placuit Enoch Deo, & non eſt inuentus poſtmodum, quia Deus illum tranſtulit. *ibid.* 213. 275. 353

Videntes filij Dei, &c. *cap. 6.* 90.

Et vidit Dominus Deus redundare nequitias hominum ſuper terram, & quod omnes in malum recordarentur à principio dierum ſuorum, & dixit: Perdam hominem quem feci à facie terræ ab homine vſque ad pecus, & à reptili vſque ad volatilia cæli, 305. *ibid.*

Arca Noë, *cap. 8.* 132. 147. 251. 305. 345.

Noë obtulit Deo, & delectatus eſt Deus in odorem ſuauitatis. *cap. 9.* 309.

Bibenſque vinum inebriatus eſt. *cap. 12.* 101. 103.

Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in illam terram quam tibi oſtendero: & faciam te in gentem magnam; & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus; & benedicam qui te benedixerit; & maledicam qui te maledixerit, & benedicentur in te omnes tribus terræ. *ibid.* 246.

Benedicentur in illo omnes gentes. *ibid.*

Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum, fuit autem ſacerdos Dei ſummi & benedixit Abraham, *cap. 14.* 101. 128.

Credidit Abraham Deo & deputatum eſt ei ad iuſtitiam, *ibid.* 101. 216. 274.

Circumcidetur ex vobis octauo die, &c. *c. 17.* 95. 318.

Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem de cælo à Domino. *cap. 19.* 272.

Vxor Loth retrò reſpexit, *ibid.* 18.

Et tentauit Deus Abraham & dixit ad illum, Accipe filium tuum vnicum quem diligis Iſaac, & vade in terram altam imponens illum ibi in holocauſtum, ho-

populum in diem tertium, ſanctificauit ille & adiecit: Eſtote parati, tribus diebus non accedetis ad mulieres, *ibid.* 272

Et ſacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum ſanctificentur, ne fortè derelinquat illos Deus, *ibid.* 106. 112. 121.

Non erunt tibi dij alij abſque me, *ibid.* 199. 235.

Non facies tibi idolum nec cuiuſquam ſimilitudinem, *cap. 20.* 235

Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. *ibid.* 268

Honora patrem & matrem, *ibid.* 127

Non facietis vobis deos argenteos neque aureos. *ibid.* 276

Sacrificans diis eradicabitur niſi Domino ſoli, *cap. 22.* 83. 170. 235. 150.

Omnem viduam & orphanum non vexabitis. Si autem vexaueritis eos, & vociferantes exclamauerint ad me, exaudiam exclamationes eorum, & iraſcar animo in vobis, & perimam vos gladio, & erunt coniuges veſtræ viduæ & filij veſtri orphani, *ibid.* 383

Principem populi tui non maledices, *cap. 23.* 108, 268.

Innocentem & iuſtum non occides, *ibid.* 254

Non apparebis in conſpectu meo vacuus, *ibid.* 319.

Ecce ego præmitto Angelum meum ante faciem tuam ad cuſtodiendum te in itinere, vt inducat in terram, quam tibi præparaui. Obſerua eum & obaudi eum, & ne fueris inobaudiens ei, non deerit tibi, nomen enim meum in illo eſt. *ibid.* 250

Septiformis lucerna in tabernaculo martyrij, *cap. 25.* 240. 248.

Scriptas digito Dei, *ibid.* 345

Populus ad Aaron: exſurge & fac nobis deos qui nos præcedant, quia Moyſes vir hic qui nos eiecit de Ægypto, quid ei acciderit neſcimus, 244.

Et fecit ex eis caput bubulum, *cap. 32.* 227.

Et conſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, *ibid.* 276

Occidit Moyſes idololatras, *ibid.* 314

Precor (ait Moyſes ad Dominum) Domine, deliquit populus hic delictum grande & fecerunt ſibi deos aureos, & nunc ſi dimittis eis delictum, dimitte, ſin autem dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis deliquit ante me, delebo eum de libro meo, *ibid.* 174. 235. 244.

EX LEVITICO.

A facie ſenioris exurges & honorabis perſonam preſbyteri, 279

Omne varium & immundum eiice foras extra caſtra, 304

Omne mundum manducabit carnem. Anima autem quæcumque manducauerit ex carne ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo, 173. 349.

Nabath & Abin filij Amon offerebant ignem alienum, *cap. 10.* 114. 185.

Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum, *cap. 19.* 118. 189.

Non dormiet merces mercenarij tui apud te vſque in mane, *ibid.* 279

Non facietis cirrum ex corona capitis veſtri, *ibid.*

Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ, *ibid.* 177.

Adulteros non patieris viuere, *cap. 21.* 295

Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedet offerre dona Deo, *ibid.* 106. 112. 121.

Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Produc eum qui maledixerit, foras extra caſtra, & imponent omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput eius, & lapidabit eum omnis Synagoga filiorum Iſraël, *cap. 24.* 268.

EX NVMERIS.

Accipe Leuitas de medio filiorum Iſraël & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumſparges eos aqua purificationis, *cap. 8.* 153.

Aqua aſperſionis purificatio eſt, *ibid.*

Deſinat murmuratio eorum à me, & non moriantur, *cap. 11.* 270

Et fuit Moyſes homo lenis nimis, *cap. 12.* 70

Chore, Dathan & Abiron ſurrexerunt contra Moyſen, 108. 113. 114. 50. 185.

Separamini à tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & noli tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum, *ibid.* 152

Memoriale filiis Iſraël, vt non accedat quiſquam alienigena, qui non ex ſemine Aaron, imponere incenſum ante Dominum, & non ſit.

Et omnia quæ tetigerit immundus, immunda erunt, *cap. 18.* 117

Et homo qui fuerit immundus vſque ad veſperam hic purificabitur die tertio & die ſeptimo & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio & die ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſraël, quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum, *cap. 19.* 153

Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam eius, & indue Eleazarum eius & Aaron appoſitus moriatur, *cap. 20.* 113

Aſina Balaam, *cap. 22.* 258

Non quaſi filius homo Deus ſuſpenditur, neque quaſi hominis minas patitur, *cap. 23.* 257

Ecce populus quaſi populus Leoninus exſurget,

Procedet homo de ſemine eius & dominabitur multarum gentium, & exaltabitur Gog regnum ipſius & augebitur regnum eius, & Deus eduxit eum ab Ægypto, quaſi claritas vnicornis ei, & edet gentes inimicorum ſuorum & craſſitudines eorum emedullabit, & balliſtis quaſi leo, & quaſi catulus leonis: quis ſuſcitabit eum? Qui benedicunt te benedicti ſunt, qui maledicunt te maledicti ſunt, *cap. 24.* 262

Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſraël, *ibid.* & 318.

Zelus Phinees, *cap. 25.* 114. 314.

EX DEVTERONOMIO.

Dominus Deus tuus, Deus zelans eſt, *cap. 4.* 124

Non facies tibi idolum, nec cuiuſquam ſimilitudinem, *cap. 5.* 277

Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt, *cap. 6.* 195

Diliges Dominum Deum tuum, de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua, *cap. 8* 195. 270.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, *ibid.* 235

Non tentabis Dominum Deum tuum, *ibid.* 250

Dominus Deus vexabit te, & famem iniiciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo, ſi benè cuſtodieris præcepta eius, ſiue non, *ibid.*

Caue ne ſanguinem edas, *cap. 12.* 329

Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, ex tota anima veſtra, *cap. 13.* 210. 237. 269

Et propheta ille, aut ſomnium ſomnians; ille

locutus eſt, vt errare te faceret à Domino Deo tuo, interficietur, 54

Quod ſi rogauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut vxor tua, aut filia quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus tuus qui æqualis eſt animi tui, latenter dicens: Eamus & ſeruiamus diis alijs, diis gentium, non conſenties ei & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus ſuper eum, & non celabis eum, adnuncians adnunciabis de illo. Manus tua erit ſuper eum imprimis interficere eum, & manus omnis populi poſtremo, & lapidabunt eum & morietur, quoniam quæſiuit auertere te à Domino Deo tuo, *cap.13.* 54. 256.

Aut ſi audierit in vna ex ciuitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic dicentes: Eamus & ſeruiamus diis quos noſti, interficiens necabis omnes qui ſunt in ciuitate cæde gladij, & incendes ciuitatem igni & erit ſine habitaculo in æternum. Non reædificabitur etiam nunc, vt auertatur Dominus ab indignatione iræ ſuæ, & dabit tibi miſericordiam, & miſerebitur tui & multiplicabit te, ſi exaudieris vocem Domini Dei tui, & obſeruaueris præcepta eius, *ibid.* 256.

Non arabis in primogenitis boum, *cap 15.* 323.

Non accipies perſonam, nec ſecundùm minimum, nec ſecundùm maximum iudicabis, *cap.16.* 309.

Et homo quicumque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem aut iudicem quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, *cap. 17.* 55. 79. 99. 107.

Et omnis populus, qui audierit timebit, & non aget impiè etiam nunc, *ibid.* 107.

Prophetam excitabo eis de fratribus eorum ſicut te, & dabo verbum meum in ore eius, & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei. Et quiſquis non audierit, quæcumque locutus fuerit; Propheta ille in nomine meo, ego vindicabo. *cap.18.* 247.

Non ominemini neque auguremini, *ibid.* 279.

Non induetur vir veſtem mulìebrem, *cap 22.* 98.

Non fœnerabis fratri tuo vſura pecuniæ & vſura ciborum. *cap.23* 274.

Si autem voueris votum Domino Deo tuo non tardabis reddere illud, quia inquirens quæret illud Dominus Deus tuus à te, & erit in peccatum, ea quæ egredientur per labia tua, obſeruabis, & facies donum quod locutus es ore tuo, *ibid.* 271. 272.

Non morientur patres pro filiis. *cap. 24.*

Deponet calciamentum de pede eius, *cap. 25.* 256.

Et ſcribes ſuper lapidem, omnem legem hanc manifeſtè nimis, *cap. 27.* 255.

Eritis gentes in caput, incredulus autem populus in caudam. *cap. 28.* 247.

Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte & non credes vitæ tuæ

In nouiſſimis diebus circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis tui ad Dominum Deum amandum, *cap. 30.* 246.

Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elegi vitam tibi, vt viuas. 275

Cùm diuideret excelſus gentes, ſtatuit terminos gentium, ſecundùm numerum Angelorum Dei. *cap. 32.* 58.

Sacrificauerunt dæmoniis & non Deo. *ibid.* 235. 244.

De vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum de Gomorrha: Vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis ipſis, 392

Mihi vindictam & ego retribuam, *ibid.* 202. 280

Videte, videte quia ego ſum Deus, & non eſt Deus præter me. Ego interimam & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt qui eripiat de manibus meis. *ibid.* 224.

Qui dicunt patri & matri: Non noui te, & filios ſuos non agnouerunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſeruauerunt, *cap. 33.* 189. 213.

EX IESV NAVE.

NOn recedet liber legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, vt obſerues facere omnia quæ ſcripta ſunt in eo *cap.1.* 129.

Patrem tuum & matrem tuam & fratres tuos & totam domum patris tui colliges ad teipſam in domum tuam: & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit. *cap. 2.* 151. 181. 182.

Et dixit Dominus ad Ieſum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & aſſidens circumcide ſecundo filios Iſraël. *cap. 5.* 246.

Et factum eſt cùm eſſet Ieſus in Ierico, circumſpexit oculis, & vidit hominem ſtantem ante faciem ſuam, & frameam habentem (*vel* tenentem) in manu eius, & dixit: Noſter es, an aduerſariorum? ille autem dixit: Ego ſum dux virtutis Domini, nunc adueni. Et Ieſus cecidit in faciem ad terram, & ait illi: Domine quid imperas famulo tuo? Et ait dux virtutis Domini: Solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt, *ibid.* 256

Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem *ibid.* 109

Et accepit lapidem magnum, & ſtatuit eum illic contra Dominum. Et ait Ieſus ad populum: Ecce lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quia iſte audiuit omnia quæ dicta ſunt à Domino quanta locutus eſt ad vos hodie, & erit vobis in teſtimonium in nouiſſimo dierum, quando receſſeritis à Deo veſtro. *cap.24.* 255.

EX IVDICVM LIB.

ET fecerunt filij Iſraël malignum coram Domino Deo patrum ſuorum, qui eiecit eos de terra Ægypti, & ſecuti ſunt deos gentium, quæ circa illos ſunt, & offenderunt Dominum & reliquerunt Deum, & ſeruierunt Baal. Et adjecerunt filij Iſraël iterùm facere malignum coram Domino, & ſeruierunt Baal & diis alienigenarum & reliquerunt Dominum, & non ſeruierunt illi. *cap. 2.* 244.

EX REGNORVM
LIBRO I.

LOquebatur in corde ſuo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Deus. *cap.1.* 188.

Nolite gloriari neque loquamini elata, & non procedat magniloquentia de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus. *cap. 2.* 262. 308.

Inualidus factus eſt arcus potentium, & infirmi accincti ſunt virtute. *ibid.* 263.

Sterilis peperit ſeptem, &c. *ibid.* 246.

Quoniam erigit à terra pauperem à ſterquilinio erigit inopem, & ſedere eum facit cum potentibus populi. *ibid.* 308.

Si derelinquendo peccet vir aduerſus virum, orabunt pro eo Dominum: ſi autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? *ibid.* 266.

Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui ſpernit me, ſpernetur. *ibid.* 199.

Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia quæ ſunt in corde meo faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit in conſpectu Chriſtorum meorum omnibus diebus, & erit qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ & in pane vno. 247.

Poſuerunt arcam ſuper lapidem magnum. *cap. 6.* 255.

Lapidem ſtatuit Samuël, & appellauit eum Abenezer.

ezer, id eſt, lapis auxiliator. *cap. 7.* 255.
Non te ſpreuerunt, ſed me. *cap. 8.* 79. 108.
Homo videt in facie, Deus autem in corde. *cap. 16.* 70. 176.
Lapis, quo frontem Goliæ percuſſit Dauid. *cap. 17.* 255.

EX REGNORVM II.

ANte arcam Dauid ſaltauit. 291.
Et fuit verbum Domini ad Nathan dicens: Vade & dic ſeruo meo Dauid. Hæc dicit Dominus: Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum, ſed erit cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de vtero tuo, & parabo regnum eius, hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum eius in ſæcula, & ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, & fidem conſequetur domus eius, & regnum eius vſque in ſæcula in conſpectu meo. *cap. 6. 7.* 247.

EX REGNORVM III.

ET auerterunt vxores alienigenæ cor eius poſt deos ſuos. *cap. 7.* 277.
Et excitauit Dominus Sathanam ipſi Salomoni. *ibid.* 193.
Achias Propheta Ieroboam Regi obuius factus in campo, in duodecim ſciſſuras veſtimentum ſuum diſcidit, dicens: Sume tibi decem ſciſſuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce ſcindo regnum de manu Salomonis, dabo tibi decem ſceptra, & duo ſceptra erunt ei propter ſeruum meum Dauid, & propter Hieruſalem ciuitatem, quam elegi, vt ponam nomen meum illic. *ibid.* 181
A tribu Iuda & Beniamin ſciſſæ ſunt decem tribus. *ibid.* 151.
Et indignatus eſt Dominus in omne ſemen Iſraël, & dimouit eos, & dedit eos in direptionem donec abiiceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſraël à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi Regem Hieroboam filium Nabat. *cap. 12.* *ibid.*
Homo Dei ad Hieroboam miſſus. *cap. 13.* *ibid.*
Helias paſtus à coruis. *cap. 17.* 173. 217.
Hæc dicit Dominus: Fidelia fratris non deficiet, & capſaces olei non diminuetur vſque in diem quo dabit Dominus imbrem ſuper terram. *ibid.* 219. 473.
Æmulando æmulatus ſum Domino Deo omnipotenti, quia dereliquerunt te filij Iſraël, altaria tua demolierunt, & Prophetas tuos interfecerunt gladio, & remanſi ego ſolitarius, & quærunt animam meam auferre eam. *cap. 19.* 245.

EX REGNORVM IV.

AVriga Iſraël Helias. *cap. 2.* 291.
Duplex Heliæ ſpiritus. *ibid.* 347.
Infans reſuſcitatus ab Heliſæo. *cap. 4.* 95.
Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus, vnuſquiſque in peccato ſuo morietur. *ibid.* 74.
Venit Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ in Hieruſalem, & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manu eius. *cap. 24.* 194.

EX PARALIPOMENON I.

NAbba, æra, tympana, tibias, citharas, choros. *cap. 15.* 292.

EX PARALIPOMENON II.

DOminus vobiſcum eſt, dum eſtis cum ipſo, ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos. *cap. 15.* 237.
Et dixit eis Zacharias: Hæc dicit Dominus Deus, Dereliquiſtis vias Domini, & ipſe derelinquet vos. *cap. 24.* 86.
Ozias lepra percuſſus. *cap. 26.* 185. 331.

EX ESDRÆ I.

SAtis non fit Deo cum vaſtarentur Iudæi, niſi alienigenas vxores cum filiis quoque quos ex illis procreauerant, reliquiſſent. *cap. 10.* 277.

EX ESDRÆ II.

DEſciuerunt à te, & abiecerunt legem tuam poſt dorſum ſuum, & Prophetas tuos interfecerunt, qui obteſtabantur eos, vt reuerterentur ad te. *cap. 2.* 245.

EX ESDRÆ III.

VEritas manet & inualeſcit in æternum: & viuit & obtinet in ſæcula ſæculorum, &c. *cap. 3.* 380.

EX TOBIA.

ET dixi Tobiæ filio meo: Vade & adduc quemcumque pauperem inueneris ex fratribus noſtris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto corde ſuo: eum adduc, manducabit pariter mecum prandium hoc. Ecce ſuſtineo te fili donec venias. *cap. 2.* 197.
Vbi ſunt iuſtitiæ tuæ, ecce quæ pateris. *ibid.* 210. 266.
Omnibus diebus vitæ tuæ, fili Deum in mente habe, & noli preterire præcepta eius, & iuſtitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis; quoniam agente te ex veritate erit reſpectus operum tuorum. Et ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei. Quomodo (*vel* prout) habueris fili, ſic fac. Si tibi fuerit copioſa ſubſtantia, plus ex illa fac eleemoſynam. Si exiguum habueris, ex hoc ipſo exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemoſynam. Præmium enim bonum reponis tibi in diem neceſſitatis. Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt eleemoſyna, omnibus qui faciunt eam coram ſummo Deo. *cap. 4.* 72. 214. 219.
Vxorem accipe ex ſemine parentum tuorum, & noli ſumere alienam mulierem, quæ non eſt de tribu parentum tuorum. *cap. 6.* 277.
Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. *cap. 2.* 196.
Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſina. *ibid.* 196, 215.
Quia eleemoſyna à morte liberat, & ipſa purgat peccata. *ibid.* 215.
Nam cum orabas tu & Sarra, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectum claritatis Dei. Et cum ſepelires tu mortuos ſimpliciter, & quia non cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, ſed abiſti & condidiſti mortuos (*vel* mortuum) miſſus ſum tentare te. Miſit me Deus curare te & Sarram nurum tuam. Ego enim ſum Raphael vnus ex ſeptem Angelis iuſtis, qui aſſiſtimus & conuerſamur ante claritatem Dei. *ibid.* 210. 262.

Ego in terra captiuitatis meæ confiteor illi, & oſtendo virtutem eius in natione peccatrice. *ibid.* 239.

EX IOB.

IOb homo verus & iuſtus habuit ſeptem filios, & filias tres. Et emundabit illos offerentes pro eis hoſtias Deo ſecundum numerum illorum, & pro peccatis eorum vnum. *cap.* 1. 219.

Ecce omnia quæcumque habet, in manus tuas dò, ſed ipſum caue ne tangas. *ibid.* 194.

Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus etiam ibo ſub terram: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, Sit nomen Domini benedictum. *ibid.* 210.

Animaduertiſti puerum meum Iob, non enim eſt ſimilis illi quiſquam in terris homo ſine querela; verus Dei cultor. *cap.* 2. *ibid.*

Dic verbum aliquod in Dominum & morere. At ille intuitus eam dixit: Tamquam vna ex inſipientibus mulieribus locuta es, Si bona excepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? *ibid.* *ibid.*

In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccauit Iob labiis ſuis in conſpectu Domini. *ibidem.* *ibid.* 226.

Reprehendam ſapientes in aſtutia ipſorum. *cap.* 5. 221. 277.

Quis enim mundus à ſordibus? nec vnus, etiam ſi vnius diei ſit vita eius in terra *cap* 14. 2-5.

Eſt arbori ſpes. Si enim abſciſſa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius tamquam deficit, quod ſi ſenuerit, in terra erit radix eius: ſi autem in petra mortuus fuerit truncus eius, ab odore aquæ reflorebit, & faciet frutitem quaſi nouella. Vir verò ſi mortuus fuerit, abiit, & mortalis ſi ceciderit, vtra iam non erit. *ibid.* 399.

Qui reſuſcitaturus eſt ſuper terram pellem meam, quæ hæc nunc haurit. *cap.* 59. *ibid.*

Conſeruaui egenum de manu potentis, & pupillo cui non erat adiutor auxiliatus ſum. Os viduæ benedixit me, cum eſſem oculus cæcorum. pes quoque claudorum ego eſſem, & inualidorum pater. *cap.* 29. 280.

Et, ſi oculis conſenſit cor meum *cap.* 31. 378.

Aut adduces draconem in hamo, & pones capiſtrum circa nares eius. *cap.* 40.

EX PSALMIS.

CAthedra peſtilentiæ. *cap.* 1. 182.

In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabor die ac nocte *ibid.* 283.

Et erit velut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo *ibid.* 354.

Ad quid tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes collecti ſunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius Diſrumpamus vincula eorum, & abiiciamus à nobis iugum ipſorum. *cap.* 2. 247 & 283.

Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, annuncians imperium ipſius. *ibid.* 219.

Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem terminos terræ *ibid.* 254.

Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas fictile confringes eos. *ibid.* 73.

Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram *ibid.* 283. *alias* 281.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *ibid.* 270.

Continete diſciplinam ne forte iraſcatur Dominus, & pereatis de via recta, cum exarſerit cito ira eius ſuper vos. *ibid.* 98. 62.

Ego dormiui & ſomnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus auxiliatus eſt mihi. *cap.* 3. 257.

Dicite in cordibus & in ſtratis veſtris, & tranſpungemini. *cap.* 4 18[illegible].

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Dominum. *ibid.* 247.

Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam: Mane aſſiſtam tibi & contemplabor te. *cap.* 5. 197.

Apud inferos autem quis confitebitur tibi? *cap.* 6. 283.

Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam. *cap.* 11. 393.

Qui pecuniam ſuam non dedit in fœnore, & munera ſuper innocentes non accepit: qui iſta fecerit non commouebitur in æternum *cap.* 14. 274.

Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *cap.* 15. 157.

Quia aſcendit ſuper Cherubin, & volauit ſuper pennas ventorum *cap* 17. 394.

Cum iuſto iuſtificaberis, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerſus eris. *ibid.*

Conſtitues me in caput gentium. Populus quem non cognouit, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. *ibid.* 247.

In vniuerſam terram exiuit ſonus eorum. *cap.* 18. 146.

Et ipſe velut ſponſus procedens de thalamo ſuo Exultauit vt Gigas viam currere, à ſummo cæli egreſſio eius, & decurſio eius vſque ad ſummum eius, & non eſt qui lateat à calore eius *ibid.* 47.

Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. *ibid.* 374.

Timor Domini caſtus perſeuerans in ſæcula ſæculorum. *ibid.*

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine. *ibid*

Det tibi Dominus ſecundùm cor tuum. *cap* 19. 37.

Iſti in curribus, & iſti in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimus. Ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus. *ibid.* 2 7.

Ego autem ſum vermis & non homo, maledictum hominis, & abiectio populi. Omnes qui me videbant deſpiciebant me, & locuti ſunt in labiis & mouerunt caput, ſperauit in Domino eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. *cap.* 21. 217.

Aruit velut teſta virtus mea, & lingua mea adglutinata eſt faucibus meis. *ibid.*

Et in puluerem mortis deduxiſti me. *ibid.* 391.

Effoderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi autem contemplati ſunt & viderunt me, & diuiſerunt veſtimenta mea ſibi; & ſuper veſtem meam ſortem miſerunt Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, in auxilium meum attende. Libera gladio animam meam, & de manu canis vnicam meam Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. *ibid.* 256.

Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum omnes termini terræ, & adorabunt in conſpectu tuo omnes patriæ gentium quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur omnium gentium. 159. *ibid.*

Calix tuus inebrians, quam peroptimus. 103. *cap.* 22.

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit

in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, & non iurauit ſubdolè proximo ſibi: iſte accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Iſta natiuitas eorum qui eum quærunt, qui quærunt faciem Dei Iacob. *cap. 23.* 156.

Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex claritatis? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio. Auferte portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales & introibit rex claritatis Quis eſt iſte rex claritatis? Dominus virtutum ipſe eſt rex claritatis. *ibid.* 259.

Vias tuas Domine oſtende mihi & ſemitas tuas doce me, deduc me ad veritatem tuam, & doce me, quoniam tu es Deus ſaluator meus. *cap. 24.* 250.

Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. *cap. 25.* 387.

Si directa fuerint in me caſtra non timebit cor meum. Si exſurrexit ſuper me bellum, in illud ego ſperabo. Vnam petii à Domino, hanc requiram vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. *cap. 26.* 143.

Redde eis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt de operibus Domini. *cap. 27.* 245.

Domine reduxiſti ab inferno animam meam, Saluaſti me à deſcendentibus in lacum. *cap. 29.* 257. 393.

Domine in voluntate tua, &c *ibid.* 332.

Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? *ibid.* 392.

Numquid exomologeſin faciet tibi puluis? *ibid.* 282.

In manus tuas commendo ſpiritum meum. *cap. 30.* 392.

Sermone Dei cæli ſolidati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *ibid.* 249.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. *cap. 33.* 268.

Guſtate & videte quoniam dulcis eſt Dominus: felix eſt vir qui ſperat in eum Timete Dominum Deum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia eis qui eum metuunt. Diuites eguerunt & eſurierunt, qui autem inquirunt Dominum non indigebunt omni bono. *ibid.* 247.

Quis eſt homo qui vult vitam, & amat videre dies optimos? *ibid.* 187.

Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur inuidioſè. Declina à malo & fac bonum, quære pacem & ſequere eam. *ibid.* 57. 187.

Proximus eſt Dominus contritis corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ preſſuræ iuſtorum ſed ex omnibus illis liberabit eos Dominus. *ibid.* 263.

Mors peccatorum mala. *cap. 36.* 369.

Noli zelare benè ambulantem in via ſua. *ibid.* 230.

Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ad eum dentibus ſuis. Deus autem irridebit eum, quoniam prouidet quia veniet dies eius. *ibid.* *ibid.*

Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem *ibid.* 219.

Tota die miſeretur, & fœnerat & ſemen eius in benedictione eſt. *ibid.* 151. 253. 219.

Vidi impium exaltatum, & extolli ſuper cedros Libani, & tranſiui & ecce non fuit, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius *ibid.* 79.

Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. *ibid.* 391.

Ego autem ſicut ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo increpationes. *ibid.* 391.

In capite libri ſcriptum eſt de me. *ibid.* 318.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus, *cap. 40.* 215. 263

Qui manducat panes meos, ampliabit aduerſum me ſupplantationem, *ibid.* 215. 391

Propter te interficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues victimæ, *cap. 43.* 37. 137

Eructauit cor meum ſermonem bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcriptoris acutè ſcribentis; decorus ſpecie ſuper filios hominum. Effuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in ſæcula. Accinge enſe tuo ad femur potentiſſimè. Decori & ſpeciei tuæ, & intende & dirige & regna propter veritatem, & manſuetudinem & iuſtitiam, *cap. 44.* 259

Thronus tuus Deus in ſæcula ſæculorum, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis ſuper participes tuos, *ibid.* 251. 336.

Aſtitit regina ad dexteram tuam in veſte inaurata, amicta eſt varietate. *ibid.* 259.

Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, obliuiſcere populi, & domus patris tui, quoniam deſiderauit Rex ſpeciem tuam, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus. *ibid.* 147. 259.

Vacate & cognoſcite, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus & exaltabor in terra. *cap. 45.* 251.

Aſcendit Deus in iubilatione, Dominus in voce tubæ. *ibid.* 394.

Deus Deorum Dominus locutus eſt & vocauit terram. A ſolis ortu vſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris eius. *cap. 46.*

Deus manifeſtus veniet, Deus noſter & non ſilebit, ignis ante eum ardebit, & in circuitu eius procella nimia. Aduocauit cælum ſurſum, & terram, vt ſeparet populum ſuum. Colligite illi iuſtos eius, eos qui diſponunt teſtamentum eius ſacrificiis, & annunciabunt cæli iuſtitiam eius, quoniam iudex eſt. *ibid.* 228. 258.

Non edam carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam. Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Inuoca me in die preſſuræ, & eruam te & clarificabis me. *ibid.* 274.

Peccatori autem dixit Deus: Ad quid exponis iuſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam & abiecisti ſermones meos retrò: ſi videbas furem, concurrebas ei, & inter mœchos particulam tuam ponebas. *cap. 49.* 105 111. 162.

Sacrificium laudis clarificabit me, & illic via eſt in qua oſtendam illi ſalutare Dei. *ibid.* 2 7.

Os tuum abundabat malitia, & lingua tua complectebatur inſidias; ſedens aduerſus fratrem tuum detrahebas, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. *cap. 49.* 57.

Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea. *cap. 50.* 275.

Tibi ſoli deliqui, & nequiſſimum in conſpectu tuo feci. *ibid.* 309.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. *ibid.* 156. 159. 210.

Qui hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus nihil fecit illis. *cap. 52.* 163.

Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi erant iacula. *cap. 54.* 395.

In Domino ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo. *cap. 55.* 265. *alias* 267.

Non niſi ſoli Deo ſubiecta eſt anima mea. *cap. 61.* *ibid.*

Aſcendit homo ad cor altum. *cap. 63.* 311.

Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius & fugiant à facie eius qui oderunt eum Sicut deficit fumus deficiant, ſicut tabeſcit cera à facie ignis; ſic pereant

peccatores à facie Dei, & iuſti iucundentur, & exultent in conſpectu Dei & lætentur in iucunditate. *cap. 67.* 258.

Cantate Deo, pſallite nomini eius, iter facite ei, qui aſcendit in occaſum. Deus nomen illi. *ibid.* 251.

Turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarum: Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. *ibid.* 17. 151. 182. 189.

Producens vinctos in virtute, ſimiliter eos qui in iram prouocant. Qui inhabitant in monumentis. Deus dum prodires in conſpectu populi tui, in tranſeundo in æternum. *ibid.* 258. 259.

Deſcendiſti in limum profundi, & non eſt ſubſtantia. *cap. 68.* 392.

Et dederunt in eſca mea fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto, *cap. 71.* *ibid.*

Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio regis, Iudicare populum tuum in iuſtitia. *ib.* 3. 259

Deus autem rex noſter ante ſæculum, operatus eſt ſalutem in medio terræ. *cap. 7.* 259.

Tu confregiſti capita draconis magni, dediſti eum in eſcam populo Æthiopum. *ibid.* 390.

Panem Angelorum manducauit homo. *cap. 77.* 329.

Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernens. *cap. 81.* 251.

Humilem & pauperem iuſtificate *ibid.*

Non cognouerunt, neque intellexerunt, in vmbra deambulabunt. *ibid.* 345.

Ego dixi: Dii eſtis, & filii altiſſimi omnes, vos autem ſicut homines moriemini. *ibid.* 251. 378.

Exurge Deus: iudica terram, quoniam tu exterminabis in omnibus gentibus. *ibid.* 259.

Quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum! deſiderat & properat anima mea ad atria Dei. *cap. 83.* 286.

Conuerſus viuificaſti me, & de abyſſo terræ, iterum reduxiſti me. *cap. 84.* 39.

Et factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. *cap. 87.* 338. 393.

Exclamaui ad te Domine tota die, extendi ad te manus meas. *cap. 8.* 257.

Et ego primogenitum ponam eum, altiſſimum apud reges terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele illi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius. *ibid.* 249.

Si dereliquerint legem meam & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtificationes meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga facinora eorum & in flagellis delicta eorum. *ibid.* 72. 170.

Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. *ibid.*

Angelis ſuis mandauit, &c. *ibid.* 325.

Super aſpidem & baſiliſcum conſcendes, & draconem & leonem calcabis. *cap. 90.* 306.

Parata ſedes tua ex tunc, à ſæculo tu es. *cap. 92.* 394

Dominus cognouit cogitationes ſapientium, quia ſtultæ ſunt. *cap. 93.* 222.

Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. *ibid.*

Annunciate in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno, & tranſiuit in gentibus. *cap. 95.* 354.

Dominus regnauit, exultet terra, iucundentur inſulæ multæ. *cap. 96.* 259.

Qui ædificat in cælo aſcenſum ſuum. *cap. 103.* 374.

Et tentauerunt Deum in loco inaquoſo. *ibid.* 258. 353.

Miſit ſermonem ſuum & curauit illos. *cap. 106.* 317.

Dixit Dominus Domino meo ſede ad dexteram meam, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ mittet Dominus à Syon, & dominaberis in medio inimicorum tuorum. *cap. 109.* 394.

Ante Luciferum genui te. *ibid.* 101. 247.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. *ibid.* *ibid.*

De torrente in via bibet. *ibid.* 5 80

Initium ſapientiæ timor Domini. *cap. 110.* 270.

Diſponet ſermones ſuos in iudicio. *cap. 111.* 394.

Diſtribuit dedit pauperibus, iuſtitia eius manebit in ſæculum ſæculi *ibid.* 262.

Idola gentium argentum & aurum opera manuum hominum. Os habent & non loquuntur. Oculos habent & non vident; aures habent, & non audiunt, neque enim eſt ſpiritus in ore eorum. Similes fiant illis qui faciunt ea. & omnes qui confidunt in illis. *cap. 113.* 235. 305.

Obſcurabitur ſuper terram in die lux *cap. 114.* 391.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo *ibid.* 156.

Pretioſa in conſpectu Domini mors iuſtorum eius. *cap. 115.* 19. 150. 158. 241.

Non metuam quid faciat mihi homo. Dominus mihi auxiliator eſt. *cap. 117.* 237.

Bonum eſt confidere in Dominum, quàm fidere in homine, bonum eſt ſperare in Dominum, quam ſperare in principibus. *ibid.* 265.

Emendans emendauit me Dominus. *ibid.*

Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factus eſt iſte, & eſt admirabilis in oculis noſtris. Iſte eſt dies quem fecit Dominus, ambulemus & iucundemur in eo, *ibid.* 258

O Domine ſalua igitur. O Domine dirige igitur, *ib.*

Benedictus eſt qui venit in nomine Domini, *cap. 118.* 250

Beati qui immaculati ſunt in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui perſcrutantur martyria eius, in toto corde exquirunt eum, *ibid.* 241. 270

Lucerna eſt pedibus meis verbum tuum, & lux ſemitis meis, *ibid.* 373

Confige clauis de metu tuo carnes meas, *ibid.* 257

Erraui velut ouis quæ periit, *ibid.* 309

Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent. Ambulantes ambulabant, & plorabant, mittentes ſemina tua. Venientes autem venient cum exultatione portantes gremia ſuâ, 241

Iurauit Deus ipſi Dauid veritatem & non reprobauit eam: de fructu ventris tui ponam ſuper thronum meum, *ibid.* 253

Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum, *cap. 132.* 143

Idola gentium argentum & aurum, &c. ſicut ſuprà, *cap. 134.* 234

Cantate nobis Cantica de Canticis Syon. *cap. 136.*

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? *ibid.* 354

Quod eſt imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. *cap. 138.* 176

Mihi autem vehementer honorificati ſunt amici tui, Deus. *cap.* 377.

Adleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. *cap. 140.* 104.

Oleum peccatoris non vngat caput meum, *ibid.* 18.

EX PAROEMIIS.

SALOMONIS.

QVoniam quidem vocabam & non obaudiebatis, & extendebam verba mea, & non intendebatis, ſed irrita faciebatis mea conſilia, meis autem increpationibus non intendebatis; itaque & ego

ego veſtræ perditioni ſuperridebo. *cap. 1.* 366

Gratulabor ergo aduerſum vos, cùm aduenerit vobis interitus, & cùm aduenerit vobis ſubitò tumultus: euerſio autem ſimul & procellæ, & cùm aduenerit vobis preſſura, & expugnatio. Erit enim, cùm me inuocaueritis, ego autem non exaudiam vos. Quærent me mali, & non inuenient; oderunt enim ſapientiam, Verbum autem Domini non aſſumpſerunt, neque voluerunt meis conſiliis intendere: Spreuerunt enim meas correptiones: ideóque edent vitæ ſuæ fructus, & ſua impietate ſatiabuntur, *ibid.* 367

Prudentiam fac notam tibi, vt te ſeruet à muliere aliena & peſſima, *cap. 2.* 368

Fili, ne neglexeris diſciplinam Dei, nec defeceris ab eo correptus: Quem enim diligit Deus corripit, *cap. 3.* 162. 180

Ne dixeris: Abi & reuertere, cras ego dabo, cùm poſſis continuò benefacere: non enim ſcis quid contingat ſequenti die, *ibid.* 261

Ne adduxeris impium in habitaculum iuſtorum, *cap. 4.* 279

Ne declinabis in dexteram, neque in ſiniſtram, *cap. 6.* 372

Pretium meretricis tantùm eſt vnius panis, mulier autem pretioſas animas capit, *ibid.* 368

Quis alligabit in ſinu ſuo ignem, veſtimenta autem ſua non comburat? Aut quis ambulabit ſuper carbones ignis, pedes verò non comburet? &c. *ibid.* 367.

Dominus condidit me initium viarum ſuarum, in opera ſua ante ſæculum fundauit me: in principio antequam terram faceret & antequam abyſſos conſtitueret, priuſquam procederent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles genuit me Dominus, fecit regiones & inhabitabilia, & fines inhabitabiles ſub cælo, cùm pararet cælum, aderam illi, & cùm ſecerneret ſuam ſedem, cùm ſuper ventos validas faceret deſuper nubes, & cùm confirmatos ponebat fontes ſub cælo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum diſponens, ego eram cui adgaudebat: quotidie autem iucundabar ante faciem eius in omni tempore, cùm lætaretur orbe perfecto. *cap. 8.* 249

Sapientia ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem. Mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & parauit ſuam menſam, & miſit ſeruos ſuos conuocans cum excelſa prædicatione ad crateram dicens: Qui eſt inſipiens, declinet ad me Et egentibus ſenſu dixit: Venite edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Derelinquite ſtultitiam, & quærite prudentiam, & corrigite ſcientiam in intellectu, *cap. 9.* 101. 249

Qui corripit impium odietur ab eo, corripe ſapientem, & diliget te, *ibid.* 280

Non occidet Dominus fame animam iuſti, *cap. 10.* 193. 209. 217.

Qui fidens eſt in falſis, hic paſcit ventos. *ibid.* 283

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat fidenter. *ibid.* 275.

In multiloquentia non effugies peccatum, parcens autem labiis ſenſatus eris, *ibid.* 280

Captans annonam maledictus in plebe eſt. *cap. 11.* 276.

Si iuſtus vix ſaluus erit, iniuſtus vbi parebit? *ibid.* 373.

Benedictio autem eius in capite eſt qui communicat, *ibid.* 276

Imprudens eadem die enuntiat iram ſuam; abſcondit autem in honorationem ſuam aſtutus, *cap. 12.* 266

Abominatio eſt Domino, labia mendacia, *ibid.* 282

Qui parcit baculo, odit filium, *ibid.* *ibidem.*

Noli diligere detrahere, ne extollaris: *cap. 13.* *ibid.*

Eſt via quæ videtur apud homines recta eſſe: nouiſſima autem eius veniunt in profundum inferorum, *cap. 14.* 374

Sapiens timendo declinabit ab omni malo: inſipiens autem confidens ſui miſcetur iniquo. *ibid.* 367

Liberat de malis animam martyr fidelis, *ibid.* 269

In omni loco ſpeculantur oculi Dei, bonos & malos, *cap. 15.* 188. 275

Qui oderunt correptiones, conſumentur turpiter, *ibid.* 100

Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe, *ib.* *ibid.*

Eleemoſynis & fide peccata purgantur, *ibid.* 214. 263.

Cor viri cogitet iuſta, vt à Deo dirigantur greſſus eius, *cap. 16.* 232

Peruerſus in ore ſuo portat perditionem, & in labiis ſuis ignem condit; *ibid.* 87

Melior eſt vir patiens forti. Qui enim iracundiam continet, melior eſt, quàm qui vrbem capit, *ibid.* 266

Malus obaudit lingua iniquorum, iuſtus autem non intendit labiis mendacibus, *cap. 17.* 87. 116

Frater fratrem adiuuans exaltabitur, *cap. 18.* 76

Teſtis falſus non erit impunitus, *cap. 19.*

Qui miſeretur pauperis, Deum fenerat, *ibid.* 218. 263.

Qui conuerſatur ſine vituperatione in iuſtitia, beatos filios relinquit, 219. 263

Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis? *ibid.* 215

Ne dixeris: Vlciſcar me de inimico meo, ſed expecta Dominum vt tibi auxilio ſit, *cap. 21.* 200. 280

Qui obturat aures ſuas ne audiat imbecillum, & ipſe inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum, *ibid.* 215. 263

Aſtutus videns malum puniri, vehementer erudietur: Cadentibus impiis iuſti vehementer terrebuntur, *cap. 22.* 367

In aures imprudentis noli quicquam dicere: ne quando audierit, irrideat ſenſatos ſermones, *cap. 23.* 197. 274.

Si eſurierit inimicus tuus, paſce eum: & ſi ſitierit, potabis eum: hoc enim faciens carbones viuos ſuperfundes capiti eius, 263

Noli reſpondere inſipienti ad ipſius inſipientiam, ne ſimilis fias illi: ſed reſponde inſipienti, contra ipſius inſipientiam, vt non videatur ſibi ſapiens eſſe, *cap. 26.* 197. 374. 375

Qui fodit foueam proximo ſuo, ipſe incidet in eam, *ibid.* 280

Beatus homo qui veretur omnia per metum, *cap. 28.* 270

Qui dat pauperibus, numquam indigebit: qui autem auertit oculum ſuum, in multa penuria erit, *ibid.* 216. 261.

Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata, *cap. 29.* 149

Infernus & amor mulieris, & terra quæ non ſatiatur aqua: & ignis non dicit, ſufficit, 375

EX ECCLESIASTE.

NOn ſatiatur oculus videndo, 377

Vidi vniuerſa opera quæ facta ſunt ſub ſole, & ecce omnia vanitas, 410

Prout voueris votum Deo, ne moram feceris reddere illud, *cap. 5.* 272

Noli eſſe iuſtus multùm, & noli argumentari: pluſquam oportet, *cap. 7.* 275

Sciendens ligna periclitabitur in eis, ſi inciderit ferrum, *cap. 10.* 279

EX CANTICIS.

POſuerunt me cuſtodem in vineam, ſiue, pomarij, *cap. 1.* 353. 355
In cubili meo quæſiui quem dilexit anima mea in noctibus quæſiui eum, & non inueni eum, *cap. 3.* 394.
Exite & videte filiæ Hieruſalem coronam qua coronauit eum mater ſua, *ibid.* 392
Veni ſponſa de libano, aduenies & pertranſibis à principio fidei., *cap. 4.* 147
Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum, *ibid.* 152. 147. 151
Intraui in hortum meum ſoror mea, ſponſa, & vindemiaui myrrham meam, *cap. 5.* 147. 393
Ego dormio & cor meum vigilat, *ibid.* 196
Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? *ibid.* 334.
Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ, *cap. 6.* 150. 180. 396

EX SAPIENTIA.

IN ſimplicitate cordis quærite illum, *cap. 1.* 273
Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, *ibid.* 72
Circumueniamus iuſtum, quoniam inſuauis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & exprobrat nobis peccata legis. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium Dei ſe nominat, factus eſt nobis in traductione cogitationum noſtrarum, grauis eſt nobis etiam ad videndum quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & mutatæ ſunt viæ illius. Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & continet ſe à viis noſtris, quaſi ab immunditiis, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ futura (*vel* ventura) ſunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt & errauerunt, excæcauit enim illos malitia ipſorum, & neſcierunt ſacramenta Dei. *ibid.* 354. 397
Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui ſunt ex parte eius, *ibid.* 229.
Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt, & in paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos & inuenit illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnauit Dominus eorum in perpetuum, *cap. 3.* 159. 241. 242. 268. 269. 300. 302
Diſciplinam qui abiicit, infœlix eſt, *ibid.* 98. 162
In locis impiorum gemunt iuſti, in illorum autem perditionem, abundabunt iniuſti, *ibid.* 166
Melius eſt eſſe ſine filiis cum claritate. Immortalitas eſt enim in memoria illius; quia & apud Deum nota eſt, & apud homines. Cùm præens eſt, imitantur illam, & deſiderant eam cùm ſe abduxerint; & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum prœlium viſcens, *cap. 4.* 381.
Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius, placita enim erat Deo anima illius, *ibid.* 276
Propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatis, *ibid.* 113
Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes inter ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Non inſenſati æſtimabamus vitam illorum inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulauimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis proficit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, *cap. 5.* 150. 242. 269.
Iudicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur, *cap. 6.* 283
Qui enim cuſtodierint iuſtè iuſta iuſtificabuntur, *ibid.* 373
Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit interrogare quid velit Deus, &c. *cap. 9.* 372
Deprimit terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem, *ibid.* *ibidem.*
Neque opera adtendentes, agnouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut girum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt. Quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimauerunt, ſciant quantò iis Dominus ſit ſpecioſior: aut ſi virtutes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit fortia fortior eſt illis, *cap. 13.* 235. 276
Omnia idola nationum exiſtimauerunt deos, quibus neque oculorum vſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad contrectandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos & qui ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere; cùm ſit enim mortalis mortuum, fingit manibus iniquis. Melior eſt autem ipſe iis quos colit, quoniam ipſe quidem vixit, illi autem numquam, *cap. 15.* 234. 276.
Panem de cælo, *cap. 16.* 276. &c. 331

EX ECCLESIASTICO.

INitium ſapientiæ metuere Deum, *cap. 1.* 270
Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, *ibid.* 209. 300
In dolore ſuſtine, & in humilitate tua habe patientiam: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines autem receptibiles in camino humiliationis, *ibid.* 209. 226
Reſpice fili nationes hominum, & ſcito. Quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt? permanſit in mandatis illius, & derelictus eſt? aut inuocauit eum, & deſpexit illum? quoniam pius & miſericors Dominus, & remittens in tempore tribulationis peccata omnibus inquirentibus ſe in veritate, *ibid.* 310
Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, *cap. 3.* 275
Amans periculum in illo peribit, *ibid.* 382
Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum, *ibid.* 114. 263
Eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris velut filius Altiſſimi, ſi obedieris, *cap. 4.* 283. *alias* 281

Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis, 280
Ne dixeris: Peccaui, & quid accidit mihi triſte? Eſt enim Altiſſimus patiens redditor, *cap 5.* 273
Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, *cap. 6.* 279
Ex tota anima tua time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica. Honora Deum ex tota anima tua & honorifica ſacerdotes eius, *cap. 7.* 108
Ne pigriteris viſitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis, *ibid.* 280
Cum ſaltatrice noli aſſiduus eſſe, nec audias illam, ne fortè diſpereas in efficacia eius, *cap. 9.* 371
Cum aliena muliere ne ſedeas omninò, & ne alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem, *ibid.* *ibidem.*
Longè abeſto ab homine habente poteſtatem occidendi, & non ſuſpicaberis timorem, *ibid.* 279
Viri iuſti ſint tibi conuiuæ, *ibid.* *ibid.*
Noli te extollere in faciendo opere tuo, *cap. 10.* 274.
Qui gloriatur in diuitiis, paupertatem vereatur, *ibid.* 382
Ante mortem ne laudes hominem quemquam. *cap. 11.* 13
Ab ſcintilla vna augetur ignis, *ibid.* 380
Omne animal diligit ſimile ſibi, *cap. 13.* 374
Fili ſi habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer, memorare quoniam mors non tardat, *cap. 14.* 263
Abominatio eſt coram Domino, defigens oculum, *ibid.* 377
Qui diligit argentum non ſatiabitur argento, *cap. 19* 279
Qui ſpernit modica, paulatim cadet, *cap. 23.* 373
Vir multùm iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga; & ſi vanè iurauerit non iuſtificabitur, *ibid.* 268
Ego ex ore Altiſſimi prodiui ante omnem creaturam. Ego in cælis feci, vt orietur lumen indeficiens, & nebula texi omnem terram. Ego in altis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Girum cæli circuiui, & in profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti. Et in omni populo, & in omni gente, primatum habui, & omnium excellentium & humilium corda propria virtutem calcaui, *cap. 24.* 249
In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, *ibid.* *ibidem.*
Beatus qui inuenit amicum verum, & qui enarrat iuſtitiam auri audienti, *cap. 25.* 279
Beatus vir qui veretur omnia per metum, *ibid.* 367
A muliere factum eſt initium peccati, & propter hanc omnes morimur, *ibid.* 368
Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis, *cap. 27.* 210. 237. 266
Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt, *ibid.* 374
Suſurro & bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes, *cap. 28* 280
Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, *ibid.* 83. 117. 185. 279
Conclude eleemoſynam in corde pauperis, hæc pro te exorabit ab omni malo, *cap. 29.* 215. 263
Nequius oculo quid creatum eſt, *cap. 31.* 377
Rectorem te poſuerunt, noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis, curam illorum habe, & conſidera, *cap 32.* 348
Peccator homo euitat correptionem, & ad voluntatem ſuam inuenit comparationem, 374
Non te credas viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum, *ibid.* *ibidem.*
Dona iniquorum non probat Altiſſimus, *c. 34.* 280
Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? *ibid.* 119
In medio mulierum noli aſſiduus eſſe, *cap. 42.* 383
De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri, *ibid.* 369
Melior eſt iniquitas viri, quàm benefaciens mulier, *ibid.* 374

EX ESAIA.

AVdi cælum & auribus percipe terra quoniam Dominus locutus eſt, *cap. 1.* 245
Filios generaui & exaltaui, ipſi autem me reprobauerunt. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non me intellexit. Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis. Semen nequam, filij ſceleſti; dereliquiſtis Dominum, & in indignationem miſiſtis illum ſanctum Iſraël, *ibid.* 190. 231. 245
Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ igni exuſtæ; regionem veſtram in conſpectu veſtro, alieni comedent eam; & deſerta & ſubuerſas populis alienis derelinquetur filia Syon, ſicut caſa in vinea, & ſicut cuſtodiarium in cucumerario, quaſi ciuitas quæ expugnatur. Et niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimilaremur, *ibid.* 246
Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum dicit Dominus? Plenus ſum, holocauſtomata arietum, & pinguamina agnorum, & ſanguinem taurorum & hircorum nolo. Quis enim exquiſiuit iſta de manibus veſtris? *ibid.* 247
Neomenias ſabbatum & diem magnum non patior, ferias & ieiunium veſtrum execratur anima mea, *ibid.*
Iam non laxabo peccata veſtra. Cùm extenderitis manus, auertam faciem à vobis, etſi multiplicaueritis preces, non exaudiam vos. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris à conſpectu oculorum meorum, ceſſate à nequitiis veſtris. Diſcite bonum facere, exquirite iudicium, conſeruate eum qui iniuriam patitur, iudicate pupillo, & iuſtificate viduam, & venite diſputemus dicit Dominus, etſi fuerint peccata veſtra vt phœniceum, vt niuem exalbabo: etſi fuerint quaſi coccinum, vt lanam inalbabo. Et ſi volueritis & audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet. Os enim Domini locutum eſt iſta, *ibid.* 283. *alias* 281. 309.
Et erit in nouiſſimis diebus (*vel* temporibus) maniſeſtus mons Domini, & domus Dei ſuper vertices montium, & exaltabitur ſuper colles, & venient ſuper illum omnes gentes, & ambulabunt multi, & dicent: Venite aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob, & nunciabit nobis viam eius, & ambulabimus in illa. De Syon enim procedet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem. & iudicabit inter gentes, & redarguet populum multum; & concident gladios ſuos in aratra & lanceas ſuas in falces, & iam non diſcent pugnare, *cap 2.* 143. 246 255. 354
Venite ambulemus in lumine Domini. Dimiſit enim populum ſuum domum Iſraël, *ibid.* 246
Completa eſt, &c. *ibid.* *ibidem.*
Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & curuatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis, *ibid.* 106. 170. 201. 235
Dies enim Domini Sabaoth ſuper omnem iniurioſum & ſuperbum, & ſuper omnem elatum & excelſum, *ibid.* 79. 206
Ecce dominator Dominus Sabaoth auferet a Iuda & Hieruſalem valentem & val dum, valentiam panis & valentiam aquæ. *cap. 3.* 247
Dominus abſtulit ab Hieruſalem virtutem panis

& aquæ, fortem, gigantem hominem, & bellatorem, judicem, Prophetam, deſtinatorem & ſenem laudabilem, conſiliatorem & peritum architectum, & prudentem adjutorem. *ibid.*

Væ animæ ipſorum, quia cogitauerunt cogitationem peſſimam aduerſum ſeipſos dicentes: Alligemus iuſtum, quia inutilis eſt nobis, *ibid.* 390

Qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitam pedum veſtrorum turbant, *ibid.* 40. 172. 281.

Ipſe Dominus in iudicium veniet, cum ſenioribus & principibus populi, *ibid.* 391

Exaltatæ ſunt filiæ Syon, & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & inceſſu pedum, trahentes tunicas, & pedibus ſimul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Syon, & reuelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam veſtis illarum, & ornamenta earum, & crines, & cincinnos, & lunulas, & diſcriminalia, & armillas, & bottonatum, & dextralia, & annulos, & inaures, ſerica contexta cum auro & hiacyntho. Et erit pro odore ſuauitatis puluis, & pro cingulo reſte cingeris, & pro ornamento capitis caluitium habebis, *ibid.* 151

Septem mulieres apprehendent hominem vnum, *cap.* 40. 140

Et expectaui vt faceret vuas, fecit autem ſpinas, & non iuſtitiam, ſed clamorem, *cap.* 5. 391

Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt, *ibid.* 103

Væ qui coniungunt domum ad domum, & agrum ad agrum continuant, vt auferant proximo ſuo aliquid. Numquid habitabitis ſoli ſuper terram, *ibid.* 276.

Væ qui arguti ſunt in ſemetipſis, *ibid.* 275

Et in his omnibus non ſunt conuerſi, igitur extollet ſignum in gentes quæ longæ ſunt, & attrahet illos à ſummo terræ. Et ecce citò leniter venient, non eſurient neque ſitient, *ibid.* 247

Viſio Iſaiæ, *cap.* 6. 311

Vade & dic populo iſti: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incraſſauit enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos concluſerunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & reuertantur, & curem illos, *ibid.* 245. 298. 305

Si non credideritis non intelligetis, *cap.* 7. 245. 27.

Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in altitudinem ſurſum, & in altitudinem deorſum. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum Deum meum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel manducabit; priuſquam ſciat reprobare malum, & eligere bonum, *ibid.* 19 20. 252

Vos noluiſtis aquam Syloa, quæ vadit ſilentio, ſed magis voluiſti aquam Raſſin, quapropter induco vobis Regem Aſſyriorum, qui montes veſtros in planum dabit, & introibit terras veſtras, *cap.* 8. 406

Tunc manifeſti erunt, qui ſignant legem ne diſcant. Et dicet: Expecto Deum qui auertit faciem ſuam à domo Iacob, & fidens ero in illum, *ibid.* 246

Terra Zabulon & terra Nephtalim via maris, & cæteri qui maritima inhabitant, & trans Iordanem gentium populus ambulans in tenebris, videte lumen magnum, qui habitatis in regione vmbræ mortis, lumen lucebit ſuper vos. *capit.* 9. 247.

Ecce natus eſt nobis puer. & datus eſt nobis filius, cuius imperium ſuper humeros eius, & vocatum eſt nomen eius Magnæ cogitationis nomen, *ibid.* 157. 315. 417.

Verbum conſummans & breuians in iuſtitia: quoniam ſermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ, *cap.* 10. 249. 383

Et exibit virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Domini, *cap.* 11. 253. 336.

Et erit in die illa radix Ieſſe, qui ſurget imperare omnibus gentibus: in illum gentes ſperabunt, & erit requies eius honor, *ibid.* 274. *alias* 249

Vlulate, proximus eſt enim dies Domini, & obtritio à Deo erit, *cap.* 13. 203

Ecce enim dies Domini venit, inſanabilis indignationis & iræ, ponere orbem terræ deſertum, & peccatores perdere ex eo. *ibid.* *ibidem.*

Tu autem dixiſti in animo tuo, in cælum aſcendam, ſuper ſtellas Dei ponam ſedem meam, ſedebo in monte alto, ſuper montes altos in Aquilonem, aſcendam ſuper nubes, ero ſimilis Altiſſimo. Tu verò ad inferos deſcendes in fundamenta terræ, & qui te videbunt mirabuntur ſuper te, *cap.* 14. 79.

Hic homo qui concitat terram & commouet reges, qui ponit orbem terræ totum deſertum, *ibid.* 283.

Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Non remittetur vobis peccatum iſtud, quoadvſque moriamini, *cap.* 22. 276

Reſurgent mortui, & ſuſcitabuntur qui in monumentis ſunt, *cap.* 26. 197

Mulieres quæ venitis ab ſpectaculo venite. Non enim eſt populus habens intellectum, *ibid.* 393

Ecce ego immitto in fundamenta Syon lapidem pretioſum electum, ſummum angularem, honoratum, & qui crediderit in eum non confundetur, *cap.* 28. 255

Dedit illis Deus ſpiritum tranſpunctionis, *cap.* 83. 178

Et erunt vobis hi omnes ſermones, ſicut ſermones libri qui ſignatus eſt: quem ſi dederis homini ſcienti litteras ad legendum, dicet: Non poſſum legere, ſignatus eſt enim, *ibid.* 245

Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes, *ibid.* 104

Sed in illa die audient ſurdi ſermones libri, & qui in tenebris, & qui in nebula ſunt; oculi cæcorum videbunt, *ibid.* 245

Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, *ibid.* 222

Væ vobis filij deſertores: Hæc dicit Dominus: Habuiſtis conſilium & non per me, & feciſtis conuentionem, & non per ſpiritum meum adiicere peccata ſuper peccata, *cap.* 30. 80. 305

Nunc exurgam dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini, vana erit fortitudo ſpiritus veſtri, ignis vos conſumet, *capit.* 33. 258.

Quis nunciabit vobis, quia ignis ardet? Quis nunciabit vobis locum illum æternum? Ambulans in iuſtitia, & manus abſtinens à muneribus, grauans aures, vt non audiat iudicium ſanguinis, & comprimẽs oculos ſuos ne videat iniuſtitiam. Hic inhabitabit in alta ſpelunca petræ fortis. Panis illi dabitur, & aqua eius fidelis, regem cum claritate videbitis, *ibid.* 187

Confortamini manus reſolutæ, & genua debilia, exhortamini. Qui eſtis puſillanimi, nolite metuere. Deus noſter iudicium retribuet, ipſe veniet, & ſaluos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient. Tunc ſaliet claudus ſicut ſeruus, & plana erit lingua mutorum, quia ru-

pta eſt in deſerto aqua & riuus in terra ſitienti. *cap. 35* 251.

Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Omnis riuus implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt omnia tortuoſa in directum, & aſpera in campum, & videbitur claritas Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei, quoniam Dominus locutus eſt. *cap. 49.* 251.

Clama: Omnis caro fœnum, & omnium claritas eius vt flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum. *ibid.* 163. 276.

Palmo menſus ſum cælum, & pugno comprehendi terram, & finxi hominem ex omni limo terræ. *ibid.* 352.

Ecce feci te ſicut rotas vehiculi triturantis, nouas in ſe retornatas, & triturabis montes, & extenuabis colles, & ſicut lanuginem pones, & ventilabis, & ventus occupabit illos & procella diſperget: tu autem incundaberis in ſanctis Iſraël, & exultabunt inopes, & egeni; quærent enim aquam, & non erit, lingua enim illorum à ſiti ſiccabit. Ego Dominus Deus ego exaudiam Deus Iſraël, & non dereliquam eos, ſed aperiam inter montes flumina, & in mediis campis fontes, faciam deſertam in nemora aquoſa, & ſitientem terram in aquæ ductus; ponam in inaquoſam terram, cedrum & buxum, & myrthum, & cypreſſum, & populum, vt videant & cognoſcant, & ſciant & credant ſimul quia manus Domini fecit iſta, & ſanctus Iſraël oſtendit. *cap. 41.* 250.

Ecce puer meus dilectiſſimus, ponam ſuper eum ſpiritum meum, & iudicium gentibus nuntiabit. &c. *cap. 42.* 355.

Non clamabit, neque audiet quis in plateis vocem eius, arundinem quaſſatam non conſtringet & linum fumigans non extinguet, ſed in veritate proferet indicium, fulgebit & non quaſſabitur, quoadusque ponat in terra iudicium & in nomine eius gentes credent. *ibid* 228. 253.

Ego Dominus Deus, vocaui te in iuſtitia, vt teneam manum tuam, & conforrabo te; & dedi te in teſtamentum generis mei in lumen gentium, aperire oculos cæcorum, producere à vinculis vinctos, & de domo carceris ſedentes in tenebris. Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen eſt, claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas ſculptilibus. *ibid.* 251. 252.

Dominus Deus virtutem prodibit & comminuet bellum, excitabit certamen, & clamabit ſuper inimicos ſuos cum fortitudine. Tacui. Numquid ſemper tacebo? *ibid.* 228. 258.

Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſraël, his qui prædabantur illum? Nonne Deus cui peccauerunt, & nolebant in viis eius ambulare neque audire legem eius? Et ſuperduxit ſuper eos iram animationis ſuæ. *ibid.* 174. 194.

Noli timere quia te redemi, & vocaui te nomine tuo, meus es tu. Et ſi tanſieris per aquam tecum ſum, & flumina te non inundabunt. Et ſi tranſieris per ignem, flamma te non comburet. Quoniam ego Dominus Deus tuus, ſanctus Iſraël, qui te ſaluum facio. *cap. 43.* 28.

Nolite ergo priora meminiſſe, & antiqua nolite reputare. Ecce ego facio noua, quæ nunc orientur, & cognoſcetis, & faciam in deſerto viam & flumina in loca inaquoſa, adaquare faciam genus meum electum plebem meam quam acquiſiui vt virtutes meas exponeret *ibid.* 101. 246.

Ego ſum, ego ſum, qui deleo facinora tua, & non commemorabor te, tu autem in mente habe, & iudicemus Dic tu facinora tua prius, vt iuſtificeris. *ibid.* 245.

Sic dicit Dominus Chriſto meo Domino, cuius tenui dexteram, vt exaudiant eum gentes Et fortitudinem regum diſrumpam; aperiam ante illum portas, & ciuitates non claudentur. *cap. 45.* 247.

Sic dicit Dominus Deus Sabaoth: Fatigata eſt Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabaim viri alti ad te tranſgredientur, & tui erunt ſerui, & poſt te ambulabunt vincti compedibus: & adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus eſt, & non eſt Deus alius præter te. Tu enim es Deus, & non ſciebamus, Deus Iſraël ſaluator. Confundentur & reuerebuntur omnes, qui aduerſantur tibi, & cadent in confuſionem. *ibid.* 250.

Si ſitierint per deſerta adducet illos, aquam de petra producet illis, findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. *cap. 48.* 102. 246.

Non ſum contumax, neque contradico, dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non auerti à fœditate ſputorum; & fuit Deus auxiliator meus. *cap. 50.* 15. 253.

Reuelauit Dominus brachium ſuum, illum ſanctum, in conſpectu omnium gentium; videbunt omnes gentes ipſa ſuprema terræ ſalutem à Deo. *cap. 52.* 250.

Diſcedite, diſcedite, exite inde, & immundum nolite tangere. Exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini. *ibid.* 171. 273. 349.

Quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. *ibid.* 247 391.

Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Annunciauimus coram ipſo ſicut pueri, ſicut radix in terra ſitienti Non eſt figura eius neque claritas, & vidimus illum, & non habuit figuram neque ſpeciem, ſed figura eius ſine honore, & deficiens præter cæteros homines. Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre imbecillitatem: quia auerſa eſt facies eius, inhonoratus eſt, & non eſt computatus. Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus illum eſſe in dolore, & in plaga, & in vexatione: ipſe autem vulneratus eſt propter facinora noſtra, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Doctrina pacis noſtræ ſuper illum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes ſicut oues errauimus, homo à via ſua errauit, & Deus tradidit illum pro peccatis noſtris, & ipſe propterea quod vexatus eſt, non aperuit os ſuum. *cap. 53.* 250. 253. 351.

Sicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum: in humilitate iudicium eius ſublatum eſt, natiuitatem eius quis enarrabit? Quoniam auferetur à terra vita eius, à facinoribus populi mei adductus eſt ad mortem, & dabo malos pro ſepultura eius, & ipſos diuites pro morte eius, quia facinus non fecit, neque inſidias ore ſuo, propterea ipſe conſequetur multos, & fortium diuidet ſpolia: propterea quod tradita eſt ad mortem anima eius, & inter facinoroſos deputatus eſt. Et ipſe peccata multorum pertulit, & propter facinora illorum traditus eſt. *ibid.* 15. 228. 154.

Iucundare ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis, quia multi filij deſertæ, magis quam eius quæ habet virum. Dixit enim Dominus: Dilata locum tabernaculi tui, & auleorum tuorum, & fige. Noli parcere, longas fac menſuras tuas, & palos tuos confirma. Adhuc in dexteram tuam, & in ſiniſtram tuam extendere, & ſemen tuum gentes poſſidebit, & ciuitates deſertas inhabitabit. Noli timere quia reuinces, neque reuerearis, quam maledicta es, quoniam confuſionem æternam obliuiſceris. *cap. 54.* 248.

Ad tempus in modico derelinquam te, in miſerationibus magnis congregabo te *cap. 55.* 352.

Qui ſititis, vadite ad aquam, & quotquot non habetis pecuniam, euntes emite, & bibite ſine pecunia.

Ecce teſtem manifeſtaui illum nationibus, principem & imperantem gentibus. Gentes quæ non nouerunt te inuocabunt te, & populi qui ignorabant te, ad te confugient. *ibid.* 280.

Quærite Dominum, & cum inueneritis, inuocate eum. Cùm autem appropinquauerit vobis, relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſericordiam conſequetur, quia in multum remittet peccata veſtra. *cap.* 57. 265.

Videte quomodo iuſtus perit, & nemo intelligit: & viri iuſti tolluntur, & nemo recognoſcit, à facie enim iniuſtitiæ ſublatus eſt iuſtus, & erit in pace ſepultura eius. *ibid.* 254.

Super quem aperuiſtis os veſtrum, & aduerſus quem relaxaſtis linguas veſtras? *ibid.* 391.

Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia, ſuper hæc non indignabor? dicit Dominus *ibid.* 83. 106. 235.

Non in æternum indignabor vobis, neque ſemper non defendam vos *ibid.* 307.

Propter peccatum modicè contriſtaui eum, & percuſſi eum, & auerti faciem meam ab eo, & contriſtatus eſt, & abiit triſtis in viis ſuis. Vias eius vidi & curaui eum, & dedi ei exhortationem veram, pacem ſuper pacem. *ibid.* *ibid.*

Exclama in fortitudine, & noli peccare: ſicut tuba exalta vocem tuam, annuncia plebi meæ peccata ipſorum, & domui Iacob facinora eorum. *cap.* 58. 219

Me de die in diem quærunt, & cognoſcere vias concupiſcunt, quaſi plebs quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei non deſeruerit. Poſtulant nunc me iudicium iuſtum, & appropinquare Deo concupiſcunt, dicentes. Quid, quia ieiunauimus & non vidiſti, humiliauimus animas noſtras, & non cognouiſti? In diebus enim ieiunii inueniuntur voluntates veſtræ: aut enim ſubiectos vobis ſubpungitis, aut ad iudicia & lites ieiunatis, aut proximos cæditis pugnis? vt quid mihi ieiunatis vt hodie vox veſtra audiatur in clamore? Non hoc ieiunium ego elegi, niſi humiliet homo animam ſuam. Etſi contorſeris quaſi circulum, collum tuum, & ſaccum & cinerem ſubſtraueris, nec ſi vocabitur ieiunium acceptum. Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus. *ibid.* 263.

Sed ſolue omnem nodum iniuſtitiæ, reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem iniuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies, tunc erumpet temporaneum lumen tuum & veſtimenta tua cito orientur, & præibit ante te iuſtitia & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabit & Deus exaudiet te, & dum adhuc loqueris, dicet: Ecce adſum. *ibid.* 196. 215. 263. 278.

Numquid non valet manus Domini vt ſaluos faciat? aut grauabit autem vt non exaudiat? Sed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant, & propter delicta veſtra auertit faciem ſuam à vobis ne miſereatur. *cap.* 59. 174. 200 250. 274.

Manus enim veſtræ inquinatæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri in peccatis. Labia autem veſtra locuta ſunt facinus. Et lingua in veſtra iniuſtitiam meditatur. Nemo loquitur vera, neque eſt iudicium verum. Fident in vanis, & loquuntur inania, qui parturiunt dolorem & pariunt facinus. *ibid.* 250 274.

Spiritus Domini ſuper me propter quod vnxit me, bene nunciare pauperibus miſit me, curare contributos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, vocare annum Domini acceptabilem & diem retributionis. *cap.* 61. 252. 386.

Quis eſt iſte qui venit de Edom, rubor veſtimentorum eius ex Boſor? Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua, & indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni, & percalcati? *cap.* 63. 392.

Torcular calcaui ſolus, filiæ Sion. *ibid.* 392.

Non ſenior neque angelus, ſed ipſe Dominus liberabit illos, quia diliget eos & parcet eis, & ipſe redimet eos, *ibid.* 251.

Manifeſtus factus ſum eis, qui me non quærunt; inuentus ſum ab eis, qui me non interrogabant. Dixi: Ecce adſum genti quæ non inuocauit nomen meum. *ibid.* 247.

Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem, & contradicentem mihi; qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua. *ibid.* 245. 256.

Ecce qui ſeruiunt mihi, manducabunt; vos autem eſurietis. Ecce qui mihi ſeruiunt, bibent; vos autem ſitietis: ecce qui mihi ſeruiunt iucundabuntur, vos autem confundemini. Vos interficiet Dominus. Eis autem qui ſeruiunt mihi nomen nominabitur nouum, quod benedicetur in terra. *ibid.* 247.

Dicit Dominus Deus, Cælum mihi thronus, & terra ſuppedaneum pedum meorum, quam mihi ſedem ædificabitis, aut quis locus ad requiem mihi? Omnia enim iſta fecit manus mea, & ſunt omnia mea iſta. *cap.* 66. 250 266.

Et ſuper quem aſpiciam alium, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos. *ibid.* 14. 30

Ecce enim Dominus ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus eius, retribuere in ira vindictam. In igne enim Domini iudicabuntur, & in gladio eius vulnerabuntur. *ibid.* 228.

Venio colligere omnes gentes & linguas, & venient & videbunt claritatem meam, & dimittam ſuper eos ſignum, & mittam ex eis conſeruatos in gentes quæ longæ ſunt, quæ non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam, & renunciabunt claritatem meam in gentes *ibid.* 247.

EX HIEREMIA.

PRiuſquam te formarem in vtero noui te: & priuſquam exires de vulua ſanctificaui te, & prophetam in gentibus poſui te. *cap.* 1. 174. 247.

Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi lacus detritos, qui non potuerunt aquam portare. *ibid.* 117. 182. 245.

Sine cauſa percuſſi filios veſtros, diſciplinam non exceperunt. *ibid.* 199 200.

Et mœchata eſt in lignum & lapidem, & in his omnibus non eſt reuerſa ad me. *ibid.* 105.

Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent oues paſcentes cum diſciplina. *ibid.* 95. 98. 162. 247. 278.

Renouate inter vos nouitatem, & ne ſeminaueritis in ſpinis, circumcidite vos Deo veſtro, & circumcidite præputium cordis veſtri ne exeat ſicut ignis ira mea, & exurat, & non ſit qui extinguat. *ibid.* 246.

Verberaſti eos, nec doluerunt: flagellaſti eos nec voluerunt credere, nec accipere diſciplinam. *ibid.* 199.

Et dixi: Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus. Propter hoc audient gentes, & qui paſcent pecora in eis. *cap.* 6. 247.

Noli orare pro populo hoc, & noli poſtulare pro eis in prece & oratione, quia non exaudiam in tempore quo inuocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ. *cap* 7. 174. 235.

Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit non ſurget, aut qui auertitur non conuertetur? *cap.* 8. 283. *alias* 281.

Cognouit tempus ſuum turtur & hirundo: ruris paſſeres cuſtodierunt tempora introitus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini: Quomodo diceris, ſapientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? In caſſum facta eſt meratura falſa, ſcribæ confuſi, ſapientes trepidauerunt, & capti ſunt, quia verbum domini reprobauerunt. *ibid.* 245.

Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque glorietur fortis in fortitudine ſua, neque glorietur diues in diuitiis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & noſſe, quoniam ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iniuſtitiam ſuper terram quoniam in his eſt voluntas mea, dicit Dominus. *ibid.* 265. *alias* 267.

Hæc dicit Dominus: Secundum viam gentilium ne ambulaueritis. *cap.* 10. 271. 392.

Domine ſignifica mihi & cognoſcam, tunc vidi meditationes eorum. Ego ſum agnus ſine malitia perductus ſum ad victimam, in me cogitauerunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius, & nomen eius non erit in memoria amplius. *cap.* 11. 256. 392.

Facta eſt hæreditas mea mihi ſicut leo in ſylua. Dedit ſuper me vocem ſuam, propterea exoſus ſum eam. Et propter hoc dereliqui domum meam. *capit* 12. 278.

Exterrita eſt quæ parit, & tæduit anima eius. Subiit ſol ei cum adhuc medius dies eſſet, confuſa eſt & maledicta, reliquos eorum in gladio dabo in conſpectu inimicorum eorum. *cap.* 15. 2 7.

Vt quid, qui contriſtant me, præualent? Plaga mea ſolida eſt, vnde ſanabor? Dum fit, facta eſt mihi quaſi aqua mendax non habens fidem. *ibid.* 112.

Et auferam de ciuitatibus Iuda & de quadriuiis Hieruſalem vocem lætantium, & vocem gaudentium, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ. *cap.* 16. 256.

Maledictus homo qui ſpem habet in homine. *cap.* 17. 173 265.

Benedictus homo qui fidit in Domino, & erit in Deo ſpes eius. *ibid.* 265.

Et homo eſt, & quis cognoſcet eum. *ibid.* 252.

Et veni in domum figuli, &c. *ibid.* 429.

Ecce ſermo Dei factus eſt eis in maledictum, & non volunt illum. *cap.* 20. 245.

Nolite audire ſermones pſeudoprophetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abiiciunt verbum Domini: Pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus ſuis: Omnis qui ambulat in errorem cordis ſui, non venient ſuper eum mala. *cap.* 23. 54. 182.

In nouiſſimo dierum cognoſcetis ea *ibid.* 245.

Non loquutus ſum ad eos, & ipſi prophetauerunt. Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea & audiſſent verba mea, & ſi docuiſſent populum meum; conuertiſſem eos à malis cogitationibus eorum *ibid.* 181.

Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo dicit Dominus. *ibid.* 188. 175.

Quid eſt paleis ad triticum? Propter hoc ecce ego ad prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea vnuſquiſque à proximo ſuo, & ſeducunt populum meum in mendaciis & in erroribus ſuis. *ibid.* 105.

Nolite ambulare poſt deos alienos vt ſeruiatis eis, & ne adoraueritis eos, & ne inciteris me in operibus manuum veſtrarum, ad diſperdendos vos; non audiſtis me. *cap.* 25. 199. 235. 244. 350.

In die illa contribulabo iugum à vertice illorum, & vincula eorum diſrumpam & non operabuntur Domino Deo, & Dauid Regem ſuſcitabo ipſis. *cap.* 30. 247.

Audite verbum Domini gentes, & nunciate inſulis quæ longæ ſunt, dicite: Qui diſpergit Iſraël congregabit illum, & cuſtodiet ſicut paſtor gregem ſuum; qui eruit Dominus Iacob, & eruit de manu fortioris illius. *cap.* 31. 247.

Nouum faciet Dominus ſuper terram. Mulier circumdabit virum. Opus ſuum faciet; & peregrinum opus eius ab eo. *ibid.* 416. *alias* 316.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſraël & domui Iuda teſtamentum nouum. Non ſecundùm teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum in die qua apprehendi manus eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, quia non manſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, quia hoc teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dans leges meas, in ſenſum illorum ſcribam illas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in plebem; & non docebunt vnuſquiſque fratrem ſuum, dicentes: Dignoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minimo vſque ad maximum eorum; quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non ero memor amplius. *ibid.* 246. 247.

Miſi ad vos ſeruos meos prophetas, ante lucem mittebam, (& non audiebatis me, neque intendebatis auribus veſtris) dicens: Conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & à nequiſſimis affectationibus veſtris; & habitabtis in terra iſta, quam dedi vobis & patribus veſtris à ſæculo & vſque in ſæcula. *cap.* 35. 244.

Maledictus qui facit opera Dei negligenter. *cap.* 48. 272.

EX THRENIS HIEREMIÆ.

Bonum eſt viro cum portauerit iugum graue in iuuentute ſua; ſedebit ſingulariter & ſilebit, quoniam tulit ſuper ſe iugum graue. *cap.* 3. 370.

Mortificauerunt in lacu vitam ſuam, & poſuerunt lapidem ſuper me. *ibid.* 392.

Spiritus vultus noſtri Chriſtus Dominus, comprehenſus eſt in corruptionibus noſtris; in quo diximus, ſub vmbra eius viuemus in gentibus. *cap.* 4. 391.

Dorſum meum dedi flagellis, & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non auerti à confuſione ſputorum. *cap.* 5. 391.

EX EPISTOLA HIEREMIÆ.

In ſenſu debet tibi adorari Deus. *ibid.* 188.

EX BARVCH.

Hic Deus noſter & non deputabitur alter ad eum. Inuenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo, in terris eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt *cap.* 3. 251. 389

EX EZECHIELE.

In legalibus meis non ambulaſtis, & iuſtificationes meas non feciſtis. Sed neque ſecundùm iuſtificationes gentium quæ ſunt in circuitu veſtro feciſtis. *cap.* 5. 376.

Dicit Deus: Tranſi per mediam Hieruſalem, & notabis ſignum ſuper frontes virorum qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipſorum. *cap.* 9. 203. 257.

Vadite & cædite & nolite parcere oculis veſtris. Nolite miſereri ſenioris & iuuenis & virginis; & mu-

lieres interficite vt perdeleantur. Omnem autem ſuper quem ſignum ſcriptum eſt ne tetigeris, & ab ipſis ſanctis meis incipite. *ibid.* 203. 268.

Terra quæcumque peccauerit mihi vt delinquat delictum, extendam manum meam ſuper eam, & obteram ſtabilimentum panis, & emittam in eam famem, & auferam de ea hominem & pecora. Et ſi fuerint tres viri hi in medio eius, Noë & Daniel, & Iob; non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſalui erunt. *cap.* 14. 174. 235. 424. *alias* 324.

Omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris & anima filij. Anima quæ peccauerit ipſa morietur. *cap.* 18. 309.

Homo autem qui erit iuſtus, hominem non opprimet, & pignus debitoris reddet, & rapinam non faciet, & panem ſuum eſurienti dabit, & nudum operiet, & pecuniam ſuam in vſuram non dabit. *ibid.* 174.

Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & ſcelus ſcelerati ſuper eum erit. *ibid.* 74.

Quia ſi conuerſus fuerit facinoroſus ab omnibus facinoribus ſuis quæ commiſit, & iuſtitiam fecerit, vita æterna viuet & non morietur in facinore ſuo. *ibid.* 308.

Cum conuerſus gemueris tunc ſaluaberis, & ſcies vbi fueris. *ibid.* 40. 178.

Conuertite vos & recedite ab impietatibus veſtris, & non erunt vobis iniquitates veſtræ ad pœnam. Proiicite à vobis omnes impietates veſtras quas feciſtis aduerſum me, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Et vt quid vos morti traditis domus Iſraël? *ibid.* 309.

Nolo mortem morientis quantum vt conuertatur & viuat. *ibid.* 223. 369.

In legalibus patrum veſtrorum nolite ambulare, & iuſtificationes eorum nolite cuſtodire, & ſtudiis eorum nolite commiſceri, & nolite inquinari. Ego Dominus Deus veſter In præceptis meis ambulate, & iuſtificationes meas cuſtodite. *ibid.* 379.

In illa die procedent angeli feſtinantes exterminare Æthiopiam, eritque inter vos perturbatio in die Ægypti quoniam ecce venit. *ibid.* 189.

Et extraham te in hamo meo, & extendam te ſuper terram, campi implebuntur de te, & conſtituam ſuper te omnes volucres cæli, & ſaturabo ex te omnes beſtias terræ. *cap.* 32. 190.

Fili hominis dic populo Iſraël: Quare locuti eſtis dicentes: Erroribus noſtris contabeſcimus, & quomodo ſalui eſſe poterimus? dic eis: Viuo ego dicit Dominus, quia non deſidero mortem peccatoris, ſed deſidero vt auertatur peccator à via ſua peſſima & viuat, &c. *cap.* 33. 284. 309.

Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacumque die exerrauerit. *ibid.* 225. 236. 308.

Ecce lac conſumitis & lanis vos tegitis. & quod craſſum eſt interficitis, & oues meas non paſcitis. Quod infirmum eſt non confortaſtis, & quod malè habuit non corroboraſtis, & quod contribulatum eſt non conſolati eſtis, & quod errabat non reuocaſtis, & quod periit non requiſiſtis, & quod forte fuit, confeciſtis labore. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non ſint paſtores, & factæ ſunt in comeſturam omnibus beſtiis agri; & non fuit qui inquireret neque qui reuocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos, & non paſcent oues meas, & iam non paſcent eas, & extraham oues meas de ore eorum, & paſcam eas in iudicio. *cap.* 7. 9. 77. 111. 247. 308.

Fili hominis, domus Iſraël habitauit ſuper terram ſuam, & coinquinauerunt eam facinoribus ſuis. Sicut mulieris menſtruatæ facta eſt immunditia eorum ante faciem meam: effudi iram meam ſuper eos, & diſſeminaui eos inter gentes, & ſecundum peccata eorum iudicaui eos, quia coinquinauerunt ſanctum nomen meum, & quia dictum eſt de his: Hic populus Domini, peperci eis propter nomen ſanctum meum, quod ſpreuit domus Iſraël inter gentes. Propterea dic populo Iſraël: Hæc dicit Dominus: Non vobis parco domus Iſraël, ſed propter nomen meum ſanctum parcam, quod coinquinaſtis inter gentes: Et ſcietis quia ego Dominus, cùm ſanctificatus fuero in vobis, *cap.* 36. 306. 307

Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulachris veſtris emundabo, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vobis, *ibid.* 117

Ipſi dicunt; Arida facta ſunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra, exſpirauimus; propterea prophetiza, & dic: Hæc dicit Dominus: Ecce ego aperio monumenta veſtra, & educam vos de monumentis veſtris, & inducam vos in terram Iſraël. Et dabo ſpiritum meum in vos, & viuetis. Et ponam vos in terram veſtram, & cognoſcetis quoniam ego Dominus locutus ſum, & faciam, dicit Dominus, *cap.* 37. 117. 276. 399

Ezechiel Hieroſolymam raptus in ſpiritu, *cap.* 40. 316.

Porta autem quæ reſpicit ad Orientem clauſa erit & non aperietur, & nemo tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël tranſibit per eam, & clauſa erit, *ibid.* 387

EX DANIELE.

ET ecce imago nimis magna, & contemplatio eius imaginis metuenda, & elata ſtabit contra te, cuius caput fuit ex auro bono, pectus & brachia eius argentea, venter & femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadusque abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus concidentium, & percuſſit imaginem ſuper pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos minutatim, & factum eſt ſimul ferrum & teſta, & æramentum & argentum & aurum: & facta ſunt minuta quaſi palea aut puluis in area æſtate, & ventilauit illa ventus, ita vt nihil remanſerit ex illis: & lapis qui percuſſit imaginem, factus eſt mons magnus, & impleuit totam terram, *cap.* 2. 255

Reſponderunt autem Sidrach, Miſac, & Abdenago, & dixerunt regi Nabuchodonoſor: Rex non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. Eſt enim Deus cui nos ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis Rex liberabit nos. Et ſi non, notum ſit tibi, quia diis tuis non ſeruimus & imaginem auream, quam ſtatuiſti, non adoramus, *cap.* 3. 89. 111. 159. 239. 265

Stans Azarias precatus eſt, aperuit os ſuum & exomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis in medio ignis, *ibid.* 177. 300

Tunc illi tres quaſi ex vno ore hymnum canebant & benedicebant Dominum, *cap.* 4. 189

Propterea Rex conſilium meum placeat, & peccata tua eleemoſynis redime. & iniuſtitias tuas miſerationibus pauperum, & erit Deus patiens peccatis tuis, *ibid.* 215

Vidi thronum poſitum, & vetuſtus dierum ſedebat ſuper eum, & veſtitus erat tamquam nix, & capilli capitis eius, tamquam lana alba; thronus illius flamma ignis, rotæ illius ignis ardens, flumen ignis prodibat ante eum: millia millium ſeruiebant ei, & millia millium aſſiſtebant ei, ad iudicium ſedit, & libri aperti ſunt, *ibid.* 309

Videbam in viſu nocte, & ecce in nubibus cæli, quaſi filius hominis veniens, venit vſque ad veterem

dierum, & ſtetit in conſpectu eius, & qui aſſiſtebant ei obtulerunt eum, & data eſt ei poteſtas regia & omnes reges terræ per genus, & omnis claritas ſeruiens eis, & poteſtas eius æterna quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur, *ibid.* 253. 394. 395

Domine Deus magnus & fortis & metuendus qui ſeruas teſtamentum tuum & miſerationes tuas iis qui te diligunt & conſeruant imperia tua: peccauimus, facinus admiſimus, impij fuimus, tranſgreſſi ſumus, ac deſeruimus præcepta tua & iudicia tua; non audiuimus verba puerorum tuorum prophetarum, qui locuti ſunt in nomine tuo ſuper reges noſtros & omnes gentes & omnem terram. Tibi Domine gloria, tibi iuſtitia, nobis autem confuſio, *cap. 9.* 177

Quia tunc reſurgent qui ſunt in terræ puluere, hi quidem in vitam æternam, hi autem in opprobrium & confuſionem æternam, *cap. 12.* 397. 400

Muni ſermones & ſigna librum, vſque ad tempus conſummationis quoad diſcant multi, & impleatur agnitio; quoniam cùm fuerint diſperſi cognoſcent omnia hæc, *ibid.* 245

Duo preſbyteri Suſannam pudicam corrumpere conati ſunt, *cap. 13.* 54. 296. 376

Daniel cùm compelleretur adorare idolum Bel, dixit: Nihil colo niſi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram, *c. 14.* 89. 93. 111. 174. 239 300

Tranſtulit Abacuc Angelus in Babylonem, *ibid* 317

Prandium Danieli allatum eſt ab Abacuc, *ibid.* 193. 217.

EX OSEEA.

VOcabo non populum meum, populum meum, & non dilectam, dilectam: Erit enim quo loco dicetur, non populus meus, illo loco vocabuntur filij Dei viui, *cap. 2.* 248

Audite ſermonem Domini filij Iſraël, quia iudicium eſt Domini aduerſus incolas terræ, eò quod neque miſericordia, neque veritas, neque agnitio Dei ſit ſuper terram. Sed execratio & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffuſum eſt ſuper terram. Sanguinem ſanguini ſupermiſcent. Iccircò terra lugebit cum vniuerſis incolis ſuis, cum beſtiis, cum ſerpentibus terræ, cum volucribus cæli, & deficient piſces maris, & nemo iudicet, nemo reuincat, *cap. 4.* 199. 274.

Diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum Deum noſtrum, *cap. 6.* 197

Viuificabit nos poſt biduum, die tertia reſurgemus, & viuemus in conſpectu eius, *ibid.* 393

Miſericordiam volo magis quàm ſacrificium & agnitionem Dei pluſquam holocauſtomata, *ibid.* 263

Sibimetipſis conſtituerunt Regem, & non per me, *cap. 3.* 80. 114.

Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur, *cap. 9* 80. 113. 156.

Non faciam iuxta iram indignationis meæ, non ſinam deleri Effraim, quoniam Deus ego ſum; & non homo in te ſanctus, & non introibo in ciuitatem, poſt Deum ibo. *cap. 11.* 231

EX IOELE.

CAnite tuba in Syon, ſanctificate ieiunium: & indicite curationem, aggregate populum, ſanctificate Eccleſiam, excipite maiores natu, corrigite paruulos lactantes, procedat ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo, *cap. 1.* 219

Conuertimini ad me ex toto corde veſtro, in ieiunio, in ploratione, & planctu: & diſcindite corda veſtra, & non veſtimenta, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quoniam miſericors eſt, & pius, & patiens, & miſerator, multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat aduerſus malitias irrogatas. *ibid.* 72. 177. 178. 223. 306

EX AMOS.

ET pluam ſuper vnam ciuitatem, & ſuper aliam non pluam: Pars vna compluetur, & pars ſuper quam non pluero, areſiet. Et congregabuntur duæ & tres ciuitates in vnam ciuitatem potandæ aquæ cauſa nec ſatiabuntur. Et non conuertimini ad me dicit Dominus, *cap. 4. & 5.* 199

Quærite Deum, & viuet anima veſtra, *cap. 8.* 203

Et erit in die illo dicit Dominus, occidet ſol meridie, & obtenebrabitur dies lucis, & conuertam dies feſtos veſtros in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentationem, *ibid.* 353. 354. 257

EX MICHEA.

QVoniam de Syon lex proficiſcetur, & ſermo Domini de Hieruſalem, & iudicabit inter plurimos populos, & reuincet, & deteget validas nationes, *cap. 4.* 246

Et tu Bethleem domus Effrata non exigua es, vt conſtituaris in millibus Iuda, ex te mihi procedet vt ſit princeps apud Iſraël; & proceſſiones eius à principio à diebus ſæculi, *cap. 5.* 253. 319

Noli gratulari inimica mea mihi, quoniam ſi cecidi & exſurgam, & ſi in tenebris ambulauero, Dominus lumen eſt mihi. Iram Domini tolerabo, quoniam peccaui illi, vſque dum iuſtificet cauſam meam, & faciat iudicium & iuſtitiam, & producat me ad lucem. Videbo iuſtitiam illius, & videbit me inimica mea, & comperiet ſe confuſione, *cap. 7.* 307

EX NAHVM.

NOn iudicat bis in idipſum Deus, *cap. 1.* 338

EX ABACVC.

IVſtus ex fide mea viuet, *cap. 2.* 245 274

Ille verò qui præſumit & contumax eſt vir ſui iactans, nihil omninò proficiet qui dilatauit tamquam infernus animam ſuam, 111. 155

Domine audiui auditum tuum & timui, *cap. 3* 336 & ſequentib.

Domine conſideraui opera tua & expaui, *ibid.* 316

Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena eſt terra, & ſplendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius, & conſtituit dilectionem validam: ante faciem ſuam ibit verbum, & procedet in campos ſecundùm greſſus ſuos, *ibid.* 259. 338

Ficus non afferet fructum, & non erunt naſcentia in vineis. Mentietur opus oliuæ, & campi non præſtabunt cibum. Deficient à pabulo oues, & non erunt in præſepibus boues. Ego autem in Domino exultabo, & gaudebo in Deo ſalutari meo. *ibid.* 202

EX SOPHONIA.

DEfectione deficiat à facie terræ, dicit Dominus. Deficiat homo, & pecudes deficiant, volucres cæli & piſces maris: & auferam iniquos à facie terræ, *cap. 1.* 274

Ædificabunt domos, & non inhabitabunt: & inſtituent vineas, & non bibent vinum earum, quia prope eſt dies Domini, *ibid.* *ibidem.*

Metuite à facie Domini Dei, quoniam prope eſt dies eius; quia apparuit Dominus ſacrificium ſuum, ſanctificauit electos ſuos, *cap 3.* 257

Columba non exaudit vocem, *ibid.* 306

Expecta me dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam. *ibid.* 227. 283. *alias* 281

EX AGGÆO.

HÆc dicit Dominus Deus omnipotens. Eò quòd domus mea deſerta eſt, vos autem ſectamini vnuſquiſque in domum ſuam: Propterea abſtinebit cœlum à rore, & terra ſubſtraher procreationes ſuas, & inducam gladium ſuper terram, & ſuper frumentum & ſuper vinum, & ſuper oleum, & ſuper homines, & ſuper pecora, & ſuper omnes labores manuum eorum. *cap. 1.* 199

EX ZACHARIA.

ET oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem illum magnum, ſtantem ante faciem angeli Domini, & diabolus ſtabat ad dexteram eius aduerſari ei. Et Ieſus erat indutus veſtimenta ſordida, & ſtabat ante faciem ipſius angeli, & reſpondit & ait ad eos qui ſtabant ante faciem eius, dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & dixit ad eum: Ecce abſtuli iniquitates tuas, & induite eum poderem, & imponite cidarim mundam ſuper caput eius, *cap. 3.* 253

Ecce ego adduco puerum meum, Oriens nomen eſt ei, quoniam lapis quem dedi ante faciem Ieſu, ſuper lapidem ipſum vnum ſeptem oculi ſunt, *ibid.* 255.

Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluans, mitis, ſedens ſuper aſinum indomitum, *cap. 9.* 259

Et tranſibunt per mare anguſtum, & percutient in mari fluctus, & areſacient omnes altitudines fluminum, & confundetur omnis injuſtitia Aſſyriorum, ſceptrum Ægypti auferetur: confortabo eos in Domino Deo ipſorum, & in nomine eius gloriabuntur dicit Dominus, *ibid.* 251

Si bonum eſt in conſpectu veſtro, date mercedem meam aut abnuite, *ibid.* 391

Ecce ego ſuſcito paſtorem in terra, qui quod auerſum eſt non viſitabit, & carnes electorum manducabit, & talos eorum torquebit, *ibid.* 308

Et intuebuntur in me, in quem transfixerunt, *ibid.*

In illa die non erit lux, ſed frigus & pruina erit in vno die, & dies ille notus Deo, & neque dies neque nox, & ad veſperam erit lux, *cap. 12.* 392

EX MALACHIA.

IAcob dilexi, Eſau autem odio habui, *cap. 1.* 353

Non eſt mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, & ſacrificium acceptum non habebo ex manibus veſtris. Quoniam à ſolis ortu vſque in occaſum clarificatum eſt nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, & ſacrificium mundum; quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus, *ibid.* 247. 3[illegible]

Rex magnus ſum ego, dicit Dominus, & nomen meum illuſtre eſt apud gentes, *ibid.* 259

Et nunc præceptum hoc ad vos eſt ô ſacerdotes: Si non audieritis & ſi non poſueritis in corde veſtro, vt detis honorem nomini meo, dicit Dominus: immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionibus veſtris, *cap. 2.* 84. 131

Teſtamentum meum fuit cum Leui vitæ & pacis, & dedi illi timorem vt timeret me, à facie nominis mei proficiſci illum. Lex veritatis fuit in ore eius, iniuſtitia non eſt inuenta in labiis eius. In pace linguæ corrigens ambulauit nobiſcum, & multos auertit ab injuſtitia. Quoniam labia ſacerdotis ſeruabunt ſcientiam, & legem inquirent ab ore eius, quoniam angelus omnipotentis eſt, *ibid.* 250

Nonne vnus Deus condidit nos? nonne pater vnus eſt omnium noſtrûm? quid vtique dereliquiſtis vnuſquiſque fratrem ſuum? *ibid.* 263

Derelictus eſt Iuda, & abominatio facta eſt in Iſraël & in Hieruſalem, quoniam prophanauit Iudas ſancta Domini, in quibus dilexit & affectauit deos alienos. Exterminabit Dominus hominem qui facit hæc, & humilis efficietur in tabernaculis Iacob, *ibid.* 244.

Ecce venit Dominus omnipotens, & quis ſuſtinebit diem aduentus eius? aut quis ſuſtinebit aſpectum eius? quia ipſe ingreditur ſicut ignis conflatorij, & ſicut ſpuma lauantium, & ſedebit conflans & expurgans ſicut aurum & argentum: & emundabit filios Leui, *cap. 3.* 283. 394

Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui ſtipula: & ſuccendet illos adueniens dies, dicit Dominus, *ibid.* 202. 228 258

Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur ſol iuſtitiæ, & in alis eius curatio, *ibid.* 197

EX MACHABÆORVM LIB. I.

MAthathias interficit eum, qui ad aram ſacrificaturus acceſſerat, *cap. 1.* 236

Abraham nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam? *ibid.* 269

Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum, 175

Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius in ſtercora erit, & in vermes Hodie extolletur & cras non inuenietur, quoniam conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius periit, *ibid.* 78. 266

EX MACHABÆORVM LIB. II.

PRæmitti malo in infernum, quàm patrias leges deſerere. Non enim ætatem noſtram dignum eſt fingere, vt multi adoleſcentium arbitrati Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum & corruptibile tempus vitæ per me ſeducantur, & odium ad maculam ſenectuti meæ acquiram. Quamobrem fortiter vita excedens, ſenectute dignus apparebo: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, vt prompto animo ac fortiter pro grauibus & ſanctis legibus honeſtæ morti ſuccedant, *cap. 6.* 241. 370

Domine qui ſanctam habes ſciẽtiam, manifeſtum eſt quia cùm poſſem à morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero, flagellis vapulans; animo autem propter tui ipſius metum libenter hæc patior, *ibid.* 241

Septem fratrum, matriſque martyria latiſſimè proſequitur. Ad Fortunatum cap. 11. 89. & ſequentibus, fit etiam mentio, *cap. 7.* 259

Iuſtum & ſubditum Deo eſſe, & mortalem non paria Deo ſentire, *cap. 9* 263

EX MATTHÆO.

GAbriel Angelus ad Ioſeph: Ioſeph fili Dauid, ne timueris aſſumere Mariam vxorem tuam. Quod enim ex illa natum fuerit, de Spiritu ſancto eſt Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, *cap. 1.* 252

Et vocabitis nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus, *ibid.* 251

Et cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare illum, *cap. 2.* 253 259

A bimatu & infrà, 89

Potens eſt Deus excitare de lapidibus filios Abrahæ, *cap. 3.* 101

Iam quidem ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. *ibid.* 303

Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, *ibid.* 196. 202. 216. 171

Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam: qui venit autem poſt me, fortior me eſt, cuius non ſum idoneus calciamenta portare, ipſe vos baptizat in Spiritu & igni, *ibid.* 246. 247

Quia veniet Dominus ferens palam in manu ſua, & mundabit aream ſuam, *ibid.* 65

Paleas autem, &c. *ibid.* 305

Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam, *ib.* 312

Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo benè ſenſi, ipſum audite, *ibid.* 104. 246. 321.

Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu. *cap. 4.* 223. 424. *alias* 324.

Et conſtituit eum ſuper pinnaculum templi, *ibid.* 223, 325.

Beati pauperes ſpiritu. Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram, *cap. 5.* 265

Beati plangentes, quoniam ipſi conſolabuntur, *ibid.* 72. 266.

Beati eſurientes & ſitientes iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, *ibid.* 102. 262

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *ibid.* 262

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *ibid.* 60. 278

Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur, 187. 263.

Beati qui perſecutionem paſſi fuerint propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorū, *ib.* 37. 269

Sic enim perſequuti ſunt prophetas, qui ante vos fuerunt patres eorum, *ibid.* 38

Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? *ibid.* 279

Luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, clarificent patrem veſtrum qui in cælis eſt, *ibid.* 15. 271

Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum, *ibid.* 104

Qui fecerit & ſic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum, *ibid.* 179

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum; non intrabitis in regno cælorum, *ibid.* 379

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio, *ibid.* 265

Qui dixerit fratri ſuo: fatue, & qui dixerit Racha, reus erit in gehenna ignis. *ibid.* 79. 268

Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veni & offer munus tuum ad altare, *ibid.* 183. 197. 261

Non exibis inde donec ſoluas nouiſſimum quadrantem, *ibid.* 72. 275. 300

Dico enim vobis non iurare in totum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. *ibid.* 85. 270

Non poteſt facere capillum vnum album aut nigrum, *ibid.* 166

Quod amplius eſt, à malo eſt, *ibid.* 372

Omni poſcenti te da, & ab eo qui voluerit mutuari ne auerſatus fueris, *ibid,* 262

Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & orate pro eis qui vos proſequuntur, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, *ibid.* 223. 231. 266

Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, *ibid.* 222. 275

Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito. Et pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi. Cùm facis eleemoſynam, noli buccinare ante te, quomodo hypocritæ faciunt in vicis & ſynagogis, vt clarificentur ab hominibus. Amen dico vobis compleuerunt mercedem ſuam. *cap. 5.* 274

Sic orate: Pater noſter qui es in cælis; *ibid.* 189

Sanctificetur nomen tuum, *ibid.* 190

Adueniat regnum tuum, *ibid.* *ibidem.*

Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, *ibid.* 191

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, 192

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, *ibid.* 193. 271

Et ne nos patiaris induci in tentationem, *ibid.* 194

Sed libera nos à malo, *ibid.* *ibidem.*

Nolite vobis condere theſauros ſuper terram vbi tinea & comeſtura exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque tinea neque comeſtura exterminat, & vbi fures non effodiunt nec furãtur. Vbi enim fuerit theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, *ibid.* 216. 263

Non poteſtis duobus dominis ſeruire, *ibid.* 176

Aſpicite volatilia cæli, quoniam non ſeminant, neq; metunt, neque colligunt in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos pluris eſtis illis? *ibid.* 217.

Nolite cogitare dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus; aut quid veſtiemur? Hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater veſter, quia horum omniũ indigetis. Quærite primò regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis, *ib.* 195. 216. 217

Nolite cogitare in craſtinum, craſtinus enim dies ipſe cogitabit ſibi. Sufficit diei malitia ſua, *ib.* 195. 265

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, *cap. 7.* 193

Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè inculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi elidant vos, *ibid.* 38. 197. 274

Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius eius panem, lapidem porrigat illi, aut ſi piſcem poſtulauerit, ſerpentem illi porrigat? Si ergo vos cum ſitis nequam, ſcitis bona data dare filiis veſtris; quantò magis pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe? *ibid.* 77

Quæcumque volueritis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex & Prophetæ, *ibid.* 195

Arcta & anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, *ibid.* 99

Veniunt ad vos in pellibus ouium, &c. *ibid.* 308

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, &c. *ibid.* 126. 270

Multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia excluſimus & in tuo nomine virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Numquam vos noui, recedite à me omnes qui operamini iniquitatem, *ibid.* 255. 271. 306

Omnis qui audit verba mea, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti qui ædificauit domum ſuam ſuper petram. Deſcendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidir, fundata enim fuit ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenã.

Deſcendit pluuia, venerunt flumina, & impegerunt in domum illam & cecidit, & facta eſt ruina eius magna, 179. 280. 305. 306

Vade, oſtende (*vel* demonſtra) te ſacerdoti & offer donum. *ibid.* 79. 108. 179

Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum; filij autem regni expellentur in tenebras exteriores, illic erit ploratio & ſtridor dentium, *ibid.* 291. 247.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli diuerſoria, filius autẽ hominis non habet vbi caput ſuum inclinet.

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, *ibid.* 190

Quid nobis & tibi fili Dauid, veniſti ante tempus punire nos? *ibid.* 259

Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus, *cap. 9.* 70. 111

In viam nationum ne ieritis, & in ciuitates Samaritanorum non introieritis, *ibid.* 151

Gratis accepiſtis, gratis date, *ibid.* 269

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, *ibid.* 179. 279

Ante Reges & Præſides ſtabitis, *ibid.* 38

Cùm autem tradiderint vos, nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis, *ibid.* 19. 77. 89. 258. 269.

Et tradet frater fratrem ad mortem, & pater filium, *ibid.* 78

Qui ſuſtinuerit vſque in finem, hic ſaluus erit, *ibid.* 38. 52. 162. 186. 215. 236.

Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite ad aliam; *ibid.* *ibidem.*

Si patrem-familias Beelzebub dixerunt, quantò magis domeſticos eius? *ibid.* 281

Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum, qui poteſt animam & corpus occidere in gehennam, *ibid.* 90. 159. 236. 269

Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine patris voluntate? *ibid.* 80. 116

Quicumque in me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego in illo confitebor coram patre meo, *ibid.* 21. 51. 300.

Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cælis eſt, & coram angelis eius, 45. 46. 83. 236. 269. 306

Inimici hominis domeſtici eius, *ibid.* 78

Qui diligit patrem, aut matrem ſuper me, non eſt me dignus, & qui diligit filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus; & qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt meus diſcipulus, *ib.* 37. 218. 236. 270

Qui amauerit animam ſuam, perdet illam; qui autem oderit illam, inueniet eam, *ibid.* 303

Qui potauerit vnum ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non peribit merces eius, *ibid.* 262

Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus? *cap. 11.* 392

Inter prophetas non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, *ibid.* 118

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, *ibid.* 317

Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt, *ibid.* 246

Solus pater ſcit filium, patremque nouit filius, &c. *ibid.* 321

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum bonum & ſarcina mea leuis, *ibid.* 247. 281

Qui non eſt mecum aduerſus me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit, *cap. 12.* 181. 279. 286

Quicumque dixerit verbum aduerſus filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit aduerſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, *cap. 23.* 258

Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis nequam? De abundantia enim cordis os emittit. Bonus homo de bono theſauro, emittit bona, & nequam homo de nequam theſauro emittit nequam, *ibid.* 79

Dico autem vobis, quia omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. De ſermonibus enim tuis iuſtificaberis, & de ſermonibus tuis condemnaberis. *ibid.*

Progenies nequam & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Quomodo enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, *ibid.* 258

Et dabunt fructus, aliud centenarium, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum, *ibid.* 153. 155. 166. 137

Multi prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt, *ibid.* 258

Parabola de zizaniis, *ibid.* 65. 75

Simile eſt regnum cælorum fermento quod abſcondit mulier in farinæ menſuris tribus, *ibid.* 216. 387

Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: Vbi autem inuenit precioſam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit illam, *ibid.* 216. 262

Modicæ fidei, quare dubitaſti? *cap. 14.* 273

Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. *ibid.* 117

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. *ibid.* 64. 127

Cæci ſunt duces cæcorum, cæcus autem cæcum ducens, ſimul in foueam cadent *ibid.* 54. 185

Ego tibi dico Petre, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis, *cap. 16.* 39. 81. 123. 124. 148. &c.

Qui perdiderit animam ſuam pro nomine meo, recipiet in hoc ſæculo centuplum, & in futuro vitam æternam poſſidebit, *ibid.* 301

Si totum orbem lucrifeceris, & animam tuam perdideris, quid proderit tibi? aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua? *ibid.* *ibidem.*

Transfiguratio Domini, *cap 17.* 341

Hic eſt filius meus dilectiſſimus, &c. *ibid.* 104

Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illò, & tranſibit & nihil impoſſibile erit vobis. *ibid.* *ibidem.*

Væ huic mundo à ſcandalis, verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit, *cap. 18.* 371

Si autem & Eccleſiam contempſerit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, *ibid.* 87. 150

Dico autem vobis, quoniam ſi duobus ex vobis conuenerit in terra de omni re quamcumque petierítis; continget vobis à patre meo, qui in cælis eſt, *ibid.* 181. 183. 263.

Vbicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum, *ibid.* *ibidem.*

Donaui tibi omne debitum, quia rogaſti me. *ibid.* 45. 194

Quos Dominus iunxit, homo non ſeparet, *c. 19.* 376

Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt, ſunt enim ſpadones qui ex vtero matris ſic nati ſunt. & ſunt ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, *ibid.* 70. 100. 163. 167. 271,

Qui poteſt capere, capiat. *ibid.* 370.
Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *ibid.* 179.
Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. *ibid.* 171. 193. 216. 262.
Et acceperunt ſingulos denarios. *ibid.* 153.
Et ſedit Ieſus ſuper aſinam. *cap.* 2, 312.
In reſurrectione enim neque nubent neque nubentur. *ibid.*
Deus non eſt mortuorum ſed viuorum. *ibid.* 39.
Si ergo Dauid in ſpiritu Dominum eum vocat, quomodo filius eius eſt? *ibid.* 310 321.
Super cathedram Moyſi, &c. *ibid.* *ibid.*
Diligunt primum recumbendi locum in cœnis, & primam ſeſſionem in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem ne vocaueritis Rabbi, vnus eſt enim vobis magiſter. *ibid.* 266.
Nolite vocare vobis patrem in terra. *ibid.* 239.
Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia ædificatis monumenta Prophetarum. *ibidem.*
Zacharias interfectus in medio templi & altaris. *ibid.* 81. 382.
Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas miſſos ad te; quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina pullos ſub alas ſuas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. *ibid.* 146.
Cauere ne quis vos fallat, multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Incipietis autem audire bella, & auditus bellorum: videte, nolite tumultuari, oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Exſurget enim gens ſuper gentes, & regnum ſuper regnum: erunt fames & terræ motus, & peſtilentiæ per ſingula loca. Omnia autem iſta initia parturitionum ſunt. Tunc tradent vos in preſſuram, & interficient vos; & eritis odibiles omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent & odient inuicem. Et multi pſeudoprophetæ exſurgent, & ſeducent multos: & eò quod facinus abundet, refrigeſcet charitas multorum. Qui autem tolerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et prædicabitur Euangelium iſtud regni per totum orbem terræ in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis Cum ergo videritis abominationem vaſtationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt fugiant in montes, & qui in tecto eſt, non deſcendat tollere quicquam de domo, & qui in agro eſt, non conuertatur retro auferre veſtimentum ſuum. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem ne fiat fuga veſtra, hyeme, neque ſabbato Erit enim tunc preſſura magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque nunc, ſed neque fiet: & niſi breuiati eſſent dies illi, non eſſet ſalua omnis caro; propter electos autem breuiabuntur illi dies. Tunc ſi quis dixerit vobis: ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia ad errorem faciendum ſi fieri poteſt, etiam electis. Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Si ergo dixerint vobis: Ecce in ſolitudine eſt, nolite exire; ecce in cubiculis, nolite credere. Sicut enim coruſcatio exit ab Oriente, & apparet vſque ad Occidentem, ita erit & aduentus filii hominis. Vbi fuerit corpus, illic colligentur aquilæ. Continuò autem poſt preſſuram dierum illorum ſol tenebreſcet, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc apparebit ſignum filii hominis de cælo, & lamentabuntur omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute magna & claritate: Et mittet angelos ſuos cum tuba magna Et colligent electos eius à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad ſummitates eorum *cap.* 24. 216. & 7. 239. 386 387.
Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. *ibid.* 367.
Cum venerit filius hominis in claritate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit in throno claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & ſegregabit illos ab inuicem, quemadmodum paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Tunc dicet Rex eis qui ad dexteram eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratũ eſt ab origine mundi Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare: ſitiui & potaſtis me: hoſpes fui & adduxiſtis me: nudus & texiſtis me: infirmus & viſitaſtis me: in carcere fui & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus? ſitientem & potauimus? quando autem te vidimus hoſpitem & adduximus? nudum & veſtiuimus? quando autem te vidimus infirmum, & in carcere & venimus ad te? Tunc reſpondens Rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni horum ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & illis qui ad ſiniſtram eius erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare: ſitiui & non potaſtis me, hoſpes fui & non adduxiſtis me: nudus & non veſtiſtis me: infirmus & in carcere & non viſitaſtis me Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere & non miniſtrauimus tibi? & reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni ex minimis his, neque mihi feciſtis: & abibunt iſti in ambuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam. *ibid.* 97. 220, 221.
Quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam? *cap.* 26. 97. 327.
Calicem ſub die paſſionis accipiens, benedixit & dedit diſcipulis ſuis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum Dico vobis, non bibam amodo ex iſta creatura vitis, vſque in diem illum quo vobiſcum bibam nouum vinum in regno patris mei. *ibid.* 102.
Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu. *ibid.* 270.
Venit Iudas ad Ieſum, & dixit ei: Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum. *ibid.* 390.
Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei. *ibid.* 393.
Iudas pœnitentia ductus, ſacerdotibus & ſenioribus dixit: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. *cap.* 27. 254. 390,
A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram vſque ad horam nonam. *ibid.*
Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum dormientium reſurrexerunt, & apparuerunt multis, & ingreſſi ſunt ſanctam ciuitatem *ibid.* 393.
Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. *cap.* 28. 36. 105. 258.
Ite ergo & docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia quæcumque dixi (*vel* præcepi) vobis *ibid.* 25. 36. 126. 129.
Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi *ibid.* 159.

EX MARCO.

IPſe fuit ſecedens in ſolitudinem, & adorans. *cap.* 1. 195.

Omnia peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemiæ, qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum non remittetur illi, ſed reus erit æterni peccati. *cap. 3.* 21.

Vobis datum eſt intelligere ſacramenta Dei, aliis autem in ſimilitudinibus *cap.* 4.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *ibid.* 271.

Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. *ibid.* 54. 104. 113. 130. 185. 588.

Qui me confuſus fuerit, confundetur eum filius hominis. *cap. 8.* 104. 176.

Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt ad viſionem vniuerſæ carni. *cap. 9.* 203.

Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut ſorores, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſæculo autem venturo vitam æternam. *cap.* 10. 88. 172. 241. 269.

Omnia quæcumque oratis & petitis, credite quia accipietis, & erunt vobis. Omnia poſſibilia ſunt credenti *cap.* 11. 274.

Et cum ſteteritis ad orandum, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. *ibid.* 183. 194. 271.

Si autem vos non remiſeritis; neque pater veſter qui in cælis eſt, remittet vobis. *cap. 12.* 194.

Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Et diliges Dominum Deum tuum, &c. ſicut ſuprà. *ibid.* 183.

Non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem qui non diſſoluatur. *cap. 13.* 247.

Multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. *ibid.* 116. 146. 184.

Hoc eſt corpus meum. *ibid.* 352.

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. *cap. 14.* 194.

Poſt triduum aliud excitabitur ſine manibus. *ibid.* 247.

Ite in nomine meo, manum imponite, dæmonia expellite. *ibid.* 287.

EX LVCA.

Replebitur Spiritu ſancto adhuc in vtero matris ſuæ, *cap. 1.* 128. 153.

Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam ante Deum. Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus thronum Dauid patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in ſæcula & regni eius non erit finis. *ibid.* 253. 387. 388. 395.

Spiritus ſanctus veniet ſuper te & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Quapropter qui naſcetur ex te ſanctus vocabitur filius Dei *ibid.* 253.

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi contingit vt veniat mater Domini mei ad me? *ibid.* 252.

Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui proſpexit redemptionem populo ſuo, & excitauit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui. *ibid.* *ibid.*

Ne timueritis Ecce enim adnuntio vobis, quoniam natus eſt vobis hodie ſaluator qui eſt Chriſtus Ieſus, in ciuitate Dauid. *ibid.* *ibid.*

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum *ibid.* 208 276.

Non recedebat de templo, ieiuniis & orationibus ſeruiens nocte ac die. *ibi.* 197.

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. *cap. 4.* 187.

Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? *cap.* 5. 188.

Exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei *cap. 6.* 17. 195.

Beati eritis cum vos oderint homines, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis. *ibid.* 88. 272.

Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſertus eſt veſtri. *ibid.* 70.

Cui plus dimittitur, plus diligit, & cui minus: modicum diligit. *cap. 9.* 283. 307.

Qui minimus fuerit in omnibus vobis, hic erit magnus. *ibid* 23. 266.

Filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſaluare. *ibid.* 95.

Nemo enim retrò attendens & ſuperponens manum ſuam ſuper aratrum, aptum eſt regno Dei. *ibid.* 14. 238.

Qui vos audit, me audit; & qui me audit, audit eum qui me miſit; & qui reiicit vos, me reiicit; qui me reiicit, reiicit eum qui me miſit. *cap.* 10. 79. 111. *alias* 115.

Videbam Sathanam tamquam fulgur deſcendentem de cælo. *ibid.* 316.

Ecce do vobis omnem poteſtatem calcandi ſuper omnem poteſtatem inimici, & ſuper ſerpentes, & ſcorpiones & non nocebunt vobis. *ibid.* 306. 389.

Sacerdotes & Leuitas prætereuntes. *ibid.* 304.

Duxit illum in ſtabulum. *ibid.* 71. 115.

Quærenti dabitur, & pulſanti aperietur. *cap.* 11. 310.

Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit. *ibid.* 53. 150.

Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod deforis eſt. *ibid.* 215.

Verumtamen date eleemoſynam, & ecce vobis munda ſunt omnia. *ibid.* 262.

Stulte hac nocte expoſtulatur anima tua, quæ ergo paraſti cuius erunt? *cap.* 12. 217. 277.

Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. *ibid.* 216. 262.

Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando veniat à nuptiis: vt cum venerit & pulſauerit aperiant ei. Beati ſerui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes, *ibid.* 146. 237. 256. 267.

Ille autem ſeruus, qui cognoſcit voluntatem Domini ſui, & non paruerit voluntati eius, vapulabit multis *ibid.* 16. 270 272.

Cui multum datur, multum quæretur ab eo. *ibid.* 254.

Habeo alio baptiſmate baptizari *ibid.* 254.

Putatis quia illi Galilæi ſuper cæteros Galilæos, peccatores fuerant quia paſſi ſunt talia? non: dico enim vobis niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis, &c. *ibid.* 308 309.

Qui ſe humiliauerit, exaltabitur. *ibid.* 13.

Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque vicinos, neque diuites, ne fortè & illi reinuitent te, & fiat tibi retributio Sed cùm facis epulum, voca pauperes, debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris, quoniam non habent retribuere tibi, retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. *ibid.* 265.

Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut fratres, aut ſorores, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipu-

ſus *ibid.* 379.

Qui non renunciat omnibus quæ ſunt eius, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *ibid.* 250. 257.

Dico vobis: ſic erit gaudium in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis quibus non eſt opus pœnitentia. *ibid.* 62. 70. 143.

Parabola filii prodigi. *ibid.* 336.

Filii huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in ſæculo iſto. *ibid.* 127. 380.

Si in iniuſto mammona fideles non fuiſtis, quod verum eſt quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis; quod eſt veſtrum quis dabit vobis? *ibid.* 216.

Mitte Lazarum vt refrigeret linguam meam. *ibid.* 78.

Commemorare quoniam percepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc verò hic rogatur, tu autem doles *ibid.* 277.

Quis veſtrûm habens ſeruum arantem aut paſtorem, & venienti de agro dicit continuò, tranſi, recumbe? Sed dicit illi: Para aliquid vt cœnem, & accingere, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam, & poſtea tu manducabis & bibes. Numquid habet gratiam ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperata ſunt? Sic itaque & vos cum perfeceritis quæ vobis imperata ſunt, dicite: Serui ſuperuacui ſumus, quod habuimus facere fecimus *cap.* 17. 274.

Et cùm hæc omnia feceritis: dicite quia ſerui ſuperuacui ſumus, quod debuimus facere, fecimus. *ibid.* 40.

Sicut fulgur reſplendet de Oriente vſque ad Orientem, ita erit aduentus filii hominis. *ibid.*

Et qui in agro eſt, non conuertatur retrò. Memores eſtote vxoris Loth. *ibid.* 136.

Putas cùm venerit filius hominis, inueniet fidem in terra? *cap.* 18. 132. 187.

Homines duo aſcenderunt in templum adorare: vnus Phariſæus, & vnus publicanus. Phariſæus cùm ſtetiſſet, talia apud ſe precabatur: Deus, gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines, iniuſti, raptores, adulteri, quomodo & Publicanus iſte. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæcumque poſſideo. Publicanus autem de longinquo ſtabat, & neque oculos ad cælum volebat leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam, magis quàm ille Phariſæus. *ibid.* 188. 189.

Quia omnis qui ſe extollit humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. *ibid.* 186. 266. 308.

Ecce dimidium ex ſubſtantia mea do egenis, & ſi cui quid fraudaui, quadruplum reddo. Dixit autem Ieſus; quia ſalus hodie domui huic facta eſt, quoniam & ipſe filius eſt Abrahæ. *cap.* 19. 100. 116. 163.

Filii huius ſæculi generant & generantur; qui autem habuerint dignationem ſæculi illius, & reſurrectionis à mortuis, non nubunt neque nubuntur. Neque enim incipient mori; æquales enim ſunt Angelis Dei, cùm ſint filii reſurrectionis *ibid.* 168. 271. 418.

Reſurgere autem mortuos Moyſes ſignificat cùm dicit in rubo: Dominus Deus Abraham, & Iſaac, & Deus Iacob Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum, omnes enim illi viuunt. *cap.* 26. 219.

Amen dico vobis, quoniam vidua iſta plus omnibus miſit in dona Dei. Omnes enim iſti de eo quod abundauit illis, miſerunt in dona Dei, hæc autem de inopia ſua omnem quemcumque habuit victum miſit. *ibid.* 218.

Ponite in cordibus veſtris, non præmeditari excuſare: Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarii veſtri. *ibid.* 156. 118. 230.

Et eritis odibiles omnibus hominibus propter nomen meum. *ibid.* 272.

Cum autem videritis hæc omnia fieri, ſcitote, quoniam in proximo eſt regnum Dei. *ibid.* 209.

Hæc eſt caro mea. Hic eſt ſanguis meus. Hoc facite in meam commemorationem. *ibid.* 328.

Et quidem filius hominis, ſicut ſcriptum eſt de illo, vadit. *ibid.* 317.

Dixit Dominus ad Petrum: Ecce Sathanas poſtulauit vt vexaret vos quomodo triticum; ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. 18. 195.

Erat autem hora quaſi ſexta. *cap.* 23. 196.

Hodie mecum eris in paradiſo. *ibid.* 128. 331. 337.

Iſti ſunt ſermones quos locutus ſum ad vos cum adhuc eſſem vobiſcum, quia oportet adimpleri omnia ſcripta in lege Moyſi, & Prophetis & Pſalmis de me. Tunc adaperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, & dixit illis: Quia ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſam peccatorum vſque in omnes gentes. *ibid.* 245.

EX IOANNE.

IN principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo, hic erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in illo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux lucet in tenebris, & tenebræ illam non comprehenderunt. *cap.* 1. 249. 250. 251.

Fuit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum In hoc mundo fuit, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. *ibidem.* 246.

In ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt, dedit eis poteſtatem vt filii Dei fierent, his qui crednnt in nomine eius. *ibid.* 189. 245.

Lex per Moyſen data eſt, gratiã & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. *ibid.*

Ego quidem baptizo in aqua, in medio autem veſtrûm ſtat, quem vos neſcitis, ipſe eſt enim de quo dixi: Poſt me veniens homo ante me factus eſt, cuius non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere. *ibid.* 256.

Ecce agnus Dei, ecce qui aufert peccata mundi. *ibid.* 255. 321.

Aqua vinum facta, *ibidem.* 99.

Et cum feciſſet flagellum de funiculis, &c. *ibidem.* 320.

Domum patris mei, domum feciſti negotiationis. *ibid.* 180.

Quadraginta ſex annis ædificatum eſt fanum iſtud, &c. *ibid.* 352.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei *ibid.* 121. 127. 247.

Quod enim natum eſt de carne caro eſt, & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt. *ibid.* 246. 272.

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui crediderit in filium habeat vitam æternam. *ibid.* 257.

Qui non crediderit iam iudicatus eſt, quia non credidit in nomine vnigeniti filii Dei. Hoc autem eſt iudicium, quoniam lux venit in ſæculum, & magis dilexerunt tenebras quàm lucem. *ibid.* 245. 27

Vos mihi teſtes eſtis, quoniam dixi eis qui miſſi ſunt ab Hieroſolymis ad me, quia non ſum Chriſtus, ſed quoniam miſſus ſum ante illum. Qui enim habet ſponſam ſponſus eſt: Amicus autem ſponſi eſt qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. *ibid.* 256.

Nemo poteſt quicquam accipere niſi datum fuerit

illi de cælo *ibid.* 265.

Qui credit in filium habet vitam æternam. Qui dicto non audiens eſt in filium, non habet vitam: ſed ira Dei manebit ſuper eum. *ibid.* 258.

Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam dedero, non ſitiet in æternum. *cap.4.* 102.

Inter hæc venerunt diſcipuli eius, & mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi: quæris aut quid loqueris cum ea *ibid.* 377.

Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid deterius tibi contingat. *cap.5.* 14.73.88.271.

Nihil pater iudicat, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem, &c. *ibid.* 259.272.274.

Si teſtimonium dixero de me, teſtimonium meum non eſt verum; alius eſt enim qui teſtis eſt de me. *ibid.* 116.

Scrutamini ſcripturas in quibus putatis vos vitam habere, &c. *ibid.* 247.

Ego veni in nomine patris mei, & non recepiſtis me: cum alius venerit in ſuo, ipſum recipietis. *ibid.* 250. 394.

Si enim crediſſetis Moyſi, crederetis & mihi. De me enim ille ſcripſit. Si autem illius ſcripturis non creditis, quomodo verbis meis credetis? *cap.6.*

Ego ſum panis vitæ, qui venerit ad me, non eſuriet: & qui in me crediderit, non ſitiet vmquam. *ibidem.* 247.

Non deſcendi de cælo, vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. *ibid.* 164.191.270.

Ego ſum panis vitæ qui de cælo deſcendi Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea eſt pro ſæculi vita. *ibid.* 192.

Niſi ederitis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *ibid.* 247. 271.327.

Nemo poteſt venire ad me, niſi datum illi fuerit à patre. *ibid.* 126.127.

Dixit Ieſus ad Apoſtolos: Numquid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus & cognouimus quoniam tu es filius Dei viui. *ibid.* 81.116.

Odit me ſæculum, quia & ego illud, quia m[illegible] facta ſunt illius *ibid.* 352.

Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. *ibid.* 102.126.219.247.

Ego ſum lumen ſæculi, qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. *ibid.* 105.231.251.

Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris, *ibid.* 245.

Si permanſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos *ibid.* 215.

Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, *ibid.* 190.

Vos de patre diabolo nati eſtis, & concupiſcentias patris veſtri perficere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in illo *ibid.* *ibidem.*

Sputo cæci oculos Chriſtus formauit. *ibid.* 224.

Deus peccatorem non audit, ſed ſi quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit *cap.9.* 106.113.118

Qui non introiit per oſtium in ouile ouium, ſed deſcendit per alteram partem, ille fur eſt & latro. *cap.* 304.

Oues vocem eius audiunt. *ibid.*

Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur. *ibid.* 258.271.

Ego ſum paſtor bonus, qui pono animam meam pro ouibus meis. mercenarius autem & cuius non ſunt oues propriæ, cum viderit lupum venientem, relinquens effugit, & lupus diſpergit oues. *ibid.* 9.

Et erit vnus grex & vnus paſtor. *ibid.* 151.181.

Nemo aufert animam meam à me, ſed ego à me pono eam: Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc enim mandatum accepi à patre meo *ibid.* 251.357.

Ego & pater vnum ſumus. *ibid.* 151.182.

Nonne ſcriptum eſt in lege, quoniam ego dixi, dii eſtis? Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura? quem pater ſanctificauit & miſit in ſæculum, vos dicitis: quoniam blaſphemas quia dixi filius Dei ſum? quod ſi non facio facta patris, nolite mihi credere; quod ſi facio & mihi non vultis credere, factis credite, & cognoſcite, quoniam in me eſt pater, & ego in illo. *ibid.* 251.

Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me licet moriatur, viuet; & omnis qui viuit & credit me, non morietur in æternum. *cap.11.* 2.2.

Qui amat animam ſuam in iſto ſæculo, perdet illam, & qui odit animam ſuam in iſto ſæculo, in vitam æternam conſeruabit illam. *cap.12.* 159.236.269.

Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham, *ibid.* 395.

Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. *ibid.* 305.

Niſi lauero te, non habebis partem mecum. *cap.13.* 15.335.

Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eo qui ſe miſit. Hæc ſcientes eritis beati ſi ea feceritis. *ibid.* 66.2.

Et poſt bucellam, &c. *ibid.* 331.332.

Quod facis, fac citius. *ibid.* 283.

In domo patris mei habitationes multæ ſunt. *cap.14.* 168.303.

Ego ſum via, veritas. & vita. *ibid.* 132.271.

Nemo venit ad patrem, niſi per me. *ibid.* 126.158. 271.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. *ibid.* 187.263.

Si me dilexiſſetis, gauderetis; quoniam vado ad patrem. *ibid.* 209, 276.

Pater maior me eſt. 122.375.

Ego ſum vitis vera. *ibid.* 100.

Si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. *cap.15.* 104.179.

Si ſæculum vos odit, mementote quoniam me priorem vobis odit, &c. *ibid.* 89.238.272.

Veniet hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur ſe obſequium Deo facere. Sed & hæc facient, quoniam non cognouerunt patrem neque me, &c. *cap.16.* 88.238.267.

Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, ſeculum autem gaudebit: vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in gaudium veniet, *ibidem.* 209. 238.

Petite & accipietis. *ibid.* 17.188.

Hæc locutus ſum vobis vt in me pacem habeatis, in ſæculo autem preſſuram habebitis, ſed fidite, quoniam ego vici ſæculum, *ibid.* 23[illegible].166.

Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 59.116.235.

Ego te clarificaui in terra, opus perfeci quod dediſti mihi vt faciam, &c *ibid.* 126.249.

Non pro his autem rogo ſolis, ſed & pro illis qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. *ibid.* 142.263.

Pater,

Pater, quos dediſti mihi volo vt vbi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem meam quam mihi dediſti ante conſtitutionem mundi, *ibid.* 213. 219.

Si malè locutus ſum, exprobra de malo: ſi autem benè, quid me cædis? *cap. 18.* 97. 108. 116.

Quia frigus erat, *ibid.* 392.

Regnum meum non eſt de iſto ſæculo; ſi de iſto ſæculo eſſet regnum meum, miniſtri mei turbarentur ne traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit Pilatus: ergo Rex es tu. Reſpondit Ieſus: tu dicis quoniam Rex ſum; Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in ſæculum vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt de veritate, audit vocem meam, *ibid.* 259. 325. 326.

Nullam haberes poteſtatem aduerſus me, niſi data eſſet tibi deſuper, *cap. 19.* 194. 279.

Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, *ibid.* 353.

De tunica autem, quia de ſuperiore parte non conſutilis, ſed per totum textilis erat, dixerunt ad inuicem: Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, *ibid.* 181.

Ex latere Chriſti exiuit ſanguis & aqua, *ibid.* 339. 354. 391.

Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum, *cap.* 20.

Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum, *ibid.* 343.

Sicut me miſit pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſpirauit, & ait illis: Accipite ſpiritum ſanctum. Si cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cuius tenueritis, tenebuntur, *ibid.* 124. 148. 153. 180.

Dixit Dominus ad Thomam: Iniice huc digitum tuum, & vide manus meas, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis; Reſpondit autem Thomas & dixit illi: Dominus meus & Deus meus. Dixit illi Ieſus, quia vidiſti me, credidiſti: felices qui non viderunt, & crediderunt, *ibid.* 251.

Dixit Simoni Ieſus: Diligis me? Reſpondit, Diligo, Ait illi: Paſce oues meas, *cap. 21.* 251.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

NEmo poteſt cognoſcere tempus, ante tempora quæ pater poſuit in ſua poteſtate, *cap. 1.* 268. *alias* 281. 380.

Et erant perſequentes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus, & Maria quæ fuit mater Ieſu & fratribus eius, *ibid.* 187. 189.

Surrexit Petrus in medio diſcentium. Fuit autem turba in vno, *ibid.* 113.

Et factus eſt ſubitò de cælo ſonus quaſi ferretur flatus vehemens, & impleuit totum illum locum in quo erant ſedentes. Et viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ, quaſi ignis, & qui inſedit in vnumquemque illorum; & impleti ſunt omnes Spiritu ſancto, *ibid.* 280.

Et locuti ſunt variis linguis, *ibid.* 347. 385.

Cùm ſit hora diei tertia, *ibid.* 196.

Exaltatus ergo dextera Dei effudit hoc donum quod vos auditis, & videtis, 394.

Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Domini Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus deinceps, quoſcumque admonuerit Dominus Deus noſter, *ibid.* 124.

Ad horam orationis nonam.

Argentum quidem & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula, & apprehenſa manu eius dextera, excitauit eum, *capit. 3.* 164. 277.

Principes populi & ſeniores Iſraël audite: Ecce nos hodie interrogamur à vobis ſuper benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluatus eſt. Sit vobis omnibus notum, & in omni populo Iſraël, quia in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis in illo iſte conſpectu veſtro ſanus adſtat, alio autem nullo. Hic eſt lapis qui contemptus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Non enim eſt nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oportet ſaluari vos, *cap. 4.* 255.

Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente vna agebant, nec fuit inter illos vllum diſcrimen, nec quicquam ſuum iudicabant ex bonis quæ eis erant, ſed fuerunt illis omnia communia, *ibid.* 17. 187. 221. 263.

Cur impleuit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto, eſſet fundus in tua poteſtate, non omnibus mentitus eſt ſed Deo, *ibid.* 180.

Et conuocarunt illi duodecim totam plebem diſcipulorum & dixerunt illis, *ibid.* 113. 114.

Et elegerunt ſeptem diaconos, *ibid.* 108.

Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, *cap. 7.* 226.

Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum, *cap. 8.* 124.

Pecunia tua tecum ſit in perditione, quia exiſtimaſti gratiam Dei per pecuniam poſſideri, *ibid.* 280. 327.

Ait Eunuchus: Ecce aqua, quid eſt quod me impedit baptizari? Tunc dixit Philippus: Si credis ex toto corde tuo, licet, *ibid.* 274.

Tabitha exſurge in nomine Ieſu Chriſti, *cap. 9.* 216.

Cornelius Centurio fuit faciens multas eleemoſynas in plebem & ſemper orans Deum. Huic circa horam nonam oranti aſtitit Angelus, teſtimonium reddens ſui operis & dicens: Corneli orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad memoriam coram Deo, *ibid.* 196.

Petrus aſcendit in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam, *ibid.* *ibidem.*

Dominus dixit mihi neminem communem dicendum & immundum, *ibid.* 95.

Quem vnxit pater Spiritu ſancto miſſo de cælis, *ibid.* 386.

Et iuſſit eos baptizari, 121.

Vobis primum oportebat indicari verbum Dei: ſed quia repuliſtis illud, nec vos dignos æternæ vitæ iudicaſtis, ecce conuertimus nos ad gentes: Sic enim dixit per ſcripturas Dominus: ecce lumen poſui te inter gentes, ita vt ſis in ſaluationem vſque ad fines terræ, *cap. 13.* 247.

Viſum eſt ſancto Spiritui & nobis, nullam vobis imponere ſarcinam, quam iſta quæ ex neceſſitate ſunt; abſtinete vos ab idololatriis, & ſanguinis effuſione, & fornicatione. Et quæcumque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis, *cap. 15.* 281.

Circa mediam autem noctem Paulus & Silas orantes gratias agebant Deo. Audiebant autem eos vincti, *cap. 16.* 269.

In quo ſumus, viuimus & mouemur, *cap. 17.* 297. 325.

Baptizati priùs baptiſmo Ioannis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, *cap. 19.* 128. 146.

Ieſum noui & Paulum ſcio, &c. *ibid.* 320.

Beatus Paulus cùm ei dictum eſſet, Sic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendi: Neſciebam (inquit) fratres, quia pontifex eſt. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices, *cap. 23.* 79. 108. 117.

EX PAVLI EPISTOLA AD ROMANOS.

Fides veſtra prædicatur in vniuerſo mundo. *cap. 1.* 43.84.

Et coluerunt & ſeruierunt creaturæ, relicto creatore, propter quod & tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. *ibid.* 265.

Suſurrones, detractores, abhorrentes Deo, iniurioſi, ſuperbi, iactantes ſui, adinuentores malorum. Qui cum iuſtitiam Dei agnouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt morte ſunt digni; non tantum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt eis qui hæc agunt. *cap. 2.* 111.

Quare ſine excuſatione es, ô homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alium, teipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas. Speras autem tu, qui iudicas eos qui mala agunt, & eadem facis, quia ipſe effugies iudicium Dei. *ibid.* 170.

An numquid opulentiam bonitatis eius, & ſuſtinentiæ & longanimitatis eius contemnis ignorans quoniam patientia & bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? &c *ibid.* 223.273.

Quotquot ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Et quotquot in lege peccauerunt per legem & iudicabuntur. *cap. 3.* 280.

Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur. *ibid.* 279.

Inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, &c. *ibid.* 395.

Quid enim ſi exciderunt quidam illorum à fide, numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax, *ibid.* 81.111. 117.186.

Faciamus mala, dum veniunt bona; quorum damnatio iuſta eſt, *cap. 4.* 280.379.

Omnes enim peccauerunt & egent claritate Dei; iuſtificabuntur autem dono ipſius, & gratia per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. *ibidem.* 258.

Venenum aſpidum ſub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces ad effundendum ſanguinem pedes eorum, contritio & calamitas in viis eorum. Qui viam pacis non cognouerunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorum, *cap. 5.* 230.

Gloriamur in ſpe claritatis Dei, non ſolum autem, ſed gloriamur in preſſuris, ſcientes quoniam preſſura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem ſpem. Spes autem non confundit, quia dilectio Dei infuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, *ibid.* 137. 138. 266. *alias* 264.

Si cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis nunc iuſtificati in ſanguine illius liberabimur per illum ab ira, *cap. 8* 71.

Non ſicut delictum ita & donum, *ibid.* 339.

Itaque fratres non ſecundùm carnem viuamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, incipietis mori. Si autem ſpiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt. *ibid.* 231.

Sumus filii Dei; Si autem filii & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi quidem compatiamur, vt & commagnificemur, *ibid.* 87. 88. 159. 237.

Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis, *ibid.* 91. 156. 270.

Spe autem ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per expectationem ſperamus, *ibidem.* 225.274.

Quis nos ſperabit à charitate Chriſti, an preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt. Quoniam cauſa tui occidimur tota die, deputati ſumus vt oues victimæ, ſed in his omnibus ſuperuincimus, pro eo qui dilexit nos. *ibidem.* 18. 38. 136. 270.

Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus cognatiſque meis ſecundùm carnem qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio & claritas, & teſtamentum, & legis conſtitutio, & famulatus, & promiſſiones; quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. *ibidem.* 251.

Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes ſtatuere iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. *cap. 10* 373.

Ore fit confeſſio ad ſalutem, *ibid.* 320.

Et dedit illis Deus ſpiritum tranſpunctionis, *ibid.* 85.

Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. *ibid.* 15.197.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, quàm inueſtigabiles ſunt viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarus eius fuit? vel quis prior dedit ei & non retribuetur illi? Quoniam in ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi claritas in ſæcula ſæculorum, *ibid.* 275.

Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei vt conſtituatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo, nec configuremini ſæculo huic, ſed transformamini in renouatione ſenſus, ad probandum quæ ſit voluntas Dei, bona & placens, & perfecta, *cap. 12.* 156. 237.

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, & ſi ſitierit potabis illum: hoc enim faciens carbones viuos ſuperfundes in caput eius. *ibid.*

Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, *ibid.* 271.

Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa, *cap. 13.* 273. 274.

Reddite omnibus quæ debentur; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis, *ibid.* 266.

Dilectio proximi malum non operatur, *ibid.*

Nox tranſiuit, dies autem appropinquauit: Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tamquam in die decenter ambulemus: non in comeſſationibus & in ebrietatibus, non in concupiſcentiis & impudicitiis: non in certaminibus & zelo. *ibid.* 230. 231.

Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit, ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere eum, *cap. 14.* 271. 307. 380.

Vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. *ibid.* 155. 372.

Si propter eſcam frater tuus ſcandalizatur, iam non in charitate ambulas. Noli eſca tua illum perdere propter quem Chriſtus mortuus eſt. Bonum eſt non manducare carnem: neque bibere vinum, neque oſtendere in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur, *ibid.* 371.

Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, *ibid.* 276.

Rogo vos fratres diligenter obſeruare eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis, aut dicunt, aut faciunt, & declinate ab ipſis, *cap. 16.* 380.

Soli ſapienti Deo, *ibid.* 386.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS I.

OBſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu & in eadem ſententia, 181. 279

Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis? 34. 35. 320. 321.

Miſit me Chriſtus annunciare non in ſermonis ſapientia, ne ſuauis fiat crux Chriſti. Verbum enim crucis ſtultitia eſt iis qui pereunt; iis autem qui ſaluantur, virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium: & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? nonne infatuauit Deus ſapientiam huius mundi? Quoniam quidem in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum: complacuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluare credentes. Quoniam Iudæi ſigna deſiderant, & Græci prudentiam quærunt; nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis, & Græcis Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam, 249. 278. 390.

Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, *cap. 2.* 91. 312

Et ego quidem fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus quaſi infantibus in Chriſto. Lac vobis potum dedi, non eſcam (*vel* cibum) dum adhuc enim puſilli eratis, non poteratis, ſed neque nunc poteſtis: adhuc enim eſtis carnales. Vbi enim in vobis æmulatio (*vel* zelus) & contentio, & diſſenſiones, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? *ibid.* 251. 263 308.

Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, *ibid.* 72

Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, *ibid.* 96. 271

Nemo ſe decipiat. Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat, vt ſit (*vel* fiat) ſapiens. Sapiens enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Reprehendam ſapientes in aſtutia ipſorum. Et: Cognouit Deus cogitationes ſapientium quoniam ſtultæ ſunt, *ibid.* 222. 278

Quid enim habes quod non acceperis? Si autem acceperis, quid gloriaris quaſi non acceperis? *cap. 4.* 263

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, *ibid.* 70. 375.

Non in ſermone eſt verbum Dei, ſed in virtute, *ibid.* 283

Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Nam & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque feſta celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis, *c. 5.* 166. 168

Si quis frater, fornicarius, aut idolorum cultor, aut auarus, aut raptor, ſiue iniuſtus nominatus fuerit, cum eiuſmodi quidem nec cibum capere, *ibid.* 349

Audet quiſquam veſtrûm aduerſus alterum negotium habens diſceptare apud iniuſtos, & non apud ſanctos? An neſcitis quia ſancti hunc mundum iudicabunt? Iam quidem totum delictum in vobis eſt, quia iudicia habetis cum inuicem. Quare non magis iniuriam patimini, aut quare non magis fraudamini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus? an neſcitis quoniam injuſti regnum Dei non conſequentur? *cap. 6.* 274

Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum adpetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores regnum Dei conſequentur. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis, in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri, *ibid.* 79. 277

Omnia licent, ſed non omnia expediunt, &c. *ibid.* 164. 279

Neſcitis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Auferens membra Chriſti, faciam membra fornicariæ. Abſit. An neſcitis, quia qui conglutinatur fornicariæ, vnum corpus ſunt? Erunt enim duo in carne vna. Qui autem ſe coniunxerit Domino, vnus ſpiritus eſt. *ibid.* 277

Omne delictum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat, *ibid.* 7. 277. 295

Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno. clarificate & portate Deum in corpore veſtro, *ibid.* 161. 190. 265. 277.

Bonum eſt homini mulierem non contingere: propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque virum ſuum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & vxor viro. Vxor corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vxor. Nolite fraudare inuicem niſi ex conuentione ad tempus vt vacetis orationi, & iterùm reuertimini ad idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram: hoc dico ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium; volo autem omnes homines eſſe, ſicut & me, *ibid.* 272

Vnuſquiſque proprium donum habet à Deo alius ſic, alius autem ſic.

Quòd ſi non ſe continent, nubant. Iis autem quæ nupſerunt præcipio, non ego ſed Dominus vxorem à viro non ſeparari: ſi autem receſſerit, manere innuptam, aut reconciliari viro, & virum vxorem non dimittere, *ibid.* 180

De virginibus præceptum Domini non habeo, &c. *ibid.* 416. *alias* 316.

Alligatus es vxori, ne quæſieris ſolutionem: ſolutus es ab vxore, ne quæſieris vxorem, *ibid.* 369

Tempus collectum; ſupereſt ergo vt & qui habent vxores, quaſi non habentes ſint; & qui plangunt quaſi non plangentes, & qui gaudent, quaſi non gaudentes; & qui emunt, quaſi non ementes; & qui poſſident, quaſi non poſſidentes; & qui hoc mundo vtuntur, quaſi non vtantur. Præterit enim figura huius mundi, *ibid.* 264. *alias* 164. 265. *alias* 267.

Cœlebs cogitat ea quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi huius, quomodo placeat vxori. ſic & mulier, & virgo innupta, cogitat ea quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: quæ autem nupſit, cogitat de iis quæ ſunt mundi huius, quomodo placeat viro, *ibid.* 163. 272. 369

Mulier vincta eſt quamdiu viuit vir eius; ſi autem dormierit, liberata eſt, vt cui vult nubat, tantùm in Domino: felicior autem erit ſi ſic permanſerit, *cap. 8.* 277

Cibus nos non commendat Deo: neque ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non manducauerimus, egebimus, *ibid.* *ibidem.*

Si cibus ſcandalizat fratrem, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem ſcandalizem, *cap. 9.* 99. 371.

Dominum Ieſum vidi, *ibid.* 243

Numquid non habemus poteſtatem mulierem circumducendi? *ibid.* 375

Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrarer, *ibid.* 70

Neſcitis quoniam qui in ſtadio currunt, omnes qui-

dem currunt, vnus tamen accipit palmam ; Sic currite vt occupetis. Omnis enim qui agonizat, in omnibus continens eſt. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos verò incorruptam, *ibid.* 20. 271. 317.

Ego ſic curro, non quaſi in incertum : ſic pugno non quaſi aërem cædens ; ſed affligo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus inueniar. *cap. 10.* 375

Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Hæc autem omnia figuræ noſtræ fuerunt, *ibid.* 154. 243

Tentatio vos non occupauit, niſi humana Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſuper quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam euadendi facultatem, vt poſſitis tolerare, *ibid.* 279

Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum, *ibid.* 21. 175

Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia licent, ſed non omnia ædificant, *ib.* 164. 279

Eſtote ſine ſcandalo Iudæis & Græcis & Eccleſiæ Dei, *ibid.* 369

Omnibus per omnnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſaluentur, *cap.* 11. 70

Viri caput Chriſtus eſt, *ibid.* 156. 240

Verumtamen neque mulier ſine viro, neque vir ſine muliere in Domimo, *ibid.* 371

Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei, *ibid.* 119

Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti ſint vobis, 181. 279

Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem ; & gratias agens fregit ac dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur ; hoc facite in meam commemorationem Simili modo & calicem, poſtquam cœnatum eſt, accepit dicens. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine : hoc facite, quotieſcumque feceritis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim ederitis panem iſtum & calicem biberitis, mortem Domini adnunciabitis quoadvſque veniat, *ibid.* 102. 104

Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini, *ibid.* 22 23. 149. 173. 179

Numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ? *cap. 12.* 375

Etſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, etſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima eſt, charitas benigna eſt : charitas non zelat, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniuſtitiam, conlætatur autem in veritate. Omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, charitas numquam excidit, *cap. 13.* 127. 183. 231. 263

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & ego cognitus ſum, *ibid.* 275

Prophetæ autem duo aut tres loquantur & cæteri examinent. Si autem alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat, *ibid.* 120. 132. 144.

Mulieres in Eccleſia taceant. Si quæ autem quid dicere volunt, domi viros interrogent, *ibid.* 274

Omnia veſtra honeſta fiant, *ibid.* 375

Quod ſi reſurrectio mortuorum non eſt ; ergo nec Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, vacua eſt & fides noſtra. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur ; vnuſquiſque autem in ſuo ordine : initium Chriſtus. Deinde qui ſunt Chriſti in aduentu eius, deinde finis, *cap. 15.* 399

Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ, *ibid.* 85. 185. 279

Stulte, tu quod ſeminas, non viuificabitur, niſi priùs mortuum fuerit, &c. *ibid.* 251. 388

Stella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur corpus in corruptione, reſurgit ſine corruptela. Seminatur in ignominia, reſurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, reſurgit in virtute. Seminatur corpus animale, reſurgit ſpiritale, *ibid.* 276

Oportet enim corruptiuum iſtud induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptiuum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet verbum quod ſcriptum eſt: Abſorpta eſt mors in contentionem. Vbi eſt mors aculeus tuus? vbi eſt mors contentio tua, *ibid.* 209. 276. 375

Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cælo, qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes, *ibid.* 168

Quomodo portauimus imaginem eius qui de limo eſt, portemus & imaginem eius qui in cælis eſt, *ibid.* 168. 192. 232. 252. 265.

Ecce myſterium vobis dico. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent, incorrupti, & nos immutabimur, *ibid.* 398

Virtus peccati lex. *ibid.* 376

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS. II.

ALiis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam, *cap. 2.* 329

Obtuſi ſunt ſenſus eorum vſque ad hunc diem, hoc eodem velamento in lectione veteris teſtamenti manente, quod non reuelatur ; quia in Chriſto euacuatur : & vſque in hodiernum, ſi quando legitur Moyſes, velamentum eſt ſuper cor eorum. Mox autem vt conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamentum, *cap. 3.* 245

Omnes nos manifeſtari oportere ante tribunal Chriſti, vt reportet vnuſquiſque ſui corporis propria, ſecundùm quæ egit ſiue bona ſiue mala, *cap. 5.* 259. 275. 395.

Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum, *cap. 6.* 380

In omnibus commendantes quaſi Dei miniſtros, in ſuſtentatione multa, in preſſuris, in tentationibus, in tribulationibus, in anguſtiis, in plagis, in cuſtodiis, in carceribus, in ſeditionibus, in inuocationibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, *ibid.* 375

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ autem participatio eſt iuſtitiæ, & iniquitati? Aut quæ eſt communicatio luci ad tenebras? *ibid.* 125. 126. 277

Si voluntas prompta eſt ſecundùm quodcumque habuerit acceptabile eſt, non ſecundùm quod non habuerit neque ſit aliis refrigerium, vobis autem preſſura, *ibid.* *ibidem.*

Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt

& illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt ſit æqualitas ſicut ſcriptum eſt : Qui multum habuit, non abundauit, & qui modicum non indiguit, *ibid.* 262

Qui parcè ſeminat, parcè & metet : & qui ſeminat in benedictione, de benedictione & metet. Vnuſquiſque autem ſicut corde propoſuit ; non quaſi ex triſtitia, vel ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus, ſicut ſcriptum eſt ; Diſtribuit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum, *cap. 9.* 262

Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit. Et multiplicabit ſeminationem veſtram, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletemini : Adminiſtratio huius officij non tantùm ſuppleuit ea quæ ſanctis deſunt, ſed & abundauit per multam gratiarum actionem in Deum, *ibid.* *ibidem.*

Non enim audemus nos comparare aut conferre quibuſdam qui ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis ipſis noſmetipſos commendantes, &c. *cap.* 10. 375.

Deſpondi vos vni viro virginem caſtam adſignare Chriſto, *cap.* 11. 147

Transfigurat ſe velut angelum lucis, *ibid.* 179

Scio hominem raptum vſque in tertium cælum, *cap.* 12. 242

Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar : propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me & dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, *ibid.* 210. 266. 317

Timeo ne fortè veniens ad vos lugeam multos, ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus & libidinibus, *ibid.* 74

EX EPISTOLA AD GALATAS.

MIror quòd ſic tam citò demutamini ab eo qui vos vocauit in gratiam ad aliud Euangelium; quod non eſt aliud, niſi ſi ſunt aliqui qui vos turbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti Sed licet nos aut Angelus de cælo aliud adnunciet præterquam quod adnunciauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus & nunc iterùm dico : Si quis aliquid vobis adnunciauerit præter quam quod accepiſtis, anathema ſit, *cap.* 1. 35 103

Si hominibus placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem, 100. 104. 163. 151. *alias* 165. 275

Reprehenſio Petri à Paulo, *ibid.* 119

Abraham credidit Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam. Cognoſcitis ergo quià qui ex fide ſunt, filij ſunt Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fidé ſunt, benedicti ſunt cum fideli Abraham, *cap.* 3. 101. 245.

Factus pro nobis maledictum, *ibid.* 339

Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, *ibid.* 96. 130. 147

At vbi aduenit impletio temporis, miſit Deus filium ſuum natum de muliere, *ibid.* 152

Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm, *ibid.* 393

Diliges proximum tibi tamquam te. Si autem mordetis & accuſatis inuicem, videte ne conſumamini ab inuicem, *cap.* 15. 265

Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim inuicem aduerſantur ſibi, vt non quæ vultis ipſa faciatis. Manifeſta autem ſunt facta carnis, quæ ſunt, adulteria, fornicationes, immunditiæ, ſpurcitiæ, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, prouocationes, ſimultates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia : quæ prædico vobis ſicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas, *ibid.* 191. 192

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis, *ibid.* 263. 275

In contemplatione habentes vnuſquiſque ne & vos tentemini. Alterutrum onera ſuſtinete, & ſic adimplebitis legem Chriſti, *ibid.* 71. 265

Onera veſtra ſuſtinete inuicem, & ſic adimplebitis legem Chriſti, *ibid.* *ibidem.*

Deus non deridetur, *ibid.* 114 176

Ergo cùm tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus, *ibid.* 221. 225

Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, *ibid.* 165. 268

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

QVi ſimul conſuſcitauit nos ſimulque ſedere fecit in cæleſtibus, *cap.* 1. 393 399

Et cùm veniſſet adnunciauit vobis pacem his qui longè, & pacem iis qui propè; quia per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem, *ib.* 258

Vt poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo, *ibid.* 339. 389.

Obſecro vos ego vinctus in Domino, dignè ambulare vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate ſenſus & lenitate, cum patientia ſuſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis, *ibid.* 73. 149. 181. 226

Vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, *ibid.* 149. 180

Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis, *ibid.* 54. 60. 132. 149. 180. 387.

Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, *ibid.* 336. 338. 394

Exponite prioris conuerſationis veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm concupiſcentias deceptionis. Innouamini autem ſpiritu ſenſus veſtri, & induite nouum hominem, eum qui ſecundùm Deum conſtitutus eſt in iuſtitia, & ſanctitate & veritate, *ibid.* 263

Iraſcimini & nolite peccare, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram, *ibid.* 266

Nolite locum dare diabolo, 98 99. 374

Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus; *ibid.* 57 268

Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei in quo ſignati eſtis in diem redemptionis, *ibid.* *ibidem.*

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia auferatur à vobis, *cap.* 5. 226. 266.

Stultiloquium & ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, non nominetur quidem in vobis. Hoc enim ſcitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator quod eſt idololatria, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei, *ibid.* 74. 173.

Nemo vos decipiat inanibus verbis : propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ; nolite ergo eſſe participes eorum, *ibid.* 54. 107. 186

Vt filij lucis ambulate. Fructus enim luminis eſt in omni bonitate, & iuſtitia & veritate, probantes quod beneplacitum ſit Deo, *ibid.* 381

Vir caput eſt mulieris, *ibid.* 295

Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, purgans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, 151. 151

Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carne vna. Sacramentum iſtud magnum eſt: Ego autem dico in Chriſtum & Eccleſiam, *ibid.* 63

Filij obſequentes eſtote parentibus veſtris, hoc enim eſt iuſtum. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt bene ſit tibi, vt ſis longæuus ſuper terram, *ibid.* 217

Et vos parentes nolite in iracundiam mittere filios veſtros, ſed nutrite illos in diſciplina & correptione Domini, *ibid.* *ibidem.*

Serui obedite dominis carnalibus cum metu & tremore, & in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed quaſi ſerui Dei, *ibid.* *ibidem.*

Et vos domini eadem facite ad eos, laxantes iracundiam, ſcientes quia & veſter & ipſorum Dominus eſt in cælis, & exceptio perſonarum non eſt in illo, *ibid.* *ibidem.*

Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes huius mundi harum tenebrarum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Propter hoc induite tota arma Dei, vt poſſitis reſiſtere in die nequiſſimo, vt cùm omnia perfeceritis ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate Euangelij, induentes loricam iuſtitiæ, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia ignita iacula nequiſſimi extinguere, & galeam ſalutis aſſumere, & gladium ſpiritus qui eſt verbum Dei. *ibid.* 285.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

VErumtamen omni modo ſiue per accuſationem, ſiue per veritatem, Chriſtus adnuntietur, *cap.* 1. 125. 148

Qui in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſe, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, *ibid.* 254. 275. 325. 389

Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, *ibid.* 228. 385.

Omnia autem pro dilectione facientes ſine murmurationibus, & reputationibus, vt ſitis ſine querela, & immaculati filij Dei, *ibid.* 268

Lucete ſicut luminaria in mundo, *ibid.* 15. 271

Omnes ſua quærunt & non quæ ſunt Chriſti, *ibid.* 265.

Videte canes, videte malos operarios, *ibid.* 304

Quorum finis interitus eſt, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, vnde & Saluatorem expectamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, *ibid.* 156. 211. 265. 324. 399.

Saturatus ſum recipiens ab Epaphrodito ea quæ à vobis miſſa ſunt odorem ſuauitatis, ſacrificium acceptum, & beneplacitum Deo, *cap.* 4. 196

Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum, *ibid.* 382

EX EPISTOLA AD COLLOSSENSES.

QVi eſt imago Dei inuiſibilis & primogenitus totius creaturæ, *cap.* 1. 249

Quia per ipſum creata ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, *ibid.* 384. 385

Primogenitus à mortuis, vt fieret in omnibus ipſe primatum tenens, *ibid.* 249

Videte ne quis vos deprędetur per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, *cap.* 2. 71. 222

Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione carnis, ſed in circumciſione Chriſti, *ibid.* 246

Delens quod aduerſus nos erat chirographum, & affigens illud cruci ſuæ, traduxit principatus ſiue poteſtates, triumphans eos in ſemetipſo, 388

Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi; quid tamquam viuentes in mundo vana ſectamini? *ibid.* 267. 303. 398. 399

Si conſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram ſunt. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum eo apparebitis in gloria, *ibid.* 251. 268.

Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, exponentes fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam quæ eſt (*vel* ſunt) idolorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei, *ibid.* 74. 381

Vbi non eſt Iudæus & Græcus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, maſculus & fœmina, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus, *ibid.* 372

Inſtate orationi, vigilantes in ea, *cap.* 4. 17. 196. 283.

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES. I.

HÆc eſt voluntas Dei vt abſtineatis vos à fornicatione, *cap.* 4. 295

Non circumuenire in negotio fratrem ſuum; quia vltor eſt Deus de his omnibus, *ibid.* 279

Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quia Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & Deus eos qui dormierunt in Ieſu, adducet cum illo, &c. *ibid.* 212. 276. 366.

Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet. Cùm dixerint pax & firmitas, tunc illis repentinus adueniet interitus. *ibid.* 279

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES. II.

NE quis vos ſeducat vllo modo: quoniam niſi diſceſſio venerit primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui aduerſatur & extollit ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. Et tunc reuelabitur inimicus quem Dominus

Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & euacuabit illuminatione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus, ſecundum opera Satanæ, in omni virtute, ſignis & prodigiis mendacibus Et ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati. *cap. 2.* 395.

Dilectum veritatis non receperunt vt ſalui fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris: vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placent in iniuſtitia. *ibid.* 83. 178.

Præcipimus autem vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt diſcedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. *cap. 5.* 87. 186. 277. 179.

Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes ne quem veſtrûm grauaremus. *ibid.* 13. 278. 380.

EX EPISTOLA AD TIMOTEVM PRIMA.

Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, *cap. 1.* 378

Scimus quoniam bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur, *ibid.* 376

Qui primò fui blaſphemus & perſecutor & iniutioſus, ſed miſericordiam merui quia ignorans feci, *cap. 1.* 125

Sint mulieres veſtræ cum verecundia & pudicitia componentes ſe, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veſte pretioſa, ſed vt decet mulieres promittentes caſtitatem per bonam conuerſationem. *cap. 2.* 168. 273.

Mulier in ſilentio diſcat in omni ſubiectione. Docere autem mulierem non permitto neque præpoſitam eſſe viro, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua; & Adam ſeductus non eſt, mulier autem ſeducta eſt. *ibid.* 274.

Oportet autem eum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, vt non in oprobrium incidat & laqueum diaboli. *cap. 3.* 381.

In nouiſſimis temporibus, &c. *cap. 4.* 114.

Nemo iuuentutem tuam deſpiciat *ibid.* 108.

Forma eſto fidelibus in ſermone, in conuerſatione & charitate, in fide & caſtitate. *ibid.* 370.

Viduas honora quæ verè viduæ ſunt. *cap. 5.* 283. *alias* 281.

Quæ autem delicta eſt vidua, viuens mortua eſt. *ibid.* 418 419.

Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum non agit curam, fidem denegat & eſt infideli deteriorè *ibid.* 280.

Iuniores autem viduas præteri. Cùm enim indelicatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes iudicium quoniam primam fidem reprobauerunt. *ibid.*

Aduerſus maiores natu accuſationem ne receperis. *ibid.* 280.

Peccantes coram omnibus corripe, vt & cæteri metum habeant. *ibid.* *ibidem.*

Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſua ſubſequuntur. *ibidem.* 380.

Si quis aliter docet & non acquieſcit ſanis verbis Domini noſtri Ieſu Chriſti & doctrinæ eius, ſtupore elatus eſt. Diſcedite ab huiuſmodi. *cap. 6.* 54. 130.

Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec quid auferre poſſumus. Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſumus *ibid.* 193. 277.

Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & muſcipulam, & deſideria multa, & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. *ibid.* 172. 193. 217. 277.

EX EPISTOLA AD TIMOTHEVM II.

O Timothee fili, commendatum ſerua, noli ſpernere donum quod in te eſt per impoſitionem manuum ſeniorum, & cæter. *cap. 2.* 349.

Nemo militans Deo, obligat ſe moleſtiis ſæcularibus, vt poſſit placere ei cui ſe probauit. *ibidem.* 265.

Sed ſi certauerit quis, non coronabitur, niſi legitime pugnauerit. 137. 265.

Si enim commorimur & conuiuemus; ſi toleramus, & conregnabimus; ſi negamus, & ipſe negabit nos *ibidem.* 236.

Noli verbis contendere, nihil enim vtile eſt, niſi in ſubuerſionem audientium. Solicitè cura teipſum probabilem, &c. Stulta autem & inania eloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem. *ibid.* 380.

Sermo eorum velut cancer ſerpit. *ibid.* 53. 87. 126. 178. 182. 279.

In domo autem magna non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam autem inhonorata, *ibid.* 65. 73. 155.

Stultas autem & ineruditas quæſtiones deuita; ſciens quia lites generant. *ibid.* 275.

Seruum Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum omni modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati: ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ſecundùm eius voluntatem. *ibid.* 132. 378.

In nouiſſimis diebus aderunt tempora moleſta, & erunt homines ſui placentes, ſuperbi, tumidi, cupidi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impii, ſine affectu, ſine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, ſtupore inflati, voluptates magis quàm Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem eis abnegantes, hos deuita. Ex his ſunt qui repunt in domos & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, &, numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, & quomodo Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ſic & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem, Sed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit, 80. 84.

Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum. 249.

Erit tempus quando ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundùm ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes in audiendo, ſcalpentes aures: Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. *cap 4.* 378.

Ego iam delibor, & tempus inſtat meæ aſſumptionis. Bonum agonem certaui, curſum perfeci, fidem ſeruaui, iam ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolùm autem mihi ſed omnibus qui dilexerint aduentum eius. *ibid.* 20. 270.

EX EPISTOLA AD TITVM.

Ante tempora ſæcularia, *ibid.* 311.

Epiſcopum oportet eſſe ſine crimine tamquam

Dei diſpenſatorem. *cap. 1.* 114.

Omnia munda mundis *ibid.* 95.

Tu autem loquere quæ conueniunt ſanæ doctrinæ, maiores natu ſobrios eſſe, prudentes, ſanos in fide, in charitate, in patientia ſincera. *cap. 2.* 379.

Teipſum bonorum factorum præbens exemplum in doctrina, in integritate, in grauitate, in verbo ſano atque irreprehenſibili: vt aduerſarius reuereatur nihil habens in nobis dicere mali. Omnibus fidem bonam oſtende, vt bonam doctrinam ſaluatoris Domini noſtri præferant in omnibus. *ibid.* 370.

De nullo malè loqui nec litigioſos eſſe. *cap. 3.* 280.

Saluabit nos per lauacrum regenerationis. *ibid.* 131.

Hæreticum hominem poſt vnam correptionem deuita, ſciens quoniam peruerſus eſt huiuſmodi & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. *ibid.* 85. 125. 130. 144. 151. 185. 279.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

QVia per ipſum ſæcula inſtituit, & per ipſum conſtituit vniuerſorum hæredem. *cap. 1.* 385.

Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentem, auctorem ſalutis eorum, per paſſiones conſummari. *cap. 2.* 393.

Viuus eſt ſermo Dei & efficax, ancipiti gladio penetrabilior, vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ attingens, &c. *cap. 4.* 322.

Maior à Minore non benedicetur. *cap. 7.* 321.

Vna oblatione, &c *cap. 10.* 318.

Fides ſubſtantia rerum ſperandarum. *cap. 11.* 342.

Credere enim primo omnium accedentem oportet ad Dominum quia eſt, & credentibus in ſe remunerator fit. *ibid.* 384.

Fructum pacatiſſimum exercitatis in iuſtitiâ dabit. *cap. 12.* 317.

Qui educit de terra paſtorem magnum ouium. *cap. 13.* 393.

EX EPISTOLA IACOBI.

DOminus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *cap. 4.* 308.

EX EPISTOLA PETRI I.

SIcut hoſpites & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam; vt dum detrectant de nobis, quaſi de malignis, opera veſtra aſpicientes magnificent Deum. *cap. 1.* 15. 268.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius; qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: qui cum malediceretur, non remaledicebat; cùm pateretur non comminabatur, &c. *ibid.* 211. 273.

Sit in muliere non exterior ornamenti aut auri aut veſtis cultus, ſed cultus cordis. *cap. 3.* 273.

Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo. *ibid.* 258.

In hoc enim & mortuis prædicatum eſt vt ſuſcitentur. *ibid.* 258. 393.

In arca Noë pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & vos ſimiliter ſaluos faciet baptiſma. *ibid.* 131. 147. 151.

Qui eſt in dextera Dei ſedens in cælis. *ibid.* 385.

Chariſſ. Nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem veſtram fit, nec excidatis tamquam nouum vobis contingat, ſed quotieſcumque communicatis Chriſti paſſionibus per omnia gaudete, vt & in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Chriſti, beati eſtis, quia maieſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit Quod quidem ſecundùm illos blaſphematur, ſecundùm nos autem honoratur. *cap. 4.* 68. 138.

Nec quiſquam veſtrûm tamquam fur aut homicida patiatur: aut tamquam maleficus, aut curas alienas agens. ſed tamquam Chriſtianus. *ibid.* 273.

Sobrii eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuiuit; aliquem deuorare quærens. *cap. 5.* 229.

EX EPISTOLA PETRI II.

IN conuiuiis ſuis luxriantes, oculos habentes plenos mœchationibus, & inceſſabilibus delictis, capientes animas infirmas. *cap. 2.* 377.

EX EPISTOLA IOANNIS I.

SI dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. *cap. 1.* 193 275.

Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. *ibid.* 195. 215.

Filioli mei hæc ſcribo vobis, ne delinquatis, & ſi quis deliquerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt deprecatio pro delictis noſtris. *cap. 2.* 71.

In hoc intelligimus quia cognouimus eum: ſi præcepta eius cuſtodiamus. Qui dicit quoniam cognouit eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt & veritas in illo non eſt. *ibid.* 36.

Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit & ipſe ambulare. *ibid.* 264. 224.

Qui dicit ſe eſſe in luce & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc, & in tenebris ambulat & non ſcit quò eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. *ibid.* 232. 265.

Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo, quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi, quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia ſæculi, & mundus tranſibit & concupiſcentia eius. *ibid.* 110 164. 213. 268.

Qui autem fecerit voluntatem Dei manet in æternum quomodo Deus manet in æternum. *ibid.* 191. 265. 270

Audiſtis quia Antichriſtus venit, nunc autem antichriſti multi facti ſunt, vnde cognoſcimus quia nouiſſima hora eſt. *ibid.* 118. 150. 304.

Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. *ibid.* 181. 281.

Qui negat filium, neque patrem habet; qui confitetur filium, & filium & patrem habet, *ibid.* 127. 236. 258.

In hoc apparent filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt de Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. *cap. 3* 126. 265.

Qui fratrem ſuum odit homicida eſt, & ſcitis quia omnis homicida non habet in ſe vitam æternam ma-

nentem. *ibidem.* 194. 231.

Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum deſiderantem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? *ibid.* 218. 262. *alias* 264.

Si cor noſtrum nos non reprehendat, fiduciam habemus apud Deum, & quodcumque petierimus accipiemus ab eo. *ibid.* 281.

Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt; qui autem negat in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed eſt de Antichriſti ſpiritu, *cap. 4.* 252.

Maior eſt qui in vobis eſt, quàm in iſto mundo. *ibid.* 377.

Deus dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. *ibid.* 184. 263.

Si quis dixerit quoniam diligit Deum & fratrem ſuum odit, mendax eſt; qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? *cap. 5.* 263.

Et hi tres vnum ſunt. *ibid.* 181.

EX EPISTOLA IOANNIS II.

SI quis ad vos venit, & doctrinam Chriſti non habet: nolite eum admittere in domum veſtram, & aue illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi aue, communicat factis eius malis. *cap.* 11. 290.

EX EPISTOLA IVDÆ.

ECce venit cum multis millibus nunciorum ſuorum, facere iudicium de omnibus, & perdere omnes impios, & arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impiè, & de omnibus verbis impiis, quæ de Deo locuti ſunt peccatores. *cap.* 1. 309.

EX APOCALYPSI IOANNIS.

ET conuerſus reſpexi vt viderem vocem quæ mecum loquebatur; & vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis veſtitum podere, & erat præcinctus ſupra mamillas zonam auream. Caput autem eius & capilli erant albi velut lana aut nix, & oculi eius vt flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco ignis, ſicut de fornace ignis, & vox eius vt ſonus aquarum multarum, & habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas, & ex ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſplendebat vt ſol in virtute ſua. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tamquam mortuus, & impoſuit ſuper me dexteram ſuam, dicens: Nolite timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus qui fueram mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferorum, *cap.* 1. 258.

Septem ſtellæ, ſeptem Angeli, ſeptem candelabra, ſeptem Eccleſiæ.

Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & fac propria opera, ſi quo minus, veniam tibi niſi pœnitentiam egeris. *ibidem* 26. 77. 173 308.

Qui vincet dabo illi edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei. *ibid.* 270.

Nihil eorum timeas quæ paſſurus es. *ibid.* 238.

Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *ibid.* 13. 51. 270.

Habeo aduerſus te multa, quod vxorem tuam Iezabel, quæ ſe dicit Prophetam, ſinis docere & ſeducere ſanctos (*vel* ſeruos) meos fornicari, & manducare de ſacrificiis. Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult à fornicatione ſua. Ecce mitto eam in lectum, & qui cum ea fornicati ſunt in tribulationem maximam, niſi pœnitentiam geſſerint ab operibus ſuis. *ibid.* 72.

Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis, & dabo vnicuique ſecundùm opera ſua. *ibid.* 176. 188 212. 275.

Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. *cap. 3.* 186. 225. 236. *alias* 237.

Dicis: Diues ſum & ditatus, & nullius rei egeo, & pauper, & cæcus & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum de igni, vt ſis diues, & veſtem albam veſtiaris, vt non appareat in te fœditas nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos vt videas. *ibid.* 217. 218. 304.

Quos diligo, redarguo & caſtigo. *ibid.* 172.

Vincenti dabo ſedere ſuper thronum meum ſicut & ego vici & ſedi ſuper thronum patris mei. *ibid.* 38.

Et requiem nón habebant die ac nocte dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui erat & qui eſt, & qui venturus eſt omnipotens. *bid.*

Et vidi librum in dextera Dei ſedentis ſuper thronum, ſcriptum intus & retrò, ſignatum ſignis ſeptem, & vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: quis dignus eſt accipere librum & aperire ſigna eius? nec quiſquam poterat, neque de cælo, neque ſuper terram, neque ſub terra aperire librum, ſed neque perſpicere eum. Et ego flebam multum, quod nemo dignus repertus eſſet qui aperiret librum, aut videret illum. Et vnus ex ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum & ſoluere ſeptem ſigna eius. *ibid.* 253.

Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem; qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi per orbem terræ. Et venit & accepit librum de dextera Dei ſedentis in throno. Et cùm accepiſſet librum, quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores proſtrauerunt ſe ante agnum, habentes ſinguli citharas & pateras aureas plenas odoramentis ſupplicationum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & cantauerunt canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire ſingacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos regnum Deo noſtro, ſacerdoteſque feciſti & regnabunt ſuper terram. *ibid.* 254. 255.

Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus: & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verus æquum iuſtumque iudicans, & præliabatur, eratque coopertus veſte conſperſa ſanguine, & dicitur nomen eius, ſermo Dei. *cap. 6.* 250.

Et cùm aperuiſſet quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamauerunt magna voce, dicentes: Quouſque domine ſanctus & verus non iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui in terris inhabitant: Et datæ ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt eis vt requieſcerent breui ad huc tempore, donec impleretur numerus conſeruorum & fratrum eorum, quique poſteà occidentur exemplo ipſorum. *ibid.* 269.

Et cùm aperuiſſet ſigillum ſextum, ecce terræ motus factus eſt magnus, & factus eſt ſol niger, vt ſaccus cilicinus, & luna tota ſanguinea facta eſt, & ſtellæ ceciderunt in terram, quomodo ficus à vento magno agitata mittit groſſos ſuos; & cælum receſſit vt liber cum inuoluitur, & omnis mons & inſulæ de locis ſuis

motæ ſunt, & reges terræ & maximi quinque, & tribuni & diuites, & fortes, & omnis ſeruus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncùlis & in cauernis montium, dicentes montibus & petris: Cadite ſuper nos & abſcondite nos à conſpectu patris ſedentis ſuper thronum & ab ira agni: quoniam venit dies interitionis, & quis poterit ſtare? *cap.* 7. *ibidem* & 270.

Poſt hęc vidi turbam magnam quam dinumerare ex his nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu, & ex omni populo & lingua, ſtantes in conſpectu throni & in conſpectu agni, & erant amicti ſtolas albas, & palmę fuerunt in manibus eorum & magno clamore dicebant: Salus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno. Et reſpōdit vnus ex ſenioribus dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolās albas, qui ſunt, & vnde venerunt? Et dixi ei: Domine mi tu ſcis. Et ait mihi: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni. Ideò ſunt in conſpectu throni Dei, & ſeruiunt ei diebus (*v.l* die) ac noctibus (*vel* nocte) in templo eius. Et is qui ſedet in throno, inhabitat ſuper eos, neque eſurient neque ſitient vnquam, ſed neque ſol ſuper eos cadet, nullum vnquam æſtum patientur, quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget eos. Et deducet eos ad fontes vitæ aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. *ibid.* 241.269.

Et vidi, & ecce agnum ſtantem in monte Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & habebant nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. *cap.* 14. 257.

Hi ſunt, qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque ierit. *ibid.* 163.320.

Et vidi alium angelum volantem in medio cælo habentem Euangelium æternum, vt adnunciaret ſuper omnem terram, & ſuper omnes nationes & tribus, & linguas, & populos, dicentem voce magna: Metuite potius Deum & date illi claritatem, quoniam venit hora iudicii eius, & adorate eum; fecit cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt. *ibid.* 235.

Si quis adorat beſtiam & imaginem eius & accipit notam in fronte ſua & manu, bibet & ipſe de vino iræ Dei mixto in poculo iræ eius: & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum angelorum, & ſub oculis agni, & fumus de tormentis eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habebunt requiem die ac nocte, quicumque adorant beſtiam & imaginem eius. *ibid.* 90.106.235.

Beati erunt qui vigilabunt, & ſeruabunt veſtimenta ſua ne nudi ambulent, & videant turpitudinem ſuam. *cap.* 16.

Et venit vnus ex ſeptem angelis habentibus phialas, & aggreſſus eſt me dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ Et duxit me in ſpiritu. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, & mulier illa amicta erat pallium purpureum & coccineum, & adornata erat auro & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum, & immunditiæ & fornicationis totius terræ *cap.* 17. 151. *alias* 165. 273.

Aquæ quas vidiſti ſuper quas ſedet meretrix illa, populi ſunt, & turbæ, & gentes, & regna. *ibid.* 105. 305.

Et audiui aliam vocem de cælo dicentem: Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum eius, & ne percſtringaris plagis eius: quoniam delicta eius vſque ad cælum peruenerunt, & meminit dominus Deus iniquitatum eius. Ideo reddidit ei dupla, & in quo poculo miſcuit, duplum remixtum eſt ei, & inquantum ſe clarificauit, & deliciarum habuit, intantum datus eſt ei cruciatus & luctus: quoniam in corde ſuo dicit: Regina ſum, & vidua eſſe non poſſum nec luctum viſura ſum, propterea vna hora plagæ eius aduenient, mors, luctus & fames, & igni cremabitur, quoniam fortis eſt dominus Deus qui eam iudicabit, & flebunt & plangent ſe in ea reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt, & in delictis conuerſati ſunt. *cap.* 18. 171.272.273.

Regnauit Dominus Deus omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus ei gloriæ charitatem, quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius ſe præparauit. *ibid.* 156.

Vide ne feceris quia conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, Dominum Ieſum adora *ibid.* 228.

Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis, & verus, æquum iuſtumq; iudicat & præliatur. Oculi autem eius erant tamquam flamma ignis, & ſuper caput eius diademata multa, & portabat nomen ſcriptum, nemini alii niſi ſibi notum, & erat coopertus veſtem aſperſam ſanguine, & dicitur nomen eius verbum Dei: & exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum in equis albis, induti byſſinum album mundum: & de ore eius exibat gladius vtrimque acutus, vt ex eo percuteret nationes, quas ipſe paſciturus eſt in virga ferrea, & ipſe calcabit torcular vini iræ Dei omnipotentis. Habet etiam in veſte & in femore ſuo nomen ſcriptum: Rex Regum & Dominus dominantium. *ibid.* 259.

Et vidi animas occiſorum, propter nomen Ieſu, & ſermonem Dei, & quicumque imaginem beſtiæ non adorauerunt, nec acceperunt inſcriptionem in fronte aut in manu ſua: & vicerunt & regnauerunt cum Chriſto. *cap.* 20. 242.

Et vidi thronum magnum, & candidum ſedentem ſuper eum, à cuius facie fugit cælum & terra, locus eorum inuentus non eſt: & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes ante conſpectum throni Domini, & libri aperti ſunt & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ, & iudicati ſunt ſinguli ſecundùm ea, quæ ſcripta erant in libro, ſecundùm opera ipſorum. *ibid.* 309.

Ego ſum α & ω initium & finis Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. *cap.* 21.

Qui vicerit poſſidebit ea & eorum hæreditatem, & ero eius Deus, & ille erit mihi filius. *ibid.* 211.

Veni, oſtendam tibi nouam nuptam vxorem agni: & duxit me in ſpiritu in montem magnum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cælo à Deo habentem claritatem Dei. *ibid.* 271.354.

Et dixit mihi: Ne ſignaueris verba prophetiæ huius, quia iam tempus in proximo eſt, vt & hi qui perſeuerant nocere, noceant: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: iuſtus autem adhuc iuſtiora faciat, ſimiliter & ſanctus ſanctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundùm facta ſua. *cap.* 22. 227.268.271.

Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus, initium & finis, fœlices eos qui faciunt præcepta eius, vt ſit poteſtas eorum ſuper lignum vitæ. *ibid.* 257.

Foris canes. *ibid.* 204.

FINIS INDICIS SCRIPTVRARVM.

APPROBATIO.

VIRI nobiliſſimi ac doctiſſimi & ſenatoris integerrimi NICOLAI RIGALTII *Obſeruationes & Notas* ad libros D. Cæcilij Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi cum Præfatione Galeata & animaduertendis quibuſdam ad maiorem earumdem Obſeruationum lucem, Nos è Societate Sorbonicâ Doctores Theologi legimus & probauimus. Die 8. menſis Auguſti anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octauo. Sign. A. DE BREDA. M. GRANDIN.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICVS XIV. DEI GRATIA GALLIARVM ET NAVARRÆ REX CHRISTIANISSIMVS, ſingulari priuilegio ſanxit; ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines, intra quindecim annos à die perfectæ primæ Editionis computandos imprimat, aut alibi excuſum venalem habeat Libros qui inſcribuntur *Sancti Cæcilij Cypriani Opera*, *Marci Minucij Felicis Octauius*, *Arnobij Afri aduerſus Gentes*, *Iulij Firmici de Errore profanarum Religionum*, *Commodiani Inſtructiones aduerſus Gentium deos pro Chriſtiana diſciplina*: Omnia cum notis integris NICOLAI RIGALTII, variorumque commentariis illuſtrata, & PHILIPPI PRIORII ſtudio recenſita & accurata; præter Ioannem DV PVIS Bibliopolam Pariſienſem: Qui ſecus fecerit, Librorum confiſcatione, & pœnis quæ latiùs in diplomate Regio continentur, multabitur. Datum Pariſiis die 21. Iunij 1664.

Signatum, IVSTEL.

De Mandato Regis.

In publicas Bibliopolarum Pariſienſium ſocietatis Tabulas relatum menſe Septembris 1665.
Signatum, S. PIGET, Synd.

Hæc prima Editio abſoluta fuit die ſecunda Ianuarij anno Domini 1666. atque exemplaria tradita.

CÆCILII CYPRIANI EPISTOLÆ.

CÆCILIVS [a] CYPRIANVS DONATO S.

ARGVMENTVM.

Promiſerat Donato Cyprianus, ſermonem ſe cum illo habiturum de rebus diuinis. Iam promiſſis admonitus ſatiſfacit, ac multis gratiam Dei per baptiſmum collatam commendat, quantum ſit mutatus ab illo ſignificat, & ad oculum demonſtratis mundi erroribus, ad contemptum eius, ad aſſiduam denique lectionem & orationem adhortatur.

BEne admones, Donate chariſſime. Nam & promiſiſſe me 1
memini, & reddendi tempeſtiuum prorſus hoc tempus eſt, quum [b] indulgente vindemia, ſolutus animus in quietem, ſolemnes ac ſtatas anni fatigantis inducias ſortitur: locus etiam cum die conuenit, & mulcendis ſenſibus ac fouendis ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna conſentit. [c] Hic iucundum ſermonibus diem ducere, & [d] ſtudentibus fabulis in diuina præcepta conſcientiam pectoris erudire: ac ne colloquium noſtrum arbiter profanus impediat, aut clamor intemperans familiæ ſtrepentis obtundat, [e] petamus hanc ſedem. dant ſeceſſum vicina ſecreta, vbi dum erratici palmitum lapſus nexibus pendulis per arundines

a CYPRIANVS & DONATVS, ambo nuper ab ſecularibus Oratorum diſciplinis ad Chriſtum conuerſi, dum vnà feriis vindemialibus ruſticarentur nouitij Chriſtiani de communibus diuinæ gratiæ bonis ſermones inter ſe ſe miſcuerant: adeòque Donatus Cypriani ſermonibus animum ſibi ad Chriſtiana ſtudia firmari ſenſerat, vt ſapientiæ tam efficacis diſſertationem ſcripto comprehenſam habere voluerit. Amico roganti, Cyprianus id ſe primò quoque tempore curaturũ reſcripſerat. Poſtmodum igitur admonitus à Donatò Cyprianus quod promiſerat præſtitit, & mandatum litteris ſermonem inſcripſit Donato, cum ſalute, ac velut epiſtolam perferri ad eum iuſſit. Itaque æuo iam Auguſtini inter epiſtolas Cypriani legebatur, quamuis Auctor ipſe & hocce ſuo quidem opuſculo Colloquium appellarit. Sed & alia eiuſdem Cypriani ſcripta, De mortalitate, De opere & eleemoſynis, De zelo & liuore, De habitu virginum, epiſtolarum nomine ab eodem Auguſtino citantur. Et, ſi veteribus Grammaticis Acroni & Porphyrio credimus, verba ad amicum facta coràm, ſermones erunt, ex iiſdem, ſi conſignata tabellis, ad ipſum mittantur, fiet epiſtola. Ego quidem certè dixerim, iſtud omninò eſſe, quod apud Demetrium Phalereum Artemo nuncupabat Alteram dialogi partem. Quod ſi modum aut characterem ſpectes, id genus ſcripti erit quod profectò dici Epiſtola non debeat, niſi quod inſcriptionem & titulum gerat Epiſtolæ, nomina ſcilicet amici ad amicum, & ſalutem. Qualia fuiſſe ait Demetrius Platonis aliquot συγγράμματα, τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον. Hæc autem Epiſtola conuenientiſſimè præfigitur ceteris, quia Sermonem exhibet Cypriani de religionis Chriſtianæ præſtantia & ſuperſtitionis ethnicæ futilitate: cuiuſmodi ſcripta ab viris eruditioribus, cùm primùm apud Eccleſiam Chriſtianam nomen erant profeſſi ſuum, concinnari ſolita fuiſſe teſtantur Apologetica multorum præclara. Ea verò ſtatim in principio librorum apparent legentibus, ſicut hanc quoque Epiſtolam in exemplaribus Auguſtini antepoſitam fuiſſe ceteris, liber de doctrina Chriſtiana quartus oſtendit. Quo etiam nunc ordine in Vetuſtiſſimo codice Veronenſi conſpicitur. Neque autem hic ſanè codex, vti nec alius quiſquam, Donati aliquid habet quod Cypriani epiſtolam excitauerit. Vnus Cambronenſis à Pamelio laudatus, hæc habuiſſe dicitur. Admonitio Donati ad Cyprianum, *Credo te retinere, ſanctiſſime Cypriane, quæ nobis fuerit apud Oratores garrulitas, vnus ſenſus, vna cogitatio, indiuidua lectio. Quare non & in diuina lectione ita animis roboramur? Aut non ea ſemper nobis fuit cogitatio, vt ſimul crederemus?* Sed & titulus ab epiſtolæ Cyprianicæ exordio conceptus impoſturam prodit auctoris, & inſulſæ dictionis periodus indigna planè eſt rhetore, condiſcipulò Cypriani, ad quem Cyprianus ſermonem facit tam eximio cultu laboratum. RIGALTIVS.

b INDVLGENTE VINDEMIA.] Sic Impp. in L. Omnes dies. C. de feriis. *Feriarum dies, quos geminis menſibus ad requiẽ laboris indulgentior annus excepit. Idem.*

c HIC IVCVNDVM SERMONIBVS DIEM DVCERE.] Imitatur Minucium Felicem. *Idem.*

d STVDENTIBVS FABVLIS.] Quibus ſcilicet iucundè hic effabimur ſtudioſè concepta, lecta, notata, obſeruata. *Idem.*

d *Studentibus fabulis.* id eſt ſeriis, inquit Morellus, ſic Græci dicunt σπουδαζόντων μύθων. elegans locus qui ſcholaſticam adhuc redolet eloquentiam. PAMELIVS.

e PETAMVS HANC SEDEM.] Hæc & ſequentia pluſcula ab Auguſtino citantur; verùm ad cenſuram, ſanè grauem & ſanctam. Ait igitur: *In populo graui*, Eccleſiam Chriſtianam ſignificat, *hanc ſuauitatem orationis non eſſe delectabilem, qua non quidem iniqua dicuntur, ſed exigua & fragilia bona ſpumeo verborum ambitu ornantur qualis nec magna atque ſtabilia decenter & grauiter ornarentur.* Quod autem adiicit, Sanctiſſimum Martyrem

nes baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. [a] benè hîc ſtudia in aures damus: & dum in arbores & vites oblectante proſpectu oculos amœnamus, animum ſimul & auditus inſtruit & paſcit obtutus. quamquam tibi ſola nunc gratia ſola cura ſermonis eſt. contemptis voluptariæ viſionis illecebris in me oculos tuos fixus es, [b] quàm ore, quàm mente totus auditor es, & hoc amore, quo diligis. Cæterùm quale vel quantum eſt, quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenij anguſta mediocritas tenues admodum fruges parit, nullis ad copiam fœcundi ceſpitis culmis ingraueſcit: aggrediar tamen facultate, qua valeo; nam & materia dicendi facit mecum. In judiciis, in concione pro roſtris, opulenta facundia [c] volubili ambitione iactetur: cum verò de domino Deo vox eſt; vocis pura ſinceritas [d] non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Denique accipe non diſerta, ſed fortia; nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone fucata, ſed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia: accipe, quod [e] ſentitur antequàm diſcitur; nec per moras temporum longa agnitione colligitur, ſed compendio gratiæ maturantis hauritur. Ergo cùm in tenebris atque in nocte cæca iacerem, cúmque in ſalo iactantis ſæculi nutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus; [f] difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuò poſſet; vtque in nouam vitam lauacro aquæ ſalutaris animatus, [g] quod priùs fuerat, exponeret; & corpora licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. qui poſſibilis, aiebam, eſt tanta conuerſio; vt repentè ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuit? alta hæc, & profunda penitus radice ſederunt. quando parſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit? & qui pretioſa veſte conſpicuus in auro atque in purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quando deponit? faſcibus ille oblectatus & honoribus, priuatus & inglorius eſſe non poteſt. hic ſtipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus, pœnam putat eſſe cùm ſolus eſt: tenacius ſemper illecebris aſſuetum, neceſſe eſt, vt ſolebat, vinolentia inuitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet ſæpè mecum: nam vt ipſe quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me poſſe non crederem; ſic vitiis adhærentibus obſecundans eram, & deſperatione meliorum malis meis veluti jam propriis ac vernaculis fauebam. Sed poſtquam vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa, in expiatum pectus ac purum, deſuper lumen infudit; poſtquam cœlitus ſpiritu hauſto in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit; mirum in

modum

nuſquam poſtmodum ſic dixiſſe, arguit cenſuram, aut valde iſthic ſeueram, aut aliàs, pleriſque extra hanc epiſtolam paginis, ſatis indiligentem RIGALT.

a BENE HIC STVDIA IN AVRES DAMVS.] Liber *Nic. Fabri*: Benè hic ſtudia in aures damus, vt dum in arbores & vites quas videmus oblectante proſpectu oculos amœnamus, animum ſimul & auditus inſtruat & paſcat obtutus. RIG.

b QVAM ORE, QVAM MENTE.] Quam aure, quam mente. *Idem*

c VOLVBILI AMBITIONE.] Lib. N. F. nobili ambitione. *Idem*.

d *Non eloquentiæ viribus &c.* In hac nempè cauſa id dicendum, quod Petronius in ſatyr. *Grandis, & vt ita dicam pudica oratio, non eſt maculoſa, nec turgida, ſed naturali pulchritudine exſurgit.* Et Seneca lib. 9. Controu. eam damnat quæ, *vſque ad vltimum tumorem perducta.* Hic enim vbi de Deo; hoc eſt, veritate agitur, naturali & inaffectato ſermone opus. PRIORIVS.

e SENTITVR ANTEQVAM DISCITVR.) Diuina gratia quam *Cyprianus* indulgentiam vocat, per fidem Chriſtianam anteactæ vitæ peccata delet. Virtutes inducit, ac de homine impio facit pium; de prauo, rectum. Mutatum hominem videmus: quibus gradibus, quibúſve artibus ad mutationem peruenerit, neſcimus. Vt momento turbinis exit de ſeruo liber, ſit de repentè ſancti Spiritus afflatu de peccatore fit Chriſtianus. RIG.

f DIFFICILE PRORSVS AC DVRVM, VT QVIS RENASCI DENVO POSSET.) Sic apud Ioannem, cap. III. ad ea verba Chriſti; *Niſi quis renatus fuerit, non poteſt videre regnum Dei.* Nicodemus, vt erat Pſychicus, non percipiens ea quæ ſunt Spiritus, *Quomodo*, inquit, *poteſt homo renaſci?* Et cap. VI. Cùm dixiſſet Chriſtus, *Ego ſum panis viuus*, &, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, *litigabant Iudæi ad inuicem dicentes, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Quin & complures ex diſcipulis Chriſti, dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Itaque ad Nicodemum Chriſtus, ſermonem quo renaſci hominem oportere dixerat, de aqua & ſpiritu accipiendum eſſe ait, & natum ex carne carnem eſſe; natum verò ex ſpiritu, ſpiritum. Et ad Iudæos, atque etiam ad diſcipulos, ad quos dixerat, *Caro mea verè eſt cibus*, ſtatim ſubjunxit, *Spiritus eſt qui viuificat. Caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Nihil adeò eſt*, inquit Tertullianus, *quod tam obduret mentes hominum, quàm ſimplicitas diuinorum operum, quæ in actu videtur, & magnificentia ſiqua in effectu repromittitur: vt hic quoque, quoniam tanta ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu nouo aliquo, denique ſine ſumptu, homo in aqua demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multò, vel nihilo mundior reſurgit, eò incredibilis exiſtimetur conſecutio æternitatis.* Hæc lib. de Baptiſmo, cap. 2. Abducamus igitur mentem ab iis quæ ſenſu percipiuntur, & ad ſpiritalia ſiue cœleſtia transferamus. Nam & carnem non prodeſſe quicquam ait Chriſtus, & carnem ex aqua non multò, vel nihilo mundiorem emergere ait Septimius. Et tamen veriſſimè ex aqua renaſcuntur in vitam æternam, qui Spiritu ſancto vegetante fide Chriſtiana imbuti baptizantur, & carne Chriſti nutriuntur in vitam æternam, qui ſermones Chriſti incarnati ſeruant. Baptiſmo tingimur & imbuimur; mergimur & emergimus. Tingimur doctrina Chriſti, imbuimur fide ſancta: mergimur vt mortui peccato: emergimus, hoc eſt, reſurgimus & renaſcimur ad vitam æternam, quæ eſt noua vita; quam hic viuere incipimus, adeóque alimur & fouemur cibo Chriſtianorum, corpore Chriſti, carne & ſanguine Chriſti. Hiſce ſacramentis ſiue myſteriis procuramur ad ſpiritalia, ſpiritalibus autem ad cœleſtia nutrimur. *Idem*.

g QVOD PRIVS FVERAT, EXPONERET.) Hoc eſt, veterem hominem deponeret ſiue exueret. Sic Apoſtolus veterem hominem manifeſtè notat: *Expone* enim, inquit, *ſecundùm priſtinam conuerſationem, veterem hominem, non ſecundùm alicuius ſubſtantiæ ſeuitiam.* Tertull. *lib. de reſur. carn. cap. 45.* Pontius *in vita Cypriani*: *Conuerſationem prioris hominis exponens. Idem.*

modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa; facultatem dare quod priùs difficile videbatur; geri poſſe, quod impoſſibile putabatur, vt eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viueret; Dei eſſe cœpiſſe, quod iam Spiritus ſanctus animaret. Scis ipſe profectò, & mecum pariter recognoſcis, quid detraxerit nobis, quid-ve contulerit mors iſta criminum, vita virtutum. [a] Scis ipſe, nec prædico: in proprias laudes odioſa iactatio eſt: quamuis non iactatum poſſit eſſe, ſed gratum quicquid non virtuti hominis adſcribitur, ſed de Dei munere prædicatur, vt iam non peccare eſſe cœperit fidei, quod ante peccatum eſt, fuerit erroris humani. Dei eſt, inquam, Dei omne quod poſſumus: indè viuimus, indè pollemus, indè ſumpto & vigore concepto, hîc adhuc poſiti futurorum indicia prænoſcimus. [b] Sit tantum timor innocentiæ cuſtos, vt qui in mentes noſtras indulgentiæ cœleſtis allapſu [c] clementer Dominus inſulſit, in animi oblectantis hoſpitio iuſta operatione teneatur, ne accepta ſecuritas indulgentiam pariat, & vetus denuò hoſtis obrepat. Ceterùm ſi tu innocentiæ, ſi iuſtitiæ viam teneas, [d] ſi illapſa firmitate veſtigij tui incedas, ſi in Deum viribus totis, ac toto corde ſuſpenſus, hoc ſis tantum quod eſſe cœpiſti: tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiæ ſpiritalis augetur. non enim, qui beneficiorum terreſtrium mos eſt in capeſſendo munere cœleſti menſura vlla vel modus eſt; profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frænatur: manat iugiter, exuberat affluenter. noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat; quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde iam facultas datur, caſtitate ſobria, mente integra, voce pura, [e] in medelam dolentium, poſſe venenorum virus extinguere; animorum deſipientium labes reddita ſanitate purgare, infeſtis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem: [f] immundos & erraticos ſpiritus qui ſe expugnandis hominibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere, vt recedant, [g] duris verberibus vrgere, conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. res illic geritur, nec videtur [h] occulta plaga, & pœna manifeſta. ita [i] quod eſſe iam cœpimus, acceptus ſpiritus licentia ſua potitur; quod nec dum corpus ac membra mutauimus, adhuc carnalis aſpectus ſæculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis eſt? non tantum ipſum eſſe ſubtractum perniciofis contactibus mundi, vt qui expiatus & purus nulla incurſantis inimici labe capiatur; ſed adhuc maiorem, & fortiorem viribus fieri, vt in omnem aduerſarij graſſantis exercitum imperioſo iure dominetur? Atque vt illuſtrius veritate patefacta diuini muneris indicia clareſcant, lucem tibi ad cognitionem dabo, malorum caligine abſterſa, [k] opertas ſæculi tenebras reuelabo. Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra te iacentium facies; & oculis in diuerſa porrectis, ipſe

a SCIS IPSE, NEC PRÆDICO. IN PROPRIAS LAVDES ODIOSA IACTATIO EST.) Contractiora ſunt quæ in exemplari Regio leguntur. Scribere in proprias laudes odioſa iactatio eſt, quamuis iactatum poſſit eſſe. Sed de Dei munere prædicatur; vt iam non peccare, eſſe cœperit fidei, &c. RIG.

b *Sit tantum timor innocentiæ cuſtos.* metus ideò cuſtos eſt innocentiæ, quia pœnitentiam pro læſo numine ſemper habet propoſitam. vnde Tertullianus timorem vocat *inſtrumentum pœnitentiæ*, lib. de pœnit. cap. 6. Atque vt Conſtantini magni innocentiam probet Euſebius, in eius vita lib. 1. (c. 17. τῷ τῶ θεῶ) φόβῳ κατησφαλισμένος. *Dei timore ſt. patus* dicitur. In eumdem ſenſum Φόβον & μετάνοιαν coniunxit Cyrillus Alex. in Amos. PRIORIVS

c CLEMENTER DOMINVS INFVLSIT.) Sic legitur *in Cod. Veronenſi & Corbeienſi.* In aliis legitur, vt quod in mentes noſtras illapſum clementer Dominus inflixit. Vtrumque ſanè diuinæ gratiæ conuenier, clementer inſulcire, vel clementer infligere. Vt ſit ſermo de Spiritus ſancti donis, tamquam de inuectis & illatis in animi noſtri hoſpitium. RIG.

d SI ILLAPSA FIRMITATE VESTIGII TVI INCEDAS.) Inlapſam firmitatem dicit quæ non labitur, ſed perſtat in veſtigio. nec fallit fidem datam Chriſto. Alludit ad lapſos, quorum frequens in ſequentibus epiſtolis mentio, quos idololatriæ tentatio commouet, ſubuertit, deijcit *Idem.*

e IN MEDELAM DOLENTIVM.) Hæc ſcriptura eſt *codicis Veronenſis.* In aliis etiam antiquis legitur, languentium. Quod eſt, dolentium, ægrotantium. Vt iam illud, volentium, ab interprete eſſe videatur, quàm ab Auctore. Niſi tamen *Cyprianus* ſcripſerit, *in medelam doleſcentium*, vnde fluxerit quod in editione Romana mendoſiſſimè legitur, in medulla adoleſcentium vulnerum. Emendatiſſima igitur ſcriptura tandem exiſtet huiuſmodi, Iam inde facultas datur, caſtitate ſobria, mente integra, voce pura in medelam doleſcentium, poſſe venenorum virus extinguere, &c. *Idem.*

f IMMVNDOS ET ERRATICOS SPIRITVS.) Quos & errones rectiſſimè dici fateor. Sed Arnobio manum ideircò intentari nolim. Nam eius verba *lib. 1. aduerſus Gentes* in antiquiſſimo exemplari ſic optimè ſe habent, Puerile, puſillum eſt & exile, vix & illis conueniens, quos iam dudum experientia doctorum dæmonas appellat, errores non noſſe cœleſtia; & in hac rerum materia, craſſiore conditionis ſuæ ſorte verſari. Stultum eſt, inquit, cœleſtia, ſcilicet numina non noſſe errores, & hominum erroribus falli ac decipi. Turpe eſt, cœleſtia, ſubſtantias cœleſtes, cuiuſmodi ſunt qui ob ſcientiam dæmones appellantur, ignorare quæ recta ſunt. Pudendum dictu, Deos à quibus homines ſunt creati & conditi, in iſta rerum materia ſic verſari, vt ſolent deterioris naturæ & ſequioris ſortis homines, errare ſcilicet, & per ignorantiam labi. Conditionem dicit homines ab diis ſiue dæmonibus conditos & creatos. Itaque ſcripſit Arnobius, errores non noſſe cœleſtia. Non errones, neque heroas. *Idem.*

g DVRIS VERBERIBVS VRGERE.) Ipſe ad Demetrianum: Spiritalibus flagris & verborum tormentis. Itaque hic ſubiungitur: occulta plaga. *Idem.*

h OCCVLTA PLAGA.) Ipſe, *lib. de Idolor. van.* operatione majeſtatis occultæ flagris cædi. *Idem.*

i QVOD ESSE IAM COEPIMVS) Æternæ vitæ participes, coheredes Chriſti, filij Dei. eo ſcilicet, quod prius fuerat, expoſito. Quemadmodum ipſe loquitur ſup. *pag. 2.* nimirum depoſito peccato, abſterſa baptiſmo idololatriæ labe. *Idem.*

k OPERTAS SECVLI TENEBRAS REVELABO.) *Cod. Reg. & Corb.* operti ſeculi tenebras reuel. *Idem.*

ipſe à terrenis contactibus liber fluctuantis mundi turbines intuere. Iam ſæculi & ipſe miſereberis, tuíque admonitus & plus in Deum gratus, maiore lætitia quod euaſeris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum bella vbique diuiſa: madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium cùm admittunt ſinguli crimen eſt, virtus vocatur cùm publicè geritur: impunitatem ſceleribus acquirit non innocentiæ ratio, ſed ſæuitiæ magnitudo. Iam ſi ad vrbes ipſas oculos tuos atque ora conuertas, celebritatem offendes omni ſolitudine triſtiorem. [a] Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. [b] Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam cariùs pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis poſſit occidere peritia eſt, vſus eſt, ars eſt: ſcelus non tantùm geritur, ſed & docetur. quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit: & gloria eſt, quod perimit. Quid illud oro te, quale eſt, vbi ſe feris obiiciunt, quos nemo damnauit? ætate integra, honeſta ſatis forma, veſte pretioſa, viuentes in vltroneum funus ornantur, malis ſuis miſeri gloriantur: pugnant ad beſtias beſtiæ, non crimine ſed furore. Spectant filios ſuos patres. Frater in cauea eſt, & ſoror præſto eſt. [c] Et ſpectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, vt mœroribus ſuis mater interſit; hoc proh dolor! mater & redimit; [d] & in tam impiis ſpectaculis támque diris & funeſtis [e] eſſe ſe non putant oculi parricidas. Conuerte hinc vultus ad diuerſa ſpectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere: de parricidis & inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis auditu, fieri poſſe, quod factum eſt: numquam æui ſenio delicta moriuntur, numquam temporibus crimen obruitur, numquam ſcelus obliuione ſepelitur. [f] exempla fiunt, quæ eſſe iam facinora deſtiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magiſterio vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur, dum videtur; & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus iúſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam? Euirantur mares, honor omnis & vigor ſexus eneruati corporis dedecore mollitur, plúſque illic placet quiſquis [g] virum in fœminam magis fregerit; in laudem creſcit ex crimine, & peritior quò turpior iudicatur. Spectatur hic proh! nefas & libenter. quid non poſſit ſuadere qui talis eſt? Mouet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem: nec deeſt probri blandientis auctoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum ſuum, non magis regno, quàm vitiis principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris auibus proſilire. Quære iam nunc an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer vel pudicus. Deos ſuos quos venerantur imitantur, fiunt miſeris [h] & religioſa delicta. O ſi poſſis in illa ſublimi ſpecula conſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare! aſpicias ab impudicis geri,

a *Paratur gladiatorius ludus*, Gladiatorum plura erant genera. inter quos erant Retiarij, Scutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces, quorum magiſtri laniſtæ vocabantur, qui è mancipiis familiam alentes, aliquot ſubinde paria in ſpectaculum producebant; vt innocentes publicæ voluptatis, inquit Tertull. lib. de ſpectac. hoſtiæ fierent: interdictus eſt poſteà à Conſtantino ludus gladiatorius Romæ. l. vnica. C. de gladiatorib. PAM

b *Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus.* cibos hic indicat aridos, ex quibus non obeſitas ſed ſuccus ſolidus confieri ſolet, & *σώματα διεχτωῶτα καὶ ὑγιῆ*, *athletica corpora & valida*, vt loquitur B. Chryſoſt. hom. 1 ad pop. PRI

c ET SPECTACVLI LICET] In quibuſdam libris legitur, Et licet ſpectaculi RIG

d *Et in tam impiis ſpectaculis.* Circo & amphitheatro impietatem tribuit Septimius Tertull. de ſpect. c 19 à quo impia ſpectacula dixit magni magiſtri eximius diſcipulus, quoniam impietas eſt maxima pereuntem videri filium à parentibus, & quidem ſiccis oculis, & cum voluptate aliqua Quod in parentibus adhuc grauiùs quam in aliis, etſi vbique reprehendendum, Nam *homo occiditur in hominis voluptatem.* vnde Prudentius in hamartig.

Sanguinis humani ſpectacula publicus edit
Conſeſſus.

PRI

e ESSE SE NON PVTANT OCVLI PARRICIDAS] In pleriſque legitur, Eſſe ſe non putant oculis parricidas. Pater ſcilicet & ſoror & mater. RIG.

Exempla fiunt, quæ eſſe iam facinora deſtiterunt. Lactantius lib. 6. c 20. non aliena ab his continet. *Tragicæ hiſtoriæ ſubiiciunt oculis parricidia, & inceſta regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant.* Eamdem ob rationem ſpectaculorum immanitatem arguit Theophilus patriarcha, lib. 3. ab Autolycum quod *ἀθεωτοβορὰς Θυέςα, καὶ Τηρέως τέκνα ἐδώδιμα*, *Thyeſtas epulas, & comeſos Terei filios* exhibeant. PRIOR.

g VIRVM IN FEMINAM FREGERIT.) Eadem loquendi figura vtuntur Impp. lib 12 cod. Cùm vir nubit in feminam, & ipſe Cyprianus epiſt 61 de hiſtrione dixit, artem hiſtrioniam docere, quemadmodum maſculus frangatur in feminam. RIG.

h *Et religioſa delicta.* Manilius lib. 5 ---- *improbitas fiet virtus.* Aduerſus monſtra illa eleganter Lactant. lib. 1. cap 10 *Quid mirum, inquit, ſi ab hac gente vniuerſa flagitia manarunt, apud quam ipſa vitia religioſa ſunt.* PRIOR.

geri, quod nec poſſit aſpicere frons pudica. Videas, quod crimen ſit & videre: videas deas quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. libidinibus inſanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec illis poſſunt placere, qui faciunt. Mentior niſi alios qui talis eſt, increpat; turpes turpis infamat, & euaſiſſe ſe conſcium credit, [a] quaſi conſcientia ſatis non ſit. Iidem in publico accuſatores, in occulto rei, in ſemetipſos cenſores pariter, & nocentes. damnant foris, quod intus operantur: admittunt libenter, quod cùm admiſerint, criminantur. [b] audacia prorſus cum vitiis faciens, & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quæ loquuntur huiuſmodi ore illo. quicquid iam voce delinquitur, minus eſt. Sed tibi poſt [c] inſidioſas vias, poſt diſperſas orbe toto multiplices pugnas, poſt ſpectacula vel cruenta, vel turpia, poſt libidinum probra vel lupanaribus proſtituta vel domeſticis parietibus obſepta, quorum quò ſecretior culpa, maior audacia eſt; [c] forum fortaſſè videatur immune, quod ab iniuriis laceſſentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. illuc aciem tuam flecte. plura illic quæ deteſteris inuenies, magis oculos tuos inde diuertes. Inciſæ ſint licet leges duodecim tabulis, & publice ære præfixo iura præſcripta ſint, inter leges ipſas delinquitur, inter iura peccatur. innocentia nec illic vbi defenditur, reſeruatur. Sæuit inuicem diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum, haſta illic & gladius, & carnifex præſto eſt, vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus vnum ſupplicia plura quàm membra ſunt. Quis inter hæc verò ſubueniat? Patronus? ſed præuaricatur & decipit. [e] Iudex? ſed ſententiam vendit. qui ſedet crimina vindicaturus, admittit, & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex. Flagrant vbique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. [f] Hic teſtamentum ſubiicit: ille falſum capitali fraude conſcribit: hic arcentur hæreditatibus liberi: illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, calumniator impugnat, teſtis infamat, vtrobique graſſatur in mendacium criminum proſtitutæ vocis venalis audacia, [g] cùm interim nocentes, nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus eſt: de quæſitore, de iudice pauor nullus: quod poteſt redimi, non timetur: eſſe iam inter nocentes innoxium criminis eſt: malos quiſquis non imitatur, offendit. Conſenſere iura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt. Quis illic rerum pudor, quæ eſſe poſſit integritas; vbi qui damnant improbos deſunt, ſoli tibi qui damnentur occurrunt? Sed ne nos videamur eligere fortaſſe peiora, & ſtudio deſtruendi, per ea oculos tuos ducere, quorum triſtis atque aduerſandus aſpectus ora & vultus conſcientiæ melioris oſtendat: iam tibi illa quæ ignorantia ſæcularis bona opinatur, oſtendam, illic etiam fugienda conſpicies. Quos honores putas eſſe? quos faſces? quam affluentiam in diuitiis? quam potentiam in caſtris? in magiſtratu purpuræ ſpeciem? in principatu licentiæ poteſtatem? Malorum blandientium virus occultum eſt, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, ſed calamitatis abſtruſæ illecebroſa fallacia; inſtar quoddam veneni, vbi in lethales ſuccos dulcedine aſperſa calliditate fallendi ſapore mendicato, poculum videtur eſſe quod ſumitur: [h] vbi epotaueris, pernicies hauſta graſſatur. Quippe illum vides, qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura. quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium faſtus priùs pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia ſtipatus in clientium cuneos ante præceſſit, vt ipſum etiam ſalutatum comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati? neque enim coli moribus meruit ille, ſed faſcibus. Horum denique videas exitus turpes, cum auceps temporum palpator abſceſſit, cum priuati latus nudum deſertor aſſecla fœdauit, tunc laceratæ domus plagæ conſcientiam feriunt, tunc rei familiaris exhauſtæ damna noſcuntur, quibus redemptus fauor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæſita eſt. Stulta prorſus & vana iactura, fruſtrantis ſpectaculi voluptate id parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet

a Qvasi conscientia satis non sit.) Interpretamentum eſt quod in veteri quodam libro legitur: Quaſi conſcientiam ſuam non poſſe effugere, ſatis non ſit Hoc certè non legitur in Corbeienſi, neque item in Regio. Rio.

b Avdacia cvm vitiis faciens.) συμμαχὶς, ſocia & federata. *Idem*

c Insidiosas vias.) Suprà dixit, Itinera latronibus cluſa *Idem*.

d *Forum fortaſſè videatur immune*. Forenſis exercitij venalitatem, prauitatemque iudicum, & fraudes patronorum, vniuerſamque iudiciorum corruptionem latè modò inſectetur. De quibus audiendus epiſt. 18 Seneca. *numquid tam turbidum fieri poteſt, quam forum?* Pri

e *Iudex? ſed ſententiam vendit* Illud idem Petronius in ſat. *Ergo iudicium nihil eſt niſi publica merces Atque eques in cauſa qui ſedet, empta probat.* Idem.

f *Hic teſtamentum ſubiicit*. Subiicere teſtamentum, eſt ſupponere l. inſtrumentum D. ad l. Corneliam de falſis & l. qui teſtamentum S. D. eod. vbi qui teſtamenta ſubiecerunt lege Cornelia falſi damnantur, pœna quondam erat capitalis, verùm poſteà facta eſt non capitalis. *Idem*.

g Cvm interim nocentes nec cvm innocentibvs pereunt.) Innocentes pereunt, nocentes ſeruantur. Saltem, ſi cum innocentibus etiam nocentes perirent, Rio

h Vbi epotaveris) In quibuſdam libris etiam vetuſtatis haud contemnendæ, legitur: Vbi epota res eſt. In Corbeienſi, Vbi epotata res eſt. Verior eſſe videtur ſcriptura codicis Regij: Vbi epotatis pernicies hauſta graſſatur. *Idem*.

perderet magiſtratus. Sed & quos diuites opinaris continuantes ſaltibus ſaltus, & de confinio pauperibus excluſis infinita ac ſine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defoſſæ ſtrues; hos etiam inter diuitias ſuas trepidos cogitationis incertæ ſollicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cuiuſque locupletioris inuidia calumnioſis litibus inquietet. Non cibus ſecuro, ſomnúſve contingit. ſuſpirat ille in conuiuio, bibat licet gemmas, & cum epulis marcidum corpus [a] torus mollior alto ſinu condiderit, vigilat tamen in pluma: nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis quàm poſſidere diuitias atque opes. O deteſtabilis cæcitas mentium, & cupiditatis inſanæ profunda caligo. Cùm exonerare ſe poſſit & leuare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio eſt, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam ſuam dicunt, quam velut alienam domi clauſam ſollicito labore cuſtodiunt. ex qua non amicis, non liberis quicquam, non ſibi denique impertiunt. poſſident ad hoc tantùm, ne poſſidere alteri liceat. Et ô nominum quanta diuerſitas! bona appellant, ex quibus nullus illis, niſi ad res malas vſus eſt. An tu vel illos putas tutos, illos ſaltem inter bonorum infulas & opes largas ſtabili firmitate ſecuros, quos regalis aulæ ſplendore fulgentes armorum excubantium tutela circumſtat? Maior illis quàm cæteris metus eſt: tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore ſublimitas, ſit licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur. Quàm ſecuros non ſinit eſſe ſubiectos, tam neceſſe eſt non ſit & ipſe ſecurus. Ante ipſos terret poteſtas ſua, quos facit eſſe terribiles. Arridet, vt ſæuiat: blanditur, vt fallat: illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat. Fœnore quodam nocendi quàm fuerit amplior ſumma dignitatis & honorum, tam maior exigitur vſura pœnarum. Vna igitur placida & fida tranquillitas: vna ſolida, & firma & perpetua ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundetur, ad cœlum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo iam proximus quicquid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra ſuam iacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo maior eſt. Quàm ſtabilis, quàm inconcuſſa tutela eſt, quàm perennibus bonis cœleſte præſidium, implicantis mundi laqueis ſolui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari. Viderit quæ in nos priùs infeſtantis inimici pernicies inſidioſa graſſata ſit! Plus amare compellimur, quod futuri ſumus: dum & ſcire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus eſt, vt hominis ſumma vel dignitas vel poteſtas elaborata mole pariatur: ſed gratuitum de Deo munus, & facile eſt. vt ſponte ſol radiat, fons rigat, imber irrogat; ita ſe ſpiritus cœleſtis infundit. Poſtquàm auctorem ſuum cœlum intuens anima cognouit, ſolo altior, & hac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod ſe eſſe credit. Tu tantùm quem iam ſpiritalibus caſtris cæleſtis militia ſignauit, tene incorruptam, tene ſobriam religioſis virtutibus diſciplinam. Sit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis ſuis inſtruat, ille diſponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria eſſe nulla iam poterit, cui ſemel pectus cæleſtis ſagina ſaturauit. Iam tibi auro diſtincta laquearia, & pretioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia ſordebunt; cùm ſcieris te excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc eſſe potiorem, quam Dominus inſedit templi vice, in qua Spiritus ſanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce iuſtitiæ. Non hæc vnquam procumbet in lapſum ſenio vetuſtatis, nec pigmento parietis, aut auro exoleſcente fœdabitur. Caduca ſunt quæcumque fucata ſunt, nec fiduciam præbent poſſidentibus ſtabilem, quæ poſſeſſionis non habent infirmitatem. Hæc manet cultu iugiter viuido, honore integro, ſplendore diuturno, aboleri non poteſt, nec extingui, [b] poteſt tantùm in melius corpore redeunte formari. Hæc interim breuibus, Donate cariſſime. nam etſi facilem de bonitate patientiam, mentem ſolidam, fidem tutam ſalutaris auditus oblectat, nihilque tam tuis auribus gratum eſt, moderari tamen dicenda debemus ſimul iuncti, & ſæpiùs colloquuturi. Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus eſt otioſum, quicquid inclinato iam ſole in veſperam diei ſupereſt, ducamus hanc diem

læti

a ET TORVS MOLLIOR ALTO SINV CONDIDERIT.) In Cod. Regio tantùm habetur, *torus mollior condat.* RIG.

b POTEST TANTVM IN MELIVS, CORPORE REDEVNTE, FORMARI.) Hoc eſt, in vitam æternam reſurgente. Alludit ad illud Pauli ad Cor. I. 15. 53. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

læti, [c] nec ſit vel hora conuiuij gratiæ cæleſtis immunis, [d] ſonet Pſalmos conuiuium ſobrium, [d] & vt tibi tenax memoria eſt, vox canora; [e] aggredere hoc munus ex more. magis cariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures [f] religioſa mulcedo.

EPIS-

c NEC SIT VEL HORA CONVIVII GRATIÆ COELESTIS IMMVNIS) Tertullianus Apolog cap. 39 Non priùs diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur

d SONET PSALMOS CONVIVIVM SOBRIVM) Hoc etiam præclarè explicat Tertull. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de Scripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit.

a ET VT TIBI TENAX MEMORIA EST.) Ex verbis Tertulliani ſuprà citatis, diſcimus veteris Eccleſiæ morem, canendi aliquid non ſolùm de Scripturis ſanctis, verùm etiam de proprio ingenio.

e AGGREDERE HOC MVNVS EX MORE MAGIS CARISSIMOS PASCES.) Hæc, ſi bene putamus, deprauata ſunt, etſi magno veterum exemplarium conſenſu probari videantur. In vno tamen & altero de ſatis antiquis ſic variat ſcriptura, vt Morelius & Ioſephus Scaliger tradidere. Et hæc quidem Morelij: Aggredere hoc munus tuo ore magis. Paſcat nos ſpiritalis auditio, delectet aures religioſa mulcedo. Hæc verò Scaligeri: Aggredere hoc munus tuo ore magis, clariſſimè. Paſtus ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.

f RELIGIOSA MVLCEDO.) Bellarminus lib. de Scriptorib. Eccleſ librum De ſingularitate Clericorum, non eſſe Cypriani, bonis alioqui rationibus arguit ſed & hac ſanè frigida, quòd in eo opere verba multa parum Latina occurrant, quæ non inueniantur in Cypriano, qualia ſunt, inquit, mulcedo, &c. quod argumentum ex iſto Cypriani loco facilè refellitur. Quin & hocce vocabulum Agellio ſic placuiſſe animaduertimus, vt Latinæ linguæ venuſtates non alio magis expreſſerit, lib. XIX. cap. 9.

EPISTOLÆ IN SECESSV CYPRIANI TOTO biennio conſcriptæ.

[a] CLERI ROMANI AD CLERVM CARTHAGINIENSEM de ſeceſſu D. Cypriani.

ARGVMENTVM.

Intellexerat Clerus Romanus à Clementio hypodiacono ſeceſſiſſe Cyprianum in perſecutione. Pro ſuo itaque zelo fidei Clerum Carthaginienſem officij ſui admonet, ac inſtruit, quid circa lapſos intereà dum abeſt illorum Epiſcopus, fieri oporteat.

a CLERI ROMANI.) Clerus Græca vox, Κλῆρος. Latina, ſors. Vtriuſque autem linguæ dictio tria ſignificat. Sorticulam qua vtimur in ſortiendo: Sortitionem ſiue Sortitum, actionem ipſam ſortiendi: & quod ſortitu cuique accidit Rerum Hebraïcarum ſcriptores Græci, ab iiſque etiam Latini, Clerum dixere quod ex ampliſſimo illo terrarum tractu, Ioſua jubente in vndecim tribus Hebræorum diuiſo, per ſortitionem vnicuique contigerat Factis ſcilicet cleris vndecim, clero cuique numerus inſcriptus fuerat, pro numero portionum menſoris tabula ſub totidem numeris comprehenſarum. Pone Benjamini tribum, vel quamlibet aliam. Cleris igitur in vrnam conjectis, vrna mota, qui clerus exierat ſortiente Benjamini tribu. clerus Benjamini dicebatur Eòque nomine intelligebatur ager ſiue regio quam ſortito Benjamini tribus acceperat poſſidendam. Itaque omnes regionis illius incolæ Benjamini tribus & Benjamini clerus deinceps nuncupati: atque ita de ceteris vndecim tribuum portionibus Poſteaquam figuris Moſaïcis veritas Chriſtiana ſucceſſit, & malè merentibus Hebræis gratia diuina ad Gentes conuerſa eſt, quod Hellenistæ Chriſtiani dixerant Eccleſiam, dixerunt etiam clerum. Chriſtus appellauerat Ouile, & paſcendis ouibus ſuis paſtorem præfecerat ipſe ἀρχιποίμενα. Homines erant oues, & homo paſtor, ex ouibus vna. At paſtoris ſimul & ouium dominus erat Chriſtus. Itaque huiuſmodi ouium numerus cùm excreuiſſet, adhibuit Dominus ouili ſuo paſtores vtique complures. Paſtores autem ſumpſit de ouibus, vt iam fierent paſtores qui nuper ouium numero cenſebantur. Sed & ipſi quidem facti paſtores nihilominus erant oues ἀρχιποιμένος, id eſt Chriſti. Ergo & paſtores omnes cum ouibus etiam cunctis, vnum erant ouile Chriſti, non ouile cuiuſque paſtoris. Sed ex multis & ouium & paſtorum capitibus vnum ouile & vnus paſtor Chriſtus. Quod de Ouili diximus, hoc de Eccleſia quoque dicendum & Clero. Ac de Eccleſia quidem, in promptu eſt Nam etſi plurium ſit perſonarum: immò & ſi plures Eccleſiæ conuenerint, ſi tamen Chriſtianæ ſint, omnes vna ſunt Eccleſia, pluribus membris in corpus vnum coëuntibus, cuius corporis caput eſt Chriſtus. De clero prorſus idem. Nam etſi quid diuiſum ſonet, attamen partes quantæcumque ſint, vnam omnes ſubſtantiam componunt Et quicquid ſortientes acceperint pro ſuo clero, puta clerum eſſe de numeroſo quopiam ouili Chriſtiano. ex vno eſt ouili. exve vna Eccleſia. quod ouile, quæ Eccleſia in quantaſlibet acceptas, ſiue portiones exierit, vnciæ ſunt, vnius aſſis, vnius ſubſtantiæ, vnius patrimonii conſortia: & conſortio ſuo iuncta, clerum vnum faciunt, vnum ouile Chriſti. Hæc enim apud Chriſtum; ſiue Clerus, ſiue Eccleſia, ſiue Ouile, ſunt typi & parabolæ & ſpecula, ſiue exempla, per quæ nos ad diuina Deus erigit, & quaſi manu ducit in cœlum, adeòque ſunt mente, animo, intellectu concipienda. Sed praua mortalium cæcitas, Chriſtiana ſimplicitate neglecta, Phariſaïcam ſuperbiam reduxit, & obruit cœleſtia terrenis. Cleri vocabulum ad res Chriſtianas primus tranſtuliſſe videtur Petrus, epiſtola ſua canonica prima Hortatur Preſbyteros ipſe compreſbyter, gregem, quem ipſis commiſit Deus, paſcant, prouidentes ouibus, non turpis lucri cupidine, ſed gratis: neque vt dominantes in cleris, ſed facti in exemplum & formam gregis, vt cùm venerit princeps paſtorum, accipiant coronam gloriæ. Loquitur Petrus ad preſbyteros Ponti, nec ſe alium facit quàm compreſbyterum. Sicut mandatum habebat à Domino: Paſce oues meas, ſic ipſe preſbyteris illis tradidit: Paſcite oues Chriſti Apponit illis exemplum opilionum & gregis. Abſtinet eos ab auaritia, prohibet à ſuperbia. Nolite, inquit, paſcere gregem, vt dominantes in cleris, ſed vt curatores ouilis, non veſtri, ſed Chriſti. Quod Ezechiel dixerat Phariſæis, hoc Petrus Ponticis. & quò magis ipſe Phariſaïcam ſuperbiam retunderet, Clerorum injicit mentionem, quibus ſic præerant tùnc temporis Leuitæ, vt domini ac tyranni: etſi nullum Ioſuas clerum Leuitis aſſignaſſet, qui ſanxerat edicto, ne Leuitica tribus partem vllam faceret in cleris. Minimè autem propterea negauerim, Leuitas, quamuis in agrorum diuiſione partem non fecerint, nihilominus obtinuiſſe munus à Deo longè præſtantius: nempe ſacerdotiorum functiones & pontificia, quæ ſcilicet hæreditario jure poſſiderent. Et hæc quidem illorum ſors fuit ſiue clerus. Verùm, & Prophetæ Chriſti, & Chriſtus ipſe, & à Chriſto Petrus, ceterique deinceps Apoſtoli ſortem illam, ſiue clerum, ad formam ouilis redegere, quin, & hoc ſuperdicto Ouile non eſſe paſtorum, ſed Chriſti. ac proinde monitis paſtoribus, vt paſcant oues Chriſti, non ſeipſos: Nimirum de pecoribus improbè veſcebantur, paſcentes potiùs ſemetipſos, inquit Tertullianus lib. de Fuga in perſecut. quod præclarè Propheta dixerat: ἐβόσκησαν οἱ ποιμένες ἑαυτούς, τὰ δὲ πρόβατά μου οὐκ ἐβόσκησαν. ἀντὶ τούτου, ποιμένες, τάδε λέγει κύριος κύριος. ἰδοὺ ἐγὼ ἐπὶ τοὺς ποιμένας, &c. Credo diſcipulos, & mox Apoſtolos fuiſſe Chriſti magiſtri ſui vocibus obſequentiſſimos. & multa cetnimus ἀγω

II. [b] DIDICIMVS ſeceſſiſſe [c] benedictum Papam Cyprianum, [d] à Clementio [e] ſubdiacono, qui à vobis ad nos venit, [e] certa ex cauſa; quod vtique rectè fecerit, cùm ſit perſona inſignis. Et imminente agone quem permiſit Deus in ſæculo colluctandi cauſa cum aduerſario, ſimul cum ſeruis ſuis, volens etiam angelis & hominibus certamen hoc manifeſtare, vt qui vicerit coronetur; victus verò portauerit in ſe ſententiam, quæ nobis manifeſta eſt: Et cùm incumbat [f] nobis qui videmur præpoſiti eſſe, & vice paſtoris cuſtodi-

proximè ſequenti primitiuæ illius reuerentiæ fideique veſtigia. ſic tamen, vt neceſſe ſit fateri, jam exinde nonnullos ouilibus Chriſtianis adeo graues & aſperos incubuiſſe paſtores, vt ab iis ad nos antiquiſſimæ origines fluxerint morum & rituum ab illa primæua ſinceritate alieniſſimorum. Præuiderat Paulus venturos poſt diſceſſum ſuum lupos inſidiantes gregi, non parcentes ouibus. Et hic quidem in Gentibus. At Petrus Phariſæos dominari ſuetos in cleris ab Synagoga vocans ad Chriſtum, paſtores vt fiant ouium Chriſti, depellit ab regno Clerorum. Formam ouilis, quam Eccleſiæ Chriſtianæ Apoſtoli, paſtores à Domino formati, tradiderant, viri Apoſtolici ſeruauere. Sed vix alterius ſeculi diſciplina fuit, cùm ipſi paſtores nomen cleri, quod erat ouium vniuerſitati commune, ſic proprium ſibi fecerint, vt jam nomen ipſum ouilis in populi ſiuè plebis & laïcorum appellatione vileſceret. Hinc exorta jam æuo Tertulliani ac Cypriani inter clericos & laïcos differentia tanta, vt laïci non intelligerentur appellatione cleri. Magnum ſanè cleros inter Moſaïcos & Chriſtianos diſcrimen, quòd Moſaïci ſacerdotes & pontifices partem in cleris vllam non facerent, Clerum Chriſtianum, quantus quantus eſt, non conſtituunt niſi ſacerdotes & pontifices. Nemo tamen ſanus ambiget, quin optima & neceſſaria fuerit Ordinis Eccleſiaſtici ratio, cuius inter populum differentiam fecit ipſius Eccleſiæ auctoritas & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.

a CLERI ROMANI AD CLERVM CARTHAGINIENSEM.) Fabiano mortuo ſedes Romana vacabat. Secedente igitur Cypriano Clerus Carthaginienſis litteras ad Clerum Romanum dederat, & ſeceſſionis cauſſas allegauerat, quales hîc reddit Romanus. Nam & ſeceſſiſſe Carthaginienſes clerici ſcripſerant, & benedictum Papam Cyprianum ſuum nuncupauerant. Reddunt Carthaginienſibus voces ſuas Romani, ſed mox iſtum Cypriani ſeceſſum in fugam vertunt; addúntque circumſtantias, imminente agone, quem Deus permiſit, vt ſententiam damnationis ferat in eos qui de perſecutione pedem referrent, aut Chriſtum negarent. Hæc itaque ſunt dulcacida, qualia præberi ſolent in poculis mellitis abſinthia. *Idem.*

b DIDICIMVS SECESSISSE BENEDICTVM PAPAM CYPRIANVM.) Seceſſus iſte Cypriani, fugæ probro minimè caruit apud quoſdam de Chriſtiana fraternitate, qui Tertulliani ad Fabium de fuga in perſecutione diſputationem legerant. Nec dubito, quin ipſa tanti Magiſtri ſeueritas Diſcipuli mentem adeò ſuffuderit, vel aliquo ſaltem ſcrupulo ſic pupugerit, vt fugæ ſuſpicionem Cyprianus amoliri abs ſe magno ſtudio contenderet. Hoc & Pontij familiaris ſui ſatis intricata ſedulitas perſuadet: ipſiúſque Cypriani epiſtolæ ſequentes declarant &, ſi verum amamus, haud aliud magis iſta Romani cleri tam argumentoſa quàm incondita commonitio proſcribit. Fortiſſima eſt illa Cypriani defenſio, quòd Dei nutu, immò juſſu ſeceſſerit. Nam quid apertius mandato diuino per Chriſtum Apoſtolis tradito? Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Quòd ſi mandatum ad alios quàm Apoſtolos pertinuiſſe negaueris, quis à Cypriano juſſi Dominici, Spiritus ſancti, diuini erga ipſum quoque ſpeciatim fauoris teſtem exigat? Sed & complures humanæ prudentiæ rationes amici cauſſati ſunt. Erat perſona inſignis. Vnus Cyprianus Eccleſiam demonſtrabat: Eo ſublato, tota perſſum ibat fraternitas. Vnius Cypriani præſentia inimicas nomini Chriſtiano poteſtates exaſperabat. Vnum præſertim Cyprianum populus efferatus ad leonem depoſtulauerat. Eo aliquantiſper amoto rabies ſedari poſſe videbatur. Denique abſens nihilominus per procuratores aut vicarios, pérque litteras frequentiores Eccleſiæ ſuæ neceſſaria cuncta prouidebat, ſuggerebat. Has certè ſeceſſus cauſas, tunc valde probabiles, ſequentibus ſeculis exemplo fuiſſe arguit præclara Auguſtini ad Honoratum epiſtola, quæ & conſilia præbet aduerſus cunctas iſtius humanæ prudentiæ ſubtilitates ſaluberrima. Strategicorum ſcriptores quæſtionem tractant huic noſtræ haud abſimilem: An ſit laudandus in bello dux, quem non pigeat caput ſuum paſſim fortiter ac ſtrenuè periculis objectare. Quæ res hanc definitionem admittit Habendam in primis eſſe rationem ducis, quo ſublato, ſalus populi ſubuertatur neceſſe eſt. tunc enim πρῶτον ἔργον ἀρετῆς εἶναι, σώζειν τὸν ἅπαντα τ' ἄλλα σώζοντα. At vbi de exemplo ducis tota pendet exercitus conſtantia, tum verò, neque manibus neque capiti eſſe parcendum. Hoc ſapienter obſeruauit in Pelopida Plutarchus. *Idem.*

c BENEDICTVM PAPAM CYPRIANVM. Epiſcopis olim, ſaltem Affricanis iiſque Metropolitanis Papæ nomen tribuebatur, quòd Romanis Pontificibus tantùm poſteà datum eſt. vt in ſynodo 6. & Nouella 131. Papa autem eſt quaſi Pater Patrum; Quamuis nonnulli ſcriptores inter Iouis elogia id recenſeant, Iouemque Pappeum appellari teſtentur. PRI.

c BENEDICTVM CYPRIANVM.) Sic Tertullianus, benedictum Eleutherum, benedictos martyras, benedictam feminam. RIG.

c BENEDICTVM PAPAM.) Sic appellari Carthaginis epiſcopum non inuident Romani: Sed nec aliter appellat Romanum Pontificem Tertullianus, libro de Præſcript. aduerſus hæreticos & libro de Pudicitia. Hi fuêre tunc Romano pontifici cum pleriſque aliarum Vrbium epiſcopis tituli communes. & præter Ennodium Ticinenſem & Caſſiodorum, vix alii reperiantur, qui Papæ nomen, vt proprium & peculiare, Pontifici Romano adſeruerint. Tandem verò Gregorius VII. in Synodo Romana, quod ad Ennodium Sirmondus obſeruat, edixit vt Papæ nomen vnius eſſet in orbe Chriſtiano. Ceterùm in matricula Curopalatina adeò deſcenderat appellatio Paparum etiam ad infimos ſacerdotes, vt ipſe Protopapa ſubeſſet Patriarchæ Conſtantinopolitano: & Papa dicebatur quilibet ſacerdos, quales nos hodie Patres vocitamus, & Presbyteros, etiam ætate plerumque inferiores. Sicuti Senatores Patres jam olim appellatos fuiſſe ait Salluſtius, vel ætate, vel curæ ſimilitudine. *Idem.*

PAPAM.) Infantile vocabulum. Græcè πάππας. vnde Latini ſecundo caſu dixere, *papatis*. Heſychius: πάππας, πατρὸς ὑποκόρισμα. πεποίηται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶν παιδίων ἃ λέγει πάππα. Inde & παππάζειν. Homerô Il. v. Plauto & Perſio, pappare. Verum alio ſignificatu, pappare minutum poſcis. &, opus eſt quod papper. hoc eſt, præmanſum aliquid, μασητόν, maſticatum. Gloſſæ veteres: Pappet. hoc eſt, præmanſum aliquid, μασᾶται. Aliæ: μάσσω, maſtico, ſubigo. Quemadmodum verò de patris vocabulo fluxit, papa ſiue pappas, ſic de vocabulo matris, mamma, Heſych. μάμμη, ὑποκόρισμα μητρός, ἐν παιδίων Ἀττικοί. Martialis: Mammas atque tatas habet Afra, &c. Sed & Saliari carmine PA vſurpatum fuiſſe, pro, patre; docent excerpta de libris Sex. Pomp. Feſti. *Idem.*

d A CLEMENTIO.) Infrà epiſtola proximè ſeq. RIG.

e SVBDIACONO) Sic paulatim, atque ab minimis, intrauit in Eccleſiam regnum, & dominandi libido. Apoſtoli Diaconos tantùm dixerant. Ætas Cypriani ſubdiaconos admiſit. ſequens Archidiaconos. ac deinceps Archiepiſcopos & Patriarchas. Apoſtoli Epiſcopos & Presbyteros tantùm dixerant, Tertullianus dixit Epiſcopum eſſe ſummum ſacerdotem. *Idem.*

e CERTA EX CAVSA, QVOD VTIQVE RECTE FECERIT.) Hæc ita ſunt continuanda: *Certa ex cauſa; quod vtique rectè fecerit; cùm ſit perſona inſignis, & imminente agone.* quæ videntur eſſe verba Cleri Carthaginienſis in gratiam & fauorem Cypriani ſcripta ad excuſandum eius ſeceſſum.

f NOBIS QVI VIDEMVR ESSE PRÆPOSITI) Cùm abiiſſet è viuis Fabianus, Cyprianus verò ſeceſſiſſet, vtraque Sedes vacabat, Romana & Carthaginienſis. Vtrubique igitur Clerus Eccleſiæ ſuæ curam ſuſceperat, & litteras ad Romanum dederat Carthaginienſis ſuper illo ſeceſſu Cypriani ſui: Romanus Carthaginienſi reſcribens, Cùm incumbat nobis, inquit, qui videmur præpoſiti eſſe, & vice paſtoris cuſtodire gregem, ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis, &c. quæ verba cùm ſint communia, & curæ vtrimque communis, ciuilem magis & verecundam ſolicitudinem charitati Chriſtianæ conuenientiſſimam ſignificant, quàm alicuius imperii ſiue poteſtatis ſuperbiam. Sed nemo tamen ſanus negauerit, præcipuum jam olim ac primarium fuiſſe Romanæ Sedis honorem. Nam & ab Clero Cartaginienſi

cuſtodire gregem; ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis a quod & [illegible] noſtris dictum eſt, qui tam negligentes præpoſiti erant: quoniam [illegible] ſiuimus, & b errantem non correximus, & c claudum non colligauimus, & [illegible] edebamus, & lanis eorum operiebamur. Denique & ipſe Dominus implens [illegible] ſcripta in lege & Prophetis, docet dicens: Ego ſum paſtor bonus qui pono [illegible] pro ouibus meis: mercenarius autem & cuius non ſunt propriæ oues, cum [illegible] venientem, relinquens effugit, & lupus diſpergit oues: d ſed & Simoni ſic [illegible] gis me? reſpondit, Diligo: Ait ei, Paſce oues meas. e Hoc verbum factum [illegible] ipſo quo ceſſit cognoſcimus, & cæteri diſcipuli ſimiliter fecerunt. Nolumus ergo, [illegible] dilectiſſimi, g vos mercenarios inuenire, ſed bonos paſtores, cùm ſciatis non [illegible] periculum incumbere, ſi non hortati fueritis fratres noſtros ſtare in fide immobiles, ne præceps iens ad idololatriam funditùs eradicetur fraternitas. Nec enim hoc ſolum verbis vos hortamur, ſed diſcere poteritis à pluribus è nobis ad vos venientibus, quoniam ea omnia nos Deo adiuuante & fecimus & facimus cum omni ſollicitudine & periculo ſæculari, ante oculos plus habentes timorem Dei & pœnas perpetuas, quàm timorem hominum & breuem iniuriam: non deſerentes fraternitatem, & hortantes eos ſtare in fide, & paratos eſſe debere ire cum Domino: ſed & h aſcendentes ad hoc quod compellebantur, reuocauimus. i Eccleſia iſta fortis in fide, licet quidam terrore ipſo compulſi, quòd eſſent inſignes perſonæ, ſiue apprehenſi timore hominum, reuertuntur: quos quidem ſeparatos à nobis non derelinquimus, ſed ipſos cohortati ſumus & hortamur agere pœnitentiam k ſi quo modo indulgentiam potuerunt recipere ab eo qui poteſt præſtare: ne ſi relicti fuerint à nobis, peiores efficiantur. Videtis ergo fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, vt etiam illi qui ceciderunt, hortatu veſtro corrigentes animos eorum, ſi adprehenſi fuerint iteratò confiteantur, vt poſſint priorem errorem corrigere. Et alia quæ incumbunt vobis, etiam ipſa ſubdidimus; vt, ſi, qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint adprehenſi infirmitate, & agant pœnitentiam facti ſui, & deſiderent communionem, vtique ſubueniri eis debet. l Siue viduæ, ſiue clinomeni, qui ſe exhibere non poſſunt, ſiue hi qui in carceribus ſunt, ſiue excluſi à ſedibus ſuis, vtique habere debent qui eis miniſtrent. Sed & cathecumeni adprehenſi infirmitate, decepti eſſe non debebunt, vt eis ſubueniatur. m & quod maximum eſt, corpora Martyrum aut cæterorum ſi non ſepeliantur, grande periculum imminet eis quibus incumbit hoc opus. Cuiuſcumque ergo veſtrûm quacumque occaſione effectum fuerit hoc opus, certi ſumus eum bonum ſeruum æſtimari,

ri,

thaginienſi datæ ad Romanum ſuper ſeceſſu Cypriani litteræ, quaſi rationem reddunt; & Romanorum verba quæ hîc ſequuntur, Nolumus ergo vos mercenarios inuenire, etſi hortatoria ſint potiùs quàm imperatoria, & conſilia magis quàm iuſſa, ſatis indicant Romanum jam tunc etiam ſede Pontificia fuiſſe potiorem. R I O.

a ERRANTEM NON CORREXIMVS.) Tertullianus ſic reddit: quod expulſum eſt non conuertiſtis, libro de Pudicitia *Idem.*

b CLAVDVM.) Tertull. comminutum LXX. συντετριμμένον. Pſ. 102. Qui ſanat infirmitates eorum, & alligat contritiones eorum. *Idem.*

c CLAVDVM NON COLLIGAVIMVS.) Adhibitis faſciis atque etiam regulis. *Idem*

d SED ET SIMONI SIC DICIT) Quaſi non jam Petro, qui de petra deciderat, parum ſeruata fide, ob quam illi Chriſtus nomen fecerat Petro, à petra, hoc eſt firmitate; Petra autem erat Chriſtus, fides & confeſſio nominis Chriſtiani *Idem.*

e HOC VERBVM FACTVM EX ACTV IPSO QVO CESSIT.) Verbum ſcilicet quod fecit Chriſtus ad Petrum, jam non Petrum vocans, ſed Simonem, quaſi de illius erga ſe dilectione addubitans. *Idem.*

f EX ACTV IPSO QVO CESSIT.) Ex facto Petri, qui apprehenſo à Iudæis Chriſto, non propriè fugit, ſed ceſſit ſiue abſceſſit aut receſſit. Nam, vt eſt in Euangelio, ſequebatur Chriſtum, ſed longo interuallo quod fugæ ſpeciem præbuit, adeóque in Euangelio legitur, diſcipulos omnes relicto Chriſto fugiſſe. Hæc autem Cleri Romani epiſtola Petrum eò magis onerare videtur, quod ait: Et ceteri diſcipuli ſimiliter fecerunt. Quaſi ad exemplum Petri: Atque hoc Romani torquent in Cypriani ſeceſſum, non ſine opprobrio fugæ *Idem.*

g VOS MERCENARIOS INVENIRE) Inueniri. *Id.*

h ASCENDENTES AD HOC QVOD COMPELLEBANTVR. In Capitolium, vt imponerent in acerram tura. Sic lib. de Lapſis. Non expectauerant ſaltem, vt aſcenderent apprehenſi, vt interrogati negarent. Et paulò poſt: Nonne quando ad Capitolium ſponte ventum eſt, labauit greſſus? Et eodem libro: Vnus ex his qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit. Canon. 59 Concil. Eliberit. Ne quis Chriſtianus ad idolum Capitolii ſacrificãdi cauſa aſcendat. *Idem.*

h ECCLESIA ISTA FORTIS IN FIDE.) Hac fortitudinis ſuæ jactantia Romani faciunt inuidiam Carthaginienſibus. Et Romanæ quidem fidei prærogatiuam Tertullianus ipſe Carthaginienſis prædicat lib. de Præſcriptionibus: Si autem Italiæ adiaces, inquit, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt! & libro aduerſ. Marcionem quarto: Videamus quid etiam Romani de proximo ſonent. *Idem.*

i SI QVOMODO INDVLGENTIAM POTVERVNT RECIPERE.) Indulgentiam pœnitentiæ. *Idem.*

k SIVE VIDVÆ, SIVE CLINOMENI.) Primus hanc epiſtolam edidit Guil. Morelius, nec indicauit vnde habuerit exemplar. Non inuenitur autem in mss codicibus Pamelianis, nec in Italicis, neque in noſtratibus. Et tamen valde proba eſt, nec tam ſcatet mendis, quàm exiſtimabat Pamelius. Morelius igitur hoc loco edidit, clydomeni. quod mendoſum eſſe non inficiamur, immò veram eſſe arbitramur Pamelij conjecturam, in authentico ſcriptum fuiſſe, clinomeni. Eóque magis hæc opinio firmari videtur, quòd inter illius æui Chriſtianos probroſam vulgo fuiſſe conſtat appellationem clinicorum, qui decumbentes in lectulo, propter imminens mortis periculum aqua perfuſi baptiſmum acceperant. quaſi non propriè baptizati, quia perfuſi, non merſi, de quibus agitur in epiſtola Cypriani ad Magnum, LXXV. Clerus ergo Romanus iſtorum etiam clinicorum curam ſuſcipiens, vocabuli triſtitiam mitigat, ac deflexa terminatione κλινομένοις dicit, non κλινικοῖς. eiuſmodi etiam benignitate Tertullianus in Apologetico Chriſtianos graui ſenio propè confectos noluit appellare *clinicos*, ſed *iam domeſticos ſenes*. Idem.

l CATECHVMENI DECEPTI ESSE NON DEBEBVNT) Nam hæc in primis audiebant ab Epiſcopo ſiue Preſbytero, ſummam eſſe apud Chriſtianos curam charitatis ſiue dilectionis; & conqueri poterant ſe deceptos, ſi contigiſſet eos in ipſo perſecutionis æſtu deſeri *Idem.*

m ET QVOD MAXIMVM EST, CORPORA MARTYRVM AVT CETERORVM SEPELIANTVR. Ne superſtites hoc ſuorum etiam poſt mortem ſupplicio deterriti, ſepulturæ deſperatione martyria expaueſcerent. Néue item ethnici Chriſtianæ religioni crimen impietatis objicerent, quæ mortuis ſuis officia, gentium conſenſu, & mundi fœdere, & ſortis humanæ commercio debita, non impenderet. *Idem.*

ri, vt qui in minimo fidelis fuit, conſtituatur ſuper decem ciuitates. Faciat autem Deus, qui omnia præſtat ſperantibus in ſe, vt omnes nos in his operibus inueniamur. Salutant vos fratres qui ſunt in vinculis, & presbyteri & tota Eccleſia, quæ & ipſa cum ſumma ſollicitudine excubat pro omnibus qui inuocant nomen Domini. Sed & nos petimus mutua vice, memores ſitis noſtri. Sciatis autem Baſſianum perueniſſe ad nos, & petimus vos, qui habetis zelum Dei, [a] harum litterarum exemplum ad quoſcumque poteritis, transmittere, per idoneas occaſiones, vel veſtras, faciatis, ſiue nuncium mittatis, vt ſtent fortes & immobiles in fide. Optamus vos, chariſſimi, benè valere.

CY-

a HARVM LITTERARVM EXEMPLVM AD QVOSCVMQVE POTERITIS TRANSMITTERE) Hinc etiam peti poſſe videntur argumenta quædam auctoritatis Eccleſiæ Romanæ in ceteras, modeſtæ tamen & verecundæ. *Idem.*

CYPRIANVS [a] PRESBYTERIS ET [b] DIACONIBVS Romæ conſiſtentibus fratribus S.

ARGVMENTVM.

Epiſtola hæc familiaris eſt, quare argumento non indiget, potiſſimùm quum ex titulo ipſo ſatis colligi queat. Deſideratur autem epiſtola cleri Romani ad quam reſpondet Cyprianus.

III. [c] CVM de exceſſu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus eſſet, fratres chariſſimi, & opinio dubia nutaret: [d] accepi à vobis litteras ad me miſſas per Clementium hypodiaconum, quibus pleniſſimè de glorioſo eius exitu inſtruerer: & exultaui ſatis, quod pro integritate adminiſtrationis eius, [e] conſummatio quoque honeſta proceſſerit. In quo vobis quoque plurimùm gratulor, quòd eius memoriam tam celebri & illuſtri teſtimonio proſequamini: vt per vos innoteſceret nobis, quod & vobis eſſet circa [f] Præpoſiti memoriam glorioſum, & nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. Nam quantum pernicioſa res eſt ad ſequentium lapſum ruina præpoſiti, in tantum contrà vtile eſt & ſalutare, cùm ſe epiſcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum. [g] Legi etiam litteras, [h] in quibus nec qui ſcripſerint, nec ad quos ſcriptum ſit, ſignificanter expreſſum eſt. Et quoniam me in iiſdem litteris & ſcriptura, & ſenſus, & chartæ ipſæ quoque mouerunt, ne quid ex vero vel ſubtractum ſit vel immutatum; [i] eamdem ad vos epiſtolam authenticam remiſi, vt recognoſcatis an ipſa ſit quam Clementio hypodiacono perferendam dediſtis: perquàm etenim graue eſt, ſi Epiſtolæ clericæ veritas menda-

cio

a PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ROMÆ.) Cùm exorta ſub Decio Cæſare aduerſus Chriſtianos vexatio Fabianum Eccleſiæ Romanæ præpoſitum peremiſſet, Clerus Romanus ad Cyprianum Carthaginis Epiſcopum litteras per Clementium Subdiaconum miſit, ac de glorioſo Fabiani exitu certiorem fecit. Mox eâdem pernicie per Africam graſſante, Cyprianus, cùm iam ad leonem depoſtularetur, Deo ſic annuente ſeceſſit; nec de ſeceſſu ſuo quicquam Eccleſiæ Romanæ ſignificauit: Sed poſtmodum Carthaginienſis clerus datis ad Romanum litteris, quid ſibi conſilii Cyprianus cepiſſet, aperuit. Ac ſubinde Romanus Carthaginienſi reſcripſit, ſe non minimo dolore tangi, quòd paſtor ouibus derelictis latebras petiiſſet. Hoc verò agitur Epiſtola præcedenti, quam Morelio deberi teſtatur Pamelius, & ipſiſſimam eſſe quam Cyprianus in manus ſuas non ſine aliqua fraudis ſuſpicione perueniſſe conqueſtus eſt, & remiſit Romam Presbyteris ac Diaconis, vt recognoſcerent an eſſet illa clerica ſua quam Clementio perferendam tradiderant. Quid autem Romani reſcripſerint, non habemus. Hoc tantùm aſſequi coniectura fas eſt, Epiſtolam ſuam agnouiſſe Romanos. eam verò ſic pupugiſſe animum Cypriani, vt neceſſe ſibi eſſe duxerit, litteras ad eos facere, quibus & actus ſui & diſciplinæ & diligentiæ ratio redderetur. quod ſanè præſtitit epiſtola quæ hac editione habetur XIV. RIG.

b DIACONIBVS.) Antiquæ ſunt inflexiones iſtæ, Diacones & Diaconibus. Et tamen habebant Apoſtolum in manibus, apud quem legitur: διάκονοι & διακόνοις & διακόνους. Et in veteri verſione Latina, Diaconi, Diaconis & Diaconos. Neſcio quo pacto maluerint dicere, Diacones & Diaconibus. Sanè vocabulum Epiſcoporum reuerentiùs habuerunt. Qui autem Epiſcopas dixere, non dixere diaconas ſed diaconiſſas. Iuſtiniani Nouella III. quaſi epicœno genere, διακόνους ἄρρενας ἑκατὸν, τεσσαράκοντα δὲ θηλείας. *Idem.*

c CVM DE EXCESSV BONI VIRI COLLEGÆ MEI) Quàm ex æquo & ciuilis mentio Epiſcopi Romani ab Epiſcopo Carthaginis apud Clerum Romanum! quem nihilominus vniuerſam Eccleſiam Sede Romana vacante rexiſſe Pamelius & Binius arbitrantur. *Idem*

c DE EXCESSV BONI VIRI COLLEGÆ MEI.) Hoc eſt, de morte. quam mox conſummationem dicet. Mortis nomen quantum poterant euitabant Chriſtiani, ob ſpem reſurrectionis & vitæ ſempiternæ. Itaque pro Mortuo, Præmiſſum, & pro Morte, Obitum & exceſſum dicebant ductóque de arte calculatoria vocabulo conſummatum & conſummationem annorum, dierum, horarúmque velut nummorum numero in ſupremam ſummam collecto computatóque. Qualia ſæpè apud Tertullianum occurrunt ſchemata. *Idem.*

d ACCEPI A VOBIS LITTERAS.) Hæ vero litteræ hodie non extant *Idem.*

e CONSVMMATIO HONESTA PROCESSERIT.] Φαβιανοῦ ἐπὶ Ῥώμης μαρτυρίῳ τελειωθέντος. Euſeb. VI. 39. Ruffinus: Fabiano in vrbe Roma martyrio coronato *Idem.*

f PRÆPOSITI MEMORIAM.] Fabiani Epiſcop. Rom. quem etiam præpoſitum vocat Clerus Rom. epiſtola præcedenti, & eodem nomine ceteros quoque Eccleſiarum rectores appellat. προεστῶτα dixerat Iuſtinus. Præſidentem Tertullianus Apolog. Is eſt Epiſcopus qui & Summus Sacerdos ab eodem Tertulliano dicitur. *Idem.*

g LEGI ETIAM ALIAS LITTERAS.] Adſentior Pamelio, non alias fuiſſe quàm præcedentes Epiſtolæ ſecundæ paginas. *Idem.*

h IN QVIBVS NEC QVI SCRIPSERINT, NEC AD QVOS SCRIPTVM SIT.] Dicendum igitur, in authentico omiſſum fuiſſe titulum. quæ fortean fuerit Romanorum cautio ſiue prudentia, inter pericula Decianæ perſecutionis. *Idem.*

i EAMDEM AD VOS EPIST. AVTHENTICAM REMISI.] Authenticam dicit, de cuius tamen fide dubitabat: Sed nihilominus authenticam, cùm eadem omninò eſſet quæ allata fuerat à Clementio.

cio aliquo & fraude corrupta eſt Hoc igitur vt ſcire poſſimus, & [a] ſcriptura, & ſubſcriptio an veſtra ſit, recognoſcite; & nobis quid ſit in vero reſcribite. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

CY-

a SCRIPTVRA ET SVBSCRIPTIO AN VESTRA SIT RECOGNOSCITE.) Non erat fortaſſe huius Epiſtolæ ſcriptura aut ſubſcriptio ſimilis illi quam paulò antè ſuper exceſſu Fabiani acceperat; Et chartarum etiam forma diuerſa. RIG.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus chariſſimis S.

ARGVMENTVM.

Hortatur clerum ſuum D. Cyprianus, iam in ſeceſſu conſtitutus, vt vice ſua ritè fungantur; neve quid aut conſtitutis in carcere, aut cæteris pauperibus deſit. Deinde vt plebem in quiete contineant; ne ſi glomeratim ad martyres in carcere viſitandos concurrant, tandem ab illis interdicatur.

SALVTO vos incolumis per Dei gratiam fratres chariſſimi, lætus quòd circa incolumitatem quoque veſtram omnia integra eſſe cognouerim. Et quoniam mihi intereſſe nunc non permittit [a] loci conditio; peto vos pro fide, & religione veſtra, fungamini illic & veſtris partibus, & meis, vt nihil vel ad diſciplinam, vel ad diligentiam, deſit. Quantum autem ad ſumptus ſuggerendos ſiue illis, qui glorioſa voce Deum confeſſi, in carcere ſunt conſtituti; ſiue iis qui pauperes, & indigentes laborant, & tamen in Domino perſeuerant; peto nihil deſit: cum ſumma omnis, quæ redacta eſt, illic ſit apud clericos diſtributa propter eiuſmodi caſus: vt haberent plures, [b] vnde ad neceſſitates, & preſſuras ſingulorum operari poſſint. Peto quoque ad procurandam quietem ſolertia & ſollicitudo veſtra non deſinat: & [c] ſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conueniendum & viſitandum confeſſores bonos, quos illuſtrauit iam glorioſis initiis diuina dignatio, tamen cautè hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul iunctam puto eſſe faciendum: ne ex hoc ipſo inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & [d] dum inſatiabiles multum volumus, IV.

AD EPISTOLAM IV.

SALVTO VOS INCOLVMIS. Ea vox quamquam Tullio cæteriſque Latij primoribus vſurpata, ideò à Cypriano adhibetur vt voci ἀσπάζομαι reſpondeat, qua paſſim vtitur B. Paulus. PRI.

b LOCI CONDICIO.) Cujus loci, & quæ illius condicio fuerit, dicet Epiſtola ſequenti. Vbi ſcilicet totiens flagitatus & quæſitus ad necem fuerat, nempe Carthagini; vbi & perſonæ qualitas Cyprianum jam ob merita propria clariſſimum, inter ceteros omnes ſpectabilem reddiderat, & præſentiam illius plebi aduerſus Chriſtianos infeſtiſſimæ inuidioſam ac periculoſam fecerat. Huc pertinent verba Galerii Maximi procos. ad Cyprianum: Tu Papa tum ſacrilegæ mentis hominibus exhibuiſti? Iſ ſe Cyprianus infrà epiſt. 37. Vtinam loci & gradus mei conditio permitteret RIG.

c VNDE AD NECESSITATES ET PRESSVRAS.) Quod dixerat Lucas cap. XXI. 23. ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς. hoc verſio vetus, Erit enim preſſura magna ſuper terram. Preſſura propriè in torculari Heſychius, θλίβεται. πατεῖται. τοῦτο δὲ ἐπὶ σταφυλῆς. λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ὀλιγωρεῖ, πιέζει), & quamlibet vexationem Chriſtiani dixere, preſſuram. & in veteribus Gloſſis, θλάσμα dicitur, fames. eòque ſenſu dixit Tertullianus Compreſſatum Gloſſæ: θλίβω, tribulo, preſſo. Preſſuram Aſiaticam Pauli dixit Tertullianus. & aliæ veteres Gloſſæ, preſſationem, ἀγγαρείαν. Idem.

d SI FRATRES PRO DILECTIONE SVA CVPIDI SVNT AD CONVENIENDVM ET VISITANDVM CONFESSORES.) Ad huiuſmodi officia pietatis, fiebant tunc temporis Chriſtianorum proceſſiones. Viſitabant fratres ob confeſſionem nominis Chriſti in carcerem conjectos, aut per ægritudinem retentos in tuguriis, aut ex cauſſa Chriſti quauis alia neceſſitate miſeriave afflictos Tertullian. lib. II. de Cultu Fem Vobis autem nulla procedendi cauſſa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus viſitatur, aut ſacrificium offertur, aut Dei ſermo adminiſtratur. Quiduis horum grauitatis & ſanctitatis negotium eſt Et lib. ad Vxor. II. Viſitandorum fratrum gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire. Summa igitur erat illis cura, vt modeſto cultu inceſſuque proceſſiones iſtæ fierent. ideòque idem Tertull. proceſſiones modeſtas dixit, libro de Præſcript. Sed hæc, quamuis ſancta Chriſtianæ religionis officia pro ſimplicitate fratrum, malis interdum fratribus, jam non Chriſtianis, ad fraudes & impoſturas occaſionem præbebant vnde illa ſanè pudenda quæ Pſychicis ſuis idem auctor objicit libro de Iejuniis, vbi & alia quædam notauimus. *Idem.*

e DVM INSATIABILES MVLTVM VOLVMVS.] Benè ac ſapienter Cyprianus in illo ſeceſſu proſpicit, ne quid à ſuis inconſiderato religionis calore ac zelo turbaretur aduerſus ſeculi poteſtates, quod eas meritò exaſperaret, aut populi furorem commoueret. Nam haud rarò peccari ſciebat à fratribus aduerſus patientiam à Chriſto monſtratam, ab Apoſtolis traditam, à Conciliis commendatiſſimam. Nonnuli per amorem Chriſtiani nominis præcipites ruebant in pericula, & gratuita martyrii patiendi cupidine temerè cuncta miſcebant, vnde violata pace, non ſibi tantùm, verùm & ſuis & Eccleſiæ proceribus perniciem creabant: adeòque non ſapiebant ad ſerpentium ethnicorum prudentiam, nec erant ad columbæ Chriſtianæ ſimplicitatem manſueti ac mites: non poſſidebant animas ſuas in patientia ſua. Etenim poſſidere animam ſuam in patientia dicitur, qui cautè ac prouidè aduerſa ſuſtinet, neque ſe morti temerarius objicit, ſed in ipſa moriendi pro Chriſto neceſſitate mortem obit intrepidus. Cùm itaque eſſent inter Chriſtianos adeò crudi & projectæ audaciæ martyres, vt non requiſiti, non interrogati, non compulſi Romanum militem laceſſerent ac prouitarent, hos tamquam perditos ac furioſos Eccleſia ſepoſuit, nec vindicauit pro veris teſtibus Chriſti Nimirum, circa hæc facinora mitior fuit magiſtro ſuo Cyprianus. Etenim ille nec militi coronam ad donatiuum prodeunti cum ceteris commilitonibus laureatis, nec latebras aduerſus Centuriones & ſatellites edicta Cæſarum exequentes triſtiſſimè fugientibus indulget. Et variæ quidem cauſæ pro ſuis figuris varias admittunt rationes. Hoc certè quod atrox factio concipit, quod manu perficitur, etiam Tertulliano diſplicuit, qui exarmato Petro omnem Chriſtianum etiam in cauſa Chriſti, diſcinxit Quid abominatius idololatria? Et tamen Chriſtianos ethnicorum imperio ſubditos aduerſus edicta Principum idola frangere, templa deſtruere Patres Eliberitani vetant: Si quis idola fregerit & ibidem fuerit occiſus, quia in Euangelio non eſt ſcriptum, neque inuenitur ab Apoſtolis vnquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum. Eſt inter ſermones Auguſtini, nuper à doctiſſimo viro Iac. Sir-

mus, totum perdamus. Conſulite ergo & prouidete, vt cum temperamento hoc agi tutiùs poſſit: ita vt presbyteri quoque, qui illic apud confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis diaconus per vices alternent: quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo conuenientium minuit inuidiam. Circa omnia enim mites & humiles, [a] vt ſeruis Dei congruit, temporibus ſeruire, & quieti proſpicere, & plebi prouidere debemus. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem vniuerſam ſalutate. Salutant vos Victor diaconus, & qui mecum ſunt. Valete.

mondo editos, ſermo. VI. vbi agitur de idolis quæ tum adhuc Carthagini cernebantur. Cùm nulla jam Romæ extarent, Carthagine nondum omnino Chriſtiana, ſed Chriſtianis pace gaudentibus, & ſanctiſſimæ religionis officia ſub Epiſcopo ſuo tractantibus, Ethnicis quietis, plebs Chriſtiana derepente acclamauerat, Quomodo Roma, ſic & Carthago. Conuicio permotus Epiſcopus Carthaginis, & fortean veritus nequid Ethnici hoc impetu prouocati aduerſus Chriſtianos ſæuirent, plebem ſuam quibus potuit rationibus compeſcuit, rogauitque Auguſtinum, tum fortè Carthagini degentem, vt ad eos ſermonem haberet, rogatu collegæ. Auguſtinus hunc habuit ſermonem: Habetis in nomine Dei paſtores, ſeruos paſtores & membra paſtores multitudinis. Animus veſter & voluntas ad aliquam rem faciendam iſtis vocibus poterit apparere. Paucorum autem cura pro vobis, non vocibus, ſed rebus debuit oſtendi. Itaque, fratres, quoniam jam quod ad vos pertinebat impleſtis acclamando, ſinite vt probetur vobis verum & quod ad nos pertinet impleamus. Abſit à nobis vt vos inueniamini probi & nos reprobi. Sed quoniam voluntas agendi de iis quibus acclamaſtis vna eſt & veſtra & noſtra, modus verò agendi par eſſe non poteſt. Et poſt aliqua. Itaque & congratulamur caritati veſtræ, quia ſancto Domino & collegæ noſtro Epiſcopo veſtro obediſtis in eo quod vobis manè locutus eſt, hoc ſequimini, ab iſto non recedatis, ne cadatis. Poſt hæc verba, tangit potiùs quàm narrat Auguſtinus hiſtoriam rei, vt videtur, proximè cùm ſermonem huncce habuit, geſtæ adeòque tam ſuorum Carthaginienſium vulgò notiſſimæ, quàm nobis hodie ignoratæ; cùm nemo alius ſcriptor exſtet, qui mentionem eius faciat, vnde ſi rem ipſam ad hypotheſim examinare velimus, fingenda nobis ea ſit, quàm fieri ad Auguſtini verba poterit, accommodatè. Proconſuli fortè aut Vicario Carthaginem regenti adſidebat iudex iam Chriſtianus, vel certè ab Chriſti ſecta non alienus. Sub initium ſui magiſtratus, ſacra quædam de more celebranda, prouincialium nonnulli ſuggeſſerant. quæ ſuggeſtio, parum ad ſacrorum originem cauſſamque aduertenti ſic obrepſerat, vt ludos & munera neſcio quæ celebrari flagitantibus adnueret. Ea verò fieri ad Herculis ſtatuam ſolebant aurea barba fulgentem. Intereà dum adueniret dies, judex de idololatriæ ritu certior factus, vt quod incautiùs permiſerat, emendaret, hoc ſibi conſilii cepit: vt ſcilicet Chriſtianorum aliquis illi ſuperſtitioni miſceretur, qui aliis aliud agentibus ad ſtatuam accederet, barbamque Herculi raderet, vnde idolo ſimul & idoli cultoribus dedecus & ignominia crearetur. Ait igitur Auguſtinus, Chriſtianum eo judicis facto, minimè inclinatum fuiſſe ad obſequendum ſuperſtitioni: ſed potiùs commotum impulſumque ad confutandam ſuperſtitioſi ritus inſaniam. Sic enim factum fuiſſe amplius, quàm ſi ſtatuæ caput ademptum aut dejectum fuiſſet. Puto, inquit, ignominioſius fuiſſe Herculi barbam radi, quàm caput præcidi. Denique ab idolis & templis ethnicorum ſumpta videtur ratio, quæ Auitum Viennenſium epiſcopum mouit, cùm Epaonenſi Concilio præeſſet, vt hæreticorum oratoria nec occupanda Catholicis, nec deſtruenda eſſe diceret & canone illius Concilii trigeſimo tertio ſanciret. Sic enim ad Epiſt. VI. ad Victorem ſcribit: Et dices forſitan hæreticos, ſi eis poteſtas detur, altaria noſtra temerare. verum eſt. nec refello. Sæuiunt quidem cùm poſſunt fœdis vnguibus alienarum ædium peruaſores. Sed vim intentare, loca peruadere, altaria commutare, non pertinet ad columbam. Verùm, de commutandis, atque ad Catholici cultus obſeruationem reformandis ethnicorum & hæreticorum oratoriis ac templis, ſiue baſilicis, aliter ſenſere ſequentium ætatum epiſcopi. Immo Libanius ipſe oratione ad Theodoſium M. Imp. diruenda non eſſe clamitat, quæ ſit ciuilius atque vtilius in alios vſus transferre. τί γὰρ δεῖ διαφθείρειν, ὃ τὴν χρείαν ἔτι μεταποιῆσαι; *Idem.*

a VT SERVIS DEI CONGRVIT, TEMPORIBVS SERVIRE.] Paulinum præceptum innuit, ex ea quæ ad Romanos, jampridem, vt ex Origenis commentario diſcere eſt, duplicitate lectionis ambiguum. Nam in quibuſdam exemplaribus Græcis legitur, καιρῷ δουλεύοντες, in aliis Κυρίῳ δουλεύοντες. Scripturam vtramque Cyprianus prudentiſſimè conciliat, vt Chriſtianus ſeruiat tempori, ſicut ſeruo. *Idem.*

CY-

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIS fratribus S.

ARGVMENTVM.

Eiuſdem penè argumenti eſt cum præcedenti, præterquam quod Confeſſores quoque ſui officij vult admoneri à clero, vt humilitati dent operam, & Presbyteris ac Diaconis morem gerant: obiter etiam ſeceſſus ſui cauſam reddit.

V. OPTAVERAM quidem, fratres chariſſimi, vt vniuerſum Clerum noſtrum integrum & incolumem meis litteris ſalutarem: ſed quoniam [a] infeſta tempeſtas, quæ plebem noſtram ex maxima parte proſtrauit, hunc quoque addidit noſtris doloribus cumulum, vt etiam Cleri portionem ſua ſtrage perſtringeret: oramus Dominum, vt vos ſaltem, [b] quos & in fide, & in virtute [c] ſtare cognouimus, tutos quoque in poſterum per diuinam miſericordiam ſalutemus. Et quamquam cauſa compelleret, vt ipſe ad vos properare & venire deberem: primò cupiditate & deſiderio veſtri, quæ res in votis meis ſumma eſt, tum deinde vt [d] ea quæ circa Eccleſiæ gubernaculum vtilitas communis expoſcit, tractare ſimul & plurimorum conſilio examinata [e] limare poſſemus: tamen potiùs viſum eſt adhuc interim latebram

a INFESTA TEMPESTAS.] Decio imperante jam tum ſeptima perſecutione in Chriſtianos ſæuitum. Sulp. Seuerus. R. 19.

b QVOS ET IN FIDE ET IN VIRTVTE STARE COGNOVIMVS.] Non defeciſſe à fide Chriſto dicta, neque de Eccleſiæ diſciplina. Seruaſſe fidem rectam, & mores ſinceros. *Idem.*

c STARE.] Stantes, hoc eſt Fideles, opponuntur Lapſis, ἀποστάταις. Auitus, Epiſtola 1111. Apoſtatas nuncupat, à ſtandi firmitate deciduos. *Idem.*

d EA QVÆ CIRCA ECCLESIÆ GVBERNACVLVM.] Erat tunc præcipua quæſtio de lapſis ad Eccleſiam recipiendis. Et in hac diſciplinæ parte Eccleſiæ Romi. præpoſiti laxiores & molliores fuiſſe videntur. Occurrunt exempla ſequentibus Epiſtolis. *Idem.*

e LIMARE POSSEMVS.] Gloſſæ veteres: Limat, ξύει, ζητεῖ. Phædrus: Si mendacium ſubtiliter limaſſet à radicibus, Non euertiſſet ſcelere funeſto domum. *Idem.*

bram & quietem tenere, reſpectu vtilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium noſtrûm pertinent & ſalutem, quarum vobis à [a] Tertullo fratre noſtro chariſſimo ratio reddetur: qui [b] pro cætera ſua cura, quam impendens diuinis operibus impertit, etiam huius conſilij auctor fuit, vt cautus & moderatus exiſterem, nec me in conſpectum publicum [c] & maximè eius loci, vbi toties flagitatus & quæſitus fuiſſem, temerè committerem. Fretus ergo & dilectione & religione veſtra, quam ſatis noui, his litteris & hortor & mando: vt vos quorum minimè illic inuidioſa & non adeò periculoſa præſentia eſt, vice mea fungamini circa gerenda ea, quæ adminiſtratio religioſa depoſcit. Habeatur interim quantum poteſt & quo modo poteſt pauperum cura: ſed qui tamen inconcuſſa fide ſtantes gregem Chriſti non reliquerunt: vt his ad tolerandam penuriam ſumptus per veſtram diligentiam ſuggeratur, [d] ne quod circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Confeſſoribus etiam glorioſis impertiatur cura propenſior. Et quamquàm ſciam plurimos ex his fratrum voto & dilectione ſuſceptos: tamen ſi qui ſunt, qui vel veſtitu, vel ſumptu indigeant, ſicut etiam pridem vobis ſcripſeram, cùm adhuc eſſent in carcere conſtituti, ſubminiſtrentur eis quæcumque ſunt neceſſaria, modo vt ſciant ex vobis & inſtruantur & [e] diſcant, quid ſecundum ſcripturarum magiſterium Eccleſiaſtica diſciplina depoſcat; humiles & modeſtos & quietos eſſe debere, vt honorem ſui nominis ſeruent, & qui glorioſi voce fuerint, ſint & moribus glorioſi: faciunt ſe dignos, vt in omnibus Dominum promerentes, ad cœleſtem coronam laudis ſuæ conſummatione perueniant: plus enim ſupereſt, quàm quod tranſactum videtur, cùm ſcriptum ſit: [f] Ante mortem ne laudes hominem quemdam. Et iterùm: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et Dominus quoque dicat: Qui tolerauerit vſque ad finem, hic ſaluabitur. Imitentur Dominum, qui ſub ipſo tempore paſſionis non ſuperbior, ſed humilior fuit. Tunc enim Apoſtolorum ſuorum pedes lauit dicens: Si ego laui pedes veſtros magiſter & Dominus, & vos debetis aliorum pedes lauare. Exemplum enim dedi vobis, vt ſicut ego feci, & vos faciatis. Item Pauli Apoſtoli documenta ſectentur; qui poſt carcerem ſæpe repetitum, poſt flagella, poſt beſtias, circa omnia mitis & humilis perſeuerauit, nec poſt tertium cœlum & paradiſum quidquam ſibi inſolenter aſſumpſit, dicens: Neque gratis panem manducauimus ab aliquo veſtrûm, ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus. Hæc ſingula oro vos inſinuate fratribus noſtris. Et qua is exaltabitur, qui ſe humiliauerit; nunc eſt vt magis inſidiantem aduerſarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipſo quo victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur. Dominus faciat, vt & ego iterùm illos maturè videre, & ſalutari exhortatione componere mentes eorum ad ſeruandam gloriam ſuam poſſim. Doleo enim quando audio quoſdam improbè & inſolenter diſcurrere, & [g] ad ineptias vel ad diſcordias vacare: Chriſti membra & iam Chriſtum confeſſa, [h] per concubitus illicitos inquinare; nec à diaconis aut preſbyteris regi poſſe, ſed id agere, vt per paucorum prauos, & malos mores, multorum & bonorum confeſſorum gloria honeſta maculetur: quos vereri debent, ne ipſorum teſtimonio & iudicio condemnati, ab eorum ſocietate priuentur. Is enim demum confeſſor illuſtris & verus eſt, de quo poſtmodum non erubeſcit Eccleſia, ſed gloriatur. Ad id verò quod ſcripſerunt mihi [i] compreſbyteri noſtri Donatus & Fortunatus, Nouatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui;

a TERTVLLO.] Vid. Epiſt xxvi. & Epiſt. ad Pompeium. *Idem.*

b PRO CÆTERA CVRA SVA.] Rectam eſſe hanc ſcripturam confirmant ea quæ ſequuntur, Etiam huius conſilii auctor fuit. *Idem.*

c ET MAXIME EIVS LOCI, VBI TOTIENS FLAGITATVS.] Hæc verba, & quæ proximè ſequuntur, *Vos, quorum minimè illic inuidioſa, & non adeo periculoſa præſentia*, cauſas continent ſeceſſus Cypriani: quæ parum certè probabiles videntur Clericis Eccleſiæ Romanæ, ſuprà. Videnda etiam eſt Epiſt. xiv. *Idem.*

d NE QVID CIRCA FIDEM.] Codex Corbeïenſis, circa fidentes, hoc eſt fideles. & quadrat illi quod ſtatim apponitur, circa laborantes. *Idem*

e DISCANT QVID SECVNDVM SCRIPTVRARVM MAGISTERIVM ECCLESIASTICA DISCIPLINA DEPOSCIT.] Inculcat quod jam monuit Epiſtola præcedenti, vt qui jam confeſſionis titulo gloriantur, ſint nihilominus humiles, modeſti, quieti, ne ſuperbia ſua prouocent aduerſum ſe ethnicorum ſæuitiem, tanquam aduerſus rebelles & contumaces, & ſic nomini Chriſtiano inuidiam faciant. Curæ autem pretium fuerit, ſemel hîc obſeruare, Cæcilium noſtrum iſtis Epiſtolis hoc præſertim contendere, vt populum faciat quietum, ac probè Chriſtianum. Sciebat enim pleroſque proterua Chriſtiani nominis jactatione importunos, ipſas etiam ſeculi poteſtates, ac perſæpè aliud agentes, toties concitaſſe, vt neceſſe habuerint publicæ quietis perturbatores pœnis ſupra modum exacerbatis crudeliſſimè coërcere, quæ res magnum fidei Chriſtianæ dedecus attulerat. Hoc item ſciebat, in Eccleſia ſua complures eſſe lauacri ſalutaris fiducia nimium ſecuros, diſciplinæ totiuſque fraternitatis immemores, lucri cupidos, ambitioni ſtudentes, factioſos, luxuriæ deditos, ſuperba conuerſatione ſibi placentes, omnibus diſplicentes, ſolo denique nomine Chriſtianos. Ait igitur Cyprianus hos mores tantorum cauſas eſſe luctuum, quibus Eccleſia protrita diſperditur. At quid hic miramur in duorum jam ſeculorum Eccleſia, qui & pejora Corinthiis ſuis Paulum exprobraſſe toties audimus aut legimus? *Idem.*

f ANTE MORTEM NE LAVDES HOM. QVEMQVAM.] Iuuenalis -- dicique beatus Ante obitum nemo ſupremaque funera debet. Hanc ſententiam Sophocles jam ætate ſua παλαιὸν λόγον eſſe ait. *Idem*

g AD INEPTIAS ET DISCORDIAS.] Cauet Cyprianus Confeſſoribus iſtis, quemadmodum Septimius benedictis illis ad martyrium deſignatis, quos in ipſo carcere à diabolo tentatos fuiſſe dicit vilibus ſcidiis, adfectionibus, aut inter ſe diſſenſionibus. quæ ſanè multa mala dederunt reipublicæ Chriſtianæ. Ineptias hîc dicit quæ Tertullianus viles ſcidas, aut vilia ſcidia. RIG.

h PER CONCVBITVS ILLICITOS INQVINARE.] Hac de re fuſiùs epiſt. ſeq. *Idem.*

i AD ID VERO QVOD SCRIPSERVNT MIHI COMPRESBYTERI NOSTRI.] De lapſis videlicet ad pœnitentiam recipiendis. *Idem.*

i COMPRESBYTERI NOSTRI. ex vſu Eccleſiæ in qua Epiſcopi preſbyteros ita nuncupabant συμπρεσβυτέρους quod ideò non probo quoniam notiſſimum. Ad Tertullia-

potui; quando à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, [a] nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea priuatim ſententia gerere; ſed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel geſta ſunt, vel gerenda, [b] ſicut honor mutuus poſcit, incommune tractabimus. [Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere, & mei meminiſſe: fraternitatem, quæ vobiſcum eſt, multum à me ſalutato: & vt noſtri meminerit admonete.] Valete.

num quædam obiter notauimus in hanc rem, majora daturi aliquando. PRIOR.

a NIHIL SINE CONSILIO VESTRO ET CONSENSV PLEBIS.) Hoc eſt cum tota Eccleſia, ſicut Apoſtoli fecerant, prima illa Synodo, quæ deſcribitur in Act. xv. xv. Tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia. Ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ad eum verò locum præclarè Chryſoſtomus: ὥστε δεῖξαι ὅτι οὐ τυραννικῶς, ὅτι πᾶσι ταῦτα δοκεῖ. & paulò pòſt: οὕτως οὐδεὶς τῦφος ἦν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Sic ipſimet Romani infrà Epiſt. 31. pag. 49. Collatione conſiliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſſoribus pariter ac ſtantibus laicis. RIG.

b SICVT HONOR MVTVVS POSCIT, IN COMMVNE TRACTABIMVS.) Communi conſilio, Epiſt. xxiv. & Epiſt. xxxii. Quando conuenire in vnum permittente Domino cœperimus. *Idem.*

SOLVS RESCRIBERE NIHIL POTVI.) Sic infrà Epiſt. 27. rei non potui me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc de cœtu abſentes ſint &c. pag. 44. & Epiſt xxiv. Nihil ergo à me abſente vobis factum eſt. Et Epiſt. xxiii. De ceteris quæ agenda erunt, ſicut & collegis meis plurimis ſcripſi, pleniùs conſilio communi tractabimus. Et Epiſt. xxxiii. In ordinationibus clericis ſolemus vos conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare. Hieronymus in Epiſt. ad Titum, cap. 1 Antequam diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi conſilio eccleſiæ gubernabantur, &c. *Idem.*

CY-

CYPRIANVS ROGATIANO PRESBYTERO ET CÆTERIS confeſſoribus fratribus ſalutem.

ARGVMENTVM.

Rogatianum & cæteros confeſſores exhortatur ad diſciplinam obſeruandam, ne qui Chriſtum voce confeſſi fuerant, moribus abnegare viderentur: obiter increpans quoſdam eorum, qui extorres facti ob fidem; in patriam tamen iniuſſi reuerti non verebantur.

VI. ET iampridem vobis, fratres chariſſimi ac fortiſſimi, litteras miſeram, quibus fidei & virtuti veſtræ verbis exultantibus gratularer, & nunc non aliud in primis vox noſtra complectitur, quàm vt læto animo frequenter ac ſemper gloriam veſtri nominis prædicemus. quid enim vel maius in votis meis poteſt eſſe, vel melius, quàm cum video confeſſionis veſtræ honore inluminatum gregem Chriſti? nam cum gaudere in hoc omnes fratres oportet, tum in gaudio communi maior eſt Epiſcopi portio. [a] Eccleſiæ enim gloria, præpoſiti gloria eſt. Quantum dolemus ex illis, quos tempeſtas inimica proſtrauit; tantum lætamur ex vobis, quos diabolus ſuperare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris noſtri veram circa vos & ſimplicem charitatem, vt qui aduerſarium prima hac congreſſione viciſtis, gloriam veſtram forti & perſeueranti virtute teneatis. Adhuc in ſæculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, [b] de vita noſtra quotidie dimicamus; danda opera eſt, vt poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod iam rudimentis fœlicibus eſſe cœpiſtis. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt quod adeptus es poſſe ſeruare. ſicut & [c] fides ipſa & natiuitas ſalutaris non accepta, ſed cuſtodita viuificat. Nec ſtatim conſecutio, ſed conſummatio hominem Deo ſeruat. Dominus hoc magiſterio ſuo docuit dicens: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, [d] ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & confeſſori ſuo dicere: Ecce confeſſor factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique, & Saul, & cæteri multi quamdiu in viis Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab iis diſciplina Dominica, receſſit & gratia. Perſeuerandum nobis eſt in arcto & in anguſto itinere laudis & gloriæ: & cum quies & humilitas, & bonorum morum tranquillitas Chriſtianis omnibus congruat, ſecundum Domini vocem, qui neminem alium reſpicit, niſi humilem & quietum, & trementem ſermones ſuos; tum magis hoc obſeruare & implere vos confeſſores oportet, qui exemplum facti eſtis cæteris fratribus, ad quorum mores om-

a ECCLESIAE ENIM GLORIA &c. liber N. F. præpoſiti honor eſt RIG.

b DE VITA NOSTRA QVOTIDIE DIMICAMVS.) Intelligit vitam æternam. vt infrà pag. 16 Diſciplinæ & vitæ ipſi omnium noſtrûm conuenit. *Idem.*

b DE VITA NOSTRA QVOTIDIE DIMICAMVS. Hoc eſt morti quotidiè obiicimur vnde Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 1 expeditum morti genus, vocat Chriſtianos. & ſi quid inauguratum & imperriticum contingeret, Chriſtiani ſtatim leonibus exponebantur. De quo Tertullianus apolog. 40. ſimiliter Euſebius in martyrio S. Polycarpi Πολυκάρπῳ λέοντα PRI.

c FIDES ET NATIVITAS ACCEPTA acceptam fidem, dicit, & acceptam natiuitatem, pro ſuſcepta fide Chriſtiana, & ſuſcepto baptiſmo. ſic & amiſſum baptiſmum dixit Tertullianus lib. de Bapt & in antiquis inſcriptionibus de ſacris magnæ Matris: *Taurobolium accepit & percepit*, & *taurobolium fecit*, & alicubi etiam *Tauroboliatus eſt.* quemadmodum autem accipere ſacra dicebant, ſic & tradere: lapides antiqui. TRADIDERVNT LEONTICA. TRADIDERVNT CORACICA. TRADIDERVNT PATRICA. RIG.

d NE QVID TIBI DETERIVS FIAT.) Ne fiant nouiſſima illius pejora prioribus, vt habetur Lucæ 11. 26 *Idem*

omnium vita & actus debeat prouocari. Nam ſicut Iudæi à Deo alienati ſunt propter quos nomen Dei blaſphematur in gentibus: ita contrà Deo chari ſunt, per quorum diſciplinam nomen Domini laudabili teſtimonio prædicatur; ſicut ſcriptum eſt Domino præmonente & dicente: Luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & clarificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Et Paulus Apoſtolus dicit. [a] Lucete ſicut luminaria in mundo. Et Petrus ſimiliter hortatur: Sicut hoſpites, inquit, & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem habentes inter gentiles bonam, [b] vt dum retractant de vobis; [c] quaſi de malignis, bona opera veſtra aſpicientes magnificent Dominum. Quod quidem maxima pars veſtrûm cum meo gaudio curat, & confeſſionis ipſius honore melior facta, tranquillis & bonis moribus gloriam ſuam cuſtodit & ſeruat; ſed quoſdam audio inficere numerum veſtrum, & laudem præcipui nominis praua ſua conuerſatione deſtruere: quos etiam vos-ipſi, vtpote amatores, & conſeruatores laudis veſtræ, obiurgare & comprimere & emendare debetis. Cum quanto enim nominis veſtri pudore delinquitur, [d] quando alius ab aquis temulentus & [e] laſciuiens demoratur: alius in eam patriam, vnde [f] extorris factus eſt regreditur, vt deprehenſus [g] non quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat? Inflari aliquos, & tumere audio; cùm ſcriptum ſit: Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Dominus noſter ſicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Non ſum, inquit, contumax, neque contradico. Dorſum meum poſui ad flagella, & [h] maxillas meas ad palmas. Faciem autem meam non auerti à fœditate ſputorum. Et quiſquam per ipſum nunc, atque in ipſo viuens, extollere ſe audet & ſuperbire, immemor & factorum quæ ille geſſit, & mandatorum quæ nobis vel per ſe, vel per Apoſtolos ſuos tradidit? Quod ſi non eſt maior Domino ſuo ſeruus; qui Dominum ſequuntur humiles & quieti, & taciturni veſtigia eius imitentur. quantò quiſquis inferior fuerit, ſublimior fiat dicente Domino: Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus. Quid deinde illud? quàm vobis execrandum debet videri, quod cum ſummo animi noſtri gemitu & dolore cognouimus! Non deeſſe, qui Dei templa, & [i] poſt confeſſionem ſanctificata; & [k] illuſtrata membra turpi & infami concubitu ſuo plus maculent, [l] cubilia ſua cum fœminis promiſca iungentes: quando & ſi ſtuprum conſcientiæ eorum deſit, hoc ipſo grande crimen eſt, quod illorum ſcandalo in aliorum ruinas exempla naſcuntur. Contentiones quoque & æmulationes inter vos nullas eſſe oportet, cùm pacem ſuam nobis dimiſerit Dominus, & ſcriptum ſit: Diliges proximum tuum tamquam te. Si autem mordetis & incuſatis inuicem: videte [m] ne conſumamini ab inuicem. A conuiciis etiam & maledictis, quæſo vos abſtinete: quia neque maledici regnum Dei conſequuntur, & lingua, quæ Chriſtum confeſſa eſt, incolumis & pura cum ſuo honore ſeruanda eſt. Nam qui pacifica, & bona, & iuſta ſecundum præceptum Chriſti loquitur, Chriſtum cotidie

a *Lucete ſicut luminaria.* locus eſt Philipp. 2. vox græca φαίνεσθε ambigua eſt ad imperandi modum, quo hic Cyprianus vtitur, & Ambroſ. in comment. & ad indicandi, quo vulgatus interpres. PAM

b VT DVM RETRACTANT DE VOBIS.) Dum ethnici quæſtionem habent de vobis, dum anquirunt, dum examinant, dum obloquuntur: Petrus Epiſt 1. 2. ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν. Vulgata verſio, detrectant. Gloſſæ veteres, Detrectare, λοιδορεῖν. Detrectat, ἀποδεῖ. RIG.

c QVASI DE MALIGNIS.) Petrus: ὡς κακοποιῶν. *Idem*.

d QVANDO ALIVS AB AQVIS TEMVLENTVS.) Omnes antehac editiones, Quando alius aliquis, vel, Quando vnus aliquis temulentus. Hactenus igitur mendoſiſſima ſcriptura præclàrum Cypriani ſenſum corrupit Cum quanto, inquit, nominis veſtri pudore delinquitur, quando aliquis ab aquis temulentus & laſciuiens demoratur? Ab aquis, id eſt, à baptiſmo Qui nomen Chriſto dedit, qui in nomen Chriſti tinctus ſiue baptiſatus eſt, hoc ſacramento obligat ſeſe futurum hominem frugi ac temperantem. Subinde igitur, ſi temulentus, ſi nequam apparet, magnum dedecus & probrum religioni ſuæ objicit nam cùm temulentus à temeto dicatur. temetum autem aquis diluatur, iſte contra naturam ab aquis exiſtit temulentus, à lauacro laſciuus & turpis. Renunciauit Satanæ, & in Satanæ caſtra reuertitur. vnde extorris factus eſt regreditur. *Idem*.

e LASCIVIENS DEMORATVR.) Permanet, eòque ſenſu apud Tertullianum haud ſemel. In quibuſdam Cypriani exemplaribus, denotatur *Idem*.

f *Vnde extorris factus &c.* Vides expreſſis verbis in extorres obiurgationem tendere; alludit autem, ad illud 1. Petr. 2. Quæ eſt enim gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? vt potè ſignificant illos, qui iniuſſi ab exilio reuerſi eſſent, iam occidi, non vt Chriſtianos, ſed vt nocentes. PAM.

g NON IAM QVASI CHRISTIANVS.) Ob cauſam quidem Chriſti in exilium pulſus, ſed in exilio tam improbè conuerſatus, vt poſt reditum ob perpetrata ſcelera ſit condemnatus à judice, jam non vt Chriſtianus, ſed vt nocens. Excludimur enim, inquit Septimius in Apologetico, pag. 4 de nomine Chriſtiani, ſi facimus quæ faciunt non Chriſtiani. Idem, pag. 39. De veſtris ſemper munerarii noxiorum greges paſcunt. nemo illic Chriſtianus, niſi hoc tantùm aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus. RIG.

h MAXILLAS MEAS AD PALMAS.) Septuaginta, τὰς δὲ σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα. Gloſſæ veteres, ῥαπίζω, expalmo, alapo. Verſio vetus alio ſenſu, *Genas meas dedi vellentibus*. Palmare, palmam apprimere; vnde titulus Declamationis Quintil. Paries palmatus, impreſſa parieti palma cruenti alicujus ſicarii homicidæ *Idem*.

i POST CONFESSIONEM SANCTIFICATA ET ILLVSTRATA MEMBRA.) Sic in præcedenti epiſtola dixit: Chriſti membra, & jam Chriſtum confeſſa. De iis ſcilicet qui à præſide vel proconſule interrogati glorioſum nomen Confeſſorum adepti erant. quod acciderat nonnullis etiam adhuc catechumenis, qui poſt hujuſcemodi confeſſionem baptizati, ſubinde Chriſtianam diſciplinam indiligentiùs ſeruauerant. Ergo in Confeſſorum genere erant boni de quibus Epiſt. 1 v. *Cupidi ſunt ad conueniendum & viſitandum Confeſſores bonos, quos illuſtrauit iam glorioſis initiis diuina dignatio*. Erant & praui, de quibus hîc. Non deeſſe ait qui Dei templa, & poſt confeſſionem ſanctificata & illuſtrata membra, turpi & infami concubitu ſuo plus maculent. *Idem*.

k ILLVSTRATA MEMBRA.) φωτισθέντα. Illuſtrata baptiſmo, Luſtralibus aquis. *Idem*.

l CVBILIA PROMISCA.) Sic legitur in cod. Thuani *Idem*.

m NE CONSVMAMINI AB INVICEM) ἀναλωθῆτε. Sic autem legitur in Corbeienſi, *Idem*.

perderet magiſtratus. Sed & quos diuites opinaris continuantes ſaltibus ſaltus, & de confinio pauperibus excluſis infinita ac ſine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defoſſæ ſtrues; hos etiam inter diuitias ſuas trepidos cogitationis incertæ ſollicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cuiuſque locupletioris inuidia calumnioſis litibus inquietet. Non cibus ſecuro, ſomnúſve contingit. ſuſpirat ille in conuiuio, bibat licet gemmas, & cum epulis marcidum corpus [a] torus mollior alto ſinu condiderit, vigilat tamen in pluma: nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis quàm poſſidere diuitias atque opes. O deteſtabilis cæcitas mentium, & cupiditatis inſanæ profunda caligo. Cùm exonerare ſe poſſit & leuare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio eſt, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam ſuam dicunt, quam velut alienam domi clauſam ſollicito labore cuſtodiunt. ex qua non amicis, non liberis quicquam, non ſibi denique impertiunt. poſſident ad hoc tantùm, ne poſſidere alteri liceat. Et ô nominum quanta diuerſitas! bona appellant, ex quibus nullus illis, niſi ad res malas vſus eſt. An tu vel illos putas tutos, illos ſaltem inter bonorum infulas & opes largas ſtabili firmitate ſecuros, quos regalis aulæ ſplendore fulgentes armorum excubantium tutela circumſtat? Maior illis quàm cæteris metus eſt: tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore ſublimitas, ſit licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur. Quàm ſecuros non ſinit eſſe ſubiectos, tam neceſſe eſt non ſit & ipſe ſecurus. Ante ipſos terret poteſtas ſua, quos facit eſſe terribiles. Arridet, vt ſæuiat: blanditur, vt fallat: illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat. Fœnore quodam nocendi quàm fuerit amplior ſumma dignitatis & bonorum, tam maior exigitur vſura pœnarum. Vna igitur placida & fida tranquillitas: vna ſolida, & firma & perpetua ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundetur, ad cœlum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo iam proximus quicquid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra ſuam iacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo maior eſt. Quàm ſtabilis, quàm inconcuſſa tutela eſt, quàm perennibus bonis cœleſte præſidium, implicantis mundi laqueis ſolui, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari. Viderit quæ in nos priùs infeſtantis inimici pernicies inſidioſa graſſata ſit! Plus amare compellimur, quod futuri ſumus: dum & ſcire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus eſt, vt hominis ſumma vel dignitas vel poteſtas elaborata mole pariatur: ſed gratuitum de Deo munus, & facile eſt. vt ſponte ſol radiat, fons rigat, imber irrogat; ita ſe ſpiritus cœleſtis infundit. Poſtquàm auctorem ſuum cœlum intuens anima cognouit, ſolo altior, & hac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod ſe eſſe credit. Tu tantùm quem iam ſpiritalibus caſtris cæleſtis militia ſignauit, tene incorruptam, tene ſobriam religioſis virtutibus diſciplinam. Sit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis ſuis inſtruat, ille diſponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria eſſe nulla iam poterit, cui ſemel pectus cæleſtis ſagina ſaturauit. Iam tibi auro diſtincta laquearia, & pretioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia ſordebunt; cùm ſcieris te excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc eſſe potiorem, quam Dominus inſedit templi vice, in qua Spiritus ſanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce iuſtitiæ. Non hæc vnquam procumbet in lapſum ſenio vetuſtatis, nec pigmento parietis, aut auro exoleſcente fœdabitur. Caduca ſunt quæcumque fucata ſunt, nec fiduciam præbent poſſidentibus ſtabilem, quæ poſſeſſionis non habent infirmitatem. Hæc manet cultu iugiter viuido, honore integro, ſplendore diuturno, aboleri non poteſt, nec extingui, [b] poteſt tantùm in melius corpore redeunte formari. Hæc interim breuibus, Donate cariſſime. nam etſi facilem de bonitate patientiam, mentem ſolidam, fidem tutam ſalutaris auditus oblectat, nihilque tam tuis auribus gratum eſt, moderari tamen dicenda debemus ſimul iuncti, & ſæpiùs colloquuturi. Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus eſt otioſum, quicquid inclinato iam ſole in veſperam diei ſupereſt, ducamus hanc diem læti

a ET TORVS MOLLIOR ALTO SINV CONDIDERIT.) In Cod. Regio tantùm habetur, *torus mollior condat.* RIG.

b POTEST TANTVM IN MELIVS, CORPORE REDEVNTE, FORMARI.) Hoc eſt, in vitam æternam reſurgente. Alludit ad illud Pauli ad Cor. 1. 15. 51. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

læti, [c] nec ſit vel hora conuiuij gratiæ cæleſtis immunis, [d] ſonet Pſalmos conuiuium ſobrium, [d] & vt tibi tenax memoria eſt, vox canora; [e] aggredere hoc munus ex more. magis cariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures [f] religioſa mulcedo.

EPIS-

c NEC SIT VEL HORA CONVIVII GRATIÆ COELESTIS IMMVNIS) Tertullianus Apolog cap. 39 Non priùs diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur

d SONET PSALMOS CONVIVIVM SOBRIVM) Hoc etiam præclarè explicat Tertull. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de Scripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit.

a ET VT TIBI TENAX MEMORIA EST) Ex verbis Tertulliani ſuprà citatis, diſcimus veteris Eccleſiæ morem, canendi aliquid non ſolùm de Scripturis ſanctis, verùm etiam de proprio ingenio.

e AGGREDERE HOC MVNVS EX MORE MAGIS CARISSIMOS PASCES.) Hæc, ſi bene putamus, deprauata ſunt, etſi magno veterum exemplarium conſenſu probari videantur. In vno tamen & altero de ſatis antiquis ſic variat ſcriptura, vt Morelius & Ioſephus Scaliger tradidere. Et hæc quidem Morelij: Aggredere hoc munus tuo ore magis. Paſcat nos ſpiritalis auditio, delectet aures religioſa mulcedo. Hæc verò Scaligeri: Aggredere hoc munus tuo ore magis, clariſſimè. Paſtus ſit nobis ſpiritalis auditio; prolectet aures religioſa mulcedo.

f RELIGIOSA MVLCEDO.) Bellarminus lib. de Scriptorib. Eccleſ librum De ſingularitate Clericorum, non eſſe Cypriani, bonis alioqui rationibus arguit. ſed & hac ſanè frigida, quòd in eo opere verba multa parum Latina occurrant, quæ non inueniantur in Cypriano, qualia ſunt, inquit, mulcedo, &c. quod argumentum ex iſto Cypriani loco facilè refellitur. Quin & hocce vocabulum Agellio ſic placuiſſe animaduertimus, vt Latinæ linguæ venuſtates non alio magis expreſſerit, lib. XIX. cap. 9.

EPISTOLÆ IN SECESSV CYPRIANI TOTO biennio conſcriptæ.

[a] CLERI ROMANI AD CLERVM CARTHAGINIENSEM de ſeceſſu D. Cypriani.

ARGVMENTVM.

Intellexerat Clerus Romanus à Clementio hypodiacono ſeceſſiſſe Cyprianum in perſecutione. Pro ſuo itaque zelo fidei Clerum Carthaginienſem officij ſui admonet, ac inſtruit, quid circa lapſos intereà dum abeſt illorum Epiſcopus, fieri oporteat.

a CLERI ROMANI.) Clerus Græca vox, Κλῆρος: Latina, ſors. Vtriuſque autem linguæ dictio tria ſignificat. Sorticulam qua vtimur in ſortiendo: Sortitionem ſiue Sortitum, actionem ipſam ſortiendi: & quod ſortitu cuique accidit Rerùm Hebraïcarum ſcriptores Græci, ab iiſque etiam Latini, Clerum dixere quod ex ampliſſimo illo terrarum tractu, Ioſua iubente in vndecim tribus Hebræorum diuiſo, per ſortitionem vnicuique contigerat. Factis ſcilicet cleris vndecim, clero cuique numerus inſcriptus fuerat, pro numero portionum menſoris tabula ſub totidem numeris comprehenſarum. Pone Benjamini tribum, vel quamlibet aliam. Cleris igitur in vrnam conjectis, vrna mota, qui clerus exierat ſortiente Benjamini tribu clerus Benjamini dicebatur Eòque nomine intelligebatur ager ſiue regio quam ſortito Benjamini tribus acceperat poſſidendam. Itaque omnes regionis illius incolæ Benjamini tribus & Benjamini clerus deinceps nuncupati: atque ita de ceteris vndecim tribuum portionibus Poſteaquam figuris Moſaïcis veritas Chriſtiana ſucceſſit, & malè merentibus Hebræis gratia diuina ad Gentes conuerſa eſt, quod Helleniſtæ Chriſtiani dixerant Eccleſiam, dixerunt etiam clerum. Chriſtus appellauerat Ouile, & paſcendis ouibus ſuis paſtorem præfecerat ipſe ἀρχιποίμην. Homines erant oues, & homo paſtor, ex ouibus vna. At paſtoris ſimul & ouium dominus erat Chriſtus. Itaque huiuſmodi ouium numerus cùm excreuiſſet, adhibuit Dominus ouili ſuo paſtores vtique complures. Paſtores autem ſumpſit de ouibus, vt iam fierent paſtores qui nuper ouium numero cenſebantur. Sed & ipſi quidem facti paſtores nihilominus erant oues ἀρχιποιμένος, id eſt Chriſti. Ergo & paſtores omnes cum ouibus etiam cunctis, vnum erant ouile Chriſti, non ouile cuiuſque paſtoris. Sed ex multis & ouium & paſtorum capitibus vnum ouile & vnus paſtor Chriſtus. Quod de Ouili diximus, hoc de Eccleſia quoque dicendum & Clero. Ac de Eccleſia quidem, in promptu eſt Nam etſi plurium ſit perſonarum: immò & ſi plures Eccleſiæ conuenerint, ſi tamen Chriſtianæ ſint, omnes vna ſunt Eccleſia, pluribus membris in corpus vnum coëuntibus, cuius corporis caput eſt Chriſtus. De clero prorſus idem. Nam etſi quid diuiſum ſonet, attamen partes quantæcumque ſint, vnam omnes ſubſtantiam componunt Et quicquid ſortientes acceperint pro ſuo clero, puta clerum eſſe de numeroſo quopiam ouili Chriſtiano. ex vno eſt ouili. ex vna Eccleſia. quod ouile, quæ Eccleſia in quantaſlibet acceptas, ſiue portiones exierit, vnciæ ſunt, vnius aſſis, vnius ſubſtantiæ; vnius patrimonii conſortia: & conſortio ſuo iuncta, clerum vnum faciunt, vnum ouile Chriſti. Hæc enim apud Chriſtum, ſiue Clerus, ſiue Eccleſia, ſiue Ouile, ſunt typi & parabolæ & ſpecula, ſiue exempla, per quæ nos ad diuina Deus erigit, & quaſi manu ducit in cœlum, adeòque ſunt mente, animo, intellectu concipienda. Sed praua mortalium cæcitas, Chriſtiana ſimplicitate neglecta, Phariſaïcam ſuperbiam reduxit, & obruit cœleſtia terrenis. Cleri vocabulum ad res Chriſtianas primus tranſtuliſſe videtur Petrus, epiſtola ſua canonica prima Hortatur Preſbyteros ipſe compreſbyter, gregem, quem ipſis commiſit Deus, paſcant, prouidentes ouibus, non turpis lucri cupidine, ſed gratis: neque vt dominantes in cleris, ſed facti in exemplum & formam gregis, vt cùm venerit princeps paſtorum, accipiant coronam gloriæ. Loquitur Petrus ad preſbyteros Ponti, nec ſe alium facit quàm compreſbyterum. Sicut mandatum habebat à Domino: Paſce oues meas, ſic ipſe preſbyteris illis tradidit: Paſcite oues Chriſti Apponit illis exemplum opilionum & gregis. Abſtinet eos ab auaritia, prohibet à ſuperbia. Nolite, inquit, paſcere gregem, vt dominantes in cleris, ſed vt curatores ouilis; non veſtri, ſed Chriſti. Quod Ezechiel dixerat Phariſæis, hoc Petrus Ponticis. & quò magis ipſe Phariſaïcam ſuperbiam retunderet, Clerorum injicit mentionem, quibus ſic præerant tùnc temporis Leuitæ, vt domini ac tyranni: etſi nullum Ioſuas clerum Leuitis aſſignaſſet, qui ſanxerat edicto, ne Leuitica tribus partem vllam faceret in cleris. Minimè autem propterea negauerim, Leuitas, quamuis in agrorum diuiſione partem non fecerint, nihilominus obtinuiſſe munus à Deo longè præſtantius; nempe ſacerdotiorum functiones & pontificia, quæ ſcilicet hæreditario jure poſſiderent. Et hæc quidem illorum ſors fuit ſiue clerus. Verùm, & Prophetæ Chriſti, & Chriſtus ipſe, & à Chriſto Petrus, ceterique deinceps Apoſtoli ſortem illam, ſiue clerum, ad formam ouilis redegere, quin, & hoc ſuperdicto Ouile non eſſe paſtorum, ſed Chriſti, ac proinde monitis paſtoribus, vt paſcant oues Chriſti, non ſeipſos: Nimirum de pecoribus improbè veſcebantur, paſcentes potiùs ſemetipſos, inquit Tertullianus lib. de Fuga in perſecut. quod præclarè Propheta dixerat: ἐβόσκοσαν οἱ ποιμένες ἑαυτούς, τὰ δὲ πρόβατά μου οὐκ ἐβόσκησαν. διὰ τοῦτο, ποιμένες, τάδε λέγει κύριος κύριος. ἰδοὺ ἐγὼ ἐπὶ τοὺς ποιμένας, &c. Credo diſcipulos, & mox Apoſtolos fuiſſe Chriſti magiſtri ſui vocibus obſequentiſſimos. & multa cernimus χυρ

II. [b] DIDICIMVS ſeceſſiſſe [c] benedictum Papam Cyprianum, [d] à Clementio [e] ſubdiacono, qui à vobis ad nos venit, [e] certa ex cauſa; quod vtique rectè fecerit, cùm ſit perſona inſignis. Et imminente agone quem permiſit Deus in ſæculo colluctandi cauſa cum aduerſario, ſimul cum ſeruis ſuis, volens etiam angelis & hominibus certamen hoc manifeſtare, vt qui vicerit coronetur; victus verò portauerit in ſe ſententiam, quæ nobis manifeſta eſt: Et cùm incumbat [f] nobis qui videmur præpoſiti eſſe, & vice paſtoris cuſtodi-

proximè ſequenti primitiuæ illius reuerentiæ fideique veſtigia. ſic tamen, vt neceſſe ſit fateri, jam exinde nonnullos ouilibus Chriſtianis adeo graues & aſperos incubuiſſe paſtores, vt ab iis ad nos antiquiſſimæ origines fluxerint morum & rituum ab illa primæua ſincer tate alieniſſimorum. Præuiderat Paulus venturos poſt diſceſſum ſuum lupos inſidiantes gregi, non parcentes ouibus. Et hic quidem in Gentibus. At Petrus Phariſæos dominari ſuetos in cleris ab Synagoga vocans ad Chriſtum, paſtores vt fiant ouium Chriſti, depellit ab regno Clerorum. Formam ouilis, quam Eccleſiæ Chriſtianæ Apoſtoli, paſtores à Domino formati, tradiderant, viri Apoſtolici ſeruauere. Sed vix alterius ſeculi diſciplina fuit, cùm ipſi paſtores nomen cleri, quod erat ouium vniuerſitati commune, ſic proprium ſibi fecerint, vt jam nomen ipſum ouilis in populi ſiuè plebis & laicorum appellatione vileſceret. Hinc exorta jam æuo Tertulliani ac Cypriani inter clericos & laïcos differentia tanta, vt laïci non intelligerentur appellatione cleri. Magnum ſanè cleros inter Moſaïcos & Chriſtianos diſcrimen, quòd Moſaïci ſacerdotes & pontifices partem in cleris vllam non facerent, Clerum Chriſtianum, quantus quantus eſt, non conſtituunt niſi ſacerdotes & pontifices. Nemo tamen ſanus ambiget, quin optima & neceſſaria fuerit Ordinis Eccleſiaſtici ratio, cuius inter populum differentiam fecit ipſius Eccleſiæ auctoritas & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.

a CLERI ROMANI AD CLERVM CARTHAGINIENSEM.) Fabiano mortuo ſedes Romana vacabat Secedente igitur Cypriano Clerus Carthaginenſis litteras ad Clerum Romanum dederat, & ſeceſſionis cauſſas allegauerat, quales hîc reddit Romanus. Nam & ſeceſſiſſe Carthaginienſes clerici ſcripſerant, & benedictum Papam Cyprianum ſuum nuncupauerant. Reddunt Carthaginienſibus voces ſuas Romani, ſed mox iſtum Cypriani receſſum in fugam vertunt; addúntque circumſtantias, imminente agone, quem Deus permiſit, vt ſententiam damnationis ferat in eos qui de perſecutione pedem referrent, aut Chriſtum negarent Hæc itaque ſunt dulcacida, qualia præberi ſolent in poculis mellitis abſinthia. *Idem.*

b DIDICIMVS SECESSISSE BENEDICTVM PAPAM CYPRIANVM.) Seceſſus iſte Cypriani, fugæ probro minimè caruit apud quoſdam de Chriſtiana fraternitate, qui Tertulliani ad Fabium de fuga in perſecutione diſputationem legerant. Nec dubito, quin ipſa tanti Magiſtri ſeueritas Diſcipuli mentem adeò ſuffuderit, vel aliquo ſaltem ſcrupulo ſic pupugerit, vt fugæ ſuſpicionem Cyprianus amoliri abs ſe magno ſtudio contenderet. Hoc & Pontij familiaris ſui ſatis intricata ſedulitas perſuadet: ipſiúſque Cypriani epiſtolæ ſequentes declarant &, ſi verum amamus, haud aliud magis iſta Romani cleri tam argumentoſa quàm incondita commonitio proſcribit. Fortiſſima eſt illa Cypriani defenſio, quòd Dei nutu, immò juſſu ſeceſſerit Nam quid apertius mandato diuino per Chriſtum Apoſtolis tradito? Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam Quòd ſi mandatum ad alios quàm Apoſtolos pertinuiſſe negaueris, quis à Cypriano juſſi Dominici, Spiritus ſancti, diuini erga ipſum quoque ſpeciatim fauoris teſtem exigat? Sed & complures humanæ prudentiæ rationes amici cauſſati ſunt. Erat perſona inſignis. Vnus Cyprianus Eccleſiam demonſtrabat: Eo ſublato, tota perſum ibat fraternitas. Vnius Cypriani potentia inimicas nomini Chriſtiano poteſtates exaſperabat. Vnum præ ſertim Cyprianum populus efferatus ad leonem depoſtulauerat. Eo aliquantiſper amoto rabies ſedari poſſe videbatur. Denique abſens nihilominus per procuratores aut vicarios, pérque litteras frequentiores Eccleſiæ ſuæ neceſſaria cuncta prouidebat, ſuggerebat. Has certè receſſus cauſas, tunc valde probabiles, ſequentibus ſeculis exemplo fuiſſe arguit præclara Auguſtini ad Honoratum epiſtola, quæ & conſilia præbet aduerſus cunctas iſtius humanæ prudentiæ ſubtilitates ſaluberrima. Strategicorum ſcriptores quæſtionem tractant huic noſtræ haud abſimilem: An ſit laudandus in bello dux, quem non pigeat caput ſuum paſſim fortiter ac ſtrenuè periculis objectare. Quæ res hanc definitionem admittit Habendam in primis eſſe rationem ducis, quo ſublato, ſalus populi ſubuertatur neceſſe eſt. tunc enim *πρῶτον ἔργον ἀρετῆς εἶναι, σώζειν τὸν ἅπαντα τ' ἄλλα σώζοντα.* At vbi de exemplo ducis tota pendet exercitus conſtantia, tum verò, neque manibus neque capiti eſſe parcendum. Hoc ſapienter obſeruauit in Pelopida Plutarchus. *Idem.*

c BENEDICTVM PAPAM CYPRIANVM. Epiſcopis olim, ſaltem Africanis iiſque Metropolitanis Papæ nomen tribuebatur, quòd Romanis Pontificibus tantùm poſteà datum eſt. vt in ſynodo 6. & Nouella 131. Papa autem eſt quaſi Pater Patrum; Quamuis nonnulli ſcriptores inter Iouis elogia id recenſeant, Iouemque Pappeum appellari teſtentur. PRI.

c BENEDICTVM CYPRIANVM.) Sic Tertullianus, benedictum Eleutherum, benedictos martyras, benedictam feminam. RIG.

c BENEDICTVM PAPAM.) Sic appellari Carthaginis epiſcopum non inuident Romani: Sed nec aliter appellat Romanum Pontificem Tertullianus, libro de Præſcript. aduerſus hæreticos. & libro de Pudicitia. Hi fuêre tunc Romano pontifici cum pleriſque aliarum Vrbium epiſcopis tituli communes. & præter Ennodium Ticinenſem & Caſſiodorum, vix alii reperiantur, qui Papæ nomen, vt proprium & peculiare, Pontifici Romano adſeruerint Tandem verò Gregorius VII. in Synodo Romana, quod ad Ennodium Sirmondus obſeruat, edixit vt Papæ nomen vnius eſſet in orbe Chriſtiano. Ceterùm in matricula Curopalatina adeò deſcenderat appellatio Paparum etiam ad infimos ſacerdotes, vt ipſe Protopapa ſubeſſet Patriarchæ Conſtantinopolitano: & Papa dicebatur quilibet ſacerdos, quales nos hodie Patres vocitamus, & Preſbyteros, etiam ætate plerumque inferiores. Sicuti Senatores Patres jam olim appellatos fuiſſe ait Salluſtius, vel ætate, vel curæ ſimilitudine. *Idem,*

PAPAM.) Infantile vocabulum. Græcè *πάππας*, vnde Latini ſecundo caſu dixere, *papatis*. Heſychius: *πάππας, πατρὸς ὑποκόρισμα. πεποίηται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶν παιδίων ἃ λέγει πάπα.* Inde & *παππάζειν*. Homerô Il v. Plauto & Perſio, pappare. Verum alio ſignificatu, pappare minutum poſcis. &, opus eſt quod pappet. hoc eſt, præmanſum aliquid, *μασητόν*, maſticatum. Gloſſæ veteres: Pappet. hoc eſt, præmanſum aliquid, *μασητοῖς*. Aliæ; *μάσσω*, maſtico, ſubigo. Quemadmodum verò de patris vocabulo fluxit, papa ſiue pappas, ſic de vocabulo matris, mamma, Heſych. *μάμμη, ὑποκόρισμα μητρὸς, ἐν παιδίοις Ἀττικοί.* Martialis: Mammas atque tatas habet Afra, &c. Sed & Saliari carmine PA vſurpatum fuiſſe, pro, patre, docent excerpta de libris Sex. Pomp Feſti. *Idem.*

d A CLEMENTIO.) Infrà epiſtola proximè ſeq. RIG.

e SVBDIACONO) Sic paulatim, atque ab minimis, intrauit in Eccleſiam regnum, & dominandi libido. Apoſtoli Diaconos tantùm dixerant. Ætas Cypriani ſubdiaconos admiſit. ſequens Archidiaconos. ac deinceps Archiepiſcopos & Patriarchas. Apoſtoli Epiſcopos & Preſbyteros tantùm dixerant, Tertullianus dixit Epiſcopum eſſe ſummum ſacerdotem. *Idem.*

e CERTA EX CAVSA, QVOD VTIQVE RECTE FECERIT.) Hæc ita ſunt continuanda: *Certa ex cauſa quod vtique rectè fecerit; cùm ſit perſona inſignis, & imminente agone.* quæ videntur eſſe verba Cleri Carthaginienſis in gratiam & fauorem Cypriani ſcripta ad excuſandum eius ſeceſſum.

f NOBIS QVI VIDEMVR ESSE PRÆPOSITI) Cùm abiiſſet è viuis Fabianus, Cyprianus verò ſeceſſiſſet, vtraque Sedes vacabat, Romana & Carthaginienſis. Vtrubique igitur Clerus Eccleſiæ ſuæ curam ſuſceperat, & litteras ad Romanum dederat Carthaginienſis ſuper illo ſeceſſu Cypriani ſui: Romanus Carthaginienſi reſcribens, Cùm incumbat nobis, inquit, qui videmur præpoſiti eſſe, & vice paſtoris cuſtodire gregem, ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis, &c. quæ verba cùm ſint communia, & curæ vtrimque communis, ciuilem magis & verecundam ſolicitudinem charitati Chriſtianæ conuenientiſſimam ſignificant, quàm alicuius imperii ſiue poteſtatis ſuperbiam. Sed nemo tamen ſanus negauerit, præcipuum jam olim ac primarium fuiſſe Romanæ Sedis honorem. Nam & ab Clero Cartaginienſi

cuſtodire gregem; ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis [a] quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui tam negligentes præpoſiti erant: quoniam perditum non requiſiuimus, & [b] errantem non correximus, & [c] claudum non colligauimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur. Denique & ipſe Dominus implens quæ erant ſcripta in lege & Prophetis, docet dicens: Ego ſum paſtor bonus qui pono animam meam pro ouibus meis: mercenarius autem & cuius non ſunt propriæ oues, cùm viderit lupum venientem, relinquens effugit, & lupus diſpergit oues: [d] ſed & Simoni ſic dicit: Diligis me? reſpondit, Diligo: Ait ei, Paſce oues meas. [e] Hoc verbum factum [f] ex actu ipſo quo ceſſit cognoſcimus, & cæteri diſcipuli ſimiliter fecerunt. Nolumus ergo, fratres dilectiſſimi, [g] vos mercenarios inuenire, ſed bonos paſtores, cùm ſciatis non minimum periculum incumbere, ſi non hortati fueritis fratres noſtros ſtare in fide immobiles, ne præceps iens ad idololatriam funditùs eradicetur fraternitas. Nec enim hoc ſolum verbis vos hortamur, ſed diſcere poteritis à pluribus è nobis ad vos venientibus, quoniam ea omnia nos Deo adiuuante & fecimus & facimus cum omni ſollicitudine & periculo ſæculari, ante oculos plus habentes timorem Dei & pœnas perpetuas, quàm timorem hominum & breuem iniuriam: non deſerentes fraternitatem, & hortantes eos ſtare in fide, & paratos eſſe debere ire cum Domino: ſed & [h] aſcendentes ad hoc quod compellebantur, reuocauimus. [i] Eccleſia iſta fortis in fide, licet quidam terrore ipſo compulſi, quòd eſſent inſignes perſonæ, ſiue apprehenſi timore hominum, reuertuntur: quos quidem ſeparatos à nobis non derelinquimus, ſed ipſos cohortati ſumus & hortamur agere pœnitentiam [k] ſi quo modo indulgentiam potuerunt recipere ab eo qui poteſt præſtare: ne ſi relicti fuerint à nobis, peiores efficiantur. Videtis ergo fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, vt etiam illi qui ceciderunt, hortatu veſtro corrigentes animos eorum, ſi adprehenſi fuerint iteratò confiteantur, vt poſſint priorem errorem corrigere. Et alia quæ incumbunt vobis, etiam ipſa ſubdidimus; vt, ſi, qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint adprehenſi infirmitate, & agant pœnitentiam facti ſui, & deſiderent communionem, vtique ſubueniri eis debet. [l] Siue viduæ, ſiue clinomeni, qui ſe exhibere non poſſunt, ſiue hi qui in carceribus ſunt, ſiue excluſi à ſedibus ſuis, vtique habere debent qui eis miniſtrent. Sed & cathecumeni adprehenſi infirmitate, decepti eſſe non debebunt, vt eis ſubueniatur. [m] & quod maximum eſt, corpora Martyrum aut cæterorum ſi non ſepeliantur, grande periculum imminet eis quibus incumbit hoc opus. Cuiuſcumque ergo veſtrûm quacumque occaſione effectum fuerit hoc opus, certi ſumus eum bonum ſeruum æſtimari,

thaginienſi datæ ad Romanum ſuper ſeceſſu Cypriani literæ, quaſi rationem reddunt; & Romanorum verba quæ hîc ſequuntur, Nolumus ergo vos mercenarios inuenire, etſi hortatoria ſint potiùs quàm imperatoria, & conſilia magis quàm juſſa, ſatis indicant Romanum jam tunc etiam ſede Pontificia fuiſſe potiorem. R 10.

a ERRANTEM NON CORREXIMVS.) Tertullianus ſic reddit: quod expulſum eſt non conuertiſtis. libro de Pudicitia *Idem*.

b CLAVDVM.) Tertull. comminutum LXX. *συντετριμμένον*. Pſ. 102. Qui ſanat infirmitates eorum, & alligat contritiones eorum. *Idem*.

c CLAVDVM NON COLLIGAVIMVS.) Adhibitis faſciis atque etiam regulis. *Idem*

d SED ET SIMONI SIC DICIT) Quaſi non jam Petro, qui de petra deciderat, parum ſeruata fide, ob quam illi Chriſtus nomen fecerat Petro, à petra, hoc eſt firmitate; Petra autem erat Chriſtus, fides & confeſſio nominis Chriſtiani *Idem*.

e HOC VERBVM FACTVM EX ACTV IPSO QVO CESSIT) Verbum ſcilicet quod fecit Chriſtus ad Petrum, jam non Petrum vocans, ſed Simonem, quaſi de illius erga ſe dilectione addubitans. *Idem*.

f EX ACTV IPSO QVO CESSIT.) Ex facto Petri, qui apprehenſo à Iudæis Chriſto, non propriè fugit, ſed ceſſit ſiue abſceſſit aut receſſit Nam, vt eſt in Euangelio, ſequebatur Chriſtum, ſed longo interuallo quod fugæ ſpeciem præbuit, adeòque in Euangelio legitur, diſcipulos omnes relicto Chriſto fugiſſe. Hæc autem Cleri Romani epiſtola Petrum eò magis onerare videtur, quod ait: Et ceteri diſcipuli ſimiliter fecerunt Quaſi ad exemplum Petri: Atque hoc Romani torquent in Cypriani ſeceſſum, non ſine opprobrio fugæ *Idem*.

g VOS MERCENARIOS INVENIRE) Inueniri. *Id.*

ASCENDENTES AD HOC QVOD COMPELLEBANTVR. In Capitolium, vt imponerent in acerram tura. Sic lib. de Lapſis. Non expectauerant ſaltem, vt aſcenderent apprehenſi, vt interrogati negarent. Et paulò poſt: Nonne quando ad Capitolium ſponte ventum eſt, labauit greſſus? Et eodem libro: Vnus ex his qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit Canon 59 Concil. Eliberit. Ne quis Chriſtianus ad idolum Capitolii ſacrificãdi cauſa aſcendat. *Idem*.

h ECCLESIA ISTA FORTIS IN FIDE.) Hac fortitudinis ſuæ jactantia Romani faciunt inuidiam Carthaginienſibus. Et Romanæ quidem fidei prærogatiuam Tertullianus ipſe Carthaginienſis prædicat lib. de Præſcriptionibus: Si autem Italiæ adiaces, inquit, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt Iſta quàm felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt I & libro aduerſ. Marcionem quarto: Videamus quid etiam Romani de proximo ſonent. *Idem*.

i SI QVO MODO INDVLGENTIAM POTVERVNT RECIPERE.) Indulgentiam pœnitentiæ. *Idem*.

k SIVE VIDVA, SIVE CLINOMENI.) Primus hanc epiſtolam edidit Guil. Morelius, nec indicauit vnde habuerit exemplar Non inuenitur autem in mſs codicibus Pamelianis, nec in Italicis, neque in noſtratibus. Et tamen valde proba eſt, nec tam ſcatet mendis, quàm exiſtimabat Pamelius. Morelius igitur hoc loco edidit, clydomeni. quod mendoſum eſſe non inficiamur, immò veram eſſe arbitramur Pamelij conjecturam, in authentico ſcriptum fuiſſe, clinomeni. Eóque magis hæc opinio firmari videtur, quòd inter illius æui Chriſtianos probroſam vulgo fuiſſe conſtat appellationem clinicorum, qui decumbentes in lectulo, propter imminens mortis periculum aqua perfuſi baptiſmum acceperant. quaſi non propriè baptizati, quia perfuſi, non merſi, de quibus agitur in epiſtola Cypriani ad Magnum, LXXV. Clerus ergo Romanus iſtorum etiam clinicorum curam ſuſcipiens, vocabuli triſtitiam mitigat, ac deflexa terminatione *κλινομένοις* dicit, non *κλινικοῖς*. eiuſmodi etiam benignitate Tertullianus in Apologetico Chriſtianos graui ſenio propè confectos noluit appellare *clinicos*, ſed *iam domeſticos ſenes*. Idem.

l CATECHVMENI DECEPTI ESSE NON DEBEBVNT) Nam hæc in primis audiebant ab Epiſcopo ſiue Preſbytero, ſummam eſſe apud Chriſtianos curam charitatis ſiue dilectionis; & conqueri poterant ſe deceptos, ſi contigiſſet eos in ipſo perſecutionis æſtu deſeri *Idem*.

m ET QVOD MAXIMVM EST, CORPORA MARTYRVM AVT CETERORVM SEPELIANTVR. Ne ſuperſtites hoc ſuorum etiam poſt mortem ſupplicio deterriti, ſepulturæ deſperatione martyria expaueſcerent. Néue item ethnici Chriſtianæ religioni crimen impietatis objicerent, quæ mortuis ſuis officia, gentium conſenſu, & mundi fœdere, & ſortis humanæ commercio debita, non impenderet. *Idem*.

ri, vt qui in minimo fidelis fuit, conſtituatur ſuper decem ciuitates. Faciat autem Deus, qui omnia præſtat ſperantibus in ſe, vt omnes nos in his operibus inueniamur. Salutant vos fratres qui ſunt in vinculis, & presbyteri & tota Eccleſia, quæ & ipſa cum ſumma ſollicitudine excubat pro omnibus qui inuocant nomen Domini. Sed & nos petimus mutua vice, memores ſitis noſtri. Sciatis autem Baſſianum perueniſſe ad nos, & petimus vos, qui habetis zelum Dei, a harum litterarum exemplum ad quoſcumque poteritis, tranſmittere, per idoneas occaſiones, vel veſtras, faciatis, ſiue nuncium mittatis, vt ſtent fortes & immobiles in fide. Optamus vos, chariſſimi, benè valere.

CY-

a HARVM LITTERARVM EXEMPLVM AD QVOSCVMQVE POTERITIS TRANSMITTERE) Hinc etiam peti poſſe videntur argumenta quædam auctoritatis Eccleſiæ Romanæ in ceteras, modeſtæ tamen & verecundæ. *Idem.*

CYPRIANVS a PRESBYTERIS ET b DIACONIBVS Romæ conſiſtentibus fratribus S.

ARGVMENTVM.

Epiſtola hæc familiaris eſt, quare argumento non indiget, potiſſimùm quum ex titulo ipſo ſatis colligi queat. Deſideratur autem epiſtola cleri Romani ad quam reſpondet Cyprianus.

III. c CVM de exceſſu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus eſſet, fratres chariſſimi, & opinio dubia nutaret: d accepi à vobis litteras ad me miſſas per Clementium hypodiaconum, quibus pleniſſimè de glorioſo eius exitu inſtruerer: & exultaui ſatis, quod pro integritate adminiſtrationis eius, e conſummatio quoque honeſta proceſſerit. In quo vobis quoque plurimùm gratulor, quòd eius memoriam tam celebri & illuſtri teſtimonio proſequamini: vt per vos innoteſceret nobis, quod & vobis eſſet circa f Præpoſiti memoriam glorioſum, & nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. Nam quantum pernicioſa res eſt ad ſequentium lapſum ruina præpoſiti, in tantum contrà vtile eſt & ſalutare, cùm ſe epiſcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum. g Legi etiam litteras, h in quibus nec qui ſcripſerint, nec ad quos ſcriptum ſit, ſignificanter expreſſum eſt. Et quoniam me in iiſdem litteris & ſcriptura, & ſenſus, & chartæ ipſæ quoque mouerunt, ne quid ex vero vel ſubtractum ſit vel immutatum; i eamdem ad vos epiſtolam authenticam remiſi, vt recognoſcatis an ipſa ſit quam Clementio hypodiacono perferendam dediſtis: perquàm etenim graue eſt, ſi Epiſtolæ clericæ veritas menda-

cio

a PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ROMÆ.) Cùm exorta ſub Decio Cæſare aduerſus Chriſtianos vexatio Fabianum Eccleſiæ Romanæ præpoſitum peremiſſet, Clerus Romanus ad Cyprianum Carthaginis Epiſcopum litteras per Clementium Subdiaconum miſit, ac de glorioſo Fabiani exitu certiorem fecit. Mox eâdem pernicie per Africam graſſante, Cyprianus, cùm iam ad leonem depoſtularetur, Deo ſic annuente ſeceſſit; nec de ſeceſſu ſuo quicquam Eccleſiæ Romanæ ſignificauit: Sed poſtmodum Carthaginienſis clerus datis ad Romanum litteris, quid ſibi conſilii Cyprianus cepiſſet, aperuit. Ac ſubinde Romanus Carthaginienſi reſcripſit, ſe non minimo dolore tangi, quòd paſtor ouibus derelictis latebras petiiſſet. Hoc verò agitur Epiſtola præcedenti, quam Morelio deberi teſtatur Pamelius, & ipſiſſimam eſſe quam Cyprianus in manus ſuas non ſine aliqua fraudis ſuſpicione perueniſſe conqueſtus eſt, & remiſit Romam Preſbyteris ac Diaconis, vt recognoſcerent an eſſet illa clerica ſua quam Clementio perferendam tradiderant. Quid autem Romani reſcripſerint, non habemus. Hoc tantùm aſſequi coniectura fas eſt, Epiſtolam ſuam agnouiſſe Romanos. eam verò ſic pupugiſſe animum Cypriani, vt neceſſe ſibi eſſe duxerit, litteras ad eos facere, quibus & actus ſui & diſciplinæ & diligentiæ ratio redderetur. quod ſanè præſtitit epiſtola quæ hac editione habetur XIV. RIG.

b DIACONIBVS.) Antiquæ ſunt inflexiones iſtæ, Diacones & Diaconibus. Et tamen habebant Apoſtolum in manibus, apud quem legitur: διάκονοι & διακόνοις & διακόνους. Et in veteri verſione Latina, Diaconi, Diaconis & Diaconos. Neſcio quo pacto maluerint dicere, Diacones & Diaconibus. Sanè vocabulum Epiſcoporum reuerentiùs habuerunt. Qui autem Epiſcopas dixere, non dixere diaconas ſed diaconiſſas. Iuſtiniani Nouella 111. quaſi epicœno genere, διακόνοις ἀῤῥένας ἐχρῆν, παραφέροντα τῆ θηλείας. *Idem.*

c CVM DE EXCESSV BONI VIRI COLLEGÆ MEI) Quàm ex æquo & ciuilis mentio Epiſcopi Romani ab Epiſcopo Carthaginis apud Clerum Romanum! quem nihilominus vniuerſam Eccleſiam Sede Romana vacante rexiſſe Pamelius & Binius arbitrantur. *Idem*

c DE EXCESSV BONI VIRI COLLEGÆ MEI.) Hoc eſt, de morte. quam mox conſummationem dicet. Mortis nomen quantum poterant euitabant Chriſtiani, ob ſpem reſurrectionis & vitæ ſempiternæ. Itaque pro Mortuo, Præmiſſum, & pro Morte, Obitum & exceſſum dicebant ductòque de arte calculatoria vocabulo conſummatum & conſummationem annorum, dierum, horarùmque velut nummorum numero in ſupremam ſummam collecto computatóque. Qualia ſæpè apud Tertullianum occurrunt ſchemata. *Idem.*

d ACCEPI A VOBIS LITTERAS.) Hæ vero litteræ hodie non extant. *Idem.*

e CONSVMMATIO HONESTA PROCESSERIT.] Φαβιανοῦ ἐπὶ Ῥώμης μαρτυρίῳ τελειωθέντος. Euſeb. VI. 39. Ruffinus: Fabiano in vrbe Roma martyrio coronato. *Idem.*

f PRÆPOSITI MEMORIAM.] Fabiani Epiſcop. Rom. quem etiam præpoſitum vocat Clerus Rom. epiſtola præcedenti, & eodem nomine ceteros quoque Eccleſiarum rectores appellat. προεστῶτα dixerat Iuſtinus. Præſidentem Tertullianus Apolog. Is eſt Epiſcopus qui & Summus Sacerdos ab eodem Tertulliano dicitur. *Idem.*

g LEGI ETIAM ALIAS LITTERAS.] Adſentior Pamelio, non alias fuiſſe quàm præcedentes Epiſtolæ ſecundæ paginas. *Idem.*

h IN QVIBVS NEC QVI SCRIPSERINT, NEC AD QVOS SCRIPTVM SIT.] Dicendum igitur, in authentico omiſſum fuiſſe titulum, quæ fortean fuerit Romanorum cautio ſiue prudentia, inter pericula Decianæ perſecutionis. *Idem.*

i EAMDEM AD VOS EPIST. AVTHENTICAM REMISI.] Authenticam dicit, de cuius tamen fide dubitabat: Sed nihilominus authenticam, cùm eadem omninò eſſet quæ allata fuerat à Clementio.

cio aliquo & fraude corrupta eſt Hoc igitur vt ſcire poſſimus, & [a] ſcriptura, & ſubſcriptio an veſtra ſit, recognoſcite; & nobis quid ſit in vero reſcribite. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

CY-

a Scriptvra et svbscriptio an vestra sit recognoscite.) Non erat fortaſſe huius Epiſtolæ ſcriptura aut ſubſcriptio ſimilis illi quam paulò antè ſuper exceſſu Fabiani acceperat. Et chartarum etiam forma diuerſa. Rio.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus chariſſimis S.

ARGVMENTVM.

Hortatur clerum ſuum D. Cyprianus, iam in ſeceſſu conſtitutus, vt vice ſua ritè fungantur; neve quid aut conſtitutis in carcere, aut cæteris pauperibus deſit. Deinde vt plebem in quiete contineant; ne ſi glomeratim ad martyres in carcere viſitandos concurrant, tandem ab illis interdicatur.

SALVTO vos incolumis per Dei gratiam fratres chariſſimi, lætus quod circa incolumitatem quoque veſtram omnia integra eſſe cognouerim. Et quoniam mihi intereſſe nunc non permittit [a] loci conditio; peto vos pro fide, & religione veſtra, fungamini illic & veſtris partibus, & meis, vt nihil vel ad diſciplinam, vel ad diligentiam, deſit. Quantum autem ad ſumptus ſuggerendos ſiue illis, qui glorioſa voce Deum confeſſi, in carcere ſunt conſtituti; ſiue iis qui pauperes, & indigentes laborant, & tamen in Domino perſeuerant; peto nihil deſit: cum ſumma omnis, quæ redacta eſt, illic ſit apud clericos diſtributa propter eiuſmodi caſus: vt haberent plures, [b] vnde ad neceſſitates, & preſſuras ſingulorum operari poſſint. Peto quoque ad procurandam quietem ſolertia & ſollicitudo veſtra non deſinat: & [c] ſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conueniendum & viſitandum confeſſores bonos, quos illuſtrauit iam glorioſis initiis diuina dignatio, tamen cautè hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul iunctam puto eſſe faciendum: ne ex hoc ipſo inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & [d] dum inſatiabiles multum volumus, IV.

mus,

AD EPISTOLAM IV.

SALVTO VOS INCOLVMIS. Ea vox quamquam Tullio cæteriſque Latij primoribus vſurpata, ideò à Cypriano adhibetur vt voci ἀσπάζεται reſpondeat, qua paſſim vtitur B. Paulus. Pri.

b Loci condicio.) Cujus loci, & quæ illius condicio fuerit, dicet Epiſtola ſequenti. Vbi ſcilicet toties flagitatus & quæſitus ad necem fuerat, nempe Carthagini; vbi & perſonæ qualitas Cyprianum jam ob merita propria clariſſimum, inter ceteros omnes ſpectabilem reddiderat, & præſentiam illius plebi aduerſus Chriſtianos infeſtiſſimæ inuidioſam ac periculoſam fecerat. Huc pertinent verba Galerii Maximi procos. ad Cyprianum: Tu Papa tum ſacrilegæ mentis hominibus exhibuiſti? Iſ ſe Cyprianus infrà epiſt. 37. Vtinam loci & gradus mei conditio permitteret. Rig.

c Vnde ad necessitates et pressvras.) Quod dixerat Lucas cap. XXI. 23. ἔςαι γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς. hoc verſio vetus, Erit enim preſſura magna ſuper terram. Preſſura propriè in torculari Heſychius, θλίβεται. πατεῖται. τοῦτο δὲ ἐπὶ σταφυλῆς. λέγεται γὰρ καὶ ὅτι τις ὀλιγωρεῖ, πιέζεται), & quamlibet vexationem Chriſtiani dixere, preſſuram. & in veteribus Gloſſis, θλᾶσμα dicitur, fames. eòque ſenſu dixit Tertullianus Compreſſatum Gloſſæ: θλίβω, tribulo, preſſo. Preſſuram Aſiaticam Pauli dixit Tertullianus. & aliæ veteres Gloſſæ, preſſationem, ἀγγαρείαν. *Idem.*

d Si fratres pro dilectione sva cvpidi svnt ad conveniendvm et visitandvm confessores.) Ad huiuſmodi officia pietatis, ſiebant tunc temporis Chriſtianorum proceſſiones. Viſitabant fratres ob confeſſionem nominis Chriſti in carcerem coniectos, aut per ægritudinem retentos in tuguriis, aut ex cauſſa Chriſti quauis alia neceſſitate miſeriave afflictos. Tertullian. lib. II. de Cultu Fem. Vobis autem nulla procedendi cauſſa non tetrica. Aut imbecillus aliquis ex fratribus viſitatur, aut ſacrificium offertur, aut Dei ſermo adminiſtratur. Quiduis horum grauitatis & ſanctitatis negotium eſt. Et lib. ad Vxor. II. Viſitandorum fratrum gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire. Summa igitur erat illis cura, vt modeſto cultu inceſſuque proceſſiones iſtæ fierent. ideòque idem Tertull. proceſſiones modeſtas dixit, libro de Præſcript. Sed hæc, quamuis ſancta Chriſtianæ religionis officia pro ſimplicitate fratrum, malis interdum fratribus, jam non Chriſtianis, ad fraudes & impoſturas occaſionem præbebant vnde illa ſanè pudenda quæ Pſychicis ſuis idem auctor objicit libro de Iejuniis, vti & alia quædam notauimus. *Idem.*

e Dvm insatiabiles mvltvm volvmvs.] Benè ac ſapienter Cyprianus in illo ſeceſſu proſpicit, ne quid à ſuis inconſiderato religionis calore ac zelo turbaretur aduerſus ſeculi poteſtates, quod eas meritò exaſperaret, aut populi furorem commoueret. Nam haud rarò peccari ſciebat à fratribus aduerſus patientiam à Chriſto monſtratam, ab Apoſtolis traditam, à Conciliis commendatiſſimam. Nonnuli per amorem Chriſtiani nominis præcipites ruebant in pericula, & gratuita martyrii patiendi cupidine temerè cuncta miſcebant, vnde violata pace, non ſibi tantùm, verùm & ſuis & Eccleſiæ proceribus perniciem creabant: adeòque non ſapiebant ad ſerpentium ethnicorum prudentiam, nec erant ad columbæ Chriſtianæ ſimplicitatem manſueti ac mites: non poſſidebant animas ſuas in patientia ſua. Etenim poſſidere animam ſuam in patientia dicitur, qui cautè ac prouidè aduerſa ſuſtinet, neque ſe morti temerarius objicit, ſed in ipſa moriendi prò Chriſto neceſſitate mortem obit intrepidus. Cùm itaque eſſent inter Chriſtianos adeò crudi & projectæ audaciæ martyres, vt non requiſiti, non interrogati, non compulſi Romanum militem laceſſerent ac proritarent, hos tamquam perditos ac furioſos Eccleſia ſepoſuit, nec vindicauit pro veris teſtibus Chriſti. Nimirum, circa hæc facinora mitior fuit magiſtro ſuo Cyprianus. Etenim ille nec militi coronam ad donatiuum prodeunti cum ceteris commilitonibus laureatis, nec latebras aduerſus Centuriones & ſatellites edicta Cæſarum exequentes triſtiſſimè fugientibus indulget. Et variæ quidem cauſæ pro ſuis figuris varias admittunt rationes. Hoc certè quod atrox factio concipit, quod manu perficitur, etiam Tertulliano diſplicuit, qui exarmato Petro omnem Chriſtianum etiam in cauſa Chriſti, diſcinxit. Quid abominatius idololatria? Et tamen Chriſtianos ethnicorum imperio ſubditos aduerſus edicta Principum idola frangere, templa deſtruere Patres Eliberitani vetant: Si quis idola fregerit & ibidem fuerit occiſus, quia in Euangelio non eſt ſcriptum, neque inuenitur ab Apoſtolis vnquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum. Eſt inter ſermones Auguſtini, nuper à doctiſſimo viro Iac. Sir-

mus, totum perdamus. Conſulite ergo & prouidete, vt cum temperamento hoc agi tutiùs poſſit: ita vt presbyteri quoque, qui illic apud confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis diaconus per vices alternent: quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo conuenientium minuit inuidiam. Circa omnia enim mites & humiles, [a] vt ſeruis Dei congruit, temporibus ſeruire, & quieti proſpicere, & plebi prouidere debemus. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem vniuerſam ſalutate. Salutant vos Victor diaconus, & qui mecum ſunt. Valete.

CY-

mondo editos, ſermo. VI. vbi agitur de idolis quæ tum adhuc Carthagini cernebantur. Cùm nulla jam Romæ extarent, Carthagine nondum omnino Chriſtiana, ſed Chriſtianis pace gaudentibus, & ſanctiſſimæ religionis officia ſub Epiſcopo ſuo tractantibus, Ethnicis quietis, plebs Chriſtiana derepente acclamauerat, Quomodo Roma, ſic & Carthago. Conuicio permotus Epiſcopus Carthaginis, & fortean veritus nequid Ethnici hoc impetu prouocati aduerſus Chriſtianos ſæuirent, plebem ſuam quibus potuit rationibus compeſcuit, rogauitque Auguſtinum, tum fortè Carthagini degentem, vt ad eos ſermonem haberet, rogatu collegæ. Auguſtinus hunc habuit ſermonem: Habetis in nomine Dei paſtores, ſeruos paſtores & membra paſtores multitudinis. Animus veſter & voluntas ad aliquam rem faciendam iſtis vocibus poterit apparere. Paucorum autem cura pro vobis, non vocibus, ſed rebus debuit oſtendi. Itaque, fratres, quoniam jam quod ad vos pertinebat impleſtis acclamando, ſinite vt probetur vobis verum & quod ad nos pertinet impleamus. Abſit à nobis vt vos inueniamini probi & nos reprobi. Sed quoniam voluntas agendi de iis quibus acclamaſtis vna eſt & veſtra & noſtra, modus verò agendi par eſſe non poteſt. Et poſt aliqua. Itaque & congratulamur caritati veſtræ, quia ſancto Domino & collegæ noſtro Epiſcopo veſtro obediſtis in eo quod vobis manè locutus eſt, hoc ſequimini, ab iſto non recedatis, ne cadatis. Poſt hæc verba, tangit potiùs quàm narrat Auguſtinus hiſtoriam rei, vt videtur, proximè cùm ſermonem huncce habuit, geſtæ adeòque tam ſuorum Carthaginienſium vulgò notiſſimæ, quàm nobis hodie ignoratæ: cùm nemo alius ſcriptor extet, qui mentionem eius faciat, vnde ſi rem ipſam ad hypotheſim examinare velimus, fingenda nobis ea ſit, quàm fieri ad Auguſtini verba poterit, accommodatè. Proconſuli fortè aut Vicario Carthaginem regenti adſidebat iudex iam Chriſtianus, vel certè ab Chriſti ſecta non alienus. Sub initium ſui magiſtratus, ſacra quædam de more celebranda, prouincialium nonnulli ſuggeſſerant. quæ ſuggeſtio, parum ad ſacrorum originem cauſſamque aduertenti ſic obrepſerat, vt ludos & munera neſcio quæ celebrari flagitantibus adnueret. Ea verò fieri ad Herculis ſtatuam ſolebant aurea barba fulgentem. Intereà dum adueniret dies, judex de idololatriæ ritu certior factus, vt quod incautiùs permiſerat, emendaret, hoc ſibi conſilii cepit: vt ſcilicet Chriſtianorum aliquis illi ſuperſtitioni miſceretur, qui aliis aliud agentibus ad ſtatuam accederet, barbamque Herculi raderet, vnde idolo ſimul & idoli cultoribus dedecus & ignominia crearetur. Ait igitur Auguſtinus, Chriſtianum eo judicis facto, minimè inclinatum fuiſſe ad obſequendum ſuperſtitioni: ſed potiùs commotum impulſumque ad confutandam ſuperſtitioſi ritus inſaniam. Sic enim factum fuiſſe amplius, quàm ſi ſtatuæ caput ademptum aut dejectum fuiſſet. Puto, inquit, ignominioſius fuiſſe Herculi barbam radi, quàm caput præcidi. Denique ab idolis & templis ethnicorum ſumpta videtur ratio, quæ Auitum Viennenſium epiſcopum mouit, cùm Epaonenſi Concilio præeſſet, vt hæreticorum oratoria nec occupanda Catholicis, nec deſtruenda eſſe diceret & canone illius Concilii trigeſimo tertiò ſanciret. Sic enim ad Epiſt. VI. ad Victorem ſcribit: Et dices forſitan hæreticos, ſi eis poteſtas detur, altaria noſtra temerare. verum eſt. nec refello. Sæuiunt quidem cùm poſſunt fœdis vnguibus alienarum ædium peruaſores. Sed vim intentare, loca peruadere, altaria commutare, non pertinet ad columbam. Verùm, de commutandis, atque ad Catholici cultus obſeruationem reformandis ethnicorum & hæreticorum oratoriis ac templis, ſiue baſilicis, aliter ſenſere ſequentium ætatum epiſcopi. Immo Libanius ipſe oratione ad Theodoſium M. Imp. diruenda non eſſe clamitat, quæ ſit ciuilius atque vtilius in alios vſus transferre, τί γὰρ δεῖ διαφθείρειν, ἃ τὴν χρείαν ἔτι μεταποιοῦσι; *Idem.*

a VT SERVIS DEI CONGRVIT, TEMPORIBVS SERVIRE.] Paulinum præceptum innuit, ex ea quæ ad Romanos, jampridem, vt ex Origenis commentario diſcere eſt, duplicitate lectionis ambiguum. Nam in quibuſdam exemplaribus Græcis legitur, καιρῷ δουλεύοντες, in aliis Κυρίῳ δουλεύοντες. Scripturam vtramque Cyprianus prudentiſſimè conciliat, vt Chriſtianus ſeruiat tempori, ſicut ſeruo. *Idem.*

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIS fratribus S.

ARGVMENTVM.

Eiuſdem penè argumenti eſt cum præcedenti, præterquam quod Confeſſores quoque ſui officij vult admoneri à clero, vt humilitati dent operam, & Presbyteris ac Diaconis morem gerant: obiter etiam ſeceſſus ſui cauſam reddit.

V. OPTAVERAM quidem, fratres chariſſimi, vt vniuerſum Clerum noſtrum integrum & incolumem meis litteris ſalutarem: ſed quoniam [a] infeſta tempeſtas, quæ plebem noſtram ex maxima parte proſtrauit, hunc quoque addidit noſtris doloribus cumulum, vt etiam Cleri portionem ſua ſtrage perſtringeret: oramus Dominum, vt vos ſaltem, [b] quos & in fide, & in virtute [c] ſtare cognouimus, tutos quoque in poſterum per diuinam miſericordiam ſalutemus. Et quamquam cauſa compelleret, vt ipſe ad vos properare & venire deberem: primò cupiditate & deſiderio veſtri, quæ res in votis meis ſumma eſt, tum deinde vt [d] ea quæ circa Eccleſiæ gubernaculum vtilitas communis expoſcit, tractare ſimul & plurimorum conſilio examinata [e] limare poſſemus: tamen potiùs viſum eſt adhuc interim latebram

a INFESTA TEMPESTAS.] Decio imperante jam tum ſeptima perſecutione in Chriſtianos ſæuitum. Sulp. Seuerus. RIG.

b QVOS ET IN FIDE ET IN VIRTVTE STARE COGNOVIMVS.] Non defeciſſe à fide Chriſto dicta, neque de Eccleſiæ diſciplina. Seruaſſe fidem rectam, & mores ſinceros. *Idem.*

c STARE.] Stantes, hoc eſt Fideles, opponuntur Lapſis, ἀποστάταις. Auitus, Epiſtola xxxi. Apoſtatas nuncupat, à ſtandi firmitate deciduos. *Idem.*

d EA QVÆ CIRCA ECCLESIAE GVBERNACVLVM.] Erat tunc præcipua quæſtio de lapſis ad Eccleſiam recipiendis. Et in hac diſciplinæ parte Eccleſiæ Rom. præpoſiti laxiores & molliores fuiſſe videntur. Occurrunt exempla ſequentibus Epiſtolis. *Idem.*

e LIMARE POSSEMVS.] Gloſſæ veteres: Limat, ἑνίζει, ζυγοῖ. Phædrus: Si mendacium ſubtiliter limaſſet à radicibus, Non euertiſſet ſcelere funeſto domum. *Idem.*

bram & quietem tenere, reſpectu vtilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium noſtrûm pertinent & ſalutem, quarum vobis à [a] Tertullo fratre noſtro chariſſimo ratio reddetur: qui [b] pro cætera ſua cura, quam impendens diuinis operibus impertit, etiam huius conſilij auctor fuit, vt cautus & moderatus exiſterem, nec me in conſpectum publicum [c] & maximè eius loci, vbi totiens flagitatus & quæſitus fuiſſem, temerè committerem. Fretus ergo & dilectione & religione veſtra, quam ſatis noui, his litteris & hortor & mando: vt vos quorum minimè illic inuidioſa & non adeò periculoſa præſentia eſt, vice mea fungamini circa gerenda ea, quæ adminiſtratio religioſa depoſcit. Habeatur interim quantum poteſt & quo modo poteſt pauperum cura: ſed qui tamen inconcuſſa fide ſtantes gregem Chriſti non reliquerunt: vt his ad tolerandam penuriam ſumptus per veſtram diligentiam ſuggeratur, [d] ne quod circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Confeſſoribus etiam glorioſis imperciatur cura propenſior. Et quamquàm ſciam plurimos ex his fratrum voto & dilectione ſuſceptos: tamen ſi qui ſunt, qui vel veſtitu, vel ſumptu indigeant, ſicut etiam pridem vobis ſcripſeram, cùm adhuc eſſent in carcere conſtituti, ſubminiſtrentur eis quæcumque ſunt neceſſaria, modo vt ſciant ex vobis & inſtruantur & [e] diſcant, quid ſecundum ſcripturarum magiſterium Eccleſiaſtica diſciplina depoſcat; humiles & modeſtos & quietos eſſe debere, vt honorem ſui nominis ſeruent, & qui glorioſi voce fuerint, ſint & moribus glorioſi: faciunt ſe dignos, vt in omnibus Dominum promerentes, ad cœleſtem coronam laudis ſuæ conſummatione perueniant: plus enim ſupereſt, quàm quod tranſactum videtur, cùm ſcriptum ſit: [f] Ante mortem ne laudes hominem quemdam. Et iterùm: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et Dominus quoque dicat: Qui tolerauerit vſque ad finem, hic ſaluabitur. Imitentur Dominum, qui ſub ipſo tempore paſſionis non ſuperbior, ſed humilior fuit. Tunc enim Apoſtolorum ſuorum pedes lauit dicens: Si ego laui pedes veſtros magiſter & Dominus, & vos debetis aliorum pedes lauare. Exemplum enim dedi vobis, vt ſicut ego feci, & vos faciatis. Item Pauli Apoſtoli documenta ſectentur; qui poſt carcerem ſæpe repetitum, poſt flagella, poſt beſtias, circa omnia mitis & humilis perſeuerauit, nec poſt tertium cœlum & paradiſum quidquam ſibi inſolenter aſſumpſit, dicens: Neque gratis panem manducauimus ab aliquo veſtrûm, ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus. Hæc ſingula oro vos inſinuate fratribus noſtris. Et qua is exaltabitur, qui ſe humiliauerit; nunc eſt vt magis inſidiantem aduerſarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipſo quo victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur. Dominus faciat, vt & ego iterùm illos maturè videre, & ſalutari exhortatione componere mentes eorum ad ſeruandam gloriam ſuam poſſim. Doleo enim quando audio quoſdam improbè & inſolenter diſcurrere, & [g] ad ineptias vel ad diſcordias vacare: Chriſti membra & iam Chriſtum confeſſa, [h] per concubitus illicitos inquinare; nec à diaconis aut preſbyteris regi poſſe, ſed id agere, vt per paucorum prauos, & malos mores, multorum & bonorum confeſſorum gloria honeſta maculetur: quos vereri debent, ne ipſorum teſtimonio & iudicio condemnati, ab eorum ſocietate priuentur. Is enim demum confeſſor illuſtris & verus eſt, de quo poſtmodum non erubeſcit Eccleſia, ſed gloriatur. Ad id verò quod ſcripſerunt mihi [i] compreſbyteri noſtri Donatus & Fortunatus, Nouatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui;

a Tertullo.] Vid. Epiſt. xxvi. & Epiſt. ad Pompeium. *Idem.*

b Pro cetera cura sva.] Rectam eſſe hanc ſcripturam confirmant ea quæ ſequuntur, Etiam huius conſilij auctor fuit. *Idem.*

c Et maxime eivs loci, vbi totiens flagitatvs.] Hæc verba, & quæ proximè ſequuntur, *Vos, quorum minimè illic inuidioſa, & non adeo periculoſa præſentia*, cauſas continent ſeceſſus Cypriani: quæ parum certè probabiles videntur Clericis Eccleſiæ Romanæ, ſuprà. Videnda etiam eſt Epiſt. xiv. *Idem.*

d Ne qvid circa fidem.] Codex Corbeïenſis, circa fidentes, hoc eſt fideles. & quadrat illi quod ſtatim apponitur, circa laborantes. *Idem*

e Discant qvid secvndvm scriptvrarvm magisterivm Ecclesiastica disciplina deposcit.] Inculcat quod jam monuit Epiſtola præcedenti, vt qui jam confeſſionis titulo gloriantur, ſint nihilominus humiles, modeſti, quieti, ne ſuperbia ſua prouocent aduerſum ſe ethnicorum ſæuitiem, tanquam aduerſus rebelles & contumaces, & ſic nomini Chriſtiano inuidiam faciant. Curæ autem pretium fuerit, ſemel hîc obſeruare, Cæcilium noſtrum iſtis Epiſtolis hoc præſertim contendere, vt populum faciat quietum, ac probè Chriſtianum. Sciebat enim pleroſque proterua Chriſtiani nominis jactatione importunos, ipſas etiam ſeculi poteſtates, ac perſæpè aliud agentes, toties concitaſſe, vt neceſſe habuerint publicæ quietis perturbatores pœnis ſupra modum exacerbatis crudeliſſimè coërcere, quæ res magnum fidei Chriſtianæ dedecus attulerat. Hoc item ſciebat, in Eccleſia ſua complures eſſe lauacri ſalutaris fiducia nimium ſecuros, diſciplinæ totiuſque fraternitatis immemores, lucri cupidos, ambitioni ſtudentes, factioſos, luxuriæ deditos, ſuperba conuerſatione ſibi placentes, omnibus diſplicentes, ſolo denique nomine Chriſtianos. Ait igitur Cyprianus hos mores tantorum cauſas eſſe luctuum, quibus Eccleſia protrita diſperditur. At quid hîc miramur in duorum jam ſeculorum Eccleſia, qui & pejora Corinthiis ſuis Paulum exprobraſſe toties audimus aut legimus? *Idem.*

f Ante mortem ne lavdes hom. qvemqvam.] Iuuenalis -- dicique beatus Ante obitum nemo ſupremaque funera debet Hanc ſententiam Sophocles jam ætate ſua παλαιὸν λόγον eſſe ait *Idem*

g Ad ineptias et discordias.] Cauet Cyprianus Confeſſoribus iſtis, quemadmodum Septimius benedictis illis ad martyrium deſignatis, quos in ipſo carcere à diabolo tentatos fuiſſe dicit vilibus ſcidiis, adfectionibus, aut inter ſe diſſenſionibus. quæ ſanè multa mala dederunt reipublicæ Chriſtianæ Ineptias hîc dicit quæ Tertullianus viles ſcidas, aut vilia ſcidia. Rig.

h Per concvbitvs illicitos inqvinare.] Hac de re fuſiùs epiſt. ſeq *Idem.*

i Ad id vero qvod scripservnt mihi compresbyteri nostri.] De lapſis videlicet ad pœnitentiam recipiendis. *Idem.*

i Compresbyteri nostri. ex vſu Eccleſiæ in qua Epiſcopi preſbyteros ita nuncupabant συμπρεσβυτέρους quod ideò non probo quoniam notiſſimum. Ad Tertullia-

potui; quando à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, [a] nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea priuatim ſententia gerere; ſed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel geſta ſunt, vel gerenda, [b] ſicut honor mutuus poſcit, in commune tractabimus. [Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere, & mei meminiſſe: fraternitatem, quæ vobiſcum eſt, multum à me ſalutato: & vt noſtri meminerit admonete.] Valete.

CY-

num quædam obiter notauimus in hanc rem, majora daturi aliquando. PRIOR.

a NIHIL SINE CONSILIO VESTRO ET CONSENSV PLEBIS.) Hoc eſt cum tota Eccleſia, ſicut Apoſtoli fecerant, prima illa Synodo, quæ deſcribitur in Act. xv. xv. Tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia. Ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ad eum verò locum præclarè Chryſoſtomus: ὥστε δόξαι ὅτι πνευματικῶς, ὅτι πᾶσι ταῦτα δοκεῖ. & paulò pòſt: οὕτως οὐδὲν τυραννικὸν ἦν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Sic ipſimet Romani infrà Epiſt. 31. pag. 49. Collatione conſiliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſſoribus pariter ac ſtantibus laicis. RIG.

b SICVT HONOR MVTVVS POSCIT, IN COMMVNE TRACTABIMVS.) Communi conſilio, Epiſt. xxiv. & Epiſt. xxxi. Quando conuenire in vnum permittente Domino cœperimus. *Idem.*

SOLVS RESCRIBERE NIHIL POTVI.) Sic infrà Epiſt. 27 rei non potui me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc de cætu abſentes ſint &c. pag. 44. & Epiſt xxiv. Nihil ergo à me abſente vobis factum eſt. Et Epiſt. xxxiii. De ceteris quæ agenda erunt, ſicut & collegis meis plurimis ſcripſi, pleniùs conſilio communi tractabimus. Et Epiſt. xxxiii. In ordinationibus clericis ſolemus vos conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare. Hieronymus in Epiſt. ad Titum, cap. I. Antequam diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi conſilio eccleſiæ gubernabantur, &c. *Idem.*

CYPRIANVS ROGATIANO PRESBYTERO ET CÆTERIS confeſſoribus fratribus ſalutem.

ARGVMENTVM.

Rogatianum & cæteros confeſſores exhortatur ad diſciplinam obſeruandam, ne qui Chriſtum voce confeſſi fuerant, moribus abnegare viderentur: obiter increpans quoſdam eorum, qui extorres facti ob fidem; in patriam tamen iniuſſi reuerti non verebantur.

VI. ET iampridem vobis, fratres chariſſimi ac fortiſſimi, litteras miſeram, quibus fidei & virtuti veſtræ verbis exultantibus gratularer, & nunc non aliud in primis vox noſtra complectitur, quàm vt læto animo, frequenter ac ſemper gloriam veſtri nominis prædicemus. quid enim vel maius in votis meis poteſt eſſe, vel melius, quàm cum video confeſſionis veſtræ honore inluminatum gregem Chriſti? nam cum gaudere in hoc omnes fratres oportet, tum in gaudio communi maior eſt Epiſcopi portio. [a] Eccleſiæ enim gloria, præpoſiti gloria eſt. Quantum dolemus ex illis, quos tempeſtas inimica proſtrauit; tantum lætamur ex vobis, quos diabolus ſuperare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris noſtri veram circa vos & ſimplicem charitatem, vt qui aduerſarium prima hac congreſſione viciſtis, gloriam veſtram forti & perſeueranti virtute teneatis. Adhuc in ſæculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, [b] de vita noſtra quotidie dimicamus; danda opera eſt, vt poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod iam rudimentis fœlicibus eſſe cœpiſtis. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt quod adeptus es poſſe ſeruare. ſicut & [c] fides ipſa & natiuitas ſalutaris non accepta, ſed cuſtodita viuificat. Nec ſtatim conſecutio, ſed conſummatio hominem Deo ſeruat. Dominus hoc magiſterio ſuo docuit dicens: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, [d] ne quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & confeſſori ſuo dicere: Ecce confeſſor factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique, & Saul, & cæteri multi quamdiu in viis Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab iis diſciplina Dominica, receſſit & gratia. Perſeuerandum nobis eſt in arcto & in anguſto itinere laudis & gloriæ: & cum quies & humilitas, & bonorum morum tranquillitas Chriſtianis omnibus congruat, ſecundum Domini vocem, qui neminem alium reſpicit, niſi humilem & quietum, & trementem ſermones ſuos; tum magis hoc obſeruare & implere vos confeſſores oportet, qui exemplum facti eſtis cæteris fratribus, ad quorum mores

om-

a ECCLESIAE ENIM GLORIA &c. liber N. F. præpoſiti honor eſt RIG.

b DE VITA NOSTRA QVOTIDIE DIMICAMVS.) Intelligit vitam æternam. vt infrà pag. 16 Diſciplinæ & vitæ ipſi omnium noſtrûm conuenit. *Idem.*

b DE VITA NOSTRA QVOTIDIE DIMICAMVS. Hoc eſt morti quotidiè obiicimur vnde Tertullianus lib. de Spectaculis cap. I expeditum morti genus, vocat Chriſtianos. & ſi quid inauguratum & impertritum contingeret, Chriſtiani ſtatim leonibus exponebantur. De quo Tertullianus apolog. 40. ſimiliter Euſebius in martyrio S. Polycarpi Πολυκάρπῳ λέοντα PRI.

c FIDES ET NATIVITAS ACCEPTA acceptam fidem, dicit, & acceptam natiuitatem, pro ſuſcepta fide Chriſtana, & ſuſcepto baptiſmo. ſic & amiſſum baptiſmum dixit Tertullianus lib. de Bapt & in antiquis inſcriptionibus de ſacris magnæ Matris; *Taurobolium accepit & percepit*, & *taurobolium fecit*, & alicubi etiam *Tauroboliatus eſt.* quemadmodum autem accipere ſacra dicebant, ſic & tradere: lapides antiqui. TRADIDERVNT LEONTICA. TRADIDERVNT CORACICA. TRADIDERVNT PATRICA. RIG.

d NE QVID TIBI DETERIVS FIAT.) Ne ſiant nouiſſima illius pejora prioribus, vt habetur Lucæ xi. 26 *Idem*

omnium vita & actus debeat prouocari. Nam ſicut Iudæi à Deo alienati ſunt propter quos nomen Dei blaſphematur in gentibus: ita contrà Deo chari ſunt, per quorum diſciplinam nomen Domini laudabili teſtimonio prædicatur; ſicut ſcriptum eſt Domino præmonente & dicente: Luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & clarificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Et Paulus Apoſtolus dicit. [a] Lucete ſicut luminaria in mundo. Et Petrus ſimiliter hortatur: Sicut hoſpites, inquit, & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem habentes inter gentiles bonam, [b] vt dum retractant de vobis; [c] quaſi de malignis, bona opera veſtra aſpicientes magnificent Dominum. Quod quidem maxima pars veſtrûm cum meo gaudio curat, & confeſſionis ipſius honore melior facta, tranquillis & bonis moribus gloriam ſuam cuſtodit & ſeruat; ſed quoſdam audio inficere numerum veſtrum, & laudem præcipui nominis praua ſua conuerſatione deſtruere: quos etiam vosipſi, vtpote amatores, & conſeruatores laudis veſtræ, obiurgare & comprimere & emendare debetis. Cum quanto enim nominis veſtri pudore delinquitur, [d] quando alius ab aquis temulentus & [e] laſciuiens demoratur: alius in eam patriam, vnde [f] extorris factus eſt regreditur, vt deprehenſus [g] non quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat? Inflari aliquos, & tumere audio; cùm ſcriptum ſit: Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Dominus noſter ſicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Non ſum, inquit, contumax, neque contradico. Dorſum meum poſui ad flagella, & [h] maxillas meas ad palmas. Faciem autem meam non auerti à fœditate ſputorum. Et quiſquam per ipſum nunc, atque in ipſo viuens, extollere ſe audet & ſuperbire, immemor & factorum quæ ille geſſit, & mandatorum quæ nobis vel per ſe, vel per Apoſtolos ſuos tradidit? Quod ſi non eſt maior Domino ſuo ſeruus; qui Dominum ſequuntur humiles & quieti, & taciturni veſtigia eius imitentur. quantò quiſquis inferior fuerit, ſublimior fiat dicente Domino: Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus. Quid deinde illud? quàm vobis execrandum debet videri, quod cum ſummo animi noſtri gemitu & dolore cognouimus! Non deeſſe, qui Dei templa, & [i] poſt confeſſionem ſanctificata; & [k] illuſtrata membra turpi & infami concubitu ſuo plus maculent, [l] cubilia ſua cum fœminis promiſca iungentes: quando & ſi ſtuprum conſcientiæ eorum deſit, hoc ipſo grande crimen eſt, quod illorum ſcandalo in aliorum ruinas exempla naſcuntur. Contentiones quoque & æmulationes inter vos nullas eſſe oportet, cùm pacem ſuam nobis dimiſerit Dominus, & ſcriptum ſit: Diliges proximum tuum tamquam te. Si autem mordetis & incuſatis inuicem: videte [m] ne conſumamini ab inuicem. A conuiciis etiam & maledictis, quæſo vos abſtinete: quia neque maledici regnum Dei conſequuntur, & lingua, quæ Chriſtum confeſſa eſt, incolumis & pura cum ſuo honore ſeruanda eſt. Nam qui pacifica, & bona, & iuſta ſecundum præceptum Chriſti loquitur, Chriſtum cotidie

a *Lucete ſicut luminaria.* locus eſt Philipp. 2. vox græca φαίνεσθε ambigua eſt ad imperandi modum, quo hic Cyprianus vtitur, & Ambroſ. in comment. & ad indicandi, quo vulgatus interpres. PAM

b VT DVM RETRACTANT DE VOBIS.) Dum ethnici quæſtionem habent de vobis, dum anquirunt, dum examinant, dum obloquuntur: Petrus Epiſt 1. 2. ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν. Vulgata verſio, detrectant. Gloſſæ veteres, Detrectare, λοιδορεῖν. Detrectat, ἀπωθεῖ. RIG.

c QVASI DE MALIGNIS.) Petrus: ὡς κακοποιῶν. *Idem.*

d QVANDO ALIVS AB AQVIS TEMVLENTVS.) Omnes antehac editiones, Quando alius aliquis, vel, Quando vnus aliquis temulentus. Hactenus igitur mendoſiſſima ſcriptura præclarum Cypriani ſenſum corrupit Cum quanto, inquit, nominis veſtri pudore delinquitur, quando aliquis ab aquis temulentus & laſciuiens demoratur? Ab aquis, id eſt, à baptiſmo Qui nomen Chriſto dedit, qui in nomen Chriſti tinctus ſiue baptiſatus eſt, hoc ſacramento obligat ſeſe futurum hominem frugi ac temperantem. Subinde igitur, ſi temulentus, ſi nequam apparet, magnum dedecus & probrum religioni ſuæ objicit nam cùm temulentus à temeto dicatur. temetum autem aquis diluatur, iſte contra naturam ab aquis exiſtit temulentus, à lauacro laſciuus & turpis. Renunciauit Satanæ, & in Satanæ caſtra reuertitur. vnde extorris factus eſt regreditur. *Idem.*

e LASCIVIENS DEMORATVR.) Permanet, eôque ſenſu apud Tertullianum haud ſemel. In quibuſdam Cypriani exemplaribus, denotatur *Idem.*

f *Vnde extorris factus &c.* Vides expreſſis verbis in extorres obiurgationem tendere; alludit autem, ad illud 1. Petr. 2. Quæ eſt enim gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? vt potè ſignificant illos, qui iniuſſi ab exilio reuerſi eſſent, iam occidi, non vt Chriſtianos, ſed vt nocentes. PAM.

g NON IAM QVASI CHRISTIANVS.) Ob cauſam quidem Chriſti in exilium pulſus, ſed in exilio tam improbè conuerſatus, vt poſt reditum ob perpetrata ſcelera ſit condemnatus à judice, jam non vt Chriſtianus, ſed vt nocens. Excludimur enim, inquit Septimius in Apologetico, pag. 4 de nomine Chriſtiani, ſi facimus quæ faciunt non Chriſtiani. Idem, pag. 19. De veſtris ſemper munerarii noxiorum greges paſcunt. nemo illic Chriſtianus, niſi hoc tantùm aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus. RIG.

h MAXILLAS MEAS AD PALMAS.) Septuaginta, τὰς δὲ σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα. Gloſſæ veteres, ῥαπίζω, expalmo, alapo. Verſio vetus alio ſenſu, *Genas meas dedi vellentibus.* Palmare, palmam apprimere; vnde titulus Declamationis Quintil. Paries palmatus, impreſſa parieti palma cruenti alicujus ſicarii homicidæ. *Idem.*

i POST CONFESSIONEM SANCTIFICATA ET ILLVSTRATA MEMBRA.) Sic in præcedenti epiſtola dixit: Chriſti membra, & jam Chriſtum confeſſa. De iis ſcilicet qui à præſide vel proconſule interrogati glorioſum nomen Confeſſorum adepti erant. quod acciderat nonnullis etiam adhuc catechumenis, qui poſt hujuſcemodi confeſſionem baptizati, ſubinde Chriſtianam diſciplinam indiligentiùs ſeruauerant. Ergo in Confeſſorum genere erant boni de quibus Epiſt. IV. *Cupidi ſunt ad conueniendum & viſitandum Confeſſores bonos, quos illuſtrauit tam glorioſis initiis diuina dignatio.* Erant & praui, de quibus hic. Non deeſſe ait qui Dei templa, & poſt confeſſionem ſanctificata & illuſtrata membra, turpi & infami concubitu ſuo plus maculent. *Idem.*

k ILLVSTRATA MEMBRA.) φωτισθέντα. Illuſtrata baptiſmo, Luſtralibus aquis. *Idem.*

l CVBILIA PROMISCA.) Sic legitur in cod. Thuani *Idem.*

m NE CONSVMAMINI AB INVICEM) ὑπ' ἀλλήλων. Sic autem legitur in Corbeienſi. *Idem.*

tidie confitetur. Sæculo renunciaueramus cùm baptizati ſumus: ſed nunc verè renunciauimus ſæculo, quando tentati, & probati à Deo noſtra omnia relinquentes, Dominum ſecuti ſumus, & fide ac timore eius ſtamus & viuimus. Corroboremus nos exhortationibus mutuis, & magis ac magis proficiamus in Domino: vt cùm pro ſua miſericordia [a] pacem fecerit, quam ſe facturum repromittit, noui & penè mutati ad Eccleſiam reuertamur, & [b] excipiant nos ſiue fratres noſtri, ſiue gentiles, circa omnia correctos, atque in melius reformatos; & qui admirati fuerant priùs in virtutibus gloriam, nunc admirentur [c] in moribus diſciplinam. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

a PACEM DOMINVS FECERIT, QVAM SE FACTVRVM REPROMITTIT.) Habes ipſa verba dicta Cypriano per viſum, infrà Epiſt VII. pag 17. Dic illi, ſecurus ſit, quia pax ventura eſt. RIG.

b EXCIPIANT NOS FRATRES SIVE GENTILES CIRCA OMNIA CORRECTOS.) Probos, quietos, ſobrios, prudentes *Idem.*

c IN MORIBVS DISCIPLINAM.) Poſt hæc verba, in codice Remenſi leguntur iſta: *Et quamquam Clero noſtro, & nuper cùm adhuc eſſetis in carcere conſtituti, ſed nunc, quique denuo pleniſſime ſcripſerim, vt ſi quid vel ad veſtitum veſtrum, vel ad victum, neceſſarium fuerit, ſuggeratur: tamen etiam ipſe de ſumpticulis propriis, quos mecum ferebam, miſi vobis CCL. ſed & alia CCL. proximè miſeram. Victor quoque ex Lectore Diaconus qui mecum eſt, miſit vobis CDXXV. Gaudeo autem quando cognoſco plurimos fratres noſtros pro ſua dilectione certatim concurrere, & neceſſitates veſtras ſuis conlationibus adiuuare. Opto vos, &c.* Quod auctarium tantò majoris eſſe pretii debet, quantò nobis apertius exemplum ſuggerit Cæcilianæ caritatis erga fratres. Nam in aliis quidem epiſtolis habemus ipſum de propria quidem quantitate liberalem, hîc verò etiam de ſumpticulis ſuis, quos ſecum ad neceſſitates ſuas ferebat, vt jam intelligamus, etiam de neceſſariis ſuis, fratrum neceſſitates ſubleuaſſe. Etenim ipſe ſibi neceſſaria ſumptibus ſuis degrauabat. Viatico autem leui nihil grauius. *Idem.*

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus Salutem.

ARGVMENTVM.

Eiuſdem penè eſt argumenti cum præcedentibus, præterquam quod hîc ad preces exhortetur aſſiduas.

VII. [a] QVAMQVAM ſciam, fratres chariſſimi, pro timore, quem ſinguli debemus Deo, vos quoq; illic aſſiduis orationibus & enixis precibus inſtanter incumbere; admoneo tamen & ipſe religionem veſtram, vt ad placandum atque exorandum Dominum non voce ſola, ſed & ieiuniis, & lacrymis, & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Intelligendum eſt enim & confitendum, preſſuræ iſtius tam turbidam vaſtitatem, quæ gregem noſtrum maxima ex parte populata eſt, & adhuc vſque populatur, ſecundum peccata noſtra veniſſe, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad ſalutem cæleſtia mandata ſeruamus. Fecit Dominus noſter voluntatem patris, & nos non facimus Domini voluntatem; patrimonio & lucro ſtudentes, ſuperbiam ſectantes, æmulationi & diſſenſioni vacantes, ſimplicitatis & fidei negligentes, [b] ſæculo verbis ſolis & non factis renunciantes, vnuſquiſque ſibi placentes, & omnibus diſplicentes. Vapulamus itaque vt meremur, cùm ſcriptum ſit: Seruus autem ille qui cognoſcit voluntatem Domini ſui, & non paruerit voluntati eius, vapulabit multis. Quas autem plagas, quæ verbera non meremur: [c] quando nec confeſſores, qui exemplo cæteris ad bonos mores eſſe debuerant, teneant diſciplinam? Itaque dum quoſdam inſolenter extollit confeſſionis ſuæ [d] tumida & inuerecunda iactatio, [e] tormenta venerunt, & [f] tormenta ſine fine tortoris, ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis; tormenta quæ ad coronam non facilè dimittant, ſed tamdiu torqueant, quamdiu deiciant; niſi ſi aliquis diuina dignatione ſubtractus inter ipſa cruciamenta profecerit, adeptus,

a QVAMQVAM SCIAM.] Auguſt. lib. IIII. de bap. contra Donatiſtas mentionem facit huius epiſtolæ cum hoc titulo, Ad clericos, de precando Deo. quem titulum agnoſcit tamquam Cypriani genuinum. & quaſi ad clericos verba faciens ſe quoque ipſum alloqueretur, transfigurans, inquit Auguſtinus, in ſe vt ſanctus Daniel peccata populi ſui. RIG.

b SECVLO VERBIS SOLIS ET NON FACTIS RENVNCIANTES.] Addit Auguſtinus ex Epiſt. Pauli ad Titum: Confitentur enim noſſe ſe Deum, factis autem negant. *Idem.*

c *Quando nec confeſſores.* Confeſſores hîc ſunt martyres, Nam *martyres deſignati* Tertulliani confeſſores quoque dicuntur. Liberius antequam iret in exilium, ſcribebat: *Vos acceptiſſimos Deo ſacerdotes egregia & ſingularis fidei, & hic probabiles Deo oſtendit, & iam ad futuram gloriam Martyres deſignauit.* Videatur Ioan. Chryſoſtomus in epiſt ad Epiſcopos & preſbyteros, ob impietatem in carcere incluſos, hos Martyres vocat, feliceſque prædicat ob carcerem & catenas. PRI.

d TVMIDA ET INVERECVNDA IACTATIO] τῦφος. In codice Corbeïenſi legitur, tumor & inuerecunda jactatio. RIG.

d TORMENTA VENERVNT.] In Corbeïenſi, In tormenta venerunt tormenta ſine fine tortoris, hoc eſt, tormenta per ſupergreſſum in ſupergreſſum longiſſima. quemadmodum contrario ſignificatu Paulus ad Corinth. II. vitam dixit per ſupergreſſum in ſupergreſſum æternam. καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον. *Idem.*

e *Tormenta venerunt & tormenta ſine fine tortoris.* Hinc patet quo tempore ſcripta ſit hæc epiſt. Nempè poſtquam tormenta venerunt, quomodo etiam epiſtola ſequens. PAMELIVS.

f TORMENTA SINE FINE TORTORIS, SINE EXITV DAMNATIONIS, SINE SOLATIO MORTIS.] Tertullianus ad Mart. Omne carnificis ingenium in tormentis: Ruffinus Verſione Hiſtoriæ Eccleſ. Euſebianæ libro VI. vbi de Origenis vexatione ſub Decio. Ita vt mille mortibus vexatus ſit, nec tamen vna ei quam exoptabat acciderer, perſecutore ſummo ſtudio id gerente vt nec interitus præſtaretur, nec pœna ceſſaret. Euſebius tantùm ſcripſerat, μηδαμῶς αὐτὸν ἀνελεῖν παντὶ σθένει τοῦ δικαστοῦ φιλονείκως ἐσπουδακότος. RIG.

a DICTVM

ptus gloriam non termino ſupplicij, ſed velocitate moriendi. Hæc patimur delicto & merito noſtro, ſicut præmonuit diuina cenſura, dicens: Si dereliquerint legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint; ſi iuſtificationes meas prophanauerint, & præcepta mea non obſeruauerint: viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Virgas igitur & flagella ſentimus, qui Deo nec bonis & factis placemus, nec pro peccatis ſatisfacimus. Rogemus de intimo corde & de tota mente miſericordiam Dei, quia & ipſe addidit dicens: Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Petamus: & ſi accipiendi mora & tarditas fuerit, quoniam grauiter offendimus, pulſemus; quia & pulſanti aperietur, ſi modò pulſent oſtium gemitus, lachrymæ noſtræ, quibus inſiſtere & immorari oportet, & ſi ſit vnanimis oratio. Nam quod magis ſuaſit & compulit, vt has ad vos litteras ſcriberem, ſcire debetis (ſicut Dominus oſtendere & reuelare dignatur) [a] dictum eſſe in viſione: Petite & impetratis. Tunc deinde præceptum plebi aſſiſtenti, [b] vt pro quibuſdam perſonis deſignatis ſibi peterent. In petendo autem fuiſſe diſſonas voces, & diſpares voluntates: & vehementer hoc diſplicuiſſe illi qui dixerat: Petite & impetratis, quod plebis inæqualitas diſcreparet, nec eſſet fratrum conſenſio vna & ſimplex & iuncta concordia; cùm ſcriptum ſit: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Et in Actis Apoſtolorum legamus: Turba autem eorum qui crediderant, anima, ac mente vna agebant: & Dominus ſua voce mandauerit, dicens: Hoc eſt mandatum meum, vt diligatis inuicem. Et iterùm: Dico autem vobis, quoniam ſi duo ex vobis conueneritis in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cælis eſt. Quod ſi duo vnanimes tantum poſſunt, quid ſi vnanimitas apud omnes eſſet? quid ſi [c] ſecundum pacem, quam nobis Dominus dedit, vniuerſis fratribus conueniret? Iampridem de diuina miſericordia impetraſſemus quod petimus, nec tamdiu in hoc ſalutis & fidei noſtræ periculo fluctuaremus. Imò verò nec veniſſent fratribus hæc mala, ſi [d] in vnum fraternitas fuiſſet animata. Nam & illud oſtenſum eſt, quod ſederet paterfamilias ſedente ſibi ad dexteram iuuene, qui iuuenis anxius & cum quadam indignatione ſubtriſtis, maxillam manu ſuſtinens, mœſto vultu ſedebat. Alius verò in ſiniſtra parte conſiſtens [e] rete portabat, quod ſe mittere, [f] vt circumſtantem populum caperet, minabatur: & cùm minaretur, quid hoc eſſet, ille qui vidit, dictum eſt ei: Iuuenem qui ad dexteram ſic ſederet, contriſtari & dolete quod præcepta ſua non obſeruarentur: illum verò in ſiniſtra exultare, quod ſibi daretur occaſio vt à patre-familias poteſtatem ſumeret ſæuiendi. Hoc priùs longè oſtenſum eſt, quàm tempeſtas vaſtitatis huius oriretur. Et vidimus impletum quod fuerat oſtenſum, vt dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata ſalutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet; minus armatos, & ad repugnandum minus cautos [g] iactu retis operiret. Oremus inſtanter, & aſſiduis precibus ingemiſcamus. Nam & hoc nobis nòn olim per viſionem, fratres chariſſimi, exprobratum ſciatis quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus; & Deus vtique qui quem corripit diligit; quando corripit, ad hoc corripit vt emendet, ad hoc emendat, vt ſeruet. Excutiamus itaque & abrumpamus ſomni vincula, & inſtanter ac vigilanter oremus: ſicut Paulus Apoſtolus præcipit dicens: Inſtate orationi vigilantes in ea. Nam & Apoſtoli orare diebus ac noctibus non deſtiterunt, & Dominus quoque ipſe diſciplinæ magiſter, & exempli noſtri via, frequenter & vigilanter orauit, ſicut in Euangelio legimus: Exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei: & vtique quod orabat, orabat ille pro nobis, cùm peccator ipſe non eſſet, ſed aliena peccata portaret. Adeò autem pro nobis ille deprecabatur,

a DICTVM EST IN VISIONE.] Viſionum exempla ſacri vtriuſque bibliothecæ codices, Moſaici ſcilicet & Chriſtiani, ſuggerunt. Nam & multa ſibi diuinitus reuelata patriarchæ narrant. narrant prophetæ. Vidit Petrus demiſſum ſibi de cœlo vas ingens. & vidit Paulus quæ nec auris vnquam audiuerat, nec viderat oculus. Dein Chriſtianæ patres Eccleſiæ pleraque ſibi in ſomnis ſignificata litteris mandauere. & viſionum teſtimonia Tertullianus citat non ſemel. Adeò in hac Deciana Chriſtiani populi vexatione Cyprianus rem facit Epiſcopo conuenientiſſimam, qui tempeſtate ſæuiente, vt peritus aſtrorum gubernator, cœlum contemplatur, & mandata ſibi de cœlo vectoribus ſuis inculcat, ſuadendi genere efficaſſimo, viſione oblata ſibi diuinitùs, negotio quod agitabat aptiſſiſſima Hanc verò viſionem in ſomnis contigiſſe declarabit Epiſtola IX. pag 12. vbi de Ecſtaſi. RIG.

b VT PRO QVIBVSDAM PERSONIS DESIGNATIS SIBI PETERENT.) Memoriam facti alicuius refricat de quorumdam lapſorum pœnitentia, circa quam diſſona fuerant fratrum ſuffragia *Idem.*

c SECVNDVM PACEM QVAM NOBIS DOMINVS DEDIT) Dixit Apoſtolis apud Ioannem, XIV 27. *Pacem meam do vobis non quomodo mundus dat ego do vobis.* dabunt enim pacem inter ſuos Apoſtolos mutuam. Ita ſenſit Chryſoſtomus, *ἐγὼ δὲ δίδωμι ταύτην, ὥστε μετ' ἀλλήλων εἰρηνεύειν, ὅπερ ὑμᾶς ἰσχυροτέρους ποιεῖ.* *Idem.*

d IN VNVM FRATERNITAS ANIMATA.) *ὁμοθυμαδόν.* *Idem.*

e RETE PORTABAT.) Hæc viſio diabolum exhibet in armatura retiarii, qui rete jaculo & tridente ſeu fuſcina pugnabat. *Idem.*

f VT CIRCVMSTANTEM POPVLVM CAPERET.) Aemulus Chriſti diabolus homines capit dolis & fraudibus. At Chriſtus ad piſcatores, Simonem & Andream, capiendis piſcibus intentos, Venite, inquit, faciam vos piſcatores hominum. & pro retibus & ſagena dedit eis mandata Dei Patris omnipotentis ad ſalutem æternam efficaciſſima, quibus illi præceptis ſiue mandatis, homines à diabolo in mortem deceptos, ad vitam reciperent. *Idem.*

g IACTV RETIS OPERIRET.) Retis ſuperfuſi iaculo *ἀμφιβλήστρῳ*, funda. Seruius ad illud Virg Georg. — *funda iam verberat amnem* Funda, inquit, genus eſt retis, dictum à fundendo, id eſt, iaculum, quod dicitur *βόλος.* Compoſito igitur retiario cum Thrace aut myrmillone aut ſecutore, ars certaminis erat, vt retiarius effuſum rete tanta agilitate contraheret, vt aduerſarium corriperet. Contractionem illam ſiue comprehenſionem Tertullianus ſpongiam dixit libro de Spectaculis, *Defixus in morſus vrſorum & ſpongias retiariorum.* vbi & aliquid obſeruauimus. *Idem.*

cabatur, vt legamus alio loco: Dixit autem Dominus ad Petrum: Ecce Satanas poſtulauit vt vos vexaret quo modo triticum? ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Quod ſi pro nobis ac pro delictis noſtris ille & laborabat & vigilabat & precabatur, quantò nos magis inſiſtere precibus & orare, & primò ipſum Dominum rogare, tum deinde per ipſum Deo patri ſatisfacere debemus? Habemus aduocatum & deprecatorem pro peccatis noſtris Ieſum Chriſtum Dominum & Deum noſtrum, ſi modò nos in præteritum peccaſſe pœniteat, & confitentes atque intelligentes delicta noſtra, quibus nunc Dominum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis eius, & præcepta eius metuere ſpondeamus. Pariter nos & corrigit & tuetur, ſtantes tamen in fide & preſſuris atque anguſtiis, & Chriſto eius firmiter adhærentes, ſicut ſcriptum eſt: Quis non ſeparabit à dilectione Chriſti? preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Nihil horum poteſt ſeparare credentes, nihil poteſt auellere corpori eius & ſanguini cohærentes. Perſecutio iſta examinatio eſt atque [a] exploratio pectoris: excuti nos Deus voluit & probari ſicut ſuos ſemper probauit: nec tamen in probationibus eius aliquando auxilium credentibus defuit. Denique ad minimum famulum ſuum, & in delictis licet plurimis conſtitutum, & dignatione eius indignum: tamen ille pro ſua circa nos bonitate mandare dignatus eſt: [b] Dic illi, inquit, ſecurus ſit, quia pax ventura eſt. Sed quod interim morula eſt, ſuperſunt adhuc aliqui qui probentur. Sed & de victu parco, & ſobrio potu, diuinis dignationibus admonemur; ſcilicet ne vigore cæleſti ſublime iam pectus illecebra ſæcularis eneruet, vel ne largioribus epulis mens grauata minùs ad preces orationis euigilet. Diſſimulare hæc ſingula & apud conſcientiam meam ſolus occultare non debui, quibus vnuſquiſque noſtrûm & inſtrui & regi poſſit. Nec ipſi vtique apud vos hanc Epiſtolam teneatis occultam, ſed legendam fratribus ſuggeratis. Intercipere enim quibus nos Dominus admonere & inſtruere dignatur, eius eſt qui admoneri & inſtrui fratrem ſuum nolit. Probari nos à Domino noſtro ſciant, nec vnquam à fide qua in eum ſemel redidimus, præſentis preſſuræ conflictatione deficiant. Delicta ſua ſinguli recognoſcentes, vel modò conuerſationem veteris hominis exponant: Nemo enim retrò attendens, & ſuperponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei. Denique & vxor Lot, quæ liberata contra præceptum retrò reſpexit, quod euaſerat perdidit. Attendamus non poſteriora, quò diabolus reuocat, ſed priora, quò Chriſtus vocat. Oculos erigamus ad cælum, ne oblectamentis & illecebris nos ſuis terra decipiat. Vnuſquiſque oret Deum non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fratribus, ſicut dominus orare nos docuit, vbi non ſingulis priuatam precem mandat, ſed oratione communi & concordi prece pro omnibus iuſſit orare. Si nos Dominus humiles & quietos, ſi nobis inuicem copulatos, ſi circa iram ſuam timidos, ſi præſenti tribulatione correctos emendatoſque conſpexerit, tutos ab inimici infeſtationibus exhibebit. præceſſit diſciplina, ſequetur & venia nos tantùm ſine ceſſatione poſcendi, & cum fide accipiendi ſimplices & vnanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, ſicut deprecari oportet eos, qui ſint poſiti inter plangentium ruinas, & timentium reliquias, inter numeroſam [c] languentium ſtragem, & [d] exiguam ſtantium firmitatem. Rogemus pacem maturiùs reddi, citò latebris noſtris & periculis ſubueniri; impleri quæ famulis ſuis Dominus dignatur oſtendere, redintegrationem Eccleſiæ, ſecuritatem ſalutis noſtræ, poſt pluuias ſerenitatem, poſt tenebras lucem, poſt procellas & turbines placidam lenitatem. Pia paternæ dilectionis auxilia, diuinæ Maieſtatis ſolita magnalia, quibus & perſequentium blaſphemia retundatur, & [e] lapſorum pœnitentia reformetur, & fortis & ſtabilis perſeuerantium fiducia glorietur. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

CY-

a EXPLORATIO PECTORIS.) Hæc ſcriptura eſt vetuſtorum exemplarium Veronenſis & Beneuentani. Pectus autem dixerit Cyprianus, conſtantiſſimæ fidei robur Sic epiſtola ſequenti, Robur pectoris veſtri & perſeuerantiam fidei quo preconio vocis exornem? RIG.

b DIC ILLI, INQVIT, SECVRVS SIT, QVIA PAX VENTVRA EST) Itaque ſub finem Epiſtolæ dicet, Rogemus pacem maturiùs reddi, citò latebris noſtris & periculis ſubueniri. Huiuſce autem viſionis meminit Epiſt XXXVIII. & XI. pag. 56. & pag. 60. *Idem.*

b DIC ILLI, INQVIT, SECVRVS SIT, Alloquitur paterfamilias juuenem, qui ſuprà apparuit Cypriano in ſomnis anxius & ſubtriſtis. Dic illi, id eſt Cypriano. *Idem.*

c LANGVENTIVM) Lapſorum *Idem.*

d EXIGVAM STANTIVM FIRMITATEM. Sic habet exemplar Veronenſe Pamelius ediderat, *exiguam ſtantium paucitatem.* quo vitio laborabat etiam editio Romana. *Idem*

e LAPSORVM POENITENTIA REFORMETVR.] Ne recipiatur cruda, præcox & imperfecta, aut parum ſincera. *Idem.*

CYPRIANVS a MARTYRIBVS ET CONFESSORIBVS Ieſu Chriſti Domini noſtri in Deo patre perpetuam S.

ARGVMENTVM.

Martyres Africæ Cyprianus miris modis à conſtantia commendans, inuitat ad perſeuerantiam, exemplo Mappalici eorum collegæ.

EXVLTO lætus & gratulor, [b] fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, cognita VIII.
fide ac virtute veſtra, in quibus mater Eccleſia gloriatur. gloriata eſt & nuper quidem, cum confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ Confeſſores Chriſti fecit extorres; confeſſio tamen præſens, quantò in paſſione fortior, tantò clarior & maior in honore eſt. Creuit pugna, creuit & pugnantium gloria. Nec retardati eſtis ab acie tormentorum metu, ſed ipſis tormentis magis eſtis ad aciem prouocati; fortes & ſtabiles [c] ad maximi certaminis prælium prompta deuotione rediſtis. Ex quibus quoſdam iam comperi coronatos, quoſdam verò ad coronam victoriæ proximos, vniuerſos autem, quos agmine glorioſo carcer incluſit, pari ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos; ſicut eſſe oportet in diuinis caſtris milites Chriſti: vt incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deuincant; quia maior eſt qui in nobis eſt, quàm qui eſt in hoc mundo. Nec plus ad deiiciendum poteſt terrena pœna, quàm ad erigendum tutela diuina. Probata res eſt certamine fratrum glorioſo, qui ad tormenta vincenda cœteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congreſſi in acie, donec acies ſuccumberet victa. Quibus ego vos laudibus prædicem, fortiſſimi fratres? robur pectoris veſtri, & perſeuerantiam fidei quo preconio vocis exornem? Toleraſtis vſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potiùs ſupplicia ceſſerunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. [d] Laniena grauior ad hoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem fidem deiiceret, ſed vt homines Dei ad Dominum velociùs mitteret. Vidit admirans præſentium multitudo cæleſte certamen Dei, ſpiritale certamen, prælium Chriſti; ſtetiſſe ſeruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem ſæcularibus nudos; ſed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores; & pulſantes ac laniantes vngulas, pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viſcerum, torquerentur in ſeruis Dei iam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. O quale illud fuit ſpectaculum Domino, quàm ſublime, quàm magnum, quàm Dei oculis ſacramento, ac deuotione militis eius acceptum, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmis, Spiritu ſancto loquente ad nos pariter & monente: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors iuſtorum eius: pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis; quæ accipit coronam de conſummatione virtutis. Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſeruis ſuis & pugnauit & vicit protector fidei, & [e] dans credentibus tantum, quantum ſe credit accipere, qui ſumit: certamini ſuo adfuit, præliatores atque aſſertores ſui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis. Cùm vos, inquit, tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis Documentum rei præſens prælium præbuit. Vox plena Spiritu ſancto de Martyris ore prorupit, cùm Mappalicus beatiſſimus inter cruciatus ſuos Proconſuli diceret: Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei teſtimonio dixit, Dominus impleuit Agon cæleſtis exhibitus, & Dei ſeruus in agonis promiſſi certamine coronatus eſt. Hic eſt agon quem Propheta Eſaias prædixit, dicens: Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem Et vt oſtenderet quis hic agon futurus eſſet, addidit, dicens: Ecce virgo

a *Martyribus & confeſſoribus.* Liber N. F. Confeſſores dicti ſunt, qui coram iudicibus interrogati, Chriſtum profeſſi erant: Martyres qui Chriſtum profeſſi, & prætereà vt abnegarent torti, perſeuerant. Martyres igitur omnes Confeſſores erant. Sed confeſſores nondum martyres, niſi vt eleganter Tertullianus vocat, initio lib. ad mart. deſignati, & alibi candidati martyrij. R I O.

b *Fortiſſimi ac beatiſſimi fratres.* Vſitatum Cypriano elogium, alibi etiam fortiſſimos vocat. Tertulliano verò magis vſitatum: benedicti. *Pam.*

c *Ad maximi certaminis prælium.* Liber N. F. præmium R I O.

d LANIENA GRAVIOR] Malim quod in Beneuentano reperitur: *Lanio grauior ad hoc diu perſeuerauit* Cyprianus lanionem dixit, quemadmodum Suetonius, menſam lanioniam. *Idem*

e DANS CREDENTIBVS TANTVM, QVANTVM SE CREDIT ACCIPERE QVI SVMIT.] Sic ſuprà pag. 1. Quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. *Idem.*

go in vterum accipiet & pariet filium,& vocabitis nomen eius Emmanuel.Hic eſt agon fidei noſtræ qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Hic eſt agon quem nobis oſtendit beatus Apoſtolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad coronam gloriæ peruenire. Neſcitis, inquit, quia qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit palmam? Sic currite vt occupetis. Omnis enim qui agonizat [a] in omnibus continens eſt, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Item ſuum certamen oſtendens, & hoſtiam ſe Domini cito futurum eſſe promittens ait: Ego iam libor, & tempus inſtat aſſumptionis meæ. Bonum agonem certaui, curſum perfeci, fidem ſeruaui. Iam ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die, ille iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui dilexerint aduentum eius. Hunc igitur agonem per Prophetas antè prædictum, per Dominum commiſſum, per Apoſtolos geſtum, Mappalicus ſuo & collegarum ſuorum nomine Proconſuli repromiſit. nec fefellit in promiſſo ſuo vox fidelis: pugnam quam ſpopondit, exhibuit; & palmam, quam meruit, accepit. Iſtum nunc beatiſſimum Martyrem & alios participes eiuſdem congreſſionis, & comites in fide ſtabiles, in dolore patientes, in quæſtione victores, vt cæteri quoque ſectemini, & opto pariter, & exhortor; vt quos vinculum confeſſionis & hoſpitium carceris ſimul iunxit, iungat etiam conſummatio virtutis, & corona cœleſtis; vt lacrymas matris Eccleſiæ quæ [b] plangit ruinas & funera plurimorum, vos veſtra lætitia tergeatis; & cæterorum quoque ſtantium firmitatem veſtri exempli prouocatione ſolidetis. Si vos acies prouocauerit, ſi certaminis veſtri dies venerit, militate fortiter, dimicate conſtanter, ſcientes vos ſub oculis præſentis Domini dimicare, confeſſione nominis eius ad ipſius gloriam peruenire; qui non ſic eſt, vt ſeruos ſuos tantùm ſpectet; ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur. Quod ſi ante diem certaminis veſtri de indulgentia Domini [c] pax ſuperuenerit, vobis tamen maneat voluntas integra, & conſcientia glorioſa: Nec contriſtetur aliquis ex vobis, quaſi illis minor qui ante vos tormenta perpeſſi, victo & calcato ſæculo, ad Dominum glorioſo itinere venerunt: Dominus ſcrutator eſt renis, & cordis: arcana perſpicit & intuetur occulta. Ad coronam Dei promerendam ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui iudicaturus eſt. Ergo vtraque res, fratres chariſſimi, ſublimis eſt pariter & illuſtris. illa ſecurior, ad Dominum victoriæ conſummatione properare: hæc lætior, [d] accepto poſt gloriam commeatu, in Eccleſiæ laude florere. O beatam Eccleſiam noſtram, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat; quam temporibus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat? Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta eſt in Martyrum cruore purpurea. Floribus eius nec lilia nec roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad vtriuſque honoris ampliſſimam dignitatem. vt accipiant coronas vel de opere candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax & acies habent flores ſuos, [e] quibus miles Chriſti ob gloriam coronetur. Opto vos, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, ſemper in Domino benè valere, & noſtri meminiſſe. Valete.

AD

a IN OMNIBVS CONTINENS EST.] Paulus ad Cor. 1. *πάντα ἐγκρατεύεται.* Tertullianus: *continetur à luxuria, cibis latioribus, iucundiore potu*, & vulgata verſio: *ab omnibus ſe abſtinet.* RIG.

a *In omnibus continens eſt, & illi quidem vt corruptibilem coronam, &c.* Confert hîc agonem chriſtianum cum certaminibus gentilium, qui diligenter obſeruabant victum & exercitationes pugilum, quibus non omnis cibus, ſed *ἀναγκοφαγία*, vt vocat Ariſtoteles, imponebatur. Panis eorum coliphium vocabatur. Abſtinebant autem à voluptatibus omnibus propter exercitationem corporis, vt innuit Clemens Alexandrinus ſtrom. 3. Plato lib. 3. de repub. idem habet *τοῦτο μὲν καὶ οἱ ἄλλοι ἀσκηταὶ ἴσασιν, ὅτι τῷ μέλλοντι σώματι εὖ ἕξειν ἀφεκτέον τῶν τοιούτων ἁπάντων. Illud autem optimè norunt pugiles; quoniam cui benè conſtitutum debet eſſe corpus, abſtinendum ab iis omnibus.* voluptates intelligit & noxias illecebras. Si verò gentilis propter fumum & gloriolam hæc ſectatur, quantò magis Chriſtianus qui æternitati velificatur. PRI.

b PLANGIT RVINAS ET FVNERA PLVRIMORVM.] Sic epiſtola præcedenti, inter plangentium ruinas. Ruinas dicit fratrum lapſorum, quos tormenta deiecerant, ac per ſæuitiam tormentorum tura dederant idolis, aut Chriſtum negauerant. ruinæ lapſorum, funera negatorum. RIG.

c PAX SVPERVENERIT.] De qua paterfamilias in epiſtola præcedenti per iuuenem illum anxium mandauerat, his verbis: Dic illi ſecurus ſit, quia pax ventura eſt. *Idem.*

d ACCEPTO POST GLORIAM COMMEATV.] Poſt gloriam ſcilicet voluntatis integræ & conſcientiæ glorioſæ, quæ nos coram Deo facit martyras, etſi per ipſius indulgentiam Dei pax ſuperuenerit non exſpectata nec ſperata, quæ nobis tribuat commeatum permanendi adhuc in ſeculo & in Eccleſia laude florentes, ipſo iam ſeculo proculcato. Sic Ep. LII. pag. 77. *Si accepta pace commeatus à Deo datur*, hoc eſt, ſi fratres in periculo mortis, poſt acceptam ab Eccleſia pacem, Deo volente periculum euadant, conceſſo illis à Deo viuendi commeatu, nihilominus pace fruantur, quam Eccleſia contemplatione mortis appropinquantis indulſerat. Et libro de mortalitate: *Cùm quidam de collegis & conſacerdotibus noſtris infirmitate defeſſus & de appropinquante morte ſollicitus commeatum ſibi precaretur*, id eſt, à Deo peteret indulgeri ſibi, vt adhuc aliquandiu in viuis permaneret

e QVIBVS MILES CHRISTI OB GLORIAM CORONETVR.] Ob gloriam ſcilicet martyrij & confeſſionis. Nam apud Cyprianum vt & apud Tertullianum etſi ob fidei Chriſtianæ teſtimonium dicatur martyr & confeſſor, & miles Chriſti vterque, hoc tamen eſt inter martyrem & confeſſorem, quod confeſſor dicatur, qui interrogatus à præſide vel proconſule aliiſve ſeculi poteſtatibus, Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, vel ob Chriſti nomen exilium, carcerem & bonorum ſuorum damna pertulit: Martyr, qui pro Chriſti nomine tormenta vicit & mortem obiit conſtanter. Martyri corona de roſis tribuitur purpurea: Confeſſori de liliis candida: Martyri de vtriſque liliis. RIGALTIVS.

AD CLERVM, DE PRESBYTERIS QVI TEMERE PACEM lapſis dederunt, nec dum ſedata perſecutione.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus Salutem.

ARGVMENTVM.

Argumentum eius epiſtolæ habes infra epiſt. 14. *in hac verba: Presbyteris & Diaconibus non defuit ſacerdotij vigor, &c.*

DIv patientiam meam tenui, fratres chariſſimi, quaſi verecundum ſilentium noſtrum proficeret ad quietem. Sed cùm quorumdam immoderata & abrupta præſumptio temeritate ſua, & honorem Martyrum, & Confeſſorum pudorem, & plebis vniuerſæ tranquillitatem turbare conetur; tacere vltrà non oportet, ne ad periculum & plebis pariter & noſtrum taciturnitas nimia procedat. Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini; quando aliqui de Preſbyteris, nec Euangelij, [a] nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini iudicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omninò ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemptu præpoſiti totum ſibi vindicent? atque vtinam non contra fratrum noſtrorum ſalutem ſibi omnia vindicarent. Contumeliam Epiſcopatus noſtri diſſimulare & ferre poſſum, ſicut diſſimulaui ſemper & pertuli: ſed diſſimulandi nunc locus non eſt; quando decipiatur fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrûm, qui dum [b] ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt. Summum enim delictum eſſe quod perſecutio committi coëgit, ſciunt ipſi etiam qui commiſerunt; cum dixerit dominus & iudex noſter: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego illum confitebor coram patre meo qui in cœlis eſt. Qui autem me negauerit, & ego illum negabo. & iterùm dixerit. [d] Omnia peccata remittentur filiis hominum & blaſphemiæ. Qui autem blaſphemauerit Spiritum ſanctum, non habebit remiſſam, ſed reus eſt [e] æterni peccati. Item beatus Apoſtolus dixerit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum. Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros; vt qui poſſunt agentes pœnitentiam veram, Deo quà patri & miſericordi precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, vt magis pereant: & qui erigere ſe poſſent, [f] plus cadant. Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri ius communicationis accipiant; nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeuerante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & [g] offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, [h] nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & IV.

a Nec loci svi memores.] Gradus Preſbyteralis, qui ſubditus eſt Epiſcopali. Nam ſic erat Ordo Eccleſiaſticus ſub Cypriano, atque idem omninò jam fuerat æuo Tertulliani. nam vbi diſſerit de facultate dandi baptiſmi, Dandi quidem, inquit, habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt epiſcopus, dein preſbyteri & diaconi: non tamen ſine epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem; quo ſaluo, ſalua pax eſt. Inde autem ſeculis ſuccedentibus preſbyteri dicti antiſtites ordine in ſecundo, Epiſcopi in ordine & gradu preſbyterorum, & ſecundi ſacerdotes. quod jam pridem exemplis probauere doctiſſimi viri Iacobus Sirmondus & Ioannes Sauaro ad Sidonii Apolin. Ep. xt. libro. v. Rig.

b Sine ratione restitvendae salvtis.] Id eſt, communionis, extra quam non eſt eſt ſalus. *Idem.*

c Magis lapsis obsvnt.] Quia ſcilicet antequàm egerint pœnitentiam veram, cruda & præmatura reſtitutione ſeducuntur, ita vt magis pereant, & qui erigere ſe poſſent, plus cadant Sic ipſe ſui mox interpres. *Idem.*

d Omnia peccata remittentvr filiis hominvm] Marci verba ſunt cap. III *πάντα ἀφεθήσονται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων.* quorum verborum ſententiam vulgatæ verſionis auctor ambiguam fecit transpoſitione verbi, *remittentur.* quam hic ſeruauit Cyprianus. At libro ad Quirinum III. apertiſſimè dixit, Non poſſe in Eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit deinde citat ex Euangelio κατὰ Ματθαῖον: *Qui dixerit verbum aduerſus filium hominis, remittetur illi qui autem dixerit aduerſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi, neque in hoc, neque in futuro ſeculo.* & ſtatim apponit ex Marco: *Omnia peccata remittentur filiis hominum & blaſphemiæ, &c.* Ex quibus fit manifeſtiſſimum, hac Epiſtola & libro ad Quirinum, hanc eſſe Cypriani mentem, Remitti omnia peccata quæ aduerſus filios hominum, id eſt, aduerſus homines, quis commiſerit, non autem quæ aduerſus Spiritum ſanctum. Hoc verò Cyprianus habet à magiſtro ſuo. Etenim libro de Pudicitia, Dimittis, inquit, vt dimittatur tibi à Deo. Delicta mundantur quæ quis in fratrem, non Deum, admiſerit. Debitoribus denique dimiſſuros nos in oratione profitemur. Proculdubio intellexit Septimius, Debitoribus noſtris, non Dei. *Idem.*

e Æterni peccati.] Idololatriæ. Epiſt. ſequent. dicet, grauiſſimi atque extremi delicti. *Idem.*

f Plvs cadant.] Qui jam exciderunt de fide dicta Chriſto, nunc etiam excidunt de diſciplina Eccleſiæ Chriſti. *Idem.*

g Offertvr nomen eorvm.] Inter orationum ſacrificia nominantur. orationes ſiue preces pro eis nominatim allegantur Deo per preſbyteros. offertur nomen eorum vnà cum precibus quæ pro eis offeruntur. Quod obſeruat Pamelius, in libris manuſcriptis Canonem ita concipi: *Memento Domine famulorum famularúmque tuarum, nomina,* ſic intelligi debet, vt poſt ea verba, *Memento Domine famulorum famularúmque tuarum,* ſcriptum fuerit præcipiendi modo, NOMINA quo ſcilicet admoneatur preſbyter qui pro populo facit, mentionem hoc loco habendam eſſe certarum perſonarum nominatim *Idem*

h Nondvm exomologesi facta] Nemo meliùs definiet quid ſit exomologeſis, quàm Tertullianus. Sic igitur libro de pœnitentia: Exomologeſis proſternen-

& Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cùm ſcriptum ſit: Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Sed nunc illi rei non ſunt, qui minus Scripturæ legem tenent. erunt autem rei, qui præſunt, & hæc fratribus non ſuggerunt, vt inſtructi à præpoſitis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo & præſcripta obſeruatione. Exponunt deinde inuidiæ beatos Martyres, & [a] glorioſos [b] ſeruos Dei cum Dei ſacerdote committunt, vt (cùm illi memores loci noſtri ad me litteras direxerint, & petierint tunc deſideria ſua examinari, & pacem dari, quando ipſa antè mater noſtra Eccleſia pacem de miſericordia Domini prior ſumpſerit, & nos diuina protectio reduces ad Eccleſiam ſuam fecerit) hi ſublato honore, quem nobis beati Martyres cum Confeſſoribus ſeruant, contemptâ Domini lege & obſeruatione, quam iidem Martyres & Confeſſores tenendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, ante ipſum penè Martyrum exceſſum, communicent cum lapſis [d] & offerant, [e] & Euchariſtiam tradant: quando etiam ſi Martyres per calorem gloriæ [f] ſcripturam minus contemplantes plus aliquid cuperent, à Presbyteris & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præteritum factum eſt. Caſtigare nos itaque diuina cenſura nec noctibus deſinit, nec diebus: præter nocturnas enim viſiones, [g] per dies quoque impletur apud nos Spiritu-ſancto puerorum innocens ætas, quæ in extaſi videt oculis, & audit, & loquitur ea quibus nos Dominus monere & inſtruere dignatur. Et audietis omnia quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui vt ſecederem iuſſit. Interim temerarij & incauti & tumidi quidam inter vos, [h] qui hominem non cogitent, vel Deum timeant; ſcientes quoniam ſi vltra in iiſdem perſeuerauerint, vtar ea admonitione, qua me vti Dominus iubet; [i] vt interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem vniuerſam cauſam ſuam; cùm Domino permittente, in ſinum matris Eccleſiæ colligi cœperimus. De hoc ad Martyres & Confeſſores & ad plebem litteras feci, quas vtraſque vobis legi mandaui. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi in Domino ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Valete.

CY-

di atque humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem injungens miſericordiæ illicem.

Nondum exomologeſi facta. Publicam intelligit pœnitentiam quæ ſemel fiebat vt vulgò creditur, qua abiiciebant ſe & proſternebant ſe pœnitentes, vnde proſternendi diſciplina & humilificandi dicitur Tertulliano cap. 9. de pœnitent. Nulla autem humiliatio major ea quam de Theodoſio narrat Theodoritus lib. 5. c. 17. *ταῖς χερσὶν ἀποτίλλων τὰς τρίχας, καὶ τὸ μέτωπον τύπτων, καὶ ταῖς τῶν δακρύων σταγόσι τὸ ἔδαφος καταῤῥαίνων, συγγνώμης ἐπιτυχεῖν. manibus comas dilacerans, tundens frontem, lacrymarum imbre pauimentum rigans, veniam adipiſci poſtulabat.* S Hieronymus in epitaphio Fabiolæ exomologeſim accuratè explicat. PRI.

a *Glorioſos ſeruos Dei cum ſacerdote dei committunt.* Phraſis eſt Tertulliano frequens: committuntur autem propriè gladiatores, dum certamen ineunt Eadem phraſi dixit Iuuenalis alicubi, *committit Victor* PAM.

b SERVOS DEI CVM DEI SACERDOTE COMMITTVNT.] Id eſt, cum Epiſcopo. Sic Ep. LII. pag. 76 conſtitutum Romæ Dei ſacerdotem. Animaduertendum hîc Dei ſeruos committi cum Dei ſacerdote. Sed meminiſſe debet Dei ſacerdos, eſſe ſe etiam Dei ſeruum. RIG.

c MEMORES LOCI NOSTRI.) Epiſcopalis, & quidem Carthaginienſis Eccleſiæ, quæ prima prouinciæ ſedes adeòque multarum eccleſiarum curam ſuſtinebat. Sic in cod. Eccleſ. Afric. Aurelius Carthaginis ep. Ego cunctarum eccleſiarum dignatione Dei, vt ſcitis fratres, ſollicitudinem ſuſtineo. Ibidem, Numidius epiſcopus ad Aurelium, Fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, pro deſiderio cuiuſque eccleſiæ ordinare epiſcopum. Epigonius item eiſ. Neceſſe habes tu omnes eccleſias ſuffulcire. Itaque ipſe Cyprianus, Epiſtola proximè ſequenti ſic incipit: Sollicitudo loci noſtri & timor Domini compellit, &c. *Idem.*

d ET OFFERANT.] Nomina lapſorum, vt ſuprà, vel offerant lapſis pacem, vt infrà Epiſt. proximè ſeq *Idem.*

e ET EVCHARISTIAM TRADANT.) Lapſis. *Idem.*

f SCRIPTVRAM MINVS CONTEMPLANTES.) quam ſuprà recitauit, *Qui ederit panem aut biberit calicem*, &c. *Idem.*

g PER DIES QVOQVE IMPLETVR APVD NOS SPIRITV SANCTO PVEROR. INNOCENS ÆTAS, QVAE IN ECSTASI VIDET.) Non ex ſomniis tantùm, verùm etiam ex furore, diuina variorum euentuum præſagia concepêre viri Chriſtiana pietate laudatiſſimi. Et ſomniorum quidem exempla, quæ Cæcilius noſter Eccleſiæ ſuæ presbyteris narrat, ſuprà notauimus. Hac epiſtola per ecſtaticos puerorum innocentium effatus monita quædam ſiue mandata inculcat. Per dies, inquit, impletur apud nos ſpiritu ſancto puerorum innocens ætas, quæ in ecſtaſi videt oculis & audit & alloquitur ea quibus nos Dominus monere & inſtruere dignatur. Rectè, in ecſtaſi. nam aduentans in pueros vis diuini ſpiritus, elocabat quidquid in illis erat mentis inquilinæ ſiue domeſticæ: ita vt quiſque, non iam ſui compos, magno illo habitatore plenus, nihil præter hoſpitem ſuum ſentiret, nec videret, nec loqueretur. Quam propè exploratam habuit hanc diuini furoris gratiam Ariſtoteles, libro de diuinatione per inſom. vbi fatetur ecſtaticos futura quandoque proſpicere. *τοῦ δ' ἐνίους*, inquit, *τῶν ἐκστατικῶν προορᾶν, αἴτιον ὅτι αἱ οἰκεῖαι κινήσεις οὐκ ἐνοχλοῦσιν, ἀλλ' ἀπεῤῥαπίζονται· τῶν ξενικῶν οὖν μάλιστα αἰσθάνονται*). Vnde autem illa *ξενικά*, niſi ab illo diuino hoſpite illata & inuecta? Præclarè Philo Diſſertatione ſua, Quis diuinorum heres, *ἐξοικίζεται μὲν γὰρ ἐν ἡμῖν ὁ νοῦς κατὰ τὴν τοῦ θείου πνεύματος ἄφιξιν. θέμις γὰρ οὐκ ἔστι θνητὸν ἀθανάτῳ συνοικῆσαι. διὰ τοῦτο ἡ δύσις τοῦ λογισμοῦ καὶ τὸ περὶ αὐτὸν σκότος ἔκστασιν καὶ θεοφόρητον μανίαν ἐγέννησε.* Idem auctor huncce furorem dicit eſſe *ἔνθεον κατοκωχήν τε μανίαν*. Ac propterea Tertullianus aduerſus Marcionem, pag. 537 hoc etiam defendit, gratiæ ecſtaſin, id eſt, amentiam conuenire In ſpiritu enim homo conſtitutus, inquit, neceſſe eſt excidat ſenſu. Itaque in ecſtaticis aliquantiſper ſapientia moritur, nimirum, diuinæ superuentu humana ſic offuſcatur & inumbratur, vt exceſſiſſe interim videatur. Chryſoſtomus, vbi de viſione, qua Petrus vas ingens cœlo demiſſum conſpexit: *ἔκστασις, πνευματικὴ θεωρία γέγονεν αὐτῷ. τοῦ σώματος, ὡς ἂν εἴποι τις, ἐξέστη ἡ ψυχή.* *Idem.*

h QVI HOMINEM NON COGITANT.) Modeſtè dicit, hominem, pro Epiſcopo, Dei ſacerdote Epiſtola ſequenti: *Qui nec Dei timorem, nec Epiſcopi honorem cogitantes Idem*

i *Vt interim prohibeantur offerre.*) En ſuſpenſionem quam vocamus à diuinis, antiquitùs vſurpatam PAM.

CYPRIANVS MARTYRIBVS ET CONFESSORIBVS chariſſimis fratribus Salutem.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius epiſt. habes infra epiſt. 14. *in hac verba. Cum comperiſſem eos qui ſacrilegis contactibus, manus ſuas atque ora maculaſſent, &c.*

SOllicitvdo loci noſtri,& timor Domini compellit,fortiſſimi ac bea- X.
tiſſimi martyres, admonere vos litteris noſtris, vt à quibus tam deuotè & fortiter ſeruatur fides Domino, ab iiſdem lex quoque & diſciplina Domini reſeruetur. Nam cùm omnes milites Chriſti cuſtodire oporteat præcepta Imperatoris ſui, tum vos magis præceptis eius obtemperare plus conuenit, qui exemplum cæteris facti eſtis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem Preſbyteros & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſimè circa Euangelij legem, ſicut in præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt, vt Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis & ſcripturarum præceptis gubernarent: ſed nunc cum maximo animi dolore cognoſco, non tantùm illic vobis non ſuggeri diuina præcepta, [a] ſed adhuc potiùs inueniri, vt ea quæ à vobis ipſis & circa Deum cautè, & circa ſacerdotem Dei honorificè fiunt, à quibuſdam Preſbyteris reſoluantur, qui nec timorem Dei, nec Epiſcopi honorem cogitantes, cùm vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra & [b] quibuſdam lapſis pacem dari poſtulaſtis, cum perſecutione finita conuenire in vnum cum Clero & recolligi cœperimus. Illi contra Euangelij legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim [c] grauiſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini corpus profanare audeant; cùm ſcriptum ſit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Et [d] lapſis quidem poteſt in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus viuificari properet? Quis non ad ſalutem ſuam venire feſtinet? Sed præpoſitorum eſt præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes inſtruere, ne qui ouium paſtores eſſe debent, lanij fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere eſt. nec erigitur ſic lapſus, ſed per Dei offenſam [e] magis impellitur ad ruinam. Vel ex vobis itaque diſcant, quod docere debuerant. Petitiones & deſideria veſtra Epiſcopo ſeruent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent. Antè Domini pacem [f] mater prior ſumat, tunc ſecundum veſtra deſideria de filiorum pace tractetur. Et quoniam audio, fortiſſimi & chariſſimi fratres, impudentia vos quorumdam premi, & verecundiam veſtram vim pati, oro vos quibus poſſum precibus; vt Euangelij memores, & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicitè & cautè petentium deſideria ponderetis, vtpotè amici Domini; & cum illo poſtmodum iudicaturi inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne ſi quid [g] abruptè & indignè vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, [h] apud gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat. Viſitamur enim & caſtigamur frequenter, & vt Domini mandata incorrupta & inuiolata permaneant, admonemur; quod

qui-

a Sed adhvc potivs inveniri.) Sic legitur in Corbeienſi. Sed magis placet recepta ſcripta, *impediri*. cui non contradicunt Veronenſis nec Beneuentana. Rio.

b *Quibuſdam lapſis pacem, &c.* Sæpiſſimè huius pacis mentio incidit apud Cyprianum, Tertullianum & alios. Erat autem pax illa reconciliatio cum eccleſia, quæ aut dabatur peracta pœnitentia, aut relaxata Illud enim erat quod indulgentiarum nomine poſteà vſurpatum eſt. Hortatur autem hîc Beatiſſimus martyr Confeſſores, ne adeo ſint indulgentes, ac temerè pacem concedant. Pri.

c Gravissimi atqve extremi delicti) Suprà dixit: æterni peccati Idololatriam ſignificat, ingens & ſupra omnia peccatum, Ep. xxvi. pag. 41. Principale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſa judicij. Tertullian Rio

d Lapsis qvidem potest in hoc venia concedi.) In hoc ſcilicet, quod vrgeant; quod feſtinent; quod anticipare velint pœnitentiæ tempora. *Idem.*

e Magis impellitvr ad rvinam.) Epiſt. præced. *Plus cadunt.* Idem.

f Mater prior svmat) Suprà ep. præced. Mater noſtra Eccleſia Tertul. libro ad Martyras, Domina mater Eccleſia. Conſultiſſimè Cyprianus, deſideria Martyrum ſuper pace lapſis concedenda, in illud tempus ſeruat, cùm ipſa mater Eccleſia pace gaudebit. ne ſcilicet æſtu perſecutionis incaleſcente, ab ruina recentes, confeſtimque ad pacem admiſſi, ſtantibus ceteris exemplo ſuo noceant; minùs conſtanter in agone certaturis, blandiente ipſis poſt lapſum & ruinam pro ſe quoque ſperandi dulcedine. *Idem.*

g Abrvpte et indigne vel a vobis promissvm.) Reuerenter, vt apud Martyras, cenſoria verba ſic præmittit, vt temperari poſſint ſequentibus iſtis, *vel à nobis factum.* Idem.

h Apvd gentiles qvoqve ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat) Sic ſuprà pag. 12. de quo poſtmodum non erubeſcit Eccleſia, apud gentiles ſcilicet. Erubeſcere autem contingebat ob diſſolutos quorumdam mores, vel ob diſciplinam minimè ſeruatam, fide turpiter euerſa ipſo ſtatim agonis principio. *Idem.*

quidem nec illic apud vos ceſſare cognoſco, quò minus plurimos quoque ex vobis inſtruat ad Eccleſiæ diſciplinam diuina cenſura. hoc autem totum poteſt fieri, ſi ea quæ à vobis petuntur religioſa contemplatione moderèmini; intelligentes & comprimentes eos, qui [a] perſonas accipientes, in beneficiis veſtris aut gratificantur, aut [b] illicitæ negotiationis nundinas aucupantur. De hoc & ad Clerum & ad plebem litteras feci, quas vtraſque vobis legi mandaui. Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere & emendare debetis, vt nominatim deſignetis eos quibus pacem dari deſideratis: audio enim [c] quibuſdam ſic libellos fieri vt dicatur: Communicet ille cum ſuis. quod numquam omninò à Martyribus factum eſt, vt incerta & cæca petitio inuidiam nobis poſtmodum cumulet: latè enim patet quando dicitur: Ille cum ſuis; & poſſunt nobis viceni, & triceni, & ampliùs offerri, qui propinqui & affines, & liberti ac domeſtici eſſe aſſeuerentur eius, qui accipit libellum; & ideò peto vt eos quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſcitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes litteras dirigatis. Opto vos, fratres fortiſſimi ac dilectiſſimi, in Domino ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Valete.

CY-

a PERSONAS ACCIPIENTES.) Matthæus & Marcus dixere, βλέπειν εἰς πρόσωπον XXII. 16. XII. 14. Lucas XX. 21, λαμβάνειν πρόσωπον. Cui opponitur, ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ διδάσκειν. Deus non eſt προσωπολήπτης. RIG.

b ILLICITAE NEGOTIATIONIS NVNDINAS AVCVPANTVR.) Quàm fœda labes etiam illius Eccleſiæ martyras proſtrauit: Nam hoc ſignificat Cyprianus, etiam inter martyras extitiſſe qui venales haberent pacis libellos. *Idem.*

c QVIBVSDAM SIC LIBELLOS FIERI) In Corbeienſi legitur: *quibuſdam ſic libellos fieri.* Tertullianus dixit: *accepto facere.* RIG.

c *Libellos fieri.* Libelli nimirum, quibus deſignabantur ii, quibus pax concedebatur. PRI.

CYPRIANVS FRATRIBVS [a] IN PLEBE conſiſtentibus S.

XI. INGEMISCERE vos & dolere ruinam fratrum noſtrorum ex me ſcio, fratres chariſſimi, qui & ipſe vobiſcum pro ſingulis ingemiſco pariter & doleo; & patior, ac ſentio, quod beatus Apoſtolus dixit: Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Et iterùm poſuit in Epiſtola ſua dicens: Si patitur membrum vnum, compatiuntur & cætera membra; & ſi lætatur membrum vnum, collætantur & cætera membra. Compatior ego & condoleo de fratribus noſtris, qui lapſi & perſecutionis infeſtatione proſtrati partem noſtrorum viſcerum ſecum trahentes, parem dolorem nobis ſuis vulneribus intulerunt. [b] quibus potens eſt diuina miſericordia medelam dare; properandum tamen non puto, nec incautè aliquid & feſtinanter gerendum; ne, dum temerè pax vſurpatur, diuinæ indignationis offenſa grauiùs prouocetur. Fecerunt ad nos de quibuſdam beati Martyres litteras, petentes examinari deſideria ſua; cum pace nobis omnibus à Domino priùs data, ad Eccleſiam regredi cœperimus, [c] examinabuntur ſingula [d] præſentibus & iudicantibus vobis. audio tamen [e] quoſdam de Preſbyteris nec Euangelii memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint cogitantes, nec Epiſcopo honorem ſacerdotij ſui & cathedræ reſeruantes, iam cum lapſis communicare cœpiſſe, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem perueniri. Nam cùm [f] in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iuſto tempore, & exomologeſis fiat, inſpecta vita eius qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi priùs illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita, quantò magis in his grauiſſimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè ſecundum diſciplinam Domini obſeruari oportet? vos quidem noſtri Preſbyteri & Diaconi monere debuerant, vt commendatas ſibi oues fouerent, & diuino magiſterio adviam deprecandæ ſalutis inſtruerent. Ego plebis noſtræ & quietem noui pariter & timorem, qui in ſatisfactione Dei & deprecatione vigilarent, niſi illos quidam de Preſbyteris gratificantes decepiſſent. [a] Vel vos itaque ſingulos

a IN PLEBE CONSISTENTIBVS.) Sic Epiſt. 45. Eccleſiarum iſtic conſiſtentium conſenſio. & Diaconi in Hadrumetino conſiſtentes. & alibi ſæpiſſimè. RIG.

b QVIBVS POTENS EST DIVINA MISERICORDIA MEDELAM DARE. Suprà dixit, Vt qui poſſunt agentes pœnitentiam veram, Deo, quà patri & miſericordi, precibus & operibus ſuis ſatisfacere. *Idem.*

c EXAMINABVNTVR SINGVLA.) Alloquitur ſtantium fratrum plebem. quam & paullò pòſt admonebit vt ſe ipſos regant, quando malè regantur à præpoſitis, hanc ipſam plebem ſecum, ſimul ac ipſe ad Eccleſiam regredi cœperit, judicaturam de lapſis ad exomologeſin recipiendis. *Idem.*

d PRAESENTIBVS ET IVDICANTIBVS VOBIS Etiam in plebe conſiſtentibus. Itaque non tantùm clerici, ſed etiam laïci tunc iudicabant. Iudicabant autem etiam de rebus grauiſſimi momenti, nempe, de pœnitentia lapſorum, de recipiendis in Eccleſiam lapſis, de libellis quos lapſi impetrauerant à martyribus, de pace lapſis à martyribus data. *Idem.*

e QVIDAM DE PRESBYTERIS. Libri veteres: *quidam de præpoſitis.* Idem.

f IN MINORIBVS DELICTIS Scilicet minoribus idololatria, quæ in proximum & Eccleſiam, non rectà in Deum. *Idem.*

a VEL VOS ITAQVE SINGVLOS REGITE.

Quaſi

los regite, & conſilio ac moderatione veſtra & ſecundum diuina præcepta lapſorum animos temperate: nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat. nemo nauem ſuam quaſſatam & perforatam fluctibus priuſquam diligenter refecerit in altum denuò committat, nemo tunicam ſciſſam accipere & induere properet, niſi eam & ab artifice perito ſartam viderit, & à fullone curatam receperit. Audiant quæſo patienter conſilium noſtrum, expectent regreſſionem noſtram, vt cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, conuocati coepiſcopi plures, ſecundum Domini diſciplinam & Confeſſorum præſentiam, beatorum Martyrum litteras, & deſideria examinare poſſimus. De hoc & ad Clerum, & ad Martyres, & Confeſſores litteras feci, quas vtraſque legi vobis mandaui. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, in Domino ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Valete.

AD

Quaſi diceret: Quandoquidem ſunt de præpoſitis veſtris, qui non recto pede, nec ſecundùm diſciplinam incedant: ſaltem vnuſquiſque veſtrûm ſe regat, ac veram diſciplinam cuſtodiat, & ſecundùm diuina præcepta lapſorum animos temperet. Hoc ait Cyprianus ad fratres in plebe conſtitutos. R i g.

AD CLERVM DE LAPSIS ET CATECHVMENIS, [a] NE vacui exeant.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus, Salutem.

ARGVMENTVM.

Huius etiam & ſequentis epiſtolæ argumentum habes infra epiſt. 14.

MIROR vos, fratres chariſſimi, ad multas Epiſtolas meas, quas ad vos frequenter miſi, nunquam mihi reſcripſiſſe; cum fraternitatis noſtræ vel vtilitas vel neceſſitas ſic vtique gubernetur, ſi à vobis inſtructi rerum gerendarum conſilium limare poſſimus. Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & iam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis & grauibus infeſtatur, occurrendum puto fratribus noſtris; vt qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Preſbyterum quemque præſentem, vel ſi Preſbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, [b] apud Diaconum quoque, exomologeſin facere delicti ſui poſſint; vt manu eis in pœnitentia impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſiderauerunt. partem plebis quæ lapſa eſt, præſentia veſtra fouete: & vt à fide & miſericordia Domini non deficiant, veſtro ſolatio focillate; neque enim deſerentur ab ope & auxilio Domini, qui mites & humiles, & pœnitentiam verè agentes [c] in bonis operibus perſeuerauerint, quò minus illis quoque diuino remedio conſulatur. [d] Audientibus etiam ſi qui fuerint periculo præuenti, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit, implorantibus diuinam gratiam miſericordia Domini non denegetur. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem vniuerſam meo nomine ſalutate, & vt noſtri meminerit admonete, & rogate. Valete. XII.

AD

a NE VACVI EXEANT. Pace, ſcilicet, ſiue vt mox dicet, communicatione, ſolatio & miſericordia Chriſtiana. Canon Nicænus XIV. De his qui vita excedunt pœnitentibus, decernit vacuum nullum debere dimitti. apud Ruffinum Hiſt. X. R i g.

b APVD DIACONVM QVOQVE EXOMOLOGESIN FACERE. Eſt enim etiam in diaconatu ſacerdotium Sic Epiſt. XIV. pag. 27. *Item presbyteris & diaconibus non defuit ſacerdotij vigor.* At diaconos pœnitentibus manum imponere, ſola neceſſitatis ratio admittit. nempe ſi vrgeat exitus, & presbyter repertus non fuerit. *Idem.*

b *Apud Diaconum quoque exomologeſin facere.* Etſi alij plerique auctores videantur vocem exomologeſeos accipere pro omni confeſſione peccatorum ſiue priuata ſiue publica, vt græcis ſit ἐξομολόγησις quod latinis confeſſio: ſunt tamen qui exiſtiment accipi apud Cyprianum pro publica, ſicut latiùs loco ſuo lib. de lapſis tractaturi ſumus. Quod ſi verum ſit, nihil hîc mirum, quòd permittat apud Diaconum peccatorum exomologeſin fieri, & manum ab illo imponi, vt non ſit aliud hæc manus impoſitio quam à pœnis ſatisfactoriis abſolutio, quæ cur Diaconis concedi non poſſit, non video: præſertim quum etiam hodiè vſitata ſit Archidiaconorum ab excommunicatione abſolutio, etiam ſi in ſolo Diaconatus ordine conſtituti ſint. P a m.

c IN BONIS OPERIBVS PERSEVERAVERINT. In Neap. IV. *opinionibus*. R i g.

d AVDIENTIBVS. Cathecumenis. Heſychius. Κατηχίζει, νουθετεῖ. Κατηχούμενος, διδασκόμενος. *Idem.*

AD CLERVM DE IIS QVI AD PACEM FESTINANT.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus, Salutem.

XIII. [a] LEGI litteras veſtras, fratres chariſſimi, quibus ſcripſiſtis ſalubre conſilium veſtrum non deeſſe fratribus noſtris, vt temeraria feſtinatione depoſita religioſam patientiam Deo præbeant: vt cùm in vnum per eius miſericordiam venerimus, de omnibus ſpeciebus ſecundum Eccleſiaſticam diſciplinam tractare poſſimus: maximè cùm ſcriptum ſit: Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam. [b] Pœnitentiam autem ille agit, qui diuinis præceptis mitis & patiens, & ſacerdotibus Dei obtemperans, obſequiis ſuis & operibus iuſtis Dominum promeretur. Quoniam tamen ſignificaſtis quoſdam immoderatos eſſe, & communicationem accipiendam feſtinanter vrgere; & deſideraſtis in hac re formam à me vobis dari: ſatis plenè ſcripſiſſe me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, vt qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta, & [c] manu eis à vobis in pœnitentia impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur. Cæteri verò qui nullo libello à Martyribus accepto [d] inuidiam faciunt; quoniam non paucorum, nec Eccleſiæ vnius, aut vnius prouinciæ, ſed totius orbis hæc cauſa eſt: expectent de Domini protectione Eccleſiæ ipſius publicam pacem. Hoc enim & verecundiæ & [e] diſciplinæ & vitæ ipſi omnium noſtrûm conuenit: vt præpoſiti cum clero conuenientes præſente & [f] ſtantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilij communis religione poſſimus. Cæterùm quàm irreligioſum eſt, & ipſis quoque feſtinantibus pernicioſum, vt cùm extorres facti, & patria pulſi, ac bonis ſuis omnibus ſpoliati nondum ad Eccleſiam redierint, quidam de lapſis Confeſſores ipſos præuenire; & antè ad Eccleſiam introire feſtinent. Qui ſi nimiùm properant, habent in ſua poteſtate quod poſtulant; [g] tempore ipſo ſibi [h] plus quàm poſtulant largiente. Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur; ſi commiſſi vreè & firmiter pœnitet, & fidei calor præualet: [i] qui differri non poteſt, poteſt coronari. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem vniuerſam meo nomine ſalutate, & vt noſtri memores ſint admonete. Valete.

AD

a LEGI LITTERAS VESTRAS) Hæc Epiſtola non habetur in Veronenſi, neque in IIII Vatic. RIG.

b *Pœnitentiam autem agit.* Deſcriptio eſt ſatisfactionis potius, quæ pars eſt pœnitentiæ, quàm ipſius pœnitentiæ, vt ſit ſynecdoche. Eſt etiam locus inſignis de meritis operum. Verùm de vtroque plura infrà, partim lib. de lapſis, partim de opere & eleëmoſynis. PAM.

c MANV IIS A VOBIS IMPOSITA.) Vobis, hoc eſt, preſbyteris & diaconis, vt ſuprà epiſtola præced. RIG.

d INVIDIAM FACIVNT) Quaſi nos odio inuidiaque onerent, triſtioris ac durioris diſciplinæ *Idem*.

e DISCIPLINÆ ET VITÆ IPSI.) Vitam intelligit in Chriſto. vt ſuprà. *Idem*.

f STANTIVM PLEBE.) Fidelium, non lapſorum. In Beneuentano legitur, *adſtante plebe. Idem*.

g TEMPORE IPSO) Cotidiana Chriſtiani certaminis occaſione.

h PLVS QVAM POSTVLANT LARGIENTE.) Coronam ſcilicet martyrij, non tantùm pacem & communicationem, quam ſibi ab Eccleſia concedi poſtulant. In Neapolitano legitur: Plus quàm quod poſtulant. Vid. epiſt. ad Antonianum. *Idem*.

h TEMPORE IPSO SIBI PLVS QVAM POSTVLANT LARGIENTE.) Hæc ita leguntur etiam in cod. Beneuentano. Tertullianus, Tota paradiſi clauis ſanguis tuus eſt. *Idem*.

i QVI DIFFERRI NON POTEST) Qui moram pati non poteſt. Qui pœnitentiam differri ſibi indignatur: Qui præfeſtinata pœnitentiæ impetratione, ad Eccleſiæ communionem redire contendit, poteſt martyrio fortiter ſuſcepto, celeritate coniungendarum gratiarum, pœnitentiam includere martyrij corona. *Idem*.

AD CLERVM ROMANVM DE SECESSIONE SVA.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ROMÆ conſiſtentibus fratribus, Salutem.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius epiſtolæ non obſcurè indicat Cyprianus infra epiſt. 22. ad clerum Rom. poſt factas, inquit, ad vos literas, quibus actus noſter expoſitus, & diſciplinæ ac diligentiæ quantulacumque ratio declarata eſt, &c. Neque enim aliud quàm ſeceſſus ſui, & eorum quæ in illo geſſit rationem reddit, miſſis Romam in ſui purgationem, quas ad ſuos ſcripſerat, epiſtolarum exemplis, immo iiſdem, quibus illic, verbis vtitur.

XIV. QVONIAM comperi, fratres chariſſimi, minus ſimpliciter & minus fideliter vobis renunciari, quæ hîc à nobis & geſta ſunt & geruntur, neceſſarium duxi has ad vos litteras facere, quibus vobis [a] actus noſtri, & diſciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur. Nam ſicut Domini mandata inſtruunt, orto ſtatim turbationis impetu primo, cùm me clamore violento frequenter populus flagitaſ-

a ACTVS NOSTRI RATIO.) Actum dicit, miniſterium, adminiſtrationem, diſciplinam. Et ſub finem iſtius

ſet, non tam meam ſalutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim ſeceſſi, ne per inuerecundam præſentiam noſtram ſeditio, quæ cœperat, plus prouocaretur. Abſens tamen corpore, nec ſpiritu, nec actu, nec monitis meis defui; quò minus ſecundùm Domini præcepta fratribus noſtris in quibus poſſem mea mediocritate conſulerem. & quid egerim, loquuntur vobis Epiſtolæ, pro temporibus omiſſæ numero tredecim, quas ad vos tranſmiſi. In quibus nec Clero conſilium nec Confeſſoribus exhortatio, nec [a] extorribus quando oportuit obiurgatio, nec vniuerſæ fraternitati ad deprecandam Dei miſericordiam allocutio, & perſuaſio noſtra defuit: quantum ſecundùm legem fidei, & timorem Dei, Domino ſuggerente, noſtra mediocritas potuit eniti. poſteaquàm verò & tormenta venerunt, ſiue iam tortis fratribus noſtris, ſiue adhuc vt torquerentur incluſis, ad corroborandos, & confirmandos eos noſter ſermo penetrauit. Item cùm comperiſſem eos, qui [b] ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, [c] vel nefandis libellis nihilo minus conſcientiam polluiſſent; exambire ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & [d] gratioſa deprecatione corrumpere, vt ſine vllo diſcrimine atque examine ſingulorum, [e] darentur quotidie libellorum millia contra Euangelij legem; litteras feci quibus Martyres & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica præcepta reuocarem. Item [f] Preſbyteris & Diaconibus non defuit ſacerdotij vigor, vt quidam minus diſciplinæ memores & temeraria feſtinatione præcipites, qui cum lapſis communicare iam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipſi quantum potuimus animos compoſuimus, & vt Eccleſiaſtica diſciplina ſeruaretur, inſtruximus. Poſtmodum verò cùm quidam de lapſis, ſiue ſua ſponte, ſiue aliquo incitatore, audaci flagitatione prorumperent, vt pacem ſibi à Martyribus & Confeſſoribus promiſſam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum literas feci, & legi eis mandaui, vt ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, ſi qui libello à Martyribus accepto de ſæculo excederent, exomologeſi facta, & manu eis in pœnitentiam impoſita, cùm pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temerè conſtitui; ſed cùm videretur & honor Martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant impetus comprimendus, & præterea veſtra ſcripta legiſſem, quæ huc ad Clerum noſtrum per Clementium hypodiaconum nuper feceratis, vt iis, qui poſt lapſum infirmitate apprehenſi eſſent, & pœnitentes communicationem deſiderarent, ſubueniretur; ſtandum putaui & cum veſtra ſententia, ne actus noſter qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia debet, in aliquo diſcreparet. Planè cæterorum cauſas quamuis libello à Martyribus accepto differri mandaui, & in noſtram præſentiam reſeruari; vt cùm pace à Domino nobis data, plures Præpoſiti conuenire in vnum cœperimus, communicato etiam vobiſcum conſilio diſponere ſingula & reformare poſſimus. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

epiſt. Actus noſter, qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia debet. Sic etiam Epiſt xxxi: Actus ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis fratribus comprobari R i g.

a EXTORRIBVS OBIVRGATIO.) Qui pro Chriſti quidem nomine extorres facti, non perſeuerauerant in Chriſtiana diſciplina, adeóque in eam patriam vnde extorres facti fuerant, regreſſi, non iam quaſi Chriſtiani deprehenderentur, ſed quaſi nocentes. De iis ſuprà, ad Rogatianum, pag. 13. & 14. *Idem*.

b SACRILEGIS CONTACTIBVS MANVS SVAS ATQVE ORA MACVLASSENT.) Hi dicebantur Sacrificati, qui maculauerant manus ſuas impoſito in acerram thure, vel maculauerant ora ſua veſcentes idolothyto. *Idem*.

c VEL NEFANDIS LIBELLIS NIHILO MINVS CONSCIENTIAM POLLVISSENT.) Iſti dicebantur Libellati, qui nimio vitæ mortalis amore martyrium euitauerant vel recuſauerant turpi redemptione. captata ſcilicet furunculi alicujus Præſidis auaritia; libellum ſignauerant nummariæ pactionis, ac per hoc vita turpiter redempta, perfido timore, nihilo minùs peccauerant quàm ſi ſacrificaſſent. Horum verò libellorum duæ ſpecies Hic dari fuiſſe videntur à Chriſtianis parum fidelibus. Quandoque autem offerebantur ab ipſo præſide per interpoſitas perſonas Chriſtianis minùs fortibus, qui taliter oblatos ſi accepiſſent, inter libellatos quidem cenſebantur; ſic tamen vt ab Eccleſia veniam faciliùs impetrarent. Obſeruabimus & tertiam ſpeciem, ad Epiſtolam xxxi. *Idem*.

d GRATIOSA DEPRECATIONE.) Per gratiam & cœco fauore. *Idem*.

e *Darentur quotidie libellorum millia*. vel hinc etiam apparet, non tam taxaſſe Cyprianum libellos Martyrum, quàm illorum immenſam copiam, ſine vllo, vt inquit, diſcrimine atque examine ſingulorum. Porrò hic loquitur de libellis martyrum, de lapſis, paulò autem priùs de libellis, quos iudici offerebant quidam ne ſacrificarent. PAM.

f PRESBYTERIS ET DIACONIBVS NON DEFVIT SACERDOTII VIGOR.) Operæpretium fuerit ſemel obſeruaſſe, vocabulis ſacerdotii & ſacramenti, in rebus Chriſtianis, omnia ſignificari quæ adminiſtrandæ diſciplinæ Chriſtianæ conueniunt. Itaque ad perſonas tali miniſterio præpoſitas, vt ſunt epiſcopi, preſbyteri, diaconi; pertinere dicuntur pontificia & ſacerdotia; auctoritas ſiue poteſtas faciendi, tradendi, interpretandíque religioſa myſteria ſiue ſacramenta, manus imponendæ, tinguendorum fidelium, orationum offerendarum Deo, &c. Atque inde fit, vt Cyprianus etiam in diaconis ſacerdotij vigorem laudauerit. R i g.

[a] CYPRIANVS [b] MOYSI ET MAXIMO PRESBYTERIS ET cæteris Confeſſoribus fratribus, S.

XV. ET cunctos vos pariter & ſingulos [c] repræſentauit affectibus noſtris, fratres chariſſimi, Celerinus aduenieus, & fidei ac virtutis veſtræ comes, & [d] glorioſis congreſſibus Dei miles; vniuerſos vos in illo veniente conſpeximus; & cùm charitatem circa me veſtram dulciter ac ſæpè loqueretur, in eius ſermonibus vos audiebamus. Satis ac plurimùm gaudeo, quando à vobis per tales talia perferuntur: vobiſcum illic in carcere quodam modo & nos ſumus, [e] diuinæ dignationis ornamenta vobiſcum ſentire nos credimus, qui ſic veſtris cordibus inhæremus: honori nos veſtro charitas veſtra indiuidua connectit, ſeparari dilectionem ſpiritus non ſinit: [f] vos illic confeſſio, me affectio includit. Et nos quidem veſtri diebus ac noctibus memores, [g] & quando in ſacrificiis [h] precem cum pluribus facimus, & cùm in ſeceſſu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus veſtris plenam à Domino fauentiam poſtulamus, ſed ad reddendam vobis vicem minor eſt noſtra mediocritas: plus vos datis quando noſtri in oratione meminiſtis, qui [i] ſpirantes iam ſola cœleſtia, & tantùm diuina meditantes, ad faſtigia celſiora [k] mora ipſa paſſionis aſcenditis; longóque temporum ductu glorias veſtras non trahitis, ſed augetis. Beatum facit prima, & vna confeſſio: vos totiens confitemini, [l] quotiens rogati, vt de carcere recedatis, carcerem fide, & virtute [m] præeligitis: tot veſtræ laudes, quot dies; quot menſium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit qui ſtatim patitur: at qui manens ſemper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur; quotidie coronatur. [n] Eant nunc Magiſtratus & Conſules ſiue Proconſules, annuæ dignitatis inſignibus & duodecim faſcibus glorientur; ecce dignitas cœleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt: & iam reuertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate tranſgreſſa eſt. Illuminabat mundum ſol oriens & luna decurrens, ſed vobis idem qui ſolem fecit & lunam, maius in carcere lumen fuit; & in corde ac mentibus veſtris Chriſti claritudo reſplendens, horribiles cæteris atque funeſtas pœnalis loci tenebras æterna illa & candida luce radiauit. Per viciſſitudines menſium tranſmeauit tempus hybernum; ſed & vos incluſi tempora hyemis, perſecutionis hyeme penſaſtis; Succeſſit hyemi verna temperies roſis læta, & floribus coronata; ſed vobis roſæ & flores de paradiſi deliciis aderant, & caput veſtrum ſerta cœleſtia coronabant. Æſtas ecce meſſium fertilitate fœcunda eſt, & area frugibus plena eſt; ſed vos qui gloriam ſeminaſtis, frugem gloriæ metitis: atque in Domini area conſtituti, exuri paleas inextinguibili igne conſpicitis, ipſi

a *Cyprianus Moyſi, &c.* Argumentum huius epiſtolæ habes infra epiſt. 40. PAM.

b. MOYSI ET MAXIMO.) In veteri catalogo Epiſcopor. Eccleſ. Rom. quem vidimus penes Nic. Fabrum Peireſcium Senatorem Aquenſem: Poſt paſſionem Fabij, Moyſes & Maximus preſbyteri, & Nicoſtratus diaconus, comprehenſi ſunt, & in carcerem ſunt miſſi Eo tempore ſuperuenit Nouatus ex Africa, & ſeparauit de Eccleſia Nouatianum & quoſdam confeſſores, poſtquam Moyſes in carcere defunctus eſt qui fuit ibi m. xi d xi. His addenda ſunt quæ de iiſdem preſbyteris ex eodem catalogo deſcripſimus ad Ep. LXVII. pag. 121. RIG.

c REPRÆSENTAVIT.) In Corbeïenſi, præſentauit. *Idem.*

d *Glorioſis congreſſibus.* Liber N. F. congreſſionibus. *Idem.*

e DIVINÆ DIGNATIONIS ORNAMENTA) Sic in vetuſtiſſimo Veronenſi, magis placuit Pamelio quod in quibuſdam legitur, *hortamenta*, quæ autem ſint illa confeſſorum in carcere ornamenta, fusè explicat Cyprianus ludente ſtilo floſculis exquiſitis. *Idem.*

f *Vos illic confeſſio, me affectio.* Liber N. F. me hic affectio. *Idem.*

g QVANDO IN SACRIFICIIS PRECEM CVM PLVRIBVS FACIMVS) Iam Tertullianus dixerat, Offerre ſacrificium. & Sacrificiorum orationes, & libro IV. aduerſus Marcionem, pag. 502. vbi agit de Noui Teſtamenti ſacrificiis, Sacrificiorum officia potiora ſignificari ait verbis iſtis Malachiæ prophetæ: Non eſt voluntas mea in vobis, inquit Dominus, & ſacrificia veſtra non excipiam de manibus veſtris, quoniam à ſolis ortu vſque ad occaſum glorificatum eſt in nationibus nomen meum, & in omni loco ſacrificium offertur nomini meo, & ſacrificium mundum, ſcilicet ſimplex oratio, de conſcientia pura. Libro III. pag. 497. ſacrificium illud mundum ſic explicat: gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni, & eodem libro pag. 512. Hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem ſcilicet, & actionem gratiarum apud eccleſiam per Chriſtum Ieſum catholicum Patris ſacerdotem *Idem.*

g *Et quando in ſacrificijs* Locus hic requirere videbatur tractatum de ſacrificio Dominico: verùm cum nuſquam ferè non illius mentionem facit Cyprianus, tum potiſſimùm epiſt. 63. infrà de ſacramento Calicis ad Cæcilium, eò lectorem remittimus. PAM.

h PRECEM CVM PLVRIBVS FACIMVS.] Orationum ſacrificia fiebant à preſbytero qui pro populo faciebat. hoc eſt, populi preces allegabat Deo RIG.

i SPIRANTES IAM SOLA COELESTIA.] Sic Veronenſis & Beneuentanus, & initio libri de Mortalitate: *poſitus in cœleſtibus caſtris diuina iam ſpirat.* Idem.

k MORA IPSA PASSIONIS) Perperam in Corbeienſi: *ad horam ipſam paſſionis.* Idem.

l QVOTIENS ROGATI VT DE CARCERE RECEDATIS.) Rogandi formula fuit, Serua animam tuam. Conſule tibi. His vocibus amici & propinqui non Chriſtiani, monere & hortari ſolebant amicos ſiue propinquos, ne perirent ſine cauſſa Sic illi Chriſtianæ veritatis & cœleſtium ignari. Nam diſciplina quidem vetabat, ne quis vltrò ſe offerret. hoc enim eſt præcipitis & parabolani: eàdem verò diſciplina cauetur, Ne quis animam ſuam ſic amet, vt pro Chriſti nomine ponere eam nolit. Ipſe Proconſul Cyprianum, quem iam Imperatorum edicta duci iuſſerant, hortabatur, *Iuſſerunt te principes cæremoniari.* Reſpondit ille: *Non facio.* Proconſul adjecit & ait: Conſule tibi. Videndus Sermo Auguſtini de paſſione S. Cypr. mar. *Idem.*

m PRÆELIGITIS) In Ver. prælegiſtis.

n *Eant nunc Magiſtratus & conſules.* Quum in aliis prouinciis prætores ferè conſtituti ſint à Romanis, in Africa Proconſules erant, vnde & Proconſularis appellatur à Plinio, & alijs Iudiciorum Proconſulis etiam meminit Tertullianus ad martyras, & Pontius in vita D. Cypriani. PAM.

ipſi vt tritici grana purgata & frumenta pretioſa, iam purgati & conditi, a hoſpitium carceris horreum computatis. Nec deeſt autumno ad munera fungenda temporis gratia ſpiritalis, vindemia foris premitur, & profutura poculis in torcularibus vua calcatur. Vos de Domini vinea pingues racemi, & iam maturis fructibus botri, preſſuræ ſæcularis infeſtatione calcati: torcular veſtrum carcere torquentes, vini vice ſanguinem funditis, ad paſſionis tolerantiam fortes martyrij poculum libenter hauritis. Sic apud ſeruos Dei annus euoluitur. Sic ſpiritalibus meritis, & cœleſtibus præmiis temporum viciſſitudo celebratur. Beati ſatis qui ex vobis per hæc gloriarum veſtigia commeantes, iam de ſæculo receſſerunt, confectóque itinere virtutis ac fidei b ad complexum & oſculum Domini, Domino ipſo gaudente venerunt. Sed & veſtra non minor gloria, qui adhuc in certamine conſtituti, & comitum glorias ſecuturi, pugnam diu geritis, immotáque & inconcuſſa fide ſtabiles, quotidie ſpectaculum Deo veſtris virtutibus exhibetis. c Quò longior veſtra pugna, hoc corona ſublimior. Agon vnus, ſed multiplici præliorum numeroſitate congeſtus. Famem vincitis, & ſitim ſpernitis, & ſqualorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic ſubigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, ſed optatur; quæ ſcilicet immortalitatis præmio vincitur, vt vitæ æternitate, qui vicerit, coronetur. Qui nunc in vobis animus, quàm ſublime quàm capax pectus; vbi talia & tanta voluuntur. Vbi non niſi Dei præcepta & Chriſti præmia cogitantur, voluntas eſt illic tantùm Dei; & in carne adhuc licet vobis poſitis, vita iam viuitur non præſentis ſæculi, ſed futuri. Nunc eſt, fratres chariſſimi, vt memores mei ſitis, vt inter magnas atque diuinas cogitationes veſtras, nos quoque animo ac mente voluatis, ſimque in precibus & orationibus veſtris; cum d vox illa purificatione confeſſionis illuſtris, & iugi honoris ſui tenore laudabilis, ad Dei aures penetrat, & aperto ſibi cœlo, de his ſubacti mundi partibus ad ſuperna tranſmiſſa, impetrat de Domini voluntate quod poſtulat. Quid enim petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini, qui ſic Domini mandata ſeruaſtis; qui Euangelicam diſciplinam ſincero fidei vigore tenuiſtis, qui incorrupto honore virtutis, cum præceptis Domini, & cum Apoſtolis eius fortiter ſtantes, nutantem multorum fidem Martyrij veſtri veritate ſolidaſtis? Verè Euangelij teſtes, & verè Martyres Chriſti radicibus eius innixi, e ſuper petram robuſta mole fundati, diſciplinam cum virtute iunxiſtis, ad timorem Dei cæteros prouocaſtis, martyria veſtra exempla feciſtis. Opto vos, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe.

VNI-

a *Hoſpitium carceris horreum.* Tertullianus capit. 2. ad Martyres eodem eloquio detonat vt Martyres adhortetur ad vincenda etiam carceris diſcrimina, ſquallorem, egeſtatem. Cuſtodiarium autem vocat ibi carcerem. PRI.

b AD COMPLEXVM ET OSCVLVM DOMINI.] Ad propagationem nominis Chriſtiani, inter tot tamque atroces perſecutionum procellas, quæ non rarò plebem, atque etiam plebi regendæ præpoſitos euertebant, omnibus modis allaborandum fuit epiſcopo, vt populum & clerum haberet deuotæ Chriſto fidei retinentiſſimum. Quod cùm perfici nullo magis conſilio poſſet, quàm propoſita confeſſoribus Chriſti felicitate præſentiſſima, moram eius adipiſcendæ abrogari poſſe omnem placuit martyrii prærogatiua, ne fortè illius obtinendæ ſpes in iudicii ſiue reſurrectionis tempus dilata minùs ſtrenuos milites faceret. Itaque martyres ſtatim à certamine ad coronam, hoc eſt ad Domini complexum & oſculum miſſi. Intereà verò etiam ante martyrii conſummationem Confeſſoribus optimis indultum, vt pacem lapſis impetrarent, quam non niſi per triſtiſſimas longi temporis auſteritates, ſecundùm Eccleſiæ diſciplinam ſperare potuiſſent. Hac igitur Epiſtola Cyprianus paratiſſima felicitatis æternæ gaudia Confeſſoribus exhibet, vt eorum exemplo ceteros ad martyrii conſtantiam erigat accendatque. RIG.

c *Quò longior veſtra pugna.* liber N. F. Quò longior veſtra confeſſio. *Idem.*

d VOX ILLA PVRIFICATIONE CONFESSIONIS ILLVSTRIS.] Chriſtianus ſum. Tertullianus in Apolog. ad tyrannum præſidem: *Vociferatur homo, Chriſtianus ſum, quod eſt dicit: tu vis audire quod non eſt.* Purificationem confeſſionis dicit Cyprianus, quia martyrii baptiſmo, ſiue lauacro ſanguinis pro Chriſto fuſi omnia delicta purgantur. *Idem.*

d VOX ILLA ILLVSTRIS.] Vocem illuſtrem dicit, quemadmodum Celerinus Epiſt. ad Lucianum, pag. 32. dicet, *Floridam confeſſionem.* hoc eſt purpuream, ſanguineam. *Idem.*

e SVPER PETRAM ROBVSTA MOLE FVNDATI.] Sic Epiſt. LII. pag. 71. Graues viros, & ſemel ſupra petram ſolida ſtabilitate fundatos. *Idem.*

VNIVERSI CONFESSORES a CYPRIANO PAPÆ, Salutem.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius recitat ipſe Cyprianus infra epiſt. 22. Poſtquam vero, inquit, ad eos litteras miſi, vt quaſi moderatius aliquid & temperatius fieret, vniuerſorum confeſſorum nomine idem Lucianus epiſtolam ſcripſit, &c.

SCIAS nos vniuerſis, b de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc formam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus. Optamus te cum ſanctis Martyribus pacem habere. c Præſente de Clero, & Exorciſta, & Lectore Lucianus ſcripſit. XVI.

DE

a CYPRIANO PAPAE.] In cod. Veronenſi legitur, pappati. RIG.

b DE QVIBVS APVD TE RATIO CONSTITERIT.] Ver. ad te. *Idem.*

c PRAESENTE DE CLERO.] In Veronenſi: Preſbyter de clero & exorciſta & lector Lucianus ſcripſit. *Idem.*

DE PRÆCEDENTI ET DVABVS SEQVENTIBVS Epiſtolis.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS FRAtribus, Salutem.

ARGVMENTVM.

Argumentum quoque huius epiſtolæ eſt infrà Epiſt. 22. Apud nos etiam, inquit, quidam turbulenti, qui vix à nobis in præteritum regebantur, & in noſtram ſententiam differebantur, &c.

XVII DOMINVS loquitur & dicit: Super quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Hoc cùm debeamus omnes eſſe, tum modo huiuſmodi illi eſſe debent quibus laborandum eſt, vt poſt grauem lapſum vera pœnitentia & humilitate tota promereri Dominum poſſint. Legi autem & vniuerſorum Confeſſorum litteras, quas voluerunt per me collegis omnibus innoteſcere, & ad eos pacem à ſe datam peruenire, de quibus apud nos ratio conſtiterit,[a] quid poſt commiſſum egerint. Quæ res cùm omnium noſtrûm conſilium & ſententiam exſpectet, præiudicare ego, & ſolus mihi rem communem vindicare non audeo. & ideò inſtetur interim Epiſtolis, quas ad vos proximè feceram: quarum exemplum collegis quoque multis iam miſi; qui reſcripſerunt placere ſibi quod ſtatuimus, nec ab eo recedendum eſſe, donec pace nobis à Domino reddita in vnum conuenire, & ſingulorum cauſas examinare poſſimus. Sed & quid mihi Caldonius collega meus ſcripſerit, quidque ego ei reſcripſerim, vt ſciretis; vtriuſque Epiſtolæ exemplum litteris meis iunxi: quod totum peto fratribus noſtris legatis, vt magis ac magis ad patientiam componantur, nec delicto proprio adiiciant adhuc aliud delictum, dum nec nobis nec Euangelio volunt ſeruire, nec ſecundùm vniuerſorum Confeſſorum litteras cauſas ſuas examinari permittunt. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem vniuerſam ſalutate. Valete.

a QVID POST COMMISSVM EGERINT.] Quam egerint facti ſui pœnitentiam. ſuprà pag. 9. Ne quid admiſerint vnde Eccleſia erubeſcat. pag. 12. Inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum pag. 13. Cognitionis hujus exemplum habemus in Epiſt. Celerini ad Lucianum in cauſa Numeriæ & Candidæ, pro quibus ad pacem obtinendam Celerinus litteras ſiue libellos ab egregio & fortiſſimo Confeſſore Luciano exoratus, commemorat quid poſt commiſſum egerint. Ipſæ, inquit, ad Confeſſores, qui à vexatione huc venerunt, in portum deſcenderunt, & in vrbem leuauerunt, ſexaginta quinque miniſtrauerunt, & in omnibus vſque in hodiernum fouerunt. Sunt enim penes illos omnes. Aliud exemplum ſuggerit epiſtola Caldonii Cyprianum exorantis pro lapſis quibuſdam, qui poſteaquam ſacrificauerunt, iteratò tentati, extorres facti ſunt. Videntur ergo mihi, inquit Caldonius, abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes Chriſtum ſequuntur, reliquerunt poſſeſſiones quas nunc fiſcus tenet. Ideóque reſpondet Caldonio Cyprianus, Rectè eum ſenſiſſe circa impertiendam fratribus pacem, quam ſibi ipſi vera pœnitentia & Dominicæ confeſſionis gloria reddiderant, ſermonibus ſuis iuſtificati, quibus ſe antè damnauerant. RIG.

DE LAPSIS.

CYPRIANO ET COMPRESBYTERIS CARTHAGINI conſiſtentibus, Caldonius, S.

ARGVMENTVM.

Quum lapſorum quidam noua vrgente perſecutione Chriſtum confeſſi eſſent, atque adeò antequam in exilium proficiſcerentur, pacem peterent: conſulit Cyprianum Caldonius, an pax illis danda foret.

XVIII.[a] NECESSITAS temporum facit, vt non temerè pacem demus. Sed oportebat vobis ſcribere, quoniam ij qui poſteaquàm ſacrificauerunt, iteratò tentati, extorres ſunt facti. Videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes Chriſtum ſequuntur. Ergo [b] Felix, qui Preſbyterium ſubminiſtrabat ſub Decimo, proximus mihi vicinus (pleniùs cognoui eumdem Felicem) & Victoria coniunx eius, & Lucius, fideles, extorres facti reliquerunt poſſeſſiones quas nunc fiſcus tenet. Sed & mulier nomine Bona; quæ tracta eſt à marito ad ſacrificandum, qua conſcien-

a NECESSITAS TEMPORVM FACIT, VT NON TEMERE PACEM DEMVS.] Tam atrociter ſæuiunt aduerſus Chriſtianos tormenta, vt etiam optimorum plerique dejiciantur, confeſtimque ad nos reuerſi tam certa pœnitentiæ dent ſigna, vt faciant nobis inuidiam, ſi repellamus. Itaque ſi faciles ſumus ad pacem erga hujúſmodi lapſos, non propterea tamen reprehendendi ſumus, nec temerè pacem damus quam neceſſitas extorquet. Et infrà ad epiſt. LII. obſeruauimus, eſſe in rebus etiam Chriſtianis aliqua neceſſitatis priuilegia. RIG.

b FELIX QVI PRESBYTERIVM SVBMINISTRABAT.] Subminiſtrare preſbyterium, non aliud mihi videtur, quàm quod hodie dicimus vicarium preſbyteri agere, ni fortè, *adminiſtrabat* legendum ſit. PAM.

ſcientia; non commiſſi, ſed quia tenentes manus eius ipſi ſacrificabant, cœpit dicere contrà: [a] Non feci, vos feciſtis; ſic & ipſa ex torris facta eſt. Cùm ergo vniuerſi pacem peterent, dicentes: Recuperauimus fidem, quam amiſeramus, pœnitentiam agentes, & Chriſtum publicè ſumus confeſſi: quamuis mihi videantur debere pacem accipere; tamen ad conſultum veſtrum eos dimiſi ne videar aliquid temerè præſumere. ſi quid ergo ex communi conſilio placuerit; ſcribite mihi. Salutate noſtros, vos noſtri. Opto vos feliciſſimos benè valere.

CY-

b QVI PRESBYTERIVM SVBMINISTRABAT.] Qui frequenti miniſterio preſbyteris aderat. Sic in epiſtola la Celerini quæ proximè ſequitur, Numeria & Candida, confeſſores ſexagintà quinque miniſtraſſe, & in omnibus fouiſſe dicuntur. RIG.

a NON FECI.] Martialis -- plus eſt dicere: Non facio. *Idem.*

CYPRIANVS CALDONIO FRATRI, S.

ARGVMENTVM.

Nihil peculiare agit hac epiſtola Cyprianus, quàm quod Caldonij ſententiæ accedit, ijs nempè lapſis pacem negandam non eſſe, qui vera pœnitentia, & Chriſti nominis confeſſione illam meruerint, atque adeò ſibi reddiderint.

ACCEPIMVS litteras tuas, frater chariſſime, ſatis ſobrias & integritatis ac fidei plenas. Nec miramur ſi exercitatus & in ſcripturis Dominicis peritus cautè omnia & conſultè geras. Rectè autem ſenſiſti circa impertiendam fratribus noſtris pacem, quam ſibi ipſi vera pœnitentia & Dominicæ confeſſionis gloria reddiderunt, [a] ſermonibus ſuis iuſtificati, quibus ſe antè damnauerant. Cùm ergo abluerint omne delictum, & maculam priſtinam aſſiſtente ſibi Domino [b] potiore virtute deleuerint, iacere vltra ſub diabolo quaſi proſtrati non debent; [c] qui extorres facti, & bonis ſuis omnibus ſpoliati erexerunt ſe, & cum Chriſto ſtare cœperunt. Atque vtinam ſic & cæteri poſt lapſum pœnitentes in ſtatum priſtinum reformentur. Quos nunc vrgentes, & pacem temerè atque importunè extorquentes, quomodo diſpoſuerimus, vt ſcires; [d] librum tibi cum Epiſtolis numero quinque miſi: quas ad Clerum, & ad plebem, & ad Martyres quoque & Confeſſores feci. quæ Epiſtolæ iam plurimis collegis noſtris miſſæ placuerunt, & reſcripſerunt ſe quoque nobiſcum in eodem conſilio ſecundùm Catholicam fidem ſtare. Quod ipſum etiam tu ad collegas noſtros, quos potueris, tranſmitte, [e] vt apud omnes vnus actus & vna conſenſio ſecundùm Domini præcepta teneatur. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere. XIX.

CE-

a SERMONIBVS SVIS IVSTIFICATI.] Voce illa ſcilicet purificatione confeſſionis illuſtri. ſuprà pag 29. RIG.

b POTIORE VIRTVTE DELEVERVNT.] Ferri poſſunt, qui ſe aliqua virtute à vitiis redimunt; haud ſimiles illi de quo Iuuenalis -- Monſtrum nulla virtute redemptum A vitiis -- Cyprianus in Chriſtiano, virtutem requirit macula priſtina potiorem. *Idem.*

c *Qui extorres facti &c.* Extorres hic ſunt ἀποκοινωνοὶ & qui vulgò ἀκοινώνητοι in antiquis canonibus dicuntur, quibus ob grauiſſima delicta communione & ſacro interdicebantur. PRI.

d LIBRVM TIBI MISI.] Librum de lapſis. RIG.

e VT APVD OMNES VNVS ACTVS.) In re ſcilicet fidei. Nam in Eccleſiæ adminiſtratione vnicuique præpoſito liberum eſſe ait voluntatis ſuæ arbitrium, Epiſtola ad Stephanum Epiſc. Rom. Ipſi preſbyteri Rom. ad Cyprianum, Epiſt. XXXI. Conſcientiam ſciant Deo ſoli debere ſe judici. Videantur extremæ clauſæ Epiſtolarum ad Stephanum & ad Iubajanum LXXII. LXXIII. RIG.

CELERINVS LVCIANO SALVTEM.

HÆc cùm tibi ſcriberem, Domine frater, gaudens & triſtis eram: gaudens eò quòd audierim, te pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri tentatum, & illius nomen penes magiſtratus huiuſmodi confeſſum: triſtis autem in eo quod ab eo ex quo te deduxi, numquam litteras tuas accipere potui. Et nunc modò duplex mihi triſtitia incubuit, quod cùm Montanum fratrem noſtrum communem abs te de carcere ad me eſſe venturum ſciebas, de ſalute tua, vel quid penes te agatur, mihi non ſignificaueris. Et hoc ſolet contingere ſeruis Dei, maximè eis qui in confeſſione Chriſti ſunt conſtituti. ſcio enim quoniam vnuſquiſque iam quæ ſunt ſæculi non attendit, quoniam coronam cœleſtem ſperat. Ego enim dixi, fortaſſe oblitum te eſſe mihi ſcribere. Nam vt tibi quoque de infimo tuus vel frater dicat, ſi fuero dignus Celerinus audire: tamen cùm eſſem & ego [b] in XX.

tam

a *Celerinus Luciano.* Argumentum huius & ſequentis epiſtolæ habes ſæpè dicta epiſt. 22. PAM.

b IN TAM FLORIDA CONFESSIONE.) Hoc eſt purpurea; in qua ſanguis fuſus eſt pro nomine Chriſti. Sic

tam florida confeſſione, fratres meos vetuſtiſſimos memorabam, & eos litteris meis memoraui, charitatem priſtinam eorum penes me meóſque nunc eſſe. Peto tamen, chariſſime, à Domino, vt ſi non antè cruore illo ſancto laueris pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, quàm litteræ meæ te in hoc mundo apprehendant, vel nunc ſi apprehenderint, mihi ad hæc reſcribas. Sic coronet te, cuius nomen confeſſus es. Credo enim quoniam etſi in hoc mundo nos non viderimus, in futuro tamen nos coronati à Chriſto complectemur. Per te ſim dignus & ego coronari cum numero veſtro. In magna tribulatione conſtitutum ſcias, & ac ſi ſis mecum præſens, ſic charitatis priſtinæ remiſcor die ac nocte, Deus ſolus ſcit. Et ideò peto vt annuas deſiderio meo, & mecum doleas in morte ſororis meæ, quæ [a] cecidit in hac vaſtatione Chriſto. ſacrificauit enim & exacerbauit Dominum noſtrum. quod nobis manifeſtum videtur. Pro cuius factis ego in lætitia Paſchæ flens die ac nocte; in cilicio & cinere lacrymabundus dies exegi, & exigo vſque in hodiernum, donec auxilium Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pietas per te vel per eos Dominos meos qui coronati fuerint, à quibus poſtulaturus es vt veniam habeant nefanda naufragia; memor ſum enim charitatis tuæ priſtinæ, quod cum omnibus doleas ſorores noſtras, quas & tu benè noſti, id eſt, Numeriam & Candidam; pro quarum peccatis quæ nos fratres habent, debemus excubare. Credo enim Chriſtum ſecundùm illarum pœnitentiam & opera, quæ penes collegas noſtros fecerunt extorres, qui à vobis venerunt, à quibus ipſis de operibus eorum audies iam, pro eis vobis Martyribus ſuis petentibus indulturum credo. Audiui enim te [b] floridorum miniſterium percepiſſe. O te felicem! ſuſcipe vota tua quæ ſemper deſideraſti, vel in terra dormiens; optaſti pro nomine illius in carcere mitti, quod nunc tibi contingit, ſicut ſcriptum eſt: Det tibi Dominus ſecundùm cor tuum. & nunc ſuper ipſos factus Antiſtes Dei, recognouit idem miniſter. Rogo itaque, Domine, & peto per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt cæteris collegis tuis, fratribus tuis, meis Dominis referas, & ab eis petas, vt quicumque prior veſtrûm coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numeriæ & Candidæ, tale peccatum remittant. Nam ipſam [c] Etecuſam ſemper appellaui, teſtis eſt nobis Deus, [d] quia pro ſe dona numerauit, ne ſacrificaret: ſed tantùm aſcendiſſe videtur [e] vſque ad Trianfacta, & inde deſcendiſſe. Hanc ergo non ſacrificaſſe ego ſcio. Quarum iam cauſa audita, præceperunt eas præpoſiti tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur. Sed quatenus per veſtras ſanctas orationes & petitiones, in quas nos fidimus quoniam eſtis amici, ſed & teſtes Chriſti, quod omnia indulgeatis. Peto ergo, Domine chariſſime Luciane, memor ſis mei, & petitioni meæ annuas. ſic Chriſtus coronam illam ſanctam, quam tibi non tantùm in confeſſione, ſed in ſanctimonia tradidit, in qua ſemper cucurriſti, exemplum ſanctorum, ſemper & teſtis fuiſti: vt omnibus dominis meis fratribus tuis Confeſſoribus referas de hoc facto, vt à vobis auxilium recipiant. Nam hoc, domine frater, ſcire debes; me non ſolùm hoc pro eis petere, ſed Statim & Seueriadum & omnes Confeſſores, qui inde huc à vobis venerunt, ad quos ipſæ in portum deſcenderunt, & in vrbem leuauerunt; quòd ſexaginta quinque miniſtrauerunt, & vſque in hodiernum in omnibus fouerunt. Sunt enim penes illas omnes. Plus autem grauare cor illud ſanctum tuum non debui, cùm ſciam te prona voluntate operari. Salutant te Macarius cum ſororibus ſuis Cornelia & Emerita, quæ lætantur confeſſione tua florida, ſed & omnes fratres: & Saturninus, qui & ipſe luctatus eſt cum diabolo, qui

Tertullianus lib. de Corona, dixit militem Chriſti tuſſatum ſanguinis ſui ſpe. & paullò pòſt Cæcilius noſter dicet floridos martyres, ſiue confeſſores, ſanguine fuſo purpuratos. Iam verò pridem Salmaſius probauit Græcos ſcriptores ἀνθηρὰν dixiſſe, purpuram veri luminis, hoc eſt coloris excellentis & perfectiſſimè florentis. Sic etiam auctores Latini, circa Cypriani ſeculum, Floridos verſus dixere, exquiſitis ſententiis nobiles: & excerpta quædam Apuleii, Florida. & floridus color opponitur auſtero, Plin. lib. XXXV. cap. 6. RIG.

a CECIDIT IN HAC VASTATIONE.) Hoc eſt, perſecutione. Cyprianus dixit, preſſuræ ſecularis infeſtationem, pag 29. *Idem.*

Si non antè cruore illo ſancto laueris. Quum poſt cruoris pro Chriſto effuſionem reſcribere non licuiſſet Luciano, nulli dubium eſſe debet, quin hìc prætermiſſa ſit aliquo caſu negandi particula, *non*; ego itaque illam interſerere non ſum veritus. PAM.

b FLORIDORVM MINISTERIVM.] Sic legendum arbitramur Floridos vocat Confeſſores illos jam florida confeſſione conſpicuos, qui jam torti equuleo, ſiue vngulis concerpti, fidem Chriſto conſtantiſſimè ſeruauerant, adeóque Proconſulis arbitrium exſpectabant in carcere: ſacrarum intereà litterarum conſtantiam paſcentes, ſpem erigentes, fiduciam figentes: omnia denique tractantes quæ præſentium temporum qualitas aut præmonere ſuadebat aut recognoſcere Ad hæc igitur Chriſtianæ pietatis officia fratribus ſecum incluſis Lucianus, ſuper ipſos factus antiſtes, ipſe quoque florida confeſſione præclarus miniſtrabat, ac deſideria Confeſſorum ad fratres qui fortè in proximo formam Eccleſiæ retinuerant, perſcribebat, aut ab dominæ matris Eccleſiæ vberibus tranſmiſſa refrigeria diſpenſabat. RIG.

c ET ETECVSAM SEMPER APPELLAVI.) Quaſi diceret, aſcendentem ad hoc quod compellebatur, reuocaui. Quod ſæpenumero feciſſe gloriatur clerus Romanus Ep. 11. pag. 24. *Idem.*

d QVIA PRO SE DONA NVMERAVIT NE SACRIFICARET.) Sacrificandi neceſſitatem nummis redemerat. Sic plerique ſolebant qui ſuis ad perferenda tormenta viribus diffidebant. itaque paciſcebantur cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præſide. Erga iſtos Cæcilius noſter multò fuit humanior ac benignior Tertulliano, qui perſecutionem neque eſſe fugiendam cenſuit neque redimendam. Pretium intereſt, inquit: ceterùm, ſicut fuga redemptio gratuita eſt, ità redemptio, nummaria fuga eſt *Idem.*

e VSQVE AD TRIANFACTA.) Etecuſam vſque ad Trianfacta aſcendiſſe ait, ſed non ſacrificaſſe. nimirùm corruptis pretio militibus dimiſſionē redemiſſe. Quid verò ſignificetur hoc vocabulo, Trianfacta, valde eſt ambiguum; cùm ipſius ſcripturæ fidem exemplarium inopia faciat incertam. abſque exemplaribus autem quis credat conjectanti, locum aliquem in capitolio ſignificari, per quem eſſet ad Iouis ſimulacrum aditus ſacrificaturo, cancellis in amfractum ordine triplici diſpoſitis, adeòque, Afris Romanen-

qui & Chriſti nomen eſt fortiter confeſſus, qui & ibi in pœna vngularum fortiter eſt confeſſus, qui & hîc nimis rogat & petit. Salutant te fratres tui Calphurnius, & Maria, & omnes ſancti fratres. Nam hoc ſcire debes; me & dominis meis fratribus tuis ſcripſiſſe, quas peto illis eas legere digneris.

LV-

manenſibus neutro genere pronunciantibus, Triamfracta vocitatum. *Idem.*

Vſque ad Trianſacta. Sunt qui putent ſatis emendatam fore hanc ſcripturam: *vſque ad Triumfata*, ac de loco intelligi velint vbi gentes victimis triumphatis veſcebantur. Quod ſanè probari poſſe videatur Ouidij verſu, Faſt. 3. *deque triumphato viſcera toſta boue.* Idem.

LVCIANVS CELERINO DOMINO [a] SI DIGNVS FVERO vocari Collega in Chriſto, S.

[b] ACCEPI litteras tuas, Dominè frater dilectiſſime, in quibus mè tantùm grauaſti, vt perpetua grauatione tanto gaudio penè exciderim, vt litteras quas & ego optabam, poſt tantum temporis legere, in quibus mei dignatus memorare, beneficio tantæ tuæ humilitatis legere exultaui, qui ſcribens mihi dicis. Si dignus fuero frater nominari tuus; hominis qui [c] apud puſilliores nomen Dei cum timore confeſſus ſum. Nam tu Deo volente ipſum anguem maiorem [d] metatorem Antichriſti, nos tantum confeſſus deterruiſti, vocibus illis & verbis deficis, quibus ſcio quaſi amatores fidei & zelotypi diſciplinæ Chriſti, in qua tenoris viuacitate verſari te gaudeo, viciſti. Nunc, chariſſime, iam inter Martyres deputande, voluiſti nos litteris tuis grauare, in quibus ſignificaſti de ſororibus noſtris; pro quibus vtinam fieri poſſet, vt ſine tanto ſcelere commiſſo memoriam faceremus; non profectò tantis lacrymis incumberemus, vt nunc. Scire debuiſti quid circa nos actum ſit. Cùm benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocauit me, & dixit mihi: Luciane, coram Chriſto tibi dico, vt ſi quis [e] poſt arceſſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo: ſed & omnes quos Dominus in tanta tribulatione arceſſire dignatus eſt, vniuerſi litteras [f] ex compacto vniuerſis pacem dimiſimus. Videas ergo frater, quod tam placuit mihi quod Paulus præcepit, quàm vniuerſis, quod cenſuimus, ex quibus eramus in hac tribulatione, cùm iuſſimus, ſecundùm præceptum Imperatoris fame & ſiti & necati & recluſi ſumus in duabus cellis, ita vt nos afficerent fame & ſiti, ſed & ignis ab opere preſſuræ noſtræ tam intolerabilis erat, quam nemo portare poſſet, ſed nunc ipſam claritatem ſumus conſecuti. Et ideò frater chariſſime, ſaluta Numeriam & Candidam, quæ ſecundùm Pauli præceptum & cæterorum Martyrum, quorum nomina ſubiicio, [g] Baſſi in peierario, Mappalici in quæſtione, Fortunionis in carcere, [h] Pauli à quæſtione, Fortunæ, Victorini, Victoris, Herenei, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venti, Fructi, Iuliæ, Martialis, & Ariſtonis, qui Deo volente in carcere fame necati ſunt (quorum & nos ſocios futuros intra dies audietis.) iam iteratò recluſi ſumus, ſunt dies octo in die quo tibi litteras ſcripſi. Nam & ante dies octo

XXI.

[a] SI DIGNVS FVERO VOCARI COLLEGA.) Scripſerat Celerinus Luciano: Vt tibi quoque de infimo tuus vel frater dicar, ſi fuero dignus Celerinus audire. Reddit igitur Lucianus Celerino voces ſuas, pulcro Chriſtianæ humilitatis certamine, quod explicabit ipſa mox epiſtola, non elegantior præcedenti, ſed non minùs Chriſtiana. RIG.

[b] ACCEPI LITTERAS TVAS IN QVIBVS ME TANTVM GRAVASTI.] Valde dura eſt & incompta dictio hujus epiſtolæ totius, ſed initium præſertim intricatiſſimum: mens verò digna bono Confeſſore Chriſti. Reſpondet Lucianus litteris Celerini atque iis tanto ſe pudore oneratum fuiſſe ait ſimul ac legit ea Celerini verba, Si dignus fuero frater tuus audire, vt perpetuo dein pudore grauatos pene exciderit gaudio, quod maximum ceperat ex litteris quas optabat poſt tantum temporis legere. Exultabam, inquit, lecta mentione mei honorificentiſſima, ſed pro tanto tuæ humilitatis beneficio, quo tam demiſſè de te. aut tam magnificè de me ſentis, vt dixeris: Si dignus fuero frater nominari tuus, in ruborem adeò ſum datus, vt omnis mea lætitia confuſa penè corruerit Nam quid mea apud puſillum magiſtratulum confeſſio, præ illa tua, quæ Chriſti nomen confeſſa eſt, non tantùm coram milite, aut coram aliquo præſide, ſed coram ipſo Cæſare, atque hoc vocibus generoſis ac verbis planè diuinis, quibus ſcio, viciſti anguem illum majorem, metatorem Antichriſti. & hoc quidem ſcio, qua fiducia ſciunt amatores fidei & zelotypi diſciplinæ Chriſti; in qua tenoris viuacitate verſari te etiam atque etiam lætor. *Idem.*

[c] APVD PVSILLIORES.) Prudenter, atque ex diſciplina Chriſti, ſubticet magiſtratus, præſides, proconſules. & mox dicet, anguem majorem & metatorem Antichriſti, non Rom. Imperatorem, non Cæſarem. *Idem.*

[d] METATOREM ANTICHRISTI.) Nam ex verbis Pauli ad Theſſalonicenſes, à fine imperii Romani, Antichriſtus. Scitè autem dicit anguem, quaſi lineam ſeu funiculum metatoris. alluditque ad Diabolum, quem ſacræ litteræ ſerpentem nuncupant. *Idem.*

[d] SI QVIS ABS TE PACEM PETIERIT, DES IN NOMINE MEO.) Immo, in nomine Chriſti dari debuit, ſi dari expediebat: non in nomine Pauli illius, quamuis benedicti martyris. Ac propterea meritò Cyprianus Luciani inuerecundiam notat, epiſtola proximè ſequenti, plena grauitatis & prudentiæ Chriſtianæ. *Idem.*

[e] POST ARCESSITIONEM MEAM.) Poſtquam me Dominus vocauerit. Mortem dicere nolunt Chriſtiani; minimè autem Martyres, quibus eſt corona præſto. *Idem.*

[f] EX COMPACTO.) Mox dicet, *ſecundùm noſtrum tractatum. Idem.*

[g] BASSI IN PEIERARIO.) Videndum in exemplari, an aliqua exſtent veſtigia ſcripturæ, *in petrario*, quod eſſet in metallo. *Idem.*

[g] *Baſſi in peierario.* Quid peierarium vocet neſcio, niſi fortè locum tormentorum, in quo multi fideles iam peierarint. Porò an omnes hi Martyres eodem die paſſi ſint, non iſta conſtant. fit mihi veriſimile quod non. Baſſi enim Martyris & Iuliæ fit mentio in Martyrologiis ad 16. Cal. Mappalici & ſociorum ad 15. Cal. Maias; Fortunionis verò & aliorum quorumdam 3. Cal. Martii. PAM.

[h] PAVLI A QVAESTIONE) Sic in Actis ſynodalibus collectis ab Hilario Pictauenſi, *Liberius de exilio.* RIG.

E

octo per dies quinque medios modicum panis accepimus & aquam ad menſuram) & ideò frater peto, vt ſicut hic cùm Dominus cœperit ipſi Eccleſiæ pacem dare ſecundùm præceptum Pauli & noſtrum tractatum, [a] expoſita cauſa apud Epiſcopum, & facta exomologeſi, habeant pacem; non tantum hæ, ſed & quas ſcis ad animum noſtrum pertinere. Salutant vos collegæ mei vniuerſi: vos ſalutate Confeſſores Domini qui ibi vobiſcum ſunt, quorum nomina ſignificaſti; inter quos & Saturninus cum comitibus ſuis, ſed & collega meus, & Macharius, Cornelia, & Emerita, Calphurnius & Maria, Sabina, Speſina, & ſorores, Ianuaria, Datiua, Donata. Salutamus cum ſuis Saturum, Baſſianum & vniuerſum Clerum, Vranium, Alexium, Quintianum, Colonicam, & vniuerſos; quorum nomina non ſcripſi, quia iam laſſus eram, ideò ignoſcere debent. Opto vos benè valere, Alexium & Getulicum & argentarios & ſorores. Salutant vos ſorores meæ, Ianuaria & Sophia, quas vobis commendo.

DE

a *Expoſita cauſa apud Epiſcopum.* Vides hîc à Luciano quantumuis indiſcreto, tamen obſeruatum illud quod toties in preſbyteris reprehendit Cyprianus, vt cauſæ apud Epiſcopum; & exomologeſis præmitterentur, antè quàm pax daretur, etiam ad preces Martyrum. PAM.

DE SEX EPISTOLIS PRÆCEDENTIBVS ET LVCIANI inuerecundia.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ROMÆ conſiſtentibus fratribus, Salutem.

ARGVMENTVM.

Quum, vti è præcedentibus epiſtolis conſtat, mira inuerecundia Lucianus Pauli & aliorum confeſſorum ſiue martyrum nomine, paſſim lapſis omnibus ſine diſcrimine, & ſine examine libellos concederet, atque adeò lapſi pacem à Cypriano extorquere niterentur, conqueritur de illorum importunitate apud Clerum Romanum, & in dictorum confirmationem, epiſtolarum præcedentium exempla tranſmittit.

XXII. POST factas ad vos litteras, fratres chariſſimi, quibus actus noſter expoſitus, & diſciplinæ ac diligentiæ quantulacumque ratio declarata eſt, aliud acceſſit, quod nec ipſum latere vos debuit. Nam frater noſter Lucianus & ipſe vnus de Confeſſoribus, [a] fide quidem calidus & virtute robuſtus, minus Dominica lectione fundatus, quædam conatus eſt [b] imperiti iampridem ſe vulgi auctorem conſtituens, vt manu eius ſcripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur; cum Mappalicus Martyr cautus & verecundus, legis ac diſciplinæ memor nullas contra Euangelium litteras fecerit, ſed tantùm domeſtica pietate commotus matri ſuæ & ſorori, quæ lapſæ fuerant, mandauerit pacem dari: Saturninus quoque poſt tormenta adhuc in carcere conſtitutus, nullas eiuſmodi litteras emiſerit. Lucianus verò non tantùm Paulo adhuc in carcere poſito nomine illius libellos manu ſua ſcriptos paſſim dedit, ſed & poſt eius exceſſum eadem facere ſub eius nomine perſeuerauit, dicens hoc ſibi ab illo mandatum; neſciens Domino magis quàm conſeruo obtemperandum. Aurelij quoque adoleſcentis tormenta perpeſſi nomine libelli multi dati ſunt, eiuſdem Luciani manu ſcripti, quod litteras ille non noſſet. Cui rei vt aliquatenus poſſet obſiſti, litteras ad eos feci, quas ad vos ſub Epiſtola priore tranſmiſi; quibus petere & ſuadere non deſtiti, vt Dominicæ legis, & Euangelij ratio teneretur. poſtquam verò ad eos litteras miſi, vt quaſi moderatius aliquid & temperantius fieret, vniuerſorum Confeſſorum nomine idem Lucianus Epiſtolam ſcripſit, qua penè omne vinculum fidei & timor Dei & mandatum Domini, & Euangelij ſanctitas, & firmitas ſolueretur. Scripſit enim omnium nomine, vniuerſis eos pacem dediſſe, & hanc formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle, cuius Epiſtolæ exemplum ad vos tranſmiſi. Additum eſt planè: de quibus ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint. Quæ res maiorem nobis conflat inuidiam, vt nos cùm ſingulorum cauſas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare; quod ſe nunc omnes iactant à Martyribus, & Confeſſoribus accepiſſe. Denique huius ſeditionis origo iam cœpit: nam in prouincia noſtra per aliquot ciuitates in Præpoſitos impetus multitudinum factus eſt, [c] & pacem quam ſemel cunctis à Martyribus & Confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari coëgerunt; territis & ſubactis præpoſitis ſuis, qui ad reſiſtendum minus virtute animi, & robore fidei præualebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui

a FIDE QVIDEM CALIDVS.) Sic Epiſt. ad Antonianum dixit fidei calorem, Si fidei calor præualet. Et lib. de opere & eleëmoſ. Credentium fides nouo adhuc fidei calore feruebat. RIG.

b IMPERITI IAMPRIDEM SE VVLGI AVCTOREM CONSTITVENS.) Exemplar Veronenſe: *Quædam conatus eſt imperitè iampridem ſe auctorem conſtituens. Idem.*

c ET PACEM QVAM SEMEL CVNCTIS A MARTYRIBVS.) In Veronenſi, *quamuis ſemel.* Vnde Latinius, *quàm vix. Idem.*

qui vix à nobis in præteritum regebantur, & in noſtram præſentiam differebantur, per hanc Epiſtolam, velut quibuſdam facibus accenſi, plus exardeſcere, & pacem ſibi datam extorquere cœperunt. De quibus quales ad Clerum noſtrum litteras fecerim, exemplum vobis miſi: ſed & quid mihi Caldonius collega pro integritate & fide ſua ſcripſerit, quidve ego ei reſcripſerim, vtrumque ad vos legendum tranſmiſi. Exempla quoque Epiſtolæ Celerini boni & robuſti Confeſſoris, quam ad Lucianum eumdem Confeſſorem ſcripſerit, item quid Lucianus ei reſcripſerit, miſi vobis; vt ſciretis & laborem circa omnia & diligentiam noſtram, & veritatem ipſam diſceretis: Celerinus confeſſor, quàm ſit moderatus & cautus, & humilitate ac timore [a] ſectæ noſtræ verecundus. Lucianus verò circa intelligentiam Dominicæ lectionis, vt dixi, [b] minus peritus, & circa inuidiam verecundiæ noſtræ relinquendam facilitate ſua moleſtus. Nam cum Dominus dixerit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti gentes tingui, & [c] in baptiſmo præterita peccata dimitti: hic præcepti & legis ignarus, mandat pacem dari & peccata dimitti in Pauli nomine, & hoc ſibi dicit ab illo eſſe mandatum, ſicut in litteris eiuſdem Luciani ad Celerinum factis animaduertetis. Quibus minimè conſiderauit, quod non Martyres Euangelium faciant: ſed per Euangelium Martyres fiant: quando & Paulus Apoſtolus, quem Dominus vas electionis ſuæ dixit, poſuerit in Epiſtola ſua, dicens: Miror quòd ſic tam cito demutamini ab eo qui vos vocauit in gratiam, ad aliud Euangelium, quod non eſt aliud: niſi ſi ſunt aliqui, qui vos turbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti; ſed licet nos, aut Angelus de cælo aliud adnunciet, præterquàm adnunciauimus vobis, anathema ſit: ſicut prædiximus, & nunc iterùm dico, ſi quis vobis adnunciauerit præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit. Opportunè verò ſuperuenerunt litteræ veſtræ, quas accepi ad Clerum factas, item quas beati Confeſſores Moyſes & Maximus, Nicoſtratus & cæteri Saturnino, & Aurelio, & cæteris miſerunt, in quibus Euangelij plenus vigor & [d] diſciplina robuſta legis Dominicæ continentur; laborantes hîc nos, & contra inuidiæ impetum totis fidei viribus reſiſtentes, multùm ſermo veſter adiuuit, vt diuinitus compendium fieret; & priuſquàm venirent ad vos litteræ, quas vobis proximè miſi, declararetis nobis, quòd ſecundùm Euangelij legem ſtet nobiſcum fortiter atque vnanimiter etiàm veſtra ſententia. Opto vos, fratres, ſemper benè valere.

AD

a *Secta noſtra.* Sectæ nomine in bonam partem frequenter vtitur Tertullianus, pro confeſſione Chriſtiana; vti videre eſt libris de fuga in perſecutione, de Pallio, & apologetico contra gentes. Quem pro more ſuo imitatur Cyprianus, tum hic, tum epiſt. 33. de Celerino, & præfat lib. 1. teſtimon. ad Quirinum. Sic etiam Actor. 26. *αἵρεσιν* in bonam partem accepiſſe Apoſtolum, teſtis eſt Beda, retractatione ſua in acta. pro quo ibidem, *Sectam*, non malè vertit noſter interpres. PAM.

b MINVS PERITVS.] In exemplari: Lucianus verò circa intelligentiam dominicæ lectionis, vt diximus, imperitus. Huius epiſtolæ principio dixit eumdem Lucianum dominica lectione minùs fundatum. RIG.

c IN BAPTISMO PRAETERITA PECCATA DIMITTI.) Idololatriæ ſcilicet, & quæcunque alia ante Fidem commiſſa fidelibus dimittuntur, & gratiæ per Fidem conceſſæ ſignaculum, ſiue ſacramentum, baptiſmi lauacro confertur. *Idem.*

d DISCIPLINA ROBVSTA. Sic ſuprà, Lucianum dixit, *virtute robuſtum. Idem.*

AD CLERVM, DE LITTERIS ROMAM MISSIS, ET DE Saturo lectore & Optato hypodiacono factis.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus, Salutem.

NE quid conſcientiam veſtram lateret, fratres chariſſimi, quid mihi ſcriptum ſit, quidque ego reſcripſerim, vtriuſque Epiſtolæ exemplum vobis miſi: & credo vobis id quod reſcripſi, non diſplicere. Sed & illud ad vos perferre litteris meis debui, vrgente cauſa, Clero in vrbe conſiſtenti litteras me miſiſſe. Et [a] quoniam oportuit me per Clericos ſcribere: ſcio autem noſtros plurimos abſentes eſſe, paucos verò, qui illic ſunt, vix ad miniſterium quotidiani operis ſufficere: neceſſe fuit nouos aliquos conſtituere, qui mitterentur: Feciſſe me autem ſciatis lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum confeſſorem: quos iam pridem communi conſilio [b] Clero proximos feceramus; quando aut Saturo die Paſchæ ſemel atque iterùm lectionem dedimus; aut modo cum Preſbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum [c] inter lectores doctorem Audientium conſtituimus; examinantes an congru- XXIV.

a QVONIAM OPORTVIT ME PER CLERICOS SCRIBERE. Tam reuerenter Chriſtiana negotia peragebantur, vt ad Clerum non ſcriberet Epiſcopus niſi per Clericos. Obſeruandùm verò eſt, ab eo iam tempore quo plebs Chriſtiana ſimul cum Clericis de rebus Eccleſiæ iudicabat, adeò ſeparatos à clericis laïcos, vt Epiſcopi litteras non niſi clerici perferrent. & hoc fortean prudenter: vt ſi tutius videretur, etiam verbo mandata referrent. RIG.

b CLERO PROXIMOS. Erat igitur aliqua dignitas, proximatus Clero, & fortean mellò proximatus. ad eámque dignitatem etſi minimam Cyprianus adſumebat communi conſilio. Proximi iſti clero, facti ad exemplum eorum qui circa Principem in ſacris ſcriniis militabant. Et eſt libro XII. C tit De proximis ſacrorum ſcriniorum. *Idem.*

c INTER LECTORES DOCTOREM AVDIENTIVM. Itaque tunc, etiam in Lectoribus eruditio & doctrina. *Idem.*

congruerent illis teſtimonia, quæ eſſe debent in his, qui ad Clerũ parabantur. Nihil ergo à me abſentibus vobis factum eſt: ſed quod iam pridem communi conſilio omnium noſtrûm cœperat, neceſſitate vrgente promotum eſt. Opto vos fratres chariſſimi, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe, fraternitatem ſalutate, Valete.

CYPRIANVS MOYSI ET MAXIMO PRESBYTERIS, ET cœteris Confeſſoribus dilectiſſimis fratribus, Salutem.

XXV. GLORIAM fidei & virtutis veſtræ, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, iampridem de opinione cognoueram, lætatus ſatis & plurimũ gratulatus; quod vos confeſſione ſui nominis parauerit ad coronam Domini noſtri præcipua dignatio. Vos enim primores & duces ad noſtri temporis prælium facti cæleſtis militiæ ſigna mouiſtis. vos [a] ſpiritale certamen, quod nunc geri Deus voluit, veſtris virtutibus imbuiſtis. vos ſurgentis belli impetus primos immobili robore atque inconcuſſa ſtabilitate fregiſtis. inde initia felicia pugnandi orta ſunt. Inde vincendi auſpicia cœperunt. Contingit hic per tormenta conſummari martyria, ſed qui in congreſſione præcedens, exemplum virtutis fratribus factus eſt, cum Martyribus in honore communis eſt. [b] Coronas veſtra manu ſertas inde huc tradidiſtis, & de poculo ſalutari fratribus propinaſtis. Acceſſit ad confeſſionis exordia glorioſa, & militiæ victricis auſpicia diſciplinæ tenor, quem de Epiſtolæ veſtræ vigore perſpeximus, quam modò ad collegas veſtros in confeſſione vobiſcum Domino copulatos, ſollicita admonitione miſiſtis; vt Euangelij ſancta præcepta, & tradita nobis ſemel mandata vitalia, forti & ſtabili obſeruatione teneantur. Ecce alius gloriæ veſtræ ſublimis gradus, ecce iterùm cũ confeſſione geminatus [c] promerendi Dei titulus: Stare firmo gradu; & in hac acie, qui Euangelium conantur irrumpere, & præceptis Domini ſubruendis manus impias inferentes, fidei robore ſubmouere; præbuiſſe antè initia virtutum, nunc & morum magiſteria præbere. Dominus poſt reſurrectionem mittens Apoſtolos mandat, & dicit; Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ite ergo & docete gentes omnes, tingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia quæcumque præcepi vobis. Et Ioannes Apoſtolus mandati memor in Epiſtola ſua poſtmodum ponit: In hoc, inquit, intelligimus quia cognouimus eum, ſi præcepta eius cuſtodiamus: Qui dicit quoniam cognouit eum, & mandata eius non ſeruat; mendax eſt; & veritas in illo non eſt. Hæc præcepta cùm cuſtodienda ſuggeritis, diuina & cæleſtia mandata ſeruatis. Hoc eſt eſſe Confeſſorem Domini, hoc eſt eſſe Martyrem Chriſti, ſeruare [d] vocis ſuæ inuiolatam circa omnia & ſolidam firmitatem; nec propter Dominum Martyrem fieri, & præcepta Domini deſtruere conari; vti aduerſus illum dignatione, quam tibi dederit; armis ab illo acceptis rebellem quodammodo fieri, hoc eſt, Chriſtum confiteri velle, & Euangelium Chriſti negare. Lætor igitur ex vobis fortiſſimi ac fideliſſimi fratres; & quantum gratulor Martyribus iſtic honoratis ob virium gloriam, tantum gratulor pariter & vobis ob Dominicæ etiam diſciplinæ coronam. Dignationem ſuam Dominus multiplici genere largitatis infudit, bonorum militum laudes & glorias ſpiritales copioſa varietate diſtribuit; honoris veſtri participes & nos ſumus, gloriam veſtram noſtram gloriam computamus, quorum tempora illuſtrauit tanta felicitas, vt ætate noſtra videre contingeret probatos ſeruos Dei, & Chriſti milites coronatos. Opto vos, fortiſſimi fratres, ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe.

CY-

a SPIRITALI CERTAMEN VESTRIS VIRTVTIBVS IMBVISTIS) Incœpiſtis. Phraſis Tertulliani, lib. de jejuniis, Vbi iam & familiaris populus allegi Deo cœpit, & reſtitutio hominis imbui potuit. & lib. de Pudicitia, vbi de Petro: Ipſe clauem imbuit, id eſt, claue vti cœpit. Nempe, euangelio verbi Dominici. RIG.

b CORONAS VESTRA MANV SERTAS) In exemplari Corbeïenſi legitur: *Corona veſtra manus veſtras*. Corruptè quidem, ſed vnde elici ſcriptura poſſit. *Coronas veſtra manu ſutas*. Non tamen diſplicet, *ſertas* Etenim ſerere coronam dici poteſt στεφανοπλόκος, qui flores in vſum coronæ ſtrophio inſerit, nectitque. *Idem*.

c PROMERENDI DEI TITVLVS.) Titulum dicit, gloriam, laudem, honorem. Sic loquitur ſæpiſſimè Tertullianus *Idem*.

c *Promerendi Dei titulus*. Hic titulus eſt occaſio; Tertullianus pro ligno vſurpat de patient. cap. 11. Apolog. 44. & aliis locis, pro capite ſeu indice apud Patres aliquando, & pariter apud Petronium Ciconia titulus tepidi temporis dicitur in ſatyr. PRI.

d VOCIS SVAE FIRMITATEM.] Hoc eſt fidei & profeſſionis ſuæ conſtantiam. Suprà dixit, Vocem floridam. RIC.

CYPRIANO PAPÆ MOYSES, ET MAXIMVS PRESBYteri, & Nicoſtratus, & Rufinus Diaconi, [a] & cæteri Confeſſores, qui cum eis ſunt, Salutem.

INter varios & multiplices, frater, dolores nobis conſtitutis propter præſentes multorum per totum penè orbem ruinas, hoc præcipuum nobis ſolatium ſuperuenit, quod acceptis litteris tuis erecti ſumus, & dolentis animi mœroribus fomenta ſuſcepimus. Vnde intelligere iam poſſumus gratiam diuinæ prouidentiæ, forſitan non ob aliam cauſam nos tamdiu clauſos vinculis carceris reſeruare voluiſſe; niſi vt inſtructi & robuſtiùs animati litteris tuis, voto proniore ad coronam deſtinatam poſſemus peruenire. Illuxerunt enim nobis litteræ tuæ, vt in tempeſtate quadam ſerenitas, [b] & in turbido mari exoptata tranquillitas, & in laboribus requies; vt in periculis & doloribus ſanitas; vt in denſiſſimis tenebris candida lux & refulgens. Ita illas animo ſitiente perbibimus, & voto eſuriente ſuſcepimus; vt ad certamen inimici, ex illis nos ſatis paſtos, & ſaginatos gaudeamus. Reddet tibi Dominus pro iſta tua charitate mercedem, & huius tam boni operis repræſentabit debitam frugem. Non minùs enim coronæ mercede condignus eſt, qui hortatus eſt, quàm qui & paſſus eſt: non minùs laude condignus qui docuit, quàm qui & fecit: non minùs honorandus eſt, qui monuit, quàm qui dimicauit: niſi quoniam nonnumquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum, qui inſtituit quàm ad eum qui ſe docibilem diſcipulum ſubminiſtrauit. hic enim fortaſſis hoc quod exercuit non habuiſſet, niſi ille docuiſſet. Percepimus igitur (iterùm dicimus) frater Cypriane, magna gaudia, magna ſolatia, magna fomenta, maximè quòd & glorioſas Martyrum non dicam mortes, ſed immortalitates, glorioſis & condignis laudibus proſequutus es: tales enim exceſſus talibus vocibus perſonandi fuerunt, vt quæ referebantur, ſic dicerentur qualiter facta ſunt; ex tuis ergo litteris vidimus glorioſos illos martyrum triumphos, & oculis noſtris quodammodo, cælum illos petentes, [c] proſecuti ſumus; & inter angelos ac poteſtates dominationeſque cæleſtes conſtitutos, contemplati ſumus: ſed & Dominum apud patrem teſtimonium ſuum illis promiſſum perhibentem auribus noſtris quodammodo ſenſimus. Hoc eſt ergo quod & nobis animum in dies ſingulos erigit, & ad conſequendos gradus tantæ dignationis intendit. Quid enim glorioſius, quidve felicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere, quàm inter ipſos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter ſæuientia ſæcularis poteſtatis varia & exquiſita tormenta, etiam extorto, & excruciato, & excarnificato corpore, Chriſtum Dei Filium, etſi recedente, ſed tamen libero ſpiritu confiteri? quàm relicto mundo cælum petiſſe? quàm deſertis hominibus inter Angelos ſtare? quàm impedimentis omnibus ſæcularibus ruptis in [d] conſpectu Dei iam ſe liberum ſiſtere? quàm cæleſte regnum ſine vlla cunctatione retinere? quam collegam paſſionis cum Chriſto in Chriſti nomine factum fuiſſe? quàm iudicis ſui diuina dignatione iudicem factum fuiſſe? quàm immaculatam conſcientiam de confeſſione nominis reportaſſe? quàm humanis & ſacrilegis legibus contra fidem non obediſſe? quàm veritatem voce publica conteſtatum fuiſſe? quàm ipſam, quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem ſubegiſſe? quàm per ipſam mortem immortalitatem conſecutum fuiſſe? quàm omnibus ſæuitiæ inſtrumentis excarnificatum & extortum, ipſis tormentis tormenta ſuperaſſe? quàm omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuiſſe? quàm ſanguinem ſuum profluentem non horruiſſe? quàm ſupplicia ſua poſt fidem amare cœpiſſe? quàm [e] detrimentum vitæ ſuæ putare non exiſſe? Ad hoc enim prælium quaſi quadam tuba Euangelij ſui nos excitat Dominus: dicendo: Qui plus diligit patrem aut matrem, quàm me, non eſt me dignus. & qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et iterùm; Beati qui perſecutionem paſſi fuerint propter iuſtitiam; ipſorum enim eſt regnum cælorum. Beati eritis cùm vos perſecuti fuerint & oderint: gaudete, & exultate; XXVI

ſic

a ET CETERI CONFESSORES.) Horum mentionem facere videtur Euſebij hiſtoria ſeptima, ex Cornelij quadam ad Fabianum epiſtola. Ait Nouatum, quoſdam de confeſſoribus viros optimos inter ipſa initia ſibi aſſumſiſſe: & in iis fuiſſe Maximum eccleſiæ Romanæ presbyterum, & Vrbanum qui ſecundò confeſſores extiterant. ſed & Sidonium Celerinum, qui valdè clari in confeſſoribus habebantur, eò quòd omnia tormentorum genera ſuperauerant. Obſeruandus hîc titulus honoris Chriſtiani, Confeſſor. ss. R i o.

b ET IN TVRBIDO MARI EXOPTATA TRANQVILLITAS.) Vet. exemplar: Vt in turbido mari tranquillitas, vt in laboribus requies *Idem.*

c PROSECVTI SVMVS.) Vetus exemplar: Quaſi proſecuti ſumus. *Idem.*

d IN CONSPECTV DEI IAM SE LIBERVM SISTERE.) In Veronenſi: *iam celerem ſiſtere.* hoc eſt, ſine vlla mora, ſine vlla cunctatione ad cæleſte regnum peruenire. *Idem.*

e DETRIMENTVM VITAE SVAE PVTARE NON EXISSE) In Veronenſi: *detrimentum vitæ ſuæ putare non viciſſe.* Hoc eſt, detrimentum vitæ ſuæ putare, quod non ſit adeò tormentis excarnificatus, vt ſuper exanimatum tortor exclamaret, Viciſſe. *Idem.*

ſic enim & Prophetas perſecuti ſunt, qui antè vos fuerunt,[a] patres eorum. Et iterùm: Quoniam ante reges & poteſtates ſtabitis; & tradet frater fratrem ad mortem, & pater filium, & qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit. Et: Vincenti dabo ſedere ſuper thronum meum, ſicut & ego vici & ſedi ſuper thronum patris mei; Sed & Apoſtolus: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius, ſicut ſcriptum eſt, quia propter te interficimur tota die, æſtimati ſumus velut oues victimæ, ſed in iis omnibus ſuperuincimus pro eo, qui nos dilexit. Hæc, & huiuſmodi cùm in Euangelio collata perlegimus, & quaſi faces quaſdam ad inflammandam fidem, dominicis vocibus, ſuppoſitas nobis ſentiamus, hoſtes veritatis iam non tantùm non perhorreſcimus, ſed prouocamus, & inimicos Dei iam hoc ipſo, quod non ceſſimus, vicimus: & [b] nefarias contra veritatem leges ſubegimus: & ſi nondum noſtrum ſanguinem fudimus, ſed fudiſſe parati ſumus. Nemo hanc dilationis noſtræ moram clementiam iudicet, quæ nobis officit, quæ impedimentum gloriæ facit, quæ cælum differt, quæ glorioſum Dei conſpectum inhibet. In huiuſmodi enim certamine, & in huiuſmodi, vbi decertat fides, prælio, mora martyres non diſtuliſſe; vera clementia eſt. Pete ergo, Cypriane chariſſime, vt nos gratia ſua Dominus magis ac magis in dies ſingulos quoſque vberiùs, atque propenſiùs, & armet, & illuſtret, & viribus potentiæ firmet, ac roboret: vtque [c] quaſi optimus Imperator milites ſuos, quos vſque adhuc in caſtris carceris exercuit, & probauit, producat iam ad propoſiti certaminis campum: porrigat nobis arma diuina, illa tela, quæ neſciunt vinci, loricam iuſtitiæ, quæ nunquam ſolet rumpi, clypeum fidei, qui non poteſt perforari, & gladium Spiritus, qui non conſueuit vulnerari. cui enim magis hæc, vt pro nobis petat, mandare debemus, quàm tam glorioſo Epiſcopo, vt [d] hoſtiæ deſtinati petant auxilium de ſacerdote? Ecce aliud gaudium noſtrum, quod in officio Epiſcopatus tui, [e] licet interim à fratribus pro temporis conditione diſtractus es, tamen non defuiſti: quod litteris confeſſores frequenter corroboraſti, quod etiam ſumptus neceſſarios de tuis laboribus iuſtis præbuiſti, quod omnibus te præſentem quodammodo exhibuiſti: quod in nulla officij tui parte quaſi aliquis deſertor claudicaſti. Sed quod nos ad maiorem lætitiam robuſtiùs prouocauit, tacere non poſſumus; quin omni vocis noſtræ teſtimonio proſequamur. Animaduertimus enim, te congruente cenſura, & eos dignè obiurgaſſe, qui immemores delictorum ſuorum pacem à Presbyteris per abſentiam tuam feſtinata & præcipiti cupiditate extorſiſſent, & illos qui ſine reſpectu Euangelij ſanctum Domini canibus, & [f] margaritas porcis profana facilitate donaſſent, cùm grande delictum, & per totum penè orbem incredibili vaſtatione graſſatum, non oporteat niſi, vt ipſe ſcribis, cautè moderatéque tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, [g] Presbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus, & ipſis ſtantibus Laicis, vt in tuis litteris & ipſe teſtaris, ne dum volumus importunè ruinis ſubuenire, alias maiores ruinas videamur parare. Vbi enim diuinus ſermo relinquitur; ſi tam facilè peccantibus venia præſtetur: fouendi ſunt ſanè ipſorum animi, & ad maturitatis ſuæ tempus nutriendi; & de ſcripturis ſanctis, quàm ingens, & ſupra omnia peccatum commiſerint, inſtruendi. Nec hoc animentur, quia multi ſunt; ſed hoc ipſo magis reprimantur, quia non pauci ſunt. [h] Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere conſueuit, ſed pudor, ſed modeſtia, ſed patientia, ſed diſciplina, ſed humilitas, atque ſubiectio: ſed alienum de ſe expectaſſe iudicium; ſed alienam de ſuo ſubſtinuiſſe ſententiam. Hoc eſt, quod pœnitentiam probat; hoc eſt, quod impreſſo vulneri inducit cicatricem; hoc eſt, quod deiectæ mentis ruinas erigit & attollit; quod ardentem delictorum æſtuantium vaporem reſtringit & finit. Non ea, quæ ſanorum ſunt corporum, medicus ægris dabit: ne importunis cibis tempeſtatem valetudinis ſæuientis non reprimat, ſed accendat: ſcilicet, [i] ne quod potuiſſet maturiùs ieiunio extenuari

a *Patres eorum.* Oratio conſarcinata ex Matthæi & Lucæ euangeliis. Nam verba hæc: *ſic enim faciebant prophetis patres eorum*, Lucæ ſunt; apud Matthæum verò ſunt iſta: *ſic enim perſecuti ſunt prophetas qui fuerunt antè vos.* Colligere hinc licet modum concordiæ euangelicæ, ita vt etiam ſingula ſingulorum euangeliſtarum verba ſeruentur: quem ita exactè tradidit & ſeruauit Reuerendiſſimus in Chriſto pater Diuus Cornelius Ianſenius electus Gandenſis, vt omnibus palmam præripuerit. PAM.

b ET NEFARIAS CONTRA VERITATEM LEGES SVBEGIMVS.) In Veronenſi, *contra ciuitatem.* quod intelligi poteſt de ciuitate cæleſti, quæ eſt vera Chriſtianorum patria. & eſt municipatus noſter in cælis. RIG.

c QVASI OPTIMVS IMP.) Scribendum vt in Veronenſi, *quà optimus imp.* Sic in Epiſt. ad Steph. de Marciano Arel. *quà paſtores vtiles & miſericordes.* & Epiſt. ad Pompeium, *quà fideles Dei milites. Idem.*

d HOSTIAE DESTINATI.) In Veronenſi: hoſtiæ deſtinatæ. Sic ſuprà, oues victimæ. Hoſtia verò relationem habet ſuam ad Sacerdotem, cuius eſt auctoritas & pontificium ſacrificare, immolare. *Idem.*

e LICET INTERIM A FRATRIBVS.) In Veronenſi: Licet in primo à fr. *Idem.*

f MARGARITAS PORCIS PROFANA FACILITATE DON.) In Ver. *prona fac. Idem.*

g PRESBYTERIS DIACONIBVS CONFESSORIBVS ET IPSIS STANTIBVS LAICIS.) Erant Cypriani æuo Subdiaconi & Lectores. An hic omittuntur, quia ſub nomine diaconorum intelligantur? Et quid Diaconis ſubiungit quaſi ordinem Confeſſorum, quando & Confeſſores etiam inter Presbyteros & Diaconos erat reperire? An fuit ſatis tales Confeſſores inter presbyteros & diaconos fuiſſe ſpectabiles? ceteros, de laïcis eximi, tantùm virtutis eorum ſignandæ gratia? vt jam denique ſtantes laïci dicantur ea pars Eccleſiæ quæ numero conſtat fidelium, ex quibus fierent Confeſſores & Subdiaconi & Diaconi & Presbyteri *Idem.*

h NIHIL NVMERVS IMPVDENS VALERE CONSVEVIT.) Vetus exemplar: *Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens conſulit. Idem*

i NE QVOD POSSET MATVRIVS IEIVNIO ATTENVANTE SANARI.) Pamelius ediderat: *ſcilicet ne*

per impatientiam longiùs paſta cruditate producat. a Eluendæ ſunt igitur impio ſacrificio manus inquinatæ, operibus bonis; & nefario cibo ora miſera polluta, pœnitentiæ ſunt veræ ſermonibus expianda. & in ſecretis cordis fidelis nouellandus, & conſecrandus eſt animus; crebri pœnitentium gemitus audiantur, & iterùm fideles ex oculis lacrymæ profundantur: vt illi ipſi oculi, qui malè ſimulachra conſpexerunt, quæ inlicita commiſerant, ſatisfacientibus Deo fletibus deleant. b Non eſt niſi patientia morbis neceſſaria: luctantur cum ſuo dolore qui languent; & ita demum ſperant ſanitatem, ſi tolerantia ſuperarint dolorem. infidelis enim cicatrix, quam citò feſtinans medicus induxit: & ad quemlibet caſum medela reſcinditur, ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtentur. Citò rurſus in incendium flamma reuocatur, niſi totius ignis etiam vſque ad extremam ſcintillam materia reſtinguatur, vt meritò huiuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa mora magis conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari. Cæterùm vbi erit quod cuſtodia ſqualidi carceris includuntur, qui Chriſtum confitentur: ſi ſine periculo fidei ſunt, qui negauerunt: vbi quod in nomine Dei catenarum ambitu vinciuntur, ſi ſine communicatione non ſunt, qui confeſſionem Dei non retinuerunt? c vbi quod detenti Martyres glorioſas animas ſuas ponunt; ſi, qui dereliquerunt fidem, periculorum & delictorum ſuorum non ſentiunt magnitudinem? quod ſi nimiam impatientiam præ ſe ferunt, & intolerabili feſtinatione communicationem expoſcunt, fruſtra querula iſta, & inuidioſa, ac nihil aduerſus veritatem valentia iactant petulanti, & infreni ore conuicia: quandoquidem licuerit illis ſuo iure retinere, quod nunc d ſua ſponte quæſita neceſſitate coguntur poſtulare: fides enim quæ potuit Chriſtum confiteri, potuit & à Chriſto in communicatione retineri. Optamus te, frater benè valere, & noſtri meminiſſe.

CY-

quod potuiſſet maturiùs ieiunio attenuante ſanari, videatur per impatientiam longiùs paſta cruditate produci. In Veronenſi legitur: *Ne quod potuiſſet maturiùs ieiunio attenuari, per impatientiam longiùs paſſiua cruditate producat.* Satis dixerat Cyprianus clauſula præcedente. *Non ea quæ ſanorum ſunt corporum medicus ægris dabit: ne importunis cibis tempeſtatem valetudinis ſæuientis non reprimat, ſed accendat* Satis inquam dixerat nec erat quod deſideraretur. Attamen ſequentia retinere ſi libeat, ſic omninò legenda ſunt, vt hàbentur in Veronenſi: Etenim illud *producat*, rectè reſpondebit præcedenti clauſulæ *accendat* Benè autem paſſiua eruditas opponitur ieiunio attenuanti, etenim ieiunium extenuat & conſtringit, edacitas & cruditas dilatat, expandit. Ieiunium reprimit, cruditas producit. *Idem.*

a *Eluendæ ſunt igitur impio ſacrificio, &c.* Elegans locus de ſatisfactionis modo, iuxta illud ad Rom. 6. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire Iuſtitiæ in ſanctificationem. PAM.

b NON EST NISI PATIENTIA MORBIS NECESSARIA.) Sic legitur in Veronenſi. RIG.

c VBI QVOD DETENTI MARTYRES GLORIOSAS ANIMAS SVAS PONVNT] Vetus exemplar tantùm habet: Vbi quod glorioſas animas ſuas ponunt. *Idem.*

d SVA SPONTE QVAESITA NECESSITATE.] Quæſita neceſſitas non eſt neceſſitas, ſed quæſitus color & prætextus neceſſitatis ficta & ſimulata neceſſitas. *Idem.*

CYPRIANVS LAPSIS.

DOMINVS noſter, cuius præcepta metuere & obſeruare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro; Ego tibi dico, quia tu es Petrus, a & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur: & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur. Cùm hoc itaque diuina lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſſe; quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero, b & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta. Abſit enim, ne Domini miſericordia & poteſtas eius inuidiam patiatur, vt Eccleſia eſſe dicatur lapſorum numerus; cùm ſcriptum ſit, Deus non eſt mortuorum, ſed viuorum. Omnes quidem viuificari optamus, & vt in ſtatum priſtinum reſtituantur, precibus noſtris & gemitibus oramus. ſi autem quidam lapſi Eccleſiam ſe volunt eſſe, & ſi apud illos, atque in illis eſt Eccleſia: quid ſupereſt, quàm vt ipſi rogentur à nobis,

XXVII.

a ET SVPER ISTAM PETRAM.] Cyprianus hoc loco verba Chriſti laudantis Petrinæ fidei profeſſionem, Tu es Chriſtus filius Dei viuentis, cuius profeſſionis gratia Chriſtus Simoni petrinum nomen indidit, & ſuper quam profeſſionem, velut ſuper petram, ædificaturum ſe dixit Eccleſiam ſuam, ad Epiſcopos transfert. Verba Chriſti ſunt: σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Chriſoſtomus, τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. Matth. 16. 18. Et tamen Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam: Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam. Et ipſe Cyprianus Epiſt. XL. Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Quod ſic intelligi debet, vt ſit alluſio Chriſti, ſignificantis duritiem & firmitatem fidei, per exemplum & figuram petræ, ſoliditate ſua duriſſimæ. Sic & Apoſtolos piſcatores à captura piſcium, ad hominum capturam traduxit. δεῦτε ὀπίσω μου, inquit, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων. Plena ſunt huiuſmodi figurarum euangelia Chriſti. quæ homines quamplurimos diuina ſua gratia ceperunt. Seneca dixit alicubi de Socrate, facetum fuiſſe, cuius ſermo per figuras procedere ſolitus erat. Hæ verò figuræ ſunt ſchemata, tropi, allegoriæ, ænigmata, ſimilitudines; quæ ſanè ſermonem faciunt facundiorem. RIG.

b *Et in omnibus ſtantibus.* Eleganter qui in fide perſtiterant, *ſtantes* vocat, eadem metaphora qua *lapſos*, qui fidem negarant. PAM.

bis, vt nos ad Eccleſiam dignentur admittere? ſummiſſos ergo & quietos & verecundos eſſe oportet eos, qui delicti ſui memores ſatisfacere Deo debent, nec Eccleſiæ nomine litteras facere; cum ſe magis ſciant Eccleſiæ ſcribere. Scripſerunt autem mihi nuper quidam de lapſis humiles, & mites, & trementes, & metuentes Deum, & qui in Eccleſia ſemper glorioſè, & [a] granditer operati ſunt; & opus ſuum Domino imputauerunt, ſcientes illum dixiſſe: Et cum hæc omnia feceritis, dicite: Serui ſuperuacui ſumus; quod debuimus facere, fecimus. Quæ illi cogitantes & quamuis libello à Martyribus accepto, vt tamen à Domino ſatisfactio ſua admitti poſſit, orantes ſcripſerunt mihi, ſe delictum ſuum cognoſcere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temerè, aut importunè properare, ſed expectare præſentiam noſtram; dicentes pacem quoque ipſam, ſi eam nobis præſentibus acceperint, dulciorem ſibi futuram. Quibus quantum gratulatus ſim, Dominus teſtis: [b] qui dignatus eſt oſtendere quid eiuſmodi & tales ſerui de eius benignitate mereantur. [c] Quas litteras cum nuper acceperim, & nunc aliud ſcripſiſſe vos legerim, peto diſcernatis deſideria veſtra, & quicumque eſtis qui has litteras nunc miſiſtis, nomina veſtra libello ſubiiciatis, & libellum cum ſingulorum nominibus ad me tranſmittatis; antè eſt enim ſcire quibus reſcribere habeam: tunc ad ſingula quæ ſcripſiſtis pro loci, & actus noſtri mediocritate reſcribam. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere, & ſecundùm Domini diſciplinam quietè & tranquillè agere. Valete.

CY-

a GRANDITER OPERATI.) Magnificè, pro maieſtate ac diſciplina fidei Chriſtianæ. Sic Martialis in rebus ſeculi dixerat, grande opus, & grandia verba. Gloſſæ veteres, μεγαλεργως, *magnopere* Μεγαλεργία, *magnificium*. Tertullianus grande officium. Iuuenalis, grande carmen, pro Tragico. Tertul. grandiores fabulæ Granditatem verborum, Cic. de cla. or. vbi de grandiloquentia Demoſthenis. Ipſe Cyprianus infrà Epiſt. XXXIII. Verba ſublimia dixit, quæ Chriſtianæ fidei teſtimonium dixerunt. RIG.

b QVI DIGNATVS EST OSTENDERE.] In ſomnis. per viſum. in viſione, ſuprà Epiſt. VII. *Idem*.

c *Quas litteras cum nuper acceperim*. Deſiderantur tam hæ literæ lapſorum. quàm illæ ad quas reſpondet, quæ ſi exſtarent, iam libelli Martyrum forma nobis nota foret. PAM.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS FRAtribus, Salutem.

XXVIII. INTEGRE & cum diſciplina feciſtis, fratres chariſſimi, quod conſilio collegarum meorum qui præſentes erant, [a] Gaio Diddenſi Preſbytero, & Diacono eius cenſuiſtis non communicandum: qui communicando cum lapſis, & [b] offerendo oblationes eorum in prauis erroribus ſuis frequenter deprehenſi, & ſemel, atque iterùm, ſecundùm quod mihi ſcripſiſtis, à collegis meis moniti ne hoc facerent, in præſumptione, & audacia ſua pertinaciter perſtiterunt, decipientes quoſdam fratres ex plebe noſtra; quibus nos omni humilitate conſultum cupimus, & quorum ſaluti non adulatione compoſita, ſed ſincera fide, proſpicimus; vt vera pœnitentia, & gemitu, & dolore pleno Dominum deprecentur, quia ſcriptum eſt; Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam. & iterùm loquitur ſcriptura diuina: ſic dicit Dominus: cùm conuerſus gemueris, tunc ſaluaberis, & ſcies vbi fueris: ingemiſcere autem & agere pœnitentiam quomodo poſſunt; quorum gemitibus & lacrymis intercedunt quidam de Preſbyteris, vt communicandum cum illis temerè exiſtiment? neſcientes quia ſcriptum eſt; Qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitam pedum veſtrorum turbant. Meritò ſalubria noſtra & vera conſilia nihil promouent, dùm blanditiis & palpationibus pernicioſis veritas impeditur; & patitur lapſorum ſaucia, & ægra mens, quod corporaliter quoque ægri, & infirmi ſæpè patiuntur: vt dum ſalubres cibos & vtiles potus, quaſi amaros & abhorrentes reſpuunt, & illa quæ oblectare & ad præſens ſuauia videntur eſſe, appetunt, perniciem ſibi, & mortem per inaudientiam & intemperantiam prouocent. nec proficiat ad ſalutem artificis medela vera [c] dum blandimentis decipit dulcis illecebra. Vos itaque ſecundum litteras meas fideliter & ſalubriter conſulentes, à conſiliis melioribus ne recedatis: legite verò has eaſdem litteras & collegis meis, ſi qui aut præſentes fuerint, aut ſuperuenerint, vt vnanimes, & concordes ad fouenda, & ſananda lapſorum vulnera conſilium ſalubre teneamus, tractaturi pleniſſimè de omnibus, cùm conuenire in vnum per Domini miſericordiam cœperimus. Intereà ſi quis immoderatus, & præceps, ſiue de noſtris Preſbyteris

vel

a *Gaio Diddenſi* Si quid in re incerta diuinare licet, fit mihi veriſimile, Diddam pagum quempiam fuiſſe in diœceſi Carthaginenſi, & Gaium hunc fuiſſe illius loci preſbyterum, id eſt, quem nunc vocamus Paſtorem ſiue Curatum, idque quia Diaconi illius mentionem facit. PAM.

b OFFERENDO OBLATIONES EORVM.) Etenim preſbyteri & diaconi, intempeſtiuè ac præmaturè cum lapſis communicando, oblationes eorum, hoc eſt orationes & eleëmoſynas, pœnitentiam nondum probè conſignatam, crudas adhuc operationes, ac per hoc diuinæ maieſtati minimè gratas, allegaſſent. Nimirùm pœnitentes, & preſbyteris & diaconis & omnibus fratribus legationes deprecationum ſuarum iniungebant, vt ait Tertullian. lib. de pœnit. RIG.

c DVM BLANDIMENTIS DECIPIT DVLCIS ILLECEBRA.] Legendum videtur, *Blandientis*. Etenim artificis medelæ conuenienter ſubjicitur blandientis illecebra. *Idem*.

CVI

vel Diaconibus, ſiue de peregrinis auſus fuerit ante ſententiam noſtram communicare cum lapſis, à communicatione noſtra arceatur, apud omnes nos cauſam dicturus temeritatis ſuæ, quando in vnum permittente Domino, conuenerimus. Deſideraſtis quoque vt de Philumeno, & Fortunato Hypodiaconis, & Fauorino Acolutho, qui medio tempore receſſerunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam. [a] cui rei non potui me ſolum iudicem dare, cùm multi adhuc de Clero abſentes ſint, nec locum ſuum vel ſerò repetendum putauerunt, & hæc ſingulorum tractanda ſit, & limanda pleniùs ratio, non tantùm cum collegis meis, [b] ſed & cum plebe ipſa vniuerſa: expenſa enim moderatione libranda, & pronuncianda res eſt, quæ in poſterum circa miniſtros Eccleſiæ conſtituat exemplum. [c] Interim ſe à diuiſione menſurna tantum contineant, non quaſi à Miniſterio Eccleſiaſtico priuati eſſe videantur, ſed vt integris omnibus ad noſtram præſentiam differantur. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere. Fraternitatem vniuerſam ſalutate, & valete.

CY-

a CVI REI NON POTVI ME SOLVM IVDICEM DARE) Sic ſuprà: Solus reſcribere nihil potui. Epiſt. v. RIG.

b SED ET CVM PLEBE IPSA VNIVERSA) Vt etiam ſingulorum ratio tractetur cum Eccleſia vniuerſa. *Idem.*

c INTERIM SE A DIVISIONE MENSVRNA TANTVM CONTINEANT) Sic edidit Pamelius, cùm anteà legeretur in libris quidem impreſſis, *à diuiſione menſurantium:* in manuſcriptis autem quibuſdam, *à ditione*; in aliis, *à ditione.* At in nonnullis ex vtraque conflata eſt tertia, quam eſſe arbitror veram: *Interim ſe à ditione menſurnantium contineant.* Hoc eſt; non dicant ſe menſurnantes, non habeantur in numero menſurnantium, nihil capiant ex diuiſionibus menſurnis, quarum fiet mentio Epiſt. XXXIV. Sanè Pamelij coniectura eò minùs ferenda eſt, quòd apertiſſimè repugnat auctoris menti. Nam hoc in primis cauet Cyprianus, ne quid abſente ſe decernatur in cauſa Philumeni, Fortunati & Fauorini, ſed vt integris omnibus ad ſuum reditum differantur: Pamelius contrà, vt ſe interim à diuiſione menſura tantùm abſtineant. Cyprianus eos ab Eccleſia ſic abſtinet, vt nec menſurnantes dici velit. cuius appellationis æquè ac ſportulantium rara ſunt in libris hodie veſtigia. *Idem.*

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ROMÆ conſiſtentibus fratribus, Salutem.

ET dilectio communis & ratio expoſcit, fratres chariſſimi, nihil conſcientiæ veſtræ ſubtrahere de his quæ apud nos geruntur, vt ſit nobis circa vtilitatem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis commune conſilium: nam poſteaquàm ad vos litteras feci, quas miſi per Saturum Lectorem, & Optatum Hypodiaconum fratres noſtros, [a] de quorumdam proſpecta temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectant, litteras ad me fecerunt; pacem non dandam ſibi poſtulantes, ſed quaſi iam datam ſibi vindicantes, quòd dicant Paulum omnibus pacem dediſſe, ſicut in litteris eorum, quarum exemplum ad vos tranſmiſi, legetis. Simul quid & ego eis breuiter interim reſcripſerim; ſed & quales poſtea ad Clerum litteras fecerim; vt ſcire poſſetis; huius quoque rei exemplum vobis miſi. [b] quòd ſi vltra temeritas eorum nec meis nec veſtris litteris compreſſa fuerit, nec conſiliis ſalutaribus obtemperauit, agemus ea quæ ſecundùm Euangelium Dominus agere præcepit. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere. XXIX

CY-

a DE QVORVMDAM PROSPECTA TEMERITATE) Sic edidit Morelius. At Manutius omiſerat dictionem, *proſpecta.* quod impunè quidem factum à Manutio fuerat. RIG.

b *Quod ſi vltrà temeritas, &c.* In obſeruanda diſciplina eccleſiaſtica totus erat Cyprianus vnde temeritatem illam ſæpè redarguit eorum qui ſibi indulgendum abſque vlla ſatisfactione contendebant. Vnde & Clero Romano & omnibus ſignificabat quo ordine quo ritu in eos actum eſſet, ac deinceps agendum ſi in peruicacia remanerent. PRI.

CYPRIANO PAPÆ, PRESBYTERI ET DIACONES, ROMÆ conſiſtentes, Salutem.

CVM perlegiſſemus, frater, litteras tuas quas per Fortunatum Hypodiaconum miſeras, gemino ſumus dolore perculſi, & duplici mœrore confuſi, quòd neque tibi requies vlla in tantis perſecutionis neceſſitatibus traderetur; & lapſorum fratrum immoderata petulantia vſque ad periculoſam verborum temeritatem producta denotaretur. Sed quamquam nos atque animum noſtrum iſta, quæ diximus, grauiter affligerent; tamen mœroris noſtri tam grauem ſarcinam, vigor tuus, & ſecundùm Euangelicam diſciplinam adhibita ſeueritas temperat: dum & quorundam improbitatem iuſtè coërcet, & hortando ad pœnitentiam, viam legitimam ſalutis oſtendit. Quos quidem ſatis mirati ſumus ad hoc vſque proſilire voluiſſe, vt [a] tám vrgenter, & tam immaturo, atque acerbo tempore, [b] in XXX.

tam

a TAM VRGENTER.) Mox dicet, tam petulanter. RIG.

b IN TAM INGENTI ET IMMENSO CRIMINE.) Idololatria. Mox dicet, atque delicto. ἀποστάτης. Ipſe Cyprianus delictorem poſuit pro deſertore. *Ibidem.*

F

tam ingenti & immenſo crimine, atque delicto; pacem ſibi non tam peterent, quàm vindicarent, immò iam & in cælis habere ſe dicerent. Qui ſi habent, quid petunt, quod tenent? ſi autem non habere illos probatur, hoc ipſo quod petunt, cur non iudicium eorum ſuſtinent, à quibus petendam pacem, quam vtique non habent, putauerunt? Quòd ſi aliundè prærogatiuam communicationis habere ſe credunt, cum Euangelio illam conferre conentur, vt ita demùm firmiter valeat, ſi ab Euangelica lege non diſſonat. Ceterùm quo pacto Euangelicam poterit præſtare communicationem, quod contra Euangelicam decretum videtur veritatem? Nam cùm omnis prærogatiua ita demum [a] ad indulgentiæ priuilegium ſpectet; ſi ab eo qui ſociari quærit non diſcrepet, qui à Deo, cui ſociari quærit, diſcrepat, neceſſe eſt indulgentiam & priuilegium ſocietatis amittat. Videant igitur quid in hoc negotio agere conentur. nam ſi aliud quidem Euangelium, aliud autem Martyres dicunt poſuiſſe decretum; collidentes contra Euangelium Martyres, vtrobique periclitabuntur. Nam & Euangelij fracta iam & iacens videbitur eſſe maieſtas; ſi potuit alterius decreti nouitate ſuperari: & de Martyrum capite glorioſa confeſſionis corona detracta; ſi non illam ex Euangelio de Euangelij conſeruatione inuenientur conſecuti, vnde martyres fiunt; vt meritò nulli magis ſit competens nihil contra Euangelium decernere, quàm qui Martyris nomen laborabat accipere. Illud prætereà vellemus addiſcere, ſi Martyres non propter aliud martyres fiunt, niſi vt non ſacrificantes, teneant Eccleſiæ vſque ad effuſionem ſanguinis ſui pacem; ne cruciatus dolore ſuperati perdendo pacem, perdant ſalutem, quam ſi ſacrificaſſent ſe habituros non putauerunt, illis exiſtiment donandam, qui ſacrificaſſe dicantur; cùm legem hanc debeant in aliis tenere, quam ipſi videbantur ſibi antepoſuiſſe? In quo negotio, hoc ipſum, quod pro ſe ipſis facere putauerunt, animaduertimus contra ſe ipſos protuliſſe. Nam ſi dandam illis pacem Martyres putauerunt, cur ipſi non dederunt? cur illos ad Epiſcopum, vt ipſi dicunt, remittendos cenſuerunt? Is enim qui iubet fieri, poteſt vtique facere, quod fieri iubet. Sed vt intelligimus, immò vt res ipſa loquitur & clamat, ſanctiſſimi Martyres vtrobique adhibendum putauerunt temperamentum & pudoris & veritatis. Nam & quia à multis vrgebantur, dum [b] ad Epiſcopum illos remittunt, verecundiæ propriæ ne vlteriùs inquietarentur conſulendum putauerunt: & dum illis non ipſi communicant, Euangelicæ legis illibatam ſinceritatem cuſtodiendam iudicauerunt. [c] Tu tamen, frater, numquam pro tua charitate deſiſtas lapſorum animos temperare, & errantibus veritatis præſtare medicinam; licet animus ægrorum, medentium reſpuere ſoleat induſtriam. Recens eſt lapſorum nuper hoc vulnus, & adhuc in tumorem plaga conſurgens: & idcircò certi ſumus, quod ſpatio productioris temporis impetu iſto conſeneſcente, amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos eſſe medicinam, ſi tamen deſint, qui illos arment ad periculum proprium, & in peruerſum inſtruentes pro ſalutaribus dilationum remediis, exitioſa depoſcant illis properatæ communications venena. neque enim credimus ſine inſtinctu quorumdam, auſuros fuiſſe omnes tam petulanter ſibi pacem vindicare. [d] Nouimus Carthaginienſis Eccleſiæ fidem, nouimus inſtitutionem, nouimus humilitatem: vnde etiam mirati ſumus, quòd quædam in te per Epiſtolam iniecta duriùs notaremus: cùm amorem veſtrùm mutuum, & charitatem exemplis multis reciprocæ adfectionis in vos inuicem ſæpè comperiſſemus. Tempus eſt igitur vt agant delicti pœnitentiam, vt probent lapſus ſui dolorem, vt oſtendant verecundiam, vt monſtrent humilitatem, vt exhibeant modeſtiam; vt de ſubmiſſione prouocent in ſe Dei clementiam, & de honore debito [e] in Dei ſacerdote, eliciant in ſe diuinam miſericordiam. Quantò meliores ipſorum litteræ fuiſſent, ſi pro ipſis preces ſtantium humilitate ipſorum adiutæ fuiſſent, quoniam & faciliùs impetratur, quod petitur, quando is pro quo petitur, condignus eſt, vt quod petitur, impetretur. [f] Quod autem pertinet ad Priuatum Lambeſitanum, pro tuo more feciſti, qui rem nobis ſollicitam nunciare voluiſti, omnes enim nos decet [g] pro corpore totius Eccleſiæ, cuius per varias quaſque prouincias membra digeſta ſunt, excubare: ſed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit.

nam

a *Ad indulgentiæ priuilegium.* Vides hîc bis vſitatam, Chriſtiane lector, vocem indulgentiæ, in eadem prorſus ſignificatione, qua nunc vtimur: habes eamdem ſupra bis repetitam epiſt 10 & epiſtola quoque ſequenti PAM.

b *Ad Epiſcopum illos remittunt.* In eo neruum diſciplinæ infringi cenſebat B. Martyr, quod à martyribus libelli corrogarentur, cum tamen ij pacem dare non poſſent, ſed ad Epiſcopos ſuos vnumquemque mittere ſolerent. *Idem.*

c TV TAMEN FRATER.) Fratrem vocant Epiſcopum Carthaginis, quem initio Epiſtolæ Papam nuncuparunt RIG.

d NOVIMVS CARTHAGIN ECCLESIAE FIDEM.) Ipſi Romani fidem Carthaginienſis Eccleſiæ laudant. *Idem.*

e IN DEI SACERDOTE.) Manutius & Pamelius, *in Dei ſacerdotem.* In Veronenſi legitur *ſacerdote. Idem.*

f QVOD AVTEM PERTINET AD PRIVATVM LAMBESITANVM] Hunc hæreticum Epiſt LV in Lambeſitana colonia ob multa & grauia delicta nonaginta epiſcoporum ſententia condemnatum fuiſſe dicet. *Idem.*

Priuatum lambeſitanum. Fit huius mentio epiſtol. 54. vbi ſatis indicatur, vexillarium Priuati, cuius hic meminit, fuiſſe feliciſſimum. PAM.

g PRO CORPORE TOTIVS ECCLESIAE CVIVS PER VARIAS QVASQVE PROVIN. MEMBRA DIGESTA SVNT.) Hæc pertinent ad ſollicitudinem Cypriani erga omnes Eccleſias & ad vnum illum epiſcopatum, cuius partem à ſingulis epiſcopis in ſolidum teneri ait, libro de vnitate Eccleſiæ. RIG.

nam cùm antehac quidam ex ipſius nequitiæ cohorte veniſſet [h] vexillarius Priuati Futurus, & fraudulenter litteras à nobis elicere curaret, nec quis eſſet, latuit, nec litteras, quas volebat, accepit. Optamus te in Domino benè valere.

CY-

h Vexillarivs privati fvtvrvs.] Sic legitur in Veronenſi. Pamelius ediderat: cùm antehac quidam ex ipſius nequitiæ cohorte veniſſet vexillarius Priuati, & furto ac fraudulenter litteras à nobis elicere curaret. In quibuſdam exemplaribus legitur, Saturus. R i o.

CYPRIANO PAPÆ, PRESBYTERI ET [a] DIACONI ROMÆ conſiſtentes, Salutem.

QVAMQVAM benè ſibi conſcius animus, & Euangelicæ diſciplinæ vigore ſubnixus, & verus ſibi [b] in decretis cæleſtibus teſtis effectus, ſoleat ſolò Deo XXXI
iudice eſſe contentus, nec alterius aut laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere: tamen geminata ſunt laude condigni, qui cum [c] conſcientiam ſciant Deo ſoli debere ſe iudici, actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis fratribus comprobari. Quod te, frater Cypriane, facere non mirum eſt, qui pro tua verecundia & ingenita induſtria, [d] conſiliorum tuorum nos non tam iudices voluiſti, quàm participes inueniri; & tuorum conſiliorum bonorum [e] cohæredes, quia & affirmatores eſſe poſſimus. Idem enim omnes credimur operati, in quo deprehendimur eadem omnes cenſuræ & diſciplinæ conſenſione ſociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis perſecutionis tam neceſſarium, quàm debitam ſeueritatem diuini vigoris tenere? quam qui remiſerit, inſtabili rerum curſu erret ſemper neceſſe eſt, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempeſtatibus diſſipetur, & quaſi extorto de manibus conſiliorum gubernaculo, nauim Eccleſiaſticæ ſalutis illidat in ſcopulos, vt appareat non aliter ſaluti Eccleſiaſticæ conſuli poſſe, niſi ſi qui & contra ipſam faciunt; quaſi quidam aduerſi fluctus repellantur, & diſciplinæ ipſius ſemper cuſtodita ratio, quaſi ſalutare aliquod gubernaculum in tempeſtate ſeruetur. Nec hoc nobis nunc nuper conſilium cogitatum eſt, nec hæc apud nos aduerſus improbos modò ſuperuenerunt repentina ſubſidia, ſed antiqua hæc apud nos ſeueritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua. quoniam nec [f] tantas de nobis laudes Apoſtolus protuliſſet dicendo: Quia [g] fides veſtra prædicatur in toto mundo, niſi iam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet, quarum laudum & gloriæ degenerem fuiſſe, maximum crimen eſt. Minus eſt enim dedecoris numquam ad præconium laudis acceſſiſſe, quàm de faſtigio laudis ruiſſe. Minus eſt criminis honoratum bona teſtimonio non fuiſſe, quàm honorem bonorum teſtimoniorum perdidiſſe. Minus eſt, ſine prædicatione virtutum ignobilem ſine laude iacuiſſe quàm [h] exhæredem fidei factum laudes proprias perdidiſſe: ea enim quæ in alicuius gloriam proferuntur, niſi anxio & ſollicito labore ſeruentur, in inuidiam maximi criminis intumeſcũt. Hoc nos non falsò dicere ſuperiores noſtræ litteræ probauerunt, in quibus vobis ſententiam noſtram dilucida expoſitione protulimus, aduerſus eos, qui ſe ipſos infideles illicita [i] nefariorum Libellorum profeſſione prodiderant, quaſi euaſuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quò non minùs

a Diaconi Romae consistentes.) Sic Ep. xlv. Diaconi in Hadrumetino conſiſtentes. R i o.

b In decretis caelestibvs.) Non placet quod in quibuſdam libris reperiri aiunt, caſtris cæleſtibus. Hoc enim à Presbyteris & Diaconis Romanis proponitur, animum benè ſibi conſcium conſtanter adſerere ac retinere Diſciplinam & Verbum Dei. Diſciplinam Chriſtianam nuncupant Euangelicam, ab ipſis Euangelij præconibus ortam: Verbum Dei, Sermones & præcepta Chriſti, decreta cæleſtia. Itaque fidei Chriſtianæ confeſſorem dicunt eſſe teſtem decretorum cæleſtium. *Idem*.

c. Conscientiam Deo soli debere se ivdici.] In Veronenſi: Dei ſolius debere ſe iudicio. Vtram eligas lectionem, idem erit ſenſus. Obſeruandum verò, etiam Cleri Romani presbyteros agnoſcere & adprobare quod Cyprianus ad Stephanum Epiſcopum Rom. & ad Iubajanum item epiſcopum ſcripſit, in Eccleſiæ adminiſtratione, vnumquemque præpoſitum habere voluntatis ſuæ liberum arbitrium, & rationem actus ſui Domino redditurum. Hoc amplius Clerici Romani hac epiſtola: Deo ſoli. Subjiciunt modeſtiæ clauſulam: Actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis fratribus comprobari. Videatur Epiſt. xix. *Idem*.

d Consiliorvm tvorvm non tam ivdices volvisti, qvam participes inveniri [Hinc illa quæ ſæpè occurrunt in epiſtolis Cypriani. Solus reſpondere non debui, Et, de communi conſilio, Et, communicato vobiſcum conſilio *Idem*.

e Cohaeredes.) Simul dominos & auctores. *Idem*.

f Tantas de nobis lavdes.) Iam Cypriani ſeculo Romani ſibi de hoc Pauli dicto blandiebantur, quaſi iudicio Pauli præſtarent ceteris fide Chriſtiana. *Idem*.

g Fides vestra praedicatvr.] Dixit Paulus, *καταγγέλλεται, annunciatur*. hoc eſt, fama per omnes prouincias ſpargitur, eſſe, etiam Romæ, cultores fidei Chriſtianæ. Hiſce autem Pauli verbis abutuntur huius Epiſtolæ ſcriptores, quemadmodum & Vrbicus ille notus Caſulano ad quem eſt Auguſtini Epiſtola 86. Sed & ipſe Cyprianus Epiſtola lv. Eos eſſe Romanos ait, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. Ambigua verò ſunt illa Chryſoſtomi; Obſerua, inquit, prædicationis Euangelicæ maieſtatem, & vim verbi diuini, quàm breui tempore per publicanos & piſcatores peruaſit ad vniuerſarum vrbium caput & verticem; & Syri facti ſunt Romanorum magiſtri ac duces. Laudat igitur Romanos, quòd fidem ſuſceperint, & quòd tanta cum fiducia crediderint in Chriſtum, *ὡς πᾶσαν τὴν γῆν καταλαβεῖν τὴν ὑπὲρ αὐτῶν φήμην*. *Idem*.

h Exhaeredem fidei factvm.] Exheres fidei dicitur qui negauit Chriſtum, qui de fide Chriſtiana decidit, & lapſus eſt. Deſertor caſtrorum cæleſtium. *Idem*.

i Nefariorvm libellorvm professione) Duas ſpecies libellatorum oſtendit hæc Epiſtola. Vnam eorum qui nomina ſua libellis perſcripſerant, Iouis & Martis, & ceterorum huiuſmodi Deorum cultum profitentibus: Alteram eorum, qui non ipſi quidem profeſſione ſua libellos ethnicis poteſtatibus obtulerant, ſed per alios, ac per ipſas fortean poteſtates ſubmiſſos acceperant, ſignauerant. Tertium verò fuit libellatorum genus: eorum ſcilicet qui libello dato acceptóve profitebantur ſe Chriſtia-

nùs quàm ſi ad nefarias aras acceſſiſſent, hoc ipſo [a] quod ipſum conteſtati fuerant, tenerentur, [b] Sed etiam aduerſus illos qui acta feciſſent, licet præſentes cùm fierent non affuiſſent, cum præſentiam ſuam vtique vt ſic ſcriberentur mandando feciſſent. Non eſt enim immunis à ſcelere, qui vt fieret imperauit; nec eſt alienus à crimine, cuius conſenſu, licet non à ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur; & cùm [c] totum fidei ſacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum: qui [d] fallaces in excuſatione præſtigias quærit, negauit: & qui vult videri propoſitis aduerſus Euangelium vel edictis vel legibus ſatis feciſſe, hoc ipſo iam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit. Nec non etiam contra illos quoque, qui illicitis ſacrificiis manus ſuas atque ora pollucrant, pollutis antè mentibus propriis, vnde etiam ſunt ipſæ manus atque ora polluta; fidem noſtram conſenſumque monſtrauimus. Abſit enim ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis euerſa fidei maieſtate diſſoluere; vt cum adhuc non tantùm iaceant, ſed & cadant euerſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum vtique non profutura præſtentur, & noua per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, vt miſeris ad euerſionem maiorem eripiatur & pœnitentia. Vbi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe medicus [e] intercepta pœnitentia indulget periculis? ſi tantummodo operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus, occidere. Quamquam [f] Confeſſorum quoque, quo hic adhuc in carcerem [g] dignitas ſuæ confeſſionis incluſit, & ad certamen Euangelicum ſua fides in confeſſione iam glorioſa ſemel coronauit, litteras habeas conſpirantes cum litteris noſtris, quibus ſeueritatem Euangelicæ diſciplinæ protulerunt, & illicitas petitiones ab Eccleſiæ pudore reuocarunt. Niſi hoc feciſſent, diſciplinæ Euangelicæ ruina non facilè ſarciretur, præſertim cùm nulli magis tam congruens eſſet tenorem Euangelici vigoris illibatum, dignitatémque ſeruare, quàm qui ſe excruciandos & excarnificandos pro Euangelio furentibus tradidiſſent, ne martyrij honorem meritò perderent, ſi in occaſione martyrij præuaricatores Euangelij eſſe voluiſſent: nam qui quod habet, non cuſtodit in eo ex quo illud poſſidet, dum id ex quo poſſidet, violat, violat illud quod poſſidebat. In quo loco maximas tibi atque vberes gratias referre debemus & reddimus; quod illorum carceris tenebras [i] litteris tuis illuminaſti; quod ad illos veniſti, quo modo introire potuiſti; quod illorum animos, ſua fide & confeſſione robuſtos, tuis allocutionibus litteriſque recreaſti; quòd felicitates eorum condignis laudibus perſecutus accendiſti ad multò ardentiorem cæleſtis gloriæ cupiditatem; quod pronos impuliſti, quòd, vt credimus & optamus, victores futuros viribus tui ſermonis animaſti: vt quamquam hoc totum de fide confitentium & de diuina indulgentia venire videatur, tamen in martyrio ſuo tibi ex aliquo debitores facti eſſe videantur. Sed vt ad id, vnde digreſſus ſermo videbatur eſſe, rurſus reuertatur, quales litteras in Siciliam quoque miſerimus, ſubiectas habebis. Quamquam nobis differendæ huius rei neceſſitas maior incumbat, quibus, poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani,

nos eſſe, ac per hoc, in capitolium aſcendere aut ſacrificare, ſi. i non licere; ſed dare ſe ob hoc præmium, ne quod non licet faciant. De hoc genere libellatorum dicetur ad Epiſt Cypriani ad Antonianum. R t c.

a QVOD IPSVM CONTESTATI FVERANT] Scilicet ſe ad nefarias aras acceſſiſſe. vnde apparet iſtud libellatorum genus diuerſum fuiſſe ab iis de quibus agitur in Epiſtola ad Antonianum. Vide lib. de Lapſis. *Idem.*

b SED ETIAM ADVERSVS ILLOS QVI ACTA FECISSENT.] Sic edidit Pamelius. At rectiſſimè in Beneuentano exemplari & in editione Romana legitur, qui accepta feciſſent. hoc eſt qui ſubmiſſos libellos accepiſſent: ſic enim accepto & rato habuerant quicquid illis continebatur. Continebatur autem illum illo die in Capitol. aſcendiſſe, ac dediſſe thura Ioui: quod etſi ille non fecerat, attamen fecerat, vt ſe feciſſe publicè legeretur: Lecto ſcilicet libello, quo videri voluit propoſitis aduerſus Euangelium edictis ſatistisfeciſſe, quod erat, fidem Chriſto datam deſeruiſſe. *Idem.*

c TOTVM FIDEI SACRAMENTVM.] Tota fides Chriſtiana. Sic ſacramentum adoptionis Chriſtianæ, adoptionem dici poſſe ait Facundus Hermanenſis libro ix. ad Iuſtinianum Imp. *Idem.*

d FALLACES IN EXCVSATIONE PRÆSTIGIAS QVÆRIT.] Has præſtigias damnat Pſalm. 140. *Idem.*

e INTERCEPTA POENITENTIA.] Interceptam pœnitentiam dicit, cuius tempora presbyter præpoſtera miſericordia contraxit, nec procedere paſſus eſt quouſque debuerat. *Idem.*

f CONFESSORVM, QVOS HIC ADHVC IN CARCEREM DIGNITAS SVAE CONFESS. INCLVSIT.] Iuuabit hic ſemel aliquid obſeruaſſe de nomine Confeſſorum. Qua forma Iuris Auctores in quæſtione de Seruitutibus, Confeſſoriam actionem dicunt, qua ſibi quis vindicat ſeruitutem; & Negatoriam, qua ſeruitutem, quis denegat vindicanti; Eadem forma Patres Chriſtiani, in quæſtione Fidei, Confeſſores dicunt eos, qui de Fide aut religione interrogati, nomen Chriſti fortiter adſerunt, & ſe eſſe Chriſtianos adfirmant; Negatores verò eos, qui perfidè Chriſtum deſerunt, & ſe eſſe Chriſtianos diſſimulant aut negant. *Idem.*

g DIGNITAS CONFESSIONIS.] Floridæ ſcilicet, hoc eſt conſtantis, robuſtæ, & ad exemplum generoſæ, vel vt mox ſequitur, glorioſæ. quam dignatio diuina ad tantum gloriæ culmen euexit. Hanc dignationem, paulò pòſt hæc epiſtola nuncupabit, diuinam indulgentiam. *Idem.*

h *Carceris tenebras.* His tenebris maiores tenebras habet mundus, ait, Tertullianus ad Martyr. cap. 2. Prudentius περὶ στεφάνων.

Locus tenebris nigrior
Quem ſaxa merſi fornicis
Anguſta clauſum ſtrangulant:
Æterna nox illic latet,
Hic carcer horrendus ſuos
Habere fertur inferos.

& in agone Romani iubet Præſes B. martyrem

Trudi in tenebras noxialis carceris.

Gregorius Nyſſenus epiſt. ad Flauianum eleganter depingit. πάλιν δὲ ἐμοὶ ᾅδης, ἢ δεσμωτήριον ἀφεγγές, ἢ ἄλλο τι σκυθρωπὸν κολαστήριον ἐδόκει τὰ παρόντα εἶναι. *at verò præſentia aut infernus, aut carcer caliginoſus, aut alius quiuis pœnarum horribilis locus videbantur.* PRI.

i *Litteris tuis illuminaſti.* Liber N. F animaſti. R i c.

ni, nondum eſt Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum, qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate & conſilio habere rationem. Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, [a] quod & tu ipſe tractaſti priùs: [b] Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, deinde, ſic [c] collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac [d] ſtantibus laïcis facta, lapſorum tractare rationem. Perquàm enim nobis & inuidioſum & oneroſum videtur, non per multos examinare, quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & vnum ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe; quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum. Aſpice totum orbem penè vaſtatum, & vbique iacere deiectorum reliquias, & ruinas, & idcircò tam grande expeti conſilium, quàm latè propagatum videtur eſſe delictum. Non ſit minor medicina, quàm vulnus eſt: non ſint minora remedia quàm funera: vt quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quod cæca temeritate nimis incauti fuerunt; ita qui hoc diſponere nituntur, omni conſiliorum moderamine vtantur, ne quid non vt oportet factum tamquam irritum ab omnibus iudicetur. Vno igitur eodémque conſilio, iiſdem precibus & fletibus tam nos, qui vſque adhuc videmur temporis iſtius ruinas ſubterfugiſſe, quàm illi qui in has temporis videntur clades incidiſſe, diuinam maieſtatem deprecantes pacem Eccleſiaſtico nomine poſtulemus: mutuis votis nos inuicem foueamus, cuſtodiamus, armemus: oremus pro lapſis, vt erigantur; oremus pro ſtantibus, vt non ad ruinas vſque tententur: oremus, vt qui cecidiſſe referuntur, delicti ſui magnitudinem agnoſcentes. intelligant non momentaneam neque præproperam deſiderare medicinam: oremus vt effectus indulgentiæ lapſorum ſubſequatur & pœnitentiam, vt intellecto ſuo crimine velint nobis interim præſtare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Eccleſiæ ſtatum; ne interiorem nobis perſecutionem ipſi incendiſſe videantur, & accedat ad criminum cumulum, quod etiam inquieti fuerunt. Maximè enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inuerecunda. Pulſent ſanè fores, ſed non vtique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non vtique tranſiliant. Caſtrorum cæleſtium excubent portis, ſed armati modeſtia, qua intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed qua non bellicum clangant. Arment ſe quidem modeſtiæ telis, & quem negando mortis metu fidei dimiſerant clypeum, reſumant; ſed vt contra hoſtem diabolum vel nunc armati, non contra Eccleſiam, quæ illorum dolet caſus, armatos eſſe ſe credant. Multum illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittant legatos pro ſuis doloribus lacrymas; [e] aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis & pudorem. Imò ſi dedecoris admiſſi magnitudinem perhorreſcunt, ſi pectoris & conſcientiæ ſuæ lethalem plagam & ſinuoſi vulneris altos receſſus verè medica manu tractant, erubeſcant & petere, [f] niſi quia maioris & rurſum & periculi & pudoris, [g] auxilium pacis non petiiſſe. [h] Sed hoc totum in ſacramento, ſed in ipſis poſtulationis lege temporis facto temperamento, ſed poſtulatione demiſſa, ſed prece ſubdita; quoniam & qui petitur flecti debet, non incitari, & ſicut reſpici debet diuina clementia, ſic reſpici debet & diuina cenſura, & ſicut ſcriptum eſt: Donaui tibi omne debitum, quia me rogaſti: ſic ſcriptum eſt: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, & coram

a QVOD ET TV IPSE TRACTASTI PRIVS.] Videlicet Epiſt. v. vbi ſic Cyprianus ad presbyteros & diaconos, Solus inquit reſcribere nihil potui: quando à primordio epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro & conſenſu plebis, mea priuata ſententia gerere. Sic plebis ſuæ animos Cyprianus obligatiſſimos ſibi ac deuotiſſimos habuit. *Idem.*

b ECCLESIAE PACEM SVSTINENDAM,] Expectandam, differendam. trahendam diu pœnitentiam. R I G.

c COLLATIONE CONSILIORVM CVM EPISCOPIS PRESBYTERIS DIACONIS CONFESSORIBVS PARITER AC STANTIBVS LAICIS.) Obſeruat hoc loco Pamelius numquam permiſſum fuiſſe laïcis ſententiam in conciliis Eccleſiaſticis dicere: Et tamen hac Epiſtola Clerus Romanus in collatione conſiliorum cum Epiſcopis, cujuſmodi ſanè collatio concilium fuit, plebem adhibitam fuiſſe dicit ſtantium laïcorum. &, in tam ingenti negotio, & in tam grandi crimine, vbi erant dicendæ ſententiæ, & habendus plurimorum conſenſus. hæc enim ſunt verba hujus epiſtolæ, quæ ab ipſo Cypriano recitantur in Epiſtloa ad Antonianum. Itaque hæc Obſeruatio Pamelii apertiſſimè contradicit Clero Romano comprobanti Cyprianicam œconomiam, quæ in maximi momenti negotiis requirebat etiam plebis conſenſum. Nam & plebs, ſiue laici, cum epiſcopo & presbyteris ac diaconis, eccleſiam faciunt. Et in ipſa ſynodo Carthaginienſi, conueniſſe in vnum dicuntur Epiſcopi plurimi cum presbyteris & diaconis, præſente etiam plebis maxima parte. Sed & ſeſquialtero fere pòſt ſeculo collationi inter Catholicos & Donatiſtas interfuit Flauius Marcellinus Tribunus & Notarius, ab Honorio & Theodoſio Impp. miſſus vt principe loco ſedens judicaret. Ipſe Marcellinus Collatione prima: *Et quoniam libenter adſenſum tribuit clementia principalis, & concilium fieri intra Africam vniuerſale decreuit vtriuſque partis iuxta poſcentibus, huic me diſputationi principe loco iudicem voluit reſidere.* Et tamen eumdem Marcellinum modeſtiſſimè de ſe ſenſiſſe teſtantur hæc ipſius verba, in eiuſdem collationis exordio: *Licèt ſupra meritum meum hoc cognoſcam eſſe iudicium, vt inter eos videar iudicare, à quibus me potiùs decuerat iudicari.* Scio Pamelium ſic euaſurum, dicturúmque, plebem interfuiſſe quidem conciliis, minimè autem dixiſſe ſententiam. *Idem.*

d STANTIBVS LAICIS.) Stantes dicit, quos perſecutio non proſtrauerat, non euerterat, non dejecerat. Stantes, non lapſos. Stantes, quos integros & incolumes fides ſua & Domini tutela protexerat. *Idem*

e ADVOCATIONE FVNGANTVR.) Ad veniam & miſericordiam promerendam, ſiue impetrandam, gemitus & fletus amati fungantur aduocatorum vicem. *Idem.*

f NISI QVIA MAIORIS EST RVRSVM ET PERICVLI ET PVDORIS.) Tertull. ſub finem lib. de pœnitentia *Idem.*

g AVXILIVM PACIS NON PETIISSE.] Hoc eſt veniæ ſiue indulgentiæ. *Idem.*

h SED HOC TOTVM IN SACRAMENTO.) Sunt enim ſigna, myſteria, & ſacramenta dolentis ac verè pœnitentis animi, petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia, non otioſa excubatio

coram angelis eius. Deus enim vt eſt indulgens, ita eſt præceptorum ſuorum exactor, & quidem diligens, & ſicut ad conuiuium vocat, ſic habitum nuptiarum non habentem ligatis manibus & pedibus extra ſanctorum cœtum foras iactat. Parauit cælum, ſed parauit & tartarum. Parauit refrigeria, ſed parauit etiam æterna ſupplicia. Parauit inacceſſibilem lucem, ſed parauit etiam perpetuæ noctis vaſtam æternámque caliginem. Cuius temperamenti moderamen nos hîc tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis prouinciis longè poſitis perſecutionis iſtius ardor eiecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innouandum putauimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus; vt interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur: eorum autem quorum vitæ ſuæ finem vrgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes viuendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè & ſollicitè ſubueniri, Deo ipſo ſciente quid de talibus faciat, & qualiter iudicij ſui examinet pondera, nobis tamen anxiè curantibus, vt nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem. Optamus te, [a] beatiſſime ac glorioſiſſime Papa, in Domino ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe.

CY-

ad caſtrorum cœleſtium portas, quod eſt limen Eccleſiæ. Omnia ἐξομολογήσεως ſacramenta præclarè deſcribit Tertullianus, lib. de Pœnitentia. Itaque exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem injungens miſericordiæ illicem. de ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare. ceterùm paſtum & potum pura noſſe Ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctéſque ad Dominum, presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. RIG.

a BEATISSIME AC GLORIOSISSIME PAPA.) Sic Romanus clerus appellat Cyprianum Carthaginis Epiſcopum. *Idem.*

CYPRIANI AD CLERVM SVVM DE MISSIS ROMAM, & acceptis inde litteris.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus, Salutem.

XXXII. QVALES litteras ad Clerum Romæ agentem fecerim, quidque illi mihi reſcripſerint, quid etiam Moyſes & Maximus Presbyteri & Nicoſtratus & Rufinus Diaconi, & cæteri cum eis Confeſſores in cuſtodia conſtituti, æquè ad litteras meas reſcripſerint, vt ſcire poſſetis, fratres chariſſimi, exempla vobis legenda tranſmiſi. Vos curate quantum poteſtis pro diligentia veſtra, vt ſcripta noſtra, & illorum reſcripta fratribus noſtris innoteſcant. Sed etſi qui [a] de peregrinis Epiſcopi collegæ mei, vel Presbyteri, vel Diacones præſentes fuerint, vel ſuperuenerint, hæc omnia de vobis audiant: & ſi exempla Epiſtolarum tranſcribere, & ad ſuos perferre voluerint, facultatem tranſcriptionis accipiant. Quamuis & Saturo Lectori fratri noſtro mandauerim, vt ſingulis deſiderantibus deſcribendi faciat poteſtatem, vt in Eccleſiarum ſtatu quoquo modo interim componendo ſeruetur ab omnibus vna & fida conſenſio. De cæteris verò quæ agenda erunt, ſicut & collegis meis plurimis ſcripſi, pleniùs conſilio communi tractabimus, quando conuenire in vnum permittente Domino cœperimus. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere: fraternitatem ſalutate. Valete.

AD

a DE PEREGRINIS EPISCOPI.] Etiam peregrinis epiſcopis honorem habet, & collegas ſuos vocat, & canone Arelatenſi XIX. locus ſacrificandi datur, *Placet eis locum dari vt offerant.* Præclarum eſt Auiti Viennenſis de Maximiano quodam antiſtite monitum ad Cæſarium Arelatenſem Epiſt. IX. *Quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vaſtitate, genitalis patria linquat habitaculum, peregrinum ſacerdos dici non poteſt, vbi catholica reperiri Eccleſia poteſt.* Quo ſenſu dici etiam poterit, minimè eſſe probroſam nuncupationem Epiſcopi peregrini, quem Eccleſia ſortitur aliundè quàm ex proprio presbyterio, vel propria patria. RIG.

AD CLERVM ET PLEBEM [a] DE AVRELIO Lectore ordinato.

CYPRIANVS [b] PRESBYTERIS, ET DIACONIBVS. Item Plebi vniuerſæ ſalutem.

[c] IN ordinationibus Clericis, fratres Chariſſimi, ſolemus vos antè conſule- XXXIII
re, & mores ac merita ſingulorum [d] communi conſilio ponderare: ſed exſpectanda non ſunt teſtimonia humana, cùm præcedunt diuina ſuffragia, Aurelius frater noſter, illuſtris adoleſcens, à Domino iam probatus & in Deo ſuo carus, in annis adhuc nouellus, ſed in virtutis ac fidei laude prouectus; minor in ætatis ſuæ indole, ſed maior in honore, gemino hîc agone certauit; bis confeſſus, & bis confeſſionis ſuæ victoria glorioſus; & [e] quando vicit in curſu factus extorris, & cùm denuò certamine fortiore pugnauit, triumphator & victor in prælio confeſſionis extitit: quotiens aduerſarius prouocare ſeruos Dei voluit, totiens promptiſſimus ac fortiſſimus miles & pugnauit & vicit. Parum fuerat ſub oculis antè paucorum quando extorris fiebat, congreſſum fuiſſe; meruit & in foro congredi clariore virtute, vt poſt magiſtratus etiam Proconſulem vinceret, & poſt exilium tormenta ſuperaret. Nec inuenio quid in eo prædicare plus debeam, gloriam vulnerum an verecundiam morum; quòd honore virtutis inſignis eſt, an quòd pudoris admiratione laudabilis? ita & dignitate excelſus eſt, & humilitate ſubmiſſus, vt appareat illum diuinitus reſeruatum, qui ad Eccleſiaſticam diſciplinam ceteris eſſet exemplo, quomodo ſerui Dei in confeſſione virtutibus vincerent, poſt confeſſionem moribus eminerent. Merebatur talis clericæ ordinationis vlteriores gradus & incrementa maiora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus; ſed interim placuit vt ab officio lectionis incipiat. Quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quàm celebrandis diuinis lectionibus perſonare: poſt [f] verba ſublimia quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Euangelium Chriſti legere, vnde Martyres fiunt: [g] ad pulpitum, poſt cataſtam venire: illic fuiſſe conſpicuum gentilium multitudini, hic à fratribus conſpici: illic auditum eſſe cum miraculo circumſtantis populi, hîc cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, à me & à collegis qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis; quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra quàm plurimos ordinari. [h] Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, Dominico legit interim nobis, id eſt, auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem. Vos orationibus frequenter inſiſtite, & preces noſtras veſtris precibus adiuuate, vt Domini miſericordia fauens nobis, [i] citò plebi ſuæ & ſacerdotem reddat incolumem, & Martyrem cum Sacerdote Lectorem. Opto vos, fratres chariſſimi, in Deo Patre & Chriſto Ieſu ſemper benè valere.

AD

a DE AVRELIO LECTORE.) In Corbeïenſi: De Aurelio Confeſſore, Lectore ordinato. R i o.

b *Preſbyteris & Diaconibus*. Liber N F. ad preſbyteros & diaconos & plebem vniuerſam Hipponenſem. *Idem.*

c IN ORDINATIONIB. CLERICIS) In Corbeienſi, In ordinandis. Ordinare, præpoſitos facere, Lampridio. Alexander Seuerus vbi aliquos voluiſſet vel rectores prouinciis dare, vel procuratores aut rationales ordinare, nomina eorum proponebat, dicebàtque graue eſſe, quum id Chriſtiani facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum rectoribus. *Idem.*

d COMMVNI CONSILIO PONDERARE.) Suprà Epiſt. v. & Epiſt. xxiv. Quod iampridem communi conſilio omnium noſtrûm cœperat, neceſſitate vrgente promotum eſt. *Idem.*

e QVANDO VICIT IN CVRSV FACTVS EXTORRIS) In MS. Corbeïenſi legitur, Excurſu. Excurſum ſiue incurſum dicit, tamquam proluſionem ad fortius certamen. Vegetius lib. 1 cap. 9. Ad curſum præcipuè adſue facicndi ſunt juniores, vt majore impetu in hoſtem procurrant. *Idem.*

f VERBA SVBLIMIA.) Quemadmodum Perſius dixit grandia verba morituri Catonis. Verba ſublimia, quæ ſublimiter Chriſtum confeſſa ſunt. qualia ſunt illa Romani martyris apud Prudentium. *Idem.*

g AD PVLPITVM POST CATASTAM VENIRE.) Martyr ille Romanus: *Audite cuncti, clamo longè, prædico, Emitto vocem de cataſta celſior.* Cataſta, pegma plerumque ligneum. Vocem Romanam eſſe ait Caſaubonus, ſed Græcæ, vel potiùs Siculæ originis, -- ad illud Perſii -- *ne ſit præſtantior alter Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta.* Martialis dixit, tabulata cataſtæ. Sed & cataſtæ ferreæ martyres impoſiti, illic erant conſpicui gentilium multitudini. vnde glorioſiſſimum fuit Aurelio, ab illa cataſta, vbi Chriſtum fortiſſimè confeſſus erat, ad conſimilem in Eccleſia machinam veniſſe, vt in conſpectu fratrum diuinas lectiones perſonaret. Lectores in Eccleſia ſacras lectiones de pulpito recitabant, ſiue de ambone. Hinc etiam illa apud Scriptores Eccl. καθίσαντι ἐν ἄμβωνι, ἐν δικτηρίῳ. Epiſtola ſeq. dicet, in loco altiore conſtitui glorioſos vultus. Confeſſorum ſcilicet. adhuc in ordine Lectorum. *Idem.*

h ET QVONIAM SEMPER GAVDIVM PROPERAT.) Quæ dehinc ſequuntur, deprauatiſſima ſunt in editione Pamelij. Emendauimus ex Veronenſi & Corbeïenſi: *Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, Dominico legit interim nobis, id eſt, auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem.* Hæc verò mens Cypriani. Aurelius noſter, ordinatus à nobis Lector, munus illud ſuum apud Eccleſiam auſpicari debuiſſet. verùm cùm huc appulerit à martyrio tam glorioſè reuerſus, excipi ſanè debuit à nobis ſumma cum lætitia: Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, intereà dum ſeſe vobis ille cum pace Deo fauente ſiſtet, dominicis diebus hîc apud nos leget. Hoc eſt, aget apud nos quod apud Eccleſiam agendum illi fuerat ſi pace frueretur, nimirùm ſedatis perſecutionum furoribus. Auſpicatus eſt autem optatiſſimam Eccleſiæ pacem apud nos, dum apud nos ſuum illud nouitium legendi munus Eccleſiæ dedicauit. *Idem.*

i CITO PLEBI SVAE ET SACERDOTEM REDDAT INCOLVMEM.) Me ſcilicet Cyprianum Epiſcopum & ſacerdotem veſtrum. Modeſtè ſacerdotem ſe tantùm nuncupat. *Idem.*

AD CLERVM ET PLEBEM DE CELERINO LECTOre ordinato.

CYPRIANVS PRESBYTERIS, ET DIACONIBVS, ET PLEbi vniuerſæ, fratribus, ſalutem.

XXXIV AGNOSCENDA & amplectenda ſunt, fratres dilectiſſimi, beneficia diuina, quibus Eccleſiam ſuam Dominus illuſtrare temporibus noſtris & honeſtare dignatus eſt, [a] commeatum dando bonis Confeſſoribus ſuis & Martyribus glorioſis; vt qui ſublimiter Chriſtum confeſſi eſſent, Clerum poſtmodum Chriſti miniſteriis Eccleſiaſticis adornarent. Exultate itaque & gaudete nobiſcum litteris noſtris, quibus ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, referimus ad vos, Celerinum fratrem noſtrum virtutibus pariter & moribus glorioſum, Clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed diuina dignatione coniunctum. [b] Qui cùm conſentire dubitaret Eccleſiæ, ipſius admonitu & hortatu in viſione per noctem compulſus eſt, negaret. Nobis ſuadentibus; cui plus licuit, & coëgit; quia nec fas fuerat nec decebat ſine honore Eccleſiaſtico eſſe, quem ſic Dominus honorauit cæleſtis gloriæ dignitate. Hic ad temporis noſtri prælium primus, hic inter Chriſti milites anteſignanus, hic inter perſecutionis initia feruentia cum ipſo infeſtationis principe & auctore congreſſus; dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui aduerſarium vincit, vincendi cæteris viam fecit; non breui compendio vulnerum victor, [c] ſed adhærentibus diu & permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem & nouem dies cuſtodia carceris ſeptus, in neruo ac ferro fuit. ſed poſito in vinculis corpore, ſolutus ac liber ſpiritus manſit. Caro famis, ac ſitis diuturnitate contabuit; ſed animam fide & virtute viuentem nutrimentis ſpiritalibus Deus pauit. Iacuit inter pœnas pœnis ſuis fortior, incluſus includentibus maior, iacens ſtantibus celſior, vincientibus firmior vinctus, ſublimior iudicantibus iudicatus; & quamvis [d] ligati neruo pedes eſſent, calcatus ſerpens & obtritus & victus eſt. Lucent in corpore glorioſo clara vulnerum ſigna; eminent & apparent in neruis hominis, membris longa tabe conſumptis, expreſſa veſtigia. Sunt magna, ſunt mira, quæ de virtutibus eius ac laudibus fraternitas audiat. Et ſi aliquis Thomæ ſimilis extiterit, qui minùs auribus credat; nec oculorum fides deeſt, vt quis quod audit, & videat. In ſeruo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria cuſtodit. Nec rudis iſte aut nouus eſt in Celerino chariſſimo noſtro titulus gloriarum: per veſtigia cognationis ſuæ graditur, parentibus, ac propinquis ſuis honore conſimili diuinæ dignationis æquatur. Auia eius Celerina iam pridem Martyrio coronata eſt. item patruus eius & auunculus Laurentinus & Ignatius, in caſtris & ipſi quondam ſæcularibus militantes, ſed veri & ſpiritales Dei milites, dum diabolum Chriſti congreſſione proſternunt, palmas Domini & coronas illuſtri paſſione meruerunt. [e] Sacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties [f] Martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. Nec degener ergo eſſe, nec minor poterat, quem ſic domeſticis exemplis virtutis ac fidei prouocabat familiæ dignitas & generoſa nobilitas. Quod ſi in familia ſæculari prædicationis & laudis eſt, eſſe Patricium, quantò maioris laudis & honoris eſt, fieri in cæleſti prædicatione generoſum? Non inuenio quem beatiorem magis dicam, vtrumne illos de poſteritate tam clara, an hunc de origine glorioſa. ita æqualiter apud eos recurrit & commeat diuina dignatio

a COMMEATVM DANDO BONIS CONFESSORIBVS) Commeatum permanendi adhuc aliquantiſper in ſeculo, vt ſupra Epiſt. VIII. accepto poſt gloriam commeatu in Eccleſiæ laude florere. ad hoc à Domino de media morte ſubtractos, vt infrà, hac Epiſt. RIG.

b QVI CVM CONSENTIRE DVBITARET.) Tota periodus ſic legenda & diſtinguenda eſt. *Qui cùm conſentire dubitaret, Eccleſia ipſius admonitu & hortatu, in viſione per noctem compulſus eſt, ne negaret nobis ſuadentibus. Cui plus licuit, hac coegit. quia nec fas fuerat, nec decebat ſine honore Eccleſiaſtico eſſe, quem ſic Dominus honorauit cæleſtis gloria dignitate.* Cyprianus exul ad Eccleſiæ ſuæ presbyteros diaconos & plebem ſcribit, ſe vnà cum ſuis Collegis, qui tunc fortè aderant, ordinaſſe Lectorem Celerinum multis virtutibus clarum. Celerino pro modeſtia ac pudore ſuo munus oblatum detrectanti, hæſitantique, viſam in omnis Eccleſiam, quæ compelleret, ne diutiùs obſequi Cypriano ſuadenti cunctaretur. Ait igitur Cyprianus, ſuaſu quidem ſuo ſe Celerinum adoptaſſe in clerum, Eccleſiam verò, cujus auctoritas major, compuliſſe & coëgiſſe. Notanda hic etiam eſt induſtria Cypriani, viſionum efficacia tam ſuauiter vtentis. *Idem.*

c ADHÆRENTIBVS DIV ET PERMANENTIBVS.) Exemplar Corbeïenſe, *admanentibus. Idem.*

d *Ligati Neruo pedes* Memini monuiſſe me aliquando Neruum eſſe tortorum inſtrumentum quo pedes Chriſtianorum & crura alligabant, erat autem ligneum, & multis foraminibus ſeparatum, vt faciliùs membra torquerentur, tanta ſcilicet vi vt plerumque luxarentur Plutarchus de Deo Socr. τοὺς πόδας ἐν τῷ ξύλῳ δεδεμένοι. *alligati pedes in neruo.* vide Baronium ad Martyrolog. Euſeb. lib 5. hiſt. eccl Prudent. in S. Vincent. PRI.

e SACRIFICIA PRO EIS SEMPER) Græci panegyrica celebrauere honori virorum fortium, qui tyrannum ſuſtulerant, aut aliàs pro patria feliciter pugnauerant, vt hoc exemplo ſuorum animos ad præclara facinora erigerent. Chriſtiani ſacris anniuerſariis laudes Deo dicunt, commemoratis eorum nominibus qui pro fide Chriſto dicta martyrium fortiter obierunt. RIG.

f *Martyrum paſſiones.* Natalia vocat Tertullianus, Diem nimirum intelligendo qua cælo nati ſunt. Atque ex hoc loco Pamelius contra Beatum Rhenanum oſtendit eccleſiæ conſuetudinem in feſtis Martyrum celebrandis. PRI.

a QVORVM

gnatio, vt & illorum coronam dignitas ſobolis illuſtret, & huius gloriam ſublimitas generis illuminet. Hinc ad nos, fratres dilectiſſimi, cum tanta Domini dignatione venientem, teſtimonio & miraculo eius ipſius; qui ſe perſecutus fuerat, illuſtrem, quid aliud quàm ſuper pulpitum, id eſt, ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, vt loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi vniuerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus, legat præcepta & Euangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter ſequitur? vox Dominum confeſſa in his quotidie, quæ Dominus locutus eſt, audiatur? Viderit an ſit vlterior gradus ad quem profici in Eccleſia poſſit. Nihil eſt in quo magis Confeſſor fratribus proſit, quàm vt dum Euangelica lectio de ore eius auditur, Lectoris fidem quiſquis audierit, imitetur. Iungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo & diuini honoris ſocietate coniunctus eſt, cum quo omnibus virtutis & laudis inſignibus copulatus eſt, pares ambo, & vterque conſimiles; in quantum gloria ſublimes, in tantùm verecundia humiles; quantum diuina dignatione promoti, tantum ſua quiete & tranquillitate ſummiſſi, & virtutum pariter & morum ſingulis exempla præbentes, & congreſſioni & paci congruentes, illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus ſeruis lætatur Dominus. In eiuſmodi Confeſſoribus gloriatur, [a] quorum ſecta & conuerſatio ſic proficit ad præconium gloriæ, vt magiſterium cæteris præbeat diſciplinæ. Ad hoc eos Chriſtus eſſe hic in Eccleſia diu voluit, ad hoc de media morte ſubtractos, [b] quadam dixerim reſurrectione circa eos facta, incolumes reſeruauit; vt dum nihil in honore ſublimius, nihil humilitate ſubmiſſius à fratribus cernitur, hos eoſdem fraternitas ſectata comitetur. Hos tamen lectores interim conſtitutos ſciatis, quia oportebat lucernam ſuper candelabrum poni, vnde omnibus luceat, & glorioſos vultus [c] in loco altiore conſtitui, vbi ab omni populo circumſtante conſpecti incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Cæterùm Preſbyterij honorem deſignaſſe nos illis iam ſciatis, vt & [d] ſportulis iiſdem cum Preſbyteris honorentur, & [e] diuiſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur, ſeſſuri nobiſcum prouectis & corroboratis annis ſuis; quamvis in nullo minor poſſit videri ætatis indole, qui conſummauit ætatem gloriæ dignitate. Opto vos, fratres chariſſimi & deſideratiſſimi, ſemper benè valere.

AD

a QVORVM SECTA ET CONVERSATIO.) Ab anteceſſore ſiue præceptore ſectator & ſecta: à doctore diſcipulus & diſciplina à magiſtro miniſter & miniſterium. RIG.

b QVADAM RESVRRECTIONE CIRCA EOS FACTA.) Reuiuiſcere videntur qui reſurgunt, euigilantes è ſomno, vel reualeſcentes à morbo, præſertim difficili. *Idem.*

c IN LOCO ALTIORE.] Suprà dixit, ad pulpitum poſt cataſtam venire, Epiſt. præced. *Idem.*

d SPORTVLIS IISDEM CVM PRESBYTERIS HONORENTVR.] Sic Epiſt. LXVI. In honore ſportulantium fratrum. Videatur Epiſt. XXVIII. ſub finem *Idem.*

e DIVISIONES MENSVRNAS.] De quantitate ſcilicet communi totius Eccleſiæ Carthaginenſis erogatione contributa. Extra hanc communem erat alia de quantitate propria Cypriani, infrà Epiſt. XXXVI. *Idem.*

AD EOSDEM DE NVMIDICO ORDINATO Preſbytero.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET PLEBI vniuerſæ, chariſſimis ac deſideratiſſimis fratribus, Salutem.

NVNCIANDVM vobis fuit, fratres chariſſimi, quod pertineat & ad communem lætitiam, & ad Eccleſiæ noſtræ maximam gloriam. [a] Nam admonitos nos & [b] inſtructos ſciatis dignatione diuina, vt Numidicus Presbyter aſcribatur [c] presbyterorum Carthaginienſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero, luce clariſſima confeſſionis illuſtris, & virtutis ac fidei honore ſublimis; qui hortatu ſuo [d] copioſum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum [e] ante ſe miſit: quique vxorem adhærentem lateri ſuo, concrematam ſimul cùm cæteris (vel conſeruatam magis dixerim) lætus aſpexit. Ipſe ſemiuſtulatus & lapidibus obrutus, [f] & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſollicito pietatis obſequio cadauer patris inquireret, ſemianimis inuentus, [g] & extractus, & refocil- XXXV.

a NAM ADMONITOS NOS ET INSTRVCTOS SCIATIS DIGNATIONE DIVINA.) Sic ſolet Cyprianus, quod abſente clero per ſe ipſe facere ordinando videbatur, ad Dei monitum referre. Itaque infrà dicet, Interim quod oſtenditur fiat. RIG.

b *Inſtructos ſciatis dignatione diuina.* Sic epiſtola præcedenti, diuinæ dignationis admonitu ſuſcepiſſe dicit Celerinum lectoris officium. epiſtola quoque 32. præceſſiſſe ordinationem Aurelij ſuffragia diuina. Hinc collige non prophanas ſed ſacras iam olim habitas ordinationes clericorum, non modò Hypodiaconorum, Diaconorum prebyterorum, ſed & lectorum, vſque adeò vt ferè ſigna quæpiam diuinitus ante ordinationem illorum contingerent. PAM.

c *Preſbyterorum Carthagin.* Conatur Pamelius euincere diſtinctos Apoſtolorum temporibus Epiſcopos & presbyteros. Quod quàm bellè & quam veriſſimiliter iudicent, omnes. Excutienda in hanc rem ſunt quæ B. Hieronymus ſcripſit in epiſt. ad Titum. PRI

d COPIOSVM MART. NVMERVM) In Beneuentano & Veronenſi, & in editione Rom. *glorioſum martyrum numerum.* RIG.

e ANTE SE MISIT.) In Beneuentano, *præmiſit.* *Idem.*

f ET PRO MORTVO DERELICTVS.) In Veronenſi: *& pro mortuo propemodum relictus. Denique cum poſtmodum filia. Idem.*

g ET EXTRACTVS ET REFOCILLATVS.] In

ſocillatus à comitibus, quos ipſe præmiſerat, [a] remanſit inuitus, ſed remanendi (vt vidımus) hæc fuit cauſa, vt eum Clero noſtro Dominus adiungeret, & deſolatam per lapſum quorumdam Presbyterij noſtri copiam glorioſis ſacerdotibus adornaret. Et [b] promouebitur quidem, cùm Deus permiſerit, ad ampliorem locum religionis ſuæ, quando in præſentiam protegente Domino venerimus. Interim [c] quod oſtenditur fiat, vt cum gratiarum actione ſuſcipiamus hoc Dei munus, ſperantes de miſericordia Domini eiuſmodi ornamenta complura; vt redintegrato Eccleſiæ ſuæ robore, tam mites, & humiles faciat [d] in conſeſſus noſtri honore florere. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere.

AD

Veron. & in ed. Rom. *Et extractus & vix focillatus.* qui velut ad foculum recaluit. RIG.

a REMANSIT INVITVS.) Indicto ſibi adhuc à Domino in carne commeatu. *Idem*

b PROMOVEBITVR AD AMPLIOREM LOCVM.) Ad locum ſummi ſacerdotis, id eſt, Epiſcopi. interim ſedebit in ordine ſecundo, qui eſt presbyteratus. nam & in tertio ſacerdotij gradu eſt diaconatus, nempe & diaconium, ſicut presbyterium. *Idem.*

c QVOD OSTENDITVR FIAT.) Quod oſtenditur diuina, vt ſuprà dixit, dignatione. *Idem.*

d IN CONSESSVS NOSTRI HONORE FLORERE.) Poſt floridam ſcilicet confeſſionem. *Idem.*

AD CLERVM DE CVRA PAVPERVM ET PEREgrinorum.

CYPRIANVS PRESBYTERIS, ET DIACONIBVS FRATRIbus chariſſimis, Salutem.

XXXVI. SALVTO vos, fratres chariſſimi, per Dei gratiam incolumis, optans citò ad vos venire, vt deſiderio tam meo quàm veſtro & omnium fratrum ſatisfiat. Oportet nos tamen paci communi conſulere, & interdum quamuis cum tædio animi noſtri deeſſe vobis, ne præſentia noſtri inuidiam & violentiam gentilium prouocet; & ſimus auctores rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium conſulere debemus. Quando ergo vos ſcripſeritis rebus compoſitis me venire debere, aut [a] ſi antè dignatus fuerit Dominus oſtendere, tunc ad vos veniam vbi enim mihi aut melius poſſit eſſe, aut lætius, quàm illic, [b] vbi me Deus & credere voluit & creſcere? Viduarum, & infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: ſed & peregrinis, ſi qui indigentes fuerint, [c] ſumptus ſuggeratis [d] de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum compresbyterum noſtrum dimiſi: quæ quantitas ne fortè iam vniuerſa erogata ſit, miſi eidem per Naricum Acoluthum aliam portionem, vt largiùs & promptiùs circa laborantes fiat operatio. Opto vos fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

AD

AD EPISTOLAM XXXVI.

SI ANTE DIGNATVS FVERIT DOMINVS OSTENDERE.) Huiuſce dignationis diuinæ ſigna ſibi oblata ſæpè commemorat Cyprianus. atque hinc meritò ſibi apud clerum & plebem honoris & gratiæ plurimum conciliat. RIG.

b VBI ME DEVS ET CREDERE VOLVIT ET CRESCERE.) Credidit, vocatus ad Fidem: creuit, vocatus ad Epiſcopatum. *Idem.*

c SVMPTVS SVGGERATIS DE QVANTITATE MEA PROPRIA.) Erat apud Chriſtianos, jam æuo Tertulliani, Arcæ aliquod genus, vbi ſeruabantur pecuniæ communi fidelium munificentia contributæ, ad pauperum vſus erogandæ. Præter eas pecunias in Arca illa communi depoſitas, erat pecunia quā Cyprianus de quantitate ſua propria penes Rogatianum dimiſerat; vnde poſſent neceſſaria ſubleuandis peregrinorum neceſſitatibus depromi *Idem*

d DE QVANTITATE MEA PROPRIA.) Sic ipſe ſub finem Epiſt. VI. in cod. Remenſi: De ſumpticulis propriis, quos mecum ferebam, miſi vobis CCL. *Idem.*

AD CLERVM VT CONFESSORIBVS IN CARCERE conſtitutis omnis humanitas præbeatur.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS fratribus, Salutem.

XXXVII. QVAMQVAM ſciam vos, fratres chariſſimi, litteris meis frequenter admonitos eſſe, vt glorioſa voce Dominum confeſſis, & in carcere conſtitutis omnis diligentia præbeatur: tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam deſit iis, quibus ad gloriam nihil deeſt. Atque vtinam loci & gradus mei conditio permitteret, vt ipſe nunc præſens eſſe poſſem: promptus & libens ſolemni miniſterio cuncta circa fortiſſimos fratres noſtros dilectionis obſequia complerem ſed officium meum veſtra diligentia repræſentet, faciat omnia quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei ac virtutis illuſtrauit diuina dignatio. Corporibus etiam omnium, qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propenſior. neque enim vir-

tus eorum aut honor minor eſt, quò minus ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Quod in illis eſt, tolerauerunt quidquid tolerare parati & prompti fuerunt. Qui ſe tormentis & morti ſub oculis Dei obtulit, paſſus eſt quicquid pati voluit. Non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt. Qui in me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor in eum coram Patre meo, dicit Dominus, Confeſſi ſunt. Qui tolerauerit vſque ad finem hic ſaluus erit, dicit Dominus. Tolerauerunt, & ad finem vſque incorrupta & immaculata virtutum ſuarum merita pertulerunt. Et iterùm ſcriptum eſt: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Vſque ad mortem fideles, & ſtabiles, & inexpugnabiles perſeuerauerunt. [a] Cùm voluntati & confeſſioni noſtræ in carcere & vinculis accedit & moriendi terminus, conſummata Martyris gloria eſt. [b] Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. quamquam Tertullus fideliſſimus & deuotiſſimus frater noſter pro cætera ſollicitudine, & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit, (qui nec illic [c] circa curam corporum deeſt) ſcripſerit & ſcribat, ac ſignificet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes & [d] ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum Domino protegente celebrabimus. Pauperibus quoque, vt ſæpè jam ſcripſi, cura ac diligentia veſtra non deſit, iis tamen, qui in fide ſtantes, & nobiſcum fortiter militantes, Chriſti caſtra non reliquerunt: quibus quidem nunc maior à nobis & dilectio & cura præſtanda eſt: quod nec paupertate adacti, nec perſecutionis tempeſtate proſtrati, cùm Domino fideliter ſeruiunt, cæteris quoque pauperibus exemplum fidei præbuerunt. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere & noſtri meminiſſe. Fraternitatem meo nomine ſalutate. Valete.

AD

a CVM VOLVNTATI ET CONFESSIONI NOSTRAE) Perperam huius Epiſtolæ argumento Pamelius differentiam fuiſſe contendit inter Confeſſores & Martyras, quaſi martyr haberi non debeat, qui poſt glorioſam Chriſtiani nominis confeſſionem tormenta mortémve non ſit paſſus. Perperam dico. Nam hic apertiſſimè Cyprianus martyrum numero adnumerari debere ait Confeſſores, qui ſupremum diem in carcere obierint. Hoc verò Pamelius non negauerit, Confeſſores, quibus extra carcerem, extráve exilium ſupremus dies obuenit, pulcræ confeſſionis honore, ſi non martyrii gloria, coronari. At Confeſſor in carcere, cuius ſanguini mors incruenta pepercit, hoc certè ab conſummato martyre diſtare videbitur, quod etſi non ipſe tormentis defuerit, ſed ipſi tormenta defuerint: attamen obſcurior eius eſt conſtantia: quod in ambiguo ſit, an ſi tormenta veniſſent, perſeueraſſet in tormentis RIG.

b *Denique & dies eorum quibus excedunt.* Morem hunc iam inde in Eccleſia ſeruatum non dubito, ex quo Romæ conſtituti ſunt Notarii, qui geſta Martyrum deſcriberent, quod Clementi Romano adſcribit Damaſus, alij Fabiano. Certè lib. de cor. mil. Tertullian. faſtos eccleſiæ opponit municipalibus ſolennitatibus gentilium. Porrò hinc originem ſuam poſteà ſumpſerunt martyrologia quæ vocantur. Quorum primus auctor fuit Euſebius, cuius Martyrologium vertit in latinum D. Hier atteſtante Beda ſub initium retract in acta Apoſt. illos imitati ſunt idem Beda, Ado Treuirenſis, & Florus quidam: è quibus omnibus iuſſu Caroli M. ſuum congeſſit Martyrologium Vſuardus, quod hodiéque in omnibus eccleſiis legitur Apud Græcos verò idipſum præſtitit, ſed prolixiùs Simeon Metaphraſtes PAM.

c CIRCA CVRAM CORPORVM.) Vt non deſint ea quæ ſunt ad victum & veſtitum neceſſaria. -- *quibus doleat natura negatis* Sed & corporum quoque curam dixerit Cyprianus ſepeliendorum. RIG.

d SACRIFICIA QVAE CITO VOBISCVM DOMINO PROTEGENTE CELEBRABIMVS.) Suprà Epiſt. VI. Dominus ad Cyprianum in viſione per angelum; Dic illi, inquit, quia pax ventura eſt. & Epiſt XL Perſecutionis iſtius nouiſſima hæc eſt & extrema tentatio, quæ & ipſa citò Domino protegente tranſibit. *Idem.*

AD CALDONIVM, HERCVLANVM ET CÆTEROS de abſtinendo Feliciſſimo.

CYPRIANVS CALDONIO, ET HERCVLANO Collegis; item Rogatiano, & Numidico compreſbyteris, S.

VEHEMENTER contriſtatus ſum, fratres chariſſimi, acceptis litteris ve- XXXVIII
ſtris, vt cùm mihi propoſitum ſemper & votum ſit vniuerſam fraternitatem noſtram incolumem continere, & illibatum gregem, ſecundùm quod charitas exigit, reſeruare; nunc nuncietis Feliciſſimum multa improbè & inſidioſè eſſe molitum; vt præter fraudes veteres, & rapinas, de quibus jampridem multa cognoueram; nunc quoque [a] cum Epiſcopo portionem plebis diuidere, id eſt, à paſtore oues, & filios à parente ſeparare, & Chriſti membra diſſipare tentauerit: Cúmque [b] ego vos pro me vicarios miſerim, [c] vt expungeretis neceſſitates fratrum noſtrorum ſumptibus, ſi qui etiam vellent [d] ſuas artes exercere, additamento quantum ſa-

tis

a CVM EPISCOPO PORTIONEM PLEBIS DIVIDERE) Notum eſt illud, Diuidere cum fratre nolito quod eſt ad turpia & obſcena productum. RIG.

b EGO VOS PRO ME VICARIOS MISERIM) Et in iis quidem ipſum Rogatianum, quem ſuprà nominauit. Epiſt XXXVI. *Idem.*

c VT EXPVNGERENTVR NECESSITATES FRATRVM NOSTRORVM SVMPTIBVS.] Matricula neceſſitatum continebat nomina perſonarum egentium. Cujus ergo neceſſitas beneficentia fratrum ſubleuabatur, eius & nomen expungebatur ſic beneficentia neceſſitatem, & cum neceſſitate nomen egentis expungebat. *Idem.*

d SVAS ARTES EXERCERE.) Tractauit hanc de artibus quæſtionem Tertullianus libro de Idololatria. Artes autem intellige Chriſtiano minimè indignas. non ſcenicas, aut idololatriæ fauentes. *Idem.*

tis eſſet, deſideria eorum iuuaretis: ſimul etiam & ætates eorum, & conditiones, & merita diſcerneretis; vt iam nunc ego, cui cura incumbit, omnes optimè noſſem, & dignos quoque & humiles, & mites ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promouerem: illi interceſſerit ne quis poſſet expungi, neve ea, quæ deſideraueram, poſſent diligenti examinatione diſcerni; comminatus ſit etiam fratribus noſtris [a] qui primi expungi acceſſerant, potentatu improbo & terrore violento, quod ſecum in morte non communicarent qui nobis obtemperare voluiſſent. Cúmque poſt hæc omnia, nec loci mei honore motus, nec veſtra auctoritate & præſentia fractus: inſtinctu ſuo quietem fratrum turbans, proripuerit ſe cum plurimis, ducem ſe factionis, & ſeditionis principem temeratio furore conteſtans (in quo quidem gratulor plurimos fratres ab hac audacia receſſiſſe, & vobis acquieſcere maluiſſe, vt cum Eccleſia matre remanerent, & ſtipendia eius Epiſcopo diſpenſante perciperent; quod quidem & cæteros pro certo ſcio cum pace facturos, & citò ab errore temerario receſſuros) interim cùm Feliciſſimus comminatus ſit, [b] non communicaturos in morte ſecum, qui nobis obtemperaſſent, id eſt, qui nobis communicarent: accipiat ſententiam quam prior dixit; vt abſtentum ſe à nobis ſciat; quando ad fraudes eius & rapinas, quas dilucida veritate cognouimus, adulterij etiam crimen accedit: quod fratres noſtri graues viri deprehendiſſe ſe nunciauerunt, & probaturos ſe aſſeuerarunt. Quæ omnia tunc cognoſcemus, quando in vnum collegis pluribus permittente Deo conuenerimus. Sed & Augendus, qui nec Epiſcopum, nec Eccleſiam cogitans, pariter ſe cum illius conſpiratione ſociauit, ſi vltrà cum eo perſeuerauerit, ſententiam ferat, quam ille in ſe factioſus, & temerarius prouocauit. Sed & quiſquis ſe inſpirationi & factioni eius adiunxerit, ſciat ſe in Eccleſia nobiſcum non eſſe communicaturum: qui ſponte maluit ab Eccleſia ſeparari. Has litteras meas fratribus noſtris legite, & Carthaginem ad Clerum quoque tranſmirtite, additis nominibus eorum, quicumque ſe Feliciſſimo iunxerunt. Opto vos, fratres clariſſimi, ſemper benè valere.

CAL-

a QVI PRIMI EXPVNGI ACCESSERANT.) Sic Tertullianus dixerat, *Adſunt eſſe teſtes* In aliquo exemplari legitur: *qui primi expungi accerſebantur.* R I O.

b NON COMMVNICATVROS IN MONTE SECVM.] Sic ſuprà: *quod ſecum in monte non communicarent.* & hæc ſcriptura eſt omnium editionum & exemplarium, exceptis duobus Vaticanis, in quibus vtrobique legitur, *in morte.* quaſi Feliciſſimus ille ſit comminatus pacem nec in exitu mortalitatis daturum ſe iis qui Cypriano obtemperarent, nec celebraturum ſe oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum. Nihilominus vulgatam lectionem veram eſſe arbitramur, vt Feliciſſimus proripuerit ſe cum plurimis, & per factionem aduerſus Eccleſiam ſeceſſerit in Montem: proptereáque, vt peruerſæ conſpirationis auctorem, Cyprianus contraria comminatione repercutiat, Sciat, inquit, ſe in Eccleſia nobiſcum non communicaturum. opponens Eccleſiam fidelium, Monti factioſorum. Comminatus eſt vobis, dixítque, vos non communicaturos in monte cum ipſo: Nos comminamur illi, ac dicimus, non communicaturum in Eccleſia vobiſcum. Et tamen hæret ſcrupulus, quòd in Epiſtolis ſequentibus non faciat mentionem montis, etſi verba multa faciat de Feliciſſimo, déque illius factione ac seceſſione. *Idem.*

CALDONII HERCVLANI ET CÆTERORVM AD Clerum Carthaginienſem, de abſtento Feliciſſimo cum ſuis.

[a] CALDONIVS CVM HERCVLANO ET VICTORE collegis, item Rogatiano cum Numidico Preſbyteris, S.

XXXIX. ABSTINVIMVS communicatione Feliciſſimum, & Augendum, item [b] Repoſtum de extorribus, & Irenem Rutilorum, & Paulam ſarcinatricem: quod ex annotatione mea ſcire debuiſtis. [c] Item abſtinuimus Sophronium, & ipſum de extorribus Soliaſſum Budinarium.

CY-

a CALDONIVS CVM HERCVLANO ET VICTORE.] Rectè quidem Pamelius hic pro Nouatiano reſtituit Rogatianum. Sed aliàs peruerſus eſt titulus, nec ſatis oſtendit ad quos epiſtola mittatur. Apertior erit inſcriptio ex editione Manutii: *Caldonius, Herculanus & Victor, collegis: Item Rogatiano cum Numidico, preſbyteris.* R I O.

b REPOSTVM DE EXTORRIBVS.] Qui ſcilicet, cùm eſſet in Eccleſia, factus fuerat extorris propter nomen Chriſti. *Idem.*

c ITEM ABSTINVIMVS SOPHRONIVM.] Sic legenda videtur hæc clauſula: Item abſtinuimus Sophronium, & ipſum de extorribus: Soliaſſum; & Budinarium vt tres abſtentos hîc fuiſſe intelligamus. Sophronium, de extorribus: Soliaſſum, & Budinarium. *Idem.*

CYPRIANI AD PLEBEM DE QVINQVE PRESBYTERIS ſchiſmaticis factionis Feliciſſimi.

CYPRIANVS PLEBI VNIVERSÆ, SALVTEM.

QVAMQVAM, fratres chariſſimi, Bcitius fideliſſimus atque integerrimus Preſbyter, item Rogatianus, & Numidicus, Preſbyteri, Confeſſores, & gloria diuinæ dignationis illuſtres, ſed & Diaconi boni viri & Eccleſiaſticæ adminiſtrationi per omnia obſequia deuoti, cum cæteris miniſtris plenam vobis præſentiæ ſuæ diligentiam præbeant, & exhortationibus aſſiduis ſingulos corroborare, ſed & lapſorum mentes conſiliis ſalubribus regere & reformare non deſinant; tamen ego quantum poſſum admoneo, & quo modo poſſum viſito vos litteris meis. Litteris, inquam, fratres chariſſimi. [a] Hoc enim quorumdam Preſbyterorum malignitas & perfidia perficit, [b] ne ad vos ante diem Paſchæ venire licuiſſet: dum coniurationis ſuæ memores, & antiqua illa contra Epiſcopatum meum, immò contra ſuffragium veſtrum & Dei iudicium venena retinentes, inſtaurant veterem contra nos impugnationem ſuam, & ſacrilegas machinationes inſidiis ſolitis denuò reuocant. Et quidem de Dei prouidentia nobis hoc nec volentibus nec optantibus, immò & ignoſcentibus, & tacentibus, pœnas quas meruerant rependerunt, vt à nobis non eiecti vltrò ſe eiicerent, ipſi in ſe pro conſcientia ſua ſententiam darent, ſecundùm veſtra diuina ſuffragia coniurati & ſcelerati de Eccleſia ſponte ſe pellerent. Nunc apparuit, [c] Feliciſſimi factio vnde veniſſet, quibus radicibus & quibus viribus ſtaret. hi fomenta olim quibuſdam Confeſſoribus & hortamenta tribuebant, ne concordarent cum Epiſcopo ſuo, nec Eccleſiaſticam diſciplinam cum fide & quiete iuxta præcepta Dominica continerent, ne confeſſionis ſuæ gloriam incorrupta & immaculata conuerſatione ſeruarent. Ac ne parum fuiſſet corrupiſſe quorumdam Confeſſorum mentes, & contra ſacerdotium Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluiſſe; nunc ſe ad lapſorum perniciem venenata ſua deceptione verterunt, vt ægros, & ſaucios, & ad capienda fortiora conſilia per calamitatem ruinæ ſuæ minùs idoneos, & minùs ſolidos, à medela vulneris ſui auocent, & intermiſſis precibus, & orationibus, quibus Dominus [d] longa & continua ſatisfactione placandus eſt, ad exitioſam temeritatem mendacio captioſæ pacis inuitent. Sed oro vos, fratres, vigilate contra inſidias diaboli, & pro veſtra ſalute ſolliciti contra mortiferam fallaciam diligentiùs excubate. Perſecutio eſt hæc alia & alia tentatio, & [e] quinque [f] iſti Preſbyteri nihil aliud ſunt quàm quinque primores illi, qui edicto nuper magiſtratibus fuerant copulati, vt fidem noſtram ſubuerterent, vt [g] gracilia fratrum corda ad letales laqueos præuaricatione veritatis auerterent. Eadem nunc ratio, eadem rurſus euerſio, per quinque Preſbyteros Feliciſſimo copulatos, ad ruinam ſalutis inducitur, vt non rogetur Deus, nec qui negauit Chriſtum, eumdem Chriſtum quem negauerat, deprecetur; poſt culpam criminis tollatur & pœnitentia, nec per Epiſcopos & ſacerdotes Domino ſatisfiat, ſed relictis Domini ſacerdotibus contra Euangelicam diſciplinam noua traditio ſacrilegæ inſtitutionis exſurgat; cúmque ſemel placuerit tam nobis quàm Confeſſoribus & Clericis vrbicis, item vniuerſis Epiſcopis vel in noſtra Prouincia, vel trans mare conſtitutis, vt nihil innouetur circa lapſorum cauſam, niſi omnes in vnum conuenerimus, & collatis conſiliis cum diſciplina pariter & miſericordia temperatam ſententiam fixerimus; contra hoc conſilium noſtrum rebelletur, & omnis ſacerdotalis auctoritas & poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruatur. Quas nunc pœnas patior, fratres chariſſimi, quod ipſe ad vos in præſentiarum venire non poſſum, XL.

a *Hoc enim quorumdam preſbyterorum.* Poſteà quinque fuiſſe Preſbyteros dicit, nomina eorum habes infrà epiſt 5. quos ex hac epiſt conſtat vitæ Cypriani inſidiatos. quæ autem fuerint ſacrilegæ eorum machinationes contra Cyprianum, perſpicuum fit dicta epiſt. quòd nempè Fortunatum, quemdam pſeudo-epiſcopum in locum eius ſubſtituerint. PAM.

b NE AD VOS ANTE DIEM PASCHAE VENIRE LICVISSET) Omnia tunc ſchiſmatici turbauerant in Eccleſia Carthaginienſi, auctoritatem ſibi arrogantes pacis dandæ lapſis, cauſſa nondum ad eccleſiaſticæ diſciplinæ normam ſatis examinata. ideòque Cyprianus reditum ſuum differendum ſibi eſſe duxit, ne ad feriarum paſchalium ſolennia, plebis concurſus, Epiſcopi reducis inuidioſa præſentia, nouarum occaſionem turbarum præberent factioſis. hæc ipſa Cypriani verba pagina ſequenti, ſatis innuunt; *dum per minas & per inſidias perfidorum cauemus, ne aduenientibus nobis tumultus illic maior oriatur.* RIG.

c *Feliciſſimi factio.* Liber N. F. Feliciſſimi prouectio. *Idem.*

d LONGA ET CONTINVA SATISFACTIONE PLAC.) Quæ ſcilicet inuidiam facere videatur epiſcopo pacem differenti aut renuenti. RIG.

e QVINQVE ISTI PRESBYTERI) Horum nomina prodit Epiſtola L V. *Idem.*

f ISTI PRESBYTERI NIHIL ALIVD SVNT QVAM QVINQVE PRIMORES ILLI.) Quàm exquiſitè omnia quæ ad ſuam cauſam faciunt congerit, vt inuidiam aduerſario faciat! Quinque presbyteros, qui ſe Feliciſſimo ſociauerant, vt calumniam & periculum Cypriano crearent à Deo ſibi oſtenſos ac ſignificatos eſſe ait per illos quinque primores qui magiſtratuum aduerſus Chriſtianos edicto ſubſcripſerant ac proinde quinque illos preſbyteros non minore dignos odio, quàm illos quinque primores perſecutionis fautores. *Idem.*

g *Gracilia fratrum corda.* Liber N. F. fragilia fr. cor. *Idem.*

poſſum ipſe ſingulos aggredi, ipſe vos [a] ſecundùm Domini & Euangelij eius magiſterium cohortari. Non ſuffecerat exilium iam biennij, & à vultibus atque ab oculis veſtris lugubris ſeparatio, dolor iugis & gemitus, qui me ſolum ſine vobis continua lamentatione diſcruciat? lachrymæ diebus ac noctibus profluentes, quod ſacerdoti, quem tanto amore & ardore feciſtis, nec dum vos ſalutare, & nec dum complexibus veſtris inhærere contingat. Acceſſit hic tabeſcenti animo noſtro dolor maior, quod in tanta ſollicitudine, ac neceſſitate [b] excurrere ad vos ipſe non poſſum, dum per minas & per inſidias perfidorum cauemus, ne aduenientibus nobis tumultus illic maior oriatur; & cùm paci & tranquillitati Epiſcopus prouidere in omnibus debeat, ipſe materiam ſeditioni dediſſe, & perſecutionem denuò exacerbaſſe videatur. Hinc tamen, fratres dilectiſſimi, hinc admoneo pariter & conſulo, ne perniciosis vocibus temerè credatis, ne fallacibus verbis conſenſum facilè commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio, mortem pro ſalute ſumatis. Ne ætas vos eorum nec auctoritas fallat; qui ad duorum Preſbyterorum veterem nequitiam reſpondentes ſicut illi Suſannam pudicam corrumpere, & violare conati ſunt, ſic & hi adulterinis doctrinis Eccleſiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem Euangelicam violare conantur. Clamat & dicit Dominus; Nolite audire ſermones pſeudoprophetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abiiciunt verbum Domini: Pax erit vobis. Pacem nunc offerunt, qui ipſi non habent pacem. In Eccleſiam lapſos reducere & reuocare promittunt, qui de Eccleſia receſſerunt. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & [c] cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur. Procul ab huiuſmodi hominum contagione diſcedite, & ſermones eorum velut cancer & peſtem fugiendo vitate, præmonente Domino & dicente: Cæci ſunt duces cæcorum: cæcus autem cæcum ducens, ſimul in foueam cadent. [d] Intercedunt precibus noſtris, quas nobiſcum diebus ac noctibus Deo funditis, vt eum iuſta ſatisfactione placetis; intercedunt lacrymis noſtris, quibus commiſſi delicti crimen abluitis: intercedunt paci, quam verè & fideliter de Domini miſericordia poſtulatis, nec ſciunt ſcriptum eſſe: Et Propheta ille aut ſomnium ſomnians, ille qui locutus eſt, vt errare te faceret, à Domino Deo tuo interficietur. Nemo vos, fratres, errare à Domini viis faciat. Nemo vos Chriſtianos ab Euangelio Chriſti rapiat. nemo filios Eccleſiæ de Eccleſia tollat. pereant ſibi ſoli, qui perire voluerunt. extra Eccleſiam ſoli remaneant, qui de Eccleſia receſſerunt. Soli cum Epiſcopis non ſint, qui contra Epiſcopos rebellârunt. Coniurationis ſuæ pœnas ſoli ſubeant, qui olim [e] ſecundùm veſtra ſuffragia, nunc ſecundùm Dei iudicia, ſententiam coniurationis & malignitatis ſuæ ſubire meruerunt. Monet nos Dominus in Euangelio ſuo, dicens: Reiicitis mandatum Dei vt traditionem veſtram ſtatuatis. Qui mandatum Dei reiiciunt, & traditionem ſuam ſtatuere conantur, fortiter à vobis & firmiter reſpuantur. Sufficiat lapſis ruina vna, nemo volentes ſurgere ſua circumuentione præcipitet. nemo iacentes pro quibus nos rogamus, vt Dei manu & brachio ſubleuentur, proſternat grauiùs & deprimat. nemo ſemianimes, & vt ſalutem ſuam priſtinam recipiant, deprecantes, ab omni ſpe ſalutis auertat. nemo nutantibus lapſus ſui caligine omne itineris ſalutaris lumen extinguat. Inſtruit Apoſtolus, dicens; Si quis aliter docet & non acquieſcit ſanis verbis Domini noſtri Ieſu Chriſti & doctrinæ eius, [f] ſtupore elatus eſt; diſcedendum ab huiuſmodi. Et iterùm dicit ipſe: Nemo vos decipiat inanibus verbis. propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ. nolite ergo eſſe participes eorum, [g] non eſt, quod decepti inanibus verbis, prauitatis eorum incipiatis eſſe participes. Diſcedite à talibus, quæſo vos, & acquieſcite conſiliis noſtris, qui pro vobis quotidie continuas Domino preces fundimus.

a *Secundùm Domini & Euangelij eius magiſterium.* Liber N. F. ſecundùm D. & E. miniſterium. R i o.

b EXCVRRERE AD VOS NON POSSVM.] Ante diem Paſchæ, vt ſuprà hac Epiſtola dixit *Idem.*

c CATHEDRA VNA SVPER PETRVM DOMINI VOCE FVNDATA.) Sic legitur in vetuſtiſſimo codice Thuani, qui priùs fuerat Nic. Fabri. Sic etiam in laudatiſſimo illo Veronenſi. Neque ambigo ſic à Cypriano fuiſſe hoc loco citata Domini verba. Nam & Cypriani mens hoc poſtulat. & ipſa Chriſti verba, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, epiſtola XXVII Petri perſonæ magis quàm profeſſioni adſcribuntur, etſi non dixerit Chriſtus, ſuper hanc petram ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam, niſi poſtquam Simoni nomen fecit Petro, ob præclaram illam rectæ fidei profeſſionem, Tu es Chriſtus filius Dei viui. quæ veræ fidei profeſſio petra eſt, & ſuper hanc petram Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam. Hieronymus ad ea Domini verba, Matth. XVI. 18. Tu es Petrus, &c. Simoni qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen: ac ſecundùm metaphoram petræ, rectè dicitur ei, Ædificabo eccleſiam meam ſuper te. *Idem.*

d INTERCEDVNT PRECIBVS VESTRIS.) Oppoſitu & interuentu ſuo impediunt preces veſtras. *Idem.*

e *Secundùm veſtra ſuffr.* Lib. I. N. F. ſecundùm noſtra ſuffrag. *Idem.*

f *Stupore elatus.* Palmarem hic & ſe dignam correctionem Eraſmus dedit; dum *tumore* repoſuit, nam græcè eſt τετύφωται. P R I.

g *Non eſt quod decepti inanibus verbis.* Liber N. F Non ſit quod decipiat vos inanibus verbis, non prauitatis eorum incipiatis eſſe participes R i o.

dimus, qui vos ad Eccleſiam reuocari per Domini clementiam cupimus, qui de Deo ſtacem pleniſſimam priùs matri, tum & filiis eius oramus. Cum precibus atque orationibus noſtris veſtras quoque orationes & preces iungite, cum fletibus noſtris veſtras lacrymas copulate. Vitate lupos, qui oues à paſtore ſecernunt: vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax ſemper & mendax mentitur vt fallat: blanditur, vt noceat: bona promittit, vt malum tribuat: vitam pollicetur, vt perimat. Lucent nunc quoque verba eius, & venena manifeſta ſunt: pacem pollicetur, ne perueniri poſſit ad pacem: ſalutem promittit, ne qui deliquit, veniat ad ſalutem; Eccleſiam ſpondet; quando id agat, vt qui illi credit, in totum ab Eccleſia pereat. Nunc eſt, fratres dilectiſſimi, vt & qui ſtatis fortiter perſeueretis, & ſtabilitatem veſtram glorioſam, quam in perſecutione tenuiſtis, perpetua firmitate ſeruetis, & ſi qui circumueniente aduerſario lapſi eſtis, in ſecunda hac tentatione ſpei & paci veſtræ fideliter conſulatis; & vt vobis Dominus ignoſcat, à ſacerdotibus Domini non recedatis; cùm ſcriptum ſit; Et homo quicumque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille. Perſecutionis iſtius nouiſſima hæc eſt, & extrema tentatio, [a] quæ & ipſa citò Domino protegente tranſibit, vt repræſenter vobis poſt Paſchæ diem cum collegis meis; quibus præſentibus ſecundùm arbitrium quoque veſtrum, & omnium noſtrûm commune conſilium, [b] ſicut ſemel placuit, ea quæ agenda ſunt, diſponere pariter & limare poterimus. ſi quis autem pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectans, ad Feliciſſimi & ſatellitum eius partes conceſſerit, & ſe hæreticæ factioni coniunxerit; ſciat ſe poſteà ad Eccleſiam redire, & cum Epiſcopis & plebe Chriſti communicare non poſſe. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere, & circa Domini miſericordiam exorandam continuis nobiſcum precibus inſiſtere.

EPISTOLÆ

a QVAE ET IPSA CITO DOMINO PROTEGENTE TRANSIBIT.] Sic ipſe, Epiſt. XXXVII. ſub finem, *qua citò vobiſcum Domino protegente celebrabimus*. RIG.

b SICVT SEMEL PLACVIT.] A primordio ſui epiſcopatus, vt ipſe teſtatur Epiſt. V. ſub finem. *Idem.*

EPISTOLÆ SCRIPTÆ SVB PONTIFICATV Cornelij & Lucij.

CYPRIANVS AD CORNELIVM QVOD ORDINATIONEM Nouatiani non receperit.

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

VENERVNT ad nos, frater chariſſime, miſſi à Nouatiano Maximus preſbyter XLI.
& Augendus Diaconus, & Matheus quidam, & Longinus. Sed enim cum ex litteris quas ſecum ferebant, & ex eorum ſermone atque aſſeueratione, Nouatianum Epiſcopum factum comperiſſemus, illicitæ & contra Eccleſiam Catholicam factæ ordinationis prauitate commoti, à communicatione eos noſtra ſtatim cohibendos eſſe cenſuimus, refutatis interim ac retuſis, quæ obſtinatè ac pertinaciter aſſerere tentabant. Nam & ego & collegæ plurimi qui ad me conuenerant, expectauimus aduentum collegarum noſtrorum Caldonij & Fortunati (quos ad te nuper & coëpiſcopos noſtros qui ordinationi tuæ affuerant, legatos miſeramus, vt eis aduentantibus, & rei geſtæ veritatem reportantibus, maiore auctoritate & elucida per eos probatione, partis aduerſæ improbitas frangeretur. Superuenerunt verò Pompeius & Stephanus collegæ noſtri, qui & ipſi quoque ad inſtruendos iſtic nos manifeſta ſecundùm grauitatem ac fidem ſuam indicia ac teſtimonia protulerunt, vt nec neceſſe fuerit audiri vltrà eos qui [a] Nouatiano venerant miſſi. Qui cùm in ſtatione inuidioſis quoque conuiciis & clamoribus turbulentis proruerent; & flagitarent, vt crimina quæ ſe afferre ac probare dicebant publicè, [b] à nobis, & à plebe cognoſcerentur; grauitati noſtræ negauimus conuenire, vt collegæ noſtri iam delecti & ordinati, & laudabili multorum ſententia comprobati, ventilandum vltrà honorem maledica æmulantium voce pateremur. Et quia, quibus refutati & compreſſi ſunt, & illicitis conatibus hæreſim feciſſe nudati ſunt, in Epiſtolam congerere longum fuit; ex Primitiuo compreſbytero noſtro pleniſſimè ſingula, quando ad vos venerit

a A *Nouatiano*. Erat hic Nouatianus eccleſiæ Romanæ preſbyter, & inter primores, vt potè qui (vti conſtat ex epiſt. ad Antonianum) cum Moyſe & aliis ſubſcripſerit Epiſtolæ Cleri Romani, quam habes ſuprà. Hic autem primum in eccleſia ſchiſma concitauit. Nam Cornelio à maiori Cleri parte, epiſcopis compluribus legitimè electo, ipſe factione Nouati preſbyteri Africani, in ſuas partes ſimulatione quadam ſanctitatis protraxit confeſſores quoſdam, etiam primos in clero, Maximum, Nicoſtratum, Synodium, Vrbanum, & Macarium: Ac tandem pſeudo-epiſcopus factus eſt, vti ex hac epiſt, & ſequentib, perſpicuum fit. PAM.

b A NOBIS ET A PLEBE.] Sic Epiſtola XXXIII, de ordinationibus clericis, inſcribitur, *Cyprianus preſbyteris*

rit audieris. Ac ne eorum furens audacia vnquam deſiſteret, hîc quoque in ſchiſmatis partes Chriſti membra diſtrahere, & Catholicæ Eccleſiæ corpus vnum ſcindere ac laniare nituntur; vt oſtiatim per multorum domos, vel oppidatim per quaſdam ciuitates diſcurrentes, obſtinationis ſuæ, & [c] erroris ſciſſi ſibi quærant comites. Quibus ſemel reſponſum dedimus, nec mandare deſiſtimus, vt pernicioſa diſſenſione & concertatione depoſita impietatem eſſe ſciant, matrem deſerere: & agnoſcant atque intelligant, Epiſcopo ſemel facto, & collegarum [d] ac plebis teſtimonio & iudicio comprobato, alium conſtitui nullo modo poſſe: proinde [e] ſi pacificè ſibi, ac fideliter conſulunt, ſi ſe aſſertores Euangelij Chriſti eſſe confitentur, priùs ad Eccleſiam reuertantur. Opto te, frater chariſſimè, ſemper benè valere.

AD

ris & diaconis, item plebi vniuerſæ. R I G.

c ERRORIS SCISSI.] Sic exemplaria & editiones. Sed praua interpunctio; quæ ſenſum turbauit, reſtituenda eſt, & conjungenda obſtinatio cum errore, vt jam ipſi à corpore eccleſiæ ſciſſi, obſtinationis & erroris quærant ſibi comites. R I G.

d AC PLEBIS TESTIMONIO ET IVDICIO.] In Veronenſi legitur: *in Dei iudicio.* Quod abſque dubio verum eſt, Nam hoc ſæpiſſimè inculcat Cyprianus, Sacerdotes ſiue Epiſcopos tamquam à Deo conſtitutos, coli & obſeruari debere.. *Idem.*

e SI PACIFICE SIBI AC FIDELITER CONSVLVNT, ET SE ADSERTORES.) Hæc eſt ſcriptura Codicis Beneuentani, & rectiſſima videtur. *Idem.*

AD CORNELIVM DE ORDINATIONE EIVS A SE comprobata & Feliciſſimo.

[a] CYPRIANVS CORNELIO FRATRI SALVTEM.

XLII. QVOD ſeruis Dei & maximè [b] ſacerdotibus iuſtis [c] & pacificis congruebat, frater chariſſime, miſeramus nuper collegas noſtros Caldonium & Fortunatum; vt non tantùm perſuaſione litterarum noſtrarum, ſed præſentia ſua & conſilio omnium veſtrûm eniterentur, quantum poſſent, & elaborarent, vt ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem ſciſſi corporis membra componerent, & Chriſtianæ charitatis vinculum copularent. Sed quoniam diuerſæ partis obſtinata & inflexibilis pertinacia non tantùm [d] radicis, & matris ſinum, atque complexum recuſauit; ſed etiam gliſcente & in peius crudeſcente diſcordia Epiſcopum ſibi conſtituit, & contra ſacramentum ſemel traditum [e] diuinæ diſpoſitionis & Catholicæ vnitatis, adulterum & contrarium caput extra Eccleſiam fecit: acceptis litteris tam tuis, quàm collegarum noſtrorum, item aduentantibus bonis viris, & nobis chariſſimis collegis noſtris Pompeio & Stephano, à quibus hæc omnia [f] cum triſtitia communi adſerta ſunt firmiter & probata, ſecundùm quod diuinæ traditionis & Eccleſiaſticæ inſtitutionis ſanctitas pariter ac veritas exigebat, litteras noſtras ad te direximus. [g] Sed & per prouinciam noſtram hæc eadem collegis ſingulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres noſtros cum litteris dirigendos eſſe mandauimus. Quamquam mens noſtra & propoſitum iam tunc fratribus & plebi iſtic vniuerſæ manifeſtatum fuiſſet, quando litteris nuper [h] ab vtraque parte ſuſceptis tuas litteras legimus, & Epiſcopatus tui ordinationem ſingulorum auribus intimauimus. Honoris etiam communis memores, & grauitatis ſacerdotalis ac ſanctitatis reſpectum tenentes, ea quæ ex diuerſo in librum ad nos tranſmiſſum congeſta fuerant acerbationibus crimino ſis, reſpuimus; conſiderantes pariter & ponderantes, quod in tanto fratrum religioſóque conuentu, [i] conſidentibus Dei ſacerdotibus & altari poſito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facilè promenda ſunt, & incautè ac temerè,

a CYPRIANVS CORNELIO FRATRI.) Non ſolùm inſcriptio, ſed tota Epiſtola fraterna, & ex æquo. R I G.

b SACERDOTIBVS IVSTIS.) Hoc eſt, legitimis: ritè ac legitimè ab Eccleſia conſtitutis. *Idem.*

c ET PACIFICIS.) Non factioſis & ſchiſmaticis *Idem.*

d RADICIS ET MATRIS SINVM.) Suprà dixit: *ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem:* Sic Epiſt. XLV. etiam ad Cornelium epiſcopum Rom. ſcripta: *Scimus nos hortatos eos eſſe, vt Eccleſiæ catholicæ radicem & matricem agnoſcerent.* *Idem.*

e DIVINAE DISPOSITIONIS.) In Corbeienſi, *diſpenſationis.* *Idem.*

f CVM TRISTITIA COMMVNI.) Sic legitur in Beneuentano: quod ſanè conuenientius eſt eo quod edidit Pamelius, *lætitia.* *Idem.*

g SED ET PER PROVINCIAM NOSTRAM.) Per Africam. Sic Epiſt. XLV. *Sed quoniam latiùs fuſa eſt noſtra prouincia.* Quod illic ſequitur: *Habemus etiam Numidiam & Mauritanias duas ſibi cohærentes*, inſitiuum eſſe videtur, & ab interpretamento quodam ex margine in textum irrepſiſſe. *Idem.*

h *Ab vtraque parte.* Nempè à parte Cornelij & parte Nouatiani; habent enim pro more veteres, vt dum de ſchiſmate in Eccleſia ſermo eſt, partem vocent vtramque, non eccleſiam, quæ vna eſt & ſcindi nequit: vbi autem iam deprehenſum eſt vtra eccleſiæ catholicæ adhæreat, hanc quidem eccleſiam, alteram verò partem nuncupant. Sic Auguſtin. non vno in loco partis Donati meminit, & exſtat inter ſcripta eius, pſalmus contra partem Donati. Ita etiam ante illum Optatus Mileuit. contra Parmenianum frequenter. Porrò deſiderantur etiam hæ tum Cornelij tum partis Nouatiani litteræ. P A M.

i *Conſidentibus Dei Sacerdotibus, &c.* Videtur mihi alludere ad conſuetudinem illam quâ in Synodis ſoli Epiſcopi conſidere conſueuerunt. Nam ſacerdotes non obſcurè per hoc cap. ſolos epiſcopos intelligit. Adiecit autem *altari poſito*, quia in baſilica quapiam vbi erectum erat altare, & iuxta altare fiebant tum ſtationes, tum conuentûs omnes eccleſiaſtici, & ante tractationem negotiorum offerebatur ſacrificium & communicabant omnes. Nam libro de Oratione reprehendit eos Tertullianus, qui ſtationem ſoluebant ſtatim accepto corpore Domini, vbi inter cætera: Nonne ſolennior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? P A M E L I V S.

QVAE

temerè publicanda, [a] quæ diſcordioſo ſtylo ſcripta audientibus ſcandalum moueant, & fratres longè poſitos ac trans mare conſtitutos incerta opinione confundant. Viderint qui vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis ac ſanctitatis immemores, iactitare interim geſtiunt quæ probare non poſſunt; & cùm innocentiam deſtruere atque expugnare non valeant, ſatis habent fama mendaci, & falſo rumore maculas inſpergere. Certè quod præpoſitis & ſacerdotibus congruit, danda opera eſt, vt talia, cùm à quibuſdam ſcribuntur, per nos reſpuantur. vbi enim erit quod diſcimus, ac docemus ſcriptum eſſe: Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur inſidiosè? Item alibi: Os tuum abundauit malitia, & lingua tua complectebatur inſidias: ſedens aduerſus fratrem tuum detrahebas, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Item quod Apoſtolus dicit: [b] Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat, ſed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus; Porrò hæc fieri debere oſtendimus, ſi, quando talia quorumdam calumnioſa temeritate conſcripta ſunt, legi apud nos non patimur. Et idcircò, frater chariſſime, cùm ad me talia de te & compreſbyteris tecum conſidentibus ſcripta veniſſent, quæ religioſam ſimplicitatem ſonabant, nec vllis maledictorum & conuiciorum latratibus perſtrepebant, [c] clero & plebi legi præcepi. Quòd autem ſcripta collegarum noſtrorum qui illic ordinationi tuæ affuerant deſiderauimus; non veteres mores obliti: nouum aliquid quærebamus; nam ſatis erat, vt tu te [d] Epiſcopum factum litteris nunciares; niſi eſſet ex diuerſo diſcrepans factio, quæ criminoſis & calumnioſis commentis ſuis collegarum pariter ac fratrum plurimorum turbaret mentes, & corda confunderet. Cui rei ſopiendæ neceſſarium duximus, vt ſcribentium nobis inde collegarum noſtrorum firma & ſolida auctoritas pararetur: qui motibus ac vitæ & diſciplinæ tuæ condigna litterarum ſuarum teſtimonia prædicantes, æmulis quoque & rerum vel nouitate, vel prauitate gaudentibus, omnem ambigendi & diſcrepandi ſcrupulum ſuſtulerunt; & ſecundùm conſilium noſtrum [e] ſalubri ratione libratæ in hoc fluctu æſtuantium fratrum mentes, ſyncerè ac firmiter tuum ſacerdotium probauerunt. Hoc enim vel maximè frater & laboramus & laborare debemus; vt vnitatem à Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus, & quod in nobis eſt, [f] palabundas & errantes oues, quas quorumdam peruicax factio, & hæretica tentatio à matre ſecernit, [g] in Eccleſiam colligamus; illis ſolis foris remanentibus, qui in obſtinatione ſua vel furore perſeuerauerint, & ad nos redire noluerint; diſcretionis & ſeparationis à ſe factæ & Eccleſiæ derelictæ ipſi rationem Domino reddituri. Quantum verò hîc [h] ad Preſbyterium quorumdam, & Feliciſſimi cauſam pertinet, quid hîc actum ſit vt ſcire poſſes, litteras ad te collegæ noſtri manu ſua ſubſcriptas miſerunt. qui auditis eis, quid ſenſerint, & quid pronunciauerint, ex eorum litteris diſces. Meliùs autem frater facies, ſi etiam exempla litterarum, quæ ad te legenda pro dilectione communi per Caldonium & Fortunatum collegas noſtros proximè miſeram, quæ de eodem Feliciſſimo, [i] & de Preſbyterio eiuſdem [k] ad Clerum iſtic noſtrum & ad plebem ſcripſeram, legi illic fratribus iubeas, quæ & ordinationem & rationem rei geſtæ loquantur; vt tam iſtic quàm illic circa omnia per nos fraternitas inſtruatur. Exemplaria autem eadem nunc quoque per Mettium Hypodiaconum à me miſſum & Nicephorum Acoluthum tranſmiſi. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

a QVAE DISCORDIOSO STILO SCRIPTA AVDIENTIBVS SCANDALVM MOVEANT.) Veram eſſe arbitramur Corbeienſis exemplaris ſcripturam. *Quæ diſcordia ſint, & in obaudientibus ſcandalum moueant.* RIG.

b OMNIS SERMO MALVS DE ORE VESTRO NON PROCEDAT.] Hoc eſt, nullus ſermo malus de ore veſtro procedat. Ipſe Cyprianus lib. III. Teſtim. 113. Omnem viduã & orphanum non vexabitis. Sic in Pſal. CXLVII. Non fecit taliter omni nationi, hoc eſt, nulli nationi fecit taliter. Sic apud Iuuenalem, ſine omni labe, hoc eſt, ſine vlla. abſque labe vlla. Sat XIV *Idem.*

c CLERO ET PLEBI LEGI PRAECEPI.] Hæc & præcedentia huius clauſulæ habentur in Codice Veronenſi vti hic edita ſunt. *Idem.*

d EPISCOPVM FACTVM LITTERIS NVNCIARES.] Sic habent exemplaria quædam. Editiones, factis. *Idem.*

e SALVBRI RATIONE LIBRATAE.) Sic Pamelius. In Corbeïenſi, *liberatas.* In Beneuentano, *liberatum* In Veronenſi, *libratas. Idem.*

f PALABVNDAS ET ERRANTES OVES.] In Veronenſi, balabundas. In Regio, belabundas. πρόβατα λέγουσι BE Sed in epiſtola XLVI. Cornelius dicet; *ipſos viderent in Eccleſia conſtitutos, quos errantes & palabundos iamdiu viderant. Idem.*

g IN ECCLESIAM COLLIGAMVS.] Eccleſiaſtica ſynaxi. *Idem.*

h AD PRESBYTERIVM QVORVMDAM.) In Veronenſi, *presbyterorum.* quod verum eſſe arbitramur. Paulò pòſt: *quæ de eodem Feliciſſimo, & de presbyterio eiuſdem Idem*

i ET DE PRESBYTERIO EIVSDEM.] Hoc eſt, de quibuſdam presbyteris, qui circa illum. *Idem.*

k AD CLERVM ISTIC NOSTRVM. Vera hæc ſcriptura, vnde eſt illa in quibuſdam exemplaribus deprauata; *ad eccleſiaſticum noſtr. Idem.*

AD EVMDEM QVOD AD CONFESSORES A NOVATIANO ſeductos litteras fecerit.

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

ET religioſum vobis, & neceſſarium exiſtimaui, frater chariſſime, ad Confeſſores, qui illic ſunt, & Nouatiani ac Nouati obſtinatione & prauitate ſeducti de Eccleſia receſſerunt, litteras breues facere, quibus eos pro affectione mutua conuenirem, vt ad matrem ſuam, [a] id eſt, Eccleſiam Catholicam reuertantur. Quas litteras tibi à Mettio Hypodiacono legi priùs mandaui, ne quis aliud me ſcripſiſſe fingeret, quàm quod meis litteris continetur. mandaui tamen eidem Mettio à me ad vos miſſo, vt de tuo arbitrio rem gerat, & ſi eaſdem litteras Confeſſoribus putaueris eſſe reddendas, tunc eas tradat. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

A·D

a ID EST, AD ECCLESIAM CATHOLICAM. Ad Catholicam vnitatem. Epiſt. ſeq. Et Epiſt. XLV. *vt Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcant.* RIG.

AD CONFESSORES ROMANOS, VT AD VNItatem redeant.

CYPRIANVS MAXIMO ET NICOSTRATO, ET CÆTEris Confeſſoribus, Salutem.

XLIV. [a] CVM frequenter chariſſimi, cognoueritis ex litteris meis, quem & confeſſioni veſtræ honorem; & [b] fraternitati connexæ dilectionem meo ſermone ſeruauerim: credatis quæſo & acquieſcatis his litteris meis; quibus [c] vobis & actui, ac laudibus veſtris & ſcribo, & ſimpliciter ac fideliter conſulo. Grauat enim me atque contriſtat, & intolerabilis [d] perculſi & penè proſtrati pectoris mœſtitia perſtringit; cùm vos illic comperiſſem contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra Euangelicam legem, contra inſtitutionis Catholicæ vnitatem, alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, [e] id eſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri, Eccleſiam aliam conſtitui, Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animum & corpus vnum diſciſſa æmulatione lacerari. Quod quæſo vt in vobis ſaltem illicitum iſtud fraternitatis noſtræ diſcidium non perſeueret, ſed & confeſſionis veſtræ & diuinæ traditionis memores ad matrem reuertamini vnde prodiiſtis, vnde ad confeſſionis gloriam cum eiuſdem matris exultatione veniſtis. Nec putetis ſic vos Euangelium Chriſti aſſerere, dum voſmetipſos à Chriſti grege & ab eius pace & concordia ſeparatis; cùm magis militibus glorioſis, & bonis congruat intra domeſtica caſtra conſiſtere, & intus poſitos ea, quæ in commune tractanda ſunt, agere ac prouidere. Nam cùm vnanimitas & concordia noſtra ſcindi omninò non debeat, quia nos Eccleſia derelicta foras exire, & [f] ad vos venire non poſſumus, vt vos magis ad Eccleſiam matrem, & [g] ad noſtram fraternitatem reuertamini, quibus poſſumus hortamentis petimus & rogamus. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

AD

a CVM FREQVENTER. Scribit ad Confeſſores Romanos Epiſcopus Carthaginis, ac de rebus eorum curam gerit, conſulit, hortatur. RIG.

b FRATERNITATI CONNEXÆ.) Quæ alium ſcilicet Epiſcopum fieri conſenſerat, Nouatiani dolo decepta. *Idem.*

c VOBIS ET ACTVI) Actum dicit, Confeſſionem nominis Chriſti. Suprà *dixerat, confeſſionis veſtræ honorem. Idem.*

d PERCVLSI ET PENE PROSTRATI.] In quibuſdam exemplaribus non legitur, *perculſi.* In Veronenſi ſcribitur, *percuſſi. Idem.*

e ID EST, QVOD NEC FAS EST NEC LICET FIERI.] Hæc omiſerunt exemplaria quædam. *Idem.*

f AD VOS VENIRE.] Pro dilectione Chriſtiana optabat conuenire poſſe Confeſſores & ſic alloqui, Venio ad vos, fratres chariſſimi. Eſt enim hæc formula quaſi præſentis. Sic Epiſtola ſeq. *vbi nos in præſentiam venimus. Idem.*

g AD NOSTRAM FRATERNITATEM.] Perperam in Beneuentano, *veſtram.* Noſtram fraternitatem dicit Cyprianus, non connexam Confeſſoribus illis, arte & fraude Nouatiani deceptis. Noſtram igitur, id eſt, non ſciſmaticam, ſed quæ permanſerat in vnius eccleſiæ ſinu, in matris eccleſiæ concordia. *Idem.*

AD CORNELIVM DE POLYCARPO HADRVMETINO.

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

LEGI litteras tuas, frater chariſſime, quas per Primituum compreſbyterum noſtrum miſiſti, in quibus te comperi motum, quòd cum de Hadrumetina Colonia Polycarpi nomine ad te litteræ dirigerentur, poſteaquàm nos, ego & Liberalis in eumdem locum veniſſemus, cœpiſſent illuc ad Preſbyteros & Diaconos litteræ dirigi. Quod ſcire te volumus & pro certo credere, nulla id leuitate aut contumelia factum. Sed cum ſtatuiſſemus collegæ complures, qui in vnum conueneramus, vt legatis ad vos coëpiſcopis noſtris Caldonio & Fortunato miſſis, omnia interim integra ſuſpenderentur, donec ad nos iidem collegæ noſtri rebus illic aut ad pacem redactis, aut pro veritate compertis redirent. Preſbyteri & Diaconi in Hadrumetino conſiſtentes, Polycarpo coëpiſcopo noſtro abſente; ignorabant quid nobis in commune placuiſſet. At vbi nos in præſentiam venimus, comperto conſilio noſtro, ipſi quoque quod & cæteri obſeruare cœperunt, vt in nullo Eccleſiarum iſtic conſiſtentium conſenſio diſcreparet. Quidam tamen mentes nonnumquam & animos ſermonibus ſuis turbant, dum aliter quædam quàm ſe habet veritas, nunciant. Nos enim ſingulis nauigantibus, ne cum ſcandalo vllo nauigarent, rationem reddentes, ſcimus nos hortatos eos eſſe,[a] vt Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent ac tenerent. [b] Sed quoniam latiùs fuſa eſt noſtra prouincia; habet etiam Numidiam, & [c] Mauritanias duas ſibi cohærentes; ne [d] in vrbe ſchiſma factum abſentium animos incerta opinione confunderet, placuit vt per Epiſcopos, retentâ à nobis rei veritate, & ad comprobandam ordinationem tuam [e] facta auctoritate maiore, tum demum ſcrupulo omni [f] de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omninò iſtic poſitos litteræ fierent, (ſicuti fiunt) vt te vniuerſi collegæ noſtri & communicationem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent. Quod diuinitus eueniſſe, & conſilium noſtrum [g] prouidenter profeciſſe gaudemus. Sic enim nunc Epiſcopatus tui & veritas pariter & dignitas, apertiſſima luce & manifeſtiſſima, & firmiſſima comprobatione fundata eſt, vt ex reſcriptis collegarum noſtrorum, qui ad nos litteras inde fecerunt, & ex relatione, ac teſtimoniis coëpiſcoporum Pompeij, & Stephani, & Caldonii, ac Fortunati ordinationis tuæ & origo neceſſaria, & ratio iuſta, & glorioſa quoque innocentia ab omnibus noſcetur. Quod vt ſimul cum cæteris collegis noſtris ſtabiliter ac firmiter adminiſtremus, atque vt Catholicæ Eccleſiæ pacem concordiæ vnanimitate teneamus, perficiet diuina dignatio; vt [h] Dominus, qui ſacerdotes ſibi in Eccleſia ſua eligere & conſtituere dignatur, electos quoque, & conſtitutos ſua voluntate atque opitulatione tueatur, gubernantes inſpirans; ac ſubminiſtrans, & ad improborum contumaciam frænandam, vigorem, & ad lapſorum fouendam pœnitentiam, lenitatem. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere. XLV.

CORNELII

a ECCLESIAE CATHOLICAE RADICEM ET MATRICEM.) Mox de comunicatione Romana, dicet: Catholicæ Eccleſiæ vnitatem. Sic Epiſt. XLII. radicis & matris ſinum Et alibi Cathedram Petri Eccleſiam principalem. Hæc fuère tunc Monarchiæ Chriſtianæ crepundia RIG.

Eccleſia Catholica radicem & matricem agnoſcerent. Pari loquendi forma Tertullianus vtitur cap. 21. de præſcript. *Conſtat proinde*, inquit, *omnem doctrinam, quæ cum illis eccleſiis Apoſtolicis matricibus & Originalibus fides conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit.* Sunt autem Matrices eccleſiæ ex quibus tamquam parentibus Chriſti fides ad nos peruenit, ac per orbem vniuerſum diffuſa eſt. PRI.

b SED QVONIAM LATIVS DIFFVSA EST NOSTRA PROVINCIA.) Suprà, Epiſt. XLII. RIG.

c MAVRITANIAS DVAS SIBI COHAERENTES.) In vno Vaticano, *Mauritanias ſibi cohærentes.* In alio: *habet etiam Numidiam & Mauritaniam ſibi cohærentes. Idem.*

d IN VRBE.) Sic Epiſt XLIX. ab Vrbe fugiſſe. Roma ſcilicet, quæ pro magnitudine ſua Carthaginem præcedit. Sic & Carthago Chriſtiana, Romæ Chriſtianæ maieſtatem ſuſcipit. *Idem.*

[a] CORNELII AD CYPRIANVM DE CONFESSORIBVS ad vnitatem reuerſis.

CORNELIVS CYPRIANO FRATRI, SALVTEM.

XLVI. QVANTAM ſollicitudinem, & anxietatem ſuſtinuimus de iis confeſſoribus, qui dolo, & malitia hominis callidi, & veteratoris fuerant circumuenti, & penè decepti, & ab Eccleſia alienati; [b] tanta lætitia adfecti ſumus, & Deo omnipotenti, & Chriſto Domino noſtro gratias egimus, cùm ij cognito ſuo errore, & intellecta hominis maligni, velut ſerpentis, aſtutia venenata, ad Eccleſiam, vnde exierant, ſicut ipſi ex ſuo corde profitentur, ſimplici voluntate venerunt. Et primò quidem fratres noſtri probatæ fidei, amantes pacem, vnitatem optantes, tumorem illorum mollitum iam adnunciabant, [c] fides tamen non idonea, vt facilè nobis credere daretur, illos penitus eſſe mutatos. Poſteà verò Vrbanus & Sidonius confeſſores ad Preſbyteros noſtros venerunt, affirmantes Maximum Confeſſorem, & Presbyterum ſecum pariter cupere in Eccleſiam redire: [d] ſed quoniam multa præceſſerant ab eis deſignata, quæ tu quoque à coëpiſcopis noſtris litteris meis cognouiſti, vt non temerè eis fides haberetur, ex ipſorum ore, & confeſſione, iſta, quæ per legationem mandauerant, placuit audiri. Qui cùm veniſſent, & à Presbyteris, quæ geſſerant, exigerentur, nouiſſimè quod per omnes Eccleſias litteræ calumniis, & maledictis plenæ, eorum nomine frequentes miſſæ fuiſſent, & penè omnes Eccleſias perturbaſſent: circumuentos ſe eſſe affirmauerunt; [e] nec quid in litteris ineſſet ſciſſe: tantummodo circumductos commiſiſſe ſe quoque ſchiſmatica, & hæreſis auctores fuiſſe; vt paterentur ei manus quaſi in Epiſcopum imponi. Qui, cùm hæc, & cætera fuiſſent exprobrata, vt abolerentur & de memoria tollerentur, deprecati ſunt. Omni igitur actu ad me perlato [f] placuit contrahi Preſbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt, vt firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſeruari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur: Et vt motum omnium & conſilium ſingulorum dignoſceres, etiam ſententias noſtras placuit in notitiam veſtri proferri, quas & ſubiectas leges. His ita geſtis in Preſbyterium venerunt Maximus, Vrbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres qui ſe eis adiunxerant, ſummis precibus deſiderantes vt ea quæ antè fuerant geſta, in obliuionem cederunt, nullàque eorum mentio haberetur; proinde atque ſi nihil eſſet vel commiſſum; vel dictum, inuicem omnibus remiſſis, cor mundum & purum iam Deo exhiberent; ſequentes Euangelicam vocem dicentem: beatos eſſe puros corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Quod erat conſequens, [g] omnis hic actus populo fuerat inſinuandus, vt & ipſos viderent in Eccleſia conſtitutos, quos [h] errantes & palabundos iam diu viderant & dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concurſus factus eſt. Vna vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes; complectentes eos, quaſi hodie pœna carceris fuiſſent liberati. Et vt ipſorum propria verba deſignem: Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electum à Deo omnipotente & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur: nos impoſturam

paſſi

a CORNELII AD CYPRIANVM) Conjecturam Pamelij, hanc Epiſtolam Cornelio adſerentis, confirmat titulus in Cod. Corbeïenſi: *Incipiunt reſcripta Cornelij ad Cyprianum, de ſchiſmaticis.* Huic verò epiſtolæ conſimilis illa videtur, quam ad Fabianum à Cornelio ſcriptam fuiſſe refert Euſeb. Hiſt. VII. cap. 33. vbi & fortiſſimis Confeſſoribus adnumerantur Vrbanus, & Sidonius, & Maximus. RIG.

b TANTA LÆTITIA ADFECTI SVMVS.] In Corbeïenſi: *tantam lætitiam adepti ſ. Idem.*

c FIDES TAMEN NON IDONEA.] Emendanda eſt hæc clauſula ad exemplar Veronenſe: *Fide tamen non idonea, haud facile nobis credere dabatur, illos repentè eſſe mutatos. Idem.*

d SED QVONIAM MVLTA PRAECESSERANT AB EIS DESIGAATA.) In Veronenſi: *Sed quoniam multa precesſerant ab eis diſſeminata Idem.*

e NEC QVID IN ISTIS LITTERIS INESSET SCISSE.) In Veronenſi: *Neque in iſtis ineſſet, vtrum neſciſſe tantummodo circumductos ſe, quoque ſchiſmatis & hæreſis auctores fuiſſe ſe; vt paterentur ei manum quaſi in epiſcopatum imponi, qui cum & ceteris hæreticis fuiſſent, & ne exprobrarentur.* Ex Beneuentano nihil refertur ab editione Romana diuerſum Ea verò eſt huiuſmodi: *Nec quidem in iſtis litteris ineſſet ſciſſe: tantummodo circumductos commiſiſſe ſe quoque ſchiſmatis, & hæreſis auctores fuiſſe: vt paterentur ei manum quaſi in epiſcopatum imponi: qui cùm hæc & cetera fuiſſent exprobrata, vt abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati ſunt* Hanc igitur ſcripturam ſequi tutius videtur. nec ab ea ferè diſcordant Corbeïenſis ac Thuanea *Idem.*

f PLACVIT CONTRAHI PRESBYTERIVM) Notandum conuocato presbyterio interfuiſſe epiſcopos. & Cyprianus paſſim non alium ſe dicit quàm presbyterum, quum alios appellat compreſbyteros ſuos. hoc tamen diſtabat, quòd inter presbyteros eminet epiſcopus, vt presbyter in ſpecula conſtitutus. Itaque alios epiſcopos in eodem officio ſpeculandi conſtitutos appellat collegas ſuos, ſacerdotes Dei Singulorum Epiſcoporum & Sacerdotum ſententias ſubjecerat epiſtolæ ſuæ Cornelius, quæ ſi extarent, inquit Pamelius, notior foret auctoritas Cleri Romani in dicendis ſententiis vnà cum Epiſcopis: Itaque, ſi Pamelio credimus, eæ ſententiæ perierunt damno magis Cornelij, quàm Cypriani *Idem.*

f *Contrahi preſbyterium.* Beati Martyris obſeruanda ſumma modeſtia, qua licet Epiſcopus, ſe tamen presbyterum vocat. Presbyteros verò illos de quibus agitur Cardinales fuiſſe docere conatur ac multum ſudat Pamelius poſt alios. PRI.

g OMNIS HIC ACTVS POPVLO FVERAT INSINVANDVS. Fraternitati. RIG.

h ERRANTES ET PALABVNDOS. Qui Veronenſe & Beneuentanum & alia vetera exemplaria inſpexerunt, nihil renunciant hîc ſe legiſſe quod eſſet ab hac ſcriptura

paſſi ſumus. circumuenti ſumus perfidia, & loquacitate captioſa; Nam etſi videbamur quaſi quamdam communicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe; ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. nec enim ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum ſanctum, [a] vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere. Iſta eorum profeſſione non moueremur; vt quod apud poteſtatem ſæculi erant confeſſi, in Eccleſia conſtituti comprobarent? Quapropter Maximum Presbyterum [b] locum ſuum ignoſcere iuſſimus: cæteros cum ingenti populi ſuffragio recepimus. Omnia autem remiſimus Deo omnipotenti, in cuius poteſtate ſunt omnia reſeruata. Hæc igitur, frater chariſſime, eadem hora, eodem momento ad te ſcripta tranſmiſimus, & Nicephorum Acoluthum [c] deſcendere ad nauigandum feſtinantem, de ſtatione ad vos ſtatim dimiſi; vt nulla procraſtinatione habita velut præſens in iſto clero, & in iſto populi cœtu Deo omnipotenti & Chriſto Domino noſtro gratias ageres. Credimus autem fore, quinimò pro certo iam confidimus, cæteros quoque qui in errore hoc ſunt conſtituti, in Eccleſiam breui reuerſuros, cum auctores ſuos viderint nobiſcum agere. Has litteras puto te debere, frater chariſſime, & ad cæteras Eccleſias mittere, vt omnes ſciant ſchiſmatici huius & hæretici dolum & preuaricationem [d] de die in diem euacuari. Benè vale, frater chariſſime.

CY-

diuerſum; etſi varia fuerit lectio in iiſdem vocabulis Epiſt. XLII. RIG.

a VNVM EPISCOPVM IN CATHOLICA ECCLESIA ESSE DEBERE. Vnus Epiſcopus dicitur, vt Eccleſia vna. quamuis epiſcopatus in plures epiſcopos & plures Eccleſias ſit diffuſus. eius enim à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Et tamen plures Epiſcopi & plures Eccleſiæ, quum vno ſpiritu, qui eſt Spiritus ſanctus, regunt & reguntur, vnus eſt Epiſcopus & vna Eccleſia, *quæ per tot Petros petra coniungitur vni*. Verſus eſt Aratoris poetæ Chriſtiani, in Carm. de S. Stephano: *Dum per tot lapides petra coniungitur vni.* Et ſanè dicere poterat --- per tot petras petræ coniungitur vni. Verùm ad ſaxa tantùm alludebat, per quæ Stephanus lapidatus in cælum ibat ad petram, id eſt Chriſtum. *Idem.*

b LOCVM SVVM IGNOSCERE IVSSIMVS. In Corbeïenſi, *agnoſcere. Idem.*

c DESCENDERE AD NAVIGANDVM FESTINANTEM.) Sic Cyprianus Epiſt. LV. *Nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem.* Hic autem locus valdè turbatus eſt in exemplaribus antiquis. Vaticana duo ſic habent: ad nauigandum deſtinatione ad vos ſtatim miſi, vt in illa mora feſtinatione habita In Corbeïenſi: *Ad nauigandum deſtinatione ad vos ſtatim dimiſſi.* & ſupra vocem hanc poſtremam alia manu, *iuſſimus.* In Veronenſi: *Eadem hora eodémque momento ad te ſcripta tranſmiſſimus, & Nicephorum acoluthum deſcendere adnauigandi deſtinatione ad vos ſtatim dimiſimus.* Minùs deprauata videtur ea ſcriptura quam præfert editio Romana: *Nicephorum acoluthum deſcendere ad nauigandum feſtinantem ad vos ſtatim dimiſi. Idem*

d DE DIE IN DIEM.) In Corbeïenſi legitur, *de die euacuari.* quemadmodum & Tertullianus dixit, *Spiritus de die concutit.* In Veronenſi: *frequenter, per dies.* RIG.

CYPRIANI AD CORNELIVM, RESPONSVM congratulatorium de illorum reditu ex ſchiſmate.

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

ET egiſſe nos & agere, frater chariſſime, maximas gratias ſine ceſſatione profitemur Deo patri omnipotenti & Chriſto eius Domino & Deo [a] noſtro ſalutari, quod ſic Eccleſia diuinitus protegatur, vt vnitas eius & ſanctitas, non iugiter nec in totum perfidiæ & hæreticæ prauitatis obſtinatione vitietur. Legimus enim litteras veſtras, & voti communis ampliſſimum gaudium exultanter excepimus: Maximum Preſbyterum & Vrbanum Confeſſores cum Sidonio & Machario ad Eccleſiam Catholicam regreſſos eſſe, id eſt, errore depoſito, & ſchiſmatico, imò hæretico furore deſerto, [b] vnitatis ac veritatis domicilium fideli ſanitate repetiiſſe, vt vnde ad gloriam proceſſerant, illuc glorioſi redirent: ne qui Chriſtum confeſſi eſſent, Chriſti poſtmodum caſtra deſererent, [c] nec tentarent charitatis atque veritatis fidem, qui victi robore, & virtute non fuerant. Ecce incolumis & immaculata laudis integritas, ecce incorrupta & ſolida confitentium dignitas; à deſertoribus, & profugis receſſiſſe, proditores fidei & Eccleſiæ Catholicæ impugnatores reliquiſſe. Meritò illos reuertentes ſummo, vt ſcribit, gaudio & clerus & plebs, & fraternitas omnis excepit, quoniam in Confeſſoribus gloriam ſuam conſeruantibus & ad vnitatem reuertentibus nemo non ſocium ſe & participem eorum gloriæ computat. Huius diei lætitiam de noſtris poſſumus ſenſibus æſtimare. nam cum iſtic ad litteras veſtras, quas de XLVII.

eorum

a NOSTRO SALVTARI.] In Veronenſi. *ſaluatori* Sic Pſalm. XCIV. Interpretes LXX. σωτῆρι. Vulgata verſio, *ſalutari* Sic etiam Lucæ I. τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί μου. Vulgata, *ſalutari meo.* σωτηρίῳ. RIG.

b VNITATIS AC VERITATIS DOMICILIVM Fraternitate Chriſtiana in vnum habitante, vno ſpiritu veritatis animata in idipſum conſpirante. Eccleſia Catholica, domicilium veritatis. Alludit ad illud Pſalm. CXXXII. Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum! *Idem.*

c NEC TENTARENT CARITATIS ATQVE VNITATIS FIDEM.) In Beneuentano legitur, vt in editione Romana: *Nec tentarentur caritatis atque vnitatis fide.* quæ certè lectio vera eſt. Laudat Cyprianus Confeſſores, Maximum, Vrbanum, Sidonium & Macarium, qui de perſecutione, rebus bene geſtis, Eccleſiæ catholicæ ſeſe reddiderant. ſchiſma non fecerant, neque ad Nouatum deflexerant. Minimè autem fuiſſe metuendum, ne, qui robore ac virtute victi non fuerant. charitatis atque vnitatis fide tentarentur, Quemadmodum dixerat, non vinci

eorum confeſſione miſiſtis lætatus ſit omnis fratrum numerus,& ſumma alacritate hunc nuncium communis gratulationis exceperit; quid illic vbi res ipſa & præſens lætitia ſub oculis omnium gerebatur; Cum enim Dominus in Euangelio ſuo dicat eſſe ſummum gaudium in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: quantò maius eſt gaudium & in terris pariter & in cælo, ſuper Confeſſoribus ad Eccleſiam Dei cum gloria ſua & cum laude redeuntibus, & redeundi viam cæteris exempli ſui fide & probatione facientibus? Hic enim quoſdam fratres noſtros error induxerat, quòd ſibi [a] communicationem Confeſſorum ſequi viderentur. quo errore ſublato lux omnium pectoribus infuſa eſt, & Eccleſia Catholica vna eſſe, nec ſcindi, nec diuidi poſſe, monſtrata eſt. Nec quiſquam iam facilè poterit ſchiſmatici furentis verbis loquacibus decipi; quando probatum ſit bonos & glorioſos Chriſti milites non potuiſſe diu aliena fallacia & perfidia extra Eccleſiam detineri. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

[a] CORNELII

robore non vinci virture, de iis quorum fides robuſta frangi nequiuerat, ita hîc, non tentari fide, de iiſdem dicit, quorum fides vnitatis tentata non fuerat. Nimirùm, tentata fides, propè eſt vt nutet aut cadat. Tentata valetudo dicitur, afflicta morbo. RIG.

a COMMVNICATIONEM CONFESSORVM SEQVI VIDERENTVR.) Non omnes Confeſſores ſemper adhæſiſſe videntur Eccleſiæ. Nam & Confeſſores quidam improbi extitère, horùm communicationem qui ſequebantur, eos communicare cum Eccleſia negat Cyprianus. *Idem.*

[a] CORNELII AD CYPRIANVM DE FACTIONE Nouatiani cum ſuis.

CORNELIVS CYPRIANO FRATRI, SALVTEM,

XLVIII. NE quid minus ad pœnam futuram huius ſcelerati hominis deeſſet; proſtratus virtutibus Dei (cum Maximus, & Longinus, & Machæus inde fuiſſent expulſi) denuò reſurrexit; & ſicuti prioribus litteris tibi quas per Augendum confeſſorem miſi, ſignificaui; puto Nicoſtratum, & Nouatum, & Euariſtum, & Primum, & Dionyſium illò iam perueniſſe: Inuigiletur ergo, vt omnibus coëpiſcopis noſtris & fratribus innoteſcat; Nicoſtratum multorum criminum reum, & non ſolùm patronæ ſuæ carnali, cuius rationes geſſit, fraudes & rapinas feciſſe, verùm etiam, [b] quod eſt illi ad perpetuam pœnam reſeruatum, Eccleſiæ depoſita non modica abſtuliſſe; [c] Euariſtum verò auctorem ſchiſmatis fuiſſe, & ſucceſſorem plebi, cui antè præfuerat, [d] Zetum in locum eius Epiſcopum eſſe conſtitutum. Maiora verò & grauiora hic deſignauit malitia & inexplebili prauitate ſua, quàm quæ illic apud ſuos ſemper exercuit, vt ſcias quales duces & protectores iſte ſchiſmaticus & hæreticus [e] lateri ſuo ſemper iunctos habeat.

a CORNELII AD CYPRIANVM.] In Corbeïenſi: INCIPIT ALIA EÏD DONOMINE MAXIMI, LONGINI, MACCEI, NICOSTRATI, ET EVARISTI Quæ ſanè ſunt, ſiue pro titulo, ſiue pro argumento, inepta, vt pleraque huiuſmodi alia, quæ ſunt iſtis Epiſtolis, pro captu lectoris aut librarij, præfixa. Hæc autem Epiſtola ſequela eſt vel additiuncula potiùs alicuius præcedentis RIG.

b QVOD EST ILLI AD PERPETVAM POENAM RESERVATVM.) Dei iudicio reſeruatum. nam Eccleſia pœnitentiæ tempus non dabit. nec tam graue peccatum etiam in morte remittet: niſi reſtitutione ſatisfactum fuerit. *Idem.*

c EVARISTVM VERO AVCTOREM SCHISMATIS.) Hæc clauſula valde turbata eſt editionibus & M S S. Editio Manutij: *Euariſtum verò cùm autor ſchiſmatis fuiſſet, ſucceſſorem plebi cui antè præfuerat.* Pamelius edidit: *Euariſtum verò auctorem ſchiſmatis fuiſſe, & ſucceſſorem plebi, c. a. pr.* In Corbeïenſi legitur: *cùm auctorem ſchiſmatis fuiſſe.* In Veronenſi: *ſucceſſorem ei plebe cui a. pr.* Quæ omnia quamuis deprauata ſint, legendum tamen ſuadent: Euariſtum commotorem ſchiſmatis fuiſſe, & ſucceſſorem plebis, cui antè præfuerat. Zetum in locum eius epiſcopum eſſe conſtitutum *Idem.*

d ZETVM.) Alij. *Zenum.*

e LATERI SVO SEMPER IVNCTOS HABEAT) Hinc illa Cypriani Epiſt ſeq *pernicioſum latus fugiant.* Poſt hæc autem verba, *lateri ſuo ſemper iunctos habeat,* in Veronenſi clauditur epiſtola verbis ſolennibus. Bene vale, frater cariſſime.

CYPRIANI RESPONSVM AD CORNELIVM DE Nouati ſceleribus.

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

XLIX. ET cum diligentia & cum dilectione feciſti, frater chariſſime, feſtinatò ad nos mittendo Nicephorum Acoluthum, qui nobis & de Confeſſoribus regreſſis gloriam lætitiam nunciaret, & aduerſus [a] Nouatiani & Nouati nouas pernicioſas ad impugnandam Chriſti Eccleſiam machinas pleniſſimè inſtrueret. Nam cùm pridie iſtic veniſſet hæreticæ prauitatis nocens factio ipſa iam perdita, & alios qui ſibi conſenſerint perditura, poſtero die Nicephorus cum veſtris

litteris

a NOVATIANI ET NOVATI.] Ambo ſchiſmatici, mox & hæretici. Nouatus preſbyter Cypriani, ob flagitia & ſcelera abſtentus à Cypriano, Romam nauigauit, ac ſeſe comitem addidit Nouatiano preſbytero Romano, qui liuore ac ſuperbia percitus aduerſus ordinationem Cornelij epiſcopi Romani turbas commouebat. eoque ſubornato

litteris ſuperuenit. Quibus & didicimus, & docere atque inſtruere cæteros cœpimus, Euariſtum [a] de Epiſcopo iam nec laïcum remanſiſſe, cathedræ & plebis extorrem, & de Eccleſia Chriſti exſulem, per alias longè prouincias oberrare, & ipſum veritatis ac fidei naufragum factum, circa quoſdam ſui ſimiles paria naufragia concitare: Nicoſtratum verò, [b] Diacono ſanctæ adminiſtrationis amiſſo, [c] Eccleſiaſticis pecuniis ſacrilega fraude ſubtractis, & viduarum ac pupillorum depoſitis denegatis, non tam in Africam venire voluiſſe, quàm conſcientia rapinarum & criminum nefandorum illinc ab vrbe fugiſſe. Et nunc Eccleſiæ deſertor ac profugus, quaſi mutaſſe ſit hominem, mutare regionem, Confeſſorem ſe vltrà iactat & prædicat, cùm Chriſti Confeſſor nec dici, nec eſſe iam poſſit, qui Eccleſiam Chriſti negauit. Nam cùm Paulus Apoſtolus dicat: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne vna. Sacramentum iſtud magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam. Cùm hoc, inquam, beatus Apoſtolus dicat: & Chriſti pariter atque Eccleſiæ vnitatem indiuiduis nexibus cohærentem, ſancta ſua voce teſtetur, quo modo poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum ſponſa Chriſti atque in eius Eccleſia non eſt? aut quomodo aſſumit ſibi regendæ aut gubernandæ Eccleſiæ curam, qui ſpoliauit & fraudauit Eccleſiam Chriſti? Nam de Nouato nihil inde ad nos fuerat nunciandum cùm magis per nos vobis debeat Nouatus oſtendi, rerum nouarum ſemper cupidus, auaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & ſtupore ſuperbi rumoris inflatus, ſemper iſtic Epiſcopis malè cognitus, quaſi hæreticus ſemper & perfidus omnium ſacerdotum voce damnatus; curioſus ſemper vt prodat, ad hoc adulatur vt fallat, numquam fidelis vt diligat, fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis quietis, tranquillitatis aduerſarius, pacis inimicus. Denique Nouato illinc à vobis recedente, id eſt, procella & turbine recedente, ex parte illic quies facta eſt, & glorioſi ac boni Confeſſores, qui de Eccleſia illo incitante diſceſſerant, poſteaquam ab vrbe ille diſceſſit, ad Eccleſiam reuerterunt. Idem eſt Nouatus, qui apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminauit, qui quoſdam iſtic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregauit, qui in ipſa perſecutione ad euertendas fratrum mentes alia quædam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum, nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit; & cum ſua tempeſtate Romam quoque ad euertendam Eccleſiam nauigans ſimilia illic & paria molitus eſt, à Clero portionem plebis auellens, fraternitatis benè ſibi cohærentis & ſe inuicem diligentis concordiam ſcindens. Planè quoniam [d] pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic maiora & grauiora commiſit. Qui iſtic aduerſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit. Nec hoc quiſquam miretur in talibus. Feruntur ſemper mali ſuo furore dementes, & poſteaquam ſcelera fecerint, conſcientia ipſa ſceleratæ mentis agitantur. Nec remanere in Eccleſia Dei poſſunt, qui [e] deïficam

conflauit hæreſim quæ dicta eſt Catharorum. hi pœnitentiam lapſis dandam eſſe negabant. cujus dogmatis etſi vterque eodem tempore auctor & artifex fuerit, vnum tamen Nouatum hæreſiarcham fuiſſe adſerunt plerique veterum. quaſi Nouatianus non jam ipſe quoque auctor, ſed adſecla & diſcipulus Nouati cenſeri debeat. Hoc apertiſſimè fecit Auctor libri de hæreſibus, qui liber exſtat Tomo primo operum Auguſtini ac verbis omninò iiſdem quæ leguntur in Primaſii opuſculo etiam de Hæreſibus, eadémque hæreſi Catharorum, ſub numero XXXVIII. *Pœnitentiam denegant*, inquit, *Nouatum ſectantes hæreticum; vnde etiam Nouatiani appellantur.* Addit Primaſius: *Contra hunc beatus Xyſtus martyr & epiſcopus, & venerabilis Cyprianus Chriſti martyr, tunc Carthaginienſis Pontifex ſcribit contra Nouatum librum, De lapſis, quòd poſſint per pœnitentiam recuperare gratiam, quam labendo perdiderant: quod Nouatus adſerebat fieri omninò non poſſe.* Quæ poſtrema verba conſentanea ſunt illis Theodoreti de Nouato μὴ χρῆναι τοὺς ἀρνηθέντας σωτηρίας τυχεῖν Sed & Theodoretus inter eos reperitur, qui Nouatum Africanum minimè diſtinxerunt à Nouatiano Romano. Præclarè autem vtrumque diſcreuit Euſebius ille Hieronymus, quem Scaliger edidit, poſteriore libro Chronicorum. *Nouatus preſbyter Cypriani Romam veniens Nouatianum & ceteros Confeſſores ſibi ſociat, eò quòd Cornelius pœnitentes apoſtatas recepiſſet.* Sed & Indiculus hæreticorum à Menardo ſub eiuſdem Hieronymi nomine editus, Nouatianum dicit Romæ presbyterum fuiſſe, & aduerſus Cornelium cathedram ſacerdotalem inuadere voluiſſe, Nouatianorum dogma inſtruxiſſe, apoſtatas ſuſcipi noluiſſe, & baptizatos baptizaſſe: Huius auctorem fuiſſe Nouatum Cypriani presbyterum. Inde eſt igitur quod Pacianus ait ad Sympronianum, Nouatianos de Nouato aut Nouatiano vocari. Vtriuſque hiſtoriam idem Pacianus epiſtola III. narrat elegantiſſimè, & plurima Cypriani loca illuſtrat. Latini autem ſcriptores hac parte Græcis proculdubio ſunt præferendi. Hoc amplius, de Nouato & Nouatianis, in Photii Collectaneis reperiri, Philoſtorgium lib. VIII. Hiſt Eccl. ſic de Nouatianorum hæreſi cenſuiſſe, vt diceret fluxiſſe à Phrygibus, & ab ea quæ vocitata eſt τῶν κατὰ Φρύγας, quales fuerunt etiam Pepuzeni: καὶ τὸν Νουάτον ἐκ Φρυγῶν ὁρμᾶσθαι τὸ γένος. qui ſeſe Catharos, puros, ac ceteris meliores eſſe jactabant. de quibus eſt apud Baſilium in epiſt ad Amphil. eos omnes ejectos ab Eccleſia fuiſſe, & ex ſententia quidem Cypriani & Firmiliani. ἔδοξε τοῖς ἀρχαίοις, τοῖς περὶ Κυπριανὸν λέγω καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἡμέτερον τούτους πάντας μιᾷ ψήφῳ ὑποβαλεῖν. Rig.

a *De Epiſcopo iam nec laïcum remanſiſſe.*) Epiſcopo ſemel ab epiſcopatu depoſito, quamuis pœnitenti, non reddebatur locus neque dignitas epiſcopi. pœnitentia completa reddebatur ei communio Chriſtiana, ſed laïca ita vt laïcus in eccleſia maneret. At Euariſtus de epiſcopatu depoſitus, in eccleſia non remanſit. *Idem*

b *Diacono sanctæ administrationis amiſſo.*) Hoc enim erat in diaconio præcipuum, ſancta adminiſtratio arcæ eccleſiaſticæ, qua ſcilicet habebantur viduarum & pupillorum depoſita Et inter diaconium & diaconatum, quod inter magiſterium & magiſtratum. *Idem.*

c *Eccleſiaſticis pecuniis ſacrilega fraude ſubſtractis.* Non vno crimine hæreſeos laboraſſe videtur hic Nicoſtratus, qui mihi Archidiaconus fuiſſe videtur, cui etiam creditæ erant opes & pecuniæ eccleſiæ, verùm metu iudicij ob rapinam & ſacrilegium in Africam Nouatum ſecutus eſt. Pri

d *Pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere*) Propter potentiorem principalitatem, inquit Irenæus lib. III. cap. 3. & Concil. Chalced. διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην. Ipſe Cyprianus epiſt. LV. Petri cathedram dicit, atque Eccleſiam principalem Rig.

e *Deïficam et Eccleſiaſticam diſciplinam.*) Quæ Dei filios & Chriſti coheredes alit &

ficam & Eccleſiaſticam diſciplinám nec actus ſui conuerſatione, nec morum pace tenuerunt. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Eccleſiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conſpicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus. [a] Vterus vxoris calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus. [b] Et damnare nunc audet [c] ſacrificantium manus; cùm ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius qui naſcebatur, occiſus eſt. Hanc conſcientiam criminum iampridem timebat, propter hoc ſe non [d] de Preſbyterio excitari tantùm, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & vrgentibus fratribus imminebat cogitationis dies, quo apud nos cauſa eius ageretur, niſi perſecutio antè veniſſet. Quam iſte voto quodam euadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commiſit & miſcuit; vt qui eiici de Eccleſia, & excludi habebat, iudicium ſacerdotum voluntaria diſceſſione præcederet, quaſi euaſiſſe ſit pœnam, præueniſſe ſententiam. Circa cæteros autem fratres elaboramus, quos ab eo circumuentos dolemus, vt veteratoris [e] perniciosum latus fugiant, vt letales laqueos ſollicitantis euadant, vt de qua ille pelli diuinitus meruit, Eccleſiam repetant. quos quidem Domino adiuuante, per eius miſericordiam regredi poſſe confidimus, neque enim poteſt perire niſi quem conſtat eſſe periturum, cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat; Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Qui plantatus non eſt in præceptis Dei patris, & monitis; ſolus poterit de Eccleſia ille diſcedere; ſolus Epiſcopis derelictis cum ſchiſmaticis & hæreticis in furore remanere. Cæteros verò nobiſcum adunabit Dei patris miſericordia, & Chriſti Domini noſtri indulgentia, & noſtra patientia. Opto te frater chariſſime, ſemper benè valere.

MAXIMI

retinet in vitam æternam. Sic in Synodo Carthagin. Creſcens epiſcopus Cittenſis dixit, Scripturas deificas. Ipſe Cyprianus lib. de Zelo & liuore, deificam diſciplinam quæ diuinam inducit natiuitatem in mentes hominum. & Ælianus quidam Procos. apud Optatum Mileuitanum, lib. 1. Inſtrumenta deifica, & ſcripturas deificas. RIG.

a *Vterus vxoris, &c.* aſſumebantur tunc temporis ob aliorum paucitatem multi coniugati in Clerum: quare non mirum eſt, ſi vxoris Nouati meminit, quum preſbyter eſſet PAM.

b. ET DAMNARE NVNC AVDET SACRIFICANTIVM MANVS, CVM SIT IPSE NOCENTIOR PEDIBVS.) Nouatus pœnitentiam dari nolebat Chriſtianis, qui in perſecutione apprehenſi ſacrificauerant, adeóque damnabat eorum manus, cùm ipſe pedibus ſuis partum vxoris in vtero necaſſet. Ait igitur Cyprianus eiuſmodi paricidæ pedes nocentiores fuiſſe, quàm ſacrificantium manus. Itaque componit paricidium Nouati cum idololatria. expenſaque criminis vtriuſque grauitate, paricidium præponderare arbitratur. Hoc verò Cyprianus pro tempore, ac pro hypotheſi. quod nos alibi, nec ſemel obſeruauimus. Neque aliter cenſuit Optatus in cauſa ſchiſmaticorum, lib. 1. Etenim committit trium criminum reos; ſacrilegum, hoc eſt idololatram, paricidam & ſchiſmaticum. deinde ait: Deus, cui diſplicet ſchiſma, quod in ſacrilegos & paricidam non fecerat, in ſchiſmaticos fecit Sed viderit Optatus. cujus ſententiam nos aliquando, ſi Deus annuat, examinabimus. Interim, ſi quid pro Cypriano dicimus; vix aliud habemus, quàm Nouatum ideò nocentiorem dici ſacrificantibus, quòd pedes habuerit, non tantùm paricidas, verùm etiam ſchiſmaticos. qui pedibus iiſdem, quibus vxoris vterum percuſſerat, ſeceſſionem ſiue ſchiſma poſteà fecerat, aduerſus Eccleſiam, aduerſus Sacerdotem Dei, aduerſus Epiſcopum. RIG.

c SACRIFICANTIVM MANVS.] Eorum ſcilicet qui thura dederant idolis. qui etiam dicebantur Sacrificati, hoc eſt, ſacrificio polluti, qua forma & Libellati. *Idem.*

d DE PRESBYTERIO EXCITARI.) Exturbari, Ejici. Sic Tertul. lib. IV. ad Marcionem, de atroci quadam depugnatione, dixit, *omnem dentem excitatura.* vnde nec cum pauculis dentibus euadere miſero liceret. *Idem.*

De Preſbyterio excitari. Preſbyterium vtro modo hîc accipiatur, an pro preſbyteri officio, an verò pro preſbyterorum collegio, incertum eſt. Si priori modo excitari de preſbyterio, videtur mihi idem eſſe, quod ſuſpendi ab officio. Si poſteriori modo, accipi videtur mihi, pro eo quod hodie dicimus citari à preſbyteris, maximè quum, *de*, pro *à* Cypriano ſit frequens. PAM.

e PERNICIOSVM LATVS EFFVGIANT.) Tegit latus qui ſe comitem alicui præbet. Vnde illud, *Viſne tegam ſpurce Dama latus.* Fugit latus improbi, qui ſe comitem non addit improbo. qui ſocietatem improbi vitat. Cornelius dixerat: Schiſmaticos & hæreticos lateri ſuo ſemper iunctos habet. RIG.

MAXIMI ET CÆTERORVM CONFESSORVM AD Cyprianum de ſuo reditu ex ſchiſmate.

CYPRIANO FRATRI, MAXIMVS, VRBANVS, SIDONIVS, Macarius, Salutem.

L. CERTI ſumus, frater chariſſime, te quoque nobiſcum pari voto congaudere, nos habito conſilio, vtilitatibus Eccleſiæ & paci magis conſulentes, [a] omnibus rebus prætermiſſis & iudicio Dei ſeruatis, cum Cornelio Epiſcopo noſtro pariter & cum vniuerſo Clero pacem feciſſe, cum gaudio etiam vniuerſæ Eccleſiæ, prona etiam omnium charitate. Hoc factum his litteris noſtris ſcire certiſſimè debuiſti. Oramus te, frater chariſſime, multis annis benè valere.

a OMNIBVS REBVS PRÆTERMISSIS.) Ipſe Cornelius ſuprà, Epiſt. XLVI. *Vt ea quæ antè fuerant geſta in obliuionem cederent, inuicem omnibus remiſſis.* Nimirùm pace facta, omnibus rebus iudicio Dei ſeruatis. RIG.

CYPRIANI

CYPRIANI AD CONFESSORES DE REDITV EX ſchiſmate congratulatoria.

CYPRIANVS MAXIMO PRESBYTERO, ITEM VRBANO, & Sidonio, Macario fratribus, Salutem.

LECTIS litteris veſtris, fratres chariſſimi, quas ad me de veſtra regreſſione, & de Eccleſiaſtica pace, ac fraterna redintegratione feciſtis, in tantum me lætatum eſſe confiteor, in quantum fueram & antè lætatus, quando confeſſionis veſtræ gloriam comperi, & militiæ veſtræ cæleſtem ac ſpiritalem laudem gratulabundus excepi. Nam & hæc fidei & laudis veſtræ alia confeſſio eſt, vnam eſſe Eccleſiam confiteri, nec alieni erroris, vel potiùs prauitatis participem fieri; repetere eadem caſtra vnde prodiſtis, vnde ad gerendum prælium & aduerſarium ſubigendum fortiſſimis viribus proſiliſtis. Illuc enim erant de acie trophæa referenda, vnde ad aciem fuerant arma ſuſcepta: ne quos ad gloriam Chriſtus paraſſet, eoſdem glorioſos Chriſti Eccleſia non haberet. Nunc verò & vos congruentem fidei veſtræ tenorem, atque indiuiduæ charitatis & concordiæ legem Dominica pace tenuiſtis, & exemplum cæteris dilectionis & pacis veſtro itinere feciſtis; vt Eccleſiæ veritas & [a] Euangelici ſacramenti vnitas, quæ à nobis tenebatur, veſtro etiam conſenſu ac vinculo necteretur: nec Confeſſores Chriſti erroris duces fierent, qui virtutis & honoris auctores laudabiles extitiſſent. Viderint quantùm vobis cæteri gratulentur, vel quantùm apud ſe ipſos ſinguli glorientur: ego me & gratulari ſatis vobis, & plus cæteris gloriari in hac veſtra pacifica regreſſione & charitate confiteor. ſimpliciter enim quid in meo corde fuerit, debetis audire. Dolebam vehementer, & grauiter angebar; quod eis communicare non poſſem quos ſemel diligere cœpiſſem. [b] Poſteaquàm vos de carcere prodeuntes ſchiſmaticus & hæreticus error excepit, ſic res erat, quaſi veſtra gloria in carcere remanſiſſet. Illic enim reſediſſe veſtri nominis dignitas videbatur, quando milites Chriſti non ad Eccleſiam de carcere redirent, in quem priùs cum Eccleſiæ laude & gratulatione veniſſent. Nám etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodò laborandum eſt vt frumentum eſſe poſſimus, vt cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in Epiſtola ſua dicit: In domo autem magna non ſolùm vaſa ſunt aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, vt vas aureum vel argenteum ſimus. cæterùm [c] fictilia vaſa confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt maior Domino ſuo ſeruus. Nec quiſquam ſibi quod ſoli filio pater tribuit, vindicare poteſt, vt putet aut ad aream ventilandam & purgandam, palam ferre ſe iam poſſe, aut à frumento vniuerſa zizania [d] humano iudicio ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi [e] furor prauus aſſumit: [f] Et dum dominium ſibi ſemper quidam, pluſquàm mitis iuſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſia pereunt: & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati veritatis lumen amittunt. Propter quod & nos temperamentum tenentes, & libram Domini contemplantes, & Dei patris pietatem ac miſericordiam cogitantes, diu multúmque tractatu inter nos habito iuſta moderatione agenda librauimus. Quæ omnia penitus [g] poteſtis inſpicere lectis libellis, quos hîc nuper legeram, & ad vos quoque legendos pro communi dilectione tranſmiſeram, vbi lapſis nec cenſura deeſt, quæ increpet; nec medicina, quæ ſanet. Sed & Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, quantùm potuit, expreſſit noſtra mediocritas. quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum iam ſic legitis, vt & probetis, & ametis. ſi quidem quod nos verbis conſcripſimus, vos factis impletis, quando LI.

a EVANGELICI SACRAMENTI VNITAS) In Beneu. & Ver. euangellj ac ſacramenti vnitas. RIG.

b POSTQVAM VOS DE CARCERE PRODEVNTES SCHISMATICVS ET HAERETICVS ERROR EXCEPIT] Hæc verba ſatis arguunt vanam eſſe Pamelij obſeruationem, Cyprianum hîc, & aliis huiuſmodi locis, non eſſe intelligendum de ſchiſmaticis aut hæreticis, ſed de aliis improbis hominibus Et quæ de libris Auguſtini Pamelius adducit, hoc tantùm probant, ſanctiſſimum doctorem, pro variis cauſarum figuris, diuerſa ab Cypriano ſenſiſſe de puniendis hæreticis. *Idem.*

c VASA FICTILIA CONFRINGERE SOLI FILIO CONCESSVM EST.] Mox dicet: *Nec quiſquam ſibi, quod ſoli filio pater tribuit, vindicare poteſt. Idem.*

d HVMANO IVDICIO SEGREGARE] Auguſtinus lib. III. ad Creſconium: *Humano iudicio ſeparare.* Atque ita legitur in Veronenſi. *Idem.*

c FVROR PRAVVS ASSVMIT.) Auctior Veronenſis: *Furor prauus inſipienter aſſ. Idem.*

f ET DVM DOMINIVM) Auguſtinus, tantùm habet: *& dum ſibi ſemper quidam plus quàm mitis iuſtitia depoſcit, aſſumunt,* &c. Et ſic in Ben. & Ver. Neque aliud ſibi vult Cyprianus. *Idem.*

g POTESTIS INSPICERE LECTIS LIBELLIS.) Apertiſſimè hoc loco declarat Cyprianus libellos jam ab ſe editos, De lapſis, & De vnitate Eccleſiæ. *Idem.*

do ad Eccleſiam charitatis ac pacis vnitate remeatis. Opto vos, fratres chariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper benè valere.

AD ANTONIANVM DE CORNELIO ET NOVATIANO.

CYPRIANVS ANTONIANO FRATRI, SALVTEM.

ARGVMENTVM.

Quum Antonianus acceptis litteris à Nouatiano, in partes illius animo propendere cœpiſſet, confirmat illum Cyprianus in priori ſententia, vt nempè cum Cornelio, hoc eſt, Eccleſia catholica communicare pergat. Quod vt perſuadeat, totius tragœdiæ inter Cornelium & Nouatianum hiſtoriam texit, & Cornelium virum optimum, & legitimè electum, Nouatianum verò multis ſceleribus obnoxium illegitimam electionem vſurpaſſe docet: obiter etiam ſub initium Epiſtolæ ſe excuſans, de mutata, quod ad lapſorum rationem attinet ſententia, & ſub finem in quo Nouatiana hæreſis conſiſtat, explicans.

LII. [a] ACCEPI primas litteras tuas, frater chariſſime, concordiam collegij ſacerdotalis firmiter obtinentes, & Catholicæ Eccleſiæ cohærentes, quibus ſignificaſti cum Nouatiano te non communicare, ſed ſequi conſilium noſtrum, & cum Cornelio coëpiſcopo noſtro vnum tenere conſenſum. Scripſiſti etiam, vt exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam noſtrum tranſmitterem, vt depoſita omni ſollicitudine iam ſciret, te ſecum, hoc eſt, cum Catholica Eccleſia communicare. Sed enim ſuperuenerunt poſtmodum aliæ litteræ tuæ per Quintum compreſbyterum miſſæ, in quibus animaduerti animum tuum Nouatiani litteris motum nutare cœpiſſe. Nam cùm & conſilium & conſenſum tuum firmiter antè fixiſſes, deſideraſti in his litteris, vt reſcriberem tibi, quam hæreſim Nouatianus introduxiſſet, vel Cornelius, qua ratione [b] Trophimo & turificatis communicet. Quod quidem ſi pro ſollicitudine fidei anxiè curas, & rei dubiæ veritatem ſollicitus exploras; reprehendenda non eſt timore diuino æſtuantis animi ſollicitudo ſuſpenſa. Quoniam tamen video, poſt primam ſententiam Epiſtolæ tuæ, Nouatiani litteris poſtmodum te eſſe commotum, illud, frater chariſſime, primo in loco pono: graues viros, & ſemel [c] ſuper petram ſolida ſtabilitate fundatos, non dico aura leui, ſed nec vento aut turbine commoueri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibuſdam ventorum incurſantium flatibus, frequenter agitetur, & à propoſito ſuo cum quadam leuitatis reprehenſione mutetur. Quod ne vel apud te vel apud quemquam Nouatiani litteræ faciant; vt deſideraſti, frater, rationem rei tibi breuiter exponam. Et quidem primùm quoniam de meo quoque actu motus videris, mea apud te & perſona, & cauſa purganda eſt, ne me aliquis exiſtimet à propoſito meo leuiter receſſiſſe: & cùm Euangelicum vigorem primò & inter initia defenderim, poſtmodum videar animum meum à diſciplina, & cenſura priore flexiſſe; vt his, qui libellis conſcientiam ſuam maculauerint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, laxandam pacem putauerim. Quod vtrumque non ſine librata diu & ponderata ratione à me factum eſt. Nam cùm [d] acies adhuc inter manus eſſet, & prælium glorioſi certaminis in perſecutione ferueret, toto hortatu, & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & maximè lapſorum mentes claſſico quodam noſtræ vocis animandæ; vt pœnitentiæ viam non ſolùm precibus & lamentationibus ſequerentur, ſed (quoniam repetendi certaminis & reparandæ ſalutis dabatur occaſio) ad confeſſionis potiùs ardorem, & martyrij gloriam noſtris increpiti vocibus prouocarentur: Denique cùm de quibuſdam ad me Preſbyteri & Diaconi ſcripſiſſent, eos immoderatos eſſe, & ad communicationem accipiendam feſtinanter vrgere: reſcribens eis in Epiſtola mea quæ extat, & hoc addidi: [Qui ſi nimium properant, habent in ſua poteſtate quod poſtulant, tempore ipſo ſibi plus quàm poſtulant largiente. Acies adhuc geritur, & [e] agon quotidie celebratur. Si commiſſi verè & firmiter pœnitet, & fidei calor præualet, qui differri non poteſt, poteſt coronari.] De eo tamen quod ſtatuendum eſſet circa cauſam lapſorum diſtuli

a ACCEPI PRIMAS.] In Veronenſi & Corbeïenſi, Accepimus litteras tuas. RIG.

b *Trophimo & thurificatis.* Trophimus vnus erat lapſorum, & quos infrà ſacrificatos, hîc thurificatos, nuncupat. Paret autem hinc præcipuam calumniam Nouatiani contra Cornelium fuiſſe, quod Trophimo & thurificatis communicaſſet. PAM.

c SVPER PETRAM SOLIDA STABILITATE FVNDATOS) In Corbeïenſi, legitur: *ſuper petram robuſtam.* quod impropriè dictum videatur, nam robuſtum à robore formatum, nimis impropriè tribuatur petræ, quæ ſatis ſuapte natura ſtat, præſertim cùm hac petra dicatur ſolida ſtabilitate fundata. Et tamen ſuprà, Epiſt. xv. idem Cyprianus dixit, martyras ſupra petram robuſta mole fundatos. RIG.

d ACIES ADHVC INTER MANVS.] Mox dicet: *Acies adhuc geritur. Idem.*

e AGON QVOTIDIE CELEBRATVR.] Suprà: *Adhuc prælium feruet, Idem,*

ſtuli; vt cùm quies & tranquillitas data eſſet, & Epiſcopis in vnum conuenire indulgentia diuina permitteret, tunc communicato & librato de omnium collatione conſilio, ſtatueremus quid fieri oporteret; ſi quis verò ante conſilium noſtrum, & ante ſententiam de omnium conſilio ſtatutam lapſis temerè communicare voluiſſet; ipſe à communicatione abſtineretur. Quod etiam Romam ad Clerum tunc adhuc ſine Epiſcopo agentem, & ad Confeſſores Maximum Preſbyterum & cæteros in cuſtodia conſtitutos, nunc [a] in Eccleſia cum Cornelio iunctos, pleniſſimè ſcripſi. quod me ſcripſiſſe, de eorum reſcriptis poteris noſcere. nam in Epiſtola ſua ita poſuerunt: [Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti, priùs eſſe Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus laïcis facta, lapſorum tractare rationem.] Additum eſt etiam Nouatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat ſua voce recitante, & Preſbytero Moyſe, tunc adhuc Confeſſore, nunc, iam Martyre ſubſcribente, vt lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax daretur. [b] Quæ litteræ per totum mundum miſſæ ſunt, & in notitiam Eccleſiis omnibus & vniuerſis fratribus perlatæ ſunt. Secundùm quod tamen antè fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in vnum conueniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua & Domini tutela protexit, in vnum conuenimus, & ſcripturis diu ex vtraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione librauimus, vt nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur. ne plus deſperatione deficerent, & eò quòd ſibi Eccleſia cluderetur, ſecuti ſæculum gentiliter viuerent; nec tamen rurſus cenſura Euangelica ſolueretur, vt ad communicationem temerè proſilirent; ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum, ſecundùm quod [c] libello continetur, quem ad te perueniſſe confido, vbi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt. Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium collegam noſtrum, qui & ipſe [d] cum plurimis coëpiſcopis habito concilio, in eamdem nobiſcum ſententiam pari grauitate & ſalubri moderatione conſenſit. De quo tibi neceſſe nunc fuit ſcribere, vt ſcias me nihil leuiter egiſſe, ſed ſecundùm quod litteris meis fueram ante complexus, omnia ad commune conſilij noſtri conſilium diſtuliſſe, & nemini quidem ex lapſis priùs communicaſſe; quando adhuc erat, vnde non tantùm indulgentiam, ſed & coronam lapſus acciperet: poſteà tamen ſicut collegij concordia, & colligendæ fraternitatis, ac medendi vulneris vtilitas exigebat, neceſſitati temporum ſuccubuiſſe, & ſaluti multorum prouidendum putaſſe, & nunc ab his non recedere, quæ ſemel in concilio noſtro de communi collatione placuerunt, quamvis multa multorum vocibus ventilentur, & mendacia aduerſus ſacerdotes Dei, de Diaboli ore prolata, ad rumpendam Catholicæ vnitatis concordiam vbique iactentur. Sed te oportet [e] vt bonum fratrem atque vnanimem conſacerdotem, non quid maligni atque apoſtatæ dicant facilè ſuſcipere; ſed quid collegæ tui modeſti & graues viri faciant, de vitæ & diſciplinæ noſtræ exploratione perpendere. Venio iam nunc, frater chariſſime, ad perſonam Cornelij collegæ noſtri; vt Cornelium nobiſcum veriùs noueris, non de malignorum & detrahentium mendacio, ſed de Domini Dei indicio, qui Epiſcopum fecit, & coëpiſcoporum teſtimonio, quorum numerus vniuerſus per [f] totum mundum concordi vnanimitate conſenſit. Nam, quod Cornelium chariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto & Eccleſiæ eius, item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpè promeritus, [g] ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum nec ipſe poſtulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, inuaſit; [h] ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueuerunt

a *In Eccleſia cum Cornelio iunctos.* Scripta eſt ergo hæc Epiſtola poſt reditum confeſſorum ad vnitatem, & vbi paulò poſt conſtat, poſt primam ſynodum Affricæ, & ſynodum Romanam de lapſis, non verò poſt ſecundam, nam ibi denuò alia fuit facta de ſacrificatis moderatio; atque adeò hinc patet, ſcriptam hanc poſt epiſtolam præcedentem, & ante epiſtolam ſynodi Africanæ ad Cornelium, nam illa ſecunda fuit. PAM.

b QVAE LITTERAS PER TOTVM MVNDVM MISSAE SVNT.] Vacabat Sedes Romana, Fabiano martyrij gloria conſummato. Itaque ex vnitatis Eccleſiaſticæ diſciplina, Cyprianus ſollicitudinem omnium Eccleſiarum ad ſe pertinere non ambigens, etiam Romam ſe dediſſe litteras ait ad Clerum. Eas verò litteras per totum mundum miſſas, hoc eſt, per Eccleſiam Catholicam, cuius Eccleſiæ vnus eſt epiſcopatus. atque huiuſmodi epiſcopatus à ſingulis epiſcopis in ſolidum pars tenebatur. RIG.

c LIBELLO CONTINETVR.] Libello, de lapſis. *Idem.*

d *Cum plurimis coepiſcopis habito concilio.* De hoc concilio loquitur Euſebius lib. 6 in quo damnatum Nouatum cum ſuis aſſeclis atque ab Eccleſiæ communione remotum. PRI.

e VT BONVM FRATREM, ATQVE VNANIMEM CONSACERDOTEM. Tunc tempora ferebant iſtam conuerſationem Apoſtolicam. RIG.

f PER TOTVM MVNDVM CONCORDI VNANIMITATE CONSENSIT.] Vt ſuprà, Litteræ per totum mundum miſſæ ſunt. *Idem.*

g AD SACERDOTII SVBLIME FASTIGIVM.) Etenim ſacerdotium omnes gradus Clericæ ordinationis includit. *Idem.*

h SED QVIETVS ET MODESTVS) In Beneuentano & Veronenſi, ſed quietus alias & mod. *Idem.*

ſueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, [a] pro pud ore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidam vim facit, vt Epiſcopus fieret; ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus à plurimis collegis noſtris, qui tunc in vrbe Roma aderant qui ad nos litteras honorificas, & laudabiles, & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres de eius ordinatione miſerunt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de [b] Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, & [c] de ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri [d] & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrûm conſenſione firmato; quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem qui Eccleſiæ non tenet vnitatem, quiſquis ille fuerit, multùm de ſe licet iactans, & ſibi plurimum vindicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. [e] Et cùm poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt vnum qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non iam ſecundus ille, ſed nullus eſt. Tum deinde poſt Epiſcopatum non exambitum, nec extortum, ſed de Dei, qui ſacerdotes facit, voluntate ſuſceptum, quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus? quantùm robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos ſimplici corde & perſpicere penitus, & laudare debemus: ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra eo tempore, cùm tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda, atque infanda comminaretur, cum multò patientiùs & [f] tolerabiliùs audiret [g] leuari aduerſus ſe æmulum principem, quàm conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem. Nonne hic, frater chariſſime, ſummo virtutis & fidei teſtimonio prædicandus eſt? nonne inter glorioſos Confeſſores & Martyres deputandus, qui tantùm temporis ſedit expectans corporis ſui carnifices, & tyranni ferocientis vltores, qui Cornelium aduerſus edicta feralia reſiſtentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio inuaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viſcera eius & membra laniarent? Etiam ſi maieſtas Domini protegentis & bonitas, ſacerdotem quem fieri voluit, factum quoque protexit: tamen Cornelius [h] quantum ad eius deuotionem pertinet

a PRO PVDORE VIRGINALIS CONSCIENTIAE SVAE.) Infrà dicet: *Nulla illum libelli, vt quidam iactant, labe maculatum.* Et de Libellatis: *Etſi manus eorum pura ſit, conſcientiam tamen eorum eſſe pollutam.* Itaque hic Virginalem conſcientiam dicit, ſanctam, integram, non libellatam, non turificam, non alio huiuſmodi crimine contaminatam. Sed Pamelius virginem fuiſſe Cornelium ex ex his Cypriani verbis colligit. Cui certè opinioni fauent exemplaria nonnulla, in quibus ſcribitur, *virginalis continentia.* ſic enim reperiri aiunt in Beneuentano & Veronenſi. Et paulò poſt ſubjicier Cyprianus de eodem Cornelio, ipſum vim paſſum eſſe, vt epiſcopatum coactus acciperet *Idem.*

b *Dei & Chriſti eius iudicio.* Imperatorem intelligit, variis quippe temporibus factum vt imperatores Pontifices eligerent. Quod Carolo M. contigit ſedente Adriano, pulſis nimirum ab eodem rege Italia Longobardis. PRI.

c *De ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum conſilio.* Liber N. F conſenſu. RIG.

d ET GRADVS CATHEDRAE SACERDOTALIS VACARET.) In Beneuentano & Veronenſi: *Et cathedra ſacerdotalis vacaret.* Vnde conjiciet aliquis, manum Cypriani tantùm ſcripſiſſe: *Cùm Fabiani locus, & cathedra ſacerdotalis vacaret.* Nec ſanè aliud quicquam patitur ſenſus Auctoris. *Idem.*

e ET CVM POST PRIMVM SECVNDVS ESSE NON POSSIT.] Poſt electum Cornelium, Nouatianus per ambitum electus fuerat. Priorem illam Cornelij electionem, veram & legitimam, Cyprianus primam vocat. vnde & primum in Epiſcopatu fuiſſe ait Cornelium. Sic tamen, vt Nouatianus poſteà electus, haberi aut dici nequeat ſecundus, quia Cornelius ſolus eſſe debeat. neque enim licere plures haberi eodem tempore ſingularis Eccleſiæ epiſcopos Cùm igitur Nouatianus ſecundus eſſe non poſſit, rectè Cyprianus argumentatur, nullum eſſe. hoc eſt, epiſcopante Cornelio, præter ipſum Cornelium eſſe epiſcopum neminem. Hoc verò & ad omnes eccleſias pertinet. Nam etſi Romana ſit prima, tamen & ceteræ omnes. vna eſt ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Tertulliani verba ſunt: *Sic omnes prima, & Apoſtolica omnes, dum vnâ omnes probant vnitatem: dum eſt illis communicatio pacis & appellatio fraternitatis. Idem.*

f TOLERABILIVS AVDIRET LEVARI ADVERSVS SE AEMVLVM PRINCIPEM, QVAM CONSTITVI ROMAE AEMVLVM SACERDOTEM.) Sic edidit Pamelius, ex codice vt ipſe ait Affliginienſi: & veriſſimam eſſe adfirmat hanc ſcripturam, quæ proculdubio falſa eſt. Nam & in antiquis exemplaribus optimo conſenſu legitur: *quam conſtitui Romæ Dei ſacerdotem:* & Cypriani mens aliam lectionem non patitur Etenim Cornelium epiſcopum propterea commendat, quod per omnes gradus eccleſiaſticos promotus, tandem ex Dei & Chriſti iudicio, clericorum teſtimonio, plebis ſuffragio, de ſacerdotum collegio factus fuerit Vrbis Romæ epiſcopus Eumdem verò hoc etiam nomine prædicat, quod vnà cum epiſcopatu tantùm virtutis, tantùm animi, tantùm fidei ſuſceperat, vt ab Officio ſuo non ſit deterritus ſæuitia Decii. qui tamen odio tanto Chriſtianos oderat, vt libentiùs tuliſſet opponi ſibi contrarium Cæſarem, quàm conſtitui Romæ Dei ſacerdotem. Atque hoc Cyprianus pro ſtili ſui rhetorici facundia. Ceterùm, quod adſerit Pamelius Decium æquiore animo paſſurum fuiſſe æmulum aduerſus ſe principem, quàm conſtitui Romæ Nouatianum, æmulum Cornelij, valde eſt abſurdum. etenim Decius hoſtis Chriſtiani nominis acerrimus, omnes vno ordine habebat Chriſtianos, ſiue catholicos ſiue ſchiſmaticos. neque is erat qui ſeſe vellet interponere ſedandis illorum diſcordiis, & Nouatiano æquè pro ſacerdote agendum fuiſſet, atque Cornelio. Sed multò eſt abſurdius quod in mentem venit cuidam, his Cypriani verbis editione illa Pameliana interpolatis obſeruanti, adeò magnificam illo jam æuo epiſcopi Romani poteſtatem, vt eſſet ipſis Cæſaribus inuidioſa. quaſi metuendum foret, ne Romanum imperium ſacerdos Chriſtianus inuaderet Longè aberant ab huiuſmodi conſiliis eò tempore Chriſtiani, nec erat Romæ vllus Dei ſacerdos æmulus Cæſareæ maieſtatis. *Idem*

g LEVARI ADVERSVS SE AEMVLVM PRINCIPEM.] Ex more tunc temporis caſtrorum. quem faciebant imperatorem milites, impoſitum ſcuto, aſpiciendum exercitui ſubleuabant. Ammianus Marcellinus, de Iuliano: *Cæſar adſentire coactus eſt, impoſitúſque ſcuto pedeſtri, & ſublatiùs eminens, nullo ſilente, Auguſtus renunciatus eſt.* Ad eúmque morem pertinet verſus Claudiani citatus à P. Pithæo Aduerſarior. 1. cap. 6 *Sed mox cùm ſolita miles te voce leuaſſet* Suſtinentium humeris vibratum, dixit Tacitus Hiſt 1 v. Zonaras, ἐπ' ἀσπίδος αὐτὸν μετέωρον ἄραντες, de Hypatio aduerſus Iuſtinianum leuato *Idem.*

h QVANTVM AD EIVS DEVOTIONEM PERTINET ET TIMOREM Quem nobis hic timorem prædicat Cyprian. in Cornelio ſuo, quem fortiſſimum & intrepidum, & ad omnia perpetienda paratiſſimum exhibuit? Dicamus igitur, timorem intelligi debere, quem Tertullianus ait eſſe fundamentum æternæ ſalutis Nempe timorem in Deum vindicem & vltorem, qui dixit ſe negaturum Negatores, fidei deſertores. Hoc timore Chriſtiana mens armata ſic exhorreſcit inueniri parum fidelis, vt ſit in perpetuo timore, necubi pro Chriſti ſui nomine videatur eſſe non fortis. deuotiſſima Chriſto, hoc vnum timet, ne de-

pertinet & timorem [a] paſſus eſt quicquid pati potuit, & [b] tyrannum, armis & bello poſtmodum victum, prior ſacerdotio ſuo vicit. Quod autem quædam de illo inhoneſta & maligna iactantur nolo mireris; cùm ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet; vt qui [c] conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias, & veriſſimè comperiſſe nulla illum libelli, vt quidam iactant, labe maculatum eſſe, ſed neque cum Epiſcopis, qui ſacrificauerunt, communicationem ſacrilegam miſcuiſſe; ſed eos demum, quorum cauſa audita & innocentia comprobata ſit, coniunxiſſe nobiſcum. Nam & de Trophimo, de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, vt ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam ſicut anteceſſores noſtri ſæpè fecerunt [d] colligendis fratribus noſtris, chariſſimus frater noſter Cornelius [e] neceſſitati ſuccubuit; & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione reuocante, auditæ ſunt eius preces; & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophimus; [f] pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus: ſic tamen admiſſus eſt Trophimus, [g] vt laicus communicet; non ſecundùm quòd ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum ſacerdotis vſurpet. Sed & quod paſſim communicare ſacrificatis: Cornelium tibi nunciatus eſt, hoc etiam de apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur. Neque enim poſſunt laudare nos, qui recedunt: aut expectare debemus, vt placeamus illis, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles, ſollicitandis de Eccleſia fratribus violenter inſiſtunt. Quare & de Cornelio, & de nobis quæcumque iactantur, nec audias facilè, nec credas, frater chariſſime. Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis, ſicut placuit, in periculo ſubuenitur; poſtea quàm tamen ſubuentum eſt, & periclitantibus pax data eſt, ſuffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi & manu noſtra in exitum mortis vrgeri, vt quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem: cùm magis in hoc iudicium diuinæ pietatis, & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hîc quoque ad vitam percepta pace teneantur. Et idcircò ſi accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in ſacerdotibus criminari, cùm ſemel placuerit fratribus in periculo ſubueniri. Nec tu exiſtimes, frater chariſſime, ſicut quibuſdam videtur, [h] libellaticos cum ſacrificatis æquari oportere; quando inter ipſos etiam qui ſacrificauerint, & conditio frequenter & cauſa diuerſa ſit. Neque enim æquandi ſunt, ille qui ad ſacrificium nefandum ſtatim voluntate proſiliuit; & qui reluctatus & congreſſus diu ad hoc funeſtum opus neceſſitate peruenit: ille qui & ſe & omnes ſuos prodidit; & qui ipſe pro cunctis ad diſcrimen accedens, vxorem, & liberos, & domum totam

tam

uotione excidat ſua. Hoc verò ſenſu benè Cyprianus deuotioni timorem adjunxit. Rio.

a PASSVS EST, QVICQVID PATI POTVIT. In exemplari Beneuentano: *Quicquid pati voluit.* Chriſtus accepto fecit quod Cornelius pati voluit. Voluntas pro facto ceſſit. Voluit pati quicquid tyrannus decerneret. Potuit autem tyrannus adhibere gladium, crucem, ignem & inaudita genera pœnarum. Itaque paſſus eſt Cornelius, inquit Cyprianus, quicquid pati voluit. Etenim parariſſimus fuit pati, quicquid pati potuit. hoc eſt, quicquid decernere potuit tyrannus. *Idem.*

a PASSVS EST QVICQVID PATI POTVIT.) In Beneuentano *voluit*: Dominus ſcilicet. *Idem.*

b TYRANNNVM ARMIS ET BELLO POSTMODVM VICTVM PRIOR SACERDOTIO SVO VICIT.] Sacerdotalibus armis, patientiæ Chriſtianæ conſtantia. Sic vbique rhetoricò murice dicta ſua Cyprianus illuminat. *Idem.*

c CONSCIENTIÆ SVAE LVCE CLARESCVNT.) Suprà dixit, virginalem conſcientiam & mox ſubjiciet: nulla illum libelli, vt quidam iactant, labe maculatum.

d COLLIGENDIS FRATRIBVS NOSTRIS.] Hoc eſt, ad vitanda ſchiſmata. *Idem.*

e NECESSITATI SVCCVBVIT) Laberius,

Neceßitas, cuius curſus tranſuerſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

Etiam in rebus Eccleſiæ, pro arbitrio præſidentium, magna debet haberi ratio neceſſitatis, eáque ſuadente multa condonantur, quæ debent aliàs obnixè prohiberi tradendis accipiendiſque ſacramentis. Exempla ſuggerit Tertullianus in baptiſmi & euchariſtiæ adminiſtratione. *Idem.*

f PRO QVO SATISFACIEBAT FRATRVM REDITVS.) Mox dicet, *Multa ſoluentes animas.* *Idem.*

g VT LAICVS COMMVNICET] Sæuiente aduerſus Chriſtianos perſecutione, ſi quem fortè in ordine conſtitutum eccleſiaſtico, puta epiſcopum, preſbyterum, diaconum, exilii metus aut violentia tormentorum de fide Chriſto data dejecerat, is ad fidem reuerſus, poſtquam impetrata peractaque pœnitentia ſatisfecerat eccleſiæ, recipiebat quidem eccleſiaſticam communionem, hoc eſt, ſocietatem & conuerſationem cum ceteris fidelibus, ita vt fieret particeps Corporis Chriſti; ſed non recipiebat locum quem in ordine priùs tenuerat. Itaque de epiſcopo, de preſbytero, de diacono fiebat id quod erat priuſquàm fuiſſet ordinatus. Reddebatur illi locus in Eccleſia, non dignitas loci. communicabat vt laïcus ſiue plebeius. vtebatur jure ceterorum fidelium qui nondum erant promoti ad quemquam ordinem eccleſiaſticum. Hæc erat tunc temporis communio laïci. cuius adeo participes Euchariſtica ſacramenta, ſpeciem inquam vtramque panis & vini ſumebant. Hodiè communionem laïcam diceremus, quæ ſub vna tantùm ſpecie panis conceditur, etiam epiſcopis & ſacerdotibus extra ſacrificiorum officia communicantibus. Imò & communionis vocabulum vix audimus alio ſignificatu quàm Euchariſtiæ celebrandæ. *Idem.*

g VT LAICVS COMMVNICET.] Hoc eſt, vt communicet laïcus jam non preſbyter, non epiſcopus. *Idem.*

h LIBELLATICOS CVM SACRIFICATIS.) Vbique in MSS. occurrunt Sacrificati & Thurificati; rarò Libellati. at ſæpiſſimè Libellatici. Rig.

i *Libellaticos cum ſacrificatis* Eodem fermè vocabulo nuncupabantur; Diſtinguit tamen hic Cæcilius, Nam libellatici dicebantur, qui iudici libellos offerebant, & prolata pecunia ſupplicium redimebant. Sacrificati verò & thurificati οἱ εἰδώλοις ἐπιτεθυκότες qui idolis Thus adoleuerant & profano ritu ſacra fecerant. Pri.

tam [a] periculi ſui perfunctione protexit: ille qui inquilinos vel amicos ſuos ad facinus compulit, & qui inquilinis & colonis pepercit, fratres etiam plurimos qui extorres & profugi recedebant, in ſua tecta & hoſpitia recepit, oſtendens & offerens Domino [b] multas viuentes & incolumes animas, quæ pro vna ſaucia deprecentur. Cùm ergo inter ipſos qui ſacrificarint, multa ſit diuerſitas; quæ inclementia eſt, & quàm acerba duritia libellaticos cum iis qui ſacrificarint iungere? quando is cui libellus acceptus eſt, dicat: Ego priùs legeram, & [c] Epiſcopo tractante cognoueram non ſacrificandum idolis, nec ſimulacra ſeruum Dei adorare debere; & idcircò ne hoc facerem, quod non licebat [d] (cùm occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad magiſtratum vel veni, vel alio eunte mandaui: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Nunc tamen etiam iſte qui libello maculatus eſt, poſteaquàm nobis admonentibus didicit, nec hoc ſe facere debuiſſe, & ſi manus pura ſit, & os eius feralis cibi contagia nulla polluerint, [e] conſcientiam tamen eius eſſe pollutam; flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quàm errore deceptus, quod iam de cætero inſtructus, & paratus ſit, conteſtatur. Quorum ſi pœnitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam [f] tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum vxore, cum liberis quos incolumes reſeruauerant, in hæreſim vel ſchiſma diabolo inuitante rapiuntur: & adſcribetur nobis in die iudicij, nec ouem ſauciam curaſſe, & propter vnam ſauciam multas integras perdidiſſe. Et cum Dominus relictis nonaginta nouem ſanis vnam errantem & laſſam quæſierit, & inuentam humeris ſuis ipſe portauerit; nos non tantùm [g] non quæramus lapſos, ſed & venientes arceamus: & cùm pſeudoprophetæ gregem Chriſti nunc vaſtare & lacerare non deſinant, occaſionem canibus & lupis demus, vt quos perſecutio infeſta non perdidit, eos nos duritia noſtra & inhumanitate perdamus. Et vbi erit, frater chariſſime, quod Apoſtolus dicit? Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis vt ſaluentur. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et iterum; Factus ſum infirmus infirmis, vt infirmos lucrarer. Et iterùm: Si patitur membrum vnum, compatiuntur & cætera membra: & ſi lætatur vnum membrum, collætantur & cætera membra. Alia eſt Philoſophorum & Stoïcorum ratio, frater chariſſime, qui dicunt omnia peccata paria eſſe, & virum grauem non facilè flecti oportere: inter Chriſtianos autem & Philoſophos plurimum diſtat. Et cùm Apoſtolus dicat: Videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanem fallaciam, vitanda quæ non de Dei clementia veniunt, ſed de philoſophiæ durioris præſumptione deſcendunt. De Moyſe autem legimus in ſcripturis dictum; Et fuit Moyſes homo lenis nimis. Et Dominus in Euangelio ſuo dicit: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſertus eſt veſtri. Et iterùm: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Quam poteſt exercere medicinam, qui dicit: ego ſolos ſanos curo, quibus medicus neceſſarius non eſt? Opem noſtram, medelam noſtram vulneratis exhibere debemus. [h] nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes iacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus; qui ſi in totum mortui eſſent, numquam de eiſdem poſtmodum & Confeſſores & martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis quod pœnitentia ſequente reualeſcat, ad fidem, [i] & ad virtutem de pœnitentia robur armatur; quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia durè & crudeliter ſegregatus, ad gentiles ſe vias & ſæcularia opera conuertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos reiectus ab Eccleſia tranſeat. [k] Vbi etſi occiſus propter nomen poſtmodum fuerit extra Eccleſiam conſtitutus, & ab vnitate atque à charitate diuiſus, coronari in morte non poterit. Et ideò placuit, frater chariſſime, examinatis

minatis

a PERICVLI SVI PERFVNCTIONE.) In Verpaſtione. In Beneu. *paſſione*. RIG

b MVLTAS VIVENTES ET INCOLVMES) In Corbeienſi, *multa ſoluentes*. In Vaticanis quibuſdam, *ſaluatas*. Legendum vt eſt in Corbeïenſi, *multa ſoluentes*. hoc eſt, animas ad facienda pro Chriſto martyria tam forti pectore paratiſſimas, vt non tantùm pro ſe, ſed & pro multis aliis ſoluendo eſſe videantur. Sic ſuprà, de Throphimo: *Suſceptus eſt Throphimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus & reſtituta multorum ſalus*. *Idem*

c EPISCOPO TRACTANTE.) Sic Epiſt LVI. Collectam fraternitatem non videat, nec tractantes epiſcopos audiat. *Idem*.

d CVM OCCASIO LIBELLI FVISSET OBLATA.) Ab auaro ſcilicet præſide, vel fortean miſericordi, ac de melioribus Ethnicis. Sed reſpuendam fuiſſe hanc occaſionem docet Tertullianus in illo grandi & magnifico ad Fabium ſermone, probátque exemplo Pauli: Cùm Felix præſes pecunias accepturum ſe pro eo à diſcipulis ſperaſſet, de quo & ipſe in ſecreto tractauerat cum ipſo, neque ipſe pro ſe, neque diſcipuli pro eo numerarunt. *Idem*.

e CONSCIENTIAM TAMEN EIVS ESSE POLLVTAM.) Sicut fuga redemtio gratuita eſt; ita redemtio nummaria fuga eſt. certè & huius, timiditatis conſilium eſt. Quod times, redimis ergo fugis. Pedibus ſtetiſti, cucurriſti nummis. Hoc ipſum quod ſtetiſti ex redemtione, fugiſti. Tertull. *Idem*.

f TOLERABILIS CONSCIENTIÆ.) Aliqua labe adſperſæ, attaminatæ: vt contrà, de Cornelio dixit, virginalem, pro ſanctiſſima & intaminata. *Idem*.

g NON QVÆRAMVS LAPSOS.) In Veron. *laſſos*, vt ſuprà, ouem laſſam. *Idem*.

h NEC PVTEM MORTVOS ESSE.) Hunc locum Hugo Grotius Annot in Euang. Lucæ cap. XXII. 32. appoſitiſſimè citauit ad lapſum & pœnitentiam Petri. *Idem*.

i ET AD VIRTVTEM DE POENITENTIA ROBVR ARMATVR.) In aliquot Vatic. *Et ad virtutem pœnitentia robur armatur*. *Idem*

k VBI ET OCCISVS PROPTER NOMEN.) Scilicet Chriſti. Itaque tota clauſula ſic conſtituenda eſt. Si ab Eccleſia durè & crudeliter ſegregatus, ad gentiles ſe vias & ſecularia opera conuertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos, rejectus ab Eccleſia, tranſeat, vbi etſi occiſus propter nomen poſtmodum fuerit, extra Eccleſiam conſtitutus. &c. *Idem*.

exomologeſis apud inferos non eſt, nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli poteſt, ſi fructus pœnitentiæ ſubtrahatur. Si prælium priùs venerit, corroboratus à nobis inuenietur; armatus ad prælium. ſi verò antè prælium infirmitas vrſerit, cum ſolatio pacis & communicationis abſcedit. [a] neque enim præiudicamus Domino iudicaturo, quominus ſi pœnitentiam plenam & iuſtam peccatoris inuenerit, tunc ratum faciat quod à nobis fuerit hic ſtatutum. Si verò nos aliquis pœnitentiæ ſimulatione deluſerit; Deus qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his quæ nos minus perſpeximus iudicet, & ſeruorum ſententiam Dominus emendet; dum tamen nos meminiſſe, frater, debeamus, ſcriptum eſſe: Frater fratrem adiuuans exaltabitur. Et Apoſtolum quoque dixiſſe: In contemplatione habentes vnuſquiſque, ne & vos tentemini, alterutrum onera ſuſtinete, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Item quòd ſuperbos redarguens & arrogantiam frangens in Epiſtola ſua ponat: Et qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Et alio in loco dicat: Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit; ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere eum. Ioannes quoque Ieſum Chriſtum Dominum aduocatum & deprecatorem pro peccatis noſtris probat dicens: Filioli mei iſta ſcribo vobis ne delinquatis, & ſi quis deliquerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt deprecatio pro delictis noſtris. Et Paulus quoque Apoſtolus in Epiſtola ſua poſuit; Si cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis nunc iuſtificati in ſanguine illius, [b] liberabimur per illum ab ira. Cuius pietatem & clementiam cogitantes, non acerbi adeò, nec in fouendis fratribus inhumani eſſe debemus: ſed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere, & eos quantum poſſumus auxilio & ſolatio noſtræ dilectionis erigere, nec adeò immites & pertinaces ad eorum pœnitentiam refundendam, nec iterùm ſoluti & faciles ad communicationem temerè laxandam. Iacet ecce ſaucius frater ab aduerſario in acie vulneratus. Inde diabolus conatur occidere quem vulnerauit, hinc Chriſtus hortatur ne in totum pereat, quem redemit. Cui de duobus aſſiſtimus, in cuius partibus ſtamus? vtrum-ne diabolo fauemus vt perimat, & ſemianimem fratrem iacentem, ſicut in Euangelio ſacerdotes & Leuites præterimus? an verò vt ſacerdotes Dei & Chriſti, quod Chriſtus & docuit, & fecit imitantes, vulneratum de aduerſarij faucibus rapimus, [c] vt curatum Deo iudici reſeruemus? Nec putes, frater chariſſime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quòd lapſis laxata ſit pœnitentia, & quod pœnitentibus ſpes pacis oblata. Manet verè fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes corde toto Deum ſtabilis & fortis perſeuerat integritas. Nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Floret Eccleſia tot virginibus coronata, & caſtitas ac pudicitia tenorem gloriæ ſuæ ſeruat, nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. [d] Aliud eſt, ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire; aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe, [e] aliud denique pendere in iudicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari. Et quidem apud anteceſſores noſtros [f] quidam

de

a NEQVE ENIM PRÆIVDICAMVS DOMINO) Sic infrà hac epiſt. *Vulneratum de aduerſarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reſeruemus.* Et paulò pòſt: *pendere in diem iudicii ad ſententiam Domini.* R t 6.

b LIBERABIMVR PER ILLVM AB IRA.) In Veronenſi, *eliberabimur.* & ſic edidit Manutius. *Idem.*

c VT CVRATVM DEO IVDICI RESERVEMVS.) Curatum intellige, cura diligenter habitâ, ſalutaribus monitis & aliis Chriſtianæ caritatis officiis ad pœnitentiam, deinde ad Eccleſiam, reuocatum. *Idem*

d ALIVD EST AD VENIAM STARE, ALIVD AD GLORIAM PERVENIRE.) Diſputat Cyprianus de lapſis ad pœnitentiam, hoc eſt ad veniam & Eccleſiam, recipiendis. nam poſt impetratam pœnitentiam, ea ritè peracta, pœnitentibus venia datur, pax & eccleſia ſiue communio redditur lapſis puta libellatis & turificatis. Ac varias quidem intercedere ait circumſtantias & figuras delictorum, pro quibus Epiſcoporum arbitrio temperari pœnitentia debeat. Hoc tamen intereſſe, quòd cum libellatis mitiùs agi debere, multa ſuadeant. Contradicebant epiſcopi nonnulli, ideo maximè negandam eſſe pœnitentiam lapſis, quòd laxata ſemel diſciplinæ regula, maximum ſequeretur eccleſiæ detrimentum, & in ſummo periculo verſaretur Fidei Chriſtianæ tenor. Nam quis deinceps pro nomine Chriſti martyria non fugiat, aut vitam quacumque ratione ſuam non redimat, qui lapſis pœnitentiæ tempus concedi debere intellexerit? Hoc verò non ita metuendum eſſe Cyprianus ait. Etenim longè aliam eſſe conditionem lapſorum, aliam confeſſorum ſiue martyrum. Hos ſtatim paradiſo recipi, de gloria, de mercede, de corona certos. Illos ad veniam ſtare anxios & ſollicitos quid ſtatuat ac decernat epiſcopus, & an pœnitentiæ tempus indicat tam longum, quàm eſſe debitori ſolet carceris tædium, vnde non exeant, donec ſoluant nouiſſimum quadrantem. an forma pœnitentiæ futura ſit tam atrox, pro qualitate ſcilicet criminis, vt per cineres & puluerem volutari; per ieiuniorum triſtitiam, pérque ciliciorum aſperitatem macerari, per gemitus & ſuſpiria, cordis exæſtuantis dolorem clarè loquentia, velut metallum ignibus ardentiſſimis excoqui ac purgari debeant: & poſt hæc omnia tamdem, aut ſi qua infirmitas vrſerit, ægrè recepti, in diem iudicij; ad ſententiam Domini pendeant reſeruati. Cùm ſit igitur tanta pœna propoſita lapſis vt euentus incerti pœnitentiam adipiſcantur, tam certa verò támque præſens martyri gloria, non eſſe cur ad fugienda martyria fideles inuitati à pœnitentia videantur. *Idem.*

e *Aliud denique pendere in die iudicij.* Ad notam Pamelij, vbi dicitur locum eſſe intelligendum de die particularis iudicij vniuſcuiuſque, Nic. Faber, notat: Immò potiùs de extremò iudicio. ex ea opinione quæ fuit multorum & magnorum virorum tam græcorum quàm latinorum in eccleſia primitiua, qui ſolos martyras gloria diuina perfrui ante illud extremum iudicium differri voluerunt. Quæ fuit etiam Tertulliani ſententia. *Idem.*

f QVIDAM IN PROVINCIA NOSTRA DANDAM PACEM MOECHIS NON PVTAVERVNT;

de Epiſcopis iſtic in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt; non tamen à coëpiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ vnitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt; vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur. Manente concordiæ vinculo & perſeuerante Catholicæ Eccleſiæ indiuiduo ſacramento, [a] actum ſuum diſponit & dirigit vnuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus. Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe vt dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod vtique ei dicitur, quem conſtat cecidiſſe, & quem Dominus hortatur per opera rurſus exſurgere, quia ſcriptum eſt: Eleëmoſyna à morte liberat; & non vtique ab illa morte, quam ſemel Chriſti ſanguis extinxit, & à qua nos ſalutaris baptiſmi, & redemptoris noſtri gratia liberauit, ſed ab ea, quæ per delicta poſtmodum ſerpit. Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, & pœnitentiam non agenti Dominus comminatur: Habeo, inquit, aduerſus te multa, quòd vxorem tuam Iezabel, quæ ſe dicit prophetem, ſinis docere & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de ſacrificiis, & dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult à fornicatione. Ecce mitto eam in lectum, & qui cum ea fornicati ſunt, in maximam tribulationem, niſi pœnitentiam fecerint ab operibus ſuis. Quos vtique ad pœnitentiam Dominus non hortaretur, niſi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Euangelio: Dico, inquit, vobis, ſic erit gaudium in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, quibus non eſt opus pœnitentia. Nam cùm ſcriptum ſit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum: vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuò ad vitam redire. Ideò & per Iohel Prophetam clamat & dicit: Et nunc dicit Dominus Deus: Reuertimini ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & ieiunio, & fletu, & planctu, & diſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & reuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia miſericors & pius eſt, & patiens, & multæ miſerationis, & qui [b] ſententiam flectat aduerſus malitias irrogatas. In Pſalmis etiam legimus cenſuram pariter & clementiam Dei comminantis ſimul atque parcentis; punientis vt corrigat, & cùm correxerit reſeruantis; Viſitabo, inquit, in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Dominus quoque in Euangelio pietatem Dei patris oſtendens ait: Quis eſt ex vobis homo quem ſi petierit filius eius panem lapidem porriget illi? aut ſi piſcem poſtulauerit, ſerpentem illi porriget? Si ergo vos, cùm ſitis nequam, ſcitis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter cæleſtis dabit bona poſcentibus ſe? Comparat hîc Dominus carnalem patrem & Dei patris æternam largámque pietatem, quòd ſi iſte in terris nequam pater offenſus grauiter à filio peccatore & malo, ſi tamen eumdem poſtmodum viderit reformatum, & depoſitis prioris vitæ delictis ad ſobrios & bonos mores, & ad innocentiæ diſciplinam pœnitentiæ dolore correctum, & gaudet & gratulatur, & ſuſceptum quem antè proiecerat cum voto paternæ exultationis amplectitur; quantò magis vnus ille & verus pater bonus, miſericors & pius, [c] immò ipſa bonitas & miſericordia, & pietas lætatur in pœnitentia filiorum ſuorum, nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lamentantibus pœnam comminatur, ſed veniam magis & indulgentiam pollicetur. Vnde Dominus in Euangelio beatos dicit plangentes, quia qui plangit, miſericordiam prouocat: qui peruicax & ſuperbus eſt, iram ſibi & pœnam iudicij venientis exaggerat. Et icircò, frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec [d] dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari;

Hoc certè acerrimè pertendit Tertullianus vehementiſſimo illo de pœnitentia libro, & miror nullam hîc mentionem eius à Cypriano factam cùm in Tertulliani ſententia fuiſſe dicat Epiſcopos. & In ipſius quidem Cypriani prouincia, qui dandam eſſe pacem mœchis non putauerint, & pœnitentiæ locum adulteris in totum clauſerint; non tamen à coëpiſcoporum ſuorum collegio receſſerint, aut catholicæ eccleſiæ vnitatem ruperint. Illud mirandum magis, inter fratres manſiſſe concordiam, cùm veroſimile ſit repudiatos ab auſterioribus epiſcopis lapſos tranſiiſſe ad benigniores. Qualis inter diſcordes in re tanti momenti concordia. RIG.

a ACTVM SVVM DISPONIT ET DIRIGIT VNVSQVISQVE EPISCOPVS) Quanta hoc ſeculo libertas Epiſcopi cuiuſque, manente tamen Eccleſiæ Catholicæ concordia! Ipſe Cyprianus Epiſt. LV. Singulis paſtoribus portio gregis adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus. Et in Concil. de hæreticis baptiſ. Neque enim quiſquam noſtrûm Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, quando habeat omnis epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium; támque iudicari ab alio non poſſit quàm nec ipſe poteſt alterum iudicare. Et Epiſtola ad Quintum, 71. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter adſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis & poſteris ſibi potiùs oportere. *Idem.*

b SENTENTIAM FLECTAT.) In Beneuentano: *vertat. Idem.*

c IMMO IPSA BONITAS.) In Ben. & Ver. *imo ipſe bonitas* & ſic in editione Romana. *Idem*

d DOLOREM DELICTORVM SVORVM:) Intelligit delictá, propriè ſumpto Delicti vocabulo. quæ ſcilicet

deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum. [a] Quod verò ad Nouatiani perſonam pertinet, frater chariſſime, de quo deſideraſti tibi ſcribi quam hæreſim introduxiſſet; ſcias nos primo in loco nec curioſos eſſe debere quid ille doceat, cùm foris doceat. Quiſquis ille eſt, & qualiſcumque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Iactet ſe licet & philoſophiam vel eloquentiam ſuam ſuperbis vocibus prædicet; qui nec fraternam charitatem, nec Eccleſiaſticam vnitatem retinuit, etiam quod priùs fuerat, amiſit. Niſi ſi Epiſcopus tibi videtur, qui Epiſcopo in Eccleſia à ſedecim coëpiſcopis facto, adulter atque extraneus Epiſcopus fieri à deſertoribus per ambitum nititur; & cùm ſit à Chriſto vna Eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa, item Epiſcopatus vnus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus; ille poſt Dei traditionem, poſt connexam & vbique coniunctam Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, [b] humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apoſtolos ſuos mittat, vt quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque iampridem per omnes prouincias & per vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios pſeudoepiſcopos audeat. Quaſi poſſit aut totum orbem noui conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere; neſciens ſchiſmaticos ſemper inter initia feruere, incrementa verò habere non poſſe, nec augere quod illicitè cœperint, ſed ſtatim cum praua ſua æmulatione deficere; Epiſcopatum autem tenere non poſſet, etiam ſi Epiſcopus priùs factus, à coëpiſcoporum ſuorum corpore & ab Eccleſiæ vnitate deſciſceret; quando Apoſtolus admoneat, vt inuicem noſmetipſos ſuſtineamus, ne ab vnitate quam Deus conſtituit, recedamus, & dicat: Suſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis. Qui ergo nec vnitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo atque à ſacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem. Tum deinde [c] quantus arrogantiæ tumor eſt, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, arrogantiæ ſuæ quanta iactatio, vt quis aut audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, vt zizania à frumento putet ſe poſſe diſcernere, aut quaſi ipſi palam ferre & aream purgare conceſſum ſit, paleas conetur à tritico ſeparare: Cumque Apoſtolus dicat: In domo autem magna non ſolùm vaſa aurea ſunt & argentea, ſed & lignea & fictilia; aurea & argentea vaſa videatur eligere, lignea verò & fictilia contemnere, abiicere, damnare; quando non niſi die Domini vaſa lignea diuini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo cui data eſt ferrea virga, frangantur. Aut ſi ſe cordis & renis ſcrutatorem conſtituit & iudicem, per omnia æqualiter iudicet, & cùm ſciat ſcriptum eſſe, Ecce ſanus factus es; iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, fraudatores & mœchos à latere atque à comitatu ſuo ſeparet: quando multò & grauior, & [d] peior ſit mœchi quàm libellatici cauſa, cùm hic neceſſitate, ille voluntate peccauerit; hic exiſtimans ſibi ſatis eſſe quod non ſacrificauerit, errore deceptus ſit, ille matrimonij expugnator alieni, vel lupanar ingreſſus ad cloacam & cœnoſam voraginem vulgi, ſanctificatum corpus & Dei templum deteſtabili colluuione violauerit: ſicut Apoſtolus dicit: Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem mœchatur, in corpus ſuum peccat. Quibus tamen & ipſis pœnitentia conceditur, & lamentandi ac ſatisfaciendi ſpes relinquitur, ſecundùm ipſum Apoſtolum dicentem: Timeo ne fortè veniens ad vos, lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus & libidinibus. Nec ſibi in hoc noui hæretici blandiantur, quod ſe dicant idololatris non communicare; quando ſint apud illos & adulteri & fraudatores

cet commiſiſſe qui dicitur, officium Chriſtiani prætermiſiſſe, fidem Chriſtianam, hoc eſt Chriſtum, dereliquiſſe ac deſeruiſſe cenſetur. Huiuſmodi verò ſunt ſacrificati, aut Thurificati, & Libellati. RIG.

a QVOD VERO AD NOVATIANI PERSONAM PERTINET.] Quæ de Nouatiano mox dicet, oſtendunt longè alium à Nouato fuiſſe Nouatianum. *Idem.*

a *Quod verò ad Nouatiani perſonam.* Hîc reſpondet ad alteram Antoniani quæſtionem, qua petebat doceri, quam hæreſim introduxiſſet Nouatianus; primùm autem ſchiſmaticum, poſteà ſub epiſtolæ finem etiam hæreticum fuiſſe docet. PAM.

b HVMANAM CONETVR ECCLESIAM FACERE.] Non diuinam, non Chriſtianam, non Apoſtolicam. Hinc illa Hieronymi querela cap. XXXIV. Ezech. Eccleſiaſtici viri dogmatum non cuſtodiunt veritatem, ſed de ſuo corde confingunt, magiſtrámque habent præſumptionem ſuam. Et ipſe Cyprianus Epiſt. XLIII. Cæcilium monet verbis grauiſſimis, ne in adminiſtratione Dominici calicis ab eo quod Chriſtus magiſter & præcepit & geſſit, humana & nouella inſtitutione decedat. & Epiſt. LVIII. diuinam pietatem opponit humanæ crudelitati. Et Firmilianus Epiſt. LXXV. Traditionem humanam opponit Apoſtolicæ. Quæ omnia ducunt originem ab illa Gamalielis pro Stephano concione, quam refert Lucas Act. v. 38. vbi, τῇ ἐξ ἀνθρώπων βουλῇ, opponitur ἡ ἐκ θεοῦ. RIG.

c QVANTVS ARROGANTIAE TVMOR EST.] Citatur à Gratiano c. Quantus XXIII Quæſt. 4. quæ tota eſt in hanc ſententiam, malos tolerandos, non expellendos. Et tamen ipſe Cyprianus ad Rogatianum Epiſt. LXV. de ſuperbo quodam Diacono: Quod ſi vltrà te contumeliis ſuis exacerbauerit, & prouocauerit, fungeris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abſtineas. Sunt alia huiuſmodi pleraque in his Epiſtolis variè tractata. Sed hîc variare licuit in diacono, cuius alia eſt ab epiſcopo ratio. *Idem.*

d PEIOR SIT MOECHI QVAM LIBELLATI CAVSA.] Hoc habet Cyprianus ab Tertulliano ſuo, qui pluribus hanc quæſtionem tractauit libro de Pudicitia. Quis magis negauit, qui Chriſtum vexatus, an qui delectatus amiſit? qui quum amitteret doluit, an qui cùm amitteret, luſit? *Idem.*

tores, qui teneantur idololatriæ crimine, ſecundùm Apoſtolum dicentem: Hoc enim ſcitote intelligentes quia omnis fornicator aut [a] immundus, aut fraudator, quod eſt idololatria, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Et iterùm: Mortificate itaque membra veſtra quæ in terra ſunt, exponentes fornicationem, immunditiam, & concupiſcentiam malam, & cupiditatem, quæ ſunt idolorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei. Nam cum corpora noſtra membra ſint Chriſti, & ſinguli ſimus templum Dei, quiſquis adulterio templum Dei violat, & Deum violat; & qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmoniis & idolis ſeruit. Neque enim mala facta de ſancto Spiritu veniunt, ſed de aduerſarij inſtinctu; & de immundo ſpiritu natæ concupiſcentiæ contra Deum facere, & diabolo ſeruire compellunt. Ita fit, vt ſi peccato alterius inquinari alterum dicunt, & idololatriam delinquentis ad non delinquentem tranſire ſua aſſeueratione contendunt; excuſari ſecundùm ſuam vocem non poſſint ab idololatriæ crimine, cùm conſtet de Apoſtolica probatione mœchos & fraudatores, quibus illi communicant, idololatras eſſe. Nobis autem ſecundùm fidem noſtram, & diuinæ prædicationis datam formam competit ratio veritatis, vnumquemque in peccato ſuo ipſum teneri, nec poſſe alterum pro altero reum fieri, cum Dominus præmoneat & dicat: Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & ſcelus ſcelerati ſuper eum erit. Et iterùm: Non morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus. Vnuſquiſque in peccato ſuo morietur. Quod legentes ſcilicet & tenentes, neminem putamus à fructu ſatisfactionis & ſpe pacis arcendum; cùm ſciamus iuxta ſcripturarum diuinarum fidem, auctore & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. Atque ô fruſtrandæ fraternitatis irriſio! [b] ô miſerorum lamentantium caduca deceptio! ô hæreticæ inſtitutionis inefficax & vana traditio! hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, [c] & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam; dicere fratribus noſtris, plange & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris: quæcumque ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non ſtatim pereat? quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſuum à propoſito lamentationis auertat? Operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris: agrum peritia omni ruſticitatis exerce; culturis diligenter inſiſte: ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel ſi ei, cui dominium eſt, [d] vſum nauium ſuadeas, dicas: Materiam de excellentibus ſyluis mercare frater; carinam prævalidis & electis roboribus intexe, clauo, funibus, velis, vt fabricetur atque armetur nauis; operare: ſed cùm hæc feceris, fructum de actibus eius & curſibus non videbis? [e] Præcludere eſt atque abſcindere inter doloris ac pœnitendi viam, vt cùm in ſcripturis Dominus Deus reuertentibus ad ſe & pœnitentibus blandiatur; noſtra duritia & crudelitate dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur. Quod ſi inuenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundùm quod ille miſericors & pius eſt, per ſacerdotes eius pacem poſſe concedi; admittendus eſt plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia [f] apud inferos confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt: qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, [g] in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſeruari, qui ad Eccleſiam venturus, de illis vtique, quos in ea intus inuenerit, iudicabit. Apoſtatæ verò & deſertores, vel aduerſarij & hoſtes & Chriſti Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti ſecundùm Apoſtolum poſſunt ad Eccleſiæ pacem, quando nec ſpiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt vnitatem. Hæc interim, frater chariſſime, pauca de multis quantum potui breuiter decucurri, quibus & deſiderio tuo ſatisfacerem: & te magis ac magis collegij & corporis noſtri ſocietati coniungerem. Si autem tibi veniendi ad nos opportunitas

&

a IMMVNDVS AVT FRAVDATOR, QVOD EST IDOLOLATRIA.) Fraudator, *πλεονέκτης*, qui circumuenit in negotio fratrem. *τῷ νόμῳ, μεθοδείαις*. RIG.

b O MISEROR. LAMENTANTIVM CADVCA DECEPTIO.) Quorum ſpes caducæ & vanæ, tam fallaci euentu, per noſtram duritiam & crudelitatem! *Idem.*

c *Et ſubtrahere de ſatisfactione medicinam.* Eleganter hic vanitas Nouatianarum artium demonſtratur. Quorſum enim ad pœnitentiam accedes ſiſte que te coram illo tribunali, ſi nihil profit, & nihilo ſecids in peccato moriendum? Vbi animaduertendum non pœnitentiam, ſed remiſſionem peccatorum quæ per abſolutionem conceditur à Nouatianis ſublatam fu iſſe. PRI.

d VSVM NAVIVM SVADEAS, DICAS.] Commodior eſt in Corbeiẽ̃ſ. lectio, *Vel ſi cui dominium & vſum nauium ſuadens, dicas: Materiam*, &c. Niſi malis cum Beneuentano ſcribere: *Vel ſi ei, cui vſum nauium ſuadeas, dicas: Materiam*, &c. In duobus Vatic. legitur: *Vel ſi cui, dum vſum nauium ſuadeas, dicas*, &c. RIG.

e PRAECLVDERE EST ATQVE ABSCINDERE.) In Beneuentano & Veronenſi; ſcribitur: *abſcidere. Idem.*

f APVD INFEROS.) In ſepulcro. In corde terræ *ἐν τῷ ᾅδῃ* Pſal. vi. 6. *Idem.*

f APVD INFEROS CONFESSIO NON EST.) Non quod nobiſcum mortuis omnia noſtra intereant, ſed quod animæ poſt ſeparationem à corpore intempeſtiua ſit & ſera confeſſio, adeóque vana & inutilis. Chryſoſtomus: *ὅτι μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀποδημίαν ἡ μετάνοια κέρδος οὐκ ἔχει. ἐπεὶ καὶ ὁ πλούσιος ἐξωμολογεῖτο καὶ μετενόει. ἀλλ' οὐδὲν ὠφελεῖτο. διὰ τὴν ἀκαιρίαν. Idem.*

g IN ECCLESIAM DEBENT INTERIM SVSCIPI, ET IN IPSA DOMINO RESERVARI.) Itaque ipſimet, quibus Eccleſia pacem reddidit, Domino iudici reſeruantur. Notanda in primis hæc Cypriani ſententia. *Idem.*

& facultas fuerit, plura in commune conferre, & vberiùs ac pleniùs, quæ in ſalutarem concordiam faciant, tractare poterimus. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

AD FORTVNATVM ET ALIOS COLLEGAS DE IIS QVI per tormenta ſuperantur.

CYPRIANO FORTVNATO, AHIMNIO, OPTATO, Priuatiano, Donatulo & Felici, fratribus, Salutem.

SCRIPSISTIS mihi, fratres chariſſimi, quòd cùm in Capſenſi ciuitate propter ordinationem Epiſcopi eſſetis, pertulerit ad vos [a] Superius frater & collega noſter: Ninum, Clementianum, Florum fratres noſtros, qui in perſecutione apprehenſi priùs fuerant, & nomen Domini confeſſi, violentiam magiſtratus & populi frementis impetum vicerant; poſtmodum cùm apud Proconſulem pœnis grauibus excruciarentur, vi tormentorum ſubactos eſſe, & de gradu gloriæ, ad quam plena fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus excidiſſe: nec tamen poſt hunc grauem lapſum, [b] non voluntate, ſed neceſſitate ſuſceptum, à pœnitentia agenda [c] per hoc triennium deſtitiſſe. De quibus conſulendum putaſtis an eos ad communicationem iam fas eſſet admittere. Et quidem quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, [d] nomen confeſſos eſſe: violentiam magiſtratuum & populi furentis incurſum immobilis fidei obſtinatione viciſſe, paſſos eſſe carcerem, diu inter minas proconſulis & fremitum populi circumſtantis, tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciantibus repugnaſſe: vt quod in nouiſſima infirmitate carnis ſubactum videtur, meritorum præcedentium defenſione releuetur: & ſit ſatis talibus gloriam perdidiſſe, non tamen debere eis & veniæ locum claudere, atque eos à paterna pietate, & à noſtra communicatione priuare; quibus exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quòd triennio iugiter ac dolenter, vt ſcribitis, cum ſumma pœnitentiæ lamentatione planxerunt. Certè non puto incautè & temerè his pacem committi, quos videmus militiæ ſuæ fortitudine [e] nec priùs pugnæ defuiſſe, & ſi acies etiam denuò venerit, gloriam ſuam poſſe reparare. Nam cùm in concilio placuerit pœnitentiam agentibus in infirmitatis periculo ſubueniri & pacem dari; debent vtique in accipienda pace præcedere, quos videmus non animi infirmitate cecidiſſe, ſed in prælio congreſſos & vulneratos, per imbecillitatem carnis confeſſionis ſuæ coronam non potuiſſe perferre; maximè cùm cupientibus mori non permitteretur occidi, ſed tamdiu feſſos tormenta laniarent, quamdiu non fidem, quæ inuicta eſt, vincerent, ſed carnem, quæ infirma eſt, fatigarent. Quoniam tamen ſcripſiſtis, vt [f] cum pluribus collegis de hoc ipſo pleniſſimè tractem, & res tanta exigit maius & impenſius de multorum collatione conſilium, & nunc omnes ferè inter paſchæ prima ſolemnia apud ſe cum fratribus demorantur; quando ſolemnitati celebrandæ apud ſuos ſatisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum ſingulis pleniùs, vt de eo quod conſuluiſtis figatur apud nos, & reſcribatur vobis firma ſententia, multorum ſacerdotum conſilio ponderata. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

LIII.

AD

a SVPERIVS FRATER COLLEGA NOSTER.) In Veronenſi: *Superius collega noſter* RIG.

b NON VOLVNTATE SED NECESSITATE SVSCEPTVM.) Neceſſitati imputat vim tormentorum, longam iterationem cruciatuum. *Idem.*

c *Per hoc triennium.* Quum biennio in ſeceſſu fuerit Cyprianus, atque adeò anno integro poſt reditum eius hæc conſcripta ſit epiſtola, patet ſcriptam anno ſecundo Cornelij, atque adeò eodem ferè tempore cum præcedenti. PAM.

d NOMEN CONFESSOS ESSE.) Hoc eſt, palam & liquidò pronunciaſſe, Chriſtiani ſumus. Sic epiſtola præced. Occiſi pro nomine, videlicet Chriſti: conſtanter vociferantes ſe eſſe Chriſtianos. RIG.

e NEC PRIVS PVGNAE DEFVISSE.) Priùs, hoc eſt, antequam carnem tormenta fatigaſſent. *Idem.*

f CVM PLVRIBVS COLLEGIS.) In Veronenſi, cum plurimis. *Idem.*

[a] AD CORNELIVM SYNODI AFRICANÆ NOMINE, de pace lapſis danda.

CYPRIANVS, LIBERALIS, CALDONIVS, NICOMEDES, Cæcilius, &c. Cornelio fratri, Salutem.

LIV. [b] STATVERAMVS quidem iam pridem, frater chariſſime, participato inuicem nobiſcum conſilio, vt qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab aduerſario & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub [c] ictu mortis acciperent. [d] Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & diuina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, vt de ſæculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, vt ligata in terris etiam in cælis ligata eſſent; ſolui autem poſſent illic, quæ hîc priùs in Eccleſia ſoluerentur. Sed enim cùm videamus diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & [e] crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur, vt ad certamen, quod nobis hoſtis indicit, armati & parati ſimus; plebem etiam nobis de diuina dignatione commiſſam exhortationibus noſtris paremus, & omnes omninò milites Chriſti, qui arma deſiderant, & prælium flagitant, intra caſtra Domini colligamus: neceſſitate cogente, cenſuimus, eis qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe; & eos ad prælium, quod imminet, armari & inſtrui oportere. Obtemperandum eſt namque oſtenſionibus, atque admonitionibus iuſtis, vt à paſtoribus oues in periculo non deſerantur, ſed grex omnis in vnum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiæ cæleſtis armetur. Meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, vt infirmis in exitu ſubueniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, & [f] ſubuenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed [g] protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus: & cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quo modo docemus aut prouocamus eos [h] in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quo modo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus? Intereſſe debet, frater chariſſime, inter eos qui vel apoſtatauerunt, & ad ſeculum cui renunciauerant reuerſi, gentiliter viuunt, vel ad hæreticos transfugæ facti, contra Eccleſiam parricidalia quotidie arma ſuſcipiunt: & inter eos qui ab Eccleſiæ limine nón recedentes, & implorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna ſolatia, nunc ſe ad pugnam paratos eſſe, & pro Domini ſui nomine, ac pro ſua ſalute ſtare fortiter, & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, ſed vigilantibus damus: pacem non deliciis, ſed armis damus: pacem non ad quietem, ſed ad aciem damus. Si ſecundùm quod eos audimus, & optamus & credimus fortiter ſteterint, & aduerſarium nobiſcum in congreſſione proſtrauerint: non pœnitet pacem conceſſiſſe tam fortibus,

a AD CORNELIVM) Epiſtola eſt Synodi Africanæ nomine conſcripta, ad Cornelium. Nomina epiſcoporum hæc habentur in cod. Corb. *Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Nicomedes, Cæcilius, Iunius, Maruſcius, Felix, Succeſſus, Fauſtinus, Fortunatus, Victor, Saturninus, Fattus, Secundinus, alius Saturninus, Aurelius, Priſcus, Herculanius, Victoricus, Quintus, Honoratus, Montanus, Hortenſianus, Verianus, Iambus, Donatus, Priuatianus, Fortunatus, Rogatus, & Monulus, Cornelio fratri* RIG.

b *Statueramus quidem iam pridem.* Quantum coniicere libet, fuit hoc ſtatutum in ſynodo Africana; poſt Paſcha, ſtatim à reditu Cypriani è ſuo receſſu. Quale quid etiam ſtatutum legitur in ſynodo habita à Cornelio; vt teſtatur Euſebius. PAM.

c SVB ICTV MORTIS.) In Corbeïenſi: *ſub ictum.* RIG.

d NEC ENIM FAS ERAT.) In Corbeïenſi, *veritas erat. Idem.*

e CREBRIS ATQVE ASSIDVIS OSTENSIONIBVS ADMONEAMVR.) Sub finem Epiſtolæ: *Hoc nobis diuinitus frequenter oſtenditur.* Idem commemorat Epiſtola LVI. ad Thibaritanos, quos etiam de perſecutione grauiſſima admonet. *Idem.*

f SVBVENIRE SERO MORIENTIBVS IN INFIRMITATE.) In Corbeïenſi legitur: *Subuenire ſe morientibus.* Hæc tria, *ſero, morientibus, & in infirmitate*, repetita ſunt de præcedentibus illis, *Tempore longiore, infirmis & in exitu. Idem.*

g PROTECTIONE SANGVINIS ET CORPORIS CHRISTI MVNIAMVS.) In ſequentibus dicet, euchariſtia recepta fideles erigi & accendi. iure id quidem. Nam à conuiuio Dominico, memores Dominici ſanguinis, ſumpto ſacramento, quemadmodum ſuprema illa nocte præceperat Dominus, vt coniurati prodibant alacres, mortémque fortiter oppetebant quam Dominus pro ipſorum ſalute obierat. *Idem.*

Marrutius Lib. N. F in v. c. Maurutius. *Idem.*

h IN CONFESSIONE NOMINIS.] Chriſti ſcilicet. Sic ſuprà occiſi pro nomine. & infrà hac pag. in confeſſione nominis conſtituti. *Idem.*

tibus, immo Epiſcopatus noſtri honor grandis & gloria eſt, pacem dediſſe Martyribus, vt ſacerdotes qui [a] ſacrificia Dei quotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas præparemus. Si autem (quod Dominus auertat à fratribus noſtris) aliquis lapſorum fefellerit, vt pacem ſubdolè petat, & impendentis prælij tempore communicationem non præliaturus accipiat, ſe ipſum fallit & decipit; qui aliud corde occultat, & aliud voce pronunciat. Nos in quantum nobis & videre & iudicare conceditur, faciem ſingulorum videmus; cor ſcrutari, & mentem perſpicere non poſſumus. De his iudicat occultorum ſcrutator & cognitor citò venturus, & de arcanis cordis atque abditis iudicaturus. obeſſe autē mali bonis non debent, ſed magis mali à bonis adiuuari. Nec ideò martyrium facturis pax neganda eſt, quia ſunt quidam negaturi; cùm propter hoc pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam noſtram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari. Nec quiſquam dicat, [b] qui martyrium tollit, [c] ſanguine ſuo baptizatur: nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt, habituro gloriæ ſuæ pacem, & accepturo maiorem de Domini dignatione mercedem. Primò idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit. Dominus enim in Euangelio ſuo dicit: Cùm autem vos tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Quando autem dicat, [d] in traditis atque in confeſſione nominis conſtitutis ſpiritum patris loqui; quo modo poteſt ad confeſſionem paratus aut idoneus inueniri, qui non priùs pace accepta receperit ſpiritum patris, qui corroborans ſeruos ſuos ipſe loquitur & confitetur in nobis? Tum deinde ſi relictis omnibus rebus ſuis fugerit, & in latebris atque in ſolitudine conſtitutus in latrones fortè incurrerit, aut in febribus & in languore deceſſerit: nonne nobis imputabitur quòd tam bonus miles, qui omnia ſua dereliquit, & contempta domo, & parentibus, ac liberis, ſequi Dominum ſuum maluit, ſine pace & ſine communicatione decedit? Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis aſcribetur in die iudicij; quòd paſtores creditas & commiſſas nobis oues nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? nonne ingeretur nobis à Domino, quod per Prophetam ſuum clamat & dicit: Ecce lac conſumitis, lanis vos tegitis, & quod craſſum eſt interficitis, & oues meas non paſcitis; quod infirmatum eſt non confortaſtis, & quod malè habuit non corroboraſtis, & quod contribulatum eſt [e] non conſolati eſtis, & quod errabat non reuocaſtis, & quod periit non inquiſiſtis, & quod forte fuit, confeciſtis labore: & diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non ſunt paſtores, & [f] factæ ſunt in comeſturam omnibus beſtiis agri; & non fuit qui inquireret, neque qui reuocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos vt non paſcant oues meas; & iam non paſcent eas, & extraham oues meas de ore eorum, & [g] paſcam eas cum iudicio. Ne igitur ore noſtro, quo pacem negamus, quo [h] duritiam magis humanæ crudelitatis, quàm diuinæ & paternæ pietatis opponimus, oues nobis commiſſæ à Domino repoſcantur; placuit nobis, ſancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare, immò pugnaturis arma ſuggerere: quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. Quod ſi de collegis aliquis extiterit, qui vrgente certamine pacem fratribus & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die iudicij Domino, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ. Nos, quod fidei, & charitati, & ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra protulimus; diem certaminis appropinquaſſe, hoſtem violentum citò contra nos exſurgere: pugnam non talem qualis fuit, ſed grauiorem multò & acriorem venire. hoc nobis diuinitus frequenter oſtenditur; de hoc nos prouidentia & miſericordia Domini ſæpiùs admonent, de cuius ope & pietate qui in eum confidimus, poſſumus eſſe ſecuri: quia qui in pace militibus ſuis futuram prænunciat pugnam, dabit militantibus in congreſſione victoriam. Optamus te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

a SACRIFICIA DEI QVOTIDIE CELEBRAMVS,] In Corbeïenſi: Sacrificia Deo q. c. RIG.

b QVI MARTYRIVM TOLLIT.) Qui dignatione diuina martyrium obtinet. Martyrium tollit, vt infrà arma tollentes. *Idem.*

c SANGVINE SVO BAPTIZATVR.] Tota paradiſi clauis, ſanguis tuus eſt, inquit Tertul. Vid. Epiſt. LVI *Idem.*

d IN TRADITIS ATQVE IN CONFESSIONE NOMINIS CONSTITVTIS.] Traditis, *παραδεδομένοις.* Matthæi x. 17. & 18 *παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια, ἐπὶ ἡγεμόνας καὶ βασιλεῖς.* & Marci XIII. 9. & 10. *Idem.*

e NON CONSOLATI ESTIS.) Alibi legitur in Veronenſi, *non conſolidati eſtis. Idem.*

f FACTÆ SVNT IN COMESTVRAM,] Ezech. XXXIV. *εἰς κατάβρωμα.* In Corbeïenſi legitur, *factæ ſunt in deprædatione.* In veteri gloſſario, Comeſtor, *καταφαγάς,* Comeſturæ vocabulo vſus eſt Cato. *Idem.*

g PASCAM EAS CVM IVDICIO.) Ezech. *μετὰ κρίματος. ἐν νομῇ ἀγαθῇ.* Sciens cui oui, quæ paſcua debeantur, inquit Hieronymus. Etenim Deus iudicabit inter pecus & pecus. *Idem.*

h DVRITIAM MAGIS HVMANAE CRVDELITATIS. Ipſe Epiſt. LVII Magis philoſophiæ ſecularis prauitate durus, quàm philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus. Pacianus Epiſt II dixit, inobſecrabilem aſperitatem, cui opponit grauita Domini bona, & cæleſtis clementiæ titulos. *Idem.*

AD CORNELIVM DE FORTVNATO ET FELICISSIMO, ſiue contra hæreticos.

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM,

L V. LEGI litteras tuas, frater chariſſime, quas per Saturum fratrem noſtrum Acoluthum miſiſti, & dilectionis fraternæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ſacerdotalis cenſuræ ſatis plenas; quibus ſignificaſti, Feliciſſimum hoſtem Chriſti, non nouum, ſed iam pridem ob crimina ſua plurima & grauiſſima abſtentum, & non tantùm mea, ſed plurimorum coëpiſcoporum ſententia condemnatum, reiectum à te illic eſſe, & cùm veniſſet ſtipatus caterua & factione deſperatorum, vigore pleno, quo Epiſcopos agere oportet, pulſum de Eccleſia eſſe: de qua iam pridem cum ſui ſimilibus, Dei maieſtate, & Chriſti Domini & iudicis noſtri ſeueritate, depulſus eſt, ne [a] ſchiſmatis & diſſidij auctor, ne pecuniæ commiſſæ ſibi fraudator, ne ſtuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, vltra adhuc ſponſam Chriſti incorruptam, ſanctam, pudicam, præſentiæ ſuæ dedecore, & impudica atque inceſta contagione violaret. Sed enim lecta alia tua Epiſtola, frater, quam primis litteris ſubiunxiſti, ſatis miratus ſum: cùm animaduertiſſem te minis atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum eſſe commotum, cùm te, ſecundùm quod ſcripſiſti, aggreſſi eſſent, cum ſumma deſperatione comminantes, quòd ſi litteras quas attulerant non accepiſſes, publicè eas recitarent, & multa turpia ac probroſa, & ore ſuo digna proferrent. Quod ſi ita res eſt, frater chariſſime, vt nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali iure, atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant: [b] actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de [c] Eccleſiæ gubernandæ ſublimi ac diuina poteſtate, nec Chriſtiani vltrà aut durare, aut eſſe iam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, vt perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus. Nam & gentiles, & [d] Iudæi minantur, & hæretici, atque omnes quorum pectora & mentes diabolus obſedit, venenatam rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur; non tamen iccircò cedendum eſt, quia minantur, aut ideò aduerſarius & inimicus maior eſt Chriſto, quia tantum ſibi vindicat, & aſſumit in ſæculo. Manere apud nos debet, frater chariſſime, [e] fidei robur immobile; & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, [f] velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obſiſtere. Nec intereſt vnde Epiſcopo aut terror aut periculum veniat; qui terroribus & periculis viuit obnoxius, & tamen fit de ipſis terroribus ac periculis glorioſus. Neque enim ſolas gentilium vel Iudæorum minas cogitare & ſpectare debemus, cùm videamus ipſum Dominum à fratribus eſſe detentum, & ab eo, quem inter Apoſtolos ipſe delegerat, proditum: inter initia quoque mundi Abel iuſtum non niſi frater occiderit; & Iacob fugientem perſequutus ſit frater infeſtus; & Ioſeph puer venierit vendentibus fratribus; in Euangelio etiam legamus, eſſe prædictum magis domeſticos inimicos futuros, & qui priùs [g] copulati ſacramento vnanimitatis fuerint, ipſos inuicem tradituros. Nihil intereſt quis tradat, aut ſæuiat, [h] cùm Deus tradi permittat quos diſponit coronari. neque enim nobis ignominia eſt pati à fratribus, quod paſſus eſt Chriſtus: nec illis gloria eſt facere [i] quod fecerit Iudas. Quæ autem ſui elatio eſt, quæ comminantium tumens & inflata & vana iactatio; illic abſenti minari, cùm hîc me habeant in poteſtate præſentem? Conuicia eorum, quibus ſe & vitam ſuam quotidie lacerant, non timemus; [k] fuſtes, & lapides, & gladios, quos verbis

a SCHISMATIS ET DISCIDII AVCTOR.] Ad quod ſcilicet acceſſit, quod fauore & auctoritate quantum in ipſo fuit auxit atque promouit R I G.

a *Diſsidij auctor* Pro inuentore hîc auctor non dicitur ſed pro fautore & propagatore ſeu defenſore; Nouatus enim primus ſchiſma conflauit; hîc verò de Feliciſſimo agitur. In hac autem Notione auctor reperitur apud veteres. P R I.

b ACTVM EST DE EPISCOPATVS VIGORE.) Epiſtola X L V dicet, epiſcopatus vigorem & cathedræ auctoritatem. Epiſt. L X I I. conſultè & cum vigore feciſti, frater cariſſime. R I G.

c *Eccleſiæ gubernandæ*. Inſigni elogio epîſcopatus vigorem deſcribit tum hîc tum infrà, vbi ſcripturis aliquot idipſum confirmat, quarum illa maximè ad inſtitutum pertinet: *Qui vos audit, &c*, P A M.

d *Iudæi minantur & hæretici*. Minis & maledicentia hæreticorum omnium veterum tam ſunt refertæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Euſebij, Rufini, Socratis, Sozomeni, Theodoreti. Victoris, & Nicephori, vt nemo iure admirari debeat, qui hodie quoque illa in vſu illis eſſe viderit. *Idem*.

e FIDEI ROBVR IMMOBILE) Epiſt. L V I. fidei virtutem, Epiſt. L X. fidei ſuæ firmitatem. R I G.

f VELVT PETRAE OBIACENTIS FORTITVDINE ET MOLE.] Alludit ad illud Chriſti, Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Idem*.

g COPVLATI SACRAMENTO VNANIMITATIS.) Vt ſunt pater & filius: ambo coniuges: ambo fratres. Matth 10. παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν, εἰς θάνατον καὶ πατὴρ τέκνον. *Idem*.

h CVM DEVS TRADI PERMITTAT QVOS DISPONIT CORONARI. In Beneuentano & Veronenſi: cùm Deus tradit, permittit & coronari. *Idem*.

i QVOD FECERIT IVDAS. In Ver. quod fecit Iudas *Idem*.

k FVSTES ET GLADIOS, ET LAPIDES VERBIS PARICIDALIBVS IACTITANT) Iam Chriſtianorum internecina odia lacerabant Eccleſiam. & adhuc ſeculo pòſt, Hieronymus de Ruffino queritur in hæc verba: Si quid in te aſperum dixero, ſtatim mihi proſcriptionem & gladios comminaris. *Idem*.

bis parricidalibus iactitant, non perhorreſcimus. Quod in illis eſt, homicidæ ſunt apud Deum tales: necare tamen non poſſunt, niſi eis Dominus necare permiſerit. Et cùm nobis ſemel moriendum ſit, illi tamen & odio, & verbis, & delictis ſuis quotidie perimunt. Sed non iccirco, frater chariſſime, relinquenda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, aut ſacerdotalis ſoluenda cenſura, quoniam conuiciis infeſtamur, aut erroribus quatimur, quando occurrat & moneat ſcriptura diuina dicens: Ille verò qui præſumit & contumax eſt, vir ſui iactans, nihil omninò perficiet, qui [a] dilatauit tamquam infernus animam ſuam. Et iterùm: Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius in ſtercora erit & in vermes. Hodie extolletur, & cras non inuenietur, quoniam conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius perit. Et iterùm: Vidi impium exaltatum, & extolli ſuper cedros Libani, & tranſiui, & ecce non fuit, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Exaltatio, & inflatio, & arrogans, ac ſuperba iactatio, non de Chriſti magiſterio, qui humilitatem docet, ſed de Antichriſti ſpiritu naſcitur; cui exprobrat per prophetam Dominus, & dicit: Tu autem dixiſti in animo tuo: In cælum aſcendam, ſuper ſtellas Dei ponam ſedem meam: Sedebo [b] in monte alto ſuper montes altos in aquilonem, aſcendam ſuper nubes, ero ſimilis Altiſſimo. Et addidit dicens: Tu verò ad inferos deſcendes in fundamenta terræ, & qui videbunt te, mirabuntur ſuper te. Vnde & parem talibus pœnam ſcriptura diuina loco alio comminatur & dicit: Dies enim Domini Sabaoth ſuper omnem iniurioſum & ſuperbum, & ſuper omnem elatum & excelſum. De ore itaque ac de verbis ſuis vnuſquiſque ſtatim proditur; & vtrum Chriſtum in corde ſuo, an verò Antichriſtum habeat, loquendo detegitur: ſecundùm quod Dominus in Euangelio ſuo dicit: Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis nequam? de abundantia enim cordis os emittit. Bonus homo de bono theſauro emittit bona, & nequam homo de nequam theſauro emittit nequam. Vnde & diues ille peccator, [c] qui de Lazaro in ſinu Abrahæ poſito atque in refrigerio conſtituto implorat auxilium, cùm in tormentis cruciabundus flammæ cremantis ardoribus aduratur, inter omnes corporis partes magis os eius & lingua pœnas dat; quia plus ſcilicet lingua ſua & ore peccauerat. Nam cùm ſcriptum ſit: Neque maledici regnum Dei conſequentur; & iterùm Dominus in Euangelio ſuo dicat: Qui dixerit fratri ſuo, fatue; & qui dixerit [d] racha, reus erit in gehenna ignis; quomodo poſſunt cenſuram Domini vltoris euadere, qui talia ingerunt non ſolùm fratribus ſed & ſacerdotibus; quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quiſquis ſacerdoti eius [e] & ad tempus hìc iudicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur? In Deuteronomio loquitur Dominus Deus, dicens: Et homo quicumque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille; & omnis populus cùm audierit, timebit: & non agent impiè etiam nunc. Item ad Samuelem, cùm à Iudæis ſperneretur, Deus dicit: non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt. Et Dominus quoque in Euangelio: Qui audit vos, inquit, me audit, & eum qui me miſit: & qui reiicit vos, me reiicit; qui me reiicit, reiicit eum qui me. Et cùm poſteà tempore paſſionis alapam accepiſſet à ſeruo ſacerdotis, cúmque ei dixiſſet: Sic reſpondes pontifici? aduerſus pontificem Dominus contumelioſè nihil dixit, nec quidquam de ſacerdotis honore detraxit, ſed innocentiam ſuam magis aſſerens & oſtendens: Si malè, inquit, locutus ſum, exprobra de malo: ſi autem benè, quid me cædis? Item in Act. Apoſtolorum. Poſtmodum beatus Apoſtolus Paulus cùm ei dictum eſſet: [f] Sic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo? quamvis Domino iam crucifixo, ſacrilegi, & impij, & cruenti illi eſſe cœpiſſent; nec iam quidquam de ſacerdotali honore & auctoritate retinerent: tamen ipſum quamuis inane nomen & vmbram quamdam ſacerdotis cogitans Paulus: Neſciebam, inquit, quia Pontifex eſt. ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Cùm hæc tanta ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus ſacerdotalis auctoritas & poteſtas de diuina dignatione firmatur; quales putas eſſe eos, qui ſacerdotum hoſtes & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini communicatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, [g] nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, &

a DILATAVIT TANQVAM INFERNVS AN S) In Ben. & Ver. tanquam inferi, quemadmodum etiam Ep. 67 RIG

b IN MONTE ALTO SVPER MONTES ALTOS] Hoc eſt, in monte omnium altiſſimo. quemadmodum Paulus dixit, [Greek] Idem.

c QVI DE LAZARO IN SINV ABRAHAE POSITO) Tertullianus lib de Idololatria. Sic & Lazarus apud inferos in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus, contrà diues in tormento ignis conſtitutus, alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compenſant. Præclara & appoſitiſſima in hanc hiſtoriam collegit Hugo Grotius Annot. in Luc XVI. *Idem.*

d RACHA.] Heſych. Ῥακά, κενός. vanus. Virg. vane Ligur Ligures autem Nigidio apud Seruium inſidioſi, fallaces, mendaces. *Idem.*

e ET AD TEMPVS HIC IVDICANTI) Infrà dicet, ad tempus ſacerdos & ad tempus iudex. *Idem.*

f *Sic inſilis in ſacerdotem.* In quibuſdam exemplaribus legitur, inſimulas. Faber, ex vetuſtiſſ. codice: *ſic inciias ſacerdotem?* Actius apud Nonium --- *qui me incilant probris* hoc verbo vtuntur etiam Plautus & Lucretius. *Idem.*

g VNVS IN ECCLESIA AD TEMPVS SACERDOS, ET AD TEMPVS IVDEX.] Cornelius Epiſco-

ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quidquam moueret; nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coëpiſcoporum conſenſum [a] iudicem ſe iam non Epiſcopi, ſed Dei faceret; nemo diſcidio vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet; nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris hæreſim nouam conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet ſine Dei iudicio fieri ſacerdotem, cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine patris voluntate? Cùm ille nec minima fieri ſine voluntate Dei dicat: exiſtimat aliquis ſumma & magna, aut non ſciente, aut non permittente Deo, in Eccleſia Dei fieri, & ſacerdotes, id eſt, diſpenſatores eius, non de eius ſententia ordinari? Hoc eſt fidem non habere, qua viuimus, hoc eſt Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi, & gubernari omnia ſcimus & credimus. Planè Epiſcopi non de voluntate Dei fiunt, qui extra Eccleſiam fiunt, ſed contra diſpoſitionem & traditionem Euangelij fiunt: ſicut ipſe Dominus in duodecim Prophetis ponit & dicit: Sibimetipſis regem conſtituerunt, & non per me. Et iterùm: Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Et per Eſaiam quoque Spiritus ſanctus clamat & dicit: Væ vobis filij deſertores, hæc dicit Dominus, habuiſtis conſilium & non per me, & feciſtis conuentionem non per ſpiritum meum, adiicere peccata ſuper peccata. Cæterùm ([b] dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulſus) quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi vniuerſi ſuffragio [c] in pace deligitur, quando Dei auxilio in perſequutione protegitur; collegis omnibus fideliter iunctus; [d] plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio iam probatus, in quiete ſeruiens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus, [e] applicito & adiuncto Epiſcopatus ſui nomine, toties ad leonem petitus, in circo, in amphitheatro Dominicæ dignationis teſtimonio honoratus: his ipſis etiam diebus, quibus has ad te litteras feci, ob ſacrificia, quæ edicto propoſito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad leonem denuò poſtulatus in circo: cum talis, frater chariſſime, à quibuſdam deſperatis & perditis, & extra Eccleſiam conſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet. Non ſcilicet Chriſtus, qui ſacerdotes aut conſtituit aut protegit, ſed ille, qui Chriſti aduerſarius, & Eccleſiæ eius inimicus, ad hoc Eccleſiæ præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, vt gubernatore ſublato, atrociùs atque violentiùs circa Eccleſiæ naufragia graſſetur. Nec quemquam fidelem & Euangelij memorem, atque Apoſtoli præmonentis mandata retinentem, mouere debet, frater chariſſime, ſi quidam in extremis temporibus ſuperbi, & contumaces & ſacerdotum Dei hoſtes, aut de Eccleſia recedunt, aut contra Eccleſiam faciunt quando tales nunc futuros & Dominus, & Apoſtoli eius antè prædixerint. Nec [f] præpoſitum ſeruum deſeri à quibuſ-

dam

pus Romanus Epiſtola quæ ſuprà habetur XLVI. ad Cyprianum ſcribens dixit, vnum Epiſcopum in Catholica eccleſia eſſe debere. Et Cyprianus ad Antonianum Epiſt. LII. vbi de ordinatione Cornelij aduerſus Nouatianum agit: Quiſquis, inquit, poſt vnum qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non iam ſecundus ille, ſed nullus eſt. Idem verò Cyprianus pro ſeipſo ad eumdem Cornelium ſcribens, eamdem ſibimetipſi vnitatem adſerit, ſic tamen vt non præiudicet primatui Romano. Nam hoc tantùm ſibi vult, vniuſcuiuſque Eccleſiæ, quæ vniuerſalis illius portio eſt, vnum eſſe debere Epiſcopum ſacerdotem, qui ſit Eccleſiæ ſuæ ſacerdos ad tempus, & ad tempus iudex vice Chriſti. Ecce autem Epiſcopos æuo iam Cypriani vicarios Chriſti. Epiſtola aduerſus Florentium dicet, *præpoſitos qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt*. RIG.

AD TEMPVS SACERDOS] Hoc eſt, qui pro tempore miniſtrabit. Vid. Epiſt. XLII. Alludit enim ad ea quæ de ſacerdote & iudice Deuteron. XVII. Poteſt autem illud Cypriani, *ad tempus ſacerdos*, ſic etiam intelligi, Vſque dum ſiſtat nos Chriſtus Ieſus catholicus ſacerdos coram Deo Patre. Nam in Epiſtola ad Hebræos dicitur, *μέγας ἀρχιερεύς*. Tertullianus dixit, Catholicum ſacerdotem. Et, ad tempus iudex, vſque dum veniat idem Chriſtus ſupremus ille iudex viuorum & mortuorum. Sic enim ſuprà, hac epiſt. dixit: ad tempus hic iudicanti. *Idem*.

IAM NON EPISCOPI, SED DEI.] His gradibus nititur Cyprianus, vt honoris quantum poſſit pluriſmum adſtruat Epiſcopo. Ait Epiſcopum legitimè in Eccleſia, concilio & conſenſu collegarum ſeu coëpiſcoporum conſtitutum, iam non humano, ſed Dei iudicio factum eſſe Dei ſacerdotem; & iam eſſe vicarium Chriſti Vnde colligit, poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coëpiſcoporum conſenſum, quod Epiſcopo ſic adminiſtrante decretum, propoſitum, pronunciatúmque eſt, ſi retractare, aut conuellere aliquis audeat, hunc oportere eſſe ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis hominem, qui ſe iudicem facere velit, iam non Epiſcopi, ſed Dei. *Idem*

a IVDICEM SE IAM NON EPISCOPI SED DEI.) Hoc vbique diligentiſſimè adſerit Cyprianus, Epiſcopos fieri, non humano iudicio, ſed Dei. Præſertim verò Epiſt. LXIX. vbi obtrectantem ſibi Florentium, etſi iam martyrio clarum, eadem præſcriptione ſubmouet, qua hic Nouatianum oblatrantem Cornelio: Animaduerto, inquit, poſt Deum iudicem, qui ſacerdotes facit, te velle, non dicam de me, (quantus enim ego ſum?) ſed de Dei & Chriſti iudicio, iudicare. Hoc eſt in Deum non credere, rebellem aduerſus Chriſtum & aduerſus euangelium eius exiſtere. *Idem*.

b DICO ENIM PROVOCATVS.) Acriter & ſtrenuè pro ſe dimicat Cyprianus. Videatur epiſt. LXIX. *Idem*

c IN PACE.] Eccleſia ab ſeſe & ab Imperio tranquilla.

d PLEBI SVAE IN EPISCOPATV IAM QVADRIENNIO Itaque biennio pòſt dicet aduerſus Florentium: ecce iam ſex annis nec fraternitas habuerit epiſcopum Ex hac verò Epiſtola Chronologi colligunt anno Chriſti 248. Cyprianum, mortuo Donato, creatum fuiſſe epiſcopum Carthaginienſem *Idem*.

e APPLICITO ET ADIVNCTO EPISCOPATVS SVI NOMINE TOTIES AD LEONEM PETITVS.) Fortiſſimum telum in aduerſarios ſtringit, qui ſibi de ſua, iam quadrienni, in epiſcopatum ordinatione controuerſiam mouebant. Nam & ſe ſub hoc elogio, Cyprianum Chriſtianorum epiſcopum, fuiſſe proſcriptum, & ad leonem petitum, in circo, in amphitheatro. Sic Dominicæ dignationis teſtimonio honoratum, vt iam de ordinationis ſuæ iure ambigi nequeat. Hoc verò etiam commemorat Epiſt. LXIX. vbi aliquid etiam de formula ipſa proſcriptionis recitat; vnde diſcimus, non Epiſcopatus ſui nomen, puta Carthaginienſis, ſed ipſius tituli Epiſcopalis honorem adplicitum & adjunctum fuiſſe proſcriptionis formulæ his verbis: Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilij Cypriani epiſcopi Chriſtianorum. Vt iam nemo dubitare queat, Cæcilium Cyprianum epiſcopũ fuiſſe Chriſtianorum, quando id ipſum etiam Ethnici proſcriberent. *Idem*.

f PRAEPOSITVM SERVVM.] Epiſcopum, *προεστῶτα*. *Idem*.

a DISCIPVLI

dam miretur aliquis; quando ipſum Dominum magnalia & mirabilia ſumma facientem, & virtutes Dei patris factorum ſuorum teſtimonio comprobantem, [a] diſcipuli ſui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus eſt, ſed magis conuerſus ad Apoſtolos ſuos dixit: Numquid & vos vultis ire? ſeruans ſcilicet legem, qua [b] homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimet ipſe vel mortem appetit, vt ſalutem. Petrus tamen, ſuper quem ædificata ab eódem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui: Significans ſcilicet & oſtendens, eos qui à Chriſto receſſerint, culpa ſua perire: Eccleſiam tamen quæ in Chriſtum credat, & quæ ſemel id quod cognouerit teneat, numquam ab eo omninò diſcedere: & eos eſſe Eccleſiam, qui in domo Dei permanent: Plantationem verò plantatam à Deo patre non eſſe, quos videmus non frumenti ſtabilitate ſolidari, ſed tamquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari, de quibus & Ioannes in Epiſtola ſua dicit: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Item Paulus monet nos, cùm mali de Eccleſia pereunt, non moueri, nec recedentibus perfidis fidem minui: Quid enim, inquit, ſi exciderunt à fide quidam eorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? abſit: eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Quod ad nos attinet, conſcientiæ conuenit, frater chariſſime, dare operam, ne quis culpa noſtra de Eccleſia pereat. ſi autem quis vltrò & crimine ſuo perierit & pœnitentiam agere, atque ad Eccleſiam redire noluerit, nos in die iudicij inculpatos futuros, qui conſulimus ſanitati, illos ſolos in pœnis remanſuros, qui noluerint conſilij noſtri ſalubritate ſanari. Nec mouere nos debent conuicia perditorum, quò minùs à via recta & à certa regula non recedamus, quando & Apoſtolus inſtruat dicens: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Intereſt vtrum quis homines promereri, an Deum cupiat. Si hominibus placetur, Dominus offenditur; ſi verò id enitimur, & elaboramus vt poſſimus Deo placere, & conuicia & maledicta debemus humana contemnere. Quod autem tibi de Fortunato iſto pſeudoepiſcopo, à paucis & inueteratis hæreticis conſtituto, non ſtatim ſcripſi, frater chariſſime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos feſtinatò ſtatim quaſi magna aut metuenda perferri; maximè quando & Fortunati nomen iam ſatis noſſes. qui eſt vnus ex quinque Preſbyteris iam pridem de Eccleſia profugis, & ſententia coëpiſcoporum noſtrorum, multorum & grauiſſimorum virorum nuper abſtentis, qui [c] ſuper hac re priore anno ad te litteras fecerunt: item [d] Feliciſſimum ſigniferum ſeditionis recognoſceres, qui & ipſe in iiſdem coëpiſcoporum noſtrorum factis ad te pridem litteris continetur: qui non tantùm ab iis iſtic abſtentus, ſed abs te illic nuper de Eccleſia pulſus eſt. Cum hæc in notitia tua eſſe conſiderem, & pro certo hærere memoriæ, & diſciplinæ tuæ ſcirem: neceſſarium non putaui, celeriter & vrgenter hæreticorum tibi ineptias nunciandas. neque enim [e] ad Catholicæ Eccleſiæ maieſtatem pariter, ac dignitatem pertinere debet, quid apud ſe hæreticorum & ſchiſmaticorum moliatur audacia. Nam & pars Nouatiani Maximum Preſbyterum, nuper ad nos à Nouatiano legatum miſſum, atque à noſtra communicatione

a DISCIPVLI SVI RELIQVERINT.) Non capientes verba Chriſti quæ ſunt apud Ioannem cap. 6. Caro mea verè eſt cibus. Etenim accipiebant ea σαρκικῶς. Itaque ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω. Apoſtoli verò permanſerunt, atque inter omnes Petrus, oſtendit ſe non accepiſſe ea verba σαρκικῶς, ſed πνευματικῶς, & quemadmodum Chriſtus dixerat, Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, ipſe Petrus pro ceteris Apoſtolis dixit: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Verba autem vitæ æternæ, ſunt verba quæ fecit, & mandata quæ dedit Chriſtus in carne apud homines agens. ad hoc enim Caro factus erat, vt in hominis carne, ſiue corpore, hominum ſalutem procuraret, homines ad vitam æternam formaret. Itaque verba quæ fecit Chriſtus in carne, Euangelium Chriſti, Caro Chriſti eſt. Hæc verò verba, hanc carnem, hunc cibum, percipi, manducari, & ruminari ab hominibus voluit Chriſtus, vt homines eo cibo nutriti in vitam æternam proficerent. Hoc ita capiens & credens Petrus, reſpondit Chriſto: Verba vitæ æternæ habes. Nondum tamen Chriſtus inſtituerat Corporis & ſanguinis ſui ſacramentum. nondum dixerat, Corpus ſuum eſſe panem. Sed iam dixerat, Carnem ſuam verè eſſe cibum, & ſanguinem ſuum verè eſſe potum. Porrò hanc fidei profeſſionem Petrus edidit, vnus pro omnibus loquens, inquit Cyprianus, & Eccleſiæ voce reſpondens. Oſtendítque eos, qui à Chriſto recedunt, qui Chriſti carnem non manducant, aut manducant indignè, culpa ſua perire. RIG.

b HOMO LIBERTATI SVAE RELICTVS.) contra hanc libertatem diſputabant Prædeſtinati, edito ſub nomine Auguſtini libello, atque ex his Apoſtoli quidem verbis ad Romanos: Reconciliati ſumus Deo, non per voluntatem noſtram, ſed per mortem filij eius. Vnde ſic inferebant: Per præuaricationem itaque primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrij. Et hæc etiam verba citant ex eodem Apoſtolo, Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Vbi eſt ergo, inquiunt, voluntas hominis? excluſa eſt. quare? quia non omnis qui vult, ipſe ſaluetur. Omnis enim homo ſaluari vult. Sed non omnis ſaluatur homo: Saluatur autem is quem voluerit Deus, excluſa hominis voluntate. Deinde: Per præuaricationem primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrij. Aduerſus hæc argumenta librum edidit Primaſius, & in principio quidem ſic agit: Recedant vana argumenta verborum. Nihil habent omninò commune, præuaricatio delinquentis, & prædeſtinatio vindicantis. quia peccatum in voluntate tranſgreſſoris eſt, prædeſtinatio autem in redemptoris eſt ordinata virtute, &c. *Idem*.

c SVPER HAC RE PRIORE ANNO) Prior annus hic eo ſenſu dici videtur, quo Publij Syri verſiculo: Diſcipulus prioris eſt poſterior dies. *Idem*.

d *Feliciſſimum ſigniferum ſeditionis*. Latiùs huius ſuprà mentio facta eſt. Vocatur autem tum vexillifer Priuati, tum ſatelles Nouati, è quibus appellationibus colligitur, fuiſſe eamdem tum quinque preſbyterorum tum Nouati factionem, aut ſaltem quum principio diuerſæ eſſent, poſteà ſibi inuicem coniunctas. Porrò repetit quod ſuprà dixit, Feliciſſimum abſtentum fuiſſe etiam à Cornelio PAM.

e AD CATHOLICAE ECCLESIAE MAIESTATEM. Hac etiam epiſtola Cyprianus Eccleſiæ Romanæ faſtigium ſuſpicit. Suprà dicit, Romam, pro magnitudine

municatione reiectum nunc iſtic ſibi feciſſe pſeudoepiſcopum dicitur. Nec tamen de hoc tibi ſcripſeram; quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miſerim tibi proximè nomina Epiſcoporum [a] iſtic conſtitutorum, qui integri & ſani in Eccleſia Catholica fratribus præſunt. Quod vtique ideò de omnium noſtrorum conſilio placuit ſcribere; vt erroris diluendi ac perſpiciendæ veritatis compendium fieret, & ſcires tu & collegæ noſtri, quibus ſcribere, & litteras mutuò à quibus vos accipere oporteret; ſi quis autem præter hos, quos Epiſtola noſtra complexi ſumus, ſcribere vobis auderet, ſciretis eum vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatum, vel vnum de hæreticis peruerſum ſcilicet & profanum. Nactus tamen occaſionem familiariſſimi hominis & clerici; per Felicianum Acoluthum, quem cum Perſeo collega noſtro miſeras, inter cætera quæ in notitiam tuam perferenda hinc fuerant, etiam de Fortunato iſto tibi ſcripſi. ſed dum iſtic Felicianus frater noſter vel vento retardatur, vel accipiendis aliis Epiſtolis à nobis detinetur, Feliciſſimo ad vos properante præuentus eſt. Ita enim ſemper ſcelera feſtinant, quaſi contra innocentiam feſtinatione præualeant. Per Felicianum autem ſignificaui tibi, frater, veniſſe Carthaginem Priuatum veterem hæreticum, in Lambeſitana colonia, [b] ante multos fere annos ob multa & grauia delicta nonaginta Epiſcoporum ſententia condemnatum; [c] Anteceſſorum etiam noſtrorum, quod & veſtram conſcientiam non latet [d] Fabiani & Donati litteris ſeueriſſimè notatum, qui cùm cauſam ſuam apud nos [e] in concilio, quod habuimus Idibus Maiis quæ proximè fuerunt, agere velle ſe diceret, nec admiſſus eſſet, Fortunatum iſtum ſibi pſeudoepiſcopum dignum collegio ſuo fecit. Venerat etiam cum illo & Felix quidam, quem [f] ipſe extra Eccleſiam in hæreſi, pſeudoepiſcopum olim conſtituerat. Sed Iouinus & Maximus comites cum Priuato hæretico affuerunt, ob nefanda ſacrificia & crimina in ſe probata, ſententia nouem Epiſcoporum collegarum noſtrorum condemnati, & iteratò quoque à pluribus nobis, in concilio anno priore abſtenti. Cum his autem quatuor iunctus eſt & Repoſtus Suturnicenſis, qui non tantùm in perſecutione ipſe cecidit, ſed & maximam partem plebis ſuæ ſacrilega perſuaſione deiecit. Hi quinque cum paucis vel [g] Sacrificatis, vel [h] malè ſibi conſciis, Fortunatum ſibi pſeudoepiſcopum cooptarunt, vt criminibus in vnum conuenientibus talis eſſet ſcilicet rector, quales illi qui reguntur. Hinc iam & cætera mendacia, frater chariſſime, potes noſcere, quæ illic homines deſperati, & perditi ventilauerunt, vt cùm de ſacrificatis vel de hæreticis ampliùs quàm quinque pſeudoepiſcopi non fuerint qui Carthaginem venerint, & Fortunatum ſibi dementiæ ſuæ ſocium conſtituerint; illi tamen quaſi filij diaboli, & mendacio pleni, auſi ſunt, vt ſcribis, iactitare vigintiquinque Epiſcopos affuiſſe: quod mendacium & iſtic priùs apud fratres noſtros iactitabant, dicentes vigintiquinque Epiſcopos de Numidia eſſe venturos, qui ſibi Epiſcopum facerent; quo in mendacio ſuo poſteaquam, quinque ſolis conuenientibus [i] naufragis & à nobis abſtentis, detecti ſunt, atque confuſi; [k] Romam cum mendaciorum ſuorum merce nauigauerunt, quaſi veritas poſt eos nauigare non poſſet, quæ mendaces linguas rei certæ probatione conuinceret. Atque hæc

ſita, præcedere debere Carthaginem. RIG.

a ISTIC IN ECCLESIA CATHOLICA FRATRIBVS PRAESVNT.] Suprà, de Eccleſia Romana dixit, Eccleſiæ Catholicæ maieſtatem: hîc, de Eccleſiis Africanis, dicit ſimpliciter, Eccleſiam Catholicam. Etiam ſi minimè diſſimulari debeat, hoc ſenſiſſe Cyprianum, Eccleſiam in Africa æquè ac Romæ Catholicam: vt ex aliis paſſim Epiſtolis colligitur. *Idem.*

b ANTE MVLTOS FERE ANNOS.] A. D. CCXXLI. Dixit Cyprianus, multos ferè annos. qui iam tranſacto factóque decennio ibant in vicennium. Primus terminus longi, ſiue diuturni temporis, decennio comprehenditur. Ariſto reſpondit, à debitore fiſci qui ſoluendo non erat, manumiſſum, reuocari in ſeruitutem debere, niſi diu in libertate fuiſſet, non minùs decennio. L. ſi quum. parag. Ariſto. Qui & à quibus man. lib. non fiant. *Idem.*

c ANTECESSOR. NOSTROR. FABIANI ET DONATI.] Ex hoc loco non improbabili coniectura, Baronius Cyprianum in epiſcopatu Carthaginienſi Donato ſucceſſiſſe opinatur. Quia ſcilicet Cyprianus ad Cornelium epiſcopum Romanum facta mentione nonaginta epiſcoporum qui Priuatum hæreticum in Lambeſitana colonia ante annos tredecim damnauerant, eumdem quoque Priuatum ſeueriſſimè notatum fuiſſe ſignificat litteris Fabiani & Donati. vt quemadmodum Cyprianus Fabianum Cornelij anteceſſorem nominat, ſic etiam Donatum anteceſſorem ſuum nominauerit. ideóque ad Cornelium ſcribens dixerit, anteceſſorum noſtrorum: Fabiani tui, & Donati mei. Ceterùm hanc loquendi formam non ſemper ad deceſſores in eodem epiſcopatu referri, docebit Epiſtola LXVII. vbi Cyprianus anteceſſores ſuos nuncupat Cornelium & Lucium epiſcopos Romanos, etſi numquam præfuerint Eccleſiæ Carthaginienſi, ſimpliciter anteceſſores ſuos vocat quaſi maiores ſuos, quia ſcilicet annis aliquot ante ſe vixerant eodem epiſcopandi officio, ſed aliis in prouinciis functi. *Idem.*

d FABIANI) In vetuſtiſſimo Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ Catalogo penes Nicolaum Fabrum Peireſcium appellatur de parentis nomine Fabius. Ac de illo quidem hæc habentur eo Catalogo. Fabius ann. XIII. m. vno. d. X Fuit temporibus Maximini & Africani & Philippi. à conſ. Maximini & Africani vſque Decio II. & Grato. paſſus XII Kal. Feb. Hic regiones diuiſit diaconibus & multas fabricas per cœmeteria fieri iuſſit. *Idem.*

e IN CONCILIO QVOD HABVIMVS IDIBVS MAIIS.) Epiſcopi adfuêre XLII. A. D. CCLV. *Idem.*

e IDIBVS MAIIS. (In Veronenſi: Martiis. *Idem.*

f IPSE EXTRA ECCLESIAM IN HAERESI.] Perperam conſtituerat, quia ipſe in Eccleſia non erat, ſed extra Eccleſiam Nempe in hæreſi. *Idem.*

g SACRIFICATIS. Idolorum ſacrificio pollutis; ac per hoc fidei Chriſtianæ deſertoribus. *Idem.*

h MALE SIBI CONSCIIS. Infrà dicet, *hæreticis.* *Idem*

i NAVFRAGIS. Fracta fidei naue. *Idem.*

k ROMAM CVM MENDACIOR. SVOR. MERCE NAVIGAVERVNT. Canon vigeſimus octauus Cod. Eccleſ. Afric. Non prouocent ad tranſmarina iudicia, ſed ad primates ſuarum prouinciarum, aut ad vniuerſale concilium Ad tranſmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem ſuſcipiatur. Tranſmarina Græci dixere *τὰ περατικά*. & *τὰς περατικὰς ἐκκλησίας*. Balſamo in can. CVIII. Syn. Cartha. *ἄγουν ἐν τῇ Ῥώμῃ*. Zonaras in can. XXXI Videatur etiam Epiſtola Concilij Africani ad papam Cæleſtinum, Vrbis epiſcopum. *Idem.*

hæc eſt, frater, vera dementia, non cogitare, nec ſcire, quod mendacia non diu fallant; noctem tamdiu eſſe quamdiu illuceſcat dies, clarificata autem die, & ſole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia ceſſare. Denique ſi nomina ab eis quæreres, non haberent vel quos falsò nominarent: tanta apud eos etiam malorum penuria eſt, vt ad illos nec de ſacrificatis, nec de hæreticis viginti quinque colligi poſſint. Et tamen ad decipiendas aures ſimplicium & abſentium mendacio numerus inflatur; quaſi, etſi verus eſſet hic numerus, aut ab hæreticis Eccleſia, aut ab iniuſtis iuſtitia vincatur. Nec me oportet, frater chariſſime, paria nunc cum illis facere, & ea, quæ commiſerunt atque hucuſque committunt meo ſermone decurrere; cùm conſiderandum ſit nobis, quid proferre & ſcribere ſacerdotes Dei oporteat, nec tam dolor apud nos debeat, quàm pudor loqui & ne videar prouocatus maledicta potius, quàm crimina & peccata congerere. Taceo itaque de fraudibus Eccleſiæ factis: coniurationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo: vnum illud (in quo non mea, nec hominum, ſed Dei cauſa eſt) de eorum facinore non puto eſſe reticendum; quod à primo ſtatim perſequutionis die, cùm recentia delinquentium facinora feruerent, & ſacrificiis nefandis non tantùm diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ lapſorum atque ora fumarent, communicare cum lapſis & pœnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt. Clamat Deus: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Et Dominus in Euangelio dicit: Qui me negauerit, negabo illum. Et alio loco indignatio & ira diuina non tacet, dicens: Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia: ſuper hæc non indignabor? dicit Dominus: Et intercedunt ne rogetur Deus, qui indignari ſe ipſe teſtatur. Intercedunt ne exoretur precibus & ſaitsfactionibus Chriſtus, qui negantem ſe negare profitetur. Nos in ipſo perſecutionis tempore de hoc ipſo litteras miſimus, nec auditi ſumus. Concilio frequenter acto, non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decreuimus, vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret: & illi contra Deum ſacrilegi, contra ſacerdotes Dei impio furore temerarij, de Eccleſia recedentes, & contra Eccleſiam paricidalia arma tollentes, elaborant (vt opus ſuum diaboli malitia conſumment) ne vulneratos diuina clementia in Eccleſia ſua curet; miſerorum pœnitentiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpent, ne Deo indignanti ſatisfiat; ne Chriſtum Dominum ſuum, qui Chriſtianus eſſe vel erubuit antè, vel timuit, poſtmodum quærat; ne ad Eccleſiam qui de Eccleſia receſſerat, redeat. Datur opera, ne ſatisfactionibus & lamentationibus iuſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur, ſalutaris ſinus matris nouetca intercedente præcluditur, ne de pectore atque ore lapſorum fletus, & gemitus audiatur. Compelluntur adhuc inſuper lapſi; vt linguis, atque ore, quo in Capitolio antè deliquerant, ſacerdotibus conuicium faciant; [a] confeſſores, & virgines, & iuſtos quoſque fidei laude præcipuos atque in Eccleſia glorioſos, contumeliis & maledicis vocibus proſequantur. A quibus quidem non tam noſtrorum modeſtia, & humilitas, & pudor cæditur, quàm illorum ipſorum ſpes & vita laceratur. Neque enim qui audit, ſed qui facit conuicium, miſer eſt: nec qui à fratre vapulat, ſed qui fratrem cædit, in lege peccator eſt. & cùm nocentes innocentibus iniuriam faciunt, illi patiuntur iniuriam, qui facere ſe credunt. Denique hinc illis percuſſa mens, & hebes animus, & ſenſus alienus eſt. Ira eſt Dei non intelligere delicta, ne ſequatur pœnitentia, ſicut ſcriptum eſt: Et dedit illis Deus [b] ſpiritum tranſpunctionis; ne reuertantur ſcilicet, & curentur, & deprecationibus & ſatisfactionibus iuſtis poſt peccata ſanentur. Paulus Apoſtolus in Epiſtola ſua ponit & dicit: Dilectum veritatis non habuerunt vt ſalui fierent; ac propterea [c] mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placent in iniuſtitia. [d] Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere: ſecundus, delicta cognoſcere. Illic currit innocentia integra & illibata quæ ſeruet, hîc ſuccedit medela quæ ſanet: quod vtrumque iſti offenſo Deo perdiderunt, & vt amiſſa ſit gratia, quæ de baptiſmi ſanctificatione percipitur, [e] & non ſubueniat pœnitentia, per quam culpa

a ATQVI HVC VSQVE) In Veronenſi: *adhuc uſque.* RIG.

a CONFESSORES ET VIRGINES.) Hic locus ſatis indicat honorem habitum in Eccleſia tunc temporis, virginitati & continentiæ: etſi non voto ſolennibus verbis aut ritibus concepto huiuſce propoſiti ſiue ſtatus perſonas obligatas fuiſſe conſtet, neque ſub vllius cœnobij diſciplina concluſas. Nam hæc poſt aliquod tempus inuenta ſunt & inſtituta. *Idem.*

b SPIRITVM TRANSPVNCTIONIS) Dixit Paulus ad Rom. ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως. Eſaias dixerat, πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι κατανύξεως. Quod LXX. κατάνυξιν interpretantur, Aquila vertit, καταφορὰν, vt ſignificaret eo poculo ebrios in ſtuporem dari, eóque ſtupore conſopitos nutare, ſenſibus oppreſſis, non pungi, & κατανύσσειν, non κατανυστάζειν. quod rectiſſimè obſeruauit Grotius Annotationibus in Epiſtolas Pauli *Idem.*

c MITTET ILLIS DEVS OPERATIONEM ERRORIS) Ἐνέργειαν πλάνης vt ſunt etiam diabolica miracula, prodigia, portenta. Pauli locus eſt Epiſt. II. ad Theſſal. Theophylactus, Ἐνέργειαν δὲ πλάνης, τὰ ἔργα φησὶν ἀντιχρίστου. Ibidem Paulus dixerat; ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ. *Idem.*

d *Primus felicitatis gradus eſt* Vetus exemplar addit tertium gradum: Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere; ſecundus, delicta cognoſcere; Tertius, commiſſa diluere. *Idem.*

e ET NON SVBVENIAT POENITENTIA.] In Veronenſi. *& non ſubſit pœnitentia.* rectiſſimè. In Beneuentano, *ſumpta ſit.*

culpa curatur. An putas, frater, leuia eſſe aduerſus Deum facinora, parua & modica delicta, quòd per illos non rogatur maieſtas indignantis Dei? quod non timetur ira & ignis, & dies Domini? quòd imminente Antichriſto, exarmatur fides militantis populi, dum tollitur vigor & timor Chriſti? Viderint laïci hoc quomodo curent; ſacerdotibus labor maior incumbit in aſſerenda, & procuranda Dei maieſtate, ne quid videamur in hac parte negligere; cùm admoneat Dominus & dicat: Et nunc præceptum hoc ad vos eſt, ô ſacerdotes: Si non audieritis, & ſi non poſueritis in corde veſtro vt detis honorem nomini meo, dicit Dominus; Immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem veſtram. Honor ergo datur Deo) quando ſic Dei maieſtas & cenſura contemnitur, vt cùm ſe ille indignari & iraſci ſacrificantibus dicat, & cum pœnas æternas & ſupplicia perpetua comminetur, proponatur à ſacrilegis atque dicatur; ne ira cogitetur Dei, ne timeatur iudicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti: ſed ſublata pœnitentia, nec vlla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis atque calcatis, pax à presbyteris verbis fallacibus prædicetur; & ne lapſi ſurgant, aut foris poſiti ad Eccleſiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur? Quibus etiam ſatis non fuit ab Euangelio receſſiſſe, ſpem lapſis ſatisfactionis & pœnitentiæ ſuſtuliſſe, fraudibus inuolutos, vel adulteriis commaculatos, vel ſacrificiorum funeſta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Eccleſia exomologeſin crimnium facerent, ab omni & ſenſu & fructu pœnitentiæ remouiſſe; niſi foris ſibi extra Eccleſiam & contra Eccleſiam conſtituiſſent conuenticulum perditæ factionis, cùm malè ſibi conſciorum & Deum rogare ac ſatisfacere nolentium caterua conflueret. Poſt iſta adhuc inſuper pſeudo-epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, [a] nauigare audent, & ad Petri cathedram atque [b] ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare [c] eos eſſe Romanos (quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. Quæ autem cauſa veniendi & pſeudo-epiſcoporum contra Epiſcopos factum nunciandi? aut enim placet illis quod fecerunt, & in ſuo ſcelere perſeuerant: aut ſi diſplicet & recedunt, ſciunt quò reuertantur. [d] Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus [e] portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus; oportet vtique eos quibus præſumus non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, vbi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint; niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis

a NAVIGARE AVDENT.) Nullum non mouet in ſchiſmaticos aduerſarios ſuos lapidem. Epiſcoporum Africæ concilio damnati prouocauerant. Itaque laudat Eccleſiam Romanam ad quam illi nauigauerant cum libello appellationis. Et Petri cathedram eſſe dicit, & Eccleſiam principalem, & ſacerdotalis vnitatis originem: Romanorum fidem, Pauli prædicatione ac teſtimonio laudatam. Subinde autem ſchiſmaticis, perfidiæ crimen inurit, quo magis faciat inuiſos Romanis, fide præſtantibus. nam & hunc ſenſum Paulinis verbis accommodat. ad eos verò perfidiam acceſſum habere vllum non debere, nec poſſe, ait. Subjicit, appellantes minimè eſſe audiendos, cauſa ſemel cognitâ, dictâque ſententia. Mox & auctoritatem Epiſcoporum in prouincia ſua tuetur. Statutum eſſe omnibus epiſcopis; ſed & æquum eſſe pariter & iuſtum, vt cauſa non alibi diſceptetur, quàm vbi eſt crimen admiſſum. Singulis paſtoribus epiſcopis portionem gregis eſſe adſcriptam, quam regat vnuſquiſque, actus ſui ſiue adminiſtrationis ſuæ rationem redditurus, non Romæ, ſed in cœlis: non Cornelio, ſed Chriſto. Pulcrè igitur & prudenter laudato Cornelio, deprædicata Eccleſiæ principalis auctoritate, ſiue prærogatiua, negat vllas eius eſſe partes in cauſſa Nouatiani, peracta jam in Africa cognitione damnati. RIG.

b. AD ECCLESIAM PRINCIPALEM.] In vrbe principali conſtitutam. Canone 28 Concil. Calched. *τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ πατέρες ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα.* Maxima & antiquiſſima, & omnibus cognita, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſtituta eccleſia. Ad hanc propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire eccleſiam. Irenæi verba ſunt, lib. III. aduerſus hær. *Idem.*

c EOS ESSE ROMANOS QVORVM FIDES APOSTOLO PRAEDICANTE LAVDATA EST.) Hieronymus aduerſus Ruffinum, *Scito Romanam fidem, Apoſtolica voce laudatam, iſtiuſmodi præſtigias non recipere.* Sic omnes ferè Latini Patres Pauli ad Romanos verba acceperunt. quaſi rectior & ſincerior fuiſſet apud Romanos fides; cùm hoc tantùm dicat Apoſtolus; Agere ſe gratias Deo, quòd vbique paſſim fama ſit, etiam Romanos, rerum dominos, fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe. quod certè ob dignitatem Vrbis, quæ totius orbis erat caput & gentium domina, valde ad fidei Chriſtianæ propagationem conducebat. Ceterùm fidem Romanorum Paulo ſcribente non vſquequaque fuiſſe probabilem, oſtendunt ipſa Pauli verba. quod etiam obſeruauit Ambroſius Prooœmio Commentarior. in Epiſtolam ad Rom. & in hæc ipſa quidem Pauli quæ citantur à Cypriano, Fidem Romanorum ait non fuiſſe tunc ſecundùm regulam traditæ ab auctoribus veritatis. tamen quia, quod ab vno Deo erat, interpoſito Chriſti nomine cœperant venerari, gratulatur illis Apoſtolus, ſciens illos poſſe proficere. tum quia fama fidei illorum erat profectus multorum. tum certè quia qui non crediderant, poterant credere horum exemplo. facilè enim, inquit, facit inferior, quod fieri viderit à potiore. Denique ipſe Hieronymus, proœmio libri ſecundi ad Galatas, non aliam habuiſſe ait Romanos fidem, niſi hanc quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod in eis major eſſet deuotio, & ſimplicitas ad credendum. *Vbi alibi tanto ſtudio & frequentia ad eccleſias & martyrum ſepulcra concurritur? Vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Idem.*

d NAM CVM STATVTVM SIT OMNIBVS.) Vetuſtiſſimo canone cauebatur *τοὺς ὑφ᾽ ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ᾽ ἑτέρων μὴ προσίεσθαι.* Hanc regulam Patres Nicæni can. v. ſeruari volunt illibatam *τοῖς καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόποις.* Epiſtola Concilii Africani ad Cœleſtinum P. *Presbyterorum quoque & ſequentium clericorum improba refugia, ſicut te dignum eſt, repellat ſanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc eccleſia derogatum eſt Africana, & decreta Nicæna, ſiue inferioris gradus clericos, ſiue ipſos epiſcopos ſuis metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. prudentiſſimè enim iuſtiſſiméque viderunt, quæcumque negocia in ſuis locis, vbi orta ſunt, finienda: nec vnicuique prouidentia, gratiam ſancti ſpiritus defuturam. Idem.*

e PORTIO GREGIS.) Cuius gregis à ſingulis Epiſcopis in ſolidum pars & portio tenetur, vt ipſe ait libro de Vnitate Eccleſ. *Idem.*

illis iudicauerunt, & eorum conſcientiam [a] multis delictorum laqueis vinctam iudicij ſui nuper grauitate damnarunt. Iam cauſa eorum cognita eſt: iam de eis dicta ſententia eſt, nec cenſuræ congruit ſacerdotum mobilis atque inconſtantis animi leuitate reprehendi, cùm Dominus doceat & dicat: Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non. Si eorum, qui de illis priore anno iudicauerunt, numerus cum Presbyteris & Diaconis computetur, plures tunc affuerunt iudicio & cognitioni, quàm ſunt iidem iſti, qui cum Fortunato nunc videntur eſſe coniuncti. Scire enim debes, frater chariſſime, eum poſteaquàm pſeudo-epiſcopus ab hæreticis factus eſt, iam penè ab omnibus eſſe deſertum. Namque ij, quibus in præteritum præſtigia obtendebantur, & dabantur verba fallacia, quòd ſimul ad Eccleſiam regreſſuri dicerentur; poſteaquàm viderunt illic pſeudoepiſcopum factum, fruſtratos & deceptos ſe eſſe didicerunt, & remeant quotidie atque ad Eccleſiam pulſant: nobis tamen, à quibus ratio Domino reddenda eſt, anxiè ponderantibus, & ſollicitè examinantibus, qui recipi & admitti ad Eccleſiam debeant. Quibuſdam enim ita aut crimina ſua obſiſtunt, aut fratres obſtinatè & firmiter renituntur; vt recipi omninò non poſſint, cum ſcandalo, & periculo plurimorum. Neque enim ſic [b] putamini quædam colligenda ſunt, vt quæ integra & ſana ſunt, vulnerentur; nec vtilis aut conſultus eſt paſtor, qui ita [c] morbidas & contactas oues gregi admiſcet, vt gregem totum [d] mali cohærentis afflictatione contaminet. O ſi poſſes, frater chariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum, cùm [e] praui iſti & peruerſi de ſchiſmate reuertuntur; videres quis mihi labor ſit perſuadere patientiam fratribus noſtris; vt animi dolore ſopito recipiendis malis curandiſque conſentiant. Namque vt gaudent & lætantur, cùm tolerabiles & minus culpabiles redeunt: ita contrà fremunt & reluctantur, quoties inemendabiles, & proterui, & vel adulteriis, vel ſacrificiis contaminati, & poſt hæc adhuc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam remeant, vt bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, immò extorqueo, vt tales patiantur admitti: & iuſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quòd vnus atque alius, obtinente plebe, & contradicente, mea tamen facilitate ſuſcepti, peiores extiterunt, quàm priùs fuerant, nec fidem pœnitentiæ ſeruare potuerunt, quia nec cum vera pœnitentia venerant. De iſtis verò quid dicam, qui nunc ad te cum Feliciſſimo omnium criminum reo nauigauerunt, legati à Fortunato pſeudo-epiſcopo miſſi, tam falſas ad te litteras afferentes, quàm eſt & ipſe, cuius litteras ferunt, falſus; quàm eſt eius peccatorum multiplex conſcientia, quàm execrabilis vita, quàm turpis, vt etſi in Eccleſia eſſent, eiici tales de Eccleſia debuiſſent? Denique quia conſcientiam ſuam norunt, nec nos audent adire, aut ad Eccleſiæ limen accedere; ſed foris per prouinciam [f] circumueniendis fratribus, & ſpoliandis pererrant: & omnibus iam ſatis noti, atque vndique pro ſuis facinoribus excluſi, illuc etiam ad vos nauigant. Neque enim poteſt illis frons eſſe ad nos accedendi, aut apud nos conſiſtendi; cùm ſint acerbiſſima & grauiſſima crimina, quæ eis à fratribus ingerantur. Si iudicium noſtrum voluerint experiri, veniant. Denique ſi qua illis excuſatio & defenſio poteſt eſſe, videamus quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum: nec Eccleſia iſtic cuiquam clauditur, [g] nec Epiſcopus alicui denegatur; patientia & facilitas & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto vniuerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei patris domicilia concludi: remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, [h] etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno iudicio religionis examino, delictis pluſquam oportet remittendis penè ipſe delinquo: amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia reuertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes. Si qui autem ſunt, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſe ſibi non lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere pro certo habeant, contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti inuicta & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Euangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens occidi poteſt, non poteſt vinci. Suggerit & ſubminiſtrat nobis exempla virtutis ac fidei Zacharias antiſtes Dei, qui cùm terreri minis & lapidatione non poſſet, in templo Dei occiſus eſt; clamans & identidem dicens, quod nos quoque contra hæreticos clamamus & dicimus:

Hæc

a MVLTIS DELICTORVM LAQVEIS VINCTAM.) Veronenſis, *inuolutam*. RIG.

b PVTAMINA.) In Veronenſi, putramina. Sed veriùs dicuntur putamina colligi, quàm putramina. *Idem.*

c MORBIDAS ET CONTACTAS.] Contactas dicit, contage quadam peſtiferâ. *Idem.*

d MALI COHÆRENTIS AFFLICTATIONE CONTAMINET.) Incidi in editionem Manurii cum exemplaribus M S S. collatam, in eâque repperi poſt hæc verba auctarium iſtud: *Non attendas numerum illorum. Melior eſt enim vnus timens, quàm mille filii impij, ſicut locutus eſt Dominus per Prophetam dicens: Fili, ne iocunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur tibi, cùm non fuerit timor Dei in ipſis. Idem.*

e PRAVI ISTI ET PERVERSI) In Ben *ſubuerſi. Idem.*

f CIRCVMVENIENDIS FRATRIBVS ET SPOLIANDIS.) Spoliandis fide, quâ Chriſtum induerunt. *Idem*

g NEC EPISCOPVS ALICVI DENEGATVR.) In Beneuentano: *Epiſcopatus.*

h ETIAM QVÆ IN DEVM COMMISSA SVNT) Vt ſunt varia idololatriæ crimina. quæ ſunt grauiſſima & extrema delicta. Sic ſuprà Epiſt. xi. minora delicta dixit, quæ non in Dominum committuntur: *Idem.*

Hæc dixit Dominus: Dereliquiſtis vias Domini, & Dominus relinquet vos. Neque enim, quia pauci temerarij & improbi, cæleſtes & ſalutares vias Domini derelinquunt, & ſancta non agentes à ſancto Spiritu deſeruntur, ideò & nos diuinæ traditionis immemores eſſe debemus, vt maiora eſſe furentium ſcelera, quàm ſacerdotum iudicia cenſeamus; aut exiſtimemus plus ad impugnandum poſſe humana conamina, quàm quo ad protegendum præualet diuina tutela. An ad hoc, frater chariſſime, deponenda eſt Catholicæ Eccleſiæ dignitas, & [a] plebis intus poſitæ fidelis atque incorrupta maieſtas, & ſacerdotalis quoque auctoritas ac poteſtas, vt iudicare velle ſe dicant de Eccleſiæ præpoſito extra Eccleſiam conſtituti? [b] de Chriſtiano hæretici? de ſano ſaucij? de integro vulnerati? de ſtante lapſi? de iudice rei? de ſacerdote ſacrilegi? Quid ſupereſt quàm vt Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus ſacerdotibus, ac [c] Domini altare remouentibus, in Cleri noſtri ſacrum venerandúmque conceſſum, ſimulacra atque idola cum aris ſuis tranſeant, & Nouatiano declamandi aduerſum nos atque increpandi largior & plenior materia præſtetur; ſi ij qui ſacrificauerunt, & Chriſtum publicè negauerunt, non tantum rogari, & ſine acta pœnitentia admitti, ſed adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari? Si pacem poſtulant, arma deponant: ſi ſatisfaciunt, quid minantur? aut ſi comminantur, ſciant quia à Dei ſacerdotibus non timentur: neque enim & Antichriſtus cùm venire cœperit, introibit Eccleſiam, quia minatur; aut armis eius & violentiæ ceditur, quia reſiſtentes perempturum ſe eſſe profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant ſua comminatione terreri, [d] nec in pace nos deiiciunt, ſed magis erigunt, & accendunt, dum ipſam pacem perſecutione peiorem fratribus faciunt. Et optamus quidam ne quod loquuntur furore, impleant crimine: ne qui verbis perfidis & crudelibus peccant, factis quoque delinquant. Oramus ac deprecamur Deum, quem prouocare illi & exacerbare non deſinunt, vt eorum corda miteſcant, vt furore depoſito [e] ad ſanitatem mentis redeant, [f] vt pectora operta delictorum tenebris pœnitentiæ lumen agnoſcant; & magis petant fundi pro ſe preces atque orationes antiſtitis, quàm ipſi fundant ſanguinem ſacerdotis. Si autem in ſuo furore permanſerint, atque in iſtis inſidiis ac minis ſuis parricidalibus crudeliter perſeuerauerint, nullus Dei ſacerdos ſic infirmus eſt, ſic iacens & abiectus, ſic imbecillitate humanæ mediocritatis inualidus; qui non contra hoſtes & impugnatores Dei diuinitus erigatur, cuius non humilitas & infirmitas vigore & robore Domini protegentis animetur. Noſtra nihil intereſt, aut [g] à quo, aut quando perimamur, mortis & ſanguinis præmium de Domino recepturi. [h] Illorum flenda & lamentanda conciſio eſt, quos ſic diabolus excæcat; vt æterna gehennæ ſupplicia non cogitantes, Antichriſti iam propinquantis aduentum conentur imitari. Et quamquam ſciam, frater chariſſime, [i] pro mutua dilectione quam debemus, & exhibemus inuicem nobis, [k] florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti & ſanctiſſimæ atque [l] ampliſſimæ plebi legere te ſemper litteras noſtras; tamen nunc & admoneo & peto, vt quod alias ſponte atque honorificè facis, etiam petente me facias, vt hac Epiſtola mea lecta, ſi quod illic contagium venenati ſermonis & peſtiferæ ſeminationis irrepſerat, id omne de fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bonorum integra ac ſincera

cera

a PLEBIS MAIESTAS] Quàm reueretur plebis integræ & intaminatæ ſacerdotium fideliter cuſtoditum! baptiſma illæſum & incorruptum, non ſacrificio aut libello pollutum Maieſtatis vocabulum, quod ſibi proprium fecerat populus olim tantùm Romanus, conuenientiſſimè Cyprianus, in reipublicæ Chriſtianæ diſciplina, tranſtulit ad plebem Romanam Chriſtianam. RIG.

b DE CHRISTIANO HAERETICI. In Veronenſi, *de epiſcopo haretici*. Id quibuſdam exemplaribus, *de catholico*. *Idem*.

c DOMINI ALTARE REMOVENTIBVS. Altare Dominicum opponit aris Idolorum, Eccleſiam Capitolio. *Idem*.

c *Domini altare remouentibus*. lib N. F. de altare domini remouentibus. *Idem*.

d *Nec in pace nos deijciunt*. Lib. N. F nec in faciem nos deiiciunt. *Idem*.

e AD SANIT. MENTIS RED.) In Ver. *ad ſanitatem mentes redeant*. Rectè. Etenim præceſſit, *vt eorum corda miteſcant* *Idem*

f VT PECTORA OPERTA DELICTOR. TENEB. POENIT. LVM. AGN.] Sic legitur in Veronenſi & in editione Rom. In Beneuentano: *vt peccatores à delictorum tenebris pœnitentia lumen agnoſcant*. *Idem*.

f *Vt pectora operta delictorum tenebris* lib N. F. vt peccatorum ac delictorum tenebris. *Idem*.

A quo aut quando perimamur, lib N.F. pereamus *Idem*.

g ILLOR. FLENDA ET LAMENTANDA CONCISIO EST.) Sic edidit Pamelius. Neque veterum exemplarium auctoritate caret. etenim præter ea quæ citauit habemus in Beneuentano, *flenda & lamentanda conſenſio*, quod de conſciſſione vel conciſione formatum fuiſſe videatur, & eſt apud Paulum ad Philipp. III. *videte conciſionem*: βλέπετε τὴν κατατομήν. & in veteribus Gloſſis, κατατομή, *conciſio*. quod etiam hîc in Nouatum, Eccleſiæ ſciſſorem torqueri à Cypriano potuiſſe quis arbitretur. quemadmodum à Chryſoſtomo tranſlatum eſt ad eos qui τὴν ἐκκλη-σίαν εἰς αὐτὸ κατατέμνουσιν. Verumtamen exiſtimo rectam & veram eſſe hanc editionis Romanæ ſcripturam: *Illorum flenda & lamentanda conditio eſt, quos ſic diabolus excæcat*, &c. Eſt enim antecedentibus & ſubſequentibus conuenientiſſima. Quod alia ſcriptura fieri ſi quis pertendat, mihi certè non perſuadebit. *Idem*.

g *Illorum flenda & lamentanda*. lib. N. F. Illorum flenda potiùs, &c. *Idem*.

h PRO MVTVA DILEC. QVAM DEBEMVS.) In Ben. & Veron. *quam habemus*. *Idem*.

i FLORENTISSIMO ILLIC CLERO TECVM PRAESIDENTI.) Florentiſſimum clerum dicit, vt mox ſanctiſſimam atque ampliſſimam plebem. epithetis Vrbis dignitati maieſtatique conuenientibus. Hoc enim accidiſſe videmus, vt earum vrbium quæ magnitudine ſua ceteris vrbibus anteirent, eccleſiæ quoque ceteris eccleſiis præfuerint. Adeóque Roma, præ ceteris vrbibus conſpicua Eccleſiam ſemper habuit omnium eccleſiarum ſpectatiſſimam. poſteaquam verò conſtituta fuit Romæ ſedes Petri, conſentaneum fuit quod Auitus Viennenſis Fauſto & Symmacho Senatoribus Vrbis perſuaſit, non minùs diligi in Eccleſia Romana ſedem Principis Apoſtolorum, quàm in principali ciuitate apicem mundi. *Idem*.

k AMPLISSIMAE PLEBI.] Romanæ, cui ſuprà tribuit maieſtatem. *Idem*.

cera dilectio ab omnibus hæreticæ detractionis ſordibus repurgetur. Declinent autem de cætero fortiter, & euitent dilectiſſimi fratres noſtri verba & colloquia eorum, quorum ſermo vt cancer ſerpit: ſicut Apoſtolus dicit, Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ. Et iterùm: Hæreticum hominem poſt vnam correptionem euita, ſciens quia peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, [a] & eſt à ſemetipſo damnatus. Et per Salomonem loquitur Spiritus Sanctus: Peruerſus, inquit, [b] in ore ſuo portat perditionem, & in labiis ſuis ignem condit. item denuò monet dicens: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Et iterùm: Malus obaudit linguæ iniquorum, iuſtus autem non intendit labiis mendacibus. Quod, quamquam ſciam illic [c] fraternitatem noſtram, veſtra ſcilicet prouidentia monitam, ſed & ſua vigilantia ſatis cautam, nec capi hæreticorum venenis poſſe, nec decipi, tantúmque apud illos præualere magiſteria & præcepta diuina, quantus illis in Deum timor eſt; tamen ex abundanti vel ſollicitudo noſtra, vel charitas ſcribere ad vos iſta perſuaſit, vt nulla cum talibus commercia copulentur, nulla cum malis conuiuia vel colloquia miſceantur, ſimuſque ab eis tam ſeparati, [d] quàm ſunt illi de Eccleſia profugi, quia ſcriptum eſt; Si autem & Eccleſiam contempſerit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus: & beatus Apoſtolus non monet tantùm, ſed & iubet à talibus vt recedatur. Præcipimus, inquit, vobis in nomine Domini Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Nulla ſocietas fidei & perfidiæ poteſt eſſe: qui cum Chriſto non eſt, qui aduerſarius Chriſti eſt, qui vnitati & paci eius inimicus eſt, nobiſcum non poteſt cohærere. Si cum precibus & ſatisfactionibus veniunt, audiantur: Si maledicta & minas ingerunt, reſpuantur. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

a ET EST A SEMETIPSO DAMNATVS.] In Beneuentano: & eſt per ſemetipſum damnatus. RIG.
b *In ore ſuo portas perditionem* Lib. N. F. in ore ſuo portat verbum perditionis ſuæ. *Idem.*
c FRATERNITATEM NOSTRAM VESTRA PROVID. In Beneuentano & Veronenſi; quamquam ſciam illic fraternitatem veſtram, noſtra ſcilicet prouidentia monitam *Idem.*
d QVAM SVNT ILLI DE ECCLES. PROFVGI. In Ben. & Ver iſti ab Eccleſia profugi. *Idem.*

AD THIBARITANOS, DE EXHORTATIONE Martyrij.

CYPRIANVS [a] PLEBI THIBARI CONSISTENTI, Salutem.

COGITAVERAM quidem, fratres dilectiſſimi, atque in votis habebam, LVI.
[b] ſi rerum ratio ac temporis conditio permitteret, ſecundùm quod frequenter deſideraſtis, [c] ipſe ad vos venire, & quantulacumque mediocritate exhortationis noſtræ præſens illic fraternitatem veſtram corroborare. Sed quoniam ſic rebus vrgentibus detinemur, vt longè iſtinc excurrere, & diu à plebe, cui de diuina indulgentia præſumus, abeſſe non detur facultas, has interim pro me ad vos vicarias litteras miſi. Nam cùm Domini inſtruentis dignatione inſtigemur ſæpiùs, [d] ampliùs & admoneamur; ad veſtram quoque conſcientiam admonitionis noſtræ ſollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis & pro certo credere ac tenere, [e] preſſuræ diem ſuper caput eſſe cœpiſſe, & occaſum ſæculi atque Antichriſti tempus appropinquaſſe; vt parati omnes ad prælium ſtemus: nec quidquam niſi gloriam vitæ æternæ, & coronam confeſſionis dominicæ cogitemus; nec putamus talia eſſe, quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ tranſierunt. Grauior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robuſta parare ſe debent milites Chriſti; conſiderante iccircò ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, vt poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere. Hoc eſt enim velle cum Chriſto inueniri, id quod Chriſtus & docuit, & fecit imitari: ſecundùm Ioannem Apoſtolum dicentem: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit & ipſe ambulare. Item beatus Apoſtolus Paulus exhortatur & docet dicens. [f] Sumus filij. Si autem

a *Plebi Thibari conſiſtenti.* Quum ſoleat ad maiores ciuitates ſcribens tum clero tum plebi inſcribere epiſtolam, mirum eſt quod ſoli plebi hanc epiſtolam ſcribat, præſertim quum inter epiſcopos Africæ Vincentij Thibaritani fiat mentio, PAM.
b SI RERVM RATIO AC TEMPORIS CONDITIO. Sic Cyprianus etiam Domino ſeruiens, non prohiberi ſe putat tempori quoque prudenter ſeruire, hoc eſt, vt ſeruo Dei congruit καιρῷ καὶ κυρίῳ. ſuprà Epiſt. III. RIG.
c IPSE AD VOS VENIRE.] Sic ſuprà Epiſt. XLIV. *Idem.*
d AMPLIVS ET ADMONEAMVR.] In Veronenſi, non legitur, *amplius*. *Idem.*
e PRESSVRAE DIEM, OCCASVM SECVLI, ANTICHRISTI TEMPVS.] Iam dixerat Paulus: Tempus eſſe in collecto, & appropinquare extrema tempora. Ipſe Cyprianus hac Epiſt. mox dicet, *nouiſſimis temporibus*. Infrà dicet, diem nequiſſimum. *Idem.*
f SVMVS FILII. SI AVTEM FILII DEI.] Sic edidit Pamelius. Recta & vera eſt ſcriptura in Veronenſi MS. & in editione Romana: *Sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes Dei* Speramus à Deo patrimonium æternæ felicitis, vitæ ſempiternæ. *Idem.*

autem filij Dei, & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi quidem compatiamur vt & commagnificemur. Quæ nunc omnia conſideranda ſunt nobis, vt nemo quidquam [a] de ſæculo iam moriente deſideret; ſed ſequatur Chriſtum, qui & viuit in æternum, & viuificat ſeruos ſuos in fide ſui nominis conſtitutos. Venit enim tempus, fratres dilectiſſimi, quod iampridem Dominus noſter prænunciauit, & docuit aduenire: dicens: Veniet hora, vt omnis, qui vos occiderit, putet ſe obſequium Deo facere. Sed hæc facient, quoniam non cognouerunt patrem, neque me. Hæc autem locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora eorum, memores ſitis quia ego dixi vobis. Nec quiſquam miretur perſecutionibus nos aſſiduis fatigari, & [b] preſſuris angentibus frequenter vrgeri; quando hæc futura in nouiſſimis temporibus Dominus antè prædixerit, & malitiam noſtram magiſterio & hortamento ſui ſermonis inſtruxerit: Petrus quoque Apoſtolus eius docuerit, ideò perſecutiones fieri, vt probemur, & vt dilectioni Dei, iuſtorum præcedentium exemplo, nos etiam morte & paſſionibus copulemur: poſuit enim in Epiſtola ſua dicens: Chariſſimi, [c] nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem veſtram fit, ne excidatis tamquam nouum vobis contingat; ſed quotieſcumque communicatis Chriſti paſſionibus, per omnia gaudete, vt & in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Chriſti, beati eſtis, quia maieſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit. Quod quidem ſecundùm illos blaſphematur, ſecundùm nos autem honoratur. Docuerunt autem nos Apoſtoli ea quæ de præceptis Dominicis & cæleſtibus mandatis ipſi quoque didicerunt, Domino ipſo ſcilicet corroborante nos, & dicente; Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut ſorores, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantùm in iſto tempore, in ſæculo autem venturo vitam æternam. Et iterùm: Beati, inquit, eritis, cùm odio vos habuerint homines, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam, propter filium hominis; gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces veſtra multa in cælis. Gaudere nos & exultare voluit in perſecutionibus Dominus, quia quando perſecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, [d] tunc Martyribus patent cæli. Neque enim ſic nomen militiæ dedimus, vt pacem tantummodò cogitare, & detrectare, & recuſare militiam debeamus quando in ipſa militia primus ambulauerit Dominus, humilitatis & tolerantiæ & paſſionis magiſter, vt quod fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatur, [e] prior pro nobis ipſe pateretur. Si ante oculos, fratres dilectiſſimi, quod qui omne iudicium à patre ſolus accepit, & qui venturus eſt & iudicaturus, iam iudicij ſui & cognitionis futuræ ſententiam protulerit: prænuncians & conteſtans, confeſſurum ſe coram patre ſuo confitentes, & negaturum negantes. Si mortem poſſemus euadere, meritò mortem timeremus. Porrò autem cùm mortalem mori neceſſe ſit, amplectamur occaſionem de diuina promiſſione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis; nec vereamur occidi, quos conſtet quando occidimur, coronari. Nec quiſquam, fratres dilectiſſimi, [f] cùm populum noſtrum fugari conſpexerit metu perſecutionis & ſpargi, conturbetur, quòd collectam fraternitatem non videat, [g] nec tractantes Epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſunt, [h] quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe

a DE SECVLO IAM MORIENTE.) Suprà dixit, *occaſum ſeculi.* RIG.

b PRESSVRIS ANGENTIBVS.) Paulus in II. ad Cor. θλιβόμενοι, ἀλλ᾽ οὐ στενοχωρούμενοι. Gloſſæ veteres. Angit, θλίβει, στενοχωρεῖ, ἄγχει, πνίγει. Hîc igitur angi, ſiue anguſtiari, plus eſt quàm preſſuram pati, vt apud Paulum Eſdræ IIII. *Iuſti autem ferent anguſta, ſperantes ſpatioſa.* Pſal. IIII. ἐν θλίψει ἐπλάτυνάς μοι. Ipſe Cyprianus Epiſt. LXIII. dicet, *peccatis angentibus premebatur. Idem.*

c NOLITE MIRARI ARDOREM ACCIDENTEM.) Petri I. 4. Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει. Tertullianus in Scorp. Dilecti ne expaueſcatis vſtionem quæ agitur in vobis in tentationem, quaſi nouum accidat vobis. Ignium pœna ſumma, Tertulliano lib. ad Martyras: & Apoſtolus, vt oſtendat ſummum fidei Chriſtianæ experimentum, καὶ ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι, Adeòque damnationis æternæ tormenta ſignificantur in gehenna ignis. *Idem.*

c *Nolite mirari ardorem.* Ignem ſcilicet qui cruce ſuffixis apponebatur, vt ille tum fumi tum flammarum cruciatu perirent. Euſebius lib. 4. hiſt. eccl cap 15. de B. Polycarpo. μελλόντων δὲ αὐτῶν καὶ προσηλοῦν, εἶπεν, ἄφετέ με οὕτως. ὁ γὰρ διδοὺς ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας, ἀσκύλτως ὑπομεῖναι τῇ πυρᾷ. οἱ δὲ οὐ καθήλωσαν, προσέδησαν δὲ αὐτόν *Cum autem affixuri eum eſſent, ait, linquite me ſic; qui enim poteſtatem ferendi ignis, dabit ipſe abſque illa ſecuritate quam è clauis quæritis, pyræ etiam ſupereſſe. Ii verò clauis non affixerunt, ligauerunt tamen.* PEL.

d TVNC MARTYRIBVS PATENT CAELI.) Alludit ad illud Stephani; *Video cælos apertos.* Tertul. Tota paradiſi clauis ſanguis tuus eſt. Ipſe Cyprianus Epiſt. LIV. Qui martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur. Hæc erat ſumma curarum epiſcopis & presbyteris, vt plebem facerent ad ſubeunda pro nomine Chriſti martyria fortem & conſtantem. RIG.

e PRIOR PRO NOBIS IPSE PATERETVR.) Vt nos ad veri Dei cultum perduceret. & morte ſua teſtimonium dedit veritati præceptorum ſuorum. *Idem.*

f CVM POPVLVM NOSTRVM FVGARI CONSPEXERIT, METV PERSEC.) Fugam in perſecutione non abhorret, Tertulliano mitior & facilior. *Idem.*

g NEC TRACTANTES EPISCOPOS AVDIAT.) Hoc eſt, docentes, diſſerentes. Ipſe Epiſt. ad Antonianum: Ego priùs legeram, & epiſcopo tractante cognoueram, non ſacrificandum idolis. Pontius in vita Cypr. O beatum Eccleſiæ populum, qui Epiſcopo ſuo tractante ſemper audierat, &c. *Idem.*

h QVIBVS OCCIDERE NON LICET.) Arma Chriſtianorum preces & lacrymæ, quandoque fuga: ſæpiſſimè autem fortis patientiæ conſtantia pro nomine Chriſti. Tertullianus in Apolog. Apud iſtam diſciplinam magis occidi licet quàm occidere. Chriſtus exarmato Petro, omnem Chriſtianum diſcinxit. Itaque Epiſtola ſequenti Cyprianus ad Cornelium ait: milites Chriſti vigilare jam ſobrios, & armatos ad prælium ſtare: vinci non poſſe: mori poſſe. & hoc ipſo inuictos eſſe, quia mori non timent, nec repugnare contra impugnantes, cùm occidere innocentibus nec nocentem liceat. *Idem.*

a QVOD

neceſſe eſt. Vbicumque in illis diebus vnuſquiſque fratrum fuerit à grege interim neceſſitate temporis corpore non ſpiritu ſeparatus, non moueatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens deſerti loci ſolitudine terreatur. Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. Solus non eſt, qui templum Dei ſeruans, vbicumque fuerit, ſine Deo non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera inuaſerit, fames aut ſitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem tempeſtas, ac procella ſubmerſerit: Spectat militem ſuum Chriſtus vbicumque pugnantem, & perſecutionis cauſa pro nominis ſui honore morienti præmium reddit,[a] quod daturum ſe in perſecutione promiſit. Nec minor eſt martyrij gloria, non publicè & inter multos periſſe, cum pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire. Sufficit ad teſtimonium Martyrij ſui, teſtis ille qui probat Martyres & coronat; imitemur fratres dilectiſſimi, Abel iuſtum, qui initiauit martyria dum propter iuſtitiam primus occiditur. Imitemur Abraham Dei amicum, qui non eſt cunctatus vt filium victimam ſuis manibus offerret, dum Deo fide deuotionis obſequitur. Imitemur tres pueros, Ananiam, Azariam, & Miſahelem; qui nec ætate territi, nec captiuitate fracti, Iudæa deuicta & Hieroſolymis captis,[b] in ipſo regno ſuo regem fidei virtute vicerunt, qui adorare ſtatuam, quam Nabuchodonozor rex fecerat, iuſſi, & minis regis & flammis fortiores extiterunt, proclamantes & fidem ſuam per hæc verba teſtantes: Nabuchodonozor rex, non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. Eſt enim Deus cui nos ſeruimus potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberabit nos: & ſi non notum ſit tibi quia diis tuis non ſeruimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Credebant ſe illi ſecundùm fidem poſſe euadere, ſed addiderunt; & ſi non vt ſciret rex illos propter Deum quem colebant & mori poſſe. Hoc eſt enim robur virtutis & fidei, credere & ſcire quòd Deus à morte præſente liberare poſſit, & tamen mortem non timere, nec cedere; vt probari fortiùs fides poſſit. Erupit per os eorum Spiritus ſancti incorruptus & inuictus vigor, vt appareant vera eſſe, quæ in Euangelio ſuo Dominus dixit: Cùm autem vos apprehenderint, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Dixit, quid loqui & reſpondere poſſimus, dari nobis in illa hora diuinitus & offerri; nec nos tunc eſſe qui loquimur, ſed ſpiritum Dei patris; qui cùm à confitentibus non diſcedit, neque diuiditur, ipſe in nobis & loquitur, & coronatur. Sic & Daniel cùm compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc populus & rex colebat, in aſſerendum Dei ſui honorem plena fidei libertate prorupit, dicens; Nihil colo ego niſi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram. Quid in Machabæis beatorum Martyrum grauia tormenta, & multiformes ſeptem fratrum pœnæ, & confortans liberos ſuos mater in pœnis, & moriens ipſa quoque cum liberis? nonne magnæ virtutis & fidei documenta teſtantur; & nos ad martyrij triumphum ſuis paſſionibus adhortantur? Quid Prophetæ quos ad præſentiam futurorum Spiritus ſanctus animauit? Quid Apoſtoli quos Dominus elegit? Nonne qui iuſti occiduntur propter iuſtitiam, mori nos quoque docuerunt? Chriſti natiuitas à Martyriis infantium ſtatim cœpit, vt ob nomen eius à bimatu & infrà qui fuerant, necarentur. Ætas nec dum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam; vt appareret innocentes eſſe, qui propter Chriſtum necantur, infantia innocens ob nomen eius occiſa eſt. Oſtenſum eſt neminem eſſe à periculo perſecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt. Quam ergo grauis cauſa ſit hominis Chriſtiani, ſeruum pati nolle, cùm prior paſſus ſit Dominus: & pro peccatis noſtris nos pati nolle, cùm peccatum ſuum proprium non habens paſſus ſit ille pro nobis? Filius Dei paſſus eſt, vt nos filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult, vt eſſe Dei filius perſeueret: Si odio ſæculi laboramus, odium ſæculi ſuſtinuit prior Chriſtus. Si contumelias in hoc mundo, ſi fugam, ſi tormenta toleramus, grauiora expertus eſt mundi factor, & Dominus, qui & admonet, dicens; Si ſæculum, inquit, vos odit, mementote quia me priorem vobis odit. Si de ſæculo eſſetis, ſæculum quod ſuum eſſet amaret. Sed quia de ſæculo non eſtis, & ego elegi vos de ſæculo, propterea odit vos ſæculum. Mementote ſermonis quem dixi vobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Dominus & Deus noſter quidquid docuit, & fecit, vt diſcipulus excuſatus eſſe non poſſit, qui diſcit & non facit. Neque aliquis ex vobis, fratres dilectiſſimi, futuræ perſecutionis metu, aut Antichriſti imminentis aduentu ſic terreatur; vt non Euangelicis exhortationibus & præceptis ac monitis cæleſtibus ad omnia inueniatur armatus. Venit Antichriſtus

a QVOD DATVRVM SE IN PERSECVTIONE PROMISIT) Sic edidit Pamelius. At in editione Romana, & in antiquis exemplaribus: *in reſurrectione promiſit.* Nec video cur hæc ſcriptura deleri debuerit. etſi confeſtim, & in ipſo agone martyras coronari velit Cyprianus, Nam & a Deo ſpectari militem ſuum, & morienti præmium reddi adſerit. Hac verò figura loquendi ſatis innuit repræſentari quod eſt in reſurrectione promiſſum RIG.

b IN IPSO REGNO SVO REGEM FIDEI VIRTVTE VICERVNT.) In atrociſſima tyrannidis ſuæ fornace, qua ſæuiſſimè regia tyrannis æſtuabat. De iiſdem, *victorem regem in ipſa ſua captiuitate vicerunt, Idem.*

chriſtus, ſed & ſuperuenit Chriſtus. Graſſatur & ſæuit inimicus, ſed ſtatim ſequitur Dominus paſſiones noſtras & vulnera vindicaturus. Iraſcitur aduerſarius & minatur, ſed eſt qui poſſit de eius manibus liberare. Ille metuendus eſt, cuius iram nemo poterit euadere, ipſo præmonente & dicente: Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt & corpus & animam occidere in gehennam. Et iterùm: Qui amat animam ſuam, perdet illam, & qui odit animam ſuam in iſto ſæculo, in vitam æternam conſeruabit illam. Et in Apocalypſi inſtruit & præmonet, dicens: Si quis adorat beſtiam & imaginem eius, & accipit notam in fronte ſua & in manu, [a] bibet & ipſe de vino iræ Dei mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum angelorum, & ſub oculis Agni, & fumus de tormentis eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habebrnt requiem die ac nocte, quicumque adorant beſtiam & imaginem eius. Ad agonem ſæcularem exercentur homines & parantur; & magnam gloriam computant honoris ſui, ſi illis ſpectante populo, & imperatore præſente contigerit coronari. Ecce agon ſublimis & magnus, & coronæ cæleſtis præmio glorioſus, vt ſpectet nos certantes Deus: & ſuper eos quos filios facere dignatus eſt, oculos ſuos pandens certaminis noſtri ſpectaculo perfruitur. Præliantes nos & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus, ſpectant angeli eius, ſpectat & Chriſtus. Quanta eſt gloriæ dignitas, quanta felicitas præſente Deo congredi, & Chriſto iudice coronari? Armemur, fratres dilectiſſimi, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, virtute deuota. Ad aciem quæ nobis indicitur, Dei caſtra procedant. Armentur integri, ne perdat integer [b] quod nuper ſtetit. Armentur & lapſi, vt & lapſus recipiat quod amiſit. Integros honor, lapſos dolor ad prælium prouocet. Armat nos & præparat Apoſtolus dicens: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes huius mundi harum tenebrarum, aduerſus ſpiritus nequitiæ in cæleſtibus. Propter quod induite tota arma Dei, vt poſſitis reſiſtere in die nequiſſimo; vt cùm omnia perfeceritis, ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate, induti loricam iuſtitiæ, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia ignita iacula nequiſſimi extinguere, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus qui eſt ſermo Dei. Hæc arma ſumamus, his nos tutamentis ſpiritalibus & cæleſtibus muniamus, vt [c] in die nequiſſimo reſiſtere diaboli minis & repugnare poſſimus. Induamus loricam iuſtitiæ, vt contra inimici iacula munitum ſit pectus & tutum. Calciati ſint Euangelico magiſterio & armati pedes; vt cùm ſerpens calcari à nobis & obteri cœperit, mordere & ſupplantare non poſſit. Portemus fortiter ſcutum fidei, quo protegente quidquid iaculatur inimicus, poſſit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam ſalutarem, vt muniantur aures, ne audiant edicta feralia: muniantur oculi, ne videant deteſtanda ſimulachra: muniatur frons, vt ſignum Dei incolume ſeruetur: muniatur os, vt Dominum ſuum Chriſtum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & [d] euchariſtiæ memor, [e] quæ Domini corpus accepit, ipſum complectatur, poſteà à Domino ſumptura præmium cæleſtium coronarum. O dies ille qualis & quantus adueniet, fratres dilectiſſimi, cùm cœperit populum ſuum Dominus recenſere, & diuinæ cognitionis examine ſingulorum merita recognoſcere, mittere in gehennam nocentes, & perſecutores noſtros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare; nobis verò mercedem fidei & deuotionis exoluere. Quæ erit gloria, & quanta lætitia, admitti, vt Deum videas; honorari, vt cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis ac lucis æternæ gaudium capias? Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apoſtolos, & Martyres ſalutare; cum iuſtis & Dei amicis in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; ſumere illic

a BIBET DE VINO IRAE DEI.) Bibet iram Dei, quemadmodum Paulus dixit. *Iudicium ſibi manducat & bibit.* Notauimus ad illud Tertul. Apolog. *bibere ſpiritum ſanctitatis.* RIG.

b QVOD NVPER STETIT.] Quod non lapſus eſt, nec de fide ſua dejectus. *Idem.*

c IN DIE NEQVISSIMO.) Scilicet, Antichriſti. *τῷ πονηρῷ. Idem*

d EVCHARISTIAE MEMOR, QVAE DOMINI CORPVS ACCEPIT.) Ambroſius lib. IV de Sacramentis, cap. 5. Dicit tibi ſacerdos: Corpus Chriſti, & tu dicis: Amen, hoc eſt. Verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus *Idem.*

e QVAE DOMINI CORPVS ACCEPIT.] Sic edidit Pamelius. At in editione Romana, ſicut in cod. Veronenſi: *accipit Idem.*

e QVAE DOMINI CORPVS ACCEPIT, IPSVM COMPLECTATVR, POSTEA A DOMINO SVMPTVRA PRAEMIVM CAEL. COR.) Hanc editionem Pamelij, ſicut & iſtàm Manutij: *quæ Domini corpus accepit, ipſum complectatur, à Domino ſumptura præmium cæleſtium coronarum*, ſuſpectam faciunt exemplaria Vaticana tria, in quibus ſic legitur: *quæ Domini corpus accipit, ipſum complectatur poſtmodum Dominum ſump. p. cal. cor.* Item aliud exemplar, cujus hæc ſcriptura eſt: Quæ Domini corpus accipit, ipſum complectatur, poſtmodum à Domino ſuo ſumpturus præmium cæleſtium coronarum. *Idem.*

e *Quæ domini corpus accepit.* Loquitur hîc ſecundùm ritum quo euchariſtia in manus laicorum porrigebatur, non in os, vnde Trullana ſynodus can 23. de Presbytero *μήτε τοίνυν δημοσίᾳ μήτε ἰδίᾳ εὐλογείτω, μήτε τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ καταπεμπέτω ἑτέροις. ne igitur publicè aut priuatim benedictionem impertiatur, neque Chriſti corpus alijs diſtribuat.* Concilium Tolet. 1. cap. 14. *Siquis autem acceptam à ſacerdote euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* & can. 3. conc. Cæſarauguſt. vbi aduertendum laicos manu accipere, ore autem ſumere. PRI.

illic quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; maiora enim nos accipere, quàm quod hîc aut operamur, aut patimur, Apoſtolus prædicat, dicens: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis, Cùm reuelatio illa venerit, cùm claritas ſuper nos Dei fulſerit, tam beati erimus, & læti, dignatione Domini honorati; quàm rei remanebunt, & miſeri, qui Dei deſertores, aut contra Deum rebelles voluntatem fecerunt diaboli, vt eos neceſſe ſit cum ipſo ſimul extinguibili igne torqueri. Hæc, fratres dilectiſſimi, hæreant cordibus veſtris. hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habete, & cogitatione ſemper ac ſenſibus voluere iniquorum ſupplicia, & præmia ac merita iuſtorum: quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam, quid contrà confitentibus promittat ad gloriam. Si hæc cogitantibus ac meditantibus nobis ſuperuenerit perſecutionis dies, miles Chriſti, præceptis eius & monitis eruditus, non expaueſcit ad pugnam, ſed paratus eſt ad coronam. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

AD CORNELIVM IN EXILIO DE EIVS CONFESSIONE

CYPRIANVS CORNELIO FRATRI, SALVTEM.

COGNOVIMVS, frater chariſſime, fidei, ac virtutis veſtræ teſtimonia glorioſa, & confeſſionis veſtræ honorem ſic exultanter accepimus; vt in meritis ac laudibus veſtris nos quoque participes & ſocios computemus. LVII. Nam cùm nobis & Eccleſia vna ſit & mens iuncta, & indiuidua concordia, [a] quis non ſacerdos in conſacerdotis ſui laudibus, tamquam in ſuis propriis gratuletur? aut quæ fraternitas non in fratrum gaudio vbique lætetur? Exprimi ſatis non poteſt, quanta iſtic exultatio fuerit, & quanta lætitia, cùm de vobis proſpera & fortia comperiſſemus: ducem te illic confeſſionis fratribus extitiſſe, ſed & confeſſionem ducis de fratrum confeſſione creuiſſe; vt dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, & confeſſorem populum ſuaſeris fieri; dum primus paratus es pro omnibus confiteri: vt non inueniamus quid priùs prædicare in vobis debeamus, vtrum ne tuam promptam & ſtabilem fidem, an inſeparabilem fratrum charitatem. Virtus illic Epiſcopi præcedentis publicè comprobata eſt, adunatio ſequentis fraternitatis oſtenſa eſt. [b] Dum apud vos vnus animus & vna vox eſt, Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt. [c] Claruit, fratres chariſſimi, fides, quam de vobis beatus Apoſtolus prædicauit. Hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu [d] præuidebat, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat. Dum ſic vnanimes, dum fortes eſtis, magna cæteris fratribus vnanimitatis & fortitudinis exempla tribuiſtis. Docuiſtis granditer Deum timere, Chriſto firmiter adhærere; plebem ſacerdotibus in periculo iungi; in perſecutione fratres à fratribus non ſeparari; concordiam ſimul iunctam vinci omninò non poſſe; [e] quicquid ſimul petitur à cunctis, Deum pacis pacificis exhibere. Proſilierat aduerſarius terrore violento Chriſti caſtra turbare: ſed quo impetu venerat, eodem impetu pulſus eſt; & quantum formidinis & terroris attulit, tantum fortitudinis inuenit & roboris. Supplantare ſe iterùm poſſe crediderat Dei ſeruos, & velut tyrones; & rudes, quaſi minus paratos, & minus cautos, ſolito ſuo more concutere. Vnum primò aggreſſus, vt lupus ouem ſecernere à grege, vt accipiter columbam ab agmine volantium ſeparare tentauerat; nam cui non eſt aduerſus omnes ſatis virium circumuenire, quærit ſolitudinem ſingulorum. Sed retuſus adunati exercitus fide pariter & vigore, intellexit milites Chriſti vigilare iam ſobrios, & armatos ad prælium ſtare; vinci non poſſe, mori poſſe: & hoc ipſo inuictos eſſe, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes, [f] cùm occidere innocentibus nec nocentem

a QVIS NON SACERDOS IN CONSACERDOTIS SVI LAVDIBVS) Hoc Cyprianus ad Cornelium: ſacerdos Carthaginis ad ſacerdotem Romanum. Dicimúſne, æmulam ad hucfuiſſe Romæ Carthaginem? An Carthaginem hîc agere vt alteram Romam? An ex diſciplina Chriſti, pro fraterna concordia, Carthaginis ſacerdotem ſiue epiſcopum, appellare conſacerdotem ſuum Cornelium Romæ epiſcopum? R I G.

b DVM APVD VOS VNVS ANIMVS ET VNA VOX EST.) Minimè igitur vana eſt illa Cleri Romani exultatio. Epiſt. 11. *Eccleſia iſta fortis in fide*. Nam & hoc Cypriani teſtimonio confirmatur. *Idem.*

c CLARVIT FIDES QVAM DE VOBIS BEATVS APOSTOLVS PRÆDICAVIT.) Iam obſeruauimus Apoſtolum non prædicaſſe fidem Romanorum, ſed gratulatum eſſe Romanis, quòd fama per totum orbem ſpargeretur, etiam Romæ eſſe Chriſtianos ſuprà Ep. XXXI & 32. Sic tamen acceperunt plerique Patres antiqui, quaſi dixerit Paulus, eam fuiſſe jam æuo ſuo Romanorum fidem, vt ceteris gentibus præiret exemplo. Quid igitur? inquit Chryſoſtomus; Omnis terra fidem exaudiit Romanorum? Omnis exinde? Nec incredibile eſt quidem. Non enim ignobilis ea ciuitas, ſed tamquam in vertice poſita, vbique conſpicua fuit. Et paulò poſt, duplicem eſſe ait Pauli laudationem, & quod in Chriſtum crediderunt Romani, καὶ ὅτι μετὰ παῤῥησίας ἐπίστευσαν. Hoc ſibi volunt iſta Cypriani, quæ ſtatim ſequuntur: *Hanc laudem virtutis & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu præuidebat*: Apoſtolus ſcilicet.

d PRÆVIDEBAT In Beneuentano, *prouidebat. Idem.*

e QVICQVID SIMVL PETITVR A CVNCTIS.) Quaſi manu facta, quod in eamdem ſententiam dixerat Tertullianus in Apolog. Coimus ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus. hæc vis Deo grata eſt. *Idem.*

f CVM OCCIDERE INNOCENTIBVS NEC NOCENTES LICEAT. Hoc etiam obſeruauimus Epiſtola præcedenti. *Idem.*

centem liceat; ſed promptè & animas & ſanguinem tradere; vt cùm tanta in ſæculo malitia & ſæuitia graſſetur, à malis & ſæuis velociùs recedatur. Quale illud fuit ſub oculis Dei ſpectaculum glorioſum? quale in conſpectu Chriſti, Eccleſiæ ſuæ gaudium, ad pugnam, quam tentauerat hoſtis inferre, non ſingulos milites, ſed tota ſimul caſtra prodiſſe? omnes enim conſtat venturos fuiſſe, ſi audire potuiſſent, quando occurrerit properanter, & venerit quiſquis audiuit. Quot illic lapſi, glorioſa confeſſione ſunt reſtituti? Steterunt fortes, [a] & ipſo dolore pœnitentiæ facti ad prœlium fortiores; vt appareat nuper [b] ſubitatos eſſe, & nouæ atque inſuetæ rei pauore trepidaſſe? rediiſſe ad ſe poſtmodum, fidem veram, & vires ſuas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam conſtanter & firmiter roboraſſe, nec iam ſtare ad criminis veniam, ſed ad paſſionis coronam. [c] Quid ad hæc Nouatianus, frater chariſſime, vtrumne iam deponit errorem? an verò (qui dementium mos eſt) ipſis bonis & proſperis noſtris plus adactus eſt ad furorem? & quò magis ac magis dilectionis ac fidei creſcit hìc gloria, illic diſſenſionis & zeli recrudeſcit inſania: nec vulnus ſuum miſer curat, ſed adhuc grauius & ſe, & ſuos vulnerat? in perniciem fratrum lingua ſua perſtrepens, & facundiæ venenatæ iacula contorquens, magis durus ſæcularis philoſophiæ prauitate, quàm [d] philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus; deſertor Eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis, interfector pœnitentiæ, doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis? Agnoſcitne iam qui ſit ſacerdos Dei? quæ ſit Eccleſia & domus Chriſti? qui ſint Dei ſerui, quos diabolus infeſtet? qui ſint Chriſtiani, quos Antichriſtus impugnet? Neque ènim quærit illos, quos iam ſubegit, aut geſtit euertere, quos iam ſuos fecit. Inimicus & hoſtis Eccleſiæ quos alienauit ab Eccleſia & foras duxit, vt captiuos & vinctos contemnit, & præterit: eos pergit laceſſere, in quibus Chriſtum cernit habitare. Quamquam & ſi aliquis ex talibus fuerit apprehenſus, non eſt quod ſibi quaſi in confeſſione nominis blandiatur, cùm conſtet, ſi occiſi eiuſmodi extra Eccleſiam fuerint, fidei coronam non eſſe, ſed pœnam potius eſſe perfidiæ, nec in domo Dei inter vnanimes habitaturos eſſe, quos videmus de pacifica & diuina domo, furore diſcordiæ, receſſiſſe. Hortamur planè quantum poſſumus, frater chariſſime, pro charitate mutua, qua nobis inuicem cohæremus, vt (quoniam [e] prouidentia Domini monentis inſtruimur, & diuinæ miſericordiæ conſiliis ſalubribus admonemur, appropinquare iam certaminis & agonis noſtri diem) ieiuniis, vigiliis, orationibus inſiſtere cum omni plebe non deſinamus. incumbamus gemitibus aſſiduis, & deprecationibus crebris. hæc ſunt enim nobis arma cæleſtia, quæ ſtare & perſeuerare fortiter faciunt. hæc ſunt munimenta ſpiritalia, & tela diuina, quæ protegunt: memores noſtri inuicem ſimus, concordes atque vnanimes, [f] vtrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua charitate releuemus. & quis iſtinc noſtrûm prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, [g] perſeueret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam patris non ceſſet oratio. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

[a] ET IPSO DOLORE POENITENTIAE FACTI AD PROELIVM FORTIORES.) Dolorem pœnitentiæ dicit, acerrimum pudorem, quo ſolebant affici boni pœnitentes, id ſe commiſiſſe propter quod pœnitentia indigerent, quo dolore, velut irritati, ad martyria ferebantur acriores. Sic Epiſtola præcedenti, *Lapſos dolor ad prælium prouoret*. RIG.

[b] SVBITATOS ESSE.) Quaſi ſubito & improuiſo caſu. *Idem.*

[c] *Quid ad hæc Nouatianus.* Inſultat Nouatiano, quaſi dicat, fruſtrà illum calumnias ſpargere de tali viro, qui tam conſtanter Chriſtum confeſſus ſit. PAM.

[d] PHILOSOPHIAE DOMINICAE LENITATE) Sic edidit Pamelius. At in Beneuentano & Veronenſi, & in editione Romana, *Sophia Dominica.* quod eſt rectiſſimum. Opponit Cyprianus Sophiam Dominicam Philoſophiæ ſeculari. Hæc tam incerti falsique mater, quàm illa fons & origo veri rectique. Hæc ſuos etiam Sophos habuit: ſed inter eos qui nobiliſſimus exſtitit, inuidiam vocabuli, profeſſione contraria, damnauit. ceteris adumbratâ modeſtiâ Philoſophiæ nomen placuit, verùm, nec iſtis vnquam amica ſua potiri contigit. Illa igitur Sophia, Chriſtus, nominis ſui cultores habuit Chriſtianos, qui Domini ſui præcepta ſummo ſtudio ſeruantes, veram Sophiam, hoc eſt, ſummæ felicitatis & gloriæ poſſeſſionem, conſequuntur. RIG.

[e] PROVIDENTIA DOMINI MONENTIS INSTRVIMVR.] Noctes habet Cyprianus haud cœcas. Sæpiſſimè videt in ſomnis monſtrantem ſibi Dominum, & oſtendentem quæ reuelaret, quoties occaſio poſceret. *Idem.*

[f] VTROBIQVE PRO NOBIS SEMPER OREMVS) Reciproca dilectione: mutua caritate. *Idem.*

[g] PERSEVERET APVD DOMINVM NOSTRÆ DILECTIO.) Patet, inquit Pamelius, ex hoc loco Cyprianum ſenſiſſe & credidiſſe ſanctos etiam defunctos pro viuis orare. Ego quidem hanc diſciplinam Chriſtiano digniſſimam eſſe arbitror. Sed ambiguum mihi videtur, an hoc ſentiat Cyprianus: niſi dicamus hæc illius verba, *Si quis iſtinc noſtrûm prior diuina dignationis celeritate præceſſerit.* quis enim orandum eſſe dicet pro martyre, cuius ſanguis tota paradiſi clauis eſt? ſed de eo qui communi mortalitatis exitu diem certaminis anteuerterit, Pro eo certè perſeueret apud Dominum dilectio noſtra. At ſi viciſſim oremus, vt perſeueret illi apud Dominum dilectio noſtri, quæ ratio rogandi hortandive beatum jam & felicem, vt in dilectione fratrum ſuorum perſeueret? cùm abſque iſta dilectione, abſque illa ſcilicet caritate, æterna vita planè eſſet indignus. neque dici debeat ſanctus, qui erga fratres ſuos caritatem amiſerit. Profectò pius & fidelis eſt ſermo, Eorum qui jam exuti mortalitate facti ſunt Chriſti coheredes, & eorum qui ſuperſtites adhuc in terris eiuſdem Chriſti coheredes futuri ſunt, vnam eſſe Eccleſiam, vno ſpiritu ſancto tam probè junctam, vt nec morte corporis diuellatur. Orant illi Deum pro nobis, & nos Deum laudamus pro illis. & ſic vtrubique pro nobis ſemper oramus. *Idem.*

AD LVCIVM PAPAM ROMANVM REVERSVM AB EXILIO.

CYPRIANVS CVM COLLEGIS LVCIO FRATRI, Salutem.

ET nuper quidem tibi, frater chariſſime, gratulati ſumus, cum te honore LVIII geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit diuina dignatio; ſed & nunc non minus tibi & comitibus tuis atque vniuerſæ fraternitati gratulamur, quòd cùm eadem gloria & laudibus veſtris reduces vos denuò ad ſuos fecerit benigna Domini & larga protectio: vt paſcendo gregi paſtor, & gubernandæ naui gubernator, & plebi regendæ rector redderetur; & appareret relegationem veſtram ſic diuinitus eſſe diſpoſitam, non vt Epiſcopus relegatus & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed vt ad Eccleſiam maior rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrij dignitas, quia morte fruſtrata de camino ignis incolumes exierunt, aut non conſummatus Daniel exſtitit in ſuis laudibus, quia qui leonibus miſſus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confeſſoribus Chriſti dilata martyria non meritum confeſſionis minuunt, ſed magnalia diuinæ protectionis oſtendunt. Repræſentatum videmus in vobis, quod apud Regem fortes atque illuſtres pueri prædicauerunt: Ipſos quidem paratos eſſe ardere flammis, ne diis eius ſeruirent, aut imaginem quam fecerat adorarent; Deum tamen quem colebant, quemque & nos colimus, potentem eſſe vt eos de camino ignis eximeret, & de regis manibus ac de pœnis præſentibus liberaret. Quod inuenimus in confeſſionis veſtræ fide, & in Domini circa vos protectione nunc geſtum; vt cùm vos parati fueritis & prompti omne ſubire ſupplicium, Dominus tamen vos pœnæ ſubtraheret, & Eccleſiæ reſeruaret. Regredientibus vobis breuiata non eſt in Epiſcopo confeſſionis ſuæ dignitas, ſed magis creuit ſacerdotalis auctoritas; vt altari Dei aſſiſtat Antiſtes, qui ad confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria, non verbis plebem, ſed factis cohortetur, & [a] imminente Antichriſto paret ad prælium milites non ſolùm ſermonis & vocis incitamento, ſed fidei & virtutis exemplo. Intelligimus, frater chariſſime, & tota cordis noſtri luce perſpicimus diuinæ maieſtatis ſalutaria & ſancta conſilia; vnde illic [b] repentina perſecutio nuper exorta ſit, vnde contra Eccleſiam Chriſti & Epiſcopum Cornelium beatum Martyrem, voſque omnes, ſæcularis poteſtas ſubitò proruperit: vt ad confundendos hæreticos & retundendos oſtenderet Dominus, quæ eſſet Eccleſia, [c] quis Epiſcopus eius vnus, diuina ordinatione delectus; qui cum Epiſcopo Presbyteri ſacerdotali honore coniuncti; quis adunatus & verus Chriſti populus Dominici gregis charitate connexus: qui eſſent, quos inimicus laceſſeret, quibus diabolus vt ſuis parceret. Neque enim perſequitur & impugnat Chriſti aduerſarius, niſi caſtra & milites Chriſti: hæreticos proſtratos ſemel & ipſos & ſuos factos contemnit, & præterit: eos quærit deiicere, quos videt ſtare. Atque vtinam nunc facultas daretur, frater chariſſime, vt intereſſe illic vobis regredientibus poſſemus, qui vos mutua charitate diligimus; vt aduentus veſtri lætiſſimum fructum præſentes cum cæteris ipſi quoque caperemus. Quæ illic exultatio omnium fratrum? qui concurſus atque complexus concurrentium ſingulorum? Vix oculis adhærentium poteſt ſatisfieri, vix vultus ipſi atque oculi plebis poſſunt videndo ſatiari. De aduentus veſtri gaudio cognoſcere illic fraternitas cœpit, qualis & quanta ſit ſecura Chriſto veniente lætitia: [d] cuius quia citò appropinquabit aduentus, imago iam quædam præceſſit in vobis, vt quo modo Ioannes præcurſor eius & præuius veniens, prædicauit Chriſtum veniſſe, ſic nunc Epiſcopo Confeſſore Domini & ſacerdote redeunte, appareat & Dominum iam redire. Vicarias verò pro nobis ego & collegæ & fraternitas omnis has ad vos litteras mittimus, frater chariſſime, & repræſentantes vobis per Epiſtolam gaudium noſtrum, fida obſequia charitatis expromimus, hîc quoque in ſacrificiis atque in orationibus noſtris non ceſſantes Deo patri, & Chriſto filio eius Domino noſtro gratias agere, & orare pariter ac petere, vt qui perfectus eſt atque perficiens, cuſtodiat & perficiat in vobis confeſſionis veſtræ glorioſam coronam: qui & ad hoc vos fortaſſe reuocauit, ne gloria eſſet occulta, ſi foris eſſent confeſſionis veſtræ conſummata martyria. Nam victima quæ fraternitati præbet exemplum virtutis & fidei, [e] præſentibus debet fratribus immolari. Optamus te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

a IMMINENTE ANTICHRISTO.] Perſecutione RIG.

b *Repentina perſecutio.* Eò quòd repentinam vocet perſecutionem qua paſſus eſt Cornelius confirmatur, paſſum illum ſub Gallo & Voluſiano; vt potè quos conſtet non toto anno imperium tenuiſſe, & quibus mortuis perſecutio ceſſauit ad aliquantum tempus. Rurſus autem epiſcopum vnum Papam Romanum nuncupat. PAM.

c QVIS EPISCOPVS EIVS VNVS.] In vnaquaque vniuerſalis Eccleſiæ portione, hoc eſt in vnoquoque epiſcopatu, vnus epiſcopus. RIG.

d CVIVS QVIA CITO APPROPINQVABIT ADVENTVS.] Chriſti ſcilicet, qui tamquam agonothetes præſidebit certamini martyrum certantium aduerſus antichriſti vexationes proxima perſecutione. Tertul ad Martyras: *Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus viuus eſt: xyſtarches Spiritus ſanctus: corona æternitas. Idem.*

e PRAESENTIBVS DEBET FRATRIBVS IMMOLARI.] Quod præſtitit ipſe Cyprianus, vt in eius paſſione Pontius demonſtrat. *Idem.*

EPISTOLÆ MISCELLÆ IN PACE ECCLESIÆ VARIIS temporibus conſcriptæ.

AD FIDVM DE INFANTIBVS BAPTIZANDIS.

CYPRIANVS ET CÆTERI, COLLEGÆ QVI IN concilio affuerant numero lxvj. [a] Fido fratri Salutem.

LIX. LEGIMVS litteras tuas, frater chariſſime, quibus ſignificaſti de [b] Victore quodam Preſbytero, quod ei, antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius collega noſter immaturo tempore & præpropera feſtinatione pacem dederit. Quæ res nos ſatis mouit, receſſum eſſe à decreti noſtri auctoritate, vt ante legitimum, & plenum tempus ſatisfactionis, & [c] ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate vrgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur. ſed librato apud nos diu conſilio, ſatis fuit obiurgare Therapium collegam noſtrum, quòd temerè hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cætero faciat. [d] Pacem tamen quomodocumque à ſacerdote Dei ſemel datam non putauimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſſam vſurpare permiſimus. [e] Quantum verò ad cauſam infantium pertinet

a *Fido fratri* Quo in loco fuerit Epiſcopus Fidus, reperire non potui, veriſimile tamen eſt fuiſſe vicinum Epiſcopatui Therapij, qui in ſynodo cognominatur à bulla: ſi extarent literæ Fidi, poſſet fortaſſis ex illis certius quid colligi. PAM.

b VICTORE QVODAM PRESBYTERO.) Sic edidit Pamelius. At in editione Romana & in antiquiſſimis exemplaribus Beneuentano & Veronenſi legitur, *quondam presbytero*, quod erat rectiſſimum, & reponi debet. Nam iſte Victor quoudam in Eccleſia preſbyter, malè ſeruata fide, Eccleſiam amiſerat, & pacem. Itaque etſi pacem quomodocumque, hoc eſt præpropera Therapij feſtinatione recepiſſet, minimè tamen locum in Eccleſia, hoc eſt preſbyteri honorem, receperat. Benè igitur, atque ex diſciplina veteri, ſcripſit Cyprianus, de Victore quondam preſbytero, qui nunc inter laïcos communicabat Eccleſiæ. idem ergo Victor de laïco preſbyter; de preſbytero lapſus: de lapſo pœnitens: de pœnitente laïcus. RIG.

c SINE PETITV ET CONSCIENTIA PLEBIS.) Hoc ſæpiſſimè dicit, communicato etiam cum plebe conſilio. *Idem.*

d PACEM QVOMODOCVMQVE A SACERDOTE DEI SEMEL DATAM.) Hoc vbique agit ſummo ſtudio Cyprianus, ne quid fiat aduerſus Dei ſacerdotem. *Idem.*

e QVANTVM VERO AD CAVSAM INFANTIVM PERTINET.) Fidus iſte non exuerat circumciſionis antiquæ legem. Adeóque baptiſmum infantibus ante diem à partu matris octauum dari non debere arbitrabatur. Cyprianus moram adhibendam eſſe vllam negat. Vterque ab Tertulliano diſſentit. Videamus quid Apoſtoli de baptiſmo tradiderint. Etenim fiunt, non naſcuntur Chriſtiani. Fiunt, venientes ab Ethnicis, hoc eſt, Gentibus non Chriſtianis. Fiunt etiam, venientes à parentibus Chriſtianis, vel alterutro Chriſtiano. Hos Apoſtolus, etiam ante baptiſmum, ſanctos eſſe ait, quaſi deſignatos ſanctitati, voto parentis, cui ſcilicet, & cujus ſemini, cum Deo fœdus intercedit. Ad huiuſmodi autem priuilegium valet ex parentibus alter, quaſi fauore libertatis. Sed nemo Fidelis habetur, priuſquam Chriſtum ſciat. Itaque priùs audiat oportet quæ ſunt Fidei Chriſtianæ. Poſteaquam audierit ac perceperit, tunc, ab ipſa Fide, fidelis vocatur. Atque vt ea, quæ iam illi ſunt demiſſa per aures in mentem, ſigno aliquo ſubjiciantur oculis, & fortiùs animum feriant, tinguitur, ſeu mergitur aqua, fluuio, fonte, lacuna, labro. Tria verò jam illi contigerant. Nam & fidem perceperat, & per fidem adeptus erat veniam omnium retrò delictorum: prætereáque acceperat pignus reſurrectionis in vitam æternam. Itaque illa tria baptiſmus ſignificat, tinctio, hominem fide imbutum: merſio, ablutum ſordibus & maculis: emerſio, reſurgentem. Ergo iam perfectè fidelem dicimus *τὸν βεβαμμένον εἰς βάθος*, quaſi ebrium fidei Chriſtianæ ſucco, vt lanam purpurâ. Sic Philippus Eunuchum, iam Chriſtiana perdoctum, iam profeſſum ſe toto corde credere Chriſtum eſſe Filium Dei, obuiā fortè in itinere aqua baptizauit. Tinctionem ſiue Merſionem, & tinguendi mergendique formulam tunc ſimpliciſſimam fuiſſe apparet hoc Eunuchi baptiſmo. Neque enim aliud mandauerat Chriſtus dimittens Apoſtolos: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus ſancti*. Sic de Petri ad populum allocutione vna Lucas: *Qui ſermonibus eius fidem adhibuerunt, baptizati ſunt; & addita ſunt Eccleſiæ die illo animarum tria circiter millia.* Qui toto corde crediderat in Chriſtum, iam in illa fide viuebat Chriſtianus Deo, imbiberat Chriſtum, & integrè ſapiebat ad Deum. Illi ergo baptiſmus ſiue immerſio ſignum erat fidei iam probæ: ac proinde neceſſitas ſigni, ſiue ſacramenti, oſtendebat neceſſitatem rei cuius erat ſacramentum. Nec inutilis erit hic repetita obſeruatio formulæ ab ipſo Domino præſcriptæ. *Docete tinguentes eos.* Nam, qui docentur Chriſtiana, tinguuntur in Chriſtum. Audientes & credentes, imbuuntur. Poſtquam audierunt, & crediderunt, iam ſpiritaliter tincti ſeu baptizati ſunt. Hunc verò baptiſmum ſpiritalem, ſignari & declarari voluit Chriſtus aquæ ſacramento, corporis baptiſmo. Apoſtolos eiuſdem tinctionis & tinguendi formulæ ſimplicitatem conſeruaſſe, ipſorum Acta declarant. At Chriſtianos æui proximè ſequentis addidiſſe pluſcula, fatetur Tertullianus libro de Corona. Aquam adituri, inquit, ibidem, id eſt, ad ipſam aquam, & aliquantò priùs in Eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur renunciare diabolo, & pompæ & angelis eius. dehinc, ter mergitamur. Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus; atque ex ea die lauacro quotidiano per totam hebdomaden abſtinemus. Et hæc omnia quidem, de Iudaïca moroſitate magis, quàm de Chriſtiana ſimplicitate, Septimius laudat, & ratione non carere adfirmat: quorum tamen hodie magna pars exoleuit. Idem Septimius, ætate iam ſua baptiſmo adhibitam fuiſſe Vnctionem teſtatur; Et priſtina, inquit, diſciplina, hoc eſt, Moſaica, qua vngi oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant. Hoc verò mandatum à Domino, aut ab Apoſtolis factitatum fuiſſe non legimus ſed paullò poſt exceſſum Apoſtolorum, Chriſtiani faciles multa de Iudaïcis obſeruationibus nondum obliterata retinuerunt; quæ hodie ſi quis omitteret, annorum ſupra mille propè quingentorum auctoritate obrueretur. Verba ſunt in Apocalypſi Ioannis ad Eccleſias in Aſia: *Gratia ſit vobis à Chriſto Ieſu, qui fecit vos reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.* Sunt & iſta Petri in Epiſtola priore: *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, quæ de regno & ſacerdotio ſpiritali ſunt accipienda. Hoc tamen argumento, atque etiam vocabulo Chriſti, quantum ab origine Græca deducitur, perſuaſum fuit veteribus, omnem Chriſtianum vngi oportere, tamquam regem & ſacerdotem. nec aliàs conuenientiùs, quàm in ipſo quidem baptiſmo, quo nomen adſumit Chriſtiani. Vngi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ait Cyprianus ad Epiſcopos Numidiæ, vt accepto chriſmate, id eſt vnctione, eſſe vnctus Dei & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit. Adeóque canon ſecundus Synodi primæ Arauſicanæ ſic habet: *Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vſquam debere progredi: quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos admonebitur.* Huiuſce vnctionis adminiſtratio pro variorum epiſcoporum ingenio variaſſe videtur, & in illo ipſo canone repetuntur etiam in exemplaribus antiquis adjecta quædam parum conſtanter; & fortean ad vſum ſeculi poſterioris accommodata. Nam & inuectæ ſunt plures vnctiones, & diſtingui cœpit ea quæ in fronte fiebat, ab alia quam in ver-

pertinet, quos dixiſti [a] intra ſecundum vel tertium diem, quo nati ſint, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandum eſſe legem circumciſionis antiquæ, vt intra octauum diem eum qui natus eſt baptizandum & ſacrificandum non putares; longè aliud in concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit, ſed vniuerſi potiùs iudicauimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſaluare; quantum in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Quid enim ei deeſt, qui ſemel in vtero Dei manibus formatus eſt? Nobis enim atque oculis noſtris [b] ſecundùm dierum ſæcularium curſum, accipere, qui nati ſunt, incrementum videntur: cæterùm quæcùmque à Deo fiunt, Dei factoris maieſtate & opere perfecta ſunt. Eſſe denique apud omnes, ſiue infantes, ſiue maiores natu, vnam diuini muneris æqualitatem declarat nobis diuinæ ſcripturæ fides, Heliſæus ſuper infantem Sunamitidis viduæ filium qui mortuus iacebat, ita ſe Deum deprecans ſuperſtrauit, vt capiti caput, & faciei facies applicaretur, & ſuperfuſi Heliſæi membra ſingulis paruuli membris & pedes pedibus iungerentur. Quæ res ſi ſecundùm natiuitatis noſtræ & corporis qualitatem cogitetur, adulto & prouecto infans non poſſet æquari, nec cohærere & ſufficere poſſent parua membra maioribus. Sed illic æqualitas diuina & ſpiritalis exprimitur, quod pares atque æquales ſint omnes homines, quando à Deo ſemel facti ſunt; & poſſit ætas noſtra in incrementis corporum, ſecundùm ſæculum, non ſecundùm Deum habere diſcrimen: niſi ſi & gratia ipſa, quæ baptizatis datur, pro ætate accipientium vel minor, vel maior tribuitur; cum Spiritus ſanctus non de menſura, ſed de pietate atque [c] indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus vt perſonam non accipit, ſic nec ætatem, cùm ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate librata præbeat patrem. Nam & quod veſtigium infantis in primis partus ſui diebus conſtituti, mundum non eſſe dixiſti, quod [d] vnuſquiſque noſtrûm adhuc horreat exoſculari, nec hoc putamus ad cæleſtem gratiam dandam impedimento eſſe oportere, ſcriptum eſt enim: Omnia munda ſunt mundis. Nec aliquis noſtrûm id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere. Nam etſi adhuc infans à partu nouus eſt, non ita eſt tamen, vt quiſquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat oſculari; quando in oſculo infantis vnuſquiſque noſtrûm pro ſua religione ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato & recens nato quodammodo exoſculamur, quando id quod Deus

tice fieri placuit. hæc permiſſa preſbyteris, alia Epiſcopis reſeruata, perficientibus & conſummantibus inchoata myſteria. Ad baptiſmi quoque diſciplinam pertinere videntur ea quæ tradidit Lucas de fraterna conuerſatione fidelium inter ſeſe poſt adeptionem baptiſmi. *Perſeuerabant*, inquit, *in doctrina Apoſtolorum & communicatione, & fractione panis & precibus*. Sed in ea conuerſatione ſubit obſeruatio circa infantes & paruulos: non ita fuiſſe participes Chriſtianæ communionis, vt etiam baptizarentur. Hoc neceſſariò colligi videtur ex ante dictis, vbi apertiſſima ſunt verba Domini, iubentis docere, priuſquam tingere: & Apoſtoli docentis Eunuchum, deinde baptizantis. Erat Deus ipſe ratio, fidem explorans priuſquam imponat ſignaculum fidei, quæ fides, cùm ex adſenſu venit, in homine non deprehenditur ante annos intellectus & ſapientiæ capaces. adeòque in Actis Apoſtolorum legimus: Cùm credidiſſent Philippo euangelizanti, baptizatos fuiſſe viros & mulieres, mentione infantium nulla. Itaque ab æuo Apoſtolorum, vſque ad Tertulliani tempora res in ambiguo manſit. Et fuère, qui occaſione verbi Dominici: *Sinite paruulos venire ad me*, quibus tamen aquas miniſtrari non iuſſit Dominus, etiam recens natos infantes baptizauerint. & quaſi ſeculare aliquod negotium cùm Deo transfigeretur, ſponſores & fideiuſſores Chriſto dederint, adultos à fide Chriſtiana non receſſuros. Quod ſanè diſplicuit Tertulliano. *Quid enim neceſſe eſt*, inquit, *ſponſores etiam periculo ingeri? quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſint, & prouentu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite prohibere paruulos ad me venire. Veniant ergo, dum adoleſcunt: dum quò veniant docentur: fiant Chriſtiani, quum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Parum aduertebat Septimius ad primæuæ originis peccatum, quod omnes in Adamo peccauimus, cùm innocentem eſſe dixit paruulorum ætatem. aut peccatum illud, quòd in Adamo peccaſſe dicimur, ſatis expiari credidit pœna mortis, quam nos in Adamo quoque neceſſe eſt mori. Dubitatum etiam fuiſſe videtur Septimii tēpore de innuptis, tam virginibus quàm viduis. Et admitti ad baptiſmum virgines adhuc crudas ſatis periculoſum exiſtimabant, quia fortean aliquæ, poſtquam maturuiſſent, nuptias ſuas extra Eccleſiam ferebant, & cùm in manum domúmque Ethnici veniſſent, datam Chriſto fidem facilè ſibi cum virginitate eripi patiebantur. Nec erat abſimile periculum in viduis adhuc iuuenculis, occaſione mariti quoque Ethnici, fortaſſe prædiuitis ac deſideratiſſimi. Ob huiuſcemodi pericula Tertullianus pro cuiuſque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiā ætate, cunctationem baptiſmi vtiliorem forè ait, præcipuè tamen circa paruulos. Denique ambiguitatem ſic dijudicat: *Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quàm dilationem. Fides integra ſecura eſt de ſalute.* Hanc Tertulliani ſententiam plerique parùm tutam eſſe arbitrati, cum Cypriano cenſuerunt, etiam recens natos lauacri ſalutaris participes fieri oportere, quod & Synodi decreto conſtitutum & dubitatio ſublata. Satis argutè quidem & ſubtiliter dixerat Tertullianus: *Fuiſſe retrò ſalutem per fidem nudam, ante Domini paſſionem & reſurrectionem; at vbi fides aucta eſt credendi in natiuitatem, paſſionem & reſurrectionem eius, additam quoque fuiſſe ampliationem ſacramenti, obſignationem baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retrò erat nuda; nec poteſt iam ſine ſua lege. Legem enim tinguendi impoſitam eſſe, & formam præſcriptam.* RIG.

a INTRA SEC. VEL TER. DIEM QVO NATI SVNT. Rectè in Beneuentano & Veronenſi, *intra ſecundum vel tertium diem quam nati ſunt. Idem.*

b SECVNDVM DIERVM SECVLARIVM CVRSVM. Sic infrà: *ſecundùm ſeculum, non ſecundùm Deum.* Nam apud Deum, non eſt tempus. Dies igitur dicit ſeculares, vti ab hominibus in ſeculo numerantur. *Idem.*

c DE INDVLGENTIA PATERNA AEQVALIS OMNIBVS PRAEBEATVR.) Paullò poſt dicet, *cùm ſe omnibus æqualitate librata præbeat patrem.* Sic enim abſque dubio legendum, non *parem*. Indulgentia paterna præbet ſe patrem omnibus æqualitate librata. *Idem.*

d VNVSQVISQVE NOSTRVM ADHVC HORREAT EXOSCVLARI.) Fidus, ad quem eſt hæc epiſtola Cypriani, horrebat oſculari recens natos infantes, cum ſuis impedimentis profuſos vtique & oblitos, indéque in octauam à partu diem differri baptiſmum volebat. Horrorem diſcutit Cyprianus iiſdem argumentis quibus Tertullianus Marcionis hæreſin confutauit exhortentis Fidei Chriſtianæ articulum quo Chriſtum filium Dei de Mariæ virginis vtero verè hominem natum adſerimus. Chriſtus dilexit hominem illum in immunditiis, in vtero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum deſcendit, propter eum prædica-

Deus fecit amplectimur. Nam quod in Iudaïca circumciſione carnali octauus dies obſeruabatur, ſacramentum eſt in vmbra atque in imagine antè præmiſſum, ſed veniente Chriſto veritate completum. Nam quia octauus dies, id eſt, poſt Sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus reſurgeret & nos viuificaret, & circumciſionem nobis ſpiritalem daret: hic dies octauus, id eſt, poſt Sabbatum primus & Dominicus præceſſit in imagine, quæ imago ceſſauit ſuperueniente poſtmodum veritate, & data nobis ſpiritali circumciſione. Propter quod neminem putamus à gratia conſequenda impediendum eſſe ea lege, quæ iam ſtatuta eſt, nec ſpiritalem circumciſionem impediri carnali circumciſione debet, ſed [a] omnem omninò admittendum eſſe ad gratiam Chriſti; quando & Petrus in Actis Apoſtolorum loquatur, & dicat: Dominus mihi dixit [b] neminem hominum communem dicendum & immundum. Cæterùm ſi homines impedire aliquid ad conſecutionem gratiæ poſſet; magis adultos, & prouectos, & maiores natu poſſent impedire peccata grauiora. Porrò autem ſi etiam [c] grauiſſimis delictoribus & in Deum multum antè peccantibus, cùm poſteà crediderint, remiſſa peccatorum datur, & à baptiſmo atque à gratia nemo prohibetur; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, niſi quod ſecundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendum hoc ipſo faciliùs accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata. Et iccircò, frater chariſſime, hæc fuit in concilio noſtra ſententia à baptiſmo atque à gratia Dei, qui omnibus miſericors & benignus & pius eſt, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuerſos obſeruandum ſit atque retinendum: [d] magis circa infantes ipſos & recens natos obſeruandum putamus, qui hoc ipſo de ope noſtra, ac de diuina miſericordia plus merentur, quod in primo ſtatim natiuitatis ſuæ ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt quàm deprecantur. Optamus te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

uit. Tu hæc erubeſcenda illi facis quæ redemit; Tu exhorreſcis in infante recentes adhuc Dei manus. Natura veneranda eſt non erubeſcenda. RIG.

a OMNEM OMNINO.) Sic Ben. & Ver. *Idem.*

b NEMINEM HOMINVM.] Sic in Beneuentano & Veronenſi. Dicitur etiam, Nemo homo. Plautus dixit: *Alienum hominem intromittat neminem. Idem.*

c GRAVISSIMIS DELICTORIBVS.) Negatoribus, ſacrificatis, libellatis. Delictores dicit eos qui fidem Chriſto datam deſeruerunt, dereliquerunt. Obſeruauimus ſuprà ad Epiſt. LII. In Corbeïenſi & Thuaneo legitur: *grauiſſimis delictorum. Idem.*

d MAGIS CIRCA INFANTES IPSOS.] Pamelius edidit, tum magis. In Beneuentano & Veronenſi ſimpliciùs & elegantiùs, magis circa infr. *Idem.*

AD EPISCOPOS NVMIDAS DE REDEMPTIONE fratrum ex captiuitate Barbarorum.

CYPRIANVS IANVARIO, MAXIMO, PROCVLO, Victori, Modiano, Nemeſiano, Nampulo, & Honorato fratribus, Salutem.

LX. CVM maximo animi noſtri gemitu, & non ſine lacrymis legimus litteras veſtras, fratres chariſſimi, quas ad nos pro dilectionis veſtræ ſollicitudine, [a] de fratrum noſtrorum & ſororum captiuitate feciſtis. Quis enim non doleat in eiuſmodi caſibus: aut quis non dolorem fratris ſui ſuum proprium computet? cum loquatur Apoſtolus Paulus, & dicat: Si patitur vnum membrum, compatiuntur & cætera membra; ſi lætatur membrum vnum, collætantur & cætera membra. Et alio loco: Quis infirmatur, inquit, & non ego infirmor? Quare nunc & nobis captiuitas fratrum noſtra captiuitas computanda eſt: & periclitantium dolor pro noſtro dolore numerandus eſt: cùm ſit ſcilicet adunationis noſtræ corpus vnum, & non tantùm dilectio, ſed & religio inſtigare nos debeat, & confortare ad fratrum membra redimenda. Nam cùm denuò Apoſtolus Paulus dicat: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? etiam ſi charitas nos minus adigeret ad opem fratribus ferendam; conſiderandum tamen hoc in loco fuit, Dei templa eſſe, quæ capta ſunt; nec pati nos longa ceſſatione, & neglecto dolore debere; vt diu Dei templa captiua ſint, ſed quibus poſſumus viribus elaborare, & velociter gerere, vt Chriſtum iudicem, & Dominum & Deum noſtrum promereamur obſequiis noſtris. Nam cùm dicat Paulus Apoſtolus: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; in captiuis fratribus noſtris contemplandus eſt Chriſtus, & redimendus de

periculo

a *De fratrum noſtrorum ac ſororum captiuitate.* Vera forſan Pamelij coniectura, exiſtimantis captiuitatem hanc contigiſſe ſub Decio, quo tempore contra Barbaros pugnans paludis hauſtus gurgite promiſcua turba periit, adeo vt ne quidem eius cadauer reperiri potuit. Putarem tamen ſub Valeriano id factum, nam tanta non fuit ſub Decio ſtrages ac captiuitas, quanta ſub Valeriano eiuſque filio Gallieno; Ea quippe fuit deſolatio, vt referente Auguſtino epiſt. 80. *mundi finem Barbaros appetere putare poſſent.* PRI.

a De

periculo captiuitatis, qui nos redimit de periculo mortis: vt qui nos [a] de diaboli faucibus exuit, nunc ipſe, qui manet & habitat in nobis, de Barbarorum manibus exuatur; & redimatur nummaria quantitate, qui nos cruce redemit, & ſanguine: qui idcircò hæc fieri interim patitur, vt fides noſtra tentetur, an faciat vnuſquiſque pro altero, quod pro ſe fieri vellet, ſi apud Barbaros teneretur ipſe captiuus. Quis enim non humanitatis memor, & mutuæ dilectionis admonitus, ſi pater eſt, illic eſſe nunc filios ſuos computet? ſi maritus eſt, vxorem ſuam illic captiuam teneri cum dolore pariter ac pudore vinculi maritalis exiſtimet? quantus verò communis omnibus nobis mœror eſt, & cruciatus de periculo virginum, quæ illic tenentur; pro quibus non tantùm libertatis, ſed & pudoris iactura plangenda eſt; nec tam vincula barbarorum, quàm leonum, & lupanarium ſtupra deflenda ſunt; ne [b] membra Chriſto dicata, & in æternum continentiæ honore pudica virtute deuota, inſultantium libidine, & contagione fœdentur? Quæ omnia iſtic ſecundùm litteras veſtras fraternitas noſtra cogitans, & dolenter examinans, promptè omnes & libenter ac largiter ſubſidia nummaria fratribus contulerunt; ſemper quidem ſecundùm fidei ſuæ firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen magis ad opera ſalutaria contemplatione tanti doloris accenſi. Nam cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat; Infirmus fui, & viſitaſtis me: quantò nunc quoque cùm maior operis noſtri mercede dicturus eſt: Captiuus fui, & redemiſtis me? Et cùm denuò dicat: In carcere fui, & veniſtis ad me; quantò plus eſt cùm cœperit dicere: In carcere captiuitatis fui, & clauſus, & vinctus apud Barbaros iacui; & de carcere illo ſeruitutis liberaſtis me, cum iudicij dies venerit præmium de Domino recepturi: Denique maximas vobis gratias agimus, quod nos veſtræ ſollicitudinis, & tam bonæ ac neceſſariæ operationis participes eſſe voluiſtis: vt offerretis nobis agros vberes, in quibus ſpei noſtræ ſemina mitteremus, expectaturi meſſem de ampliſſimis fructibus qui de hac cæleſti, & ſalutari operatione proueniunt. [c] Miſimus autem ſeſtertia centum millia nummûm, quæ iſtic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, Cleri & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt: quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis. Et optamus quidem nihil tale de cætero fieri, & fratres noſtros Domini maieſtate protectos ab eiuſmodi periculis incolumes reſeruari. ſi tamen ad explorandam noſtri animi charitatem, & examinandam noſtri pectoris fidem, tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis litteris veſtris pro certo habentes, Eccleſiam noſtram & fraternitatem iſtic vniuerſam ne hæc vltrà fiant precibus orare; ſi facta fuerint, libenter, & largiter ſubſidia præſtare. Vt autem fratres noſtros ac ſorores, qui ad hoc opus tam neceſſarium promptè ac libenter operati ſunt, vt ſemper operentur, in mentem habeatis in orationibus veſtris, & eis vicem boni operis in ſacrificiis & precibus repræſentetis, [d] ſubdidi nomina ſingulorum; ſed & collegarum quoque & conſacerdotum noſtrorum, qui & ipſi cùm præſentes eſſent, & ſuo, & plebis ſuæ nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi; & præter quantitatem propriam noſtram, eorum quoque ſummulas ſignificaui, & miſi: quorum omnium ſecundùm quod fides & charitas exigunt, in orationibus & precibus veſtris meminiſſe debetis. Optamus vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

AD

a DE DIABOLI FAVCIBVS EXVIT.) Sic Epiſt LXII. dicet, Exuenda eſt de incendio ſarcina RIG.

b *Membra Chriſto dicata.* Similem de ſanctis virginibus phraſin habes tum epiſtola ad Pomponium, tum lib. de diſcipl. & hab. Virginum. PAM.

c MISIMVS AVTEM SESTERTIA CENTVM MILLIA NVM) Rectiſſimè monuit Io. Fredericus Gronouius lib. de Seſtertiis, nu. 13. fruſtra Pamelium addubitaſſe de vitio vulgatæ iſtius ſcripturæ, etenim Latinam non eſſe, nec vllam ſummam Latinè quidem ſignificare. Itaque procul dubio ſcribendum, *ſeſtertiûm centum millia nummûm*, quæ ſcriptura ſummam conficiet noſtrarum hodie librarum. 2500. RIG.

d SVBDIDI NOMINA SINGVLOR.] Non fruſtra, nec ſuperuacuè. Nam in ſacrificiis orationum offerebantur nomina eorum, qui ad hoc opus tam neceſſarium promptè ac libenter operati erant. *Idem.*

AD EVCHRATIVM DE HISTRIONE.

CYPRIANVS EVCHRATIO FRATRI, SALVTEM.

PRo dilectione tua, & verecundia mutua conſulendum me exiſtimaſti, frater chariſſime, quid mihi videatur de hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus [a] in eiuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeuerat, & magiſter & doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod malè didicit, cæteris quoque inſinuat; an talis debeat communicare nobiſcum. LXI.
Puto nec maieſtati diuinæ, nec Euangelicæ diſciplinæ congruere, vt pudor & honor

Eccleſiæ

a *In eiuſdem adhuc artis ſua dedecore perſeuerat.* Infames nimirum erant qui hiſtrionicam exercebant, vnde S. Auguſtinus lib. 2. de ciu. Dei cap. 14. *Romani ab honoribus omnibus repellunt homines ſcenicos.* Tertullianus in

Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. [a] Nam cùm in lege prohibeantur viri induere muliebrem veſtem, & maledicti eiuſmodi iudicentur; quantò maioris eſt criminis, non tantùm muliebria indumenta accipere; ſed & geſtus quoque turpes, & molles, & muliebres, magiſterio impudicæ artis exprimere? Nec excuſet ſe quiſquam ſi à theatro ipſe ceſſauerit, cùm tamen hoc cæteros doceat. Non poteſt enim videri ceſſaſſe, qui vicarios ſubſtituit, & qui pro ſe vno plures ſuccidaneos ſuggerit contra inſtitutionem Dei; erudiens [b] & docens quemadmodum maſculus frangatur in fœminam, & ſexus arte mutetur, & diabolo diuinum plaſma maculanti per corrupti atque eneruati corporis delicta placeatur. Quod ſi penuriam talis & neceſſitatem paupertatis obtendit; poteſt inter cæteros, [c] qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, huius quoque neceſſitas adiuuari; ſi tamen contentus ſit frugalioribus, ſed [d] innocentibus cibis. Nec putet ſalario ſe eſſe redimendum, vt à peccatis ceſſet, quando hoc non nobis, ſed ſibi præſtet. Cæterùm quantum velit inde quærat, qualis quæſtus eſt qui de conuiuio Abraham, Iſaac, & Iacob homines rapit, & malè ac perniciosè in ſæculo ſaginatos, ad æternæ famis ac ſitis ſupplicia deducit? Et ideò quantum potes, eum ab hac prauitate, & dedecore ad viam innocentiæ atque ad ſpem vitæ ſuæ reuoca; vt ſit contentus Eccleſiæ ſumptibus [e] parcioribus quidem ſed ſalutaribus. quod ſi illic Eccleſia non ſufficit vt laborantibus præſtet alimenta, poterit ſe ad nos transferre, & hic quod ſibi ad victum atque ad veſtitum neceſſarium fuerit accipere; nec alios extra Eccleſiam mortalia docere, ſed ipſe ſalutaria in Eccleſia diſcere. Opto te, fili chariſſime, ſemper benè valere.

AD

apolog. mimos capita ignominioſa & famoſa appellat. Trullana ſynodus can 51. τοὺς λεγομένους μίμους à communione ſeparat. & concilium Arelat. cap 5. *De Theatricis & ipſis placuit, quamdiu agunt, à communione ſeparari.* PRI.

a *Nam cum in lege prohibeantur.* Alludit ad verba illa Deuter. 22. non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fœminea. Abominabilis enim apud Deum eſt qui hoc facit. PAM.

b DOCENS QVEMADMODVM MASCVLVS FRANGATVR IN FEMINAM.] Epiſtola 1. dixit, *Plúſque ille placet quiſquis virum in feminam magis fregerit.* RIG.

c QVI ALIMENTIS ECCLESIAE SVSTINENTVR.] Itaque habuit Alimentarios ſuos Eccleſia Chriſti. Dominam matrem Eccleſiam de vberibus ſuis, & ſingulos fratres de opibus ſuis propriis ſubminiſtraſſe alimenta pauperibus & captiuis, docet Tertullianus, principio libri Ad Martyras. Habuit & ſeculum Alimentarias puellas. *Idem.*

d INNOCENTIBVS CIBIS.] Non iam turpiter arte illa hiſtrionica quæſitis, ſed fraternitatis Chriſtianæ munificentia ſubminiſtratis *Idem.*

e PARCIORIBVS QVIDEM, SED SALVTARIBVS.] Conuenienter iis quæ ſuprà dixit: frugalioribus, ſed innocentibus. *Idem.*

AD POMPONIVM DE VIRGINIBVS.

CYPRIANVS, CÆCILIVS, VICTOR SEDATVS, TERTVLLVS, cum Preſbyteris qui præſentes aderant Pomponio fratri, Salutem.

LXII. LEGIMVS litteras tuas, frater chariſſime, quas per Paconium fratrem noſtrum miſiſti; poſtulans & deſiderans, vt tibi reſcriberemus; quid nobis de iis virginibus videatur, quæ cùm in ſtatu ſuo eſſe & [a] continentiam firmiter tenere decreuerint, detectæ ſint poſteà in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis: Ex quibus vnum Diaconum eſſe dicis; planè eaſdem quæ ſe cum viris dormiſſe confeſſæ ſint, aſſeuerare ſe integras eſſe. Circa quam rem, quoniam conſilium noſtrum deſideraſti, ſcias nos ab Euangelicis & Apoſtolicis traditionibus non recedere, quò minus fratribus & ſororibus noſtris conſtanter & fortiter conſulatur, & per omnes vtilitatis & ſalutis vias Eccleſiaſtica diſciplina ſeruetur; cùm Dominus loquatur & dicat: Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcentes cum diſciplina: & iterùm ſcriptum ſit: Diſciplinam qui abiicit, infelix eſt: & in Pſalmo quoque Spiritus ſanctus admoneat & inſtruat, dicens: Continete diſciplinam, ne fortè iraſcatur Dominus, & pereatis à via recta, cùm exarſerit citò ira eius ſuper vos. Primo igitur in loco, frater chariſſime, & præpoſitis, & plebi nihil aliud elaborandum eſt, quàm vt qui Deum timemus, cum omni obſeruatione diſciplinæ diuina præcepta teneamus; nec patiamur errare fratres noſtros, & [b] pro arbitrio & ſuo viuere, ſed ad vitam ſingulis fideliter conſulere: nec pati virgines cum maſculis habitare, non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul viuere: quando & ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari à nobis & regi debeat, ne diabolo inſidianti & ſæuire cupienti, ad nocendum detur occaſio, quando & Apoſtolus dicat; Nolite locum dare

re

a CONTINENTIAM FIRMITER TENERE DECREVERINT.] Quàm proximè hæc accedunt ad vota continentiæ & virginitatis, vnde aliquot poſteà ſeculis cœnobia & clauſtra & diſciplinæ auſteriores fluxerunt. RIG.

b PRO ARBITRIO ET RVCTV SVO VIVERE.] Exemplar Veronenſe ſcripturam ſeruauit veriſſimam *pro arbitrio & ructu ſuo.* Eodem ſenſu Tertullianus dixerat ructantes decurias, & ructare ſapientiam: & imitatione Cypriani Pontius: Abſit vt de tam beatiſſimo martyre ructus hominis iudicaret. Quod autem Tertullianus & Pontius, & hoc loco Cyprianus, *nec patiamur errare fratres noſtros & pro ructu ſuo viuere*, ab illo ductum videtur Horatij, Hic dum ſublimes verſus ructatur & errat. *Idem.*

re diabolo. Liberanda & vigilanter de periculoſis locis nauis, ne inter ſcopulos & ſaxa frangatur. [a] Exuenda eſt velociter de incendio ſarcina, priuſquam flammis ſuperuenientibus concremetur. Nemo diu tutus eſt, periculo proximus. Nec euadere diabolum ſeruus Dei poterit, qui ſe diaboli laqueis implicauit. [b] Intercedendum eſt citò talibus, dum adhuc ſeparari innocentes poſſunt, [c] quia diuidi poſtmodum noſtra interceſſione non poterunt. Denique quàm graues multorum ruinas hinc fieri videmus, & per huiuſmodi illicitas & periculoſas coniunctiones corrumpi plurimas virgines cum ſummo animi noſtri dolore conſpicimus. [d] Quod ſi ex fide ſe Chriſto dicauerunt? pudicè, & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt; melius eſt nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant. Certè nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum faciant, cùm ſcriptum ſit: Si cibus ſcandalizat fratrem; non manducabo carnem in ſæculum, ne fratrem ſcandalizem. Nec aliqua putet ſe hac excuſatione defendi, [e] quod inſpici, & probari poſſit; an virgo ſit: cum & manus obſtetricum & oculus ſæpè fallatur. Et ſi incorrupta inuenta fuerit virgo [f] ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe; potuerit tamen ex alia corporis parte peccaſſe, quæ violari poteſt, & tamen inſpici non poteſt. Certè ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio & oſculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio quantum dedecoris & criminis confitetur? Si ſuperueniens maritus ſponſam ſuam iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & [g] per zeli liuorem [h] fortaſſis & gladium in munum ſumit? Quid? Chriſtus Dominus, & iudex noſter, cùm virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam facere cum altero cernit, quàm indignatur & iraſcitur? & quas pœnas inceſtis eiuſmodi coniunctionibus comminatur? Cuius vt gladium ſpiritalem, & venturum iudicij diem vnuſquiſque fratrum poſſit euadere, omni conſilio prouidere & elaborare debemus. Et cùm omnes omninò diſciplinam tenere oporteat, multò magis Præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de conuerſatione & moribus ſuis præbeant. Quo modo enim poſſunt integritati & continentiæ præeſſe, ſi ex ipſis incipiant corruptelæ, & vitiorum magiſteria procedere? Et iccircò conſultè & cum vigore feciſti, frater chariſſime, abſtinendo Diaconum, qui cum virgine ſæpè manſit, ſed & cæteros qui cum virginibus dormire conſueuerunt. Quod ſi pœnitentiam huius illiciti concubitus ſui egerint, & à ſe inuicem receſſerint, inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter, & ſi virgines inuentæ fuerint, accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur, hac tamen in terminatione, vt ſi ad eoſdem maſculos poſt modum reuerſæ fuerint, aut ſi cum eiſdem in vna domo & ſub eodem tecto ſimul habitauerint, grauiore cenſura eiiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodum facilè recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non mariti ſed Chriſti adultera eſt, & ideò æſtimato iuſto tempore; [i] poſteà exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat. Quod ſi obſtinatè perſeuerant, nec ſe ab inuicem ſeparant; ſciant ſe cum hac ſua impudica obſtinatione nunquam à nobis admitti in Eccleſiam poſſe, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis ſuis facere incipiant. Nec putent ſibi vitæ aut ſalutis conſtare rationem, ſi Epiſcopis & ſacerdotibus obtemperare noluerint cum in Deuteron. Dominus Deus dicat: Et homo quicumque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem, quicumque fuerit, in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit, & non agent impiè etiam nunc. Interfici Deus iuſſit ſacerdotibus ſuis

non

a EXVENDA EST VELOCITER DE INCENDIO SARCINA.) Sic ſuprà, Epiſt. LX. de diaboli faucibus exuit. &, de barbarorum manibus exuatur. RIG.

b INTERCEDENDVM EST CITO TALIBVS.] Sic legitur in Veronenſi. Pamelius edidit, *Intercedendum eſt cito talibus vt ſeparentur. Idem.*

c QVIA DIVIDI POSTMODVM NOSTRA INTERCESSIONE NON POTERVNT.) Sequitur in editione Pamelij & Romana: *Poſteaquam conſcientia grauiſſima cohaſerint.* quæ in Veronenſi non leguntur. *Idem*

d QVODSI EX FIDE SE CHRISTO DICAVERVNT.) Iterùm dico, hæc proximè ad votum pertinent. Nam quid eſt, ex fide ſe virginem dicare Chriſto, quàm certo ac deſtinato conſilio ſiue propoſito talem ſe profiteri, ac deuouere Chriſto? Hæc tamen deuotio, hoc votum, non obligabat vouentem vt perſeuerare cogeretur. Itaque ait Cyprianus: Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, nubant. *Idem.*

e QVOD INSPICI ET PROBARI POSSIT AN VIRGO SIT.] Turpe negotium. & nimiùm curioſis digitis, inter obſtetricum manus virginitas occiditur. *Idem.*

f EA PARTE SVI) In Veronenſi legitur tantùm: *Ea parte qua mulier poteſt eſſe. Idem.*

g PER ZELI LIVOREM.) Sic legitur in Veronenſi. Pamelius & Manutius ediderant, *per zeli dolorem.* Dixit Claudianus --- *rabiem liuoris acerbi.* Sed & Horatius in adulterij cauſſa dixerat: --- *Exigit autem interdum ille dolor pluſquam lex vlla dolori conceßit* --- Et --- *nec ſolos tangit Atridas Iſte dolor. Idem.*

h *Fortaßis & gladium in manum ſumit.* Alludit ad veteres leges Romanas, quibus permittitur marito adulterum & vxorem in adulterio repertos interficere. Quemadmodum etiam D. Hieronymus epiſt. ad Sabinian. Non timuiſti, inquit, in illa domo adulterium facere, in qua ſine iudice læſus vir ſe poterat vleiſci, vide tit. ad l. Iuliam de adult. l. Marito. PAM.

i POSTEA EXOMOLOGESI FACTA] Agitur hîc de virgine corrupta. Et in corruptorem æqualis puto lex fuit. Corrupta igitur, ac deprehenſa, agit pœnitentiam, & quidem plenam, æſtimato iuſto tempore. Per id tempus excluditur Eccleſia. Obſeruandum verò, deprehenſam fuiſſe hoc feciſſe propter quod Eccleſia erubeſceret apud Gentes, Eccleſiæ ſcandalum dediſſe. proptereà de Eccleſia ejectam, pœnitentiam egiſſe. peracto pœnitentiæ tempore, exomologeſin feciſſe, qualem ſuprà de Tertulliano deſcripſimus. tandem exomologeſi facta, ad Eccleſiam rediiſſe, accepiſſe communicationem. RIG.

non obtemperantes, [a] iudicibus à ſe ad tempus conſtitutis non obedientes; ſed tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat: nûnc autem quia circumciſio ſpiritalis eſſe apud fideles ſeruos Dei cœpit, [b] ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces negantur, dum de Eccleſia eiiciuntur. Neque enim viuere foris poſſunt, cùm domus Dei vna ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia poſſit. Indiſciplinatos autem perire, dum non audiunt nec obtemperant ſalubribus præceptis, teſtatur ſcriptura diuina quæ dicit: Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe. Qui autem oderunt correptiones, conſumentur turpiter. Ergo ne indiſciplinati conſumantur & pereant, da operam, frater chariſſime, vt quantum potes conſiliis ſalutaribus fraternitatem regas, & ſingulis ad ſalutem ſuam conſulas. Arcta & anguſta eſt via per quam gradimur ad vitam, ſed ſummus & magnus eſt fructus cùm peruenimus ad gloriam. Qui ſe ſemel caſtrauerunt propter regnum cælorum, Deo per omnia placeant; nec ſacerdotes Dei aut Eccleſiam Domini, ſcandalo ſuæ prauitatis offendant. Et ſi ad præſens à nobis contriſtari videntur, nos tamen in ſalubri perſuaſione maneamus, ſcientes & Apoſtolum dixiſſe: Ergo ego inimicus factus vobis ſum, verum dicens vobis? Quod ſi obtemperauerint nobis, lucrati ſumus fratres, & eos ad ſalutem pariter & dignitatem noſtro ſermone formauimus. ſi autem quidam de peruerſis obtemperare noluerint, ſequamur eumdem Apoſtolum dicentem: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem: ſi quibuſdam ſuadere non poſſumus vt eos Chriſto placere faciamus, nos certè, quod noſtrûm eſt, Chriſto Domino & Deo noſtro, præcepta eius ſeruando, placeamus. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

a IVDICIBVS A SE AD TEMPVS CONSTITVTIS.) Deuteronomij XVII. οἳ ἂν ὦσιν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. Suprà dixit: *quicumque fuerit in diebus illis.* RIG

b SPIRITALI GLADIO SVPERBI ET CONTVMACES NECANTVR.] Auguſtinus, Quæſt. ſuper Deuteronom. *Hoc nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Littera occidit ſpiritus viuificat. Lex Moſis, conuictum criminis occidebat. Euangelium, ſpiritus Chriſti ab Eccleſia pellit, extra quam non eſt ſalus. ſic tamen vt reum verè pœnitentem recipiatque ad vitam reuocari velit. *Idem.*

AD CÆCILIVM DE SACRAMENTO DOMINI calicis.

CYPRIANVS CÆCILIO FRATRI, SALVTEM.

LXIII. QVAMQVAM ſciam, frater chariſſime, Epiſcopos plurimos, Eccleſiis Dominicis in toto mundo diuina dignatione præpoſitos, Euangelicæ veritatis ac Dominicæ traditionis tenere rationem, nec ab eo quod Chriſtus magiſter & præcepit, & geſſit, [a] humana & nouella inſtitutione decedere; tamen quoniam quidam vel ignoranter, vel ſimpliciter in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod Ieſus Chriſtus, Dominus & Deus noſter [b] ſacrificij huius auctor & doctor, fecit & docuit; religioſum pariter ac neceſſarium duxi ad vos literas facere, vt [c] ſi quis in iſto errore adhuc teneatur, veritatis luce perſpecta ad radicem atque originem traditionis Dominicæ reuertatur. Nec nos putes, frater chariſſime, noſtra & humana conſcribere, aut vltronea voluntate hoc nobis audacter aſſumere, cùm mediocritatem noſtram ſemper humili & verecunda moderatione teneamus; ſed quando aliquid Deo aſpirante & mandante præcipitur, neceſſe eſt domino ſeruus fidelis obtemperet; excuſatus apud omnes, quod nihil ſibi arroganter aſſumat, qui offenſam domini timere compellitur, niſi faciat quod iubetur. Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, [d] neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: Vt calix qui in commemoratione eius offertur, mixtus vino offeratur. Nam cùm dicat Chriſtus: Ego ſum vitis vera; ſanguis Chriſti, non aqua eſt vtique, ſed vinum. [e] Nec poteſt videri ſanguis eius, quo redempti & viuificati ſumus, eſſe in calice; quando vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui ſcri-

pturarum

a HVMANA ET NOVELLA INSTITVTIONE.] Sic paulò pòſt dicet, Noſtra & humana conſcribere. Videantur quæ ſuprà obſeruauimus de humana eccleſia. déque humana crudelitate & traditione humana ad Epiſt. LIIII. & LXIII. RIG.

b QVOD SACRIFICII HVIVS AVCTOR ET DOCTOR FECIT ET DOCVIT.] Quid fecerit, quid docuerit, Euangelia narrant. nec aliud Corinthiis ſuis tradidit Paulus. Quod in cœna Chriſtus inſtituit, Chriſtiani dein ſacrificium appellauere & ſacræ cœnæ miniſtros, ſacerdotes. *Idem.*

c SI QVIS IN ISTO ERRORE ADHVC TENEATVR.] Manutius edidit, *texebatur.* Vaticani duo, *tenetur.* in aliis, *tenebratur.* quod verum puto. etenim ſequitur, veritatis luce perſpecta.

d NEQVE ALIVD FIAT A NOBIS, QVAM QVOD PRO NOBIS DOMINVS PRIOR FECERIT.] Hac eadem Epiſtola dicet: Quòd ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſoluere, quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipſius Dominicæ paſſionis & noſtræ redemtionis ſacramentum pertinentia fas non eſt infringere, aut in aliud quàm quod diuinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare? *Idem.*

e NEC POTEST VIDERI SANGVIS EIVS ESSE IN CALICE.] Sic Tertullianus lib. de Oratione, *Corpus eius in pane cenſetur.* & ipſe Cyprianus mox, *Calix quo Chriſti ſanguis oſtenditur.* vbi de aqua: *qua ſola Chriſti ſanguinem non poſſit exprimere.*

pturarum omnium ſacramento ac teſtimonio prædicetur. Inuenimus enim & in Geneſi [a] circa ſacramentum in Noe hoc idem præcurriſſe, & figuram Dominicæ paſſionis illic extitiſſe, quod vinum bibit; quod inebriatus eſt; quod in domo ſua nudatus eſt; quod fuit recumbens nudis & patentibus femoribus: quod nuditas illa patris à medio filio denotata eſt, & foras nunciata: à duobus vero maiore, & minore contecta; & cætera quæ neceſſe non eſt exequi; cum ſatis ſit hoc ſolum complecti, quod [b] Noe typum futuræ veritatis oſtendens; non aquam, ſed vinum biberit, & ſic imaginem Dominicæ paſſionis expreſſerit. Item in ſacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit; Et [c] Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret: declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus ex perſona patris ad filium dicens: Ante Luciferum genui te; tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens & inde deſcendens; quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad noſtrum populum pertinebat. Nam ſi Abraham Deo credidit, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam; vtique quiſquis Deo credit, & fide viuit, iuſtus inuenitur, & iam pridem in Abraham fideli benedictus & iuſtificatus oſtenditur, ſicut beatus Apoſtolus Paulus probat; dicens: Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam. Cognoſcitis ergo quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura quia ex fide iuſtificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicti ſunt cum fideli Abraham: vnde in Euangelio inuenimus de lapidibus excitari, id eſt, de gentibus colligi filios Abrahæ. Et cum Zachæum laudaret Dominus reſpondit & dixit: Salus hodie domui huic facta eſt: quia & hic filius eſt Abrahæ. Vt ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, [d] præcedit antè imago ſacrificij Chriſti in pane & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem Spiritus ſanctus typum Dominici ſacrificij ante præmonſtrat immolatæ hoſtiæ & panis & vini, ſed & altaris & Apoſtolorum faciens mentionem: Sapientia, inquit, ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem. Mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & parauit menſam ſuam. Et miſit ſeruos ſuos, conuocans cum excelſa prædicatione ad cratera, dicens: Qui eſt inſipiens declinet ad me. & egentibus ſenſu dixit: Venite, edite de meis panibus & bibite vinum quod miſcui vobis. Vinum mixtum declarat, id eſt, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænunciat; vt appareat in paſſione Dominica id eſſe geſtum quod fuerat antè prædictum. In benedictione quoque Iudæ hoc idem ſignificatur, vbi & illic Chriſti figura exprimitur, quod à fratribus ſuis laudari & adorari haberet, quod inimicorum dorſa, cedentium atque fugientium, manibus quibus crucem pertulit & mortem vicit, compreſſurus fuiſſet; quodque ipſe ſit leo de tribu Iuda, & recubet dormiens in paſſione, & ſurgat, & ſit ipſe ſpes gentium, quibus ſcriptura diuina adiungit, & dicit: Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum. Quando autem ſanguis vuæ dicitur; quid aliud quàm vinum calicis Dominici ſanguinis oſtenditur? Nec non & apud Eſaiam hoc idem Spiritus ſanctus de Domini paſſione teſtatur, dicens; Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua; & indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni & percalcati? Numquid rubicunda veſtimenta aqua poteſt facere? aut in torculari aqua eſt, quæ pedibus calcatur, vel prælo exprimitur? Vini vtique mentio

ideò

a CIRCA SACRAMENTVM IN NOE HOC IDEM PRAEC.] Sic legitur in Veronenſi. Pamelius edidit: *circa ſacramentum Noe hoc idem præc.* In Corbeienſi legitur: *In Geneſi ſacramentum circa Noe hoc idem præcurriſſe.* RIG.

b NOE VINVM BIBENS IMAGINEM DOMINICAE PASSIONIS EXPRESSIT.] Valde indulſerunt ingenio ſuo Patres, vbicumque in Scripturis Panis & Vinum occurrit. *Idem.*

c MELCHISEDCH REX SALEM PROTVLIT PANEM ET VINVM.] Septuaginta Interpret. Geneſ. XIV. *καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον.* Editio Complut. *ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους*, quomodo etiam citauit Ambroſius, lib. I. de Abrahamo. *Et Melchiſedech rex Salem protulit ipſi panes & vinum.* Tertullianus autem apertiſſimè dixerat aduerſus Iud. *Melchiſedech ipſi Abrahæ reuertenti de prælio panem & vinum obtulit.* Ioſephus, τῷ Ἀβράμου στρατῷ, & pro pane & vino, πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων. Auctor Commentariorum in Geneſin, quæ tribuuntur Eucherio, lib. II nu 17. *Nec eſſe mirum ſi Melchiſedech victori Abraham proceſſerit obuiàm, & in refectione tam ipſius quàm pugnatorum eius panem vinumque protulerit.* Quæ autem in iiſdem Commentariis hac de hiſtoria ſequuntur, arguunt manum interpolatoris. Ioannes Mercerus & Hugo Grotius fatentur non improbabilem eſſe ſententiam exiſtimantium, factum hoc fuiſſe ſacrificio præcedente. *Idem.*

d PRAECEDIT ANTE IMAGO SACRIFICII CHRISTI.] Thomas Aquinas Hymno illo ſuo euchariſtico, qui ſanè eſt ingenioſiſſimè compoſitus vbi mentionem facit figuratam veteris Teſtamenti quibus præſignatum fuiſſe ait ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti in pane & vino, huiuſce ſacrificij Melchiſedeciani non meminit. Sed in Summæ ſuæ Theologicæ tertia parte potiſſimam huius ſacramenti figuram fuiſſe ait Melchiſedecum, qui obtulit panem & vinum. *Idem.*

ideò ponitur, vt Domini ſanguis intelligatur; & quod in calice Dominico poſteà manifeſta tum eſt, prophetis annunciantibus prædiceretur. Torcularis quoque calcatio & preſſura taxatur: quia quo modo ad porandum vinum veniri non poreſt, niſi botrus calcerur antè, & premarur: ſic nec nos ſanguinem Chriſti poſſemus bibere, niſi Chriſtus calcatus priùs fuiſſet & preſſus, & calicem prior biberet, in quo credentibus propinaret. Quotienſcúmque autem aqua ſola in ſcripturis ſanctis nominatur, baptiſma prædicatur, vt apud Eſaiam ſignificari videmus. Nolite, inquit, priora meminiſſe, & antiqua nolite reputare. Ecce ego facio noua, quæ nunc orientur, & cognoſcetis, & faciam in deſerto viam, & flumina in loco inaquoſo; adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquiſiui, vt virtutes meas exponeret. Prænunciauit illic per Prophetam Deus, quod apud gentes in locis, quæ inaquoſa priùs fuiſſent, flumina poſtmodum redundarent: & electum genus Dei, id eſt, per regenerationem baptiſmi filios Dei factos, adaquarent. Item denuò præcinitur, & antè prædicatur, Iudæos, ſi ſitierint, & Chriſtum quæſierint, apud nos eſſe potaturos, id eſt, baptiſmi gratiam conſecuturos. Si ſitierint, inquit, per deſerta adducet illos, aquam de petra producet illis; findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. Quod in Euangelio adimpletur, quando [a] Chriſtus qui eſt petra, finditur ictu lanciæ in paſſione: qui & admonens quid per Prophetam ſit antè prædictum, clamat & dicit: Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut ſcriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Atque vt magis poſſet eſſe manifeſtum, quia non de calice, ſed de baptiſmo illic loquitur Dominus, addidit ſcriptura, dicens: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, qui in eum credebant. Per baptiſma enim Spiritus ſanctus accipitur, & ſic à baptizatis, & Spiritum ſanctum conſecutis ad bibendum calicem Domini peruenitur. Neminem autem moueat, quod cum de Baptiſmo loquatur ſcriptura diuina, ſitire nos dicit & bibere, quando & Dominus in Euangelio dicat: Beati eſurientes & ſitientes iuſtitiam; quia quod auida & ſitienti cupiditate ſuſcipitur, pleniùs & vberiùs hauritur. Sicut & alio loco ad Samaritanam mulierem Dominus loquitur, dicens: Omnis qui biberit ex aqua iſta, ſitiet iterùm: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non ſitiet in æternum. Quo & ipſum baptiſma ſalutaris aquæ ſignificatur, quod ſemel ſcilicet ſumitur, nec rurſus iteratur: cæterùm calix Domini in Eccleſia ſemper & ſititur & bibitur. Nec argumentis plurimis opus eſt, frater chariſſime, vt probemus appellatione aquæ baptiſma ſignificatum ſemper eſſe, & ſic nos intelligere debere; quando Dominus adueniens Baptiſmi & Calicis manifeſtauerit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præceperit credentibus in Baptiſmo dari; calicem verò docuerit exemplo magiſterij ſui, vini & aquæ coniunctioni miſceri. [b] Calicem etenim, [c] ſub die paſſionis accipiens; benedixit, & dedit diſcipulis ſuis dicens: Bibite ex hoc omnes: [d] hic eſt enim ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico vobis, non bibam à modo ex iſta creatura vitis, vſque in diem illum, quo vobiſcum bibam nouum vinum in regno patris mei. Qua in parte inuenimus calicem mixtum fuiſſe quem Dominus obtulit, & vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit. Vnde apparet ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici; nec ſacrificium Domini cum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio & ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni. Quo modo autem de creatura vitis nouum vinum cum Chriſto in regno patris bibemus, ſi in ſacrificio Dei patris & Chriſti vinum non offerimus, nec calicem Domini dominica traditione miſcemus? Beatus quoque Apoſtolus Paulus à Domino electus & miſſus, & prædicator veritatis Euangelicæ conſtitutus, hæc eadem in Epiſtola ſua ponit, dicens: Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Simili modo & calicem poſtquam cœnatum eſt accepit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque biberitis in meam commemorationem: quotieſcumque enim ederitis panem iſtum & calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis quoadusque veniat. Quod ſi & à Domino præcipitur, & ab Apoſtolo eius hoc idem confirmatur & traditur, vt quotienſcumque biberimus in commemorationem Domini, hoc faciamus, quod fecit & Dominus; inuenimus non obſeruari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miſcentes à diuino magiſterio non recedamus. Ab Euangelicis au-

tem

a CHRISTVS QVI EST PETRA.] Super quam ædificauit Eccleſiam ſuam Chriſtus. Et tamen pleriſque locis Cyprianus quæ de petra dicuntur transtulit ad Simonem, cui Chriſtus ob rectum de filio Dei effatum, nomen fecit Petro. R I O.

b *Calicem enim ſub die Paſſionis accipiens.* Hæc expreſsè non habentur apud vnum ex Euangeliſtis, ſed ex omnibus id colligitur, etſi enim à Chriſto Domino & Apoſtolis conſecrationis verba promanarint, pleraque tamen ex traditione prouenerunt, vt plures eruditi autumant. P R I.

SVB DIE PASSIONIS.] Paulus, *In qua nocte tradebatur.* Infrà Epiſt. LXV. *ſub ictu paſſionis.* R I O

d *Hic eſt enim ſanguis.* lib. N. F. hoc eſt enim. *Idem.*

e QVOD PRO VOBIS TRADITVR) In Beneuentano & Veronenſi & in Vaticanis legitur, *quod pro vobis eſt.* *Idem.*

tem præceptis omninò recedendum non eſſe, & eadem quæ magiſter docuit & fecit, diſcipulos quoque obſeruare & facere debere, conſtantiùs & fortiùs alio in loco beatus Apoſtolus docet, dicens: Miror quòd ſic tam citò demutamini ab eo qui vos vocauit ad gratiam, ad aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos turbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos aut Angelus de cælo aliter annunciet, præterquam quod annuntiauimus vobis, anathema ſit. Cùm ergo neque ipſe Apoſtolus, neque Angelus de cælo annunciare poſſit aliter aut decore, præterquàm quod ſemel Chriſtus docuit, & Apoſtoli eius annunciauerunt; miror ſatis vnde hoc vſurpatum ſit, vt contra Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam quibuſdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ ſola Chriſti ſanguinem non poſſit exprimere. Cuius rei ſacramentum nec in Pſalmis tacet Spiritus ſanctus, faciens mentionem Dominici calicis, & dicens: Calix tuus inebrians quàm peroptimus: calix autem qui inebriat, vtique vino mixtus eſt. neque enim aqua inebriare quemquam poteſt. Sic autem calix Dominicus inebriat, vt Noe in Geneſi vinum bibens inebriatus eſt. Sed quia ebrietas Dominici calicis & ſanguinis non eſt talis, qualis ebrietas vini ſæcularis, cùm diceret Spiritus ſanctus in pſalmo: Calix tuus inebrians: addidit, quàm peroptimus, quod ſcilicet calix Dominicus ſic bibentes inebriet, vt ſobrios faciat, vt mentes ad ſpiritalem ſapientiam redigat, vt [a] à ſapore iſto ſæculari [b] ad intellectum Dei vnuſquiſque reſipiſcat: & quemadmodum [c] vino iſto communi mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis exponitur; [d] ita epoto ſanguine Domini & poculo ſalutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuerſationis priſtinæ ſæcularis, & mœſtum pectus ac triſte, quod priùs [e] peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia reſoluatur, quod tunc demum poteſt lætificare in Eccleſia Domini bibentem, ſi quod bibitur Dominicam teneat veritatem. Quàm verò peruerſum eſt, quamque contrarium, vt cùm Dominus in nuptiis de aqua vinum fecerit, nos de vino aquam faciamus: cùm ſacramentum quoque rei illius admonere & inſtruere nos debeat, vt in ſacrificiis Dominicis vinum potiùs offeramus. Nam quia apud Iudæos defecerat gratia ſpiritalis, defecit & vinum: vinea enim Domini ſabaoth domus erat Iſraël; Chriſtus autem docens & oſtendens gentium populum ſuccedere, & in locum quem Iudæi perdiderant, nos poſtmodum merito fidei peruenire, de aqua vinum fecit, id eſt, quod ad nuptias Chriſti & Eccleſiæ, Iudæis ceſſantibus, plebs magis gentium conflueret, & conueniret, oſtendit. Aquas namque populos ſignificare, in Apocalypſi ſcriptura diuina declarat, dicens: Aquæ quas vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes ethnicorum ſunt & linguæ. Quod ſcilicet perſpicimus & in ſacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat; videmus in aqua populum intelligi, [f] in vino verò oſtendit ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt commixtio illa non poſſit ab inuicem ſeparari. Vnde Eccleſiam, id eſt, plebem in Eccleſia conſtitutam fideliter & firmiter in eo quod credidit, perſeuerantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto, quò minus hæreat ſemper & maneat indiuidua dilectio. Sic autem in ſacrificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto: quando autem vtrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cæleſte perficitur. Sic verò, calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur, quo modo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi vtrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage ſolidatum. Quo & ipſo ſacramento populus noſter oſtenditur adunatus, vt quemadmodum grana multa in vnum collecta, & commolita, & commixta, panem vnum faciunt: ſic in Chriſto qui eſt panis cæleſtis, vnum ſciamus eſſe corpus, cui coniunctus ſit noſter numerus & adunatus. Non eſt ergo frater chariſſime, quod aliquis exiſtimet ſequendam eſſe quorumdam conſuetudinem, ſi qui in præteritum in calice Dominico aquam ſolam offerendam putauerint: quærendum eſt enim, ipſi

quem

a A SAPORE ISTO SECVLARI.) Saporem vini communis & profani dicit eſſe ſaporem ſecularem, cui opponit intellectum diuinum, vt iam non vinum ſed ſanguis Domini intelligatur. R I o.

b AD INTELLECTVM DEI VNVSQVISQVE RESIPISCAT.) In Veronenſi: *reſpiciat.* *Idem*

c VINO ISTO COMMVNI MENS SOLVITVR.] Vinum commune dicit quod nondum eſt ſacrificatum ſiue conſecratum in ſanguinem Chriſti. itaque mox vino iſto communi, opponet ſanguinem Domini. jam non vocat vinum, ſed ſanguinem. *Idem.*

d ITA EPOTO SANG D.] In Beneuentano & Veronenſi: ita & poto ſang. D *Idem.*

e PECCATIS ANGENTIBVS PREMEBATVR.) Sic ſuprà Epiſt. LVI. dixit: *Preſſuris angentibus frequenter vrgeri* *Idem.*

f IN VINO VERO OSTENDIT SANGVINEM CHRISTI.) Suprà, hac epiſt. *Vinum quo Chriſti ſanguis oſtenditur.* Et hìc paulò pòſt, vbi de aqua: *Quo & ipſo ſacramento populus oſtenditur adunatus.* Oſtenditur, eo ſenſu quo dixit hoc ipſo loco: *videmus in aqua populum intelligi.* Videatur Epiſt. LXXVI. *Idem.*

quem ſint ſecuti. Nam ſi [a] in ſacrificio quod Chriſtus obtulerit, [b] non niſi Chriſtus ſequendus eſt: vtique id nos obaudire & facere oportet, quòd Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit; quando ipſe in Euangelio dicat: Si feceritis quod mando vobis, iam non dico vos ſeruos, ſed amicos. Et quod Chriſtus debeat ſolus audiri, pariter etiam de cælo conteſtatur, dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus in quo benè ſenſi, ipſum audite. Quare ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putauerit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus, prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem; cùm per Iſaiam prophetam Deus loquatur & dicat: Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes; Et iterùm Dominus in Euangelio hoc idem repetat, dicens: Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Sed & alio in loco ponit & dicit: Qui ſoluerit vnum ex mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Quod ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſoluere; quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipſum Dominicæ paſſionis & noſtræ redemptionis ſacramentum pertinentia, fas non eſt infringere, aut in aliud, quàm quod diuinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare? Nam ſi Ieſus Chriſtus, Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris; & ſacrificium patri ſe ipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: vtique ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Cæterùm omnis religionis & veritatis diſciplina ſubuertitur, [c] niſi id quod ſpiritaliter præcipitur, & fideliter reſeruetur. niſi ſi [d] in ſacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne [e] per ſaporem vini redoleat ſanguinem Chriſti. Sic ergo incipit & à paſſione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari; dum in oblationibus diſcit de ſanguine eius & cruore confundi. Porrò autem Dominus in Euangelio dicit: Qui confuſus me fuerit, confundetur eum filius hominis. Et Apoſtolus quoque loquitur dicens: Si hominibus placerem; Chriſti ſeruus non eſſem. Quomodo autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere? An illa ſibi aliquis contemplatione blanditur, quod etſi manè aqua ſola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus: Sed cum cœnamus, ad conuiuium noſtrum plebem conuocare non poſſumus, vt [f] ſacramenti veritatem fraternitate omni præſente celebremus. [g] At enim non manè, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus, vt ſic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus. Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, vt hora ipſa ſacrificij oſtenderet occaſum & veſperam mundi, ſicut in Exodo ſcriptum eſt: & occident illum omne vulgus ſynagogæ filiorum Iſraël ad veſperam. Et iterùm in Pſalmis: Alleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Nos autem reſurrectionem Domini mane celebramus. Et quia paſſionis eius mentionem in ſacrificiis omnibus facimus (paſſio eſt enim Domini, ſacrificium quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotienſcumque enim ederitis panem iſtum, & calicem iſtum biberitis, mortem Domini annunciabitis quoadusque veniat. Quotieſcumque ergo calicem in commemorationem Domini & paſſionis eius offerimus, id quod conſtat

a IN SACRIFICIO QVOD CHRISTVS OBTVLIT. In ſacrificio Chriſtus ſemetipſum obtulit Patri: in ſacrificii ſui ſacramento panem & vinum corpus ſuum fecit, dediteque diſcipulis ſuis cœnantibus. RIG.

b NON-NISI CHRISTVS SEQVENDVS EST. SOLVS CHRISTVS AVDIENDVS EST. Tutiſſima traditionum cuſtodiendarum regula, quam Cyprianus inculcat locis hac Epiſtola pleriſque; Iam initio quidem ſic ait: *Neque aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit* Et hoc ipſo loco: *Noſtra redemptionis ſacramentum fas non eſt infringere, aut in aliud quàm quod diuinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare.* Et: *Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.* Attamen idem ipſe Cyprianus, hac ipſiſſima Epiſtola dicet: *At enim non mane, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus: Numquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus?* Tertulliani de Corona liber aduerſus Pſyckicos & Gnoſticos ſcriptus eſt. Horum illud erat: etiam in traditionis obtentu exigendam eſſe auctoritatem ſcriptam. Itaque aduerſus iſtos hoc tractare incipit, plurimas traditiones abſque auctoritate ſcripta, & circa Baptiſma, & circa Euchariſtiam, receptas fuiſſe, quibus deberi obſequium fatetur. Sic opinioni & cauſæ ſuæ quiſque velificat. *Idem.*

c NISI ID QVOD SPIRITALITER.) In Vaticano legitur, ſpecialiter præcipitur, & fideliter obſeruetur. *Idem.*

d IN SACRIFICIIS MATVTINIS.) Tertullianus, *etiam antelucanis cœtibus.* Horis antelucanis euchariſtiam celebrabant, quia ſi diſtuliſſent in cœnæ tempus plebs ad conuiuium conuocari non potuiſſet. Hoc innuunt in Cypriano ſequentia paullò poſt. Tertullianus autem cùm ait, *etiam antelucanis cœtibus*, euchariſtiam celebrari, fatetur etiam in tempore victus celebratam fuiſſe. *Idem.*

c PER SAPOREM VINI REDOLEAT SANGVINEM CHRISTI.) Poſteaquam ſcilicet vino ſacrato, ſiue ſanctificato, factus eſt ſanguis Chriſti. *Idem.*

f SACRAMENTI VERITATEM.) Calicem mixtum & fraternitate omni præſente. vt ſic verè obſeruemus omnia quæ Chriſtus tradidit, offerendo calicem mixtum, & in tempore victus, & fraternitate omni præſente. *Idem.*

g AT ENIM NON MANE SED POST COENAM MIXTVM CALICEM OBTVLIT DOM. NVMQVID ERGO DOMINICVM POST COENAM CELEBRARE DEB.) Suprà dixit, nefas eſſe ad ipſum Dominicæ ordinationis ſacramentum pertinentia infringere, aut in aliud quàm quod diuinitùs inſtitutum ſit humana traditione mutare. hic verò cauſas & rationes ingenioſè comminiſcitur, cur Dominicum poſt cœnam celebrare non debeamus, etſi poſt cœnam Dominus inſtituerit. Dicet aliquis, cauſas ſiue rationes quas Cyprianus adfert eſſe ſpiritales atque diuinas; nempe, Chriſtum memoriam paſſionis ſuæ ad veſperam diei contigit inſtituiſſe poſt veſperam: nos autem reſurrectionem Domini matutino tempore ab ipſo Domino patratam mane celebrare, ac proinde quod diuinitùs inſtitutum fuit, non videri humana traditione ſiue præſumptione mutatum. Æuo iam Tertulliani mutatum aliquid circa hoc ſacramentum fuiſſe colligitur, & non ſolùm veſpere, in tempore victus, ſed etiam horis antelucanis, ſacramentum corporis Chriſti celebratum fuiſſe arguunt hæc verba, lib. de Corona: *Euchariſtia ſacramentum in tempore victus mandatum à Domino, etiam antelucanis horis ſu.*

conſtat Dominum feciſſe,faciamus. Et viderit,frater chariſſime [a] ſi quis de anteceſſoribus noſtris,vel ignoranter,vel ſimpliciter non hoc obſeruauit & tenuit,quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit; poteſt ſimplicitati eius de indulgentia Domini venia concedi, nobis verò non poterit ignoſci qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus,vt calicem Dominicum vino mixtum,ſecundùm quod Dominus obtulit,offeramus. Et de hoc quoque ad collegas noſtros litteras dirigamus,vt vbique ex Euangelica & traditio Dominica ſeruetur, & ab eo quod Chriſtus & docuit & fecit, non recedatur. Quæ vltrà iam contemnere, & in errore priſtino perſeuerare, quid aliud eſt quàm incurrere in obiurgationem Domini increpantis in Pſalmo & dicentis: Ad quid exponis iuſtificationes meas; & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & abieciſti ſermones meos retrò. Si videbas furem, concurrebas ei, & inter mœchos particulam tuam ponebas. Exponere enim iuſtificationes & teſtamentum Domini, & non hoc idem facere quod fecerit Dominus; quid aliud eſt, quàm ſermones eius abiicere, & diſciplinam Dominicam contemnere, nec terrena, ſed ſpiritalia furta & adulteria committere; dum quis de Euangelica veritate furatur Domini noſtri verba & facta, corrumpit atque adulterat præcepta diuina? Sicut apud Hieremiam ſcriptum eſt: Quid eſt, inquit paleis ad triticum? propter hoc ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea vnuſquiſque à proximo ſuo, & ſeducunt populum meum in mendaciis ſuis, & in erroribus ſuis. Item apud eumdem alio loco. Et mœchata eſt, inquit, in lignum & lapidem; & in his omnibus, non eſt reuerſa ad me. Quod furtum & adulterium ne in nos etiam cadat, cauere ſollicitè & timidè, ac religioſè obſeruare debemus. Nam ſi ſacerdotes Dei & Chriſti ſumus, non inuenio quem magis ſequi quàm Deum & Chriſtum debeamus; quando ipſe in Euangelio maximè dicat: Ego ſum lumen ſæculi. Qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ne ergo in tenebris ambulemus, Chriſtum ſequi & præcepta eius obſeruare debemus; quia & ipſe in alio loco mittens Apoſtolos, dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ite ergo & docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia quæcumque præcepi vobis. Quare ſi in lumine Chriſti ambulare voluimus,à præceptis & monitis eius non recedamus; agentes gratias, quod dum inſtruit in futurum quid facere debeamus, de præterito ignoſcit quod ſimpliciter errauimus. Et quia iam [b] ſecundus eius aduentus nobis appropinquat; magis ac magis benigna eius & larga dignatio corda noſtra luce veritatis illuminat. Religioni igitur noſtræ congruit & timori, & ipſi loco atque officio ſacerdotij noſtri, frater chariſſime, in Dominico calice miſcendo, & offerendo cuſtodire [c] traditionis Dominicæ veritatem; & quod priùs apud quoſdam videtur erratum, Domino monente corrigere: vt cum in claritate ſua & maieſtate cæleſti venire cœperit, inueniat nos tenere quod monuit, obſeruare quod docuit, facere quod fecit. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

ris ſumimus Nondum tamen humana præſumptio ſic inualuerat, vt non etiam in tempore victus ſumeretur. Sed paulò poſt omninò inualuiſſe manifeſtum eſt ex his quæ tradit hac Epiſtola Cyprianus. Immò placuiſſe Spiritui ſancto ait Auguſtinus, nec propter eas quas Cyprianus attulit rationes, ſed vt in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm ceteri cibi. nam ideò, inquit, per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Et tamen idem obſeruat, nonnullos probabili quadam ratione delectari, vt vno certo die per annum quo ipſam cœnam Dominus dedit, tamquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat corpus & ſanguinem Domini. Deinde diſputationem ſuam vir ſanctiſſimus quaſi dubius & incertus ita concludit: *Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus.* Habetur autem ea diſputatio Epiſtola CXVIII. vbi hoc etiam obſeruare eſt, eo die quo ipſam cœnam Dominus dedit, propè omnes in pleriſque locis lauaſſe. itaque addit Aug. *Et quia nonnulli etiam ieiunium cuſtodiunt, manè offertur propter prandentes, quia ieiunia ſimul & lauacra tolerare non poſſunt: ad veſperam verò, propter ieiunantes.* RIG.

a SI QVIS SIMPLICITER NON HOC OBSERVAVIT.) Sic infrà, ſub finem epiſtolæ, dicet: *quod ſimpliciter errauimus. Idem.*

b SECVNDVS EIVS ADVENTVS APPROPINQVAT.) Suprà dixit, Occaſum ſeculi. Epiſt. LVI. *Idem.*

c TRADITIONIS DOMINICAE VERITATEM.) Suprà dixit *ſacramenti veritatem. Idem.*

AD EPICTETVM ET PLEBEM ASSVRITANORVM [a] DE Fortunatiano quondam eorum Epiſcopo.

CYPRIANVS [b] EPICTETO FRATRI ET PLEBI ASSVRAS conſiſtenti, Salutem.

GRAVITER & dolenter motus ſum, fratres chariſſimi, quod cognouerim, LXIV.
[b] Fortunatianum quondam apud vos Epiſcopum, poſt grauem lapſum ruinæ ſuæ, pro integro nunc agere velle, & Epiſcopatum ſibi vindicare cœpiſſe: quæ res contriſtauit me, primò propter ipſum, qui miſer, vel diaboli tenebris in totum excæcatus, vel quorumdam ſacrilega perſuaſione deceptus (cum debeat ſatisfacere, & ad Dominum exorandum, diebus ac noctibus, lacrymis &

a FORTVNATIANO QVONDAM EOR. EP.) In Corbeïenſi, Fortunato quondam Epiſcopo eorum. RIG.

b *Epicteto.* Fuiſſe hunc epiſcopum Aſſuritanum, veriſimile eſt; quandoquidem autem in Synodo ſententiam dixit alius Aſſuritanus epiſcopus, Victor nomine, aut defunctus fuit Epictetus ante Synodum, aut Victori ſucceſſit, ſed prius ſit mihi magis veriſimile. PAM.

b FORTVNATIANVM.) Corb. Fortunatum, & ſic in ſeq. RIG.

b *Fortunatianum quondam apud vos Epiſcopum.* Fuerat

orationibus, & precibus incumbere) audet ſibi adhuc ſacerdotium quod prodidit, vindicare; quaſi poſt aras diaboli accedere ad altare Dei fas ſit? aut non maiorem in ſe iram & indignationem Domini in die iudicij prouocet; qui cùm fidei, & virtutis dux fratribus eſſe non potuerit, perfidiæ, & audaciæ, & temeritatis magiſter exiſtat; & qui non docuit fratres in prælio fortitèr ſtare, doceat eos, qui victi & proſtrati ſunt, nec rogare. Cùm Dominus dicat: Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia, ſuper hæc omnia ergo non indignabor? dicit Dominus. Et alio loco: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Item Dominus denuò loquitur & dicit: Adorauerunt eos, quos fecerunt digiti eorum, & curuatus eſt homo, & humliatus eſt vir, & [a] non laxabo illis. In Apocalypſi quoque legimus iram Domini comminantis & dicentis: Si quis adorat beſtiam & imaginem eius, & accipit notam in fronte ſua & in manu, bibet & ipſe de vino iræ Dei, mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum Angelorum, & ſub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in ſæcula ſæculorum aſcendet; nec habebunt requiem die ac nocte, qui adorant beſtiam & imaginem eius. Cum ergo hæc tormenta, hæc ſupplicia in die iudicij Dominus comminetur iis, qui diabolo obtemperant, & idolis ſacrificant: quo modo ſe putat poſſe agere pro Dei ſacerdote, qui obtemperauit & ſeruiuit diaboli ſacerdotibus? aut quo modo putat manum ſuam transferri poſſe [b] ad Dei ſacrificium & precem Domini, quæ captiua fuerit ſacrilegio & crimini? quando in ſcripturis diuinis Deus ad ſacrificium prohibeat accedere ſacerdotes etiam in leuiori crimine conſtitutos, & in Leuitico dicat: Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedet offerre dona Deo. Item in Exodo: Et ſacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum ſanctificentur, ne fortè derelinquat illos Dominus: & iterùm. [c] Et cum accedunt miniſtrare ad ſanctum, non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Qui ergo grauia in ſe delicta adduxerunt, id eſt, qui idolis ſacrificando ſacrilega ſacrificia fecerunt, ſacerdotium Dei ſibi vindicare non poſſunt, nec vllam in conſpectu eius precem pro fratribus facere; quando in Euangelio ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit, ſed ſi qui Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Quamuis ſic quorumdam pectora tenebrarum ingruentium profunda caligo cæcauerit, vt de præceptis ſalubribus nihil lucis admittant, ſed ſemel à recto limite veri itineris auerſi, per præceps, & abruptum criminum ſuorum nocte atque errore rapiantur. Nec mirum, ſi conſilia noſtra aut Domini præcepta nunc abnuunt, qui Dominum negauerunt. [d] Stipes & oblationes & lucra deſiderant, quibus priùs inſatiabiles incubabant, & cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quarum crapulam nuper [e] ſuperſtite in dies cruditate ructabant; nunc manifeſtiſſimè comprobantes, nec ante ſe religioni, ſed ventri potiùs & quæſtui profana cupiditate ſeruiſſe. Vnde & ipſam veniſſe perſpicimus, & credimus de Dei exploratione cenſuram, ne apud altare conſiſtere & contrectare vlteriùs perſeuerarent, pudorem inceſti, fidem perfidi, religionem profani, diuina terreni, ſancta ſacrilegi. Quod ne tales ad altaris impiamenta, & contagia fratrum denuò redeant, omnibus viribus excubandum eſt, vt quantum poſſumus ab hac eos ſui ſceleris audacia retundamus; ne adhuc agere pro ſacerdote conentur, qui ad mortis extrema deiecti, [f] vltra lapſos laicos ruinæ maioris pondere proruerunt. Si verò apud inſanos furor inſanabilis perſeuerauerit, & recedente Spiritu ſancto, quæ cœpit cœcitas in ſua nocte permanſerit; conſilium nobis erit ſingulos fratres ab eorum fallacia ſeparare; & ne quis in laqueos erroris incurrat, ab eorum contagione ſecernere; quando nec [g] oblatio ſanctificari illic poſſit, vbi Spiritus ſanctus non ſit, nec cuiquam Dominus per eius orationes & preces proſit, qui Dominum ipſe violauit. Quod ſi Fortunatianus aut immemor criminis ſui per diaboli cæcitatem, aut miniſter & ſeruus diaboli factus ad decipiendam fraternitatem in hoc ſuo furore permanſerit: vos quantum poteſtis elaborate, & in hac caligine diaboli ſæuientis fratrum mentes ab errore reuocate; ne alienæ dementiæ facilè conſentiant, ne ſe

quidem Fortunatianus illorum Epiſcopus, ſed quod lapſus eſſet, iam Epiſcopatu priuatus; fuiſſe autem eum & factionis Nouatiani ex ſequentib. conſtat PAM.

a NON LAXABO ILLIS.) Manebunt ligati, non remittetur eis, non abſoluentur. RIG.

b AD DEI SACRIFICIVM ET PRECEM DO.) Corb. ad ſacrificium & precem Domini. *Idem.*

c ET CVM ACCEDVNT MINISTRARE AD SANCTVM.) Sic legitur in Veronenſi, rectiſſimè. Pamelius edidit, *miniſtrare ad altare ſancti.* In Corbeïenſi legitur, *ſanctum. Idem.*

d STIPES ET OBLATIONES ET LVCRA DESIDERANT.) Itaque iam Cypriani ſeculo mali ſacerdotes quæſtum ſiue capturam ex oblationibus fidelium vſurpauerant. Auguſt lib. IIII. de baptiſmo, contra Don. Hanc verò luem fœdiſſimam poſteros inuaſiſſe apertiſſimè conqueſtus eſt Sulpitius Seuerus, Hiſt. I. Sedentes, inquit, munera expectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quaſi venalem præferunt ſanctitatem. *Idem.*

e SVPERSTITE IN DIES CRVDITATE. Eleganter dicit ſuperſtitem cruditatem, quæ de pridiana crapula reſtabat. Eodem ſenſu dixerat Tertullianus, *cruditare ortygometras. Idem.*

f VLTRA LAPSOS LAICOS Veram Cypriani manum ſeruaſſe videtur codex Corbeïenſis: vltra lapſus laïcos ruinæ maioris pondere deruerunt. *Idem.*

g OBLATIO SANCTIFICARI. Sanctificatur oblatio, cùm ſit Corpus Chriſti, quod abſolutè Sanctum dicitur. Obſeruauimus apud Tertul. lib. de Oratione. *Ex ore quo Amen in Sanctum protuleris.* Et lib. de præſcr. hæreticor. Ne Sanctum canibus iactaret. Poſteà verò inualuit pro ſanctificatione dici conſecrationem, vulgo ſic exiſtimante ſacrandi vocabulo aliquid ſignificari ſanctificatione præſtantius. *Idem.*

g QVANDO NEC OBLATIO SANCTIFICARI ILLIC POSSIT. Sententiæ Cypriani Pamelius opponit ſententiam Auguſtini ſtatuentis, Sacramenta ab impiis & ſceleratis epiſcopis ſiue preſbyteris miniſtrata, imò & baptiſmata ab hæreticis collata, valere. Tract. V. in Ioan. & lib. VI. & VII. contra Donatiſtas. Quæ res indiget diſtinctione facti in controuerſiam deducti. Nam hoc loco Cyptia-

ne ſe deſperatorum delictis participes faciant,ᵃ ſed teneant integri ſalutis ſuæ & integritatis conſeruatæ à ſe & cuſtoditæ perpetuum vigorem. Lapſi verò magnitudinem delicti ſui cognoſcentes à deprecando Domino non recedant, nec Eccleſiam Catholicam (quæ vna & ſola eſt à Domino conſtituta) derelinquant; ſed ſatisfactionibus immorantes, & Domini miſericordiam deprecantes ad Eccleſiam pulſent, vt recipi illuc poſſint, vbi fuerunt, & ad Chriſtum redeant, à quo receſſerunt. Nec audiant eos qui ſe fallaci & mortali circumuentione decipiunt, cùm ſcriptum ſit: Nemo vos decipiat inanibus verbis; propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ: Nolite ergo eſſe participes eorum. Ergo contumaces, & Deum non timentes, & ab Eccleſia in totum recedentes, nemo comitetur. Quod ſi quis impatiens fuerit ad deprecandum Dominum, qui offenſus eſt, & nobis obtemperare noluerit, ſed deſperatos & perditos ſecutus fuerit: ſibi imputabit cùm iudicij dies venerit. Quomodo enim deprecari in die illo Dominum poterit, qui & ante hoc Chriſtum, & nunc quoque Eccleſiam Chriſti negauit: & Epiſcopis ſanis & integris & viuentibus non obtemperans, comitem ſe & participem morientibus præbuit? Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

AD

nus agit de Fortunatiano quondam Aſſurarum epiſcopo, qui per idololatriam exciderat fide, adeóque epiſcopatu, ſacerdotio, eccleſia, nec iam Chriſtianus, nedum presbyter aut ſacerdos, nedum epiſcopus cenſebatur. Ac pro diſciplina quæ Cypriani tempore vigebat, ſi pœnitentiæ tempus impetraſſet; eo peracto, poſt ſatisfactionem legitimam poterat quidem recipi ad communicationem Chriſtianam, minimè autem ad epiſcopatum, neque ad vllius in eccleſia ſacerdotij gradum. reddebatur eccleſia lapſo, non locus, non gradus. nam locum ſiue gradum perdiderat. itaque ad plebem, ſiue ad laïcos ſic retrahebatur, vt penes eum nullus remaneret ſacerdotij character, neque poteſtas. In huiuſcemodi autem idololatriæ cauſa, Cyprianus Fortunatianum, ab idololatra ſchiſmaticum, qui non impetrata pœnitentia gradum ſibi epiſcopalem vindicabat, ac plebeculam ſuperbè & contumaciter collegerat, oblationes vllas ſiue orationes ſiue preces ſanctificare negat potuiſſe. Quia ſcilicet extra eccleſiam ſic erat, vt iam non pertineret ad Chriſtum, quem idolis ſacrificando, negauerat. deraſerat characterem Chriſti, ſuperducto charactere Iouis antichriſti. Ab eadem diſciplina venit quòd ab hæreticis baptiſatos idem Cyprianus baptiſma Chriſti ſuſcepiſſe negat. Ait enim tales ſacramentorum miniſtros extra Eccleſiam miniſtrantes, nihil miniſtrare, hoc nimirùm argumento, quòd cùm Eccleſia ſit vna, in illa vna qui non ſint, in nulla ſint, nec aptitudinem habeant vllam, qua poſſint ab illa vna quid accipere, quod acceptum communicent aut conferant. Talia dogmata, æuo poteſtatum ſecularium vexationibus & miniſtrorum Eccleſiæ factionibus afflictiſſimo, ſtabilire ac ſancire viſum Cypriano, cæteriſque per Africam, Numidiam ac Mauritaniam coepiſcopis presbyteris & diaconis, quò ſibi populum facerent fidei Chriſtianæ magis tenacem, miniſtróſque haberent pacis & vnitatis Eccleſiaſticæ magis amantes. Hic ergo fuit ſcopus, in quem ſanctiſſimi Patres omnia tunc Scripturarum ingenia contorsère. Proxima dein illis ætas, vt vel meliores ethnicos habuit, hoc eſt nomini Chriſtiano minùs infeſtos, vel miniſtros eccleſiæ ſortita eſt meliores, laxari diſciplina cœpit, paulatímque argumentandi ſubtilitas acui ſtudioſa nominis Catholici. Itaque ſub Auguſtino placuit humanior ſententia, quæ longè diuerſam ab idololatris cauſam conſtituit hæreticorum ſiue ſchiſmaticorum. Nam ab catholico ſenſu recedentes, ab Eccleſia quidem præciſi dicebantur, ſed in eo tamen ſtatu, vt ſi facta pace ad catholicam redirent, quaſi poſtliminii iure, nunquam abſceſſiſſe fingerentur, & ſic priſtinum reciperent in Eccleſia locum: cuius Eccleſiæ caput, nempe Chriſtum non negauerant, quemadmodum idololatræ: proptereáque & baptiſmata, quæ in ſchiſmate miniſtrauerant, non fiebant irrita. Hinc igitur illa Auguſtini. *Concedo ſceleratos eſſe hæreticos. Sed hæretici baptiſma Chriſti dederunt.* Et: *Sic ergo quos baptiſauit ebrioſus, quos baptiſauit homicida, quos baptiſauit adulter, ſi baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptiſauit.* Et: *Quod ſacramentum tam ſanctum eſt, vt nec homicida miniſtrante polluatur.* Idem Auguſtinus Epiſt. CLXVI. citat in hanc ſententiam ſuam verba Conſtantini. *Attendite*, inquit, *quid habeant verba Principis: Nam ſi in eis qui primò initiati ſunt, idcircò religio baptiſmatis iudicatur infirma, quòd ij à quibus accipitur, peccatores putentur, toties renouari neceſſe erit traditum ſacramentum, quoties indignus fuerit inuentus collati baptiſmatis adminiſtrator, & fides noſtra non ex noſtra voluntatis arbitrio, neque ex diuini muneris gratia, ſed ex meritis ſacerdotum & clericorum qualitate pendebit.* RIG.

a SED TENEANT INTEGRI SAL. S. ET INTEG.] Hæc ſcriptura eſt codicis Corb. quæ rectiſſima videtur. *Idem.*

QVAE VNA ET SOLA EST A DOMINO CONSTITVTA.] In Ver. *conſecrata.*

AD ROGATIANVM EPISCOPVM DE SVPERBO Diacono.

CYPRIANVS ROGATIANO FRATRI, SALVTEM.

GRAVITER & dolenter commoti ſumus ego & collegæ qui præſentes aderant frater chariſſime, lectis litteris tuis, quibus de Diacono tuo conqueſtus es, quod immemor ſacerdotalis loci tui, & officij ac miniſterij ſui oblitus, contumeliis & iniuriis ſuis te exacerbauerit. Et tu quidem honorificè circa nos & pro ſolita tua humilitate feciſti, vt malles de eo nobis conqueri, cùm ᵃ pro Epiſcopatus vigore & cathedræ auctoritate haberes poteſtatem, qua poſſes de illo ſtatim vindicari; certus quòd collegæ tui omnes gratum haberemus quodcumque circa Diaconum tuum contumelioſum ſacerdotali poteſtate feciſſes, habens circa huiuſmodi homines præcepta diuina, cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat: Et homo quicumque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cùm audierit, timebit: & non agent impiè etiam nunc. Et vt ſciamus hanc Dei vocem cum vera & ſumma maieſtate LXV.

ſtate

a PRO EPISCOPATVS VIGORE ET CATHEDRAE AVCTORITATE HABERES POTESTATEM] Hac Epiſtola Cyprianus conſilium Rogatiano dare videtur, quod ipſe præcedentibus Epiſtolis noluit ſibi ſumere. Nam ad presbyteros & diaconos ſuos Epiſtola quinta ſic ait: *Ad id verò quod ſcripſerunt nobis compresbyteri noſtri ſolus reſcribere nihil potui, quando à principio epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro & ſine conſenſu plebis mea priuatim ſententia gerere.* & ne Lectorem quidem vel hypodiaconum ordinauerit abſque communi conſilio

ſtate proceſſiſſe ad honorandos ac vindicandos ſacerdotes ſuos, cùm aduerſus Aaron ſacerdotem tres de miniſtris, Chore, & Datham, & Abiron auſi ſunt [a] ſuperbiſſe, & ceruicem ſuam extollere, & ſacerdoti præpoſito ſe adæquare, hiatu terræ abſorpti ac deuorati, pœnas ſtatim ſacrilegæ audaciæ perſoluerunt. Nec ſoli illi, ſed & cæteri ducenti quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt prorumpente à Domino igne conſumpti ſunt; vt probaretur, ſacerdotes Dei ab eo qui ſacerdotes facit vindicari. In libro quoque Regum, cùm Samuel ſacerdos à Iudæorum populo ob ſenectutem, ſicut tu modò, contemneretur exclamauit iratus Dominus, & dixit: Non te ſpreuerunt, ſed me ſpreuerunt. Et vt hoc vlciſceretur excitauit eis Saül Regem, qui eos iniuriis grauibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas ſuperbum populum calcaret & premeret, vt contemptus ſacerdos de ſuperbo populo vltione diuina vindicaretur. Sed & Salomon in Spiritu ſancto conſtitutus teſtatur & docet, quæ ſit ſacerdotalis auctoritas & poteſtas dicens: Ex tota anima tua time Deum, & ſacerdotes eius ſanctifica. Et iterùm; Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes eius. Quorum præceptorum memor beatus Apoſtolus Paulus, ſecundùm quod in Actibus Apoſtolorum legimus, cùm ei diceretur: Sic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo? Reſpondit & dixit: Neſciebam, fratres, quia Pontifex eſt: ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Dominus etiam noſter ipſe Ieſus Chriſtus Rex & iudex & Deus noſter vſque ad paſſionis diem ſeruauit honorem Pontificibus & ſacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cùm leproſum emundaſſet, dixit illi: Vade & monſtra te ſacerdoti, offer donum. Humilitate ea qua nos quoque eſſe humiles docuit, ſacerdotem adhuc appellabat quem ſciebat eſſe ſacrilegum. Item [b] ſub ictu paſſionis cùm alapam accepiſſet, & ei diceretur, ſic reſpondes Pontifici? nihil ille contumelioſè locutus eſt in perſonam Pontificis, ſed magis, innocentiam ſuam tuitus eſt dicens? Si malè locutus ſum, exprobra de malo; Si autem benè, quid me cædis? Quæ omnia, ab eo ideò facta ſunt humiliter atque patienter, vt nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim ſacerdotes veros legitimè & plenè honorari, dum circa falſos ſacerdotes ipſe talis exſtitit. Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit: [c] Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros. Quod ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus, qui Epiſcopos facit; poſſunt & contra nos audere Diaconi, à quibus fiunt. Et ideò oportet Diaconum, de quo ſcribis agere, audaciæ ſuæ pœnitentiam, & honorem ſacerdotis agnoſcere, & Epiſcopo præpoſito ſuo plena humilitate ſatisfacere. Hæc ſunt enim initia hæreticorum, & ortus atque conatus ſchiſmaticorum malè cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altare prophanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur. Quod ſi vltrà te contumeliis ſuis exacerbauerit & prouocauerit, fungeris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abſtineas. Nam ſi Apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribens dixit: Iuuentutem tuam nemo deſpiciat, quantò magis tibi à collegis tuis dicendum eſt: Senectutem tuam nemo deſpiciat? Et quoniam ſcripſiſti quemdam cum eodem Diacono tuo ſe miſcuiſſe, & ſuperbiæ eius atque audaciæ participem eſſe, hunc quoque & ſi qui alij tales exſtiterint, & contra ſacerdotem Dei fecerint, vel coërcere poteris, vel abſtinere. Niſi quod hortamur & monemus, vt peccaſſe ſe potiùs intelligant, & ſatisfaciant, & nos propoſitum noſtrum tenere patiantur. magis enim optamus & cupimus contumelias & iniurias ſingulorum clementi patientia vincere, quàm ſacerdotali licentia vindicare. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

eleti & plebis, Epiſt. XXIV. XXV. & XXXIII. Quod autem hic *Cathedræ auctoritatem*, ſub finem epiſtolæ dicet, poteſtatem honoris, & licentiam ſacerdotalem. *Poteris*, inquit, *coërcere vel abſtinere*. hoc eſt, deponere, vel excommunicare, dejicere loco, vel etiam eccleſia. RIG.

a SVPERBISSE.] Sic in Veronenſi, & in editione Pamelij. In Beneuentano & in ed. Manutij: *ſuperbi eſſe*. *Idem.*

b SVB ICTV PASSIONIS.) Vt Epiſt. LXIV. ſub die paſſionis. & Epiſt. LIV. ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Perperam igitur ſuggerunt, *ſubditus paſſioni*, *Idem.*

c DIACONOS APOSTOLI SIBI CONSTITVERVNT.) Nam ab initio notum in Eccleſia non fuit dignitatis ſiue miniſterij nomen aliud quàm Apoſtolorum, quos ipſe ſibi Chriſtus legerat. Oeconomia eccleſiæ penes preſbyteros erat, ita ſuadente naturali ſenſu, non alio dignitatis ordine. Chryſoſtomus in Act. VI. *καὶ τοι οὐδέπω οὐδεὶς ἐπίσκοπος ἦν ἀλλ' οἱ ἀπόστολοι μόνοι. ὅθεν οὔτε διακόνων, οὔτε πρεσβυτέρων οἶμαι τὸ ὄνομα εἶναι δῆλον καὶ φανερόν. ἀλλὰ τέως εἰς τοῦτο ἐχειροτονήθησαν* Rectè autem Cyprianus ait, *Diaconos Apoſtoli ſibi conſtituerunt*, ſuffectos ſcilicet Apoſtolis, *τῇ διακονίᾳ τῶν τραπεζῶν*, reſeruata Apoſtolis *διακονίᾳ τοῦ λόγου*. *Idem.*

AD CLERVM ET PLEBEM FVRNITANORVM DE Victore, qui Fauſtinum Preſbyterum tutorem nominauit.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET plebi Furnis conſiſtentibus, Salutem.

GRAVITER commoti ſumus ego & collegæ mei qui præſentes aderant, & compreſbyteri noſtri qui nobis aſſidebant fratres chariſſimi, cùm cognouiſſemus LXVI. quod Geminius Victor, frater noſter, de ſæculo excedens, Geminium Fauſtinum Preſbyterum tutorem teſtamento ſuo nominauerit, cùm [a] iam pridem in concilio Epiſcoporum ſtatutum ſit, ne quis [b] de Clericis, & Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quandò ſinguli diuino ſacerdotio honorati, & in Clerico miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificiis deſeruire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum eſt enim: Nemo militans Deo obligat ſe moleſtiis ſæcularibus, [c] vt poſſit placere ei cui ſe probauit. Quod cùm de omnibus dictum ſit, quantò magis clerici moleſtiis & laqueis ſecularibus obligari non debent, qui ſpiritalibus occupati, ab Eccleſia recedere, & ad terrenos & ſæculares actus vacare non poſſunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitæ priùs in lege tenuerunt, vt cum terram diuiderent, & poſſeſſiones partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ templo, & altari, & miniſteriis diuinis vacabat, nihil de illa diuiſionis portione perciperet, ſed aliis terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum atque alimentum ab vndecim tribubus de fructibus qui naſcebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de auctoritate & diſpoſitione diuina; vt qui operationibus diuinis inſiſtebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare, aut agere ſæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, vt qui in Eccleſia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina auocentur, nec moleſtiis & negotiis ſæcularibus alligentur, [d] ſed in honore ſportulantium fratrum, [e] tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant, ſed die, ac nocte cæleſtibus rebus, & ſpiritalibus ſeruiant. Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter prouidentes, cenſuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur. neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros voluit auocare. Et ideò Victor cùm contra formam nuper in concilio à ſacerdotibus datam, Geminium [f] Fauſtinum Preſbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, [g] aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur, vt ſacerdotum decretum religioſè & neceſſariè factum ſeruetur à nobis, ſimul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis ſacerdotes & miniſtros Dei, altari eius, & Eccleſiæ vacantes ad ſeculares moleſtias deuocet. Obſeruari enim de cætero poterit, ne vltra hoc fiat circa perſonam Clericorum, ſi quod nunc factum eſt, fuerit vindicatum. Opto vos, fratres chariſſimi, ſemper benè valere.

EPISTOLÆ

a IAM PRIDEM IN CONCILIO EPISCOPOR. STATVTVM SIT.] Verba ipſa concilij hæc fuiſſe videntur: *Ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominet. Si quis hoc fecerit, non offeratur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros voluerit auocare.* RIG.

b DE CLERICIS ET DEI MINISTRIS.) In Veronenſi: *& de miniſtris. Idem.*

c VT POSSIT PLACERE EI CVI SE PROBAVIT.] In Beneuentano & Veronenſi: *Vt poßit placere ei qui ſe probauit.* Vnde firmatur coniectura Grotij, ſic interpretantis illud Apoſtoli τῷ στρατολογήσαντι, *ei qui delectum fecit.* Enimuerò eumdem etiam ſenſum vulgata interpretatio facilè ſuſcipit. *Idem.*

d SED IN HONORE SPORTVLANTIVM FRATRVM) Non dehonoraria fuit appellatio Sportulantium in Eccleſia. Nam huiuſmodi ſportulis, non imperatis, non extortis, ſed vltrò ſubminiſtratis, præberi ſolebant refrigeria quædam & ſolatia ſubleuandis pauperum clericorum, ac cæterorum fratrum neceſſitatibus. *Idem.*

e TAMQVAM DECIMAS RECIPERET.) Lib. de vnitate Eccleſ. *At nunc de patrimonio noſtro nec decimas damus.* Conuenientiſſimè autem Cyprianus hac Epiſtola dixit, *tamquam decimas reciperet.* Nam decimæ quidem iure Moſaico debebantur, minimè autem iure Chriſtiano. Apud nos, inquit Septimius in Apolog. nulla res Dei pretio conſtat. Itaque ab Apoſtolis ad vſque Cypriani tempora nulla fuit, inter Chriſtiana ſubſidia, mentio Decimarum. Vſitatæ aliquandiu Sportulæ. Poſteà verò exoleſcente ſportularum honore, intrauêre in Eccleſiam decimæ, religionis obtentu ac primò quidem, ſpontanea liberalitate, quaſi ſportulis haud ſufficientibus, oblatæ: mox auarè & crudeliter exactæ. *Idem.*

f *Fauſtinum preſbyterum auſus ſit tutorem conſtituere.* De hoc diximus ad Tertullianum, vbi orationes pro mortuis fieri ſolitas in eccleſia demonſtrauimus. Prohibentur enim à Iuſtiniano l. generaliter 52. C. de epiſc. ne Epiſcopi ac cæteri clerici, atque etiam monachi ad tutelam aut curationem compellantur, cum immunitatem habeant ab hoc onere. Epiſcopi quidem ac monachi nullatenus tutores eſſe poſſunt aut curatores: Verum preſbyteri ad legitimam tutelam admittuntur ſi iam ſponte ſuſcipere voluerint ex eiuſdem imperatoris nouella. 123. PRI

g AVT DEPRECATIO ALIQVA NOMINE EIVS IN ECCLESIA FREQVENTETVR.) Placet ſcriptura in codice Corbeienſi: *aut delegatio aliqua.* RIG.

EPISTOLÆ SCRIPTÆ SVB PONTIFICATV STEPHANI, & de baptizandis hæreticis.

[a] AD STEPHANVM DE MARCIANO ARELATENSI, QVI Nouatiano conſenſit.

[b] CYPRIANVS STEPHANO FRATRI, SALVTEM.

LXVII. FAVSTINVS collega noſter Lugduni conſiſtens, frater chariſſime, ſemel atque iterùm mihi ſcripſit, [c] ſignificans ea, quæ iam vobis ſcio vtique nunciata tam ab eo, quàm à cæteris coëpiſcopis noſtris in eadem Prouincia conſtitutis, quòd [d] Marcianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſeſe coniunxerit, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate atque à corporis noſtri & ſacerdotij conſenſione diceſſerit, tenens [e] hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem; vt ſeruis Dei pœnitentibus & dolentibus & Eccleſiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fouenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam & prædam diaboli proijciantur. [f] Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubuenire, frater chariſſime, qui diuinam clementiam cogitantes, & [g] gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, vt tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ diuinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere oportet pleniſſimas litteras ad coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne vltra Marcianum peruicacem & ſuperbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, [h] collegio noſtro inſultare patiantur, quod necdum videatur à nobis abſtentus, [i] qui iam pridem

a AD STEPHANVM DE MARCIANO.] In Corbeïenſi legitur, *Incipit ad Stephanum, de Marciano Arelatenſe, qui & hæreticos recepit. Feliciter* Quem titulum, ſicut & aliarum epiſtolarum titulos, pro argumentis poſitos, quamuis in veteribus libris reperiantur, Cypriani eſſe non puto. Itaque pro captu librariorum variè ſunt variis exemplaribus præfixi. In quibuſdam, vtique melioribus, hoc tantùm: Cyprianus Stephano fratri, Salutem, & ſic in ceteris. RIG.

b CYPRIANVS STEPHANO FRATRI. Hanc Epiſtolam non eſſe Cypriani, vir optimus & doctiſſimus Ioannes Lonoius Theologus Pariſienſis edito libello multis rationibus contendit. Vna me ratio, ne quid diſſimulem, cõmouebat, quod Stephano Romanam eccleſiam regente, diſputatio de baptizandis hæreticis incaluerat, tanto vtrimque inter Carthaginienſes & Romanos ſtudio, vt abſtentus fuerit ab Stephano Cyprianus. Quo rerum ſtatu, vix credibile videretur, Fauſtinum ab Stephano fauoris aliquid ſperaſſe per Cyprianum, aut Cyprianum epiſtolam dediſſe tam honorificam ad Stephanum, quem tum maximè ſcriptis atrocibus vrgebat, cuiuſmodi ſanè ſunt epiſtolæ complures, & concilij Carthaginienſis præfatio. Verùm huius argumenti vis cùm tota pendeat ex circumſtantia temporis quo ſcripſit epiſtolam Cyprianus, Stephano per quadriennium ferè in epiſcopatu ſedente, ſatis eſſe potuit ſpatij, quo nondum exarſerant animi. nam, & alia Cypriani ad eumdem Stephanum extat epiſtola, quæ hac editione habetur poſt ſeptuageſimam prima, non minùs ciuilis & honorifica, ſcripta ſcilicet ante illas ad Iubaianum & Pompeium, priuſquam ſigna ceciniſſent, & priuſquam abſtinuiſſet Cyprianum Stephanus. Addimus, hanc epiſtolam non eſſe tam inuidioſam Stephano, nec tantum illi tribuere quantum Baronius exiſtimat. Nam ſunt aliæ paſſim Romanis epiſcopis multò fauentiores. adeòque ſemel hic notabimus quod vbique ferè obſeruabitur, Carthaginienſem pro Romano dicere quæ ad propoſitum dicemus maximè faciant. ſic quandoque magis, quandoque minùs intendere: quandoque parciùs, quandoque liberaliùs concedere, prout expedit œconomiæ Chriſtianæ propitium habere Romanum. Ceterùm & ſtilus & methodus epiſtolam Cypriano ſatis adſignant. In quibuſdam certè exemplaribus antiquis, vt in Vaticanis & Beneuentano, non reperitur ſed habetur in vetuſtiſſimis Veronenſi, & Corbeienſi, & Cambronenſi, & in impreſſo veteri. Nec vllus eſt harum epiſtolarum codex antiquus, in quo non aliqua deſiderentur, in quo non ſit etiam ordo diuerſus. *Idem*

c SIGNIFICANS EA QVAE IAM VOBIS SCIO VTIQVE NVNTIATA) In hac Marciani epiſcopi Arelatenſis cauſa, ſi ius abſtinendi ſiue excommunicandi competebat ſoli Epiſcopo Romano, cur Fauſtinus epiſcopus Lugdunenſis Cypriano epiſcopo Carthaginienſi longè diſſito, ſemel atque iterùm ſignificat ea de Marciano, quæ iam vtique ipſe Fauſtinus & alij eiuſdem prouinciæ epiſcopi nuntiauerant Stephano, proximiori, & omnium epiſcoporum principi: Dicendum igitur factum id fuiſſe aut per negligentiam Stephani, aut quod magis videtur, per diſciplinam quæ tunc in Eccleſia vigebat, vt omnes quidem in circumpoſitis locis, ſed prælertim vrbium clariſſimarum epiſcopi, in commune conſulerent Eccleſiæ, viderentque ne quid detrimenti res Chriſtiana catholica caperet. Itaque ſuper iſto Marciani Arelatenſis facinore, Lugdunenſem epiſcopum ad Romanum & Carthaginienſem dediſſe litteras, iſtum verò vt remotiſſimum, dediſſe viciſſim ſuas ad Romanum, vt fratrem & collegam, qui in propinquo faciliùs poſſet de negotio cognoſcere & ſtatuere. *Idem.*

d MARCIANVS NOVATIANO SESE CONIVNXERIT.) Multa ſunt in Epiſtolis Cypriani, quarum nulla ſit ab aliis ſcriptoribus eccleſiaſticis mentio, tum quia pauciſſima eorum ſcripta ad eos peruenerunt: tum quia variis tunc Eccleſia vexationibus oppreſsâ, difficilis & infrequens erat prouinciarum inter ſeſe communicatio. Non propterea tamen ſuſpecta nobis eſſe debet hæc de Marciano epiſtola, quòd iſtius epiſcopi nemo veterum, qui hactenus editi ſunt auctorum, meminerit, quando nec Baſilidis, nec Martialis, de quibus eſt ſequens epiſtola, mentio nulla quoque nunc extat. *Idem.*

e HAERETICAE PRAESVMPTIONIS DVRISSIMAM PRAVITATEM.) Hæc propriè ſtringit in Nouatianos, qui lapſorum pœnitentiam reſpuebant. quæ ſecta, ſiue diſciplina, ſolam duritiem continebat. proptereáque homines iſtos Epiſtola proximè ſequenti duriſſimos dicet. Hæc verò forma loquendi clariſſimè teſtatur eiuſdem eſſe auctoris vtramque epiſtolam. Sed & iſta quæ hic paſſim occurrunt, *Marcianum peruicacem & ſuperbum, fraternæ ſalutis inimicum*, Et, *fratres noſtros crudeliter deſpicit*, Et, *Marcianus pietatis & miſericordiæ aduerſarius*, ab Cypriani manu & genio procul dubio ſunt. Ipſe, Epiſt. LIV. ſub finem, Nouatiani diſciplinam ait eſſe *duritiam humanæ crudelitatis*. *Idem.*

f CVI REI NOSTRVM EST CONSVLERE.] Noſtrum eſt, inquit Cyprianus ad Stephanum. hoc eſt, tam mihi incumbit, quàm tibi, nempe ſubuenire laborantibus, communi conſilio. *Idem.*

g GVBERNANDAE ECCLESIAE LIBRAM TENENTES.) Hæc igitur libra tenebatur à compluribus. Itaque mox dicet, Facere te oportet litteras ad coepiſcopos noſtros, hoc eſt, tam tuos Stephane, quàm meos. *Idem.*

h COLLEGIO NOSTRO.] Hoc eſt, Coepiſcoporum, quo & Stephanus includitur *Idem.*

i QVI IAM PRIDEM IACTAT ET PRAEDICAT.) Hæc & ſequentia, vſque ad, *& hoſtis Eccleſiæ iudicatus*, non leguntur in Corbeïenſi. apparent tamen in editione veteri. vnde colligitur editionem prodiiſſe ex alio MS. in quo habetur hæc etiam epiſtola inter epiſtolas Cypriani. *Idem.*

dem iactat & prædicat quod Nouatiano ſtudens, & eius peruicaciam ſequens à communicatione ſe noſtra ſegregauerit; cùm Nouatianus ipſe, quem ſequitur, olim abſtentus & hoſtis Eccleſiæ iudicatus ſit: Et cùm ad nos in Africam legatos miſiſſet, optans ad communicationem noſtram admitti, hinc à concilio plurimorum ſacerdotum qui præſentes eramus ſententiam retulerit; ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrûm ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei iudicio & cleri ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram cathedram collocare, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentauerit. Proinde ſi reſipiſcere, & ad ſanæ mentis conſilium redire vellet, ageret pœnitentiam & ad Eccleſiam ſupplex rediret. Quàm vanum eſt, frater chariſſime, vt, Nouatiano nuper retuſo & refutato, & per totum orbem à ſacerdotibus Dei abſtento: nunc [a] adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de maieſtate ac dignitate Eccleſiæ iudicare. Dirigantur in Prouinciam, & [b] ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te litteræ, quibus [c] abſtento Marciano alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris [d] annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace; vel cæteris ſubueniatur qui ſuperſunt, qui & diebus ac noctibus ingemiſcunt, & diuinam ac paternam miſericordiam deprecantes, [e] ſolatium noſtræ opitulationis expoſcunt. Iccircò enim, frater chariſſime, [f] copioſum corpus eſt ſacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque vnitatis vinculo copulatum, vt ſi quis ex collegio noſtro hæreſin facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri, & [g] quaſi paſtores vtiles & miſericordes, oues Dominicas in gregem colligant. Quid enim ſi in mari portus aliquis munitionibus ſuis ruptis infeſtus & periculoſus eſſe nauibus cœperit; nonne nauigantes ad alios proximos portus naues ſuas dirigunt, vbi ſit tutus & ſalutaris introitus & ſtatio ſecura? aut ſi in via ſtabulum aliquod obſideri & teneri à latronibus cœperit, vt quiſquis ingreſſus fuerit, inſidiantium illic infeſtatione capiatur; nonne commeantes, hac opinione comperta, ſtabula alia in itinere appetunt tutiora, vbi ſint fida hoſpitia & receptacula commeantibus tuta? Quod nunc eſſe apud nos debet, frater chariſſime, vt fratres noſtros, qui vitatis Marciani ſcopulis petunt Eccleſiæ portus ſalutares, ſuſcipiamus ad nos prompta & benigna humanitate, & ſtabulum commeantibus præbeamus tale, quale eſt in Euangelio, quo à latronibus ſauciati & vulnerati ſuſcipi & foueri, & tutari ab ſtabulario poſſint. Quæ eſt enim maior aut melior cura Præpoſitorum, quàm diligenti ſollicitudine & medela ſalubri fouendis & conſeruandis ouibus prouidere? cum Dominus loquatur & dicat: quod infirmatum eſt, non confortaſtis: & quod malè habuit, non corroboraſtis: & quod tribulatum eſt, non conſolidaſtis: & quod errauit, non reuocaſtis: & quod periit, non inquiſiſtis: & diſperſæ ſunt oues meæ eò quòd non ſint paſtores, & factæ ſunt in commeſturam omnibus beſtiis agri, & non fuit qui inquireret, neque qui reuocaret. Proptereà hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos vt non paſcant oues meas, & iam non paſcent eas, & extraham eas de ore eorum, & paſcam eas cum iudicio. Cum ergo paſtoribus talibus per quos Dominicæ oues negliguntur & pereunt ſic Dominus comminetur; [h] quid nos aliud facere oportet, frater chariſſime, quàm colligendis & reuocandis Chriſti ouibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapſorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam; quando & Dominus in Euangelio moneat & dicat: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Nam etſi paſtores multi ſumus, [i] vnum tamen gregem paſcimus, & oues vniuerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſiuit, colligere & fouere debemus; nec pati ſupplices & dolentes fratres noſtros crudeliter deſpici, & ſuperba quorumdam præſumptione calcari, Cùm ſcriptum ſit: Ille autem qui contumax eſt, vir ſui iactans, nihil omninò perficiet, qui [k] dilatauit tamquam inferi animam ſuam: & eiuſmodi homines Dominus in Euangelio ſuo culpet & damnet, dicens: Vos eſtis qui iuſtificatis vos in conſpectu

a ADVLATOTES.] Fautores Nouatiani, ſequaces, adſeclas, qualis erat Marcianus. RIG.

b *Ad plebem Arelatæ conſiſtentem.* Prouincia Arelatenſis quatuor etiam ſub ſe epiſcopatus habet, Tolonenſem, Tricaſtinenſem, Maſſilienſem, & Arauſicanum. Scribit autem Gaguinus lib. 9. de geſtis Caroli 5. olim regni Burgundionum primorem fuiſſe ciuitatem Arelatem, quaſi aram latam dictam ab ara duabus columnis impoſita, ad quam humanas litabant hoſtias, donec à S. Trophimo primo eorum epiſcopo ad fidem conuerſi ſunt illius loci incolæ. PAM.

c *Abſtento Marciano* Licuiſſe iam olim Pontificibus Romanis epiſcopos iuſtis de cauſis excommunicare, immò deſtituere, & nouos in eorum locum ſubſtituere, perſpicuum facit hoc loco Cyprianus de Gallis. Quod mirum in modum auctoritatem commendat & primatum. Excommunicauerunt etiam alios epiſcopos romani Pontifices, vti Neſtorium epiſcopum Conſtantinopolit. Celeſtinus, Timotheum Alexandr. Simplicius, Theophilum Alexandr. etiam poſt mortem Innocentius. Eiectus etiam eſt & depoſitus Dioſcorus Alexandr. & Petrus Antiochenus à Felice. *Idē.*

d ANNIS ISTIS SVPERIORIBVS.) Quod tempus extendi poteſt etiam ſupra epiſcopatum Stephani RIG.

e SOLATIVM NOSTRAE OPITVLATIONIS.] Dicit, *noſtra*; tam ſuæ quàm Stephani. *Idem.*

f COPIOSVM CORPVS EST SACERDOTVM.] Epiſcoporum, corpus in multas Eccleſias concordi numeroſitate diffuſum. *Idem.*

g QVASI PASTORES VTILES.) In Ver. quà paſtores vtiles. nota phraſis diſcipulo Tertulliani. *Idem.*

h QVID NOS ALIVD FACERE OPORTET.] Etenim comminatur Dominus nobis, non Stephano tantùm. *Idem.*

i VNVM TAMEN GREGEM PASCIMVS.] Cuius ſalutis cura non ad te tantùm ô Stephane pertinet, verùm etiam ad nos, qui tibi ſumus coepiſcopi. Vnum gregem dicit, vt ſuprà, *vnitatis vinculo copulatum.* & lib. de Vnitate Eccleſiæ, Epiſcopatum dicit eſſe vnum, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. *Idem.*

k DILATAVIT TAMQVAM INFERI ANIMAM SVAM] legitur in Veronenſi, vt & ſuprà Epiſt. 1 v. *Idem.*

ſpectu hominum, Deus autem dignoſcit corda veſtra, quoniam quod excelſum eſt in hominibus, execratio eſt in conſpectu Dei. Execrabiles & deteſtabiles dicit eſſe, qui ſibi placeant, qui tumidi & inflati aliquid ſibi arroganter aſſumant. Ex quibus cùm Marcianus eſſe cœperit, & ſe Nouatiano coniungens, aduerſarius miſericordiæ & pietatis extiterit: ſententiam non dicat, ſed accipiat, nec ſic agat quaſi ipſe iudicauerit de collegio ſacerdotum, quando ipſe ſit ab vniuerſis ſacerdotibus iudicatus. Seruandus eſt enim [a] anteceſſorum noſtrorum beatorum martyrum Cornelij & Lucij honor glorioſus; quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis tu, frater chariſſime, honorificare & ſeruare grauitate & auctoritate tua debes, qui vicarius & ſucceſſor eorum factus es. [b] Illi enim pleni Spiritu Dei & in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt, & pœnitentia acta fructum communicationis & pacis negandum non eſſe litteris ſuis ſignauerunt, quam rem omnes omninò vbique cenſuimus. Neque enim poterat eſſe apud nos ſenſus diuerſus, in quibus vnus eſſet Spiritus: & ideò manifeſtum eſt eum Spiritus ſancti veritatem cum cœteris non tenere, quem videmus diuerſa ſentire. [c] Significa planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, vt ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

A D

a ANTECESSOR. NOSTROR. CORNELII ET LVCII.] Cyprianus Afer Cornelium & Lucium, etſi non Carthaginis epiſcopos, ſed Romæ, anteceſſores ſuos nuncupat, quaſi ſucceſſor eorum fuerit. nimirùm, propter vnitatem eccleſiæ catholicæ, cuius Epiſcopatus vnus eſt. Rig.

b ILLI ENIM DANDAM ESSE LAPSIS PACEM CENSVERVNT,] In veteri catalogo epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ, quem penes Nic. Fabrum Peireſcium vidimus, hæc de Cornelio & Lucio leguntur. Cornelius ann. II. m. III. d. X. à conſ. Decio IV. & Decio II. vſque Gallo & Voluſiano. Sub epiſcopatu eius Nouatus extra eccleſiam ordinauit Nouatianum, in vrbe Roma, & Nicoſtratum in Africa. hoc facto Confeſſores, qui ſe ſeparauerunt à Cornelio, cum Maximo presbytero qui cum Moyſe fuit, ad eccleſiam ſunt reuerſi. Poſt hoc Cētumcellis expulſus ibi cum gloria dormitionem accepit. Lucius, ann. III. m. VIII. d. X. fuit temporibus Galli & Voluſiani vſque Valeriano III. & Gallieno II. Hic exol fuit. & poſtea nutu Dei incolomis ad eccleſiam reuerſus eſt III. Non. Mar. Cos. Ss. *Idem.*

c SIGNIFICA PLANE NOBIS QVIS IN LOCVM MARCIANI.] Quàm ex æquo tunc viuebat Carthaginienſis cum Romano! Nimirùm, vt ſolet inter fratres & collegas. *Idem.*

---

[a] AD CLERVM ET PLEBES IN HISPANIA CONSISTENTES, de Baſilide & Martiale.

[b] CYPRIANVS, CÆCILIVS, PRIMVS, POLYCARPVS, &c. Felici Presbytero & plebibus conſiſtentibus ad Legionem & Aſturicæ. item Lælio Diacono & plebi Emeritæ conſiſtentibus, fratri in Domino, Salutem.

LXVIII. CVM in vnum conueniſſemus, legimus litteras veſtras, fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Epiſcopos noſtros pro fidei veſtræ integritate, & pro Dei timore feciſtis, ſignificantes Baſilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, & ſacerdotium Dei adminiſtrare non oportere: & [c] deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis, & iuſtam pariter ac neceſſariam ſollicitudinem veſtram vel ſolatio, vel auxilio noſtræ ſententiæ ſubleuari. Sed enim deſiderio huic veſtro non tam noſtra conſilia, quàm diuina præcepta reſpondent, quibus iam pridem mandatur voce cæleſti, & Dei lege præſcribitur, quos & quales oporteat deſeruire altari, & ſacrificia celebrare. In Exodo namque ad Moyſen Deus loquitur, & monet dicens. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, ſanctificentur, ne fortè derelinquat illos Dominus. Et iterùm: Et cùm accedunt miniſtrare ad altare Sancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Item in Leuitico præcipit Dominus, & dicit: Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo. Quæ cùm prædicta, & manifeſta ſint nobis, præceptis diuinis neceſſe eſt obſequia noſtra deſeruiant, nec perſonam in eiuſmodi rebus accipere, aut aliquid cuiquam largiri poteſt humana indulgentia, vbi intercedit, & legem tribuit diuina præſcriptio. Neque enim immemores eſſe debēmus, quid ad Iudæos per Eſaiam prophetam locutus ſit Dominus, increpans & indignans, quòd [d] contemptis diuinis præ-

ceptis

a AD CLERVM ET PLEBES.) In Corbeïenſi legitur: INCIPIT AD PLEBEM IN HISPANIA CONSISTENTEM, DE MARTIALI ET BASILIDE. Rig.

b CYPRIANVS ET CETERI EPISCOPI, PRESBYTERIS ET DIACONIS ET PLEBIBVS IN HISPANIA CONSISTENTIBVS SALVTEM. In Veronenſi: Cyprianus & ceteri coepiſcopi. In Remenſi expanditur in hunc modum: Cyprianus, Cæcilius, Primus, Polycarpus, Nicomedes, Lucianus, Succeſſus, Sedatus, Fortunatus, Ianuarius, Secundinus, Pomponius, Honoratus, Victor, Aurelius, Sattius, Petrus, alius Ianuarius, Saturninus, alius Aurelius, Venantius, Quietus, Rogatianus, Tenax, Felix, Fauſtus, Quintus, alius Saturninus, Lucius, Vincentius, Liboſus, Geminus, Marcellus, Iambus, Adelphius, Victoricus, & Paulus, Felici presbytero, & plebibus conſiſtentibus ad Legionem & Aſturicæ; item Ælio diacono & Emeritenſi conſiſtentibus fratribus in Domino ſalutem. *Idem.*

c DESIDERASTIS RESCRIBI AD HAEC VOBIS.) Non inconuenienter, neque abſurdè aliquis opinabitur, Clerum Hiſpanum ſuper iſtis epiſcopis idololatris etiam ad Stephanum literas dediſſe, vt ad Cyprianum. Sed cur ad Cyprianum, ſi poteſtas infinita penes Romanum? Immo Romano, vt longè poſito, ac per negligentiam decepto, ſiue per ambitum aut gratiam ſubornato, Baſilides & Martialis iniuſtè repoſiti in epiſcoparum, de quo iuſtè depoſiti fuerant, cùm vſurpare locum priſtinum conarentur, obſtitēre clerici Legionenſes & Aſturicenſes vnà cum plebe, datiſque ad Cyprianum litteris appellauere Carthaginienſem aduerſus Romanum. *Idem.*

d CONTEMTIS DIVINIS PRÆCEPTIS HVMANAS DOCTRINAS SEQVERENTVR.] His Eſaiæ locus fons

ceptis, humanas doctrinas ſequerentur: Populus iſte, inquit, labiis ſuis honorificat me, cor verò eorum longè ſeparatum eſt à me. [a] Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes, quod item Dominus in Euangelio repetit: Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Quæ ante oculos habentes, & ſollicitè ac religioſè conſiderantes in ordinationibus ſacerdotum non niſi immaculatos & integros antiſtites eligere debemus, qui ſanctè, & dignè ſacrificia Deo offerentes, audiri in precibus poſſint quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate: cùm ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit; ſi ſed quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Propter quod plena diligentia, exploratione ſincera oportet eos ad ſacerdotium deligi, quos à Deo conſtet audiri. Nec ſibi plebs blandiatur immunis eſſe à contagio delicti poſſit, cum ſacerdote peccatore communicans, & ad iniuſtum atque illicitum præpoſiti ſui Epiſcopatum conſenſum ſuum commodans, quando per Oſee Prophetam comminetur & dicat cenſura diuina: Sacrificia eorum tamquam panis luctus: omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Docens ſcilicet & oſtendens omnes omninò ad peccatum conſtringi, qui fuerint profani & iniuſti ſacerdotis ſacrificio contaminati. Quod item in Numeris manifeſtari inuenimus, quando Chore, & Dathan, & Abiron contra Aaron ſacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vindicauerunt. Illic quoque per Moyſen præcepit Dominus vt ab eis populus ſeparetur, ne facinoroſis coniunctus eodem facinore & ipſe perſtringatur: Separamini, inquit, [b] à tabernaculis [c] hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ea quæ ad eos pertinent, ne ſimul pereatis in peccato eorum. Propter quod [d] plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere; quando ipſa maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de diuina auctoritate deſcendere, [e] vt ſacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis diligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur, ſicut in Numeris Dominus Moyſi præcepit dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & imponens eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appoſitus moriatur illic. Coram omni Synagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem, id eſt, inſtruit & oſtendit [f] ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, vt plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio iuſta & legitima; quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata. Quod poſtea ſecundùm diuina magiſteria obſeruatur in Actis Apoſtolorum; quando de ordinando in locum Iudæ Epiſcopo Petrus ad plebem loquitur: Surrexit, inquit, Petrus [g] in medio diſcentium, [h] fuit autem turba in vno. Nec hoc in Epiſcoporum tantùm & ſacerdotum, ſed in Diaconorum ordinationibus obſeruaſſe Apoſtolos animaduertimus; de quo & ipſo in Actis eorum ſcriptum eſt: [i] Et conuocauerunt, inquit, illi duodecim totam

plebem

cus fons & origo eſt omnium quas antehac obſeruauimus dictionum huiuſmodi Cyprianicarum, quibus hominum commenta, diuinis mandatis oppoſita, damnantur: Dixerat autem Eſaias: *μάτην δὲ σέβονταί με διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας.* Chriſtus apud Matth. Phariſæos increpans dixit: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, per traditionem veſtram. quod Cyprianus interpretatur, reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Pro, tranſgredimini, ſiue reiicitis, aut irritum feciſtis, Græca habent, *παραβαίνετε* & *ἠκυρώσατε*. Cyprianus dixit, contemnitis. Itaque oppoſuit, humanæ indulgentiæ, diuinam præſcriptionem; humanis doctrinis, diuina præcepta; traditionibus humanis, mandata diuina. Ac ſemel ſtatuit quod ſemper cuſtodiri velit, humanam indulgentiam nihil concedere cuiquam poſſe, vbi Deus intercedit, hoc eſt, vetat Videantur Obſeruationes ad Epiſt. LII de Eccleſia humana. RIG.

a SINE CAVSA COLIT ME Sic reddidit Cyprianus quæ Septuaginta dixere, *μάτην σέβονταί με*. Sine cauſa, vanè, perperam. *Idem.*

b A TABERNACVLIS HOMINVM ISTORVM DVRISSIMORVM. Sic ſuprà, Epiſtola præced. de Marciano, quem Cyprianus dicit hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem tenere, hominum ſcilicet duriſſimorum, hoc eſt Nouatianorum, qui negabant pœnitentiam lapſis. *Idem.*

c HOMINVM ISTORVM DVRISSIMORVM. Locus eſt lib. Numer. XVI. 26. vbi legitur, hominum iſtorum impiorum. Interpr. LXX. *ἀπὸ τῶν σκηνῶν τῶν ἀνθρώπων τῶν σκληρῶν τούτων.* Cyprianus vertit, duriſſimorum, appoſitè ad hæreſim Nouatianorum, quorum rigorem Pacianus Epiſt. I. inobſecrabilis aſperitatis titulo proſcribit. Dionyſius Alexandrinus epiſt. ad Fabianum Antioch. *Γνώμην* eſſe ait *ὠμοτάτην καὶ ἀπανθρωποτάτην.* Ruffinus, *inhumanam & nihil fraternæ caritatis habentem.* Idem, ſententiæ illius auctores *crudeles fuiſſe dicit & truces.* Euſeb. Hiſt. VI, cap. 32. & 33. Item Pacianus Epiſt. 3. de Nouatianis: Ergo & filij ſanguinum vos eritis; non enim pacem fratrum, ſed ſanguinem concupiſcitis. fides falſa eſt veſtra crudelitas: Et ſcitè admodum Chryſoſtomus homilia quæ nuper auctior edita eſt, De politia morali: Dominus, inquit, lapſis pœnitentibus debitũ dimiſit, ſyngrapham dirupit, & Nouatus improbo calumniatorum more, ſcidas illius ſyngraphæ diruptas colligit, vt adglutinatas iterum reducat in iudicium. *Δεσπότης ἔῤῥηξε τὸ χειρόγραφον καὶ Ναυάτος συνάγει τὰ διεῤῥαγμένα. εἶδες πῶς φιλοπράγμονα, γραμματεῖον διεῤῥαγμένα συνάγοντα, καὶ πάλιν φιλοπόνως κολλῶντα, ἵνα τῆς συκοφαντίας τὸν ἀγῶνα ἀναστήσηται.* *Idem.*

d PLEBS A PRÆPOSITO SEPARARE SE DEBET. HABET POTESTATEM ELIGENDI DIGNOS SACERDOTES. Non proprio motu impulſa, ſed admonita per iuſtam ac neceſſariam ſollicitudinem aliorum præpoſitorum, per aliarum eccleſiarum epiſcopos, quorum conſilia diuinis præceptis reſpondent. *Idem.*

e VT SACERDOS PLEBE PRÆSENTE. In Beneuentano legitur, à plebe præſente. Mox dicet Cyprianus, omnium ſuffragio. *Idem.*

f ORDINATIONES SACERDOTALES NON NISI SVB POPVLI ASSISTENTIS CONSCIENTIA FIERI OPORTERE.] Hoc probat auctoritate Apoſtolica Act. VI. RIG.

f ORDINATIONES SACERDOTALES NON NISI SVB POPVLI ADSISTENTIS CONSCIENTIA FIERI OPORTERE.) Hoc exemplo Chriſtianorum Alex. Seuerus diſpoſitiones ſuas publicabat, vbi aliquos volebat vel rectores prouinciis dare, vel præpoſitos facere vel procuratores id eſt, rationales, ordinare: nomina eorũ proponebat, dicebátque graue eſſe quum id Chriſtiani & Iudæi facerent in ordinandis ſacerdotibus, non fieri in prouinciarum rectoribus, &c quæ apud Lampridium. *Idem.*

g IN MEDIO DISCENTIVM.] Act. I. *ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν.* Vulg. diſcipulorum. *Idem.*

h FVIT AVTEM TVRBA IN VNO.) *ἐπὶ τὸ αὐτό.* Ipſe Cyprianus principio huius Epiſt. Cùm in vnum conueniſſemus. Pſal. 132. *ὡς ἡ κατοικεῖ αὐτοὺς ἐπὶ τὸ αὐτό.* *Idem.*

i CONVOCAVERVNT TOTAM PLEBEM.) Act.

plebem diſcipulorum & dixerunt eis. Quod vtique iccircò tam diligenter & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad ſacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnumquam indignos [a] non ſecundùm Dei voluntatem, ſed ſecundùm humanam præſumptionem, & hæc Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitima & iuſta ordinatione, Deus ipſe manifeſtat per Oſee prophetam dicens: Sibimetipſis conſtituerunt regem,[b] & non per me. Propter quod diligenter de traditione diuina, & Apoſtolica obſeruatione obſeruandum eſt & tenendum quod apud nos quoque, & ferè per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, iudicio, Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur. [c] Nec reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt, quòd Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatã [d] Romam pergens, Stephanum collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi ſe iniuſtè in Epiſcopatum, de quo fuerat iuſtè depoſitus. Hoc eò pertinet vt Baſilidis non tam abolita ſint, quàm cumulata delicta, vt ad ſuperiora peccata eius etiam fallaciæ & circumuentionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit. Obrepere autem ſi hominibus Baſilides potuit, Deo non poteſt, cùm ſcriptum ſit: Deus non deridetur. Sed nec Martiali poteſt profuiſſe fallacia, quò minùs ipſe quoque [e] delictis grauibus inuolutus Epiſcopatum tenere non debeat, quando & Apoſtolus moneat, & dicat: Epiſcopum oportet eſſe ſine crimine, quaſi Dei diſpenſatorem. Quapropter cùm (ſicut ſcripſiſtis fratres dilectiſſimi, vt & Felix & Sabinus collegæ noſtri aſſeuerant; vtque alius Felix de Cæſarauguſta fidei cultor ac defenſor veritatis, litteris ſuis ſignificat) Baſilides & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati ſint: Baſilides adhuc inſuper præter libelli maculam cùm in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemauerit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit; & Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte deponens, ad agendam pœnitentiam conuerſus ſit, Deum deprecans, & ſatis gratulans, [f] ſi ſibi vel laïco communicare contingeret: Martialis quoque præter gentilium turpia & lutulenta conuiuia: & collegia diu frequentata, & [g] filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana ſepulchra depoſitos, & alienigenis conſepultos; actis etiam publicè habitis [h] apud procuratorem Ducenarium obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit: cumque alia multa ſint & grauia delicta, quibus Baſilides & Martialis implicati tenentur; fruſtra tales Epiſcopatum ſibi vſurpare conantur, cùm manifeſtum ſit eiuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere. Maximè, cùm iampridem nobiſcum & cum omnibus omninò Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter, ſacerdos pacificus ac iuſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuerit eiuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti; ab ordinatione autem Cleri atque ſacerdotali honore prohiberi. Nec vos moueat, fratres dilectiſſimi,

VI 2. προσκαλεσάμενοι δὲ οἱ δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν & 6. ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους. Pacianus Epiſtola III. *tuius partes in vnum*. RIG.

a NON SECVNDVM DEI VOLVNTATEM, SED SECVNDVM HVMANAM PRAESVMPTIONEM.] Hic iterùm Cyprianus, humanam præſumptionem oppoſitam Dei voluntati damnat. *Idem.*

b ET NON PER ME.] καὶ οὐ δι' ἐμοῦ ἦρξαν. Oſ. VIII. *Idem.*

c. *Nec reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt*; &c. lib. N. F. ad notam Pamelian. num. 17. vbi de canone illo Nic. quo agitur de appellationibus ad Sedem Rom. At ille canon, inquit, ſuppoſititius eſt; quod ex concilio 6. Carthag. & Synodicis eius ad Cæleſtinum & Bonifacium conſtat. ſuppoſititius inquam, Nicenæ ſynodo, nam eſt concilij Sardicenſis. *Idem.*

d ROMAM PERGENS.) Quò ſolebant contumaces, vt procul ab ſuis quibus erant noti, faciliùs fallerent, fucum & impoſturam facerent. *Idem.*

e DELICTIS GRAVIBVS INVOLVTVS.] Principio Epiſtolæ dixit: nefandorum facinorum conſcientia vinctos. Mox dicet, grauibus delictis implicatos. & conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam. *Idem.*

f SI SIBI VEL LAICO COMMVNICARE CONTINGERET.) Non repoſcebat locum quem obtinuerat inter epiſcopos & ſacerdotes. tantùm rogabat vt cenſeretur inter fideles qui non Epiſcopi, nec Sacerdotes, nec diaconi, neque lectores. Etenim cùm abſtentus fuiſſet, de epiſcopo iam nec laïcus remanſerat, vt loquitur Cyprianus epiſt. XLIX. Hic igitur optabat, vt de epiſcopo laïcus in Eccleſiam reciperetur. non iam epiſcopus, neque ſaltem diaconus, ſed laïcus. Sic Epiſt. LXXI. *Addimus planè, eos quoque hac conditione ſuſcipi cùm reuertuntur, vt communicent laici, & ſatis habeant, quod admittuntur ad pacem, quò hoſtes pacis extiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint.* Videantur quæ ad Epiſtolam LII. *Idem.*

g FILIOS APVD PROFANA SEPVLCRA.) In his verò ſepulcris erant plurima quæ ad ritus ethnicos pertinebant, quibus communicare & contaminari videbantur, qui mortuos ſuos illic deponebant: & hoc ſolo participes idololatriæ fuiſſe dicebantur. ſed & minimè conueniebat Chriſtianæ charitati vnitatique eccleſiaſticæ, fratrũ defunctorum corpora ſepulcris inferre hoſtium nominis Chriſtiani; quaſi ipſi defuncti, tum maximè cùm morerentur, extra Eccleſiam fuiſſent. Iure igitur Chriſtiana fraternitas Ethnicorum collegia deſpuebat, vt peſtifera; eorúmque ſepulcra vt conditoria mortuorum: Etenim Fideles habuere ſua κοιμητήρια, dormientiũ videlicet, in ſpem reſurrectionis ac beatitatis æternæ. Huiuſcé autem ſpei pignus illis fuit Chriſtus, qui depoſitus in ſepulcro reuixit ſurrexitque. ac mulieribus Dominum in ſepulcro quærentibus obuiam factus angelus dixit, OΥΚ ΕϹΤΙΝ ΩΔΕ. NON EST HIC. qui ſanè titulus tantò magnificus & glorioſus, quantò diſpar vulgatis illis tumulorum inſcriptionibus, HIC IACET. *Idem.*

h APVD PROCVRATOREM DVCENARIVM.] Extra curas exercitus & negotia belli, circa Principem Romanum fuit militia duplex. litterata, quæ ſcriniis operam dabat: actuoſa, quæ rebus agendis erat occupatiſſima hi magiſtriani dicebantur, & ex eorum ſchola Ducenarij & centenarij, ſiue ſexagenarij, qui fiſcales pecunias exigebant,

mi, ſi apud quoſdam in nouiſſimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligioſus vacillat, aut pacifica concordia non perſeuerat. Prænunciata ſunt [a] hæc futura in ſæculi fine, & Domini voce, atque Apoſtolorum conteſtatione prædictum eſt: deficiente iam mundo, atque appropinquante Antichriſto, bona quæque deficere, mala verò & aduerſa proficere. Non ſic tamen, quamvis nouiſſimis temporibus, in Eccleſia Dei aut [b] Euangelicus [c] vigor cecidit, aut Chriſtianæ virtutis aut fidei robur elanguit, vt non ſuperſit portio ſacerdotum, quæ minimè ad has rerum ruinas, & fidei naufragia ſuccumbat; ſed fortis & habilis honorem diuinæ maieſtatis & ſacerdotalem dignitatem plena timoris obſeruatione tueatur. Meminimus & tenemus, ſuccumbentibus licet & cedentibus cæteris, Mathatiam legem Dei vindicaſſe fortiter: Heliam, Iudæis deficientibus atque à religione diuina recedentibus, ſtetiſſe, & certaſſe ſublimiter: Danielem nec ſollicitudine regionis alienæ, nec perſecutionis aſſiduæ infeſtatione deterritum, frequenter ac fortiter glorioſa edidiſſe martyria: tres item pueros nec annis, nec minis fractos, contra ignes Babylonios fideliter obſtitiſſe, & victorem regem in ipſa ſua captiuitate viciſſe. Viderit vel præuaricatorum numerus, vel proditorum; qui nunc in Eccleſia contra Eccleſiam ſurgere, & fidem pariter ac veritatem labefactare cœperunt. Permanet apud plurimos ſincera mens, & religio integra, & non niſi Domino & Deo ſuo anima deuota, nec Chriſtianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, ſed magis excitat & exaltat ad gloriam ſecundùm quod beatus Apoſtolus Paulus hortatur, & dicit: Quid enim ſi exciderunt à fide quidam eorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Si autem omnis homo mendax eſt, & ſolus Deus verax; quid aliud ſerui, & maxime ſacerdotes Dei facere debemus, niſi vt [d] humanos errores & mendacia relinquamus, & præcepta Dominica cuſtodientes, in Dei veritate maneamus? Quare etſi aliqui de collegis noſtris exſtiterunt, fratres dilectiſſimi, qui deificam diſciplinam negligendam putant, & cum Baſilide & Martiale temerè communicant, conturbare fidem noſtram res iſta non debet, cùm Spiritus ſanctus in pſalmis talibus comminetur, dicens: Tu autem odiſti diſciplinam, & abiecisti ſermones meos retrò: ſi videbas furem concurrebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Conſortes & participes oſtendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati. Sed & hoc idem Paulus apoſtolus ſcribit & dicit: Suſurratores, detractores, abhorrentes Deo, iniurioſi, ſuperbi, iactantes ſui, adinuentores malorum, qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte ſunt digni, non tantùm qui faciunt ea, ſed & qui conſentiunt eis qui hæc agunt: quoniam qui talia, inquit, agunt, morte ſunt digni. Manifeſtat, & comprobat morte dignos eſſe, & ad pœnam venire non tantùm illos qui mala faciunt, ſed etiam eos qui talia agentibus conſentiunt, qui dum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur. Propter quod integritatis & fidei veſtræ religioſam ſollicitudinem fratres dilectiſſimi & laudamus pariter & probamus; & quantum poſſumus adhortamur litteris noſtris, ne vos cum profanis & maculatis ſacerdotibus communicatione ſacrilega miſceatis, ſed integram & ſinceram fidei veſtræ firmitatem religioſo timore ſeruetis. Opto vos fratres chariſſimi ſemper benè valere.

à numero pecuniarum quas in ſtipendium accipiebant, nuncupati, Dio lib. LIII. vbi de procur. Cæſ. καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις καὶ αὐτὸ τοῦτο ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων. Capitolinus in Pertinace: *Ad ducenûm ſeſtertiorum ſtipendium translatus in Daciam.* Vetus inſcriptio: *Procurator Auguſti prouincia Baetica ad ducena accipienda.* Apuleius, Mileſior. VII. *Procurator Principis ducenaria perfunctus.* Natio valde infeſta Chriſtianis. Etenim per occaſionem officij ſui omnia minima maxima quæ in prouinciis agerentur renunciabant. Itaque ab iis ſæpè vexati Confeſſores Chriſtiani nominis, niſi pactione turpi vexationem redimerent, ſicut ab iſto Martiale factum innuit Cyprianus. Titulus eſt lib. x. Cod. De exactionibus tributorum, vbi Conſtantinus Imp. vetat Ducenarios aliquem ex debitoribus conuenire priuſquam à tabulario ciuitatis nominatim breues accipiant debitorum. & l. ſeq. *Nemo carcerem*, inquit, *plumbatarúmque verbera, aut pondera, aliáque ab inſolentia iudicum reperta ſupplicia in debitorum ſolutionibus expaueſcat.* Et apud Euſebium legitur Epiſtola Synodi Antiochenæ ad Dionyſium Romæ, & Maximum Alexandriæ epiſcopos, qua patres Antiocheni tantam in Paulo Samoſateno fuiſſe ſuperbiam notant, vt Ducenarius aliquis haberi debuerit magis, quàm Epiſcopus, adeò prauè & inſolenter circa omnem fraternitatem ſatagebat. Verba Synodi, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro VI. capite 24. ſic habent, καὶ ὕψους ὑψηλοφρονεῖ καὶ ὑπερήφανται κοσμικὰ ἀξιώματα ὑποδυόμενος, καὶ δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι καὶ σοβῶν κατὰ τὰς ἀγορὰς καὶ ἐπιστολὰς ἀναγινώσκων καὶ ὑπαγορεύων ἅμα βαδίζων δημοσίᾳ καὶ δορυφορούμενος &c. Hocce igitur hominum genus valdè moleſtum, adeóq; odioſũ paſſim & inuiſum pleriſque vt etiam Circitorũ & curioſorum ſed præſertim Chriſtianis, qui ſæpiſſimè taliũ officiorum crudelitate comprehenſi ad poteſtates rapiebantur Eulogius Archiepiſcopus Alexandrinus libro de diſciplina eccleſiaſtica aduerſus Nouatum, mentionem facit cõmentarij cuiuſdam Nouatiani, cuius hanc fuiſſe hypotheſin refert, ὅτι βασιλευόντων Ῥωμαίων Δεκίου καὶ Οὐαλεριανοῦ, Περέννιος Δουκηνάριος πρόσταγμα λαβὼν παρ' αὐτῶν παῖδας τοὺς αἰδ τὴν Ῥώμην καὶ δὶς ἐπαρχίας Χριστιανοῖς βαρυτάταις βασάνοις καὶ ποικίλαις τιμωρίαις εἰδωλολατρεῖν ἐβιάζετο. καὶ πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι ἐνεδίδουν τῇ βίᾳ, &c. Videantur quæ de Beneficiariis & Curioſis ad Tertullianum obſeruauimus & quæ ad vltimam Cypriani epiſtolam de Frumentariis: ſed in primis quæ ad Capitolini Pertinacem Salmaſius. *Idem*

a HAEC FVTVRA APPROPINQVANTE ANTICHRISTO.) Nec mirandum nobis hodie quod etiam peiora videamus, antichriſto non iam appropinquante, ſed longè latéque regnante atque triumphante. Hæc nouiſſimis temporibus futura prædixit Chriſtus, prædixerunt Apoſtoli. & adhuc peraguntur illa nouiſſima tempora, quæ quidem, præ æternitate, momentanea ſunt & breuiſſima. Ceterùm nouiſſima dicuntur, poſt quæ non alia venient, vſque dum veniat iterùm Chriſtus, ſplendida facturus de Antichriſto deque Antichriſtianis arbitria. *Idem.*

b EVANGELICVS VIGOR CECIDIT.) Sequentia verò ſecula Chriſtum ſibi fecerunt imperiis & bellis & pontificiis & gazis accommodatiſſimum *Idem.*

c VIGOR CECIDIT) In Corbeïenſi, *timor.* Et mox ſequitur. *Honorem diuinæ maieſtatis & ſacerdotalem dignitatem plena timoris obſeruatione tueatur. Idem.*

d HVMANOS ERRORES.) Rurſus opponit humanis erroribus præcepta Dominica. humanos errores dicit, & mendacia, quam ſuprà dixit humanam præſumptionem, hominum commenta. *Idem*

e NOCENTIVM CONTACTIBVS POLLVVNTVR.) Pacianus Epiſt. III. *reiicere nocentes, attactus peccantium fugere. Idem.*

ſtum, & templum, & ſacerdotium perdidiſſent. Sed quamuis in falſis & ſpoliatis ſacerdotibus vmbram tamen ipſam inanem ſacerdotalis nominis cogitans, dixerit: Neſciebam fratres quia pontifex eſt; ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Niſi ſi ſacerdos tibi fui ante perſecutionem, quando mecum communicabas; poſt perſecutionem ſacerdos eſſe deſiui. Perſecutio enim veniens te ad ſummam martyrij ſublimitatem prouexit: me autem [a] proſcriptionis onere depreſſit, cùm publicè legeretur: Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilij Cypriani [b] epiſcopi Chriſtianorum; vt etiam qui non credebant Deo epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederent epiſcopum proſcribenti. [c] Nec hæc iacto, ſed dolens profero, cum te iudicem Dei conſtituas & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit. Et qui reiicit vos, me reiicit, & eum qui me miſit: Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, dum epiſcopus qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam præpoſitos & ſacerdotes vocare; ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, [d] ecce iam ſex annis nec fraternitas habuerit epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus antiſtitem, nec Deus ſacerdotem? Subueniat Puppianus & ſententiam dicat: & iudicium Dei & Chriſti in acceptum referat; ne tantus fidelium numerus, qui ſub nobis accerſitus eſt, ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe videatur; nec nouus credentium populus nullam per nos conſecutus eſſe baptiſmi & Spiritus ſancti gratiam iudicetur; ne tot lapſis & pœnitentibus, pax data, & communicatio noſtra examinatione conceſſa, iudicij tui auctoritate ſoluatur. Annue aliquando & dignare pronunciare de nobis, & epiſcopatum noſtrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, vt Deus & Chriſtus eius agere tibi gratias poſſint, quod per te ſit antiſtes & rector altari eorum pariter & plebi reſtitutus. [e] Apes habent regem, & ducem pecudes, [f] & fidem ſeruant Latrones, mancipi, obſequio pleno humilitatis obtemperant. Quantò ſimpliciores & meliores vobis ſunt brutæ pecudes, & muta animalia, & cruenti licet ac furentes inter gladios atque inter arma prædones? Præpoſitus illic agnoſcitur & timetur, quem non ſententia diuina conſtituit, ſed in quem factio perdita & nocentis caterua conſenſit. Dixiſti ſanè ſcrupulum tibi eſſe tollendum de animo, in quem incidiſti. Incidiſti, ſed tua crudelitate irreligioſa. Incidiſti ſed tua mente, & voluntate ſacrilega, dum inceſta, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra ſacerdotem facilè audis, libenter credis; aliena mendacia quaſi propria & priuata defendis; nec recordaris ſcriptum eſſe: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, & iterùm: Malus obaudit linguæ iniquorum, iuſtus autem non intendit labiis mendacibus. Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt martyres Sancto-Spiritu pleni, & ad conſpectum Dei & Chriſti eius, paſſione iam proximi? qui ad Cyprianum epiſcopum litteras de carcere direxerunt, ſacerdotem Dei agnoſcentes & conteſtantes ei. Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt tot coepiſcopi collegæ mei, qui vel [g] cùm de medio recederent, proſcripti ſunt, vel apprehenſi in carcere & in catenis fuerunt, aut qui in exilium relegati, illuſtri itinere ad Dominum profecti ſunt, aut qui quibuſdam locis [h] animaduerſi cæleſtes coronas [i] de Domini clarificatione ſumpſerunt? Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt de plebe iſta noſtra quæ apud nos eſt, & nobis de Dei dignatione commiſſa eſt, tot [k] confeſſores quæſtionati & torti & inſignium

a PROSCRIPTIONIS ONERE DEPRESSIT.) Sic edidere Manutius & Pamelius, & appoſitiſſimè quidem committitur Cyprianus proſcriptionis onere depreſſus cum Florentio ad ſummam martyrij ſublimitatem prouecto. minimè tamen ſpernenda eſt Beneuentani exemplaris antiquiſſimi ſcriptura, *proſcriptionis horrore*, vnde fluxiſſe arbitror quod in Veronenſi legitur; *proſcriptionis honore*, ex eóque natum illud quod habent editiones, *proſcriptionis onere*. quod vulgo placuit, vt conuenientius verbo quod ſequitur, depreſſit. RIG.

b EPISCOPI CHRISTIANORVM) Suprà, Epiſt. LV. dixit, *applicito & adiuncto epiſcopatus ſui nomine*. Itaque proſcriptus, quia Epiſcopus: propter hoc tantùm, non proptereà quòd Epiſcopus Carthaginis; ſed quia Chriſtianorum epiſcopus. *Idem.*

c NEC HAEC IACTO SED DOLENS PROFERO.) Epiſt. LV. *Dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulſus*, &c *Idem.*

d ECCE IAM SEX ANNIS,] Hunc colorem ante biennium dixerat aduerſus Fortunatum & Feliciſſimum, Epiſt. LV. *Idem.*

d *Ecce iam ſex annis.* Quum igitur hanc epiſtolam ſcripſit, ſex annis epiſcopatum egerat, duobus itaque annis ſcripta eſt hæc poſt illam 55. quæ cum ſub finem vitæ Cornelij ſcripta, & vno anno dumtaxat Lucius Romanum pontificatum geſſerit, certò colligitur ſub Stephano ſcriptam hanc Epiſtolam. PAM.

e APES HABENT REGEM.] Idem lib. de idolor. van. *Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus* Tales argutiæ tractari ſolent in ſcholis, & de ortygometra duce agminis cuiuſque coturnicum, & de gruibus. nam & ducem eligunt quem ſequantur, quique erecto collo prouideat, & cetera huiuſmodi. ex quibus hoc colligitur, ſingulis alueis, ſingulis gregibus, ſingulis armentis, agminibus ſingulis regem, ducem, rectorem eſſe ſuum, œcumenicum nullum. RIG.

f ET FIDEM SERVANT LATRONES MANCIPI.] A quo ſunt conducti ad facinus aliquod. Mancipem vocat factionis magiſtrum. *Idem.*

g CVM DE MEDIO RECEDERENT.] Synodo ſoluta, poſt impoſitam mihi manum recedentes. *Idem.*

h *Animaduerſi.* Vti alias ſæpè ita & hic voce Iureconſultis vſitata vtitur; nam ita alicubi etiam loquitur. Paulus Iureconſultus; animaduerſorum, id eſt, morte punitorum corpora ſepulturæ danda, Africanis proconſulibus eamdem in vſu fuiſſe patet ex ſententia lata in Cyprianum, hac nempè: Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet, quam habes tum in actu Paſſionis eius, tum in ſerm. D. Aug. de D. Cypriano. PAM.

i DE DOMINI CLARIFICATIONE) Sæpè aliàs dixit, Domini dignatione. &, quos Dominus voluit claros fieri martyrio. & de iſto quidem Puppiano, initio huius Epiſt. *claritatis & martyrij tui dignitas.* RIG.

k CONFESSORES QVAESTIONATI.] A quæſtione. Sic Lucianus martyr Epiſt XXI. dixit, *Paulum à quæſtione*. Obſeruandum hic Confeſſores dici primùm quæ-

gnium vulnerum & cicatricum memoria glorioſi? tot virgines integræ? tot laudabiles viduæ? Eccleſiæ denique vniuerſæ per totum mundum nobiſcum vnitatis vinculo copulatæ? Niſi ſi omnes iſti communicantes mecum, ſecundùm quod ſcripſiſti, polluto noſtro ore polluti ſunt, & ſpem vitæ æternæ communicationis noſtræ contagione perdiderunt; Pupianus ſolus integer, inuiolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in paradiſo atque in regno cælorum ſolus habitabit. Scripſiſti quoque quod Eccleſia nunc propter me portionem ſui in diſperſo habeat, quando omnis Eccleſiæ populus & collectus ſit & adunatus & indiuidua concordia ſibi iunctus; ſoli illi foris remanſerint, qui & ſi intus eſſent, eiiciendi fuerant: nec patiatur Dominus populi ſui protector & tutor triticum de area ſua diripi, ſed ſolæ poſſint paleæ de Eccleſia ſeparari, quando & Apoſtolus dicat: quid enim ſi exciderunt à fide quidam illorum? Numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Et Dominus quoque in Euangelio, cùm eum loquentem diſcipuli derelinquerent, conuerſus ad duodecim dixerit: Numquid & vos vultis ire? Reſpondet ei Petrus dicens: Domine [a] ad quem imus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. [b] Loquitur illic Petrus, ſuper quem ædificata fuerat eccleſia; Eccleſiæ nomine docens & oſtendens, quia etſi contumax ac ſuperba obaudire volentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen à Chriſto non recedit; & illi ſunt Eccleſia plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Vnde ſcire debes Epiſcopum in eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſit, in eccleſia non eſſe; & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt; quando eccleſia quæ catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neque diuiſa, ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata. Quamobrem frater, ſi maieſtatem Dei, qui ſacerdotes ordinat, cogitaueris: ſi Chriſtum, qui arbitrio, & nutu, ac præſentia ſua & præpoſitos ipſos, & eccleſiam cum præpoſitis gubernat, aliquando reſpexeris; ſi de innocentia ſacerdotum [c] non humano odio, ſed diuino iudicio credideris, ſi temeritatis & ſuperbiæ atque inſolentiæ tuæ agere vel ſerò pœnitentiam cœperis, ſi Deo & Chriſto eius, quibus ſeruio, & quibus [d] puro atque immaculato ore ſacrificia & in perſecutione pariter & in pace indeſinenter offero, pleniſſimè ſatisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos diuinæ cenſuræ reſpectu, & metu; vt priùs Dominum meum conſulam an tibi pacem dari, & te ad communicationem Eccleſiæ ſuæ admitti ſua oſtenſione & admonitione permittat. [e] Memini enim quid iam mihi ſit oſtenſum, [f] immò quid ſeruo obſequenti, & timenti de Dominica & diuina auctoritate præceptum; qui inter cætera quæ oſtendere & reuelare dignatus eſt, & hoc addidit: Itaque qui Chriſto non credere ſacerdotem facienti, poſteà credere incipit ſacerdotem vindicanti. Quamquam ſciam ſomnia ridicula & viſiones ineptas quibuſdam videri, ſed vtique illis qui malunt contra ſacerdotes credere, quàm ſacerdoti. Sed nihil mirum, quando de Ioſeph fratres ſui dixerunt: Ecce ſomniator ille venit; Nunc ergo venite, occidamus illum, & ſomniator poſteà quod ſomniauerat, conſecutus ſit; & occiſores ac venditores confuſi ſint: vt qui verbis priùs non credidiſſent, factis poſtmodum crederent. De iis autem quæ tu egiſti vel in perſecutione, vel in pace, ſtultum eſt, vt velim te iudicare, quando tu magis iudicem te noſtri conſtitueris. Hæc pro animi mei pura conſcientia, & Dei mei fiducia reſcripſi. Habes tu litteras meas, & ego tuas: in die iudicij ante tribunal Chriſti vtræque recitabuntur.

ſtionatos, deinde, tortos. Etenim cognitione data, habetur quæſtio primùm, dein tormenta adhibentur. R I G.

a AD QVEM IMVS?] In Beneuentano. *abimus*. In Veronenſi: *Ad quem imus? Verbum vitæ æternæ habes. Idem.*

b LOQVITVR ILLIC PETRVS.] Ioannis cap. VII. Quid verò loquitur? Loquitur ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia, Chriſtum ſcilicet, filium Dei viui. Etenim Petrus iam ediderat præclaram illam veræ Fidei profeſſionem, Chriſtum eſſe filium Dei viui, quam profeſſionem Chriſtus petram eſſe dixit, & ſuper hanc petram ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam. Matthæi XVI. 18. Hoc tamen loco & quibuſdam aliis Cyprianus Eccleſiam ſuper Petrum fundatam eſſe dicit. quod ferri quidem poteſt reſpicientibus, non iam ad Simonem, ſed ad Petrum, à petra, hoc eſt firmitate fidei profeſſæ nuncupatum, à petra Chriſto. *Idem.*

c NON HVMANO ODIO, SED IVDICIO DIVINO.) Sic Epiſt. præced. Humanos errores & mendacia relinquamus, præcepta Dominica cuſtodientes. *Idem.*

d PVRO ATQVE IMMACVLATO ORE SACRIFICIA INDESINENTER OFFERO. Preces, de corde ſincero, de conſcientia pura & caſta. *Idem.*

e MEMINI ENIM QVID IAM MIHI SIT OSTENSVM. Hic etiam vtitur oſtenſionibus & viſionibus, telo ad conterendos aduerſarios, in manu præſertim Cypriani, viri optimi atque diuini, valentiſſimo: aliàs vano ac futili. Nam & callidus rhetor & ſophiſta vafer huiuſmodi viſa ad cauſam ſuam appoſitiſſima poterit comminiſci, & fallere incautos & ſimplices. *Idem.*

f IMMO QVOD SERVO OBSEQVENTI. Et hoc quod ſeruat obſequenti, præceptum ſibi eſſe dicit oſtento illo dominico & diuino. quod certè animum Florentij perterrere potuit, fortean aduerſis poſteà caſibus adflicti. *Idem.*

AD IANVARIVM ET CÆTEROS EPISCOPOS NVMIDAS de Baptizandis hæreticis.

a CYPRIANVS, LIBERALIS, CALDONIVS IVNIVS, &c. IANVARIO, SATVRNINO, MAXIMO, VICTORI, ALTERI VICTORI, CASSIO, PROCVLO, MODIANO, CITTINO, GARGILIO, EVTICHIANO, ALTERI GARGILIO, ALTERI SATVRNINO, NEMESIANO, NAMPVLO, ANTONIANO, ROGATIANO, HONORATO, FRATRIBVS, SALVTEM.

b CVM ſimul in concilio eſſemus fratres chariſſimi, legimus litteras veſtras, LXIX
quas ad nos feciſtis, de iis qui apud hæreticos & ſchiſmaticos baptizari videntur, an ad eccleſiam catholicam, quæ vna eſt, venientes baptizari debeant. De qua re quamquam & ipſi illic veritatem & firmitatem catholicæ regulæ teneatis; tamen quoniam conſulendos nos pro communi dilectione exiſtimaſtis, c ſententiam noſtram non nouam promimus, ſed iam pridem ab anteceſſoribus noſtris ſtatutam, & à nobis obſeruatam, vobiſcum d pari conſenſione coniungimus; cenſentes ſcilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra eccleſiam poſſe, cum ſit baptiſma vnum in ſancta eccleſia conſtitutum, & ſcriptum ſit Domino dicente: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt ſibi e lacus detritos f qui non poſſunt aquam portare. Et iterùm diuina ſcriptura moneat & dicat: Ab aqua aliena abſtine te, & à fonte aquæ alienæ ne biberis. Oportet ergo mundari & ſanctificari aquam priùs à ſacerdote, vt poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptizatur, abluere; quia per Ezechielem prophetam dominus dicit: Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulacris veſtris, emundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vobis. Quo modo autem mundare & ſanctificare aquam poteſt, qui ipſe immundus eſt, & apud quem Spiritus ſanctus non eſt? cum Dominus dicat in Numeris: Et omnia quæcumque tetigerit immundus, immunda erunt. Aut quo modo baptizans dare alteri remiſſam peccatorum poteſt, qui ipſe ſua peccata deponere extra Eccleſiam non poteſt) g Sed & ipſa interrogatio quæ fit in baptiſmo teſtis eſt veritatis. Nam cùm dicimus: Credis in vitam æternam, & remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam? intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in Eccleſia dari, h apud hæreticos autem, vbi Eccleſia non ſit, non poſſe peccata dimitti. itaque i qui hæreticos aſſerunt, aut interrogationem mutent, aut vindicent veritatem; niſi ſi eis & Eccleſiam tribuunt, quos baptiſma habere contendunt. Vngi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, vt accepto chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & k habere in ſe gratiam Chriſti poſſit. l Porrò autem Euchariſtia, & vnde baptizati vnguntur oleum in altari ſanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Vnde nec vnctio

a CYPRIANVS, LIBERALIS, CALD. Huius epiſtolæ titulus in Corbeïenſi, Veronenſi & Neapolitano ſic concipitur: *Cyprianus cum collegis, Ianuario & ceteris coepiſcopis fratribus ſalutem.* At in codice Remenſi: *Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Iunius, Primus, Cæcilius, Polycarpus, Nicomedes, Felix, Marrucius, Succeſſus, Lucilianus, Honoratus, Fortunatus, Victor, Donatus, Lucilius, Herculanus, Pomponius, Demetrius, Quintus, Saturninus, Ianuarius, Marcus, alius Saturninus, alius Donatus, Rogatianus, Sedatus, Tertullus, Hortenſianus, item alius Saturninus, Sattius. Ianuario, Saturnino, Nemeſiano, Euthychiano, alio Gargilio, Napulo, Antoniano, & Honorato fratribus ſalutem.* In altero item remenſi, pro Iulio, Marrucio, Luciliano, Lucilio, Herculano, legitur: *Iunius, Mauricius, Lucianus, Lucius, Herculianus.* Et poſt Ianuarium & Saturninum, adiicitur: *Maximo, Victori, alio Victori, Caßio, Proculo, Modiano, Titino, Gargilio, Eutychiano, alio Gargilio, alio Saturnino.* Ceterùm, qui hic Sattius dicitur, Epiſt. LIV. in cod. Corbeïenſi Fattius nuncupatur. Epiſtola verò hæc LXX. exſtat apud Balſamonem & Zonaram verſa Græcobarbarè, ac pleriſque locis ineptè & abſurdè. RIG.

b CVM SIMVL IN CONCILIO. Græculus interpres, *ἐν κοινοβουλίῳ* *Idem.*

c SENTENTIAM NOSTRAM NON NOVAM. Verſio Gr. habet aliquid amplius: *οὐ πρόσφατον γνώμην οὐδὲ νῦν ἱδρασμένην προσφέρομεν, ἀλλὰ τὴν πάλαι ὑπὸ τῶν προγενεστέρων ἡμῶν μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐπιμελείας δεδοκιμασμένην, καὶ ὑφ' ἡμῶν παρατηρηθεῖσαν κοινώσαντες ὑμῖν καὶ συζεύγνυμεν. Idem.*

d PARI CONSENSIONE. In Corbeïenſi, pari confeſſione. *Idem.*

e LACVS DETRITOS. *λάκκους συντετριμμένους.* Vulg. ciſternas diſſipatas, hoc eſt, rimarum plenas, hac illáeque perfluentes. Pacianus Epiſt. III. non conſecrata ſede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamauit. Hieronymus aduerſus Luciferianos: *Conatus eſt & beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcircò hæreticorum baptiſma reprobans ad Stephanum, tunc Romanæ vrbis epiſcopum, qui à beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit. Idem.*

f QVI NON POSSVNT AQVAM PORTARE. Septuaginta, dixerant: *ὕδωρ συνέχειν.* Apud Balſam. & Zonaram legitur *σώχειν.* Apud Tertul. *foderunt ſibi lacus contritos, qui non poterant aquam continere. Idem.*

g SED ET IPSA INTERROGATIO QVAE FIT IN BAPTISMO. Dum mergitamur, inquit Tertullianus, amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit, ſub Antiſtitis manu conteſtamur. *Idem.*

h *Apud hæreticos autem vbi eccleſia non ſit.* Renuntiatio quæ fiebat in baptiſmo, non in baptiſterio, quod *μητέρα τῆς υἱοθεσίας matrem adoptionis* vocat S. Dionyſius de eccl. hier. cap. 2. ſed in eccleſia quæ eidem eſt ſacer locus, *ἱερὸς χῶρος* celebrabatur, atque etiam admota antiſtitis manu Baptizandi capiti, nam tunc iubebat antiſtes *verba exurationis profiteri τὰς τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι.* PRI.

i QVI HAERETICOS ASSERVNT. Verſio Græca: *οἱ αἱρετικῶν συνήγοροι.* RIG.

k HABERE IN SE GRATIAM CHRISTI POSSIT. Suauitatem, quæ vnctione ſignificatur. Chriſtianus, inquit Septimius, quantum interpretatio eſt, ab vnctione deducitur. Sed & cùm perperam Chriſtianus pronunciatur, de ſuauitate vel benignitate impoſitum eſt. *Idem.*

l PORRO AVTEM EVCHARISTIA, ET VNDE BAPTIZATI VNGVNTVR OLEVM IN ALTARI SANCTIFICATVR. Veram eſſe arbitramur ſcripturam quam edidit Manucius. *Porrò autem euchariſtia eſt*

vnctio ſpiritalis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omninò non poſſe. Scire autem, & meminiſſe debemus, ſcriptum eſſe: Oleum peccatoris non vngat caput meum, quod antè in pſalmis præmonuit Spiritus ſanctus, ne quis exorbitans, & à via veritatis exerrans, apud hæreticos & Christi aduerſarios vngeretur. [a] Sed & baptizato quam precem facere poteſt ſacerdos ſacrilegus & peccator? cùm ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit: ſed qui eum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Quis autem poteſt dare quod ipſe non habeat? aut quo modo poteſt [b] ſpiritalia agere, qui ipſe amiſerit Spiritum-ſanctum? Et iccircò baptizandus eſt & innouandus qui ad Eccleſiam rudis venit vt intus per ſanctos ſanctificetur, quia ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum, dicit Dominus: vt [c] qui in errorem ſeductus eſt, & foris tinctus, in baptiſmo verò & Eccleſiaſtico etiam hoc ipſum deponat, quòd homo ad Deum veniens, dũ ſacerdotem quærit, in ſacrilegũ fraude erroris incurrit. Cæterùm probare eſt hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſma, conſentire in id, quod illi baptizauerint. Neq; enim poteſt pars illic inanis eſſe, & pars præualere. Si baptizare potuit, potuit & Spiritum ſanctum dare: Si autem Spiritum-ſanctum dare non poteſt; quia foris conſtitutus [d] cum ſancto Spiritu non eſt; nec baptizare venientem poteſt; quando & baptiſma vnum ſit, & Spiritus ſanctus vnus, & vna [e] Eccleſia à Christo Domino ſuper Petrum origine vnitatis & ratione fundata. Ita fit, vt cùm omnia apud illos inania & falſa ſint, nihil eorum, quod illi geſſerint, probari à nobis debeat. quid enim poteſt, ratum, & firmum eſſe apud Deum quod illi faciunt, quos Dominus hoſtes, & aduerſarios ſuos dicit, in Euangelio ſuo ponens: Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit? Et beatus quoque Apoſtolus Ioannes mandata Domini & præcepta cuſtodiens in epiſtola ſua poſuerit: Audiſtis quia antichriſtus venit, nunc autem antichriſti multi facti ſunt, vnde cognoſcimus quia nouiſſima hora eſt. Ex nobis exierunt ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Vnde nos quoque [f] colligere & conſiderare debemus, an qui aduerſarij ſunt Domini, & appellati ſunt antichriſti, poſſint dare gratiam Chriſti. Quare qui cum Domino ſumus, & vnitatem Domini tenemus & ſecundùm eius dignationem ſacerdotium eius in Eccleſia adminiſtramus, quæcumque aduerſarij eius, & antichriſti faciunt, repudiare & reiicere, [g] & pro profanis habere debemus, [h] & eis qui de errore & prauitate venientes agnoſcunt vnius Eccleſiæ veram fidem, [i] dare illis per omnia diuinæ gratiæ ſacramenta vnitatis, & fidei veritatem. Optamus vos fratres chariſſimi ſemper benè valere.

vnde baptizati vnguntur, oleum in altari ſanctificatum. Sic perſuadent exemplaria. Nam in Corbeïenſi legitur, *Porrò autem eucharistia eſt vnde baptizati vnguntur oleo in altari ſanctificato* in Veronenſi, & Thuaneo, ſicut in Manuciana editione. Perperam Græci apud Zon. & Bals. *ἁγιάζεσθαι ἔλαιον εἰς εὐχαριστίαν.* At præclarè Cyprianus dixerat, euchariſtiam eſſe, oleum in altari ſanctificatum. oleum ſcilicet per ἔντευξιν, hoc eſt interpellationem ſiue inuocationem diuini numinis, per laudes & gratias Deo fuſas & nuncuparas benedictum. Sic Matthæus & Marcus & Ioannes euchariſtiam dixerunt eulogiam, nec tantùm in cœnæ Dominicæ inſtitutione, verùm etiam in panum multiplicatione. quod Euangeliſtarum verbis accuratè collatis facilè deprehenditur. Rig.

a Sed et baptizato.) Gr. ὑπὲρ τοῦ βαπτισθέντος. *Idem.*

b Spiritalia agere.) Gr. πνευματικὰ ἐργάζεσθαι. *Idem.*

c Qui in errorem seductus est.] Gr. ὁ ἐπὶ πλάνης βουκοληθείς. *Idem.*

d Cum sancto spiritu non est.] Gr. πνεῦμα ἅγιον οὐκ ἔχει. *Idem.*

e Ecclesia super Petrum origine vnitatis et ratione fundata.) Verſio Græca tantùm habet: ἐπάνω Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ἀρχῆθεν ἑνότητος τεθεμελιωμένη. Ipſe Cyprianus lib. de vnitate Eccleſ. *Super vnum ædificat Eccleſiam.* Et paulò poſt: *Vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* Pacianus Epiſt. III. *Ad Petrum locutus eſt Dominus: ad vnum ideò, vt vnitatem fundaret ex vno. mox idipſum in commune præcipiens. Idem.*

f Colligere et considerare debemus.] In Veronenſi tantùm: *colligere debemus.* Græca verſio ſυνιέναι καὶ νοεῖν. *Idem.*

g Et pro profanis habere.] In Veronenſi *& profana habere Idem.*

h Et eis qui de errore et pravitate venientes. Veram lectionem exhibet Veronenſis ſcriptura, *Et, ſi qui.* In Corbeïenſi: *Et ſi quidam errorem & prauitatem reſtientes, Idem.*

i Dare illis per omnia divinae gratiae sacramenta vnitatis et fidei veritatem.] Legendum, vt in Beneuentano & Veronenſi: *dare illis, per omnia diuina gratiâ ſacramenta, & vnitatis & fidei veritatem.* Græci legiſſe videntur, *& vnitatis & fidei & veritatis Idem.*

AD QVINTVM DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

CYPRIANVS [a] QVINTO FRATRI SALVTEM.

LXXI. Retulit ad me, frater chariſſime, Lucianus compreſbyter noſter, te deſideraſſe, vt ſignificaremus tibi, quid ſentiamus de his qui apud hæreticos, & ſchiſmaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coepiſcopi cum compreſbyteris qui aderant cenſuerimus, vt ſcires, eiuſdem epiſtolæ exemplum tibi miſi. Neſcio etenim qua præſumptione ducuntur quidam de collegis noſtris, vt putent eos [b] qui apud hæreticos tincti ſunt, quando ad nos venerint,

a Qvinto fratri.) Hunc & collegam ſuum vocat, & in Mauritania cónſtitutum fuiſſe teſtatur Epiſtola ſequenti, vbi etiam meminit huius epiſtolæ. Rig.

b *Eos qui apud hæreticos tincti ſunt.* Pro Cypriano facit canon Apoſtol. 45. quo deponuntur epiſcopi aut preſbyteri, hæreticorum baptiſma aut ſacrificium admittentes. Baptiſmum autem iteratò fieri non cenſuit Cyprianus, vt in hac epiſtola patet, nam hæreticorum baptiſma nullum eſſe exiſtimabat. Pri.

venerint, baptizari non oportere; eò quòd dicant vnum baptiſma eſſe, quod vnum ſcilicet in Eccleſia Catholica eſt. [a] Quæ Eccleſia ſi vna eſt, eſſe baptiſma extra Eccleſiam non poteſt. Nam cùm duo baptiſmata eſſe non poſſint, ſi hæretici verè baptizant, ipſi habent baptiſma. Et qui hoc illis patrocinium de auctoritate ſua præſtat, cedit illis & conſentit; vt hoſtes & aduerſarij Chriſti habere videantur abluendi, & purificandi, & ſanctificandi hominis poteſtatem. Nos autem dicimus eos qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, vbi nihil eſt; ſed veniunt ad nos, vt hîc accipiant, vbi & gratia & veritas omnis eſt; quia & gratia & veritas vna eſt. Porrò autem quidam de collegis noſtris malunt hæreticis honorem dare, quàm nobis conſentire: & dum Vnius baptiſmi aſſeueratione baptizare venientes nolunt, ſic aut duo baptiſmata ipſi faciunt, [b] dum & apud hæreticos baptiſma eſſe dicunt; aut certè quod eſt grauius, hæreticorum ſordidam & profanam tinctionem, vero, & vnico, & legitimo Eccleſiæ catholicæ baptiſmo præponere & præferre contendunt: non conſiderantes ſcriptum eſſe: [c] Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? Manifeſtum eſt autem eos qui non ſunt in Eccleſia Chriſti, inter mortuos computari, nec poſſe ab eo viuificari alterum, qui ipſe non viuat; quando vna ſit Eccleſia, quæ vitæ æternæ gratiam conſecuta & viuit in æternum, & viuificat Dei populum. Et dicunt ſe in hoc veterem conſuetudinem ſequi; quando apud veteres, hæreſeos, & ſchiſmatum prima adhuc fuerint initia, vt hi illic eſſent, qui de Eccleſia recedebant, & hic baptizati priùs fuerant; quos tunc tamen ad Eccleſiam reuertentes, & pœnitentiam agentes neceſſe non erat baptizare. Quod nos quoque hodie obſeruamus, vt quos conſtet hîc baptizatos eſſe, & à nobis ad hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito, & [d] errore digeſto, ad veritatem & matricem redeant, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere; vt quia ouis fuerat, hanc [e] ouem abalienatam & errabundam in ouile ſuum paſtor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit, baptizatus in Eccleſia priùs non fuit ſed alienus in totum & profanus venit, baptizandus eſt, vt ouis fiat, quia vna eſt aqua in Eccleſia ſancta quæ oues faciat. Et iccircò quia nihil poteſt eſſe commune mendacio & veritati, tenebris & luci, morti & immortalitati, antichriſto & Chriſto; per omnia debemus Eccleſiæ Catholicæ vnitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis hoſtibus cedere. [f] Non eſt au-

a QVAE ECCLESIA SI VNA EST.] Verior eſſe videtur ſcriptura Corbeïenſis: *quæ Eccleſia ſi eſt vna, & eſſe baptiſma præter eccleſiam non poteſt* In vno Regio legitur: *quod vnum ſcilicet in eccleſia vna eſt: & eſſe baptiſma præter eccleſiam non poteſt.* RIG.

b DVM ET APVD HAERETICOS BAPTISMA ESSE DICVNT] Atque inter Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, diſertiſſimè habetur, canone, 46. *τοὺς παρὰ τῶν αἱρετικῶν βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας, ἔτι πιστοὺς ἢ τῶν κληρικοὺς εἶναι δυνατόν.* vid. & can. 68 *Idem.*

c QVI BAPTIZATVR A MORTVO, QVID PROFICIT LAVATIO EIVS?) Sæpenumero quidem noſter Gyprianus & alij Patres, arripiunt de Scripturis quidquid vel ſolo verborum ſono facere ad propoſitum videtur, etſi longè alio ſit audiendum ſenſu: cuiuſmodi aliqua notauimus in præcedentibus. Quod verò hîc de tricefimo Eccleſiaſtici capite citarum plerique putant, omninò abludit ab Sapientia Siracidis. Rectiſſimè autem Cyprianus ait, hæreticos & ſchiſmaticos, qui extra eccleſiam ſunt, inter mortuos computari, nempe mortuos ſpiritaliter. At nihil tale ſibi voluit Siracides, qui hoc tantùm dixit: Eum qui à mortuo, *ἀπὸ νεκροῦ*, hoc eſt, à contactu mortui, lauit, & abluit quod immundi contraxerat ex contage cadaueris, ſi poſteà reuertatur ad cadaueris contactum, iam illam ſuam lauationem perdidiſſe, quia nouo mortui contactu ſeſe contaminauit. quæ ſententia nihil omninò facit ad mentem Cypriani. Ergo quiſquis auctor fuit iſtius dicti, *Qui à mortuo baptizatur, quid proficit lauatio eius?* hoc enim primitus à Cypriano vſurpatum fuiſſe numquam crediderim, appellatione mortui aliquem intellexit ex Diis gentium, qui homines quondam fuerant, & iam cùm inter Deos cenſeri incipiebant, erant mortui: aut ſi non aliquem ex talibus Diis, ſaltem aliquem ex eiuſmodi Deorum ſacerdotibus ſiue cultoribus, qui etiam à Chriſtianis inter mortuos ſeculi computabantur. Itaque auctor iſtius dicti, vt verba Siracidis ad ſuum de extra Eccleſiam baptizatis ſenſum transferret, omiſit quod apud Siracidem ſequitur, *& iterùm tangit eum*; quo certè omiſſo, tota mens Siracidis eliditur: ex eoque quòd à Siracide dictum fuerat, *Qui à mortuo baptizatur & iterùm tangit eum, non proficit lauatio eius,* dictum prorſus aliud expreſſit: *Qui baptizatur à mortuo, non proficit lauatio eius.* quod idiotis Chriſtianorum, ob eam, quæ fuit ipſis notiſſima, mortuorum appellationem, cùm mirè placuiſſet, neglecto iam Siracidis ſenſu, in prouerbium abiit. Hoc Igitur Cyprianum, non ex Siracide, ſed ex vulgi prouerbio ſumpſiſſe malim equidem arbitrari, quàm dicere virum tantum non legiſſe, aut non intellexiſſe Siracidem. Enimuerò, ſic etiam opinatum eſſe Auguſtinum, ex eo colligitur, quòd in prolixa aduerſus Creſconium diſputatione, qua Cypriani ſententiam ſatis acriter refellit, hæc ipſa verba à Cypriano prolata non ad Siracidis mentem retrahit, ſed ex ore vulgi, vti tum ferebantur, excepta ſic interpretatur, vt definiat baptiſmum à mortuo, hoc eſt hæretico ſiue ſchiſmatico, extra Eccleſiam datum, tunc incipere baptizato proficere, cùm taliter baptizatus tranſit ad corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia Dei viui. *Idem.*

d QVI BAPTIZATVR A MORTVO) Hoc ita citatur etiam à Quieto Ep. Buruchenſi, in Concil. Carth. & ab Auguſtino lib. I. contra Petilianum, cap. 9 *Item cùm audierit, Qui baptizatur à mortuo, non ei prodeſt lauatio eius, reſpondebit: Viuit Chriſtus, &c. Baptizantur autem à mortuis; qui baptizantur in idolorum templis. non enim & ipſi à ſacerdotibus ſuis ſe accipere arbitrantur ſanctificationem quam putant, ſed à Diis, qui quoniam homines fuerunt, & ita mortui ſunt. Idem.*

e ERRORE DIGESTO.] Vetus exemplar, *degeſto.* Ouidius, Chaos antiquum deſcribens, molem fuiſſe ait rudem & indigeſtam. indigeſta dicuntur, quæ ſunt confuſa & conturbata: contrà verò digeſta, quando ſunt ordine quæque ſuo diſpoſita. Sic Tertullianus lib. de Patientia: *Quid ſectandum ſit magis illuminabis, ſi quod vitandum ſit proinde digeſſeris. Idem.*

f OVEM ABALIENATAM ET ERRABVNDAM.] Hic variant exemplaria. In Corbeïenſi, *abalienatam.* In quibuſdam legitur, *abiectam*; in aliis, *abactam*: in Veronenſi & Thuaneo, *abigeatam.* vnde veriſſimam eſſe arbitror; *abigeatam* Gloſſæ veteres: Abigator, abactor. Abigeus, *ἀπελάτης.* Et Iuris auctores dixere, crimen abigeatus. *Idem.*

g NON EST AVTEM DE CONSVETVDINE PRAESCRIBENDVM.) Et tamen poſt multas diſceptationes conſuetudo vicit. Hoc teſtatur Hieronymus apertiſſimè, aduerſus Lucifer. Denique illi ipſi epiſcopi, inquit, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum. Quid facimus? ita & nobis maiores noſtri, & illis ſui tradidère maiores. Auguſtinus lib III. contra Creſc. cap. 31 Hæc conſuetudo eccleſiæ fuit ante concilium Cypriani. hæc ſuperari & auferri non potuit nec concilio Cypriani. Bonam iſtius conſuetudinis rationem ex Auguſtino ſuprà obſeruauimus. Et generaliter hoc definiri poſſe videtur, in iſtis fidei Chriſtianæ myſteriis, vbi res ipſa conſtat, & fides in tuto eſt collocata, non eſſe cur ab alterutra parte vnitatis catholicæ tranquillitas turbetur. *Idem.*

g NON EST AVTEM DE CONSVETVDINE PRAESCRIBENDVM.) Communem hunc locum de vi & effectu conſuetudinis variè tractant Patres Eccleſiæ, prout ad propoſitum conducit. Ipſe Cyprianus aduerſus conſuetudinem dicit, non ſolùm hic, ſed etiam Epiſt. LXXIII. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed D-

Q

eſt autem de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum. Nam nec [a] Petrus quem primum Dominus elegit, & [b] ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, [c] vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit; [d] vt diceret ſe primatum tenere; & obtemperari [e] à nouellis & poſteris ſibi potiùs oportere. Nec deſpexit Paulum quod eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit; documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, [f] ipſa potiùs noſtra ducamus. Cui rei Paulus quoque proſpiciens, & concordiæ & paci fideliter conſulens in epiſtola ſua poſuit, dicens: Prophetæ autem duo, aut tres loquantur, & cæteri examinent. Si autem alij reuelatum fuerit ſedenti, ille prior taceat. Qua in parte docuit & oſtendit, multa ſingulis in melius reuelari; & debere vnumquemque, non pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi, ſed ſi quid melius & vtilius exſtiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur; maximè in his, quæ ad Eccleſiæ vnitatem pertinent, & ſpei & fidei noſtræ veritatem: vt nos, ſacerdotes Dei, & Eccleſiæ eius de ipſius dignatione præpoſiti, ſciamus remiſſam peccatorum non niſi in Eccleſia dari poſſe, nec poſſe aduerſarios Chriſti quicquam ſibi circa eius gratiam vindicare. Quod quidem & Aggripinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in prouincia Africa & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit, & librato conſilij communis examine firmauit. Quorum ſententiam & religioſam, & legitimam, & ſalutarem, fidei & Eccleſiæ congruentem, nos etiam ſecuti ſumus. Et quales ſuper hac re litteras fecerimus vt ſcires, exemplum earum, ad notitiam tam tuam, quàm coepiſcoprorum noſtrorum qui illic ſunt, pro communi dilectione tranſmiſimus. Opto te frater chariſſime ſemper benè valere.

AD

veritatem. Et Epiſt. LXXIV. Nec conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerit, impedire debet quominus veritas prævaleat & vincat. nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt. Pro conſuetudine dixit Tertullianus. lib. de Corona: quam & idoneam teſtem eſſe ait probatæ traditionis, ex perſeuerantia obſeruationis. Idem aduerſus conſuetudinem perorat, lib. de Virg. velandis. Veritati, inquit, nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum. Ex his enim ferè conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita aduerſus veritatem vindicatur. ſed Dominus noſter Chriſtus Veritatem ſe, non Conſuetudinem cognominauit. Atque his conſimilia paſſim apud Hieronymum & Auguſtinum. Ric.

a PETRVS QVEM PRIMVM DOMINVS ELEGIT. Petrus πρωτόκλητος: vocatus ante alios omnes. Matthæus, cap. x. τῶν δὲ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα. Πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. Princeps haud dubiè collegij, inquit Grotius, à Chriſto deſignatus ad retinendam corporis compagem. Et Matthæus quidem dixit Primum, non Supremum: Et eſt princeps, poſt quem alij deinceps: ordine, non poteſtate. Hoc præclarè Cyprianus oſtendit libro de Vnitate eccleſiæ. ad illa verba Chriſti, Tibi dabo claues: *Super vnum*, inquit, *ædificat Eccleſiam, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat, Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, Accipite ſpiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata remittentur illi: & ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* Sic enim legitur in antiquis exemplaribus, vt ſuo loco monſtrabimus. Optatus Mileuitanus lib. VII *Stant toti innocentes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negotium formaretur; prouiſum eſt vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, & qua neceſſaria eſt vnitas, eſſe non poſſet. Idem.*

b SVPER QVEM AEDIFICAVIT ECCLESIAM.] Super petram, vnde nomen inditum Petro: Qua de re diximus ſuprà. Hieronymus ad Domini verba, Matth. XVI. 18. *Secundùm metaphoram petra, rectè dicitur Petro, Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te. Idem.*

c NEC VINDICAVIT SIBI ALIQVID INSOLENTER AVT ARROGANTER.] Ipſe Cyprianus in Concilio Carthagin. Neque enim quiſquam noſtrûm tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit Zonaras & Balſamo. τυραννικῇ αὐθαδείᾳ εἰς ἀνάγκην τοῦ ὑπακούειν αὐτῷ. *Idem.*

d IPSA POTIVS NOSTRA DVCAMVS.) Codex Th. ipſa potiùs amplectamur. In C. reg. legitur: Si ſint vera & legitima, iſta potiùs dicamus noſtra. *Idem.*

e VT DICERET SE PRIMATVM TENERE Hoc Cypriani telum Facundus Hermianenſis Epiſcopus in aduerſarios ſuos torſit pro defenſione trium capitulorum Concilij Calchedonenſis, libro 8. Laudatur etiam Pauli minimi Apoſtolorum ſana ratio atque libertas, quòd Petrum Apoſtolorum primum adductum in hypocriſin, & non recta via incedentem ad veritatem Euangelij fidenter improbans, in faciem illi reſtitit. Et lib. x. Nam ſic aliquando Petrus apoſtolorum primus, ſicut iam diximus, cùm non rectè ambularet ad veritatem euangelij, reprehenſus à Paulo minimò Apoſtolorum non indignè tulit, nec, pro ſui primatus gloria, reſiſtentem ſibi deſpexit. *Idem.*

f SE PRIMATVM TENERE. Non imperium, non dominatum, non potentatum ſed primum locum. Hoc apertiſſimè ſignificat Euangelium Matthæi cap. ſuprà citato: Πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. Epiſt. Pauli ad Galatas, vt vulgò legitur, inter Iacobum & Ioannem medium poſuit Petrum. Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι. Euangelium Marci c. 16. facta vniuerſim mentione Apoſtolorum, ſubdidit Petrum ſeparatim εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ. Sed nec ordo ille medius, neque iſte poſtremus, quicquam detrahunt de primatu. Etenim viri fide digniſſimi teſtantur in antiquiſſimo Pauli exempl. nomen Cephæ inter Iacobum & Ioannem non apparere, quaſi fuerit ſatis quod præcedens comma Cephæ ſiue Petri nomen exhibeat: adeóque veterum ſcriptorum in illam ad Galatas commentaria Petrum primo loco recenſeant. Illa verò Angeli apud Marcum verba, *Dicite diſcipulis eius, & Petro,* Diſcipulos quidem collectiuo nomine commendant, ſed præſertim & eximiè Petrum nominatim deſignant, ſi non honoris, at ſingularis miſericordiæ diuinæ gratia, qua certè plus ceteris diſcipulis indigebat, quia ter Chriſtum negauerat. Aliàs dici poſſet, Angelum, comprehenſis appellatione communi diſcipulis, ſeparatim nominaſſe Petrum, qua forma dixit Homerus, Τρῶας καὶ Ἕκτορα, & Iuris auctores, titulũ ſcripſere, De ſeruitutibus & aqua. Et Lucas in Act. 1. 14. σὺν ταῖς γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρί Denique vtatur aliquis illa ſolutione Hieronymi ad Hedibiam, dicátque, non recipiendum hac in re teſtimonium Marci, quod in raris fertur Euangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus. Nam & hoc etiam ſe obſeruaſſe refert Gregorius Nyſſenus, ἐν ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις, Orat. II. in Chriſti reſurrectionem. Quam certè ſolutionem viri prudentes & docti non eſſe admittendam meritò cenſuerunt. *Idem.*

g A NOVELLIS ET POSTERIS. Primatui opponit nouellitatem & poſteritatem; Petro apoſtolorum primo, Paulum nouellum & poſtremum. nam ſe ipſe dicit ἐλάχιστον, & ἔκτρωμα. Facundus appellat minimum Apoſtolorum. poſt omnes alios vocatum. Chryſoſt. in 1. ad Cor. 15 8. ὅτι καὶ ἔσχατον ἐκάλεσε, πολλῶν τῶν πρὸ αὐτοῦ, μᾶλλον δὲ πάντων λαμπρότερος ὤφθη. Totum hunc Cypriani locum tranſcripſit Auguſtinus initio libri II. contra Donatiſt. ſubindéque ait: Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulabat de circumciſione agere ſolitum, à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum, &c. *Idem.*

AD STEPHANVM PAPAM DE CONCILIO.

CYPRIANVS ET CÆTERI STEPHANO FRATRI, Salutem.

AD quædam diſponenda & conſilij communis examinatione limanda, neceſſe LXXI.
habuimus frater chariſſime, conuenientibus in vnum pluribus ſacerdotibus cogere & celebrare concilium. In quo multa quidem prolata atque tranſacta ſunt: ſed de eo vel maximè tibi ſcribendum, & [a] cum tua grauitate ac ſapientia conferendum fuit, quòd magis pertineat, & ad ſacerdotalem autoritatem, & ad Eccleſiæ catholicæ vnitatem pariter ac dignitatem, de diuinæ diſpoſitionis ordinatione venientem, eos qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos & ſchiſmaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad Eccleſiam, quæ vna eſt, venerint, baptizari oportere; eò quòd parum ſit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum. Tunc enim demum plenè ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſunt, ſi ſacramento vtroque naſcantur, cùm ſcriptum ſit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Inuenimus enim etiam in Actis Apoſtolorum hoc eſſe ab Apoſtolis cuſtoditum, & ſalutaris fidei veritate ſeruatum vt cum in domo Cornelij centurionis ſuper ethnicos qui illic aderant, fidei calore feruentes, & in Dominum toto corde credentes, deſcendiſſet Spiritus ſanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerent; nihilominùs tamen beatum Apoſtolum Petrum diuini præcepti atque euangelij memorem præcepiſſe, vt baptizarentur iidem illi, qui iam fuerant ſancto Spiritu pleni; vt nihil prætermiſſum videretur, quò minùs per omnia diuini præcepti atque euangelij legem apoſtolica magiſteria ſeruarent. Baptiſmum autem non eſſe quo hæretici vtuntur, nec quemquam apud eos qui Chriſto aduerſantur, per gratiam Chriſti poſſe proficere; diligenter nuper expreſſum eſt in epiſtola quæ ad Quintum collegam noſtrum in Mauritania conſtitutum, ſuper ea re ſcripta eſt: item in litteris quas collegæ noſtri ad epiſcopos in Numidia præſidentes antè fecerunt, cuius vtriuſque epiſtolæ exempla ſubdidi. Addimus planè & adiungimus frater chariſſime, conſenſu & auctoritate communi, vt etiam ſi qui preſbyteri aut diaconi, qui vel in Eccleſia catholica priùs ordinati fuerint, & poſtmodum perfidi ac rebelles contra eccleſiam ſteterint, vel apud hæreticos à pſeudoepiſcopis & antichriſtis contra Chriſti diſpoſitionem profana ordinatione promoti ſint, & contra altare vnum atque diuinum ſacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre conati ſint, eos quoque hac conditione ſuſcipi cum reuertuntur, vt communicent laïci; & ſatis habeant quòd admittuntur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos [b] ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint. Oportet enim ſacerdotes & miniſtros qui altari & ſacrificiis deſeruiunt, integros atque inmaculatos eſſe, cùm Dominus Deus in Leuitico loquatur & dicat: Homo in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo: Item in Exodo hæc eadem præcipiat & dicat: Et ſacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum, ſanctificentur, ne fortè derelinquat illos Dominus. Et iterùm: & cum accedunt miniſtrare ad altare Sancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Quod autem maius poteſt eſſe delictum, aut quæ macula deformior, quàm aduerſus Chriſtum ſtetiſſe, quàm Eccleſiam eius quam ille ſanguine ſuo parauit, & condidit, diſſipaſſe? quàm euangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra vnanimem & concordem Dei populum hoſtilis diſcordiæ furore pugnaſſe? Qui etſi ipſi poſtmodum ad eccleſiam redeunt, reſtituere tamen eos & ſecum reuocare non poſſunt, qui ab eis ſeducti & foris morte præuenti extra Eccleſiam ſine communicatione & pace perierunt; quorum animæ in die iudicij de ipſorum manibus expetentur, qui perditionis auctores & duces extiterunt. Et iccircò ſatis eſt talibus reuertentibus veniam dari. non tamen debet [c] in domo fidei perfidia promoueri. nam quid bonis & innocentibus, atque ab eccleſia non recedentibus reſeruamus; ſi eos qui à nobis receſſerint, & contra Eccleſiam ſteterint, honoramus? [d] Hæc ad conſcientiam tuam frater chariſſime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter & vera ſunt, Cæterùm

a CVM TVA GRAVITATE AC SAPIENTIA CONFERENDVM FVIT. Hunc ipſum Stephanum idem Cyprianus appellabit ſuperbum, imperitum atque improuidum, ineptum, obſtinatum. Epiſt. ad Pompeium. RIO

b ORDINATIONIS ET HONORIS ARMA. Arma ſunt inſtrumenta cuiuſlibet rei, inquit Seruius ad II. Æneid. Hic verò ſunt inſignia ſiue ornamenta. quemadmodum & Homerus dixit, ὅπλισθεν ἢ γυναῖκας. & in clypeis illuſtrium virorum deſcripti vultus expreſſo thorace. Arma lucis, *ὅπλα φωτός*. ad Rom. XIII. 12. Suid. *ὅπλα φωτός. ὁ ἀπόστολος. αἱ τῆς ἀρετῆς ἐργασίαι. Idem.*

c IN DOMO FIDEI. In Eccleſia Dei, quæ eſt fidelium mater. Vnde & domeſtici fidei. *οἰκεῖοι τῆς πίστεως*. ad Gal. VI. qui ſunt de familia fidei. *Idem.*

d HAEC AD CONSCIENTIAM TVAM Ex his verbis Hieronymus ad Luciferianos obſeruauit, beatum Cy-

terùm ſcimus quoſdam [a] quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſaluo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint vſurpata, retinere. qua in re [b] nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, [c] cùm habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum vnuſquiſque præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus. Optamus te frater chariſſime ſemper benè valere.

AD

prianum hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe: ſi quidem in communione, inquit, eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant, ſed hortatum potiùs fuiſſe, propter Nouatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo, ſine damnatione erroris ſui, reciperetur. RIG.

a QVOD SEMEL IMBIBERINT NOLLE DEPONERE. Epiſt. præced. Debere vnumquemque, non pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi; ſed ſi quid melius & vtilius exſtiterit, libenter amplecti. *Idem.*

b NEC NOS VIM CVIQVAM FACIMVS.] Hieron. ad Lucif. *Qua in re non vim cuiquam facimus. Idem.*

c CVM HABEAT. Hier. *quum habeat in Eccleſia adminiſtratione voluntatis ſua arbitrium liberum: vnuſquiſque ſit præpoſitus. Idem.*

AD IVBAIANVM DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

[a] CYPRIANVS [b] IVBAIANO FRATRI SALVTEM.

LXXIII SCRIPSISTI mihi, frater chariſſime, deſiderans ſignificari tibi motum animi noſtri, quid nobis videatur de hæreticorum baptiſmo, qui foris poſiti & extra Eccleſiam conſtituti vindicant ſibi rem nec iuris ſui, nec poteſtatis, quod nos nec ratum poſſumus, nec legitimum iudicare, quando hoc apud eos eſſe conſtet illicitum. Et quoniam ſuper hac re quid ſentiremus, litteris noſtris expreſſimus: vt compendium facerem, exemplum earumdem litterarum tibi miſi, quid in concilio cùm complures adeſſemus, decreuerimus; quid item poſteà Quinto collegæ noſtro de eadem re quærenti reſcripſerimus. Et nunc quoque cùm in vnum conueniſſemus tam prouinciæ Africæ quàm Numidiæ, Epiſcopi numero ſeptuaginta & vnus, hoc idem denuò ſententia noſtra firmauimus, ſtatuentes vnum Baptiſma eſſe quod ſit in Eccleſia catholica conſtitutum, ac per hoc non rebaptizari, ſed baptizari à nobis. Quicumque ergo ab adultera & profana aqua veniunt, abluendi ſunt & ſanctificandi ſalutaris aquæ veritate. Nec nos mouet frater chariſſime quod in litteris tuis complexus es; Nouatianenſes rebaptizare eos, quos à nobis ſollicitant: quando ad nos omninò non pertineat quid hoſtes eccleſiæ faciunt, dummodò teneamus ipſi poteſtatis noſtræ honorem, & rationis ac veritatis firmitatem. Nam Nouatianus ſimiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſiæ catholicæ auctoritatem ſibi, & veritatem vindicare, quando ipſe in Eccleſia non ſit; immò adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis & hoſtis exſtiterit. Sciens etenim vnum eſſe baptiſma, hoc vnum ſibi vindicat, vt apud ſe eſſe Eccleſiam dicat, & nos hæreticos faciat. Nos autem qui Eccleſiæ vnius caput & radicem tenemus, pro certò ſcimus & fidimus, nihil illic extra Eccleſiam licere, & baptiſmatis, quod eſt vnum, caput nos eſſe, vbi & ipſe baptizatus priùs fuerat, quando diuinæ vnitatis & rationem & veritatem tenebat. Quod ſi in Eccleſia baptizatos, rebaptizandos foris extra Eccleſiam Nouatianus exiſtimat, à ſe incipere debuerat; vt prior extraneo & hæretico baptiſmo rebaptizaretur, qui poſt Eccleſiam, immò & contra Eccleſiam baptizandos foris opinatur. Quale eſt autem, vt quia hoc Nouatianus facere audet, nos putemus non eſſe faciendum? Quid ergo? quia & honorem cathedræ ſacerdotalis Nouatianus vſurpat, num icircò nos cathedræ renunciare debemus? Aut quia Nouatianus altare collocare, & ſacrificia offerre contra fas nititur; [c] ab altari & ſacrificiis ceſſare nos oportet, ne paria & ſimilia cum illo celebrare videamur? Vanum prorſus & ſtultum eſt, vt quia Nouatianus extra Eccleſiam vindicat ſibi veritatis imaginem, relinquamus Eccleſiæ veritatem. Apud nos autem non noua, aut repentina res eſt, vt baptizandos cenſeamus eos qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi iam anni ſint, & [d] longa ætas ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro conuenientes in vnum epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in prouinciis noſtris ad Eccleſiam conuerſi, non aſpernati ſint neque cunctati, immò & rationabiliter, & libenter amplexi ſint, vt lauacri vitalis & ſalutaris baptiſmi gratiam conſequerentur. Neque enim difficile eſt doctori vera & legitima inſinuare eis, qui hæretica prauitate damnata, & eccleſiaſtica veritate

com-

a CYPRIANVS IVBAIANO FRATRI.) Hanc epiſtolam à Cypriano ſcriptam fuiſſe addubitat Auguſtinus lib. III. contra Creſconium, cap. 31. his verbis: Cùm enim perſuadere conaretur vel ſanctus Cyprianus vel quicumque illam ſcripſit epiſtolam, &c. Hieronymus ad Lucif. Cypriano tribuit, & libellum vocat. RIG.

b IVBAIANO.] Græci dicunt, Ἰοβιανῷ. In Corbeïenſi, *Iouiano. Idem.*

c AB ALTARI ET SACRIFICIIS.) De altaribus & ſacrificiis Chriſtianorum ſatis ad Tertullianum. *Idem.*

d LONGA AETAS EX QVO SVB AGRIPPINO. Longam ætatem interceſſiſſe ait Cyprianus ex quo deceſſor Agrippinus Carthaginis epiſcopus celebrato concilio mutauit conſuetudinem non baptizandi venientes ad Eccleſiam ab hæreticis baptizatos. Hanc verò longam

comperta, ad hoc veniunt vt diſcant, ad hoc diſcunt, vt viuant. Nos non debemus ſtuporem hæreticis patrocinio conſenſus noſtri augere: cùm libenter ac promptè obtemperant veritati. Planè quoniam inueni in epiſtola, cuius exemplum ad me tranſmiſiſti, ſcriptum eſſe, quod quærendum non ſit quis baptizauerit, quando is qui baptizatus ſit, accipere remiſſam peccatorum potuerit ſecundùm quod credidit; prætereundum hunc locum non putaui; maximè cùm in eadem epiſtola animaduerterim etiam [a] Marcionis fieri mentionem; vt nec ab ipſo venientes dicat baptizari oportere, quòd iam in nomine Ieſu Chriſti baptizati eſſe videantur. Conſiderare itaque debemus fidem eorum qui foris credunt, an ſecundùm eamdem fidem poſſint aliquid gratiæ conſequi. Nam ſi fides vna eſt nobis & hæreticis, poteſt eſſe & gratia vna. Si eumdem Patrem, eumdem Filium, eumSpiritum-ſanctum, eamdem eccleſiam confitentur nobiſcum Patripaſſiani, Anthropiani, Valentiniani, [b] Appelletiani, Ophitæ, Marcionitæ, & cæteræ hæreticorum peſtes, & [c] gladiis ac venenis ſubuertentes veritatem: poteſt illic & baptiſma vnum eſſe, ſi eſt & fides vna. Ac ne longum ſit per hæreſes vniuerſas decurrere, & ſingulorum vel ineptias vel inſanias recenſere; quia nec delectat id dicere, quod aut horret, aut pudet noſſe; de Marcione interim ſolo, cuius mentio in epiſtola à te ad nos tranſmiſſa facta eſt, examinemus an poſſit baptiſmatis eius ratio conſtare. Dominus enim poſt reſurrectionem diſcipulos ſuos mittens, quemadmodum baptizare deberent, inſtituit & docuit dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Ite ergo, & docete gentes omnes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Inſinuat Trinitatem, cuius ſacramento gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem aſſerit, quem & nos patrem creatorem? Numquid [d] eumdem vnum filium Chriſtum, de Maria virgine natum; qui ſermo caro factus ſit? qui peccata noſtra portauerit? [e] qui mortem moriendo vicerit? qui reſurrectionem carnis per ſemetipſum primus initiauerit, & diſcipulis ſuis quòd in eadem carne reſurrexiſſet oſtenderit? Longè alia eſt apud Marcionem, ſed & apud cæteros hæreticos fides; immò nihil eſt apud illos niſi perfidia, & blaſphemia, & contentio ſanctitatis & veritatis inimica. Quo modo ergo poteſt videri qui apud illos baptizatur, conſecutus eſſe peccatorum remiſſam, & diuinæ indulgentiæ gratiam per ſuam fidem, qui ipſius fidei non habuerit veritatem? Si enim ſicut quibuſdam videtur, ſecundùm fidem ſuam quis accipere aliquid foris extra Eccleſiam potuit, vtique id accepit, quod credidit: falſum autem credens, verum accipere non potuit, ſed potiùs adultera & profana, ſecundùm quod credebat, accepit. Quem locum profani & adulteri baptiſmi ſubtiliter Hieremias propheta perſtringit dicens: Vt quid qui contriſtant me, præualent? Plaga mea ſolida eſt, vnde ſanabor? Dum fit, facta eſt mihi quaſi aqua mendax, non habens fidem. Mentionem facit per prophetam Spiritus ſanctus aquæ mendacis, & fidem non habentis. Quæ eſt hæc aqua mendax & perfida? vtique ea quæ baptiſmi imaginem mentitur, & gratiam fidei adumbrata ſimulatione fruſtratur. Quòd ſi ſecundùm prauam fidem baptizari aliquis foris, & remiſſam peccatorum conſequi potuit; ſecundum eamdem fidem conſequi & Spiritum-ſanctum potuit. Aut vtrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum, qui foris fuerat, accepit. Manifeſtum eſt autem vbi & per quos remiſſa peccatorum dari poſſit, quæ in baptiſmo ſcilicet datur. Nam Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem

ætatem Auguſtinus libro IV. contra Don. in paucos annos contraxit: Conſuetudinem, inquit, tam robuſtam anteà Cyprianus inuenit, vt cùm eius mutandæ auctoritatem quam ſequeretur vir tanta ſcientia præditus quæreret, non niſi in Africa ſola factũ paucis ante ſe annis Agrippini concilio reperiret. Addit, hoc concilium non ſuffeciſſe Cypriano aduerſus totiùs orbis morem, & rationes Cypriani veriſimiles eſſe potiùs quàm veras. At in ſeptimo tamen Euſebianæ hiſtoriæ libro, ex epiſtolis ferè Dionyſij Alexandrini epiſcopi compoſito, citantur magni illius viri epiſtolæ de baptiſmo quinque, prima ad hunc Cypriani noſtri Stephanum, ſecunda ad Xyſtum in epiſcopatu Romano Stephani Luciíque ſucceſſorem, tertia & quarta ad Romæ preſbyteros Philemonem & Dionyſium, quinta ad eumdem Xyſtum. In illa verò ad Philemonem ſcribit: hoc ſe etiam didiciſſe, non in Africa ſolùm viguiſſe morem baptizandi venientes ab hæreticis, verùm multò antè in Eccleſijs celeberrimis & conciliorum etiam decretis apud Iconienſes & Synnadenſes, & apud gentes pleraſque alias factitatum id fuiſſe. μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνοι τοῦτο παρεισήγαγον ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ μετὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους, ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, &c. Hoc ampliùs addit, Suſtinere ſe, nec audere aduerſus eos ſententiam ferre. Quæ certè non mediocrem faciunt controuerſiam Vincentio Lirinenſi, priore Commonitorio ſuo ſic opinanti, Aggripinum iſtum omnium mortalium primum, contra diuum canonem, contra vniuerſalis eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem atque inſtituta maiorum, baptizandos eos qui ab hæreticis ad Eccleſiam venirent, cenſuiſſe. Huius Aggrippini meminit etiam Facundus Hermianenſis lib. x. & prædeceſſorem Cypriani fuiſſe ait: Deceſſor autem dici poteſt etiam qui annis compluribus præceſſit. RIG.

a MARCIONIS FIERI MENTIONEM.] Enimuerò mirari ſubit facta Marcionis mentione Cyprianum hîc vt nec aliàs vllibi mentionem vllam feciſſe Tertulliani, quem & magiſtrum ſuum appellabat, & quotidie lectitabat. *Idem.*

b APELLETIANI. Epiſtola ad Pompeium. mentionem facit Apelletis. Vnde Apelletiani, Apud Martialem --- *credat Iudæus Apella.* Apella, Ἀπέλλης, Ἀπολλῶς. Diximus ad Tertull. *Idem.*

c *Gladijs ac venenis ſubuertentes veritatem.* lib. N. F. ſubuertendæ veritatis. *Gentes baptizarentur.* lib. N. F. tingerentur. *Idem.*

d *Eumdem vnum filium Chriſtum.* lib N. F. eumdem nouit Filium Chriſtum. *Idem.*

e *Qui mortem moriendo vicerit, &c.* Errores Marcionis latè deſcribuntur, qui à Tertulliano confutantur lib. de carne Chriſti cap. 5. vbi interfector veritatis Marcion appellatur, & ſceleſtiſſimus hominum. Idem adhuc lib. de reſurrectione carnis ſub initium; ſed & S. Ignatius ad Trallianos, B. Auguſtinus ſerm. 176. de tempore, & alij fanaticam illam Marcionis opinionem de carne Chriſti phantaſtica refutarunt. PRI.

f NAM PETRO PRIMVM.) Infrà dicet, Super vnum Domini voce fundatam Eccleſiam. RIG.

ſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cælis, quod ille ſoluiſſet in terris. Et poſt reſurre-ctionem quoque ad Apoſtolos loquitur dicens: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: Hoc cùm dixiſſet, inſpirauit, & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum: Si cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Vnde intelligimus non niſi in Eccleſia præpoſitis, & in euangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere bapti-zare, & remiſſam peccatorum dare; a foris autem nec ligari aliquid poſſe nec ſolui, vbi non ſit qui aut ligare poſſit aliquid, aut ſoluere. Nec hoc frater chariſſime ſine ſcriptu-ræ diuinæ auctoritate proponimus, vt dicamus certa lege ac propria ordinatione diuini-tus cuncta eſſe diſpoſita; nec poſſe quemquam contra epiſcopos & ſacerdotes vſurpare ſibi aliquid, quod non ſit ſui iuris & poteſtatis. Nam & Chore & Dathan, & Abyron, contra Moyſen & Aaron ſacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vſurpare conati ſunt; nec tamen quod illicitè auſi ſunt, impunè fecerunt. Et filij Aaron qui alienum ignem altari impoſuerunt, in conſpectu ſtatim Domini indignantis extincti ſunt. Quod ſupplicium ma-net eos, qui alienam aquam baptiſmo inferunt falſo, vt diuina cenſura vlciſcatur, & vindi-cet, id hæreticos contrà Eccleſiam gerere, quod non niſi ſoli liceat Eccleſiæ. b Quod au-tem dicunt quidam de eis qui in Samaria baptizati fuerant, aduenientibus Apoſtolis Pe-tro & Ioanne, tantùm ſuper eos manum impoſitam eſſe, vt acciperent Spiritum ſanctum, rebaptizatos tamen non eſſe: locum frater chariſſime ad præſentem cauſam videmus om-ninò non pertinere. Illi enim qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant; & intus in Eccleſia, quæ vna eſt, & cui ſoli gratiam baptiſmi dare, & peccata ſoluere permiſſum eſt, à Philippo diacono, quem ijdem Apoſtoli miſerant, baptizati erant. Et iccircò quia legitimum & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos vltrà non opor-tebat: ſed tantummodò quod deerat, id à Petro & Ioanne factum eſt, vt oratione pro eis habita, & manu impoſita, inuocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offe-rantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & c ſignaculo Dominico conſummentur. Non eſt ergo frater chariſſime quod hæreticis cedendum exiſtimemus, vt baptiſma quod non niſi vni, & ſoli Eccleſiæ datum ſit, pro-dendum putemus. Boni militis eſt, aduerſus rebelles & hoſtes imperatoris ſui caſtra de-fendere. Glorioſi ducis eſt commiſſa ſibi ſigna ſeruare. Scriptum eſt: Dominus Deus tuus Deus zelans eſt: qui ſpiritum Dei accepimus, zelum diuinæ fidei habere debemus. Quo zelo Phinees placuit, & Deum promeritus indignantis iram populo pereunte leni-uit: quid adulteram & alienigenam & diuinæ vnitatis inimicam in acceptum referimus, qui non niſi vnum Chriſtum & vnam eius Eccleſiam nouimus? Eccleſia d paradiſi inſtar exprimens, arbores fructiferas intra muros ſuos intus includit, ex quibus quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Has arbores rigat quatuor fluminibus, id eſt, Euangeliis quatuor, quibus Baptiſmi gratiam ſalutaris cælesti inundatione largitur. Numquid de Eccleſiæ fontibus rigare poteſt, qui intus in Eccleſia non eſt? Numquid pa-radiſi potus ſalubres & ſalutares impertire cuiquam poteſt; qui peruerſus & à ſemetipſo damnatus, & extra paradiſi fontes relegatus aruit, & æternæ ſitis ſiccitare defecit? Cla-mat Dominus, vt qui ſitit veniat & bibat de fluminibus aquæ viuæ quæ de eius ventre fluxerunt. Quò venturus eſt qui ſitit, vtrum ne ad hæreticos, vbi fons & fluuius aquæ vi-talis omninò non eſt? e an ad Eccleſiam, quæ vna eſt, f & ſuper vnum qui & claues eius accepit,

a FORIS AVTEM NEC LIGARI ALIQVID POSSE NEC SOLVI.) Foris, hoc eſt, extra Eccleſiam. vbi non eſt qui aut ligare poſſit aliquid aut ſoluere. Etenim qui extra Eccleſiam ſunt, clauem non habent. clauis eſt verbum Dei, præcepta Chriſti, Spiritus ſanctus. quo ſpiritu, quibus præceptis, quo verbo data eſt poteſtas ligandi ſoluendi-que. Clauem non habent neque poteſtatem, qui vtun-tur clauibus adulterinis, humano ſpiritu, non diuino: præ-ceptis ſuis, non Chriſti. RIG.

b *Quod autem dicunt quidam.* [Fatetur etiam D. Au-guſtinus cap. 19. lib 3. de bapt exemplum hoc ex actis Apo-ſtol. ad rem non pertinere: Nam vti rectè adnotauit Cy-prianus, locus ille de illa manuum impoſitione intelligi-tur, quæ in confirmationis ſacramento fieri eſt ſolita, de qua latiùs epiſtola præced. PAM.

c SIGNACVLO DOMINICO CONSVMMEN-TVR.) Abſque hoc ſignaculo ſiue ſacramento Cornelius epiſcopus Romanus in epiſtola quadam ad Fabianum An-tiochiæ epiſcopum ſcribit, minimè eſſe putandum No-uati clinici baptiſma perfectum aut conſummatum fuiſſe, aut Spiritum ſanctum interueniſſe. Hoc ſua lingua ſic nar-rat Euſebius Hiſt. VI. cap 35. οὐ μὴν ἐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε. Ruffinus aliquid Corneliani ſtili ſer-uaſſe videtur: *Et quod iacens in lecto, pro neceſſitate perfu-ſus ſit: nec reliqua in eo, quæ baptiſmum ſubſequi ſolent, ſolenniter adimpleta ſint, nec ſignaculo chriſmatis conſum-matus ſit. vnde nec Spiritum ſanctum vmquam potuit pro-mereri.* RIG.

d PARADISI INSTAR EXPRIMENS.] Inſtar di-citur abſentis rei figura, ſimilitudo, ὁμοίωμα, ἐπίδειγμα. quod rem abſentem ſic exprimit, vt res ipſa inſtare, hoc eſt in animo ſiue in oculis noſtris ſtare videatur. vnde & in-ſtaurare dicuntur, qui rem aliquam quæ intereiderat, ſiue abolita fuerat, reſtituunt, renouant, repræſentant. Sic ar-tifices redemptoribus alicuius operis ſolent proponere In-ſtar, quod eſt, delineatio & facies quædam operis faciun-di. Eccleſia exprimit inſtar paradiſi, hoc eſt, figuram & ſimilitudinem nobis exhibet paradiſi. Feſtus: *Inſtaurari ab inſtar dictum eſt, cùm aliquid ad priſtinam ſimilitudinem & comparationem reficitur.* Beatus Auguſtinus in Gram. *In-ſtar, eſt ſimilitudo, & habet tres caſus tantùm, nomina-tiuum, accuſ. & voc.* Et tamen Inſtar Inſtaris dixit in Ca-tholicis Valerius Probus. Seruius ad illud Æneid. VI. de Marcello --- *quantum inſtar in ipſo eſt* Inſtar, inquit, ſi-militudo: & eſt nomen quod non recipit præpoſitionem. Ad inſtar enim non dicimus: quod Probus declarat. *Idem.*

e AN AD ECCLESIAM ET SVPER VNVM) Ec-cleſiam nominat, deinde Petrum. quemadmodum in Euan-gelio legimus, Dicite Diſcipulis & Petro. Mox Eccleſiæ tri-buit omnem Sponſi & Domini ſui poteſtatem: In hac præ-ſidemus, inquit, &c. Ac demum de cunctis pariter epiſco-pis, Nos cuſtodimus terminos vitalium fontium *Idem*

f ET SVPER VNVM DOMINI VOCE FVNDA-TA EST.] Hoc ad vnitatem Eccleſiæ pertinet, quæ cùm

accepit, Domini voce fundata eſt? Hæc eſt vna quæ tenet & poſſidet omnem ſponſi ſui & Domini poteſtatem, in hac præſidemus, pro honore eius atque vnitate pugnamus, huius & gratiam pariter & gloriam fidei virtute defendimus. Nos de diuino permiſſu rigamus ſitientem Dei populum, nos cuſtodimus terminos vitalium fontium. Si poſſeſſionis ergo noſtræ ius tenemus, ſi ſacramentum vnitatis agnoſcimus; cur præuaricatores veritatis, cur proditores vnitatis exiſtimamur? Aqua Eccleſiæ fidelis & ſalutaris & ſancta corrumpi & adulterari non poteſt; ſicut & ipſa Eccleſia incorrupta & caſta & pudica eſt. Si Eccleſiæ deuoti, & in Eccleſia conſtituti ſunt hæretici, poſſunt & baptiſmo eius, & cæteris ſalutaribus bonis vti: ſi autem in Eccleſia non ſunt, immò & contra Eccleſiam faciunt, quomodo baptizare baptiſmo Eccleſiæ poſſunt? Neque enim parua res hæreticis & modica conceditur, quando à nobis baptiſma eorum in acceptum refertur: cùm inde incipiat omnis fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio, & purificandis ac viuificandis Dei ſeruis diuina dignatio. Nam ſi baptizari quis apud hæreticos potuit, vtique & remiſſam peccatorum conſequi potuit. Si peccatorum remiſſam conſecutus eſt, & ſanctificatus eſt, & [a] templum Dei factus eſt, quæro cuius Dei? ſi creatoris, non potuit qui in eum non credidit: ſi Chriſti, nec huius fieri poteſt templum, qui negat Deum Chriſtum: ſi Spiritus ſancti, cum tres vnum ſint, [b] quo modo Spiritus ſanctus placatus eſſe ei poteſt, qui aut Patris, aut Filij inimicus eſt? Proinde [c] fruſtrà quidam qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt; quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non id ſit in ſpiritalibus ſequendum, quod in melius fuerit à ſancto Spiritu reuelatum. Ignoſci enim poteſt ſimpliciter erranti, ſicut de ſeipſo dicit Apoſtolus Paulus: Qui primò, inquit, fui blaſphemus, & perſecutor, & iniurioſus; ſed miſericordiam merui, quia ignorans feci. Poſt inſpirationem verò & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat, perſeuerat prudens & ſciens, ſine venia ignorantiæ peccat: præſumptione enim atque obſtinatione quadam nititur, cùm ratione ſuperetur. Nec quiſquam dicat quod accepimus ab Apoſtolis, hoc ſequimur; quando Apoſtoli non niſi vnam Eccleſiam tradiderunt, & baptiſma vnum, quod non niſi in eadem Eccleſia ſit conſtitutum; & neminem inueniamus ab Apoſtolis, cùm apud hæreticos baptizatus eſſet, in eodem baptiſmo admiſſum eſſe, & communicaſſe, vt videantur Apoſtoli baptiſma hæreticorum probaſſe: quod enim quidam, dicunt quaſi ad hæreticorum ſuffragium pertineat, quod dixerit Apoſtolus Paulus: [d] Verumtamen omnimodò, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem, Chriſtus annuncietur: inuenimus hoc quoque ad eorum patrocinium, qui hæreticis ſuffragantur & plaudunt, nihil poſſe proficere. Neque enim de hæreticis, aut de eorum baptiſmo loquebatur in Epiſtola ſua Paulus, vt aliquid quod ad hanc rem pertineat, poſuiſſe oſtendatur. Loquebatur de fratribus ſiue inordinatè, & contra Eccleſiaſticam diſciplinam ambulantibus, ſiue Euangelicam veritatem de Dei timore ſeruantibus. Et quoſdam ex eis poſuit verbum Domini conſtanter atque intrepidè locutos, quoſdam verò in inuidia & diſſenſione verſatos; quoſdam ſeruaſſe circa ſe beneuolam charitatem, aliquos verò habuiſſe maleuolam diſſenſionem. Sed tamen patienter omnia ſe ſuſtinere, dummodo ſiue in veritate, ſiue per occaſionem [f] nomen Chriſti, quod Paulus prędicabat, ad plurimorum notitiam perueniret; & noua adhuc ac rudis ſermonis ſeminatio loquentium prædicatione crebeſceret. Porrò aliud eſt eos qui intus in Eccleſia ſunt, de nomine Chriſti loqui: aliud eſt eos qui foris ſunt, & contra Eccleſiam faciunt, in nomine Chriſti baptizare. quare qui hæreticis patrocinantur,

vna ſit, vnus eſt epiſcopatus concordi numeroſitate diffuſus in plures. vt iam omnes vbicumque ſint Eccleſiæ, vna ſint Eccleſia. & vnus Epiſcopus. RIG.

a SVPER VNVM QVI ET CLAVES EIVS ACCEPIT. Dixit Dominus Petro: *Dabo tibi claues regni cælorum.* Promiſit, & dedit quod promiſerat: ſed non priùs dedit Petro, quàm cùm dedit & ceteris diſcipulis ſuis. Tunc videlicet, cùm de diſcipulis fecit Apoſtolos. Poſtquam ſurrexit à mortuis, intrauit ad congregatos, ſtetit inter eos medius, dixitque: *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos.* Et inſufflans in eos, *Accipite*, inquit, *Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Inde eſt quod Cyprianus lib. de Vnitate Eccleſiæ dixit: *Hoc erant vtique & ceteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur.* Exordium dicit, promiſſum. *Dabo tibi claues.* Claues autem intellige, verbum Dei: Euangelium Chriſti. Matth. XVI. 17. & XVIII. 18. Iohannis XX. 22. *Idem.*

b *Templum Dei factus eſt.* Reſpondet Auguſtinus admittere ſe non fieri templum Dei qui apud hæreticos baptizatur; tamen pro baptizato habetur auarus, qui ab auaritia non receſſerit etiam ſi templum Dei non fiat, ita & hæreticum verè baptizari. PAM.

c QVOMODO SPIRITVS SANCTVS PLACATVS ESSE EI POTEST, QVI AVT PATRIS, AVT FILII INIMICVS EST? His Cypriani verbis confirmantur ea quæ ad Tertullianum notauimus, Viſum fuiſſe Cypriano, venientes ab hæreſi ad Eccleſiam idcircò baptizandos, quia tunc hæreſes ferè omnes alterutram de Trinitate perſonam oppugnabant, in qua cùm tres vnum ſint, totum Chriſtum, ac per hoc totam Eccleſiam vexabant. adeóque extra Eccleſiam, immò contra Eccleſiam, conſiſtentibus nullum erat ſacramenti Chriſtiani commercium neque conſortium. RIG.

d FRVSTRA QVIDAM QVI RATIONE VINCVNTVR CONSVETVDINEM NOBIS OPPONVNT. Hoc planè verum eſt, inquit beatus Auguſtinus lib. IV. contra Don. quia ratio & veritas conſuetudini præponenda. ſed cùm conſuetudini veritas ſuffragetur, nihil oportet firmiùs retineri. *Idem.*

e VERVMTAMEN OMNIMODO. Epiſt. ad Philip. cap. I. τί γὰρ; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Χριστὸς καταγγέλλεται. Obſeruat Chryſoſtomus Paulum dixiſſe, καταγγέλλεται, *annunciatur*, forma narrandi quod fieret, non forma ſtatuendi, quod fieri vellet, καταγγελλέσθω, *annuncietur*, Tertullianus lib. V. ad Marcionem, Pauli verba ſic reddidit. *Nihil mea*, inquit, *ſiue cauſatione, ſiue veritate Chriſtus annuncietur.* deinde explicat: *quia ſcilicet vnus annunciabatur, ſiue ex cauſatione, ſiue ex veritate fidei. Ad fidem enim prædicationis retulit mentionem veritatis, non ad regulæ ipſius. quia vna quidem erat regula, ſed fides prædicantium quorumdam vera, id eſt ſimplex, quorumdam nimis docta.* Quod Septim. dicit, *doctam*, intelligo, cautam, verſutam. Chryſoſt. ad mentem Cypriani addidit, εἰ καὶ νομοθετῶν ἔλεγεν, οὐδ᾽ οὕτω ταῖς αἱρέσεσι εἰσῆγεν. RIG.

f NOMEN CHRISTI AD PLVRIMORVM NO-

patrocinantur, non id proferant, quod Paulus de fratribus poſuit, ſed oſtendant ſi hæretico aliquid concedendum putauit, aut ſi perfidos & blaſphemos remiſſionem peccatorum accipere extra Eccleſiam poſſe conſtituit. Si autem quid Apoſtoli de hæreticis ſenſerint, conſideremus, inueniemus eos in omnibus epiſtolis ſuis execrari & deteſtari hæreticorum ſacrilegam prauitatem. Nam cùm dicant ſermonem eorum vt cancer ſerpere; quomodo poteſt is ſermo dare remiſſam peccatorum, qui vt cancer ſerpit ad aures audientium? Et cùm dicant nullam participationem eſſe iuſtitiæ & iniquitati, nullam communionem lumini & tenebris, quomodo poſſunt aut tenebræ illuminare, aut iniquitas iuſtificare? Et cùm dicant de Deo eos non eſſe, ſed eſſe de antichriſti ſpiritu; quomodo gerunt ſpiritalia & diuina tractant, qui ſunt hoſtes Dei, & quorum pectora obſederit ſpiritus antichriſti? Quare ſi [a] reiectis humanæ contentionis erroribus ad Euangelicam auctoritatem atque ad Apoſtolicam traditionem ſincera & religioſa fide reuertamur, intelligemus nihil eis ad gratiam Eccleſiaſticam & ſalutarem licere, qui ſpargentes atque impugnantes Eccleſiam Chriſti, à Chriſto ipſo aduerſarij, ab Apoſtolis eius antichriſti nominantur. [b] Non eſt autem quòd aliquis ad circumueniendam Chriſtianam veritatem, Chriſti nomen opponat, vt dicat: In nomine Ieſu Chriſti vbicumque quomodocumque baptizati, gratiam baptiſmi ſunt conſecuti, quando ipſe Chriſtus loquatur & dicat: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; & iterùm præmoneat atque inſtruat, ne quis à pſeudoprophetis, & pſeudochriſtis in nomine ſuo facilè fallatur. Multi, inquit, venient in nomine meo dicentes: ego ſum Chriſtus, & multos fallent. & poſteà addidit dicens: Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Vnde apparet, [c] non ea ſtatim ſuſcipienda & aſſumenda quæ iactantur in nomine Chriſti, ſed quæ geruntur in Chriſti veritate. Quod enim in Euangeliis & in Apoſtolorum Epiſtolis Ieſu Chriſti nomen inſinuatur ad remiſſionem peccatorum, non ita eſt quaſi aut ſine patre, aut contra patrem prodeſſe cuiquam ſolus filius poſſit; ſed vt Iudæis qui iactitabant ſe patrem habere, oſtenderetur quod nihil eis pater profuturus eſſet, niſi in filium crederent quem ille miſiſſet. Nam qui Deum patrem creatorem ſciebant, filium quoque Chriſtum ſcire debebant; ne ſibi blandirentur & plauderent de ſolo patre ſine filij eius agnitione; qui & dicebat: Nemo venit ad patrem niſi per me. Duorum autem cognitionem eſſe quæ ſaluet, idem ipſe manifeſtat, dicens: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Cum ergo ex ipſius Chriſti prædicatione & conteſtatione pater antè cognoſcendus ſit, qui miſit: tunc deinde Chriſtus, qui miſſus eſt: nec poſſit eſſe ſpes ſalutis, niſi duobus ſimul cognitis; quomodo non cognito, immò & blaſphemato Deo patre, qui apud hæreticos Chriſti nomine baptizati dicuntur, peccatorum remiſſam conſecuti iudicantur? Alia enim fuit Iudæorum ſub Apoſtolis ratio, alia eſt gentilium conditio. Illi quia iam legis & Moyſi antiquiſſimum baptiſma fuerant adepti, in nomine quoque Ieſu Chriſti erant baptizandi, ſecundùm quod in Actis Apoſtolorum Petrus ad eos loquitur & dicit: Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Domini Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt promiſſio & filiis veſtris, & omnibus deinceps quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter. Ieſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi pater omitteretur, ſed vt patri quoque filius adiungeretur. Denique vbi poſt reſurrectionem, à Domino Apoſtoli ad gentes mittuntur; in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti baptizare gentiles iubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Eccleſiam immò & contra Eccleſiam, modo in nomine Ieſu Chriſti vbicumque & quomodocumque gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe; quando ipſe Chriſtus gentes baptizari iubeat in plena, & adunata Trinitate: Niſi ſi, qui Chriſtum negat, negatur à Chriſto; qui patrem eius negat, quem ipſe Chriſtus confeſſus ſit, non negatur: & qui in eum blaſphemat, quem Chriſtus Dominum & Deum ſuum dixerit, remuneratus à Chriſto remiſſionem peccatorum, & baptiſmi ſanctificationem conſequitur. Qua autem poteſtate conſequi in baptiſmo remiſſionem peccatorum poteſt, negans Deum creatorem patrem Chriſti; quando ipſam poteſtatem qua baptizamur, & ſanctificationem ab eodem patre Chriſtus acceperit; quem maiorem dixerit, à quo clarificari petierit, cuius voluntatem vſque ad obſequium bibendi calicis, & ſubeundæ mortis impleuerit? Quid eſt igitur aliud quam participem hæreticis blaſphemantibus fieri; defendere velle & aſſerere, quod remiſſam peccatorum accipere in Chriſti nomine poſſit, blaſphemans grauiter & peccans in patrem

TIAM PERVENIRET] Ideòque in ea quam ſcripſit ad Romanos, gaudere ſe ait & gratias agere Deo, quòd annunciatur in vniuerſo mundo, fidem Chriſtianam Romæ eſſe receptam. RIG.

a REIECTIS HVMANAE CONTENTIONIS ERRORIBVS.) Infrà, hac ipſa Epiſt. opponet humanæ argumentationi, euangelicæ prædicationis veritatem. *Idem*

b *Non eſt autem quod aliquis, &c.* Multis deducit Cyprianus, non eſſe verum baptiſma quod in ſolo Chriſti nomine confertur, eò quòd Chriſtus baptizare iuſſerit in plena & adunata Trinitate. Immò & eorum confirmat ſententiam, qui neque ab Apoſtolis act. 2. ita collatum baptiſmum volunt. PAM.

c NON QVAE IN CHRISTI NOMINE, SED QVAE IN CHRISTI VERITATE.) Ab Eccleſia quippe omnes hæreſes exierunt, quæ vocabulo Chriſtiano decipiunt. Auguſt. lib. 7. de bap. contra Don. cap. 15. RIG.

in patrem & Dominum & Deum Chriſti? Quid deinde illud, quale eſt, vt qui filium Dei negat, neque patrem habeat; & qui negat patrem filium habere videatur, cum filius ipſe conteſtetur & dicat: Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit illi datum à patre: vt manifeſtum ſit, nullam remiſſionem peccatorum in baptiſmo accipi à filio poſſe, quam conſtet patrem non dediſſe, maximè quando adhuc idem repetat & dicat: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. quod ſi Chriſti diſcipuli diſcere à Chriſto nolunt, quantum venerationis & honoris paterno nomini debeatur, vel de exemplis terrenis ac ſecularibus diſcant, & ſciant Chriſtum non ſine maxima exprobratione poſuiſſe; Filij ſæculi huius, prudentiores ſunt filiis lucis in ſæculo iſto. Si cuius patri aliquis conuicium fecerit, ſi contumelioſus ac procax pudorem eius & honorem maledico ore lacerauerit, indignatur filius & iraſcitur, & læſi patris iniuriam quibus poteſt viribus vindicare conatur. Tu Chriſtum putas impiis & ſacrilegis, & in patrem ſuum blaſphemis inpunitatem dare, & eis in baptiſmo peccata dimittere, quos conſtet baptizatos, eadem adhuc in perſonam patris maledicta congerere, & inceſſabili blaſphemantis linguæ ſcelere peccare? Hoc Chriſtianus, hoc Dei ſeruus poteſt aut mente concipere, aut ſermone proferre? Et vbi erunt legis præcepta diuinæ, quæ dicunt; Honora patrem & matrem, ſi vocabulum patris quod in homine honorari præcipitur, in Deo impune violatur? Vbi erit quod ipſe Chriſtus in Euangelio ponit & dicit: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur; Si is qui maledicentes parentibus carnalibus puniri & interfici mandat; in cæleſtem & ſpiritalem patrem maledicos, atque Eccleſiæ matris inimicos ipſe viuificat? Execranda ac deteſtanda res à quibuſdam prorſus aſſeritur, vt is qui blaſphemantem in Spiritum ſanctum [a] reum futurum peccati æterni comminatur, idem in patrem Deum blaſphemos ſalutari baptiſmo ſanctificare dignetur. Et nunc qui talibus ad Eccleſiam venientibus ſine baptiſmo communicandum exiſtimant, non putant ſe alienis immò æternis peccatis communicare, admittentes ſine baptiſmo eos, qui non niſi in baptiſmo poſſint blaſphemiarum ſuarum peccata deponere. Quàm vanum eſt porrò & peruerſum, vt cùm ipſi hæretici repudiato & relicto vel errore, vel ſcelere in quo priùs fuerant, agnoſcant Eccleſiæ veritatem, nos veritatis eiuſdem iura & ſacramentum mutilemus, & venientibus ac pœnitentibus dicamus eos remiſſionem peccatorum conſecutos eſſe, quando illi ſe peccaſſe, & propter hoc ad Eccleſiæ indulgentiam venire fateantur? quare Eccleſiæ Catholicæ fidem ac veritatem frater chariſſime & tenere debemus firmiter & docere, & per omnia Euangelica & Apoſtolica præcepta rationem diuinæ diſpenſationis, atque vnitatis oſtendere. Numquid poteſt vis baptiſmi eſſe maior, aut potior, quàm paſſio? vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & [b] ſanguine ſuo baptizetur? Et tamen neque hoc baptiſma hæreticis prodeſt, quamuis Chriſtum confeſſi, & extra Eccleſiam fuerint occiſi, niſi ſi hæreticorum patroni & aduocati hæreticos in falſa confeſſione Chriſti interfectos, martyres prædicant, & contra Apoſtoli conteſtationem, qui nihil eos quamuis exuſtos & occiſos dicit poſſe proficere, gloriam eis & coronam paſſionis aſſignant. quod ſi hæretico nec baptiſma publicæ confeſſionis & ſanguinis proficere ad ſalutem poteſt, quia ſalus extra Eccleſiam non eſt: quantò magis ei nihil proderit, ſi [c] in latebra & in latronum ſpelunca adulteræ contagione aquæ tinctus, non tantùm peccata antiqua non expoſuerit, ſed adhuc potiùs noua & maiora cumulauerit? quare baptiſma nobis & hæreticis commune eſſe non poteſt, cum quibus nec Pater Deus, nec Filius Chriſtus, nec Spiritus ſanctus, nec fides, nec Eccleſia ipſa communis eſt; & ideò baptizari eos oportet qui de hæreſi ad Eccleſiam veniunt; vt qui legitimo & vero, atque vnico ſanctæ Eccleſiæ baptiſmo ad regnum Dei regeneratione diuina præparantur, ſacramento vtroque naſcantur, quia ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei. quo in loco quidam quaſi euacuare poſſint humana argumentatione, prædicationis Euangelicæ veritatem, catechumenos nobis opponunt, ſi quis antequam in Eccleſia baptizetur, in confeſſione nominis apprehenſus fuerit & occiſus, an ſpem ſalutis & præmium confeſſionis amittat, eò quòd ex aqua priùs non ſit renatus. Sciant igitur huiuſmodi homines ſuffragatores & fautores hæreticorum, cathecumenos illos primò integram fidem & Eccleſiæ vnitatem tenere, & ad debellandum diabolum de diuinis caſtris cum plena & ſincera Dei Patris, & Chriſti, & Spiritus ſancti cognitione procedere; deinde nec priuari baptiſmi ſacramento, vt pote qui baptizentur [d] glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & Dominus dicebat habere ſe aliud baptiſma baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & diuinæ pollicitationis

a Reum peccati aeterni.) Quod Eccleſia non dimittet, neque in hoc neque in futuro ſeculo. nec pœnitentiam in morte. Ric.

b *Sanguine ſuo baptizetur.* Hæc omnia de baptiſmo ſanguinis eodem ſenſu tractat Tertullianus lib. de baptiſmo adu. Quintillam cap. 16. & Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Leuit, cum Gregorio Nazianz. Orat. 39. & B. Bernardo epiſt. 77. Pri.

c In latebra et in latronum ſpelunca.] Eccleſias omnes quæ ſunt extra Eccleſiæ catholicæ vnitatem, latebras appellat & ſpeluncas, quales ſunt latronum factiones. Rig.

d Glorioſiſſimo et maximo ſanguinis baptiſmo.) Sanguinis ſcilicet fidei Chriſtianæ martyrio fuſi. de quo apud Tertul. Tota paradiſi clauis ſanguis tuus eſt. *Idem.*

pollicitationis gratiam conſequi; declarat in Euangelio idem Dominus, quando [a] ad latronem in ipſa paſſione credentem & confitentem loquitur, & quòd ſecum futurùs ſit in paradiſo pollicetur. Quapropter qui fidei & veritati præſumus, eos qui ad fidem & veritatem veniunt, & agentes pœnitentiam remitti ſibi peccata depoſcunt; decipere non debemus & fallere; ſed correctos à nobis ac reformatos ad regnum cælorum diſciplinis cæleſtibus erudire. Sed dicit aliquis: [b] Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine baptiſmo admiſſi ſunt? Potens eſt Dominus miſericordia ſua indulgentiam dare, & eos qui [c] ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare. Non tamen quia aliquandò erratum eſt, ideò ſemper errandum eſt; cum magis ſapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ, & perſpectæ veritati libenter atque incunctanter obſequi, quàm pertinaciter atque obſtinatè contra fratres & conſacerdotes pro hæreticis reluctari. Nec quiſquam exiſtimet hæreticos, [d] eò quòd illis BAPTISMA opponitur, quaſi ſecundi baptiſmi vocabulo ſcandalizatos, vt ad Eccleſiam veniant retardari: immò verò hoc ipſo magis ad neceſſitatem veniendi teſtimonio oſtenſæ ſibi & probatæ veritatis adiguntur. Nam ſi viderint iudicio ac ſententia noſtra id decerni & ſtatui, vt baptiſma iuſtum & legitimum computetur, quo illic baptizantur; [e] putabunt ſe Eccleſiam quoque & cætera Eccleſiæ munera iuſtè & legitimè poſſidere; nec erit cauſa veniendi ad nos, quando habentes baptiſma, habere videantur & cætera. Porrò autem cum cognoſcunt baptiſma nullum foris eſſe, nec remiſſam peccatorum extra Eccleſiam dari poſſe, auidiùs ad nos & promptiùs properant, & munera ac dona Eccleſiæ matris implorant; certi peruenire ſe omninò non poſſe ad veram diuinæ gratiæ pollicitationem, niſi priùs venerint ad Eccleſiæ vnitatem. Nec recuſabunt baptizari apud nos hæretici legitimo & vero Eccleſiæ baptiſmo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quoque à Paulo eos qui iam baptiſmo Ioannis baptizati fuiſſent; ſicut legimus in Actibus Apoſtolorum. Et nunc apud quoſdam de noſtris, hæreticorum baptiſma occupatum aſſeritur, & inuidia quadam quaſi rebaptizandi, baptizare poſt hoſtes Dei nefas ducitur; cùm baptizatos inueniamus quos Ioannes baptizauerat: ille Ioannes maior inter Prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus, ille Heliæ ſpiritu & virtute ſubnixus, qui non aduerſarius Domini, ſed præcurſor ac prædicator fuit, qui Dominum non tantùm verbis prænunciauit; ſed & oculis oſtendit; qui ipſum Chriſtum, per quem baptizentur cæteri, baptizauit. Quòd ſi iccircò hæreticus ius baptiſmi obtinere potuit, quia prior baptizauit, non poſſidentis erit iam baptiſma, [f] ſed occupantis: & cum ſeparari à ſe & diuidi omninò non poſſint baptiſma & Eccleſia; qui occupare baptiſma prior potuit, & Eccleſiam pariter occupauit: & incipis tu illi hæreticus videri, qui præuentus poſterior eſſe cœpiſti; qui cedendo ac manus dando, ius quod acceperas reliquiſti. Quàm periculoſum ſit autem in diuinis rebus vt quis cedat iure ſuo & poteſtate; ſcriptura ſancta declarat, cum in Geneſi, Eſaü [g] primatus ſuos inde perdiderit, nec recipere id poſtmodum potuerit quod ſemel ceſſit. Hæc tibi breuiter pro noſtra mediocritate reſcripſimus frater chariſſime, nemini

a AD LATRONEM IN IPSA PASSIONE CREDENTEM.] In latronis iſtius paſſione duplex tempus conſideratur, adeóque duplex homo, duplex ſanguis, Sanguis ſcilicet ante fidem fuſus, ſanguis fuit latronis: poſt fidem, ſanguis Chriſtiani. Sanguis latronis, pœna criminis fuit: at ſanguis jam Chriſtiani, in ipſo fidei Chriſtianæ teſtimonio fuſus, quo teſtimonio Chriſtum latro verè Dei filium eſſe profeſſus eſt, ſanguis fuit Confeſſoris. Hunc ſanguinem Chriſtus applicuit ſuo, déque latrone fecit ſibi conſanguineum & coheredem, ac de jam coheredis ſui ſanguine, baptiſma. Hoc certè argumento pugnari aduerſus Cyprianum poteſt. Etenim baptiſma datum quidem in hæreſi, ſed Chriſtiano tamen ritu, quamdiù extra eccleſiam perſtat in hæreſi, vanum & nihili eſſe rectè dicimus; poſt ſexpoſitam verò abjectámque hæreſim, ad Eccleſiam veniens, jam Chriſtiani ritus baptiſma ſanctificatur, & fit veræ fidei ſacramentum. *Idem.*

b QVID ERGO FIET DE HIS QVI IN PRÆTERITVM DE HÆRESI AD ECCLESIAM VENIENTES SINE BAPTISMO ADMISSI SVNT.] Auguſtinus libro II contra Don. *Hic certè quid fieri ſoleret, etſi non fieri vellet, ſatis Cyprianus oſtendit. & eo ipſo quod concilium Agrippini commemorat, apertè indicat fuiſſe aliam conſuetudinem Eccleſiæ.* Hoc argumentum tractatur etiam Epiſtola Firmiliani, *Idem.*

c AD ECCLESIAM SIMPLICITER ADMISSI] Hoc eſt, per errorem, ex ſententia Cypriani. Sed Auguſtinus, *Iſta nobis ſimplicitas*, inquit, *ſufficit, cui teſtimonium perhibet ipſe Cyprianus, tantum bonum intelligens eſſe vnitatem corporis Chriſti, vt in eam ſimpliciter admiſſos, etiam illos quos eſſe ſine baptiſmo arbitrabatur, de diuina miſericordia mereri indulgentiam, & ab eccleſiæ muneribus non ſeparari, pia cogitatione præſumeret.* Et paulò pòſt: *Hæc ſimplicitas, magis quàm duplicitas, eccleſiæ placuit vniuerſæ toto terrarum orbe diffuſæ. Idem.*

d EO QVOD ILLIS BAPTISMA OPPONITVR.] Sic habent libri veteres. Abſolutè hic ponitur vocabulum, *baptiſmata*, plurali numero, quem non admittit catholica baptiſmi vnitas & ſimplicitas. Itaque Cypriani ſectatoribus pœnitentes hæreticos baptizantibus, opponebatur illa vox, *Baptiſmata:* quod jam in hæreſi atque ab hæreticis baptizatos, rebaptizarent. ac per hoc vni homini conferrent baptiſmata, hoc eſt, duplex baptiſma. Cyprianus contrà prætendit, ab hæreſi venientes baptizari quidem, minimè autem rebaptizari quia ſcilicet datum in hæreſi baptiſma, vanum & pro nihilo cenſeatur. *Idem.*

c PVTABVNT SE ECCLESIAM QVOQVE IVSTE ET LEGITIME POSSIDERE.) Mirum eſſe ait Auguſtinus quo modo dicat Cyprianus ſeparari & diuidi omninò non poſſe baptiſmum & eccleſiam. Si enim baptiſma in baptizato inſeparabiliter manet, quo modo baptizatus ſeparari ab eccleſia poteſt, & baptiſmus non poteſt? Idem. Poteſt hæreticus & catholicus baptiſma vnum habere, & vnam Eccleſiam non habere, ſicut poſſunt in catholica innocens & homicida vnum habere baptiſma, & vnum ſpiritum non habere, quia ſicut vnum eſt baptiſma, ſic vnus eſt ſpiritus & vna Eccleſia ita fit vt in hoc quoque agnoſcendum ſit quod habet, hoc ei dandum quod non habet, &c. cap. 1. lib. v contra Donatiſt. *Idem.*

f SED OCCVPANTIS) Vt ſunt in agrorum conditione, occupatorij, pro indiuiſo, & indefenſi. Auguſtinus: *Non præoccupat baptiſmum hæreticus, cùm eum ab Eccleſia ſumpſerit. Nec potuit amittere cùm recederet, quem iam non habere eccleſiam dicimus, & tamen habere baptiſmum concedimus.* Attamen Tertullianus alicubi dixit, amitti baptiſma, & perdere pœnitentiam. *Idem.*

g PRIMATVS SVOS INDE PERDIDERIT.) Subtiliter Auguſtinus: *Nec primatum quiſquam ſibi derogat, & hæretico tribuit, quia cùm dicit ſecum abſtuliſſe, quod non legitimè haberet, ſed legitimum haberet.* Idem ſubjungit: *Pri-*

mini præſcribentes aut præiudicantes, quò minùs vnuſquiſque Epiſcoporum quod putat faciat, [a] habens arbitrij ſui liberam poteſtatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum collegis & coëpiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam & Dominicam pacem tenemus; maximè cum & Apoſtolus dicat: [b] Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Seruatur à nobis patienter [c] & firmiter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia ſacerdotij. Propter hoc etiam libellum de bono patientiæ, quantum valuit noſtra mediocritas permittente Domino & inſpirante conſcripſimus, quem ad te pro mutua dilectione tranſmiſimus. Opto te frater chariſſime ſemper benè valere.

AD

matus autem non eſt, niſi in ſancta conuerſatione, & vita bona. Idem.

a HABENS ARBITRII SVI LIBERAM POTESTATEM.) Atque hinc etiam Auguſtinus adſerit ſibi contradicendi Cypriano libertatem. *Etiam nobis*, inquit, *qualibuſcumque locum dedit pacificè ſecum iſta tractandi.* Et quam verè Chriſtiana ſunt quæ apponit! *Præſens eſt enim,* inquit, *non ſolùm per litteras ſuas, ſed etiam per ipſam qua in illo maximè viguit, & mori numquam potuit caritatem.* Mox, etiam orationibus Cypriani adjuuari exoptat. *Idem.*

b SI QVIS AVTEM PVTATVR.) Hieronymus ad Lucif *Si quis autem putaueris ſe contentioſum eſſe. Idem.*

c ET FIRMITER.) Hier. & leniter. *Idem.*

AD POMPEIVM CONTRA EPISTOLAM STEPHANI.

[a] CYPRIANVS [b] POMPEIO FRATRI SALVTEM.

QVamquam plenè ea quæ de hæreticis dicenda ſunt complexi ſumus in epiſtolis, quarum ad te exempla tranſmiſimus, frater chariſſime; tamen quia deſideraſti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad litteras noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi tibi reſcripti eius exemplum: quo lecto magis ac magis eius errorem denotabis, qui hæreticorum cauſam contra Chriſtianos, & contra Eccleſiam Dei aſſerere conatur. Nam inter cætera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, [c] quæ imperitè atque improuidè ſcripſit, etiam illud adiunxit, vt diceret: (*Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos,* [d] *nihil innouetur niſi quod traditum eſt, vt manus illi imponatur in pœnitentiam:* [e] *cum ipſi hæretici propriè* [f] *alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm.*) A quacumque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia vetuit, id eſt, omnium hæreticorum baptiſmata iuſta eſſe & legitima iudicauit. Et cùm ſingulæ hæreſes ſingula baptiſmata & diuerſa peccata habeant, hic cum omnium baptiſmo communicans, vniuerſorum delicta in ſinum ſuum coaceruata congeſſit. Et præcepit nihil aliud innouari niſi quod traditum eſt; quaſi is innouet qui vnitatem tenens, vnum baptiſma vni Eccleſiæ vindicat; & non ille vtique qui vnitatis oblitus mendacia & contagia profanæ tinctionis vſurpat. (*Nihil innouetur*, inquit, *niſi quod traditum eſt.* [g] Vnde eſt iſta traditio? vtrumne de Dominica & Euangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur, & proponit ad Ieſum Naue dicens: Non recedet liber legis huius ex ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, vt obſerues facere omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Item Dominus Apoſtolos ſuos mittens, mandat baptizari gentes & doceri, vt obſeruent omnia quæcumque ille præcepit. Si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut Actibus continetur, vt à quacumque hæreſi venientes non baptizentur, ſed tantùm manus illis imponatur in pœnitentiam, LXXIV.

a CYPRIANVS POMPEIO FRATRI.) Huius Epiſtolæ mentionem fecit Facundus Hermianenſis, in hæc verba: Nemo ſapiens Eccleſiam credit hæreticam, quia doctrinam beati Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi & matyris laudat, cùm ille non ſolùm priuatim, vt ei viſum eſt, verumetiam congregato concilio definierit, vt omnis hæreticus ad Eccleſiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus ab Stephano antiſtite Romano reſtiterit, ſuámque ſententiam ſcribens ad Pompeium quanta potuit humana argumentatione defenderit, injurioſè tractans eumdem B. Stephanum, à quo fuerat jure culpatus, &c, lib, x, R I G.

b POMPEIO.) Epiſcopo Sabratenſi. *Idem.*

c IMPERITE ATQVE IMPROVIDE SCRIPSIT.) Hæc in Stephanum irritatus effudit, inquit Auguſtinus, & quamuis commotior, ſed tamen fraternè indignaretur; vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, vt in diſceptatione tali, nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur, *Idem.*

d NIHIL INNOVETVR NISI QVOD TRADITVM EST. Traditionibus aliquid in religione nouari ſolet. Traditiones autem longi temporis obſeruatio & conſuetudo corroborat. Qua de re vulgatiſſimus eſt Tertulliani lib. de Corona locus. *Idem.*

NIHIL INNOVETVR.) Nihil noui fiat circa baptiſmum. Nouo baptiſmo non ſuſcipiantur, niſi vt manus illis imponatur in pœnitentiam. hoc enim eſt quod traditum eſſe videtur, ac deeſſe quidem apud Vincentium Lirinenſem. *Idem.*

e CVM IPSI HÆRETICI PROPRIE.) Hoc eſt cùm ipſi qui propriè ob propriam aliquam hæreſin dicuntur hæretici; Ob cauſas ſcilicet alias, quàm ob ſectam rebaptizantium. Ipſi, inquit, ex aliis cauſis hæretici non baptizant venientes ad ſe ex alia quauis hæreſi. *Idem.*

f ALTERVTRVM AD SE VENIENTES.) Rectiſſima eſt hæc ſcriptura. Hoc eſt, neque venientem à Marcione baptizat Montanus, neque venientem à Montano baptizat Marcion. Non rebaptizant alterutrum ad ſe venientes. In Veronenſi legitur, *Cùm ipſi hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes non baptizentur, communicent tantùm Idem.*

g VNDE EST ISTA TRADITIO?) Auguſtinus lib. v. contra Don. cap. 23. Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione exordium ſumſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur. Apertiſſimè dicit Auguſtinus Apoſtolos nihil de baptizandis aut non baptizandis iis qui ab hæreſi veniunt, tradidiſſe; nondum enim proruperant hæretici, vt mox apponet Cyprianus, & conſentiet Firmilianus, epiſt. ſeq. *Idem.*

pœnitentiam, obſeruetur diuina hæc & ſancta traditio. Si verò vbique hæretici nihil aliud quàm aduerſarij & antichriſti nominantur: ſi vitandi, & peruerſi, & à ſemetipſis damnati pronunciantur: quale eſt vt videantur damnandi à nobis non eſſe, quos conſtat Apoſtolica conteſtatione à ſemetipſis damnatos eſſe? Vt nemo infamare Apoſtolos debeat, quaſi illi hæreticorum baptiſmata probauerint; aut eis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicauerint, quando talia de hæreticis Apoſtoli ſcripſerunt: & hoc, cùm nondum hæreticæ peſtes acriores prorupiſſent, [a] necdum quoque Marcion de Ponto emerſiſſet, [b] cuius magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui in vrbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion ſecutus additis ad crimen augmentis, impudentiùs cæteris & abruptiùs in Deum patrem creatorem blaſphemare inſtituit, & hæreticum furorem ſacrilegis armis contra Eccleſiam rebellantem, ſceleratiùs & grauiùs armauit. Quòd ſi hæreſes conſtat poſtmodum plures ac peiores extitiſſe; & ſi retrò nuſquam omninò præceptum eſt, neque conſcriptum, vt hæretico tantùm manus in pœnitentiam imponatur, & ſic ei communicetur; & ſi baptiſma non niſi vnum eſt, quod apud nos eſt, & intus eſt, & ſoli Eccleſiæ de diuina dignatione conceſſum eſt: quæ iſta obſtinatio eſt, quæve preſumptio, humanam traditionem diuinæ diſpoſitioni anteponere, nec animaduertere, indignari & iraſci Deum, quotiens diuina præcepta ſoluit & præterit humana traditio? Sicut per Eſaïam prophetam clamat & dicit: Populus iſte labiis honorificat me, cor verò eorum longè ſeparatum eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Item Dominus in Euangelio, increpans ſimiliter & obiurgans ponit & dicit. Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Cuius præcepti memor beatus Apoſtolus Paulus, commonet ipſe quoque & inſtruit, dicens: Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis verbis Domini noſtri Ieſu Chriſti & doctrinæ eius, [c] ſtupore elatus eſt, nihil ſciens; [d] diſcedendum ab huiuſmodi. Præclara ſanè & legitima traditio Stephano fratre noſtro docente proponitur, quæ auctoritatem nobis idoneam præbeat. Nam in eodem loco epiſtolæ ſuæ addidit & adiecit: *(cum ipſi hæretici propriè alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm.)* Ad hoc enim malorum deuoluta eſt Eccleſia Dei & ſponſa Chriſti, vt hæreticorum exempla ſectetur, vt ad celebranda ſacramenta cæleſtia diſciplinam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Chriſtiani, quod antichriſti faciunt. Quæ verò eſt animi cæcitas, quæ prauitas, fidei vnitatem de Deo patre & de Ieſu Chriſti Domini & Dei noſtri traditione venientem nolle cognoſcere? Nam ſi idcircò apud hæreticos Eccleſia non eſt, quia vna eſt, & diuidi non poteſt: ſi ideò illic Spiritus ſanctus non eſt, quia vnus eſt, & eſſe [e] apud profanos & extraneos non poteſt: vtique & baptiſma quod in eadem vnitate conſiſtit, eſſe apud hæreticos non poteſt, quia ſeparari neque ab Eccleſia, neque à Spiritu ſancto poteſt. Aut ſi effectum baptiſmi maieſtati nominis tribuunt, vt qui in nomine Ieſu Chriſti vbicumque & quomodocumque baptizantur, innouati & ſanctificati iudicentur; cur non in eiuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum? cur eadem eiuſdem maieſtas nominis non præualet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in baptiſmi ſanctificatione? Nam ſi poteſt quis extra Eccleſiam natus templum Dei fieri, cur non poſſit ſuper templum & Spiritus ſanctus infundi? Qui enim [f] peccatis in baptiſmo expoſitis ſanctificatus eſt, & in nouum hominem ſpiritaliter reformatus, ad accipiendum Spiritum ſanctum

a NECDVM QVOQVE DE PONTO MARCION EMERSISSET.] In exemplari Pompeſiano: *necdum quoque Marcion Ponticus, cuius magiſter Cerdon.* RIG.

b CVIVS MAGISTER CERDON SVB HYGINO TVNC EPISCOPO.] In Corbeïenſi: *cuius magiſter Cerdon ſub Hygino epiſcopo, qui in vrbe nonus fuit.* Hæc de Cerdone & Marcione Cyprianus ab Irenæo ſumpſiſſe videtur. Sic enim ille lib. I. cap. 28. *Cerdon autem quidam ab iis qui ſunt erga Simonem occaſionem accipiens cùm veniſſet Romam ſub hoc Hygino, qui nonum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit.* Verſus in Marcionem Pſeudo Tertulliani, libro III *ſub finem*,

Conſtabat pietate vigens Eccleſia Roma
Compoſita à Petro, cuius ſucceſſor & ipſe
Iámque loco nono cathedram ſuſcepit Hyginus.

Epiphanius, Hæreſi Cerdonianorum: οὗτος ὁ Κέρδων ἐν χρόνοις Ὑγίνου γέγονεν ἐπισκόπου τοῦ ἐνάτου κλῆρον ἔχοντος ἀπὸ τῆς τῶν περὶ Ἰάκωβον καὶ Πέτρου καὶ Παύλου ἀποστόλων διαδοχῆς. Hæc teſtimonia ſatis adſerunt locum Hygino in Romana ſede nonum. Nam quis crederet ſummos viros, Irenæum & Cyprianum, tam proximos Apoſtolicis temporibus, hujuſce rei fuiſſe incertos? Et tamen valde dubiam faciunt ea quæ tradidit Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccleſ. vbi de Clemente: Plerique Latinorum, inquit, ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putant fuiſſe Clementem. Ipſe Hieronymus ibidem locum adſignat Clementi quartum: Irenæus libro item ſupradicto, tertium. Vtrumlibet ſequamur, non ſeruabitur locus Hygino nonus. Immò nec ſibimetipſi conſtat Irenæus. Etenim qui lib. I. cap. 28. nonum Hygino dederat per ſucceſſionem ab Apoſtolis, idem lib. III. cap. 3. tribuit octauum. Hæc itaque ſunt ambigua, & incerta valde: etſi hoc etiam diſpiciamus, an ſeries Epiſcoporum Vrbis Romæ ita ducenda ſit computantibus, vt eximantur Apoſtoli de numero Epiſcoporum. Hoc ſibi velle videtur Irenæus lib. III. vbi ſecundum à Lino facit Anacletum, & tertium Clementem. & ſic octauo loco ſiue κλήρῳ cenſet Hyginum. Epiphanius autem ambobus Apoſtolis Petro & Paulo in Romanorum epiſcoporum ſerie principem locum adſignat: Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι, inquit, αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι. deinceps, ſecundo loco ponit etiam ambo ſimul Linum & Cletum: tertio Clementem: nono Hyginum. Sed hujuſce catalogi fides vacillat, interponit enim, quarto & octauo loco, duos Euariſtos. & in ipſa diſquiſitione formulis vtitur addubitationem facièntibus. οὐ πάνυ δὲ σαφῶς ἴσμεν: &, διανοοῦμαι γὰρ οὐχ ὁρίζομαι. Denique Optatus Mileuitanus lib. II. Sediſſe ait priorem Petrum: deinde Linum: ac deinceps octauo loco ponit Hyginum. *Idem.*

c STVPORE ELATVS EST.] I. ad Timoth. cap. 6. num. 4. τετύφωται. Eadem verba citauit Epiſt. XL. In cod. Th. legitur, *ſtupore inflatus eſt.* Stuporem dicit, ſuperbiam, arrogantiam. Tertul. Stupotatam gloriam, Stupores Atticos, & Stuporem mulierum, quod adfectant mulieres, vt ſpectantium oculos ad ſe rapiant, ita vt admirando ſtupeſcant. *Idem.*

d DISCEDENDVM AB HVIVSMODI.] In Veronenſi: *Diſcede. Idem.*

e APVD PROFANOS ET EXTRANEOS.] In Veronenſi, *extrarios. Idem.*

f PECCATIS IN BAPTIS. EXPOSITIS.] Etenim aquam adituri ſub antiſtitis manu conteſtantur ſe renunciare diabolo & pompæ ſeculati. *Idem.*

ctum [a] idoneus factus non eſt ? quando Apoſtolus dicat : Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, [b] Chriſtum induiſtis. Qui poteſt apud hæreticos baptizatus Chriſtum induere ; multò magis poteſt Spiritum ſanctum, quem Chriſtus miſit, accipere. Cæterùm maior erit mittente qui miſſus eſt, vt incipiat foris baptizatus Chriſtum quidem induiſſe, ſed Spiritum ſanctum non potuiſſe percipere ; quaſi poſſit aut ſine ſpiritu Chriſtus indui, aut à Chriſto ſpiritus ſeparari : Illud quoque ineptum, vt cùm natiuitas ſecunda ſpiritalis ſit, qua [c] in Chriſto per lauacrum regenerationis naſcimur, dicant quod poſſit quis apud hæreticos ſpiritaliter naſci, vbi Spiritum negant eſſe. Peccata enim purgare, & hominem ſanctificare aqua ſola non poteſt, niſi habeat & Spiritum ſanctum. Quare aut & Spiritum neceſſe eſt concedant eſſe illic, vbi baptiſma eſſe dicunt : aut nec baptiſma eſt, vbi Spiritus non eſt; quia baptiſma eſſe ſine Spiritu non poteſt. Quale eſt autem aſſerere, & contendere, quòd eſſe poſſint filij Dei, qui non ſint in Eccleſia nati ? Baptiſma enim eſſe in quo homo vetus moritur, & nouus naſcitur, manifeſtat & probat beatus Apoſtolus dicens : Saluauit nos per lauacrum regenerationis. Si autem in lauacro, id eſt, in baptiſmo eſt regeneratio, quo modo generare filios Deo hæreſis per Chriſtum poteſt, quæ Chriſti ſponſa non eſt ? Eccleſia eſt enim ſola, quæ Chriſto coniuncta & adunata ſpiritaliter filios generat, eodem Apoſtolo rurſus dicente : Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea vt eam ſanctificaret, purgans eam lauacro aquæ. Si igitur hæc eſt dilecta & ſponſa quæ ſola à Chriſto ſanctificatur, & lauacro eius ſola purgatur ; manifeſtum eſt hæreſim (quæ cùm ſponſa Chriſti non ſit, nec purgari, nec ſanctificari lauacro eius poſſit) filios Deo generare non poſſe. Porrò autem non per manus impoſitionem quis naſcitur quando accipit Spiritum ſanctum, ſed in baptiſmo; vt Spiritum iam natus accipiat, ſicut in primo homine Adam factum eſt. Antè enim Deus eum plaſmauit, & tunc inſufflauit in faciem eius flatum vitæ. Nec enim poteſt accipi Spiritus, niſi priùs fuerit qui accipiat. Cùm autem natiuitas Chriſtianorum in baptiſmo ſit, baptiſmi autem generatio, & ſanctificatio apud ſolam ſponſam Chriſti ſit, quæ parere ſpiritaliter, & generare filios Deo poſſit ; vbi, & ex qua, & cui natus eſt, qui filius Eccleſiæ non eſt, vt habere quis poſſit Deum patrem, ante Eccleſiam matrem ? Cùm verò nulla omninò hæreſis, ſed neque aliquod ſchiſma habere ſalutaris baptiſmi ſanctificationem foris poſſit; cur in tantum Stephani fratris noſtri obſtinatio dura prorupit vt etiam de Marcionis baptiſmo, item Valentini & Apelletis, & cæterorum blaſphemantium in Deum patrem contendat filios Deo naſci ? & illic in nomine Ieſu Chriſti dicat remiſſionem peccatorum dari, vbi blaſphematur in Patrem, & in Dominum Deum Chriſtum ? Quo in loco conſiderandum eſt frater chariſſime, pro fide & religione ſacerdotalis loci quo fungimur, an conſtare ſacerdotis Dei ratio in die iudicij poſſit, aſſerentis & probantis, & in acceptum referentis blaſphemantium baptiſmata ; cùm Dominus comminetur & dicat : Et nunc præceptum hoc ad vos eſt ô ſacerdotes, ſi non audieritis, & ſi non poſueritis in corde veſtro, vt detis honorem nomini meo, dicit Dominus omnipotens, immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem veſtram. Dat honorem Deo, qui Marcionis baptiſmo communicat ? Dat honorem Deo, qui apud eos qui [d] in Deum blaſphemant remiſſionem peccatorum dari iudicat ? Dat honorem Deo, qui foris de adultera & fornicaria naſci Deo filios aſſeuerat ? Dat honorem Deo, qui vnitatem, & veritatem de diuina lege venientem non tenens, hæreſes contra Eccleſiam vindicat ? Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum, ſacerdotes Dei veritatem Chriſti, & Eccleſiæ [e] vnitatem tuentes abſtinendos putat ? Si ſic honor Deo datur, ſi ſic à cultoribus & ſacerdotibus eius timor Dei & diſciplina ſeruatur ; abiiciamus arma, manus demus in captiuitatem, tradamus diabolo ordinationem Euangelij, diſpoſitionem Chriſti, maieſtatem Dei ; diuinæ militiæ ſacramenta ſoluantur, e ſacrorum cæleſtium ſigna prodantur ; ſuccumbat & cadat Eccleſia hæreticis, lux tenebris, fides perfidiæ, ſpes deſperationi, ratio errori, immortalitas morti, charitas odio, veritas mendacio, Chriſtus antichriſto. Meritò & ſic in dies ſingulos ſchiſmata & hæreſes ſurgunt, crebriùs atque liberiùs excreſcunt, & [f] ſerpentinis criminibus pullulantes, aduerſus Eccleſiam Dei maioribus viribus, venenorum ſuorum virus exprimunt ; dum illis aduocatione quorumdam, & auctoritas præſtatur, & firmitas ; dum baptiſma eorum defenditur, dum fides, dum veritas proditur, dum id quod contra Eccleſiam foris geritur, intus in ipſa Eccleſia

a IDONEVS FACTVS NON EST ? In Veronenſi, abſque interrogationis accentu, idoneus factus eſt. RIG.

b CHRISTVM INDVISTIS.] Auguſt. lib. v. contra Don. cap. 24. *Induunt homines Chriſtum vſque ad ſacramenti perceptionem, aliquando & vſque ad vitæ ſanctificationem. Atque illud primum & bonis & malis poteſt eſſe commune ; hoc autem alterum, proprium eſt bonorum & piorum.* Idem.

c *In Chriſto per lauacrum regenerationis naſcimur.* Inutile non eſt illud lauacrum, vt nugabatur Quintilla Montani inſana ſectatrix ; ſed eius beneficio Deo grati & vitæ æternæ participes efficimur, *In vitam æternam liberamur*, inquit Tertullianus, lib. de bapt. cap. 1. qui & ibi vocat fœlix ſacramentum. Vbi obſeruabis ſtupiditatem & inſcitiam verè ſingularem Caroloſtadij, Caluini & aliorum, qui vocem illam ſcriptam eſſe non admittunt in eo ſenſu quo explicamus. Imperitia item ſumma eſt Kemnitij examinis parte 2. ſcribentis Auguſtinum primò illud vocabulum vſurpaſſe. At non modò eo loci Tertullianus ſed & bis in Scorpiaco vſus eſt. Porrò ipſe lauacrum vocat de Pœnit. cap. 6. & S. Ambroſius lib. de his qui myſteriis initiantur regenerationis ſacrarium vocat. PET.

d VNITATEM TVENTES.] In ed. Rom. & in exemplari Veron. *tenentes.* RIG.

e SACROR. CÆLESTIVM SIGNA PRODANTVR.) In Veronenſi, *dedantur.* Idem.

f SERPENTINIS CRIMINIBVS.) In Veronenſi, *crinibus.* Idem.

Eccleſia vindicatur. Quod ſi eſt apud nos frater dilectiſſime Dei timor, ſi tenor præualet fidei, ſi cuſtodimus Chriſti præcepta, ſi incorruptam atque inuiolatam ſponſæ eius ſanctitatem tuemur, ſi hærent ſenſibus & cordibus noſtris verba Domini dicentis: Putas cùm venerit filius hominis, inueniet fidem in terra? quia fideles Dei milites, qui Deo fide & religione ſincera militamus; commiſſa nobis diuinitus caſtra fideli virtute ſeruemus. Nec conſuetudo quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire debet quò minus veritas præualeat & vincat. Nam [a] conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt: propter quod relicto errore ſequamur veritatem, ſcientes quia & apud Eſdram veritas vicit, ſicut ſcriptum eſt: Veritas manet & inualeſcit in æternum, & viuit & obtinet in ſæcula ſæculorum. Nec eſt apud eam accipere perſonam, nec differentias ſed quæ ſunt iuſta facit; nec eſt in iudicio eius iniquum, ſed fortitudo, & regnum, & maieſtas, & poteſtas omnium ſæculorum; Benedictus Deus veritatis. Quam veritatem nobis Chriſtus oſtendens in Euangelio ſuo dicit: Ego ſum veritas. Propter quod ſi in Chriſto ſumus, & Chriſtum in nobis habemus; ſi manemus in veritate, & veritas in nobis manet, ea quæ ſunt vera teneamus. Fit autem ſtudio præſumptionis & contumaciæ, vt quis magis ſua praua & falſa defendat, quàm ad alterius recta & vera conſentiat. Cui rei proſpiciens beatus Paulus Apoſtolus ad Timotheum ſcribit & monet, Epiſcopum non litigoſum, ſed mitem & docibilem eſſe debere. Docibilis autem ille eſt, qui eſt ad diſcendi patientiam lenis & mitis; oportet enim Epiſcopum non tantùm docere, ſed & diſcere; quia & ille meliùs docet, qui quotidie creſcit, & proficit diſcendo meliora. Quod ipſum quoque idem Apoſtolus Paulus docet, præmonens, vt ſi alij ſedenti melius reuelatum fuerit, prior taceat. In compendio eſt autem apud religioſas & ſimplices mentes, & errorem deponere, & inuenire atque [b] eruere veritatem. Nam ſi [c] ad diuinæ traditionis caput & originem reuertamur, ceſſat error humanus; & ſacramentorum cæleſtium ratione perſpecta, quicquid ſub caligine ac nube tenebrarum obſcurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens qui copioſè priùs & largiter profluebat, ſubitò deficiat; nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noſcatur, vtrumne areſcentibus venis, in capite vnda ſiccauerit; an verò integra inde & plena procurrens in medio itinere deſtiterit? Aut ſi vitio interrupti aut bibuli canalis effectum eſt, [d] quo minus aqua continua perſeueranter ac iugiter flueret; refecto & confirmato canali ad vſum atque ad potum ciuitatis aqua collecta eadem vbertate atque integritate repræſentetur, qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei ſacerdotes præcepta diuina ſeruantes, vt ſi in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, [e] ad originem Dominicam & Euangelicam, & Apoſtolicam traditionem reuertamur; & inde ſurgat actus noſtri ratio, vnde & ordo & origo ſurrexit. Traditum eſt enim nobis quod ſi vnus Deus, & Chriſtus vnus, & vna ſpes, & fides vna, & vna Eccleſia, & baptiſma vnum non niſi in vna Eccleſia conſtitutum, à qua vnitate quiſquis diſceſſerit, cum hæreticis neceſſe eſt inueniatur; quos dum contra Eccleſiam vindicat, ſacramentum diuinæ traditionis impugnat. Cuius vnitatis ſacramentum expreſſum videmus etiam in Cantico Canticorum ex perſona Chriſti dicentis: Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum. Si autem Eccleſia eius hortus concluſus eſt & fons ſignatus; quomodo in eumdem hortum introire, aut bibere de fonte eius poteſt, qui in Eccleſia non eſt? Item Petrus ipſe quoque demonſtrans, & [f] vindicans vnitatem; mandauit & monuit [g] niſi per vnum ſolum baptiſma vnius Eccleſiæ ſaluari nos non poſſe. In arca, inquit, Noë pauci, id eſt, octo animæ, ſaluæ factæ ſunt per aquam, [h] quod & vos ſimiliter ſaluos faciet baptiſma. Quàm breui & ſpiritali compendio, vnitatis ſacramentum manifeſtauit? Nam vt [i] in illo mundi baptiſmo, quo iniquitas antiqua

a CONSVETVDO SINE VERITATE VETVSTAS ERRORIS EST.) Firmilianus: Conſuetudini Romanorum, conſuetudinem, ſed veritatis, opponimus. RIG.

b ERVERE VERITATEM.) In Veronenſi, *diſcernere. Idem.*

c AD DIVINÆ TRADITIONIS CAPVT ET ORIGINEM REVERTAMVR.) Mox dicet, Ad originem Dominicam & Euangelicam & Apoſtolicam traditionem, cui traditioni Firmilianus epiſt. ſeq. & Cyprianius paſſim opponit traditionem humanam. hæc verò ſæpiſſimè aduerſatur diuinæ. *Idem.*

d QVO MINVS AQVA CONTINVA.) In Corbeienſi legitur: *quo minùs aqua perſeueranter continua ac iugiter proſluat Idem.*

e AD ORIGINEM DOMINICAM ET EVANGELICAM. Auguſtinus, Quod autem admonet vt ad fontem recurramus, id eſt ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem ad noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum. lib. v. contra Don. cap. 26. *Idem.*

f VINDICANS VNITATEM.) In Veronenſi: *indicans. Idem*

g NISI PER VNVM.) In Veronenſi: *Per vnum ſolum baptiſma vnius Eccleſiæ ſaluari nos poſſe.* ſicut etiam in Cambronenſi Pamelius reperiri teſtatur. *Idem*

h QVOD ET VOS SIMILITER SALVOS FACIET BAPTISMA.) Senſum beati Petri valdè contraxit, & multò anguſtiorem reddidit. Ait Petrus: *ὑμᾶς νῦν σώζει βάπτισμα, οὐ βάπτισμα σαρκὸς*, non lauatio carnis, *ἀπόθεσις ῥύπου* quæ eſt apud Tertullianum & Cyprianum, expoſitio ſordium: quæ expoſitio ſi corporearum tantùm ſit ſordium, homo in aqua demiſſus, inquit Tertullianus, non multò, vel nihilo, mundior reſurgit. Pergit Apoſtolus: *ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα.* quod eſt, bonæ conſcientiæ ſtipulatio, qua ſub manu antiſtitis interrogantis conteſtamur nos credere in Deum per reſurrectionem Chriſti. Hinc igitur origo interrogationum in baptiſmo. *Idem.*

i IN ILLO MVNDI BAPTISMO.) Per baptiſmum hîc intellige ſubmerſionem & abolitionem impiorum. Nam aliàs minùs conuenienter baptiſmus comparatur diluuio. Etenim diluuio perierunt omnes ferè mortales. At baptiſmo Chriſti, mortalibus ad immortalitatem euadere datur. Aptiſſimè autem Eccleſia comparatur Arcæ, extra quam illo diluuii miraculo nulli fuit animali ſalus, ita neque extra Eccleſiam nemini homini vita frui datur æterna. Quod verò Cyprianus diluuium hîc imitatione Tertulliani mundi baptiſmum fuiſſe dicit, hac ſola ratione placeat, quòd & illo Noæ diluuio & Chriſti baptiſmo merſa eſt ini-

antiqua purgata eſt, qui in arca Noë non fuit, [a] non potuit per aquam ſaluus fieri : ita nec nunc poteſt per baptiſmum ſaluus videri, qui baptizatus in Eccleſia non eſt, quæ ad arcæ vnius ſacramentum Dominica vnitate fundata eſt. [b] Obſeruatur itaque à nobis & tenetur, frater chariſſime, explorata & perſpecta veritate, vt omnes qui ex quacumque hæreſi ad Eccleſiam conuertuntur, Eccleſiæ vnico legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his qui baptizati in Eccleſia priùs fuerant, & ſic ad hæreticos tranſierant : hos enim oportet cùm redeunt, acta pœnitentia per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ouile, vnde errauerant, à paſtore reſtitui. Opto te, frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

quitas mundi. Ac Tertullianus, malle ſe ait, proptereà comparari baptiſmum diluuio, quòd à baptiſmo, ſicut à diluuio, mundus rurſum deliquit. Itaque mundum igni deſtinari, ſicut & hominem qui poſt baptiſmum delicta reſtaurat. R I G.

a NON POTVIT PER AQVAM SALVVS FIERI.] Dixerat Petrus Epiſt. 1. cap. 3. ὀλίγαι ψυχαὶ διεσώθησαν δι' ὕδατος, quod à quibuſdam Latinè redditur, ſeruatæ ſunt in aqua. Nempe ſubmerſæ fuiſſent in aquis, & periiſſent per aquas, niſi arcæ illius ope & beneficio vectæ ſuperaſſent aquas. Aqua igitur per ſe non ſeruat; immò ſuffocat & necat. Etenim littera occidit. Et caro, ſiue corpus, in rebus diuinis pro nihilo ſolet eſſe. Spiritus autem viuificat. Itaque Domini ſpiritus ferebatur ſuper aquas, & ſeruauit in Arca Noam cum ſuis. Sic Arcæ illius τύπῳ rectè componitur ἀντίτυπος, Eccleſia Chriſtiana. *Idem.*

b OBSERVATVR ITAQVE A NOBIS ET TENETVR.) Concluſio Epiſtolæ, ſimul & controuerſiæ: Omnes qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniunt, etſi ab hæreticis baptizati fuiſſe dicantur, eſſe tamen Eccleſiæ vnico legitimo baptiſmo baptizandos. In exemplari vetuſtiſſimo S. Remigii, poſt hanc epiſtolam ſequitur Tractatus Scriptoris anonymi qui aduerſus Cyprianum, eamdem controuerſiam dijudicat. Hunc verò Tractatum, quem in aliis exemplaribus inueniri nemo hactenus prodidit, placuit iſtis Obſeruationibus inſeri, quia variis ſuper hac Cypriani ſententia quæſtionibus ſubtiliter examinatis multa continet quæ ad veteris Eccleſiæ diſciplinam faciunt plurimum; &, quantum ex dictione deprehenditur, Auctoris eſt ab æuo Cyprianico parum diſtantis. Sic igitur incipit:

NON DEBERE DENVO BAPTIZARI QVI SEMEL IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SINT TINCTI.

ANIMADVERTO quæſitum apud fratres, quid potiùs obſeruari oporteat in perſonam eorum, qui in hæreſi quidem, ſed in nomine Dei noſtri Ieſu Chriſti ſint tincti, poſtmodum inde digreſſi, & ſuppliciter ad Eccleſiam Dei aduolantes, totis præcordiis pœnitentiam agerent, & erroris ſui damnationem nunc demum intelligentes, auxilium ſalutis ab ea implorent : vtrum vetuſtiſſima conſuetudine ac traditione eccleſiaſtica, poſt illum, qui foris quidem, ſed in nomine Ieſu Chriſti [a] Dominicum acceperunt baptiſma, tantummodò imponi eis manum ab Epiſcopo, ad accipiendum Spiritum ſanctum ſufficeret, & hæc manus impoſitio ſignum fidei iteratum atque conſummatum eis præſtaret: an verò etiam iteratum baptiſma his neceſſarium eſſet, tamquam nihil habituris, ſi hoc quoque adepti ex integro non fuiſſent, perinde ac ſi numquam baptizati in nomine Ieſu Chriſti forent. Ideóque nonnulla ſuper hac noua quæſtione ſcripta aut reſcripta eſſe iactabantur, quibus vtraque pars ad deſtruenda aliena ſummo ſtudio nitebatur. In quo genere quæſtionis, vt mihi videtur, nulla omninò potuiſſet controuerſia aut diſceptatio emergere, ſi vnuſquiſque noſtrûm contentus venerabili eccleſiarum omnium auctoritate, & neceſſaria humilitate, nihil innouare geſtiret, cùm [b] locum contradictioni non quemlibet animaduerteret. Namque omne quod anceps & ambiguum, & in diuerſis ſententiis prudentium ac fidelium virorum conſtitutum eſt, ſi contra priſcam & memorabilem cunctorum emeritorum ſanctorum & fidelium ſollenniſſimam obſeruationem iudicatur, damnari vtique debet, cùm in re olim compoſita & ordinata, quodcumque eſt illud quod contra Eccleſiarum quietem atque pacem in medium producatur, nihil præter diſcordias & ſimultates & ſchiſmata allaturum : vbi nullus alius fructus reperiatur, niſi hic ſolus, vt vnus homo, quicumque ille eſt, magnæ prudentiæ & conſtantiæ eſſe apud quoſdam leues homines inani gloria prædicetur, & hæreticorum ſtupore præditus, quibus hoc vnicum perditionis ſolatium eſt, ſi non ſoli peccare videantur, errores & vitia vniuerſarum eccleſiarum correxiſſe apud ſimillimos ſui & compares celebretur. [c] Hæreticorum enim omnium hoc ſtudium atque propoſitum eſt, ſanctiſſimæ matri noſtræ Eccleſiæ eiuſcemodi & plurimas quantas calumnias nectere, & inueniſſe aliquid quod ei crimini, vel etiam leuiter, dari poſſet, ſummam gloriam ducere. Quod cùm nullum ſanæ mentis fideliùm tenere, vel maximè nullum omninò in quocumque clero conſtitutum, ac multò magis epiſcoporum, audere deceat, monſtri ſimile eſt, ipſos epiſcopos talia ſcandala cogitare, & turpitudinem matris Eccleſiæ, ſi quam putant in hoc negotio eſſe, contra præceptum Legis & omnium ſcripturarum nimis irreuerenter cum ſua ipſorum turpitudine & periculo non vereri detegere. quamquam nulla ſit in hoc, niſi in errore ipſorum illorum, turpitudo Eccleſiæ. Itaque deteriùs delinquitur

a DOMINICVM ACCEPERVNT BAPTISMA.] In exemplari legitur : *Domini non acceperunt baptiſma*, quod abſque dubio prauum eſt. itaque edi curauimus, *Dominicum*, ex conjectura quam exhibuit doctiſſimi Sirmondi manus, qui nobis iſtius ſcripti copiam fecit. nam ipſum exemplar nondum inſpeximus. Dominicum baptiſma dicitur, quod eſt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti collatum fideli, ſiue credenti. R I G.

b LOCVM CONTRADICTIONI NON QVEMLIBET.] Non quemlibet, dicit, qui eſt in ancipiti & in ambiguo, & diuerſam ſententiam patitur; contradictione tam obuia, támque in promptu, vt eam nemo non geſtiat proponere. *Idem.*

c HÆRETICORVM STVPORE.] Stuporem dicit, arrogantiam, ſuperbiam. quod jam compluribus locis obſeruauimus apud Tertull. & Cypr. *Idem.*

quitur ab hominibus eiuſmodi, ſi id quod in obſeruatione antiquiſſima, aliis, tamquam non rectè fiat reprehenditur, & ab his qui ante nos fuerunt, tum etiam à nobis rectè obſeruatum & obſeruari manifeſtè ac fortiter oſtendatur, ita vt etſi paribus argumentis ex vtraque parte congrederemur, tamen quia non poterat id quod innouabatur ſine diſſenſione fratrum & damno eccleſiaſtico conſiſtere, vtique non debeat contra fas quod aiunt & nefas, id eſt, contra bonum & æquum, Eccleſiæ matri quaſi macula temerè infigi, eiſque qui hoc adtentarint, audaciæ huius atque impietatis ignominia meritò debeat adſcribi. Sed quoniam non eſt in noſtra poteſtate, vt ſecundùm præceptum Apoſtoli idipſum dicamus omnes, néve ſint in nobis ſchiſmata, tamen in quantum poſſumus, connitimur huius tractatus ſtatum demonſtrare; & turbulentis hominibus, vt vel nunc ſuum negotium agere incipiant, perſuadere; conſecuturis etiam plurimum nobis, ſi hoc quoque conſilio ſano tandem voluerint acquieſcere. Et ideò quæcumque ſanctarum [a] ſcripturarum ad hanc partem pertinentia ſunt capitula, neceſſariò in vnum congeremus: & quæ videntur eſſe diuerſa aut varia, quantum poterit, manifeſtè inter ſe conglutinabimus, & vtilitatem ac commodum ſingulorum pro mediocritate noſtra examinabimus, [b] vt accedendi in Eccleſia formam & conſuetudinem ſaluberrimam atque pacificam vniuerſis fratribus inſinuemus. Igitur adgredientibus tractatum ſalutaris & noui, hoc eſt, ſpiritalis & euangelici baptiſmatis, imprimis occurrit notiſſima omnibus prædicatio celebrata atque cœpta ab Ioanne Baptiſta, qui aliquantum deſciſcens à Lege, id eſt Moyſe, antiquiſſimo baptiſmate, & viam nouæ & veræ gratiæ præſternens, & baptiſmate, quod interim exercebat, aquæ & pœnitentiæ ſenſim aures Iudæorum præueniebat, & occupabat ſpiritalis baptiſmatis futuri annuntiatione adhortans eos & dicens: Qui poſt me venit fortior me eſt, cuius ego non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere. ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni. Propter quod nobis quoque huius ſermonis orſus hinc incipere debebit. Nam & Dominus hanc eamdem vocem Ioannis poſt ſuam reſurrectionem in Actis Apoſtolorum confirmans, præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcedere, ſed expectare illam promiſſionem Patris quam audiſtis à me, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. Itémque Petrus eadem verba Domini percenſuit, rationem pro ſe apud Apoſtolos reddens dicendo: Cùm autem inciperem loqui ego, irruit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & ſuper nos in principio, & recordatus ſum ſermonem Domini ſicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Si ergo æquale donum dedit eis, ſicut & nobis credentibus Dominum Ieſum Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere Domino? Et iterùm: Viri fratres, ſcitis quia à diebus antiquis in nobis Deus elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere, & qui corda nouit Deus teſtimonium perhibuit dans eis Spiritum ſanctum ſicut & nobis. Ac propterea huius ſententiæ quæ ſit vis & poteſtas conſiderare debemus. Ait enim Dominus eis qui poſtmodum baptizari haberent quia crederent, baptizandos eſſe, non quemadmodum à ſe in aqua in pœnitentiam, ſed in Spiritu ſancto. De qua prædicatione cùm vtique nemo noſtrûm poſſit ambigere, manifeſtum eſt qua ratione homines in Spiritu ſancto baptizati ſint. nam & propriè in ipſo ſolo ſancto Spiritu baptizati ſunt qui crediderunt. quia Ioannes diſcreuit & dixit, dicens, Se quidem in aqua baptizare, venturum autem qui in Spiritu ſancto baptizet, [c] gratia & virtute Dei, ſunt & hoc & occulta largiente & operante. nihilominus autem etiam in baptiſmate Spiritus & aquæ. Præterea etiam in baptiſmate ſpiritus in ſanguine proprio vniuſcuiuſque. ſicut declarant nobis ſanctæ ſcripturæ, quarum per ſingula quæque eorum quæ enarrabimus, adferemus perſpicuas probationes. Ad quæ fortè tu, qui nouum quid inducis, continuò impatienter reſpondeas vt ſoles, dixiſſe in Euangelio Dominum: Niſi quis denuò natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum cælorum. Ex quo manifeſtè apparet, [d] illum baptiſma ſolum prodeſſe, cui poſſit etiam Spiritus ſanctus ineſſe. ſuper ipſum enim Dominum cùm baptizaretur Spiritum ſanctum deſcendiſſe, factúmque eius atque dictum pariter congruere, nec vlla alia ratione myſterium iſtud poſſe conſiſtere. Cui reſponſo nemo noſtrûm adeo, ita inſanus reperitur aut contumax, vt audeat contra fas aut contra verum contradicere: ſcilicet, rebus integris, & omni modo ita in Eccleſia gerendis, & ſecundùm diſciplinæ ordinem perpetuò à nobis obſeruandis. Sed ſi in eodem nouo Teſtamento hæc quæ in iſto negotio deprehendimus adunata numquam, reperiantur quodammodo diuiſa ac ſeparata, & proinde diſpoſita, atque ſi ſint ſingula, videamus vtrum poſſint eſſe aliquando etiam ſingulariter ſolitaria, quaſi non ſint mutila, ſed tamquam integra atque perfecta. Nam cùm per manus impoſitionem epiſcopi datur

a SCRIPTVRARVM CAPITVLA.] Sic etiam ſæpè Tertull. & Cypr. RIG.

b VT ACCEDENDI IN ECCLESIA.) Fortean, *vt accendi in Eccleſia formā & conſuetudinem inſinuemus*. Idem.

c GRATIA ET VIRTVTE DEI SVNT ET HOC.) Aliquid hîc deeſſe videtur, quod abſque alterius exemplaris ope reſtitui nequeat. niſi dicamus, iſta: *Gratia & virtute Dei ſunt*, pendere de præcedentibus illis: *propriè in ipſo ſolo ſancto Spiritu baptizati ſunt*. vt continua lectione ſic perducamus: *Gratia & virtute Dei ſunt*. nempe baptizati. deinde ſequatur: *hoc & occulta largiente & operante*. Verùm hæc ſunt nimis anxia & coacta. Suſtinebimus igitur vſque dum in alium incidamus codicem antiquum. *Idem*.

d ILLVM BAPTISMA.) Mox dicet, *illud*. ſicut & modò baptiſmum, modò baptiſma. & in dandi caſu, *alio*. *Idem*.

a APOSTOLI

datur vnicuique credenti Spiritus ſanctus, ſicut Apoſtoli circa Samaritanos poſt Philippi baptiſma manum ei imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum ſanctum in eos contulerunt. quod vt fieri poſſet ipſi pro eis orauerunt. nondum enim ſuper quemquam eorum deſcenderat Spiritus. tantùm autem baptizati erant in nomine Domini Ieſu. Dominus quoque noſter poſt reſurrectionem, cùm inſufflaſſet & dixiſſet Apoſtolis ſuis, Accipite Spiritum ſanctum, ita demum largitus eis Spiritum. cùm ita inuenitur, Quid tibi frater videtur. ſi quis non ab Epiſcopo baptizatus, ita vt ſi in continenti etiam manus ei imponatur, priuſquàm tamen acciperet Spiritum ſanctum, fuerit defunctus, vtrùm cenſeas ſalutem percepiſſe eum, nec ne. quoniam quidem & ipſi [a] Apoſtoli & Diſcipuli, qui etiam alios baptizabant, qui etiam à Domino baptizati, non ſtatim Spiritum ſanctum acceperint, qui nondum erat, quia Ieſus nondum fuerat clarificatus: ſed poſt reſurrectionem eius nec modicum interuallum temporis quo id geſtum eſt, interceſſerit. Sicuti & cùm baptizati à Philippo Samaritani: donec Samariam rogati ab Hieruſalem Apoſtoli deſcenderent ad illos, vt eis manum imponerent, & Spiritum ſanctum per manus impoſitionem in eos inferrent. quoniam illo interuallo temporis aliqui eorum non adeptus Spiritum ſanctum morte potuit intercipi; & defraudatus gratia Spiritus ſancti defungi. Quod hodierna quoque die non poteſt dubitari eſſe vſitatum, & euenire ſolitum vt plerique poſt baptiſma ſine impoſitione manus epiſcopi de ſeculo exeant, & tamen pro perfectis fidelibus habentur. ſicuti Æthiops eunuchus cùm rediret ab Hieruſalem & legeret prophetam Eſaiam & hæſitaret, ſuggerente Spiritu, audita veritate à Philippo diacono, credidit & baptizatus eſt, & cùm aſcendiſſet de aqua Spiritus Domini rapuit Philippum; & non vidit eum iam nunc ampliùs eunuchus. abibat enim viam ſuam gaudens. quoniam vt animaduertis impoſita ei manus non eſt ab Epiſcopo, vt Spitum ſanctum reciperet. Quod ſi hoc admittis, & ſalutare eſſe credis, nec opinioni omnium fidelium refragaris, neceſſe eſt confitearis, proinde autem atque hoc latiùs tractatu procedit, etiam illud aliud latiùs poſſe conſiſtere. id eſt, vt per ſolam manus impoſitionem Epiſcopi, quia baptiſma in nomine Ieſu Chriſti Domini noſtri præceſſit, poſſit alió homini pœnitenti atque credenti etiam Spiritus ſanctus tribui. quoniam eos qui in Chriſtum crediturí eſſent Scriptura ſancta prædixit, Oportet in Spiritu baptizari. ita vt & hi quoque non videantur minus aliquid habere, quàm illi qui perfectè ſunt Chriſtiani, ne neceſſe ſit quæri, Quare illud baptiſma fuerit quod in nomine Ieſu Chriſti ſunt conſecuti. Niſi fortè in illo quoque ſuperiore tractatu, circa eos qui tantummodò in nomine Chriſti Ieſu baptizati fuerint, ſtatuas etiam ſine Spiritu ſancto poſſe ſaluos fieri, aut non hac ſola ratione, ſed ſi per manus impoſitionem Epiſcopi Spiritum ſanctum conſueſſe præſtari. aut etiam non Epiſcopum dicas Spiritum ſanctum ſolum eſſe largiri. Quod ſi ita eſt, & poteſt aliquid horum eueniens ſalutem homini credenti non præripere, tu quoque ipſe annuis quoniam modo dimidiatum, & non vt contendis conſummatum myſterium fidei, qua neceſſitas interuenit, ſalutem adimere non poſſe credenti & pœnitenti homini. Aut ſi dicis huiuſmodi hominem ſaluum non poſſe fieri, omnibus Epiſcopis ſalutem adimimus, quos ita periculis quamcertiſſimis adſtringis, vt omnibus qui ſub cura eorum agunt, & hac atque illac diſperſis regionibus ipſorum infirmantur, per ſemetipſos ſubuenire deberent, quia ceteri homines minores clericis qui periclitantur, hoc idem præſtare non poſſint. ne ſanguis eorum qui vacui de ſeculo exiſſe videbantur, de manu epiſcoporum neceſſe habeat requiri. Porrò autem vt non ignoratis credentibus hominibus inuenitur Spiritus ſanctus à Domino datus ſine baptiſmate aquæ, ſicut Actis Apoſtolorum continetur in hunc modum: Adhuc loquente Petro verba hæc, irruit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum, & obſtupefacti ſunt qui erant ex circumciſione fideles quotquot ſimul venerant cum Petro, quia & ſuper gentes donum Spiritus ſancti effuſum eſt. audiebant enim eos loquentes linguis ſuis & magnificabant Deum. Tunc reſpondit Petrus, Numquid aliquis aquam prohibere poteſt vt non baptizentur iſti qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos? & præcepit eos baptizari in nomine Ieſu Chriſti. Sicut etiam Petrus poſtmodum de eiſdem gentibus pleniſſimè docuit nos dicens, Et nihil diſcreuit inter nos & ipſos, fide emundatis cordibus eorum. Atque hoc non erit dubium in Spiritu ſancto homines poſſe ſine aqua baptizari. ſicut animaduertis baptizatos hos priùs quàm aqua baptizarentur vt ſatisfieret & Ioannis & ipſius Domini prædi-
cationibus;

a APOSTOLI ET DISCIPVLI QVI ETIAM A DOMINO BAPTIZATI.] Tertullianus lib. de Baptiſmo: *Apoſtolos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum.* Ibidem: *Illis vel prima adlectionis, & exinde indiuidua familiaritatis prærogatiua compendium baptiſmi conferre potuit.* RIG.

AVT NON HAC SOLA RATIONE, SED SI PER MANVS IMPOSITIONEM:] Aliquid hic deeſſe videtur: niſi totam clauſulam ſic conſtituamus: *Circa eos qui tantummodo in nomine Chriſti Ieſu baptizati fuerint, ſtatuas etiam ſine Spiritu ſancto poſſe ſaluos fieri: aut, non hac ſola ratione, ſed & per manus impoſitionem epiſcopi, Spiritum ſanctum conſueſſe præſtari: aut etiam non epiſcopum dicas Spiritum ſanctum eſſe largiri.* Solum, hoc eſt, ſine aqua, ſine baptiſmo. Eſſe largiri, hoc eſt, Spiritum ſanctum dare poſſe etiã non epiſcopum. & videlic aliquem de minore clero, vel de iis qui ſunt minores clericis.

QVA NECESSITAS INTERVENIT.] Peculiari neceſſitatis cauſatione, cuius exempla obſeruauimus apud Tertul. & Cypr.

cationibus, quandoquidem hæc ſine manus impoſitione Apoſtolorum, & ſine lauacro quod poſteà adepti ſunt, gratiam repromiſſionis acceperint. & mundatis cordibus eorum Deus per fidem ipſorum etiam remiſſionem peccatorum ſimul eis largitus ſit, vt hoc ſolum eis baptiſma ſubſequens præſtiterit, vt inuocationem quoque nominis Ieſu Chriſti acciperent, nequid eis deeſſe videretur ad integritatem miniſterij & fidei. Quod etiam, à contrario latere tractatus huius, ſunt conſecuti ipſi illi diſcipuli Domini noſtri, ſuper quos iampridem baptizatos, poſtremo die Pentecoſtes ſuperuenit Spiritus ſanctus, voluntate Dei quidem, non ſua ſponte cælo lapſus, ſed ad hoc ipſum munus effuſum, ſed & ſuper vnumquemque eorum. [a] cùm iuſti iampridem vt diximus baptiſmate Domini fuiſſent baptizati, ſicut & ipſi Apoſtoli, qui tamen omnes Domino nocte qua apprehenſus eſt, deſeruiſſe inueniuntur. & ille ipſe, qui gloriatus eſt perſeueraturum ſe in ſua fide, Petrus, & aduerſus ipſius Domini prædictum obſtinatiſſime repugnauit. [b] Poſtremò tamen tum ipſum negauit, vt hac ratione oſtenderetur nobis, quæ medio tempore, quóque modo, contraxerant delicta, eadem hæc in eis [c] fide poſtmodum ſincerata per baptiſma Spiritus ſancti non dubiè eſſe dimiſſa. nec vlla vt puto alia ex cauſa Apoſtoli his quos in Spiritu ſancto adloquebantur, niſi quia virtus nominis Ieſu ſuper quemcumque hominum baptiſmate inuocata ad ſalutem adſequendam non modicam prærogatiuam ei qui baptizaretur præſtare poſſet, ſicuti Petrus in Actis Apoſtolorum narrat dicens, Nec enim aliud eſt nomen ſub cælo quod datum eſt hominibus, in quo oportet ſaluos fieri nos. Sicut etiam Apoſtolus Paulus aperit oſtendens, quia Deus exaltauit Ieſum Dominum noſtrum & donauit illi nomen ad hoc vt ſit ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omnes genua curuent cæleſtium & terreſtrium & infernorum & omnis lingua confiteatur quia Dominus eſt Ieſus in gloria patris. & ille in quo, cùm baptizaretur, inuocatum eſſet in nomine Ieſu, licèt in aliquo errore conſequeretur, tamen quandoque non prohiberetur rectum ſapere, & errorem ſuum corrigere, & ad Eccleſiam & ad Epiſcopum venire, & ſinceriter confiteri Ieſum noſtrum coram hominibus, vt tunc cum ab Epiſcopo ei manus imponeretur, etiam Spiritum ſanctum acciperet, nec inuocationem illam priſtinam nominis Ieſu amitteret, quam nemini noſtrûm licet damnare: quum hæc nuda & ſingularis ſit conſtituta non poſſet ad ſalutem præſtandam ſufficere, ne hac ratione etiam ethnicos & hæreticos abutentes nomen Ieſu, credamus ad ſalutem ſine vera re atque integra poſſe peruenire. quam tamen inuocationem nominis Ieſu, correctione erroris & agnitione fidei veritatis, & abſciſa omni labe præteritæ conuerſationis, myſterio Dei, circa eiuſmodi homines ritè perpetratam, locum quem habitura non erat, obtinere, & poſtremò in fide recta, & ad integritatem ſigni præſtandam non obeſſe, ſupplemento eius quod deerat accedente. Perquàm vtile eſt credere, & tot annorum, tótque Eccleſiarum, itémque Apoſtolorum & Epiſcoporum auctoritati cum bona ratione adquieſcere. cùm ſit maximum incommodum ac diſpendium ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ aduerſus priſca conſulta, poſt tot ſeculorum tantam ſeriem, nunc primùm repentè ac ſine ratione inſurgere. Nec enim propter aliud Petrus, qui iam fuerat baptizatus, & quid ſentiret de Domino ab ipſo Domino erat interrogatus, & veritate reuelationis Patris cæleſtis in eum collocata, quod Dominus noſter non ſolùm Chriſtus, verùm etiam filius Dei viui eſſet confeſſus, poſtmodum eidem Chriſto prædicanti de ſua paſſione refragatus eſſe monſtratus eſt, & proptereà Satanas dici oſtenſus eſt. niſi quia futurum erat, vt quidam tametſi variantes in ſententia propria, & claudicantes aliquando in fide atque doctrina, cùm in nomine Ieſu baptizarentur, tamen ſi interuallo quodam temporis recorrigere id potuiſſent, non proptereà à ſalute exciderent. ſed quandoque reſipuiſſent, integram ſpem ſalutis pœnitendo obtinerent. præſertim cùm Spiritum ſanctum, quo baptizari vnuſquiſque hominum debet, acciperent, aliquid tale deſignaſſent. ſicuti non ſolùm Petrum hoc paſſum eſſe in Euangelio deprehendimus, verùm vniuerſos quoque diſcipulos, quibus iam baptizatis poſteà Dominus ait, quia vos omnes ſcandalizabimini in me. qui omnes, vt animaduertimus, correcta fide ſua, poſt reſurrectionem Domini in Spiritu ſancto ſunt baptizati. vt non immeritò hodie quoque credamus homines correctos à priſtino errore in Spiritu ſancto poſſe baptizari, qui cùm aqua baptizarentur in nomine Domini [d] aliquod ſcabram habuiſſent fidem. quoniam multum intereſt, vtrum in totum quis non ſit baptizatus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, an verò in aliquo claudicet cùm baptizatur [e] baptiſmate aquæ, quod minus eſt, dummodò poſteà conſtet in veritate ſincera fides in baptiſmate ſpiritus, quod maius eſt. Nec æſtimes huic tractatui contrarium eſſe quod dixit Dominus: Ite, docete gentes, tinguite eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Quia

a CVM IVSTI IAMPRIDEM.] Leg. *cum iſti.*

b POSTREMO TAMEN TVM IPSVM NEGAVIT.] Leg. *ter ipſum neg.*

c FIDE POSTMODVM SINCERATA.] Ad ſinceritatem reducta. Mel ſincerum, quod purum & ſine cera. Infrà dicet, *purificato corde.*

d ALIQVOD SCABRAM HABVISSENT FIDEM.] Fortean ſcripſerit Auctor, *aliquo ſcabram.* hoc eſt, aliquatenus. vt apud Tertul. *aliquo Numidas.* Quod ſi quis malit, *aliquod ſcabram*, ferri certè poterit, quemadmodum apud Virgil. *os humeróſque deo ſimilis.*

e BAPTISMATE AQVÆ.] Sic emendauit quod in MS. Remenſi prauè ſcriptum eſt, *Baptiſmata ea quæ.*

Quia cùm hoc verum & omnibus modis in Eccleſia obſeruandum ſit, & obſeruari quoque ſolitum ſit, tamen conſiderare oportet quod inuocatio nominis Ieſu non debet à nobis futilis videri propter venerationem & virtutem ipſius nominis; in quo nomine virtutes omnes ſolent fieri: & nonnumquam aliquæ etiam [a] ab hominibus extraneis. Ceterum quò pertinent illa verba Chriſti, qui negaturum ſe eſſe dixit, nec noſſe eos qui ſibi in die iudicij dicturi eſſent, Domine Domine nonne in tuo nomine prophetauimus; & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes magnas fecimus; reſpondendo eis etiam iureiurando, Quia numquam cognoui vos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem: niſi oſtenderetur nobis, nonnumquam etiam ab his qui operarentur iniquitatem; poſſe [b] per nimiam virtutem nominis Ieſu etiam hæc fieri. Idcircò quæ debet inuocatio hæc nominis Ieſu quaſi initium quoddam myſterij Dominici commune nobis & ceteris omnibus accipi; quia poſſit poſtmodum reſiduis rebus impleri, aliàs non profutura talis inuocatio cùm ſola permanſerit. quia poſt mortem eiuſmodi hominis non poteſt ei quicquam omnino adici vel ſuppleri, aut in aliquo prodeſſe in die iudicij, cùm illa à Domino noſtro quæ ſuprà memorauimus cœperint exprobrari, qui tamen vniuerſi hodie, vt ſibi his modis ſubueniant quibus ſuprà oſtendimus non poſſunt ab vllo hominum tam durè támque crudeliter prohiberi. Sed ad hæc vt ſoles contradices, opponendò nobis, tunc cùm baptizarentur integrè ac rectè diſcipulos, ac non vt hos hæreticos eſſe baptizatos, quod ex perſona ipſorum, & eius qui baptizauit illos, ſumas neceſſe eſt. & ideò nos ad propoſitionem hanc tuam non vt accuſatores diſcipulorum Domini reſpondemus, ſed ſicuti compellimur, quia neceſſe eſt vbi & quando & quemadmodum vnicuique noſtrûm ſalus ſit præſtita, rationibus inueſtigemus. Namque natum eſſe Dominum noſtrum, & Chriſtum eſſe eum, multis rationibus eius non immeritò credi videbatur, quod ex tribu Iuda, quod ex genere Dauid; quódque in ciuitate Bethlehem fuiſſet natus, & quod paſtoribus ab Angelis, quoniam ſaluator illis natus eſſet, eodem momento fuiſſet annuntiatus, quod in oriente viſa eius ſtella ſollicitiſſimè fuiſſet à Magis requiſitus & adoratus, & illuſtribus donis & inſignibus muneribus honoratus. quod puer admodum in templo ſedens cum legis doctoribus prudenter & cum admiratione omnium diſputaſſet. quod cùm baptizaretur, ita vt nulli alij contigerat, cælis apertis deſcenſione Spiritus ſancti, & ſuper eum manſione, teſtimonio etiam Patris ſui, itémque Ioannis Baptiſtæ fuiſſet clarificatus. quod ſupra humanam mediocritatem corda & cogitationes vniuerſorum intelligeret. quod languores & vitia & valetudines cum poteſtate maxima curaret atque ſanaret. quod remiſſiones peccatorum cum euidenti probatione præſtaret, quod dæmonia iuſſu expelleret, quod leproſos verbo mundaret, quod aquam in vinum conuertendo conuiuium nuptiale admirabili lætitia amplificaret. quod viſionem reſtitueret aut indulgeret. quod doctrinam Patris cum omni fiducia aſſereret. quod in loco deſerto de quinque panibus quinque millia hominum ſaturaret: quod reliquiæ atque bucellæ pluſquam duodecim cophinos implerent. quod mortuos pro ſua pietate paſſim ſuſcitaret. quod ventis & mari vt quieſcerent imperaret. quod ſuper mare pedibus ambularet. quod virtutes omnes omninò perficeret. Quibus rebus & huiuſmodi compluribus factis ad claritatem eius pertinentibus conſequens eſſe videbatur, vt quemadmodum Iudæi de Chriſto ſentiant. quod tamen de Ieſu Chriſto Domino noſtro non credunt, vt etiam ipſi exſtimarent, vt talis & tantus nulla obita morte in æternum perſeueret, & regnum Iſraël & totius orbis in perpetuum quod non corriperetur poſſideret. Vnde etiam Iudæi auſi fuerant eum rapere & in regnum vnguere. quod quidem [c] neceſſe habuit ille ſuperfugere. ac propterea diſcipuli eius arbitrabantur; quod nulla alia ratione vitam æternam his præſtaturus eſſet, niſi primùm ipſe vitam hanc temporalem cum illa æterna in ſeipſo continuaſſet. Denique cùm conuerſarentur in Galilæa dixit eis Ieſus; Incipit filius hominis tradi in manus hominum; & interficient eum, & poſt triduum reſurget, & contriſtati ſunt nimis ac mente conceperant. Denique hic fuit etiam Iudæorum ſermo contradictionis aduerſus eum, [d] cùm ſe ipſe quidem doceret eos, & futura annuntiaret. illi autem dicerent, Nos audiuimus à lege quia Chriſtus manet in æternum, & quo modo tu dicis, quia exaltari oportet filium hominis? Itaque fuit diſcipulorum hæc præſumptio de Chriſto, prorumpente in iſtum ſermonem incredulitatis ſuæ Petro ipſo duce ac principe Apoſtolorum. Cùm enim à Domino ſimul cum ceteris fuiſſet interrogatus quidnam ſentiret de ipſo, id eſt, quem eſſe eum exiſtimaret, & primò veritatem confeſſus fuiſſet dicens;

eſſe

a AB HOMINIBVS EXTRANEIS] Non domeſticis fidei: extra Eccleſiam conſtitutis. Infrà dicet, *alienis*.

b PER NIMIAM VIRTVTEM] Abundantia, ſiue exuberantia diuinæ virtutis, nominis Ieſu.

c NECESSE HABVIT SVPERFVGERE.] Hoc certè magis Deo conuenit, quàm ſubterfugere.

d CVM SE IPSE QVIDEM DOCERET EOS.] Docebat ſe Chriſtus, docens ſe eſſe natum hominem, crucifixum, ſepultum, poſtea verò ſurrexiſſe ac reuixiſſe. Nam totum illud, Homo Chriſti, ſiue Corpus & Sanguis Chriſti, Caro Chriſti; Crux Chriſti; ac denique omne illud quod pro nobis in homine ſuo, conuerſatus nobiſcum, fecit dixitque, Chriſtus eſt: hiſtoria Corporis & crucis Chriſti, Chriſtus eſt. Eam qui ſciunt, Chriſtum ſciunt: qui geſta & mandata Chriſti animo ſuo, corde ſuo, mente ſua, benè ac fideliter continent, Chriſtum in ſe habent. in illis viuit Chriſtus, & viuunt in Chriſto: Chriſtum ſciunt, vt Tertullianus dixit, *Alexandrum qui ſciunt*, de iis qui Alexandri vitam ſiue hiſtoriam ſcirent.

eſſe eum Chriſtum filium Dei viui, & propterea beatus ab illo iudicatus eſſet, quod hoc non carnaliter, ſed per Patris cæleſtis reuelationem adſecutus eſſet: idem tamen, vbi cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis quia oportet illum Hieroſolymam ire & multa pati à ſenioribus & ſacerdotibus & ſcribis, & interfici, & poſt diem tertium reſurgere, nihilominus ille verus Chriſti confeſſor poſt pauculos dies aſſumpto eo cœpit illum corripere, dicens, [a] Propitius ſit tibi, non erit iſtud: vt propterea audire à Domino commeruerit, Vade poſt me Satanas, ſcandalum mihi es. ob hoc quod non ſaperet ea quæ ſunt Dei, ſed ea quæ ſunt hominum. Quæ increpatio aduerſus Petrum magis magiſque eluxit adprehenſo Chriſto, cùm à muliercula conterritus diceret, Neſcio quid dicas, neque noui te. & iterùm cùm hoc diceret adhibito iureiurando, & tertio [b] deuotans & iurans adfirmaret, quoniam non noſſet hominem. & non ſemel ſed ſæpiùs eum negaſſet. quod conſilium ei quoniam vſque ad paſſionem Domini perſeueraturum erat, multò priùs à Domino palàm factum eſt, vt nos quoque id non ignoremus. Denique poſt reſurrectionem Domini vnus è diſcipulis eius Cleopas cùm eſſet mœſtus ſecundùm errorem omnium condiſcipulorum ſuorum, ipſi Domino, tanquam alicui ignoto, referens quod contigerat, ſic locutus eſt dicens, De Ieſu Nazareno, qui fuit propheta potens in factis & dictis in conſpectu Dei & vniuerſi populi, quomodo hunc tradiderunt ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis & crucifixerunt: Nos autem ſperabamus quod ipſe erat redempturus Iſrael. Iuxta quæ, omnes quoque diſcipuli adſeuerationem quoque mulierum, quæ poſt reſurrectionem viderant Dominum, iudicauerunt deliramenta, & quidam ipſorum viſo eo non crediderunt, ſed dubitauerunt. quique tunc non interfuerunt, omninò non crediderunt, niſi poſtmodum ab ipſo Domino omnibus modis fuiſſent obiurgati atque increpati. quoniam mors eos ita offenderat, vt putarent eum non reſurrexiſſe, quem [c] timuerant mori non debuiſſe, quia contra opinionem ipſorum ſemel mortuus fuiſſet. Itaque quod ad ipſos diſcipulos pertinet, neque integram neque perfectam fidem habuiſſe his modis quibus retulimus inueniuntur, & quod multò grauius eſt, ſicut in Euangelio [d] circa Ioannem ſcriptum eſt, etiam alios baptizabant. Prætereà, quid dicturus es de his, qui plerumque ab Epiſcopis peſſimæ conuerſationis baptizantur. qui tamen tamdem, cùm Deus voluerit, in ſceleribus ſuis conuicti, [e] etiam ipſo, aut prorſus etiam communicatione priuantur? Aut quid ſtatues de eis qui ab Epiſcopis prauè ſentientibus aut imperitioribus fuerint baptizati? quando non ad liquidum & integrè, vel etiam aliter quàm oportet, in traditione ſacramenti fuerint locuti. certè aut interrogauerint quid, aut interrogantes à reſpondentibus audierint quod minimè ita interrogari aut reſponderi debet. quod tamen non valde illam noſtram rectam fidem lædat, ſed non ornatè vt tu & compoſitè, iſti quoque ſimpliciores homines myſterium fidei tradant. Dicturus es enim vtique pro tua ſingulari diligentia, hos quoque denuò baptizandos eſſe, cùm maximè eis res deſit, aut obſtet, quominùs inuiolabile illud diuinum myſterium fidei intemeratum poſſit accipere. Sed enim [f] viuorum optime reddamus & permittamus virtutibus cæleſtibus vires ſuas, & dignationi diuinæ maieſtatis concedamus operationes proprias, vt intelligentes quantum in ea ſit emolumentum, libentes ei adquieſcamus. Et ideò cùm ſalus noſtra in baptiſmate ſpiritus, quod plerumque cum baptiſmate aquæ coniunctus eſt, ſit conſtituta, ſi quidem per nos baptiſma tradetur, integrè & ſollemniter & per omnia quæ ſcripta ſunt adſignetur, atque ſine vlla vllius rei ſeparatione tradatur: aut ſi à [g] minore clero per neceſſitatem traditum fuerit, euentum expectemus, [h] vt aut ſuppleatur à nobis, [i] aut à Domino ſupplendum reſeruetur. ſi verò ab [k] alienis traditum fuerit, vt poteſt hoc negotium & vt admittit, corrigatur. quia Spiritus ſanctus extra Eccleſiam non ſit, fides quoque non ſolùm apud hæreticos, verùm etiam apud eos qui in ſchiſmate conſtituti ſunt, ſana eſſe non poſſint. Idcircò quæ pœnitentiam agentibus correctiſque per doctrinam veritatis & per fidem ipſorum, quæ poſteà emendata eſt, purificato corde eorum, tantummodò baptiſmate ſpiritali, id eſt, manus impoſitione Epiſcopi, & Spiritus ſancti ſubminiſtratione ſubueniri debeat. ſignum quoque fidei integrum hoc modo & hac ratione tradi in Eccleſia meritò conſueuit. ne inuocatio nominis Ieſu, quæ aboleri non poteſt contemptui à nobis videatur habita. quod vtique non oportet. quamquam talis inuocatio, ſi nihil eorum quæ memorauimus ſeruatum fuerit, ab operatione ſalutis ceſſet ac vacet. Dicente enim Apoſtolo, vnum eſſe baptiſma, neceſſe

a PROPITIVS SIT TIBI.) Comparatiuè dictum videtur. Propitiora tibi adueniant. quaſi fatum ſuum Chriſtus narraſſet diſcipulis.

b DEVOTANS ET IVRANS) Tertullianus dixit, *deuotamenta*.

c QVEM TIMVERANT MORI NON DEBVISSE.) Praua ſcriptura Remenſis. Legendum, *quem innuerant mori non debuiſſe*.

d CIRCA IOANNEM.) ΚΑΤΑ ΙΟΑΝΝΗΝ.

e ETIAM IPSO, AVT PRORSVS ETIAM COMM. PRIV.) Etiam ipſo, ſcilicet Domino, priuantur. quia vel facto ſuo peſſimo Dominum negant, & ad Ethnicos tranſeunt: aut prorſus etiam ejiciuntur ab Eccleſia.

f VIVORVM OPTIME.) Chriſtiano more loquitur: ne ſi, mortalium optime, dixiſſet, aliquid in fidem ſiue ſpem vitæ æternæ peccaſſet. qui de Seculo ſunt, mortui dicuntur: qui verò de Eccleſia, viui.

g MINORE CLERO.) Preſbytero, diacono. per neceſſitatem ſcilicet.

h VT AVT SVPPLEATVR A NOBIS.) Si reualeſcat ægrotus.

i AVT A DOMINO SVPPLENDVM.) Iudicaturo viuos & mortuos.

k ALIENIS.) Suprà dixit, *extraneis*.

neceſſe eſt inuocatione nominis Ieſu perſeuerante, quia non poteſt à quoquam hominum quæ ſemel inuocata eſt auferri. ſi eam contra decretum Apoſtolorum geminare, aut ſi fuerimus [a] nimietate præſtandi, immo ſuperaddendi baptiſmatis ſtudioſi. Si ille qui ad Eccleſiam reuertitur, noluit denuò baptizari, futurum eſt vt defraudemus baptiſmate ſpiritali eum, quem putamus defraudandum non eſſe baptiſmate aquæ. Quid autem ſtatues in perſonam eius verbum audientis, qui fortè adprehenſus in nomine Chriſti ſtatim confeſſus, ac priuſquàm baptizari aqua permitteretur ei, [b] fuerit punitus, vtrum periſſe eum pronuntiabis, quia non eſt aqua baptizatus, an verò aliquid extrinſecùs patrocinari ei ad ſalutem exiſtimabis, licèt non ſit aqua baptizatus. quod periſſe cùm exiſtimabis obuiam tibi veniet ſententia Domini dicentis, Quicumque me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor illum & ego coram patre meo qui in cælis eſt. quia nihil intereſt vtrum hic [c] verbum audiens, an fidelis ſit qui confitetur Domino, dummodo ipſum Chriſtum quem confiteri oportet, confiteatur. quia Dominus pari vice confitendo & ipſe confeſſorem ſuum apud Patrem honore eum martyrij vt pollicitus eſt exornet. quod vtique non debet latiùs accipi, quaſi poſſit vſquequaque porrigi, quia poteſt Chriſti nomen etiam hæreticus aliquis, qui tamen ipſum Chriſtum negat, confiteri. quia in alium Chriſtum credit. cùm Chriſtus confiteatur quod ei prodeſſe minimè poſſit. [d] ſi quidem Dominus non ſeipſum in confeſſionem à nobis coram hominibus deduci oportere dixit. quod ſine ipſo, & ſine venerando nomine eius non poteſt fieri. Et ideò integrum ac ſincerum & incontaminatum & inuiolatum vtrumque debet conſiſtere confitenti, nullo dilectu habito ipſius confeſſoris, ſiue ille iuſtus, ſiue peccator, perfectúſque Chriſtianus, an verò etiamnunc imperfectus, qui [e] ſummo diſcrimine ſuo Domino confiteri non timuit, nec eſt hoc contrarium ſuperiori tractatui, quia illic quidem tempus ſuperat ad corrigenda quæ [f] multa vel praua ſunt. & quoniam quædam conceſſa ſunt ipſi tantummodò nomini Domini noſtri: martyrium autem non niſi in ipſo & per ipſum Dominum poſſit conſummari. Et idcircò neque Chriſtum ſine ipſius nomine quis poſſit confiteri, neque nomen Chriſti ſine ipſo Chriſto ad confeſſionem cuiquam poſſit patrocinari. Quapropter totus diſcernendus eſt tractatus hic, vt poſſit manifeſtior fieri. Namque inuocatio nominis Ieſu ideò tantùm patrocinari poteſt, ſi ritè ſuppleta poſteà fuerit. quia & Prophetæ & Apoſtoli ita prædicauerint. ait enim Iacobus in Actis Apoſtolorum, Viri fratres audite, Simeon expoſuit quemadmodum primùm Deus viſitauerit accipere ex gentibus populum nomini ſuo. & ſi conſonant ſermones prophetarum, ſicut ſcriptum eſt, Poſt hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum illud Dauid quod cecidit, & quæ demolita ſunt eius reædificabo, & denuò erigam illud vti exquirant reſidui hominum Deum, & omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum ſuper eas, dicit Dominus faciens hæc. Itaque & reſidui hominum, id eſt, quidam Iudæorum, & omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen Domini, poſſunt & neceſſe habent requirere Dominum. quia ipſa inuocatio nominis præbet eis occaſionem, vel etiam imponit neceſſitatem requirendi Dominum. cum quibus præcipiunt ſcripturas ſanctas, ſiue vniuerſas, ſiue quaſdam, tamen audentiùs de veritate tractare, quàm cum gentibus ſuper quos non eſt inuocatum nomen Domini, id eſt, Chriſti Ieſu filij Dei viui. ſicuti nec ſuper Iudæos, qui veteres tantùm ſcripturas recipiunt. Et ideò vtriuſque huius generis homines, id eſt, Iudæi & gentiles, plenè vt oportet credentes pari modo baptizantur. hæretici verò jam baptizati aqua in nomine Ieſu Chriſti, tantùm in Spiritu ſancto baptizandi ſunt. & in Ieſu, quod nomen ſolum datum eſt ſub cælo in quo oporteat ſaluos fieri nos, meritò mors contemnitur. [g] quam ſi ſic perſeuerent ſalui eſſe non poſſunt quia non requiſiuerunt Domino poſt inuocationem nominis eius ſuper eos. ſicut & illi qui in eos Chriſtus qui fortè credere noluerunt, de quibus Dominus ait, Cauete ne quis vos in errorem inducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus. & multos in errorem inducent. Et iterùm, Tunc ſi qui dixerit vobis, Ecce hìc Chriſtus aut hìc, nolite credere. Surgent enim pſeudo-Chriſti & pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna magna & portenta, ita vt errent ſi fieri poteſt etiam electi. Quas virtutes non dubiè tunc illi ſub nomine Chriſti facient. In quo nomine videntur quidam etiam modò quaſdam virtutes facere, & falsò prophetare. ſed certum eſt eos, quòd ipſi non ſint Chriſti, propterea ad Chriſtum non pertinere. quemadmodum etiam ſi quis deſciſcat à Chriſto inhærens ſolo nomini eius. qui non multum adiuuatur, immo magis hoc nomine etiam oneratur, licèt fuerit anteà fideliſſimus aut iuſtiſſimus, aut [h] clero aliquo honoratus, aut confeſſionis dignitate prædítus. Hi enim omnes negando verum Chriſtum, intro-

ducendo

a Nimietate præstandi.) Superſtitioſa, vana & inepta formidine.

b Fuerit punitus] Occiſus pro nomine.

c Verbum audientis.) Catechumeni.

d Si quidem Dominus non seipsum.) Legendum, *Dominus noſter*, aut certè delenda eſt negandi particula. Etenim dixit Dominus, *Qui me confeſſus fuerit.*

e Summo discrimine suo.) Interrogatus ſcilicet coram ſeculi poteſtatibus infeſtiſſimis nomini Chriſtiano.

f Quæ multa vel prava sint.) Legendum, *quàm multa vel praua ſint.* hoc eſt, quàm multa vel quàm praua ſint.

g Quam si sic perseveret.) Locus deprauatiſſimus expectat melioris alicuius codicis auxilium.

h Clero aliquo.) Nempe epiſcopo, preſbytero, diacono.

ducendo aut ſequendo aliud, cùm ſit nullus omninò alius, nihil ſpei aut ſalutis ſibi relinquunt. non aliter quàm illi, qui coram hominibus negauerunt Chriſtum, quos negari neceſſe eſt à Chriſto. non habita vlla ratione ipſorum ex præcedenti conuerſatione eorum [a] aut ſenſu aut dignitate, [b] proinde atque ipſi aut ſi ſunt Chriſtum, id eſt, ſalutem ſuam abrogare damnati. per huiuſmodi clauſulam quia manifeſtiſſimè à Domino dictum eſt, Quicumque me negauerit coram hominibus, negabo eum & ego coràm patre meo qui in cælis eſt. vt verbum hoc, Quicumque, etiam in clauſula confeſſionis pleniſſimè nobis oſtendat, quòd nulla conditio ipſius confitentis obeſſe poſſit, licèt negator ille anteà vel hæreticus fuerit, vel audiens, aut audire incipiens, qui nondum baptizatus ſit, vel de hæreſi ad veritatem fidei conuerſus, vel ab Eccleſia digreſſus ac poſtea reuerſus ſit, & tunc cùm rediret [c] priùs ei manus ab Epiſcopo imponeretur, adprehenſus, confiteri Chriſtum coram hominibus, neceſſe habuerit. ſicut iterùm neganti Chriſtum nulla propria vetus dignitas poteſt ad ſalutem patrocinari. Quodcumque enim in homine vltimum in hac ſpecie deprehenſum fuerit, in illo quis noſtrûm iudicari neceſſe habebit abolitis & obliteratis omnibus quæ priùs geſſit. Et ideò cùm in martyrio tanta ſit mutatio rerum in momento temporis, vt in re perquàmveloci poſſint mutari vniuerſa, nemo ſibi blandiatur, qui occaſionem amiſerit glorioſæ ſalutis, ſi fortè ſe ab ea excluſerit propria ſua culpa. ſicuti & illa vxor Loth, quæ ſimiliter in anguſtiis rerum contra præceptum Angelorum, tantummodò poſt ſe reſpexit, & tumulus ſalis facta eſt. qua ratione etiam ille hæreticus qui confitendo Chriſti nomen trucidatur, nihil poſteà poteſt corrigere, ſi quid de Deo aut de Chriſto malè ſenſerit, cùm in alium Deum, aut in alium Chriſtum credendo ſemetipſum fefellit, confeſſor non Chriſti, ſed ſolitario Chriſti nomine. quando & Apoſtolus conſequenter dicat: Et ſi corpus meum tradidero, ita vt exurar igni, dilectionem autem non habeam, nihil proficio. Quia hoc facto nihil proficit qui non habet dilectionem eius Dei & Chriſti, qui per Legem & Prophetas & in Euangelio in hoc modo prædicatur, Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota cogitatione tua. & Diliges proximum tibi tamquam te. In his enim duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Sicut & Ioannes Euangeinſta dicit, Et omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum quia Deus dilectio eſt, Sicuti & Deus ait, Ita enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnicum daret, vt omnis qui in eum crederet, non periret, ſed haberet vitam æternam. Vt manifeſtè apparet eum, qui hanc diligendi nos & diligendi à nobis dilectionem in ſe non habeat, inani confeſſione & paſſione [d] nihil proficere. quàm vt ipſa apparet & conſtat hæreticum eſſe, qui in alium Deum credat, ſiue Chriſtum alium accipiat. quamquam Scripturæ noui & veteris teſtamenti manifeſtè prædicant, quæ patrem omnipotentem creatorem omnium, & filium eius ſine obſcuritate annuntiante. veniet enim eis vt alij ab alio Deo ſalutem expectanti. tunc demum contra opinionem ſuam à Chriſto Dei patris omnipotentis creatoris filio, quem blaſphemauerant, in pœnam æternam damnentur, cùm iudicare Deus cœperit abſconſa hominum, ſecundùm Euangelium per Chriſtum Ieſum, eò quod in ipſum non crediderint, licèt ipſius nomine abluti ſint. & vſque adeò omne illud hæreticorum baptiſma intercedente aliquo interuallo temporis corrigi poteſt, ſi quis ſuperuixerit & fidem correxit, vt Deum noſtrum in Euangelio ſecundùm Lucam ad diſcipulos ſuos locutus eſt dicens, Habeo autem aliud baptiſma baptizari. Item ſecundùm Marcum ad filios Zebedæi, eadem ratione dixerit, Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, aut baptiſmate quo ego baptizor baptizari? Quod ſciret homines non ſolùm aqua, verùm etiam ſanguine ſuo proprio habere baptizari. ita vt & ſolo hoc baptiſmate baptizati fidem integram & dilectionem ſinceram lauacri poſſint adipiſci, & vtroque modo baptizari. æquè tamen vnum [e] baptiſma ſalutis & honoris pariter & æqualiter conſequi. Quod enim dictum eſt à Domino, Habeo aliud baptiſma baptizari, hoc in loco non vt ſecundum baptiſma, ac ſint duo baptiſmata, ſignificat: ſed alterius quoque ſpeciei baptiſma ad eamdem ſalutem concurrens donatum nobis eſſe demonſtra[t]. Quas [f] vtraſque ſpecies ab ipſo Domino noſtro primùm miniſtrari & ſanctificari oportebat, vt nobis quoque alterutra, ſiue vtraque ſpecies, vnum hoc duplex ſalutiferum atque honorificum baptiſma præſtaret. & viæ quædam vnius baptiſmatis ſic nobis patefierent, vt aliquando impunè aliqua illarum deeſſet, ſicut in verbum audientibus, martyribus, impunè aquæ baptiſma deeſt.

a AVT SENSV.) Qui rectus anteà ſteterat.

b PROINDE ATQVE IPSI AVT SI.) Legendum, *proinde atque ipſi auſi ſunt Chriſtum; id eſt ſalutem ſuam abroga[re], damnati per huiuſmodi clauſulam.*

c PRIVS EI MANVS AB EPISCOPO IMPONERETVR.) Scribendum, *priuſquam ei manus ab epiſcopo imponeretur, adprehenſus.*

d NIHIL PROFICERE, QVAM VT IPSA APPARET ET CONSTAT HÆRETICVM ESSE.) Scribendum, *nihil proficere, quam vt ipſum appareat & conſtet hæreticum eſſe.*

e BAPTISMA SALVTIS ET HONORIS.) Etenim martyrij baptiſmate non ſolùm ſalus æternæ vitæ, ſed & corona datur.

f VTRASQVE BAPTISMI SPECIES AB IPSO DOMINO PRIMVM MINISTRARI ET SANCTIFICARI OPORTEBAT.) Nimirum ante baptiſma Chriſti aquæ non lauerant: ante crucem Chriſti, ſanguis non lauerat. quod vtrobique accipiendum eſt de vi ac virtute ſpiritali, ſiue deifica. Sed impropriè dici videtur à Chriſto miniſtrari aquæ baptiſma, cùm ipſi Chriſto ab Ioanne ſit miniſtratum. Inde nata varietas ſcripturæ *imitari*, pro *miniſtrari*. Etſi hoc ferri quidem poſſit.

deeſt. quos tamen certi ſumus, [a] ſi quid laxamenti habeant, etiam aqua ſolitos baptizari. itemque illis qui [b] legitimi ſunt fideles effecti, impunè deeſt baptiſma ſanguinis proprij. quia baptizati in nomine Chriſti redempti ſunt precioſiſſimo ſanguine Domini, cùm vtraque hæc ex vno atque eodem fonte procedant flumina baptiſmatis Dominici, vt omnis qui ſitit veniat & bibat ſicut Scriptura dicit, Flumina de ventre eius currebant aquæ viuæ. Quæ flumina primùm apparuerunt in Domini paſſione, cùm de latere perforato lancea militari ſanguis & aqua manauit. vt emitteret duo flumina diuerſæ ſpeciei, ſed tamen eiuſdem ac ſingulare latus, ita vt impleatur Spiritu ſancto quicumque credens biberit ex vtroque flumine. Hæc enim de fluminibus his loquens oſtendebat Dominus ſignificans Spiritum ſanctum quem accepturi eſſent qui credituri erant in illum. nondum autem erat Spiritus, quia Ieſus nondum erat clarificatus. Igitur dicens quemadmodum generari poteſt baptiſma, quod Apoſtolus vnum eſſe prædicat, vtique manifeſtum eſt illa ratione, quia diuerſæ ſunt ſpecies vnius atque eiuſdem baptiſmatis ex vno vulnere profluentis in aquam & ſanguinem. cùm illic duo ſint de quibus locuti ſumus baptiſmata aquæ, id eſt, vnius atque eiuſdem ſpecies cùm vnum eſſe debeat baptiſma vniuſcuiuſque ſpecies, ſicut pleniùs ſumus locuti. Et quoniam videmur omne baptiſma ſpiritale trifariam diuiſiſſe, veniamus etiam ad probationem narrationis propoſitæ, ne videamur proprio ſenſu & temerè hoc feciſſe. Ait enim Ioannes de Domino noſtro in epiſtola ſua nos docens, Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus. non in aqua tantùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtimonium perhibet, quia Spiritus eſt veritas. quia tres teſtimonium perhibent, Spiritus & Aqua & Sanguis. Et iſti tres in vnum ſunt. Vt ex illis colligamus, & aquam præſtare ſolitam, & ſanguinem proprium hominibus præſtare ſpiritum ſolitum, & ipſum quoque Spiritum præſtare ſpiritū ſolitum. Nam cùm effundatur aqua ſicuti & ſanguis, ſpiritus etiam effuſus ſit à Domino ſuper omnes qui crediderunt, vtique & aqua, & proprio nihilominus ſanguine, tunc deinde & Spiritu ſancto poſſunt homines baptizari. Ait enim Petrus: Sed hoc eſt quod dictum eſt per prophetam: Erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij eorum & filiæ eorum. & iuuenes viſiones videbunt, & ſeniores ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos & ſuper ancillas effundam de ſpiritu meo. Quem ſpiritum in veteri Teſtamento, non quidem paſſim, nec effuſè, ſed communicatum cum aliis, aut etiam ſponte inſiluiſſe in quoſdam homines, vel induiſſe illos & fuiſſe ſuper eos deprehendimus. ſicuti Moſi de ſeptuaginta preſbyteris à Domino dictum eſſe animaduertimus; Et auferam ſpiritum qui ſuper te eſt, & imponam ſuper eos: Propter quod etiam, ſecundùm pollicitationem ſuam, Deus ab alio ex ſpiritu qui ſuper Moyſen fuerat, impoſuit ſuper illos, & prophetauerunt in caſtris, quod Moyſes vt homo ſpiritalis ita contigiſſe gaudebat, licèt ab Ieſu filio Naue, vt huic rei intercederet, inuito ſuadebatur, & idcircò non fuiſſe permotus. Porrò autem in libro Iudicum, item in Regnorum libris animaduertimus ſuper pleroſque aut fuiſſe ſpiritum Domini, aut inſiluiſſe in eos, tamquam ſuper Gothoniel, Gedeon, Iephthe, Sampſon, Saul, Dauid, & ceteros alios. quod vſque adeò ita ſe habet, vt Spiritus ſancti ſponte accedendi ab eis libertatem ac facultatem manifeſtiſſimè nos Dominus docuerit, dicens, Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat aut quò vadat. ita vt idem ſpiritus etiam ſuper indignos quoque ſui nonnumquam inueniatur eſſe. non vtique otioſè, nec ſine ratione, ſed neceſſariæ alicuius operationis gratia, ſicuti ſuper Saul fuit, ſuper quem factus eſt ſpiritus Dei & prophetauit. quamquam poſteriore tempore poſtquam receſſit ab eo Spiritus Domini, & poſtquam [c] angebat eum ſpiritus malignus adm. quoniam tunc ad hoc poſtremus venerat poſt nuntios quos antè aſſiduè præmiſerat, vt interficeret Dauid. qui idcircò inciderunt in chorum prophetarum & prophetauerunt, ne id quod iuſſi fuerant perficere poſſent aut vellent. quod admirabili ratione per voluntatem Dei ſpiritum qui ſuper omnes illos fuit credimus operatum eſſe. Qui ſpiritus impleuit etiam Ioannem Baptiſtam adhuc ab vtero matris ſuæ, & incubuit ſuper eos, qui cum Cornelio centurione erant priuſquàm baptizarentur aqua. Ita dum cohæret baptiſmati hominum Spiritus ſanctus; aut antecedit aut ſequitur; vel ceſſante baptiſmate aquæ incumbit ſuper eos qui credunt, det nobis conſilium, quod aut ex integro ritè baptiſma obſeruare, aut fortè dato à quocumque in nomine Ieſu baptiſmate, ſupplere id debeamus custodita nominis Ieſu Chriſti, ſicuti pleniſſimè expoſuimus, ſanctiſſima inuocatione; cuſtodita præterea tanti temporis, tot virorum, veneranda nobis conſuetudine & auctoritate. Quoniam autem prima pars diſputationis huius videtur explicata, etiam ſequentem eius propter hæreticos debemus attingere. quia perquàm neceſſarium eſt eum tractatum qui ſemel in manus incidit non prætermitere. ne fortè eos qui ſunt ſimpliciores ex fratribus aliquis hæreticorum verſutia ſua au-

a SI QVID LAXAMENTI HABEANT.) Si neceſſitas diſcriminis imminentis aliquid laxauerit, aliquid temporis indulſerit, quod Cyprianus amat dicere, commeatum, & moram in ſæculo tantiſper adhuc manendi.

b LEGITIMI FIDELES.) Baptiſmate in Eccleſia ritè ſuſcepto.

c ANGEBAT EVM SPIRITVS MALIGNVS ADM.) Sic legitur in MS Remenſi. Reg. 1. 16. Exagitabat eum Spiritus nequam à Domino. Arripuit eum ſpiritus Domini malus.

deat attentare. Nam quia Ioannes dixit nos baptizandos eſſe in ſpiritu & igni, eò quod addiderit dicens, Et igni, idcircò quidam deſperati homines auſi ſunt vſquequaque prauitatem ſuam porrigere, & propterea homines naſutiſſimi quærunt quomodo ſanctitatis baptiſma ita corrumpant ac violent, vt etiam euacuent. qui originem jam exinde trahunt à Simone mago multiformi peruerſitate per varios errores eam exercentes. cui Simoni Petrus in Actis Apoſtolorum dixit, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia gratiam Chriſti exiſtimaſti per pecunias poſſe poſſidere. non eſt tibi pars neque ſors in ſermone hoc. cor enim tuum non rectum coram Deo. Et agunt iſti hæc omnia dum fallere cupiunt eos qui ſint ſimpliciores aut curioſiores. & temptant nonnulli iterùm tractare ſe ſolos integrum atque perfectum, non ſicuti nos mutilatum & decurtatum, baptiſma tradere. quod taliter dicantur adſignare, vt quámmox in aquam deſcenderunt, ſtatim ſuper aquam ignis appareat. Quod ſi aliquo luſu perpetrari poteſt, ſicut [a] adfirmantur plerique huiuſmodi luſus Anaxilai eſſe, ſiue naturale quid eſt, quo pacto poſſit hoc contingere, ſiue illi putant hoc ſe conſpicere, ſiue maligni opus & magicum virus ignem poteſt in aqua exprimere: illi tamen talem fallaciam & ſtropham prædicant perfectum baptiſma eſſe, quod fideles homines, ſi coacti fuerunt accipere, vtique non dubitabitur eos id quod habuerant amiſiſſe. proinde ac ſi quis ſacramento miles dicto deſertis ſuis caſtris, in hoſtium diuerſiſſimis caſtris longè aliud ſacramentum velit dicere: hac ratione conſtat eum vetere ſacramento exauctoratum eſſe. idem ſi huiuſmodi homo rurſus ad te redeat, vtique hæſitabis vtrum habeat baptiſma nec ne; & tamen oportebit te huic quoque pœnitentiam agenti quibuſcumque modis potueris ſubuenire. Eſt autem adulterini huius, immo internecini baptiſmatis, ſi quis alius auctor; tum etiam quidam ab eiſdem ipſis hæreticis propter hunc eumdem errorem confictus liber, qui inſcribitur [b] PAVLI PRÆDICATIO. In quo libro contra omnes ſcripturas, & de peccato proprio confitentem inuenies Chriſtum, qui ſolus omninò deliquit, & ad accipiendum Ioannis baptiſma penè inuitum à matre ſua Maria eſſe compulſum. Item cùm baptizaretur, ignem ſuper aquam eſſe viſum. quod in Euangelio nullo eſt ſcriptum. Et poſt tanta tempora, Petrum & Paulum, poſt conlationem Euangelij in Hieruſalem & mutuam altercationem & rerum agendarum diſpoſitionem, poſtremo in Vrbe quaſi tunc primùm inuicem ſibi eſſe cognitos. & quædam alia huiuſcemodi abſurdè ac turpiter conficta. quæ omnia in illum librum inuenies congeſta. Qui autem non ignorant Spiritus ſancti qualitatem, intelligunt quod dictum eſt de igni, de ipſo Spiritu dictum eſſe. Nam in Actis Apoſtolorum ſecundùm hanc eamdem promiſſionem Domini noſtri, ipſo die Pentecoſtes cùm deſcendiſſet Spiritus ſanctus ſuper diſcipulos, & in illo baptizarentur, viſæ ſunt inſidentes ſuper ſingulos linguæ quaſi ignis; vt conſtaret eos Spiritu ſancto & in igne baptizatos, hoc eſt, eo ſpiritu qui eſſet ſiue ignis ſiue quaſi ignis. qualis ignis fuit qui in rubo ardebat & rubum non comburebat. qualiſque eſt ille ignis qui eſt Angelorum ſpiritus, ſicut Scriptura dicit, Qui fecit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem ardentem. Cui cùm ſimilis aut ſocius aut particeps fueris, poteris nullum ignem timere. nec illum quidem qui antecedens Domino in die iudicij conflagrabit totum orbem terræ abſque eis qui baptizati ſunt in Spiritu ſancto & igni. & hominibus quidem Spiritus perſeuerat hodie inuiſibilis; ſicut Dominus dicit, Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vnde veniat vel quò vadat. Sed in principio myſterij fidei & ſpiritalis baptiſmatis hic idem Spiritus manifeſtè viſus eſt & ſuper diſcipulos inſediſſe quaſi ignis. Item cælis apertis deſcendiſſe ſuper Domino columbæ ſimilem. quoniam pleraque, immo penè omnia quæ eſſent futura manifeſta ſunt, quæ tamen modò eſſent inuiſibilia nihilominus: nunc quoque oculis & incredulitati hominum vel ex parte, vel aliquando, vel in figura ſunt monſtrata ad corroborandam & confirmandam fidem noſtram. Sed nec illud omiſerim quod Euangelium meritò prædicat. Ait enim paralytico Dominus noſter, Bono animo eſto fili, dimittuntur tibi peccata. vt oſtenderet fide mundari corda ad remiſſionem peccatorum conſequendam. quam remiſſionem peccatorum conſecuta eſt illa quæ erat mulier peccatrix in ciuitate. cui Dominus ait, Dimittuntur tibi peccata. Et cùm cœpiſſent qui ſimul diſcumbebant apud ſemetipſos dicere, Quis eſt hic qui peccata dimittit? Quod & circa paralyticum acerbiùs Scribæ & Phariſæi obmurmurauerant. Ait ad mulierem Dominus, Fides tua te ſaluam fecit. vade in pace. Ex quibus vniuerſis oſtenditur, fide emundari corda, ſpiritu autem ablui animas. Porro autem per aquam lauacri corpora. Sanguine quoque feſtinantiùs perueniri per compendium ad ſalutis præmia. Puto nos plenè ex-

ſecutos

a ADFIRMANTVR PLERIQVE HVIVSMODI LVSVS ANAXILAI ESSE.) Hæc etiam eſt ſcriptura Remenſis. Plinius lib. xxxv. vbi de ſulphure, Luſit & Anaxilaus eo, condens in calice nouo, prunáque ſubdita circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum, velut defunctorum, effundente conuiuiis.

b PETRI PRÆDICATIO.) Huiuſce ſcripti meminit Hieron. lib de Script. Eccl. in Petro, atque inter apocryphas ſcripturas reputari. & ab Euſebio, in Ebionis hæreſi, notantur Περίοδοι Πέτρου. Talia fuêre Acta Pauli, ſtudio cuiuſdam in Aſia preſbyteri, qui poſteà conuictus fraudis, hæc ſe amore Pauli feciſſe confeſſus eſt. Hunc proptereà loco deceſſiſſe tradit Tertullian. libro de Baptiſ. Videatur Euſeb. in Paulo. Hic verò irrepſit nomen Pauli pro nomine Petri.

c FIDE MVNDARI CORDA.) Inuocato nomine Chriſti, agnito Chriſto Dei filio ἐβάπτισα εἰς ἅδης.

ſecutos prædicationem Baptiſtæ Ioannis, vnde ſermonem ſumus exorſi, qui dixit ad Iudæos. Ego quidem vos baptizo aqua in pœnitentiam. qui autem poſt me venit, fortior me eſt, cuius ego non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. Arbitror autem & Apoſtoli Ioannis doctrinam nos non ineptè diſpoſuiſſe, qui ait, Quia tres teſtimonium perhibent, Spiritus & Aqua & Sanguis. & iſti tres vnum ſunt. Niſi fallor autem etiam illud explanauimus quod Dominus noſter ait, Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu ſancto. Prætereà exiſtimo nos non infirmam rationem reddidiſſe, conſuetudinis cauſam. Tueamur tamen, etſi poſteriore loco id facimus, ne qui putet nos vnico articulo præſentem altercationem ſuſcitare. Quamquam hæc conſuetudo etiam ſola deberet apud homines timorem Dei habentes & humiles præcipuum locum obtinere.

AD CYPRIANVM FIRMILIANI CONTRA eamdem epiſtolam Stephani.

[a] FIRMILIANVS CYPRIANO FRATRI [b] IN Domino Salutem.

Accepimvs per Rogatianum chariſſimum noſtrum diaconum à vobis miſſum, litteras quas ad nos feciſti frater dilectiſſime, & gratias propter hoc Domino maximas egimus: quod contigerit, vt qui corpore ab inuicem ſeparamur, ſic ſpiritu adunemur; quaſi non vnam tantum regionem tenentes, ſed in ipſa atque in eadem domo ſimul inhabitantes. Quod & decet dicere, quia & ſpiritalis domus Dei vna eſt. Erit enim in nouiſſimis, ait propheta, diebus manifeſtus mons Domini & domus Dei ſuper vertices montium. In quam conuenientes cum iucunditate adunantur, ſecundùm quod & in pſalmo hoc poſtulatur à Domino, inhabitare in domo Dei per omnes dies vitæ. Vnde & in alio loco manifeſtatum eſt, eſſe apud Sanctos magnam voluntatis charitatem, in vnum conuenire, Ecce, inquit, [c] quàm bonum & voluptabile eſt, [d] vt habitent fratres in vnum. Adunatio enim & pax & concordia, non ſolum hominibus fidelibus & cognoſcentibus veritatem, ſed & Angelis ipſis cæleſtibus voluptatem maximam præſtat quibus dicit ſermo diuinus, eſſe gaudium in vno peccatore pœnitentiam agente, & ad vnitatis vinculum reuertente. Quod vtique non diceretur de angelis, conuerſationem in cælis habentibus, niſi ipſi quoque eſſent nobis adunati, qui noſtra adunatione lætantur: ſicut econtrario vtique contriſtantur, quando vident diuerſas quorumdam mentes, & ſciſſas voluntates, quaſi non tantùm vnum, & eumdem Dominum ſimul inuocent, ſed ſeparatis & diuiſis ab inuicem nec confabulatio iam poſſit eſſe, aut ſermo communis. Niſi quod nos gratiam referre Stephano in iſto poſſumus: quòd [e] per illius inhumanitatem nunc effectum ſit, vt fidei & ſapientiæ veſtræ experimentum caperemus. Sed non ſi nos propter Stephanum hanc beneficij gratiam cepimus, ſtatim Stephanus beneficio & gratia digna commiſit. Neque enim & Iudas perfidia ſua & proditione, qua ſceleratè circa Saluatorem operatus eſt, dignus videri poteſt, quaſi cauſam bonorum tantorum ipſe præſtiterit,

a Firmilianvs Cypriano fratri.] Tantus amor veri Pamelio fuit, vt hanc epiſtolam, niſi à Morelio iam edita fuiſſet, omitti ac tenebris damnari conſultius eſſe cenſuerit. cuiuſmodi certè conſilio peccaſſe arbitror viros cetera præſtantes, qui vetuſtiſſimos codices inſpexerunt, Veronenſem & Beneuentanum. & cum editionibus Manucij Pameliique contulerunt, abſque vlla mentione huius epiſtolæ etenim omiſſam illic fuiſſe, vix eſt credibile, cùm in pleriſque, quos vidit Pamelius, ſit reperta: nimirum in Anglicano, Affligenenſi, Blandino, Marchiano, Dunenſi, Cauchiano. Ea certè in Regio noſtro extat, & per catalogum inuenitur ſub numero cccv. Græcè à Firmiliano Cæſareæ Cappad. epiſcopo conſcriptam fuiſſe, atque etiam à Cypriano verſam Latinè ſatis arguit ſtilus, etſi Firmiliani vocabulum Latinam prodat originem. nec fruſtra Cyprianicis epiſtolis inſertam, varia diſciplinæ veteris arma teſtantur. Ipſum verò Firmilianum eximium Origenis diſcipulum inter illuſtres clariſſimarum vrbium epiſcopos recenſet ὁ μέγας ille apud Euſebium & Baſilij Amphilochium Dionyſius Alex. Eiuſdem elogium legitur apud Niceph. Eccl. hiſt. lib. vi. Φιρμιλιανὸς πρὸ τῆς κατὰ τὴν Καισαρείας ποιμνῆς, ἀριφανὴς ἀνήρ, καὶ ἐκεῖ τὰ γνώσεως ὑπεϛωμένα ἔχων τὰ ἕξις. Rio

b In Domino.] In exemplari Regio non legitur. *Idem*,

c Qvam bonvm et volvptabile.] Septuaginta καλὸν καὶ τερπνόν. *Idem*.

d Vt habitent fratres in vnvm.) Vt concordes benè conſentiant inter ſeſe, Pſal. 133. Ad quem locum Grotius appoſitiſſimè citauit illud Menandri: Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖσιν ὁμονοίας ἔρως. *Idem*.

Ecce qvam bonvm et volvptabile est, vt habitent fratres.) In exemplari Beneuentano, lib. iii. ad Quirinum, idem locus ita citatur: Vt quid bonum & voluptabile eſt. vt habitent fratres in vnum. Vnde non mediocriter firmari conjectura poſſit, verſionis epiſtolæ Firmilianeæ auctorem eſſe Cyprianum. *Idem*.

e Per illivs inhvmanitatem.) Stephanus epiſtola quadam ſignificauerat nolle ſe cum Cypriano neque cum Firmiliano ac ceteris eiuſdem cum illis ſententiæ epiſcopis communicare: quòd eſt, nolle ſe cum iis quicquam habere commune, quia ſcilicet hæreticos ad ſe venientes rebaptizarent. Hoc verò inciuiliter atque inhumaniter ab Stephano factum queritur Firmilianus, ea potiſſimum ratione, quòd Cyprianus & alij ſecum eadem de baptizandis hæreticis ſentientes apertiſſimè teſtarentur, nolle ſe propterea fraternitatis ſiue communionis jura diſſoluere aut præiudicare quidquam aduerſus aliter ſentientes: Itaque debuiſſe Stephanum fratres ſuos, etſi hac in re diſſentientes, mutua clementia ſuſtinere. Et eſt Cypriani quidem benignitas præcedentibus epiſtolis conſignata paſſim & publica concilij Africani præfatione promulgata. nam & verba ipſa ſunt nec ſemel ab Auguſtino tranſcripta ſtudioſiſſimè ac dilaudata. Sed & Firmiliani æquanimitas eo præſertim oſtenditur, quòd in Pauli Samoſateni cauſa, nihil temerè decernendum ratus, cognitionem in aliud tempus diſtulerat, ſperans poſſe fieri, vt abſque religionis noſtræ opprobrio, ſicuti narrat Ruffinus, & abſque diſſenſionum nota res veniret in melius. Euſebij verba ſunt: Ἐπιστὰς αὐτὸς τοῖς περὶ τὸν λόγον καινοτομηθεῖσι ἐλέγξας ... *Idem*.

ſtiterit, vt per illum mundus [a] & gentium populus liberaretur. Sed hæc interim quæ ab Stephano geſta ſunt, prætereantur, ne dum audaciæ & inſolentiæ eius meminimus, de rebus ab eo improbè geſtis longiorem mœſtitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoſcentes, quod ſecundùm regulam veritatis & ſapientiam Chriſti, hoc [b] de quo nunc quæritur diſpoſueritis; cum magna lætitia exultauimus & Deo gratias egimus, quia [c] inuenimus in fratribus tam longè poſitis tantam nobiſcum fidei & [d] veritatis vnanimitatem. Potens eſt enim gratia Dei copulare & coniungere charitatis atque vnitatis vinculo; etiam ea quæ videntur longiore terrarum ſpacio eſſe diuiſa. Secundùm quod & olim interuallo temporum ſeparatos ab Iob & Noë qui in primis fuerant, Ezechielem & Danielem, poſteriores ætate ad vnanimitatis vinculum virtus diuina coniunxit; Vt quamuis temporibus longis diſcreti eſſent, eadem tamen diuina inſpiratione ſentirent. Quod & nunc in vobis animaduertimus, vt qui longiſſimis regionibus à nobis ſeparati eſtis, ſenſu tamen & ſpiritu copulatos vos eſſe nobiſcum probaretis. Quod totum hoc fit diuina vnitate. Nam cum Dominus vnus atque idem ſit qui habitat in nobis, coniungit vbique & copulat ſuos vinculo vnitatis. Vnde in vniuerſam terram exiuit ſonus eorum, qui à Domino miſſi ſunt vnitatis ſpiritu velociter currentes. Sicut econtrario nihil prodeſt aliquos proximos & iunctos ſibi eſſe corporibus, ſi animo & mente diſſideant; quando adunari animæ omninò non poſſint, quæ ſe à Dei vnitate diuiſerint: Ecce enim, inquit, qui longinquant ſe abs te, peribunt: ſed tales iudicium Domini pro merito ſuo ſubibunt recedentes à verbis eius qui patrem pro vnitate deprecatur, & dicit: Pater da vt quomodo ego & tu vnum ſumus, ſic & hi in nobis vnum ſint. Nos verò ea quæ à vobis ſcripta ſunt, [e] quaſi noſtra propria ſuſcipimus, nec in tranſcurſu legimus, ſed ſæpè repetita memoriæ mandauimus: neque obeſt vtilitati ſalutari aut eadem retexere, ad confirmandam veritatem, aut & quædam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem à nobis additum fuerit, non ſic additur quaſi à vobis aliquid minus dictum ſit; ſed quoniam ſermo diuinus humanam naturam ſupergreditur, nec poteſt totum & perfectum anima concipere. Iccircò & tantus eſt numerus prophetarum, vt multiplex diuina ſapientia per multos diſtribuatur. Vnde & tacere præcipitur, primo in prophetia loquenti, ſi ſecundo fuerit reuelatum. Qua ex cauſa neceſſario apud nos ſit, vt per ſingulos annos ſeniores & præpoſiti in vnum conueniamus [f] ad diſponenda ea quæ curæ noſtræ commiſſa ſunt: Vt ſi qua grauiora ſunt, communi conſilio dirigantur; [g] lapſis quoque fratribus & poſt lauacrum ſalutare à diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur; [h] non quaſi à nobis remiſſionem peccatorum conſequantur, ſed vt per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum conuertantur, & Domino pleniùs ſatisfacere cogantur. Quoniam verò legatus iſte à vobis miſſus regredi ad vos feſtinabat, & hibernum tempus vrgebat; quantum potuimus ad ſcripta veſtra reſcripſimus. Et quidem quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, [i] quaſi Apoſtoli eos qui ab hæreſi veniant

a ET GENTIVM POPVLVS LIBERARETVR.) Non debuit reijci quod in quibuſdam MSS. legitur. Et gentium populus paſſione Domini liberaretur. RIG.

b DE QVO NVNC QVÆRITVR.) In libro Regio: *de quo nunc ſequitur. Idem.*

c INVENIMVS IN FRATRIBVS NOSTRIS TAM LONGE POSITIS.) Sententiæ Cypriani ſuper hæreticorum baptiſmo fauebant non ſolùm per Africam, Numidiam & Mauritaniam eccleſiæ quamplurimæ, verumetiã omnes ferè quæ in Oriente magno numero Chriſtianam pietatem profitebantur. In iis autem epiſcopi nobilium ciuitatum celeberrimi nominatim iudicati epiſtola ad Stephanum, quæ prima eſt de ſeptem illis Dionyſij Alexandrini περὶ βαπτίσματος ab Euſebio memoratis. Et in ea quidem epiſtola magnus ille Dionyſius Stephanum certiorem faciebat, ſedatos eſſe motus quos in Oriente Nouatiani concitauerant, itaque omnes Eccleſias in eo conſentire, vt lapſis pœnitentia daretur; verùm adiecerat aliquid de pœnitentibus, qui ab hæreticis redirent, baptizandis, quod prætermiſit Euſebius, Vnde Baronius occaſionem ſumpſit affirmandi pro certo, ſic omnes illas Eccleſias acquieuiſſe Stephano, vt in eius decretum, de non baptizandis hæreticis, abdicata Cypriani ſententia conuenirent. quod adeò non eſt ab Dionyſio traditum, vt defuncto poſtmodum Stephano idem ille Dionyſius Xyſtum Stephani ſucceſſorem per alteram epiſtolam diligenter ac ſeriò monuerit; Conſideraret attentiùs quæſtionis pondus & cauſæ difficultatem: Stephanum quidem Heleno & Firmiliano, ceteriſque per Ciliciam & Cappadociam & finitimas Eccleſias Epiſcopis nunciaſſe per litteras, minimè communicaturum ſe cum iis, eo quòd hæreticos rebaptizarent: Verumtamen eſſe magni momenti negotium. ὅτι περὶ δογμάτων γέγονεν ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν ἐπισκόπων συνόδοις, ὡς πυνθάνομαι, ὥστε τοὺς προσιόντας ἀπὸ αἱρέσεων, προκατηχηθέντας, εἶτα ἀπολούεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαιᾶς καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον. Pergit Dionyſius, aitque, hoc ſe ab Antiochiæ, Cæſareæ, Æliæ, Tyri, Laodiceæ, Tarſi epiſcopis rogatum ſcribere Xyſto: quin & compreſbyteris ſuis Dionyſio & Philemoni, qui fuerant eiuſdem cum Stephano ſententiæ, ſcripſiſſe hac de re pleniùs & vberiùs. Vnde opinari liceat Dionyſium illum & Philemonem repudiato Stephani dogmate, conceſſiſſe in Alexandrini Dionyſij & ceterorum ſententiam qui ſecundùm Cypriani doctrinam conſenſerant Firmiliano. *Idem.*

d VERITATIS VNANIMITATEM) Lib. Regius: *vnitatem.*

e QVASI NOSTRA PROPRIA SVSCIPIMVS.) Sic ſupra, ipſe Cypr. *Idem.*

f AD DISPONENDA EA QVÆ CVRÆ NOSTRÆ COMMISSA SVNT.) Hæc & quæ ſequuntur, communi conſilio dirigantur. *Idem.*

g LAPSIS QVOQVE FRATRIB.) Thurificatis aut libellatis. Lapſis fide. *Idem.*

h NON QVASI A NOBIS REMISSIONEM PECCATORVM CONSEQVANTVR.) Nouatianus aliquis apud Pacianum, epiſt. 1. Paciano dicenti, Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti: Solus hoc, inquit, Deus poterit. Reſpondet Pacianus: Verum eſt: ſed & quod per ſacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Haud abſimiliter ea quoque temperanda videbuntur, quæ dixit Chryſoſtomus homil v. περὶ ἀκαταλήπτου. οὐδὲ ἐγκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναστρέφειν τὰ ἁμαρτήματα. Duriora enim ſunt quæ de Homiliis tanti Patris cenſet Animaduerſio ad Epiphan. Hæreſi Nouat. vbi de hiſtoria Nectarij. *Idem.*

i QVASI APOSTOLI EOS QVI AB HÆRESI VENIVNT BAPTIZARI PROHIB.) Notare videtur Firmilianus ea Stephani verba: Si quis ergo à quacumque hæreſi venerit ad nos nihil innouetur, niſi quod traditum eſt. quaſi traditio non baptizandi eos qui ab hæreticis veniunt, ab Apoſtolis deſcenderit. quod opinari ſtultum eſſe ait Firmilianus, cùm hæc traditio de hæreticis non baptizandis ab Apoſtolis fluxiſſe dici nequeat, quandoquidem hæretici de quibus hîc quæſtio eſt, poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem prodierint. Pro Stephano tamen acriter Vincentius Lirinenſis aduerſus Cyprianum & Firmilianum hæc verba protulit: Stephanum

veniant, baptizari prohibuerint, & hoc cuſtodiendum poſteris tradiderint, pleniſſimè vos reſpondiſtis, neminem tam ſtultum eſſe qui hoc credat Apoſtolos tradidiſſe, quando etiam ipſas hæreſes conſtet execrabiles ac deteſtandas poſteà extitiſſe. Cum & Marcion Cerdonis diſcipulus inueniatur ſerò poſt Apoſtolos & poſt longa ab eis tempora, ſacrilegam aduerſus Deum traditionem induxiſſe. Apelles quoque blaſphemiæ eius conſentiens, multa alia noua & grauiora fidei ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini & Baſilidis tempus manifeſtum eſt; quod & ipſi poſt Apoſtolos & poſt longam ætatem, aduerſus Eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellauerint. Cæteros quoque hæreticos conſtat prauas ſuas ſectas & inuentiones peruerſas prout quiſque errore ductus eſt, poſteà induxiſſe; quos omnes manifeſtum eſt à ſemetipſis damnatos eſſe, & [a] ante diem iudicij inexcuſabilem ſententiam aduerſus ſemetipſos dixiſſe: quorum baptiſma qui confirmat, quid aliud quàm [b] cum ipſis ſe adiudicat, & ſe ipſe participem talibus faciendo condemnat? [c] Eos autem qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſeruare quæ ſint ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere: ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies paſchæ, & circa multa alia diuinæ rei ſacramenta, videat eſſe apud illos aliquas diuerſitates, nec obſeruari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſeruantur. Secundùm quod in cæteris quoque plurimis prouinciis, multa pro locorum & nominum diuerſitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque vnitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, [d] rumpens aduerſum vos pacem, quam ſemper anteceſſores eius vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt: adhuc etiam infamans Petrum & Paulum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint; qui in epiſtolis ſuis hæreticos execrati ſunt, & vt eos euitemus monuerunt. Vnde apparet [e] traditionem hanc humanam eſſe, quæ hæreticos aſſerit, & baptiſma quod non niſi ſolius Eccleſiæ eſt, eos habere defendit. Sed & ad illam partem benè à vobis reſponſum eſt, vbi Stephanus in epiſtola ſua dixit: [*Hæreticos quoque ipſos in Baptiſmo conuenire, &* [f] *quod ad alter-utrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum,*] quaſi & nos hoc facere debeamus. Quo in loco, etſi vos iam probaſtis ſatis ridiculum eſſe, vt quis ſequatur errantes, illud tamen ex abundanti addimus: non eſſe mirum ſi ſic hæretici agant, qui etſi in quibuſdam minoribus diſcrepant, in eo tamen quod eſt maximum, vnum & eumdem conſenſum tenent, vt blaſphement creatorem, quædam ſomnia ſibi & phantaſmata ignoti Dei confingentes: quos vtique conſequens eſt ſic conſentire in baptiſmi ſui vanitate, vt conſentiunt in repudianda diuinitatis veritate. De quibus quoniam longum eſt ad ſingula eorum, vel ſceleſta, vel ſuperuacua reſpondere; ſatis eſt breuiter illud in compendio dicere; eos qui non teneant verum Dominum patrem, tenere non poſſe, nec filij nec Spiritus ſancti veritatem. Secundùm quod etiam illi qui κατάφρυγας appellantur & [g] nouas prophetias vſurpare conantur, nec patrem poſſunt habere, nec filium, nec Spiritum ſanctum; quibus ſi quæramus quem Chriſtum prædicent; reſpondebunt eum ſe prædicare qui miſerit ſpiritum per Montanum & Priſcam locutum. In quibus cum animaduertamus non veritatis ſpiritum ſed erroris fuiſſe; cognoſcimus eos qui falſam illorum prophetiam contra Chriſti fidem vindicant, Chriſtum habere non poſſe. Sed & cæteri quique hæretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis aut gratiæ poſſunt; quando omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, [h] vbi præſident maiores natu; qui & baptizandi

reliquos omnes tantùm fidei deuotione viciſſe: quantum loci auctoritate ſuperabat. Intelligebat enim vir ſanctus & prudens, inquit, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide à patribus ſuſcepta forent, eadem fide à filiis conſignarentur, noſque religionem, non quà vellemus ducere, ſed potiùs quà illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſeruare. Quæ ſanè ſunt à Vincentio veriſſimè ac prudentiſſimè pronunciata, ſi non alia ſint à majoribus tradita quàm quæ majores ab Apoſtolis ſuſceperant. cæterum, ſub nomine ac perſona maiorum per fatuos aut ſophiſtas aſinina aut ſophiſtica pro Apoſtolicis traderentur. *Idem.*

a *Ante diem Iudicij inexcuſabilem ſentent. &c.* Idem ſentit Tertullianus de præſcript. cap. 6. & pariter ſanctus Hieronymus in epiſt. ad Titum. *fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per ſacerdotes propelluntur; hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio ab eccleſia recedentes, quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio.* Vid. Athanaſius orat. 5. contra Arrianos, ad illam enim hæreticorum peruicaciam qua ſeipſos condemnant neceſſaria eſt voluntas reſiſtendi eccleſiæ, cui ſe ſubiicere, illiuſque auctoritati detrectant atque in eo ſita eſt pertinacia. Permultos affert indurati animi peruicacia inſignes Farinacius de hæreſi quæſt. 196. Pri.

b Cvm ipsis se adivdicat.] A Domino judicatus, à ſeipſo quoque adjudicatur. Hic enim agnoſco Cypriani ſtilum ab Tertulliano traditum. Hæretici autem jam à Domino judicati, hoc eſt, damnati, cùm in hæreſi perſeuerant ipſi quoque ſe adjudicant ſiue addamnant. Rio.

c Eos qvi Romæ svnt.] Obſeruandum quod ait Firmilianus; Eos qui tunc erant Romæ in pleriſque fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendiſſe. Quaſi Hieroſolymitæ, Apoſtolorum traditionibus magis inſtiterint, quàm Romani *Idem.*

d Rvmpens adversvm vos pacem.) Ad Cyprianum ſcribit. Itaque his verbis Firmilianus apertè ſatis queritur, ruptam fuiſſe ab Stephano communionem cum Cypriano: Et tamen hoc fuiſſe vnquàm ab Stephano factum negat Baronius. Hîc Firmmilianus factum eſſe dicit ab Stephano, quod ab Stephani anteceſſoribus factum non fuerat *Idem.*

e Traditionem hanc hvmanam esse.) Non de Dominica & Euangelica auctoritate deſcendentem, non de Apoſtolorum mandatis atque epiſtolis venientem. Sic ſuprà Cyprianus ad Pompeium. *Idem.*

f Qvod ad altervtrvm.) Legendum vt eſt in Epiſtola Cypriani: *Quod alterutrum ad ſe venientes. Idem.*

g Novas prophetias vsvrpare conantvr.] Hîc manifeſtiſſimè Firmilianus à Tertulliano diſſentit; & ſub perſona Firmiliani Cyprianus magiſtrum ſuum deſerit. *Idem.*

h Vbi præsident maiores natv.) Seniores & verè πρεσβύτεροι, qui & baptizandi, & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem, ordine ſic ab Eccleſia conſtituto. Sed quare hîc non fit mentio offerendi? niſi quod tacitè trium illorum poteſtate includitur. *Idem.*

baptizandi & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem. Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere, [a] ita nec baptizare, nec quicquam ſanctè nec ſpiritaliter gerere, quando alienus ſit à ſpiritali & deifica ſanctitate. Quod totum nos iampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in vnum conuenientibus ex Galatia, & Cilicia & cæteris proximis regionibus confirmauimus, tenendum contra hæreticos firmiter & vindicandum, cum à quibuſdam de iſta re dubitaretur. Et quoniam Stephanus & qui illi conſentiunt, contendunt dimiſſionem peccatorum & ſecundam natiuitatem in hæreticorum baptiſma poſſe procedere, apud quos etiam ipſi confitentur Spiritum ſanctum non eſſe; conſiderent & intelligant ſpiritalem natiuitatem ſine ſpiritu eſſe non poſſe; ſecundùm quod & beatus Paulus apoſtolus eos qui ab Ioanne baptizati fuerant, priuſquam miſſus eſſet à domino Spiritus ſanctus, baptizauit denuò ſpiritali baptiſmo, & ſic eis manum impoſuit, vt acciperent Spiritum ſanctum. Quale eſt autem vt cum Paulum poſt Iohannis baptiſma iteratò diſcipulos ſuos baptizaſſe videamus; nos eos qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniunt, poſt inlicitam & prophanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Niſi ſi his epiſcopis, de quibus nunc minor fuit Paulus; vt hi quidem poſſint per ſolam manus impoſitionem venientibus hæreticis dare Spiritum ſanctum; Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Ioanne baptizatis Spiritum ſanctum per manus impoſitionem daret, niſi eos priùs etiam Eccleſiæ baptiſmo baptizaſſet. Illud quoque abſurdum, quod non putant, quærendum eſſe, quis ſit ille qui baptizauerit, eò quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit inuocata trinitate nominum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Deinde [b] hæc erit ſapientia quam ſcribit Paulus eſſe in his qui perfecti ſunt. At quis eſt in Eccleſia perfectus & ſapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod inuocatio hæc nominum nuda ſufficiat ad remiſſionem peccatorum, & baptiſmi ſanctificationem? cum hæc tunc vtique proficiant, quando & qui baptizat habet Spiritum ſanctum, & baptiſma quoque ipſum non ſit ſine ſpiritu conſtitutum. Sed dicunt eum qui quomodocunque foris baptizatur, mente & fide ſua, baptiſmi gratiam conſequi poſſe: quod & ipſum ſine dubio ridiculum eſt, quaſi de cælo adducere ad ſe poſſit aut mens praua iuſtorum ſanctificationem, aut fides falſa credentium veritatem. Non omnes autem qui nomen Chriſti inuocant, audiri, & inuocationem ſuam conſequi aliquid gratiæ poſſe, Dominus ipſe manifeſtat dicens: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus & multos fallent. Nulla quippe differentia eſt inter pſeudoprophetam & hæreticum. Nam vt ille in nomine Dei aut Chriſti, ita iſte in ſacramento baptiſmi fallit. Mendacio vterque nititur, ad decipiendas hominum voluntates. Volo autem vobis & de hiſtoria quæ apud nos facta eſt, exponere ad hoc ipſum pertinente. Ante viginti enim & duos ferè annos, temporibus poſt Alexandrum Imperatorem, multæ iſtic conflictationes & preſſuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel priuatim Chriſtianis; terræ etiam motus plurimi & frequentes extiterunt, vt per Cappadociam & per Pontum multa ſubruerent, quædam etiam ciuitates in profundum receptæ dirupti ſoli hiatu deuorarentur, vt ex hoc perſecutio quoque grauis aduerſum nos Chriſtiani nomini fieret. Quæ poſt longam retrò ætatis pacem repentè oborta, de inopinato & inſueto malo ad turbandum populum noſtrum terribilior effecta eſt. Serenianus tunc fuit in noſtra prouincia præſes, acerbus & dirus perſecutor. In hac autem perturbatione conſtitutis fidelibus, & huc atque illuc perſecutionis metu fugientibus, & patrias ſuas relinquentibus, atque in alias partes regionum tranſeuntibus (erat enim tranſeundi facultas, eò quod perſecutio illa, non per totum mundum, ſed localis fuiſſet) emerſit iſtic ſubitò quædam mulier, quæ in extaſi conſtituta, propheten ſe præferret, & quaſi ſancto Spiritu plena ſic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, vt per longum tempus ſollicitaret & deciperet fraternitatem; ac mirabilia quædam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram moueri polliceretur. Non quod dæmoni tanta eſſe poteſtas, vt terram mouere aut elementum concutere iuſſu valeret; ſed quod nonnumquam ſpiritus nequam præſciens & intelligens terræmotum futurum, id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis & iactationibus ſubegerat mentes ſingulorum, vt ſibi obedirent, & quocumque præciperet & duceret ſequerentur: faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per aſperas niues ire, nec vexari in aliquo aut lædi illa diſcurſione: diceret etiam ſe in Iudæam & Hieroſolymam feſtinare, fingens tamquam inde veniſſet. Hic & vnum de presbyteris Ruſticum, item & alium diaconum fefellit, vt eidem mulieri commiſcerentur, quod paulòpoſt detectum eſt. Nam ſubito apparuit illi vnus de exorciſtis vir probatus & circa religioſam diſciplinam benè ſemper conuerſatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipſi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit ſe contra illum ſpiritum nequam reuincendum

a *Ita nec baptizare, &c.* Quod ad Cataphrygas pertinet de quibus hic mentionem facit, canon decimus nonus concilij Nicæni Paulianiſtas ſimiliter baptizandos iubet de integro. Erant autem Paulianiſtæ dicti à Paulo Samoſateno qui Chriſtum Dominum à B. Virgine initium ſumpſiſſe furioſus pronuntiabat. PAM.

b HÆC ERIT SAPIENTIA.) Hanc loquendi formam Cyprianus habet à Tertulliano ſuo. atque hæc forma conjecturam firmat, Græca Firmiliani ab Cypriano fuiſſe in Latinum tranſlata. RIG.

reuincendum; qui ſubtili fallacia etiam hoc paulò antè prædixerat, venturum quendam auerſum & tentatorem infidelem. Tamen ille exorciſta inſpiratus Dei gratia fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum Spiritum qui priùs ſanctus putabatur oſtendit. Atqui illa mulier, quæ priùs per præſtigias & fallacias dæmonis, multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter auſa eſt, vt & inuocatione non contemptibili ſanctificare ſe panem & euchariſtiam facere ſimularet, & ſacrificium Domino [a] ſine ſacramento ſolitæ prædicationis offerret; baptizaret quoque multos [b] vſitata & legitima verba interrogationis vſurpans, vt nil diſcrepare ab eccleſiaſtica regula videretur. Quid igitur de huius baptiſmo dicemus, quo nequiſſimus dæmon per mulierem baptizauit? Numquid & hoc Stephanus, & qui illi conſentiunt comprobant? maxime cui nec ſymbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & eccleſiaſtica defuit? Poteſt credi aut remiſſio peccatorum data, aut lauacri ſalutaris regeneratio rite perfecta, vbi omnia quamuis ad imaginem veritatis tamen per dæmonem geſta ſunt? Niſi ſi dæmonem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, gratiam baptiſmi dediſſe contendunt, qui hæreticorum baptiſma defendunt. Apud quos ſine dubio idem error eſt, dæmonum fallacia ipſa eſt; quando apud illos omninò Spiritus ſanctus non eſt. Illud etiam quale eſt, quod vult Stephanus, his qui apud hæreticos baptizantur, adeſſe præſentiam & ſanctimoniam Chriſti? Nam ſi non mentitur Apoſtolus dicens: Quotquot in Chriſto tincti eſtis, Chriſtum induiſtis: Vtique qui illic in Chriſto baptizatus eſt, induit Chriſtum: ſi autem induit Chriſtum, accipere potuit & Spiritum ſanctum qui à Chriſto miſſus eſt, & fruſtra illi venienti ad accipiendum Spiritum manus imponitur: niſi ſi à Chriſto ſpiritum induit, vt apud hæreticos ſit quidem Chriſtus, non ſit autem illic Spiritus ſanctus. Decurramus verò breuiter & cætera quæ à vobis copioſè & pleniſſimè dicta ſunt, feſtinante vel maximè ad vos Rogatiano diacono chariſſimo noſtro. Sequitur enim illud, quod interrogandi ſunt à nobis qui hæreticos defendunt, vtrum carnale ſit eorum baptiſma, an ſpirituale. Si enim carnale eſt, nihil differunt à Iudæorum Baptiſmo, quo ſic illi vtuntur, vt eo tamquam communi & vulgari lauacro tantùm ſordes lauentur. Sin autem ſpiritale eſt: quomodo apud illos eſſe baptiſma ſpiritale poteſt, apud quos Spiritus ſanctus non eſt? Ac per hoc aqua qua tinguntur, lauacrum eſt illis carnale tantùm, non baptiſmi ſacramentum. Quod ſi baptiſma hæreticorum habere poteſt regenerationem ſecundæ natiuitatis; non hæretici, ſed filij Dei computandi ſunt, qui apud illos baptizantur. Secunda enim natiuitas quæ eſt in baptiſmo, filios Dei generat. Si autem ſponſa Chriſti vna eſt, quæ eſt eccleſia Catholica; ipſa eſt quæ ſola generat Dei filios. Neque enim multæ ſponſæ Chriſti; cum dicat Apoſtolus: Deſpondi vos vni viro virginem caſtam aſſignare Chriſto, &: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui: quia deſiderauit rex ſpeciem tuam, &: Veni ſponſa de Libano, aduenies & pertranſibis à principio fidei. &: Ingreſſus ſum in hortum meum ſoror mea, ſponſa. videmus vnam perſonam vbique proponi, quia & ſponſa eſt vna. Non eſt autem vna nobiſcum hæreticorum ſynagoga, quia nec ſponſa eſt adultera & fornicaria; vnde nec poteſt filios Dei parere. Niſi ſi ſecundùm quod Stephano videtur, hæreſis quidem parit & exponit: expoſitos autem eccleſia ſuſcipit: & quos non ipſa pepererit pro ſuis nutrit, cum filiorum alienorum mater eſſe non poſſit. Et ideò Chriſtus Dominus noſter vnam eſſe manifeſtans ſponſam ſuam, & vnitatis eius ſacramentum declarans, ait: Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt, & qui non mecum colligit, ſpargit. Si enim nobiſcum eſt Chriſtus, hæretici autem non ſunt nobiſcum; pro certo aduerſus Chriſtum ſunt hæretici. Et ſi nos colligimus cum Chriſto, non colligunt autem nobiſcum hæretici, ſine dubio ſpargunt. Sed nec illud prætereundum eſt à nobis, quod à vobis neceſſariò dictum eſt, quod Eccleſia ſecundùm Canticum Canticorum, hortus ſit concluſus, & fons ſignatus, paradiſus cum fructu pomorum. Qui autem numquam in hunc hortum introierunt, neque paradiſum à Deo creatore plantatum viderunt, quomodo de fonte qui intus incluſus eſt, & diuino ſigillo ſignatus eſt, aquam viuam lauacri ſalutaris præbere alicui poterunt? Cùm verò & archa Noe nihil aliud fuerit quàm ſacramentum Eccleſiæ Chriſti, quæ tunc omnibus foris pereuntibus eos ſolos ſeruauit qui intra archam fuerunt; manifeſtè inſtruimur ad Eccleſiæ vnitatem perſpiciendam, quemadmodum & Apoſtolus Petrus poſuit dicens: Sic & vos ſimiliter ſaluos faciet baptiſma, oſtendens, quoniam quomodo qui cum Noë in archa non fuerunt, non tantùm purgati per aquam non ſunt, ſed ſtatim diluuio illo perierunt ſic, & nunc quicumque in Eccleſia cum Chriſto non ſunt, foris peribunt, niſi ad vnicum & ſalutare Eccleſiæ lauacrum per pœnitentiam, conuertantur. Qualis verò error ſit, & quanta ſit cæcitas eius qui remiſſionem peccatorum dicit apud ſynagogas hæreticorum dari poſſe, nec permanet in fundamento [c] vnius Eccleſiæ quæ ſemel à Chriſto ſupra

a SINE SACRAMENTO SOLITÆ PRÆDICATIONIS.) Legendum videtur: *ſine ſacramentum ſolita precationis offerret.* Sacramentum precationis dicit, quemadmodum Tertullianus, *ſacramentum orationis*. RIG.

b VSITATA ET LEGITIMA VERBA INTERROGATIONIS.) Mox dicet interrogationem legitimam & eccleſiaſticam. Hæc autem verba, atque hæc interrogatio ſic habentur Epiſt. ſeq. *Credis remiſſionem peccatorum & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam?* Idem.

c VNIVS ECCLESIÆ QVÆ SEMEL A CHRISTO

ſupra petram ſolidata eſt; hinc intelligi poteſt, quod ſoli Petro Chriſtus dixerit: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis, & iterùm in euangelio quando in ſolos Apoſtolos inſufflauit Chriſtus dicens: Accipite Spiritum ſanctum: ſi cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: & ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & eccleſiis quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & epiſcopis qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. Hoſtes autem vnius Catholicæ eccleſiæ in qua nos ſumus, & aduerſarij noſtri qui Apoſtolis ſucceſſimus, ſacerdotia ſibi illicita contra nos vindicantes, & altaria prophana ponentes; quid aliud ſunt quàm Chore & Dathan & Abiron, pari ſcelere ſacrilegi, & eaſdem quas & illi pœnas daturi cum his qui ſibi conſentiunt; ſecundùm quod etiam tunc illorum participes & fautores pariter cum eis perierunt. Atque ego in hac parte iuſtè indignor ad hanc tam apertam & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quod qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriatur & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta eccleſiæ collocata ſunt, [a] multas alias petras inducat, & eccleſiarum multarum noua ædificia conſtituat, dum eſſe illic baptiſma ſua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent ſine dubio eccleſiæ numerum. Qui autem baptiſma eorum probat, de baptizatis & Eccleſiam illic eſſe confirmat. Nec intelligit obfuſcari à ſe & quodammodo aboleri Chriſtianæ petræ veritatem, qui ſic prodit & deſerit vnitatem. Iudæos tamen quamuis ignorantia cæcos & grauiſſimo facinore conſtrictos, zelum Dei Apoſtolus habere profitetur; Stephanus qui per ſucceſſionem cathedram Petri habere ſe prædicat, nullo aduerſus hæreticos zelo excitatur: concedens illis non modicam ſed maximam gratiæ poteſtatem, vt dicat eos & aſſeuerat per baptiſmi ſacramentum ſordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cæleſti filios Dei facere, ad æternam vitam diuini lauacri ſanctificatione reparare. Qui ſic magna & cæleſtia Eccleſiæ munera hæreticis concedit & tribuit; quid aliud quàm communicat eis, quibus tantum gratiæ defendit ac vindicat? Et fruſtra iam dubitat in cæteris quoque conſentire eis & particeps eſſe; vt & ſimul cum eis conueniat, & orationes pariter cum eiſdem miſceat, & altare ac ſacrificium commune conſtituat. Sed in multum, inquit, proficit nomen Chriſti ad fidem & baptiſmi ſanctificationem, vt quicumque in nomine Chriſti baptizatus fuerit conſequatur ſtatim gratiam Chriſti; quando huic loco breuiter occurri poſſit & dici; quoniam ſi in nomine Chriſti valuit foris baptiſma ad hominem purgandum, in eiuſdem Chriſti nomine valere illic potuit & manus impoſitio ad accipiendum Spiritum ſanctum. Et incipient cætera quoque quæ apud hæreticos aguntur, iuſta & legitima videri, quando in nomine Chriſti gerantur; ſecundùm quod vos in epiſtola veſtra exſecuti eſtis: non niſi in eccleſia ſola valere poſſe nomen Chriſti, cui vni conceſſerit Chriſtus cæleſtis gratiæ poteſtatem. Quod autem pertinet ad conſuetudinem refutandam quam videntur opponere veritati; quis tam vanus ſit vt veritati conſuetudinem præferat? aut qui perſpecta luce tenebras non derelinquat? Niſi ſi & Iudæos Chriſto aduentante, id eſt, veritate, adiuuat in aliquo antiquiſſima conſuetudo, quod relicta noua veritatis via in vetuſtate permanſerint. Quod quidem aduerſus Stephanum vos dicere Afri poteſtis, cognita veritate errorem vos conſuetudinis reliquiſſe. Cæterum nos veritati & conſuetudinem iungimus, & conſuetudini Romanorum conſuetudinem ſed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes quod à Chriſto & ab Apoſtolo traditum eſt. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpiſſe, cum ſemper iſtic obſeruatum ſit, vt non niſi vnam Dei eccleſiam noſſemus, & ſanctum baptiſma non niſi ſanctæ eccleſiæ computaremus. Planè quoniam quidam de eorum baptiſmo dubitabant, qui & ſi nouos prophetas recipiunt, eoſdem tamen patrem & filium noſſe nobiſcum videntur; plurimi ſimul conuenientes in Iconio diligentiſſimè tractauimus; & confirmauimus repudiandum eſſe omne omninò baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum. Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt, & aiunt Apoſtolum dixiſſe: Siue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur, vt reſpondeamus, ineptum eſt; quando manifeſtum ſit, Apoſtolum in epiſtola ſua qua hoc dixit, neque hæreticorum, neque baptiſmi eorum mentionem feciſſe, ſed locutum eſſe de fratribus tantùm, ſiue perfidè ſecum loquentibus, ſiue in fide ſincera perſeuerantibus: Nec oporteat hoc longo tractatu excutere, ſed ipſam ſatis ſit epiſtolam legere, & quid Apoſtolus dixerit, de ipſo Apoſtolo

SVPRA PETRAM SOLIDATA EST.) Rectè hoc quidem Firmilianus, Eccleſiam ſemel eſſe ſolidatam à Chriſto ſupra petram. Quod autem adjicit: Soli Petro Chriſtum dixiſſe: Quæcumque ligaueris ſuper terram erunt ligata & in cælis, referri debet ad primam pollicitationis partem, quæ eſt apud Matthæum, *Dabo tibi claues regni cælorum*. Atque hoc eſt etiam veriſſimum: nam & ad vnitatem Eccleſiæ pertinet, Chriſtum in perſona Petri promiſiſſe Eccleſiæ daturum ſe claues regni cælorum. Dixit igitur Petro: Dabo tibi claues: At non dixit: Dabo tibi ſoli. Quod pollicitus eſt ſe daturum, diximus ſuprà quando & quomodo dederit. Dediſſe poſt reſurrectionem ſuam, diſcimus ex Ioanne: Ac dediſſe quidem Petro, non autem nominatim, ſed cunctis Apoſtolis vnà congregatis. Verba verò Chriſti ſunt: Sicut me miſit Pater, ego mitto vos. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quod igitur promiſerat Petro, daturum ſe, dedit omnibus Apoſtolis, atque ita Petro. RIG.

[a] MVLTAS ALIAS PETRAS INDVCIT.) Multi alij eſſe poſſunt Petri, ſed vna eſſe debet Petra. *Idem.*

lo recognoſcere: [a] Quid ergo, inquiunt fiet de his qui ab hæreticis venientes ſine Eccleſiæ baptiſmo admiſſi ſunt? Si de ſæculo exceſſerunt, in eorum numero qui apud nos catechiſati quidem ſunt, ſed priuſquàm baptizarentur obierunt, [b] habentur. non modo dicunt emolumentum veritatis & fidei, ad quam relicto errore peruenerant, & ſi conſummationem gratiæ conſecuti non ſunt, morte præuenti. Qui autem adhuc in ſæculo permanent, baptizentur eccleſiæ baptiſmo, vt remiſſionem peccatorum conſequi poſſint; ne per alienam præſumptionem in priſtino errore manentes, ſine gratiæ conſummatione moriantur. Cæterùm quale delictum eſt, vel illorum qui admittuntur, vel illorum qui admittunt; vt non ablutis per eccleſiæ lauacrum ſordibus, nec peccatis expoſitis, vſurpata temerè communicatione contingant corpus & ſanguinem Domini, cum ſcriptum ſit: Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini, indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini? Nos etiam illos quos hi qui priùs in eccleſia catholica epiſcopi fuerunt, & poſtmodum ſibi poteſtatem clericæ ordinationis aſſumentes baptizauerant, pro non baptizatis habendos iudicauimus. Et hoc apud nos obſeruatur, vt quicumque ab illis tincti ad nos veniunt, tamquam alieni & nihil conſecuti, vnico & vero eccleſiæ catholicæ baptiſmo apud nos baptizentur, & lauacri vitalis regenerationem conſequantur. Et tamen multum inter eum qui inuitus & neceſſitate perſecutionis coactus ſuccubuit, & illum qui ſacrilega voluntate audax contra eccleſiam rebellat, vel in patrem & Deum Chriſti, & totius mundi conditorem impia voce blaſphemat. Et non pudet Stephanum hoc aſſerere, vt per eos qui ipſi in omnibus peccatis ſunt conſtituti, dicat poſſe remiſſionem peccatorum dari? Quaſi poſſit eſſe in domo mortis lauacrum ſalutis. Vbi ergo erit quod ſcriptum eſt: Ab aqua aliena abſtine te & à fonte alieno ne biberis: ſi relicto eccleſiæ fonte ſignato, alienam aquam pro tua ſuſcipis, & prophanis fontibus eccleſiam polluis? Quando enim baptiſmo hæreticorum communicas, qui aliud quàm de voragine & cœno illorum bibis, & ipſe Eccleſiæ ſanctificatione purgatus, alienarum ſordium contactibus inquinaris? Nec metuis iudicium Dei, hæreticis teſtimonium contra eccleſiam perhibens; cum ſcriptum ſit. Falſus teſtis, non erit impunitus. Quinimmò tu hæreticis omnibus peior es. Nam cum inde multi cognito errore ſuo ad te veniant, vt eccleſiæ verum lumen accipiant; tu venientium errores adiuuas, & obſcurato lumine Eccleſiaſticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cúmque ſe illi in peccatis eſſe & nihil gratiæ habere ſe, ac propterea ad Eccleſiam venire fateantur; tu eis remiſſionem peccatorum ſubſtrahis quæ in baptiſmo datur, dum dicis eos iam baptizatos, & extra Eccleſiam, Eccleſiæ gratiam conſecutos. Nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri, cum iudicij dies aduenerit; qui ſitientibus eccleſiæ potum negaſti: & volentibus viuere, cauſa mortis fuiſti. Et inſuper indignaris. Vide qua imperitia reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur: Quis enim iuſtiùs indignari contra alterum debuit? Vtrumne qui hoſtes Dei aſſerit, an verò qui aduerſus eum qui hoſtes Dei aſſerit, pro eccleſiæ veritate conſentit? Niſi quod imperitos etiam animoſos atque iracundos eſſe manifeſtum eſt, dum per inopiam conſilij & ſermonis ad iracundiam facilè vertuntur, vt de nullo alio magis quàm de te dicat ſcriptura diuina; Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & diſſenſiones quantas paraſti per eccleſias totius mundi? Peccatum verò quàm magnum tibi exaggeraſti, quando te à tot gregibus ſcidiſti? Excidiſti enim teipſum: noli te fallere. Si quidem ille eſt verè ſchiſmaticus, qui ſe à communione eccleſiaſticæ vnitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abſtinere poſſe; ſolum te ab omnibus abſtinuiſti. Nec te informare ad regulam veritatis & pacis vel Apoſtoli præcepta potuerunt, monentis & dicentis; Obſecro ergo vos ego vinctus in Domino dignè ambulare vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate ſenſus & lenitate, cum patientia, ſuſtinentes inuicem in dilectione, [b] ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Hæc Apoſtoli mandata & monita ſalutaria, quàm diligenter Stephanus impleuit, humilitatem ſenſus & lenitatem primo in loco ſeruans? Quid enim humilius aut lenius quàm [c] cum tot epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe; pacem cum

ſingulis

a QVID ERGO FIET DE HIS.) Suprà, Epiſt. ad Iubajanum. 73. K I G.

b HABENTVR. NON MODO DICVNT EMOLVMENTVM VERITATIS ET FIDEI.] Reponendum eſt hoc loco verbum, *habent*: quod non intellecta reduplicatione præcedentis, excidit. adeóque ſcribendum: *In eorum numero, qui apud nos catechizati quidem ſunt, ſed priuſquam baptizarentur, obierunt, habent, non modo diſcunt, emolumentum veritatis & fidei, ad quam relicto errore peruenerant, etſi conſummationem gratiæ conſecuti non ſint, morte præuenti.* Sententia Firmiliani eſt, eos qui apud orthodoxos catechizati quidem ſunt, ſed priuſquam baptizarentur obierunt, non tantùm didiciſſe, verumetiam habuiſſe emolumentum veritatis & fidei, vitæ ſcilicet æternæ, quamuis conſummationem gratiæ conſecuti non ſint. conſummationem gratiæ vocat ſacramentum baptiſmi, quo ſignificatur, baptizatum adeptum eſſe conſummationem gratiæ Chriſtianæ apud Eccleſiam Chriſti. quod ſacramentum, ſignum eſt viſibile gratiæ inuiſibilis, jam à Chriſto collatæ homini ad veritatem conuerſo, etſi nondum baptizato. Non indiget Deus ſignis ſiue ſacramentis, cùm ſit ipſe veritas & apud ipſum veritas ipſa. Sed apud homines Deus vtitur ſacramentis & ſignis, vt hebetiores & tardiores intellectu homines corporis ſenſibus ſigna corporea percipiant mirabilium quæ Deus facit etiam inuiſibili ſua poteſtate. *Idem.*

c SATIS AGENTES.] Satagentes. *Idem.*

c CVM TOT EPISCOPIS DISSENSISSE.] Horatius

ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modò cum orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modò vobiſcum, qui in meridie eſtis? A quibus legatos epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit; vt eos nec ad ſermonem ſaltem colloquij communis admitteret: adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitatis vniuerſæ, ne quis eos indomum ſuam reciperet; vt venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur. Hoc eſt ſeruaſſe vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis, abſcindere ſe à charitate, & alienum ſe per omnia fratribus facere, & contra ſacramentum & fidem, contumacis furore diſcordiæ rebellare. Apud talem poteſt eſſe vnum corpus & vnus ſpiritus; apud quem fortaſſe ipſa anima vna non eſt, ſic lubrica & mobilis & incerta? Sed quantum ad illum pertinet, relinquamus: excutiamus potiùs id de quo maxima quæſtio eſt. Qui contendunt ab hæreticis baptizatos ſic recipi oportere, tamquam legimi baptiſmi gratiam conſecutos; vnum nobis atque illis baptiſma dicunt eſſe, & in nullo diſcrepare. Sed quid ait Apoſtolus Paulus? Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Si vnum atque idem eſt cum noſtro baptiſma hæreticorum; ſine dubio & fides vna eſt: ſi autem fides vna eſt vtique & Dominus vnus eſt. Si autem hæc vnitas quæ ſeparari omninò & diuidi non poteſt, etiam apud hæreticos ipſa eſt; quid vltrà contendimus? Vt quid illos hæreticos, & non Chriſtianos vocamus? Porrò cum nobis & hæreticis nec Deus vnus ſit, nec dominus vnus, nec vna eccleſia, nec fides vna, ſed nec vnus ſpiritus, nec corpus vnum, manifeſtum eſt, nec baptiſma nobis & hæreticis commune eſſe poſſe, quibus nihil eſt omninò commune. Et tamen non pudet, Stephanum talibus aduerſus eccleſiam patrocinium præſtare, & propter hæreticos aſſerendos, fraternitatem ſcindere: a inſuper & Cyprianum, pſeudochriſtum, & pſeudoapoſtolum, & doloſum operarium dicere? Qui omnia in ſe eſſe conſcius præuenit; vt alteri ea per mendacium obiiceret, quæ ipſe ex merito audire deberet. Benè te valere omnibus nobis, cum vniuerſis qui in Africa ſunt Epiſcopis, & cunctis Clericis, & omni fraternitate vniuerſi optamus; vt perpetuò vnanimes, & vnum ſentientes, habeamus nobiſcum etiam de longinquo adunatos.

AD

eadem forma dixit: Tecum mihi diſcordia eſt RIG.

a INSVPER ET CYPRIANVM) Hinc manifeſtum eſt Stephanum adeò infeſtum fuiſſe Cypriano, vt diceret Cyprianum eſſe pſeudo-chriſtum & pſeudo-apoſtolum, & doloſum operarium. *Idem.*

AD MAGNVM DE BAPTIZANDIS NOVATIANIS, & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur.

CYPRIANVS MAGNO FILIO SALVTEM.

PRo tua religioſa diligentia conſuluiſti medioeritatem noſtram fili chariſſime, an inter cæteros hæreticos, eos quoque, qui à Nouatiano veniant, poſt prophanum eius lauacrum baptizari & ſanctificari in eccleſia catholica legitimo, & vero, & vnico eccleſiæ baptiſmo oporteat. De qua re quantum fidei noſtræ capacitas, & ſcripturarum diuinarum ſanctitas ac veritas ſuggerit; dicimus omnes omninò hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis ac iuris. Propter quod Nouatianus nec debet, nec poteſt excipi, quò minus ipſe quoque extra Eccleſiam conſiſtens, & contra pacem ac dilectionem Chriſti faciens, inter aduerſarios & antichriſtos computetur. Neque enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum in Euangelio ſuo teſtaretur, aduerſarios ſuos eſſe eos, qui ſecum non eſſent, aliquam ſpeciem hæreſeos deſignauit, ſed omnes omninò hæreticos qui ſecum non eſſent, & ſecum non colligentes gregem ſuum ſpargerent, aduerſarios ſuos eſſe oſtendit, dicens. Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui mecum non colligit, ſpargit. Item beatus Ioannes Apoſtolus nec ipſe vllam hæreſim, aut ſchiſma diſcreuit, aut aliquos ſpeciatim ſeparatos poſuit, ſed vniuerſos qui de Eccleſia exiſſent, quique contra Eccleſiam facerent, antichriſtos appellauit, dicens: Audiſtis quia antichriſti multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus quia nouiſſima hora eſt: ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Vnde apparet aduerſarios Domini antichriſtos omnes eſſe, quos conſtet à charitate atque ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ receſſiſſe. Adhuc quoque Dominus in Euangelio ſuo ponit & dicit: Si verò & Eccleſiam contempſerit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus. Si autem qui Eccleſiam contemnunt, ethnici & publicani habentur; multò magis vtique rebelles & hoſtes, falſa altaria, & illicita ſacerdotia, & ſacrificia ſacrilega, & [a] nomina adulterata fingentes, inter ethnicos & publicanos neceſſe eſt computentur; quando minora peccantes, & tantùm Eccleſiæ contemptores, ethnici & publicani ſententia Domini iudicentur. Quod autem eccleſia vna ſit, declarat in cantico canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Chriſti dicens: Vna eſt columba mea, perfecta mea vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ, de qua item denuò

dicit:

a *Nomina adulterata.* Alludit ad nomen quod ſibi adrogabant Nouatiani, *καθαρούς*, hoc eſt, puros ſe nuncupantes, Epiphanius teſt. hær. 59. & D. Auguſt. hær. 38. PAM.

a DOMINICA

dicit: Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa; fons ſignatus, puteus aquæ viuæ. Si autem hortus concluſus eſt ſponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia; patere res clauſa alienis & profanis non poteſt. Et ſi fons ſignatus eſt; neque bibere inde, neque conſignari poteſt, cui foris poſito acceſſus ad fontem non eſt. Puteus quoque aquæ viuæ ſi vnus eſt, idemque intus eſt; viuificari & ſanctificari foris poſitus ex illa aqua non poteſt, ex qua ſolis eis, qui intus ſunt, vſus omnis & potus conceſſus eſt. Quod & Petrus, oſtendens vnam Eccleſiam eſſe, & ſolos eos qui in Eccleſia ſint, baptizari poſſe, poſuit & dixit: In arca Noë pauci, id eſt, octo animæ hominum ſaluæ factæ ſunt per aquam, quod & vos ſimiliter ſaluos faciet baptiſma; probans & conteſtans vnam arcam Noë typum fuiſſe vnius Eccleſiæ. Si potuit tunc in illo expiari & purificati mundi baptiſmo ſaluus per aquam fieri, qui in arca Noë, non fuit, poteſt & nunc viuificari per baptiſma, qui in Eccleſia non eſt, cui ſoli baptiſma conceſſum eſt. Sed & Paulus Apoſtolus hoc idem adhuc apertiùs & clariùs manifeſtans ad Epheſios ſcribit & dicit: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, purgans eam lauacro aquæ. Quod ſi vna eſt Eccleſia, quæ à Chriſto diligitur, & lauacro eius ſola purgatur: quomodo qui in Eccleſia non eſt, aut diligi à Chriſto, aut ablui & purgari lauacro eius poteſt: Propter quod cum ſola Eccleſia habeat aquam vitalem, & baptizandi atque abluendi hominis poteſtatem, qui dicit apud Nouatianum baptizari & ſanctificari aliquem poſſe, priùs oſtendat & doceat Nouatianum in Eccleſia eſſe, aut Eccleſiæ præſidere. Eccleſia enim vna eſt, quæ vna & intus eſſe & foris non poteſt. Si enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano epiſcopo legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter ſacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Eccleſia non eſt; nec epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ortus eſt: habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in eccleſia non eſt. Foris enim non eſſe Eccleſiam, nec ſcindi aduerſum ſe, aut diuidi poſſe, ſed inſeparabilis atque indiuiduæ domus vnitatem tenere, manifeſtat ſcripturæ diuinæ fides, cum de ſacramento paſchæ & agni, qui agnus Chriſtum deſignabat, ſcriptum ſit: In domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras. Quod item circa Rahab, quæ ipſa quoque typum portabat eccleſiæ, expreſſum videmus; cui mandatur & dicitur: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam, & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit. Quo ſacramento declaratur in vnam domum ſolam, id eſt, in Eccleſiam, victuros & ab interitu mundi euaſuros, colligi oportere. Quiſquis autem de collectis foras exierit, id eſt, ſi quis quamuis in Eccleſia gratiam conſecutus, receſſerit, & ab Eccleſia exierit, reum ſibi futurum, id eſt, ipſum ſibi quod pereat, imputaturum. Quod Apoſtolus Paulus explanat, docens & præcipiens hæreticum vitandum eſſe, vt peruerſum & peccatorem, & à ſemetipſo damnatum. Hic enim reus ſibi erit, qui non ab epiſcopo eiectus, ſed ſponte de eccleſia profugus, & hæretica præſumptione à ſemetipſo damnatus. Et icircò Dominus inſinuans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem ponit & dicit: Ego & pater vnum ſumus: ad quam vnitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuò dicit: Et erit vnus grex & vnus paſtor. Si autem grex vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut paſtor haberi quo modo poteſt, qui (manente vero paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccidanea præſidente) nemini ſuccedens, & à ſe ipſo incipiens, alienus fit & prophanus Dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis inimicus; non habitans in domo Dei, id eſt, in Eccleſia Dei, in qua non niſi concordes atque vnanimes habitant? loquente in pſalmis Spiritu ſancto & dicente: Deus qui inhabitare fecit vnanimes in domo. Denique vnanimitatem Chriſtianam firma ſibi atque inſeparabili charitate connexam, etiam ipſa [a] Dominica ſacrificia declarant. Nam [b] quando Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum; populum noſtrum quem portabat, indicat adunatum: & quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expreſſum atque in vnum coactum; gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Si Nouatianus huic pani Dominico adunatus eſt, ſi Chriſti poculo & ipſe commixtus eſt; poterit videri & vnici Eccleſiaſtici baptiſmi habere gratiam poſſe, ſi eum conſtiterit Eccleſiæ vnitatem tenere. Denique quàm ſit inſeparabile vnitatis ſacramentum, & quàm ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui ſchiſma faciunt, & relicto Epiſcopo, alium ſibi foris pſeudoepiſcopum conſtituunt; declarat in libris Regnorum ſcriptura diuina, vbi à tribu Iuda & Beniamin decem tribus ſciſſæ ſunt & relicto rege, alterum ſibi foris conſtituerunt: Et indignatus eſt, inquit, Dominus in omne ſemen Iſrael, & dimouit eos, & dedit eos in direptionem donec abiiceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſrael à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi regem Hieroboam filium Nabath.

a DOMINICA SACRIFICIA] Sacrificia dicit ſacramenta, panem Dominicum, & Chriſti poculum. Rig.
b QVANDO DOMINVS CORPVS SVVM PANEM VOCAT.] Itaque mox etiam dicet: *Sanguinem ſuum vinum appellat.* Et obſeruanda ſunt hæc verba; *vocat, appellat, ſignificat.* Videatur Epiſt. LXIII. *Idem.*

V

bath. Indignatum eſſe dominum dicit, & eos in perditionem dediſſe, quod ab vnitate diſſipati eſſent, atque adulterum ſibi regem conſtituiſſent. Et tanta indignatio Domini extitit aduerſus illos, qui ſchiſma fecerant, vt etiam cum homo Dei ad Hieroboam miſſus eſſet, qui ei peccata ſua exprobraret, atque vltionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cum non cuſtodiſſet, & contra præceptum Dei prandiſſet, ſtatim diuinæ cenſuræ maieſtate percuſſus eſt, vt inde regrediens impetu, ac morſu leonis in itinere necaretur. Et audet quiſquam dicere aquam baptiſmi ſalutarem, & gratiam cæleſtem communem cum ſchiſmaticis eſſe poſſe; cum quibus nec terreſtris cibus nec ſæcularis potus debet eſſe communis? Sonat adhuc in Euangelio ſuo Dominus, & maiorem intelligentiæ lucem manifeſtat, quod iidem qui ſe tunc à tribu Iuda & Beniamin ſciderant, & Hieroſolymis derelictis, Samariam ſeceſſerant inter profanos & gentiles computarentur. Nam cum primùm diſcipulos ſuos in miniſterium ſalutis mittere, mandauit & dixit: In viam nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis. Ad Iudæos priùs mittens, gentiles adhuc præteriri iubet. Addendo autem, & ciuitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erant ſchiſmatici; oſtendit ſchiſmaticos gentilibus adæquari. Quod ſi aliquis illud opponit, vt dicat, eamdem Nouatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat, eodem ſymbolo quo & nos, baptizare; eumdem noſſe Deum patrem; eumdem filium Chriſtum, eumdem Spiritum ſanctum, ac propter hoc vſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe, quod videatur in interrogatione baptiſmi à nobis non diſcrepare: ſciat quiſquis hoc opponendum putat, primùm non eſſe vnam nobis & ſchiſmaticis ſymboli legem, [a] neque eamdem interrogationem. Nam cùm dicunt: Credis remiſſionem peccatorum & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam; mentiuntur in interrogatione, quando non habeant eccleſiam. Tunc deinde voce ſua ipſi confitentur remiſſionem peccatorum non dari, niſi per ſanctam Eccleſiam poſſe; quam non habentes, oſtendunt remitti illic peccata non poſſe. Quod verò eumdem quem & nos Deum patrem, eumdem filium Chriſtum, eumdem Spiritum ſanctum noſſe dicuntur, nec hoc adiuuare tales poteſt. Nam & Chore & Dathan & Abiron cum ſacerdote Aaron & Moyſe eumdem Deum nouerant, pari lege & religione viuentes vnum & verum Deum, qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocabant. Tamen quia loci ſui miniſterium tranſgreſſi contra Aaron ſacerdotem, qui ſacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, ſacrificandi ſibi licentiam vindicauerunt, diuinitus percuſſi pœnas ſtatim pro illicitis conatibus penderunt; nec potuerunt rata eſſe, & proficere ſacrificia, irreligioſè & illicitè contra ius diuinæ diſpoſitionis oblata. Turribula quoque ipſa, in quibus incenſum illicitè fuerat oblatum, ne in vſu de cætero eſſent ſacerdotibus, ſed potiùs indignationis & vltionis diuinæ memoriam corrigendis poſteris exhiberent; iuſſu Domini conflata atque igne purgata, in laminas ductiles producuntur, & affiguntur altari, ſecundùm quod loquitur ſcriptura diuina. Memoriale, inquit filiis Iſraël, vt non accedat quiſquam alienigena, qui non eſt ex ſemine Aaron, imponere incenſum ante Dominum, vt non ſit ſicut Chore. Et tamen illi ſchiſma non fecerant, nec foras egreſſi, contra Dei ſacerdotes imprudenter atque hoſtiliter rebellauerant; quod nunc hi Eccleſiam ſcindentes, & contra pacem atque vnitatem Chriſti rebelles, cathedram ſibi conſtituere, & [b] primatum aſſumere, & baptizandi atque offerendi licentiam vindicare conantur. Quo modo perficere quæ agunt, aut impetrare aliquid illicitis conatibus de Deo poſſunt, qui contra Deum, quod eis non licet, moliuntur? Quare qui Nouatiano, ſiue cæteris eiuſmodi ſchiſmaticis patrocinantur; fruſtra contendunt baptizari & ſanctificari illic aliquem ſalutari baptiſmo poſſe, vbi conſtet baptizantem baptizandi licentiam non habere. Atque vt magis intelligi poſſet contra eiuſmodi audaciam, quæ ſit cenſura diuina; inuenimus in tali facinore non ſolùm duces & auctores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe à communione malorum ſeparauerint, præcipiente per Moyſen Domino & dicente: Separamini à tabernaculis [c] hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum: & quod comminatus per Moyſen Dominus fuerat, impleuit; vt quiſquis à Chore, & Dathan, & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolueret. Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ, & pœnæ futuros, qui ſe ſchiſmaticis contra præpoſitos & ſacerdotes irreligioſa temeritate miſcuerint. Sicut etiam per Oſee prophetam Spiritus ſanctus conteſtatur & dicit: Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur. Docens ſcilicet & oſtendens omnes omninò cum auctoribus ſupplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminat. Quæ ergo apud eos merita eſſe circa Deum poſſunt, quibus ſupplicia diuinitus irrogantur? aut quo modo tales iuſtificare & ſanctificare baptizatos poſſunt; qui hoſtes ſacerdotum, aliena & illicita, & nullo ſibi iure conceſſa, vſurpare conantur? Quos tamen ipſos non miramur pro ſua prauitate conten-

a NEQVE EAMDEM INTERROGATIONEM.] In baptiſmo, ſub antiſtitis manu. RIG.

b PRIMATVM ASSVMERE.] Locum epiſcopi, ſacerdotium epiſcopale. In Corbeïenſi legitur, *principatum*. *Idem*.

c HOMINVM ISTOR. DVRISSIMORVM.] Suprà, epiſt. LXVIII. *Idem*.

dere. Aſſerant enim neceſſe eſt ſinguli quique quod faciunt, nec volunt victi facile ſuccumbere, quamuis ſciant id quod faciant, non licere. Illud mirandum eſt, immò indignandum potius & dolendum; [a] Chriſtianos antichriſtis aſſiſtere, & præuaricatores fidei atque Eccleſiæ proditores, intra ipſa ſepta eccleſiæ contra eccleſiam ſtare. Qui quoniam pertinaces alias & indociles, vel hoc tamen confitentur; quod vniuerſi ſiue hæretici, ſiue ſchiſmatici non habeant Spiritum ſanctum, & ideò baptizare quidem poſſint, dare autem Spiritum ſanctum non poſſint: in hoc ipſo à nobis tenentur, vt oſtendamus nec baptizare omninò eos poſſe, [b] qui non habeant Spiritum ſanctum. Nam cum in baptiſmo vnicuique peccata ſua remittantur, probat & declarat in euangelio ſuo Dominus, per eos ſolos peccata poſſe dimitti, qui habeant Spiritum ſanctum. Poſt reſurrectionem enim diſcipulos ſuos mittens loquitur ad eos & dicit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet; inſufflauit & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum. Si cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Quo in loco oſtendit, eum ſolum poſſe baptizare, & remiſſionem peccatorum dare, qui habeat Spiritum ſanctum. Denique ipſum Chriſtum Dominum noſtrum baptizaturus Ioannes, accepit antè Spiritum ſanctum cum adhuc eſſet in vtero matris conſtitutus; vt certum eſſet atque manifeſtum, baptizare non poſſe, niſi eos qui habeant Spiritum ſanctum. Itaque qui hæreticis ſiue ſchiſmaticis patrocinantur, reſpondeant nobis, habeant ne Spiritum ſanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum, cum iam vtique illic acceptus ſit, vbi ſi fuit, dari potuit? Si autem foris cuncti hæretici & ſchiſmatici non habent Spiritum ſanctum, & ideò apud nos manus imponitur, vt hic accipiatur, quod illic nec eſt, nec dari poteſt; manifeſtum eſt nec remiſſionem peccatorum dari per eos poſſe, quos conſtet Spiritum ſanctum non habere. Et iccircò vt ſecundùm diuinam diſpoſitionem atque euangelicam veritatem, peccatorum remiſſionem conſequi & ſanctificari, ac templa Dei fieri poſſint; Eccleſiæ baptiſmo baptizandi ſunt omnes omninò, qui ab aduerſariis & antichriſtis ad Chriſti Eccleſiam veniunt.

[c] QVÆSISTI etiam fili chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui [d] in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eò quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi. Qua in parte nemini verecundia & modeſtia noſtra præiudicat, quò minus vnuſquiſque quod putat, ſentiat, & quod ſenſerit, faciat. Nos quantum concipit mediocritas noſtra, æſtimamus in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia diuina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, vbi plena & tota fide & dantis & ſumentis accipitur quod de diuinis muneribus hauritur. Neque enim ſic in ſacramento ſalutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali & ſæculari ſordes cutis & corporis abluuntur, vt aphronitris, & cæteris quoque adiumentis, & ſolio, & piſcina opus ſit, quibus ablui & mundari corpuſculum poſſit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. [e] In ſacramentis ſalutaribus neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente totum credentibus conferunt diuina compendia. Nec quemquam mouere debet, quod aſpergi vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam Dominicam conſequuntur; quando ſcriptura ſancta per Ezechielem Prophetam loquatur & dicat: Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulacris veſtris emundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vobis. Item in Numeris: Et homo qui fuerit immundus vſque ad veſperam, hic purificabitur die tertio & die ſeptimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio & die ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſraël, quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum ſparſa. Et iterùm: Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Accipe Leuitas de medio filiorum Iſraël, & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumſparges eos aqua purificationis. Et iterùm: Aqua aſperſionis purificatio eſt. Vnde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lauacri obtinere; & quando hæc in Eccleſia fiunt, vbi ſit & dantis & accipientis fides integra, ſtare omnia & conſummari ac perfici poſſe maieſtate Domini & fidei veritate. Porrò autem quod quidem eos ſalutari aqua & fide legitima Chriſti gratiam conſecutos, non Chriſtianos ſed Clinicos vocant, non inuenio vnde hoc nomen aſſumant; niſi fortè qui plura & ſecretiora legerunt apud Hippocratem vel Soranum κλινικοὺς iſtos deprehenderunt. Ego enim qui Clinicũm de Euangelio noui; ſcio paralitico illi, & debili per longa ætatis curricula in lecto iacenti nihil infirmitatem ſuam obfuiſſe, quò minus ad firmitatem

[a] CHRISTIANOS ANTICHRISTIS ADSISTERE.) Reddit Cyprianus Stephano voces ſuas. Oblique antichriſtum vocat, à quo pſeudo-chriſtus fuerat nuncupatus & pſeudo-apoſtolus. vt videre eſt ſub finem Epiſt. Firmiliani. Rig.

[b] QVI NON HABEANT SPIRITVM SANCTVM] Perperam in Corbeïenſi *qui non habeant licentiam.* Idem.

[c] *Quæſiſti etiam fili chariſsime.* Lib. N. F. In V. C. opt. *incipit ad eumdem Magnum*, de his qui in lecto gratiam conſequuntur. *Idem*

[d] *In infirmitate & languore.* Nouatianus fortè quodam in morbo imminente periculo in lecto aqua perfuſum fuiſſe, qua de re Magnum inſtruit Cæcilius. Pri.

[e] IN SACRAMENTIS SALVTARIBVS NECESSITATE COGENTE TOTVM CREDENTIBVS CONFERVNT DIVINA COMPENDIA.] Verbum enim conſummans & breuians fecit Dominus ſuper terram, & compendio fidei per gratiam ſalues facit credentes, non per innumerabiles obſeruationes quibus Iudaïca multitudo ſeruiliter onerata premebatur. Corde creditur ad iuſtitiam: ore confeſſio fit ad ſalutem qua conſummatione atque breuitate latro iuſtificatus eſt, ſtatimque audire meruit: Hodie mecum eris in paradiſo. Primaſius Vticenſis in Epiſt. Pauli ad Rom. Rig.

mitatem cæleſtem pleniſſimè perueniret: nec tantum indulgentia Dominica excitatum de grabato eſſe, ſed ipſum grabatum ſuum reparatis & vegetatis viribus ſuſtuliſſe. Et iccircò quantum fide concipere & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt vt Chriſtianus iudicetur legitimus, quiſquis fuerit in Eccleſia lege & iure fidei diuinam gratiam conſecutus. Aut ſi aliquis exiſtimat eos nihil conſecutos, eò quod aqua ſalutari tantùm perfuſi ſint, ſed inanes & vacui ſunt; non decipiantur, vt ſi incommodum languoris euaſerint & conualuerint, baptizentur. Si autem baptizari non poſſunt, qui iam baptiſmo eccleſiaſtico ſanctificati ſunt; cur in fide ſua & Domini indulgentia ſcandalizentur? An conſecuti ſunt quidem gratiam Dominicam, ſed breuiore & minore menſura muneris diuini ac Spiritus ſancti, vt habeantur quidem Chriſtiani, non ſint tamen cæteris adæquandi? Quinimò Spiritus ſanctus non de menſura datur, ſed ſuper credentem totus infunditur. Nam ſi dies omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari & æquali luce diffunditur; quantò magis Chriſtus ſol & dies verus, in Eccleſia ſua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cuius æqualitatis ſacramentum videmus in Exodo eſſe celebratum, cum de cælo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cæleſtis & [a] cibum Chriſti venientis oſtenderet. Illic enim ſine diſcrimine vel ſexus, vel ætatis gomor à ſingulis æqualiter colligebatur. Vnde apparebat Chriſti indulgentiam & cæleſtem gratiam poſtmodum ſecuturam, æqualiter omnibus diuidi ſine ſexus varietate, ſine annorum diſcrimine, ſine acceptione perſonæ ſuper omnem Dei populum ſpiritalis gratiæ munus infundi. Planè eadem gratia ſpiritalis, quæ æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in conuerſatione atque actu noſtro poſtmodum vel minuitur, vel augetur; vt in euangelio Dominicum ſemen æqualiter ſeminatur, ſed pro varietate terræ aliud abſumitur, aliud in multiformem copiam vel triceſimi, vel ſexageſimi, vel centeſimi numeri fructu exuberante cumulatur. Adhuc verò cum ſinguli ad denarium vocentur, quid eſt vt quod à Deo æqualiter diſtribuitur, humana interpretatione minuatur? Quod ſi aliquis in illo mouetur quod quidam de iis qui ægri baptizantur, ſpiritibus adhuc immundis tentantur; ſciat diaboli nequitiam pertinacem vſque ad aquam ſalutarem valere, in baptiſmo verò omne nequitiæ ſuæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus, & in ſua perfidia demoratus, tamdiu reſiſtere potuit & præualere, donec ad aquam veniret: quò cum veniſſet, & victus eſt, & extinctus. Mare autem illud ſacramentum baptiſmi fuiſſe, declarat beatus Apoſtolus Paulus dicens: Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Et addidit dicens: Hæc autem omnia figuræ noſtræ fuerunt. Quod hodie etiam geritur, vt per exorciſtas [b] voce humana & poteſtate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus: & cum exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpè dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem priùs geſtum eſt, eodem mendacio obſtinationis & fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam ſalutarem, atque ad baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus, & fidere quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur. Nam ſi ſcorpij & ſerpentes, qui in ſiccó præualent, in aquam præcipitati, præualere poſſunt, aut ſua venena retinere poſſunt, & ſpiritus nequam, (qui ſcorpij & ſerpentes appellantur, & tamen per nos data à Domino poteſtate calcantur) permanere vltrà in hominis corpore, in quo baptizato & ſanctificato incipit Spiritus ſanctus habitare. Hoc denique & rebus ipſis experimur, vt neceſſitate vrgente in ægritudine baptizati & gratiam conſecuti, careant immundo ſpiritu, quo anteà mouebantur; & laudabiles ac probabiles in Eccleſia viuant, pluſque per dies ſingulos in augmentum cæleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiant. Et contrà ſæpè nonnulli de illis qui ſani baptizantur, ſi poſtmodum peccare cœperint, ſpiritu immundo redeunte quatiuntur; vt manifeſtum ſit, diabolum in baptiſmo fide credentis excludi, ſi fides poſtmodum defecerit, regredi: Niſi ſi iuſtum quibuſdam videtur, vt illi qui extra Eccleſiam apud aduerſarios & antichriſtos profana aqua polluuntur, baptizati iudicentur: hi verò qui in Eccleſia baptizantur, minus indulgentiæ, & gratiæ diuinæ conſecuti eſſe videantur; & tantus honor habeatur hæreticis, vt inde venientes non interrogentur vtrumne loti ſint, an perfuſi; vtrumne [c] Clinici ſint an Peripatetici. apud nos autem de integra fidei veritate detrahitur, & baptiſmo eccleſiaſtico

majeſtas

a CIBVM CHRISTI VENIENTIS.) Verbum vitæ æternæ. Ioannis VI. Hoc verò verbum corpus eſt Chriſti: atque hoc ſenſu caro Chriſti verè eſt cibus. nempe, verbum Dei caro factum, Chriſtus eſt. & corpus Chriſti verba Dei ſunt quæ habuit Chriſtus in carne. Corpus autem Chriſti manducamus credentes in Chriſtum & præcepta eius fideliter obſeruantes. Ait enim Chriſtus, Caro mea verè eſt cibus, Ioan. VI. 56. &, Cibus meus eſt facere voluntatem Patris, Ioan. IV. 34. Quo igitur modo Chriſtus faciens voluntatem, id eſt, faciens mandata Patris, manducauit Patrem, ſiue voluntatem Patris: Eo modo, ſeruantes mandata Chriſti, manducant Chriſtum. Eadem figura, eodémque intellectu dicuntur Chriſtiani manducare Chriſtum, quo dicuntur induere Chriſtum, qui ſecundùm præcepta Chriſti ſapiunt & viuunt, Deum toto corde colunt, proximum ſicut ſeipſos diligunt. RIG.

b VOCE HVMANA ET POTESTATE DIVINA.] Abſtulit ſuam, hoc eſt diuinam, Chriſtus poteſtatem, poſteaquam homines diuinæ poteſtati admiſcuerunt humanam. Etenim diffidit Deo, qui hominem vocat in partem operis, quod eſt ſolius Dei. Et eſt Deus zelotes. *Idem.*

c *Clinici ſint an Peripatetici.* Iaceant an obambulent Scaurus apud Senecam epiſt. 29. de Ariſtone Philoſpho; qui in geſtatione diſſerebat. *cum de eius ſecta tunc quæreretur, ait, vtique Peripateticus non eſt.* Etenim in geſtatione ſedebat aut iacebat, & ſic erat Clinicus. *Idem.*

majeſtas ſua & ſanctitas derogatur. Reſcripſi fili chariſſime ad litteras tuas quantum parua noſtra mediocritas valuit, & oſtendi quid nos quantum in nobis eſt ſentiamus, nemini præſcribentes, quo minus ſtatuat quod putat vnuſquiſque præpoſitus; actus ſui rationem Domino redditurus, ſecundùm quod beatus apoſtolus Paulus in epiſtola ſua ad Romanos ſcribit & dicit: Vnuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem dabit. Non ergo nos inuicem iudicemus. Opto te fili chariſſime ſemper benè valere.

EPISTOLÆ IN EXSILIO, CONSCRIPTÆ ET ſub finem vitæ.

AD NEMESIANVM ET CÆTEROS MARTYRAS IN Metallo conſtitutos.

CYPRIANVS NEMESIANO FELICI, LVCIO, ALTERI FELICI, LITTEO POLIANO, VICTORI, IADERI, DATIVO, COEPISCOPIS, ITEM COMPRESBYTERIS ET DIACONIBVS, ET CÆTERIS FRATRIBVS IN METALLO CONSTITVTIS MARTYRIBVS DEI PATRIS OMNIPOTENTES ET IESV CHRISTI DOMINI, ET DEI CONSERVATORIS NOSTRI, ÆTERNAM SALVTEM.

GLORIA quidem veſtra poſcebat beatiſſimi ac dilectiſſimi fratres, vt ad conſpectum atque ad complexum veſtrum venire ipſe deberem, niſi me quo- LXXVII.
que ob confeſſionem nominis relegatum [a] præfiniti loci termini coërcerent: ſed quo modo poſſum repræſento me vobis, & ad vos etiam ſi corpore & greſſu venire non datur, dilectione tamen & ſpiritu venio, exprimens litteris animum meum, quo in iſtis virtutibus & laudibus veſtris lætus exulto; participem me computans vobis etſi non paſſione corporis, conſortio charitatis. An ego poſſim tacere & vocem meam ſilentio premere, cum de chariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos diuina dignatio honorauit: vt ex vobis pars iam martyrii ſui conſummationi præceſſerit, meritorum ſuorum coronam de Domino receptura; pars adhuc in carcerem clauſtris, ſiue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipſas ſuppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis maiora documenta; ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cæleſtibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis? Quæ quidem vobis fortiſſimi ac beatiſſimi fratres pro merito religionis ac fidei veſtræ accidiſſe non miror, vt vos ſic Dominus ad gloriarum ſublime faſtigium clarificationis ſuæ honore prouexerit; qui ſemper in Eccleſia eius cuſtodito fidei tenore viguiſtis, conſeruantes firmiter Dominica mandata; in ſimplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, diligentiam in adminiſtratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, miſericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate conſtantiam, in diſciplinæ ſeueritate cenſuram. Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deeſſet in vobis, etiam nunc in confeſſione vocis & paſſione corporis fratrum mentes ad diuina martyria prouocatis, duces vos exhibendo virtutis; vt dum grex paſtores ſuos ſequitur, & quod fieri à præpoſitis cernit, imitatur, paribus obſequiorum meritis à Domino coronetur. Quod autem fuſtibus cæſi priùs grauiter & afflicti, per eiuſmodi pœnas initiaſtis confeſſionis veſtræ religioſa primordia; [b] execranda nobis iſta res non eſt. Neque enim ad fuſtes Chriſtianum corpus expauit, [c] cuius eſt ſpes omnis in ligno. [d] Sacramentum ſalutis ſuæ Chriſti ſeruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus eſt ad coronam. Quid verò mirum, ſi vaſa aurea & argentea in metallum, id eſt, auri & argenti domicilium dati eſtis, niſi quod nunc metallorum natura conuerſa eſt, locáque quæ aurum & argentum dare antè conſueuerant, accipere cœperunt? Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt; quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, ſed à Domino reſoluuntur. O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur. O pedes in ſeculo ad præſens ligati, vt ſint ſemper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & [e] tranſuerſariis interim cunctabundi, ſed celeriter

a PRÆFINITI LOCI TERMINI COERCERENT] Itaque epiſtola IIII & LXXXI. excuſat ſe ob loci conditionem; quem ſcilicet præfiniti termini coërcebant. Rig.

b EXECRANDA NOBIS ISTA RES NON EST] Adeò nobis execranda non eſt, vt pro ſalutis æternæ ſacramento accipi debeat. *Idem.*

c CVIVS EST SPES OMNIS IN LIGNO.] Hoc eſt in Chriſto, qui pro peccatoribus pependit in ligno. Sic Paulus gloriatur in cruce, hoc eſt, in Domino crucifixo. *Idem.*

d SACRAMENTVM SALVTIS NOSTRÆ.] Eo ſenſu omnia quæ Chriſtus geſſit in carne, ſacramenta ſunt noſtræ ſalutis. *Idem.*

e TRANSVERSARIIS] Tranſuerſaria dicit quæ ἐκ πλαγίου cohibent atque impediunt. Vitruuius lib. VIII. cap. 6. & x. cap. 11. *Idem.*

riter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri. Quantum vult hic vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat; cito à terris & pœnis iſtis ad cælorum regna venietis. Non fouetur in metallis, lecto & culcitris corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fouetur. Humi iacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto iacere. Squalent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus; At non in ſolo pane viuit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt; Sed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. a Semitonſi capitis capillus horreſcit, ſed cum ſit caput viri Chriſtus, qualecunque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & tætra gentilibus, quali ſplendore penſabitur? Sæcularis hæc & breuis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum ſecundùm beati Apoſtoli vocem transformauerit Dominus corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ? Sed nec in illo fratres dilectiſſimo aliqua poteſt aut religionis, aut fidei iactura ſentiri, quod illic nunc ſacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi ſacrificia diuina. Celebratis immò atque offertis ſacrificium Deo & pretioſum pariter & glorioſum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cæleſtium profuturum; cum ſcriptura diuina loquatur & dicat: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Hoc vos ſacrificium Deo offertis, hoc ſacrificium ſine intermiſſione die ac nocte celebratis, hoſtiæ facti Deo & voſmetipſos ſanctas atque immaculatas victimas exhibentes, ſicut Apoſtolus adhortatur & dicit: Oro ergo vos fratres per miſericordiam Dei vt conſtituatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo, nec configuremini ſæculo huic, ſed transformamini in renouatione ſenſus, ad probandum quæ ſit voluntas Dei bona & placens, & perfecta. Hoc eſt enim quod præcipuè Deo placeat: hoc eſt, in quo maioribus meritis ad promerendam voluntatem Dei opera noſtra proueniant: hoc eſt, quod ſolum Domino de beneficiis eius grandibus & ſalutaribus fidei ac deuotionis noſtræ obſequia retribuant, prædicante in pſalmis & conteſtante Spiritu ſancto: Quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pretioſa in conſpectu Domini mors iuſtorum eius. Quis non libenter & promptè calicem ſalutis accipiat? quis non appetat gaudibundus & lætus, in quo aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat? quis non pretioſam in conſpectu Domini mortem fortiter & conſtantur excipiat; placiturus eius oculis, qui nos in congreſſione nominis ſui deſuper ſpectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipſe præſtitit, & honorans quod ipſe perfecit? Ipſius enim eſſe quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam ſubacto aduerſario peruenimus, declarat & docet Dominus in Euangelio ſuo, dicens: Cum autem vos tradiderint; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et iterùm: Ponite in cordibus veſtris non præmeditari excuſare. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri. In quo quidem & credentium magna fiducia eſt, & culpa grauiſſima perfidorum; non credere ei qui ſe opem ſuam daturum confitentibus pollicetur, nec rurſus eumdem timere qui æternam pœnam negantibus comminatur. Quæ vos omnia fortiſſimi ac fideliſſimi milites Chriſti inſinuaſtis fratribus noſtris implentes factis quod verbis antè docuiſtis; futuri maximi in regno cælorum pollicente Domino & dicente: Qui fecerit & ſic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum. Denique exemplum veſtrum ſecuta multiplex plebis portio, confeſſa eſt vobiſcum pariter, & pariter coronata eſt; connexa vobis vinculo fortiſſimæ charitatis, & à præpoſitis ſuis nec carcere, nec metallo ſeparata. Cuius numero nec virgines deſunt, quibus ad ſexagenarium fructum centenus acceſſit, quaſque ad cæleſtem coronam gloria geminata prouexit. In pueris quoque virtus maior ætate annos ſuos confeſſionis laude tranſcendit, vt martyrij veſtri beatum gregem & ſexus, & ætas omnis ornaret. Qui nunc vobis, dilectiſſimi fratres, conſcientiæ victricis vigor? quæ ſublimitas animi? quæ in ſenſu exultantia? qui triumphus in pectore? vnumquemque veſtrûm ſtare ad promiſſum Dei præmium, de iudicij die eſſe ſecurum? ambulare in metallo, captiuo quidem corpore ſed corde regnante; ſcire Chriſtum ſecum eſſe præſentem, gaudentem tolerantia ſeruorum per veſtigia & vias ſuas ad regna æterna gradientium? Exſpectatis quotidie læti profectionis veſtræ ſalutarem diem, & iam iamque de ſæculo receſſuri ad martyrum munera & domicilia diuina properatis; poſt has mundi tenebras viſuri candidiſſimam lucem, & accepturi maiorem paſſionibus omnibus & conflictationibus claritatem, Apoſtolo conteſtante & dicente: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem quæ reuelabitur

a SEMITONSI CAPITIS CAPILLVS HORRESCIT.] Deformitate ſua horrorem infert ſpectantibus. Epiſt. ſeq. *ſemitonſis capitis capillaturam adæquaſti.* Horatius. --*curtatus in æquali tonſore capillos* R I O.

a *Semitonſi capitis capillus.* Ita olim tondebantur ſerui ad metalla damnati. Sic etiam 2. Regum 10. legitur Hanon filius Naas rex Ammonitarum raſiſſe dimidiam partem barbæ nuntiorum Dauid. Videtur autem hunc locum imitatus D. Hieronymus epiſtola ad Heliodorum, vt adnotauit Eraſmus. P A M.

tur in nobis. Planè quia nunc vobis in precibus efficacior ſermo eſt, & ad impetrandum quod in preſſuris petitur facilior oratio eſt: petite impenſiùs, & rogate, vt confeſſionem omnium noſtrûm dignatio diuina conſummet; vt de iſtis tenebris & laqueis mundi nos quoque vobiſcum integros & glorioſos Deus liberet; vt qui hic charitatis & pacis vinculo copulati, contra hæreticorum iniurias & preſſuras gentilium ſimul ſtetimus, pariter in regnis cæleſtibus gaudeamus. Opto vos beatiſſimi ac dilectiſſimi fratres in Domino benè valere, & noſtri ſemper & vbique meminiſſe. Valete.

AD CYPRIANVM NEMESIANI, DATIVI, FELICIS, & Victoris reſponſum.

CYPRIANO FRATRI NEMESIANVS, DATIVVS, FELIX, & Victor, in Domino æternam Salutem.

SEmper magnis ſenſibus pro temporis conditione litteris tuis locutus es Cy- LXXVIII.
priane dilectiſſime; quibus aſſiduè lectis, & praui corriguntur, & bonæ fidei homines corroborantur: dum enim non deſinis tractatibus tuis [a] ſacramenta occulta nudare, ſic nos in fide facis creſcere, & de ſæculo homines [b] ad credulitatem accedere. Nam quæcumque bona in multis libris tuis intuliſti, neſcius ipſum te nobis deſignaſti: es enim omnibus in tractatu maior, in ſermone facundior, in conſilio ſapientior, in patientia ſimplicior, in operibus largior, in abſtinentia ſanctior, in obſequio humilior, & in actu bono innocentior. Scis & ipſe chariſſime noſtrum optabile votum eſſe, quod te videamus doctorem & amatorem noſtrum ad coronam magnæ confeſſionis perueniſſe, nam quaſi bonus & verus doctor quid nos diſcipuli ſecuti apud præſidem dicere deberemus, prior apud acta proconſulis pronunciaſti, & tuba canens, Dei milites cæleſtibus armis inſtructos ad congreſſionis prælium excitaſti: & in acie prima pugnans ſpiritali gladio diabolum interfeciſti: agmina quoque fratrum hinc & inde verbis tuis compoſuiſti, vt inſidiæ inimico vndique tenderentur, & cadauera ipſius publici hoſtis neruis conciſis calcarentur. Crede nobis chariſſime, quoniam non eſt à centeſimo præmio minor tua innocens anima, quæ nec ſæculi primos impetus timuit, nec ire in exſilium recuſauit, nec relinquere ciuitatem dubitauit, nec in deſerto loco commorari horruit; & quoniam multis documentum confeſſionis dedit, ipſa martyrium prior dixit; alios enim ad martyria facienda exemplo ſuo prouocauit; & non tantùm matyrum de ſæculo iam excedentium ſocia eſſe cœpit; ſed & cum futuris cæleſtem amicitiam copulauit. Agunt ergo tibi nobiſcum damnati maximas apud Deum gratias Cypriane dilectiſſime, quod litteris tuis laborantia pectora recreaſti, fuſtibus vulnerata membra curaſti; compedibus pedes ligatos reſoluiſti; [c] ſemitonſis capitis capillaturam adæquaſti; tenebras carceris illuminaſti; montes metallius in planum deduxiſti; naribus etiam flagrantes flores impoſuiſti; & tetrum odorem fumi excluſiſti. Fecit autem & proſecutum miniſterium tuum, & Quirini dilectiſſimi noſtri; quod per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Maximum, & Amantium acoluthos diſtribuendum miſiſti, quæcumque neceſſitatibus corporum defuerant expediri. Simus ergo orationibus noſtris [d] alterutrum adiutores, & rogemus, ſicut mandaſti, vt Deum, & Chriſtum, & angelos in omnibus actibus noſtris habeamus fautores. Optamus te Domine frater ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Saluta omnes qui tecum ſunt. omnes noſtri, qui nobiſcum ſunt, te amant, & ſalutant, & videre deſiderant.

AD

a SACRAMENTA OCCVLTA NVDARE.] Sacrarum ſcripturarum arcana, myſteria, difficultates, ſenſus abditos: incerta & occulta ſapientiæ diuinæ. RIG.
b AD CREDVLITATEM ACCEDERE.) Ad fidem Chriſtianam, *Idem.*
c SEMITONSIS] ad ludibrium. RIG.
d ALTERVTRVM ADIVTORES.) Inuicem alter alterutrum adjuuantes. Suprà, epiſt. LXXIV. *alterutrum ad ſe venientes. Idem.*

AD EVMDEM LVCII ET CÆTERORVM martyrum reſponſum.

CYPRIANO FRATRI ET COLLEGÆ, LVCIVS & qui mecum ſunt omnes in Domino Salutem.

EXultantibus nobis & lætantibus in Deo, quod nos ad congreſſionem arma- LXXIX.
uerit, & in prælio victores ſua dignatione fecerit, ſuperuenerunt litteræ tuæ frater chariſſime, quas per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Amantium acoluthos miſiſti nobis; quibus lectis recipimus in vinculis laxamentum, in preſſura ſolatium, & in neceſſitate præſidium, & excitati ſumus & robuſtiùs animati ad ſi quid amplius fuerit pœnarum. Nam ante paſſionem à te ſumus ad

gloriam prouocati, qui prior nobis ducatum ad confeſſionem nominis Chriſti præbuiſti. Nos verò ſecuti veſtigia confeſſionis tuæ parem gratiam tecum ſperamus. Nam qui prior eſt in curſu, prior eſt & ad præmium, & qui prior occupaſti, de quo cœpiſti, inde hoc nobis communicaſti, demonſtrans ſcilicet indiuiduam charitatem, qua ſemper nos dilexiſti; vt quibus vnus fuit ſpiritus in coniunctione pacis, eſſet precum tuarum gratia, & vna corona confeſſionis. Acceſſit autem tibi frater chariſſime ad confeſſionis coronam retributio operum, abundans menſura quam accipies à Domino in die remunerationis; qui te nobis litteris tuis repræſentaſti, vt pectus illud tuum candidum & beatum, quod ſemper nouimus, manifeſtares; & [a] ſecundùm latitudinem eius nobiſcum laudes Deo diceres, non quantum nos meremur audire, ſed quantum tu potes dicere. Tuis enim vocibus & quæ minus in nobis instructa erant exornaſti, & confirmaſti ad ſuſtentationem earumdem paſſionum, quas patienter ferimus, ſecuri de præmio cæleſti, & de corona martyrij, & de regno Dei, ex prophetia quam litteris tuis Spiritu ſancto plenus ſpopondiſti. Hoc totum fiet dilectiſſime, ſi nos orationibus tuis in mente habueris, quod te facere confido, ſicut & nos vtique facimus. [b] Accepimus itaque frater deſideratiſſime id quod à Quirino, & à teipſo miſiſti ſacrificium ex omni opere mundo. Sicut & Noë obtulit Deo, & delectatus eſt Deus in odorem ſuauitatis, & reſpexit in ſacrificium eius. [c] Ita & in veſtrum reſpiciat, & delectetur reddere vobis huius tam boni operis mercedem. Peto autem vt litteras, [d] quas ad Quirinum fecimus, tranſmitti præcipias. Opto te frater chariſſime ac deſideratiſſime ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. ſaluta omnes, qui tecum ſunt. Valete.

AD

a SECVNDVM LATITVDINEM EIVS.) Latitudinem pectoris dicit de pectore viri ſancti, quod eſſe ſolet in Dei laudes & bonas operationes ſecundum, & magnificũ. RIG.

b ACCEPIMVS ID QVOD A QVIRINO ET A TE IPSO MISISTI SACRIFICIVM.) In Ver. id quod eſt à Cyrino. *Idem.*

c ITA ET IN VESTRVM RESPICIAT.) In Ver. *reſpiciet & delectabitur*, Epiſt. ſeq *Et erit in tempore reſpectus illorum. Idem.*

d QVAS AD QVIRINVM FECIMVS.) In Ver. *quas ad Cyrinum fect. Idem.*

AD EVMDEM FELICIS IADERIS, POLYANI ET CÆterorum martyrum reſponſum.

CYPRIANO CHARISSIMO ET DILECTISSIMO, FELIX, IADER, POLIANVS, VNA CVM PRESBYTERIS ET OMNIBVS NOBISCVM COMMORANTIBVS APVD METALLVM SIGVENSE, ÆTERNAM IN DOMINO SALVTEM.

LXXX. Reſalutamus te, frater chariſſime, per Victorium Herennianum hypodiaconum, Lucanum, & Maximum fratres noſtros, fortes & incolumes adiuuantibus orationibus tuis. A quibus [a] accepimus oblationis nomine quantitatem vnà cum litteris quas ſcripſiſti; in quibus dignatus es de verbis cæleſtibus nos tamquam filios confortare: & Deo patri omnipotenti per Chriſtum eius gratias egimus, & agimus; quod ſic confortati, & corroborati ſumus per tuam adlocutionem; petentes de animi tui candore, vt nos adſiduis orationibus tuis in mente habere digneris: vt confeſſionem veſtram, & noſtram, quam Dominus in nobis conferre dignatus eſt, ſuppleat. Saluta omnes qui tecum commorantur. Optamus te frater chariſſime in Deo ſemper benè valere. Iader ſubſcripſi, Polianus legi: dominum meum Eutichianum ſaluto.

CYPRIANI

a ACCEPIMVS OBLATIONIS NOMINE QVANTITATEM.] Pecuniæ ſummam quam de ſuo quiſque contulerat: vel quam de propria ſua quantitate Cyprianus ſubmiſerat. Obſeruauimus ad præced. epiſtolas. RIG.

CYPRIANI AD ROGATIANVM IVNIOREM ET CÆteros Confeſſores in carcere conſtitutos.

CYPRIANVS SERGIO ROGATIANO ET CÆTERIS Confeſſoribus in Domino perpetuam Salutem.

LXXXI. SALVTO vos fratres chariſſimi, optans ipſe quoque conſpectu veſtro frui, [a] ſi me ad vos peruenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius & lætius poſſet accidere, quàm nunc vobis inhærere vt complecterer manus illas, quæ puræ & innocentes & Dominicam fidem ſeruantes ſacrilega obſequia reſpuerunt? Quid iucundius & ſublimius quàm oſculari nunc

ora

a SI ME AD VOS PERVENIRE LOCI CONDITIO PERMITTERET.) Ipſe Epiſt. IIII. *Et quoniam mihi intereſſe nunc non permittit loci conditio*, quem ſcilicet præfiniti termini coërcebant. Epiſtola XXLVII. RIG.

a BENE

ora veſtra, quæ glorioſa voce Dominum confeſſa ſunt; conſpici etiam præſentem ab oculis veſtris, qui deſpecto ſæculo, conſpiciendo Deo digni extiterunt? Sed quoniam huic lætitiæ intereſſe facultas non datur, has pro me ad aures & ad oculos veſtros vicarias litteras mitto, quibus gratulor pariter & exhortor, vt in confeſſione cæleſtis gloriæ fortes & ſtabiles perſeueretis; & ingreſſi viam Dominicæ dignationis, ad accipiendam coronam ſpiritalis virtutis pergatis, habentes Dominum protectorem & ducem, qui dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem mundi. O beatum carcerem, quem illuſtrauit veſtra præſentia! O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cælum! O tenebras lucidiores ſole ipſo, & luce hac mundi clariores; vbi modò conſtituta ſunt Dei templa, & ſanctificanda diuinis confeſſionibus membra veſtra! Nec quidquam nunc verſetur in cordibus & mentibus veſtris, quàm diuina præcepta & mandata cæleſtia, quibus vos ad tolerantiam paſſionis Spiritus ſanctus ſemper animauit. Nemo mortem cogitet, ſed immortalitatem; nec temporariam pœnam, ſed gloriam ſempiternam, cùm ſcriptum ſit: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors iuſtorum eius. Et iterùm: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Et iterùm, vbi loquitur ſcriptura diuina de tormentis quæ martyras Dei conſecrant, & in ipſa paſſionis probatione ſanctificant: Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis [a] benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probauit illos, [b] & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore [c] erit reſpectus illorum. [d] Fulgebunt iuſti & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit eorum Dominus in perpetuum. Quando ergo iudicaturos vos & regnaturos cum Chriſto Domino cogitatis, exultetis neceſſe eſt, & futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcetis; ſcientes ab initio mundi ſic inſtitutum, vt laboret iſtic in ſæculari conflictatione iuſtitia, quando in origine ſtatim prima Abel iuſtus occiditur; & exindè iuſti quique & prophetæ & Apoſtoli miſſi. Quibus omnibus Dominus quoque in ſe ipſo conſtituit exemplum, docens ad ſuum regnum non niſi eos qui ſe per viam ſuam ſecuti ſint, peruenire, dicens; Qui amat animam ſuam in iſto ſæculo, perdet illam. Et qui odit animam ſuam in iſto ſæculo, in vitam æternam conſeruabit illam. Et iterùm: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt & animam & corpus occidere in gehennam. Paulus etiam nos adhortatur, vt qui ad Domini promiſſa venire cupimus, imitari Dominum in omnibus debeamus. Sumus, inquit, filij Dei, ſi autem filij, & hæredes, [e] hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſiquidem compatiamur, [f] vt commagnificemur. Addit etiam comparationem præſentis temporis, & futuræ claritatis, dicens: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis. Cuius claritatis gloriam cogitantes, preſſuras omnes & perſecutiones tolerare nos conuenit; quia etſi ſunt multæ preſſuræ iuſtorum, ex omnibus tamen liberantur, qui in Deum fidunt. Beatas etiam fœminas, quæ vobiſcum ſunt in eadem confeſſionis gloria conſtitutæ; quæ Dominicam fidem tenentes, & ſexu ſuo fortiores, non ſolùm ipſæ ad coronam proximæ ſunt, ſed & cæteris quoque fœminis exemplum de ſua conſtantia præbuerunt. Ac ne quid deeſſet [g] ad gloriam numeri veſtri, vt omnis vobiſcum & ſexus, & ætas eſſet in honore, pueros etiam vobis glorioſa confeſſione ſociauit diuina dignatio; repræſentans nobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias, & Miſahel illuſtres pueri aliquando fecerunt; quibus incluſis in caminum ceſſerunt ignes, & refrigerij locum flammæ dederunt, præſente cum illis Domino, & probante, quod in confeſſores & martyres eius nihil poſſet gehennæ ardor operari, ſed quod qui in Deum crederent, incolumes ſemper [h] & tuti in omnibus perſeuerarent. Et conſideretis diligentiùs peto pro veſtra religione, quæ apud illos pueros fides fuerit, quæ promereri Dominum pleniùs potuit. ad omnia enim parati, ſicut omnes eſſe debemus, aiunt regi: Nabuchodonoſor Rex non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. eſt enim Deus, cui nos ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & [h] de manibus tuis Rex liberabit nos: & ſi non; notum tibi ſit quoniam diis tuis non ſeruimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Cum ſe crederent, & pro fide ſua ſcirent poſſe etiam de

præſenti

a Bene disponentvr.) Liber Sap. cap. III. μεγάλα δ' εὐεργετηθήσονται. ornabuntur gloria maxima, ſplendore multo Rig.

b Et qvasi holocavsti hostiam] Corbeienſis & Veronenſis: *Holocauſta hoſtia* & lib. de exhort. marty cap. 12. *holocauſtam hoſtiam*. vulg. *holocauſta hoſtia*. Septuag. *ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας*. *Idem.*

c Erit respectvs illorvm.) Sap. καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσιν. Vnde videatur à Cypriano ſcriptum fuiſſe: *Et in tempore reſpectus illorum*. Hoc eſt, cùm aduenerit tempus gloriæ illorum, fulgebunt, &c. Sic enim eodem libro cap. præcedenti, Erit enim ei reſpectus ex ſermonibus eius. In Græco: ἔσται γὰρ αὐτῷ ἡ ἐπισκοπὴ ἐν λόγοις αὐτοῦ. quod de Chriſto dici videtur, cui gloria decor & ſplendor ex ſermonibus eius. *Idem.*

d Fvlgebvnt ivsti.) Hæc clauſula non legitur in cod. Veronenſi, neque in editione Romana. *Idem.*

e Heredes qvidem Dei) In Veronenſi & in editione Romana, *Si autem filij, & hæredes Dei; cohæredes autem Chriſti. Idem.*

f Vt commagnificemvr.) Corbeienſis, *Vt ſic glorificemur. Idem.*

g Ad gloriam nvmeri vestri) In Beneuentano: *numero veſtro Idem.*

h Et tvti in omnibvs perseverarent.] In Bed. *Et tuti in Domino perſeuerent. Idem.*

X

præſenti ſupplicio liberari, iactare hoc tamen, & vindicare ſibi noluerunt, dicentes: Et ſi non; ne minor eſſet confeſſionis virtus ſine teſtimonio paſſionis. Addiderunt poſſe omnia Deum facere, ſed tamen non in hoc fidere, vt liberari in præſentia vellent, ſed illam libertatis, & ſecuritatis æternæ gloriam cogitarent. Quam fidem nos quoque retinentes, & die ac nocte meditantes, toto corde ad Deum prompti, contemptu præſentium futura tantummodo cogitemus, fructum regni æterni, complexum & oſculum Domini, conſpectum Dei. Vt ſequamini in omnibus Rogatianum preſbyterum glorioſum ſenem, viam vobis ad gloriam temporis noſtri religioſa virtute & diuina dignatione [illegible]cientem, qui cum Feliciſſimo fratre noſtro [b] quieto ſemper & ſobrio excipiens, ferocientis populi impetum, primum hoſpitium vobis in carcere præparauit, & metator quodam modo veſter, nunc quoque vos antecedit, quod vt conſummetur in vobis, aſſiduis orationibus Dominum deprecamur, vt initiis ad ſumma pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & coronari. Opto vos fratres chariſſimi ac beatiſſimi in Domino ſemper benè valere, & ad coronam cæleſtis gloriæ peruenire.

AD

h DE MANIBVS TVIS REX LIBERABIT NOS.) In Ver. & in ed. Rom. *De manibus tuis liberabit nos.* RIG.

b QVIETO SEMPER ET SOBRIO.) Quæ ſunt præcipua bonæ conuerſationis officia, apud Chriſtianos commendatiſſima. *Idem.*

AD SVCCESSVM DE NVNCIIS ROMA REVERSIS perſecutionem nuntiantibus.

CYPRIANVS SVCCESSO FRATRI SALVTEM.

LXXXII. VT non vobis in continenti ſcriberem frater chariſſime, illa res fecit; quod vniuerſi clerici [a] ſub ictu agonis conſtituti, recedere iſtinc omninò non poterant, parati omnes pro animi ſui deuotione ad diuinam & cæleſtem gloriam. Sciatis autem eos veniſſe, quos ad Vrbem propter hoc miſeram, vt quomodocumque de nobis reſcriptum fuiſſet, exploratam ſibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem ſunt in vero, ita ſe habent. [b] Reſcripſiſſe Valerianum ad ſenatum; vt Epiſcopi, & preſbyteri, & diacones [c] in continenti animaduertantur; ſenatores verò & viri egregij, & equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpolientur, & ſi ademptis facultatibus Chriſtiani eſſe perſeuerauerint, capite quoque multentur: matronæ ademptis bonis in exſilium relegentur: Cæſariani quicumque vel priùs confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint confiſcentur, & vincti in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti mittantur. Subiecit etiam [d] Valerianus Imperator orationi ſuæ exemplum litterarum, quas ad præſides prouinciarum de nobis fecit: quas litteras quotidie ſperamus venire, ſtantes ſecundùm fidei firmitatem ad paſſionis tolerantiam, & expectantes de ope, & indulgentia Domini vitæ æternæ coronam. Xiſtum autem in cæmiterio animaduerſum ſciatis, octauo iduum Auguſtarum die, & cum eodem Quartum. Sed & huic perſecutioni quotidie inſiſtunt præfecti in Vrbe; vt ſi qui ſibi oblati fuerint, animaduertantur; & bona eorum fiſco vindicentur. Hæc peto per vos & collegis noſtris innoteſcant, vt vbique hortatu eorum poſſit fraternitas corroborari, & ad agonem ſpiritalem præparari: vt ſinguli ex noſtris, non magis mortem cogitent, quàm immortalitatem: & plena fide ac tota virtute Domino dicata gaudeant magis, quàm timeant in hac confeſſione; in qua ſciunt Dei & Chriſti milites non perimi, ſed coronari. Opto te frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

a SVB ICTV AGONIS.) Epiſtola ſequenti dicet, Snb illo confeſſionis momento. RIG.

b *Reſcripſiſſe Valerianum.* Hinc patet ſub Valeriano & Gallieno paſſum, Cyprianum, iuxta D. Hieronymi ſententiam, non ſub Decio quod tradit Nazianzenus & Græci. PAM.

c IN CONTINENTI ANIMADVERTANTVR.] Aliquando dies negandi, hoc eſt Chriſto renunciandi, præſtituebatur, vt lib. De lapſis, cùm dies negantibus præſtitutus exceſſit. RIG.

d VALERIANVS IMP. ORATIONI SVÆ) Orationem hîc vocat, quod ſuprà reſcripſiſſe Cæſarem dixit. Ceterùm Imperator oratione in ſenatu habita auctor erat Senatui cenſendi, quod tum è republica eſſe videbatur. Eiuſmodi eſt illa Antonini de donationibus inter virum & vxorem oratio, quæ ab Vlpiano refertur. *Idem.*

AD CLERVM ET PLEBEM DE SVO SECESSV PAVlo ante Paſſionem.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET plebi vniuerſæ Salutenr.

LXXXIII.

CVm perlatum ad nos fuiſſet, fratres chariſſimi, [a] frumentarios eſſe miſſos, qui me Vticam perducerent, & conſilio chariſſimorum perſuaſum eſſet, vt de hortis noſtris interim ſecederemus, iuſta interueniente cauſa conſenſi; eò quod congruat Epiſcopum in ea ciuitate, in qua Eccleſiæ dominicæ præeſt illic Dominum confiteri, & plebem vniuerſam præpoſiti præſentis confeſſione clarificari. Quodcumque enim ſub illo confeſſionis momento confeſſor Epiſcopus loquitur, aſpirante Deo ore omnium loquitur. Cæterùm mutilabitur honor Eccleſiæ noſtræ tamglorioſæ, ſi ego Epiſcopus alterius Eccleſiæ præpoſitus, [b] accepta apud Vticam ſuper confeſſione ſententia, exinde martyr ad Dominum proficiſcar; quandoquidem ego & pro me, & pro vobis apud vos confiteri, [c] & ibi pati, & exinde ad Dominum proficiſci, orationibus continuis deprecer, & votis omnibus exoptem & debeam. Expectamus ergo hic in ſeceſſu abdito conſtituti aduentum proconſulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores ſuper Chriſtianorum laicorum, & Epiſcoporum nomine mandauerint; & dicturi, quod ad horam Dominus dici voluerit. Vos autem fratres chariſſimi pro diſciplina, quam de mandatis Dominicis à me ſemper accepiſtis, & ſecundùm quod me tractante ſæpiſſimè didiciſtis, quietem, & tranquillitatem tenete: [d] ne quiſquam veſtrûm aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltrò ſe gentilibus offerat: apprehenſus enim, & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis Dominus poſitus illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit quàm profiteri. Quid autem de cætero nos obſeruare conueniat, antequàm in me ſuper confeſſione nominis Dei proconſul ſententiam ferat, inſtruente Domino [e] in commune diſponemus. Incolumes vos fratres chariſſimi Dominus noſter in Eccleſia ſua permanere faciat, & conſeruare dignetur.

AD

a FRVMENTARIOS ESSE MISSOS QVI ME VTICAM PERDVCERENT.) Vita Cypriani quæ fertur ab eius diacono Pontio perſcripta, rhetoricæ dictionis gratiam magis quàm narrationis hiſtoricæ diligentiam præfert. Adeò, de geſtis ſanctiſſimi viri, quæ ſunt ipſius epiſtolis comprehenſa, nihil attingit: ac ne iſtud quidem ad martyrium pertinens; quod cùm reſciſſet ſe ab frumentariis requiri, perducendúmque Vticam, tantiſper latuerit, ne ſuis Carhaginienſibus eriperetur, quorum in oculis martyrium facere exoptaret, vt quæ pro Chriſti nomine perferenda ſermonibus & ſcriptis docuerat, etiam exemplo ſuo moriens confirmaret. Latuit igitur in ſeceſſu abdito, ſic enim ait ipſe hic epiſtola. Sed vbi ſeceſſum habuerit, non dicit, certè prudenter. Neque enim tutum illi tunc fuiſſet. At poſt obitum agonem, Pontius diaconus, qui etiam in exilio comes & familiaris illi fuit; vitam epiſcopi ſui cùm traderet poſteris, quis hoc cum putet tam jejunè támque exiliter præſtitiſſe, vt quem in locum de conſilio cariſſimorum ſeceſſerit, non indicarit, immò totam huiuſce ſeceſſus hiſtoriam prætermiſerit? Nam quod exulaſſe Curubin, eo qui circumfertur Pontii tractatu, legimus, nihil ad iſtum, de quo hîc agitur, ſeceſſum pertinet. nec latuiſſe frumentarios dicendus eſt, qui eò, quò exulatum ire juſſus eſt, migrauit. Ceterùm, ſi quis in eo de vita Cypriani opuſculo ſcriptoris fidem aut diligentiam deſideret, eodem ipſum deſiderio tangi neceſſe eſt circa paſſionis acta quæ Lazius & Morelius ediderunt. hunc enim Cypriani de hortis ſuis ſeceſſum non exhibent. Hoc tantùm, ab exilio reuerſum in hortos, exinde accerſitum perductúmque ad Proconſulem. Sed neque Auguſtinus frumentariorum meminit, Martyrologia quædam Actis illis conſimilia ſecutus: Nam inter duos apparitores ad paſſionem curru portatum fuiſſe tradidit: Acta, veniſſe ad martyrem principes duos, ſtratorem officii & equiſtratorem. Quæ ſanè temporis illius ſcriptorum ignorantiam ſiue negligentiam produnt. RIG.

a FRVMENTARIOS ESSE MISSOS.) Longè aberrauit à ſcopo, qui per metaphoram frumentarios hîc dici ſuſpicatur lictores ipſos qui Chriſtianos ad ſupplicia raperent, quaſi frumentariorum more frumenta Dominica in horreum Dominicum conderent. Quam conjecturam eò magis rideat quiſpiam, quando ſit recta interpretatio, ſatis aperta & facilis: nec erat magnæ lucubrationis opera, peruidere, non alios hîc à Cypriano frumentarios intelligi, quàm id genus hominum qui militaribus officiis adnumerati, ſpecie frumentorum per varias prouincias conquirendorum auſcultabant explorabántque ſi quid aduerſus Cæſaris aut populi Romani majeſtatem turbaretur, molitionum turbarúmque auctores comprehendebant, & quò juſſi erant perducebant aut etiam illicò necabant. Eſt autem apud Euſebium Hiſt. lib. VI. Dionyſii epiſcopi Alexandrini epiſtola, ſcribentis ad Germanum quemdam in hæc verba: Σαβῖνος, is fuit præfectus ſub Decio, φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. Ac pleriſque locis apud Spartianum, Lampridium & Capitolinum reperire eſt per frumentarios ſignificari, ſpeculatores, ἀγγελιαφόρους, ἐπιστάτας, διώκτας, ἐρευνητὰς κατασκοπ'ους. Itaque Adrianus Cæſ. ſic erat curioſus, non ſolùm domus ſuæ, ſed etiam amicorum: ita vt per frumentarios occulta omnia exploraret: nec aduerterent amici, ſciri ab imperatore ſuam vitam, priuſquàm ipſe hoc imperator oſtenderet. Clarum eſt illud Capitolini de Maximino: Scriptum eſt ad omnes prouincias, miſſis frumentariis; juſſumque vt quicumque Maximinum juuiſſet, is hoſtium numero duceretur. Hieronymus in Abdiam cap. I. Eos enim quos nunc Agentes in rebus vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant. Videantur quæ ad Tertullianum de Curioſis Beneficiariis. *Idem.*

b SVPER CONFESSIONE ACCEPTA SENTENTIA.) Hoc eſt in confeſſione nominis, nempe Chriſtiani. Auguſtinus, contra Epiſt. Gaud. His ſacris litteris eruditus B. Cyprianus in Confeſſione dixit: Diſciplinam prohibere, ne quis ſe offerat. *Idem.*

c ET IBI PATI.] Apud vos, in oculis Eccleſiæ cui ſum præpoſitus à Deo. *Idem.*

d NEC QVISQVAM VESTRVM VLTRO SE GENTILIBVS OFFERAT.) Hoc Cyprianum in confeſſione dixiſſe tradit Auguſtinus, loco jam citato. Et in veteribus Actis: Paterno Proconſuli exquirenti, Cyprianus dixit: Cùm diſciplina prohibeat, ne quis ſe vltrò offerat, & tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat; ne offerre ſe ipſi poſſunt; ſed à te exquiſiti inuenientur, ſcilicet in ciuitatibus ſuis: Horum itaque actorum vetuſtas claro ſummi viri teſtimonio comprobatur. *Idem.*

e IN COMMVNE DISPONEMVS.) Non abs re hoc tam ſedulò inculcat: In commune. præuidebat monarchiæ vitia, & abhorrebat maximi mali fomitem. *Idem.*

[a] DE DISCIPLINA ET HABITV VIRGINVM.

[b] DISCIPLINA cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper ac iugiter Deo viuere, & ad promiſſa cæleſtia & diuina præmia peruenire. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & auerſari ac negligere letale. In pſalmis loquitur Spiritus ſanctus: Continete diſciplinam, ne fortè iraſcatur Dominus, & pereatis à via recta, cùm exarſerit citò ira eius ſuper vos. Et iterùm: Peccatori autem dixit Deus: Ad quid exponis iuſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & abieciſti ſermones meos retrò. Et denuò legimus: Diſciplinam qui abiicit, infelix eſt. Et de Salomone mandata ſapientiæ monentis accipimus: Fili ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus. Quem enim diligit Deus, corripit. Si autem Deus quem diligit corripit; & ad hoc corripit vt emendet; fratres quoque & maximè ſacerdotes, non oderunt, ſed diligunt eos quos corripiunt vt emendent; quando & Deus per Hieremiam antè prædixerit, & tempora noſtra ſignificauerit, dicens: Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina. Quod ſi in Scripturis ſanctis, [c] tam veteribus quàm etiam nouis, frequenter & vbique diſciplina præcipitur, & fundamentum omne religionis ac fidei de obſeruatione ac timore proficiſcitur, quid cupidiùs appetere, quid magis velle ac tenere nos conuenit, quàm vt radicibus fortiùs fixis, & domiciliis noſtris ſuper petram robuſta mole ſolidatis, inconcuſſi ad procellas & turbines ſæculi ſtemus, [d] vt ad Chriſti munera per diuina præcepta veniamus: conſiderantes pariter ac ſcientes quod templa Dei ſint membra noſtra, ab omni fæce contagionis antiquæ lauacri vitalis ſanctificatione purgata; nec violari ea aut pollui fas ſit, quando qui violat, & ipſe violetur? Eorum nos templorum cultores & antiſtites ſumus: ſeruiamus illi, cuius eſſe iam cœpimus. Paulus in Epiſtolis ſuis dicit, quibus nos ad curricula viuendi per diuina magiſteria formauit: Non eſtis veſtri: [e] empti enim eſtis precio magno. [f] glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Glorificemus & portemus Deum puro & mundo corpore & obſeruatione meliore; & qui per ſanguinem Chriſti Domini noſtri redempti ſumus, per omnia ſeruitutis obſequia redemptoris imperio pareamus; demuſque operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offenſus ſedem quam inhabitat, derelinquat. Soſpitantis Domini verba ſunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce, inquit, ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem; nec habenis liberis & ſolutis vagari poſtmodum patitur, ſed ipſis potiùs, quibus ſanatus fuerat, mancipato, grauius comminatur; quod ſit ſcilicet minor culpa deliquiſſe ántè, cum necdum noſſes diſciplinam Dei, [g] nulla ſit venia vltrà delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti: & quidem hoc tam viri quàm mulieres, tam pueri quàm puellæ, ſexus omnis atque omnis ætas obſeruet: & curet pro religione & fide, quam Deo debet, ne quod ſanctum & purum de Domini dignatione percipitur, minus ſollicito timore teneatur, quia ſcriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. Nunc nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior gloria eſt, maior & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens

a DE DISCIPLINA ET HAB. VIRG. Tantùm abeſt vt ex Cypriani vita quam ſcripſit Pontius, in Pamelii ſententiam adducar, hunc de Virginibus tractatum fuiſſe ab Auctore conſcriptum cùm primùm in Eccleſia Chriſti ex plebeio excelliſſet, hoc eſt, preſbyteratus aut epiſcopatus initio: Tantùm abeſt inquam vt adſentiri Pamelio poſſim, vt ex ipſo Pontii libro Pamelium falli manifeſtò velim oſtendere, Ait enim Pontius Cyprianum, ſtatim atque factus fuit epiſcopus, proſcriptum fuiſſe, ac potuiſſe quidem tunc, pro velocitate qua ſemper omnia conſecutus eſt, ad martyrij coronam properare, niſi imminens ruina Chriſtiani populi atque etiam Epiſcoporum, tam fecundi pectoris indigeret: Deinde ait; Finge enim tunc illum martyrij dignatione tranſlatum Quis Virgines ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimonia dignum coërceret? Hæc verba tam clarè ſignificant hunc de Virginibus libellum ab Cypriano poſt perſecutionem editum fuiſſe, quàm inſcriptum, De diſciplina & habitu Virginum. RIG.

b *Diſciplina cuſtos ſpei.* Diſciplinæ vocabulum apud Cyprianum ſeueram viuendi rationem ſignificat, vt apud Tertullianum cap. 21. de Idololatria, *vt & idola deſtruas,* inquit, *& Deum prædices, & adimpleas diſciplinam.* Sed & Valerianus Cemelienſis Epiſcopus homil. 1. *Diſciplina igitur magiſtra eſt religionis, magiſtra veræ pietatis, quæ nec ideò increpat, vt lædat; nec ideò caſtigat, vt noceat.* PRI.

b *Diſciplina cuſtos &c.* Diſciplinæ vox, pro ea quam ſeueram diſciplinam nuncupant. Quintil. lib. 2. cap. 4. & Tacit. lib. 5. hoc eſt pro ſeueritate caſtigatrice. & Tertulliano tum initio libri contra Valentinian. tum iis libris quos hic imitatur, & Cypriano frequentiſſima eſt. Adfert autem Rhenanus ſimile quoque teſtimonium ex Ammiano Marcellino, & complura. ex ſcripturis, hoc loco Cyprianus, & infrà teſtim. lib. 3. cap. 66. 67. & 68. PAM.

c TAM VETERIBVS QVAM ETIAM NOVIS.) Hæc in Veronenſi cod. non leguntur, & ſanè ſuperuacua ſunt. RIG.

d VT AD CHRISTI MVNERA.) In Ver. *vt ad munera. Idem.*

e EMPTI ESTIS PRECIO MAGNO.) Veron. *Empti, eſtis magno. Idem.*

f GLORIFICATE. GLORIFICEMVS.) Veron. *Clarificate: Clarificemus. Idem.*

g NVLLA SIT VENIA VLTRA DELINQVERE.) Qui antequàm fieret Chriſtianus, vixit gentiliter, vagus, habenis liberis, cùm ad Chriſti fidem accedit, veniam priſtinorum à Deo quidem, ſtatim dicta Chriſto fide conſequitur, atque in Eccleſiam admittitur baptizatus nec pœna vlla correctio imponitur. At poſteaquàm factus Chriſtianus ad priſtina peccata reuertitur, proptereáque

ſpondens àd ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas atque
in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fecunditas: quantóque plus copioſa virgi-
nitas numero ſuo addit, tantò plus gaudium matris augeſcit. Ad has loquimur, has adhor-
tamur [a] affectione potiùs quàm poteſtate: non quod extremi & minimi & humilitatis no-
ſtræ admodum conſcij, aliquid ad cenſuram licentiæ vindicemus; ſed quod ad ſollicitu-
dinem magis cauti, plus de diaboli infeſtatione timeamus. Neque enim inanis hæc cautio
eſt, & vana formido, quæ ad ſalutis viam conſulit, quæ Dominica & vitalia præcepta cu-
ſtodit, vt quæ ſe Chriſto dicauerint, & à carnali concupiſcentia recedentes tam carne quàm
mente ſe Deo vouerint, conſumment opus ſuum magno præmio deſtinatum; nec ornari
iam aut placere cuiquam niſi Domino ſuo ſtudeant, à quo & mercedem virginitatis expe-
ctant, dicente ipſo: Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt. Sunt enim
ſpadones qui ex vtero matris ſic nati ſunt, & ſunt ſpadones, qui coacti ſunt ab hominibus,
& ſunt ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Denuò quoque per hanc
angeli vocem continentiæ munus oſtenditur, virginitas prædicatur: Hi ſunt qui cum mulieri-
bus ſe non coinquinauerunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quo-
cumque ierit. Neque enim tantùm maſculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, &
fœminas prǽterit; ſed quoniam fœmina viri portio eſt, & ex eo ſumpta atque formata
eſt, in ſcripturis ferè omnibus ad protoplaſtum Deus loquitur: quia ſunt duo in carne vna;
& in maſculo ſimul ſignificatur & fœmina. Quod ſi Chriſtum continentia ſequitur, & re-
gno Dei virginitas deſtinatur, quid eſt illis cum terreno cultu & cum ornamentis; quibus
dum hominibus placere geſtiunt, Deum offendunt, non cogitantes eſſe prædictum: qui
hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus nihil fecit illos? Et Paulum quoque glo-
rioſè & ſublimiter prædicaſſe. Si hominibus placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem.
[b] Continentia verò & pudicitia non in ſola carnis integritate conſiſtit, ſed etiam in cultus
& ornatus honore pariter ac pudore, vt ſecundùm Apoſtolum, quæ innupta eſt, ſancta ſit
& corpore, & ſpiritu. Inſtruit Paulus & dicit: Cœlebs cogitat ea quæ ſunt Domini, quo
modo placeat Deo. Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi huius,
quo modo placeat vxori. Sic & virgo & mulier innupta cogitat ea, quæ Domini, vt ſit ſan-
cta & corpore & ſpiritu. Virgo non eſſe tantùm, ſed & intelligi debet, & credi, vt nemo
cum virginem videt, dubitet, an virgo ſit. Parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bo-
num corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quaſi maritum aut ha-
beat, aut quærat? Timeat potiùs placere, ſi virgo eſt, nec periculum ſui appetat, quæ ad
meliora & diuina ſe ſeruat. Quæ virum non habent, cui placere ſe ſimulent; integræ &
puræ non tantùm corpore, ſed etiam ſpiritu perſeuerent. Neque enim fas eſt virginem ad
ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne, & de eius pulchritudine gloriari; cùm nulla ſit illis
magis quàm aduerſus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obſtinata cer-
tatio. Paulus forti ac ſublimi voce proclamat: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: & virgo in
Eccleſia de ſpecie carnis ac de corporis pulchritudine gloriatur? Addit Paulus & dicit:
Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis: Et quæ
ſe concupiſcentiis carnis & vitiis renuntiaſſe profitetur, in iiſdem quibus renunciauerat,
inuenitur? [c] Deprehenderis virgo, detegeris. Aliud eſſe te iactas, & affectas. Maculis te
concupiſcentiæ carnalis aſpergis, cum integritatis candidata ſis, & pudoris. Clama, inquit
Eſaiæ Dominus: Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius vt flos fœni. Aruit fœnum, &
flos decidit: ſermo autem Domini manet in æternum. Neminem Chriſtianum decet, &
maximè virginem non decet, claritatem vllam computare carnis & honorem; ſed ſolùm
appetere ſermonem Dei, bona in æternum manſura complecti. Aut ſi in carne ſit glorian-
dum, tunc planè quando in nominis confeſſione cruciatur; quando fortior femina viris
torquentibus

ab Eccleſia ejectus, recipi poſtulat, jam non illi venia da-
tur. etenim pro qualitate delicti ſatisfactionis pœna ſup-
pliciòque multatur. Iterùm dico: Impius, ſiue ethnicus,
ad fidem veniens, depoſito errore, probata fide, veniam
meretur. At Chriſtiano ad impietatem reuerſo, jam non
venia datur, ſed ſupplicium, ſed pœna: qua perſoluta, per
ſupplicii ſeueritatem caſtigato, tandémque expiato, non
per veniam excuſato, eccleſia redditur. Rectè itaque Cy-
prianus, Nulla ſit venia, inquit, vltrà delinquere, poſt-
quam Deum noſſe cœpiſti. Rig.

a Affectione potivs qvam potestate.]
Hæc pro comitate ac benignitate ſua Cyprianus: ſed nihi-
lominus peritè vtitur ſchemate rhetorico: diſſimulat pote-
ſtatem ſuam epiſcopalem, vt leniùs & blandiùs ferant vir-
gines acerbitatem caſtigationis ſiue increpationis, quá de-
pellit eas ab omni ferè muliebri mundo. Ait igitur hoc ſe
facere non pro ſua poteſtate, ſed pro affectione & ſollici-
tudine: non quod aliquid ſibi licentiæ vindicet ad cenſu-
ram, ſed quod eis maximè cautum eſſe velit pro quibus
ipſe minimus & extremus & humilitatis ſuæ conſcius infe-
ſtationes diaboli timeat. *Idem.*

b *Continentia verò & pudicitia*, *&c.* Non alia Notione
quam magiſter Tertullianus qui de habitu mul. cap. 4.
habitus fœmina, ait, *duplicem ſpeciem circumfert, cultum
& ornatum; cultum dicimus, quem mundum muliebrem
vocant; ornatum, quem immundum muliebrem conuenit di-
ci. Ille in auro & argento, & gemmis & veſtibus deputatur;
iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ
oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri
proſtitutionis.* Quem locum huc adduco vt illuſtrem & diſ-
cipulum luculenter explicantem, qui cultum & ornatum,
hic & paulò poſt, non ſeparat, aut disiungit, ſed copulat,
eodem ſenſu quo Magiſter Tertull. Pri.

c Deprehenderis, virgo! detegeris! alivd
te esse iactas, et affectas!] Hæc adju-
uanda ſunt geſtu, & pronuntianda cum indignationis ac-
centu. Deprehendi, laſciuientium eſt feminarum. bona
ſua intelligentium, & res ſuas conſiderantium, proban-
tiúmque priuatim; nec ſine gaudio. Rig.

torquentibus inuenitur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel beſtias patitur, vt coronetur. Illa ſunt carnis precioſa monilia, illa corporis ornamenta meliora. Sed ſunt aliquæ diuites, & facultatum vbertate locupletes, quæ opes ſuas præferant, & ſe bonis ſuis vti debere contendant. Sciant primò illam diuitem eſſe, quæ in Deo diues eſt: illam eſſe locupletem, quæ locuples in Chriſto eſt: bona illa eſſe, quæ ſunt ſpiritalia, diuina, cæleſtia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiſcum apud Deum perpetua poſſeſſione permaneant. cæterùm quæcumque terrena ſunt in ſæculo accepta, & hic cum ſæculo remanſura, tam contemni debent, quam mundus ipſe contemnitur, cuius pompis & deliciis iam tunc renunciauimus, cum meliore tranſgreſſu ad Deum venimus. Ioannes nos excitat & hortatur ſpiritali & cæleſti voce conteſtans: Nolite, ait, diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo: quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ambitio ſæculi, quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia ſæculi. Et mundus tranſibit & concupiſcentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quo modo & Deus manet in æternum. Æterna igitur & diuina ſectanda ſunt, & omnia de Dei voluntate facienda ſunt, vt Domini noſtri veſtigia, & [a] magiſteria diuina ſectemur, qui monuit & dixit: Non deſcendi de cælo vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui me miſit. Quod ſi non eſt maior Domino ſuo ſeruus, & liberatori debet obſequium liberatus; qui eſſe cupimus Chriſtiani, debemus quod Chriſtus fecit, imitari. Scriptum eſt, & legitur, & auditur, & in exemplum noſtri Eccleſiæ ore celebratur: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quo modo ille ambulauit & ipſe ambulare: Ambulandum eſt igitur veſtigiis paribus, æmula ingreſſione nitendum eſt. Tunc reſpondet ad fidem nominis, ſectatio veritatis, & credenti præmium datur, ſi quod creditur, & geratur. Locupletem te dicis & diuitem, ſed diuitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum iuſto fine moderandum, ſua voce præſcribit. Sint, inquit, mulieres cum verecundia & pudicitia componentes ſe, [b] non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veſte pretioſa, ſed vt decet mulieres promittentes caſtitatem per bonam conuerſationem. Item Petrus ad hæc eadem præcepta, conſentit, & dicit: Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus, ſed cultus cordis. Quod ſi illi mulieres quoque admonent coercendas, & ad eccleſiaſticam diſciplinam religioſa obſeruatione moderandas, quæ excuſare cultus ſuos ſoleant per maritum: quantò id magis obſeruare virginem fas eſt, cui nulla ornatus ſui competat venia; nec deriuari in alterum poſſit mendacium culpæ, ſed ſola ipſa remaneat in crimine? Locupletem te dicis & diuitem: ſed non omne quod poteſt, debet & fieri; nec deſideria prolixa & de ſæculi ambitione naſcentia, vltra honorem ac pudorem virginitatis extendi, cùm ſcriptum ſit: Omnia licent, ſed non omnia expediunt. Omnia licent, ſed non omnia ædificant. Cæterum ſi tu te ſumptuoſiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, [c] ſuſpirandi fomenta ſuccendas, vt etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas; excuſari non potes quaſi mente caſta ſis & pudica. [d] Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter puellas & virgines Chriſti, quæ ſic viuis vt poſſis adamari. Locupletem te dicis & diuitem; ſed iactare diuitias ſuas virginem non decet. Cùm dicat ſcriptura diuina: Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, & Apoſtolus rurſum moneat & dicat: Et qui emunt ſic ſint quaſi non poſſidentes, & qui hoc mundo vtuntur quaſi non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Petrus etiam, cui oues ſuas Dominus paſcendas, tuendáſque commendat, ſuper quem poſuit & fundauit Eccleſiam, aurum quidem ſibi eſſe & argentum negat, ſed eſſe ſe dicit Chriſti gratia diuitem, eſſe fide eius & virtute locupletem; quibus multa magnalia cum miraculo faceret, quibus ad gratiam gloriæ bonis ſpiritalibus abundaret. Has opes, has diuitias poſſidere non poteſt, quæ ſe diuitem ſæculo mauult eſſe quàm Chriſto. Locupletem te dicis & diuitem; & vtendum putas iis, quæ poſſidere te Deus voluit. vtere, ſed ad res ſalutares vtere, ſed ad bonas artes, vtere ſed ad illa, quæ Deus præcepit, quæ Dominus oſtendit, Diuitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. [e] Patrimonium tuum Deo fœnera, Chriſtum ciba, vt virginitatis perferre gloriam liceat, vt ad Domini præmia venire

a MAGISTERIA DIVINA.) Rectè abeſt à Veronenſi vox, *diuina*. Etenim quod præcedit, *Domini noſtri veſtigia & magiſteria ſectemur*. & quod deinde ſequitur, *qui monuit & dixit*, non admittit interruptionem, quæ accideret, ſi quis vocem illam, *diuina*, interſerat. RIG.

b *Non in tortis crinibus, &c.* Hæc à B. Paulo 1. ad Timoth. c. 2. Neſcio an legendum *intortis crinibus*. Nam S. Ambroſius lib. 1. de hab. Virg. *non intorto crine caput compta, ſed Chriſto; non floſculis redimita, ſed moribus.* Torquentur ſcilicet crines, vt formam & decorem nouum aſſumant. PRI.

c SVSPIRANDI FOMENTA.) In Veronenſi, *Sperandi fomitem*. Manucius edidit, *ſperandi fomenta*. RIG.

d *Redarguit te cultus improbus, &c* Similiter Seneca pater controu. 1. ait Adoleſcentium ſui temporis ſpecimen eſſe immundiſſimis ſe excolere munditiis. Sed B Hieronymus ad Demetriadem damnat apertè illum cultum. *Fuge laſciuiam puellarum, quæ ornant capita.* Clemens Alex. lib. 3. pædag. cultum illum vocat eleganter *κόσμον ἄκοσμον, καὶ ἀνελεύθερον καὶ ἑταιρικόν. cultum immundum, illiberalem & impudicum.* quæ verba hunc locum ſatis explicant. *Idem*.

e PATRIMONIVM TVVM DEO FENERA.) Codex Veronenſis & Manuciana editio. *Patrimonio tuo Deum fenera. Idem.*

nire contingat, [a] multorum precibus exora: Commenda illic theſauros tuos, vbi fur nullus effodiat, quò nullus inſidians graſſator irrumpat. Poſſeſſiones tibi, ſed cæleſtes magis compara, vbi fructus tuos iuges ac perennes & [b] ab omni contactu iniuriæ ſæcularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec ſol vrat, nec pluuia corrumpat. Nam delinquis & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis, vt illis non ſalubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non ſunt iccircò amatoria cantanda nec turpia, & ferrum eſſe ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia ſunt iccircò facienda: aut quia tura & merum, & ignem Deus inſtituit, ſacrificandum eſt inde idolis; vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hoſtias immolare debebis. Alioqui tentatio eſt patrimonium grande, niſi ad vſus bonos ſenſus operetur; vt patrimonio ſuo vnuſquiſque locupletior, magis redimere debeat quàm augere delicta. Ornamentorum ac veſtium inſignia & lenocinia formarum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt. Sic in Scripturis ſanctis, quibus nos inſtrui Dominus voluit, & moneri, deſcribitur ciuitas meretrix, compta pulchriùs & ornata, & cum ornamentis ſuis, ac propter ipſa potius ornamenta, peritura: Et venit, inquit, vnus ex ſeptem angelis habentibus phialas ſeptem, & aggreſſus eſt me, dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ. Et duxit me in ſpiritu: & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, & mulier illa amicta erat pallio purpureo, & coccineo, & adornata erat auro & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum & [c] immunditiæ, & fornicationis totius terræ. [d] Fugiant caſtæ virgines, & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam Spiritu ſancto plenus Eſaias, & filias Sion auro & argento, ac veſte corruptas increpat, & obiurgat pernicioſis opibus affluentes, & à Deo per ſæculi delicias recedentes: Exaltatæ ſunt, ait, filiæ Sion, & [e] ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & inceſſu pedum trahentes tunicas, & pedibus ſimul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Sion, & reuelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam veſtis illarum, & ornamenta earum & crines, & cincinnos, & lunulas, & [f] diſcriminalia, & armillas, & botronatum, & dextralia, & annulos, & inaures, & ſerica contexta cum auro, & hyacintho. Et erit pro odore ſuauitatis puluis, & pro cingulo reſte cingeris, & pro ornamento capitis aureo caluitium habebis. Hoc Deus culpat, hoc denotat: hinc corruptas eſſe virgines, hinc à cultu vero atque diuino deſciuiſſe pronunciat. Exaltatæ ceciderunt: comptæ turpitudinem fœditatémque meruerunt: ſericum & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod alij fuerit exitio? Quis id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hauſto poculo moreretur ille qui biberat, venenum ſcires eſſe quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; ſcires eſſe letale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, vnde interiiſſe alios antè conſpiceres. Nunc quanta ignorantia veri eſt, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper & noceat: & putare quod inde ipſa non pereas, vnde alios periiſſe cognoſcas? Neque enim Deus coccineas aut purpureas oues fecit, aut herbarum ſuccis, & conchiliis tingere & colorare lanas docuit. Nec diſtinctis auro lapillis, & margaritis, [g] contexta ſerie & numeroſa compage digeſtis, monilia inſtituit, quibus ceruicem, quam fecit, abſconderes; vt operiatur illud quod Deus in homine formauit, & conſpiciatur id deſuper, quod diabolus adinuenit. [h] An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur; vt poſteà de aurium cicatricibus & cauernis pretioſa

a MVLTORVM PRECIBVS EXORA.] Quaſi manu facta ad Chriſtum exorandum. Hæc quidem vis eſt Deo grauiſſima, caritatis & fidei Chriſtianæ fomes. RIG.

b AB OMNI CONTACTV INIVRIÆ SECVLARIS IMMVNES.] In Vaticano cod. adjicitur: *nec judex ambiat, nec quæſitor inquirat.* Quod videtur eſſe interpretamentum, *iniuria ſecularis. Idem.*

c ET IMMVNDITIÆ.] In Veron. *& omnis immunditiæ. Idem.*

d FVGIANT CASTÆ VIRG.] In Veronenſi: *Fugiant ſugiant caſtæ virg. Idem.*

e AMBVLAVERVNT ALTO COLLO.] In Beneuentano: *Inceſſerunt alta ceruice.* Et, *inceſſu pedum ſimul trahentes tunicas. Idem.*

f DISCRIMINALIA.] In Veronenſi, *diſcrimen*: In Beneuentano, *redimicula. Idem.*

f *Diſcriminalia.* acum intelligit comatoriam, ſiue calamiſtratoriam, acus crinalis eſt Apuleio, & ſpica crinalis Martiano Capellæ. eſt enim βελόνη ἧ αἱ τρίχες διακρίνονται hac acu caput ſcalpebant mulieres & crines diſtinguebant; fingebant etiam vt ex Iuuenale ſat. 2. liquet --
Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.
Aliquando etiam pungere ſolebant, hoc veluti ſtylo, Quod de Pſyche Petronius teſtatur, quæ *acu comatoria cupienti* Eucolpio *inuocare Quiritium fidem malas pungebat.* & Xiphilinus de Fuluia Antonii vxore βελόναις αἷς εἰς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο κατακέντησε, *acubus quibus ad caput vtebatur pupugit.* S. Hieronymus illud etiam explicat aduerſus Ruffinum. *fecerunt hoc*, inquit, *& Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu diſcriminali confodiebant.* Tanta autem erat luxus affectatio, vt acus illas gemmis ornarent. Vlpianus L. argumento. §. ornamento D. de aur. & arg. leg. Tertullianus cap. 11. de Pœnit. de his fuſè tractat. PRI.

g CONTEXTA SERIE.] Sic in Veronenſi. In Beneuentano perperam, *ſerico.* RIG.

h *An vulnera inferri auribus Deus voluit?* S. Hieronymus epiſt. 27. de vita & morte Marcellæ. *auribus perforatis rubri maris pretioſiſſima grana ſuſpendere.* & epiſt. 7. ad Lætam de inſtitut. filiæ *caue ne aures eius perfores.* Clemens Alex lib. 3. pædag. c. 11. κωλύει δὲ βιάζεσθαι τὴν φύσιν ὁ λόγος, τοὺς λοβοὺς τῶν ὤτων τιτρώσκειν. hoc eſt, *prohibet autem hoc verbum, ne vis naturæ inferatur, dum auricularum particulæ vulnerantur.* Hæc autem de perforatis auribus à Tertulliano habet, qui cap. 10. de cultu fœm. ait, *ſcrupuloſa Dei auribus vulnera intulit.* quod Arnobius lib.

nter ad Chriſtum glorioſo itinere curſuri. Quantum vult hic vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat; cito à terris & pœnis iſtis ad cælorum regna venietis. Non fouetur in metallis, lecto & culcitris corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fouetur. Humi iacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto iacere. Squalent ſine balneis membra ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus; At non in ſolo pane viuit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt; Sed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. a Semitonſi capitis capillus horreſcit, ſed cum ſit caput viri Chriſtus, qualecunque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & tætra gentilibus, quali ſplendore penſabitur? Sæcularis hæc & breuis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum ſecundùm beati Apoſtoli vocem transformauerit Dominus corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ? Sed nec in illo fratres dilectiſſimo aliqua poteſt aut religionis, aut fidei iactura ſentiri, quod illic nunc ſacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi ſacrificia diuina. Celebratis immò atque offertis ſacrificium Deo & pretioſum pariter & glorioſum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cæleſtium profuturum; cum ſcriptura diuina loquatur & dicat: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Hoc vos ſacrificium Deo offertis, hoc ſacrificium ſine intermiſſione die ac nocte celebratis, hoſtiæ facti Deo & voſmetipſos ſanctas atque immaculatas victimas exhibentes, ſicut Apoſtolus adhortatur & dicit: Oro ergo vos fratres per miſericordiam Dei vt conſtituatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo, nec configuremini ſæculo huic, ſed transformamini in renouatione ſenſus, ad probandum quæ ſit voluntas Dei bona & placens, & perfecta. Hoc eſt enim quod præcipuè Deo placeat: hoc eſt, in quo maioribus meritis ad promerendam voluntatem Dei opera noſtra proueniant: hoc eſt, quod ſolum Domino de beneficiis eius grandibus & ſalutaribus fidei ac deuotionis noſtræ obſequia retribuant, prædicante in pſalmis & conteſtante Spiritu ſancto: Quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pretioſa in conſpectu Domini mors iuſtorum eius. Quis non libenter & promptè calicem ſalutis accipiat? quis non appetat gaudibundus & lætus, in quo aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat? quis non pretioſam in conſpectu Domini mortem fortiter & conſtantur excipiat; placiturus eius oculis, qui nos in congreſſione nominis ſui deſuper ſpectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipſe præſtitit, & honorans quod ipſe perfecit? Ipſius enim eſſe quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam ſubacto aduerſario peruenimus, declarat & docet Dominus in Euangelio ſuo, dicens: Cum autem vos tradiderint; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et iterùm: Ponite in cordibus veſtris non præmeditari excuſare. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri. In quo quidem & credentium magna fiducia eſt, & culpa grauiſſima perfidorum; non credere ei qui ſe opem ſuam daturum confitentibus pollicetur, nec rurſus eumdem timere qui æternam pœnam negantibus comminatur. Quæ vos omnia fortiſſimi ac fideliſſimi milites Chriſti inſinuaſtis fratribus noſtris implentes factis quod verbis antè docuiſtis; futuri maximi in regno cælorum pollicente Domino & dicente: Qui fecerit & ſic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum. Denique exemplum veſtrum ſecuta multiplex plebis portio, confeſſa eſt vobiſcum pariter, & pariter coronata eſt; connexa vobis vinculo fortiſſimæ charitatis, & à præpoſitis ſuis nec carcere, nec metallo ſeparata. Cuius numero nec virgines deſunt, quibus ad ſexagenarium fructum centenus acceſſit, quaſque ad cæleſtem coronam gloria geminata prouexit. In pueris quoque virtus maior ætate annos ſuos confeſſionis laude tranſcendit, vt martyrij veſtri beatum gregem & ſexus, & ætas omnis ornaret. Qui nunc vobis, dilectiſſimi fratres, conſcientiæ victricis vigor? quæ ſublimitas animi? quæ in ſenſu exultantia? qui triumphus in pectore? vnumquemque veſtrûm ſtare ad promiſſum Dei præmium, de iudicij die eſſe ſecurum? ambulare in metallo, captiuo quidem corpore ſed corde regnante; ſcire Chriſtum ſecum eſſe præſentem, gaudentem tolerantia ſeruorum per veſtigia & vias ſuas ad regna æterna gradientium? Exſpectatis quotidie læti profectionis veſtræ ſalutarem diem, & iam iamque de ſæculo receſſuri ad martyrum munera & domicilia diuina properatis; poſt has mundi tenebras viſuri candidiſſimam lucem, & accepturi maiorem paſſionibus omnibus & conflictationibus claritatem, Apoſtolo conteſtante & dicente: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem quæ reuelabitur

a SEMITONSI CAPITIS CAPILLVS HORRESCIT.] Deformitate ſua horrorem infert ſpectantibus. Epiſt. ſeq. *ſemitonſis capitis capillaturam adaquaſti.* Horatius. --*curtatus in aquali tonſore capillos* RIG.

a *Semitonſi capitis capillus.* Ita olim tondebantur ſerui ad metalla damnati. Sic etiam 2. Regum 10. legitur Hanon filius Naas rex Ammonitarum raſiſſe dimidiam partem barbæ nuntiorum Dauid. Videtur autem hunc locum imitatus D. Hieronymus epiſtola ad Heliodorum, vt adnotauit Eraſmus. PAM.

tur in nobis. Planè quia nunc vobis in precibus efficacior ſermo eſt, & ad impetrandum quod in preſſuris petitur facilior oratio eſt: petite impenſiùs, & rogate, vt confeſſionem omnium noſtrûm dignatio diuina conſummet; vt de iſtis tenebris & laqueis mundi nos quoque vobiſcum integros & glorioſos Deus liberet; vt qui hic charitatis & pacis vinculo copulati, contra hæreticorum iniurias & preſſuras gentilium ſimul ſtetimus, pariter in regnis cæleſtibus gaudeamus. Opto vos beatiſſimi ac dilectiſſimi fratres in Domino benè valere, & noſtri ſemper & vbique meminiſſe. Valete.

AD CYPRIANVM NEMESIANI, DATIVI, FELICIS, & Victoris reſponſum.

CYPRIANO FRATRI NEMESIANVS, DATIVVS, FELIX, & Victor, in Domino æternam Salutem.

SEmper magnis ſenſibus pro temporis conditione litteris tuis locutus es Cypriane dilectiſſime; quibus aſſiduè lectis, & praui corriguntur, & bonæ fidei homines corroborantur: dum enim non deſinis tractatibus tuis [a] ſacramenta occulta nudare, ſic nos in fide facis creſcere, & de ſæculo homines [b] ad credulitatem accedere. Nam quæcumque bona in multis libris tuis intuliſti, neſcius ipſum te nobis deſignaſti: es enim omnibus in tractatu maior, in ſermone facundior, in conſilio ſapientior, in patientia ſimplicior, in operibus largior, in abſtinentia ſanctior, in obſequio humilior, & in actu bono innocentior. Scis & ipſe chariſſime noſtrum optabile votum eſſe, quod te videamus doctorem & amatorem noſtrum ad coronam magnæ confeſſionis perueniſſe, nam quaſi bonus & verus doctor quid nos diſcipuli ſecuti apud præſidem dicere deberemus, prior apud acta proconſulis pronunciaſti, & tuba canens, Dei milites cæleſtibus armis inſtructos ad congreſſionis prælium excitaſti: & in acie prima pugnans ſpiritali gladio diabolum interfeciſti: agmina quoque fratrum hinc & inde verbis tuis compoſuiſti, vt inſidiæ inimico vndique tenderentur, & cadauera ipſius publici hoſtis neruis conciſis calcarentur. Crede nobis chariſſime, quoniam non eſt à centeſimo præmio minor tua innocens anima, quæ nec ſæculi primos impetus timuit, nec ire in exilium recuſauit, nec relinquere ciuitatem dubitauit, nec in deſerto loco commorari horruit; & quoniam multis documentum confeſſionis dedit, ipſa martyrium prior dixit; alios enim ad martyria facienda exemplo ſuo prouocauit; & non tantùm matyrum de ſæculo iam excedentium ſocia eſſe cœpit; ſed & cum futuris cæleſtem amicitiam copulauit. Agunt ergo tibi nobiſcum damnati maximas apud Deum gratias Cypriane dilectiſſime, quod litteris tuis laborantia pectora recreaſti, fuſtibus vulnerata membra curaſti; compedibus pedes ligatos reſoluiſti; [c] ſemitonſis capitis capillaturam adæquaſti; tenebras carceris illuminaſti; montes metallius in planum deduxiſti; naribus etiam flagrantes flores impoſuiſti; & tetrum odorem fumi excluſiſti. Fecit autem & proſecutum miniſterium tuum, & Quirini dilectiſſimi noſtri; quod per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Maximum, & Amantium acoluthos diſtribuendum miſiſti, quæcumque neceſſitatibus corporum defuerant expediri. Simus ergo orationibus noſtris [d] alterutrum adiutores, & rogemus, ſicut mandaſti, vt Deum, & Chriſtum, & angelos in omnibus actibus noſtris habeamus fautores. Optamus te Domine frater ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. Saluta omnes qui tecum ſunt. omnes noſtri, qui nobiſcum ſunt, te amant, & ſalutant, & videre deſiderant.

AD

a SACRAMENTA OCCVLTA NVDARE.) Sacrarum ſcripturarum arcana, myſteria, difficultates, ſenſus abditos: incerta & occulta ſapientiæ diuinæ. RIG.

b AD CREDVLITATEM ACCEDERE.) Ad fidem Chriſtianam. *Idem.*

c SEMITONSIS] ad ludibrium. RIG.

d ALTERVTRVM ADIVTORES.) Inuicem alter alterutrum adjuuantes. Suprà, epiſt. LXXIV: *alterutrum ad ſe venientes. Idem.*

AD EVMDEM LVCII ET CÆTERORVM martyrum reſponſum.

CYPRIANO FRATRI ET COLLEGÆ, LVCIVS & qui mecum ſunt omnes in Domino Salutem.

EXultantibus nobis & lætantibus in Deo, quod nos ad congreſſionem armauerit, & in prælio victores ſua dignatione fecerit, ſuperuenerunt litteræ tuæ frater chariſſime, quas per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Amantium acoluthos miſiſti nobis; quibus lectis recipimus in vinculis laxamentum, in preſſura ſolatium, & in neceſſitate præſidium, & excitati ſumus & robuſtiùs animati ad ſi quid amplius fuerit pœnarum. Nam ante paſſionem à te ſumus ad

gloriam prouocati, qui prior nobis ducatum ad confeſſionem nominis Chriſti præbuiſti. Nos verò ſecuti veſtigia confeſſionis tuæ parem gratiam tecum ſperamus. Nam qui prior eſt in curſu, prior eſt & ad præmium, & qui prior occupaſti, de quo cœpiſti, inde hoc nobis communicaſti, demonſtrans ſcilicet indiuiduam charitatem, qua ſemper nos dilexiſti; vt quibus vnus fuit ſpiritus in coniunctione pacis, eſſet precum tuarum gratia, & vna corona confeſſionis. Acceſſit autem tibi frater chariſſime ad confeſſionis coronam retributio operum, abundans menſura quam accipies à Domino in die remunerationis; qui te nobis litteris tuis repræſentaſti, vt pectus illud tuum candidum & beatum, quod ſemper nouimus, manifeſtares; & [a] ſecundùm latitudinem eius nobiſcum laudes Deo diceres, non quantum nos meremur audire, ſed quantum tu potes dicere. Tuis enim vocibus & quæ minus in nobis inſtructa erant exornaſti, & confirmaſti ad ſuſtentationem earumdem paſſionum, quas patienter ferimus, ſecuri de præmio cæleſti, & de corona martyrij, & de regno Dei, ex prophetia quam litteris tuis Spiritu ſancto plenus ſpopondiſti. Hoc totum fiet dilectiſſime, ſi nos orationibus tuis in mente habueris, quod te facere confido, ſicut & nos vtique facimus. [b] Accepimus itaque frater deſideratiſſime id quod à Quirino, & à teipſo miſiſti ſacrificium ex omni opere mundo. Sicut & Noë obtulit Deo, & delectatus eſt Deus in odorem ſuauitatis, & reſpexit in ſacrificium eius. [c] Ita & in veſtrum reſpiciat, & delectetur reddere vobis huius tam boni operis mercedem. Peto autem vt litteras, [d] quas ad Quirinum fecimus, tranſmitti præcipias. Opto te frater chariſſime ac deſideratiſſime ſemper benè valere, & noſtri meminiſſe. ſaluta omnes, qui tecum ſunt. Valete.

AD

a Secvndvm latitvdinem eivs.) Latitudinem pectoris dicit de pectore viri ſancti, quod eſſe ſolet in Dei laudes & bonas operationes fecundum, & magnificũ. Rio.

b Accepimvs id qvod a Qvirino et a te ipso misisti sacrificivm.) In Ver. id quod eſt à Cyrino. *Idem.*

c Ita et in vestrvm respiciat.) In Ver. *reſpiciet & delectabitur*, Epiſt. ſeq *Et erit in tempore reſpectus illorum. Idem.*

d Qvas ad Qvirinvm fecimvs.) In Ver. *quas ad Cyrinum feci. Idem.*

AD EVMDEM FE ICIS IADERIS, POLYANI ET CÆterorum martyrum reſponſum.

CYPRIANO CHARISSIMO ET DILECTISSIMO, FELIX, IADER, POLIANVS VNA CVM PRESBYTERIS ET OMNIBVS NOBISCVM COMMORANTIBVS APVD METALLVM SIGVENSE, ÆTERNAM IN DOMINO SALVTEM.

LXXX. REſalutamus te, frater chariſſime, per Victorium Herennianum hypodiaconum, Lucanum, & Maximum fratres noſtros, fortes & incolumes adiuuantibus orationibus tuis. A quibus [a] accepimus oblationis nomine quantitatem vnà cum litteris quas ſcripſiſti; in quibus dignatus es de verbis cæleſtibus nos tamquam filios confortare: & Deo patri omnipotenti per Chriſtum eius gratias egimus, & agimus; quod ſic confortati, & corroborati ſumus per tuam adlocutionem; petentes de animi tui candore, vt nos adſiduis orationibus tuis in mente habere digneris: vt confeſſionem veſtram, & noſtram, quam Dominus in nobis conferre dignatus eſt, ſuppleat. Saluta omnes qui tecum commorantur. Optamus te frater chariſſime in Deo ſemper benè valere. Iader ſubſcripſi, Polianus legi: dominum meum Eutichianum ſaluto.

CYPRIANI

a Accepimvs oblationis nominè qvantitatem.] Pecuniæ ſummam quam de ſuo quiſque contulerat: vel quam de propria ſua quantitate Cyprianus ſubmiſerat. Obſeruauimus ad præced. epiſtolas. Rio.

CYPRIANI AD ROGATIANVM IVNIOREM ET CÆteros Confeſſores in carcere conſtitutos.

CYPRIANVS SERGIO ROGATIANO ET CÆTERIS Confeſſoribus in Domino perpetuam Salutem.

LXXXI. SAlvto vos fratres chariſſimi, optans ipſe quoque conſpectu veſtro frui, [a] ſi me ad vos peruenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius & lætius poſſet accidere, quàm nunc vobis inhærere vt complecterer manus illas, quæ puræ & innocentes & Dominicam fidem ſeruantes ſacrilega obſequia reſpuerunt? Quid iucundius & ſublimius quàm oſculari nunc

ora

a Si me ad vos pervenire, loci conditio permitteret.) Ipſe Epiſt. IIII. *Et quoniam mihi intereſſe nunc non permittit loci conditio*, quem ſcilicet præfiniti termini coërcebant. Epiſtola XXXVII. Rio.

a Bene

ota veſtra, quæ glorioſa voce Dominum confeſſa ſunt; conſpici etiam præſentem ab oculis veſtris, qui deſpecto ſæculo, conſpiciendo Deo digni extiterunt? Sed quoniam huic lætitiæ intereſſe facultas non datur, has pro me ad aures & ad oculos veſtros vicarias litteras mitto, quibus gratulor pariter & exhortor, vt in confeſſione cæleſtis gloriæ fortes & ſtabiles perſeueretis; & ingreſſi viam Dominicæ dignationis, ad accipiendam coronam ſpiritalis virtutis pergatis, habentes Dominum protectorem & ducem, qui dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem mundi. O beatum carcerem, quem illuſtrauit veſtra præſentia! O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cælum! O tenebras lucidiores ſole ipſo, & luce hac mundi clariores; vbi modò conſtituta ſunt Dei templa, & ſanctificanda diuinis confeſſionibus membra veſtra! Nec quidquam nunc verſetur in cordibus & mentibus veſtris, quàm diuina præcepta & mandata cæleſtia, quibus vos ad tolerantiam paſſionis Spiritus ſanctus ſemper animauit. Nemo mortem cogitet, ſed immortalitatem; nec temporariam pœnam, ſed gloriam ſempiternam, cùm ſcriptum ſit: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors iuſtorum eius. Et iterùm: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Et iterùm, vbi loquitur ſcriptura diuina de tormentis quæ martyras Dei conſecrant, & in ipſa paſſionis probatione ſanctificant: Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis [a] benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probauit illos, [b] & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore [c] erit reſpectus illorum. [d] Fulgebunt iuſti & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit eorum Dominus in perpetuum. Quando ergo iudicaturos vos & regnaturos cum Chriſto Domino cogitatis, exultetis neceſſe eſt, & futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcetis; ſcientes ab initio mundi ſic inſtitutum, vt laboret iſtic in ſæculari conflictatione iuſtitia, quando in origine ſtatim prima Abel iuſtus occiditur; & exindè iuſti quique & prophetæ & Apoſtoli miſſi. Quibus omnibus Dominus quoque in ſe ipſo conſtituit exemplum, docens ad ſuum regnum non niſi eos qui ſe per viam ſuam ſecuti ſint, peruenire, dicens; Qui amat animam ſuam in iſto ſæculo, perdet illam. Et qui odit animam ſuam in iſto ſæculo, in vitam æternam conſeruabit illam. Et iterùm: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt & animam & corpus occidere in gehennam. Paulus etiam nos adhortatur, vt qui ad Domini promiſſa venire cupimus, imitari Dominum in omnibus debeamus. Sumus, inquit, filij Dei, ſi autem filij, & hæredes, [e] hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſiquidem compatiamur, [f] vt commagnificemur. Addit etiam comparationem præſentis temporis, & futuræ claritatis, dicens: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis. Cuius claritatis gloriam cogitantes, preſſuras omnes & perſecutiones tolerare nos conuenit; quia etſi ſunt multæ preſſuræ iuſtorum, ex omnibus tamen liberantur, qui in Deum fidunt. Beatas etiam fœminas, quæ vobiſcum ſunt in eadem confeſſionis gloria conſtitutæ; quæ Dominicam fidem tenentes, & ſexu ſuo fortiores, non ſolùm ipſæ ad coronam proximæ ſunt, ſed & cæteris quoque fœminis exemplum de ſua conſtantia præbuerunt. Ac ne quid deeſſet [g] ad gloriam numeri veſtri, vt omnis vobiſcum & ſexus, & ætas eſſet in honore, pueros etiam vobis glorioſa confeſſione ſociauit diuina dignatio; repræſentans nobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias, & Miſahel illuſtres pueri aliquando fecerunt; quibus incluſis in caminum ceſſerunt ignes, & refrigerij locum flammæ dederunt, præſente cum illis Domino, & probante, quod in confeſſores & martyres eius nihil poſſet gehennæ ardor operari, ſed quod qui in Deum crederent, incolumes ſemper [h] & tuti in omnibus perſeuerarent. Et conſideretis diligentiùs peto pro veſtra religione, quæ apud illos pueros fides fuerit, quæ promereri Dominum pleniùs potuit. ad omnia enim parati, ſicut omnes eſſe debemus, aiunt regi: Nabuchodonoſor Rex non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. eſt enim Deus, cui nos ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis Rex liberabit nos: & ſi non; notum tibi ſit quoniam diis tuis non ſeruimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Cum ſe crederent, & pro fide ſua ſcirent poſſe etiam de præſenti

a Bene disponentvr.) Liber Sap. cap. III. μεγάλα εὐεργετηθήσονται. ornabuntur gloria maxima, ſplendore multo Rig.

b Et qvasi holocavsti hostiam] Corbeienſis & Veronenſis: *Holocauſta hoſtia* & lib. de exhort. marty cap. 12. *holocauſtam hoſtiam*. vulg. *holocauſta hoſtia*. Septuag. ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας. *Idem.*

c Erit respectvs illorvm.) Sap. καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι. Vnde videatur à Cypriano ſcriptum fuiſſe: *& in tempore reſpectus illorum.* Hoc eſt, cùm aduenerit tempus gloriæ illorum, fulgebunt, &c. Sic enim eodem libro cap. præcedenti, Erit enim ei reſpectus ex ſermonibus eius. In Græco: ἔσται γὰρ αὐτῷ ἡ ἐπισκοπὴ ἐν λόγοις αὐτοῦ. quod de Chriſto dici videtur, cui gloria decor & ſplendor ex ſermonibus eius. *Idem.*

d Fvlgebvnt ivsti.) Hæc clauſula non legitur in cod. Veronenſi, neque in editione Romana. *Idem.*

e Heredes qvidem Dei) In Veronenſi & in editione Romana, *Si autem filij, & hæredes Dei; cohæredes autem Chriſti. Idem.*

f Vt commagnificemvr.) Corbeienſis, *vt ſic glorificemur. Idem.*

g Ad gloriam nvmeri vestri) In Beneuentano: *numero veſtro. Idem.*

h Et tvti in omnibvs perseverarent.] In Ben. *& tuti in Domino perſeuerent. Idem.*

præſenti ſupplicio liberari, iactare hoc tamen, & vindicare ſibi noluerunt, dicentes: Et ſi non; ne minor eſſet confeſſionis virtus ſine teſtimonio paſſionis. Addiderunt poſſe omnia Deum facere, ſed tamen non in hoc fidere, vt liberati in præſentia vellent, ſed illam libertatis, & ſecuritatis æternæ gloriam cogitarent. Quam fidem nos quoque retinentes, & die ac nocte meditantes, toto corde ad Deum prompti, contemptu præſentium futura tantummodo cogitemus, fructum regni æterni, complexum & oſculum Domini, conſpectum Dei. Vt ſequamini in omnibus Rogatianum preſbyterum glorioſum ſenem, viam vobis ad gloriam temporis noſtri religioſa virtute & diuina dignatione [illegible]cientem, qui cum Feliciſſimo fratre noſtro [b] quieto ſemper & ſobrio excipiens, ferocientis populi impetum, primum hoſpitium vobis in carcere præparauit, & metator quodam modo veſter, nunc quoque vos antecedit, quod vt conſummetur in vobis, aſſiduis orationibus Dominum deprecamur, vt initiis ad ſumma pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & coronari. Opto vos fratres chariſſimi ac beatiſſimi in Domino ſemper benè valere, & ad coronam cæleſtis gloriæ peruenire.

AD

h DE MANIBVS TVIS REX LIBERABIT NOS.) In Ver. & in ed. Rom. *De manibus tuis liberabit nos.* RIG.

b QVIETO SEMPER ET SOBRIO.) Quæ ſunt præcipua bonæ conuerſationis officia, apud Chriſtianos commendatiſſima. *Idem.*

AD SVCCESSVM DE NVNCIIS ROMA REVERSIS perſecutionem nuntiantibus.

CYPRIANVS SVCCESSO FRATRI SALVTEM.

LXXXII. VT non vobis in continenti ſcriberem frater chariſſime, illa res fecit; quod vniuerſi clerici [a] ſub ictu agonis conſtituti, recedere iſtinc omninò non poterant, parati omnes pro animi ſui deuotione ad diuinam & cæleſtem gloriam. Sciatis autem eos veniſſe, quos ad Vrbem propter hoc miſeram, vt quomodocumque de nobis reſcriptum fuiſſet, exploratam ſibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem ſunt in vero, ita ſe habent. [b] Reſcripſiſſe Valerianum ad ſenatum; vt Epiſcopi, & preſbyteri, & diacones [c] in continenti animaduertantur; ſenatores verò & viri egregij, & equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpolientur, & ſi ademptis facultatibus Chriſtiani eſſe perſeuerauerint, capite quoque multentur: matronæ ademptis bonis in exſilium relegentur: Cæſariani quicumque vel priùs confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint confiſcentur, & vincti in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti mittantur. Subjecit etiam [d] Valerianus Imperator orationi ſuæ exemplum litterarum, quas ad præſides prouinciarum de nobis fecit: quas litteras quotidie ſperamus venire, ſtantes ſecundùm fidei firmitatem ad paſſionis tolerantiam, & expectantes de ope, & indulgentia Domini vitæ æternæ coronam. Xiſtum autem in cæmiterio animaduerſum ſciatis, octauo iduum Auguſtarum die, & cum eodem Quartum. Sed & huic perſecutioni quotidie inſiſtunt præfecti in Vrbe; vt ſi qui ſibi oblati fuerint, animaduertantur; & bona eorum fiſco vindicentur. Hæc peto per vos & collegis noſtris innoteſcant, vt vbique hortatu eorum poſſit fraternitas corroborari, & ad agonem ſpiritalem præparari: vt ſinguli ex noſtris, non magis mortem cogitent, quàm immortalitatem: & plena fide ac tota virtute Domino dicata gaudeant magis, quàm timeant in hac confeſſione; in qua ſciunt Dei & Chriſti milites non perimi, ſed coronari. Opto te frater chariſſime, ſemper benè valere.

AD

a SVB ICTV AGONIS.) Epiſtola ſequenti dicet, Snb illo confeſſionis momento RIG

b *Reſcripſiſſe Valerianum.* Hinc patet ſub Valeriano & Gallieno paſſum, Cyprianum, iuxta D. Hieronymi ſententiam, non ſub Decio quod tradit Nazianzenus & Græci. PAM.

c IN CONTINENTI ANIMADVERTANTVR.] Aliquando dies negandi, hoc eſt Chriſto renunciandi, præſtituebatur, vt lib. De lapſis, cùm dies negantibus præſtitutus exceſſit. RIG.

d VALERIANVS IMP. ORATIONI SVÆ) Orationem hîc vocat, quod ſuprà reſcripſiſſe Cæſarem dixit. Ceterùm Imperator oratione in ſenatu habita auctor erat Senatui cenſendi, quod tum è republica eſſe videbatur. Eiuſmodi eſt illa Antonini de donationibus inter virum & vxorem oratio, quæ ab Vlpiano refertur. *Idem.*

AD CLERVM ET PLEBEM DE SVO SECESSV PAVlo ante Paſſionem.

CYPRIANVS PRESBYTERIS ET DIACONIBVS ET plebi vniuerſæ Salutem.

CVm perlatum ad nos fuiſſet, fratres chariſſimi, [a] frumentarios eſſe miſſos, LXXXIII. qui me Vticam perducerent, & conſilio chariſſimorum perſuaſum eſſet, vt de hortis noſtris interim ſecederemus, iuſta interueniente cauſa conſenſi; eò quod congruat Epiſcopum in ea ciuitate, in qua Eccleſiæ dominicæ præeſt illic Dominum confiteri, & plebem vniuerſam præpoſiti præſentis confeſſione clarificari. Quodcumque enim ſub illo confeſſionis momento confeſſor Epiſcopus loquitur, aſpirante Deo ore omnium loquitur. Cæterùm mutilabitur honor Eccleſiæ noſtræ tam glorioſæ, ſi ego Epiſcopus alterius Eccleſiæ præpoſitus, [b] accepta apud Vticam ſuper confeſſione ſententia, exinde martyr ad Dominum proficiſcar; quandoquidem ego & pro me, & pro vobis apud vos confiteri, [c] & ibi pati, & exinde ad Dominum proficiſci, orationibus continuis deprecer, & votis omnibus exoptem & debeam. Expectamus ergo hic in ſeceſſu abdito conſtituti aduentum proconſulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores ſuper Chriſtianorum laicorum, & Epiſcoporum nomine mandauerint; & dicturi, quod ad horam Dominus dici voluerit. Vos autem fratres chariſſimi pro diſciplina, quam de mandatis Dominicis à me ſemper accepiſtis, & ſecundùm quod me tractante ſæpiſſimè didiciſtis, quietem, & tranquillitatem tenete: [d] ne quiſquam veſtrûm aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltrò ſe gentilibus offerat: apprehenſus enim, & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis Dominus poſitus illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit quàm profiteri. Quid autem de cætero nos obſeruare conueniat, antequàm in me ſuper confeſſione nominis Dei proconſul ſententiam ferat, inſtruente Domino [e] in commune diſponemus. Incolumes vos fratres chariſſimi Dominus noſter in Eccleſia ſua permanere faciat, & conſeruare dignetur.

AD

a FRVMENTARIOS ESSE MISSOS QVI ME VTICAM PERDVCERENT.) Vita Cypriani quæ fertur ab eius diacono Pontio perſcripta, rhetoricæ dictionis gratiam magis quàm narrationis hiſtoricæ diligentiam præfert. Adeò, de geſtis ſanctiſſimi viri, quæ ſunt ipſius epiſtolis comprehenſa, nihil attingit: ac ne iſtud quidem ad martyrium pertinens; quod cùm reſciſſet ſe ab frumentariis requiri, perducendúmque Vticam, tantiſper latuerit, ne ſuis Carthaginienſibus eriperetur, quorum in oculis martyrium facere exoptaret, vt quæ pro Chriſti nomine perferenda ſermonibus & ſcriptis docuerat, etiam exemplo ſuo moriens confirmaret. Latuit igitur in ſeceſſu abdito. ſic enim ait ipſe hic epiſtola. Sed vbi ſeceſſum habuerit, non dicit, certè prudenter. Neque enim tutum illi tunc fuiſſet. At poſt obitum agonem, Pontius diaconus, qui etiam in exilio comes & familiaris illi fuit; vitam epiſcopi ſui cùm traderet poſteris, quis hoc eum putet tam jejunè támque exiliter præſtitiſſe, vt quem in locum de conſilio cariſſimorum ſeceſſerit, non indicarit. immò totam huiuſce ſeceſſus hiſtoriam prætermiſerit? Nam quod exulaſſe Curubin, eo qui circumfertur Pontii tractatu, legimus, nihil ad iſtum, de quo hîc agitur, ſeceſſum pertinet. nec latuiſſe frumentarios dicendus eſt, qui eò, quò exulatum ire juſſus eſt, migrauit. Ceterùm, ſi quis in eo de vita Cypriani opuſculo ſcriptoris fidem aut diligentiam deſideret, eodem ipſum deſiderio tangi neceſſe eſt circa paſſionis acta quæ Lazius & Morelius ediderunt. hunc enim Cypriani de hortis ſuis ſeceſſum non exhibent. Hoc tantùm, ab exilio reuerſum in hortos, exinde accerſitum perductúmque ad Proconſulem. Sed neque Auguſtinus frumentariorum meminit, Martyrologia quædam Actis illis conſimilia ſecutus: Nam inter duos apparitores ad paſſionem curru portatum fuiſſe tradidit: Acta, veniſſe ad martyrem principes duos, ſtratorem officii & equiſtratorem. Quæ ſanè temporis illius ſcriptorum ignorantiam ſiue negligentiam produnt. RIG.

a FRVMENTARIOS ESSE MISSOS.) Longè aberrauit à ſcopo, qui per metaphoram frumentarios hîc dici ſuſpicatur lictores ipſos qui Chriſtianos ad ſupplicia raperent, quaſi frumentariorum more frumenta Dominica in horreum Dominicum conderent. Quam conjecturam eò magis rideat quiſpiam, quando ſit recta interpretatio, ſatis aperta & facilis: nec erat magnæ lucubrationis opera, peruidere, non alios hîc à Cypriano frumentarios intelligi, quàm id genus hominum qui militaribus officiis adnumerati, ſpecie frumentorum per varias prouincias conquirendorum auſcultabant explorabántque ſi quid aduerſus Cæſaris aut populi Romani majeſtatem turbaretur, molitionum turbarúmque auctores comprehendebant, & quò juſſi erant perducebant aut etiam illicò necabant. Eſt autem apud Euſebium Hiſt. lib. VI. Dionyſii epiſcopi Alexandrini epiſtola; ſcribentis ad Germanum quemdam in hæc verba: Σαβῖνος, is fuit præfectus ſub Decio, φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. Ac pleriſque locis apud Spartianum, Lampridium & Capitolinum reperire eſt per frumentarios ſignificari, ſpeculatores, ἀγγελιαφόρους, ἐπιστολέας, διώκτας, ἐρευνητὰς τῶν πολεμίων. Itaque Adrianus Cæſ. ſic erat curioſus, non ſolùm domus ſuæ, ſed etiam amicorum: ita vt per frumentarios occulta omnia exploraret: nec aduerterent amici, ſciri ab imperatore ſuam vitam, priuſquàm ipſe hoc imperator oſtenderet. Clarum eſt illud Capitolini de Maximino: Scriptum eſt ad omnes prouincias, miſſis frumentariis, juſſumque vt quicumque Maximinum juuiſſet, is hoſtium numero duceretur. Hieronymus in Abdiam cap. I. Eos enim quos nunc Agentes in rebus vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant. Videantur quæ ad Tertullianum de Curioſis Beneficiariis. *Idem.*

b SVPER CONFESSIONE ACCEPTA SENTENTIA.) Hoc eſt in confeſſione nominis, nempe Chriſtiani. Auguſtinus, contra Epiſt. Gaud. His ſacris litteris eruditus B. Cyprianus in Confeſſione dixit: Diſciplinam prohibere, ne quis ſe offerat. *Idem.*

c ET IBI PATI.) Apud vos, in oculis Eccleſiæ cui ſum præpoſitus à Deo. *Idem.*

d NEC QVISQVAM VESTRVM VLTRO SE GENTILIBVS OFFERAT.) Hoc Cyprianum in confeſſione dixiſſe tradit Auguſtinus, loco jam citato. Et in veteribus Actis: Paterno Proconſuli exquirenti, Cyprianus dixit: Cùm diſciplina prohibeat, ne quis ſe vltrò offerat, & tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat; ne offerre ſe ipſi poſſunt, ſed à te exquiſiti inuenientur, ſcilicet in ciuitatibus ſuis. Horum itaque actorum vetuſtas claro ſummi viri teſtimonio comprobatur. *Idem.*

e IN COMMVNE DISPONEMVS.) Non abs re hoc tam ſedulò inculcat: In commune. præuidebat monarchiæ vitia, & abhorrebat maximi mali fomitem. *Idem.*

[a] DE DISCIPLINA ET HABITV VIRGINVM.

[b] DISCIPLINA cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper ac iugiter Deo viuere, & ad promiſſa cæleſtia & diuina præmia peruenire. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & auerſari ac negligere letale. In pſalmis loquitur Spiritus ſanctus: Continete diſciplinam, ne fortè iraſcatur Dominus, & pereatis à via recta, cùm exarſerit citò ira eius ſuper vos. Et iterùm: Peccatori autem dixit Deus: Ad quid exponis iuſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & abieciſti ſermones meos retrò. Et denuò legimus: Diſciplinam qui abiicit, infelix eſt. Et de Salomone mandata ſapientiæ monentis accipimus: Fili ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus. Quem enim diligit Deus, corripit. Si autem Deus quem diligit corripit; & ad hoc corripit vt emendet; fratres quoque & maximè ſacerdotes, non oderunt, ſed diligunt eos quos corripiunt vt emendent; quando & Deus per Hieremiam antè prædixerit, & tempora noſtra ſignificauerit, dicens: Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina. Quod ſi in Scripturis ſanctis, [c] tam veteribus quàm etiam nouis, frequenter & vbique diſciplina præcipitur, & fundamentum omne religionis ac fidei de obſeruatione ac timore proficiſcitur, quid cupidiùs appetere, quid magis velle ac tenere nos conuenit, quàm vt radicibus fortiùs fixis, & domiciliis noſtris ſuper petram robuſta mole ſolidatis, inconcuſſi ad procellas & turbines ſæculi ſtemus, [d] vt ad Chriſti munera per diuina præcepta veniamus: conſiderantes pariter ac ſcientes quod templa Dei ſint membra noſtra, ab omni fæce contagionis antiquæ lauacri vitalis ſanctificatione purgata; nec violari ea aut pollui fas ſit, quando qui violat, & ipſe violetur? Eorum nos templorum cultores & antiſtites ſumus: ſeruiamus illi, cuius eſſe iam cœpimus. Paulus in Epiſtolis ſuis dicit, quibus nos ad curricula viuendi per diuina magiſteria formauit: Non eſtis veſtri: [e] empti enim eſtis precio magno. [f] glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Glorificemus & portemus Deum puro & mundo corpore & obſeruatione meliore; & qui per ſanguinem Chriſti Domini noſtri redempti ſumus, per omnia ſeruitutis obſequia redemptoris imperio pareamus; demuſque operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offenſus ſedem quam inhabitat, derelinquat. Soſpitantis Domini verba ſunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce, inquit, ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem; nec habenis liberis & ſolutis vagari poſtmodum patitur, ſed ipſis potiùs, quibus ſanatus fuerat, mancipato, grauius comminatur; quod ſit ſcilicet minor culpa deliquiſſe ántè, cum necdum noſſes diſciplinam Dei, [g] nulla ſit venia vltrà delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti: & quidem hoc tam viri quàm mulieres, tam pueri quàm puellæ, ſexus omnis atque omnis ætas obſeruet: & curet pro religione & fide, quam Deo debet, ne quod ſanctum & purum de Domini dignatione percipitur; minus ſollicito timore teneatur, quia ſcriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. Nunc nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior gloria eſt, maior & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens

a DE DISCIPLINA ET HAB. VIRG. Tantùm abeſt vt ex Cypriani vita quam ſcripſit Pontius, in Pamelii ſententiam adducar, hunc de Virginibus tractatum fuiſſe ab Auctore conſcriptum cùm primùm in Eccleſia Chriſti ex plebeio exceſſiſſet, hoc eſt, preſbyteratus aut epiſcopatus initio: Tantùm abeſt inquam vt adſentiri Pamelio poſſim, vt ex ipſo Pontii libro Pamelium falli manifeſtò velim oſtendere. Ait enim Pontius Cyprianum, ſtatim atque factus fuit epiſcopus, proſcriptum fuiſſe, ac potuiſſe quidem tunc, pro velocitate qua ſemper omnia conſecutus eſt, ad martyrij coronam properare, niſi imminens ruina Chriſtiani populi atque etiam Epiſcoporum, tam fecundi pectoris indigeret: Deinde ait; Finge enim tunc illum martyrij dignatione tranſlatum. Quis Virgines ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimonia dignum coërceret? Hæc verba tam clarè ſignificant hunc de Virginibus libellum ab Cypriano poſt perſecutionem editum fuiſſe, quàm inſcriptum, De diſciplina & habitu Virginum. RIG.

b *Diſciplina cuſtos ſpei.* Diſciplinæ vocabulum apud Cyprianum ſeueram viuendi rationem ſignificat, vt apud Tertullianum cap. 11. de Idololatria, *vt & idola deſtruas*, inquit, *& Deum prædices, & adimpleas diſciplinam.* Sed & Valerianus Cemelienſis Epiſcopus homil. 1. *Diſciplina igitur magiſtra eſt religionis, magiſtra veræ pietatis, quæ nec ideò increpat, vt lædat; nec ideò caſtigat, vt noceat.* PRI.

b *Diſciplina cuſtos &c.* Diſciplinæ vox, pro ea quam ſeueram diſciplinam nuncupant, Quintil. lib. 2. cap. 4. & Tacit. lib. 5. hoc eſt pro ſeueritate caſtigatrice. & Tertulliano tum initio libri contra Valentinian. tum iis libris quos hic imitatur, & Cypriano frequentiſſima eſt. Adfert autem Rhenanus ſimile quoque teſtimonium ex Ammiano Marcellino, & complura ex ſcripturis, hoc loco Cyprianus, & infrà teſtim. lib. 3. cap. 66. 67. & 68. PAM.

c TAM VETERIBVS QVAM ETIAM NOVIS.) Hæc in Veronenſi cod. non leguntur, & ſanè ſuperuacua ſunt. RIG.

d VT AD CHRISTI MVNERA.) In Ver. *vt ad munera.* Idem.

e EMPTI ESTIS PRECIO MAGNO.) Veron. *Empti eſtis magno.* Idem.

f GLORIFICATE. GLORIFICEMVS.) Veron. *Clarificate. Clarificemus.* Idem.

g NVLLA SIT VENIA VLTRA DELINQVERE.) Qui antequàm fieret Chriſtianus, vixit gentiliter, vagus, habenis liberis, cùm ad Chriſti fidem accedit, veniam priſtinorum à Deo quidem, ſtatim dicta Chriſto fide conſequitur, atque in Eccleſiam admittitur baptizatus nec pœna vlla conuertio imponitur. At poſteaquàm factus Chriſtianus ad priſtina peccata reuertitur, proptereáque

ſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fecunditas: quantóque plus copioſa virginitas numero ſuo addit, tantò plus gaudium matris augeſcit. Ad has loquimur, has adhortamur [a] affectione potiùs quàm poteſtate: non quod extremi & minimi & humilitatis noſtræ admodum conſcij, aliquid ad cenſuram licentiæ vindicemus; ſed quod ad ſollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infeſtatione timeamus. Neque enim inanis hæc cautio eſt, & vana formido, quæ ad ſalutis viam conſulit, quæ Dominica & vitalia præcepta cuſtodit, vt quæ ſe Chriſto dicauerint, & à carnali concupiſcentia recedentes tam carne quàm mente ſe Deo vouerint, conſummnent opus ſuum magno præmio deſtinatum; nec ornari iam aut placere cuiquam niſi Domino ſuo ſtudeant, à quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipſo: Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt. Sunt enim ſpadones qui ex vtero matris ſic nati ſunt, & ſunt ſpadones, qui coacti ſunt ab hominibus, & ſunt ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Denuò quoque per hanc angeli vocem continentiæ munus oſtenditur, virginitas prædicatur: Hi ſunt qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque ierit. Neque enim tantùm maſculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, & fœminas prætterit; ſed quoniam fœmina viri portio eſt, & ex eo ſumpta atque formata eſt, in ſcripturis ferè omnibus ad protoplaſtum Deus loquitur: quia ſunt duo in carne vna; & in maſculo ſimul ſignificatur & fœmina. Quod ſi Chriſtum continentia ſequitur, & regno Dei virginitas deſtinatur, quid eſt illis cum terreno cultu & cum ornamentis; quibus dum hominibus placere geſtiunt, Deum offendunt, non cogitantes eſſe prædictum: qui hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus nihil fecit illos? Et Paulum quoque glorioſè & ſublimiter prædicaſſe, Si hominibus placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem. [b] Continentia verò & pudicitia non in ſola carnis integritate conſiſtit, ſed etiam in cultus & ornatus honore pariter ac pudore, vt ſecundùm Apoſtolum, quæ innupta eſt, ſancta ſit & corpore, & ſpiritu. Inſtruit Paulus & dicit: Cœlebs cogitat ea quæ ſunt Domini, quo modo placeat Deo. Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi huius, quo modo placeat vxori. Sic & virgo & mulier innupta cogitat ea, quæ Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Virgo non eſſe tantùm, ſed & intelligi debet, & credi, vt nemo cum virginem videt, dubitet, an virgo ſit. Parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quaſi maritum aut habeat, aut quærat? Timeat potiùs placere, ſi virgo eſt, nec periculum ſui appetat, quæ ad meliora & diuina ſe ſeruat. Quæ virum non habent, cui placere ſe ſimulent; integræ & puræ non tantùm corpore, ſed etiam ſpiritu perſeuerent. Neque enim fas eſt virginem ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne, & de eius pulchritudine gloriari; cùm nulla ſit illis magis quàm aduerſus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obſtinata certatio. Paulus forti ac ſublimi voce proclamat: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: & virgo in Eccleſia de ſpecie carnis ac de corporis pulchritudine gloriatur? Addit Paulus & dicit: Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis: Et quæ ſe concupiſcentiis carnis & vitiis renuntiaſſe profitetur, in iiſdem quibus renunciauerat, inuenitur? [c] Deprehenderis virgo, detegeris. Aliud eſſe te iactas, & affectas. Maculis te concupiſcentiæ carnalis aſpergis, cum integritatis candidata ſis, & pudoris. Clama, inquit Eſaïæ Dominus: Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius vt flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: ſermo autem Domini manet in æternum. Neminem Chriſtianum decet, & maximè virginem non decet, claritatem vllam computare carnis & honorem; ſed ſolùm appetere ſermonem Dei, bona in æternum manſura complecti. Aut ſi in carne ſit glorianadum, tunc planè quando in nominis confeſſione cruciatur, quando fortior femina viris

torquentibus

ab Eccleſia ejectus, recipi poſtulat, jam non illi venia datur. etenim pro qualitate delicti ſatisfactionis pœna ſuppliciòque multatur. Iterùm dico: Impius, ſiue ethnicus, ad fidem veniens, depóſito errore, probata fide, veniam meretur. At Chriſtiano ad impietatem reuerſo, jam non venia datur, ſed ſupplicium, ſed pœna: qua perſoluta, per ſupplicii ſeueritatem caſtigàto, tandémque expiato, non per veniam excuſato, eccleſia redditur. Rectè itaque Cyprianus, Nulla ſit venia, inquit, vltrà delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti. R I G.

a AFFECTIONE POTIVS QVAM POTESTATE.] Hæc pro comitate ac benignitate ſua Cyprianus: ſed nihilominus peritè vtitur ſchemate rhetorico: diſſimulat poteſtatem ſuam epiſcopalem, vt leniùs & blandiùs ferant virgines acerbitatem caſtigationis ſiue increpationis, quá depellit eas ab omni ferè muliebri mundo. Ait igitur hoc ſe facere non pro ſua poteſtate, ſed pro affectione & ſollicitudine: non quod aliquid ſibi licentiæ vindicet ad cenſuram, ſed quod eis maximè cautum eſſe velit pro quibus ipſe minimus & extremus & humilitatis ſuæ conſcius infeſtationes diaboli timeat. *Idem.*

b *Continentia verò & pudicitia, &c.* Non alia Notione quam magiſter Tertullianus qui de habitu mul. cap. 4. *habitus fœmina, ait, duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum; cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis & veſtibus deputatur; iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis.* Quem locum huc adduco vt illuſtrem & diſcipulum luculenter explicantem, qui cultum & ornatum, hic & paulò poſt, non ſeparat, aut diſiungit, ſed copulat, eodem ſenſu quo Magiſter Tertull. P R I.

c DEPREHENDERIS, VIRGO! DETEGERIS! ALIVD TE ESSE IACTAS, ET AFFECTAS!) Hæc adjuuanda ſunt geſtu, & pronuntianda cum indignationis accentu. Deprehendi, laſciuientium eſt feminarum. bona ſua intelligentium, & res ſuas conſiderantium, probantiúmque priuatim, nec ſine gaudio. R I G.

nire contingat, [a] multorum precibus exora: Commenda illic theſauros tuos, vbi fur nullus effodiat, quò nullus inſidians graſſator irrumpat. Poſſeſſiones tibi, ſed cæleſtes magis compara, vbi fructus tuos iuges ac perennes & [b] ab omni contactu iniuriæ ſæcularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec ſol vrat, nec pluuia corrumpat. Nam delinquis & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis, vt illis non ſalubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non ſunt iccircò amatoria cantanda nec turpia, & ferrum eſſe ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia ſunt iccircò facienda: aut quia tura & merum, & ignem Deus inſtituit, ſacrificandum eſt inde idolis; vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hoſtias immolare debebis. Alioqui tentatio eſt patrimonium grande, niſi ad vſus bonos ſenſus operetur; vt patrimonio ſuo vnuſquiſque locupletior, magis redimere debeat quàm augere delicta. Ornamentorum ac veſtium inſignia & lenocinia formarum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt. Sic in Scripturis ſanctis, quibus nos inſtrui Dominus voluit, & moneri, deſcribitur ciuitas meretrix, compta pulchriùs & ornata, & cum ornamentis ſuis, ac propter ipſa potius ornamenta, peritura: Et venit, inquit, vnus ex ſeptem angelis habentibus phialas ſeptem, & aggreſſus eſt me, dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ. Et duxit me in ſpiritu: & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, & mulier illa amicta erat pallio purpureo, & coccineo, & adornata erat auro & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum & [c] immunditiæ, & fornicationis totius terræ. [d] Fugiant caſtæ virgines, & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam Spiritu ſancto plenus Eſaias, & filias Sion auro & argento, ac veſte corruptas increpat, & obiurgat pernicioſis opibus affluentes, & à Deo per ſæculi delicias recedentes: Exaltatæ ſunt, ait, filiæ Sion, & [e] ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & inceſſu pedum trahentes tunicas, & pedibus ſimul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Sion, & reuelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam veſtis illarum, & ornamenta earum & crines, & cincinnos, & lunulas, & [f] diſcriminalia, & armillas, & botronatum, & dextralia, & annulos, & inaures, & ſerica contexta cum auro, & hyacintho. Et erit pro odore ſuauitatis puluis, & pro cingulo reſte cingeris, & pro ornamento capitis aureo caluitium habebis. Hoc Deus culpat, hoc denotat: hinc corruptas eſſe virgines, hinc à cultu vero atque diuino deſciuiſſe pronunciat. Exaltatæ ceciderunt: comptæ turpitudinem fœditatémque meruerunt: ſericum & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod alij fuerit exitio? Quis id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hauſto poculo moreretur ille qui biberat, venenum ſcires eſſe quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; ſcires eſſe letale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, vnde interiiſſe alios antè conſpiceres. Nunc quanta ignorantia veri eſt, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper & noceat: & putare quod inde ipſa non pereas, vnde alios periiſſe cognoſcas? Neque enim Deus coccineas aut purpureas oues fecit, aut herbarum ſuccis, & conchiliis tingere & colorare lanas docuit. Nec diſtinctis auro lapillis, & margaritis, [g] contexta ſerie & numeroſa compage digeſtis, monilia inſtituit, quibus ceruicem, quam fecit, abſconderes; vt operiatur illud quod Deus in homine formauit, & conſpiciatur id deſuper, quod diabolus adinuenit. [h] An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur; vt poſteà de aurium cicatricibus & cauernis

pretioſa

a MVLTORVM PRECIBVS EXORA.] Quaſi manu facta ad Chriſtum exorandum. Hæc quidem vis eſt Deo gratiſſima, caritatis & fidei Chriſtianæ fomes. RIG.

b AB OMNI CONTACTV INIVRIÆ SECVLARIS IMMVNES.] In Vaticano cod. adjicitur: *nec judex ambiat, nec quæſitor inquirat.* Quod videtur eſſe interpretamentum, *iniuriæ ſecularis.* *Idem.*

c ET IMMVNDITIÆ.] In Veron. *& omnis immunditi.* *Idem.*

d FVGIANT CASTÆ VIRG.] In Veronenſi: *Fugiant fugiant caſtæ virg.* *Idem.*

e AMBVLAVERVNT ALTO COLLO.] In Beneuentano: *Inceſſerunt alta ceruice.* Et, *inceſſu pedum ſimul trahentes tunicas.* *Idem.*

f DISCRIMINALIA.] In Veronenſi, *diſcrimen*: In Beneuentano, *redimicula.* *Idem.*

f *Diſcriminalia*, acum intelligit comatoriam, ſiue calamiſtratoriam, acus crinalis eſt Apuleio, & ſpica crinalis Martiano Capellæ. eſt enim ἐπάλην ἢ αἱ τρίχες αἱ ξίσονται hac acu caput ſcalpebant mulieres & crines diſtinguebant; fingebant etiam vt ex Iuuenale ſat. 1. liquet --

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

Aliquando etiam pungere ſolebant, hoc veluti ſtylo, Quod de Pſyche Petronius teſtatur, quæ *acu comatoria cupienti* Eucolpio *inuocare Quiritium fidem malas pungebat.* & Xiphilinus de Fuluia Antonii vxore βελόναις αἷς εἰς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο κατεκέντησεν, *acubus quibus ad caput vtebatur pupugit.* S. Hieronymus illud etiam explicat aduerſus Ruffinum. *fecerunt hoc*, inquit, *& Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu diſcriminali confodiebant.* Tanta autem erat luxus affectatio, vt acus illas gemmis ornarent. Vlpianus L. argumento. §. ornamento D. de aur. & arg. leg. Tertullianus cap. 11. de Pœnit. de his fusè tractat. PRI.

g CONTEXTA SERIE.] Sic in Veronenſi. In Beneuentano perperam, *ſerico.* RIG.

h *An vulnera inferri auribus Deus voluit?* S. Hieronymus epiſt. 27. de vita & morte Marcellæ. *auribus perforatis rubri maris pretioſiſſima grana ſuſpendere.* & epiſt. 7. ad Lætam de inſtitut. filiæ *caue ne aures eius perfores.* Clemens Alex lib. 3. pædag. c. 11. κωλύει δὲ βιάζεσθαι τὴν φύσιν ὁ λόγος, τοὺς λοβοὺς τῶν ὤτων τιτρώσκειν, hoc eſt, *prohibet autem hoc verbum, ne vis naturæ inferatur; dum auricularum particula vulnerantur.* Hæc autem de perforatis auribus à Tertulliano habet, qui cap. 10. de cultu fœm. ait, *ſcrupuloſè Deus auribus vulnera intulit.* quod Arnobius lib.

dum negligentia in vſum veniunt, contra pudicos & ſobrios mores licentiam ſibi de vſurpatione fecerunt. Quaſdam non pudet nubentibus intereſſe, & in illa laſciuientium libertate ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire quod non decet, quod non licet dicere, obſeruare, & eſſe præſentes inter verba turpia & temulenta conuiuia, quibus libidinum fomes accenditur, ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quis illi in nuptiis locus eſt cui animus ad nuptias non eſt? aut voluptaria illic, & læta eſſe quæ poſſunt, vbi & ſtudia & vota diuerſa ſunt? quid illic diſcitur, quid videtur? quantum à propoſito ſuo virgo deficit; [a] quando pudica quæ venerat, impudica diſcedit? corpore licet virgo ac mente permaneat; oculis, auribus, lingua minuit illa quæ habebat. Quid verò quæ [b] promiſcuas balneas adeunt, quæ [c] oculis ad libidinem curioſis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt, quæ cum viros, atque à viris nudæ vident turpiter, ac videntur, nonne ipſæ illecebram vitiis præſtant? nonne ad corruptelam & iniuriam ſuam deſideria præſentium ſollicitant & inuitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi tantum reficiendi corpuſculi cura eſt, & lauandi. Non te purgat iſta defenſio; nec laſciuiæ, & petulantiæ crimen excuſat. Sordidat lauatio iſta, non abluit; nec emundat membra, ſed maculat. Impudicè tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudicè: oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris. Spectaculum de lauacro facis: theatro ſunt fœdiora quò conuenis; verecundia illic omnis exuitur; ſimul cum amictu veſtis, honor corporis ac pudor ponitur, denotanda & [d] contrectanda virginitas reuelatur. Iam nunc conſidera an cum veſtita es, verecunda ſis inter viros, talis, cui ad inuerecundiam proficit audacia nuditatis. Sic ergo frequenter Eccleſia virgines ſuas plangit, ſic ad infames earum ac deteſtabiles fabulas ingemiſcit, ſic flos virginum extinguitur, honor continentiæ ac pudor cæditur, gloria omnis ac dignitas profanatur. Sic ſe expugnator inimicus per artes ſuas inſerit: ſic inſidiis per occulta fallentibus diabolus obrepit: ſic dum ornari cultius, dum liberius euagari virgines volunt; eſſe virgines deſinunt, furtiuo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti ſed Chriſti adulteræ, quam fuerant præmiis ingentibus virgines deſtinatæ, tam magna ſupplicia pro amiſſa virginitate ſenſuræ. Audite itaque virgines vt parentem, audite, quæſo vos docentem pariter ac monentem, audite vtilitatibus & commodis veſtris fideliter conſulentem. Eſtote tales quales vos Deus artifex fecit: eſtote tales quales vos manus patris inſtituit: maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma ſincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena pretioſa; ſint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni. Celebrentur lauacra cum feminis, [e] quarum in vos pudica lauatio eſt. Nuptiarum feſta improba, & [f] conuiuia laſciua vitentur, quorum periculoſa contagio eſt. Vince veſtem, quæ virgo es, quæ Deo ſeruis: vince aurum, quæ carnem vincis & ſæculum. Non eſt eiuſdem non poſſe à maioribus vinci, & imparem minoribus inueniri. Arta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam: durus & arduus eſt limes qui tendit ad gloriam. Per hunc viæ limitem martyres pergunt, eunt virgines, iuſti quique gradiuntur. Lata & ſpatioſa itinera vitate: letales illic illecebræ & mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, vt fallat; arridet, vt noceat; illicit, vt occidat. [g] Primus enim centenarius martyrum fructus eſt, ſecundus ſexagenarius veſter eſt. Vt apud Martyrum [h] non eſt carnis & ſæculi cogitatio, nec parua & leuis & delicata congreſſio: ſic & in vobis, quarum ad gloriam merces ſecunda eſt, ſit & virtus ad tolerantiam proxima. Non eſt ad magna facilis aſcenſus. quem ſudorem perpetimur, quem laborem, cum conamur aſcendere colles & vertices montium? quid vt aſcendamus ad cælum? Si præmium pollicitationis attendas, minus eſt quod laboras, immortalitas perſeueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum dominus pollicetur. Seruate virgines, ſeruate quod eſſe cœpiſtis, ſeruate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum caſtitatis. Vultis ſcire quo malo careat, & quid boni teneat continentiæ virtus? Multiplicabo, inquit mulieri Deus, triſtitias tuas, & gemitus tuos; & in triſtitia paries filios, & conuerſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur.

Vos

a QVANDO PVDICA QVÆ VENERAT IMPVDICA DISCEDIT.) Rectè in Veronenſi: quantum impudicior, quæ venerat pudica, diſcedit? Quomodo legitur etiam in Corbeienſi. Hoc verò ſibi vult Cyprianus noſter: virginem, quæ ad theatra, ſiue ad nuptias, balneáſve acceſſit, etſi pudica diſcedat, propterea tamen eſſe minùs pudicam, quòd illic ſpectauerit & audierit laſciua multa, quæ numquam anteà viderat, numquam audiuerat: Inde igitur non tantùm minùs pudicam, verùm etiam eò impudiciorem diſcedere, quò plura vidit audiuítque obſcena, quæ non priùs viderat, neque audiuerat. Idem Cyprianus ad Donatum, Epiſt. I. Adulterium diſcitur, dum videtur: & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica. RIG.

b *Promiſcuas balneas*. Promiſcuum virorum & mulierum balneum *ἀνδρόγυνον λουτρὸν* vocat S. Epiphanius hær. 30. quæ eſt Ebionitarum. Adrianus Spartiano auctore, & Alexander Imp. teſte Lampridio id fieri vetuerunt. illud damnat Trullana Synodus cap. 77. & Laodicena can. 30 Ac ſiquid è literis ſecularibus libare aliquid iuuat, videndus Heſiodus operum lib. 2. PRI.

c *Oculis ad libidinem curioſis. Prima amoris tela*, inquit Auguſtinus ſerm. 8. de temp *oculorum ſunt, ſecunda verborum*: mihi autem oculi curioſi, ſunt oculi lubrici quomodo Clemens Alexandr. lib 3 pædag. cap. 5. iubet φυγαδεύειν τὰς ὄψεις ὀλισθηρὰς *lubricos aſpectus effugere*. Optimè Chryſoſtomus περιέργους ὄψεις vocat orat. de ira, & S. Ambroſius lib. de fide reſurrect. *procaces oculos*. Idem.

d CONTRECTANDA VIRGINITAS.) In Beneuentano: conſpectanda. RIG.

e QVARVM IN VOS PVDICA LAVATIO EST.) Rectiùs in Ver. codice & Manuciana editione: Quarum pudica lauatio eſt. *Idem*.

f CONVIVIA LASCIVA,) In Veronenſi: temulenta *Idem*.

g PRIMVS ENIM CENTENARIVS MARTYRVM FRVCTVS EST.) In Veronenſi: primùm cum centeſimo martyrum fr. e. *Idem*.

h NON EST CARNIS ET SECVLI COGITATIO.) In Veronenſi: colluctatio. *Idem*.

Vos ab hac ſententia liberæ eſtis, vos mulierum triſtitias & gemitus non timetis: nullus vobis de partu circa filios metus eſt, nec maritus eſt dominus, ſed dominus veſter & caput Chriſtus eſt ad inſtar & vicem maſculi: ſors vobis & conditio communis eſt. Domini vox eſt illa dicentis! Filij ſæculi huius generant & generantur: qui autem habuerint dignationem ſæculi illius & reſurrectionis à mortuis, non nubunt, neque matrimonium faciunt: neque enim incipient mori, æquales enim ſunt angelis Dei, cum ſint filij reſurrectionis. Quod futuri ſumus, iam vos eſſe cœpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſæculo iam tenetis: per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis. Cum caſtæ perſeueratis & virgines, angelis Dei eſtis æquales: tantum maneat & duret ſolida & illæſa virginitas, & vt cœpit fortiter, iugiter perſeueret. Nec monilium aut veſtium quærat ornamenta, ſed morum. Deum ſpectet & cælum; neque oculos ad ſublime porrectos, ad carnis & mundi concupiſcentiam deprimat, aut ad terrena deponat. Prima ſen-
A tentia creſcere & generare præcepit: ſecunda continentiam ſuaſit. Cum adhuc rudis mundus & inanis eſt, [a] copiam fecunditate generantes propagamur, & creſcimus ad humani generis augmentum. [b] Cum iam refertus eſt orbis & mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more viuentes, caſtrantur ad regnum. Nec hoc iubet Dominus, ſed hortatur: nec iugum neceſſitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud patrem ſuum dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat: habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes maioris gratiæ præmium in cæleſtibus obtinetis. Omnes quidem qui ad diuinum munus & patrium baptiſmi ſanctificatione perueniunt, hominem illic veterem gratia lauacri ſalutaris exponunt, & innouati Spiritu ſancto à ſordibus contagionis antiquæ iterata natiuitate purgantur. Sed natiuitatis iteratæ vobis maior ſanctitas & veritas competit, quibus deſideria iam carnis & corporis nulla ſunt. ſola in vobis, quæ ſunt virtutis & ſpiritus, ad gloriam remanſerunt. Apoſtoli vox eſt, quem Dominus vas electionis ſuæ dixit, quem ad promenda mandata cæleſtia Deus miſit: Primus homo, inquit, de terræ limo: ſecundus homo de cælo. Qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Quo modo portauimus imaginem eius qui de limo eſt, portemus & imaginem eius qui de cælo eſt. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, ſanctitas portat & veritas. Portant diſciplinæ Dei memores, iuſtitiam cum religione retinentes, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam iniuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace vnanimes atque concordes. Quæ vos ſingula ô bonæ virgines obſeruare, diligere, implere debetis; quæ Deo & Chriſto vacantes ad Dominum, cui vos dicaſtis, & maiore & meliore parte præceditis. Prouectæ annis, iunioribus facite magiſterium: minores natu præbete maioribus miniſterium, comparibus incitamentum: hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate. Durate fortiter, ſpiritaliter pergite, peruenite feliciter: tantum mementote nunc noſtri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.

DE

a COPIAM FECVNDITATE GENERANTES) In Veronenſi: ad copiam fecunditatis generantes. RIC.

b CVM IAM REFERTVS EST.) In Veronenſi. A cùm jam refertus eſt, *Idem*.

[a] DE LAPSIS.

[b] PAx ecce dilectiſſimi fratres, eccleſiæ reddita eſt: & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque vltione diuina ſecuritas noſtra reparata eſt. In lætitiam mentes redeunt, & tempeſtate preſſuræ ac nube & caligine diſcuſſa, tranquillitas ac ſerenitas refulſerunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia eius ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamuis agere gratias noſtra vox nec in perſecutione ceſſauerit. neque enim tantùm inimico licere poteſt, vt non qui Dominum toto corde, & anima, & virtute diligimus, benedictiones eius & laudes ſemper & vbique cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, & poſt longæ noctis horribilem tætrámque caliginem, Domini luce radiatus mundus eluxit. Confeſſores præconio boni nominis claros, & virtutis ac fidei laudibus glorioſos, lætis conſpectibus intuemur, ſanctis oculis adhærentes, deſideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adeſt militum Chriſti [c] cohors candida, qui perſecutionis vrgentis ferociam turbulentam ſtabili congreſſione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis: repugnaſtis fortiter ſæculo, ſpectaculum glorioſum præbuiſtis Deo, ſecuturis fratribus fuiſtis exemplo.

Religioſa

a DE LAPSIS.) Huiuſce operis mentionem ab Euſebio factam Ruffini verbis eò libentius citauerim, quòd nonnihil ad ſplendorem & gloriam ſanctiſſimi martyris conferre videantur. Cyprianus, inquit, librum de lapſis magnificentiſſimè ſcriptum edidit, in quo & lapſos ad pœnitentiam cohortandos & contradicentes alienos eſſe à Chriſti viſceribus ſtatuit. RIC.

b *Pax ecce, dilectiſſimi fratres.* Pax illa intelligenda eſt, quæ contigit poſt interfectum Imp. Decium, initio imperij Galli, Quæ tamen haud diu perdurauit. Nam cum regnum eius floreret initio, & cuncta ei ex animi ſententia ſuccederent, poſteà (inquit Dion. Alexandr. apud Euſebium initio lib. 7.) in eumdem offenſionis lapidem impegit, & ſanctos viros qui pro pace regni eius Deo ſummo ſupplicabant, perſecutus, & proſperitatem ſuam pariter fugauit & pacem. PAM.

c *Cohors candida.* Propter innocentiam, quomodo Tertullianus de corona mil. *& de martyrio candida laurea melius coronandum, donatiuum Chriſti in carcere exſpectat.* & S. Auguſtinus lib. 2. de fide ad Catechumenos cap 6. *In iſto ſanguine ſancti Martyres ſtolas ſuas lauerunt, candidas eas fecerunt.* PRI.

c COHORS CANDIDA.) Maſſa candida. RIC.

Religioſa vox Chriſtum locuta eſt, in quem ſe ſemel crediḋiſſe confeſſa eſt. Illuſtres manus quæ non niſi diuinis operibus aſſueuerant, ſacrificiis ſacrilegis reſtiterunt. Sanctificata ora cæleſtibus cibis, poſt corpus & ſanguinem Domini, profana contagia & idolorum reliquias reſpuerunt. Ab impio ſceleratóque velamine, quo illic velabantur ſacrificantium capita captiua, caput veſtrum liberum manſit. [a] Frons cum ſigno Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ ſe Domini reſeruauit. Quam vos læto ſinu excipit mater eccleſia de prælio reuertentes? Quam beata, quam gaudens portas ſuas aperit, vt adunatis agminibus intretis, de hoſte proſtrato trophea referentes? Cum triumphantibus viris & feminæ veniunt, quæ cum ſæculo dimicantes, ſexum quoque vicerunt. Veniunt & geminata militiæ ſuæ gloria virgines, & pueri annos ſuos continentiæ virtutibus tranſeuntes. Nec non & cætera Stantium multitudo veſtram gloriam ſequitur, proximus & penè coniunctis laudis inſignibus veſtigia veſtra comitatur. Eadem & in illis ſinceritas cordis, eadem fidei tenacis integritas. Inconcuſſis præceptorum cæleſtium radicibus nixos, & Euangelicis traditionibus roboratos; non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta, non rei familiaris damna, non corporis ſupplicia terruerunt. [b] Explorandæ fidei præfiniebantur dies, ſed qui ſæculo renunciaſſe ſe meminit, nullum ſæculi diem nouit. nec tempora terrena iam computat, qui æternitatem de Deo ſperat. Nemo fratres dilectiſſimi, nemo hanc gloriam mutilet, nemo incorruptam ſtantium firmitatem [c] maligna obtrectatione debilitet: cum [d] dies negantibus præſtitutus exceſſit; quiſquis profeſſus intra diem non eſt, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt. Primus eſt victoriæ titulus, gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus eſt, cauta ſeceſſione ſubtractum Domino reſeruari. Illa publica, hæc priuata confeſſio eſt. Ille iudicem ſæculi vincit, hic contentus Deo ſuo iudice, conſcientiam puram cordis integritate cuſtodit. Illic fortitudo promptior, hîc ſollicitudo ſecurior. Ille appropinquante hora ſua iam maturus inuentus eſt, hîc fortaſſe dilatus eſt qui patrimonio derelicto iccirco ſeceſſit, quia non erat negaturus; confiteretur vtique ſi fuiſſet & ipſe detentus. Has Martyrum cæleſtes coronas, has Confeſſorum glorias ſpiritales, has ſtantium fratrum maximas eximiáſque virtutes mæſtitia vna contriſtat, quod auulſam noſtrorum viſcerum partem violentus inimicus populationis ſuæ ſtrage deiecit. Quid hoc loco faciam dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu? quid, aut quo modo dicam? Lacrymis magis quàm verbis opus eſt, ad exprimendum dolorem, quo corporis noſtri plaga deflenda eſt, quo populi aliquando numeroſi multiplex lamentanda jactura eſt. Quis enim ſic durus ac ferreus, quis ſic fraternæ charitatis oblitus; qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres, ac [e] multo ſqualore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere præualeat, nec erumpente ſtatim fletu, prius gemitus ſuos lacrymis quam voce depromat? Doleo fratres, doleo vobiſcum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & ſanitas priuata blanditur; quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneretur. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango: cum deflentibus defleo: [f] cum jacentibus iacere me credo. Iaculis illis graſſantis inimici, mea ſimul membra percuſſa ſunt: ſæuientes gladij per mea viſcera tranſierunt. Immunis & liber à perſecutionis incurſu fuiſſe non poteſt animus. In proſtratis fratribus & me proſtrauit affectus. Habenda tamen eſt, fratres dilectiſſimi, ratio veritatis, nec ſi mentem debet & ſenſum perſecutionis infeſtæ tenebroſa caligo cæcaſſe, vt nihil remanſerit lucis & luminis, vnde diuina præcepta perſpici poſſint. Si cladis cauſa cognoſcitur, & medela vulneris inuenitur. Dominus probari familiam ſuam voluit, & quia [g] traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem & pœnè

a *Frons cum ſigno Dei pura &c.* Confeſſorum conſtantiam magnificè exprimit, qui cum frontem crucis impreſſione ſignatam haberent, coronam quæ à dæmonibus ſeu Gentilibus promittebatur fortiter repulerunt. Crux illa vanitatem omnem fugabat, vt ex Gregorio Nazianz. colligere eſt contra Iulianum; qui cum abominanda ſacra faceret & dæmonum innumerabiles exercitus ipſum terrefacerent, ſigno crucis frontem communiuit; ſtatimque *ἡττῶνται οἱ δαίμονες λύονται οἱ φόβοι fugantur dæmones, terrores ſoluuntur.* Atque eodem ſenſu, Tertullianus ait cap. 5. de Idololat. crucem liberaturam nos ab angelis diaboli. PRI.

b EXPLORANDÆ FIDEI PRÆFINIEBANTVR DIES.] Reſcriptis Principum aut Magiſtratuum edictis continebatur: Placere, Chriſtianos qui ante diem illum, coram illo Præfecto, ſiue Præſide illo, Chriſto non maledixiſſent, aut Diis Rom. non ſacrificaſſent, extremo ſupplicio puniri. Alia reſcripta continebant, Vti in continenti animaduertantur. quale eſt illud Valeriani, quod habetur Epiſt. LXXXII. RIG.

c MALIGNA OBTRECTATIONE DEBILITET.] Erant enim inter Lapſos qui dicerent, etiam inter Stantes numerari qui tormentis & vexationibus ipſi quoque ceſſiſſent, ſi perſecutio duraſſet, ſi pax non antè veniſſet. *Idem.*

d DIES NEGANTIBVS PRÆSTITVTVS EXCESSIT.] Propoſita fuerant aduerſus Chriſtianos edicta, Vt intra diem illum, Chriſtianus quiſque, coram præſide illo, profiteretur ſe renuntiare Chriſto: Ni faceret, capite plecteretur, bonis exiliôve multaretur. Decio Cæſare poſtmodum ſublato, vexatio quieuit edictorum dies ceſſit, neque vlla fuit perſecutio. Pace igitur Eccleſiæ reddita, extitère inter Chriſtianos qui fratribus obtrectarent, quaſi negaturis, ſi ſecundùm edicta Cæſaris interpellati fuiſſent de fide erga Dominum. Hos Cyprianus conſolatur hoc interdicto: Quiſquis profeſſus intra diem non eſt, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt. Secundum eſſe ad gloriam gradum, cauta ſeceſſione ſubtractos Domino reſeruari, qui ſolus corda videt & nouit quid erat quiſque facturus dicturuſve, etiam in tormentis, ſi tormenta veniſſent. *Idem.*

e MVLTO SQVALORE DEFORMES RELIQVIAS.) Significat Lapſos Pœnitentes. In his verò erant Libellati, Sacrificati, ſiue Turificati, deformes nominis Chriſtiani reliquiæ. *Idem.*

f CVM IACENTIBVS) Non ſignificat mortuos ſeu defunctos ſed Lapſos; qui tormentis ceſſerant & negauerant Dominum, violentia tormentorum dejecti de fide. itaque ruinas dicit, & populationes & ſtrages. & cum iis ſe jacere credit, præ dolore ſcilicet, quaſi per eos aut in iis ipſe quoque negaſſet. Verba doloris & affectus. *Idem.*

g TRADITAM NOBIS DIVINITVS DISCIPLINAM PAX LONGA CORRVPERAT.) Et tamen nondum fluxerant anni ab Apoſtolis ducenti. *Idem.*

g *Diſciplinam pax longa corruperat.* Hic de ea pace loquitur; quæ fuit totis an. 14. durante Fabiani Pontificatu, vel quod magis probatur per 38. an. à Seuero vſque ad Decium iuxta Seuerum Sulpitium, vtpotè qui eam perſecutionem, quæ ſub Maximiano fuit, non numeret inter reliquas, eo quòd

nè dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit: cumque nos peccatis noſtris amplius pati mereremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, vt hoc omne quod geſtum eſt, exploratio potius quàm perſecutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli; & [a] obliti quid credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in ſacerdotibus religio deuota non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. [b] Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumueniendis fratribus ſubdolæ voluntates. [c] Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, proſtituere gentilibus membra Chriſti: non iurare tantùm temerè, ſed adhuc etiam peierare: præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenata ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem diſſidere: [d] epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæteris & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum ſæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari. Eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubuenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, vſuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiuſmodi mereremur? cum iam pridem præmonuerit ac dixerit cenſura diuina: Si dereliquerint legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: ſi iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obſeruauerint, viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Prænunciata ſunt iſta nobis & ante prædicta: ſed nos datæ legis & obſeruationis immemores, id egimus per noſtra peccata; vt dum Domini mandata contempſimus, ad correctionem delicti & probationem fidei remediis ſeuerioribus veniremus. Nec ſaltem ſerò conuerſi ad Domini timorem ſumus, vt hanc correptionem noſtram, probationemque diuinam patienter & fortiter ſubiremus. [e] Ad prima ſtatim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem ſuam prodidit, nec proſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu ſe ipſe proſtrauit. Quid oro inauditum, quid nouum venerat vt velut incognitis, atque inopinatis rebus exortis, [f] Chriſti ſacramentum temeritate præcipiti ſolueretur? Nonne hæc & prophetæ antè, & Apoſtoli poſtmodum nunciauerunt? Nonne iuſtorum preſſuras & gentilium ſemper iniurias pleni ſancto Spiritu prædicauerunt? Nonne fidem noſtram ſemper armans, & Dei ſeruos cæleſti voce corroborans dicit ſcriptura diuina: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies? Nonne iram diuinæ indignationis oſtendens, & pœnæ metum præmonens, denuo dicit: Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & curuatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis? Et iterum Deus loquitur, dicens: Sacrificans diis eradicabitur, [g] niſi Domino ſoli. In Euangelio quoque poſtmodum Dominus in verbis doctor, [h] conſummator in factis; docens quid fieret, & faciens quodcumque docuiſſet; quicquid nunc geritur & geretur, nonne ante præmonuit? Nonne & negantibus æterna ſupplicia, & ſalutaria confitentibus præmia antè conſtituit? Exciderunt quibuſdam, pro nefas, omnia, & de memoria receſſerunt. Non expectauerunt ſaltem; vt interrogati negarent, [i] vt tus accenderent apprehenſi. Ante aciem multi victi, ſine

nonnullarum dumtaxat Eccleſiarum clerum perſequutus ſit, quod confirmat epiſt. ſuprà 75. Firmilianus dicens localem fuiſſe dumtaxat, & in Africa non fuiſſe, vel ex eo confirmatur quod primus Martyr inter Epiſcopos Carthaginienſes fuerit Cyprianus. PAM.

a OBLITI QVID CREDENTES FECISSENT. Credentes dicit, Chriſtianos, Fideles. qui fidem ſeruauerant integram & incorruptam. RIG.

b *Corrupta barba in viris, &c.* Sidonius Apoll. epiſt. 2. lib. 1. *Barba concauis hirta temporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſsiduus genas aduſque forcipibus euellit.* & epiſt 13. lib. 4. barba dicitur *ad cutem ſecta forcipibus.* PRI.

b *Corrupta barba in viris.* Barbæ ſtudium in viris ita paucis deſcribit Tertullianus lib. de cultu fœm. Proprias præſtigias formæ & hic ſexus agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtinguere, cætera pulueris cuiuſdam aſperitudine leuigare. Eodem pertinet quod infrà dicit Cyprianus: Cumque ſcriptum ſit: non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ, barbam vellit, & faciem comit. Porrò de forma fucata fœminarum, plus ſatis libro præcedenti PAM.

c *Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij,* Non aliter ferè S. Hieronymus aduerſus Iouinianum lib. 1 *At nunc,* inquit, *pleraque contemnentes Apoſtoli iuſsionem, iunguntur Gentilibus, & templa Chriſti idolis proſtituunt; nec intelligunt ſe cor, oris eius eſſe partem, cuius & coſta ſunt.* PRI.

c *Iungere cum infidelibus vincul. matr.* Alludit haud dubiè ad verba illa 1. Cor. nolite iugum ducere cum infidelibus, quippe qui ea ad hoc inſtitutum citet infrà lib. 3. teſtim. cap. 62. & citans hunc locum D. Auguſtini lib. 1. de adult. coniug. cap. 25. etſi ipſe nondum ſententiam firmaſſet, dicit Cyprianum non dubitaſſe, quin illicita forent matrimonia contracta cum infidelibus. Idipſum habet Tertull. diſertis verbis lib. 2. ad vxorem, & de monogam. & D. Hieronym. lib. 1. contra Iouin In eadem ſententia fuit Ambroſius epiſt. 70. ad Vigil. de Abraham patriarch. lib. 1. cap. 9. & lib. 8. in illud Lucæ, omnis qui dimittit vxorem &c. Chryſoſtom. item & Theoph. in cap. 7. epiſt. 1 ad Corinth. Non ſolum autem illicita, ſed & irrita iam olim fuiſſe in lege Moyſis patet 1. Eſdræ cap 9 & 10. Quare rectè etiam ab Eccleſia poſtmodum declarata ſunt irrita, qualis canon eſt inter cæteros de Iudæis concil. Aureliæ 3. can. 13. vocant hoc impedimentum ſcholaſtici, cultus diſparitatem. PAM.

d EPISCOPI PLVRIMI, DERELICTA CATHEDRA PER ALIENAS PROVINCIAS OBERRANTES.) Hæc verba Cypriani præ oculis habebat Auguſtinus lib. III. de bap. contra Don. *Cyprianus in Eccleſia ſuis temporibus fuiſſe ait, non qualeſcumque auaros, ſed raptores & feneratores: nec quoſlibet homines, ſed epiſcopos.* RIG.

e *Ad prima ſtatim verba &c.* De Negatoribus iſtis latè Dionyſius Alex. epiſt. ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium hiſt. lib. 6. PAM.

f *Chriſti ſacramentum &c.* Alludit ad ſacramentum militare, baptiſmi ſacramentum illi comparans, ob impreſſum characterem. *Idem.*

g *Niſi Domino ſoli.* Veram hanc eſſe Manutij lectionem, conuincunt cod. M S. & epiſt. 55 ſuprà & 64. quare corruptè legunt alij *Deo ſoli. Idem.*

h CONSVMMATOR IN FACTIS.) Adeóque ſpiritum emiſſurus & ceſſaturus in corpore morituro loqui & facere mandata Patris, clamauit, voce magna. Conſummatum eſt. Alludit ad hoc verbum Cyprianus. RIG.

i VT THVS ACCENDERENT APPREHENSI) Sic ediderunt Manucius & Pamelius. Mendosè Veriſſima eſt veterum exemplarium ſcriptura: *Non expectauerunt vt aſcenderent apprehenſi, aut interrogati negarent.* Sic in cod Thuani. Sic etiam in Veronenſi & Foxienſi, & Regio. Sic autem ſu-

ſine congreſſione proſtrati; nec hoc ſibi reliquerunt, vt ſacrificare idolis viderentur inuiti. [a] Vltro ad forum currere, ad mortem ſponte properare; quaſi hoc olim cuperent, quaſi amplecterentur occaſionem datam, [b] quam ſemper optaſſent. [c] Quid illi qui à magiſtratibus, veſpera vrgente dilati ſunt? quod ne eorum differretur interitus, etiam rogauerunt? Quam vim poteſt talis obtendere qua crimen ſuum purget; cum vim magis ipſe fecerit vt periret? Nonne quando ad Capitolium ſponte ventum eſt, quando vltro ad obſequium diri facinoris acceſſum eſt, labauit greſſus, caligauit aſpectus, tremuerunt viſcera, brachia conciderunt? Nonne [d] ſenſus obſtupuit, lingua hæſit, ſermo defecit? Stare illic potuit Dei ſeruus, & loqui & renunciare Chriſto; qui iam diabolo renunciarat & ſæculo? Nonne ara illa, quò moriturus acceſſit, rogus illi fuit? Nonne diaboli altare, quod fœtore tætro fumare ac redolere conſpexerat, velut funus & buſtum vitæ ſuæ horrere ac fugere debebat? Quid hoſtiam tecum miſer, quid victimam ſupplicaturus imponis? Ipſe ad aras hoſtia, victima ipſe veniſti. Immolaſti illic ſalutem tuam, ſpem tuam, fidem tuam funeſtis illis ignibus concremaſti. Ac multis proprius interitus ſatis non fuit hortamentis mutuis in exitum ſuum populus impulſus eſt: mors inuicem lætali poculo propinata eſt. [e] Ac nequid deeſſet ad criminis cumulum; infantes quoque parentum manibus vel impoſiti, vel attracti; [f] amiſerunt paruuli, quod in primo ſtatim natiuitatis exordio fuerant conſecuti. Nonne illi cum iudicij dies venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia ſponte properauimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas. Illi nobis Eccleſiam matrem, illi patrem Deum negauerunt; vt dum parui & improuidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad conſortium criminum iungimur, aliena fraude caperemur? [g] Nec eſt, pro dolor, iuſta aliqua & grauis cauſa, quæ tantum facinus excuſet: relinquenda erat patria, & patrimonij facienda iactura. Cui enim naſcenti atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonij ſui facienda iactura eſt? Vt Chriſtus non relinquatur, ſalutis ac ſedis æternæ iactura timeatur. Clamat ecce per prophetam Spiritus ſanctus: Diſcedite, diſcedite, exite inde, & immundum nolite tangere. Exite de medio eius, [h] ſeparamini qui fertis vaſa Domini: & qui vaſa ſunt Domini ac templum Dei, ne immundum tangere, & feralibus cibis pollui, violarique cogantur, non exeunt de medio, nec recedunt? Alibi quoque vox auditur è cælo præmonens quid Dei ſeruos facere conueniat & dicens: Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum eius, & ne perſtringaris plagis eius. Qui exit & cedit, delicti particeps non fit. Plagis verò & ipſe perſtringitur, qui ſocius criminis inuenitur. Et ideo Dominus in perſecutione ſecedere & fugere mandauit, atque vt id fieret & docuit & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione deſcendat, nec poſſit accipi niſi fuerit hora ſumendi; quiſquis in Chriſto manens interim cedit non fidem denegat, ſed tempus expectat. Qui autem cum non ſecederet, cecidit; negatus remanſit. Diſſimulanda fratres veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia & cauſa reticenda. [i] Decipit multos patrimonij ſui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ; quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa; vt ſerpenti terram ſecundum Dei ſententiam deuoranti, præda & cibus fierent, qui terreſtribus cupiditatibus inhærerent. Et iccircò Dominus bonorum magiſter, & præmonens & conſulens in futurum: Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni, ſequere me. Si hoc diuites facerent

per

prà, Epiſtola 11. *Sed & aſcendentes ad hoc quod compellebantur reuocauimus.* Ruffinus Euſebianæ hiſt. lib. VI. *Alii ſanè tam impudenter ad aras proſiliebant, vt nonnulli comprehenſi & in carcerem miſſi, alii ad primam ſtatim iudicis faciem negauerunt.* RIG.

a *Vltro ad forum currere, ad mortem ſponte properare.* Eleganter quidem ponuntur infinitiui hi pro præteritis, ſed hactenus præterquam epiſt. 11. non memini me vidiſſe apud Cyprianum ſimilem phraſin, & Affligin cod. legit *cucurrere ac properauere*, quomodo Coſterius ac Colon. cod. PAM.

b QVAM SEMPER OPTASSENT.) Exemplaria: *libenter.* RIG.

c *Quid illi qui à magiſtratibus &c. quot.* Capitolium autem accipit pro aris deorum, vti & infrà hoc eodem libro, & ſuprà epiſt. 55. PAM.

d SENSVS OBSTVPVIT.) Scriptura vetus, *obſtipuit.* RIG.

e *Ac ne quid deeſſet &c.* Locum hunc Cypriani ſic excuſat D. Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium, vt dicat amiſiſſe paruulos quod acceperant; quantum attinet ad parentum ſcelus; à quibus amittere coacti ſunt; amiſiſſe (inquam) non in ſe ipſis, ſed in mente & voluntate parentum. PAM.

f AMISERVNT PARVVLI QVOD IN PRIMO STATIM NATIVITATIS EXORDIO.) Hoc ſenſu permoti cenſuerunt etiam infantes baptizandos. Itaque ſignum fidei dederunt homini, priuſquam eſſet homo fidei capax. Signum fine re, ipſius rei vicarium fecerunt. RIG.

g *Nec eſt, pro dolor! iuſta & grauis cauſa.* Quod paucis attigit epiſt. 15. latiùs hic: ſecedendum nempè in perſecutione, ex ſcripturis proſequitur. Quod eò magis inculcaſſe videtur, ob Tertulliani ſententiam contrariam libro de fuga in perſecutione. Vſque adeò autem hanc ſententiam probauit Cyprianus, vt in confeſſione ſua, quam habes in actu paſſionis eius & apud D. Auguſtin. contra Gaud. epiſt. lib. 1. Diſciplinam Eccleſ. ſeu ſcripturam ſanctam prohibere dicat, ne quis ſe offerat. PAM.

h *Separamini qui fertis vaſa Domini.* Hæc MS. cod. lectio genuina eſt, quam 70. legant ἀφορίσθητε, & certè etiam ver. exc. ſic legit, quare non placet Remboldi & aliorum lectio *mundamini.* ex iiſdem paulò poſt adjecimus, &c. *Idem.*

i DECIPIT MVLTOS PATRIMONII SVI AMOR CAECVS) Hoc diſtat à magiſtro ſuo diſcipulus, quòd in perſecutione ſecedere & fugere ſuadet, vbi ſecedendi aut fugiendi datur occaſio. plerique autem facultatibus & patrimoniis ſuis velut compedibus ligati, remanebant ingruente autem preſſura tormentorum, infirmiores, negabant Dominum: Hoc telum, quod amiſſionem bonorum inferret, fortiſſimum eſſe ad euertendam Chriſti ſectam Valerianus Imper. ſentiebat, cùm ad ſenatum reſcripto Senatores & viros egregios & equites Romanos dignitate amiſſa etiam bonis ſpoliari jubet, matronas ademptis bonis in exilium relegari, Cæſarianos confiſcari. Quod reſcriptum habetur, ſuprà Epiſtol ad Succeſſum, 82. RIG.

i *Decipit multos patrimonij ſui amor.* Similiter loco citato Dionyſius Alexandr. Hi erant de quibus prædixerat dominus, quoniam pecunias habentes difficile ſaluabuntur. PAMELIVS.

per diuitias ſuas non perirent; theſaurum in cælo reponentes, hoſtem nunc expugnatorem domeſticum non haberent: eſſet in cælo cor & animus & ſenſus, ſi theſaurus eſſet in cælo. Nec vinci à ſæculo poſſet, qui vnde vinceretur in ſæculo non haberet: [a] ſequeretur Dominum ſolutus & liber, vt Apoſtoli & ſub Apoſtolis multi; & nonnulli ſæpè fecerunt, qui & rebus ſuis & parentibus derelictis, indiuiduis Chriſto nexibus adhæſerunt. Sequi autem Chriſtum quomodo poſſunt, qui patrimonij vinculo detinentur? Aut quomodo cælum petunt, & ad ſublimia & alta conſcendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Poſſidere ſe credunt, qui potius poſſidentur; cenſus ſui ſerui, nec ad pecuniam ſuam Domini, ſed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apoſtolus denotat dicens: Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & muſcipulam, & deſideria multa inutilia & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidem appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Dominus autem quibus nos præmiis ad contemptum rei familiaris inuitat? parua hæc & exigua huius temporis damna, quibus mercedibus penſat? Nemo eſt, inquit, qui relinquat domum aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei; & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſæculo autem venturo vitam æternam. Quibus cognitis, & de Domini pollicentis veritate compertis, non tantum timenda non eſt eiuſmodi, ſed & optanda jactura ipſo denuo Domino prædicante & monente: Beati eritis cum perſecuti vos fuerint, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro vt nequam, propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis. Sed tormenta poſtmodum ventura erant, & cruciatus graues reluctantibus imminebant. Queri de tormentis poteſt qui per tormenta ſuperatus eſt: excuſationem doloris obtendere, qui victus eſt in dolore. poteſt rogare talis & dicere: Certare quidem fortiter volui, & ſacramenti mei memor, deuotionis ac fidei arma ſuſcepi: ſed me in congreſſione pugnantem cruciamenta varia & [b] ſupplicia longua vicerunt. Stetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata eſt: ſed cum duriſſimi iudicis recrudeſcente ſæuitia iam fatigatum, iam laſſum corpus, nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc [c] equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus ſed corpus in dolore defecit. Poteſt citò proficere ad veniam cauſa talis: poteſt eiuſmodi [d] excuſatio eſſe miſerabilis. Sic ſic Caſto & Æmilio aliquando Dominus ignouit: ſic in prima congreſſione deuictos, victores in ſecundo prælio reddidit, vt fortiores ignibus fierent, qui ignibus antè ceſſiſſent; & vnde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. Deprecabantur illi non lacrymarum miſeratione, ſed vulnerum, nec ſola lamentabili voce, ſed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lacrymis cruor ſemiuſtulatis viſceribus defluebat. Nunc verò quæ vulnera oſtendere victi poſſunt? quas plagas hiantium viſcerum? quæ tormenta membrorum, vbi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia præuenit? Nec excuſat oppreſſum neceſſitas criminis, vbi crimen eſt voluntatis. Nec hoc ideo dico vt fratrum cauſas onerem, ſed vt magis fratres ad precem ſatisfactionis inſtigem. Nam cum ſcriptum ſit: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant: Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat: nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit fratrem, promouet ad ſalutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & caſtigo. Sic oportet & Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus prouidere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſeruat exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum [e] & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum cùm ſenſerit ſanitatem. [f] Emerſit enim, fratres dilectiſſimi, nouum genus cladis; & quaſi

parum

a *Sequeretur Dominum ſolutus & liber.* Locus inſignis de paupertate voluntaria, ſed quia à pluribus tractatus eſt, ad alios huius ſeculi ſcriptores lectorem remittimus. PAM.

b SVPLICIA LONGA.) Ita vt lento cruciatu vexati diu ſentiant ſe mori. Sic & baſia longa dixerunt poetæ, quæ diutiùs impreſſa longiore voluptate delectarent & paſcerent baſiantem. Itaque affectu contrario, cita mors. Et miſericordiæ genus, citò occidere RIG.

c *Equleus extenderet, &c.* Vngula cum Equuleo iungitur, nam vngulæ quæ ferramenta erant mucronata ſeu bifida ſuſpenſos in Equuleo lacerabant, ſic Tertullianus apolog. 30. *ſic itaque nos ad Deum expanſos vngulæ fodiant.* PRI.

c *Equuleus extenderet, &c.* Varia hic tormentorum genera enumerat, flagella, fuſtes, equuleum, vngulam & flammam, & libro contra Demetr. & lib. de patientia, præterea beſtias adijcit, & cruces & gladium, de quibus omnibus in Apolog. Tertullianus, & lib. ad martyr. Prudentius etiam alicubi vnciorum meminit, Quorum cætera ſatis nota ſunt. Equuleum accipit Cicero lib. 5. quæſt. Tuſcul. pro tormenti genere in formam equi, in quem coniiciebantur rei. Verum ex eò quòd Prudentius dicat euiſcerandum corpus equuleo eminus pendere, & hic Cyprianus *equuleus extenderet*: videtur aliud quodpiam fuiſſe inſtrumentum, in quo rei extenderentur, & extenſi deinde propenderent. Vngulam verò ferramentum fuiſſe mucronatum, quo ſulcatim corpora laniabantur & fodiebantur, hoc ferreum pectinem, manifeſtum fit ex illo Prudentij in Romano Mart.

Scindunt vtrinque milites teterrimi
Mucrone bisulco penſilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta tranſuerſis ſecant. PAM.

d EXCVSATIO MISERABILIS.) Quæ ſpectatori vel auditori miſericordiam ſuggerat RIG.

e *Et putraminibus amputatis.* Quum ſic legat Cambron. cod. & ad id quam proximè accedant vet. exc. & Remboldus, legentes, (huic loco alioqui non ſatis conuenienter:) *putaminibus*: conijcio genuinam Cypriani lectionem eſſe *putraminibus*; præſertim quum Epiſt 55. adnotarit Morelius, quoſdam etiam codices legere *putramina*, & ſic ibi legant Affliginien. cod. & alij MS. quatuor. Accipitur autem pro putredinibus, quomodo legit Affligin. cod. & excuſi cæteri. PAM.

f *Emerſit enim.* De hoc genere cladis habes tomo 1. epiſt.

patum perſecutionis procella ſæuierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Euangelij vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. a Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, b grauiſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera: & plaga letalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur. A diaboli aris reuertentes, ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pœnè ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus inuadunt; quando occurrat ſcriptura diuina & clamet & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducauerit ex carne ſacrificij ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia eius ſuper ipſum eſt; peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item teſtatur & dicit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum. Idem contumacibus & peruicacibus comminatur & denunciat dicens: c Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius & ſanguini: & plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt. Ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis; pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum: nec Eccleſiæ iungitur, qui ab Euangelio ſeparatur. Quid iniuriam beneficium vocant? quid impietatem vocabulo pietatis appellant? quid eis qui flere iugiter & rogare Dominum ſuum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? Hoc ſunt eiuſmodi lapſis; quod grando frugibus; quod turbidum ſidus arboribus; quod armentis peſtilens vaſtitas; quod nauigiis ſæua tempeſtas. Solatium æternæ ſpei adimunt, arborem à radice ſubuertunt; ſermone morbido ad letale contagium ſerpunt; nauem ſcopulis, ne in portum perueniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit: nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur; d vt lamentatio conquieſcat, vt dolor ſileat, vt delicti memoria euaneſcat, vt comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum; nec Dominum grauiter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur; cùm ſcriptum ſit: Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam. Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat. e ſolus Dominus miſereri poteſt. Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portauit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe non poteſt maior: nec remittere aut donare indulgentia ſua ſeruus poteſt, quod in Dominum delicto grauiore commiſſum eſt; ne adhuc lapſo f & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum: Maledictus homo qui g ſpem habet in homine. Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt; qui negantem negare ſe dixit, qui omne iudicium de patre ſolus accepit. h Credimus quidem poſſe apud iudicem plurimum martyrum merita, & opera iuſtorum; ſed cum iudicij dies venerit, cum poſt occaſum ſæculi huius & mundi ante tribunal Chriſti populus eius adſtiterit. i Cæterum ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere; non tantum nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Prouocaſſe eſt iram, non ſeruaſſe ſententiam: nec miſericordiam

10. 11. 12. & ſeq. aliquot. PAM.

a *Non quærunt ſanitatis patientiam*. Ita Cambron. cod. Manutius, Remboldus & Eraſmici omnes. Affliginienſis verò, Colonien. ver. exc. Morel. & Grauius ad marginem *pœnitentiam*. Quam varietatem ſemel adnotaſſe ſufficiat. *Idem.*

b GRAVISSIMI EXTREMIQVE DELICTI.) Negationis, Idololatriæ. RIG.

SPRETIS HIS OMNIBVS ATQVE CONT. VIS INFERTVR CORP.) Veriſſimam eſſe arbitror veterum exemplarium ſcripturam: *Spretis his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, ante exhomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, vis infertur corpori eius & ſanguini, & plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cùm Dominum negauerunt. Pacem putant eſſe*, &c. *Idem.*

c *Quicumque ederit panem*; &c. Prorſus eodem modo citant ſcripturam hanc Epiſtola ſuprà decima, & vndec. Cyprianus, & 7c. Firmilianus, Ambroſius & Græci in comment. & Auguſt. tract. in Ioan. 62. quæ lectio notatu digna, contra eos qui neceſſitatem vrgent communionis ſub vtraque ſpecie. Deinde aduertenda venit huius ſcripturæ loci expoſitio, tùm hic, tum locis citatis, de præmittenda exomologeſi ante Euchariſtiam; Quomodo interpretatur & D. Auguſtinus epiſt. 116. ad Ianuarium, & Ambroſ. in comment. nec diſſentiunt Græci, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & præſertim Theodoretus in comment. quum probationem illam cuius meminit Apoſtolus interpretatur de diſcuſſione conſcientiæ an pura ſit. Certè etiam Dionyſ. Areopagita Eccl. hierar. c. 3 antè Euchariſtiæ ſumptionem requirit expiationem ab extremis animi Viſionibus. PAM.

d *Vt lamentatio conquieſcat, vt dolor ſileat*. Frequentiſſimè occurrunt ſimiles loci epiſtolis de Lapſis apud Cyprianum, & lib. de pœnit. ac alibi apud Tertull. vt ſatis mirari nequeam eos qui omnem contritionem, omnem ſatisfactionem ſublatam volunt, præſertim quum illud Ioannis Bapt. Matthæi 3. facite fructus dignos pœnitentiæ exemplis ſimilibus tam refertæ ſunt, vt ſuperfluum ſit pluribus agere. Omitto publicas pœnitentias olim vſitatiſſimas, quæ nihil aliud quam ſatisfactiones erant pro peccatis. *Idem.*

e SOLVS DOMINVS MISERERI POTEST.) Terrorem incutit Negatoribus, quò fortiùs ſanciatur diſciplina Confeſſorum & Martyrum: Firmilianus Cypriano: *Lapſis quoque fratribus, & poſt Lauacrum ſalutare à diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur: non quaſi à nobis remiſſionem peccatorum conſequantur, ſed vt per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum veniam conſequantur; & Domino plenius ſatisfacere cogantur.* RIG.

f ET HOC ACCEDAT AD CRIMEN. In Veronenſi legitur, ad cumulum. *Idem.*

g SPEM HABET IN HOMINE. In Veronenſi: ſpem ponit in hominem. *Idem.*

h *Credimus quidem poſſe apud iudicem plurimum martyrum merita*. Elegans locus pro meritis operum, atque adeò aduerſus illos qui martyria pœnas duntaxat peccatorum eſſe volunt, non etiam merita quæ aliis prodeſſe queant. Porrò de libellis martyrum, ſuprà latius epiſtolis de Lapſis. PAM.

i *Cæterum ſi quis præpropera feſtinatione*. Alludit ad epiſtolam Luciani confeſſorum vniuerſorum nomine, quam habet num 17. Habet autem variam lectionem Affligin: cod. *præpoſtera*; ſed non placet. *Idem.*

cordiam prius Dei deprecandam putare, ſed contempto Domino de ſua facultate præſumere. Sub ara Dei animæ occiſorum martyrum clamant magna voce dicentes: Quouſque Domine ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui in terris inhabitant? & requieſcere ac patientiam tenere adhuc iubentur: & quemquam poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis dignum fieri contra iudicem velle, aut prius quam vindicetur, ipſe alios poſſe defendere? Mandant aliquid Martyres fieri? ſi iuſta, ſi licita, [a] ſi non contra ipſum Dominum, à Dei ſacerdote facienda ſunt obtemperantis facilis & prona conſenſio, ſi petentis fuerit religioſa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? Sed ſi ſcripta non ſint in Domini lege quæ mandant; antè eſt vt ſciamus illos de Deo impetraſſe quod poſtulant; tunc facere quod mandant, Neque enim ſtatim videri poteſt de diuina maieſtate conceſſum, quod fuerit humana pollicitatione promiſſum. Nam & Moyſes pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus veniam, cum petiſſet, accepit: Precor, ait, Domine deliquit populus hic delictum grande, & fecerunt ſibi deos aureos, & nunc ſi dimittis eis, delictum dimitte: ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſem: Si quis deliquit ante me, & delcam eum de libro meo. Ille amicus Dei, ille facie ad faciem locutus ſæpè cum Domino, quod petiit impetrare non potuit, nec Dei indignantis offenſam ſua deprecatione placauit Hieremiam Deus laudat & prædicat dicens: Prius quam te formarem in vtero, noui te: & prius quam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus poſui te: & eidem pro peccatis populi deprecanti frequentius & oranti: Noli, ait Dominus, orare pro populo hoc, & noli poſtulare pro eis in prece & oratione, quia non exaudiam in tempore in quo inuocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ. Quid verò iuſtius Noë, qui cum repleta eſſet terra peccatis, ſolus inuentus eſt iuſtus in terris? Quid glorioſius Daniele? Quid illo [b] ad facienda martyria in fidei firmitate robuſtius? in Dei dignatione felicius? qui totiens & cum confligeret vicit, & cum vinceret ſuperuixit? Quid Iob in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore ſubmiſſius, in fide verius? Nec his tamen ſi rogarent conceſſurum ſe Deus dixit. Cum propheta Ezechiel pro delicto populi deprecaretur: Terra, inquit, quæcumque peccauerit mihi vt delinquat delictum, extendam manum meam ſuper eam, & obteram ſtabilimentum panis, & immittam in eam famem, & auferam ab ea hominem & pecora. Et ſi fuerint tres viri hi in medio eius, Noë, & Daniel, & Iob, [c] non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſoli ſalui erunt. Adeo non omne quod petitur in præiudicio petentis, ſed in dantis arbitrio eſt. Nec quidquam ſibi vſurpat & vindicat humana ſententia, niſi annuat & cenſura diuina. In Euangelio Dominus loquitur dicens: [d] Qui confeſſus me fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cælis eſt. Qui autem me negauerit, & ego negabo eum. Si negantem non negat, nec confitentem confitetur. Non poteſt euangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut vtrumque oportet valeat, aut vtrumque vim veritatis amittat. Si negantes rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipient. Porrò ſi fides quæ vicerit, coronatur, neceſſe eſt, vt victa perfidia puniatur. Ita martyres aut nihil poſſunt, ſi Euangelium non poteſt ſolui, contra Euangelium facere non poſſunt, qui de Euangelio martyres fiunt. Nemo, fratres dilectiſſimi, nemo infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias deſtruat & coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume, nec dicere aliquid aut facere contra Chriſtum poteſt, cuius & ſpes, & fides, & virtus, & gloria omnis in Chriſto eſt. Vt ab epiſcopis contra mandatum Dei fiat, auctores eſſe non poſſunt, qui ipſi Dei mandata fecerunt. An quiſquam maior Deo, aut diuina bonitate clementior, qui aut infectum velit quod paſſus eſt Deus fieri: aut quaſi illi minus poteſtatis ad protegendam Eccleſiam ſuam fuerit, auxilio nos ſuo putet poſſe ſeruari [e] niſi hæc ignaro Deo geſta ſunt, aut non permittente illo omnia iſta euenerunt; cum doceat indociles, & admoneat immemores ſcriptura diuina, quæ loquitur dicens: Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſrael iis qui prædabantur illum? nonne Deus cui peccauerunt; & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius? Et ſuperduxit ſuper eos [f] iram animationis ſuæ. Et alibi teſtatur ac dicit: Numquid non valet manus Dei vt ſaluos faciat? aut grauauit aurem vt non exaudiat? ſed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant, & propter delicta veſtra auertit faciem à vobis ne miſereatur. Delicta potiùs noſtra reputemus, actus noſtros & animi ſecreta reuoluentes, conſcientiæ merita ponderemus. Redeat in cor noſtrum non ambulaſſe nos in viis Domini, & abieciſſe legem Dei; præcepta eius, & monita ſalutaria numquam ſeruare voluiſſe. Quid de eo boni ſentias? Quem timorem fuiſſe apud eum, quam fidem credas; quem corrigere nec metus potuit, quem perſecutio ipſa non reformauit? Alta & erecta ceruix, nec quia cecidit, inflexa eſt. Tumens animus & ſuperbus, nec quia victus eſt, factus eſt. Iacens ſtantibus, & integris vulneratus

a SI NON CONTRA IPSVM DOMINVM.) Hæc ſunt vno tractu ſic perducenda: ſi non contra ipſum Dominum à Dei ſacerdote facienda ſit obtemperantis facilis & prona conſenſio. Talis eſt ſcriptura codicis Veronenſis: & eſſe veriſſimam puto. RIG.

b *Ad facienda Martyria.* Neque enim placet lectio Grauij ad marg. *Myſteria* eo quod ſimilis prorſus ſit locus epiſt. ad Lucium. PAM.

c *Non liberabunt filios neque filias.* Hæc verba neque apud 70. neque apud D. Hieron. leguntur Adiecimus autem quod ſequitur *ſed*, ex Cambr. cod. *Idem.*

d *Qui confeſſus me fuerit.* Vide epiſtolas 20. & 30. de varia huius loci lectione certè prius illud hic legunt MS. & excuſi omnes. *Idem.*

e *Niſi ſi hæc ignaro Deo geſta ſunt.* Particulam *ſi* Cypriani phraſi aptiſſimam, ex MS adiecimus cum Morelio, ex Afflig. vero cod. cum Grauio & Coſterio legimus, *euenerunt*, pro eo quod erat, *venerunt. Idem.*

f IRAM ANIMATIONIS SVÆ.) Ὀργὴν θυμοῦ. RIG.

ratus minatur: [a] & quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Atque ô tuam nimiam furioſè dementiam. Iraſceris ei, qui abs te auertere iram Dei nititur ei minaris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur, qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis, qui pro te lacrimas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas: & cum ſis ipſe implacabilis ad antiſtites & ſacerdotes Dei, putas circa te [b] Dominum poſſe placari? Accipe potius & admitte quæ loquimur: Quid ſurdæ aures ſalutaria præcepta non audiunt, quæ monemus? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident, quod oſtendimus? Quid perculſa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de ſcripturis cæleſtibus & diſcimus, & docemus? Aut ſi incredulis quibuſdam minor fides eſt futurorum; vel præſentibus terreantur. Ecce eourm qui negauerunt quæ ſupplicia conſpicimus? quos eorum triſtes exitus flemus? Nec hic eſſe ſine pœna poſſunt, quamuis necdum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidam, [c] quo cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum. Vnus ex his qui ſponte capitolium negaturus aſcendit, poſtquam Chriſtum negauit, obmutuit. Pœna inde cœpit, vnde cœpit, & crimen; vt nec rogare iam poſſet qui verba ad precandam miſericordiam non haberet. Alia in balneis conſtituta (hoc enim crimini eius & malis deerat, [d] vt & ad balneas ſtatim pergeret, quæ lauacri vitalis gratiam perdidiſſet, [e] illic ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit, laniauit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impie, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumptus eſt, in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit; doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit. [f] Præſente ac teſte me ipſo, accipite quid euenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus ſibi conſulunt ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam [g] nutrix detulit ad magiſtratus. [h] Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. [i] Ignoratione igitur obreptum eſt, vt [k] ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concurri, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. [l] Vbi vero ſolemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præſentibus cœpit, [m] & accipientibus cæteris locus eius aduenit; faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit; tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas. Secreta tenebrarum ſub eius luce detecta ſunt, ſacerdotem Dei nec occulta crimina fefelle-

a *Et quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat.* Bis terve ſuprà & rurſum infrà hoc eodem libro, ac de bono pat. & ſuprà epiſt. ad Thibarit. ſatis ſuperque indicat, ſuo tempore id fuiſſe obſeruatum, vt in manus traderetur corpus domini. Idipſum eadem ætate indicat Cornelius in ſæpè citata epiſt. ad Fabium Antiochenum de Nouatiano, qui communicantes per ea quæ tenebant in manibus iurare coegit, ſe ad Cornelium non redituros. Dionyſius quoque Alexandr. epiſt. ad Xyſtum Pontif. apud Euſebium & Nicephor. Eodem pertinet illud Clementis Alexandr. 1. ſtromat. permittitur vnicuique, Euchariſtiæ diuiſæ partem ſumere, & quæ mox afferemus ex veteribus de Euchariſtia domum deportari ſolita. Eamdem conſuetudinem indicant Ambroſ. orat. ſua ad Theodorum Imperat. quum prohiberet illum à Templi ingreſſu, quum habes apud Theodoretum, & Hieronymus epiſt. ad Theophilum contra Ioannem Hieroſol Immò diu poſteà adhuc perduraſſe conſtat ex cap. 2. Bothomagenſis conc. quo cauetur, vt non niſi in os immittatur à ſacerdote, quemadmodum obſeruatur hodiè ſimilis conſuetudo qua laicis & pueris nonnunquam dabatur deferenda Euchariſtia ad infirmos, quam colligere eſt ex hiſtoria Serapionis apud Euſebium, ex Dionyſio Alex. reuocata eſt à concilio Remenſi, can. 2. quemadmodum citatur ab Iuone in decret. & à Gratiano de conſecr. diſt 2. ca. pertinet. PAM.

b DOMINVM POSSE PLACARI.] Ver. *Dominum citò poſſe placari.* RIG.

c QVO CETERI CORRIGANTVR.] Ben. & Ver. *dirigantur.* *Idem.*

d VT AD BALNEAS STATIM PERGERET.] Cùm in lacrymis & luctu, in ſqualore & triſtitia, miſericordiam Dei implorare debuiſſet *Idem.*

e ILLIC AB IMMVNDO SPIR. CORREPTA, IMMVNDA CECIDIT.] In Veronenſi non legitur, *cecidit.* Fortè ab ingenio librarij, legentis *cecidit*, quod eſſe otioſum credidit, eùm ſequeretur, *Laniauit dentibus linguam.* Itaque legendum: *ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit: laniauit dentibus linguam.* Caſus & ruina de correptis à dæmone vel comitiali morbo aut rabie. vnde & caducarii dicti. *Idem.*

f PRÆSENTE AC TESTE ME IPSO.] Horatius: Me ſene quod dicam factum eſt. *Idem.*

g NVTRIX DETVLIT AD MAGISTRATVS.] Hoc eſt ad poteſtates, ad Præſidem fortè aut Proconſulem: eò ſcilicet detulit, vbi quæſtiones habebantur de Chriſtianis. *Idem.*

h ILLI EI APVD IDOLVM] Illi, hoc eſt officia ſiue miniſteria magiſtratuum, poteſtatum. *Idem.*

i *Ignoratione igitur obreptum eſt.* Tullius epiſtolarum famil. lib. 16. ep. 21. *Sapè inſcientibus nobis & cantantibus obrepit?* PRI.

k SACRIFICANTIBVS NOBIS.] Λειτουργούντων ἡμῶν, Ipſe mox dicet: *precis noſtræ & orationis impatiens.* Vt paulo ſuprà dixit: *antiſtites & ſacerdotes Dei*, pro epiſcopis & presbyteris, ita hoc loco dicit etiam, *Sacrificantibus nobis.* Apta iam erant Chriſtianis Moſaica. RIG.

l *Vbi verò ſolennibus adimpleti calicem diaconus.* De hoc officio Diaconi ſupra latius epiſt ad Rogatianum Epiſcopum. Colligitur autem tum hinc tum ex liturgijs græcorum, non niſi ſolennibus adimpletis calicem adminiſtrari ſolere; deinde in ſolennibus meſſis præſentes olim communicaſſe. De priuatis autem miſſis, an in iis ſemper communicatum ſit, an etiam priuatæ quædam fuerint, erat hic dicendi locus; ſed ne hic ſim prolixior, ſtatui deo fauente aſſertioni de communione ſub altera ſpecie, tractatulum de miſſis priuatis aliquando ſubjicere PAM

m *Et accipientibus cæteris locus eius aduenit.* Tractat locum hunc D. Auguſt epiſt 23 ad Bonifacium. Haud obſcurè autem hic, quomodo vt ſupra indicatur vetus Eccleſiæ conſuetudo communionis paruulorum qualem etiam indicare videtur Dionyſ. Areop ſub finem Eccl. Hierarchiæ, & ſua adhuc ætates D. Auguſt. epiſt. 107 ad vitalem Quandoquidem autem apud alios auctores rariſſima fiat illius mentio, ſuſpicor neque vniuerſalem fuiſſe, neque poſt D. Auguſt. diu illam perduraſſe *Idem.*

feſellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa ſe crimen necdum habuit ætatem. At vero ea, quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus ſanguinem admittens, angi & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non iam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens & concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ feſellerat hominem, Deum ſenſit vltorem. Et cum quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, [a] manibus indignis tentaſſet aperire; igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et alius quia & ipſe maculatus; ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere: [b] ſanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit. Documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quando gratia ſalutatis in cinerem, ſanctitate fugiente mutetur. [c] Quam multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quam multi vſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quàm delinquentium multitudo numeroſa. Vnuſquiſque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur. Nec euaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, [d] quem ſibi Dei iudicis cenſura ſeruauit. Nec ſibi quo minus agant pœnitentiam, blandiantur, qui etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminauerunt, libellis tamen conſcientiam polluerunt. [e] Et illa profeſſio denegantis; conteſtatio eſt Chriſtiani, quod fuerat, abnuentis; feciſſe ſe dixit, quicquid alius faciendo commiſit. Cúmque ſcriptum ſit: Non poteſtis duobus Dominis ſeruire; [f] ſeruiuit ſæculari Domino, obtemperauit eius edicto: magis obaudiuit humano imperio, quam Deo. Viderit an minore vel dedecore, vel crimine apud homines publicauerit quod admiſit. Deum tamen iudicem [g] ſubterfugere & vitare non poterit, cum dicat Spiritus ſanctus in pſalmis: Quod eſt imperfectum meum, viderunt oculi tui; & in libro tuo omnes ſcribentur. Et iterum: [h] Homo videt in facie, Deus autem in corde. Ipſe quoque Dominus præmoneat & præſtruat dicens: Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis. Perſpicit ille abdita; & ſecreta atque occulta conſiderat. Nec Dei oculos poteſt aliquis euadere dicentis: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo? Videt ille corda & pectora ſingulorum, & iudicaturus eſt non tantum de factis, ſed & de verbis & de cogitationibus noſtris, omnium mentes voluntatéſque conceptas in ipſis adhuc clauſi pectoris latebris intuetur. Denique quanto & fide maiores & timore meliores ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti? quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt. [i] hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt; ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non deridetur. Derideri & circumueniri Deus non poteſt, nec aſtutia aliqua fallente deludi. Plus immo delinquit, qui ſecundum hominem Deum cogitans, euadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Chriſtus in præceptis ſuis dicit: Qui confeſſus me fuerit, confitebitur cum filius hominis. Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur? Quo modo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit, aut metuit? Minus planè peccauerit non videndo idola, nec ſub oculis circumſtantis atque inſultantis populi ſanctitatem fidei profanando, non polluendo manus ſuas funeſtis ſacrificiis, nec ſceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit vt ſit minor culpa, non vt innocens conſcientia. Facilius poteſt ad veniam criminis peruenire, non eſt tamen immunis à crimine. Nec ceſſet in agenda pœnitentia atque in Domini miſericordia depre-

a MANIBVS INDIGNIS.] Vet. *inquinatis. Idem.*

b SANCTVM DOMINI.] Sanctificatus in Domini corpore cibus vt ſuprà dixit: Sanctificatus in Domini ſanguine potus. RIG.

c QVAM MVLTI QVOTIDIE POENITENTIAM NON AGENTES.] In vno exemplari tantùm habetur: *Quàm multi quotidie immundis ſpiritibus adimplentur. Idem.*

d ET ILLA PROFESSIO DENEGANTIS.] Huic loco ſatis obſcuro lucem dabit Epiſtola Clericorum Eccleſiæ Romanæ quæ ſuprà habetur, Agitur illic de Chriſtianis qui ſeipſos infideles illicita nefariorum libellorum profeſſione prodiderant. hos non minùs teneri diabolo, ſiue diaboli laqueis, quàm ſi ad nefarias aras acceſſiſſent, hoc ipſo quod ipſum diabolum conteſtati fuerant illicita profeſſione libellorum, per quos id ſignificauerant, ſiue conteſtati fuerant, ſe dare præmium concuſſori ſiue militi ſiue præſidi, ne quod non licet facerent ſcilicet, ne cogerentur ſacrificare idolis. Hanc verò profeſſionem Cyprianus ait eſſe profeſſionem denegantis Chriſtum. & Negatoris, non Confeſſoris. Videatur etiam Epiſt. ad Antonianum. *Idem.*

e QVEM SIBI DEI IVDICIS CENSVRA SERVAVIT.] In Veneronenſi: *quem ſibi Dei judicis ira ſ. Idem.*

f SERVIVIT SECVLARI DOMINO.] Ethnico, idololatriæ. Hodie ſeculares dicimus eos, qui non epiſcopi ſunt, non preſbyteri, non diaconi. quantumuis aliás ſint fide Chriſtiani. *Idem.*

g SVBTERFVGERE.] Vet. & Ben. *fugere.* RIG.

h HOMO VIDET IN FACIE.] Vet. *Homo videt in faciem: Deus autem in cor. Ibidem.*

i *Hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes.* Facere equidem poteſt hic locus Cypriani ad confeſſionis ſecretæ demonſtrationem, quod docet optimè Pameſius; ſed quis ei aſſentiri poteſt, dum Tertullianum in ſui patrocinium aduocat ex cap. 10. de pœnitentia? Locum adducet, verum non ſatis intelligere videtur quænam ſit Tertulliani exomologeſis. Nam exomologeſis illa ſeu pœnitentia publica quæ ſemel tantum fiebat, peccata coram omnibus manifeſtari poſtulabat. Id euincit celebris locus Sozomeni. ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας, τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. *Sacerdotibus placuit primum peccata explicari in conſpectu populi in eccleſia coacti, veluti in theatro.* Inutilis itaque labor Pamelij, cuius tamen laudandus animus, & diligentia non condemnanda. Poſt eruditos quoſdam aſſerere non verebor, Tertullianum mentionem nullam feciſſe confeſſionis ſecretæ, toto libro de pœnitentia. PRI.

tueprecanda, ne quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumulequr. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui delice it in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt. Conuertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam natminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſterRe, illi mæſtitia ſatisfaciat: illi ſpes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipſe: ſci uertimini, inquit, ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & ieiunio, & fletu, & planctu; & oſtndite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Ad Dominum toto corde redeamus. Iram & ta enſam eius, ieiuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Lamentari eum punimus ex toto corde, ieiuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari; qui ex primo crimi- s die, lauacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus paſtus, & ſagina largiore diſtentus, m[a] cruditates ſuas poſtridie ructat, nec cibos & potus ſuos cum pauperum neceſſitate comſi unicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quo modo mortem ſuam deflet? Cumque ſcriptum t: [b] Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ; barbam vellit, & faciem ſuam comit? Et placere nunc cuiquam ſtudet, qui Deo diſplicet? An illa ingemiſcit & plangit, cui vacat cultum, prætioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti, quod perdidit, cogitare? accipere pretioſa ornamenta, & monilia elaborata, nec diuini & cæleſtis ornatus damna deflere? Tu licet indumenta peregrina & veſtes ſericas induas, nuda es. Auro te licet & margaritis gemmiſque condecores, ſine Chriſti decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſine. Et quæ [c] nigri pulueris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lacrimis oculos tuos ablue. [d] Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & fleres? facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſera perdidiſti, ſpiritaliter mortua ſuperuiuere hic tibi; & ipſa ambulans funus tuum portare cæpiſti; & non acriter plangis, non iugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis? Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta; peccaſſe, nec ſatisfacere, deliquiſſe, nec delicta deflere. Ananias, Azarias, Miſahel illuſtres ac nobiles pueri; quo minus exomologeſin Deo facerent nec inter flammas & camini exæſtuantis incendia quieuerunt. Bene ſibi licet conſcij, & Dominum fidei ac timoris obſequio ſæpè promeriti, humilitatem tamen tenere, & [e] Domino ſatisfacere, nec inter ipſa glorioſa virtutum ſuarum martyria deſtiterunt. Loquitur ſcriptura diuina: Stans, inquit, Azarias precatus eſt, & aperuit os ſuum, & exomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis in medio ignis. Daniel quoque poſt fidei atque innocentiæ ſuæ multiplicem gratiam, poſt dignationem Domini circa virtutes ac laudes ſuas ſæpe repetitam, ieiuniis adhuc promereri Deum nititur in ſacco & in cinere volutatur, exomologeſin faciens dolenter & dicens: Domine Deus magnus & fortis, & metuendus, qui ſeruas teſtamentum tuum & miſerationes eis qui te diligunt & conſeruant imperia tua, peccauimus, facinus admiſimus, impij fuimus, tranſgreſſi ſumus, ac deſeruimus præcepta tua & iudicia tua, non audiuimus verba puerorum tuorum Prophetarum, quæ locuti ſunt in nomine tuo, ſuper reges noſtros & omnes gentes, & ſuper omnem terram. Tibi Domine gloria, tibi iuſtitia, nobis autem confuſio. Hæc mites, hæc ſimplices, hæc innocentes in promerenda Dei maieſtate fecerunt & nunc ſatisfacere, & Dominum rogare detrectant, qui Dominum negauerunt? Quæſo vos fratres acquieſcite ſalubribus remediis, conſiliis obedite melioribus; cum lacrimis noſtris veſtras lacrimas iungite, cum noſtro gemitu veſtros gemitus copulate. Rogamus vos, vt pro vobis Deum rogare poſſimus; preces ipſas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis vt miſereatur, oramus. Agite [f] pœnitentiam plenam dolentis ac lamentantis animi probate mœſtitiam. Nec vos quorundam moueat aut error improuidus, aut ſtupor vanus, qui cum teneantur [g] in tam grandi crimine, percuſſi ſunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei maior hæc plaga eſt,

a CRVDITATES SVAS POSTRIDIE RVCTAT.] Ab hoc voracitatis vitio Tertullianus procudit, Cruditate. Vnde & Cruditate ortygometras vſque ad choleram, &, Cruditate in mortem. RIG.

b *Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ, &c.* Crimen iſtud, & quæ ſequuntur ab omnibus ferè, antiquis reprehenduntur acerrimè à veteribus, Tertulliano cap. 4 de Pallio. Clemente Alexandr. cap. 3 lib. 3. Pædag. *διὰ τούτους γοῦν πλήρεις αἱ πόλεις πιττούντων, ξυρούντων, παρατιλλόντων τοὺς θηλυδρίας τούτους. Eorum cauſa ſcatent hominibus ciuitates, qui effœminatos illos picant, radunt, vellunt.* Mitto Suetonium in Iulio cap. 45. in Othone cap. 12. Senecam epiſt. 47. & Senecam patrem controuerſ. 2. alioſque profanos, apud quos hæc obuia ſunt. PRI.

c NIGRI PVLVERIS DVCTV.] Ver. *nigro pul. ductu.* RIG.

d SI QVEM DE TVIS CARIS.] *Si quem de tuis carum.* Idem.

e *Domino ſatisfacere.* Hoc eſt confeſſione non ſolùm ſed opere: Nam in vera exomologeſi tam facta quam verba continebantur. PRI.

f *Agite pœnitentiam plenam, &c.* Plena pœnitentia à Tertulliano cap. 9 de pœnit. tribus conſtare dicitur, ſordibus corpus obſcurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit, triſti tractatione mutare. Quæ cum olim ad reos ſolum pertinerent, ad pœnitentes poſteà ſunt traducta. Eadem in plena pœnitentia requirere videtur Cyprianus. S. Ambroſius ad Virg. lapſam, *ſingula membra digna caſtigatione puniends.* Et prolixius ibidem *Amputentur crines, qui occaſionem luxuriæ præbuerunt; defluant oculi lacrymis, qui non ſimpliciter adſpexerunt, palleſcat facies quæ rubuit impudicè: denique corpus iniuria maceretur, cinere aſperſum & opertum cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit.* Locum hunc adduxi non tam vt tria illa, quæ Tertullianus ac poſtea Cecilius requirit, oſtenderem quam diffuſam & accuratam pœnitentiæ rationem afferrem. Similiter de pœnitentibus Sozomenus lib 7. cap. 16. *ἑστᾶσι δὲ κατηφεῖς, καὶ οἷον πενθοῦντες, deiecti ſunt ac veluti lugentes* Idem.

g IN TAM GRANDI CRIMINE.] Ben. & Ver. *tam grani.* RIG.

eſt, ſicut ſcriptum eſt: Et dedit illis Deus ſpiritum tranſpunctionis. Et iterùm: Dilectum veritatis non receperunt, vt ſalui fierent; ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placent in iniuſtitia. Iniuſtè ſibi placentes, & tranſpunctæ mentis alienatione dementes; Domini præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt. Ante admiſſum facinus improuidi, poſt facinus obſtinati, nec prius ſtabiles, nec poſtmodum ſupplices: quando debuerant ſtare iacuerunt: quando jacere & proſternere ſe Deo debent, ſtare ſe opinantur. Pacem ſibi vltrò nemine dante ſumpſerunt; falsa pollicitatione ſeducti, & apoſtatis ac perfidis iuncti, errorem pro veritate ſuſcipiunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt; hominibus contrà Deum credunt, qui contrà homines Deo non crediderunt. Eiuſmodi homines quantum poteſtis effugite, pernicioſis contractibus adhærentes ſalubri cautione vitate. Sermo eorum ſicut cancer ſerpit, colloquium velut contagium tranſilit, noxia & venenata perſuaſio perſecutione ipſa peius interficit. [a] Illic ſola ſupereſt pœnitentia, quæ ſatisfaciat. Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, ſatisfactionis viam claudunt: ita fit vt dum temeritate quorumdam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ lucis adimatur. Vos verò fratres dilectiſſimi, quorum timor in Deum pronus eſt, & in ruina licet animus conſtitutus, mali ſui memor eſt; pœnitentes ac dolentes peccata veſtra perſpicite, grauiſſimum conſcientiæ crimen agnoſcite, ad intelligentiam delicti veſtri oculos cordis aperite; nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantùm iudicis majeſtate metuendus eſt. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & [b] longa medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit. Putas-ne tu Dominum poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cuius templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti. Orare oportet impenſiùs & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare [c] ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari: poſt indumentum Chriſti perditum, nullum hic iam velle veſtitum: poſt diaboli cibum malè ieiunium: iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte animæ liberentur. Quod aduerſarius auferebat, Chriſtus accipiat, nec teneri iam nec amari patrimonium debet, quo quis & deceptus & victus eſt. Pro hoſte vitanda res, pro latrone fugienda, [d] pro gladio [e] metuenda poſſidentibus & vendenda. Ad hoc tantùm profuerit quod remanſit, vt inde crimen & culpa redimatur. Incunctanter & [f] largiter fiat operatio: cenſus omnis in medelam vulneris erogetur: opibus & facultatibus noſtris qui de nobis iudicaturus eſt Dominus feneretur. Sic ſub apoſtolis fides viguit, ſic primus credentium populus Chriſti mandata ſeruauit, prompti erant, largi erant, diſtribuendum per Apoſtolos totum dabant, [g] & non talia delicta redimebant. Si precem toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum iuſtis & continuis operibus inflectat; miſereri talium poteſt, qui & miſericordiam ſuam protulit dicens: [h] Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis, & ſcies vbi fueris. Et iterùm: Nolo mortem morientis, dicit Dominus quantum vt reuertatur & viuat. Et Iohel propheta pietatem Domini, Domino ipſo monente declarat: Reuertimini, inquit, ad Dominum Deum veſtrum; quoniam miſericors & pius eſt, & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat aduerſus malitias irrogatas. Poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint ſacerdotes: vel ſi quis plus eum ſuis ſatisfactionibus mouerit, ſi eius iram, ſi indignantis offenſam iuſta deprecatione placauerit; dat ille & arma rurſum, quibus victus armetur, reparat & corroborat vires, quibus fides inſtaurata vegetetur. Repetet certamen ſuum miles, iterabit aciem, prouocabit hoſtem, & quidem factus ad prælium fortior per dolorem. Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis & fide de ipſo lapſus ſui dolore conceperit: exauditus & adiutus à Domino quam contriſtauerat nuper, lætam faciet Eccleſiam: nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.

[a] DE

a *Illic ſola ſupereſt pœnitentia.* Vocem *ſola* denuò adjecimus ex M S & exc. vet. omiſſam primum à Remboldo, eſt autem locus obſcurus. Paulò poſt ex iiſdem vocem *dilectiſſimi.* PAM.

b LONGA MEDICINA.] Vt lib. de Lapſis: *longa ſupplicia.* RIG.

c *Stratos ſolo adhærere cineri. &c.* Affligin. cod. legit *ſtrato ſolo adhærere in cinere & cilicio.* Verùm prius magis accedit ad illud Tertulliani, *ſacco* & cineri incubare, quod hic imitatur. PAM.

d PRO GLADIO METVENDA POSSIDENTIBVS ET VENDENDA. Sic Pamelius edidit, perperam. Manucius ediderat: *Pro gladio metuenda poſſidentibus & veneno.* Rectiſſimè. atque ita legitur in optimis exemplaribus. & mens auctoris hoc flagitat. RIG.

e *Metuenda poſſidentibus & veneno.* Ita Cambron. cod: Grauius, Manutius, & Morellus, cæteri *vendenda*, quod magis placet, ob id quod immediatè ſequitur, *ad hoc tantùm profuerit, &c* vbi paupertatem voluntariam primorum credentium denuò pro exemplo lapſis proponit imitandam. PAMELIVS.

f *Largiter fiat operatio.* Quid operatio Cypriano dicemus infrà lib de opere & eleemoſynis. *Idem.*

g ET NON TALIA DELICTA REDIMEBANT.] Hoc eſt, non tam atrocia. RIG.

h *Cum conuerſus ingemueris.* Totidem verbis citatur hæc ſcriptura à D. Hieron epiſtolis ad Sabinianum diaconum, & ad Ruſticum vide ſuprà epiſt. 18. PAM.

[a] DE VNITATE ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

[b] CVM moneat dominus & dicat: Vos eſtis ſal terræ, cumque eſſe nos iubeat ad innocentiam ſimplices & tamen cum ſimplicitate prudentes: quid aliud fratres dilectiſſimi, quam prouidere nos conuenit, & ſollicito corde vigilantes ſubdoli hoſtis inſidias intelligere pariter & cauere, ne qui Chriſtum ſapientiam Dei patris induimur, minus ſapere intuenda ſalute videamur? Neque enim perſecutio ſola metuenda eſt, & ea quæ ſubruendis ac deiiciendis Dei ſeruis aperta impugnatione graſſantur. Facilior cautio eſt, vbi manifeſtior formido eſt; & ad certamen animus ante præſtruitur, [c] quando ſe aduerſarius profitetur. Plus metuendus eſt & cauendus inimicus, cum latenter obrepit; cum per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit, vnde & nomen ſerpentis accepit. Ea eſt eius ſemper aſtutia: ea eſt circumueniendi hominis cæca & latebroſa fallacia: ſic ab initio ſtatim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit: ſic Dominum ipſum tentare conatus, quaſi obreperet, rurſus & falleret, latenter acceſſit, intellectus tamen eſt & retuſus, & ideo proſtratus, quia agnitus, atque detectus. Vnde nobis exemplum datum eſt veteris hominis viam fugere, veſtigiis Chriſti vincentis inſiſtere; ne denuo incauti in mortis laqueum reuoluamur, ſed ad periculum prouidi accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo poſſumus, niſi ea quibus mors expugnatur & vincitur, Chriſti mandata ſeruemus? ipſo monente & dicente: Si vis ad vitam venire, ſerua mandata. Et iterum: Si feceritis quæ mando vobis, [d] iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, Hos denique fortes dicit & ſtabiles; hos ſuper petram robuſta mole fundatos; hos contra omnes tempeſtates & turbines ſæculi immobili & inconcuſſa firmitate ſolidatos. Qui audit, inquit, verba mea, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram. Deſcendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim fuit ſuper petram. Verbis igitur eius inſiſtere; quæcunque & docuit & fecit, diſcere & facere debemus. Cæterum credere ſe in Chriſtum quomodo dicit, qui non facit quod Chriſtus facere præcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem non vult ſeruare mandati? Nutet neceſſe eſt & vagetur; & ſpiritu erroris arreptus, velut puluis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad ſalutem, qui ſalutaris viæ non tenet veritatem. Cauenda ſunt autem fratres dilectiſſimi non ſolum quæ ſunt aperta atque manifeſta, ſed & aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid vero aſtutius, quidve ſubtilius, quam vt Chriſti aduentu detectus ac proſtratus inimicus (poſtquam lux gentibus venit, & ſoſpitandis hominibus ſalutare lumen effulſit, [e] vt ſurdi auditum gratiæ ſpiritalis admitterent, aperirent ad Deum oculos ſuos cæci, infirmi æterna ſanitate reualeſcerent, claudi ad Eccleſiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauerit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit; vt cum Euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent; & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment; blandiente aduerſario atque fallente, qui ſecundum Apoſtoli vocem, transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros iuſtitiæ; [f] aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. [g] Hoc eo fit fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, [h] nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruarur. Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem faci-

lis

a DE VNITATE ECCLESIÆ.] Citatur hic titulus ab Auguſtino lib. III. contra Creſcon. cap. 33 Alii addidere, *Catholicæ*, ipſius Cypriani teſtimonio fulti, qui librum hunc ſuum Epiſt LI. apertiſſimè indicat his verbis: *Sed & Catholicæ Eccleſiæ vnitatem quantum potuit expreſſit noſtra mediocritas. quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido*: Pontius in vita Cypriani. ſubindicat titulum, De Vnitate. Alij nouum titulum ſcripſere, De ſimplicitate prælatorum. quod certè vnitatem ſignificat; duplicitatem & multiplicitatem excludit. RIG.

b *Cur moneat Dominus & dicat*. Phraſis Cypriano frequentiſſima. PAM.

c *Quando ſe aduerſarius confitetur*. Ita Cambronen. in marg. & rectius quam a ij; *confitetur*, ſupra alicubi aduotauimus ex Cicerone vtriuſque differentiam eleganter autem explicat, cur diabolus ſerpens cognominetur. *Idem*,

d *Iam non dicam vos ſeruos*. Ita MS. rectius quam vulg. præſertim quum ita diſtinguatur locus ille Ioannis 18. cum Cypriano· *Idem*.

e VT SVRDI AVDITVM GRATIÆ SPIRITALIS.] Vtrumque autem verbo ſuo Chriſtus effecit, vt & corpore & ſpiritu, ſurdi audirent, cæci viderent, infirmi reualeſcerent. RIG.

f *Aſſerentes noctem pro die*. Locum hunc citat D. Bernardus ſerm. de donis Spiritus cap. 5. vbi proinde caſtigando eſt pro eo quod habet *aſſerentes*. PAM.

g *Hoc eo fit fratres dilectiſſimi*. Latiſſimè hic & apertiſſimè repetit quod paucis dixerat epiſt. 55. Cyprianus, initium hæreſum & ſchiſmatum eſſe Romani Pontificis contemptum. PAM.

h NEC MAGISTRI COELESTIS.] In Ver. legitur, *magiſterii*. RIG.

lis compendio veritatis. [a] Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. [b] Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. [c] Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. [d] Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, [e] vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. [f] Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. [g] Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & cathedra vna monſtretur. Et paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur. [h] Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona domini deſignat & dicit: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit in Eccleſia ſe eſſe confidit? quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, & [i] ſacramentum vnitatis oſtendat, dicens: Vnum corpus & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus? Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum, vnum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fæcunditatis extenditur: quo modo ſolis multi radij ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci

a LOQVITVR DOMINVS AD PETRVM.] Totum hunc locum, variis editionibus paſſim interpolatum, vna ſemel obſeruatione ad exemplarium fidem conſtituamus, partes poſthac ſingulas examinaturi. *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in terris. Super vnum ædificauit Eccleſiam. & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum: Si cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cuius tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur. Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit: Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe contendit? quando & beatus apoſtolus Paulus hoc doceat, & ſacramentum vnitatis oſtendat dicens, Vnum corpus & vnus ſpiritus, &c* Hoc tantùm habent exemplaria duo vetuſtiſſima, quorum alterum litteris ſcriptum eſt quas vocant capitales, nec amplius quidquam legitur in exemplari Regio, aliquanto recentiore. *Idem.*

b ET ITERVM EIDEM POST RESVRRECTIONEM SVAM DICIT.] Hæc inſititia eſſe ſatis ex eo deprehenditur; quod minimè conueniunt propoſito: & Pamelius ipſe fatetur in manuſcripto Card. Hoſij, poſt hanc Scripturæ clauſulam, *Paſce oues meas*, adjectum fuiſſe, *Hic Petro primatus datur.* Atque hinc arguitur, & hîc & in ſequentibus, notulam iſtam vt in Can. VI. Concilij Nicæni, in ora codicis adſcriptam, pro captu inepti alicuius librarij irrepſiſſe in textum Cypriani. Abſurde omnino. Etenim neque hic neque in ſequentibus, de primatu aut principatu Petri agitur, ſed de vnitate Eccleſiæ Immo deſtruit vnitatem Primatus. nam qui vnus eſt, is non primus, neque poſtremus, ſed ſolus eſt. *Idem.*

c SVPER ILLVM, ET ILLI PASCENDAS.] Præpoſitiones iſtæ *illum* & *illi*, argumenta ſunt adulterinæ manus quæ pro libidine ſua flagitium hîc fecit. *Idem.*

d *Quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat.* Locus hic mirificè Primatum Petri ſtabilire videtur, tum propter auctoritatem Cypriani, tum eo quod non adeò huic cauſæ fauiſſe vulgò fertur. Huic affinis locus B. Hieronymi cap. 14. lib. I aduerſ. Iouinian. *At dicis*, inquit, *ſuper petram fundatur eccleſia, licet id ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiat, & ex æquo ſuper illos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* PRI.

e VNAM CATHEDRAM CONSTITVIT.] Hæc non leguntur in exemplaribus noſtris Quod autem ſequitur: *vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*, in Veronenſi aliter habetur: *vnitatis eiuſdem originem atque rationem ſua auct. diſp.* ne quid diſſimulem, totum hunce ad locum optarem equidem hiſce meis oculis videre codices illos, aliàs vbique ferè præſtantiſſimos, Veronenſem & Beneuentanum R I O.

f HOC ERANT VTIQVE ET CETERI QVOD FVIT PETRVS.) Eulogius epiſcopus Alexandrinus lib. II. contra Nouatianos, quo in opere fortiter pro Cornelio epiſcopo Romano dimicauit, claues regni cælorum ſoli Petro datas à Chriſto fuiſſe dicebat, hoc colore, quod negaturus Chriſtum Petrus, ac pœnitentia ſua, fletu illo amaro, veniam promeriturus, poſt impetratam commiſſi veniam clauium poteſtate donatus, mitiùs videretur acturus cum negatoribus. Ad Eulogij verba Photius notat, τοῦτο μὲν φησὶν ὁ Εὐλόγιος πιθανώτερον μᾶλλον ἢ ἀληθέστερον λέγει. Εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον εἴρηται, ἀλλ' οὖν ἐν προσώπῳ τοῦ κορυφαίου, καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν μαθητῶν ἡ τοιαύτη ἐξουσία ἐδίδοτο. Sacramentum fuit vnitatis, quod Chriſtus Petro promiſit claues, quas poſtmodum & cæteris dedit Apoſtolis. Nec aliud quidquam ſibi volunt Optati verba lib. VII. Bono vnitatis Petrus, cui ſatis erat ſi poſtquam negauit ſolam veniam conſequeretur, & præferri apoſtolis omnibus meruit, *Et claues regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit. Communicandas cæteris dixit, quas ipſe Chriſtus communicaturus erat & ceteris.* Nam quod Matth. XVI. 18 dixit Petro, *Quodcunque ligaueris*, hoc etiam Matth. XVIII. 18. dixit & ceteris, *Quæcunque ligaueritis.* Quod promittit ſe daturum Petro, non dedit Petro, niſi tùm dedit & cæteris, poſt ſuam videlicet ſurrectionem inſufflauit eis & dixit: Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Ioannis XX. 22. 23. *Idem.*

g PRIMATVS PETRO DATVR, VT VNA CHRISTI ECCLESIA MONSTRETVR) Malè meriti ſunt de ſanctiſſimo Cypriano, qui ſapientiſſimum epiſcopum faciunt auctorem iſtius paralogiſmi vt ſuprà demonſtrauimus. Hanc abſurditatem agnouit Auctor notarum ad calcem editionis Romanæ. Nam quod hîc à Cypriano dicitur, hoc fuiſſe cæteros Apoſtolos quod fuit Petrus, pari conſortio præditos honoris & poteſtatis, omnino de æqualitate apoſtolatus intelligendum eſſe ait: hanc verò æqualitatem cum apoſtolis morientibus ceſſaſſe, nec ad epiſcopos tranſiiſſe, qui ſuccedunt, inquit, apoſtolis in miniſterio epiſcopalis dignitatis pro ſua quiſque portione. at in ſolo Petro remanſiſſe omnem plenitudinem poteſtatis, ad vniuerſalem eccleſiæ totius gubernationem. *Idem.*

h QVAM VNAM ECCLESIAM.] Connexio iſti declarat veriſſimam eſſe noſtrorum exemplarium ſcripturam, in quibus abſque vlla interjectione legitur: *exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur, quam vnam eccleſiam,* &c. *Idem.*

i SACRAMENTVM VNITATIS.] Vnius appellatio, maximè conueniens diuinitati, fecit apud rerum Chriſtianarum ſcriptores ſacramentum vnitatis. Vni Deo ſacrata multis

naci radice fundatum: & cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. [a] Sic & Eccleſia domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit: Vnum tamen caput eſt, & origo vna; & vna mater, fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc non Deo ſeruat, hæc filios regno quos generauit aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perueniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. [b] Si potuit euadere quiſquam qui extra arcam Noë fuit; & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit. Monet Dominus & dicit: Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit. Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, aduerſus Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Dicit Dominus: Ego & pater vnum ſumus. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Et hi tres vnum ſunt; & quiſquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, ſacramentis cæleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium diuortio ſeparari? Hanc vnitatem qui non tenet; Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & ſalutem. [c] Hoc vnitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur; quando in Euangelio tunica domini Ieſu Chriſti non diuiditur omnino nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, quis ipſam potius indueret, integra veſtis accipitur & incorrupta atque indiuidua tunica poſſidetur. Loquitur ac dicit ſcriptura diuina: De tunica autem, quia de ſuperiore parte non conſutilis, ſed per totum textilis fuerat, dixerunt ad inuicem: Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de ea cuius ſit. Vnitatem illa portabat de ſuperiore parte venientem, id eſt, de cælo & à patre venientem; quæ ab accipiente ac poſſidente ſcindi omnino non poterat, ſed totam ſemel & ſolidam firmitatem inſeparabiliter obtinebat. Poſſidere non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit & diuidit Eccleſiam Chriſti. Contra denique cum Salomone moriente, regnum eius & populus ſcinderetur, Achias propheta Ieroboam Regi obuius factus in campo, in duodecim ſciſſuras veſtimentum ſuum diſcidit, dicens; Sume tibi decem ſciſſuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce ſcindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem ſceptra, & duo ſceptra erunt ei propter ſeruum meum Dauid, & propter Hieruſalem ciuitatem quam elegi, vt ponam nomen meum illic. Cum duodecim tribus Iſraël ſcinderentur, veſtimentum ſuum propheta Achias diſcidit. At verò quia Chriſti populus non poteſt ſcindi, tunica eius per totum textilis & cohærens diuiſa à poſſidentibus non eſt: indiuidua, copulata, connexa, oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum induimus, concordiam cohærentem; [d] ſacramento veſtis & ſigno declarauit Eccleſiæ vnitatem. Quis ergo ſic eſt ſceleratus & perfidus, quis ſic diſcordiæ furore veſanus; vt aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere vnitatem Dei? veſtem Domini? Eccleſiam Chriſti? Monet ipſe in Euangelio ſuo, & docet dicens: [e] Et erit vnus grex, & vnus paſtor. Et eſſe poſſe vno in loco aliquis exiſtimat aut multos paſtores, aut plures greges? Apoſtolus item Paulus hanc eandem nobis inſinuans vnitatem, obſecrat & hortatur dicens: Obſecro, inquit, vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. [f] Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu, [g] & in eadem ſententia. Et iterùm dicit: Suſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis. Stare tu & viuere putas poſſe de Eccleſia recedentem? ſedes ſibi alias & diuerſa domicilia condentem? cum ductum ſit ad Raab; in qua præformabatur Eccleſia: Patrem

articulis vnitas, myſterium condidit vnitatis. Sic vna cathedra, vna eccleſia, vnum corpus, vnus ſpiritus, vna ſpes, vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Et epiſt. LI. Eccleſiæ veritas, Euangelij ac ſacramenti vnitas. *Idem.*]

a SIC ET ECCLESIA DOMINI LVCE PERFVSA. Hanc clauſulam citat Auguſtinus libro III. contra Creſc. & ſubjungit. *Hanc eccleſiam Cyprianus in ſcripturis ſanctis promiſſam, in vniuerſo mundo redditam, dilexit, tenuit, commendauit, quam perditi ſchiſmatici vel hæretici, velut à malis ſe diſcernere ac ſeparare cupientes, ſeditionibus impiis reliquerunt*

b SI POTVIT EVADERE QVISQVAM QVI.] Non debuit mutari ſcriptura libri Ver *Sic potuit euadere quiſquis extra arcam Noe tunc fuit.* RIG.

c *Hoc vnitatis ſacramentum, &c.* Figuras affert Eccleſiæ vnitatis quomodo etiam ſupra epiſt. ad Magnum ſed hic longè plures. PAM.

d SACRAMENTO VESTIS ET SIGNO.] Signum vocat ſacramentum, imaginem, exemplum, ſimilitudinem, figuram, &c. paulò pòſt dicet, *ſacramentum Paſcha, agnum qui in figura Chriſti occiditur.* RIG.

e ET ERIT VNVS GREX, VNVS PASTOR.] Vnitate ſententiæ, non perſonæ, vt id ipſum dicant omnes; deſuper contexti per totum, vt ſint ſuſtinentes inuicem in dilectione; ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in conjunctione pacis. *Idem.*

f *Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu.* Ita excuſ. & Cambronen. ad marginem idem in contextu & Affliginien *ſitis autem perfecti*, vtrumque ſignificat vox græca καταρτισμένοι; quamquam prius magis accedat ad propriam ſignificationem eius vocis, Nam καταρτισμὸν vocat Paulus Ægineta, cum laxati artus componendo redeunt ad iuncturam, vnde tranſlatio facta. PAM.

g *Et in eadem ſententia.* Affligin legit *ſcientia* quomodo & noſter interpres, varietas lectionum orta ex vicinitate vocum græcarum γνώμῃ & γνώσει: & variant etiam hodiè latini codices *Idem.*

trem tuum & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam, & erit, omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit: Item ſacramentum Paſchæ nihil aliud in Exodi lege contineat, quam vt agnus, qui in figura Chriſti occiditur, in domo vna edatur. Loquitur Deus dicens: In domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras. Caro Chriſti & ſanctum Domini eiici foras non poteſt, nec alia vlla credentibus præter vnam Eccleſiam domus eſt. Hanc domum, hoc vnanimitatis hoſpitium deſignat, & denunciat Spiritus ſanctus in Pſalmis, dicens: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. In domo Dei, in Eccleſia Chriſti vnanimes habitant, concordes & ſimplices perſeuerant. [a] Iccirco & in columba venit Spiritus ſanctus. Simplex animal & lætum eſt, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum: hoſpitia humana diligere, vnius domus conſortium noſſe, cum generant ſimul filios edere, cum commeant volatibus inuicem cohærere, communi conuerſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere. [b] Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda; vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt manſuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquetur. Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale ſerpentum? & cruenta ſæuitia beſtiarum? Gratulandum eſt, cum [c] tales de Eccleſia ſeparantur; ne columbas, ne oues Chriſti ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere & conjungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fecunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apoſtolus dicens: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Hinc hæreſes & factæ ſunt frequenter, & fiunt, dum peruerſa mens non habet pacem dum perfidia diſcordans non tenet vnitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, vt dum corda & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat. Per Apoſtolum præmonet Spiritus ſanctus & dicit: Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti ſint in vobis. Sic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur: ſic & ante iudicij diem hic quoque iam iuſtorum atque iniuſtorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ ſeparantur. [d] Hi ſunt qui ſe vltro apud temerarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt: quos deſignat in pſalmis Spiritus ſanctus, ſedentes in peſtilentiæ cathedra peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & [e] corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis peſtiferis euomentes: [f] quorum ſermo vt cancer ſerpit: quorum tactus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus infundit. Contra eiuſmodi clamat Dominus, ab his refrænat & reuocat errantem plebem ſuam dicens: Nolite audire ſermones pſeudoprophetarum: quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur ſed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abiiciunt verbum Dei: Pax erit vobis; & omnibus ambulantibus in voluntatibus ſuis: [g] omnis qui ambulat in errore cordis ſui, non venient ſuper eum mala. non locutus ſum ad eos, & ipſi prophetauerunt. [h] Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, & audiſſent verba mea, & ſi docuiſſent populum meum, conuertiſſem eos, à malis cogitationibus eorum. Hos eoſdem denuo Dominus deſignat & denotat dicens: Me dereliquerunt [i] fontem aquæ viuæ, & effoderunt ſibi lacus detritos, qui non poſſunt aquam portare. Quando aliud baptiſma præter vnum eſſe non poſſit, baptizare ſe poſſe opinantur. Vitæ fonte deſerto, vitalis & ſalutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illis homines, ſed potius ſordidantur: nec purgantur delicta, ſed immo cumulantur. Non Deo natiuitas illa, ſed diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promiſſa concupiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non poſſunt, qui pacem Domini diſcordiæ furore repetunt. Nec ſe quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus: Vbicunque fuerint duo aut tres collecti

a IN COLVMBA VENIT SPIR. S.] Veronenſis ſcriptura, *In Columbam*. RIG.

b *Hæc eſt in eccleſia Noſcenda ſimplicitas.* Ita ſimplicitatem accipit, vt à duplicitate diſtinguatur: quomodo etiam D. Auguſtinus contra Creſcon. Atque hinc non malè conjecit Reinundus Rufus inſcribendum potius librum hunc: *de ſimplicitate Eccleſiæ*, quam *de ſimplicitate prælatorum*. PAM.

c *Tales de Eccleſia ſeparantur.* De Eccleſia ſeparari dixit, quod nos excommunicari. *Idem.*

d *Hi ſunt qui ſe vltrò.* Agit contra Nouatianum & eius ſchiſmatis ſequaces. Ille enim ſine vlla ordinationis lege præpoſitus conſtitutus eſt, & nemine epiſcopatum dante, Epiſcopi Romani ſibi nomen aſſumpſit, vti ſupra latius in epiſtolis ſub Cornelij pontificatu ſcriptis. Optime autem quadrant hæc ipſa verba, in noſtræ tempeſtatis hæreticorum miniſtros *Idem.*

d HI SVNT QVI SE VLTRO APVD TEMERARIOS CONVENAS] Nouatianum ſignificat, & fraternitatem illi connexam. videatur Epiſtola XLIV. RIG.

e CORRVMPENDÆ VERITATIS ARTIFICES.] σοφιςαι, RIG.

f QVORVM TACTVS PECTORIBVS ET CORDIBVS SING. MORT. VIRVS INFVNDIT] Omnino ſcribendum vt eſt in Veronenſi· *quorum tractatus*. Etenim loquitur de iis qui ſermones habent ad populum. Sic alibi Noſter: Epiſcopo tractante. Hoc eſt. differente, diſputante Et ad Demetrianum: Tuam rabiem tractatibus coërcere. *Idem*:

g OMNIS QVI AMBVLAT] Ver *omni*, rectè. *Idem.*

h SI STETISSENT IN SVBSTANTIA MEA] In ſoliditate fundamenti quod poſui. Sic infrà, *Subſtantiam ſalutis amittit*. Pſal. LXVIII. *Infixus ſum in limo profundo & non eſt ſubſtantia*. *Idem.*

i FONTEM AQVÆ VIVÆ] Scribendum vt eſt in Veronenſi: *fontem aquæ viuæ*. Etenim mox ſequitur. *Vitæ fonte deſerto*. RIG.

a Cor-

lecti in nomine meo, ego cum eis ſum. [a] Corruptores Euangelij atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt; partis memores, & partem ſubdolè comprimentes. Vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli vnius ſententiam ſcindunt. Dominus enim cum diſcipulis ſuis vnanimitatem ſuaderet & pacem: Dico, inquit, vobis: quoniam ſi duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re, quamcumque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cælis eſt. Vbicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum: oſtendens non multitudini, ſed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra: vnanimitatem prius poſuit; concordiam pacis antè præmiſit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quo modo autem poteſt ei cum aliquo conuenire; cui cum corpore ipſius Eccleſiæ & cum vniuerſa fraternitate non conuenit? Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab eius euangelio ſeparari? non enim nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt. Et cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſunt dum conuenticula ſibi diuerſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Eccleſia ſua loquitur, & ad hos qui ſunt in Eccleſia loquitur: [b] vt ſi ipſi concordes fuerint, ſi ſecundum quod mandauit & monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet ſint, impetrare poſſint de Dei maieſtate quod poſtulant. Vbicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego, inquit, cum eis ſum; cum ſimplicibus ſcilicet, [c] atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta ſeruantibus. Cum his, duobus vel tribus licet, eſſe ſe dixit. Quo modo & cum tribus pueris in camino ignis fuit; [d] & quia in Deum ſimplices, atque inter ſe vnanimes permanebant, flammis ambientibus medios ſpiritu roris animauit. Quo modo Apoſtolis duobus in cuſtodia clauſis, qui ſimplices, quia vnanimes erant, ipſe adfuit; ipſe reſolutis carceris clauſtris, vt verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rurſus impoſuit. Quando ergo in præceptis ſuis ponit & dicit: Vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum: non homines ab Eccleſia diuidit, qui inſtituit & fecit Eccleſiam; ſed exprobrans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacem ſua voce commendans, oſtendit magis eſſe ſe cum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quam cum diſſidentibus plurimis; pluſque impetrari poſſe paucorum concordi prece, quam diſcordioſa oratione multorum. Ideo & cum orandi legem daret, addidit dicens: Et cum ſteteritis ad orationem, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cælis eſt, remittat vobis peccata. Et ad ſacrificium cum diſſenſione venientem reuocat ab altari, & iubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia nec ad Cain munera reſpexit Deus: neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ ſacrificia celebrare ſe credunt [e] æmuli ſacerdotum? [f] an ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur; qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiam ſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexplicabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Pacem nobis Chriſtus dedit: concordes atque vnanimes eſſe præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata ſeruari mandauit: exhibere ſe non poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & conteſtatur Paulus Apoſtolus dicens: Et ſi habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. [g] Charitas magnanima eſt, charitas benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: charitas numquam excidit. [h] Numquam, inquit, excidit:

a *Corruptores Euangelij atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt.* Apertiſſimè hic hæreticorum techniæ & artes exponuntur; Non abiit à præceptoris ſui ſententia Cyprianus, qui cap. 17. de præſcript. vbi Marcionitas inſectatur. *Iſta hæreſis*, inquit, *non recipit quaſdam ſcripturas & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus, ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit, & ſi recipit, non recipit integras. & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit.* Lolium & zizania vocat Baſilius tergiuerſationes illas hom 5. in hexam. S. Auguſtinus contra Adimantum cap. 14 illum morem optimè deſcribit: locum quia inſignis eſt, adduco. *Hæretici particulas quaſdam de ſcripturis eligunt, quibus decipiunt imperitos, non connectentes quæ ſuprà & infrà ſcripta ſunt, ex quibus voluntas & intentio ſcriptoris poſſit intelligi.* P R I.

b *Vt ſi ipſi concordes fuerint, &c.* Quod nempè dixerat modo; *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.* Studium enim partium & ſchiſmatis eccleſiæ exitiabile eſt, & hoc veluti charactere notantur hæretici. *Nec mihi cum his ſermo eſt*, inquit Arnobius lib 2. *qui per varia ſectarum diuerticula diſſipati, has atque illas partes opinionum diuerſitate fecerunt.* Socrates lib. 5. hiſt. eccl. cap. 10 ἐσπάσθησαν γὰρ εἰς ἑκάστης διαφωνίᾳ, *in varias ſinguli diſtracti ſunt ſententias*, ibi enim diſcordiam & veluti opinionum confuſionem iudicat. *Idem.*

c ATQVE PACATIS.] In Veronenſi, *pacificis*. R I O.

d ET QVIA IN DEVM SIMPLICES.] In Veronenſi legitur: in Domino. At in Beneuentano rectiſſimè: *quia in domo ſimplices.* Hoc ſenſus flagitat. *Idem;*

e ÆMVLI SACERDOTVM.] Nouatum & Nouatianum intelligit. Sic ſuprà æmulum principem. *Idem.*

f AN SECVM ESSE CHRISTVM.] Rectiùs in Ver. *ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur? Idem.*

g CARITAS MAGNANIMA EST.] Paulus dixit: ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ. Chryſoſtomus, de homine qui tale donum à Deo poſſidet: καὶ γὰρ μακρόθυμος διὰ τοῦτο λέγεται, ἐπειδὴ μακράν τινα καὶ μεγάλην ἔχει ψυχήν. *Idem.*

h *Charitas numquam excidit.* Cambronenſis cod & Manut. vtrobique *excidet* ſed prius magis placet, eo quod ita legatur apud Apoſtolum græcè & latinè. P A M.

c NVNQVAM EXCIDIT CARITAS.] In Veronenſi; *Nunquam, inquit, excidet caritas.* R I O.

dit charitas: hæc enim ſemper in regno erit; hæc in æternum fraternitatis ſibi cohærentis vnitate durabit. ad regnum cælorum non poteſt peruenire diſcordia. [a] Ad præmia Chriſti qui dixit: Hoc eſt mandatum meum vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos, pertinere non poterit, qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violauit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Ioannis beati Apoſtoli vox eſt: Deus, inquit, dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet. Cum Deo manere non poſſunt, quia eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant [b] non erit illa fidei corona ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodo & Chriſtum diabolus ſæpè mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt quamuis [c] fallat in nomine illius: ita nec Chriſtianus videri poteſt, qui non permanet in Euangelij eius & fidei veritate. Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, ſublimis vtique & admirabilis res eſt; non tamen regnum cæleſte conſequitur, quiſquis in his omnibus inuenitur, [d] niſi recti & iuſti itineris obſeruatione gradiatur. Denunciat Dominus & dicit: Multi mihi dicent in illo die: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? & in tuo nomine dæmonia excluſimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos cognoui, recedite à me [e] qui operamini iniquitatem. Iuſtitia opus eſt, vt promereri quis poſſit Deum iudicem. Præceptis eius & monitis obtemperandum eſt, vt accipiant merita noſtra mercedem. Dominus in Euangelio cum ſpei & fidei noſtræ viam compendio breuiante dirigeret: Dominus Deus tuus inquit, vnus eſt: & Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum: & ſecundum ſimile huic: Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Vnitatem ſimul & dilectionem magiſterio ſuo docuit: prophetas omnes & legem præceptis duobus incluſit. Quam verò vnitatem ſeruat, quam dilectionem cuſtodit aut cogitat; qui diſcordiæ furore væſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, [f] ſacramentum profanat? Malum hoc dilectiſſimi fratres iam pridem cœperat, ſed nunc creuit eiuſdem mali infeſta clades, & exurgere ac pullulare plus cœpit hæreticæ peruerſitatis & ſchiſmatum venenata pernicies: quia & ſic in occaſu mundi fieri oportebat, prænunciante per Apoſtolum nobis & præmonente Spiritu ſancto: [g] In nouiſſimis, inquit, diebus aderunt tempora moleſta, & erunt homines ſibi placentes, ſuperbi, tumidi, cupidi, blaſphemi, [h] parentibus inobedientes, ingrati, impij, ſine affectu, ſine fœdere, delatores, incontinentes, immites, [i] bonum non amantes, proditores, procaces, [k] ſtupore inflati, voluptates magis quàm Deum diligentes, [l] habentes deformationem religionis, virtutem autem eius abnegantes. Ex iis ſunt qui repunt in domos, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis; ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Et quomodo Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ſic & hi reſiſtunt veritati, [m] homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem, [n] ſed non proficient plurimum Imperitia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Adimplentur quæcunque prædicta ſunt; & appropinquante iam ſæculi fine, [o] hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis aduerſario ſæuiente error fallit, extollit ſtupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, ſuperbia inflat, diſcordia exaſperat, ira præcipitat. Non tamen nos moueat aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, ſed potius [p] fidem noſtram prænunciante rei veritate corroboret. Vt quidam tales

les

a *Ad præmia Chriſti, &c* Cambr. cod. hæc lectio clara eſt, quam in cæteris intricatam faciebat ſuperflua repetitio illius, *ad præmia Chriſti*; facit autem hic locus pro meritis operum. PAM.

b *Non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ.* Hæc verba ſæpiſſimè mutuatus eſt D. Auguſtinus locis dicta epiſtola citatis. *Idem.*

c QVAMVIS FALLAT IN NOMINE ILLIVS.] In Ben. & Ver. tantùm legitur: *Quamvis fallat in nomine.* Quod certè magis ſapit Cypriani ſtilum RIG.

d NISI RECTI ET IVSTI ITINERIS OBSERVATIONE GRADIATVR.] B. Paulus ad Gal. 2. οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν *Idem.*

e QVI OPERAMINI INIQVITATEM.] Rectè in Beneuentano & Veronenſi: *iniuſtitiam.* Etenim ſequitur: *iuſtitia opus eſt* *Idem.*

f SACRAMENTVM PROFANAT] Infrà dicet, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare Falſa dicit, adulterina, quæ extra Eccleſiam, vt ſunt ſchiſmaticorum preces. *Idem*

g NOVISSIMIS DIEBS.] Tempora antichriſti. *Idem.*

h PARENTIBVS INOBEDIENTES] Exemplaria quædam habent, *dicto inaudientes*: alia, *indicto audientes.* *Idem.*

i *Bonum non amantes.* Græcè eſt ἀφιλάγαθοι, quod interpres noſter vertit *ſine benignitate*, græca ſcholia, *non amici bonis.* Ambr. *bonorum inimici.* PAM

k STVPORE INFLATI.] Sic paulò pòſt, *Extollit ſtupor.* Obſeruauimus ad Epiſtolas. RIG.

l HABENTES DEFORMATIONEM RELIGIONIS.] Deformationem, μόρφωσιν ἄψυχόν τι καὶ νεκρὸν, inquit Chryſoſt σχήματα μόνον καὶ τύπον καὶ ὑπόκρισιν. Deformare argilla, dixit Tertull. *Idem.*

m HOMINES CORRVPTI SENSV, REPROBI CIRCA FIDEM.] Hæc non leguntur in exemplari Thuaneo. nec puto eſſe Cypriani. *Idem.*

n *Sed non proficient plurimùm* Ita Cambron. Manut. & Colletius; & videtur expreſſiſſe ad verbum quod græcè eſt, οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον, quare non placet quod alij interſerunt: *vltra*: alterum enim ſuperfluum eſſe oportet. Neque verò diſplicet Grauij lectio, qui præmittit quod græcè & latinè legitur apud Apoſtolum: *homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem.* Verùm deſideratur in MS. & excuſ. omnibus, excepto Colonienſi; atque adeò omitti æquè potuit à Cypriano, atque paulò prius, D. Paulus interſerit: *& hos deuita.* PAM.

o HOMINVM PARITER AC TEMPORVM PROBATIONE VENERVNT.] Scribendum vt eſt in Veronenſi, *Probationes venerunt.* RIG

p FIDEM NOSTRAM PRÆNVNTIANTE REI VERITATE CORROBORET] Valde eſt notabilis ſcriptura in exemplaribus illis antiquiſſimis Beneuentano & Veronenſi, *fidem noſtram prænuntias corroboret*, vt prænuntias

tes eſſe cœperunt, quia hæc ante prædicta ſunt: ita cæteri fratres ab eiuſmodi caueant, quia & hæc ante prædicta ſunt; inſtruente Domino & dicente: Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Vitate, quæſo, vos eiuſmodi homines, & à latere atque auribus veſtris pernicioſa colloquia velut contagium mortis arcete; ſicut ſcriptum eſt: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum: Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ. Docet Dominus & admonet à talibus recedendum. Cæci ſunt, inquit, duces cæcorum: Cæcus autem cæcum ducens; ſimul in foueam cadent. Auerſandus eſt talis atque fugiendus quiſquis fuerit ab Eccleſia ſeparatus. Peruerſus eſt huiuſmodi & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit? qui ſe à cleri eius & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris, aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus, contemptis epiſcopis & Dei ſacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare; nec dignatur ſcire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduerſione punitur. Sic Chore & Dathan & Abiron, qui ſibi contra Moyſen & Aaron ſacerdotem ſacrificandi licentiam vindicare conati ſunt, [a] pœnas ſtatim pro ſuis conatibus pependerunt, Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit, ſtantes atque viuentes recedentis ſoli hiatus abſorbuit. [b] Nec tantum eos qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percuſſit: ſed & cæteros ducentos quinquaginta participes eiuſdem furoris & comites, qui coagulati cum iiſdem ſimul ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis, properata vltione conſumpſit; admonens ſcilicet & oſtendens contra Deum fieri, quidquid improbi fuerint ad deſtruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic & Ozias Rex, cum turibulum ferens, & contra legem Dei ſacrificium ſibi violenter aſſumens, reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, obtemperare nollet & credere; diuina indignatione confuſus, & lepræ varietate in fronte maculatus eſt; ea parte corporis notatus offenſo Domino, [c] vbi ſignantur qui Dominum promerentur. Et filij Aaron qui impoſuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus; in conſpectu ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt. Quos imitantur ſcilicet atque ſectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & [d] magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt; quos increpat Dominus & obiurgat in Euangelio ſuo dicens: Deiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis: peius hoc crimen eſt, quam quod admiſiſſe lapſi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti, Deum [e] plenis ſatisfactionibus deprecantur. Hic eccleſia quæritur & rogatur: illic Eccleſiæ repugnatur. Hic poteſt neceſſitas fuiſſe: illic voluntas tenetur in ſcelere. Hic qui lapſus eſt, ſibi tantùm nocuit: illic qui hæreſim vel ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decepit. Hic animæ vnius eſt damnum: illic periculum plurimorum. Certe peccaſſe ſe hic & intelligit, & lamentatur & plangit: ille tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſibi delictis placens, à matre filios ſegregat, oues à paſtore ſollicitat, Dei ſacramenta diſturbat. Et cum lapſus ſemel peccauerit, ille quotidie peccat: [f] Poſtremo lapſus, martyrium poſtmodum conſecutus poteſt regni promiſſa percipere; ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia peruenire. [g] Nec quiſquam miretur, dilectiſſimi fratres, etiam de confeſſoribus quoſdam [h] ad iſta procedere, inde quoque aliquos [i] tam nefanda quàm grauia peccare. Neque enim confeſſio immunem facit ab inſidiis diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incurſus atque impetus ſæculares adhuc in ſæculo poſitum perpetua ſecuritate defendit: [k] cæterum numquam in confeſſoribus [l] fraudes, & ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, quæ nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus & dolemus. Quiſquis ille confeſſor eſt, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior non eſt. Qui tamen quamdiu viis Domini ambulauit: tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecutus obtinuit: poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ſicut ſcriptum eſt; Et excitauit Dominus Satanam ipſi Salomoni. [m] Et ideò ſcriptum

eſt:

ſit prænouitas, πρόσφατον. Nouus: quem primùm nouimus: qui non antè notus. RIG.

a *Pœnas pependerunt.* Siue ſic legas, *ſiue occiderunt*, quomodo ſuprà epiſt. ad Magnum, perinde eſt, Affliginienſis codex & Cambronenſis ad marginem, *receperunt*. PAM.

b NEC TANTVM EOS QVI AVCTORES FVERANT.] Hoc amplius in Veronenſi: *Nec tantummodo eos qui auctores fuerant eius dementiæ*. RIG.

c VBI SIGNANTVR QVI DOMINVM PROMERENTVR.] In baptiſmo ſcilicet. *Idem*.

c *Vbi ſignantur qui Dominum promerentur.* De hoc ſigno crucis in frontibus, vide epiſtolam ad Thibaritanos. PAM.

d MAGISTERIA HVMANÆ INSTITVTIONIS] Non diuinæ. RIG.

e PLENIS SATISFACTIONIBVS.] Exomologeſi. *Idem*.

f POSTREMO, LAPSVS MARTYRIVM POSTMODVM CONSECVTVS POTEST REGNI PROMISSA PERCIPERE.] Alicubi dixit de lapſis intempeſtiuè ad Eccleſiam recipi properantibus, Plus habere illos in ſua poteſtate: Hoc eſt facto præclarè martyrio ſtatim ad Dominum peruenire. *Idem*.

g *Nec quiſquam miretur.* Agit de confeſſoribus Romanis Maximo & cæteris, de quorum ſchiſmate extant epiſtolæ 41. & 46 & de reditu ad vnitatem 46, 47. 50. & 51. atque adeò patet hunc librum ſcriptum fuiſſe ante illorum reditum ex ſchiſmate, initio nempè Pontificatus Cornelij PAM.

h AD ISTA PROCEDERE.] In Veronenſi, *proſilire*. RIG.

i TAM NEFANDA QVAM GRAVIA.] In exemplari Th. tam nefanda tam grauia. In Veronenſi: tam nefariè tamque grauia peccare. RIG.

k *Cæterum numquam, &c.* Nouè vſurpat, *cæterum*, de confeſſorum verò fraudibus, ſtupris & adulteriis, egit etiam epiſtolis 7. & 8 PAM.

l FRAVDES ET STVPRA ET ADVLTERIA IN CONFESSORIBVS. Obſeruauimus ſuprà bonos & malos Confeſſores. RIG.

m ET IDEO SCRIPTVM EST.] In Veron. Et ideò in Apocalypſi Dominus ad Ioannem grauiter comminatur:

eſt : Tene quod habes, nec alius accipiat coronam tuam. Quod vtique Dominus non minaretur, auferri poſſe coronam iuſtitiæ ; niſi quia recedente iuſtitia, recedat neceſſe eſt & corona. [a] Confeſſio exordium gloriæ eſt, non meritum iam coronæ ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem. cumque ſcriptum ſit ; Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit : quidquid ante finem fuerit gradus eſt quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminus quo iam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſſionem periculum maius eſt : quia plus aduerſarius prouocatus eſt. Confeſſor eſt ; hoc magis ſtare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam conſecutus à Domino. Ait enim Dominus : Cui multum datur, multum quæretur ab eo, & cui plus dignitatis adſcribitur, plus de illo exigitur ſeruitutis. Nemo per confeſſoris exemplum pereat : nemo iniuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam de confeſſoris moribus diſcat, Confeſſor eſt, ſit humilis & quietus, ſit in actu ſuo cum diſciplina modeſtus ; vt qui Chriſti confeſſor dicitur, Chriſtum quem confitetur imitetur. Nam cùm dicat ille ; Qui ſe extollit, humiliabitur ; & qui humiliat ſe, exaltabitur ; & ipſe à patre exaltatus ſit, quia ſe in terris ſermo, & virtus, & ſapientia Dei patris humiliauit : quo modo poteſt [b] extollentiam diligere, qui & nobis humilitatem ſua lege mandauit, & ipſe à patre ampliſſimum nomen præmio humilitatis accepit ? Confeſſor eſt Chriſti ; ſed ſi non poſteà blaſphemetur per ipſum maieſtas & dignitas Chriſti. Lingua Chriſtum confeſſa non ſit maledica, non turbulenta, non conuiciis & litibus perſtrepens audiatur ; non contra fratres & Dei ſacerdotes, [c] poſt verba laudis ſerpentis venena iaculetur. Cæterùm ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, [d] ſi confeſſionem ſuam mala conuerſatione prodegerit, ſi vitam ſuam turpi fœditate maculauerit ; [e] ſi Eccleſiam denique, vbi confeſſor factus eſt, derelinquens, & vnitatis concordiam ſcindens fidem primam perfidia poſteriore mutauerit, blandiri ſibi per confeſſionem non poteſt, quaſi ſit electus ad gloriæ præmium ; quando ex hoc ipſo magis creuerint merita pœnarum : Nam & Iudam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas poſtmodum prodidit. Non tamen iccircò Apoſtolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum ſocietate defecit : ſic & hic non ſtatim confeſſorum ſanctitas & dignitas comminuta eſt, quia quorumdam fides fracta eſt. Beatus Apoſtolus in Epiſtola ſua loquitur dicens : Quid enim ſi exciderunt à ſole quidam illorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit ? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Stat confeſſorum pars maior & melior in fidei ſuæ robore, & in legis ac diſciplinæ Dominicæ veritate. Nec ab Eccleſiæ pace diſcedunt, qui ſe in Eccleſia gratiam conſecutos de Dei dignatione meminerunt : [f] atqui hoc ipſo ampliorem conſequuntur fidei ſuæ laudem, quod ab eorum perfidia ſegregati, qui iuncti confeſſionis conſortio fuerunt, à contagio criminis receſſerunt ; vero illuminati Euangelij lumine, pura & candida Domini luce radiati, tam ſunt in conſeruanda Chriſti pace laudabiles, quàm fuerunt in diaboli congreſſione victores. Opto equidem dilectiſſimi fratres, & conſulo pariter & ſuadeo ; vt, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & conſentientis populi corpus vnum gremio ſuo gaudens mater includat. Si tamen quoſdam ſchiſmatum duces, & diſſenſionis auctores, in cæca & obſtinata dementia permanentes, non potuerit ad ſalutis viam conſilium ſalubre reuocare : cæteri tamen vel ſimplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis aſtutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis ſoluite, vagantes greſſus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cæleſtis agnoſcite. Conteſtantis Apoſtoli vox eſt : Præcipimus vobis, inquit, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, [g] & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Et iterùm dicit : Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ. Nolite ergo eſſe participes eorum. [h] Recedendum eſt à delinquentibus, vel immo fugiendum, ne dum quis malè ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipſe teneatur. Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia eius, & fides vna, [i] & plebs in ſolidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. [k] Scindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum diſcidio

Tene quod habes, ne alius &c. Quæ & in editione Romana leguntur. RIO.

Et ideò ſcriptum eſt : Tene, &c. Non placet quod loco huius habet Manutius: *& ideò in Apocalypſi Dominus, ad Ioannem grauiter comminatur : Tene* : Neque enim ad Ioannem loquitur, ſed ad Angelum ſiue Epiſcopum Philadelphienſem. Pulchrè autem illud deducit poetæ : Ante obitum felix nemo. PAM.

a CONFESSIO EXORDIVM GLORIÆ EST.] Confeſſor martyrio ſuo ſuperſtes eſt martyr imperfectus, cuius videlicet corona eſt adhuc in pendenti. nempè ſi perſeuerauerit in fide vſque dum vitam & animam ponat RIO.

b EXTOLLENTIAM DILIGERE.] Superbiam, ὑπεροχὴν, ὑπεροχήν. *Idem.*

c POST VERBA LAVDIS.] Rectè additur in Veronenſi : poſt verba laudis & confeſſionis. *Idem.*

d *Si confeſſionem ſuam mala conuerſatione prodegerit.* Elegantior eſt hæc lectio MS. & Grauij, quàm cæterorum exc. prodiderit. ex iiſdem adiecimus paulò poſt *ſit*. PAM.

e SI ECCLESIAM DENIQVE.] Rectè hîc etiam in Veronenſi : Si Eccleſiam denique ipſam. RIO.

f ATQVI HOC IPSO AMPLIOREM CONSEQ. FIDEI SVÆ LAVDEM Emendanda eſt tota hæc clauſula ſecundùm ſcripturam libri Veronenſis : *atque hoc ipſo maiorem conſequuntur fidei ſuæ laudem, immò ampliorem, quod ab eorum perfidia ſegregati quibus iuncti confeſſionis conſortio fuerunt, à contagio criminis receſſerunt Idem.*

g *Et non ſecundùm traditionem quam acceperunt.* Cambronenſis codex *accepiſtis*, ſed prius legitur apud Apoſtolum græcè & latinè PAM.

h *Recedendum eſt à delinquentibus.* Hinc patet vitioſè legi hactenus epiſtola 40. *recedite ab eis.* tamquam verba D. Pauli, ſed hoc pacto legendum potiùs.

i ET PLEBS IN SOLIDAM CORPORIS VNITATEM.] Rectiùs in libro Veronenſi : *& plebs vna in ſolidam corporis firmitatem. Idem*

k *Scindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum diſcidio compaginis ſeparari.* Quo ſcilicet ſenſu diſcidium partium dixit Arnobius lib. 5. & Lucretius Carus lib. 1.

——— *quod numquam ſine perniciali*
Diſcidio potis eſt ſeiungi, ſeque gregari

& lib. 3. ——— *non inquam ſine animai*

dio compaginis ſeparari, diuulſis laceratione viſceribus in fruſta diſcerpi. Quidquid à matrice diſceſſerit, ſeorſum viuere & ſpirare non poterit; [a] ſubſtantiam ſalutis amittit. [b] Monet nos Spiritus ſanctus & dicit: Quis eſt homo, qui vult vitam, & amat videre dies optimos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur inſidioſè. Declina à malo & fac bonum, quære pacem & ſequere eam. Pacem quærere debet & ſequi filius pacis, à diſſenſionis malo continere linguam ſuam debet, qui nouit & diligit vinculum charitatis. [c] Inter ſua diuina mandata & magiſteria ſalutaria, paſſioni iam proximus Dominus addidit dicens: Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Hanc nobis hæreditatem Chriſtus dedit: dona omnia ſuæ pollicitationis & præmia in pacis conſeruatione promiſit. Si hæredes Chriſti ſumus; [d] in Chriſti pace maneamus. Si filij Dei ſumus, pacifici eſſe debemus: Beati, inquit, pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Pacificos eſſe oportet Dei filios, corde mites, ſermone ſimplices, affectione concordes, fideliter ſibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Hæc vnanimitas ſub Apoſtolis olim fuit; ſic nouus credentium populus Domini mandata cuſtodiens charitatem ſuam tenuit. Probat ſcriptura diuina quæ dicit: Turba autem eorum qui crediderant, anima & mente vna agebant. Et iterum: Et erant perſeuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus, & Maria quæ fuit Mater Ieſu, & fratribus eius. Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcunque de Domini miſericordia poſtulabant. In nobis verò ſic vnanimitas diminuta eſt, [e] vt & largitas operationis infracta eſt. Domos tunc & fundos venundabant, & theſauros ſibi in cælo reponentes, diſtribuenda in vſus indigentium pretia Apoſtolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, & cum vendere iubeat Dominus, emimus potius & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, ſic credentium robur elanguit? & iccirco Dominus tempora noſtra reſpiciens, in Euangelio ſuo dicit: Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iuſtitiæ, in dilectione, in opere fides nulla eſt. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini, & iram Dei: & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo conſiderat. [f] Quod metueret conſcientia noſtra, ſi crederet; quia non credit omnino, nec metuit: ſi autem crederet, & caueret: [g] ſi caueret, euaderet. Excitemus nos quantum poſſumus, dilectiſſimi fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto ad obſeruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales eſſe nos ipſe præcepit dicens: Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando veniat à nuptiis, vt cum venerit & pulſauerit, aperiant ei. Beati ſerui illi, quos aduenient Dominus inuenerit vigilantes. Accinctos nos eſſe oportet, ne cùm expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus noſtrum lumen & fulgeat, vt ipſum nos ad lucem claritatis æternæ de hac ſæculi nocte perducat. Expectemus ſolliciti ſemper & cauti aduentum Domini repentinum, vt quando ille pulſauerit, euigilet fides noſtra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata ſeruentur; ſi hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non poſſumus ſerui vigiles Chriſto dominante regnabimus.

DE

Diſcidium poſſunt artius perferre relicti. PRI.

a SVBSTANTIAM SALVTIS AMITTIT.] Subſtantia, fundamentum. quod ſubſtat; hoc eſt ſub pedibus ſtat ſolidum. Vulgata verſio Pſalmorum ſæpè vſurpat hoc ſenſu. & opponitur limoſæ voragini. RIG.

b MONET NOS SPIR. S.] Veronenſis: *monet nos Spiritus ſanctus in Pſalmis. Idem.*

c INTER SVA DIVINA.] Rectiùs in Veronenſi: *Inter ſua denique mandata. Idem.*

d IN CHRISTI PACE MANEAMVS.] Corbeïenſis, *in Chriſti pacem abeamus. Idem.*

e VT ET LARGITAS OPERATIONIS INFRACTA EST.] Liber Veron. *vt largitas operationis infracta, Domos*, &c *Idem.*

f QVOD METVERET CONSCIENTIA NOSTRA SI CREDERET.] In Beneuentano: *Quidquid metueret.* In Ver. *qua metueret. Idem.*

g SI CAVERET, EVADERET.] Ver. *ſi caueret & euaderet, Idem.*

DE ORATIONE DOMINICA.

[a] EVangelica præcepta, fratres dilectiſſimi, nihil ſunt aliud quàm magiſteria diuina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cæleſtia regna perducunt. [b] Multa & per prophetas ſeruos ſuos dici Deus voluit & audiri: ſed quanto maiora ſunt quæ filius loquitur, quæ [c] Dei ſermo, qui in prophetis fuit propria

a *Euangelica præcepta.* Elegantiſſima eſt præceptorum euangelicorum definitio. PAM

b *Multa & per prophetas ſeruos ſuos dici Deus voluit.* Vt Orationis dominicæ excellentiam certius demonſtret, oſtendit prophetas qui monita dederunt orandi quamuis egregia, ſeruos tamen tantum Domini fuiſſe; cùm hæc oratio ab ipſo Domino ſit inſtituta. Qua ratione Tertullianus lib. de orat. ait, *Docuerat & Ioannes diſcipulos ſuos adorare, ſed omnia Ioannis Christo præſtruebantur.* PRI.

c *Dei ſermo.* Verbum diuinum Gregorius Nazianz. carm. 2. in arcanis οἶδεν ὁ πατρὸς ἐκπέφυκε μεγάλοιο θεοῦ λόγος. *Nouit magni Dei patris natus ſermo.* Conſtantinus Manaſſ. in Annalib. ὁ τῷ θεοῦ παντέλειος καὶ παντοτεχνήμων λόγος. *Sermo Dei perfectus & rerum omnium opifex.* Hanc vocem latiùs explicet Tertullianus ſub initium libri de orat. *Idem.*

pria voce teſtatur: non iam mandans [a] vt paretur venienti via, ſed ipſe veniens, & viam nobis aperiens & oſtendens; vt qui in tenebris mortis errantes improuidi & cæci prius fuimus, luce gratiæ luminati, iter vitæ duce & rectore Domino teneremus. Qui inter cætera ſalutaria ſua monita & præcepta diuina, quibus populo ſuo conſuluit ad ſalutem, etiam orandi ipſe formam dedit; ipſe quid precaremur, monuit & inſtruxit. Qui fecit viuere, docuit & orare, benignitate ea, ſcilicet, qua & cætera dare & conferre dignatus eſt, vt dum prece & oratione, quàm filius docuit, apud patrem loquimur, facilius audiamur. Iam prædixerat horam venire: quando veri adoratores adorarent patrem in ſpiritu & veritate, & impleuit quod ante promiſit; vt qui ſpiritum, & veritatem de eius ſanctificatione percepimus, de traditione quoque eius verè & ſpiritaliter adoremus. Quæ enim poteſt eſſe magis ſpiritalis oratio, quam quæ verè à Chriſto nobis data eſt, à quo nobis & Spiritus ſanctus miſſus eſt? Quæ verà magis apud patrem precatio, quam quæ à filio qui eſt veritas, de eius ore prolata eſt? vt aliter orare quam docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa; quando ipſe poſuerit & dixerit: Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Oremus itaque, fratres dilectiſſimi, ſicut magiſter Deus docuit. [b] Amica & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare; ad aures eius aſcendere Chriſti orationem. Agnoſcat pater filij ſui verba, cum precem facimus, qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce. Et cum ipſum habeamus apud patrem aduocatum pro peccatis noſtris; quando peccatores pro delictis noſtris petimus, aduocati noſtri verba promamus. Nam cum dicat; quia quodcumque petierimus à patre in nomine eius, dabit nobis: quanto efficacius impetramus quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione? Sit autem orantibus ſermo & precatio cum diſciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare: placendum eſt diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis: Nam vt impudentis eſt clamoribus ſtrepere, ita contra congruit verecundo modeſtis precibus orare. Denique magiſterio ſuo Dominus ſecretò orare nos præcipit; in abditis & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod magis conuenit fidei; vt ſciamus Deum vbique eſſe præſentem, audire omnes & videre, & maieſtatis ſuæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, ſicut ſcriptum eſt: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo? Et iterum: In omni loco oculi Dei ſpeculantur bonos & malos. Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & ſacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus: [c] Non paſſim [d] ventilare preces noſtras inconditis vocibus; nec petitionem commendandam modeſte Deo, tumultuoſa loquacitate iactare; Quia [e] Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes hominum videt, [f] probante Domino & dicente; Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? & alio loco: & ſcient omnes eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis. Quod Anna in primo Regnorum libro eccleſiæ typum portans, cuſtodit & ſeruat; quæ Dominum non clamoſa petitione, ſed tacite & modeſte intra ipſas pectoris latebras precabatur, Loquebatur prece occulta, ſed manifeſta fide: [g] loquebatur non voce, ſed corde: quia ſic Deum ſciebat audire; & impetrauit efficaciter quod petiit, quia fideliter poſtulauit. Declarat ſcriptura diuina quæ dicit: Loquebatur in corde ſuo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Deus. Item legimus in Pſalmis: Dicite in cordibus, & in ſtratis veſtris, & tranſpungimini. Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus ſanctus ſuggerit & docet dicens: [g] In ſenſu autem tibi debet adorari Deus. Adorans autem fratres dilectiſſimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Phariſæo Publicanus orauerit, [h] non alleuatis in cælum impudenter oculis, [i] nec manibus inſolenter erectis, ſed pectus ſuum pulſans,

a *Vt paretur venienti via.* Cambronenſis codex, præpararetur, ſed prius magis placet, eo quod alludere videatur ad illud Eſaiæ: Parate vias Domini. PAM.

b AMICA ET FAMILIARIS ORATIO.] Scribenda ſunt hæc vt leguntur in exemplaribus: Amica & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare; ad aures eius aſcendere Chriſti oratione. Rogamus Dominum de ſuo, cùm illi reddimus verba ſua, memores eorum quæ nobis ipſe dictauit. Rogamus Deum de ſuo, cùm ipſiſſimis filij ſui verbis vtimur rogantes. Itaque ſequitur: Agnoſcat Pater filij ſui verba, & oratione Chriſti aſcendimus ad aures Dei RIG.

c *Non paſſim ventilare preces.* Locus hic non prohibet cantum Eccleſiaſticum, ſed potius inconditas illas voces, quibus hodiè aduerſarij ſua ſacra faciunt, plebe vniuerſa nullo ordine omnia decantante. Alioqui enim apoſtolo Paulo contradiceret, qui ad cantum fideles hortatur Epheſ. 5. & ad Coloſſen. 3. PAM.

d *Ventilare preces noſtras inconditis vocibus.* Modeſtiam & venerationem ſummam in oratione requirit, quam Saluianus lib. 1. de gubern. *modeſtiam ſupplicationis* vocat. PRI.

e *Deus non vocis ſed cordis auditor eſt.* Ad verbum hoc ex Tertull. dicto lib. de orat. ſed loqui eum de precibus quas apud ſe faciebant fideles in conuentibus, patet ex hic verbis: *Quid amplius*, inquit, *referent iſtic quid clarius adorant, niſi quod proximis obſtrepunt*: Immo prodendo petitiones ſuas, quid minus faciunt, quàm ſi in publico orent? Atque adeo eodem ſenſu interpretandus locus hic Cypriani quem inde mutuatus eſt. PAM.

f *Probante Domino & dicente.* Ita rectè MS. Grauius, Manutius, & Manelius, cum veteribus excuſis, pro eo quod ſubſtituerat Remboldus prouocante. *Idem.*

g *Loquebatur non voce ſed corde.* Ioannes Chryſoſtomus orat. 5. de incomprehenſibili natura Dei de hoc ipſo loquens, κἂν γὰρ σιγήσῃς, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα. *Quamuis ſilueris, nouit ipſe omnia* PRI.

h IN SENSV AVTEM TIBI DEBET ADORARI DEVS.] Sept. Interp. εἴπατε δὴ, τῇ διανοίᾳ σοὶ δεῖ προσκυνεῖν δέσποτα, Aliter expreſſit Iul. Firm. lib. de myſt. prof. relig. Dicite autem in corde veſtro, Tibi oportet adorare Domine. Sed fortean ſcripſerat Firmicus; Dicite autem, In corde noſtro tibi oportet adorare Domine. Quæ ſcriptura quadrabit cum verſione Hierem. vulgata: *In ſenſu autem tibi eſſe debet adoratio Domini.* RIG.

i *Non alleuatis in cælum impudenter oculis, nec manibus, &c.* Manuum hic temperata elatio, & vultus deiectus atque demiſſus iubetur, non autem in audaciam erectus vt loquitur Tertullianus. Quum enim modeſtia requiratur & humilitas, vanitas omnis & ſuperſtitio ac inſolentia abiicienda. PRI.

k *Nec manibus inſolenter erectis.* Rectè addit *inſolenter*,

ſans, & peccata intus incluſa conteſtans, diuinæ miſericordiæ implorabat auxilium. Et cum ſibi Phariſæus placeret, ſanctificari Publicanus hic magis meruit qui ſic rogauit; qui ſpem ſalutis non in fiducia innocentiæ ſuæ poſuit, cum innocens nemo ſit, ſed peccata confeſſus humiliter orauit, & exaudiuit orantem qui ſemper humilibus ignoſcit. Quæ Dominus in Euangelio ſuo ponit & dicit: Homines duo aſcenderunt in templum adorare, vnus Phariſæus, & [a] vnus Publicanus. Phariſæus cum ſtetiſſet talia apud ſe precabatur: Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines, iniuſti, raptores, adulteri, quomodo & publicanus iſte: ieiuno bis in ſabbato, [b] decimas do omnium quæcumque poſſideo. Publicanus autem de longinquo ſtabat, & neque oculos volebat ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam magis, quàm ille Phariſæus. Quia omnis qui ſe extollit, [c] humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Quæ nos, fratres dilectiſſimi, de diuina lectione diſcentes, poſtquam cognouimus qualiter ad orationem accedere debeamus; cognoſcamus, docente Domino & quid oremus. Sic, inquit, orate: *Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris:* [d] *Et ne nos patiaris induci in tentationem: ſed libera nos à malo,* [e] *Amen.* Ante omnia pacis doctor atque vnitatis magiſter ſingillatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cùm precatur, pro ſe tantum precetur. Non enim dicimus pater meus, qui es in cælis; nec, panem meum da nobis hodie; nec dimitti ſibi tantum vnuſquiſque debitum poſtulat; aut vt in tentationem non inducatur, atque à malo liberetur, pro ſe ſolo rogat. Publica eſt nobis & communis oratio: & quando oramus, [f] non pro vno, ſed pro toto populo oramus; quia totus populus vnum ſumus. Deus pacis & concordiæ magiſter qui docuit vnitatem, ſic orare vnum pro omnibus voluit, quo modo [g] in vno omnes ipſe portauit. Hanc orationis legem ſeruauerunt tres pueri in camino ignis incluſi; conſonantes in prece, & ſpiritus conſenſione concordes. Quod declarat ſcripturæ diuinæ fides, & dum docet quo modo orauerint tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus, vt tales eſſe poſſimus. Tunc illi tres, inquit, quaſi ex vno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum. Loquebantur quaſi ex vno ore, & nondum illos Chriſtus in carne viſus Docuerat orare, & icciro orantibus fuit impetrabilis & efficax ſermo, quia promerebatur dominum pacifica, & ſimplex, & ſpiritalis oratio. Sic & Apoſtolos cum diſcipulis poſt aſcenſum Domini inuenimus oraſſe. Erant, inquit, perſeuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus & Maria, quæ fuit mater Ieſu, & fratribus eius. Perſeuerabant in oratione vnanimes; orationis ſuæ & inſtantiam ſimul & concordiam declarantes. Quia Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam & æternam domum, niſi eos apud quos eſt vnanimis oratio. Qualia autem ſunt, fratres dilectiſſimi [h] orationis Dominicæ ſacramenta, quàm multa, quàm magna, breuiter in ſermone collecta, ſed in virtute ſpiritaliter copioſa? vt nihil omnino prætermiſſum ſit, quod non in precibus atque orationibus noſtris [i] cæleſtis doctrinæ compendio comprehendatur. Sic, ait, orate: *Pater noſter qui es in cælis.* Homo nouus, renatus, & Deo ſuo per eius gratiam reſtitutus: Pater, primo in loco dicit; quia filius eſſe iam cœpit. In ſua, inquit, propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis poteſtatem, vt filij Dei fierent his qui credunt in nomine eius. Qui ergo credidit in nomine eius, & factus eſt Dei filius: hinc debet incipere, vt & gratias agat, & profiteatur ſe Dei filium, dum nominat patrem ſibi eſſe in cælis Deum; conteſtetur quoque inter prima ſtatim natiuitatis ſuæ verba renunciaſſe ſe terreno & carnali patri, [k] & patrem ſolum noſſe ſe, & habere cœpiſſe, qui ſit in cælis, ſicut ſcriptum eſt: Qui dicunt patri & matri, non noui te, & filios ſuos non agnouerunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſeruauerunt. Item Dominus in Euangelio ſuo præcepit, ne vocemus nobis [l] patrem in terra, quòd ſit ſcilicet nobis vnus pater qui eſt in cælis. Et diſcipulo qui mentionem defuncti patris fecerat, reſpondit:

Sine,

neque enim omnem manuum eleuationem, ab illo culpari patet ex Tertulliano, quem imitatur: Atqui, inquit, cum modeſtia & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces noſtras, ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperatè & probè elatis. PAM.

a ET VNVS PVBLICANVS.] Ver. *& alter publicanus.* RIG.

b DECIMAS DO OMNIVM.] Ver. *decimas do de omnibus. Idem.*

c HVMILIABITVR. HVMILIAT.] Ver *Humiliabitur. Humilat. Idem.*

d ET NE NOS PATIARIS] In Veronenſi: *Et ne paſſus fueris induci nos in tent. Idem.*

e AMEN.] In quibuſdam exempl. non legitur *Idem.*

f NON PRO VNO.] Ver. *non pro nobis ſolis. Idem.*

g IN VNO OMNES IPSE PORTAVIT.] In vno ſcilicet homine quem Deus induit, cùm factus eſt homo Chriſtus, qui venit ad omnes ſaluandos *Idem.*

h ORATIONIS DOMINICÆ SACRAMENTA.] Sacri ſignificatus, myſteria. Hilarius in Matth cap. v. vbi mentionem facit huius opuſculi, orationis ſacramentum dicit. De orationis autem ſacramento, neceſſitate nos commentandi Cyprianus vir ſanctæ memoriæ liberauit. *Idem.*

i *Cæleſtis doctrinæ compendio* Alio loco dixit *magiſterio ſuo omnem precem noſtram ſalutari ſermone breuiauit.* Quo ſenſu Breuiarium vocat Tertullianus de orat. cap. 10 & S. Ambroſius lib. de inſtit. Virg. cap. 2. *Dominica oratio omnia comprehendit.* PAM.

k *Vt patrem ſolum noſſe ſe.* Per hanc vocem *patrem* ad Dei cognitionem quaſi manu ducimur, & qui filium ſe agnoſcit, nouit quoque patris miſericordiam & φιλοστοργίας, qui filio licet malè agenti ſolet indulgere. Deum itaque vocamus patrem, eius naturæ memores, quæ cum ad miſericordiam ſit procliuis, errata & culpas omnes dimittit. Hæc interpretatio Cypriano addenda è ſenſu Tertulliani, ex cuius verbis exprimi poteſt. *Idem.*

l PATREM IN TERRA.] Ver. *in terris.* RIG.

Sine, mortui mortuos ſuos ſepeliant; dixerat enim patrem ſuum mortuum; cùm ſit credentium pater viuus. Nec hoc ſolum, fratres dilectiſſimi animaduertere & intelligere debemus, quod appellemus patrem qui ſit in cælis: ſed coniungimus & dicimus: Pater noſter, id eſt, eorum qui credunt; eorum qui per eum ſanctificati, & [a] gratiæ ſpiritalis natiuitate reparati, filij Dei eſſe cœperunt. Quæ vox Iudæos etiam perſtringit & percutit, qui Chriſtum ſibi per prophetas annunciatum, & ad ſe prius miſſum, non tantum infideliter ſpreuerunt, ſed & crudeliter necauerunt. Qui iam non poſſunt patrem Deum vocare, cùm Dominus eos confundat & redarguat dicens. [c] Vos de diabolo patre nati eſtis, & concupiſcentias patris veſtri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in illo. Et per Eſaiam prophetam Deus clamat indignans: Filios generaui & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. [d] Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis. Semen nequam, filii ſceleſti. Dereliquiſtis Dominum, & in indignationem miſiſtis illum ſanctum Iſraël. In quorum exprobationem, Chriſtiani quando oramus, pater noſter, dicimus; quia noſter eſſe cœpit, & Iudæorum qui eum reliquerunt, eſſe deſiit: nec peccator populus poteſt eſſe filius, ſed quibus remiſſa peccatorum datur, eis filiorum nomen adſcribitur, eis & æternitas repromittitur, Domino ipſo dicente: Omnis qui facit peccatum, [e] ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis eius & bonitatis vbertas; qui ſic nos voluerit orationem celebrare in conſpectu Dei, vt Deum patrem vocemus, & vt eſt Chriſtus Dei filius, ſic & nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo noſtrum in oratione auderet attingere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet orare. Meminiſſe itaque fratres dilectiſſimi, & ſcire debemus, quia [f] quando patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus, vt quo modo nos nobis placemus de Deo patre, ſic ſibi placeat, & ille de nobis. Conuerſemur quaſi Dei templa, vt Deum in nobis conſtet habitare. Nec ſit degener actus noſter à ſpiritu, vt qui cæleſtes & ſpiritales eſſe cœpimus, non niſi ſpiritalia & cæleſtia cogitemus & agamus, quia & ipſe Dominus Deus dixit: Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui me ſpernit, ſpernetur. Beatus quoque Apoſtolus in epiſtola ſua poſuit: Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno: clarificate & portate Deum in corpore veſtro. Poſt hoc dicimus: ***Sanctificetur nomen tuum***, non quod optemus Deo, vt ſanctificetur orationibus noſtris; ſed quod petamus ab eo, vt nomen eius ſanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe dixit Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, [g] id petimus & rogamus, vt qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus, & hoc quotidie deprecamur. opus eſt enim nobis quotidiana ſanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſſidua repurgemus. Quæ autem ſit ſanctificatio quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apoſtolus prædicat dicens: Neque fornicarij, neqne idolis ſeruientes; neque adulteri, neque molles, neque maſculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores regnum Dei conſequentur. [h] Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Hæc ſanctificatio vt in nobis permaneat oramus: & quia Dominus & iudex noſter ſanato à ſe & iuſtificato comminatur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus poſtulamus, vt ſanctificatio & viuificatio quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſeruetur. Sequitur in oratione: ***Adueniat regnum tuum***. Regnum etiam Dei repræſentari nobis petimus; ſicuti & nomen eius, vt in nobis ſanctificetur poſtulamus. Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod & ſemper fuit, & eſſe non deſinit? Noſtrum regnum petimus aduenire à Deo nobis repromiſſum, Chriſti ſanguine & paſſione quæſitum; vt qui in ſæculo ante ſeruiuimus, poſtmodum Chriſto dominante regnemus, ſicut ipſe pollicetur & dicit: venite benedicti patris

a GRATIÆ SPIRITALIS NATIVITATE REPARATI] Baptiſmo, ſecunda natiuitate. RIG.

b *Vos de patre diabolo nati eſtis*. Excuſi vulgati non habent *nati*, & placeret ea lectio magis, eo quod hodie apud Ioannem neque græcè neque latinè legatur, niſi tam conſtanter legerent MSS. codd. Grauij & Manutij. PAM.

c *Væ genti peccatrici, populo pleno peccati*. Ita Grauius & MS. cod. hoc loco & infra loco iam citato, & exc. omnes, & accedit magis ad phraſin latinam. Tertullianus verò (cum prius exc.) lib. adu. Iudæos. *Væ gens peccatrix, populus plenus*. Eligat lector vtrum malit, modò in hoc ſequatur MS. vtrobique cod. vt legat. *ſemen nequam*. Idem.

d SERVVS EST PECCATI.] In quibuſdam exempl. non legitur: *peccati*. Et quod ſequitur tantùm poſtulat, *ſeruus eſt*. RIG.

e *Quando patrem Deum dicimus*, &c. Chryſoſtomus διὰ τοῦτο καὶ πατέρα καλεῖν ἐκελεύσθημεν, καὶ οὐχὶ τῆς χάριτος μόνον ἀναμιμνήσκοντας αὐτούς, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρετῆς, ἵνα μηδὲν ἀνάξιον τῆς τοιαύτης συγγενείας πράττωμεν. RIG.

f *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis*, &c. Hiſce tenebris immerſi eratis, quia nondum filij Dei, nondum Deum patrem agnoſcentes: Nunc verò *gratiæ ſpiritalis natiuitate reparati*, vt mox dicebat Cyprianus, ſanctificationem accepimus, quam in nobis perſeuerare poſtulamus. PAM.

g Id petimus & rogamus. Ita MSS. & D. Auguſt. cap. 2. de bono perſeu. pro eo quod alij & ipſe Auguſt. lib. 4. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 9. legunt *Ideo*. Probat autem hoc & ſequentib. aliquot locis Auguſtinus contra Pelagium, gratiam non ſecundum merita noſtra dari, & perſeuerantiam eſſe donum Dei. PAM.

h *Et hæc quidem fuiſtis*. Morelius cenſet legendum *quidam*, cum vet. quodam cod. eo quod græcè legatur τινὲς verum conſtanter cæteri exc. & MS prius illud legunt, quomodo & apud Apoſtolum magno conſenſu (vel ipſo Eraſmo teſte) Latinorum codices. & D. Auguſtinus de pœnit. medic. c. 10. Quare nimis liberè ita caſtigauit Apoſtoli locum Iſidorus Clarus. PAM.

a Vt

patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Poteſt verò, fratres dilectiſſimi, & ipſe Chriſtus eſſe regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cuius aduentus [a] vt cito nobis repræſentetur, optamus. Nam cum reſurrectio ipſe noſtra ſit, quia in ipſo reſurgimus: ſic & regnum Dei poteſt ipſe intelligi, quia in illo regnaturi ſumus Bene autem regnum Dei petimus, id eſt, regnum cæleſte, quia eſt & terreſtre regnum. Sed qui renunciauit iam ſæculo; maior eſt & honoribus eius, & regno, & ideo qui ſe Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cæleſtia regna deſiderat. Continua autem oratione & prece opus eſt, ne excidamus à regno cæleſti, ſicut Iudæi, quibus hoc prius promiſſum fuerat, exciderunt, [b] Domino manifeſtante & probante: Multi, inquit, venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic erit ploratio & ſtridor dentium. Oſtendit quia antè filij regni Iudæi erant, quandò & filij Dei eſſe perſeuerabant: Poſtquam ceſſauit circa illos nomen paternum, ceſſauit & regnum. Et ideo Chriſtiani, qui in oratione appellare patrem Deum cœpimus, nos & vt regnum Dei nobis veniat oramus. Addimus quoque & dicimus: *Fiat voluntas tua*, [c] *ſicut in cælo & in terra:* non vt Deus faciat quòd vult, ſed vt nos facere poſſimus, quod Deus vult. [d] Nam Deo quis obſiſtit, quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obſiſtitur, quò minus per omnia noſter animus atque actus Deo obſequatur; oramus & petimus vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope eius & protectione; quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia & miſericordia tutus eſt. Denique & Deus infirmitatem hominis, quem portabat oſtendens ait: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Et exemplum diſcipulis ſuis tribuens, vt non voluntatem ſuam, ſed Dei faciant, addidit, dicens: Verumtamen non quod ego volo, [e] ſed quod tu. Et alio loco dicit: Non deſcendi de cælo vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Quod ſi filius obaudiuit vt faceret patris voluntatem: quantò magis ſeruus obaudire debet vt faciat Domini voluntatem, ſicut in epiſtola ſua Ioannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur & inſtruit dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo. Quia omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi, quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia mundi, & mundus tranſibit & concupiſcentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quò modo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus eſt, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei eſt, quam Chriſtus & fecit & docuit: Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater eſt, timere quod Deus eſt; Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præpoſuit; charitati eius inſeparabiliter adhærere, cruci eius [f] fortiter ac fidenter aſſiſtere: [g] quando de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam qua confitemur; in quæſtione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt voluntatem patris adimplere. Fieri autem petimus voluntatem Dei vt in cælo & in terra, quod vtrumque [h] ad conſummationem noſtræ incolumitatis pertinet & ſalutis. Nam cum corpus è terra, [i] & ſpiritum poſſideamus è cælo, ipſi terra & cælum ſumus, & in vtroque, id eſt, & corpore & ſpiritu, vt Dei voluntas fiat oramus. Eſt enim inter carnem & ſpiritum colluctatio, & diſcordantibus aduerſus ſe inuicem quotidiana congreſſio; vt non quæ volumus ipſa faciamus; dum ſpiritus cæleſtia & diuina quærit, caro terrena & ſæcularia concupiſcit: & ideo petimus impenſe inter duo iſta, ope & auxilio Dei concordiam fieri: vt dum & in ſpiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata eſt, anima ſeruetur. Quod apertè atque manifeſtè apoſtolus Paulus ſua voce declarat: Caro, inquit, concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim inuicem aduerſantur ſibi, vt non quæ vultis

a *Vt citò nobis repræſentetur.* Repræſentationis vox non Cypriano modò ſed & Tertulliano, ſæpè citato loco vſitata. Quem miror petitionem hanc, *Adueniat regnum tuum*, poſtponere ſequenti petitioni, *Fiat voluntas tua.* PAM.

b *Domino manifeſtante & probante.* Grauius *manifeſtè exprobrante*, ſed prius ad phraſin Cypriani pertinet. *Idem.*

c SICVT IN CÆLO ET IN TERRA.] In vno Vatic. tantùm hîc habetur, *fiat voluntas tua in cælo & in terra.* RIG.

d *Nam Deo qui obſiſtit, &c.* illud habes apud Tertullianum cap 4 de orat. *Non quod aliquis obſiſtat, quominus voluntas Dei fiat* Eſt autem voluntas Dei ſalus hominum; vt ſcribit Gregorius Nyſſ. ſerm. 4 de orat. Dom. θέλημα δὲ θεοῦ ἡ σωτηρία τῶν ἀνθρώπων ἐστίν. PRI.

e *Sed quod tu.* Cambronenſis codex addit *vis*, ſed id neque cæteri habent MS. aut excuſi, neque Matthæus Græcè & Latinè, ex MS. vero adiecta eſt à Manutio vox *voluntatem.* PAM.

f FORTITER AC FIDENTER ASSISTERE.] Exemplar Veronenſe: *libenter inſiſtere.* RIG.

g QVANDO DE EIVS NOM. ET HON. CERTAMEN EST.] Ipſe Cyprianus lib de Mortalitate: *Quàm præpoſterum eſt, quámque peruerſum, vt cùm Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando euocat nos & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis eius imperio pareamus. obnitimur & reluctamur peruicacium more ſeruorum, &c. Idem.*

h *Ad conſummationem noſtræ incolumitatis.* Ita MS. & vet. exc. Morelij, & D Auguſtinus tum lib. 4. ad Bonifacium, tum lib. 2. contra Iulianum, cap. 3. pro eo quod primus Remboldus *noſtræ voluntatis.* PAM.

i *Et Spiritum poſſideamus è cælo.* Quomodo intelligendus ſit locus iſte ne fauere videatur errori Origenis, tractat paucis D. Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 1. *Idem.*

vultis ipſa faciatis. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, ſpurcitiæ, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, prouocationes, ſimultates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. [a] Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, [b] magnanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas. Et iccirco quotidianis immo continuis orationibus hoc precamur, & in cælo & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc eſt voluntas Dei, vt terrena cæleſtibus cedant, ſpiritalia & diuina præualeant. Poteſt & ſic intelligi, fratres dilectiſſimi, vt quoniam mandat & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque qui nos perſequuntur orare; [c] petamus & pro illis qui adhuc terra ſunt, & necdum cæleſtes eſſe cœperunt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam Chriſtus hominem conſeruando & redintegrando perfecit. Nam cum diſcipuli ab eo non iam terra appellentur, [d] ſed ſal terræ: & Apoſtolus primum hominem vocet de terræ limo, ſecundum vero de cælo: merito & nos qui eſſe debemus patri Deo ſimiles (qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluit ſuper iuſtos & iniuſtos) ſic Chriſto monente oramus & petimus, vt precem pro omnium ſalute faciamus; Vt quomodo in cælo, id eſt, in nobis per fidem noſtram voluntas Dei facta eſt, vt eſſemus è cælo; ita & in terra, hoc eſt, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, vt qui adhuc ſunt prima natiuitate terreni, incipiant eſſe cæleſtes, ex aqua & ſpiritu nati. Procedente oratione poſtulamus & dicimus. [e] *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quod poteſt & ſpiritualiter, & ſimpliciter intelligi: quia & vterque intellectus vtilitate diuina proficit ad ſalutem. Nam panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt: & quomodo dicimus pater noſter; quia intelligentium & credentium pater eſt; ſic & panem noſtrum vocamus; [f] quia Chriſtus, noſter (qui corpus eius contingimus) panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, [g] & euchariſtiam quotidie [h] ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſtenti [i] & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur; ipſo prædicante & monente: Ego ſum panis vitæ qui de cælo deſcendi. Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, [k] caro mea eſt pro ſeculi vita. Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de eius pane; vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & [l] euchariſtiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum eſt & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, [m] procul remaneat à ſalute; comminante ipſo & dicente: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Et ideo panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione eius & corpore non recedamus. Poteſt vero & ſic intelligi, vt qui ſæculo renunciauimus, & diuitias eius & pompas fide gratiæ ſpiritalis abiecimus; cibum nobis tantum petamus & victum; quando inſtruat Dominus & dicat: Qui non renunciat omnibus quæ ſunt eius, non poteſt meus diſcipulus eſſe. Qui autem Chriſti cœpit eſſe diſcipulus,

a FRVCTVS AVTEM SPIRITVS EST CHARITAS.] In Veronenſi: *Fructus autem ſpiritus eſt agapes, gaudium, pax, magnanimitas, ſuauitas, benignitas.* RIG.

b *Magnanimitas.* Secutus Tertullian. de Patientia vocem *μακροθυμία*, ſic vertit vbique Cyprianus pro eo quod alij, longanimitatem ferè vertunt, vulgatus interpres patientiam, rectè autem Manut. & Morell. vocem *bonitas*, vt potè quæ legatur & græcè & latinè. PAM.

c PETAMVS ET PRO ILLIS QVI ADHVC TERRA SVNT.] Citatur ab Auguſtino, Epiſt. CVII. RIG.

c *Petamus & pro illis qui adhuc terra ſunt.* Manut. hanc lectionem confirmat D. Auguſt. dicto lib. 4 ad Bonifac. & de prædeſtinatione ſanctor. cap. 8. qui tamen legit *precemur.* Cambron. cum cæteris excuſis, *adhuc terreni ſunt*, reliqui verò 4. MSS. *terrena ſapiunt.* PAM.

d SAL TERRÆ.] Vos eſtis ſal terræ. inquit Chriſtus ad diſcipulos, diſpenſatores verbi diuini, ſapientiæ cæleſtis, quæ eſt ſal terræ, hoc eſt carnis, ſiue hominum. quo ſale homines ſaliti, iam ſapiunt, non ampliùs inſulſi, non fatui, non idolorum cultores. *Idem.*

e PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM.] Ἐπιούσιον, περιούσιον. Symmachus ἐξαίρετον. Hieronymus, ſuperſubſtantialem. In Hebraïco Matthæi exemplari, quod viderat Hieronymus, verba fuiſſe ſignificantia, panem craſtinum, vel futurum & venturum, indicat verſio Græca. ἐπιούσιον. quo vocabulo nihil audiendum eſſe quod ſonet auribus noſtris οὐσίαν ſiue ſubſtantiam: ſed quod ab ἐπιέναι formatum, id ſignificet quod ὁ ἐπιὼν χρόνος, ſiue ὁ μέλλων χρόνος, multis rationibus probauit Salmaſius, libro de Fenore trapezitico. Vt iam panis ἐπιούσιος ſignificet panem qui venturus eſt, ipſum videlicet Chriſtum, qui vltimo tempore venturus eſt, in die nempe iudicij. *Idem.*

f QVIA NOSTER CHRISTVS.] In lib. Th. quia Chriſtus, eorum qui corpus eius contingunt, panis eſt *Idem.*

g *Et Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus.* Satis hinc perſpicuum eſt, quotidie adhuc ætate Cypriani communicaſſe fideles, quod iam inde ab Apoſtolis vſitatum fuiſſe patet ex act. Apoſt. non vno in loco. Perdurauit ea conſuetudo vſque ad D. Hieronymi ætatem Romæ & in Hiſpaniis. PAM.

h AD CIBVM SALVTIS ACCIPIMVS.] In lib. Th. ad cibum ſalutis iure communicationis accipimus. RIG.

i *Et non communicantes à cæleſti pane prohibemur.* Explicatio cuius loci à Tertulliano deſumitur cap. 6. de orat. *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & indiuiduitatem à corpore eius.* PRI.

k CARO MEA EST PRO SECVLI VITA.] Verba Dei Patris, quæ Chriſtus in carne ad noſtram ſalutem attulit. Itaque totum illud tempus quo Chriſtus apud nos vixit in corpore, prædicatio, euangelium, Corpus & Caro Chriſti eſt. Crux Chriſti eſt. Sanguis Chriſti eſt. Hoc cibo & potu alimur Chriſtiani in vitam æternam. RIG.

l *Euchariſtiam iure communicationis.* Iure communicationis illos cenſet accipere, qui digni erant, & ab eccleſia non abſtenti; quod ex aduerſatiua eius ſatis colligere eſt, *ita contra timendum eſt &c.* Ius enim illi habent ad euchariſtiam ſumendam. Confirmat itaque hic locus ſententiam Domini Ioannis Heſſelij, qui rectè ſimilem locum epiſtolæ 54 interpretatur non de iure ad calicis ſumptionem, ſed de iure ad communicationem. Quod vel ipſe ibi textus indicat, dum quod id ius communicationis attinet intereſſe docet, inter apoſtatas vel hæreticæ & lapſos qui iam diu pœnitentiam egerant, atque adeò ſi ad calicis ſumptionem ius illud referatur, videbitur promiſiſſe apoſtatis & hæreticis ſumptionem corporis Dominici. PAM.

m PROCVL REMANEAT A SALVTE.] Ieiunet à ſalute, vt loquitur Tertul. aduerſ. Iudæos. RIG.

lus, ſecundum magiſtri ſui vocem renuncians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum deſideria petitionis extendere ipſo iterum Domino præſcribente & dicente: Nolite in craſtinum cogitare, craſtinus enim dies ipſe cogitabit ſibi. Sufficit diei malitia ſua. Merito ergo Chriſti diſcipulus [a] victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur: quia & contrarium ſibi fit & repugnans, vt quæramus in ſæculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire. Sic beatus Apoſtolus monet, formans & corroborans ſpei noſtræ ac fidei firmitatem: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, verum nec auferre poſſumus. [b] Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Qui autem volunt diuites fieri incidunt in tentationem & muſcipulam & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Docet non tantum contemnendas, ſed & periculoſas eſſe diuitias, illic eſſe radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Vnde & diuitem ſtultum ſæculares copias cogitantem, & ſe exuberantium fructum largitate iactantem redarguit Deus dicens: Stulte hac nocte expoſtulatur anima tua: quæ ergo paraſti cuius erunt? Lætabitur ſtultus in fructibus ipſa nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum & conſummatum docet fieri, qui omnibus ſuis venditis, atque in vſum pauperum diſtributis, theſaurum ſibi condat in cælo. Eum dicit poſſe ſe ſequi, & gloriam Dominicæ paſſionis imitari; qui expeditus & ſuccinctus nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, ſed ſolutus ac liber facultates ſuas ad Deum ante præmiſſas, ipſe quoque comitatur. Ad quod vt poſſit vnuſquiſque noſtrum parare ſe; ſic diſcat orare, & de orationis lege qualis eſſe debeat noſcere. Neque enim deeſſe quotidianus cibus poteſt iuſto, cum ſcriptum ſit: Non occidet Dominus fame animam iuſtam. Et iterum: Iunior fui & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, neque ſemen eius quærens panem. Item Dominus promittat & dicat: Nolite cogitare dicentes; quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes quærunt. Sciet autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primò regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Quærentibus regnum & iuſtitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cùm Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit. [c] Sic Danieli in leonum lacu iuſſu regis incluſo, prandium diuinitus procuratur, & inter feras eſurientes & parcentes, homo Dei paſcitur. Sic alitur Helias in fuga: & in ſolitudine coruis miniſtrantibus, & volucribus cibum ſibi apportantibus in perſecutione nutritur. Atque ô humanæ malitiæ deteſtanda crudelitas: feræ parcunt, aues paſcunt, & homines inſidiantur & ſæuiunt. Poſt hæc & pro peccatis noſtris deprecamur dicentes: ***Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.*** Poſt ſubſidium cibi petitur & venia delicti; vt qui à Deo paſcitur, in Deo viuat: nec tantum præſenti & temporali vitæ, ſed & æternæ conſulatur, ad quam veniri poteſt, ſi peccata donentur: quæ debita Dominus appellat, ſicut in euangelio ſuo dicit: Dimiſi tibi omne debitum, quia me rogaſti. Quàm neceſſariè autem, quàm prouidenter, & ſalutariter admonemur, quod peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia de Deo petitur conſcientiæ ſuæ animus recordetur. Ne quis ſibi quaſi innocens placeat cum innocens nemo ſit, & ſe extollendo plus pereat; inſtruitur & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in epiſtola ſua monet dicens: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. In epiſtola ſua vtrumque complexus eſt, quod & rogare pro peccatis debeamus, impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis ſuæ reſeruantem. Quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam miſericordiam promiſit & veniam ſecuturam. Adiunxit planè & addidit legem, certa nos conditione & ſponſione conſtringens, vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus: ſcientes impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus; [d] niſi & ipſi circa debitores

a *Victum ſibi in diem poſtulat, &c.* Gregorius Nyſſ. ſerm. 4. de orat. Domin. μικρόν ἐστί σοι τὸ τῆς φύσεως ὄφλημα, τροφὴν χρεωστεῖς τῷ σαρκίῳ σου. *Parum eſt quod naturæ debes, carunculæ tuæ cibum ſuppeditas.* PRI.

b HABENTES ITAQVE EXHIBITIONEM.] Hoc eſt, habentes vnde ſe exhibeant. Vocabulum Iuris, quo ſignificatur victus & veſtitus. Addit tamen Cyprianus, *& tegumentum.* Vid. tract. De op. & eleemoſ. ſuprà RIG.

c *Sic Danieli in leonum lacu.* Eumdem hunc locum Dan. 14. citauit ſuprà epiſt. 66 & 68. & infr. de eleemoſ. Suſannæ quoque hiſtoriam epiſt. 40. Eaſdem explicauit edito comment. ante eum Origenes lib. 10 ſtromat, & de Suſannæ hiſtoriæ auctoritate librum conſcripſit aduerſus Africanum. Tertullianus lib. de corona mil. Suſannæ hiſtoriam citat, & in Scorpiaco hunc Danielis locum. D. etiam Chryſoſtomus Homiliam edidit de Suſanna; (qui in Danielem poſtea commentati ſunt, omitto.) Eamdem hiſtoriam citat D. Auguſt. tract. 36. in Ioan. & ex ea Diuus Hieronymus illud; ſemen Chanaan, & non Iuda, in cap. 1. Sophroniæ: quare fruſtra illum allegant aduerſarij, ad eleuandam auctoritatem dictorum capitum, præſertim quum ſuam ſententiam, diſertis verbis indicet. lib. 1. apolog. contra Ruffinum. PAM.

d NISI ET IPSI CIRCA DEBITORES NOSTROS] In exemplari Thuan. *Niſi & ipſi circa peccatores noſtros.* De conditionis iſtius neceſſitate diximus ad Tertullian. in eodem eius de Oratione tractatu. RIG.

d *Niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus.* S. Hieronymus in regul. Monach. *ne ſit exactor vindictæ, qui petitor eſt veniæ* & Petrus Chryſol. ſerm. 43. *improbus petitor eſt, qui quod alijs negat ſibi poſtulat.* Sed prolixius Cyrillus Hieroſo. catech. 2. [illegible] λαβεῖν [illegible] ἁμαρτιῶν

bitores noſtros paria fecerimus. Iccirco & alio in loco dicit: In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis. Et qui ſeruus poſt dimiſſum ſibi à Domino omne debitum, conſeruo ſuo noluit ipſe dimittere, in carcerem relegatur. Quia indulgere conſeruo ſuo noluit, quod ſibi à Domino indultum fuerat, amiſit. Quæ adhuc fortius Chriſtus in præceptis ſuis maiore cenſuræ ſuæ vigore proponit: Cum ſteteritis, inquit, ad orationem, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cælis eſt, remittat peccata veſtra vobis: ſi autem vos non remiſeritis, neque pater veſter qui in cælis eſt, remittet vobis peccata veſtra. [a] Excuſatio tibi nulla in die iudicij ſupereſt, cùm ſecundum tuam ſententiam iudiceris: & quod feceris, hoc & ipſe patiaris. Pacificos enim & concordes atque vnanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit: & quales nos fecit ſecunda natiuitate, tales vult renatos perſeuerare; vt qui filij Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus; & quibus ſpiritus vnus eſt, vnus ſit & animus & ſenſus. Sic [b] nec ſacrificium Deus recepit diſſidentis, & ab altari reuertentem prius fratri reconciliari iubet, vt pacificis precibus & Deus poſſit eſſe pacatus. Sacrificium Deo maius eſt pax noſtra, & fraterna concordia, & [c] de vnitate Patris & Filij & Spiritus Sancti plebs adunata. Neque enim in ſacrificiis quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, ſed corda intuebatur; vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iuſtus dum Deo ſacrificat innocenter; docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, ſic venire cum Dei timore, cum ſimplici corde, cum lege iuſtitiæ, cum concordiæ pace, merito ille dum in ſacrificio Dei talis eſt ipſe, poſtmodum ſacrificium Deo factus eſt; vt martyrium primus oſtendens, initiaret ſanguinis ſui gloria Dominicam paſſionem; qui & iuſtitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à Domino coronantur; tales in die iudicij cum Domino vindicabuntur. [d] Cæterum diſcordans & diſſidens, & pacem cum fratribus non habens, ſecundum quod beatus Apoſtolus & ſcriptura ſancta teſtatur, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimen diſſenſionis fraternæ poterit euadere; quia ſicut ſcriptum eſt: Qui fratrem ſuum odit, homicida. Non poteſt eſſe cum Chriſto; qui imitator Iudæ maluit eſſe, quam Chriſti. Quale delictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? quale crimen eſt, quod martyrio non poteſt expiari? Illud quoque neceſſariè admonet Dominus vt in oratione dicamus: *Et ne nos patiaris induci in tentationem.* Quia in parte oſtenditur nihil contra nos aduerſarium poſſe, niſi Deus ante permiſerit; vt omnis timor noſter & deuotio atque obſeruatio ad Deum conuertatur, quando in tentationibus noſtris [e] nihil malo liceat, niſi poteſtas inde tribuatur. Probat ſcriptura diuina quæ dicit: Venit Nabuchodonoſor rex Babyloniæ in Hieruſalem, & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum eius. Datur autem poteſtas aduerſus nos malo ſecundum noſtra peccata, ſicut ſcriptum eſt: Quis dedit in direptionem Iacob & Iſraël eis, qui prædantur illum? nonne Deus cui peccauerunt, & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius, & ſuperduxit ſuper eos iram animationis ſuæ? Et iterum: Salomone peccante, & à præceptis atque à viis Domini recedente, poſitum eſt: Et excitauit Dominus Satanan ipſi Salomoni. Poteſtas vero dupliciter aduerſus nos datur vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur: ſicuti de Iob factum videmus, manifeſtante Deo & dicente: Ecce omnia quæcumque habet, in manus tuas do: ſed ipſum caue ne tangas. Et Dominus in Euangelio loquitur tempore paſſionis ad Pilatum: Nullam haberes aduerſum me poteſtatem, niſi data eſſet tibi deſuper. Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbè atque arroganter aliquid aſſumat, ne quis aut confeſſionis, aut paſſionis gloriam ſuam ducat, cum Dominus ipſe humilitatem docens dixerit: Vigilate & orate [f] ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & ſummiſſa confeſſio, & datur totum Deo; Quicquid ſuppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur. Poſt iſta omnia in conſummatione orationis venit clauſula, vniuerſas petitiones & preces noſtras collecta breuitate concludens. In nouiſſimo enim ponimus: *Sed libera nos à malo*, comprehendentes aduerſa cuncta, quæ contra

nos

ἀνάγκη καὶ σὲ συγχωρῆσαι τῷ ἡμαρτηκότι. ἐπεὶ ποίῳ προσώπῳ τῷ κυρίῳ λέξεις, ἄφες μοι τὰς πολλάς μου ἁμαρτίας, αὐτὸς σὺ μηδὲ τὰς ὀλίγας τῷ συνδούλῳ συγχωρήσας. Peccatorum remiſſionem accepturus veniſti, oportet & tu peccanti remittas. Qua enim fronte Deo dices, remitte mihi infinita peccata, qui conſeruo tuo ne pauca quidem condonaueris? Hic locus non erit forſan inutiliter adductus, vt qui eandem adducit ex Euangelio rationem cum Cypriano. PRI.

a *Excuſatio tibi nulla.* Interſeruntur hic aliquot lineæ in editione Pariſienſi apud Arnulphum Langelier, ſed quæ Cypriani non ſunt, vti ipſe fatetur in margine hæc adnotatiuncula: *Additio quædam.* Ex qua de cæteris iudicare facile eſt lectori, vt potè qui quantumuis repurgationem iactet in titulo, innumeris Cyprianum mendis contaminarit: & tamen vt plauſibiliorem ſuam editionem faceret, ſubſcriptionem epiſtolæ dedicatoriæ Eraſmi immutare non eſt veritus, & quum ſcriptum conſtet Louanij anno 1519. ipſo ſubſcripſit Pariſijs an. 1541 PAM.

b NEC SACRIFICIVM DEVS RECIPIT.] In Ver. *nec ad ſacrificium Deus reſpicit* RIG.

c *De vnitate Patris & Filij, &c.* Sicuti alibi frequentiſſimè, ita & hic trium perſonarum diſertis verbis meminit. Loci aduotandi contra Trinitarios, qui proh dolor! hodie mirum multiplicantur in modum. PAM.

d *Cæterùm diſcordans & diſſidens.* Rurſum inculcat ſchiſmaticos non poſſe martyres dici. De Baptiſmo autem ſanguinis vide epiſtolam ad Iubaianum. *Idem.*

e *Nihil malo liceat.* Malum diabolum intelligit, habet autem ſimile epiſtola Firmiliani ad Cyprianum. *Idem.*

f *Ne veniatis in tentationem.* Quidam vetus codex Motellij: *ne intretis*, quod accedit magis ad lectionem græcam εἰσέλθητε, ſed prius legit D. Auguſt. hunc locum citans lib. 4. ad Bonif. cap. ſæpè dicto. *Idem.*

nos in hoc mundo molitur inimicus; à quibus poteſt eſſe fida & firma tutela, ſi nos Deus liberet, ſi deprecantibus atque implorantibus opem ſuam præſtet. [a] Quando autem dicimus: libera nos à malo, nihil remanet quod vltrà adhuc debeat poſtulari: quando ſemel protectionem Dei aduerſus malum petamus, qua impetrata contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, ſecuri ſtamus & tuti. Quis enim ei de ſæculo metus eſt, cui in ſæculo Deus tutor eſt? Quid mirum, fratres dilectiſſimi, ſi oratio talis eſt quam Deus docuit, qui magiſterio ſuo [b] omnem pacem noſtram ſalutari ſermone breuiauit? Hoc iam per Eſaiam prophetam fuerat antè prædictum, cum plenus Spiritu ſancto de Dei maieſtate ac pietate loqueretur: Verbum conſummans, inquit, & breuians in juſtitia: quoniam ſermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ. Nam cum Dei ſermo Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni ſexui atque ætati præcepta ſalutis ediderit: præceptorum ſuorum fecit grande compendium, vt in diſciplina cæleſti diſcentium memoria non laboraret, ſed quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium, velociter diſceret. Sic cum doceret quid ſit vita æterna, [c] ſacramentum vitæ magna & diuina breuitate complexus eſt dicens: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Item cum de lege & prophetis præcepta prima & maiora decerperet: Audi, inquit, Iſrael, dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Et diliges dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua: [d] hoc eſt primum mandatum, & ſecundum ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum tamquam te ipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Et iterùm: Quæcumque volueritis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ. Nec verbis tantùm, ſed & factis Dominus orare nos docuit, ipſe orans frequenter & deprecans; & quid facere nos oporteret, exempli ſui conteſtatione demonſtrans, ſicut ſcriptum eſt: [e] Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudinem, & adorans. Et iterùm: Exiuit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quod ſi ille orabat qui ſine peccato erat; quantò magis peccatores oportet orare? Et ſi ille per totam noctem iugiter vigilans continuis precibus orabat; quantò nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, & rogabat non pro ſe: quid enim pro ſe innocens precaretur? ſed pro delictis noſtris, ſicut & ipſe declarat cum dicit ad Petrum: [f] Ecce Satanas expetiuit; [g] vt vos vexaret quo modo triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Et poſtmodum pro omnibus patrem deprecatur dicens: Non pro his autem rogo ſolis, ſed & pro illis qui credituri ſunt per verbum ipſorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Magna Domini propter ſalutem noſtram benignitas pariter & pietas; vt non contentus quod nos ſanguine ſuo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret. Rogantis autem deſiderium videte quod fuerit, vt quo modo vnum ſunt pater & filius; ſic & nos in ipſa vnitate maneamus: vt hinc quoque poſſit intelligi quantum delinquat, qui vnitatem ſcindit & pacem; cùm pro hoc & rogauerit Dominus, [h] volens ſcilicet ſic plebem ſuam ſaluam fieri & in pace viuere, cum ſciret [i] ad regnum Dei diſcordiam non venire. [k] Quando autem ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet quod precatur: [l] Ideò & ſacerdos ante orationem Præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo: Surſum corda; vt dum reſpondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud ſe quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris; quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare quàm quod cum Deo loqueris? Quo modo te audiri à Deo poſtulas, cùm te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cùm rogas; quando tu ipſe memor tui non ſis? Hoc eſt, ab hoſte in totum non cauere; hoc eſt, quando

a *Quando autem dicimus.* Rurſum hic Pariſienſis ille corruptor dimidiam penè paginam adſuerat, cum hac adnotatiuncula in margine; *quidam addidit*, ſed non eſt Cypriani, oportebat igitur prætermittere. PAM.

b OMNEM PACEM NOSTRAM.] Emendandum vt in Vaticanis: *omnem precem noſtram.* RIG.

c SACRAMENTVM VITÆ.] Sacramentum vitæ, Chriſtus, hoc eſt, Caro Chriſti, Corpus Chriſti, Crux Chriſti. *Idem.*

d *Hoc eſt primum mandatum.* Vocem *mandatum* adiecimus ex Cambronenſi codice, & ſubſtituimus ex eodem *te ipſum*, pro eo quod erat *te.* PAM.

e *Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudinem & adorans.* Adorare eſt orare προσκυνεῖν, Nihil apud Scriptores magis tritum. Sic Tertullianus lib de orat. cap. 1. *docuerat & Ioannes diſcipulos ſuos adorare.* Liuius lib. 38 *Deos demùm conuulſos ex ſedibus ſuis ablatos eſſe, quos adorent, ad quos precentur & ſupplicent, Ambracienſibus non ſupereſſe.* PRI.

f ECCE SATANAS EXPETIVIT.] Liber Ver. poſtulauit. Atque ſic etiam Tertul. RIG.

g *Vt vos vexaret.* Eodem modo hanc ſcripturam ſuprà citauit epiſt. 9. Iuxtà Gellium autem (inquit Morel.) qui raptatur, atque huc & illuc diſtrahitur, vexari propriè dicitur. PAM.

h VOLENS SCIL. PLEBEM SVAM SALVAM FIERI ET IN PACE VIVERE.] Editio Romana: *Volens ſcilicet plebem ſuam vnire.* RIG.

i AD REGNVM DEI DISCORDIAM NON VENIRE.] Alludit ad fabulam Diſcordiæ, quam dearum omnium vnam non interfuiſſe celebratis in cælo nuptiis Pelei ac Thetidis poëtæ nugantur. Bellè hoc Cyprianus ad Dei regnum & Chriſtianam caritatem traducit. *Idem.*

k *Quando autem ſtamus ad Orationem.* Stabant olim fideles in orationibus publicis, hinc ſtationes dictæ. PAM.

l *Ideò & ſacerdotes ante orationem præfatione præmiſſa.* Patet hinc, iam tum ætate D. Cypriani, etiam de nomine notam fuiſſe, quam etiamnum præfationem vocamus in Miſſa; Immò & verba ipſa hodiè vſitatiſſima, *Surſum corda*, &, *habemus ad Dominum.* *Idem.*

quando oras Deum, majeſtatem Dei negligentia orationis offendere; hoc eſt, vigilare oculis & corde dormire, cùm debeat Chriſtianus & cùm dormit oculis, corde vigilare: ſicut ſcriptum eſt ex perſona Eccleſiæ loquentis in Cantico Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter ſollicitè & cautè Apoſtolus admonet dicens: Inſtate orationi vigilantes in ea; docens, ſcilicet, & oſtendens, eos impetrare quod poſtulant de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare. Orantes autem non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum veniant: [a] inefficax petitio eſt, cùm precatur Deum ſterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique & ſermo non habens fructum, promereri Deum non poteſt, qui nulla eſt operatione fecundus: Et ideò ſcriptura diuina inſtruit dicens: Bona eſt oratio cum jeiunio & eleemoſyna. Nam qui in die judicij præmium pro operibus & eleemoſynis redditurus eſt; hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor eſt. Sic denique Cornelius Centurio cùm oraret meruit audiri: Fuit faciens multas eleemoſynas in plebem & ſemper orans Deum; huic circa horam nonam oranti aſtitit Angelus teſtimonium reddens ſui operis, & dicens: Corneli orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad memoriam coram Deo. Citò orationes ad Deum aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt. Sic & Raphael Angelus Tobiæ oranti, ſemper, & ſemper operanti, teſtis fuit dicens: Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Nam quando orabas tu & Sarra, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectum claritatis Dei. Et cùm ſepelires tu mortuos ſimpliciter: & quia non es cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, ſed abiſti & condidiſti mortuum, miſſus ſum tentare te; & iterum me miſit Deus curare te, & Sarram nurum tuam. Ego enim ſum Raphael, vnus ex ſeptem Angelis iuſtis, qui aſſiſtimus & conuerſamur ante claritatem Dei. Per Eſaiam quoque Dominus admonet & docet ſimilia conteſtans: Solue, inquit, omnem nodum iniuſtitiæ, [b] reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem iniuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua cito orientur, & præibit ante te iuſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te, & dum adhuc loquens, dicet: ecce adſum. Adeſſe ſe promittit; & audire ac protegere ſe eos dicit, qui iniuſtitiæ nodos de corde ſoluentes, & eleemoſynas circa domeſticos Dei, ſecundum eius præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipſi quoque à Deo merentur audiri. Beatus Apoſtolus Paulus in neceſſitate preſſuræ adiutus à fratribus, opera bona quæ fiunt, ſacrificia Dei dixit eſſe: Saturatus ſum, inquit, recipiens ab Epaphrodito ea quæ à vobis miſſa ſunt, odorem ſuauitatis, ſacrificium acceptum, & placitum Deo. Nam quando quis miſeretur pauperis, Deum fœnerat: & qui dat minimis, Deo donat, ſpiritaliter Deo ſuauitatis odorem ſacrificat. [c] In orationibus verò celebrandis inuenimus obſeruaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, ſextam, nonam, [d] ſacramento ſcilicet trinitatis; quæ in nouiſſimis temporibus manifeſtari habebat. Nam & prima horâ in tertiam veniens, conſummatum numerum trinitatis oſtendit. Itemque ad ſextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando à ſeptima nona completur per ternas horas trinitas perfecta numeratur: quæ horarum ſpatia iampridem ſpiritaliter determinantes adoratores Dei, ſtatutis & legitimis ad precem temporibus ſeruiebant; & manifeſtata poſtmodum res eſt ſacramenta olim fuiſſe; quod antè ſic iuſti precabantur. Nam ſuper diſcipulos hora tertia deſcendit Spiritus ſanctus, qui gratia Dominicæ repromiſſionis impleuit. Item Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens, ſigno pariter & voce Dei monentis inſtructus eſt, vt omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cum [e] de emundandis gentilibus antè dubitaret. Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & vt redimere & viuificare nos poſſet; tunc victoriam ſuam paſſione perfecit. Sed nobis, fratres,

a *Inefficax petitio eſt, &c.* A Tertulliano habet hoc Cyprianus vt putet commendatiorem eſſe orationem cum jeiunio coniunctam. Quo etiam modo Gregorius Nazianzenus *νηστείας καὶ δεήσεις* coniungit *jeiunia & orationes* orat. 3. & Petrus Chryſologus *quod oratio pulſat, impetrat jeiunium*. PRI.

b *Reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum.* Græcè eſt *στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων*. Id eſt, oblationes, inquit Morell. violentarum cautionum. Significat enim interprete D. Hieronymo chartarum faſciculos, in quibus fœneratorum calumniæ continentur. PAM.

c *In orationibus verò celebrandis.* Locus hic mirè confirmat horarum canonicarum inſtitutionem, quæ hodie in eccleſia frequentantur: atque imprimis à Daniele cum tribus pueris dicit obſeruatas horas tertiam, ſextam, & nonam, & obſeruatas illas non à Iudæis modo, ſed & ab Apoſtolis in actib Apoſtolorum. Hora enim tertia venit in diſcipulos Spiritus ſanctus, hora ſexta in tecto ſuperiori orans Petrus viſionem vidit. Hora nona Petrus & Ioannes precandi gratia, aſcenderunt in templum. His vero adiunctas horas matutinam & veſpertinam ac nocturnam. Neque his contentus, ſemper orandum docet. Non rectè itaque horariarum precum prolixitatem calumniantur quidam. Certè D. Hieronymus epiſt. ad Lætam & ad Demetriadem, earum horarum vſum non nouum tum fuiſſe diſertis verbis indicat. Quare rectè mihi ſentire videntur Sigebertus in Chronicis, & Radulphus Tungrenſis qui D. Damaſo cum D. Hieronymo & Ambroſ. canonicarum horarum inſtitutionem aſſignant: quod confirmat pſalmorum per totam hebdomadam iam inde tum in Romana, tum in Mediolanenſi eccleſia diſtributio. Quod imitatus eſt præſertim D. Hieronym. & Benedictus in regula, & ita pſalterium in ſeptem horas diuiſit, vt ſingulis ſeptimanis integrum pſalterium diceretur. Vt autem non in eccleſiâ modò canerentur ſeptem preces horariæ, ſed quotidiè à preſbyteris recitarentur, inſtitutum referunt à Pelagio; ſingulis etiam horis præfationis loco adiunxiſſe D. Gregorium illud pſalmi Dauidici: Deus in adiutorium meum intende. Porrò vt totidem horæ quotidiè recitarentur in laudem D. Virginis, & ſabbata ſolemniter, ſtatutum eſt ab Vrbano 2. in concilio apud Claromontem an. 1096. *Idem.*

d SACRAMENTO SCI. TRIN.] Ver. *Sacramentum*; RIG.

tres dilectiſſimi, præter horas antiquitus obſeruatas, orandi nunc & ſpatia & ſacramenta creuerunt. Nam & mane orandum eſt, vt reſurrectio Domini matutina oratione celebretur. quod olim Spiritus ſanctus deſignabat in pſalmis dicens: Rex meus & Deus meus, quoniam a ad te orabo Domine; mane exaudies vocem meam: mane aſſiſtam tibi, & contemplabor te. Et iterum per prophetam loquitur Dominus: Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum Deum noſtrum. Recedente item ſole ac die ceſſante neceſſario rurſus orandum eſt. Nam quia Chriſtus ſol verus, & dies eſt verus, ſole ac die ſæculi recedente, quando oramus & petimus vt ſuper nos lux denuo veniat, Chriſti precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Chriſtum autem diem dictum declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus: Lapis, inquit, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à Domino factus eſt iſte, & eſt admirabilis in oculis noſtris. Iſte eſt dies quem fecit Dominus, b ambulemus & iucundemur in eo. Item quod ſol appellatus ſit. c Malachias propheta teſtatur dicens: Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur ſol iuſtitiæ & in alis eius curatio eſt. Quod ſi in ſcripturis ſanctis ſol verus, & dies verus eſt Chriſtus: hora nulla à Chriſtianis excipitur, quo minus frequenter ac ſemper Deus debeat adorari; vt qui in Chriſto, hoc eſt in ſole & in die vero ſumus, inſiſtamus per totum diem precibus & oremus: & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta ſuccedit, nullum de nocturnis tenebris eſſe orantibus damnum poteſt, quia filiis lucis & in noctibus dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui lumen in corde eſt? Aut quando ſol ei & dies non eſt, cui ſol & dies Chriſtus eſt? Qui autem in Chriſto; hoc eſt, in lumine ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus. Sic Anna vidua ſine intermiſſione rogans ſemper & vigilans, perſeuerabat in promerendo Deo, ſicut in Euangelio ſcriptum eſt: Non recedebat, inquit, de templo, ieiuniis & orationibus ſeruiens nocte ac die. Viderint vel gentiles, qui necdum illuminati ſunt: vel Iudæi, qui deſerti lumine in tenebris remanſerunt. Nos fratres dilectiſſimi, qui in Domini luce ſemper ſumus, qui meminimus & tenemus, quid eſſe accepta gratia cœperimus; computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus ſemper in lumine, non impediamur à tenebris quas euaſimus; nulla ſint horis nocturnis precum damna; nulla orationum pigra & ignaua diſpendia. Per Dei indulgentiam recreati ſpiritaliter & renati imitemur quod futuri ſumus: d habituri in regno ſine interuentu noctis ſolum diem; ſic nocte, quaſi in lumine vigilemus: oraturi ſemper & acturi gratias Deo; hic quoque orare, & gratias agere non deſinamus.

a DE EMVNDANDIS GENTILIBVS.] Vet. *gentibus*. RIG.

c AD TE ORABO.] Vet. *ad te adorabo*. *Idem*.

b AMBVLEMVS ET IVCVND.] Ver. *Exultemus*. *Idem*.

c MALACHIAS.] Ver. Malachiel. in editione Rom. *Malachim*. *Idem*.

c *Malachias propheta*. Ita hunc locum reſtitui ex vet. xec. & M S. tribus codic. pro eo quod vitio Remboldi legebatur, *Malachim*, neque enim vſpiam, Malachim vocatur propheta: ſed libri Malachim iidem ſunt cum libris regum. Atque adeo non placet etiam illud Dun. & Marchin. cod. *Malachiel* præſertim quum in margine legant *Malachias*. PAM.

d HABITVRI IN REGNO.] Ver. *In regno Dei*. RIG.

AD DEMETRIANVM.

OBLATRANTEM te, & aduerſus Deum, qui vnus & verus eſt, ore ſacrilego & verbis impiis obſtrepentem, frequenter Demetriane contempſeram verecundius ac melius exiſtimans errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quàm loquendo dementis inſaniam prouocare. Nec hoc ſine magiſterij diuini & nominis auctoritate faciebam, cùm ſcriptum ſit: In aures imprudentis noli quidquam dicere; ne, quando audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos. Et iterum: Noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne ſimilis fias illi: & ſanctum quoque iubeamur intra conſcientiam noſtram tenere, nec inculcandum porcis & canibus exponere, loquente Domino & dicente: a Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos; ne conculcent ea pedibus, & conuerſi elidant vos. Nam cùm ad me ſæpe ſtudio magis contradicendi, quam voto diſcendi venires, & clamoſis vocibus perſonans malles tua impudenter ingerere, quam noſtra patienter audire: ineptum videbatur congredi tecum, quando facilius eſſet & leuius b turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quàm tuam rabiem tractatibus coercere. Certe & labor irritus & nullus effectus, offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto: cùm nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire. Hæc conſiderans ſæpe conticui, & impatientem patientia vici; cùm nec docere indocilem poſſem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim cum dicas plurimos conqueri; c quod bella crebrius ſurgant, quod

a *Ne dederitis ſanctum canibus, &c.* Tertullianus de præſcript. cap. 41. iiſdem Euangelij verbis vtitur, vbi ex mente quorumdam interpretum, per ſanctum tum eò loci, tum lib. de ſpectac. Euchariſtiam intelligit. PAM.

b *Turbulenti maris concitos, fluctus clamoribus retundere.* Prouerbium eſt & hoc, & ea quæ ſequuntur: *offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto.* PAM.

c *Quod bella crebrius ſurgant.* Eamdem hanc calumniam

lues, quod fames ſæuiant, quódque imbres, & pluuias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari; tacere vltrà non oportet; ne iam non verecundiæ, ſed diffidentiæ eſſe incipiat, quod tacemus; & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere. Reſpondeo igitur & tibi Demetriane pariter, & cæteris, quos tu forſitan concitaſti, & aduerſum nos odia tuis maledicis vocibus ſeminando, comites tibi plures, radicis, atque originis tuæ pullulatione feciſti, quos tamen ſermonis noſtri admittere credo rationem. nam qui ad malum motus eſt fallente mendacio, multò magis ad bonum mouebitur, veritate cogente. [a] Dixiſti per nos fieri, & quòd nobis debeant imputari omnia iſta, quibus nunc mundus quatitur & vrgetur, quod dij veſtri à nobis non colantur. Qua in parte (quia ignarus diuinæ cognitionis, & veritatis alienus es) illud primo in loco ſcire debes, ſenuiſſe iam mundum, non illis viribus ſtare, quibus priùs ſteterat nec vigore & robore eo valere quo anteà præualebat. Hoc etiam nobis tacentibus & nulla de ſcripturis ſanctis prædicationibuſque diuinis documenta promentibus, mundus ipſe iam loquitur, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur: Non hyeme nutriendis ſeminibus tanta imbrium copia eſt: non frugibus æſtate torrendis ſolis tanta flagrantia eſt, nec ſic verna [b] de temperie ſua ſata læta ſunt, nec adeò arboreis fetibus [c] autumna fecunda ſunt. Minus de effoſſis & fatigatis montibus eruuntur marmorum cuſtæ, minus argenti, & auri opes ſuggerunt exhauſta iam metalla: & pauperes venæ breuiantur in dies ſingulos, & decreſcunt: deficit [d] in agris agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocentia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina. Putaſne tu tantam poſſe ſubſtantiam rei ſeneſcentis exiſtere, quantùm priùs potuit nouella adhuc & vegeta iuuentute pollere? Minuatur neceſſe eſt quicquid fine iam proximo in occidua extrema deuergit. Sic ſol in occaſu ſuo radios minùs claro & igneo ſplendore iaculatur, ſic declinante iam curſu, [e] exoletis cornibus luna tenuatur; & arbor quæ fuerat ante viridis & fertilis, areſcentibus ramis fit poſtmodum [f] ſterili ſenectute deformis. Et fons qui exundantibus prius venis largiter profluebat, ſenectute deficiens vix modico ſudore diſtillat. Hæc ſententia mundo data eſt: hæc Dei lex eſt, vt omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant; & infirmentur fortia, & magna minuantur; & cùm infirmata & diminuta fuerunt, finiantur. Chriſtianis imputas, quod minuantur ſingula mundo ſeneſcente: quid ſi & ſenes imputent Chriſtianis, quod minus valeant in ſenectute? quod non perinde vt priùs vigeant auditu aurium, curſu pedum, oculorum acie, virium robore, ſucco viſcerum, mole membrorum? & cùm olim [g] vltra octingentos, & nongentos annos vita hominum longæua procederet, vix nunc poſſit ad centenarium numerum peruenire? Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam creſcant, nec ætas in ſenectute deſinit, ſed incipit à ſenectute: ſic in ortu adhuc ſuo ad finem natiuitas properat: ſic quodcumque nunc naſcitur, mundi ipſius ſenectute degenerat; vt nemo mirari debeat ſingula in mundo cœpiſſe deficere, quando totus ipſe iam mundus in defectione ſit & in fine. [h] Quòd autem crebriùs bella continuant, quòd ſterilitas & fames ſollicitudinem cumulant, quòd ſæuientibus morbis valetudo frangitur, quòd humanum genus luis poſtulatione vaſtatur; & hoc ſcias eſſe prædictum, in nouiſſimis temporibus multiplicari mala & aduerſa variari, & appropinquante iam judicij die magis ac magis in plagas generis humani cenſuram Dei indignantis accendi. Non enim ſicut tua falſa quærimonia & imperitia veritatis ignara iactat, & clamitat, iſta accidunt, quòd dij veſtri à nobis non colantur; ſed quòd à vobis non colatur Deus. Nam cùm ipſe ſit mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio eius & nutu gerantur, nec quidquam fieri poſſit, niſi quod aut fecerit, aut fieri ipſe permiſerit: vtique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis oſtendunt, non propter nos fiunt, à quibus Deus colitur; ſed delictis & meritis veſtris irrogantur à

quibus

ethnicorum confutauit ante D. Cyprianum Iuſtinus martyr, quæſt. & reponſ. lib. 1 quæſt. 126. & Tertullianus poſt medium Apolog. & Arnobius lib. ſeptem, præſertim autem primo D D. Ambroſius & Prudent. contra Symmach. & latiſſimè D. Auguſtinus lib. 5. priorib. de ciuitate Dei, ac Oroſius lib. 7. Quorum quum alij pleríque in refutationem huius calumniæ, bella, tum fames, tum peſtilentias adferrent, quæ ante Chriſtum natum contigerunt. Oroſius earum etiam cladium meminit quæ ab illo nato factæ ſunt, & pulchrè deducit, poſt ſingulas perſecutiones Chriſtianorum grauiſſima bella, & clades conſecutas, atque adeò ipſis potiùs perſequutoribus quam Chriſtianis imputandas. PAM.

[a] *Dixiſti per nos fieri.* Propoſitio eſt ad quam reſpondet totó opere. Atqui quod de ſenectute mundi dicit, alludit ad veterum philoſophorum & poëtarum ſententias, aſſerentium mundum ſenectute deteriorem fieri, exemplis idipſum probans. Scripturæ autem quas omittere ſe dicit, ſunt: Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? & ſimiles, quibus nouiſſimorum temporum prauitas manifeſtiſſimè deſcribitur in euangelicis & apoſtolicis literis. *Idem.*

[b] DE TEMPERIE SVA LÆTA SVNT.] Rectè in Veronenſi, *Verna de temperie ſua læta ſunt.* Verna, ſcilicet tempora. RIG.

[c] AVTVMNA FECVNDA SVNT.] Autumna dicit, quemadmodum, verna. *Idem.*

[d] IN AGRIS.] Exemplar Veronenſe: in aruis. *Idem.*

[e] EXOLETIS CORNIBVS LVNA TENVATVR.] Poſtquam adoleuit, exoleſcit. Sunt quibus magis placeat: *expletis. Idem.*

[f] *Sterili ſenectute.* Vt oſtendat res in ſua decliuitate ac velut ſenectute langueſcere, multoties hoc in loco ſenectutis vocem fonti etiam tribuit, quod non adeò vulgare. De legibus quidem Papiis Apolog. 4. dixerat Tertullianus, *poſt tanta auctoritatis ſenectutem.* PRI.

[g] *Vltra octingentos & nongentos annos, &c.* Confirmatur hic D. Auguſtini ſententia, quam lib. 15. de ciuit. Dei latè proſequitur de vita longæua primorum mortalium contra eorum ſententiam, qui Gen. cap. 5. de annis lunaribus volebant intelligi; quale quid habet Plinius lib. 7. cap. 48. non credens tam longæuos illos fuiſſe. Auguſtini ſententiam Ioſephus antè longe comprobauit antiq. iudaic. lib. 1. cap 8. ex Manethone Ægyptiorum Beroſo Chaldæorum, & Mocho, Heſtæo, Hieronymo Ægyptio Phœnicum hiſtoriæ ſcriptoribus: Heſiodo etiam Hecatæo, Hellanico, Acuſilao, Ephoro, & Nicolao hiſtoricis. Immò & idoneam reddit rationem, ſtudium Geometriæ & Aſtronomiæ, vt potè quarum certitudinem aſſequi non potuiſſent, ſi minus ſexcentis annis vixiſſent. Ex tot enim conſtare magnum annum qui omnium Planetarum, inquit Beda de temporibus cap. 36. ad ſua loca recurſu conficitur. PAM.

[h] *Quod autem crebrius bella, &c.* De bellis loquitur, tum Gotthorum, contrà quos pugnans occiſus eſt imperator Decius, tum aliis magis frequentibus ſub Gallo & Voluſiano. Ita Zonaras lib. 2. Annal. *Idem.*

a *Quando*

quibus Deus omninò nec quæritur, nec timetur; nec relictis vanis ſuperſtitiónibus religio vera cognoſcitur; vt qui Deus vnus eſt omnibus, vnus colatur ab omnibus & rogetur. Ipſum denique audi loquentem, ipſum voce diuina inſtruentem nos pariter ac monentem: Dominum Deum tuum adorabis, inquit, & illi ſoli ſeruies. Et iterùm: Non erunt tibi dii alii abſque me. Et iterùm: Nolite ambulare poſt deos alienos, vt ſeruiatis eis, & ne adoraueritis eos; & ne incitetis me [a] in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendos vos. Propheta item Spiritui ſancto plenus conteſtatur & denunciat iram Dei, dicens: Hæc dicit dominus Deus omnipotens: Eò quòd domus mea deſerta eſt, vos autem ſectamini vnuſquiſque in domum ſuam, propterea abſtinebit cælum à rore, & terra ſubtrahet procreationes ſuas, & inducam gladium ſuper terram, & ſuper frumentum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & ſuper homines, & ſuper pecora, & ſuper omnes labores manuum eorum. Item propheta alius repetit & dicit: Et pluam ſuper vnam ciuitatem, & ſuper aliam non pluam. Pars vna complueтur, & pars, ſuper quam non pluero, areſiet. Et congregabuntur duæ & tres ciuitates in vnam ciuitatem potandæ aquæ cauſa, nec ſatiabuntur; & non conuertimini ad me; dicit Dominus. Indignatus ecce Dominus & iraſcitur, & quod ad eum non conuertamini comminatur: & tu miraris aut quereris in hac obſtinatione & contemptu veſtro, ſi rara deſuper pluuia deſcendat, ſi terra ſitu pulueris ſqualeat, ſi vix ieiunas & pallidas herbas ſterilis gleba producat, ſi vineam debilitet grando cædens, ſi oleam detruncet turbo ſubuertens, ſi [b] fontem ſiccitas ſtatuat, aërem peſtilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo conſumat; cum omnia iſta peccatis prouocantibus veniant; & plus exacerbetur Deus quando nihil talia & tanta proficiant? Fieri enim iſta vel ad diſciplinam contumacium, vel ad pœnam malorum, declarat in ſcripturis ſanctis idem Deus dicens: Sine cauſa percuſſi filios veſtros, diſciplinam non exceperunt. Et propheta deuotus ac dicatus Deo, ad hæc eadem reſpondet & dicit; Verberaſti eos, nec doluerunt: flagellaſti eos, [c] nec voluerunt accipere diſciplinam. Ecce irrogantur diuinitus plagæ & nullus Dei metus eſt. Ecce verbera deſuper & flagella non deſunt, & [d] trepidatio nulla, nulla formido eſt. Quid ſi non intercederet rebus humanis vel iſta cenſura; quantò adhuc maior in hominibus eſſet audacia facinorum impunitate ſecura? Quereris quod minus nunc tibi vberes fontes, & auræ ſalubres, & frequens pluuia, & fertilis terra obſequium præbeant, quod non ita vtilitatibus tuis, & voluptatibus elementa deſeruiant. [e] Tu enim Deo ſeruis, per quem tibi cuncta deſeruiunt? Tu familiaris illi, cuius nutu tibi vniuerſa famulantur? Ipſe de ſeruo tuo exigis ſeruitutem, & homo hominem parere tibi & obedire compellis; & cùm ſit vobis eadem ſors naſcendi, condicio vna moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis; æquali jure, & pari lege vel veniatur in iſtum mundum, vel de mundo poſtmodum recedatur: tamen niſi tibi pro arbitrio tuo ſeruiatur, niſi ad voluntatis obſequium pareatur, imperioſus & nimius ſeruitutis exactor, flagellas, verberas, fame, ſiti, nuditate, ferro frequenter, & carcere affligis & crucias; & non agnoſcis miſer Dominum Deum tuum, [f] cum ſic exerceas ipſe in homine dominatum? Meritò ergo incurſantibus plagis non deſunt Dei flagella nec verbera: quæ cum nihil iſtic promoueant, nec ad Deum ſingulos tanto cladium terrore conuertant, manet poſtmodum carcer æternus, & iugis flamma, & pœna perpetua, nec audietur illic rogantium gemitus, quia nec hic Dei indignantis terror auditus eſt, qui per prophetam clamat, & dicit: Audite ſermonem Domini filij Iſraël, quia iudicium eſt Domini aduerſus incolas terræ, eò quòd neque miſericordia, neque veritas, neque agnitio Dei ſit ſuper terram, ſed execratio, & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffuſum eſt ſuper terram, ſanguinem ſanguini ſupermiſcent. Iccircò terra lugebit cum vniuerſis incolis ſuis, cum beſtiis agri, cum ſerpentibus terræ, cum volucribus cæli, & deficient piſces maris, vt nemo judicet, nemo reuincat. Indignari ſe Deus dicit, quod agnitio Dei non ſit in terris, & Deus non agnoſcitur nec timetur. Delicta mendaciorum, libidinum, fraudum, crudelitatis, impietatis, furoris, Deus increpat & incuſat, & ad innocentiam nemo conuertitur. Fiunt ecce quæ verbis Dei antè prædicta ſunt, nec quiſquam fide præſentium, vt in futurum conſulat, admonetur. Inter ipſa aduerſa, quibus vix coartata & concluſa anima reſpirat, [g] vacat malos eſſe, & in periculis tantis non de ſe magis, ſed de altero iudicare. Indignamini indignari Deum, quaſi aliquid boni malè viuendo mereamini, quaſi non omnia iſta quæ accidunt, minora adhuc ſint & leuiora peccatis veſtris. Qui alios judicas, aliquando eſto & tui judex, [h] conſcientiæ tuæ latebras intuere, immò (quia nullus jam delinquendi vel pudor eſt, & ſic peccatur, quaſi magis per ipſa peccata placeatur) qui perſpicuus

a IN OPERIBVS MANVVM VESTRAR.] Idola dicuntur opera manuum homin. Pſalm. 113. RIG.

b FONTEM SICCITAS STATVAT.] Stare faciat. *Idem.*

c *Nec voluerunt accipere diſciplinam.* Quod interſerebatur in excuſis, *credere nec*, omiſimus cum Morelio: neque enim id habent biblia Hebræa aut 70. neque MS. cod. PAM.

d *Trepidatio nulla, nulla formido eſt.* Interſerit Grauius: *nulla cunctatio*, ſed id MS. non habent. *Idem.*

e *Tu enim Deo ſeruis, &c.* Aut cum interrogatione hæc enuncianda ſunt, aut addendæ negationes cum 4 MS. *Idem.*

f CVM SIC EXERCEAS IPSE IN HOMINE DOMINATVM.] Iuuenalis: *Seruus homo eſt.* RIG.

g VACAT MALOS ESSE.] Eſt illis otij ſatis ad concipiendas & peragendas omne genus malitias & fraudes. RIG.

h *Conſcientiæ tuæ latebras intuere.* A Demetriano proconſule ad Demetrianum prouocat, & conſcientiam ipſius appellat, quemadmodum Septimius Tertull. apolog. 1. *Appellamus & prouocamus à vobis ad conſcientiam veſtram, illa nos iudicet &c.* S. Hieronymus de eadem conſcientia ad Nepotianum, *tua conſcientia iudicaris.* Addam & S. Ambroſium exhort. ad Virg. *Voluit Deus omnes homines ſuorum delictorum eſſe cenſores; vt & qui publico teſtimonio non tenetur, ſeipſum judicem qui in occultum lapſus eſt, erubeſcat.* PRI.

ſpicuus & nudus à cunctis videris, & ipſe te reſpice. Aut enim ſuperbia inflatus es, aut auaritia rapax, aut iracundia ſæuus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut liuore inuidus, aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus; & miraris in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cum creſcat quotidie quod puniatur? Hoſtem quereris exſurgere, quaſi, [a] & ſi hoſtis deſit, eſſe pax inter ipſas togas poſſit. Hoſtem quereris reſurgere, quaſi non etſi externa de barbaris arma, & pericula comprimantur, ferocius intus & grauius, de calumniis, & iniuriis potentium ciuium, domeſticæ impugnationis tela graſſentur. De ſterilitate aut fame quereris; quaſi famem maiorem ſiccitas quàm rapacitas faciat, quaſi non de captatis annonarum incrementis & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excreſcat. Quereris cludi imbribus cælum; cum ſic horrea cludantur in terris. [b] Quereris minus naſci; quaſi quæ nata ſunt, indigentibus præbeantur. Peſtem & luem criminaris; cum peſte ipſa & lue vel detecta ſint, vel aucta crimina ſingulorum, dum nec infirmis exhibetur miſericordia, & defunctis auaritia inhiat ac rapina: Iidem ad pietatis obſequium timidi, ad impia lucra temerarij, fugientes morientium funera, & appetentes ſpolia mortuorum, vt appareat in ægritudine ſua miſeros ad hoc forſitan derelictos eſſe, ne poſſint, dum curantur, euadere. Nam perire ægrum voluit, qui cenſum pereuntis inuadit. Tantus cladium terror dare non poteſt innocentiæ diſciplinam; & inter populum frequenti ſtrage morientem, nemo conſiderat & ſe eſſe mortalem. Paſſim diſcurritur, rapitur, occupatur. Prædandi diſſimulatio, nulla cunctatio, nulla formido eſt. Quaſi liceat, quaſi oporteat, quaſi ille, qui non rapit, damnum & diſpendium proprium ſentiat; ſic vnuſquiſque rapere feſtinat. In latronibus eſt vtcumque aliqua ſcelerum verecundia, auias fauces & deſertas ſolitudines deligunt, & ſic illic delinquitur, vt tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur. Auaritia palam ſæuit, & ipſa audacia ſua tuta, in fori luce abruptæ cupiditatis arma proſtituit: Inde falſarij; inde venefici, inde in media ciuitate ſicarij, tam ad peccandum præcipites, quàm impune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens qui vindicet, inuenitur. De accuſatore vel iudice metus nullus. Impunitatem conſequuntur mali, dum modeſti tacent, timent conſcij, veneunt iudicaturi. Et icciрco per Prophetam diuino ſpiritu & inſtinctu rei veritas promitur, certa & manifeſta ratio monſtratur; Deum poſſe aduerſa prohibere, ſed ne ille ſubueniat, merita peccantium facere: Nunnuid, ait, non valet manus Dei, vt ſaluos vos faciat, aut grauauit aurem, vt non exaudiat? Sed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant. Et propter delicta veſtra auertit faciem ſuam à vobis, ne miſereatur. Peccata itaque & delicta reputentur, conſcientiæ vulnera cogitentur, & deſinet vnuſquiſque de Deo vel de nobis conqueri, ſi quod patitur, intelligat ſe mereri. Ecce id ipſum quale eſt, vnde nobis vobiſcum maximè ſermo eſt, quod nos infeſtatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis, atque opprimitis Dei ſeruos. Parum eſt quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita veſtra maculatur, quod ſuperſtitionibus falſis religio vera ſubuertitur, quod Deus omnino nec quæritur, nec timetur: adhuc inſuper Dei ſeruos, & maieſtati ac nomini eius dicatos iniuſtis perſecutionibus agitatis. Satis non eſt, quod ipſe tu Deum non colis; adhuc inſuper eos qui colunt ſacrilega infeſtatione perſequeris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis; & cum cæteri, qui non tantum iſta inepta idola, & manibus hominis facta ſimulacra, ſed & portenta quædam & monſtra venerantur, tibi placeant; ſolus diſplicet Dei cultor. Fumant vbique in templis veſtris hoſtiarum buſta & rogi pecorum; & Dei altaria vel nulla ſunt, vel occulta. [c] Crocodili & cynocephali & lapides & ſerpentes à vobis coluntur, & Deus ſolus in terris aut non colitur, aut non eſt impune quod colitur. Innoxios, iuſtos, [d] Deo charos domo priuas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, beſtiis, gladio, ignibus punis. [e] Nec ſaltem contentus es dolorum noſtrorum compendio & ſimplici ac veloci breuitate pœnarum: admoues laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia, nec feritas atque immanitas tua vſitatis poteſt contenta eſſe tormentis; excogitat nouas pœnas ingenioſa crudelitas. Quæ hæc eſt inſatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido ſæuitiæ? Quin potius elige tibi alterum de duobus: Chriſtianum eſſe, aut eſt crimen, aut non eſt. [f] Si crimen eſt, quid non interficis confitentem? ſi crimen non eſt, quid perſe-

a *Et ſi hoſtis deſit, eſſe pax inter ipſas togas poſſit.* Pariter dixerat Tertullianus cap. 5. de Pallio. *Quippe ſi pergam ad acuta tecum, plus toga læſere Remp. quam lorica.* Iuuenalis Sat. 6.

Nunc patimur longæ pacis mala, ſæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciſcitur orbem. PRI.

b QVERERIS MINVS NASCI.] Veron. *Quæreris nunc minus naſci.* RIG.

c *Crocodili & Cynocephali, &c.* Monſtra Deorum Ægyptiorum quæ fuerint explicat. Crocodili autem meminit Tertull. lib. 2. contra Marcionem, & Cynocephali, id eſt, canini capitis Dei in apolog. haud procul ab initio. De omnibus autem Athenagoras apolog pro Chriſt. Plura quoque Prudentius in Romano Mart. & lib. 2. contra Symmach. & Diodorus Siculus biblioth. lib. 1. Atqui Cynocephali figura colebatur ab Ægyptiis, Anubis Oſiridis regis filius, eo quod talibus inſignibus vteretur, vnde & Æneid. 8 vocatur à Virgil. latrator Anubis. Quodque turpiſſimum eſt teſtatur Minutius Felix in Octauio etiam crepitum ventris ab illis pro Deo habitum. Rectè autem Grau. adiicit *à vobis*, Nam etſi primum quidem portenta illa Deorum Ægyptiorum Piſone & Gabinio coſſ Capitolio prohibita ſint inferri, poſteà tamen reſtituta conſter, ex Tertull Apolog. PAM.

d DEO CAROS.] Sic apud Tertull. *caris Deo adgeniculari.* RIG.

e *Nec ſaltem contentus es.* Hinc patet fuiſſe Demetrianum Africæ præſidem ſiue proconſulem, qui Chriſtianos perſequendi accepiſſet poteſtatem; imitatur autem ferè ad Verbum Tertull. tum in apolog. tum ad ſcapulam PAM

f *Si crimen eſt, &c.* Illa eſt iudiciorum peruerſitas, de

perſequeris innocentem? Torqueri enim debui ſi negarem. Si pœnam tuam metuens id quod prius fuetam, & quod Deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuiſſem, tunc ad confeſſionem criminis vi doloris adigendus; ſicut in cæteris quæſtionibus torquentur rei qui ſe negant crimine quo accuſantur teneri, vt facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc verò cum ſponte confitear & clamem, & crebris ac repetitis identidem vocibus, Chriſtianum me eſſe conteſter; quid tormenta admoues confitenti? & Deos tuos non in abditis & ſecretis locis, ſed palam, ſed publicè, ſed in foro ipſo magiſtratibus & præſidibus audientibus, deſtruenti? vt etſi parum fuerat, quod in me prius criminabaris, creuerit quod & odiſſe & punire plus debeas? quod dum me Chriſtianum celebri loco & populo circumſtante pronuncio, & vos & Deos veſtros clara & publica prædicatione confundo. Quid te ad infirmitatem corporis vertis? quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem deſtrue, [a] diſceptatione ſi potes vince, vince ratione. Vel ſi quid diis tuis numinis & poteſtatis eſt, niſi in vltionem ſuam ſurgant, ipſi ſe ſua maieſtate defendant: aut quid præſtare colentibus poſſunt, qui ſe de non colentibus vindicare non poſſunt. Nam ſi eo qui vindicatur pluris eſt ille qui vindicat, tu Diis tuis maior es. Si autem iis quos colis maior es, non tu illos colere, ſed ab ipſis potius coli debes & timeri vt dominus. Sic illos [b] læſos vltio veſtra defendit, quomodo & clauſos, ne pereant, tutela veſtra cuſtodit. Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis; pudeat tutelam de iis ſperare, quos tu ipſe tueris. O ſi audire eos velles, & videre, [c] quando [d] à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes, venturum iudicium confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus. Et quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis quos colis, crede, aut ſi volueris & tibi credere, de te ipſo loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit; [e] videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras. videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſpicis, & veneraris vt Dominos. Certè vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris; quando conſpexeris & audieris Deos tuos, quid ſint, interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, præſtigias illas, & fallacias ſuas non poſſe celare. Quæ ergo mentis ignauia eſt, immo quæ deſipientium cæca, & ſtulta dementia, ad lucem de tenebris nolle venire? & mortis æternæ laqueis vinctos, ſpem nolle immortalitatis excipere? non metuere Deum comminantem & dicentem: Sacrificans Diis eradicabitur niſi Domino ſoli? Et iterum: Adorauerunt eos quos fecerunt digiti eorum, & incuruatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis. Quid te ad falſos deos humilias & inclinas? Quid ante inepta ſimulachra & figmenta terrena captiua corpus incuruas? Rectum te Deus fecit; & cum cætera animalia prona, & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus, & ad cælum atque ad Deum ſurſum vultus erectus eſt. Illuc intuere, illic oculos tuos erige, in ſupernis Deum quære. Vt carere inferis poſſis, ad alta & cæleſtia ſuſpenſum pectus attolle. Quid te in lapſum mortis cum ſerpente quem colis, ſternis? [f] Quid in ruinam diaboli per ipſum & cum ipſo cadis? Sublimitatem ſerua, qua natus es. Perſeuera talis, qualis à Deo factus es. Cum ſtatu oris & corporis animum tuum ſtatue.

qua tractat etiam Minutius Felix. *Exercentes in his peruerſam quæſtionem, non qua verum erueret, ſed qua mendacium cogeret.* Tertullianus ab omnibus ferè in hoc recenſetur apolog. 2 *Itaque neque in illum ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum; ſolis Chriſtianis ad negandum.* & ad Scapulam cap. 4 PRI.

a DISCEPTATIONE VINCE, VINCE RATIONE.] Etenim religio non imperatur. perſuaderi debet, non cogi. Res eſt animi: non corporis. Si Chriſtianum cogis; aut fortem cogis, aut infirmum Si fortem, ſuperabit tormenta morte: Aut ſi mortem ipſam adhibes, quid aliud facis, quàm de hominis corpore cadauer? Animum nunquam facies idolorum cultorem. Si minus fortem cogis, euadet mortem & tormenta mendacio, hypocriſi: ſcandent Capitolium pedes, & manus imponent aris tuis tura: animus dabit tibi fumos, & ſtultitiam ridebit tuam. Sed & maledicet ipſe ſibi, & infirmitatis ſuæ perfidiam damnabit: mox & reuerſus ad Chriſtum, redibit aduerſus tormenta tua fortis. RIG.

b *Læſos vltio veſtra defendit, quomodo & clauſos ne pereant.* S. Ambroſius lib. 2. de Virgin locum hunc illuſtrare poterit *Quis igitur,* inquit, *eos colat qui nec defendere ſe quaſi dij, nec abſcondere quaſi homines poſſunt?* Iuſtinus Martyr, epiſt ad Diogn. idem gentibus exprobrat. οὐ πολὺ μᾶλλον αὐτοὺς χλευάζετε καὶ ὑβρίζετε; τοὺς μὲν λιθίνους καὶ ὀστρακίνους σέβοντες ἀφυλάκτους· τοὺς δὲ ἀργυρέους καὶ χρυσοῦς ἐγκλείοντες ταῖς νυξὶ, καὶ ταῖς ἡμέραις φύλακας παρακαθιστάντες, ἵνα μὴ κλαπῶσιν; *nonne magis eos irridetis & contemnitis? Lapideos & teſtaceos ſine cuſtodia venerantes, argenteos autem, & aureos noctu includentes, & interdiu cuſtodes apponentes ne ſurripiantur.* PRI.

c *Quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis.* De anima cap 57. Tertullianus hanc adiurationem vocat expugnatoriam dominationem, qua ſcilicet dæmones pelluntur & fugantur: leg. in hanc rem Prudent. in apoteoſi aduerſus Iudæos. Tormenta autem verborum etiam vocat cum Cypriano Minutius, & ſermonis flagella Iulius Firmicus de err. pr. relig. *Idem.*

d *A nobis adiurantur* Quamuis adiurare ſit iurare, dicit tamen Iſidorus exorciſtas latinè verti adiurantes, Quod autem notat Alardus Gazæus in collat. 15. Caſſiani cap. 7. non omittendum; ſcilicet verbum ἐξορκίζω per verbum adiuro explicat. Stephanus Durantus lib. 1 de ritib. eccl. cap 19 exorcizare & adiurare eadem notione ponit, ex verbis concilij Conſtantinop. ſub Theodoſio can. 7. vbi εἶτα τῇ τρίτῃ ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾷν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα. *Tertio verò die exorciſamus ipſos,* adiuramus, *ter in faciem & in aures inſufflando. Idem.*

e *Videbis nos rogari ab iis quos tu rogas.* Vnde Tertullianus apolog. 23 *Iam ergo ſubiecta eſt Chriſtianis diuinitas veſtra. Idem.*

f *Quid in ruinam diaboli.* MSS. 4. noſtri & quidam Morel. legunt *Zabuli,* ſed Ionas Aurelianenſis prius legit cum Cambr. & excuſis codicib. Quod ſemel hîc adnotaſſe ſufficiat. Inde varietas orta, inquit Morel quod dorica lingua quæ latinæ quàm proxima eſt ζα effert, pro eo quod Attica lingua διὰ, vt exempli gratia ζαβάλλω pro διαβάλλω, & ζάκορος pro διάκορος. PAM.

ſtatue. Vt cognoſcere Deum poſſis, te ante cognoſce. Relinque idola, quæ humanus error inuenit. Ad Deum conuertere, quem ſi imploraueris ſubuenit. Chriſto crede, quem viuificandis ac reparandis nobis pater filium miſit. Lædere ſeruos Dei & Chriſti perſecutionibus tuis deſine, quos læſos vltio diuina defendit. Inde eſt enim quod nemo noſtrûm quando apprehenditur, reluctatur: nec ſe aduerſus iniuſtam violentiam veſtram, quamuis nimius & copioſus noſter ſit populus, vlciſcitur. Patientes facit de ſecutura vltione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt. Inſontes pœnis & cruciatibus acquieſcunt; certi & fidentes quod inultum non remaneat quodcumque perpetimur, quantoque maior fuerit perſecutionis iniuria, tanto & iuſtior fiat & grauior pro perſecutione vindicta. Nec vnquam impiorum ſcelere in noſtrum nomen exſurgitur, vt non ſtatim diuinitus vindicta comitetur. Vt memorias taceamus antiquas, & vltiones pro cultoribus Dei ſæpè repetitas, nullo vocis preconio reuoluamus; documentum recentis rei ſatis eſt, quod ſic celeriter, quodque in tanta celeritate ſic granditer nuper ſecuta defenſio eſt, [a] ruinis regum, iacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum. Nec hoc caſu accidiſſe aliquis exiſtimet, aut fuiſſe fortuitum putet; cum iam pridem ſcriptura diuina poſuerit & dixerit: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Et iterum Spiritus ſanctus præmoneat & dicat: Ne dixeris, vlciſcar me de inimico meo, ſed exſpecta Dominum, vt tibi auxilio ſit. Vnde clarum eſt atque manifeſtum; quia non per nos, ſed pro nobis accidunt cuncta iſta, quæ de Dei indignatione deſcendunt. Nec ideo quis putet Chriſtianos iis quæ accidunt non vindicari, quod & ipſi videantur accidentium incurſatione perſtringi. Pœnam de aduerſis mundi ille ſentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo eſt. Ille mœret & deflet, ſi ſibi male ſit in ſæculo, cui bene non poteſt eſſe poſt ſæculum, cuius viuendi fructus omnis hic capitur, cuius hic ſolatium omne finitur; cuius caduca & breuis vita hic aliquam dulcedinem computat & voluptatem, [b] quando iſtinc exceſſerit, pœna iam ſola ſupereſt ad dolorem. Cæterum nullus iis dolor eſt de incurſatione malorum præſentium, quibus fiducia eſt futurorum bonorum. Denique nec conſternamur aduerſis, nec frangimur, nec dolemus, neque in vlla aut rerum clade, aut corporum valitudine muſſitamus; ſpiritu magis quam carne viuentes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipſa, quæ vos cruciant & fatigant, probari & corroborari nos ſcimus & fidimus. Putatis nos aduerſa vobiſcum æqualiter perpeti, cum eadem aduerſa videatis à nobis & vobis non æqualiter ſuſtineri? Apud vos impatientia clamoſa ſemper & querula eſt: apud nos fortis & religioſa patientia, quieta ſemper, & ſemper in Deum grata eſt: nec quidquam iſtic lætum aut proſperum ſibi vindicat, ſed mitis & lenis, & contra omnes fluctuantis mundi turbines ſtabilis, diuinæ pollicitationis tempus exſpectat. Quamdiu enim corpus hoc permanet, commune cum cæteris ſit neceſſe eſt, & corporalis conditio communis; nec ſeparari generi humano ab inuicem datur, niſi iſtinc de ſæculo recedatur. Intra vnam domum boni & mali interim co tinemur, quidquid intra domum euenerit, pari ſorte perpetimur; donec æui temporalis fine completo, ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hoſpitia diuidamur. Non ergo iccirco compares vobis & æquales ſumus, quia in iſto adhuc mundo & carne hac conſtituti mundi & carnis incommoda vobiſcum pariter incurrimus: nam cum in ſenſu doloris ſit omne quod punit, manifeſtum eſt eum non eſſe participem pœnæ tuæ? quem tecum videas non dolere. Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei, & inter ipſas ſæculi labentis ruinas erecta mens eſt, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia, & de Deo ſuo ſemper anima ſecura; ſicut per prophetam Spiritus ſanctus loquitur & hortatur, ſpei ac fidei noſtræ firmitatem cæleſti voce corroborans: Ficus, inquit, non afferet fructum, & non erunt naſcentia in vineis. Mentietur opus oliuæ, & campi non præſtabunt cibum. Deficient à pabulo oues, & non erunt in præſepibus boues. Ego autem in Domino exultabo, & gaudebo in Deo ſalutari meo. Dei hominem, & cultorem Dei ſubnixum ſpei veritate, & fidei ſtabilitate fundatum, negat mundi huius & ſæculi infeſtationibus commoueri. Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis ſiccitate morientibus æſtuans campus areſcat; quid hoc ad Chriſtianos? quid ad Dei ſeruos, quos paradiſus inuitat, quos gratia omnis & copia regni cæleſtis expectat? Exultant ſemper in Domino, & lætantur, & gaudent in Deo ſuo; & mala atque aduerſa mundi fortiter tolerant, dum dona & proſpera futura proſpectant. Nam qui expoſita natiuitate terrena, ſpiritu recreati & renati ſumus, nec iam mundo, ſed Deo viuimus; non niſi cum ad Deum venerimus, Dei munera & promiſſa capiemus: & tamen [c] pro arcendis hoſtibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis vel temperandis aduerſis, rogamus ſemper & preces fundimus: & pro pace ac ſalute veſtra propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter atque inſtanter oramus. Nemo

itaque

a RVINIS REGVM] In Ver. *ruinis rerum.* Mox dicet: *inter ipſas ſeculi labentis ruinas.* Hor. Si fractus illabatur orbis Impauidum ferient ruinæ. RIG.

a *Ruinis regum.* Loquitur de interfectione Gordianorum, Philipporum, Deciorum imperatorum. quam etiam Oroſius lib. 7. cap. 31. perſequutioni imputat Chriſtianorum. PAM.

b *Quando iſthinc exceſſerit.* Hoc eſt poſt mortem. Tertull. cap. 1. lib. 1. ad Vxorem. *Poſt exceſſum noſtrum renunties nuptiis.* PRI.

c *Pro arcendis hoſtibus, & imbribus impetrandis, & rogamus ſemper.* Locus inſignis pro antiquitate precum eccleſiaſticarum communium, qualis eſt etiam apud Tertullinum, & Iuſtinum in apolog. reperiuntur eiuſmodi preces in liturgiis etiam Iacobi, Clementis, Baſilij, & Chryſoſtomij. PAM.

itaque ſibi blandiatur, quod nobis & profanis Dei cultoribus, & Deo aduerſantibus, ſit interim per æqualitatem carnis & corporis laborum ſæcularium conditio communis, vt ex hoc opinetur non omnia iſta, quæ accidunt, vobis irrogari; cum Dei ipſius prædicatione & prophetica conteſtatione antè prædictum ſit, venturam ſuper iniuſtos iram Dei, perſecutiones quæ nos humanitus læderent non defuturas, ſed & vltiones quæ læſos diuinitus defenderent ſecuturas. Et quanta ſunt quæ iſtic pro nobis interim fiunt? In exemplum aliquid datur vt Dei vindicis ira noſcatur: cæterùm retro eſt iudicij dies, quem ſcriptura ſancta denunciat, dicens: Vlulate, proximus eſt enim dies Domini, & obtritio à Deo aderit. Ecce enim dies Domini, venit inſanabilis indignationis & iræ, ponere orbem terræ deſertum, & peccatores perdere ex eo. Et iterùm: [a] Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui ſtipula: & ſuccendet illos adueniens dies; dicit Dominus. Succendi & cremari alienigenas præcinit Dominus, id eſt, alienos à diuino genere & profanos, ſpiritaliter non renatos, nec Dei filios factos. Euadere enim eos ſolos poſſe, qui renati & ſigno Chriſti ſignati fuerint, alio in loco Deus loquitur; quando ad vaſtationem mundi & interitum generis humani Angelos ſuos mittens, grauiùs in vltimo comminatur, dicens: Vadite & cædite, & nolite parcere oculis veſtris. Nolite miſereri ſenioris aut iuuenis, & virginis: & paruulos, & mulieres interficite, [b] vt perdeleantur. Omnem autem ſuper quem ſignum ſcriptum eſt, ne tetigeritis. Quod autem ſit hoc ſignum, & qua in parte corporis poſitum, manifeſtat alio in loco Deus, dicens: Tranſi per mediam Hieruſalem, & notabis ſignum ſuper frontes virorum, qui ingemunt & mœrent ob iniquitates, quæ fiunt in medio ipſorum. Et quod ad paſſionem & ſanguinem Chriſti pertineat hoc ſignum, & ille ſaluus atque incolumis reſeruetur, quiſquis in hoc ſigno inuenitur; item Dei teſtimonio comprobatur dicentis: Et erit ſanguis in ſigno vobis ſuper domos, [c] in quibus vos eritis: & videbo ſanguinem & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cùm percutiam terram Ægypti. Quod antè occiſo agno præcedit in imagine, impletur in Chriſto, ſecuta poſtmodum veritate. Vt illic percuſſa Ægygto, Iudaïcus populus euadere non niſi ſanguine & ſigno agni potuit: ita & cum vaſtari cœperit mundus & percuti, quiſquis in ſanguine & ſigno Chriſti inuentus fuerit, ſolus euadet. Reſpicite itaque dum tempus eſt ad veram & æternam ſalutem: & quia iam mundi finis in proximo eſt, ad Deum mentes veſtras Dei timore conuertite. Nec vos delectet in ſæculo inter iuſtos & mites impotens iſta & vana dominatio; quando & in agro inter cultas & fertiles ſegetes [d] Lolium & auena dominetur. Nec dicatis mala accidere, quia dii veſtri à nobis non colantur, [e] ſciatis hanc iram Dei eſſe cenſuram: vt qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur. Deum vel ſero quærite, quia iam pridem per prophetam Deus præmonens hortatur & dicit: Quærite Deum, & viuet anima veſtra. Deum vel ſero cognoſcite, quia Chriſtus adueniens hoc admonet & docet dicens: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Credite illi qui omninò non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna ſupplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cùm iudicij dies venerit? quæ lætitia credentium, quæ mœſtitia perfidorum; noluiſſe iſtic prius credere, & vt credant, iam redire non poſſe? Cremabit addictos ardens ſemper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando vel finem. [f] Seruabuntur cum corporibus ſuis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis ſemper, qui hic nos ſpectauit ad tempus: & in perſecutionibus factis oculorum crudelium breuis fructus, perpetua viſione penſabitur: ſecundùm ſcripturæ ſanctæ fidem dicentis: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad viſionem vniuerſæ carni: Et iterùm: Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis; dicentes inter ſe, pœnitentiam agentes, & [g] præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt [h] quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors eorum eſt? Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non ortus eſt nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via, & perditionis ambulauimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam

a *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus.* Excuſ. vulg. & MS. 4 addunt, *ignis*, ſed quum non reperiatur apud 70 neque infrà lib. teſtim. 3. c. 28. rectè omittitur à Cambronenſi cod. & Manutio cum Morelio. PAM.

b VT PERDELEANTVR.] Sic apud Sulp. Seuerum, *Debitorem non perurgebis.* RIG.

b *Vt perdeleantur.* Prorſus ſic legendum cum Cambron. cod. Grau\ & Morell conuincit dictum cap. 22. lib. teſtim. & Tert. Magis etiam exprimit illud quòd græce eſt εἰς ἐξαλειφθῆ, quod vertit D. Hieronymus vſque ad internecionem. PAM.

c IN QVIBVS VOS ERITIS. In Vet. & in ed. Rom. *in quibus vos eritis.* RIG.

d *Lolium & auena dominetur.* Alludit ad illud: infelix Lolium & ſteriles dominantur auenæ. *Idem.*

e SCIATIS HANC IRAM, DEI ESSE CENSVRAM.] In Veronenſi: *ſed ſciatis hanc eſſe iram Dei, eſſe cenſuram.* RIG.

f *Seruabuntur enim cum corporibus ſuis animæ.* Hoc ex Cambron. cod. pro eo quòd alij *ſeruantur.* eſt autem inſignis locus de pœnis inferni. PAM.

g PRAE ANGVSTIA SPIR.] Vet. *per anguſtiam.* RIG.

h HABVIMVS ALIQVID IN DERISVM ET IN SIMIL. Vet. *in riſu & in ſimilitudine.* Idem

tamquam vmbra. Erit tunc ſine fructu pœnitentia, dolor pœnæ, inanis ploratio, & inefficax deprecatio. In æternam pœnam ſerò credent, qui in vitam æternam credere noluerunt. Securitati igitur & vitæ, [a] dum licet, prouidete. Offerimus vobis animi & conſilii noſtri ſalutare munus. Et quia odiſſe non licet nobis, & ſic Deo plus placemus, dum nullam pro iniuria vicem reddimus, hortamur dum facultas adeſt, dum adhuc aliquid de ſæculo ſupereſt, Deo ſatisfacere, & ad veræ religionis candidam lucem [b] de profunda & tenebroſa nocte ſuperſtitionis emergere. Non inuidemus commodis veſtris, nec beneficia diuina celamus. Odiis veſtris beneuolentiam reddimus, & pro tormentis ac ſuppliciis, quæ nobis inferuntur, ſalutis itinera monſtramus. Credite & viuite; & qui nos ad tempus perſequimini, in æternum gaudete nobiſcum. Quando iſtinc [c] exceſſum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus: hic vita aut amittitur, aut tenetur; hic ſaluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. [d] Nec quiſquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad conſequendam ſalutem. In iſto adhuc mundo manenti, pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licet exitu & vitæ temporalis occaſu, pro delictis roges: & Deum qui vnus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis eius implores. venia confitenti datur; & credenti indulgentia ſalutaris de diuina pietate conceditur; & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur. hanc gratiam Chriſtus impertit; hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit ſubigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio ſanguinis ſui, reconciliando hominem Deo patri, viuificando mortalem regeneratione cæleſti. Hunc (ſi fieri poteſt) ſequamur omnes; [e] huius ſacramento & ſigno cenſeamur: hic nobis viam vitæ aperit, hic ad paradiſum reduces facit, hic ad cælorum regna perducit. cum ipſo ſemper viuemus, facti per ipſum filij Dei: cum ipſo exultabimus ſemper, ipſius cruore reparati. Erimus Chriſtiani cum Chriſto ſimul glorioſi, de Deo patre beati, de perpetua voluptate lætantes ſemper in conſpectu Dei, & agentes Deo gratias ſemper. Neque enim poterit niſi & lætus eſſe ſemper & gratus, qui cum morti fuiſſet obnoxius, factus eſt de immortalitate ſecurus.

QVOD

a DVM LICET. In Ver. *dum tempus eſt.* Suprà, pag. præced. *Reſpicite itaque dum tempus eſt. Idem.*

b *De profunda & tenebroſa nocte ſuperſtitionis.* Hoc ita ex M S. ſuppleuimus cum Morelio, pro eo quod erat dumtaxat, *de profundo tenebroſæ ſuperſtitionis.* PAM.

c EXCESSVM FVERIT.] Ver. *receſſum.* RIG.

d *Nec quiſquam aut peccatis retardetur.* Nunquam ſeram eſſe docet pœnitentiam in hac vita. PAM.

e HVIVS SACRAMENTO ET SIGNO.] Sacramento crucis. baptiſmo. Sic ſuprà, *qui renati & ſigno Chriſti ſignati fuerint.* ſuprà. *Quiſquis in ſanguine & ſigno Chriſti inuentus fuerit, euadet* Et libro De mortalitate, ſuprà *qui Chriſti cruce & paſſione cenſetur.* RIG.

[a] QVOD IDOLA DII NON SINT, ET QVOD DEVS VNVS SIT, & quod per Chriſtum ſalus credentibus data ſit, ſiue de idolorum vanitate.

DEos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos, poſtmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis inſtituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulachra: [b] quibus & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando honores celebrabant: inde poſteris facta ſunt ſacra, quæ primis fuerant aſſumpta ſolatia. Et videamus an ſtet hæc apud ſingulos veritas. Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt poſtmodum maris numina. [c] Caſtor & Pollux alternis moriuntur, vt viuant. Æſculapius vt in Deum ſurgat, fulminatur. Hercules vt hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur. [d] Apollo Admeti pecus pauit. Laomedonti muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accepit. [e] Antrum Iouis in Creta viſitur, & ſepulchrum eius

a Vulgatum huic opuſculo titulum ſeruauimus, etſi minùs conuenientem; ſed vſitatum, & in exemplaribus antiquis repertum. Opuſculum verò Cypriani antehac adiunximus Octauio Minuciano, quia ſcilicet inde eſt à Cypriano ferè deſcriptum. Libri veteres trium articulorum diſtinctionem agnoſcunt. Duûm priorum; Quòd idola dii non ſint, &, Quòd Deus vnus ſit; auctorem eſſe Minucium verba ipſa teſtantur. Tertius, Quòd per Chriſtum ſalus credentibus data ſit, totus ferè eſt Tertulliani. Et tamen beatus Hieronymus, qui ſanè Tertullianum & Minucium legerat, quicquid hîc hiſtoriarum ſcientia, verborum & ſententiarum ſplendore laudabile continetur, Cypriano tribuit, haud ſecus ac ſi Cyprianus proprio marte procudiſſet Auguſtinus lib. de vnico bapt. contra Petil. nouum innuit titulum, De vno vero Deo. *Regula*, inquit, *apoſtolica ſectator Cyprianus epiſcopus de vno vero Deo aduerſus multorum deorum falſorúmque cultores diſputans, multa profert teſtimonia de libris eorum, quos præclaros auctores habent, hoc eſt, ex illa veritate quam in iniquitate continent.* RIG.

b QVIBVS ET IMMOLABANT HOSTIAS.] In Beneuentano & Veroneñſi tantùm legitur; *& immolabant hoſtias. Idem.*

c CASTOR ET POLLVX ALTERNIS.] Rectè in Beneuentano & Veroneñſi: Caſtores alternis moriuntur *Idem.*

d *Apollo Admeti pecus pauit.* Nihil in antiquitate ſeu vera ſeu fabuloſa magis tritum quam Apollinem Admeti regis greges pauiſſe, Seneca in Hercule furente·

Paſtor Pheraeos Delius pauit greges.

& quoniam ad Amphryſum Theſſaliæ fluuium illud munus obibat, dictus eſt paſtor ab Amphryſo à Virgilio initio lib. 3. Georg. Prudentius in agone S. Romani.

---- *conductus idem pauit alienum pecus.*

& iiſdem penè verbis in Octauio Minutius, *& Apollo Admeto pecus paſcit.* Mitto Tertullianum., Apolog 14. PAR.

e *Antrum Iouis.* De hoc ad Apolog. Tertulliani quædam ſcripſimus. adde Athenagoram legat. pro Chriſtian ἐκ δὲ Κρόνου καὶ ῥέας· ζεὺς ἢ ἥρα τε καὶ πάντες, οὓς ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν, ὅτι τε τούτων ἄλλος ἐγένετο. *Saturno enim & Rhea, Iupiter ac Iuno tum cæteri quos fratres eorum dici videmus, prognati ſunt. Idem.*

eius oſtenditur, & ab eo Saturnum fugatum eſſe manifeſtum eſt: inde Latium de latebra eius nomen accepit. [a] Hic litteras imprimere, [b] hic ſignare nummos in Italia primus inſtituit, vnde ærarium Saturni vocatur: & [c] ruſticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens ſenex pingitur: Hunc fugatum hoſpitio Ianus exceperat, de cuius nomine Ianiculum dictum eſt; & menſis Ianuarius inſtitutus eſt. Ipſe bifrons exprimitur, quòd in medio conſtitutus annum incipientem pariter & recedentem ſpectare videatur. Mauri verò manifeſtè reges colunt, nec vllo velamento hoc nomen obtexunt: inde per gentes & prouincias ſingulas varia deorum religio mutatur, dum non vnus ab omnibus Deus colitur, ſed propria cuique [d] maiorum ſuorum cultura ſeruatur. [e] Hoc ita eſſe Alexander magnus inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de diis hominibus à ſacerdote ſecretum; quod majorum & regum memoria ſeruata ſit; inde colendi, & ſacrificandi ritus inoleuerit. Si autem aliquando dij nati ſunt, cur non hodiéque naſcuntur? niſi ſi fortè Iupiter ſenuit, aut partus in Iunone defecit. Cur verò deos putas pro Romanis poſſe, quos videas nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuiſſe? Romanorum enim vernaculos deos nouimus: eſt Romulus pejerante Proculo Deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus, & [f] Conſus, quem Deum fraudis, velut conſiliorum Deum, coli Romulus voluit; poſtquam [g] in raptum Sabinarum perfidia prouenit. [h] Deam quoque Cloacinam Tatius & inuenit & coluit; Pauorem Hoſtilius atque Pallorem. mox à neſcio quo Febris dedicata, & Acca, & Flora meretrices. [i] In tantum verò deorum vocabula apud Romanos finguntur, vt ſit apud illos & Viduus Deus qui anima corpus viduet, qui quaſi feralis & funebris intra muros non habetur, ſed foris collocatur, & nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione quàm colitur. Eſt & Scanſus ab aſcenſibus dictus, & Forculus à foribus, & à liminibus Limentinus, & Cardea à cardinibus, & [k] ab orbitatibus Suburbana. Hi dii Romani. Cæterùm Mars Thracius, & Iupiter Creticus, & [l] Iuno vel Argiua, vel Samia, vel Pœna, & Diana Taurica, & deûm mater Idæa, & Ægyptia portenta, non numina: quæ vtique ſi quid poteſtatis habuiſſent, ſua ac ſuorum regna ſeruaſſent. Planè ſunt apud Romanos & victi penates, quos Æneas profugus aduexit. [m] Eſt & Venus Calua, multo hic turpius calua, quàm apud Homerum vulnerata. Regna autem non meritò accidunt, ſed ſorte variantur. Cæterùm imperium antè tenuerunt & [n] Aſſyrii, & Medi, & Perſæ, & Græcos & Ægyptios regnaſſe cognouimus. Ita vicibus poteſtatum, Romanis quoque, vt & cæteris imperandi tempus obuenit. Cæterùm ſi ad originem redeas, erubeſcas. Populus de ſceleratis & nocentibus congregatur, & Aſylo conſtituto facit numerum impunitas criminum; [o] vt Rex ipſe principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida. Atque [p] vt matrimonium facit, rem concordiæ per diſcordias auſpicatur. Rapiunt, ferociunt, fallunt. Ad copiam ciuitatis augendam, nuptiæ ſunt illis rupta hoſpitii fœdera, & cum ſoceris bella crudelia. Eſt & gradus ſummus [q] in Romanis honoribus conſulatus: ſic conſulatum cœpiſſe videmus vt regnum. Filios interficit Brutus, vt creſcat de ſuffragio ſceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religionibus ſanctis, nec de auſpiciis, aut auguriis Romana regna creuerunt, ſed acceptum tempus certo fine cuſtodiunt. Cæterùm & Regulus auſpicia ſeruauit, & captus eſt: & Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt. Et pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt. C. Cæſar ne ante brumam [r] in Africam nauigia tranſmitteret, auguriis & auſpiciis retinentibus, ſpreuit; & eò faciliùs nauigauit & vicit. Horum autem omnium ratio eſt illa, quæ fallit & decipit, & præſtigiis cæcantibus veritatem, [ſ] ſtultum

&

a HIC LITTERAS IMPRIMERE.] Saxis, membranis, ebori. Valdè ſunt ſuaues, qui typographicæ artis originem hinc repetunt. RIG.

b *Signare nummos, &c.* Illud pluribus Tertull. capit. 10. Apolog. & Macrob. lib 1. Saturn. PRI.

c RVSTICITATIS HIC CVLTOR FVIT.] Ruris, agrorum. RIG.

d MAIORVM SVORVM CVLTVRA SERVATVR] Culturam hic poſuit pro cultu. *Idem.*

e HOC ITA ESSE ALEXANDER MAGNVS.] Immò Alexander Polyhiſtor. Dixi ad Tertullianum & Minucium. *Idem.*

f *Conſus quem Deum fraudis &c.* Ideò Deus fraudis dicitur Conſus, quod auctor fuit Romulo rapiendarum Sabinarum: Ita Tertullianus c. de ſpectaculis. PRI.

g IN RAPTVM SABINAR. PERFIDIA PROVENIT.] Proceſſit euentu proſpero. In Veronenſi legitur, *peruenit.* RIG.

h *Deam quoque Cloacinam, &c.* Lactant. lib. 7. cap. 20. *Cloacinæ ſimulacrum cloaca in xima repertum Tatius conſecrauit.* Idem tradit Prudentius in apoth. & Tertullianus apol. 4. qui omnes à Minutio Felice acceperunt. PRI.

i IN TANTVM VERO DEOR. VOCABVLA.] Hæc periodus & ſequens; vſque ad, Ceterùm Mars Thracius, deſunt in editione Romana, & in exemplari Thuaneo. At leguntur in Beneuentano, Veronenſi, & Corbeienſi. Et tamen interjectæ ſenſum abrumpunt. Etenim illa, *quos ſi prius videas nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuiſſe*, commodiſſimè adnexa erant iſtis, *Ceterùm Mars Thracius & Iupiter Creticus, ſi quid poteſtatis habuiſſent, ſua ac ſuorum regna ſeruaſſent.* RIG.

k AB ORBITATIBVS SVBVRBANA.] Orbana Plinio. lib. 11 Hiſt. nat. Quod autem hic, *ſuborbana* ſcribitur fortean accidit per vltimæ vocabuli præcedentis ſyllabæ replicationem. RIG.

l *Iuno vel Argiua vel Samia, &c.* Virgilius Æneid. 1. -----

Hoc regnum dea gentibus eſſe
Si qua fata ſinant, iam tum tenditque fouetque.

Tertull. apol. 25 hæc fuſius. PRI.

m EST ET VENVS CALVA, MVLTO HIC TVRPIVS CALVA.] In Corbeienſi legitur: *Eſt & Venus multo hic turpius Calua.* RIG.

n ASSYRII ET MEDI ET PERSÆ.] In Veronenſi: Aſſyrij & Medi, & Tyrij. *Idem.*

o VT REX IPSE PRINCIPATVM HABEAT AD CRIM. FIT ROM. PARICIDA.] Principale apud homines crimen, paricidium: principale apud Deum idololatria. *Idem.*

o VT REX IPSE PRINCIPATVM HABEAT AD CRIMINA.] Minucius dixerat, *vt ipſe Romulus imperator & rector populum ſuum facinore præcelleret, paricidium fecit.* *Idem.*

p VT MATRIMONIVM FACIT.] Scribendum vt eſt in Veronenſi. *Atque vt matrimonium faciant, rem concordiæ per diſcordias auſpicantur. Idem.*

q IN ROMANIS HONORIBVS.] Ver. *Eſt gradus ſummus in honoribus, conſulatus. Idem.*

r IN AFRICAM NAVIGIA TRANSMITTERET.] In Corbeienſi, *nauta tranſmitteret.* quod elegantia non caret. *Idem.*

ſ STVLTVM ET PRODIGVM VVLGVS INDVCIT.]

& prodigum vulgus inducit. Spiritus inſinceri & vagi, qui poſteà quam terrenis vitiis immerſi ſunt, & à vigore cæleſti, terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. [a] Hos & poëtæ dæmonas norunt; & [b] Socrates inſtrui ſe & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat; & Magis inde eſt ad pernicioſa vel ludicra potentatus; quorum tamen præcipuus Hoſtanes & formam veri Dei negat conſpici poſſe, & angelos veros ſedi eius dicit aſſiſtere. In quo & Plato pari ratione conſentit, & vnum Deum ſeruans, cæteros angelos, vel dæmonas dicit. Hermes quoque Triſmegiſtus vnum Deum loquitur, cúmque incomprehenſibilem atque inæſtimabilem confitetur. Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt. hi afflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt. nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant; [c] ſomnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus [d] occultè mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt; vt ad cultum ſui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum ſaginati, [e] remiſſis quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur. Hæc eſt de illis medela, cum illorum ceſſat iniuria: nec aliud illis ſtudium eſt, quàm à Deo homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis auertere; cùm ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes. Hi tamen adiurati per Deum verum à nobis, ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. [f] Videas illos noſtra voce & operatione maieſtatis occultæ flagris cædi, igne torreri, [g] incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari: vnde veniant, & quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colunt audientibus confiteri; & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Hinc vulgus in odium noſtri nominis cogunt, vt nos odiſſe incipiant homines antequam noſſe; ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint. [h] Vnus igitur omnium Dominus eſt Deus: neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? Sic [i] Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia: & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec hoc tantum de homine mireris, cum in hoc omnis natura conſentiat. Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: multo magis mundi vnus eſt rector, qui vniuerſa, quæcumque ſunt, verbo iùbet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt: nec æſtimari, ſenſu maior eſt. & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. [k] Quod verò templum habere poſſit Deus, cuius templum totus eſt mundus? & cum homo latius maneat, intra vnam ædiculam vim tantæ maieſtatis includam? In noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore. [l] Nec nomen Dei quæras: Deus nomen eſt illi illic vocabulis opus eſt, vbi propriis appellationum inſi-

In Corbeïenſi, *ſtultum & crudelem*. quod profectò deprauatum eſt ex aliqua ſcriptura quæ habuiſſe videtur, *credulum*. Illud verò, *prodigum*, vnde irrepſerit, non habeo dicere: niſi, ſcriptum olim fuiſſe, *perditum*, deque illo *perdito* factum ab imperitis, *proditum*, ac deinde, *prodigum*. Perditi homines dicuntur, ſcelerati ac nefarij. RIG.

a *Hos & poetæ dæmonas norunt*. In eamdem ſententiam Lactantius lib 2. cap. 15. Grammatici dictos aiunt dæmonas, quaſi *δαήμονας*, id eſt, peritos & rerum ſcios. Eos poëtæ & ſciunt eſſe dæmonas & loquuntur. Heſiodus ita tradit.

τοὶ μὲν δαίμονες εἰσὶ Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,
ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων. PAM.

b *Socrates inſtrui ſe & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat*. Legendi Plutarchus, Maximus Tyrius, Apuleius, Ælianus è profanis, è Patribus Clemens Alex. ſtrom. 1. Tertullianus de anima cap. 1. Lactantius lib 2. cap. 5. E recentioribus Marſilius Ficinus in apolog Plat. Carpentarius in Alcinoum; Cardanus de variet. lib. 16. c. 103. adde Xenophontem lib. 1. de factis Socratis. *διετεθρύλλητο γάρ, ὡς φαίη Σωκράτης τὸ δαιμόνιον ἑαυτῷ σημαίνειν. Erat enim vulgatum, Socratem dicere, dæmonem ſibi aſſidere.* PRI.

c SOMNOS INQVIETANT.] Sic legitur in optimis exemplaribus. nec dubito quin ita ſcriptum habuerit Cyprianus in exemplari ſuo Minucij: vt iam hinc emendari debeant veteres Minucij noſtri membranæ, quæ nobis exhibent, *omnes inquietant*. ſuprà, niſi dicamus iſtos dæmonas omnes homines inquietare, quia ſunt humanitatis inimici. vt ait ipſe Minucius ex Hoſtane. *Idem.*

d OCCVLTE MENTES TERR.] In Veronenſi *occultè mentem ter.*

e REMISSIS QVÆ CONSTRINXERANT.] Hæc Minuciana locutio placet Cypriano. Nam & lib. de Mortalitate vſurpauit: *accenduntur trepidi, conſtringuntur remiſſi. Idem.*

f VIDEAS ILLOS NOSTRA VOCE.] Cum dicto noſtro: ſimul atque iuſſimus. Sic legitur in cod. Thuani, Corbeïenſi, Nauarrico & Victorino At in optimo illo Veronenſi: *Videas illos, non noſtra voce, ſed operatione maieſtatis occultæ flagris cædi.* Ex vtraque autem ſcriptura facilè ſenſus elicitur idem. RIG.

g INCREMENTO POENÆ PROPAGANTIS.] Idem dixit, verbis iiſdem Epiſtola ad Donatum. *Idem.*

h VNVS IGITVR OMN. DOM. EST DEVS.] Ver. *Vnus igitur omnium Dominus, vnus eſt Deus. Idem.*

i THEBANORVM GERMANITAS.] In Veronenſi: *Thebanorum fratrum germanitas. Idem,*

i THEBANORVM FRATRVM GERMANITAS.] Sic Vrbicus quidam apud Auguſt. Epiſt. ad Caſulanum de Ieiuniis. Ieiunio, inquit, trium fida germanitas ignibus coruſcanti carceri dominata rogi hoſpitio ſuſceptum Dominum adorauit. *Idem.*

k *Quod vero templum habere poſſit Deus*. Agit contra Idololatras, qui exiſtimabant Deos ſuos in templis domicilium habere, quare nihil facit hic locus contra templa Chriſtianorum, quæ eriguntur, non vt Deus inhabitet, ſed orationis & ſacrificiorum gratia. De quo tamen plura lib. de opere & eleem. PAM.

l *Nec nomen Dei quæras, Deus nomen eſt illi*. Minutius Felix in Octauio iiſdem verbis, *Nec nomen Deo quæras, Deus nomen eſt*. Iuſtinus apolog. 2. *ὄνομα γὰρ τῷ ἀρρήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν. εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν. Deum ineffabilem nemo vnquam nomen habere dicat; ſi quis verò id audeat dicere, delirat ſtolidè.* Quod repetit. lib. de Monarch. & in Paræn. Simplicius in Epictetum, *ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπιστῆναι χρὴ ὅτι τὸ πάντων αἴτιον ὑπὲρ πάντα ὄντως τὰ ὄντα, οὐδὲν ἐστιν οἰκεῖον ὄνομα. In primis autem ſcire oportet, quod rerum omnium auctor, qui res omnes exſuperat, nullum habet nomen proprium.* Vnde Triſmegiſto in Poemandro *ἀνεκλάλητος, ἄρρητος, σιωπῇ φωνούμενος* dicitur. PRI.

inſignibus multitudo dirimenda eſt. Deo qui ſolus eſt, Deus vocabulum totum eſt. Ergo vnus eſt, & vbique totus diffuſus eſt. [a] Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima ſui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ô Deus; & Deus videt; & Deo commendo; & Deus mihi reddet, & quod vult Deus; & ſi Deus dederit. Atque hæc eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere quem ignorare non poſſis. [b] Quod verò Chriſtus ſit, & quo modo per ipſum nobis ſalus venerit, ſic eſt ordo, ſic ratio. Iudæis primum erat apud Deum gratia: ſic olim iuſti erant, ſic maiores eorum religionibus obediebant. inde illis & regni ſublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit: ſed illi negligentes indiſciplinati, & ſuperbi poſtmodum facti, & fiducia patrum inflati; dum diuina præcepta contemnunt, datam ſibi gratiam perdiderunt. Quam verò fuerit illis profana vita, quæ contracta ſit violatæ religionis offenſa, ipſi quoque teſtantur, qui etſi voce tacent, exitu confitentur: diſperſi & palabundi vagantur, ſoli & cæli ſui profugi, per hoſpitia aliena iactantur. Nec non Deus antè prædixerat fore, vt vergente ſæculo, & mundi fine iam proximo, ex omni gente, & populo, & loco cultores ſibi allegeret Deus multò fideliores, & melioris obſequij, qui indulgentiam de diuinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudæi contemptis religionibus perdidiſſent. Huius igitur indulgentiæ, gratiæ diſciplinæque arbiter, & magiſter ſermo, & filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retrò [c] illuminator, & doctor humani generis prædicabatur. Hic eſt virtus Dei, hic ratio, hic ſapientia eius, & gloria: [d] hic in virginem illabitur; [e] carnem, Spiritu ſancto cooperante, induitur. Deus cum homine miſcetur, hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo eſt, eſſe Chriſtus voluit, vt & homo poſſit eſſe quod Chriſtus eſt. Sciebant & Iudæi Chriſtum eſſe venturum: nam hic illis ſemper prophetis admonentibus adnunciabatur: ſed ſignificato duplici eius aduentu, vno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, altero, qui Deum fateretur, non intelligendo primum aduentum, qui paſſione præceſſit occultus; vnum tantum credunt, qui erit in poteſtate manifeſtus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. ſic erant ſapientiæ & intelligentiæ cæcitate multati, vt qui vita indigni eſſent, haberent vitam ante oculos, nec viderent. Itaque cum Chriſtus Ieſus, ſecundum à prophetis antè prædicta, verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos reſtringeret, leproſos purgaret, illuminaret cæcos, claudis greſſum daret, mortuos rurſus animaret, cogeret ſibi elementa famulari, ſeruire ventos, maria obedire, inferos cedere; Iudæi qui illum crediderant hominem tantum, de humilitate carnis & corporis; exiſtimabant magum, de licentia poteſtatis. Hunc magiſtri eorum atque primores, hoc eſt, quos & doctrina ille, & ſapientia reuincebat, [f] accenſi ira & indignatione prouocati, poſtremo detentum, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem eius & mortem ſuffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos & ipſe prædixerat, & prophetarum omnium teſtimonium ſic antè præceſſerat, oportere illum pati, non vt ſentiret tantum mortem, ſed vt vinceret: & cum paſſus eſſet, ad ſuperos denuo regredi: vt vim diuinæ maieſtatis oſtenderet. Fidem itaque rerum curſus impleuit. nam & crucifixus, præuento carnificis officio, ſpiritum ſponte dimiſit, & die tertio rurſus à mortuis ſponte ſurrexit. Apparuit diſcipulis ſuis talis vt fuerat, [g] agnoſcendum ſe videntibus præbuit, ſimul iunctus & ſubſtantiæ corporalis firmitate conſpicuus, ad dies quadraginta remoratus eſt, vt de eo ad præcepta vitalia inſtrui poſſent, & diſcerent quæ docerent. Tunc in cælum circumfuſa nube ſublatus eſt; vt hominem quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad patrem victor imponeret; iam venturus è cælo ad pœnam diaboli, & ad cenſuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis poteſtate: per orbem verò diſcipuli [h] magiſtro & Deo monente diffuſi præcepta Dei in ſalutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos & ignaros ad agnitionem

a NAM ET VVLGVS IN MVLTIS NATVRALITER DEVM CONFITETVR.] De naturali & publico ſenſu Deum eſſe mundi rectorem agnoſcit. Naturaliter iudicat Vt contrà Minucius de brutis animantibus dixit, eas naturaliter ſentire quòd idola dii non ſint. *De diis veſtris*, inquit, *animalia muta naturaliter indicant.* RIG.

b QVOD VERO CHRISTVS SIT.] Ver. *Quid.* *Idem.*

c ILLVMINATOR ET DOCTOR] In antiquiſſimis Cypriani & Tertulliani exemplaribus legitur, *Illuminator & deductor humani generis.* *Idem*

d HIC IN VIRGINEM ILLABITVR.] Tertullianus in Apolog. delabitur in virginem quamdam *Idem.*

e CARNEM SPIRITV SANCTO COOPERANTE INDVITVR.] In vetuſtioribus libris ſcribitur: *Carnem Spiritus ſanctus induitur.* in aliis; *carnem Spiritu ſancto cooperante induitur*, quod ſequentium ætatum ſchola ſubtilior inuexit. Dei ſermo, Dei ratio, Dei virtus, Dei ſapientia, Dei ſpiritus, Dei filius carnem induitur. Angelus dixerat Mariæ, *Spiritus ſanctus superueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Superuenit & obumbrauit qui ſubiit vt indueret. obumbrauit carnem Spiritus incarnandus. obumbratus eſt carne ſpiritus incarnatus. Spiritus autem dicitur & Dei filius, in quo Pater & Spiritus ſanctus. Sic tamen, vt Filius ſit incarnatus, non Pater, non Spiritus ſanctus. & Filius ſit paſſus non Pater non Spiritus ſanctus. In exemplari Beneuentanæ bibliothecæ, quod inſpexit Ant Auguſtinus, ita ſcriptum eſſe tradunt viri auctoritate & fide præſtantes *Hic in virginem delabitur: carnem Spiritu ſancto induitur* Tertul. Apol *Caro ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, adfatur, docet, operatur, & Chriſtus eſt.* *Idem.*

f ACCENSI IRA ET INDIGNATIONE PROVOCATI.] In Corbeienſi legitur: *Accenſa ira & indignatione reuocata.* Quæ ſcriptura accedere videtur ad Manutij editionem, cui conſentanea Veronenſis: *accenſa ira & indignatio prouocata eſt.* *Idem.*

g AGNOSCENDVM SE VIDENTIBVS PRÆBVIT SIMVL IVNCTVS.] In Regio & Veronenſi, *ſimul iunctis*, vt ſit illud Lucæ: συνηθροισμένοις τοῖς ἕνδεκα.

h NON MAGISTRO, SED DEO MONENTE DIFFVSI] Sic habet exemplar Veronenſe, quod eſt rectiſſimum. Non magiſtro, id eſt, non homine aliquo præcipiente, ſed Deo. *Idem.*

nem veritatis ocularent. Ac ne eſſet probatio minus ſolida, & de Chriſto delicata confeſſio: per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor qui veritatis teſtis eſt admouetur; vt Chriſtus Dei filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantùm præconio vocis, ſed & paſſionis teſtimonio prædicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc ſequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, ſalutis auctorem, cælum pariter & patrem quærentibus, & credentibus pollicentem. Quod eſt Chriſtus, erimus Chriſtiani, ſi Chriſtum fuerimus imitati.

DE

a DE MORTALITATE.

ET ſi apud plurimos veſtrûm, fratres dilectiſſimi, mens ſolida eſt, & fides firma, & anima deuota, [b] quæ ad præſentis mortalitatis copiam non mouetur, ſed [c] tanquam petra fortis & ſtabilis turbidos impetus mundi, & violentos ſæculi fluctus frangit potius ipſa, nec frangitur, & tentationibus non vincitur, ſed probatur: tamen quia animaduerto in plebe quoſdam vel imbecillitate animi, vel fidei paruitate, vel dulcedine ſæcularis vitæ, vel ſexus mollitie, vel, quod maius eſt, veritatis errore minus ſtare fortiter, nec pectoris ſui diuinum atque inuictum robur exerere; diſſimulanda res non fuit nec tacenda, quo minus quantum noſtra mediocritas poteſt, vigore pleno & ſermone de Dominica lectione concepto, delicatæ mentis ignauia comprimatur, & qui homo Dei & Chriſti eſſe iam cœpit, Deo & Chriſto dignus habeatur. Agnoſcere enim ſe debet fratres dilectiſſimi, qui Deo militat, qui poſitus in cæleſtibus caſtris diuina iam ſperat, vt ad procellas & turbines mundi trepidatio nulla ſit in nobis, nulla cunctatio; quando hæc ventura prædixerit Dominus, prouidæ vocis hortatu inſtruens & docens, & præparans atque corroborans Eccleſiæ ſuæ populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella, & fames, & terræ motus, & peſtilentias per loca ſingula exſurgere prænunciauit & docuit. Et ne inopinatus nos & nouus rerum infeſtantium metus quateret, magis ac magis in nouiſſimis temporibus aduerſa crebeſcere antè præmonuit. Fiunt ecce quæ dicta ſunt; & quando fiunt quæ antè prædicta ſunt, ſequentur & quæcumque promiſſa ſunt, Domino ipſo pollicente & dicente: Cum autem videritis hæc omnia fieri, ſcitote quoniam in proximo eſt regnum Dei. Regnum Dei fratres dilectiſſimi, eſſe cœpit in proximo: præmium vitæ & gaudium ſalutis æternæ, & perpetua lætitia, & poſſeſſio paradiſi nuper amiſſa, mundo tranſeunte iam veniunt; iam terrenis cæleſtia, & magna paruis, & caducis æterna ſuccedunt. Quid hic anxietatis & ſollicitudinis locus eſt? quis inter hæc trepidus & [d] mœſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? Eius eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: eius eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt enim iuſtum fide viuere. Si iuſtus es, & fide viuis, ſi verè in Deum credis; cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum voceris, amplecteris; & quod diabolo careas, gratularis? Symeon denique ille iuſtus, qui verè iuſtus fuit, qui fide plena Dei præcepta ſeruauit, cum ei diuinitus reſponſum fuiſſet, quod non antè moreretur quàm Chriſtum vidiſſet, & Chriſtus infans in templum cum matre veniſſet; agnouit in ſpiritu natum eſſe iam Chriſtum, de quo ſibi fuerat antè prædictum, quo viſo ſciuit ſe cito eſſe moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima, & [e] de vicina accerſitione ſecurus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamauit & dixit: Nunc dimittis ſeruum Domini, ſecundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Probant, ſcilicet, atque conteſtans tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa eſt enim noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis & [f] firma & perpetua ſecuritas. Cæterum quid aliud in mundo, quàm pugna aduerſus diabolum quotidie geritur? quam aduerſus iacula eius & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt:

cum

a DE MORTALITATE.] Huius operis mentionem facit Pontius in Vita Cypriani, & occaſionem ſcripti indicat, quam apertiùs ex epiſtola Dionyſij Alexandrini diſcere eſt apud Euſeb. Hiſt. VII. 21. cuius epiſtolæ meminit etiam Iornandes in rebus Geticis, & alij à Ioſepho Scaligero notati Animaduerſ. in Chronol. Euſeb 2268. Hieronymus, Olymp. CCLVII. *Peſtilens morbus multas totius orbis prouincias occupauit, maximéque Alexandriam & Ægyptum, vt ſcribit Dionyſius, & Cypriani de Mortalitate teſtis eſt liber.* RIG.

b *Quæ ad præſentis mortalitatis copiam.* Mortalitatis vox & hic & in titulo operis, pro peſtilentia Cypriano peculiaris eſt, quantum colligere licet, quod præſentaneam mortem inferat. Tertullianus eamdem nouè accipit lib de reſurr. car. vbi ſic loquitur. *Aliud mortale, aliud mortalitas.* Contigiſſe autem hanc luem imperantibus Gallo & Voluſiano, teſtes ſunt Euſebius, Oroſius, & Zonaras. PAM.

c *Tamquam petra fortis & ſtabilis.* S. Baſilius à fratre Nyſſeno dicitur propter inconcuſſam animi firmitatem *πέτρα ἄσειστος, κ. ὄρος, mens & petra immobilis.* Et idem ipſe Cyprianus à Gregorio Nazianz. orat 18. dicitur impetus omnes propulſaſſe, veluti iactationes fluctuum petra in mari. *ὥσπερ τις πέτρα μεγάλιος κυμάτων ἐπιδρομάς.* PRI.

d *Et mœſtus eſt.* Ad verba reſpicit apoſt. 1. Theſſal 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, &c.* Si vis plura adi Tertullianum de reſurrect carnis cap. 24. PRI.

e DE VICINA ACCERSITIONE SECVRVS.] Infrà

f *Firma & perpetua ſecuritas.* Mortuorum ſecuritatem exprimit Sidonius Apollinaris, epiſt. 11. lib. 3. & Epicureos ſecuros vocare vita functos teſtis eſt Tertullianus de teſtim. an. cap. 4. *Idem*

cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſæcularibus aſſidua, & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis & vndique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. [a] Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet: [b] compelleris iurare, quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu ſtare; cùm magis concupiſcendum ſit & optandum ad Chriſtum, ſubueniente velociùs morte, properare, ipſo inſtruente nos & dicente: Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, ſæculum autem gaudebit: vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in lætitiam veniet. [c] Quis non triſtitia carere optet? quis non ad lætitiam venire feſtinet? Quando autem in lætitiam veniat noſtra triſtitia, Dominus denuò ipſe declarat dicens: Iterùm videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo auferet à vobis. Cùm ergo Chriſtum videre, gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum niſi cùm viderimus Chriſtum; quæ cæcitas animi, quæve dementia eſt, amare preſſuras & pœnas, & lachrymas mundi, & non feſtinare potiùs ad gaudium quod numquam poſſit auferri? Hoc autem fit, fratres dilectiſſimi, quia fides deeſt; quia nemo credit vera eſſe quæ promittit Deus qui verax eſt, cuius ſermo credentibus æternus & firmus eſt. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes; quem ſtare in ſermonibus atque in actibus ſuis ſcires: nunc Deus tecum loquitur; & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem atque æternitatem pollicetur, & tu dubitas? hoc eſt Deum omninò non noſſe; hoc eſt, Chriſtum [d] credentium Dominum & magiſtrum peccato incredulitatis offendere; hoc eſt, in Eccleſia conſtitutum fidem in domo fidei non habere. Quantùm proſit exire de ſæculo, Chriſtus ipſe ſalutis atque vtilitatis noſtræ magiſter oſtendit; qui cùm diſcipuli eius contriſtarentur, quod ſe jam diceret receſſurum, locutus eſt ad eos dicens: Si me dilexiſſetis, gauderetis, quoniam vado ad patrem: docens ſcilicet & oſtendens, cum chari quos diligimus de ſæculo exeunt, gaudendum potiùs quàm dolendum. Cuius rei memor beatus Apoſtolus in Epiſtola ſua ponit & dicit: [e] Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Lucrum maximum computans, iam ſæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri; exemptum preſſuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam ſalutis æternæ Chriſto vocante proficiſci. [f] At enim quoſdam mouet, quod æqualiter cum gentilibus noſtros [g] morbi iſtius valitudo corripiat; quaſi ad hoc crediderit Chriſtianus, vt immunis à contactu malorum, mundo & ſæculo feliciter perfruatur, & non omnia hic aduerſa perpeſſus ad futuram lætitiam reſeruetur. Mouet quoſdam quod ſit nobis cum cæteris mortalitas iſta communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quamdiu adhuc ſecundùm legem primæ natiuitatis manet caro iſta communis? Quoaduſque iſtic in mundo ſumus; cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, ſpiritu ſeparamur. Itaque donec corruptiuum iſtud induat in corruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & ſpiritus nos perducat ad Deum patrem; quæcumque ſunt carnis incommoda, ſunt nobis cum humano genere communia.. Sic cum fetu ſterili terra ieiuna eſt, neminem fames ſeparat: ſic cum irruptione hoſtili ciuitas aliqua poſſeſſa eſt, omnes ſimul captiuitas vaſtat. Et quando [h] imbrem nubila ſerena ſuſpendunt, omnibus ſiccitas vna eſt. Et [i] cum nauem ſcopuloſa ſaxa conſtringunt, nauigantibus naufragium ſine exceptione commune eſt. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium valitudo membrorum cum cæteris communis eſt nobis, quamdiu [k] portatur in ſæculo caro iſta communis. Quinimò ſi qua conditione, qua lege crediderit Chriſtianus, noſcat & teneat; ſciet plus ſibi, quàm cæteris in ſæculo laborandum, cui magis ſit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet & præmonet ſcriptura diuina dicens: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et iterùm: In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum & argentum. [l] Homines verò receptibiles in camino humiliationis.. Sic Iob poſt

a COGERIS MALEDICERE.] Chriſto ſcilicet. RIG.

b COMPELLERIS IVRARE, QVOD NON LICET.] Iurare per Iouem, &c. *Idem.*

c *Quis non triſtitia carere optet? &c.* Triſtitia hic vita eſt, & lætitia mors. Idem habet de ſpectac. cap. 28. Tertullianus De viro probo & ab impietate integro labeque S. Chryſoſtomus hom. 18. ad pop. *ἡ τούτε προσδοκία οὐ μόνον αὐτὸν οὐ λυπεῖ, ἀλλὰ καὶ εὐφραίνει μειζόνως. huius* mortis *expectatio non modo ipſum non contriſtat, ſed potiùs delectat.* PRI.

d CREDENTIVM DOMINVM ET MAGISTRVM.] Rectè in Veronenſi & Beneuentano: Deum omninò non noſſe, hoc eſt, Chriſtum credendi magiſtrum. RIG.

e MIHI VIVERE CHRISTVS EST.] Hoc eſt, eſſe cum Chriſto. *Idem*

f *At enim quoſdam mouet, quod æqualiter cum gentilibus.* Quod interſerit Grauius *quoque*, non habent MS. placet etiam magis lectio Manutij & Coſterij, *gentilibus*, quàm aliorum *gentibus*. Illud enim Tertulliano & Cypriano frequentius eſt. ſimilis eſt varietas infrà. PAM.

g MORBI ISTIVS VALITVDO.] Valitudinem morbi dicit morbum inualeſcentem & ſæuum, & valdè ſiue validè vrgentem. RIG.

h *Imbrem nubila ſerena ſuſpendunt* Virgilius lib 1 Georg.

Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent.

Vide in eum locum Seruium, & ſi vis plura, lege Arnobium lib 1. & 2. PRI.

i NAVEM SCOPVLOSA SAXA CONSTRINGVNT.] Vento impellente, ſaxo obſtante, nauis alliſa conſtringitur, & frangitur. RIG.

k PORTATVR CARO ISTA COMMVNIS.] Horatius, de ſe ipſo benè valente: *Et pedibus me porto meis. Idem.*

l HOMINES RECEPTIBILES] Δικτοί. Comma iſtud, *Homines verò receptibiles in camino humiliationis*, non legitur in exemplaribus antiquis, nec in editione Romana. *Idem.*

poſt rerum damna, poſt pignorum funera, vulneribus quoque & vermibus grauiter afflictus, non victus eſt ſed probatus; qui in ipſis conflictationibus & doloribus ſuis patientiam religioſæ mentis oſtendens ait? Nudus exiui de vtero matris, nudus etiam ibo ſub terram: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino viſum eſt, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Et cùm eum vxor quoque ſua compelleret, vt vi doloris impatiens aliquid aduerſus Deum querula & [a] inuidioſa voce loqueretur, reſpondit & dixit: [b] Tamquam vna ex inſipientibus mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccauit Iob labiis ſuis in conſpectu Domini. Itaque illi Dominus Deus perhibet teſtimonium dicens: Animaduertiſti puerum meum Iob? non enim eſt ſimilis illi quiſquam in terris, homo ſine querela, verus Dei cultor. Et Tobias poſt opera magnifica, poſt miſericordiæ ſuæ multa & glorioſa præconia, cæcitatem luminum paſſus, timens & benedicens in aduerſis Deum, per ipſam corporis ſui cladem creuit ad laudem; quem & ipſum vxor ſua deprauare tentauit dicens: Vbi ſunt juſtitiæ tuæ? ecce quæ pateris. At ille circa timorem Dei ſtabilis & firmus, & ad omnem tolerantiam paſſionis fide religionis armatus, tentationi vxoris inualidæ in dolore non ceſſit, ſed magis Deum patientia maiore promeruit; quem poſtmodum Raphaël angelus collaudat & dicit: Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt. nam quando orabas tu & Sarra nurus tua, ego [c] obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectu claritatis Dei. [d] Et cùm ſepelires tu mortuos ſimpliciter: & quia non es cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, & abiſti & condidiſti mortuum, [e] miſſus ſum tentare te. Et iterùm: me miſit Deus curare te, & Sarram nurum tuam: ego enim ſum Raphaël vnus ex ſeptem angelis ſanctis; qui aſſiſtimus & conuerſamur ante claritatem Dei. Hanc tolerantiam juſti ſemper habuerunt, hanc Apoſtoli diſciplinam de Domini lege tenuerunt; non muſſitare in aduerſis, ſed quæcumque in ſæculo accidunt fortiter & patienter accipere; cùm Iudæorum populus hinc ſemper offenderit, quòd aduerſus Deum frequentiùs murmuraret. ſicut teſtatur in Nume. Dominus Deus, dicens: Deſinat murmuratio eorum à me, & non morientur. Murmurandum non eſt in aduerſis, fratres dilectiſſimi, ſed patienter & fortiter quidquid acciderit ſuſtinendum, cùm ſcriptum ſit: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. In Deuteronomio quoque moneat per Moyſen Spiritus ſanctus & dicat: Dominus Deus tuus vexabit te, & famem iniiciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo ſi benè cuſtodieris præcepta eius, ſiue non. Et iterùm: Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra. Sic Abraham Deo placuit, quia vt placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recuſauit. Qui filium non potes lege & ſorte mortalitatis amittere; quid faceres ſi filium iubereris occidere? Ad omnia te paratum facere timor Dei & fides debet. Sit licet rei familiaris amiſſio, ſit de infeſtantibus morbis aſſidua membrorum & cruenta vexatio, ſit de vxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & triſtis auulſio, [f] non ſint tibi ſcandala iſta, ſed prœlia: nec debilitent aut frangant Chriſtiani fidem, ſed potiùs oſtendant in colluctatione virtutem; cum contemnenda ſit omnis inuria malorum præſentium, fiducia futurorum bonorum. Niſi præceſſerit pugna, non poteſt eſſe victoria: cum fuerit in pugnæ congreſſione victoria, tunc datur vincentibus & corona. Gubernator in tempeſtate dinoſcitur, in acie miles probatur. [g] Delicata iactatio eſt, cum periculum non eſt: conflictatio in aduerſis probatio eſt veritatis. Arbor quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non mouetur: & nauis quæ forti compage ſolida eſt, pulſatur fluctibus, nec foratur: & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robuſta contemnunt, inanes paleæ [h] flatu portante rapiuntur. Sic & Apoſtolus Paulus poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis & corporis multa & grauia tormenta, non vexari, ſed emendari ſe dicit aduerſis, vt dum grauiùs affligitur, [i] veriùs probaretur: Datus eſt mihi, inquit ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ qui me colaphizet, vt non extollar: propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Quando ergo infirmitas, & imbecillitas, & vaſtitas aliqua graſſatur, tunc virtus noſtra perficitur: tunc fides ſi tentata perſtiterit, coronatur ſicut ſcriptum eſt: Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Hoc denique inter nos & cæteros intereſt qui Deum neſciunt, quod illi in aduerſis queruntur & murmurant: nos aduerſa non auocant à virtutis & fidei

a INVIDIOSA VOCE LOQVERETVR.) Quaſi faceret inuidiam Deo non ferenti ſuppetias cultori ſuo ſtatim. RIG.

b *Tamquam vna ex inſipientibus.* Cambronenſis codex & MS. Morelij: *ex inepiis*, ſed cæteri nobiſcum legunt, & græcè etiam eſt *ἐξ ἀφρόνων*. PAM

c OBTVLI MEMORIAM ORATIONIS VESTRÆ.) Itaque angelorum officio funguntur ſacerdotes, qui ſacrificia noſtra, preces noſtras offerunt Deo. RIG.

d ET CVM SEPELIRES TV MORTVOS SIMPLICITER.) Omninò legendum: *Et cùm ſepelires tu mortuos, ſimiliter.* Hoc eſt, quemadmodum adfui tibi oranti, & obtuli Deo memoriam orationis tuæ: ſic etiam, cùm ſepelires mortuos, adfui tibi, & obtuli operationis tuæ memoriam Deo. Septuaginta dixere: *καὶ ὅτι ἔθαπτες τοὺς νεκροὺς ὁμοίως συμπαρήμην σοι.* Itaque rectiſſima eſt verſio noua: *cùmque defunctos ſepelires, ego tibi ſimiliter aderam.* *Idem.*

e *Miſſus ſum tentare te.* Clarior eſt hæc lectio Cambron. cod. quam cæterorum: *& miſſus.* Quare ſuprà quoque lib. de orat. Dominica ita caſtigandus locus. PAM.

f NON SINT TIBI SCANDALA ISTA.) In vno Vatic. *offendicula.* RIG.

g *Delicata iactatio eſt.* Quemadmodum Pontius, delicatam cuſtodiam, leuem & mitiſſimam. *Idem.*

h FLATV PORTANTE) Vt apud Iuris auctores, vento ferente. *Idem.*

i VERIVS PROBARETVR.) In Beneuentano: *veriùs comprobetur.* *Idem.*

dei veritate, [a] ſed corroborant in dolore. [b] Hoc quod nunc corporis vires ſolutus in fluxum venter euiſcerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæſtuat, quod aſſiduo vomitu inteſtina quatiuntur; quod oculi vi ſanguinis inardeſcunt, quod quorumdam vel pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur; quod per iacturas & damna corporum prorumpente languore vel debilitatur inceſſus, vel auditus obſtruitur, vel cæcatur aſpectus, ad documentum proficit fidei. [c] Contra tot impetus vaſtationis & mortis inconcuſſis animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo eſt? & quanta ſublimitas, inter ruinas generis humani [d] ſtare erectum; nec cum eis quibus ſpes in Deum nulla eſt, iacere proſtratum? Gratulari magis oportet, & temporis munus amplecti, quod dum noſtram fidem [e] firmiter promimus, & labore tolerato ad Chriſtum per anguſtam Chriſti viam pergimus, [f] præmium vitæ eius & fidei ipſo iudicante capiamus. Mori plane timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non [g] Chriſti cruce & paſſione cenſetur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit: mori timeat, quem de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur, hoc eſt, multi ex noſtris de ſæculo liberantur. Mortalitas iſta vt Iudæis & gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita Dei ſeruis ſalutaris exceſſus eſt. Hoc quod ſine vllo diſcrimine generis humani cum iniuſtis moriuntur & iuſti; non eſt quod putetis bonis & malis interitum eſſe communem. Ad refrigerium iuſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur iniuſti: [h] datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Improuidi & ingrati ſumus, fratres dilectiſſimi, ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoſcimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria ſua virgines, venientis antichriſti minas & corruptelas & lupanaria non timentes: pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter perueniunt: tormenta iam non timet delicata matrona, metum perſecutionis & manus, cruciatuſque carnificis, moriendi celeritate lucrata. Pauore mortalitatis & temporis [i] accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur ignaui: deſertores compelluntur, vt redeant: gentiles coguntur, vt credant: [k] vetus fidelium populus ad quietem vocatur: ad aciem recens & copioſus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus ſine metu mortis cum prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. Quid deinde illud fratres dilectiſſimi, quale eſt, quam pertinens, quam neceſſarium, quod peſtis iſta & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat iuſtitiam ſingulorum; & mentes humani generis examinat? [l] an infirmis ſeruiant ſani, an propinqui cognatos pie diligant, an miſereantur ſeruorum languentium Domini, an deprecantes ægros non deſerant medici, an feroces violentiam ſuam comprimant, an rapaces auaritiæ furentis inſatiabilem ſemper ardorem vel metu mortis extinguant, an ceruicem flectant ſuperbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis, vel ſic aliquid diuites largiantur, & donent, ſine hærede morituri. Vt nihil aliud mortalitas iſta contulerit, hoc Chriſtianis & Dei ſeruis plurimum præſtitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem diſcimus non timere. Exercitia ſunt nobis iſta, non funera; dum animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam.

Sed fortaſſe aliquis apponat & dicat: Hoc me ergo in præſenti mortalitate contriſtat, quod qui paratus ad confeſſionem fueram, & ad tolerantiam paſſionis toto me corde & plena virtute deuoueram, martyrio meo priuor, dum morte præuenior; Primo in loco non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium: nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis an merearis accipere: tunc deinde Deus ſcrutator renis & cordis, & occultorum contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobat; & qui perſpicit apud te paratam fuiſſe virtutem, [m] reddet pro virtute mercedem. Nam quid Cain cùm Deo munus offerret, iam peremerat fratrem? & tamen parracidium mente conceptum Deus prouidus ante damnauit; vt illic cogitatio mala, & [n] pernicioſa conceptio Deo prouidente proſpecta eſt: ita & in

Dei

a SED CORROBORANT IN DOLORE.] In exemplaribus Vaticanis: *comprobant. Idem.*

b *Hoc quod nunc, &c.* Pulchrè varia morborum genera deſcribit. PAM.

c *Contra tot impetus vaſtationis.* Inter M S S. ſolus Cambronenſis, *vaſtitatis*, quare prior lectio magis placet, præſertim cum eam habeant etiam vet. exc. & Remboldus. *Idem.*

d STARE ERECTVM.] In Ver. *rectum.* RIG.

e FIRMITER PROMIMVS.] In Ben. *fortiter promimus. Idem.*

f *Præmium vitæ eius.* Toties præmia vitæ inculcat Cyprianus, & mercedem virtutis, vt non credam quemquam illa negare poſſe qui eum legerit. PAM

g CHRISTI CRVCE ET PASSIONE CENSETVR.] Sic ad Demetrianum, ſub finem: *Huius ſacramento & ſigno cenſeamur.* RIG.

h DATVR VELOCIVS TVTELA FIDENTIBVS.] Fidentes dicit, fideles, quibus eſt integra fides: qui lapſi non ſunt. Talibus igitur peſtifera lue correptis, obitu præfeſtinato anticipatur mortis tempus, atque ita quieſcentes in refrigerio ſpei Chriſtianæ tuti ſunt aduerſus omnia diaboli ſiue ſecularium poteſtatum tela. *Idem.*

i ACCENDVNTVR TEPIDI.] In Beneuentano & Veronenſi: *Accenduntur trepidi. Idem.*

k VETVS FIDELIVM POPVLVS AD QVIETEM VOCATVR.] Veterem populum dicit eorum qui fidelibus prognati parentibus fidem ab teneris vnguiculis ſuſceptam adultámque ad ſeniles annos ſeruauerunt intemeratam. *Idem.*

l *An infirmis ſeruiant ſani.* Pulchrè deducit, prodeſſe mortalitatem, ad explorandam iuſtitiam ſingulorum. PAM.

m *Reddet pro virtute mercedem.* Suſpicor vitio operarum, apud ſolum Manutium legi *reddit. Idem.*

n PERNICIOSA CONCEPTIO.] Conceptionem dicit cogitationis ad effectum perducendæ conſilium: & ſic Tribonianus conceptionem Digeſtorum dixit, ordinandi ac digerendi Iuris ciuilis apparatum.

n PERNICIOSA CONCEPTIO DEO PROVIDEN-

Dei ſeruis, apud quos [a] confeſſio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur. Aliud eſt enim martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium. Qualem te inuenit Dominus cum vocat, talem pariter & iudicat; quando ipſe teſtetur & dicat: Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis. Nec enim Deus ſanguinem noſtrum ſed fidem quærit. Nam nec Abraham, nec Iſaac, nec Iacob occiſi ſunt, & tamen fidei ac iuſtitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi eſſe meruerunt; ad quorum conuiuium congregatur quiſquis fidelis & iuſtus & laudabilis inuenitur. Meminiſſe debemus voluntatem nos, non noſtram, ſed Dei facere debere; ſecundùm quod nos Dominus quotidie iuſſit orare. Quam præpoſterum eſt quamque peruerſum, vt cùm Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando euocat nôs & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & peruicacium more ſeruorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cæleſtibus honorari, ad quem venimus inuiti? Quid ergo oramus & petimus vt adueniat regnum cælorum, ſi captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poſcimus, vt acceleret dies regni, ſi maiora deſideria, & vota potiora ſunt ſeruire iſtic diabolo, quàm regnare cum Chriſto? Denique vt manifeſtius diuinæ prouidentiæ indicia clareſcerent, [b] quod Dominus præſcius futurorum ſuis conſulat ad veram ſalutem: cum quidam de collegis & conſacerdotibus noſtris iam infirmitate defeſſus, & de appropinquante morte ſollicitus, [c] commeatum ſibi precaretur, aſtitit deprecanti, & iam pœnè morienti iuuenis honore & maieſtate venerabilis, ſtatu excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quod talem videre iam poterat de ſæculo receſſurus. Atque ille non ſine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox & monentis eſt: qui de perſecutione ſollicitis, de accerſitione ſecuris non conſentit ad præſens deſiderium, ſed conſulit in futurum. Audiuit frater noſter & collega moriturus, quod cæteris diceret. Nam qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit vt diceret: audiuit non ſibi ille, ſed nobis. Nam quid diſceret iam receſſurus? didicit immo nobis remanentibus, vt dum ſacerdotem Dei qui commeatum petebat, increpitum eſſe comperimus, quid cunctis expediat agnoſceremus. Nobis quoque ipſis minimis & extremis quoties reuelatum eſt, quàm frequenter atque manifeſtè de Dei dignatione preceptum eſt: vt conteſtarer aſſiduè & publicè prædicarem, [d] fratres noſtros non eſſe lugendos accerſitione Dominica de ſæculo liberatos, [e] cum ſciamus non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere, vt proficiſcentes, vt nauigantes ſolent; deſiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas eſſe hic atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſuinpſerint: occaſionem dandam non eſſe gentilibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio non probemus. [f] Spei noſtræ ac fidei præuaricatores ſumus; ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe quæ dicimus. Nihil prodeſt vobis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem. Improbat denique Apoſtolus Paulus, & obiurgat, & culpat, ſi qui contriſtentur in exceſſu ſuorum: Nolumus, inquit, ignorare vos fratres de dormientibus, vt non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus quia Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ſic & Deus eos qui dormierunt in Ieſu, adducet cum illo. Eos contriſtari dicit in exceſſu ſuorum, qui ſpem non habent. Qui autem ſpe viuimus, & in Deum credimus, & Chriſtum paſſum eſſe pro nobis, & reſurrexiſſe confidimus, in Chriſto manentes, & per ipſum atque in ipſo reſurgentes; quid aut ipſi recedere iſtinc de ſæculo nolumus, aut noſtros recedentes quaſi perditos plangimus ac dolemus? ipſo Chriſto Domino & Deo noſtro monente ac dicente: Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, licet moriatur viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Si in Chriſtum credimus, fidem verbis & promiſſis eius habeamus; & non morituri in æternum, ad Chriſtum, cum quo & victuri & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſgredimur: nec poteſt vita æterna ſucce-

TE PROSPECTA EST.] Ante omnia ſecula vocauit vnumquemque hominum Deus ad ſalutem: & vocando prouidit atque proſpexit cogitationes noſtras, ſiue bonas ſiue malas: & exinde malos damnauit, bonos coronauit. Talem prouidentiam, vel potiùs prouiſionem, talem proſpectionem, tale præſcitum, minùs apto vocabulo prædeſtinarionem dixere Magiſtri, diſputandi artifices. RIG.

a *Confeſſio cogitatur & martyrium.* Rurſum diſtinguit inter hæc duo. PAM.

b QVID DOMINVS PRÆSCIVS FVTVRORVM SVIS CONSVLAT.) Morem ſuum hìc ſeruat Cyprianus, viſione doctrinam ſuam confirmat. RIG.

c *Commeatum ſibi precaretur.* Commeatum pro liberatione à morte accipi à Cypriano diximus epiſt. de Celerino: eodem ſignificatu commeatum vitæ dixit Poſſidius. PAM.

d *Fratres noſtros non eſſe lugendos.* Quid ſibi velit, prius indicauit his verbis; *Cum chari de ſæculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum.* Neque enim omnem luctum, ſed immodicum verat, deinde vrget potiſſimum ſcandalum gentilium, ſi quando videbant fideles atras veſtes induere. *Idem.*

e *Cum ſciamus non eos amitti.* Sic S. Auguſtinus epiſt. 6. ad Italicam. *Noſtros migrantes non amiſimus, ſed præmiſimus.* Tertull. lib 1. ad vxorem cap. 5. PRI.

f *Spei noſtræ ac fidei præuaricatores ſumus.* Præuaricator eſt cauſæ proditor, ſiue qui leuia tantum adducit in ipſius patrocinium, & apertum veluti latus aduerſario porrigit. A Tertulliano hæc eadem accipe quæ Cyprianus; lib. nempè de patientia cap. 9. *Cæterùm impatientia in eiuſmodi, & ſpei noſtræ malè ominatur, & fidem præuaricatur. Idem.*

ſuccedere, nec hinc contigerit exire: non eſt exitus iſte: ſed tranſitus, & temporali itinere de curſo ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? Quis non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cæleſtis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Paulo Apoſtolo prædicante: Noſtra autem conuerſatio, inquit, in cælis eſt, vnde & Dominum expectamus Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Tales nos futuros & Chriſtus Dominus pollicetur, quando vt cum illo ſimus, & cum illo in æternis ſedibus viuamus, atque in regnis cæleſtibus gaudeamus, patrem pro nobis precatur dicens: Pater quos mihi dediſti, volo vt vbi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem quam mihi dediſti prius quam mundus fieret. Venturus ad Chriſti ſedem, ad regnorum cæleſtem claritatem, lugere non debet & plangere; ſed potius ſecundùm pollicitationem Domini, ſecundum fidem veritatis in profectione hac ſua & tranſlatione gaudere. Sic denique inuenimus & Enoch tranſlatum eſſe, qui Deo placuit: ſicut in Geneſi teſtatur & loquitur ſcriptura diuina: Et placuit Enoch Deo, & non eſt ineuntus poſtmodum, quia Deus illum tranſtulit. Hoc fuit placuiſſe in conſpectu Dei, de hoc contagio ſæculi meruiſſe transferri. [a] Sed & per Salomonem docet Spiritus ſanctus, eos qui Deo placeant, maturiùs iſtinc eximi, & citius liberari; ne dum in iſto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus eſt, inquit, ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatis. Sic & in pſalmis ad Dominum properat ſpiritali fide Deo ſuo anima deuota, dicens: Quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum, deſiderat & properat anima mea ad atria Dei. Eius eſt in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem ſeculum blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cum mundus oderit Chriſtianum; quid amas eum qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum qui te & redemit & diligit? Ioannes in epiſtola ſua clamat & loquitur: & ne carnalia deſideria ſectantes mundum diligamus, hortatur: Nolite, inquit, diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas patris in illo: quia omne quod in mundo eſt, concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi, quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia mundi, & mundus tranſibit & concupiſcentia eius: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quo modo & Deus manet in æternum. Potius fratres dilectiſſimi, mente integra, fide firma, virtute robuſta, parati ad omnem voluntatem Dei ſimus: pauore mortis excluſo, immortalitatem quæ ſequitur, cogitemus. Hoc nos oſtendamus eſſe quod credimus, vt neque charorum lugeamus exceſſum: & cum [b] accerſitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipſo vocante veniamus. Quod cum ſemper faciendum fuerit Dei ſeruis, nunc fieri multò magis debet, corruente iam mundo, & malorum infeſtantium turbinibus obſeſſo; vt qui cernimus cœpiſſe iam grauia, & ſcimus imminere grauiora, lucrum maximum computemus, ſi iſtinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, tecta deſuper tremerent, domus iam fatigata, iam laſſa, ædificiis ſenectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si nauigante te turbida & procelloſa tempeſtas fluctibus violentius excitatis, prænunciaret futura naufragia; nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur; & ruinam ſui non iam ſenectute rerum, ſed fine teſtatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis; quod exitu maturiore ſubtractus, ruinis, & naufragiis, & plagis imminentibus exuaris? Conſiderandum eſt fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & [c] tanquam hoſpites & peregrinos iſthic interim degere. [d] Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo; qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exſolutos paradiſo reſtituit, & regno cæleſti. Quis non peregre conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauiga-

re

a *Sed & per Salomonem docet.* Librum Sapientiæ Salomoni adſcribit, non Cyprianus modo tum hic, tum infrà lib de exhort. mart. cap. 1. Teſtim. 2. cap. 13. & 3. cap. 15. 53. 59. ac 66. ſed & Hegeſippus & Irenæus, & omnis (inquit Euſebius lib. 4. cap. 22.) antiquorum chorus. Tertullianus etiam lib. de præſcript. Origenes lib. 8. in Epiſt. ad Rom. D. Hilarius in Pſalm. 128 Baſilius lib. 5. contra Eunom. Euariſtus epiſt. ad Afric. Felix 1. in epiſt. ad Gallos. Felix 2. epiſt. ad D. Athanaſ. Epiphanius hær. 76. & lib. de ponderib. & menſ. Damaſcenus lib. 4. cap 18. Ambroſius in Pſal. 1. & lib de paradiſo cap 12. & vel ipſe D Hieronymus epiſt. ad Paulinum de inſtit. Fil. Cauſam reddit D. Auguſtin. in hæc verba lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 10. *Alij duo libri quorum vnus Sapientia, alter verò eccleſiaſticus dicitur, propter eloquij nonnullam ſimilitudinem, vt Salomonis dicantur, obtinuit conſuetudo.* Quod ipſum tamen adhuc retractari videtur lib. 2. cap. 4. Et certè multæ eius libri ſententiæ 7 8. & 9 cap. ſoli conueniunt Salomoni: Titulus etiam græcus eſt *σοφία σολομῶντος*. Quare probatur mihi Domin. Ioan Driedonis opinio de dog. Eccleſ. lib. 1. Philonem illum Iudæum, ſuprà 160. an. ante Chriſtum natum, temporibus Oniæ Pontif. ſparſas paſſim Salomonis ſententia in vnum hoc congeſſiſſe volumen. Eò magis quod 3. Reg cap. vlt. ſcribatur locutus tria millia parabolarum, carminum quinque millia, & diſſeruiſſe de iumentis, volucribus, reptilibus, & piſcibus, &c. Confirmat quod ipſa illius prouerbia, non ab illo, ſed diu poſteà à miniſtris Ezechiæ regis, aut iuxta Rabbi Moſen ab Iſaia in vnum collecta conſtet ex prou. cap. 25. vt ſit pro doctrina Spiritus ſancti hoc loco & epiſt. 81 ad Demetr. pro ſcriptura diuina agnoſcit Cyprianus: Nec minus alij veteres vbi hunc librum citant, nominatim Dionyſius Areopag. cap. 4. de diuinis nomin. Concilium Sardicenſe epiſt. ad omnes epiſc. Auguſt. cap 14. de prædeſtin Immo ipſe Apoſt. Rom. 11. & Hebr. 11. ad 9. 6. & 4. Sapientiæ alludit. PAM.

b ACCERSITIONIS PROPRIÆ DIES VENERIT.] Hoc opuſculo ſuprà de morte iam proxima, de vicina accerſitione ſecurus. RIG.

c *Tanquam hoſpites & peregrinos, &c.* Eandem ſententiam iiſdem fermè vocibus Tertullianus docet cap. 42. & 43. de reſurrectione carnis. PRI.

d AMPLECTAMVR DIEM QVI ADSIGNAT SINGVLOS DOMICILIO SVO.] Refrigerio, ſcilicet. vbi, velut in prato, ſiue horto, ſiue paradiſo, iuſtorum animæ quieſcunt, & patientiam paſcunt, iam de ſua immortalitate ſecuri, quaſi iudicio iam peracto: nempe diuina prouiſione, Dei præſcito. RIG.

re feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus; quid non properamus & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & [a] adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt? qualis illic cæleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam ſumma & perpetua felicitas? illic [b] Apoſtolorum glorioſus chorus: illic prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiſcentiam carnis & corporis, continentiæ robore ſubegerunt: remunerati miſericordes qui alimentis & largitionibus pauperum iuſtitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta ſeruantes ad cæleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos fratres dilectiſſimi, auida cupiditate properemus; vt cum his citò eſſe, vt citò ad Chriſtum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem noſtram Deus videat, hoc propoſitum mentis & fidei Dominus Chriſtus aſpiciat; daturus eis gloriæ ſuæ ampliora præmia, quorum circa ſe fuerint deſideria maiora.

DE

a ET ADHVC DE NOSTRA SALVTE SOLLICITA] Etenim charitas, vt ipſe Paulus adfirmat, οὐδέποτε ἐκπίπτει, numquam excidit, perſeuerat etiam poſt obitum. & qui jam in ſepulcris quieſcunt reſurrectionem ſibi & immortalitatem expectantes, nobis etiam felicitatem exoptant. Itaque nos etiam illis benè adprecari par eſt. vota noſtra cum illorum votis & precibus commmunionis jure miſcenda ſunt. PAM.

b *Apoſtolorum glorioſus chorus.* Videntur hunc locum imitari D. D. Ambroſius & Auguſt. in cant. Eccleſiaſt. Te Deum laudamus, & reſponſorium quoddam eſt Eccleſiaſticum. In quo quia legitur *tranſtulerunt*, id malo paulò poſt, quam quod 4. M S. legunt *præmiſerunt*: præſertim quum Alcuinus illud legat. PAM.

[a] DE OPERE ET ELEEMOSYNIS.

MVLTA & magna ſunt, fratres chariſſimi, beneficia diuina, quibus in ſalutem noſtram Dei patris & Chriſti larga & copioſa clementia & operata ſit, & ſemper operetur, quod conſeruandis ac viuificandis nobis pater filium ſuum miſit, vt reparare nos poſſet, quodque filius miſſus, [b] eſſe & hominis filius voluit, vt nos Dei filios faceret; humiliauit ſe, vt populum qui prius iacebat, erigeret; vulneratus eſt, [c] vt vulnera noſtra ſanaret; ſeruiuit, vt ad libertatem ſeruientes extraheret; mori ſuſtinuit, vt immortalitatem mortalibus exhiberet. Multa hæc ſunt & magna diuinæ miſericordiæ munera. Sed adhuc qualis prouidentia illa, & quanta clementia eſt, quod nobis ſalutari ratione proſpicitur, vt homini qui redemptus eſt, reſeruando, pleniùs conſulatur. [d] Nam cùm Dominus adueniens ſanaſſet illa quæ Adam portauerat vulnera, & venena ſerpentis antiqui curaſſet; legem dedit ſano, & præcepit ne vltrà iam peccaret, ne quid peccanti grauiùs eueniret. Coartati eramus, & in anguſtum innocentiæ præſcriptione concluſi. Nec haberet, quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret: niſi iterùm pietas diuina ſubueniens, iuſtitiæ, & miſericordiæ operibus oſtenſis, viam quamdam tuendæ ſalutis aperiret; vt ſordes poſtmodum quaſcumque contrahimus, eleemoſynis abluamus. Loquitur in ſcripturis diuinis Spiritus ſanctus & dicit: Eleemoſynis & fide delicta purgantur. Non vtique illa delicta, quæ fuerant antè contracta, nam illa Chriſti ſanguine & ſanctificatione purgantur. Item denuò dicit. Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Hic quoque oſtenditur & probatur, quia ſicut lauacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, [e] aſſidua & jugis operatiò, baptiſmi inſtar imitata, Dei rurſus indulgentiam largitur. Hoc & in Euangelio Dominus docet: [f] nam

cùm

a DE OPERE ET ELEEMOSYNIS.] Intelligit opera juſtitiæ & miſericordiæ, circa quæ homini Chriſtiano aſſidua & jugis operatio eſſe debet RIG.

b ESSE ET HOMINIS FILIVS VOLVIT.] Veronenſis: *Quodque filius miſſus, dici ſe & hominis filius voluit. Idem.*

c VT VVLNERA NOSTRA SANARET.] Beneuent. & Veron. *curaret. Idem.*

d *Nam cum Dominus adueniens.* Locum hunc ad aſſertionem peccati originalis ex Adam, contra Pelagianos citat D Auguſt. PAM.

e ASSIDVA ET IVGIS OPERATIO.] Sic operantes Chriſtiani tota vita ſua confeſſores ſunt Chriſti, & martyres. & eſt martyrium operum, ſicut & ſanguinis. Vanos martyras eſſe ait Commodianus, qui otioſi ſunt Chriſto.

Verba geris tantum, vane; qui ſub vno momento
Martyrium quæris otioſus tollere Chriſto.

Cyprianus ipſe ſub finem iſtius tractatus laudat *in operis agone currentes* RIG.

e *Aſſidua & iugis operatio.* Operationem tum hic tum alibi frequenter, vti & opus in titulo huius libri accipit Cyprianus, pro virtute Auaritiæ contraria: quomodo etiam Prudentius in pſychomach. auaritiæ & operationis in hæc verba.

Cum ſubitò in medium frendens operatio campum.
Proſilit auxilio ſocijs, pugnamque capeſſit.

Nam quod pro illo repoſuit Georgius Fabricius, *miſeratio*: eſt contra fidem M S. tum noſtri qui id bis legit, tum aliorum quibus vſi ſunt in caſtigando Prudentio Victor Ghiſelinus & Theod. Pulmannus. Et videntur mihi hinc tranſtuliſſe vocem hanc veteres, quod inter opera bona præcipua ſit eleemoſyna. Haud procul ab ea ſignificatione abeſſe mihi videtur Pontius in vita Cypriani in hæc verba. *fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum eſt ad omnes*; & illud Tertulliani lib. 4. contra Marc. *Nam etſi maior bonitas quæ operatur in extraneos.* loquitur enim de eleemoſynis. PAM.

f *Cum denotarentur diſcipuli.* Sunt qui legant *detinentur*, ſed cum ea vox tum Cypriano tum Tertulliano vſitata ſit, cum Rigaltio retinenda. Porrò vſus eſt Tertullianus apolog. 3. *At nunc vtrinſque inquiſitione & agitatione neglecta, nomen denotatur.* PRI.

cùm denotarentur diſcipuli eius quòd ederent, nec priùs manus abluiſſent, reſpondit & dixit: Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod foris eſt. verùm date eleemoſynam, & ecce vobis munda omnia: docens ſcilicet, & oſtendens, non manus lauandas eſſe, ſed pectus; & ſordes intrinſecus potiùs quàm extrinſecus detrahendas: verùm qui purgauerit quod eſt intus, eum quoque id quod foris eſt repurgaſſe; & emundata mente, cute quoque & corpore mundum eſſe cœpiſſe. Porrò autem monens & oſtendens vnde mundi & purgati eſſe poſſimus, addidit eleemoſynas eſſe faciendas. Miſericors docet ac monet, miſericordiam fieri; & quia ſeruare quærit, quos magno pretio redemit, poſt baptiſmi gratiam ſordidatos docet denuò poſſe purgari. Agnoſcamus, itaque, fratres chariſſimi, diuinæ indulgentiæ munus ſalubre, & emundandis purgandiſque peccatis noſtris, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus, medelis ſpiritalibus vulnera noſtra curemus. Nec quiſquam ſic ſibi de puro atque immaculato corde blandiatur, vt innocentia ſua fretus medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus: cùm ſcriptum ſit: Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis? Et iterùm in epiſtola ſua Ioannes ponat & dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. Si autem nemo eſſe ſine peccato poteſt, & quiſquis ſe inculpatum dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt; quàm neceſſaria, quàm benigna eſt diuina clementia? quæ cùm ſciat non deeſſe ſanatis quædam poſtmodum vulnera, dedit curandis denuò ſanandiſque vulneribus remedia ſalutaria. Numquam denique, fratres dilectiſſimi, admonitio diuina ceſſauit, numquam & tacuit, quo minus in ſcripturis ſanctis tam veteribus quàm nouis, ſemper & vbique ad miſericordiæ opera Dei populus prouocaretur; & canente atque exhortante Spiritu ſancto quiſquis ad ſpem regni cæleſtis inſtruitur, facere eleemoſynas iubetur. Mandat & præcipit Eſayæ Deus: Exclama, inquit, in fortitudine, & noli parcere: ſicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia plebi meæ peccata ipſorum, & domui Iacob facinora eorum. Et cùm peccata eis ſua exprobrari præcepiſſet, cumque eorum facinora pleno indignationis impetu protuliſſet, dixiſſetque, eos, nec ſi orationibus & precibus & ieiuniis vterentur, ſatisfacere pro delictis poſſe; nec ſi [a] in cilicio & cinere voluerentur, iram Dei poſſe lenire; in nouiſſima tamen parte [b] demonſtrans ſolis eleemoſynis Deum poſſe placari, addidit dicens: Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti eum, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & [c] veſtimenta tua citò orientur, & præibit ante te iuſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicet: ecce adſum. Remedia propitiando Deo ipſius Dei verbis data ſunt: quid deberent facere peccantes, magiſteria diuina docuerunt; operationibus iuſtis Deo ſatisfieri, miſericordiæ meritis peccata purgari. Et apud Salomonem legimus: Conclude eleemoſynam in corde pauperis, [d] & hæc pro te exorabit ab omni malo. Et iterùm: Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipſe inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum. Neque enim promereri miſericordiam Domini poterit, qui miſericors ipſe non fuerit, aut impetrabit de diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in Pſalmis Spiritus ſanctus declarat & probat, dicens: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Quorum præceptorum memor Daniel, cùm rex Nabuchodonoſor aduerſo ſomnio territus æſtuaret, pro auertendis malis, ad diuinam opem impetrandam remedium dedit dicens: Propterea rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniuſtitias tuas miſerationibus pauperum, & erit Deus patiens peccatis tuis. Cui rex non obtemperans, aduerſa quæ viderat & infeſta perpeſſus eſt: quæ euadere & vitare potuiſſet, ſi peccata ſua eleemoſynis redemiſſet. Raphaël quoque angelus paria teſtatur, & vt eleemoſyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens: Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna: quia eleemoſyna à morte liberat, & ipſa [e] purgat peccata. Oſtendit orationes noſtras ac ieiunia minus poſſe, niſi eleemoſynis adiuuentur. Deprecationes ſolas parum ad impetrandum valere, niſi factorum & [f] operum acceſſione farciantur. Reuelat angelus & manifeſtat, & firmat eleemoſynis petitiones noſtras efficaces fieri, eleemoſynis vitam de periculis redimi, eleemoſynis à morte animas liberari. Nec ſic, fratres chariſſimi, iſta proferimus, vt non quod Raphaël Angelus dixit veritatis teſtimonio comprobemus. In Actibus Apoſtolorum facti fides poſita eſt, & quod eleemoſynis [g] non tantùm à ſecunda, ſed à prima morte animæ liberentur, geſtæ & impletæ

a IN CILICIO ET CINERE VOLVERENTVR.] Ver. *in cinere & cilicio volutarentur.* Sic loquitur Tert. RIG.

b *Demonſtrans ſolis eleemoſynis Deum poſſe placari.* Nic. Faber: eleemoſyna orationibus & ieiuniis præſtat. *Idem.*

c *Veſtimenta tua citò orientur.* Hic & alibi Cyprianus & alij veteres quidam latini teſte D. Hieronymo, inquit Morell. ex ſimilitudine dictionum græcarum fecerunt, vt pro eo quod 70. ſcripſerunt *ἰάματά σου*, id eſt, *ſanitates tua* legerent *ἱμάτιά σου.* PAM.

d *Et hæc pro te exorabit.* Prorſus ſic legendum cum Grauio, Morelio & Manutio, nam græcè eſt *αὐτή.* *Idem.*

e PVRGAT PECCATA.] Ver. *purgat peccatis.* RIG.

f OPERVM ACCESSIONE FARCIANTVR.] Sic Pamelius: At in exemplaribus, *focientur*: in aliis, *ſatientur.* *Idem.*

g NON TANTVM A SECVNDA, SED A PRIMA MORTE] Prima mors, corporis; ſecunda animæ. Ait igitur, eleemoſynis, bonis operationibus, primam illam corporis mortem ſuſpendi, exemplo Tabithæ: ſecundam verò, quæ eſt animæ, mortem euitari adeptione vitæ æternæ, quæ promittitur fidelibus bonas operationes operantibus. *Idem.*

rei probatione compertum eſt. Tabitha operationibus iuſtis & eleemoſynis præſtandis plurimum dedita, cum infirmata eſſet & mortua, ad cadauer exanime Petrus accitus eſt: qui cum impigre pro Apoſtolica humanitate veniſſet, circumſteterunt eum viduæ flentes, & rogantes, pallia & tunicas & omnia illa quæ prius ſumpſerant indumenta monſtrantes, [a] nec pro defuncta ſuis vocibus, ſed ipſius operibus deprecantes. Senſit Petrus impetrari poſſe, quod ſic petebatur; nec defuturum Chriſti auxilium viduis deprecantibus [b] quando eſſet in viduis ipſe veſtitus. Cùm itaque genibus nixus oraſſet, viduarum ac pauperum idoneus aduocatus legatas ſibi preces ad Dominum pertuliſſet, conuerſus ad corpus, [c] quod in tabula iam lotum iacebat: Tabitha, inquit, exſurge in nomine Ieſu Chriſti: nec defuit Petro, quo minus ſtatim ferret auxilium, qui in euangelio dari dixerat quicquid fuiſſet eius nomine poſtulatum. Mors itaque ſuſpenditur, & ſpiritus redditur: & mirantibus ac ſtupentibus cunctis, ad hanc mundi denuo lucem diuinum corpus animatur: tantum potuerunt miſericordiæ merita; tantum opera iuſta valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari. Itaque in Euangelio Dominus, doctor vitæ noſtræ, & magiſter ſalutis æternæ, viuificans credentium populum, viuificatis conſulens in æternum; inter ſua mandata diuina & præcepta cæleſtia nihil crebrius mandat & præcipit, quàm vt inſiſtamus eleemoſynis dandis: nec terrenis poſſeſſionibus incubemus, ſed cæleſtes theſauros potius recondamus. Vendite, inquit, res veſtras, & date eleemoſynam. Et iterum: Nolite vobis condere theſauros ſuper terram, vbi [d] tinea & comeſtura exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque tinea, neque comeſtura exterminat, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Et cùm obſeruata lege perfectum & conſummatum vellet oſtendere; Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, & da egenis, & habebis theſaurum in cælo & veni, ſequere me. Item alio loco negotiatorem cæleſtis gratiæ, & comparatorem ſalutis æternæ, diſtractis omnibus rebus ſuis, pretioſam margaritam, hoc eſt, vitam æternam Chriſti cruore pretioſam, de quantitate patrimonij ſui dicit debere mercari. Simile eſt, inquit, regnum cælorum [e] homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Vbi autem inuenit pretioſam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam. Eos denique & Abrahæ filios dicit, quos in iuuandis alendíſque pauperibus operarios cernit. Nam cùm Zachæus dixiſſet: Ecce dimidium ex ſubſtantia mea do egenis, & ſi cui quid fraudaui, quadruplum reddo: [f] reſpondit Ieſus & dixit: Quia ſalus hodie huic domui facta eſt, quoniam & hic filius eſt Abrahæ. Nam ſi Abraham credidit Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: vtique qui ſecundum præceptum Dei eleemoſynas facit, Deo credit; & qui habet fidei veritatem, ſeruat Dei timorem; qui autem Dei timorem ſeruat, in miſerationibus pauperum Deum cogitat. Operatur enim ideo quia credit, quia ſcit vera eſſe quæ prædicta ſunt verbis Dei, nec ſcripturam ſanctam poſſe mentiri: arbores infructuoſas, id eſt, ſteriles homines excidi, & in ignem mitti, miſericordes autem ad regnum vocari. Qui & alio in loco operarios, & fructuoſos fideles appellat: infructuoſis verò & ſterilibus fidem derogat dicens: Si in iniuſto mammona fideles non fuiſtis, [g] quod eſt verum quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod eſt veſtrum, quis dabit vobis? Si vereris & metuis, ne ſi operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris: eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecurus; finiri non poteſt, vnde in vſus Chriſti impenditur, vnde opus cæleſte celebratur. Nec hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de ſanctarum ſcripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus ſanctus & dicit: Qui dat pauperibus numquam egebit; qui autem auertit oculum ſuum, in magna penuria erit: oſtendens miſericordes atque operantes egere non poſſe, magis parcos & ſteriles ad inopiam poſtmodum deuenire. Item beatus Apoſtolus Paulus Dominicæ inſpirationis gratia plenus: Qui adminiſtrat, inquit, ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit, & multiplicabit ſeminationem veſtram, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletemini. Et iterum: Adminiſtratio huius officij non tantum ſupplebit ea [h] quæ ſanctis deſunt, ſed & abundabit per multam gratiarum actionem in Deum. Quoniam dum gratiarum actio ad Deum pro eleemoſynis atque operationibus noſtris pauperum oratione dirigitur, cenſus operantis Dei retributione cumulatur. Et Dominus

a NEC SVIS VOCIBVS SED IPSIVS OPERIBVS DEPRECANTES.] Monſtrantes Petro indumenta quæ habuerant beneficio Tabithæ. RIG.

b QVANDO ESSET IN VIDVIS IPSE VESTITVS.] Tabitha, veſtiendo pauperes viduas, Chriſtum veſtierat. airigitur Cyprianus, Chriſtum ipſum in viduis illis fuiſſe veſtitum. Hoc ipſe etiam dicet infrà *Illic in pauperibus tuis veſtiris & paſceris. Idem.*

c *Quod in tabula iam lotum iacebat.* Ita enim legitur actore 9. Quam cum lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. Patet autem hinc non nouum eſſe morem illum, quo lauantur defunctorum corpora. PAM.

d TINEA ET COMESTVRA EXTERMINAT.] In Veroñenſi: extermi nant. Veram eſſe hanc ſcripturam ſequentia clamant. RIG.

e *Homini negotiatori.* Affligin. & duo Morell. M S S. *negotianti*, ſed vox græca ἔμπορος negotiatorem ſignificat, & eum qui vltra mare negotiatur ἀπὸ τοῦ πόρου, quæ vox illud ſignificat quod mari conficitur PAM.

f *Reſpondit Ieſus & dixit.* Denuò adiecimus ex M S. *& dixit.* Eſt enim phraſis Cypriani. *Idem.*

g *Quod verum eſt quis dabit vobis?* Affligin. & vlt. exc *veſtrum*, ſed græcè eſt ἀλλότριον & prius etiam legunt emendatiora latina exemplaria. *Idem.*

h *Quæ ſanctis deſunt*, Ex vitio cod. Remboldi adiiciebatur *fide*, quod neque Apoſtolus habet, neque M S. *Idem.*

nus in Euangelio iam tunc eiuſmodi hominum corda conſiderans, & perfidis atque incredulis præſcia voce denuncians: conteſtatur & dicit: Nolite cogitare dicentes: quid edemus aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater veſter quia omnium horum indigetis. Quærite primum regnum Dei, & omnia iſta apponentur vobis. Eis omnia apponi dicit & tradi, qui regnum & iuſtitiam Dei quærunt. Eos enim Dominus, cum iudicij dies venerit, ad percipiendum regnum dicit admitti, qui fuerint in Eccleſia eius operati. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis: & neſcis miſer, quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus deficit: & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non reſpicis quod ipſe minuaris amator magis mammonæ quàm animæ tuæ, [a] vt dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pereas. Et ideò bene Apoſtolus clamat & dicit: Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid poſſumus: [b] habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in muſcipulam, & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Metuis-ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis? quando enim factum eſt [c] vt iuſto poſſent deeſſe ſubſidia vitæ, cùm ſcriptum ſit: Non occidet fame Dominus animam iuſtam. Helias in ſolitudine coruis miniſtrantibus paſcitur: & Danieli in lacu ad leonum prædam iuſſu regis incluſo, prandium diuinitus apparatur: & tu metuis ne operanti tibi & Dominum promerenti deſit alimentum? quando ipſe in Euangelio ad exprobrationem eorum, quibus mens dubia eſt & fides parua, conteſtetur & dicat: Aſpicite volatilia cæli, quoniam non ſeminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, & pater veſter cæleſtis alit illa: nonne vos pluris illis eſtis? Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diurna præſtantur, & quibus nullus diuinæ rei ſenſus eſt, eis nec potus, nec cibus deeſt, tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu operibus bonis dedito, tu Domino ſuo charo aliquid exiſtimas defuturum? Niſi ſi putas quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur; aut eis terrena deerunt, quibus cæleſtia & diuina tribuuntur. Vnde hæc incredula cogitatio? vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus? quid qui Chriſto omnino non credit, appellatur & dicitur Chriſtianus? Phariſæi tibi magis congruit nomen. Nam cùm Dominus in Euangelio de eleemoſynis diſputaret, & vt nobis amicos de terreſtribus lucris prouida operatione faceremus, qui nos poſtmodum in tabernacula æterna ſuſciperent, fideliter ac ſalubriter præmoneret; addidit poſt hæc ſcriptura dicens: Audiebant autem hæc omnia Phariſæi qui erant cupidiſſimi, & irridebant eum. Quales nunc in Eccleſia quoſdam videmus, quorum præcluſæ aures & corda cæcata nullum de ſpiritalibus ac ſalutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non oportet quod contemnant [d] in tractatibus ſeruum, quando à talibus ipſum Dominum videamus eſſe contemptum. Quid tibi in iſtis ineptis & ſtultis cogitationibus plaudis, quaſi metu & ſollicitudine futurorum ab operibus retarderis? quid vmbras & præſtigias quaſdam vanæ excuſationis obtendis? Confitere immo quæ vera ſunt, & quia ſcientes non potes fallere, ſecreta & abdita mentis exprome. Obſederunt animum tuum ſterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda auaritiæ caligo cæcauit: [e] pecuniæ tuæ captiuus & ſeruus es: catenis cupiditatis & vinculis alligatus es; & quem iam ſoluerat Chriſtus denuo vinctus es: ſeruas pecuniam, quæ te ſeruata non ſeruat: patrimonium cumulas, quod te pondere ſuo grauius onerat: nec meminiſti quid Deus reſponderit diuiti exuberantium fructuum copiam ſtulta exultatione iactanti: Stulte, inquit, hac nocte [f] expoſtulatur anima tua à te quæ ergo paraſti, cuius erunt? Quid diuitiis tuis ſolus incubas? quid in pœnam tuam patrimonij tui pondus exaggeras; vt quo locupletior ſæculo fueris, pauperior Deo fias? Redditus tuos diuide cum Domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Chriſto: fac tibi poſſeſſionum terreſtrium Chriſtum participem, vt & ille te ſibi faciat regnorum cæleſtium coheredem. Erras & falleris quiſquis te in ſæculo diuitem credis. Audi in Apocalypſi Domini tui vocem, eiuſmodi homines iuſtis objurgationibus increpantem: Dicis, inquit, diues ſum, & ditatus ſum, & nullius rei egeo; & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum de igni, vt ſis diues, & veſtem albam veſtiaris, & non appareat in te fœditas nuditatis

a QVI DVM TIMES, NE PRO TE PATRIMONIVM TVVM PERDAS.] Veriſſima eſt ſcriptura Veronenſis: Dùm times ne pro te patrimonium perdas, id agis, vt ipſe pro patrimonio pereas. RIG.

b HABENTES ITAQ. EXHIBITIONEM ET TEGVMENTVM.] Sic ſuprà, tractatu de oratione Dom. *Idem.*

c VT IVSTO POSSENT DEESSE SVBSIDIA VITÆ.] Rectiſſimè in Veronenſi: Quando enim factum eſt vt iuſto poſſet deeſſe ſubſtantia? *Idem.*

d *In Tractatibus.* Tractatus vocabant veteres, conciones ad populum, vti patet vel ex tractatib. D. Auguſtini in Ioan. Quare non rectè ſermones inticulati fuerunt hic & alij libri quidam Cypriani; ſed potius tractatus erant inſcribendi. PAM.

e *Pecuniæ tuæ captiuus & ſeruus es.* Pari ratione de iis qui de diuitiis ſuis gloriantur, & in iis confidunt, loquitur lib. de lapſis *Poßidere ſe credunt, qui potius poßidentur, cenſus ſui ſerui, nec ad pecuniam ſuam Domini, ſed magis pecuniæ mancipati.* PRI.

f EXPOSTVLATVR ANIMA TVA A TE.] In Veronenſi: *Stultè, inquit, hac nocte expoſtulatur anima tua. quæ ergo paraſti, cui erunt?* RIG.

nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos vt videas. Qui ergo locuples & diues es, eme tibi à Chriſto aurum ignitum, vt ſordibus tuis tamquam ignis decoctis, eſſe aurum mundum poſſis, ſi eleemoſynis & iuſta operatione purgeris. Eme tibi albam veſtem, vt qui ſecundùm Adam nudus fueras, & horrebas antè deformis, indumento Chriſti candido veſtiaris. Et quæ matrona in Eccleſia Chriſti locuples & diues es, inunge oculos tuos [a] non ſtibio diaboli, ſed collyrio Chriſti; vt peruenire ad videndum Deum poſſis, dum Deum, & operibus bonis & moribus promereris. Cæterùm quæ talis es, nec operari in Eccleſia potes: Egentem enim & pauperem non vident oculi tui ſuperfuſi nigroris tenebris, & nocte cotnecti. Locuples & diues es, [b] & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non reſpicis; quæ [c] in Dominicum ſine ſacrificio venis; [d] quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis? Intuere in Euangelio viduam præceptorum cæleſtium memorem, inter ipſas preſſuras & anguſtias egeſtatis operantem, in gazophylacium duo, quæ ſola ſibi fuerant minuta, mittentem. Quam cùm animaduerteret Dominus & videret; non de patrimonio, ſed de animo opus eius examinans, & conſiderans, non quantum ſed ex quanto dediſſet; reſpondit & dixit: Amen dico vobis, quoniam vidua iſta plus omnibus miſit in dona Dei. Omnes enim iſti de eo quod abundauit illis, miſerunt in dona Dei: hæc autem de inopia ſua omnem quemcumque habuit victum miſit. Multum beata mulier & glorioſa, quæ etiam ante diem iudicij meruit iudicis voce laudari. Pudeat diuites [e] ſterilitatis atque infidelitatis ſuæ: vidua, & inops vidua in opere larga inuenitur. Cumque vniuerſa quæ dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, vt ſciamus quæ pœna ſterilem diuitem maneat, quando hoc documento operari etiam pauperes debeant. Atque vt intelligamus hæc opera Deo dari, & eum quiſquis hæc faciat, Dominum promereri; Chriſtus illud Dei dona appellat, & in dona Dei viduam [f] duos quadrantes miſiſſe ſignificat, vt magis ac magis poſſit eſſe manifeſtum, quia qui miſeretur pauperis, Deum fenerat. Sed nec illa res, fratres chariſſimi, à bonis operibus & iuſtis refrænet & reuocet Chriſtianum, quod excuſari ſe poſſe aliquis exiſtimet beneficio filiorum: quando in impenſis ſpiritalibus Chriſtum cogitare, qui accipere ſe profeſſus eſt, debeamus; nec conſeruos liberis noſtris, ſed Dominum præferamus, ipſo inſtruente & monente. Qui diligit, inquit, patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui diligit filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus: Item in Deuteronomio, ad corroborationem fidei & dilectionem Dei, paria conſcripta ſunt: Qui dicunt, inquit, patri aut matri, non noui te, & filios ſuos non agnouerunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſeruauerunt. Nam ſi Deum toto corde diligimus; nec parentes, nec filios Deo præferre debemus. Quod & Ioannes in epiſtola ſua ponit, charitatem Dei apud eos non eſſe, quos videamus operari in pauperem nolle: Qui habuerit, inquit, ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum deſiderantem, & clauſerit viſcera ſua, [g] quomodo charitas Dei manet in illo? Si enim Deus eleemoſynis pauperum feneratur, & cùm datur minimis, Chriſto datur: non eſt quod quis terrena cæleſtibus præferat, nec diuinis humana præponat. Sic vidua illa in tertio Regnorum libro, cum in ſiccitate & fame conſumptis omnibus de modico farre & oleo quod ſuperfuerat, feciſſet [h] ſubcinericium panem, quo aſſumpto moritura cum liberis eſſet; ſuperuenit Helias, & petiit ſibi prius ad edendum dari; tunc quod ſuperfuiſſet, inde illam cum filiis ſuis veſci; nec obtemperare illa dubitauit, aut Heliæ filios mater in fame, & egeſtate præpoſuit. Fit immò in conſpectu Dei, quod Deo placeat; promptè ac libenter quod petebatur, offertur: nec de abundantia portio, ſed de modico totum datur, & eſurientibus

tibus

[a] NON STIBIO DIABOLI, SED COLLYRIO CHRISTI.] Non corporis tui cultu ſtudioſè curato, ſed ſaliua Chriſti, verbo Dei ſuſcepto, ac fideliter & conſtanter obſeruato. RIG.

[a] *Non ſtibio diaboli ſed collyrio Chriſti.* Stibium lapis eſt ſpumæ candidæ, quem alii alabaſtrum nuncupant, quo vtuntur fœminæ, ad venuſtandos orbes oculorum: hinc illud D. Hieronymi ad Furiam: *Nec orbes ſtibio fuligmatos.* Collyrium verò quaſi κωλύειν ῥέειν dicitur; quod fluxum oculorum ſiſtat. Rectè itaque hæc inter ſe componit, nam & ſtibium eamdem vim habere tradunt medici PAM.

[b] ET DOMINICVM CELEBRARE TE CREDIS, QVÆ CORBAN OMNINO NON RESPICIS.] Adhuc æuo Cypriani, viguiſſe credimus illam diſciplinæ Chriſtianæ ſimplicitatem: quum nulla res Dei precio conſtaret: & ſi quod arcæ genus erat, non de honoraria ſumma inde colligebatur. Hoc certè innuunt iſta quæ ſequuntur: *Cúmque vniuerſa quæ dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa, quam oportebat accipere.* His tamen orta principiis auaritia, quorumdam oculos ad Phariſaicum illud Corban retorſit, adeò inuerecunda cupiditate, vt jam nulla Dei res pretio non conſtet, conuerſis in vſus priuatos opibus, quæ pro totius Eccleſiæ neceſſitatibus contulerat fidelium liberalitas valdè laudanda. RIG.

[c] *In Dominicum ſine ſacrificio venis.* Dominicum eſt Eccleſia, græcis κυριακὸν vt patet ex can. 5. concilij Neocæſar. κατηχούμενος ἐὰν εἰσέρχηται εἰς κυριακὸν ἐν τῇ τῶν κατηχουμένων τάξει στήκῃ, *Catechumenus ſi Eccleſiam adierit, inter catechumenos maneat.* varia ſunt nomina apud veteres, quorum multa refert Stephanus Durantus de ritib. Eccleſ. PRI.

[d] QVÆ PARTEM DE SACRIFICIO QVOD PAVPER OBTVLIT, SVMIS.] Sacrificia dicit eleemoſynas in vſus fidelium collatas. Inter eleemoſynas erant panes per euchariſtiam ſacrandi. De panibus autem iſtis quandoque diues parcus & ſterilis, hoc eſt, qui nihil contulerat in eleemoſynam, ſumebat euchariſtiam. Quod pudendum eſſe ait Cyprianus: diuitem aliquid accipere de paupere, nec dare quidquam pauperi. RIG.

[d] *Partem de ſacrificio quod pauper obtulit.* Hoc loco vſus eſt vir eruditus Sirmondus, vt oſtenderet in Eccleſia latina adhibitum fuiſſe olim fermentatum panem. PRI.

[e] STERILITATIS ATQVE INFIDELITATIS.] In Veronenſi legitur: infelicitatis. Pudeat diuites, inquit, infelicitatis ſuæ, qui ante diem judicij merentur judicis voce damnari. Quod opponitur illis quæ de inope vidua dixerat, ante diem iudicij meruit judicis voce laudari. RIG.

[f] *Duos quadrantes.* Quod prius minuta, nunc quandrantes appellat, ſed impropriè. Quadrans enim eſt quarta pars aſſis, & Græca vox λεπτὸν minutiſſimum ſignificans monetæ genus, quippe cum 7. λεπτὰ conficerent χαλκοῦν, quod obolum transferunt interpretes. Quamquam tamen apud Lucam λεπτὰ alicubi interpretetur Chryſoſtomus ὀβολούς. PAM.

[g] QVOMODO CARITAS DEI MANET IN ILLO.] Veron. *quomodo poterit charitas Dei manere in illo.* RIG.

[h] SVBCINERICIVM PANEM.] Ver. *cinericium. Idem.*

tibus liberis alter prius paſcitur, neque in penuria & fame cibus, antequam miſericordia, cogitatur; vt dum in opere ſalutari carnaliter vita contemnitur, ſpiritaliter anima ſeruetur. Helias itaque typum Chriſti gerens, & quod ille pro miſericordia vicem ſingulis reddat, oſtendens: reſpondit & dixit: Hæc dicit Dominus: fidelia farris non deficiet, a & capſaces olei non minuetur vſque in diem, quo dabit Dominus imbrem ſuper terram. Secundum diuinæ pollicitationis fidem multiplicata ſunt viduæ & cumulata quæ præſtitit, & operibus iuſtis, ac miſericordiæ meritis, augmenta & incrementa ſumentibus farris & olei vaſa completa ſunt. Nec filiis abſtulit mater quod Heliæ dedit, ſed magis contulit filiis, quod benignè & piè fecit. Et illa nondum Chriſtum ſciebat, nondum præcepta eius audierat: non cruce & paſſione eius redempta, cibum & potum pro ſanguine rependebat; vt ex hoc appareat quantum in Eccleſia peccet, qui ſe & filios Chriſto anteponens, diuitias ſuas ſeruat, nec patrimonium copioſum cum indigentium paupertate communicat. Sed enim multi ſunt in domo liberi, & retardat te numeroſitas filiorum, quo minus largiter bonis operibus inſiſtas: atquin hoc ipſo operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures ſunt pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda ſunt, multorum purgandæ conſcientiæ, multorum animæ liberandæ. Vt in hac vita ſæculari alendis ſuſtinendiſque pignoribus quo maior eſt numerus, hoc maior & ſumptus eſt: ita & in vita ſpiritali atque cæleſti, quo amplior fuerit pignorum copia, eſſe & operum debet maior impenſa. Sic & Iob ſacrificia numeroſa pro liberis offerebat: quantuſque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hoſtiarum. Et quoniam quotidie deeſſe non poteſt quod peccetur in conſpectu Dei, ſacrificia quotidiana non deerant, b quibus poſſent peccata tergi. Probat ſcriptura diuina, dicens: Iob homo verus & iuſtus, habuit filios ſeptem, & filias tres, & emundabat illos offerens pro eis hoſtias Deo ſecundum numerum illorum, & pro peccatis eorum vitulum vnum. Si ergo vere filios tuos diligis, ſi eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis; operari magis debes, vt filios tuos Deo iuſta operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & infirmus eſt; ſed illum patrem pares, qui æternus & firmus filiorum ſpiritalium pater eſt. Illi aſſigna facultates tuas, quas hæredibus ſeruas: ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias ſæculares diuina maieſtate protector. Patrimonium Deo creditum nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſeruatur. Hoc eſt charis pignoribus in poſterum prouidere: hoc eſt futuris hæredibus paterna pietate conſulere ſecundum fidem ſcripturæ ſanctæ dicentis: Iunior fui, & ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, neque ſemen eius egens pane. Tota die miſeretur & fenerat: & ſemen eius in benedictione eſt. Et iterum: Qui conuerſatur ſine vituperatione in iuſtitia, beatos poſt ſe filios relinquet. Præuaricator itaque & proditor pater es, niſi filiis tuis fideliter conſulas, niſi conſeruandis eis religioſa & vera pietate proſpicias. Qui ſtudes terreno magis quàm cæleſti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Chriſto, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, & quòd doces filiis patrimonium plus amare quàm Chriſtum. Eſto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da vtilia & ſalutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandauit, dicens: Et nunc fili mando tibi, ſerui Deo in veritate, & fac coram illo, quod illi placet, & filiis tuis manda vt faciant iuſtitiam & eleemoſynas, & ſint memores Dei, & benedicant nomen eius omni tempore. Et iterum: Omnibus diebus vitæ tuæ, fili dilectiſſime, Deum in mente habe, & noli præterire præcepta eius. Iuſtitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis, quoniam agente te ex veritate, erit reſpectus operum tuorum. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: Ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei. Prout habueris fili, ſic fac: ſi tibi fuerit copioſa ſubſtantia, plus ex illa fac eleemoſynam: ſi exiguum habueris, ex hoc ipſo exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemoſynam: præmium enim bonum reponis tibi in diem neceſſitatis. Quia eleemoſyna à morte liberat, & c non patitur ire in gehennam. Munus bonum eſt eleemoſyna omnibus qui faciunt eam coram ſummo Deo. d Quale munus eſt fratres chariſſimi, cuius editio Deo ſpectante celebratur? Si in gentilium munere grande & glorioſum videtur, proconſules vel imperatores habere præſentes; & apparatus ac ſumptus apud munerarios maior eſt, vt poſſint placere maioribus: quanto illuſtrior muneris & maior eſt gloria, Deum & Chriſtum

a ET CAPSACES OLEI NON MINVETVR.] Ver. minuet. Rectè: nam eſt huius verbi ſignificatio etiam paſſiua, Gr. ἐλαττονοῦσθαι. RIG.

a *Capſaces olei.* Retinuit vocem Græcam καψάκης. Sic etiam D. Auguſt. ſerm. 206. & Proſper. Iagunculam tamen ibidem appellat D. Auguſtinus. Vas D. Ambroſius lib. de Viduis, Lecythum vulgat. interpres, Ioſephi interpretes fideliam. Vnde ſignificationem vocis Græcæ colligere oportet, apud Ethnicos enim auctores non reperitur. PAM.

b *Quibus poſſent peccata tergi.* Eraſmus quidem Remboldum ſecutus legit, *tergere*, iuxta ſecundam inflexionem, quale putat eſſe illud Terentij in Eunucho, *cui abſtergerem vulnera.* Sed prius illud MSS. legunt cum vet. excuſo & Morel. PAM.

c NON PATITVR IRE IN GEHENNAM.] Veronenſe exemplar: *non patitur ire in tenebras.* Sic Ambroſ. ad Virg. deuotam. RIG.

d *Quale munus eſt fratres.* Eleganter tranſit à ſignificatione muneris pro dono ad munus quod editur à munerariis. *De quo* ſuprà epiſt. 2. ex Tertull. aliquid diximus. PAM.

ſtum ſpectatores habere? Quanto iſtic & apparatus vberior, & ſumptus largior exibendus eſt; vbi ad ſpectaculum conueniunt cælorum virtutes, conueniunt Angeli omnes; vbi muneratio non quadriga vel conſulatus petitur, ſed vita æterna præſtatur: nec captatur inanis & temporarius fauor vulgi, ſed perpetuum præmium regni cæleſtis accipitur? Atque vt pigros & ſteriles, & cupiditate nummaria nihil circa fructum ſalutis operantes magis pudeat, vt plus conſcientiam ſordidam dedecoris ac turpitudinis ſuæ rubor, cædat; ponat vnuſquiſque ante oculos ſuos diabolum cum ſeruis ſuis, id eſt, cum populo perditionis ac mortis in medium proſilire, plebem Chriſti, præſente & iudicante ipſo, comparationis examine prouocare dicentem: Ego pro iſtis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & cruoris redemi; ſed nec regnum illis cæleſte promitto, nec ad paradiſum reſtituta immortalitate denuo reuoco; & munera mihi quàm grandia, quàm nimio & longo pretioſa, quàm labore quæſita ſumptuoſiſſimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis; ac niſi editio honeſta ſucceſſerit, conuiciis ac ſibilis eiiciuntur, & furore populari nonnumquam pœnè lapidantur? Tuos tales munerarios Chriſte demonſtra [a] præceptis tuis monitos, & pro terrenis cæleſtia recepturos, illos diuites, illos copioſis opibus affluentes; an in Eccleſia præſidente & ſpectante te eiuſmodi munus edant, oppignoratis vel diſtractis rebus ſuis, immo ad cæleſtes theſauros mutata in melius poſſeſſione tranſlatis? In iſtis muneribus meis caducis atque terrenis nemo paſcitur, nemo veſtitur, [b] nemo cibi alicuius aut potus ſolatio ſuſtinetur: cuncta inter furorem edentis & ſpectantis errorem, prodiga & ſtulta voluptatum fruſtrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu veſtiris & paſceris, tu æternam vitam operantibus polliceris; [c] & vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui à te diuinis mercedibus & præmiis cæleſtibus honorantur. Quid ad hæc reſpondemus fratres chariſſimi: [d] Sacrilega ſterilitate, & quadam tenebrarum nocte copertas diuitum mentes qua ratione defendimus? qua excuſatione purgamus? qui diaboli ſeruis minores ſumus, vt Chriſto pro pretio paſſionis & ſanguinis, vicem nec in modicis rependamus? Præcepta ille nobis dedit: quid facere ſeruos ſuos oporteret inſtruxit: operantibus præmium pollicitus, & ſupplicium ſterilibus comminatus ſententiam ſuam protulit, quid iudicaturus ſit, antè prædixit. Quæ poteſt excuſatio eſſe ceſſanti? quæ defenſio ſterili? niſi quod non faciente ſeruo quod præcipitur, Dominus faciet quod minatur, qui & dicit: Cum venerit filius hominis in gloria ſua, & omnes Angeli cum eo, [e] tunc ſedebit in throno claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & ſegregabit eos ab inuicem, quemadmodum paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram: tunc dicet rex iis, qui ad dexteram ſuam erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi: Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare; [f] ſitiui, & potaſtis me; hoſpes fui, & adduxiſtis me; nudus, & veſtiſtis me; infirmatus ſum, & viſitaſtis me; in carcere fui, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, & pauimus? ſitientem, & putauimus? quando te vidimus hoſpitem, & adduximus? nudum, & veſtiuimus? quando autem te vidimus infirmari, & in carcere, & venimus ad te? Tunc reſpondens rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni horum ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & illis, qui ad ſiniſtram eius erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum quem parauit pater meus diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non potaſtis me; hoſpes fui, & non adduxiſtis me; nudus, & non veſtiſtis me; infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, [g] & non miniſtrauimus tibi? Et reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni ex minimis his, neque mihi feciſtis. Et abibunt iſti in ambuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam. Quid potuit nobis maius Chriſtus edicere? quo modo magis potuit iuſtitiæ ac miſericordiæ noſtræ opera prouocare, quàm quod præſtari dixit ſibi, quicquid egenti præſtetur & pauperi: & ſe dixit offendi, niſi egenti præſtetur & pauperi; vt qui reſpectu fratris in Eccleſia non mouetur, vel Chriſti contemplatione moueatur: & qui non cogitat in labore atque in egeſtate conſeruum, vel Dominum cogitet in ipſo illo quem deſpicit conſtitutum. Et icircò fratres charíſ-

a PRÆCEPTIS TVIS MONITOS.] Sic ſuprà. *ſurda aures præcepta ſalutaria non audiunt quæ monemus.* Hodie dicit Eccleſia: Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati. RIG.

b NEMO CIBI ALICVIVS AVT POTVS.] Vetus exemplar: *Nemo cibi aut potus.* *Idem.*

c ET VIX TVI MEIS PEREVNTIBVS.] In Veron. & Corbeïenſi, *perdentibus.* & ſic Manutius & Morelius ediderant *Idem.*

d SACRILEGA STERILITATE.] Ver. *Sacrilegas ſterilitates.* Sic vocat parcas & tenaces manus, quæ de ſuo nihil largiuntur pauperibus. *Idem.*

e *Tunc ſedebit in throno gloriæ ſuæ.* M S. *claritatis ſuæ*; contingit autem frequentiſſimè hæc diuerſitas, quia tamen illud legitur infrà lib. teſtim. 2. cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. id malo; PAM.

f *Sitiui & potaſtis me.* Genuinam hanc eſſe lectionem Manutij, & M S. patet ex eo quod ſequitur, *& potauimus*, prius erat, *& dediſtis mihi potum.* Illam habet etiam infrà lib. teſtim. 2. cap. vlt. & 3. cap primo *Idem.*

g *Et non miniſtrauimus tibi.* M S. legunt hic & in fine lib. 2. teſtim. *& non viſitamus te*, ſed prius conſtanter legitur ab omnibus cap. 1. lib. 3. teſtim. & magis placet, quia græcè eſt *καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι.* PAM.

a chariſſimi, quibus metus in Deum pronus eſt, & ſpreto calcatóque iam mundo ad ſuperna & diuina animus erectus eſt; fide plena, mente deuota, operatione continua promerendo, Domino obſequium præbeamus: demus Chriſto veſtimenta terrena, indumenta cæleſtia recepturi. Demus cibum & potum ſæcularem, cum Abraham Iſaac & Iacob ad conuiuium cæleſte venturi: ne parum metamus, plurimum ſeminemus. Securitati ac ſaluti æternæ, dum tempus eſt, conſulamus, Paulo Apoſtolo admonente & dicente: Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus. Cogitemus, fratres dilectiſſimi, quid ſub Apoſtolis fecerit credentium populus, quando inter ipſa primordia maioribus virtutibus mens vigebat; quando credentium fides nouo adhuc fidei calore feruebat: domicilia tunc & prædia venundabant, [b] & diſpenſandam pauperibus quantitatem libenter ac largiter Apoſtolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque diſtracto fundos illuc transferentes, vbi fructus caperent poſſeſſionis æternæ: illic comparantes domos, vbi inciperent ſemper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus, qualis in dilectione conſenſus, ſicut legimus in Actis Apoſtolorum: Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente vna agebant: nec fuit inter illos diſcrimen vllum, nec quidquam ſuum iudicabant ex bonis quæ eis erant, ſed fuerunt illis omnia communia. Hoc eſt natiuitate ſpiritali verè Dei filios fieri, hoc eſt, lege cæleſti æquitatem Dei patris imitari. Quodcumque enim Dei eſt, in noſtra vſurpatione commune eſt, nec quiſquam à beneficiis eius & muneribus arcetur, quo minus omne humanum genus bonitate ac largitate diuina æqualiter perfruatur. Sic æqualiter dies illuminat, ſol radiat, imber rigat, ventus aſpirat, & dormientibus ſomnus vnus eſt, & ſtellarum ſplendor ac lunæ communis eſt. Quo æqualitatis exemplo, qui poſſeſſor in terris reditus ac fructus ſuos cum fraternitate partitur; dum largitionibus gratuitis communis ac iuſtus eſt, Dei patris imitator eſt. Quæ illa erit, fratres chariſſimi, operantium gloria, quam grandis & ſumma lætitia: cùm populum ſuum Dominus cœperit recenſere: & meritis atque operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare; offerre nos patri, cui nos ſua ſanctificatione reſtituit; æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos ſanguinis ſui viuificatione reparauit; reduces ad paradiſum denuò facere, regna cælorum fide & veritate ſuæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter ſenſibus noſtris; hæc intelligantur plena fide: hæc corde toto diligantur: hæc indeſinentium operum magnanimitate redimantur. Præclara & diuina res, fratres chariſſimi, ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati: res poſita in poteſtate facientis, res & grandis & facilis; ſine periculo perſecutionis, corona pacis: verum Dei munus & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adiutus [c] perfert gratiam ſpiritalem, promeretur Chriſtum iudicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum ſalutarium palmam libenter ac promptè certemus: omnes in agone iuſtitiæ Deo & Chriſto ſpectante curramus; & qui ſæculo & mundo maiores eſſe iam cœpimus, curſum noſtrum nulla ſæculi & mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, [d] dies nos vel redditionis, vel perſecutionis inuenerit: nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit; [e] in pace vincentibus [f] coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit.

DE

a CHARISSIMI.] In Ver. D D. quod eſt, dilectiſſimi. RIG.

b *Et diſpenſandam pauperibus quantitatem.* τὸ πόσον, id eſt, pretium quanti vendiderant (inquit Morelius) & legunt ſic etiam MS. cum ver. exc. pro eo quod erat *facultatem.* PAM.

c PERFERT GRATIAM SPIRITALEM.] Præfert. Vt libro de Zelo. Nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus. RIG.

d DIES NOS, VEL REDDITIONIS, VEL PERSECVTIONIS.] In Corbeienſi & Veronenſi, *reditionis.* vt opponat reditionem, quæ ſpontanea videtur, perſecutioni, quæ eſt violenta. Vel potius reditionem intelligit, in paradiſum, vnde expulſus peccator Adamus, & progenies Adami infecta peccato. Hoc peccatum abſoluit Chriſtus, atque inde boni Chriſtiani redeunt in paradiſum, quo Cainus fratricida non rediit, inquit Cyprianus lib. de Zelo & Liuore, ſub finem. *Idem.*

e IN PACE VINCENTIBVS.] De iis ſuprà dixit, *qui ſæculo & mundo maiores eſſe jam cœpimus.* Commodianus Inſtitutione 11. ſub tit. Martyrium volenti,

Tu quidem quod optas res eſt felicibus apta.
Vince prius malum bene faciens, rectè viuendo.
Rex ille tuus cùm viderit eſto ſecurus.
Ipſius eſt tempus, & vos in vtrumque gerentes:
Vt ſi bellum abeſt in pace martyres ibunt.
Multi quidem errant dicentes: ſanguine noſtro
Vicimus iniquum, qui manentes vincere nolunt.

Poſteà concludit:

Tu ergo qui quæris martyrium tollere verbo,
In pace te veſti bonis, & eſto ſecurus.

Hunc&e Auctorem Gennadius cenſuit inter Scriptores Eccleſiaſticos, & quamuis eius dictio ſit valdè incompta & ſordida, nihilominus ſententias dicit priſco illo Chriſtianorum æuo digniſſimas. Idem, titulo ſequente, habet etiam quod ad hunc Cypriani locum valdè faciat: Titulus inſcribitur: Bellum quotidianum:

Belligerare quæris ſtulte, quaſi bella quieſcant.
Ex protoplaſto die pugnatur in fine nobis.
Libido præcipitat, bellum eſt, pugna cum illo
Luxuria ſuadet, abutere: bellum vicisti. Idem.

f *Coronam candidam pro operibus dabit.* Similis locus fuit ad verbum ferè ſuprà epiſt. 6 ad mart. Non poſſunt autem reperiri apertiores loci apud veteres pro corona operum, quam ſit totus hic liber. Qua de re lectorem ad alios noſtri ſæculi auctores remittimus, ne prolixiores ſimus. PAM.

DE BONO PATIENTIÆ.

DE patientia locuturus, fratres dilectiſſimi, & vtilitates eius & commoda prædicaturus, vnde potiùs incipiam, quàm quod nunc quoque [a] ad audientiam, veſtram patientiam video eſſe neceſſariam; vt nec hoc ipſum quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſſitis. Tunc enim demum [b] ſermo & ratio ſalutaris efficaciter diſcitur, ſi patienter quod dicitur audiatur. Nec inuenio, fratres dilectiſſimi, inter cæteras cæleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda diuinitus præmia ſpei ac fidei noſtræ ſecta dirigitur, quid magis ſit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam; quàm vt qui præceptis Dominicis obſequio timoris ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obſeruatione tueamur. [c] Hanc ſe ſectari [d] philoſophi quoque profitentur, ſed tam illic patientia falſa eſt, quàm & falſa ſapientia eſt. Vnde enim vel ſapiens eſſe vel patiens poſſit, qui nec ſapientiam, nec patientiam Dei nouit? quando ipſe de iis qui ſibi ſapere in mundo videntur, moneat & dicat: Perdam ſapientiam ſapientium, prudentiam prudentium reprobabo. Item beatus Apoſtolus Paulus plenus Spiritu ſancto, & vocandis formandiſque gentibus miſſus, conteſtetur & inſtruat, dicens: Videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Et alio loco: Nemo ſe, inquit, decipiat: Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat, vt fiat ſapiens. Sapientia enim mundi huius, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Reprehendam ſapientes in aſtutia ipſorum. & iterùm: Cognouit Dominus cogitationes ſapientium, quia ſunt ſtultæ. Quare ſi ſapientia illic vera non eſt, eſſe non poteſt & vera patientia. Nam ſi ſapiens ille eſt, qui eſt humilis & mitis; philoſophos autem nec humiles videmus eſſe nec mites, ſed ſibi multum placentes, & hoc ipſo quod ſibi placeant Deo diſplicentes: apparet illic veram non eſſe patientiam, vbi ſit inſolens affectatæ libertatis audacia, & [e] exerti ac ſeminudi pectoris inuerecunda iactantia. Nos autem, fratres dilectiſſimi, qui philoſophi non verbis ſed factis ſumus; nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus; qui virtutum conſcientiam magis quàm iactantiam nouimus; [f] qui non loquimur magna, ſed viuimus; [g] quaſi ſerui & cultores Dei, patientiam quam magiſteriis cæleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritalibus præbeamus. Eſt enim nobis cum Deo virtus iſta communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput ſumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo chara eſt. [h] Bonum quod amat, majeſtas Diuina commendat. Si Dominus nobis & pater Deus eſt, ſectemur patientiam Domini pariter & patris: quia & ſeruos oportet eſſe obſequentes, & filios non decet eſſe degentes. Qualis verò in Deo & quanta patientia quod in contumeliam ſuæ majeſtatis & honoris inſtituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & [i] ſacra ſacrilega patientiſſimè ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oboriri; & cùm imbribus terras rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quo minus iuſtis ſimiliter & iniuſtis indiſcretas pluuias largiatur. Videmus inſeparabili æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu [k] tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere. Et cùm crebris immò continuis exacerbetur offenſis Deus, indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem patienter expectat. Cumque habeat in poteſtate vindictam, mauult diu tenere patientiam; ſuſtinens ſcilicet clementer & differens, vt ſi fieri poteſt, multùm malitia protracta aliquando mutetur; & homo in errorum & ſcelerum contagione volutatus, vel ſerò ad Dominum conuertatur, ipſo monente & dicente:

a *Ad audientiam.* Similes phraſes ſunt apud Ciceronem de ſenectute. Audientiam ſibi facit ſenis oratio, & Liuium 5. dec. lib. 3. Audientiam facere præconem juſſit. PAM.

b *Sermo & ratio ſalutaris efficaciter diſcitur.* M S. Affligin. Marchin. Blandin. & Dun. *ratio ſpiritualiter & efficaciter.* Rationem verò pro propoſito accipit. *Idem.*

c *Hanc ſe ſectari philoſophi.* Ex iis eſt hic locus qui à Tertulliano deſumpti ſunt ſeque inuicem explicant; eadem enim cap. 1. de pat. de philoſophis refert. Apud Suidam patientia dicitur etiam τὸ τῆς σοφίας παράγγελμα *philoſophia præceptum.* PRI.

d PHILOSOPHI QVOQVE.] Ver. Phil. quique. RIG.

e EXERTI PECTORIS INVERECVNDA IACTANTIA.] Quintilianus, vbi de pronunciatione. *Idem.*

f NON LOQVIMVR MAGNA, SED VIVIMVS.] Hypocritæ contrà, Curios ſimulant, & Bachanalia viuunt. *Idem.*

f *Non loquimur magna, ſed viuimus:* Helleniſmus ille vſitatus Tertulliano lib. de patientia cap. 1. *etiam qui caca viuunt.* vt Bacchanalia viuunt apud Iuuenalem. PRI.

g QVASI SERVI.] Ver. quà ſerui. RIG.

h *Bonum quod amat, &c.* Vox iſta, bonum, familiaris eſt antiquis, bonum patientiæ, bonum pudicitiæ dicunt, & Hieronymus in regulis Monachorum, *de bonis patientia loquendum* quo modo Gregorius Nyſſenus ſerm. 1. ὀν orat. ἀγαθὸν. *orationis bonum*, vocat. PRI.

i *Sacra ſacrilega patientiſſimè ſuſtinens.* Tertullianus cap. de pat. *ſuſtinet ingratiſſimas nationes.* S. Dionyſius epiſt. ad Demophilum χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους. *erga ingratos bonus eſt. Idem.*

k *Tempora obſequi, elementa famulari.* Liber hic vt alij quidam cum eiuſdem nominis aliis Tertulliani legendus & explicandus inde videtur nam cap. 2. de pat. *temporum officia, elementorum ſeruitia*, in hoc ſenſu dicit. Non aliter B. Chryſoſtomus hom. 8. ad popul. λειτουργίαν vocat ſeruitium quod homini à rebus omnibus creatis exhibetur. & Homil. 7. κόσμον οὕτω καλὸν, καὶ μέγαν, καὶ θαυμαστὸν διὰ σε τὸν βραχὺν εἰς μέσον παρήγαγεν. *Mundum ita pulchrum & magnum atque admirabilem propter te hominem, puſillum in medium produxit. Idem.*

cente : Nolo mortem morientis , quantum vt reuertatur & viuat : & iterum propheta : Reuertimini ad Dominum Deum veſtrum , quoniam miſericors & pius eſt , & patiens ; & multæ miſerationis , & qui ſententiam flectat [a] aduerſus malitias arrogatas. Quod item beatus Apoſtolus Paulus commemorans , & peccatorem ad pœnitentiam reuocans , proponit & dicit : An numquid opulentiam bonitatis eius , [b] & ſuſtinentiæ & longanimitatis contemnis , ignorans quoniam patientia & bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Tu autem ſecundùm duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram [c] in die iræ , & reuelationis iuſti iudicij Dei , qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Iuſtum iudicium Dei dixit eſſe , quia ſerum eſt , quia diu multumque differtur ; vt homini ad vitam longa Dei patientia conſulatur. Tunc repræſentatur pœna impio & peccatori, quando iam non poteſt [d] pœnitentia prodeſſe peccanti. Atque vt plenius intelligere poſſimus, fratres dilectiſſimi, quia patientia, Dei res eſt; & quiſquis lenis, & patiens, & mitis eſt, Dei patris imitator eſt; cum in Euangelio ſuo Dominus præcepta in ſalutem daret, & diuina monita depromens ad perfectum diſcipulos erudiret, poſuit & dixit: Audiſtis quia dictum eſt : Diliges [e] proximum tuum , & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos veſtros , & orate pro eis qui vos perſequuntur, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt : qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos , & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? [f] nonne ſic & publicani faciunt ? Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum , quid amplius facitis ? nonne & ethnici idipſum faciunt ? [g] Eſtote itaque vos perfecti ; ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Sic perfectos dixit fieri Dei filios, ſic conſummari oſtendit & docuit cæleſti natiuitate reparatos ; ſi patientia Dei patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo diuina , quam peccato Adam perdiderat, manifeſtetur & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri , qualis & quanta felicitas , habere in virtutibus, quod diuinis laudibus poſſit æquari ? Nec hoc fratres dilectiſſimi, Ieſus Chriſtus Deus & Dominus noſter tantum verbis docuit , ſed impleuit & factis. Et quia ad hoc deſcendiſſe ſe dixerat, vt voluntatem patris faceret ; [h] inter cætera admirabilia virtutum ſuarum, quibus indicia diuinæ maieſtatis expreſſit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſeruauit : omnes denique actus eius ab ipſo ſtatim aduentu patientia comite ſignantur ; quod primum de illa ſublimitate cæleſti ad terrena deſcendens , [i] non aſpernatur Dei filius carnem hominis induere ; & , cùm peccator ipſe non eſſet , aliena peccata portare. Immortalitate interim poſita , fieri ſe & mortalem patitur , vt innocens pro nocentium ſalute perimatur. Dominus baptizatur à ſeruo , & remiſſam peccatorum daturus , ipſe non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta ieiunat, per quem cæteri ſaginantur eſurit , & famem ſentit , vt qui in fame ſermonis & gratiæ fuerant ; cæleſti pane ſaturentur. Cum diabolo tentante congreditur , & inimicum tantum viciſſe contentus, nihil vltra verba conatur. Diſcipulis non vt ſeruis Dominica poteſtate præfuit , ſed benignus & mitis fraterna eos charitate dilexit. Dignatus eſt etiam pedes Apoſtolorum lauare ; vt dum circa ſeruos talis eſt Dominus, exemplo ſuo doceret, qualis circa compares & æquales debeat eſſe conſeruus. Nec mirandum , quod circa obedientes talis extiterit , qui Iudam potuit vſque ad extremum longa patientia ſuſtinere , [k] cibum cum inimico ſumere , hoſtem domeſticum ſcire nec palam oſtendere , traditoris oſculum non recuſare. In Iudæis verò tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia ? incredulos ad fidem ſuadendo flectere ; obſequio ingratos fouere , contradicentibus reſpondere leniter , ſuperbos ſuſtinere clementer, humiliter perſequentibus cedere ; prophetarum interfectores & aduerſum Deum ſemper rebelles , vſque ad crucis & paſſionis horam , velle colligere. Sub ipſa autem paſſione & cruce , priuſquam ad crudelitatem necis & effuſionem ſanguinis veniretur , quæ conuiciorum probra patienter audita , quæ [l] contumeliarum tolerata ludibria ; vt [m] inſultantium

[n] ſputa-

a ADVERSVS MALITIAS ARROGATAS.] Veron. *irrogatas* , & ſic in edit. Romana. malitiam hic non contrariam virtuti debemus accipere , ſed afflictionem quam ſcilicet ſibi quiſque irrogauit & indixit , vel impoſuit, vt flectat iram Domini , qui eſt miſericors , & ſuper afflictiones noſtras, præſtò eſt nobis & miſeretur , *μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις* Ioelis II. quod ſic vertit Hieronymus , præſtabilis ſuper malitia , qui præſtat ſe præſtolatur , & adeſt vt opem ferat. Offenſus peccatis noſtris Dominus auertit faciem ſuam à nobis & abſcedit : Idem verò pœnitentia noſtra, cum ipſi nos caſtigamus & affligimus , cùm irrogamus nobis malá , ſiue malitias , hoc eſt , pœnas pro peccatis noſtris, tunc multæ miſericordiæ Dominus conuertitur & præſtat ſe nobis placatum. RIG.

b ET SVSTINENTIÆ ET LONGANIMITATIS.] In Ver. & Ben. ſuſtinentiam & patientiam eius. Sic etiam citatur , libro ad Quirinum III. cap. 35. *Idem.*

c IN DIE IRÆ.] Ver. *in diem iræ. Idem.*

d POENITENTIA PRODESSE PECCANTI.] Veron. *peccati. Idem.*

e PROXIMVM TVVM, ET ODIO HAB.] Ben & Ver. *Diliges proximum tibi ; & odies inimicum tibi. Idem.*

f NONNE SIC ET PVB.] Ver. *Nonne & ſic publicani f. Idem.*

g ESTOTE ITAQVE VOS PERF. SICVT PATER.] Ben. & Ver. *Eritis itaque vos perf. quomodo & pater.*

h INTER CETERA ADMIRABILIA.] Ver. *magnalia Idem.*

i *Non aſpernatur Dei filius carnem hominis induere* Cap. 3 de pat. Tertullianus hæc de patientia Chriſti admirabilia recenſet multis Adde Hieronymum ad Euſtochium. & lib. ad Heluid. Auguſtinum , ſiue potius Voluſianum ad Auguſt. Petrum Chryſologum ſerm 6. *in incunabulis noſtris capax , dulcis in gremio , mitis in habitu , in noſtro contubernio blandus.* & ſerm. 48. *ſe claudit vtero , metitur cunis , vberibus occupat , arctat gremio , dat in vlnas.* PRI.

k CIBVM CVM INIMICO SVMERE.] Ben. & Ver. *capere.* RIG.

l *Contumeliarum tolerata ludibria.* Alio loco *paternam patientiam tolerantiæ tenore ſeruauiſſe* ; dicit. Tolerantia vero illá eſt pura putá [illegible] quàm quadtaginta martyribus tribuit S. Baſilius. Patientiam etiam definit S. Hieronymus de reg. Monach. *eſt patientia omnium iniuriarum & paſſionum tolerantia* PRI.

m *Inſultantium ſputamina patienter exciperet , &c.* Quæ

[a] ſputamina patienter exciperet, qui ſputo ſuo [b] cæci oculos paulò antè formaſſet : & in cuius nomine à ſeruis nunc eius diabolus cum angelis ſuis flagellatur, flagella ipſe pateretur : coronaretur ſpinis, qui martyres floribus coronat æternis : palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit : ſpoliaretur veſte terrena, qui indumento immortalitatis cæteros veſtit : cibaretur felle, qui cibum cæleſtem dedit : aceto potaretur, qui [c] ſalutare poculum propinauit. Ille innocens, ille iuſtus, immo innocentia ipſa, & ipſa iuſtitia, inter facinoroſos deputatur ; & teſtimoniis falſis veritas premitur, iudicatur iudicaturus, & Dei ſermo ad victimam tacens ducitur. Et cùm ad crucem Domini confundantur ſidera, elementa turbentur, contremiſcat terra, nox diem claudat ; ſol, ne Iudæorum facinus aſpicere cogatur, & radios, & oculos ſuos ſubtrahat : ille non loquitur, nec mouetur, nec maieſtatem ſuam ſub ipſa ſaltem paſſione profitetur : vſque ad finem perſeueranter ac iugiter tolerantur omnia, vt conſummetur in Chriſto plena & perfecta patientia. Et poſt iſta omnia, adhuc interfectores ſuos, ſi conuerſi ad eum venerint, ſuſcipit ; & patientia ſalutari ad conſeruandum [d] benignus & patiens, Eccleſiam ſuam nemini cludit : illos aduerſarios, illos blaſphemos, illos nominis ſui ſemper inimicos, ſi pœnitentiam delicti agant, ſi admiſſum facinus agnoſcant, non ſolum ad indulgentiam criminis, ſed & ad præmium regni cæleſtis admittit. Quid poteſt patientius, quid benignius dici ? viuificatur Chriſti ſanguine, etiam qui fudit ſanguinem Chriſti. Talis eſt Chriſti ac tanta patientia ; quæ niſi talis ac tanta exiſteret, Paulum quoque Apoſtolum Eccleſia Dei non haberet. Quod ſi & nos, fratres dilectiſſimi, in Chriſto ſumus, ſi ipſum induimus, ſi ipſe eſt ſalutis noſtræ via ; qui Chriſtum veſtigiis ſalutaribus ſequimur, per Chriſti exempla gradiamur ; ſicut Ioannes Apoſtolus inſtruit dicens : Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare. Item Petrus, ſuper quem Eccleſia Domini dignatione fundata eſt, in epiſtola ſua ponit & dicit : Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius ; qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius ; qui cùm male diceretur, [e] non maledicebat : cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem ſe iudicanti ſe iniuſtè. Inuenimus denique & Patriarchas, & Prophetas, & iuſtos omnes, qui figuram Chriſti imagine præeunte portabant, nihil magis cuſtodiſſe in laude virtutum ſuarum ; quàm quod patientiam forti & ſtabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel, originem martyrij & [f] paſſionem iuſti hominis initians primus & dedicans, [g] aduerſus fratrem parricidam non reſiſtit, nec reluctatur ; ſed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abraham Deo credens, & radicem ac fundamentum fidei primus inſtituens, tentatus in filio, non dubitat neque cunctatur, ſed præceptis Dei tota patientia deuotionis obſequitur. Et Iſaac ad hoſtiæ Dominicæ ſimilitudinem præfiguratus ; quando à patre immolandus offertur, patiens inuenitur. Et Iacob fugatus à fratre, de terra ſua patienter excedit ; & maiore patientia poſtmodum ſuplex, adhuc magis impium & perſecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. [h] Ioſeph venundatus à fratribus & relegatus, non tantum patienter ignoſcit ; ſed & gratuita frumenta venientibus largiter & clementer impertit. Moyſes ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & pœnè lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eiſdem Dominum deprecatur. In Dauid verò ex quo ſecundum carnem Chriſti natiuitas oritur, quam magna & mira & Chriſtiana patientia, habuiſſe in manu ſæpè vt Saul Regem perſequentem ſe, & interficere concupiſcentem poſſet occidere ; & tamen ſubditum ſibi, & traditum maluiſſe ſeruare, nec rependiſſe inimico vicem, ſed occiſum adhuc inſuper & vindicaſſe ? Tot denique prophetæ interfecti ; tot martyres glorioſis mortibus honorati, qui omnes ad cæleſtes coronas patientiæ laude venerunt. Neque enim poteſt accipi dolorum & paſſionum corona, niſi præcedat in dolore & paſſione patientia. Quàm ſit autem patientia vtilis & neceſſaria, fratres dilectiſſimi, vt manifeſtius poſſit & plenius noſci ; Dei ſententia cogitetur, quam in origine ſtatim mundi & generis humani Adam præcepti immemor, &

datæ

hic à Magiſtro habet Cyprianus ab omnibus ferè tractantur, ſed notanda ſunt verba Concilij Chalcedonenſis act. 4. *ὁ δεσπότης ἡμῶν ὁ ἐμπτυσθεὶς, καὶ λογχευθεὶς, καὶ ῥαπισθεὶς. Spuitur Dominus noſter, lancea percutitur, & alapa violatur.* Sanctus Baſilius Homilia 22. de humilitate, vbi de Chriſto Domino. *ἐμπτυόμενος ὑπὸ δούλων καὶ παιδαρίων ἀπλειστάτων. A ſeruis & viliſſimis pueris conſpuitur.* Et expreſſius S. Gregorius Nazianz. orat. 16. de amore pauperum, *οὐδὲ τὸ πρόσωπον αἰσχύνῃ ὑποθεὶς ἐμπτυσμάτων. Neque faciem ſputaminum probris ſubduxit.* PRI.

a SPVTAMINA PATIENTER EXCIPERET.] In Ver. *ſput. exciperet.* RIG.

b *Cæci oculos paulò antè formaſſet.* Eorum ſententiam confirmat hic Cyprianus, qui nouos oculos cæco nato formatos fuiſſe à Chriſto volunt. ſunt autem hic pulcherrimæ antitheſes. PAM.

c SALVTARE POCVLVM PROPINAVIT.] Ben. & Ver. *ſalutari poculo propinauit* RIG.

d BENIGNVS ET PATIENS.] In Veron tantùm legitur *benignus*. Rectè. Etenim præceſſit, *& patientia ſalutari ad conſeruandum benignus eccleſiam ſuam nemini cludit.* Idem.

e NON MALEDICEBAT.] Ver. *non remaledixit: cùm pateretur, non minabatur.* Idem.

f PASSIONEM IVSTI HOMINIS INITIANS.] In Ver. & Beneu *paſſionem iuſti initians.* Idem.

g *Aduerſus fratrem parricidam.* Excuſ. vulgo *fratricidam.* Afflig. & Bland. cod. *omicidam*, Tertullianus vtrumque. Verum primam illam Manurij & Grauij lectionem confirmant M S S. Cambron. Dun. & March. & quod lib. de Zelo & liuore ſic loquatur Cyprianus : Hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel iuſtum Cain zelat iniuſtus. Et certè lege Pompeia de parricidiis cauetur, vt parricidij teneatur, non ſolum qui patrem & matrem interfecerit, ſed & qui fratrem, ſororem, patruelem, matruelem, filium, filiam, nepotem, nurum, alioſve propinquos occiderit. PAM.

h *Ioſeph venundatus à fratribus & relegatus.* M S. 4. *exilio relegatus*, ſed non eſt opus, quum relegare ſit in exilium mittere, nec ſatis Latinè illud dicatur. *Idem.*

datæ legis tranſgreſſor accepit: tunc ſciemus quàm patientes eſſe in iſto ſæculo debeamus; qui ſic naſcimur, vt preſſuris iſtic & conflictationibus laboremus. Quia audiſti, inquit, vocem mulieris tuæ, & manducaſti ex illa arbore, de qua ſola præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos eiiciet tibi, & edes pabulum agri. In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia terra es, & in terram ibis. Huius ſententiæ vinculo colligati omnes & conſtricti ſumus, donec [a] expuncta morte de iſto ſæculo recedamus. In triſtitia & gemitu ſimus neceſſe eſt omnibus diebus vitæ noſtræ. Edamus panem neceſſe eſt cum ſudore, & labore. Vnde vnuſquiſque noſtrûm cùm naſcitur, & hoſpitio mundi excipitur, [b] initium ſumit à lachrymis: & quamuis adhuc omnium neſcius & ignarus, nihil aliud nouit in illa ipſa prima natiuitate, quam flere: prouidentia naturali lamentatur [c] vitæ mortalis anxietates, & [d] labores, & procellas mundi quas ingreditur, in exordio ſtatim ſuo, ploratu & gemitu rudis anima teſtatur. Sudatur enim quamdiu iſtic viuitur, & laboratur. Nec ſudantibus & laborantibus poſſunt alia magis quàm patientiæ ſubuenire ſolatia: quæ cùm apta ſint & neceſſaria in iſto mundo vniuerſis; tum magis nobis qui diabolo impugnante plus quatimur, qui in acie quotidie ſtantes inueterati & exercitati hoſtis colluctationibus fatigamur; quibus præter varias & aſſiduas tentationum pugnas, in perſecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda ſunt, ſubeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, beſtiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorùm ac pœnarum genera, fide & virtute patientiæ perferenda, Domino ipſo inſtruente & dicente: Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis: in mundo autem preſſuram habebitis, ſed fidite, quoniam ego vici mundum. Si autem qui diabolo & mundo renuntiauimus, preſſuras, & infeſtationes diaboli & mundi crebriùs ac violentiùs patimur; quantò magis patientiam tenere debemus, qua adiutrice & comite omnia infeſta toleremus? Domini & magiſtri ſalutare præceptum eſt. Qui tolerauerit, inquit, vſque ad finem, hic ſaluus erit: & iterum: Si permanſeritis, inquit, in verbo meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Tolerandum & perſeuerandum eſt, fratres dilectiſſimi, vt ad ſpem veritatis & libertatis admiſſi, ad veritatem & libertatem ipſam peruenire poſſimus; quia hoc ipſum quod Chriſtiani ſumus, fidei & ſpei res eſt; vt autem ſpes & fides ad fructum ſui poſſint peruenire, patientia opus eſt. Non enim præſentem gloriam ſequimur, ſed futuram; [e] quod Paulus Apoſtolus monet dicens: Spe ſaluati ſumus, ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes: quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, [f] per patientiam expectamus: propterea expectatio & patientia neceſſaria eſt, vt id quod eſſe cœpimus, impleamus: & quod credimus, & ſperamus, [g] Deo præſtante capiamus. Denique alio in loco idem Apoſtolus, iuſtos & operantes, & diuini fenoris incremento cæleſtes [h] theſauros ſibi recondentes, vt patientes quoque ſint, inſtruit & docet dicens: Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maximè verò ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus. Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat; ne quis tentationibus aut auocatus, aut victus, in medio laudis & gloriæ itinere deſiſtat, & pereant præterita; dum quæ cœperant, deſinunt eſſe perfecta. Sicut ſcriptum eſt: Iuſtitia iuſti non liberabit eum [i] in quacumque die exerrauerit. Et iterum: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quæ vox adhortatur patienter & fortiter perſeuerare; vt [k] qui ad coronam laude iam proxima nititur, durante patientia coronetur. Patientia autem, fratres dilectiſſimi, non tantum bona cuſtodit; ſed & repellit aduerſa. Spiritui ſancto fauens, & cæleſtibus ac diuinis cohærens; contra facta carnis & corporis, quibus anima expugnatur & capitur, virtutum ſuarum propugnaculo reluctatur. Inſpiciamus denique pauca de multis, vt de paucis intelligantur & cætera. [l] Adulterium, fraus,

a EXPVNCTA MORTE] Sic lib. de Mortalitate, *quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.* RIG.

b INITIVM SVMIT A LACRYMIS.] Hoc naturæ exprobrat Plinius initio libri VII. *Hominem tantùm nudum & in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio.* Et poſt alia: *Hominem ſcire nihil, ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci: breuitérque, non aliud naturæ ſponte quàm flere.* Idem.

c VITÆ MORTALIS.] Ver. *temporalis.* Idem.

d *Labores & procellas mundi, &c.* Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 14. ex conſideratione tot impendentium malorum & futuræ calamitatis, homines aſſerit, non tam in mundum editos, quàm eiectos veluti è naufragio. PRI.

e QVOD PAVLVS APOSTOLVS.] Ver. & Ben. *ſecundum quod & Paulus,* RIG.

f PER PATIENTIAM EXPECTAMVS.] Ver. *per expectationem ſperamus.* Sic & lib III. ad Quirinum. *Idem.*

g DEO PRÆSTANTE.] Ver. & Ben. *Deo repræſentante.* *Idem.*

h THESAVROS SIBI RECONDENTES.] In Ver. *reponentes.* *Idem.*

i IN QVAC. D. EXERRAVERIT.] In Ver. *peccauerit* *Idem.*

k *Qui ad coronam laude iam proxima nititur.* Sic Cambron. cod. & Marius MS. alij 4. *qui ad coronam* & laudem *quàm proximè nititur.* Morell *& laudem quam proximè;* Vulgati denique excuſis *& laudem iam proximam.* Prima placet maximè PAM.

l *Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen eſt.* Mortale pro eo quod mortem infert, apud veteres aut raro aut non reperitur, præterquam hoc loco apud Cyprianum, & ſuprà, ſub finem epiſt. ad Aſſuritanos. apud Tertull. lib. de pudicitia, & apud auctorem comment. in Apocalyp. D. Auguſt. adſcripti initio 3. cap. vbi etiam mortalis delicti ſeu criminis meminerunt. Alij veteres aut crimina dumtaxat appellant, aut peccata grauia, principalia, ſeu capitalia. *Idem.*

fraus, homicidium, mortale crimen eſt. Sit fortis & ſtabilis in corde patientia: & nec adulterio ſanctificatum corpus & Dei templum polluitur; nec iuſtitiæ dicata innocentia, [a] contagione fraudis inficitur; [b] nec poſt geſtatam euchariſtiam, manus gladio & cruore maculatur. Charitas fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & ſpe & fide maior eſt; quæ & opera & martyria præcedit; quæ nobiſcum ſemper æterna [c] apud Deum in regnis cæleſtibus permanebit. [d] Tolle illi patientiam, & deſolata non durat. Tolle ſuſtinendi tolerandique ſubſtantiam, & nullis radicibus ac viribus perſeuerat. Apoſtolus denique cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi & patientiam iunxit. Charitas, inquit, magnanima eſt, charitas benigna eſt, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Oſtendit inde illam perſeuerare tenaciter poſſe, quod norit omnia ſuſtinere. Et alio in loco. Suſtinentes, inquit, inuicem in dilectione, ſatis agentes, ſeruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis: probauit nec vnitatem ſeruari poſſe nec pacem, niſi ſe inuicem fratres mutua tolerantia foueant, & concordiæ vinculum patientia intercedente cuſtodiant. Quid deinde, vt non iures, neque maledicas; vt tua ablata non repetas; vt accepta alapa & alteram maxillam verberanti præbeas; vt fratri in te peccanti non tantùm ſeptuagies ſepties, ſed & omnia omninò peccata dimittas; vt diligas inimicos tuos, vt pro aduerſariis & perſecutoribus precem facias: Poteris-ne iſta perficere, niſi patientiæ & tolerantiæ firmitate? quod factum videmus in Stephano, qui cùm à Iudæis vi & lapidibus necaretur, non ſibi vindictam, ſed interfectoribus veniam poſtulabat dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Sic eſſe oportuit primum martyrem Chriſti, qui martyras ſecuturos glorioſa morte præcurrens non tantum Dominicæ paſſionis prædicator eſſet, ſed & patientiſſimæ lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de diſcordia, de ſimultate, quæ in Chriſtiano eſſe non debent? ſit patientia in pectore, & hæc illic locum habere non poſſunt: aut ſi adite tentauerint, citò excluſa diſcedunt, vt domicilium pacificum perſeueret in corde, vbi Deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apoſtolus & docet dicens: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia auferatur à vobis. Si enim Chriſtianus à furore & contentione carnali, tamquam de maris turbinibus exceſſit, & tranquillus ac lenis in portu Chriſti eſſe iam cœpit; nec iram, nec diſcordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat, nec odiſſe. Nec non ad varia quoque carnis incommoda, & crebros corporis duróſque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur & quatitur, patientia neceſſaria eſt. Nam cùm in illa prima tranſgreſſione præcepti, firmitas corporis cum immortalitate diſceſſerit; & cum morte infirmitas venerit, nec poſſit firmitas recipi, niſi cùm recepta & immortalitas fuerit: oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea luctari ſemper & congredi, quæ luctatio & congreſſio non niſi patientiæ viribus poteſt ſuſtineri. Examinandis autem nobis atque explorandis diuerſi importantur dolores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amiſſione carorum. Nec aliud magis inter iniuſtos diſcernit & iuſtos; quàm quod in aduerſis per impatientiam queritur & blaſphemat injuſtus, patientia iuſtus probatur, ſicut ſcriptum eſt: In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum. Sic Iob examinatus eſt & probatus, & ad ſummum faſtigium laudis patientiæ virtute prouectus. Quanta aduerſus eum diaboli iacula emiſſa? quanta admota tormenta? iactura rei familiaris infligitur; numeroſæ ſobolis orbitas irrogatur: diues in cenſu dominus, & in liberis pater ditior; nec dominus repentè, nec pater eſt: [e] accedit vulnerum vaſtitas, & tabeſcentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna conſumit. Ac ne quid omninò remaneret, quod non Iob in ſuis tentationibus experiretur, armat diabolus & vxorem; illo antiquo nequitiæ ſuæ vſus ingenio, quaſi omnes per mulierem decipere poſſet & fallere, quod fecit in mundi origine: tamen Iob grauibus ac denſis conflictationibus frangitur; quo minùs inter illas anguſtias & preſſuras ſuas Dei benedictio victrice patientia prædicetur. Tobias quoque poſt iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ opera magnifica, luminum amiſſione tentatus; In quantum patienter cæcitatem pertulit, in tantum granditer Deum patientiæ laude prometuit. Atque vt magis,

fratres

a CONTAGIONE.] Ver. *contagio fraudis infic.* RIG.

b *Nec poſt geſtatam euchariſtiam.* Manu geſtari ſolitam Euchariſtiam, hoc eſt in manus datam à diacono ſiue presbytero nemo ferè eſt qui dubitet, canon. 26. concilij Trullani *τὸ σῶμα τῇ χειρὶ καταπιστευθεὶς ἱερεύς.* Sed concilium Tolet. 1. can. 14. dubium omne ſoluit: *Si quis autem*, inquit, *acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur.* Quo in canone accipere, & ſumere optimè diſtinguuntur, accipiebatur nimirum à ſacerdote ſiue diaconò, qui eam *διδόναι* vt Iuſtinus Martyr apolog. 2. loquitur, ſeu *μεταδίδοσθαι* vt concilium Trull can. 28. vulgò dicebatur. Nec aliter accipio illud Cypriani epiſt. ad Thibaritanos, vbi ad Martyrium illos accendit, *armemus*, inquit, *dexteram gladio ſpirituali: vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor quæ Domini corpus accepit.* Addo etiam ex eodem Cypriano hæc ex lib. de Lapſis, loquente de Laico. *Quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.* PRI.

c APVD DEVM IN REGNIS COELESTIB.] In Ver. tantùm legitur, *in regnis cæleſt.* RIG.

d *Tolle illi patientiam, &c.* Charitatis comitem ac velut ſubſidium ponit patientiam. Gregor. Nyſſ. affinitatem illam virtutum & coniunctionem in Encomio. S Baſilij fratris vocat *βλάστημα ſurculum*, & charitatem *ῥίζαν* ſiue radicem. PRI.

e *Accedit vulnerum vaſtitas. &c.* cap. 14. de pat. hæc fusè à Magiſtro tractantur, ad vulnerum vaſtitatem adhuc aperiendam aduoco Chriſoſtomum qui hom. 9. ad pop. de Martyribus loquens *παλαιστὰς νενευρωμένους* vocat. PRI.

fratres dilectiſſimi, patientiæ bonum luceat; [a] quid mali è contrario impatientia importet, conſideremus. Nam vt patientia bonum Chriſti eſt, ſic contrà impatientia diaboli malum: & ſicut, in quo habitat, & manet Chriſtus, patiens inuenitur, ita impatiens ſemper exiſtit, cuius mentem diaboli nequitia poſſidet. Exordia denique ipſa videamus. Diabolus hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit; inde & periit primus, & perdidit. Adam contra cæleſte præceptum cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit; nec acceptam diuinitus gratiam patientia cuſtode ſeruauit: & vt fratrem Cain perimeret, ſacrificij eius & muneris impatiens fuit: & quod Eſau de maioribus ad minora deſcendit, primatus ſuos per impatientiam lentis amiſit. Quid? Iudaïcus populus circa beneficia diuina perfidus & ingratus, nonne quod à Deo primum receſſit, impatientiæ crimen fuit? dum Moyſi cum Deo conloquentis moras non poteſt ferre, profanos deos auſus poſtulare; vt itineris ſui duces nuncuparet, caput bubulum, & terreſtre figmentum: nec vnquam ab eadem impatientia deſtitit, quo minùs ſemper docilitatis & diuinæ admonitionis impatiens, prophetas ſuos & iuſtos quoſque perimendo, ad crucem quoque & ſanguinem Domini proſiliret. Impatientia etiam & in Eccleſia hæreticos facit, & ad Iudæorum ſimilitudinem contra Chriſti pacem & charitatem rebelles, ad hoſtilia & furioſa odia compellit. Et ne longum ſit ſingula recenſere, omnia omninò, quæ patientia operibus ſuis ædificat ad gloriam, impatientia deſtruit ad ruinam. Quare, fratres dilectiſſimi, & bonis patientiæ, & impatientiæ malis diligenter expenſis, patientiam per quam in Chriſto manemus, vt venire cum Chriſto ad Deum poſſimus, plena obſeruatione teneamus; quæ copioſa & multiplex non anguſto fine concluditur, nec breuibus terminis coërcetur. Latè patet patientiæ virtus, & vbertas eius & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiſcitur, ſed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus noſtris poteſt ad conſummandam laudem, niſi inde conſummationis accipiat firmitatem. Patientia eſt, quæ nos Deo & commendat & ſeruat: ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet: tuetur in virginibus beatam integritatem, [b] in viduis laborioſam caſtitatem, in conjunctis & maritatis indiuiduam charitatem: facit humiles in proſperis, in aduerſis fortes, contra iniurias & contumelias mites: docet delinquentibus citò ignoſcere; ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Ipſa eſt quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit: ipſa eſt quæ incrementa ſpei ſublimiter prouehit: ipſa actum dirigit, vt tenere poſſimus viam Chriſti, dum per eius tolerantiam gradimur: ipſa efficit vt perſeueremus filii Dei, dum patientiam patris imitamur. Sed quoniam plurimos ſcio, fratres dilectiſſimi, vel pondere iniuriarum angentium, vel dolore, de iis qui aduerſum ſe graſſantur & ſæuiunt, vindicari velociter cupere, nec in illum extremi iudicii diem malorum retributionem differre; nobiſcum hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, vt in iſtis fluctuantis mundi turbinibus, & [c] Iudæorum ſiue gentilium & hæreticorum quoque perſecutionibus conſtituti, patienter expectemus vltionis diem, nec ad vindictam doloris noſtri querula & inuidioſa feſtinatione properemus: cùm ſcriptum ſit: Expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniam iudicium meum ad congregationes gentium, vt excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam. Expectare nos iubet Dominus, & futuræ vltionis diem forti patientia ſuſtinere: qui & in Apocalypſi loquitur dicens: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius, quia iam tempus in proximo eſt, vt & ij [d] qui perſeuerant nocere, noceant, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: [e] iuſtus autem [f] adhuc iuſtiora faciat, ſimiliter & qui ſanctus eſt, ſanctiora. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm facta ſua. Vnde etiam clamantes martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpente properantes, expectare adhuc iubentur, & temporibus conſummanmandis, implendiſque martyribus præbere patientiam. Et cùm aperuiſſet, inquit, quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamauerunt voce magna dicentes: Quouſque Domine ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem

a *Quid mali è contrario impatientia.* Hæſit Tertulliano 5. de pat. Pariter Ioannes Chryſoſt. hom. 5. ad populum *ἐναντία τῆς ὑπομονῆς* opponit, & S. Hieronymus de reg. monach. *Quantum boni virtus habeat, vitia demonſtrant: clariuſque ſit lumen comparatione tenebrarum. Idem.*

b *In viduis laborioſam caſtitatem, &c.* Ideò laborioſa caſtitas dicitur in viduis, quod eis continere difficilius ſit, propter matrimonij recordationem, quod explicat B. Hieronymus epiſt. ad Gerontiam, *Virginitas*, inquit, *in eo facilior eſt, quod carnis incentiua non nouit, & viduitas in eo ſollicitior, quod præteritas animo recolit voluptates.* Vnde Tertullianus viduam habere aliquid operoſius quàm Virgines dixit, & Virginem feliciorem laborioſiorem autem viduam, propter prælibatas voluptates aſſerit. PRI.

c *Iudæorum ſiue gentilium & hæreticorum, &c.* Videntur hinc paſſi Carthaginienſes, non hæreticorum modo Nouatianorum & Gentilium, ſed & Iudæorum perſecutiones, atque adeò hinc orti libri Tertulliani & Cypriani aduerſus Iudæos. PAM.

d *Qui perſeuerant nocere, noceant.* Malui legere particulam vtramque, *vt &*, cum excuſis, quam *aut*, cum MS. aut cum Manutio, *& duntaxat*; eò magis quòd hæc lectio neque cum Græco, neque cum Latino textu congruat; Latinè enim eſt, *qui nocet adhuc noceat*: Græcè ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι. *Idem.*

e *Iuſtus autem adhuc Iuſtiora faciat.* Etiam hoc diſcordat à Latino & Græco textu, atque hinc repoſita eſt lectio vulgata ab Eraſmo: *Iuſtior fiat, & ſanctus ſanctior.* Verùm illam habent MS. 5. vet. exc. & Remboldus, cum hîc tum infrà lib. Teſt. & variant etiam in priori tum Græci & Latini codices. *Idem.*

f ADHVC IVSTIORA FACIAT.] In Ver. *adhuc iuſtior fiat: ſimiliter & ſanctus, ſanctior.* & in edit. Romana: *ſimiliter & qui ſanctus eſt, ſanctior.* RIG.

ſanguinem noſtrum, de iis qui in terris inhabitant? Et datæ ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt eis vt requieſcerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus conſeruorum & fratrum eorum, qui poſteà occidentur exemplo ipſorum. Quando autem veniat ſanguinis iuſti diuina vindicta, declarat [a] per Malachiam prophetam Spiritus ſanctus dicens: Ecce dies Domini, venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ & omnes iniqui ſtipula; & ſuccendet illos adueniens dies, dicit Dominus. Quod item legimus in pſalmis, vbi Dei iudicis prædicatur aduentus cenſuræ ſuæ maieſtate venerandus: Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu eius procella nimia, [b] aduocabit cælum ſurſum, & terram deorſum; vt ſeparet populum ſuum. Colligite illi iuſtos eius, eos qui diſponunt teſtamentum eius in ſacrificiis: & annunciabunt cæli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt. Et Eſaias eadem prænunciat dicens: Ecce enim Dominus ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus eius, retribuere in ira vindictam: in igne enim Domini iudicabuntur, & in gladio eius vulnerabuntur. & iterum: Dominus Deus virtutum prodibit & comminuet bellum, excitabit certamen, & clamabit ſuper inimicos ſuos cùm fortitudine: Tacui, numquid ſemper tacebo? Quis autem eſt hic qui tacuiſſe ſe prius dicit, & non ſemper tacebit? vtique ille qui ſicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus [c] coram tondente ſe, ſine voce, non aperuit os ſuum: vtique ille qui non clamauit; neque in plateis vox eius audita eſt: vtique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cùm dorſum ſuum poneret ad flagella, & maxillas ad palmas; [d] faciem autem ſuam non auertit à fœditate ſputorum; vtique ille, qui cùm accuſaretur à ſacerdotibus & ſenioribus, nihil reſpondit; & admirante Pilato patientiſſimum ſilentium tenuit. Hic eſt qui cùm [e] in paſſione tacuerit, in vltione poſtmodum non tacebit. Hic eſt Deus noſter, id eſt, non omnium, ſed fidelium & credentium Deus, qui cùm in ſecundo aduentu manifeſtus venerit non ſilebit: nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in poteſtate manifeſtus. Hunc expectemus, fratres dilectiſſimi, iudicem & vindicem noſtrum, Eccleſiæ ſuæ populum, & ab initio mundi iuſtorum omnium numerum ſecum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam ſuam nimium feſtinat & properat, conſideret, quia [f] necdum vindicatus eſt ipſe, qui vindicat. Pater Deus præcepit filium ſuum adorari, & Apoſtolus Paulus diuini præcepti memor ponit & dicit: Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, [g] quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu [h] omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & in Apocalypſi angelus Ioanni volenti adorare ſe reſiſtit & dicit: Vide ne feceris, quia conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum. Ieſum Dominum adora. Qualis Dominus Ieſus & quanta patientia eius, vt qui in cælis adoratur, necdum vindicetur in terris? Huius patientiam fratres dilectiſſimi perſecutionibus & paſſionibus noſtris cogitemus. Huius aduentui plenum expectationis obſequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum ſerui irreligioſa & inuerecunda feſtinatione properemus. Inſiſtamus potius [i] & elaboremus, & toto corde vigilantes, atque ad omnem tolerantiam ſtabiles Dominica præcepta ſeruemus; vt cùm ille iræ & vindictæ dies venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur, ſed cum iuſtis & Deum timentibus honoremur.

DE

a PER MALACHIAM PROPHETAM.] In Ver. tantùm legitur, per Malachiam Spiritus ſanctus dicens. R 10.

b ADVOCABIT CÆLVM SVRSVM.] In Veron. & Ben. vocabit cælum ſurſum *Idem.*

c CORAM TONDENTE SE.] Ver. coram tondentibus ſine voce. *Idem.*

d *Faciem autem ſuam non auertit à fœditate ſputorum* Petrus Chryſologus ſerm. 38. dixit eleganter, *palmis faciem non negauit.* PRI.

e IN PASSIONE TACVERIT.) In Veron. in paſſione priùs tac. R 10.

f NECDVM VINDICATVS EST IPSE QVI VINDICAT.) Vindicandus ſcilicet illo die quo veniet iudicare viuos & mortuos. *Idem.*

g QVOD EST SVPER OMNE NOMEN) In Veron. ad hoc vt ſit ſup. om. no. *Idem.*

h OMNE GENV FLECTATVR.) In Ver. omnes genu curuent. *Idem.*

i ET ELABOREMVS.) Ver. & laboremus. *Idem.*

DE ZELO ET LIVORE.

ZELARE quod bonum videas, & inuidere melioribus, leue apud quoſdam & modicum crimen videtur fratres dilectiſſimi; dumque exiſtimatur leue eſſe & modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facilè vitatur, & fit cæca & occulta pernicies: quæ dum minus perſpicitur vt caueri à prouidentibus poſſit, improuidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes eſſe nos iuſſit, & cauta ſollicitudine vigilare præcepit; ne aduerſarius vigilans ſemper, & ſemper inſidians, ubi in pectus [a] obrepſerit, de ſcintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret; & dum remiſſis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & ſalutis ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum eſt itaque, fratres dilectiſſimi, atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico ſæuienti, & iacula ſua in omnes corporis partes, quibus percuti

a OBREPSERIT.) Ver. & Ben. *obrepſit*, R 10.

cuti & vulnerari poſſumus, dirigenti, ſollicita, & plena vigilantia repugnemus, ſecundum quod Petrus Apoſtolus in epiſtola ſua præmonet & docet, dicens: Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus [a] tamquam leo rugiens [b] circuit, aliquem deuorare quærens. Circuit ille nos ſingulos, & tamquam hoſtis clauſos obſidens, muros explorat, & tentat an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures [c] per canoram muſicam tentat, vt ſoni dulcioris auditu ſoluat & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam conuicio prouocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat: vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta: vt animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia: honores terrenos promittit, vt cæleſtes adimat: [d] oſtentat falſa, vt vera ſubripiat: & cùm latenter non poteſt fallere, exertè atque aperte minatur: terrorem turbidæ perſecutionis intentans, ad debellandos Dei ſeruos inquietus ſemper & ſemper infeſtus: in pace ſubdolus, in perſequutione violentus. Quamobrem fratres dilectiſſimi, contra omnes diaboli vel fallaces inſidias, vel apertas minas ſtare debet inſtructus animus & armatus, tam paratus ſemper ad repugnandum, quàm eſt ad impugnandum ſemper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora ſunt tela eius, quæ latenter obrepunt; magiſque occulta & clandeſtina iaculatio, quo minus perſpicitur, hoc & grauius & crebrius in vulnera noſtra graſſatur: ad hæc quoque intelligenda & depellenda vigilemus. Ex quibus eſt zeli & liuoris malum. Quod ſi quis penitus inſpiciat, inueniet nihil magis Chriſtiano cauendum, nihil cautius prouidendum, quàm ne quis inuidia & liuore capiatur; ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia conuertitur, gladio ſuo neſcius ipſe perimatur; quod vt colligere plenius & manifeſtius perſpicere poſſimus, ad caput eius atque originem recurramus. Videamus vnde zelus, & quando, & quomodo cœperit; facilius enim à nobis malum tam pernicioſum vitabitur, ſi eiuſdem mali & origo & magnitudo noſcatur. Hinc diabolus inter initia ſtatim mundi & periit primus, & perdidit. Ille dudum angelica maieſtate ſubnixus, ille Deo acceptus & charus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum maliuolo liuore prorupit, non prius alterum deiiciens inſtinctu zeli, quàm ipſe zelo ante deiectus; captiuus antequam capiens; perditus, antequam perdens; dum ſtimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipſe quoque id, quod prius fuerat, amiſit. [e] Quale malum eſt fratres dilectiſsimi, quo Angelus cecidit, quo circumueniri & ſubuerti alta illa & præclara ſublimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe qui decepit? Exinde inuidia graſſatur in terris, dum liuore periturus, magiſtro perditionis obſequitur: dum diabolum qui zelat, imitatur. ſicut ſcriptum eſt: Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui ſunt ex parte eius. Hinc denique nouæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel iuſtum Cain zelat iniuſtus, dum bonum malus inuidia & liuore perſequitur. Tantum valuit ad conſummationem facinoris æmulationis furor; vt nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Iniuſtè oppreſſus eſt, qui iuſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe non nouerat: occiſus eſt impiè, qui moriens non repugnabat. Et quod Eſaü fratri ſuo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium perſecutionis facibus liuoris exarſit. & quod Ioſeph fratres ſui vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit; poſtquàm id quod ſibi in viſionibus proſperum fuerat oſtenſum, ſimpliciter vt fratribus frater expoſuit, in inuidiam maliuolus animus erupit. Saül quoque Rex vt Dauid odiſſet, vt perſecutionibus ſæpè repetitis innocentem, miſericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quàm zeli ſtimulus prouocauit? quia Goliad interfecto & ope ac dignatione diuina tanto hoſte deleto, populus admirans in laudes Dauid prædicationis ſuffragio proſiliit; Saül ſimultatis atque inſectationis furias de liuore concepit. Et ne longum faciam ſingulos accenſendo, pereuntis ſemel populi attendamus interitum. Iudæi nonne inde perierunt, dum Chriſto malunt inuidere quàm credere? [f] Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti ſunt, nec ad diuina noſcenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nunc conſiderantes, fratres dilectiſſimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad noſtram ſalutem, imprudentiam pœna prouidentibus conferat ſanitatem. Non eſt autem quod aliquis exiſtimet malum illud vna ſpecie conti-

a TAMQVAM LEO RVGIENS.) In Ver. *tanquam leo rugiens circuit aliquid deuorare quærens.* RIG.

b *Circuit aliquem deuorare quærens.* Ad verbum expreſſit quod pleraque exemplaria legunt, *ζητῶν τινὰ καταπιεῖν.* PAM.

c PER CANORAM MVSICAM) Ben. *per canora muſica.* RIG.

d OSTENTAT FALSA VT VERA SVBRIPIAT.) Hæc clauſula citatur à Primaſio, lib. de hæreſib. ſuprà. *Liber doloſus, circumdatus fallaciis, adulter integræ diffinitionis, quique, vt ſanctus Cyprianus ait, falſa oſtentat, vt vera ſubripiat.* Huiuſmodi autem ſunt etiam iſta Cypriani lib. de Vnitate Eccleſ. vbi de libris hæreticor. aut ſchiſmaticor. Corruptores, inquit, Euangelij atque interpretes falſi: extrema ponunt & ſuperiora prætereunt; partis memores, & partem ſubdolè comprimentes. *Idem.*

e *Quale malum.* Hoc idem allegat D. Auguſtinus in Ioan. PAM.

f OBTRECTANTES MAGNALIB. QVÆ ILLE FACIEBAT.) Etenim dicebant hæc fieri à Chriſto in nomine Beelzebubi principis dæmoniorum Et fuère poſteà qui dixerint Apollonij miracula maiora Chriſtianis. Lactantius lib. v. de falſa relig. cap 3 Auguſt. Epiſt, 1 v. ad Marcellinum. Euſeb. lib. aduerſ. Hieroclem. RIG.

contineri, aut breuibus terminis, & anguſto fine concludi. Late patet zeli multiplex & fecunda pernicies. [a] Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat; dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat; dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, iudicij dies non prouidetur. [b] Inflat ſuperbia, exacerbat ſæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferueſcit; nec ſe iam poteſt cohibere, vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad ſchiſmata proſilitur; dum obtrectatur ſacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur, cum quis aut queritur non ſe potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo ſuperbus, de æmulatione peruerſus, animoſitate & liuore, non hominis, ſed honoris inimicus. Qualis verò animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo? zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam; velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta maliuolentiæ vngulis pulſent: non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe iucundus; ſuſpiratur ſemper & ingemiſcitur & doletur: dumque ab inuidis numquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur. Mala cætera habent terminum; & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro; in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo; & prædoni rapacitatem ſtatuit præda poſſeſſa; & falſario modum ponit impleta fallacia; zelus terminum non habet, permanens iugiter malum & ſine fine peccatum, quantóque ille cui inuidetur ſucceſſu meliore profecerit, tantò inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardeſcit. [c] Hinc vultus minax, toruus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam ſi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata: & iccirco Spiritus ſanctus dicit in Pſalmis: Nolite zelare bene ambulantem in via ſua. Et iterum: Obſeruabit peccator iuſtum, & [d] ſtridebit ad eum dentibus ſuis. Deus autem irridebit eum; quoniam prouidet quia veniet dies eius. Hos beatus Apoſtolus Paulus deſignat & denotat dicens: Venenum aſpidum ſub labiis eorum, [e] & os eorum maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces ad effundendum ſanguinem pedes eorum: [f] contritio & calamitas in viis eorum, qui viam pacis non agnouerunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorum. Multò malum leuius, & periculum minus eſt, cùm membra gladio vulnerantur. Facilis cura eſt, vbi plaga perſpicua eſt; & citò ad ſanitatem medela ſubueniente perducitur vulnus, quod videtur: zeli vulnera abſtruſa ſunt & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ ſe intra conſcientiæ latebras cæco dolore clauſerunt. Quicumque es inuidus & malignus; videris, quàm ſis eis quos odiſti inſidioſus, pernicioſus, infeſtus: nullius magis quàm tuæ ſalutis inimicus es. Quiſquis ille eſt quem zelo perſequeris, ſubterfugere & vitare te poterit: tu te non potes fugere: vbicumque fuerit, aduerſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec ſolatia tibi vlla ſubueniunt. Perſeuerans malum eſt, hominem perſequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas ſine remedio eſt, odiſſe felicem. Et icirco, fratres dilectiſſimi, huic periculo conſulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret; cùm eum diſcipuli interrogarent quis inter illos maior eſſet: [g] Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputauit omnem æmulationem reſponſo ſuo, omnem cauſam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abſcidit. Diſcipulo Chriſti zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non poteſt eſſe contentio, de humilitate ad ſumma creſcimus, didicimus vnde placeamus. Denique & Apoſtolus Paulus inſtruens & monens, vt qui illuminati Chriſti lumine tenebras nocturnæ conuerſationis euaſimus, in factis atque in operibus luminis ambulemus, ſcribit & dicit: Nox tranſiuit, dies autem appropinquabit; abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, tamquam in die decenter ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus; non in concupiſcentiis & impudicitiis;

a *Radix eſt malorum omnium.* 4. MSS. addunt *blandientium*, ſed non facit ad inſtitutum. PAM.

b *Inflat ſuperbia, &c.* Hunc locum ſic reſtitui ex MSS. 4. cod. pro eo quod erat *inflatur & exacerbatur.* Nam præterquam, quod ſequitur *impatientia concutit*, iiſdem prorſus verbis vtitur Cyprianus ſuprà, lib. de Mortalitate. *Idem.*

c *Hinc vultus minax.* Elegans Liuoris & Zeli deſcriptio, qualem & habes in Epigrammate Virgiliano, cuius initium; *Liuor tabificis malum venenis. Idem.*

d STRIDEBIT AD EVM DENTIB. SVIS.) Ver. & Ben. *ſtridet ad eum dentes ſuos,* RIG.

e ET OS EOR. MALEDICTIONE.] In Veronenſi: *maledicto. Idem.*

f CONTRITIO ET CALAMITAS.] Ver. *contribulatio. Idem.*

g *Qui fuerit minimus in omnibus vobis, &c.* Ad verbum ferè expreſſit quod græcè eſt: *ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων οὗτος ἔσται μέγας* PAM.

a Lac

citiis; non in certaminibus & zelo. Si receſſerunt de pectore tuo tenebræ; ſi nox inde diſcuſſa eſt; ſi caligo deterſa eſt; ſi illuminauit ſenſus tuos ſplendor diei; ſi homo lucis eſſe cœpiſti: quæ ſunt Chriſti, gere; quia lux & dies Chriſtus eſt. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum cui renunciaueras, redis? quid Cain ſimilis exiſtis? Homicidij namque facinore conſtringi eum quiſquis zelauerit, & odio habuerit fratrem ſuum, declarat Ioannes Apoſtolus in Epiſtola ſua dicens: Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt: & ſcitis quia omnis homicida non habet in ſe vitam manentem. Et iterùm: Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc, & in tenebris ambulat, & non ſcit quò eat: quoniam tenebræ excæcauerunt oculos eius. Qui odit, inquit, fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & non ſcit quò eat: it enim neſcius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam; recedens ſcilicet à Chriſti lumine monentis & dicentis: Ego ſum lumen mundi: qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Sequitur autem Chriſtum, qui præceptis eius inſiſtit, qui per magiſterij eius viam graditur, qui veſtigia eius atque itinera ſectatur, qui id quod Chriſtus & fecit & docuit, imitatur: ſecundùm quod Petrus quoque hortatur & monet dicens: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Meminiſſe debemus quo vocabulo plebem ſuam Chriſtus appellet, quo titulo gregem ſuum nuncupet: oues nominat, vt innocentia Chriſtiana ouibus æquetur: agnos vocat, vt agnorum naturam ſimplicem ſimplicitas mentis imitetur. Quid ſub veſtitu ouium lupus latitat? quid gregem Chriſti, qui ſe Chriſtianum mentitur, infamat? Chriſti nomen induere, & non per Chriſti viam pergere; quid aliud quàm præuaricatio eſt diuini nominis, quàm deſertio itineris ſalutaris? quando ipſe doceat & dicat eum ad vitam venire, qui mandata ſeruauerit: & eum eſſe ſapientem, qui verba eius audierit & fecerit: doctorem quoque eum maximum in regno cælorum vocari, qui fecerit & ſic docuerit; tunc prædicanti profuturum, quod benè atque vtiliter prædicatum fuerit, ſi id quod ore promitur, factis ſequentibus impleatur. Quid verò inſinuauit crebriùs diſcipulis ſuis Dominus, quid inter ſalutaria monita & præcepta cæleſtia cuſtodiendum magis ſeruandúmque mandauit; quàm, vt eadem dilectione qua diſcipulos ipſe dilexit, nos quoque inuicem diligamus? Quo modo autem vel pacem Domini, vel charitatem tenet, qui intercedente zelo nec pacificus poteſt eſſe, nec charus? Ideò & Apoſtolus Paulus cum pacis & charitatis merita depromeret, cumque aſſeueraret firmiter & doceret nec fidem ſibi nec eleemoſynas, nec paſſionem quoque ipſam confeſſionis & martyrij profuturam, niſi charitatis fœdera integra atque inuiolata ſeruaſſet; adiecit & dixit: Charitas magnanima eſt, charitas benigna eſt, charitas non zelat. Docens ſcilicet & oſtendens eum poſſe charitatem tenere, quiſquis magnanimus fuerit & benignus, & zeli ac liuoris alienus. Item alio loco cùm moneret, vt homo iam Sancto ſpiritu plenus & natiuitate cæleſti Dei filius factus, non niſi ſpiritalia & diuina ſectetur, ponit & dicit: Et ego quidem fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus; ſed quaſi carnalibus, quaſi infantibus in Chriſto. [a] Lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, ſed neque nunc poteſtis, adhuc enim eſtis carnales: vbi enim in vobis zelus & contentio [b] & diſſenſiones ſunt, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? [c] Obterenda ſunt, fratres dilectiſſimi, vitia & peccata carnalia, & terreni corporis infeſta labes ſpiritali vigore calcanda: ne dum iterùm ad veteris hominis conuerſationem reuoluimur, letalibus laqueis implicemur, Apoſtolo hoc idem prouidenter & ſalubriter præmonente: Itaque inquit, fratres, non ſecundùm carnem viuamus, [d] ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, incipietis mori; ſi autem ſpiritu opera carnis [e] mortificaueritis, viuetis: quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt. Si filii Dei ſumus, ſi templa eius eſſe iam cœpimus, ſi accepto Spiritu ſancto, ſanctè & ſpiritaliter viuimus, ſi de terris oculos ad cælum ſuſtulimus, ſi ad ſuperna & diuina plenum Deo & Chriſto pectus ereximus: non niſi quæ ſunt Deo & Chriſto, digna faciamus: ſicut & Apoſtolus excitat & hortatur: [f] Si conſurrexiſtis, inquit, cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, [g] non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Qui ergo in baptiſmo ſecundùm hominis antiqui peccata carnalia & mortui & ſepulti ſumus, qui regeneratione cæleſti Chriſto conſurreximus; quæ ſunt Chriſti, & cogitemus pariter & geramus: ſicut idem Apoſtolus docet rurſus & monet, dicens: Primus homo de terræ limo, ſecundùs homo

a *Lac vobis potum dedi, &c.* Cambron. & alij veteres *lacte vos potaui non cibo*, vtrumque rectè legitur, ſed hoc ad verbum eſt ex Græco. PAM.

b *Et diſſenſiones ſunt.* Cambr. *diſſenſio eſt*, ſed illud placet, nam græcè legitur καὶ διχοστασίαι. *Idem.*

c *Obterenda ſunt, fratres dilectiſſimi, vitia, &c.* Ad hunc locum reſpicit D. Hieronymus in cap. 5. ad Galatas, dum dicit Cyprianum hoc libro inuidiam enumerare inter vitia carnalia. Letales etiam laqueos hic dicit, quod lib. præcedenti crimina mortalia. *Idem.*

d SI SECVNDVM CARNEM VIXERITIS.] Ben. & Ver. *Viuitis.* RIG.

e MORTIFICAVERITIS.] Ver. *Mortificatis. Idem.*

f SI CONSVRREXISTIS.] Ver. *conreſurrexiſtis, inquit, Chriſto. Idem.*

g NON QVÆ SVPER TERRAM.] Ben. & Veron. *non quæ terrena ſunt. Idem.*

mo de cælo : qualis ille de limo , tales & qui de limo : & qualis cæleſtis , tales & cæleſtes. Quo modo portauimus imaginem eius qui de limo eſt , portemus & imaginem eius qui de cælo eſt. Imaginem autem cæleſtem portare non poſſumus, niſi in eo quod eſſe nunc cœpimus , Chriſti ſimilitudinem præbeamus : hoc eſt enim mutaſſe quod fueras , & cœpiſſe eſſe quod non eras , vt in te diuina natiuitas luceat , vt ad patrem Deum deïfica diſciplina reſpondeat , vt honore & laude viuendi Deus in homine clareſcat ; ipſo exhortante & monente, & eis qui ſe clarificant, vicem mutuam pollicente. Eos , inquit, qui clarificant me, clarificabo : & qui ſpernit me , ſpernetur. Ad quam clarificationem formans nos ac præparans Dominus , & filiis Dei ſimilitudinem Dei patris inſinuans , in Euangelio ſuo dicit: Audiſtis quia dictum eſt : Diliges proximum tibi , & odio habebis inimicum tibi: Ego autem dico vobis , diligite inimicos veſtros, & orate pro his qui vos perſequuntur , vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt , qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos , & pluit ſuper iuſtos & injuſtos. Si hominibus lætum eſt & glorioſum , filios habere conſimiles ; & tunc magis generaſſe delectat , [a] ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſubſiciua reſpondeat : quanto maior in Deo patre lætitia eſt , cùm quis ſic ſpiritaliter naſcitur , vt in actibus eius & laudibus diuina generoſitas prædicetur ? Quæ iuſtitiæ palma eſt , quæ corona; eſſe te talem, de quo Deus non dicat : Filios genui & exaltaui , ipſi autem ſpreuerunt me; [b] ſed collaudet te potiùs Chriſtus, & inuitet ad præmium dicens : Venite benedicti patris mei , percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. His meditationibus corroborandus eſt animus , fratres dilectiſſimi , eiuſmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus. Sit ante oculos diuina lectio , in manibus bona operatio, in ſenſibus Dominica cogitatio. Oratio iugis omninò non ceſſet. Salutaris operatio perſeueret. Spiritalibus ſemper actibus occupemur , vt quotieſcumque inimicus acceſſerit , quoties adire tentauerit , & clauſum aduerſum ſe pectus inueniat & armatum. Non enim Chriſtiani hominis coronà vna eſt , quæ tempore perſecutionis accipitur. Habet & pax coronas ſuas , quibus de varia & multiplici congreſſione victores proſtrato & ſubacto aduerſario coronamur. Libidinem ſubegiſſe , continentiæ palma eſt. Contra iram, contra injuriam repugnaſſe , corona patientiæ eſt. De auaritia triumphus eſt , pecuniam ſpernere. Laus eſt fidei , fiducia futurorum mundi aduerſa tolerare. Et qui ſuperbus in proſperis non eſt, gloriam de humilitate conſequitur. Et qui ad pauperum fouendorum miſericordiam pronus eſt retributionem theſauri cæleſtis adipiſcitur. Et qui zelare non nouit , quique vnanimis & mitis fratres ſuos diligit , dilectionis & pacis præmio honoratur. In hoc virtutum ſtadio quotidie currimus, ad has iuſtitiæ palmas & coronas ſine intermiſſione temporis peruenimus. Ad quas vt peruenire tu etiam poſſis, qui fueras zelo & liuore poſſeſſus ; omnem illam malitiam , qua prius tenebaris abiice , ad viam vitæ æternæ veſtigiis ſalutaribus reformare. Euelle de pectore tuo ſpinas & tribulos, vt te Dominicum ſemen fertili fruge locupletet , vt diuina & ſpiritalis ſeges in copiam fœcundæ meſſis exuberet. Venena fellis euome , diſcordiarum virus exclude : purgetur mens, quam ſerpentinus liuor infecerat ; amaritudo omnis quæ intus inſederat, Chriſti dulcedine leniatur. [c] Si de ſacramento crucis & cibum ſumis & potum; lignum , quod [d] apud Mara profecit in imagine ad ſaporis dulcedinem , tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem ; nec ad medelam proſperandæ valitudinis laborabis : vnde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos antè oderas , dilige illos quibus iniuſtis obtrectationibus inuidebas. bonos imitare, [e] ſi ſectari potes : ſi autem eos ſectari non potes , collætare certè & congratulare melioribus : fac te illis adunata dilectione participem , fac te conſortio charitatis & fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi debita , quando ipſe dimiſeris : accipientur ſacrificia tua , cùm pacificus ad Deum veneris. Senſus atque actus tui diuinitus dirigentur , quando ea quæ diuina & iuſta ſunt cogitaueris, ſicut ſcriptum eſt : Cor viri cogitet iuſta , vt à Deo dirigantur greſſus eius. Habes autem multa quæ cogites. Paradiſum cogita , quò Cain non redit , qui zelo fratrem peremit. Cogita cæleſte regnum , ad quod non niſi concordes atque vnanimes Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi ſoli poſſint vocari , qui ſint pacifici ; qui natiuitate cæleſti & lege diuinà ad ſimilitudinem Dei patris & Chriſti reſpondeant adunati. Cogità ſub oculis nos Dei ſtare, ſpectante ac iudicante ipſo conuerſationis ac vitæ noſtræ curricula decurrere , peruenire

a AD PATREM LINEAMENTIS PARIB. SOBOLES SVBSICIVA.] Propiùs ad verum Morelius edidit, *ſubceſſiua*. Etenim legendum , *ſucceſſiua* : Aliis placet , *ſuccèdiua* , aut *ſuccidiua*. Quod à quibuſdam proponi video de ſubſeciuis, planè alienum eſt ab hoc loco. RIG.

a *Ad patrem lineamentis paribus* , &c. Sic rectiùs Camb. codex cum Manutio quam Morellius *ſubciſiua* , aut exc. vulg. *ſubcidua* , aut ver. exc. & cæteri M S. 4. *ſuccidiua* , ſeu *ſuccediua* , aut vnus Mor. *ſucceſſa*. ſubciſiuum teſte Nonio Marcello ſignificat ſecundum , ſequens , ſuccedens , ſuccidaneum , Hinc Lucilius lib. 28. Præter hæc, ſubciſiua ſi quando voles opera. Ita legendum ibi cenſeo , pro eo quod eſt: *operam*. PAM.

b SED COLLAVDET TE POTIVS CHRISTVS.] Ver. tantùm habet , *Collaudet te potiùs Chriſtus*. RIG.

b *Sed Collaudet te potiùs Chriſtus*. adijcimus recens *ſed* ex Cambr. cod. PAM.

c DE SACRAMENTO CRVCIS ET CIBVM SVMIS ET POTVM.] Per ſacramentum crucis hîc intelligit Cyprianus totum Chriſti in corpore humano commeatum , quo redemtionem Iſraëlis peregit : Exempla ſcilicet & verba , ſiue mandata Chriſti , quorum obſeruatione alimur in vitam æternam : ac præſertim per crucem , hoc eſt , paſſionem & mortem. RIG.

d APVD MARA) In Ver. *Marram*. *Idem*.

e SI SECTARI POTES.) Rectè in Veronenſi & in edit. Rom. *ſi ſectari non potes* , *collætare* c. & Gr. m. *Idem*.

nire nos tunc demum poſſe; vt eum videre contingat; ſi ipſum nunc videntem delectemus actibus noſtris, ſi nos [a] dignos gratia eius & indulgentia præbeamus; ſi placituri ſemper in regno, in hoc mundo antè placeamus.

a *Dignos gratia eius.* Niſi alibi Cypriano familiarior eſſet hæc phraſis, cenſuiſſem genuinam eſſe quam habent MSS. omnes vet. exc. & Remb. *dignos gratia eius & indulgentia* PAM.

AD FORTVNATVM [a] DE EXHORTATIONE MARTYRII.

PRÆFATIO.

[b] DESIDERASTI Fortunate chariſſime, vt quoniam perſecutionum & preſſurarum pondus incumbit, & in fine atque in conſummatione mundi, antichriſti tempus infeſtum appropinquare nunc cœpit, ad præparandas & corroborandas fratrum mentes de diuinis ſcripturis hortamenta componerem, quibus milites Chriſti ad cæleſte & ſpiritale certamen animarem. Obtemperandum fuit deſiderio tuo tam neceſſario, vt quantum ſufficit mediocritas noſtra auxilio inſpirationis inſtructa, quaſi arma ac munimenta quædam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis promerentur. Parum eſt enim quod Dei plebem claſſico noſtræ vocis erigimus; niſi credentium fidem, & dicatam Deo deuotamque virtutem diuina lectione firmemus. Quid autem potius aut maius curæ noſtræ ac ſollicitudini congruit; quàm vt commiſſum nobis diuinitus populum, & exercitum in caſtris cæleſtibus conſtitutum, aduerſus diaboli tela & iacula, exhortationibus aſſiduis præparemus? Neque enim idoneus poteſt eſſe miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. Aut qui agonoſticam coronam quærit adipiſci, in ſtudio coronabitur, niſi vſum, & peritiam virium antè meditetur. Aduerſarius vetus eſt, & hoſtis antiquus, cum quo prælium gerimus. [c] Sex millia annorum iam pœnè complentur; ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes atque inſidias deiiciendi vſu ipſo vetuſtatis edidicit. Si imparatum inuenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſollicitum ac toto corde vigilantem, circumuenit neſcium, fallit incautum, decipit imperitum. Si verò quis Dominica præcepta cuſtodiens, & fortiter Chriſti veſtigiis adhærens, contra eum ſteterit, vincatur neceſſe eſt: quia Chriſtus quem confitemur, inuictus eſt. Ac ne in longum ſermonem meum extenderem, frater chariſſime, & audientem vel legentem ſtili latioris copia fatigarem, compendium feci; vt propoſitis titulis, quos quis & noſſe debeat & tenere, capitula dominica ſubnecterem, & id quod propoſueram diuinæ lectionis auctoritate ſolidarem; vt non tam [d] tractatum meum videar tibi miſiſſe, quàm materiam tractantibus præbuiſſe: quæ res in vſum ſingulis proficit vtilitate maiore. Nam ſi confectam & [e] paratam iam veſtem darem, veſtis eſſet mea, qua alius vteretur; & forſitan [f] non pro habitudine ſtaturæ & corporis res alteri facta minus congruens haberetur. Nunc verò de agno, per quem redempti ac viuificati ſumus, [g] lanam ipſam & purpuram miſi; quam cùm acceperis; tunicam tibi pro voluntate conficies, & plus vt in domeſtica tua atque in propria veſte lætaberis: & cæteris quoque vt conficere & ipſi pro arbitrio ſuo poſſint, quod miſimus exhibetis; vt vetere illâ nuditate contecta, perferant omnes indumenta Chriſti, cæleſtis gratiæ ſanctificatione veſtiti. Nec non & illud conſilium, frater chariſſime, vtile & ſalubre proſpexi, in exhortatione tam neceſſaria quæ martyres faciat, amputandas eſſe verborum noſtrorum moras & tarditates, atque ambages ſermonis humani ſubtrahendas; ponenda ſola illa quæ Deus loquitur, quibus ſeruos ſuos ad martyrium Chriſtus hortatur. Præcepta ipſa diuina velut arma pugnantibus ſuggerenda ſunt. Illa ſint militaris tubæ hortamenta; illa pugnantibus claſſica. Inde aures erigan-

a DE EXHORTATIONE MARTYRII.) Eadem forma loquendi, qua Tertullianus dixit, *De Exhortatione caſtitatis*. In Foxienſi tantùm inſcribitur, *Ad Fortunatum*. Sed in illo exemplari deſideratur præfatio, & primi quatuor articuli. RIG.

b *Deſideraſti Fortunate chariſſime.* Fortunati duo ſcribunt cum Cypriano epiſt. ſuprà 84. & 5. Epiſtola ſcripta eſt ad Fortunatum & alios quoſdam. Infrà quoque in ſynodo Carthag. ſententiam dicit Fortunatus à Tuccabori. Confirmat itaque etiam hoc dictam ſententiam noſtram de Cypriano huius libri auctore, quod plures eo tempore fuerint eius nominis epiſcopi in Africa. Itaque adeò è contrario nihil obſtat, quod Fortunatus vnus D. Hilario familiaris fuerit vitamque eius deſcripſerit. PAM.

c *Sex millia annorum iam penè complentur.* Rectius ſit cum MSS. Grau. & Manut. *planè*. Tantum enim abeſt, vt planè ætate Cypriani completa fuerint ſex annorum millia, vt etiam iuxta Euſebii, D. Auguſt. Oroſij. & Seueri Sulp. computum annus paſſionis eius qui à Chriſto nato fuit 259. nonniſi 5457. fuerint aut circiter. Iam ſi Hebræorum, Philonis D. Hieronymi & Bedæ computum ſpectes, non plures à mundo condito anni erunt elapſi quàm 4207. vt potè qui annum Natiuitatis Ieſu faciant dumtaxat 3952. Penè compleri itaque dixit ſex annorum millia eo quod 5000. iam præteriiſſent ſaltem ſecundùm 70. interpr. quorum tranſlatio tunc erat in vſu. Diſcrepantia autem inter 70. & Hebraicam veritatem illa eſt Gen. 5. & 11. quod vbi hæc centum annos Patriarchis illis primis attribuit, illi 200. plerumque legant, verbi gratia, vbi Hebræi & noſtri codices hodie legunt Gen. 5. Vixit autem Adam centum & triginta an. legebant 70. vixit autem Adam 200. & 30 an. vide D. Hieronym. quæſt. hebr. 10. Gen. D. Aug. lib. 15. de Ciuit. à cap. 10. ad 15. & 20. item lib. 18. cap. 10. *Idem*.

d *Tractatum meum.* Hinc rurſus confirmatur mox ſententia, tum tractatus tum libros potiùs inſitulari debere quàm epiſtolas; & huius generis ſcripta. *Idem*.

e PARATAM IAM VESTEM DAREM] In Veron. *veſtem miſiſſem*. RIG.

f NON PRO HABITVDINE STATVRÆ.] Quæ non bene ſederet. habens videlicet in ſe non plus minùſve ambitus aut longitudinis, quàm ſtatura poſceret. *Idem*.

h LANAM IPSAM ET PVRPVRAM.] Purpuram dicit, colorem martyrio conuenientem. *Idem*.

erigantur, inde inſtruantur mentes, inde & animi & corporis vires ad omnem paſſionis tolerantiam roborentur. Nos tantum qui domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, [a] inſinuantes & docentes hoc eſſe baptiſma in gratia maius, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius: baptiſma in quo angeli baptizant, [b] baptiſma in quo Deus & Chriſtus eius exultant, baptiſma poſt quod nemo iam peccat, baptiſma quod fidei noſtræ incrementa conſummat, baptiſma quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo accipitur peccatorum remiſſa; in ſanguinis coroná virtutum. Amplectenda res eſt & optanda, & omnibus poſtulationum noſtrarum precibus expetenda, vt qui [c] ſerui Dei ſumus, ſimus & amici.

I. a In

a INSINVANTES.] Veronenſe exemplar: *inſtruentes.* RIG.

b *Baptiſma in quo Deus & Chriſtus.* Agit de baptiſmo Martyrij, de quo ſuprà latius epiſt. ad Iubaianum. PAM.

c SERVI DEI SVMVS.] In Ver. & Ben. *ſerui Dei ſuimus.* RIG.

CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS.

1. [a] In exhortandis itaque ac præparandis fratribus noſtris, virtutis ac fidei firmitate ad præconium Dominicæ confeſſionis, atque ad prælium perſecutionis & paſſionis armandis, primo in loco dicendum eſt, idola deos non eſſe: quæ homo ſibi faciat. Neque enim quæ fiunt, factore ſuo & fabricatore maiora ſunt: aut protegere & ſeruare quemquam poſſunt, quæ ipſa de templis ſuis pereunt, niſi ab homine ſeruentur. Sed nec elementa colenda eſſe, quæ homini ſecundum diſpoſitionem & præceptum Dei ſeruiunt.

2. Deſtructis idolis & elementorum ratione monſtrata, oſtendendum Dominum ſolum colendum eſſe.

3. Tunc addendum quæ comminatio Dei ſit aduerſus eos, qui idolis ſacrificant.

4. Præterea docendum non facilè ignoſcere Deum idololatris.

5. Et quod ſic idololatriæ indignetur Deus, vt præceperit etiam eos interfici, qui ſacrificare & ſeruire idolis ſuaſerint.

6. [b] Subiungendum poſt hæc, quod redempti ac viuificati Chriſti ſanguine, nihil Chriſto præponere debeamus: quia nec ille quidquam nobis præpoſuerit: & ille propter nos mala bonis prætulerit; paupertatem diuitiis, ſeruitutem dominationi, mortem immortalitati. Nos contrà in paſſionibus noſtris paupertati ſæculari paradiſi diuitias & delicias præferamus; dominatum & regnum æternum temporariæ ſeruituti, immortalitatem morti, Deum & Chriſtum diabolo & antichriſto.

7. Inſinuandum quoque, ne erepti de faucibus diaboli, & de laqueis ſæculi liberati, ſi in anguſtiis & preſſuris eſſe cœperint, regredi denuò ad ſæculum velint, & perdant quod euaſerint.

8. Inſiſtendum potius eſſe & perſeuerandum in fide & virtute, & cæleſtis ac ſpiritalis gratiæ conſummatione, vt ad palmam & coronam poſſit perueniri.

9. Ad hoc enim preſſuras & perſecutiones fieri vt probemur.

10. Nec timendas eſſe iniurias, & pœnas perſecutionum; quia maior eſt Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum.

11. Ac ne expaueſcat quis & conturbetur ad preſſuras & perſecutiones, quas patimur in iſto mundo, probandum antè prædictum eſſe, quod nos mundus odio habiturus eſſet, & quod perſecutiones aduerſum nos excitaret, vt ex hoc ipſo quod hæc fiant, manifeſta ſit fides diuinæ pollicitationis, in mercedibus & præmiis poſtmodum ſecuturis. Nec nouum quid accidat Chriſtianis, quando ab initio mundi boni laborauerint, & oppreſſi atque occiſi ſint iuſti ab iniuſtis.

12. In nouiſſima parte ponendum eſt, quæ ſpes & quæ merces maneat iuſtos & martyras poſt conflictationes huius temporis & paſſiones. [c] Et quòd plus accepturi ſimus in paſſionis remuneratione, quàm quod hic ſuſtinemus in ipſa paſſione.

CAP.

a IN EXHORTANDIS ITAQVE AC PRÆPARANDIS FRA.] In Beneuentano & Veronenſi, *ac parandis fratribus noſtris.* *Idem.*

b SVBIVNGENDVM POSTHAC.] In Veron. *Subjungendum etiam poſthac.* *Idem.*

c *Et quod plus accepturi ſumus.* Præmittunt hic Grau. & Manutius. num. 13. atque adeò & in calce libri huius 13. capita conſtituunt. Verùm rectè adnotauit Morellius refragari MSS. cod. & id quod præmittitur, *in nouiſſima parte.* PAM.

CAPVT PRIMVM.

QVod idola dij non ſint, & quod nec elementa vice deorum colenda ſint, [a] oſtenditur in Pſalmo 113. Idola gentium argentum & aurum, [b] opera manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident. Aures habent & non audiunt, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. [c] Similes illis fiant qui faciunt ea. Item in Sapientia Salomonis: Omnia idola nationum æſtimauerunt deos,

quibus

a *Oſtenditur in pſalmo 113.* adiecimus recens *oſtenditur* ex Afflig. Cod. pro coniecerat Coſterius legendum: *habes*, alioqui certè locus erat mutibus. PAM.

b OPERA MANVVM.] In Ver. *opus manuum,* RIG.

c SIMILES ILLIS FIANT.] In Ben. & Ver. *Similes ſint illis.* *Idem.*

quibus neque oculorum vſus eſt ad viuendum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere; cùm ſit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior eſt autem ipſe iis quos colit, quoniam ipſe quidem vixit, illi autem numquam. Item in Exodo: Non facies tibi idolum, nec cuiuſquam ſimilitudinem. Item apud Salomonem de elementis: Neque opera attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt. Quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimauerunt, ſciant quantò iis Dominus ſit ſpecioſior: aut ſi virtutes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit fortia, fortior eſt illis.

CAPVT II.

a Quod Deus ſolus colendus ſit, ſcriptum eſt in Deuteronomio: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Item in Exodo: b Non erunt tibi dij alij abſque me. Item illic: Videte, videte quia ego ſum, & non eſt Deus præter me. Ego interimam & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt qui eripiat de manibus meis. Item in Apocalypſi: Et vidi alium angelum volantem in medio cælo, habentem euangelium æternum, vt annunciaret c ſuper terram & ſuper omnes nationes, & tribus, & linguas, & populos, dicentem voce magna: Metuite potiùs Deum, & date illi claritatem, quoniam venit hora iudicij eius; & adorate eum qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Sic & Dominus in Euangelio commemorationem facit primi & ſecundi præcepti dicens: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: Et diliges Dominum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua; hoc primum, & ſecundum ſimile huic. Diliges proximum tuum tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Et iterùm: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deum, quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

a *Quod Deus ſolus colendus ſit, &c.* Legitimam eſſe hanc Grauij & Morell. lectionem patet ex locis è ſcriptura citatis. Ex Remboldi codice contigit corrupta illa tranſpoſitio, & in vulg. exc. deſiderabatur *ſcriptum eſt* quod habent tamen MS. PAM.

b *Non erunt tibi dij alij abſque me.* Affliginienſis & alij quidam: *præter me*, ſed prius habes etiam ſuprà ad Demetrianum. *Idem.*

c SVPER TERRAM ET SVPER OMNES NATIONES.] In Ben. & Ver. *ſuper terram per omnes nationes.* RIG.

CAPVT III.

Quæ comminatio Dei ſit aduerſus eos qui idolis ſacrificant, legitur in Exodo: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Item in Deuteronomio: Sacrificauerunt dæmoniis, & non Deo. Item apud Eſaïam: Adorauerunt eos, quos fecerunt digiti eorum, & curuatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis. Et iterùm: Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia. Super hæc ergo non indignabor, dicit Dominus? Item apud Hieremiam: Nolite ambulare poſt deos alienos vt ſeruiatis eis, & ne adoraueritis eos, & ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendos vos. Item in Apocalypſi: Si quis adorat beſtiam & imaginem eius, & accipit notam in fronte ſua, an in manu, bibet & ipſe de vino iræ Dei mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum Angelorum, & ſub oculis agni; & fumus de tormentis eorum in ſæcula ſæculorum aſcendet. Nec habebunt requiem die ac nocte quicumque adorant beſtiam & imaginem eius.

CAPVT IV.

Non facile ignoſcere Deum idololatris. Moyſes in Exodo pro populo rogat nec impetrat. Precor, ait, Domine deliquit populus hic delictum grande: fecerunt ſibi deos aureos: & nunc ſi dimittis illis delictum, dimitte: ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis deliquit ante me, deleam eum de libro meo. Item cùm Hieremias pro populo deprecaretur, Dominus ad eum loquitur dicens: & tu noli orare pro populo hoc, & noli poſtulare pro ipſis in prece & oratione; quia non exaudiam in tempore quo inuocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ. Ezechiel quoque hanc eamdem denunciat indignationem Dei eis, qui in Deum delinquunt: Et fuit, inquit, verbum Domini ad me dicens: Fili hominis terra quæcumque peccauerit mihi, vt delinquat delictum, extendam manum meam ſuper eam, & obteram ſtabilimentum panis, & immittam in eam famem, & auferam de ea hominem & pecora. Et ſi fuerint tres viri hi in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, non liberabunt filios neque filias, ipſi ſoli ſalui erunt. a Item in Regnorum primo. Si delinquendo

a *Item in regnorum primo.* Placet magis hæc MS. & Morell. lectio quam vulgata *regum*, eò quòd eodem modo legat Cyprianus lib. de Eleem. & Orat. & alibi plerumque, imitatus in hoc Tertullianum lib. adu. Iudæos. *Idem.*

do peccet vir aduerſus virum, orabunt pro eo Dominum; Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?

CAP.

CAPVT V.

Quòd ſic idololatriæ indignetur Deus, vt præceperit etiam eos interfici, qui ſacrificare & ſeruire idolis ſuaſerint. In Deuteronomio: Quod ſi rogauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor tua quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus tuus, qui æqualis eſt animæ tuæ, latenter dicens: [a] Eamus & ſeruiamus diis alijs, dijs gentium, non conſenties ei, & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus ſuper eum, & non celabis eum; annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit ſuper eum, in primis interficere eum, & manus omnis populi poſtremo; & lapidabunt eum & morietur; quoniam quæſiuit auertere te à Domino Deo tuo. Et iterùm loquitur Dominus & dicit, nec ciuitati parcendum, etiam ſi vniuerſa conſenſerit ad idololatriam: Aut ſi audieris in vna ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicentes: Eamus & ſeruiamus diis aliis, quos non noſti; Interficiens necabis omnes qui ſunt in ciuitate cæde gladij, & incendes ciuitatem igni, & erit ſine habitaculo in æternum. Non reædificabitur etiam nunc, vt auertatur Dominus ab indignatione iræ ſuæ. Et dabit tibi miſericordiam & miſerebitur tui, & multiplicabit te, ſi exaudieris vocem Domini Dei tui, & obſeruaueris præcepta eius. Cuius præcepti & vigoris memor Mathatias interfecit eum qui ad aram ſacrificaturus acceſſerat. [b] Quod ſi ante aduentum Chriſti circa Deum colendum & idola ſpernenda, hæc præcepta ſeruata ſunt: quantò magis poſt aduentum Chriſti ſeruanda ſunt; quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus ſit, ſed & factis, poſt omnes iniurias & contumelias paſſus quoque & crucifixus; vt nos pati & mori exemplo ſuo doceret; vt nulla ſit homini excuſatio pro ſe non patienti, cùm paſſus ſit ille pro nobis & cùm ille paſſus ſit pro alienis peccatis, multò magis pro peccatis ſuis pati vnumquemque debere? Et ideò in Euangelio comminatur & dicit: Quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo qui in cælis eſt: Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cælis eſt. Item Apoſtolus Paulus: Si enim commorimur, inquit, & conuiuemus: ſi toleramus, & conregnabimus: ſi negabimus, & ipſe negabit nos. Item Ioannes: Qui negat filium, neque patrem habet: qui confitetur filium, & filium & patrem habet. Vnde nos ad contemptum mortis hortatur Dominus & corroborat dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt animam & corpus occidere in gehennam. Et iterùm: Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in iſto ſæculo, in vitam æternam conſeruabit illam.

CAP.

a *Eamus & ſeruiamus dijs alijs.* Ita Manut. rectiùs meô judicio quam cæteri *alienis*, tum hîc tum poſteà, eò quòd ita etiam ter legat Tertullianus in Scorpiaco, quem hic ferè ad verbum imitatur. Vox Græca eſt ἑτέροις. Superfluum eſt autem quod interſerunt tres Morelli cod. *& videamus*, Neque enim id habent Græci aut Latini cod. PAM.

b *Quod ſi ante aduentum Chriſti*, *&c.* Quum hic apertè doceat de Idololatris ſumendum ſupplicium ſatis patet non eſſe alienum ipſum à punitione hæreticorum. Verùm de hoc ſuprà latiùs epiſt. ad Antonianum. Hoc loco ſufficiat, quod habet Tertull. initio Scorpiaci, ad officium hæreticos compelli, non illici dignum eſt, duritia vincenda eſt non ſuadenda. Quippe cum eum locum imitari hic Cyprianum ſatis colligatur ex iiſdem vtrobique ſcripturis. *Idem.*

CAPVT VI.

Quòd redempti & viuificati Chriſti ſanguine nihil Chriſto præponere debeamus: In Euangelio Dominus loquitur & dicit: Qui diligit patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Sic & in Deuteronomio ſcriptum eſt: Qui dicunt patri & matri, non noui te, & filios ſuos non agnouerunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſeruauerunt. Item Apoſtolus Paulus: Quis nos, inquit, ſeparabit à charitate Chriſti, preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te occidimur tota die, æſtimati ſumus vt oues victimæ, ſed [a] in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Et iterùm: Non eſtis veſtri, [b] empti enim eſtis pretio magno, [c] glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Et iterum: Pro omnibus mortuus eſt, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.

CAP.

a IN HIS OMNIB. SVPERAMVS.] In Ver. *ſupervincimus pro eo q.d.n.* RIG.

b EMPTI ESTIS PRECIO MAGNO.] In Veron. *empti eſtis magno. Idem.*

c GLORIFICATE. In Veronenſ. & Beneuentan. *clarificate. Idem.*

CAPVT VII.

Ereptos de faucibus diaboli, & de laqueis ſæculi liberatos non debere denuò ad ſæculum reuerti, ne perdant quod euaſerint. In Exodo Iudaïcus populus ad vmbram noſtri & imagi-

nem præfiguratus, cum Deo tutore & vindice euaſiſſet Pharaonis atque Ægypti, id eſt, diaboli, & ſæculi duriſſimam ſeruitutem; circa Deum perfidus & ingratus, aduerſus Moyſen muſſitat, reſpiciens ſolitudinis ac laboris incommoda, & non intelligens libertatis ac ſalutis beneficia diuina, & reuerti quærit ad Ægypti, hoc eſt, ad ſæculi ſeruitutem vnde fuerat exutus; cum magis fidere deberet in Deum & credere: quoniam qui à diabolo & ſæculo liberat populum ſuum, protegit liberatum: Quid hoc nobis, inquiunt, feciſti in eiiciendo nos de Ægypto? [a] Melius eſt nobis ſeruire Ægyptiis quàm mori in ſolitudine hac. Et dixit Moyſes ad populum: Fidite, & ſtate, & cernite ſalutem quæ à Domino eſt, quam vobis faciet hodie; Dominus ipſe pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Quod nos admonens in Euangelio ſuo Dominus, & docens ne ad diabolum rurſus & ad ſæculum, quibus renunciauimus, & vnde euaſimus, reuertamur, dicit: Nemo retro attendens & ſuperponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei. Et iterum: Et qui in agro eſt, non conuertatur retro. Memores eſtote vxoris Loth. Ac ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel ſuorum dulcedine retardetur quo minus Chriſtum ſequatur, addit & dicit: Qui non renunciat omnibus quæ ſunt eius, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

CAP.

a *Melius eſt Nobis ſeruire Ægyptiis.* Ita Man. cum vulgata editione Latina. MSS. verò & alij excuſi *melius erat*, neutri malè. Rurſus autem in ſequentib. confirmat quod de Renunciatione in Baptiſmo diximus epiſt. 9. PAM.

CAPVT VIII.

Inſiſtendum eſſe & perſeuerandum in fide & virtute, & cæleſtis ac ſpiritalis gratiæ conſummatione, vt ad palmam & coronam poſſit perueniri: In Paralipomenon: [a] Dominus vobiſcum eſt, quàmdiu & vos eſtis cum ipſo. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Item apud Ezechielem: Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacumque die exerrauerit. Item in Euangelio Dominus loquitur & dicit: Qui perſeuerauit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et iterum: Si permanſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos: Præmonens quoque nos paratos ſemper eſſe debere, & expeditos in procinctu firmiter ſtare; addit & dicit: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes; & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptiis; vt cùm venerit & pulſauerit aperiant ei. Beati ſerui illi, quos adueniens dominus inuenerit vigilantes. Item beatus Apoſtolus Paulus, vt fides noſtra proficiat & creſcat & ad ſumma perueniat, hortatur dicens: Neſcitis quoniam qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit palmam? Sic currite vt occupetis; omnis enim qui agonizat, in omnibus continens eſt. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam. Et iterum: Nemo militans Deo, obligat ſe moleſtiis ſecularibus, vt poſſit placere ei cui ſe probauit. Sed & ſi certauerit quis, non coronabitur, niſi legitimè pugnauerit: Oro autem vos fratres per miſericordiam Dei vt conſtituatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, placentem Deo; nec configuremini ſæculo huic, ſed transformamini in renatione ſpiritus, ad probandum quæ ſit voluntas Dei bona, & placens & perfecta. Et iterum: Sumus filij Dei: ſi autem filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Si quidem compatiamur, vt & commagnificemur. Et in Apocalypſi eadem loquitur diuinæ prædicationis hortatio, dicens: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod exemplum perſeuerandi & permanendi deſignatur in Exodo, vbi Moyſes ad ſuperandum Amalech, qui figuram portabat diaboli, in ſigno & ſacramento crucis ad leuabat ſupinas manus. Nec vincere aduerſarium potuit, niſi poſtquam ſtabilis in ſigno adleuatis iugiter manibus perſeuerauit. Et factum eſt, inquit, cum leuabat Moyſes manus, præualebat Iſraël; vbi autem ſubmiſerat manus, [b] inualeſcebat Amalech. Et accepto lapide ſuppoſuerunt ſub eo, & ſedebat ſuper eum. Et Aaron & Vr ſuſtentabant manus eius hinc & inde; & factæ ſunt manus Moyſi ſtabiles vſque in occaſum ſolis. Et fugauit Ieſus Amalech, [c] & omnem populum eius. Et dixit Dominus ad Moyſen: Scribe hoc, vt ſit memoria in libro, & da in aures Ieſu: quoniam deletione delcam memoriam Amalech de ſub cælo.

CAP.

a *Dominus vobiſcum* Ex hac ſcriptura ſumpta eſt vſitatiſſima illa ſacrificij Miſſæ clauſula: *Dominus vobiſcum*, quam reperire eſt non modo apud Latinos, ſed & in græcorum liturgiis extat; ea de re liber in ſpeculo antiquæ deuotionis Rig

b INVALESCEBAT AMALECH.] Auctior eſt ſcriptura Veronenſis Et enim ſequitur: *Sed manus Moyſi graues erant. Et accepto lap. Idem.*

c ET OMNEM POPVLVM EIVS.) Additur in Veronenſi: *in ore gladij. Idem.*

CAPVT IX.

Ad hoc preſſuras & perſecutiones fieri vt probemur, in Deuteronomio: Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra, & ex tota virtute veſtra. Et iterum apud Salomonem: Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Paulus quoque paria teſtatur ac loquitur dicens: Gloriamur in preſſuris, ſcientes quoniam preſſura tolerantiam operatur, tolerantia autem probatio-

maior Domino ſuo : Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Et iterùm : Veniet hora vt omnis qui vos occiderit, putet ſe officium Deo facere : ſed hoc facient, quoniam non cognouerunt patrem, neque me. Hæc autem locutus ſum vobis vt cùm venerit hora, eorum memores ſitis, quia ego dixi vobis. Et iterùm : Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, ſæculum autem gaudebit : vos triſtes eritis, [a] ſed triſtitia veſtra in lætitiam veniet. Et iterùm : Hæc locutus ſum vobis vt in me pacem habeatis, in ſæculo autem preſſuram habebitis : ſed fidite quoniam ego vici ſæculum. Et cùm à diſcipulis ſuis interrogaretur de ſigno aduentus ſui & conſummationis mundi, reſpondit & dixit : Cauete ne quis vos fallat, multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego ſum Chriſtus ; & multos fallent. Incipietis autem audire bella & auditus bellorum : videte, nolite tumultuari : oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Exurget enim gens ſuper gentem, & regnum ſuper regnum ; & erunt fames & terræ motus & peſtilentiæ per ſingula loca ; omnia autem iſta initia parturitionum ſunt. Tunc tradent vos in preſſuram, & interficient vos ; & eritis odibiles omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent & odient inuicem. Et multi pſeudoprophetæ exſurgent & ſeducent multos : & eò quòd facinus abundet, refrigeſcet charitas multorum. Qui autem tolerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et prædicabitur Euangelium iſtud regni per totum orbem terræ in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Cùm ergo videritis abominationem vaſtationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes ; & qui in tecto eſt, non deſcendat tollere quidquam de domo ; & qui in agro eſt, non conuertatur retrò auferre veſtimentum ſuum. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem ne fiat fuga veſtra hieme, neque ſabbato. Erit enim tunc preſſura magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque nunc, ſed neque fiet : & niſi breuiati eſſent dies illi, [b] non eſſet ſalua omnis caro ; propter electos autem breuiabuntur illi dies. Tunc ſi quis dixerit vobis : ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ : & dabunt [c] ſigna magna, & prodigia ad errorem faciendum ſi fieri poteſt etiam electis. Vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Si ergo dixerint vobis : Ecce in ſolitudine eſt, nolite exire ; ecce in cubiculis, nolite credere. Sicut enim coruſcatio exit ab oriente, & apparet vſque ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. [d] Vbi fuerit corpus, illuc colligentur aquilæ. Continuò autem poſt preſſuram dierum illorum ſol [e] tenebreſcet, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo, [f] & lamentabuntur omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna & claritate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba magna. Et colligent electos eius [g] à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad ſummitates eorum. Nec noua aut repentina hæc ſunt quæ nunc accidunt Chriſtianis, cùm boni ſemper & iuſti, & Deo innocentiæ lege ac veræ religionis timore deuoti, per preſſuras & iniurias, & graues ac multiformes infeſtationum pœnas anguſti itineris difficultate gradiantur. Sic in origine ſtatim mundi Abel iuſtus à fratre primus occiditur, & Iacob fugatur, & Ioſeph venundatur, & Dauid miſericordem Saul rex perſequitur, & Heliam majeſtatem Dei conſtanter ac fortiter aſſerentem rex Achab opprimere conatur. Zacharias ſacerdos interficitur in medio templi & altaris, vt illic hoſtia ipſe fiat, vbi Deo hoſtias immolabat. Tot denique martyria iuſtorum ſæpè celebrata, tot edita in poſterum fidei & virtutis exempla. Tres pueri, Ananias, Azarias, Miſahel, ætate compares, dilectione concordes, fide ſtabiles, virtute conſtantes, flammis ac pœnis vrgentibus fortiores, ſoli ſe Deo ſeruire, ſolum noſſe, ſolum colere proclamant dicentes : Nabuchodonoſor rex, non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. Eſt enim Deus, cui nos ſeruimus, potens nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberabit nos. Et ſi non, notum ſit tibi, quia diis tuis non ſeruimus, [h] & ſtatuam auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Et Daniel Deo deuotus, & ſancto Spiritu plenus exclamat & dicit : Nihil colo ego niſi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram. Tobias quoque ſub regali licet ac tyrannica ſeruitute, ſenſu tamen ac ſpiritu liber, confeſſionem ſuam Deo ſeruat, & virtutem maieſtatemque diuinam ſublimiter prædicat, dicens : Ego in terra captiuitatis meæ confiteor illi, & oſtendo virtutem eius in natione peccatrice. Quid verò in Machabeis ſeptem fratres & natalium pariter & virtutum ſorte conſimiles ſeptenarium numerum ſacramento perfectæ conſummationis implentes ? ſic ſeptem fratres

in

a *Sed triſtitia veſtra in lætitiam veniet.* Affligin. & quidem Morel. *vertetur in gaudium* ſeu *lætitiam.* verùm prius legitur ſuprà lib. de Mortalitat. nec diſſentit quod græcè legitur *εἰς χαρὰν γενήσεται.* PAM.

b NON ESSET SALVA OMNIS CARO.] In Ben. & Ver. *non liberaretur.* RIG.

c SIGNA MAGNA ET PRODIGIA.] Ben. & Ver. *ſigna magna & portenta. Idem.*

d VBI FVERIT CORPVS.] Ben. & Ver. & Fox. *Vbi fuerit cadauer.* Mutauere, qui hunc locum ad Corpus Chriſti tranſtulerunt. *Idem.*

e TENEBRESCET.] Ben. & Ver. tenebricabit. *Idem.*

f *Et lamentabuntur.* M S. quidem & exc. adijciunt, *ſe* : ſed id apud Matthæum neque græcè neque latinè legitur, & tamen mihi videtur alibi legere Cyprianus : *plangent ſe.* Illud autem : *cum tuba magna*, rectè ſubſtituerunt Grau & Man. ex M S. prò eo quod erat ; *virtute magna & claritate cum turba magna.* PAM.

g A QVATVOR VENTIS.] Adijcitur in Veronenſi, *à quatuor ventis cæli.* RIG.

h ET STATVAM AVREAM.] Beneuent. & Veronenſi *imaginem. Idem.*

in martyrio cohærentes, vt primi in diſpoſitione diuina[a] ſeptem dies annorum ſeptem millia continentes, vt ſeptem [b] ſpiritus & angeli ſeptem qui aſſiſtunt & conuerſantur ante faciem Dei, [c] & lucernæ ſeptiformes in tabernaculo martyrij, & in Apocalypſi ſeptem candelabra aurea, & apud Salomonem columnæ ſeptem, ſuper quas ædificauit domum ſapientia: ita & iſtic ſeptem fratrum numerus, eccleſias ſeptem numeri ſui quantitate complexus, ſecundùm quod in primo Regnorum libro legimus, ſterilem ſeptem peperiſſe. Et apud Eſaïam: Septem mulieres vnum hominem apprehendunt, cuius inuocari ſuper ſe nomen expoſcunt. Et Apoſtolus Paulus qui huius legitimi numeri & certi meminit ad ſeptem eccleſias ſcribit. Et in Apocalypſi Dominus mandata ſua diuina, & præcepta cæleſtia ad ſeptem eccleſias, & earumdem angelos dirigit, qui nunc iſtic in fratribus numerus inuenitur, vt conſummatio legitima compleatur. Cum ſeptem liberis planè copulatur & mater origo & radix; quæ eccleſias ſeptem poſtmodum peperit, [d] ipſa prima & vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Nec vacat quod in paſſionibus ſola cum liberis mater eſt. Martyres enim qui ſe Dei filios in paſſione teſtantur, iam non niſi Deo patre cenſentur; ſicut in Euangelio Dominus docet, dicens: Ne vocaueritis vobis patrem ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt. Quæ verò ediderunt confeſſionum præconia, quàm præclara quàm magna documenta fidei præbuerunt: Rex Antiochus infeſtus, immò in Antiocho antichriſtus expreſſus, ora martyrum glorioſa & ſpiritu confeſſionis inuicta contagio ſuillæ carnis maculare quærebat, & cum flagellis grauiter verberaſſet, ac nihil promouere potuiſſet, ſartagines iuſſit igniri: quibus ignitis & accenſis, eum qui primus locutus fuerat, & magis regem virtutis & fidei conſtantia prouocauerat, admoueri præcepit & frigi; producta & exſecta prius lingua, quæ confeſſa Deum fuerat: quod martyri glorioſius contingit; lingua enim confeſſa nomen Dei, prior ad Deum debuit ipſa proficiſci. Poſt in ſecundo excogitatis acrioribus pœnis, antequam cætera membra torqueret, cutem capitis cum capillis detraxit, odio ſcilicet cert. Nam cùm caput viri Chriſtus ſit, & caput Chriſti Deus; qui caput laniabat in martyre Deum, & Chriſtum perſequebatur in capite. At ille in martyrio ſuo fidens, & reſurrectionis ſibi præmium de Dei remuneratione promittens exclamauit & dixit: Tu quidem impotens ex hac præſenti vita nos perdis; ſed mundi rex defunctos nos pro ſuis legibus in æternam vitæ reſurrectionem ſuſcitabit. Tertius linguam poſtulatus citò protulit: nam pœnam linguæ exſecandæ iam didicerat à fratre contemnere; manus quoque amputandas conſtanter extendit, multum beatus genere iſto ſupplicij, cui contigit extenſis ad pœnam manibus paſſionis Dominicæ inſtar imitari. Nec & non quartus pari virtute tormenta contemnens, & ad retundendum regem cæleſti voce reſpondens exclamauit & dixit: Potius eſt ab hominibus morti datos expectare ſpem à Deo [e] iterum ab eo ſuſcitandos in vitam æternam: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit. Quintus præter quod carnificinam regis, & duros variosque cruciatus fidei vigore calcabat ad præſcientiam quoque & notitiam futurorum ſpiritu diuinitatis animatus prophetauit regi, indignationem Dei & vltionem velociter ſecuturam: Poteſtatem, inquit, inter homines habens, cùm ſis corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare genus noſtrum à Deo derelictum eſſe. [f] Suſtine & vide magnam poteſtatem eius, qualiter te & ſemen tuum torquebit. [g] Quale illud leuamentum fuit martyri, quàm grande ſolatium, in cruciatibus ſuis non tormenta propria cogitare, ſed tortoris ſui ſupplicia prædicare? In ſexto verò non virtus ſola, ſed & humilitas prædicanda eſt; nihil ſibi martyrem vindicaſſe, nec confeſſionis ſuæ honorem [h] ſuperbis vocibus ventilaſſe, peccatis potius ſuis adſcripſiſſe, quod perſecutionem à rege pateretur; Deo verò dediſſe quod poſtmodum vindicaretur. Docuit eſſe martyres verecundos, de vltione fidere, & nihil in paſſione jactare: Noli, inquit, fruſtra errare: nos enim propter noſmetipſos, hæc patimur peccantes in Deum noſtrum. Tu autem [i] ne te exiſtimes [k] impunè futurum, aggreſſus pugnare cum Deo. Admirabilis quoque mater, quæ nec ſexus infirmitate, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos ſpectauit libenter, nec pœnas illas pignorum, ſed glorias computauit, tam grande martyrium Deo præbens virtute oculorum ſuorum, quàm præbuerant filij eius tormentis & paſſione membrorum: Cum ſex punitis & occiſis ſupereſſet vnus ex fratribus, cui rex diuitias,

a *Septem Dies ſeptem ann. millia.* Procul hiſce verbis ab errore Millenariorum, non eſſe Cyprianum quidam ſuſpicantur. difficilis ſanè eſt huius loci explicatio. Alludere ſanctum Martyrem crederem ad illud pſal. 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos ſicut dies heſterna, &c* Et ad B. Petri epiſt. 2. cap 3. Non autem in illum errorem lapſum tam temere quis poteſt aſſeuerare? PRI.

b SPIRITVS ET ANGELI SEPT.] Ben. & Veron. *ſpiritus aut angeli ſept.* RIG.

c ET LVCERNÆ SEPTIFORMES IN TABERNACVLO MARTYRII.] In exemplari Foxienſi: Et lucerna ſeptiformis in tabernaculo martyrij. Superſcriptum eſt alia manu, ſed tamen antiqua, *tabernaculo* ∴ *cyſi. Idem.*

d IPSA PRIMA ET VNA SVPER PETRVM.) Sic aiunt reperiri in exemplaribus Ben. & Ver. At in Foxienſi quod egomet inſpexi, manifeſtiſſimè ſcriptum fuerat, *ſuper petram.* Manus recentior, antiqua tamen, duobus obeliſcis perſtrinxit A, & ſuperſcripſit V. *Idem.*

e ITERVM AB EO SVSCITANDOS.) In Ben. & Veron. *ſuſcitari.* Quod ſequitur, *in vitam æternam*, non legitur in Beneu. neque in Veron. *Idem.*

f SVSTINE ET VIDE MAGNAM POTESTATEM.] In Beneu. & Veron. *Suſtine & vide, magna poteſtas eius qualiter te & ſemen tuum torquebit. Idem.*

g *Quale illud leuamentum, &c* MS. hæc lectio placet præ vulgata: *Martyrij*, eo quod ſequitur *cruciatibus ſuis*, atque noua vox eſt, *leuamentum*. PAM.

h SVPERBIS VOCIBVS VENTILASSE.) Suprà, Epiſt. ad Antonianum; *Multa multorum vocibus ventilentur* RIG.

i NE TE EXISTIMES IMPVNE FVTVRVM.) In Ben. & Veron. *impunitum futurum. Idem.*

k *Impune futurum.* Sic rectiùs Affligin. & exc cæteri, quàm Cambr. & Manus *impunitum futurum*, eſt græcè ἀθῷος ἔσῃ. PAM.

tias, & potentatus, & multa pollicebatur, vt crudelitas eius ac feritas vel vnius ſubacti ſolatio foueretur, & peteret vt ad filium deijciendum ſecum deprecaretur & mater; deprecata eſt illa, ſed vt decebat martyrum matrem, vt decebat legis & Dei memorem, vt decebat filios ſuos non delicate; ſed fortiter diligentem. Deprecata eſt enim, ſed vt Deum confiteretur: deprecata eſt ne à fratribus ſuis frater in conſortio laudis & gloriæ ſepararetur: tunc ſe ſeptem filiorum computans matrem, ſi ſibi contingeret filios ſeptem Deo potiùs peperiſſe, non ſæculo. Armans itaque eum & corroborans, & feliciore tunc partu filium generans: Fili, inquit, miſerere mei, [a] quæ te in vtero menſibus nouem portaui, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Oro fili, aſpicias in cælum & terram; & omnibus quæ in eis ſunt aſpectis, intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: [b] Itaque fili ne timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus effectus excipias mortem, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Magna laus matris in exhortatione virtutis; ſed major in Dei timore & in fidei veritate, quod nihil ſibi aut filio de ſex martyrum honore promiſit, nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis ſalutem: perſuaſit potiùs participem paſſionis fieri, vt in iudicij die poſſet cum fratribus inueniri. [c] Poſthæc liberis ſuis commoritur & mater, neque enim aliud iam decebat, quam vt quæ martyres pepererat, & fecerat, in conſortio illis gloriæ iungeretur; & quos ad Deum præmiſerat, ipſa quoque ſequeretur. Ac ne quis vel libelli, vel alicuius rei oblata ſibi occaſione qua fallat, amplectatur decipientium malum munus; [d] nec Eleazarus tacendus eſt, qui cùm ſibi à miniſtris regis offerretur facultas, vt accepta carne qua liceret ſibi veſci, ad circumueniendum regem ſimularet ſe illa edere, quæ de ſacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur; conſentire ad hanc fallaciam noluit, dicens: nec ætati ſuæ, nec nobilitati conuenire id fingere, quo cæteri ſcandalizarentur, & in errorem inducerentur, exiſtimantes Eleazarum nonaginta annos natum ad alienigenarum morem, relicta & prodita Dei lege tranſiſſe: nec tanti eſſe lucrari breuia vitæ momenta, vt offenſo Deo incurreret æterna ſupplicia. At ille excruciatus diu, & in extremo iam conſtitutus, cùm inter verbera & tormenta moreretur, ingemiſcens ait: Domine qui ſanctam habes ſcientiam, manifeſtum eſt, quia cùm poſſem à morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero flagellis vapulans; animo autem propter tui ipſius metum libenter hæc patior. Sincera prorſus fides & virtus integra ac ſatis pura, non regem Antiochum cogitaſſe, ſed Deum iudicem; & ſciſſe proficere ſibi ad ſalutem non poſſe, ſi hominem derideret ac falleret; quando Deus qui conſcientiæ noſtræ iudex eſt, & ſolus timendus eſt, nec derideri poſſit omninò nec falli. Si igitur & nos dicati ac deuoti Deo viuimus, ſi ſupra iuſtorum antiqua & ſancta veſtigia iter facimus: per eadem documenta pœnarum, per eadem paſſionum martyria purgamus; hoc ampliorem gloriam computantes temporis noſtri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis ac fidei, numerari non poſſunt martyres Chriſtiani; teſtante Apocalypſi & dicente: [e] Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu & populo & lingua, ſtantes in conſpectu throni, & agni: & erant [f] amicti ſtolas albas, & palmæ fuerunt in manibus eorum, & magno clamore dicebant: Salus deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno: & reſpondit vnus ex ſenioribus dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolas albas, qui ſunt, & vnde venerunt? Et dixi ei: Domine mi tu ſcis: & ait mihi: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni: propter hoc ſunt in conſpectu throni Dei, & [g] ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius. Quòd ſi tantus oſtenditur & probatur Chriſtianorum martyrum populus; nemo difficile vel arduum putet eſſe martyrem fieri, quando videat martyrum populum non poſſe numerari.

CAP.

a QVÆ ET IN VTERO MENSIBVS NOVEM.] In Beneuentano & Veron *menſibus decem.* Rectè. RIG.

a *Quæ te in vtero menſibus nouem portaui.* Etiam hic mallem lectionem MSS. & Grauij: *decem* niſi obſtaret & Latinus & Græcus contextus. eſt enim vſitata ea lectio veteribus tam ſacris quàm prophanis auctoribus. Sic ſap. 7. Sum quidem & ego mortalis homo decem menſium tempore coagulatus: Sic iuxta MS. cod. Hieronymi. lib. adu. Heluidium. Sacri ventris hoſpitium, cuius decem menſibus habitator fuit. Ambroſ. quoque ſimiliter ſerm. 15 in Pſal. 118. Item Voluſianus Aug. Miror verum mundi Dominus & rector intemeratæ fœminæ corpus impleuerit, pertulerit decem menſium longa illa faſtidia mater. vbi alludit ad illud Virgil Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes. Similiter Terentius- Compreſſu facta eſt grauida, menſis hic decimus eſt. PAM.

b ITAQVE FILI NE TIMEAS.] In Veronenſi: Ita fiet, nec timeas. RIG.

c POSTHÆC LIBERIS SVIS COMMORITVR.) Poſthæc cum liberis ſuis commoritur, & mater. *Idem.*

d NEC ELEAZARVS TACENDVS EST.] In Ben. & Ver. Eliezer quomodo etiam in Tertulliano Agobardi. *Idem.*

e TVRBAM MAGNAM.] In Ver. *turbam multam. Idem.*

f AMICTI STOLAS ALBAS.] In Ver. *ſtola alba. Idem.*

h SERVIVNT EI DIE AC NOCTE IN TEMPLO EIVS.] In Ben. & Ver. *ſeruiunt in templo eius.* Rectè. *Idem.*

CAPVT XII.

Quæ ſpes, & merces maneat iuſtos & martyras poſt conflictationes huius temporis & paſſiones, per Salomonem Spiritus ſanctus oſtendit & præcauit, dicens: Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis benè diſponentur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos, dignos ſe. Tamquam aurum in

fornace probauit illos, & [a] quaſi holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum. Item apud eumdem vindicta noſtra deſcribitur, & perſequentium nos atque infeſtantium pœnitentia prædicatur. Tunc ſtabunt, inquit, iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes inter ſe, pœnitentiam agentes, & [b] præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos aliquando habuimus [c] in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quomodo ergo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulauimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra. Item in pſalmo 115. pretium & merces paſſionis oſtenditur: Pretioſa eſt, inquit, in conſpectu Domini [d] mors ſanctorum eius. Item in pſalmo 125. triſtitia conflictationis, & lætitia retributionis exprimitur. Qui ſeminant, inquit, in lachrymis, in gaudio metent. Ambulantes [e] ambulabant & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient in exultatione portantes gremia ſua. Et iterum in pſalmo 118. Beati qui immaculati ſunt in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui perſcrutantur martyria eius, in [f] toto corde exquirunt eum. Item Dominus in Euangelio, vltor ipſe perſecutionis noſtræ [g] & remunerator paſſionis: Beati, inquit, qui perſecutionem paſſi fuerint propter iuſtitiam quia ipſorum eſt regnum cælorum. Et iterùm: Beati eritis cùm odio vos habuerint homines, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro, quaſi nequam propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis. Et iterùm: Qui perdiderit animam ſuam propter me, hic ſaluabit illam. Nec ſolos animaduerſos & interfectos diuinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiam ſi ipſa paſſio fidelibus deſit, fides tamen integra atque inuicta perſtiterit, & contemptis ac relictis ſuis omnibus Chriſtum ſe ſequi Chriſtianus oſtenderit, ipſe quoque à Chriſto inter martyres honoratur, pollicente ipſo & dicente: Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantùm in iſto tempore, in ſæculo autem venturo vitam æternam. Item in Apocalypſi hoc idem loquitur: Et vidi, inquit, animas occiſorum [h] propter nomen Ieſu & ſermonem Dei, & cùm primo in loco poſuiſſet occiſos, addidit, dicens: Et quicumque imaginem beſtiæ non adorauerunt, [i] nec acceperunt inſcriptionem in fronte aut in manu ſua; quos vniuerſos à ſe in eodem loco ſimul viſos coniungit & dicit: & vixerunt & regnauerunt cum Chriſto. Viuere omnes dicit & regnare cum Chriſto, non tantùm qui occiſi fuerint, ſed & quicumque in fidei ſuæ firmitate, & Dei timore perſtantes, imaginem beſtiæ non adorauerint, neque ad funeſta eius, & ſacrilega edicta conſenſerint. Plus nos accipere in paſſionis mercede, quàm quod hic ſuſtinemus in ipſa paſſione, probat beatus Apoſtolus Paulus, qui dignatione diuina vſque in tertium cælum atque in paradiſum raptus, audiſſe ſe inenarrabilia verba teſtatur; qui [k] occulata fide Ieſum Dominum vidiſſe ſe gloriatur, qui id quod & didicit & vidit, maiori conſcientiæ veritate profitetur. Non ſunt, inquit, condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis. Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem peruenire, vt amicus Dei fiat, vt cum Chriſto ſtatim gaudeat? vt poſt tormenta & ſupplicia terrena, præmia diuina percipiat? Si militibus ſæcularibus glorioſum eſt, vt hoſte deuicto redeant in patriam triumphantes: quantò potior & maior eſt gloria, victo diabolo ad paradiſum triumphantem redire, & vnde Adam peccator eiectus eſt, illuc proſtrato eo qui antè deiecerat, trophæa victricia reportare? offerre Deo acceptiſſimum munus, incorruptam fidem, & virtutem mentis incolumem, laudem deuotionis illuſtrem? comitari eum, cùm venire cœperit, vindictam de inimicis recepturus? lateri eius aſſiſtere, cùm ſederit iudicaturus? cohæredem Chriſti fieri? angelis adæquari? cum Patriarchis, cum Apoſtolis, cum

Prophetis

a QVASI HOLOCAVSTA HOSTIÆ.] In Beneuent. & Ver. quaſi holocauſtam hoſtiam. Quo modo etiam in eodem Cod. Ver. legitur Epiſt LXXXI. RIG.

a *Quaſi holocauſta hoſtia.* Grau. legit cum vulg. interprete: *holocauſti hoſtiam*, ſed prius legunt MS. tum hic tum teſt. lib. 3. cap. 15. & accedit magis ad id quod Græcè eſt *ὁλοκάρπωμα θυσίας*, quare & ſupra epiſt. 81. Ita quoque legendum. Rurſum autem Salomoni hunc librum adſcribit. PAM.

b PRÆ ANGVSTIA.] Ben. & Ver. *per anguſtiam*. RIG.

b *Præ anguſtia.* Morellus legendum putat *per anguſtiam*, eò quòd Græcè ſit *διὰ στενοχωρίαν*. Sed prius habent MS. & exc. tum hic tum loco citato, nec repugat ſignificatio vocis *διὰ*. PAM.

c IN DERISVM ET IN SIMILITVDINEM.] Ver. *in riſu & in ſimilitudine impr.* RIG.

d MORS SANCTOR. EIVS.] In Beneuent. & Veron. *mors iuſtorum eius. Idem.*

e AMBVLABANT ET FLEBANT.] In Ben. & Ver. *ambul. & plorabant. Idem.*

f TOTO CORDE EXQVIRVNT.] In Beneu. & Ver. *toto corde inquirunt. Idem.*

g ET REMVNERATOR PASS.] In Ben. & Ver. *& munerator paſſionis eius.* Rectè. *Idem.*

h PROPTER NOMEN EIVS ET SERMONEM DEI.] In Veron *propter nomen Dei & teſtimonium Ieſu. Idem.*

i NEC ACCEPERVNT INSCRIPTIONEM.] Ver. *nec acceperunt notam & inſcript. Idem.*

k OCVLATA FIDE.] Sic legitur in Ben. & Ver. perperam in Romana edit. *occulta. Idem.*

k *Qui oculata fide Ieſum Dominum vidiſſe ſe gloriatur.* Ita hunc locum reſtitui ex Cambr. & quodam vetuſtiſſimo Morelli cod. Quum enim eiuſdem epiſt. 15. dicat Apoſtolus. Nouiſſimè autem omnium tamquam abortiuo viſus eſt & mihi, non vidit Ieſum, occulta fide dumtaxat, ſed oculata, id eſt per apparitionem ocularem. PAM.

Prophetis cæleſtis regni poſſeſſione lætari ? Has cogitationes quæ perſecutio poteſt vincere, quæ poſſunt tormenta ſuperare ? Durat fortis & ſtabilis religioſis meditationibus fundata mens : & aduerſus omnes diaboli terrores & minas mundi, animus immobilis perſtat ; quem futurorum fides certa & ſolida corroborat. [a] Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet cælum : minatur antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur : mors infertur, ſed immortalitas ſequitur : occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto paradiſus exhibetur : vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta eſt dignitas & quanta ſecuritas, exire hinc lætum, exire inter preſſuras & anguſtias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim vt Deus videatur & Chriſtus ? Tam feliciter migrandi, quanta velocitas ? terris repentè ſubtraheris, vt in regnis cæleſtibus reponaris. Hæc oportet mente & cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari. Si talem perſecutio inuenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta. Vel ſi accerſitio antè præuenerit, ſine præmio non erit fides, quæ erat ad martyrium præparata. Sine damno temporis merces iudice Deo redditur : in perſecutione militia ; in pace, conſcientia coronatur.

[a] TES-

a CLAVDVNTVR OCVLI IN PERSEC. TERRÆ.] -- ſcriptis ; ſcilicet. RIG. Rectè in Ben. & Vet. *Clauduntur in perſecutionibus terra*. Pro- --

---

[a] TESTIMONIORVM LIBRI TRES AD QVIRINVM

PRÆFATIO IN DVOS LIBROS PRIORES.

CYPRIANVS QVIRINO FILIO SALVTEM.

Obtemperandum fuit, fili chariſſimè, deſiderio tuo ſpiritali, impenſiſſima petitione Diuina magiſteria poſcenti, quibus nos Dominus per ſcripturas ſanctas erudire & [b] inſtituere dignatus eſt, vt à tenebris erroris abducti, & luce eius pura & candida luminati, viam vitæ per ſalutaria ſacramenta teneamus. Et quidem ſicut petiſti, ita à nobis ſermo compoſitus, & libellus compendio breuiante digeſtus eſt : vt quæ ſcribebantur, non copia latiore diffunderem ; ſed quantum mediocris memoria ſuggerebat, excerptis capitulis & annexis neceſſaria quæque colligerem, quibus non tam tractaſſe, quàm tractantibus materiam præbuiſſe videamur. Sed & legentibus breuitas eiuſmodi plurimum prodeſt, dum non intellectum legentis & ſenſum [c] liber longior ſparſit, ſed ſubtiliore compendio id quod legitur tenax memoria cuſtodit. Complexus ſum verò [d] libellos duos [e] pari æqualitate moderatos. Vnum, quo oſtendere eniſi ſimus ; Iudæos ſecundùm quæ fuerant antè prædicta, à Deo receſſiſſe, & indulgentiam Domini quæ ſibi iampridem data, & in poſterum promiſſa fuerat, perdidiſſe ; ſucceſſiſſe verò in eorum locum Chriſtianos fide Dominum promerentes, & de omnibus gentibus ac de toto orbe venientes. Item libellus alius [f] continet Chriſti ſacramentum, quod idem venerit, qui ſecundùm ſcripturas annunciatus eſt ; & geſſerit ac perfecerit vniuerſa quibus intelligi & cognoſci poteſt, quod ipſe ſit qui prædictus eſt. quæ [g] legenti tibi interim proſint [h] ad prima fidei liniamenta formanda. Plus roboris tibi dabitur, & magis ac magis intellectus cordis operabitur, ſcrutanti ſcripturas veteres ac nouas plenius, & vniuerſa librorum ſpiritalium volumina perlegenti. Nam nos nunc de diuinis fontibus impleuimus modicum, quod tibi interim mitteremus. Bibere vberius & ſaturari copioſius poteris, ſi tu quoque ad eoſdem diuinæ plenitudinis fontes nobiſcum pariter potaturus acceſſeris. Opto te fili chariſſime, ſemper benè valere.

CA-

a TESTIMONIORVM LIB.] Quæ ſcilicet teſtimonium perhibent de Chriſto & Chriſtianæ ſectæ diſciplina. RIG.

b INSTITVERE DIGNATVS EST.] Beneuent. & Ver. *inſtruere. Idem.*

c LIBER LONGIOR SPARGIT.] In Veron. *ſpargeret ; ſed vtiliore compendio id quod legitur tenax memoria cuſtodiret. Idem.*

d. DVOS LIBELLOS.] Vnde igitur liber tertius ? quem certè non habet vetus editio. Et tamen habetur in exemplaribus. *Idem.*

d *Duos libellos.* Tertium non addit, eò quod vt mihi videtur, è tribus hiſce libris, duos priores peculiariter magis ad Iudæos ſpectent, tertius verò ad vitæ inſtitutionem accommodatus eſt. vnde mirari non debuit vir eruditus & benè de Cypriano ac Chriſtianis omnibus meritus Nic. Rigaltius, cur de tertio nihil addiderit, ex ſequentibus id facilè eſt colligere. PRI.

e PARI ÆQVALITATE.] Rectiùs in Veronenſi. *pari qualitate.* RIG.

f CONTINET CHRISTI SACRAMENTVM.] Nempè incarnationem ſiue incorporationem, hoc eſt, Carnem & corpus Domini noſtri, ea ſcilicet quæ in carne ſiue corpore peregit pro ſalute hominum. *Idem.*

g LEGENTI TIBI.] In Veronenſi *legentibus interim proſint. Idem.*

h PRIMA FIDEI LINEAMENTA.] In Ver. *prima fidei. Idem.*

CAPITVLA LIBRI PRIMI.

1. Iudæos in offenſam Dei grauiter deliquiſſe, quod Dominum dereliquerint, & idola ſecuti ſint.

2. Item quod prophetis non crediderint, & eos interfecerint.

3. Antè prædictum, quod Dominum neque cognituri, neque intellecturi, neque recepturi eſſent.

4. Quod ſcripturas ſanctas intellecturi Iudæi non eſſent, intelligi autem haberent in nouiſſimis temporibus, poſteaquam Chriſtus veniſſet.

5. Nihil poſſe Iudæos intelligere de ſcripturis, niſi prius crediderint in Chriſtum.

6. Quod Hieruſalem perdituri eſſent, & terram quam acceperant relicturi.

7. Item quod eſſent amiſſuri lumen Domini.

8. Quod circumciſio prima carnalis euacuata ſit, & ſecunda ſpiritalis repromiſſa ſit.

9. Quod lex prior quæ per Moyſen data eſt, ceſſatura eſſet.

10. Quod lex noua dari haberet.

11. Quod diſpoſitio alia & Teſtamentum nouum darì haberet.

12. Quod baptiſma vetus ceſſaret, & nouum inciperet.

13. Quod iugum vetus euacuaretur, & iugum nouum daretur.

14. Quod paſtores veteres ceſſaturi eſſent, & noui inciperent.

15. Quod domus & templum Dei Chriſtus futurus eſſet, & ceſſaſſet templum vetus, & nouum cœpiſſet.

16. Quod ſacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur.

17. Quod ſacerdotium vetus ceſſaret, & nouus ſacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet.

18. Quod propheta alius ſicut Moyſes promiſſus ſit, ſcilicet, qui teſtamentum nouum daret, & qui magis audiri deberet.

19. Quod duo populi prædicti ſint maior & minor, id eſt, vetus Iudæorum, & nouus qui eſſet ex nobis futurus.

20. Quod Eccleſia, quæ prius ſterilis fuerat, plures filios habitura eſſet ex gentibus, quàm quot ſynagoga ante habuiſſet.

21. Quòd gentes magis in Chriſtum crediture eſſent.

22. Quod panem & calicem Chriſti, & omnem gratiam eius amiſſuri eſſent Iudæi, nos verò accepturi: & quod Chriſtianorum nouum nomen benediceretur in terris.

23. Quod ad regnum cælorum magis gentes quàm Iudæi perueniant.

24. Quod ſolo hoc Iudæi accipere veniam poſſint delictorum ſuorum, ſi ſanguinem Chriſti occiſi baptiſmo eius abluerint, & in Eccleſiam tranſeuntes præceptis eius obtemperauerint.

TESTIMONIORVM LIBER PRIMVS ADVERSVS Iudæos ad Quirinum.

CAPVT PRIMVM.

IVDÆOS in offenſam Dei grauiter deliquiſſe, quòd Dominum dereliquerint, & idola ſecuti ſint, in Exodo populus ad Aaron: Exſurge, & fac nobis deos qui nos præcedant, quia Moyſes vir hic qui nos eiecit de Ægypto, quid ei acciderit, non ſcimus. Item illic Moyſes ad Dominum: Precor, ait, Domine, deliquit populus hic delictum grande: fecerunt ſibi deos aureos & argenteos, & nunc ſi dimittis ei delictum, dimitte: ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis deliquit ante me, deleam illum de libro meo. Item in Deuteronomio: Sacrificauerunt dæmoniis & non Deo. Item libro Iudicum: Et fecerunt filij Iſraël malignum coram Domino Deo patrum ſuorum, qui eiecit eos de terra Ægypti, & ſecuti ſunt [a] Deos gentium, quæ circa illos ſunt; & offenderunt Dominum, & reliquerunt Deum [b] & ſeruierunt Baal. Item illic: Et adiecerunt filij Iſraël iterum facere malignum coram Domino & ſeruierunt Baal & Diis alienigenarum, & reliquerunt Dominum, & non ſeruierunt illi. Derelictus eſt Iuda, & abominatio facta eſt in Iſraël & in Hieruſalem, quoniam profanauit Iudas ſancta Domini, in quibus dilexit & affectauit Deos alienos. Exterminabit Dominus hominem qui facit hæc, & humilis efficietur in tabernaculis Iacob apud Malachiam.

2. Item quod prophetis non crediderint, & eos interfecerint apud Hieremiam Dominus dicit: Miſi ad vos ſeruos meos prophetas, ante lucem mittebam (& non audiebatis me, neque intendebatis auribus veſtris) dicens: Conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & à nequiſſimis affectationibus veſtris; & habitabitis in terra iſta, quem dedi vobis & patribus veſtris, à ſæculo & vſque in ſæcula. Item illic: Nolite ambulare poſt deos alienos vt ſeruiatis, & ne adoraueritis eos, & ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendos vos; & non

a DEOS GENTIVM.) Ben & Vet. *deos à gentibus*. RIG.

b *Et ſeruierunt Baal, &c.* Hæc verba omiſſa rurſum adiecimus ex vtroque MSS. Nam ſi hæc prætermittenda ſint eo quod hodiè 70. non legant; neque legendum quod ſequitur, *& non ſeruierunt ei*. Atqui vtrumque habent cæteri excuſi omnes; & poſtremum ipſe Manutius. PAM.

non audiſtis me. Item in Βασιλειῶν libro tertio, Helias ad Dominum: Æmulando æmulatus ſum Domino Deo omnipotenti; quia dereliquerunt te filij Iſraël, altaria tua demolierunt, & prophetas tuos interfecerunt gladio, & remanſi ego ſolitarius, & quærunt animam meam auferre eam. Item in Heſdra: Deſciuerunt à te, & abiecerunt legem tuam poſt dorſum ſuum & prophetas tuos interfecerunt, qui obteſtabantur eos vt reuerterentur ad te.

3. Antè prædictum quod Dominum neque cognituri, neque intellecturi neque recepturi eſſent, apud Eſaïam: Audi cælum, & [a] percipe auribus terra, quoniam Dominus locutus eſt: Filios generaui & exaltaui, [b] ipſi autem me reprobauerunt. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus [c] præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis. Semen nequam, filij ſceleſti, reliquiſtis Dominum & in indignationem miſiſtis illum ſanctum Iſraël. Item apud eumdem Dominus dicit: Vade & dic populo iſti: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſauit enim cor populi huius; & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos concluſerunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & reuertantur, & curem illos. Item apud Hieremiam Dominus dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt ſibi lacus detritos, qui non poterunt aquam portare. Item apud eumdem: Ecce ſermo Domini factus eſt eis in maledictum, & non volunt illum. Item apud eumdem Dominus dicit: Cognouit tempus ſuum turtur & hirundo, ruris paſſeres cuſtodierunt tempora introitus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quo modo dicetis, ſapientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? [d] Incaſſum facta eſt metatura falſa, ſcribæ confuſi ſunt, ſapientes trepidauerunt, & capti ſunt, quia verbum Domini reprobauerunt. Item apud Salomonem: Quærunt me mali, & non inuenient: odio enim habuerunt ſapientiam, ſermonem autem Domini non receperunt. Item in Pſalmo 27. Redde eis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus Domini. Item in Pſalmo 81. Non cognouerunt neque intellexerunt, in vmbra deambulabunt. Item [e] in Euangelio κατὰ Ioannem: In ſua propria venit: & ſui eum non receperunt. Quotquot eum receperunt, dedit illis poteſtatem vt filij Dei fierent, qui credunt in nomine eius.

4. Quod ſcripturas ſanctas intellecturi Iudæi non eſſent, intelligi autem haberent in nouiſſimis temporibus, poſteaquam Chriſtus veniſſet; apud Eſaïam: Et erunt vobis hi omnes ſermones ſicut ſermones libri qui ſignatus eſt: quem ſi dederis homini ſcienti litteras ad legendum, dicet: Non poſſum legere, ſignatus eſt enim. Sed in illa die audient ſurdi ſermones libri, & qui in tenebris & qui in nebula ſunt: oculi cæcorum videbunt. Item apud Heremiam: In nouiſſimo dierum cognoſcetis ea. Item apud Danielem: Muni ſermones, & [f] ſigna librum, vſque ad tempus conſummationis, quoad diſcant multi, & impleatur agnitio; quoniam cùm fiet diſperſio, cognoſcent omnia hæc. In epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt. Item in epiſtola ad Corinthios ſecunda: [g] Obtuſi ſunt ſenſus eorum vſque in hunc diem, hoc eodem velamento in lectione veteris teſtamenti manente, quod non reuelatur, quia in Chriſto euacuatur: & vſque in hodiernum, ſi quando legitur Moyſes, velamentum eſt ſuper cor eorum. Mox autem vt conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamentum. In Euangelio Dominus poſt reſurrectionem dicit: Iſti ſunt ſermones, quos locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum: quia oportet adimpleri omnia ſcripta in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me. Tunc adaperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, & dixit illis: Quia ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſam peccatorum vſque in omnes gentes.

5. Nihil poſſe Iudæos intelligere de ſcripturis, niſi prius crediderint in Chriſtum apud Eſaïam: Et, ſi non credideritis, neque intelligetis. Vnde Dominus in Euangelio. Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris. Fide autem ſtare iuſtitiam, & illic eſſe vitam, prædictum eſt apud Abacuc: [h] Iuſtus autem ex fide mea viuet. Inde Abraham pater gentium credidit. In Geneſi: Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam. Item Paulus ad Galatas: Abraham credidit Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam.

Cognocitis

a PERCIPE AVRIS.] Ver *Prabe aures*. RIG.

b *Ipſi autem me reprobauerunt*. Sic MSS. & Manut. Cyprianus ſupra lib de orat. Dom. & excuſi vulg. *me ſpreuerunt*, perinde eſt, Nam & græca vox vtrumque ſignificat, & Tertullian. quoque variat. libro enim adu. Iudæos legit *ſpreuerunt me*, & lib 3. adu. Marcionem *me reiecerunt*, & lib. de orat. *me non agnouerunt* PAM.

c PRÆSEPA DOMINI.] Ben *præſepium*. Ver. *præſepem*. RIG.

d *Incaſſum facta eſt metatura falſa*, *Metaura*, legunt Camb cod. Grau Morel. & Manut. pro eo quod Affligin. & alij *mæchatura*. Græcè eſt σχοῖνος quæ vox propriè iuncum ſignificat, quare quum iuncis marinis olim ſcribere ſoliti ſint veteres, rectè D. Hieronymus vertit ſtylum. Significat & funem: vnde σχοῖνον funiculus, quia ex vlna & iunco paluſtri (teſte Plinio lib. 21. cap. 1.) nectuntur & torquentur funes. Significat etiam idem quod σχοινισμὸς, id eſt, menſuram per funem. Vnde apud Herodotum σχοῖνος pro menſura terræ Perſica accipitur 60. ſtadiorum, ſeu iuxta Plin. 40. hanc ſignificationem reſpexit qui vertit: *metatura*, atque ideo magis placet lectio, quàm aliorum, *mæchatura*; præſertim quum infra cap 20. quod alij verterunt *funiculos*, Cyprianus, *menſuras* vertat. PAM.

e *In Euangelio κατὰ Ioan* Tum hic tum vbique toto hoc opere ſic legunt MSS. vterq. vet. exc. Morell Coſterius; quare & mihi placet magis quam vulgata, *ſecundum*, quod ſemel dixiſſe ſufficiat. *Idem*.

f SIGNA LIBRVM.] Ver. *Muni librum*. RIG.

g OBTVSI SVNT.] Ver. *Obtunſi Idem*

h *Iuſtus autem ex fide mea viuet*. Conſentiunt in hac lectione MSS. cum excuſis. Cauſam varietatis inter 70. interpretes & Hebræos vide apud D. Hieronymum in comment. PAM.

Cognoſcitis ergo quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura quia ex fide iuſtificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicti ſunt cum fideli Abraham.

6. Quod Ieruſalem perdituri eſſent, & terram quam acceperant relicturi; apud Eſaiam: Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ igni exuſtæ; regionem veſtram in conſpectu veſtro, [a] alieni comedent eam; & deſerta & ſubuerſa à populis alienis derelinquetur filia Sion, ſicut caſa in vinea, & ſicut cuſtodiarium in cucumerario, quaſi ciuitas quæ expugnatur. Et niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimilaremur. Item in Euangelio Dominus dicit: Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas miſſos ad te: quoties volui colligere filios tuos ſicut gallina pullos ſub alas ſuas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis [b] domus veſtra deſerta.

7. Item quòd eſſent amiſſuri lumen Domini apud Eſaiam: Venite ambulemus in lumine Domini: dimiſit enim populum ſuum domum Iſraël. Item in Euangelio κατὰ Ioannem: Fuit lumen verum quod illuminat omnem hominem [c] venientem in hunc mundum. In hoc mundo fuit, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Item illic: Qui non crediderit, iam iudicatus eſt: quia non credidit in nomine vnici filij Dei. Hoc autem eſt iudicium, quoniam lux venit in ſæculum, & magis dilexerunt tenebras quàm lucem.

8. Quod circumciſio prima carnalis euacuata ſit, & ſecunda ſpiritalis repromiſſa ſit; apud Hieremiam; Hæc dicit Dominus viris Iuda, & qui inhabitant Hieruſalem: Renouate inter vos nouitatem, & ne ſeminaueritis in ſpinis: circumcidite vos Deo veſtro, & circumcidite præputium cordis veſtri; ne exeat ſicut ignis ira mea, & exurat, & non ſit qui extinguat. Item Moyſes dicit: In nouiſſimis diebus circumcidet Deus cor tuum & cor ſeminis tui, ad Dominum Deum amandum. Item apud Ieſum Naue: Et dixit Dominus ad Ieſum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & aſſidens circumcide ſecundò filios Iſraël. Item Paulus ad Coloſſenſes: Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione carnis, ſed in circumciſione Chriſti. Item quòd Adam primus à Deo factus incircumciſus, & Abel iuſtus, & Enoch qui Deo placuit & tranſlatus eſt. [d] Et Noë qui terris hominibuſque ob delicta pereuntibus ſolus in quo humanum genus ſeruaretur electus eſt: & Melchiſedech ſacerdos, ſecundùm cuius ordinem Chriſtus repromiſſus eſt, tum quod illud ſignaculum feminis non proficit. Signo autem Domini omnes ſignantur.

9. Quod lex prior quæ per Moyſen data eſt, ceſſatura eſſet, apud Eſaiam: Tunc manifeſti erunt qui ſignant legem, ne diſcant. Et dicet: Expecto Deum qui auertit faciem ſuam à domo Iacob & fidens ero in illum. Item in Euangelio: Omnes prophetæ & lex, vſque ad Ioannem prophetauerunt.

10. Quod lex noua dari haberet, apud Micheam: Quoniam lex de Syon proficiſcetur, & ſermo Domini de Hieruſalem. Et iudicabit inter plurimos populos, & reuincet & deteget validas nationes. Item apud Eſaiam: De Syon enim procedet lex, & verbum Domini de Hieruſalem, & iudicabit inter gentes. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo benè ſenſi, ipſum audite.

11. Quod diſpoſitio alia & teſtamenum nouum dari haberet, apud Hieremiam: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſraël, & domui Iuda teſtamentum nouum. Non ſecundùm teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum in die qua apprehendi manus eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; [e] quia non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dans leges meas, in ſenſum illorum ſcribam illas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in plebem; & non docebunt vnuſquiſque fratrem ſuum dicentes: Dinoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minimo vſque ad maximum eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non ero memor amplius.

12. Quod baptiſma vetus ceſſaret, & nouum inciperet; apud Eſaiam: Nolite ergo priora meminiſſe, & antiqua nolite reputare. Ecce facio noua quæ nunc orientur & cognoſcetis, & faciam in deſerto viam, & flumina in loco inaquoſo adaquare genus meum electum; plebem meam quam acquiſiui, vt virtutes meas exponeret. Item apud eumdem: [f] Si ſitierint, per deſerta adducet illos, aquam de petra producet illis: findetur petra, & fluet aqua; & bibet plebs mea. Item in Euangelio κατὰ Matthæum Ioannes dicit: Ego quidem vos baptizo

a *Alieni comedent eam.* MS. cum Morel. *alienigena*, ſed prius habet Tertullianus adu. Iudæos, aduerſus verò Marcionem lib. 3. legit, *extranei.* Sic etiam quod illic legit Tertullianus *cuſtodiarium*, hic legit *caſula.* PAM.

b DOMVS VESTRA DESERTA] In Ver. & Ben. tantùm habetur: *Relinquetur vobis domus veſtra.* RIG.

c VENIENTEM IN HVNC MVND.] In Ben. & Ver. *veniens in hunc mundum.* Idem.

d ET NOE QVI TERRIS.] In Ben. & Ver. & in edit. Rom. *& Noë qui in terris, omnibus ob delicta pereuntibus.* Idem

d QVIA NON PERMANSERVNT.] In Beneuent. & Veron. *Non ſecundùm teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, in die qua apprehendi manus eorum, vt educerem de terra Ægypti, permanſerunt in teſtamento meo.* Idem.

e *Quia non permanſerunt in teſtamento meo, &c.* Hæc vſq; ad finem capitis deſiderantur in vtroque MS. habent tamen vet. exc. & Propheta Hieremias. PAM.

f SI SITIERINT PER DESERTA.] Rectè in Beneuentano: *Si ſitierint per deſerta aquam de petra, findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea.* RIG.

ptizo in aqua in pœnitentiam; qui venit autem poſt me, fortior me eſt, cuius non ſum idoneus calciamenta portare. Ipſe vos baptizat in Spiritu ſancto & igni. Item κατὰ Ioannem: Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod enim natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt.

13. Quod iugum vetus euacuaretur, & iugum nouum daretur; in pſalmo ſecundo: a Ad quid tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ & principes collecti ſunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Diſrumpamus vincula eorum, & abiiciamus à nobis iugum eorum. Item in Euangelio κατὰ Matthæum Dominus dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: Iugum enim meum bonum eſt, & ſarcina leuis. Apud Hieremiam: In illa die contribulabo iugum à ceruice illorum, & vincula illorum diſrumpam, & non operabuntur illis, ſed operabuntur Domino Deo, & Dauid regem ſuſcitabo ipſis.

14. Quod paſtores veteres ceſſaturi eſſent, & noui inciperent; apud Ezechielem: Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos vt non paſcant oues meas, & iam non paſcent eas, & extraham oues meas de ore eorum, & paſcam eas cum iudicio. Apud Hieremiam Dominus dicit: Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina. b Item apud Hieremiam: Audite verbum Domini gentes & nunciate Inſulis quæ longè ſunt, dicite: qui diſpergit Iſraël congregabit illum & cuſtodiet ſicut paſtor gregem ſuum, quia eruit Dominus Iacob & eruit de manu fortioris illius.

15. Quod domus & templum Dei Chriſtus futurus eſſet, & ceſſet templum vetus & nouum cœpiſſet: Βασιλειῶν ſecundo: Et fuit verbum Domini ad Nathan dicens; Vade & dic ſeruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus: non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum: ſed erit, cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de vtero tuo, & parabo regnum eius; hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum eius in ſæcula, & ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, & fidem conſequetur domus eius, & regnum eius vſque in ſæcula in conſpectu meo. Item in euangelio Dominus dicit: Non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem qui non diſſoluatur. Et: poſt triduum aliud excitabitur ſine manibus.

16. Quod ſacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur; apud Eſaïam: c Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum dicit Dominus? Plenus ſum, holocauſtomata arietum & pinguamina agnorum, & ſanguinem taurorum, & hircorum nolo. Quis enim exquiſiuit iſta de manibus veſtris? Item in pſalmo quadrageſimo nono: Non edam carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam. Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua: Inuoca me in die preſſuræ, d & eruam te, & clarificabis me. Item in Pſalmo eodem: Sacrificium laudis clarificabit me, illic via eſt in qua oſtendam illi ſalutare Dei. Item pſalmo quarto: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Dominum. Item apud Malachiam: e Non eſt mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, & ſacrificium f acceptum non habebo ex manibus veſtris. Quoniam à ſolis ortu & vſque in occaſum clarificatum eſt nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, & ſacrificium mundum; quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus.

17. Quod ſacerdotium vetus ceſſaret, & nouus ſacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet; in pſalmo 109. Ante luciferum g genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Item in Βασιλειῶν primo Deus ad Heli ſacerdotem: Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidum, qui omnia quæ ſunt in corde meo faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit in conſpectu h Chriſtorum meorum omnibus diebus; & erit, qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ & in pane vno.

18. Quod propheta alius, ſicut Moyſes, promiſſus ſit, ſcilicet qui teſtamentum nouum daret, & qui magis audiri deberet; in Deuteron. Deus in Moyſen: Et dixit Dominus ad me: Prophetam excitabo eis de fratribus eorum ſicut te; Et dabo verbum meum in ore eius, & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei. Et quiſquis non audierit quæcumque loquutus fuerit propheta ille in nomine meo, ego vindicabo. De quo & Chriſtus in euangelio κατὰ Ioannem: Scrutamini ſcripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere; i hæ ſunt quæ teſtimonium

a *Ad quid tumultuata ſunt gentes.* MS. Iidem paulò poſt *proiiciamus*, ſed Tertull lib. 1. 2. & 3. adu. Marcion. prius legit, qui etiam modò *principes*, modò *magiſtratus* legit, & lib. de reſurrectione carnis *Archontes*. PAM.

b ITEM APVD HIEREM. AVDITE VERBVM.) Hic Scripturæ locus non habetur in Veronenſi. RIG.

c *Qui mihi multitudinem.* Repoſuimus hanc MS. lectionem pro eo quod erat, *Quid*, eo quod ſic etiam legat Tertullianus adu. Iudæos, vbi ita legit quod ſequitur. *Holocauſtomata & ſacrificia veſtra, & adipem hircorum & ſanguinem taurorum nolo.* PAM.

d ET ERVAM TE) Ver. *eximam te.* RIG.

e *Non eſt mihi voluntas circa vos.* MS. *voluptas*, ſed malè; eſt enim græcè θέλημα. Notatu autem dignum quod Tertullianus 1. adu. Marcionem, hunc interpretatur locum de ſacrificio Eccleſiæ. PAM.

e NON EST MIHI VOLVNTAS CIRCA VOS.] Ver. *in vobis.* RIG.

f ACCEPTVM NON HABEO.) Ver. *non accepto habeo.* Idem.

g GENVI TE.) Ben. & Ver. *generaui te.* Idem.

h CHRISTORVM MEORVM.) In Ver. *ſuorum.* Idem.

i HÆ SVNT QVÆ TESTIMONIVM PERHIBENT

monium perhibent de me; & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Nolite putare quia ego vos accuſo apud patrem, eſt qui vos accuſet Moyſes, in quem vos ſperatis. Si enim credidiſſetis Moyſi, crederetis & mihi; de me enim ille ſcripſit: Si autem illius ſcripturis non creditis, quo modo verbis meis credetis?

19. Quod duo populi prædicti ſint maior & minor, id eſt, vetus Iudæorum, & nouus qui eſſet ex nobis futurus, in Geneſi: Et dixit Dominus Rebeccæ: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & [a] duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Item apud Oſee: Vocabo non populum meum, populum meum; & non dilectam, dilectam. Erit enim quo loco dicetur non populus meus, illo loco vocabuntur filij Dei viui.

20. Quod Eccleſia quæ prius ſterilis fuerat, plures filios habitura eſſet ex gentibus, [b] quàm quot ſynagoga antè habuiſſet; apud Eſaïam: Iucundare ſterilis quæ non paris: erumpe, & exclama quæ non parturis; quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Dixit enim Dominus: [c] Dilata locum tabernaculi tui, & auleorum tuorum, & fige. Noli parcere, longas fac menſuras tuas, & palos tuos confirma. Adhuc in dexteram tuam & in ſiniſtram extende, & ſemen tuum gentes poſſidebit, & ciuitates deſertas inhabitabit. Noli timere quia reuinces. Neque reuerearis, quia maledicta es; quoniam confuſionem æternam obliuiſceris. Sic & Abrahæ cum de ancilla natus eſſet prior filius, Sarra ſterilis diu manſit, & ſerò in ſenecta de pollicitatione peperit filium Iſaac, qui fuit typus Chriſti. Sic & Iacob accepit vxores duas maiorem Liam oculis infirmioribus, in typum ſynagogæ; minorem ſpecioſam Rachel in typum Eccleſiæ, quæ & ſterilis diu manſit, & poſteà peperit filium Ioſeph, qui & ipſe fuit typus Chriſti. Et in Βασιλειῶν primo legitur, Helcana habuiſſe vxores duas, Phenennam cum filiis, & Annam ſterilem, ex qua naſcitur Samuel, non ſecundùm ordinem generandi, ſed ſecundùm Dei miſerationem & promiſſionem, cùm illa oraſſet in templo, & natus Samuel typus fuit Chriſti. Item in Βασιλειῶν primo: Sterilis ſeptem peperit, & quæ plurimos habebat filios infirmata eſt. Filij autem ſunt eccleſiæ ſeptem. Vnde & Paulus ſeptem eccleſiis ſcripſit; & Apocalypſis eccleſias ſeptem ponit, vt ſeruetur ſeptenarius numerus: vt dies ſeptem, quibus Deus mundum fecit: vt angeli ſeptem qui aſſiſtunt & conuerſantur ante faciem Dei, [d] ſicut Raphaël angelus in Tobia dicit: & lucernæ ſeptiformes in tabernaculo martyrij: & oculi Domini ſeptem, qui mundum ſpeculantur: & lapis cum oculis ſeptem, vt Zacharias dicit: & ſpiritus ſeptem: & candelabra in Apocalypſi ſeptem: & columnæ ſeptem, ſuper quas ædificauit domum ſapientia apud Salomonem.

21. Quod gentes magis in Chriſtum crediture eſſent; in Geneſi: Et dixit Dominus Deus ad Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in illam terram quam tibi oſtendero; & faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum & eris benedictus; & benedicam qui te benedixerit, & maledicam qui te maledixerit, & benedicentur in te omnes tribus terræ: de hoc ipſo in Geneſi; Et benedixit Iſaac Iacob. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus te rore cæli, & à fertilitate terræ multitudinem frumenti, & vini & olei; & ſeruient tibi gentes, & adorabunt te principes, & eris Dominus fratris tui, & adorabunt te filij patris tui; & qui te maledixerit erit maledictus, & qui te benedixerit benedictus. De hoc ipſo in Geneſi: Vt vidit autem Ioſeph, quoniam ſuperpoſuit pater ſuus manum dexteram ſuper caput Ephraim, graue illi viſum eſt; & apprehendit Ioſeph manum patris ſui, auferre eam à capite Ephraim ad caput Manaſſe. Dixit autem Ioſeph ad patrem ſuum: Non ſic pater, hic eſt primitiuus meus, ſuperpone dexteram tuam ſuper caput eius; Ille autem noluit, & dixit: Scio fili, ſcio; & hic erit in populum, & hic exaltabitur, ſed frater eius iunior major illo erit; & ſemen eius erit in multitudinem gentium. Item in Geneſi: Iuda te laudabunt fratres tui, manus ſuper dorſum inimicorum tuorum. Adorabunt filij patris tui,

catulus

DE ME.) In Ben. & Ver. *Hæc ſunt quæ teſtimonio ſunt mihi* RIG.

a *Duo populi de ventre tuo.* Hoc eſt MS. pro eo quod erat. *de vtero tuo*, præſertim quum & apud 70. duæ ſint diuerſæ voces, γαστὴρ καὶ κοιλία. Et ſic etiam legit Tertull. initió lib. adu. Iud. PAM.

b QVAM QVOT SYNAGOGA HAB.) In Pen. & Ver. *quam ſynagoga habuiſſet.* RIG.

c *Dilata locum tabernaculi tui, &c.* Ita ex MS. & vet. exc. hunc locum reſtituimus, & pro eo quod erat: *Et pelles tabernaculorum tuorum* Noſtram autem lectionem confirmant tum D. Hieronymus in comm. & D. Ambroſ. in hexam. lib. 3. c. 1. ſic legentes iuxta 70. tum quod græcè legatur. καὶ τῶν αὐλαιῶν σου πῆξον. Quod autem hodiè illic interſeritur, τῶς δέρρεις, ex dictis locis colligo poſteà ſuperadditum, neque ætate dictorum veterum lectum fuiſſe, ſed additum ex hebraico, atque adeò prætermittendum in græcis exemplaribus. Eſt proinde etiam ſuperfluum, quod addit Morelius, *& fige funiculos tuos. Idem.*

d *Sicut Raphaël angelus in Tobia.* Tobiæ librum citatum habes à D. Cypriano non modò, ſed & ſuprà epiſt. 52 & lib. de orat. dom. de mortal. de oper. & eleem. de bono pat. & ad Fortunat. cap. 10. & 11. infrà quoque lib. teſt. 3. c. 1. 6. & 62. vbi ex Tobia probat rem magni momenti, nempè non eſſe iungenda matrimonia cum gentilibus. Immò lib. de orat. dom. & de opere & elemoſ. diuinam ſcripturam vocat. Diuus Irænæus inter prophetas qui contumelia afficiebantur à Gnoſticis, enumerat Tobiam lib. 1. adu hæret cap 34. D. Alexander Papa 1. Trinitatem epiſt. 1 hinc comprobat. D. Hilarius ex 12. cap. Tobiæ probat interceſſionem angelorum pro nobis in Pſal 129. D. Ambr. librum ſcripſit de Tobia, & citatur ab eodem hexam. 6. cap. 4. ac de Helia & ieiun. c. 10. Chryſoſtomus eiuſdem cap. 4. citat. hom. 13. ad pop. Antioch. Quare temerariè à quibuſdam reiicitur liber Tobiæ, licet non habeatur in canone, (de canone hebræorum loquens) tamen vſurpatur ab Eccleſiaſticis viris, & præfatio in Tobiam, ſatis indicat ſe contemnere Phariſæorum ſupercilium, qui illum in canonem non recipiunt. Vnde rectè Iſidorus Etym cap. 1. de hoc & ſimilib. lib loquens, licet eos, [inquit] Hebræi in ſuum canonem non recipiant, Eccleſia Chriſtiana inter diuinos honorat & prædicat libros. *Idem.*

catulus leonis Iuda, de frutice fili mi aſcendiſti, recubans obdormiſti velut leo, & velut catulus leonis. Quis excitabit illum? Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, quoad vſque veniant depoſita illi, & ipſe eſt ſpes gentium. Deligans ad vitem pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum. [a] Formoſi oculi eius à vino, & candidi dentes eius magis quàm lac. Inde in Numeris de populo noſtro ſcriptum eſt: Ecce populus quaſi populus leoninus exſurget. In Deuteronomio: Eritis gentes in caput, incredulus autem populus in caudam. [b] Item apud Hieremiam: Audite vocem tubæ; & dixerunt: Non audiemus, propter hoc audient gentes, & qui paſcent pecora in eis. [c] In pſalmo 17. Conſtitues me in caput gentium. Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. De hoc ipſo apud Hieremiam Dominus dicit: Priuſquam te formarem in vtero, noui te; & priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus poſui te. Item apud Eſaiam: Ecce teſtem illum nationibus manifeſtaui; principem & imperantem gentibus. Item apud eumdem: Gentes quæ non nouerunt te, inuocabunt te: & populi qui ignorabant te, ad te confugient. Item apud eumdem: Et erit in illa die radix Ieſſe, qui ſurget imperare omnibus gentibus: in illum gentes ſperabunt, & erit requies eius honor. Item apud eumdem: Terra Zabulon & terra Neptalim via maris, & cæteri qui maritima inhabitatis, & trans Iordanem gentium populus, ambulans in tenebris, videte lumen magnum: qui habitatis in regione vmbræ mortis, lumen lucebit ſuper vos. Item apud eumdem: [d] Sic dicit Dominus Deus Chriſto meo Domino, cuius teneo dexteram, vt exaudiant eum gentes. Et fortitudinem regum diſrumpam; aperiam ante ipſum portas, & ciuitates non claudentur. Item apud eumdem: Venio colligere omnes gentes & linguas, & venient & videbunt claritatem meam, & dimittam ſuper eos ſignum, & mittam ex eis conſeruatos in gentes quæ longæ ſunt, quæ non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in gentes. Item apud eumdem: Et in omnibus his non ſunt conuerſi: igitur extollet ſignum in gentes quæ ſunt longè, & attrahet illos à ſummo terræ. Item apud eumdem: Quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent. Item apud eumdem: Manifeſtus factus ſum eis, qui me non quærunt; inuentus ſum ab eis, qui me non interrogabant. Dixi ecce ſum genti, quæ non inuocauit nomen meum. De hoc ipſo in Actibus Apoſtolorum Paulus: Vobis primum oportuerat indicari verbum Dei: ſed quia expuliſtis illud, nec vos dignos vitæ æternæ iudicaſtis; ecce conuertimus nos ad gentes: ſic enim dixit per ſcripturas Dominus: Ecce lucem poſui te inter gentes, ita vt ſis in ſaluationem vſque ad fines terræ.

22. Quod panem & calicem Chriſti, & omnem gratiam eius amiſſuri eſſent Iudæi, nos verò accepturi, & quod Chriſtianorum nouum nomen benediceretur in terris apud Eſaiam ſic dicit Dominus: Ecce qui ſeruiunt mihi, manducabunt; vos autem eſurietis: ecce qui mihi ſeruiunt, iucundabuntur, vos autem confundemini; vos interficiet Dominus. [e] Eis autem qui ſeruiunt mihi, nomen nominabitur nouum, quod benedicetur in terra. Item illic: Igitur extollet lignum in gentes quæ ſunt longè, & attrahet illos à ſummo terræ. Et ecce citò leuiter venient, non eſurient, neque ſitient. Item illic: Ecce itaque dominator Dominus Sabaoth auferet à Iuda, & ab Hieruſalem valentem & validum, valentiam panis, & valentiam aquæ. Item in pſalmo triceſimo tertio: Guſtate & videte quoniam dulcis eſt Dominus: felix eſt vir qui ſperat in eum. Timete Dominum Deum omnes ſancti eius; quoniam non eſt inopia eis qui eum metuunt. Diuites eguerunt & eſurierunt: qui autem inquirunt Dominum, non indigebunt omni bono. Item in Euangelio κατὰ Ioannem Dominus dicit: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet; & qui in me crediderit, non ſitiet vnquam. Item illic ipſe: Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Item illic ipſe: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.

23. Quod ad regnum cælorum magis gentes quàm Iudæi perueniant, in Euangelio Dominus dicit: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum. Filij autem regni exibunt in tenebras exteriores: illic erit ploratio & ſtridor dentium.

24. Quod ſolo hoc Iudæi accipere veniam poſſint delictorum ſuorum, ſi ſanguinem Chriſti

a FORMOSI OCVLI EIVS A VINO.] In Beneuent. & Veronenſi. *formidoloſi.* RIG.

a *Formoſi oculi eius à vino.* Rectè ſic legendum, primus coniecit Eraſmus, pro eo quod erat corruptè *formidoloſi*, Græcè enim eſt, χαροποιοί. Affligin. legit, *pulchriores.* PAM.

b *Item apud Hieremiam.* Ita potiùs legendum, quam quod habet Manut. & Morel *apud Ezechielem*, hinc conſtat quod verba citata reperiantur Hieremiæ 6. *Idem.*

c *Item in pſalmo 17.* Neſcio cur Manutius & Morell. repoſuerint 16. cum priùs legant cum excuſis cæteris noſtris MS. & reperiantur hæc verba pſal 17. *Idem.*

d *Sic dicit Dominus Deus Chriſto meo Domino.* De hac lectione ita D. Hieronym. in comment. ſcio, inquit, in hoc capitulo non ſolùm Latinorum ſed & Græcorum plurimos vehementer errare, exiſtimantium ſcriptum eſſe: *ſic dicit Dominus Chriſto Domino meo*, vt intelligatur iuxta illud quod alibi legimus, Pluit Dominus à Domino, & dixit Dominus Domino meo. Neque enim κυρίῳ quod Dominum ſonat, ſed κύρῳ dicitur Ita enim lege pro eo quod eſt apud illum Cyro. ſuit autem is rex Perſarum, qui Babylonem Chaldæoſque ſuperauit, de quo Xenophon octo librorum hiſtoriam ſcripſit. *Idem.*

e *Eis autem qui ſeruiunt mihi, nomen nominabitur nouum.* Rectè ſic Manut. & Morell. ad verbum ex Græco, pro eo

ſti occiſi baptiſmo eius abluerint; & in Eccleſiam eius tranſeuntes, præceptis eius obtemperauerint; apud Eſaiam Dominus dicit: Iam non laxabo peccata veſtra. Cùm extenderitis manus, auertam faciem à vobis: & ſi multiplicaueritis preces, non exaudiam vos: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris, à conſpectu oculorum meorum, ceſſate à nequitiis veſtris. Diſcite bonum facere, exquirite iudicium, conſeruate eum qui injuriam patitur, iudicate pupillo, & iuſtificate viduam, & venite diſputemus, dicit Dominus; & [a] ſi fuerint peccata veſtra [b] vt phœniceum, vt niuem exalbabo; & ſi fuerint [c] quaſi coccinum, vt lanam inalbabo. Et ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet. Os enim Domini locutum eſt iſta.

LIB.

quod erat dumtaxat: *Et ſeruos meos vocabo nomine alios.* R I G.

a *Si fuerint peccata veſtra vt phœniceum.* Expreſſit latinè vocem græcam φοινικοῦν, pro eo quod alii puniceum dicunt. Tertullianus verò lib. adu. Marc. 4. legit *tamquam roſeum.* Atqui ſiue *inalbabo* legas, cum excuſis, ſiue *dealbabo* cum M S. perinde eſt. Tertullianus vtrobique habet: *exalbabo.* *Idem.*

b VT PHOENICEVM.] In Ver. *quaſi ruſſeum.* R I G.

c QVASI COCCINVM.] In Ben. & Ver. *quaſi coccum.* Et ſic in edit. Rom. *Idem.*

LIBRI SECVNDI CAPITVLA.

1. Chriſtum primogenitum eſſe, & ipſum eſſe ſapientiam Dei, per quem omnia facta ſunt.
2. Quod ſapientia Dei Chriſtus, & de [a] ſacramento incarnationis eius, & paſſionis, & calicis & altaris, & Apoſtolorum qui miſſi prædicauerunt.
3. Quod Chriſtus idem ſit & ſermo Dei.
4. Quod Chriſtus idem ſit manus, & brachium Dei.
5. Quod idem angelus, & Deus.
6. Quod Deus Chriſtus.
7. Quod Chriſtus Deus venturus eſſet illuminator & ſaluator generis humani.
8. Quod cum à principio filius Dei fuiſſet, generari denuo haberet ſecundùm carnem.
9. Quod hoc futurum eſſet ſignum natiuitatis eius, vt de virgine naſceretur homo & Deus, hominis & Dei filius.
10. Quod homo, & Deus Chriſtus ex vtroque genere concretus, vt mediator eſſe inter nos & patrem poſſet.
11. Quod de ſemine Dauid ſecundùm carnem naſci haberet.
12. Quod in Bethleem naſceretur.
13. Quod humilis in primo aduentu ſuo veniret.
14. Quod ipſe ſit iuſtus, quem Iudæi occiſuri eſſent.
15. Quod ipſe ſit ouis & agnus, qui occidi haberet: & de ſacramento paſſionis.
16. Quod idem & lapis dictus ſit.
17. Quod deinde idem lapis mons fieret, & impleret totam terram.
18. Quod in nouiſſimis temporibus idem mons manifeſtaretur, ſuper quem gentes venirent, & in quem iuſti quique aſcenderent.
19. Quod ipſe ſit ſponſus, Eccleſiam habens ſponſam, de qua filij ſpiritaliter naſcerentur.
20. Quod cruci illum fixuri eſſent Iudæi.
21. Quod in paſſione crucis & ſigno, virtus omnis ſit & poteſtas.
22. Quod in hoc ſigno crucis ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur.
23. Quod medio die in paſſione eius tenebræ futuræ eſſent.
24. Quod à morte non vinceretur, nec apud inferos remanſurus eſſet.
25. Quod ab inferis tertio die reſurgeret.
26. Quod cùm reſurrexiſſet, acciperet à patre omnem poteſtatem, & poteſtas eius æterna ſit.
27. Quod peruenire non poſſit ad Deum patrem, niſi per filium eius Ieſum Chriſtum.
28. Quod ipſe judex venturus ſit.
29. Quod ipſe ſit Rex in æternum regnaturus.
30. Quod ipſe ſit & iudex & rex.

TES-

a SACRAM. INCARNATIONIS.] In Veron. *concarnationis.* PAM.

TESTIMONIORVM LIBER SECVNDVS ADVERSVS Iudæos ad Quirinum.

CAPVT PRIMVM.

CHriſtum primogenitum eſſe ſapientiam Dei, per quem omnia facta ſint; apud Salomonem in parœmiis: Dominus condidit me initium viarum ſuarum, in opera ſua ante ſæculum fundauit me; in principio antequam terram faceret, & antequam abyſſos conſtitueret, priuſquam procederent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles genuit me Dominus. Fecit regiones [a] & inhabitabilia, & fines inhabitabiles ſub cælo. cùm pararet cælum, aderam illi, & cùm ſecerneret ſuam ſedem. Cum ſuper ventos validas faceret deſuper nubes, & cùm confirmatos ponebat fontes ſub cælo; quando fortia faciebat fundamenta terræ; eram penes illum diſponens; ego eram, cui adgaudebat: quotidie autem iucundabar ante faciem eius in omni tempore, cùm lætaretur orbe perfecto: [b] Item apud eumdem in eccleſiaſtico: Ego ex ore altiſſimi prodiui ante omnem creaturam. Ego in cælis feci, vt oriretur lumen indeficiens, & nubila texi omnem terram. Ego in altis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cæli circuiui, & in profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti: Et in omni populo & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium & humilium corda [c] propria virtute calcaui. In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me. Item in pſalmo 88. Et ego primogenitum ponam eum, altiſſimum apud reges terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele illi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius. Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: ſi iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obſeruauerint, viſitabo in virga facinora eorum & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Item in Euangelio κατὰ Ioannem Dominus dicit: Hæc autem eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ego te clarificaui in terra: opus perfeci quod dediſti mihi vt faciam. Et nunc tu clarifica me apud te-ipſum claritate, quam habui apud te prius quàm mundus fieret. Item Paulus ad Coloſſenſes: Qui eſt imago Dei inuiſibilis, & [d] primogenitus totius creaturæ. Item illic: Primogenitus à mortuis, vt fieret in omnibus ipſe primatum tenens. Item in Apocalypſi: Ego ſum α & ω initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Quod idem ſit & ſapientia & virtus Dei, Paulus ad Corinthios prima: Quoniam Iudæi ſigna deſiderant, & Græci prudentiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.

2. Quod ſapientia Dei Chriſtus, & de Sacramento incarnationis eius, & paſſionis, & calicis, & altaris, & Apoſtolorum qui miſſi prædicauerunt; apud Salomonem in parœmiis: Sapientia ædificauit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem Mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & parauit ſuam menſam, & miſit ſeruos ſuos conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem dicens: Quis eſt inſipiens declinet ad me. Et egentibus ſenſu dixit: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Derelinquite ſtultitiam, & quærite prudentiam, & corrigite ſcientiam in intellectu.

3. Quod Chriſtus idem ſit ſermo Dei; in pſalmo 44. [e] Eructauit cor meum ſermonem bonum, dico ego opera mea regi. Item in pſalmo 32. Sermone Dei cæli ſolidati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Item apud Eſaiam; Verbum conſummans & breuians in iuſtitia: quoniam ſermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ. Item in pſalmo 106. Miſit ſermonem ſuum & curauit illos. Item in Euangelio κατὰ Ioannem: In principio erat

a ET INHABITABILIA.] In Ver. *fecit regiones & habitabilia & fines inhabitabiles.* RIG.

b *Item apud eumdem in eccleſiaſtico.* Salomoni attribuit eccleſiaſtici librum Cyprianus, tum ſupra epiſt. 65. & lib. de Opere & Eleem. ad Fortunatum cap. 9. tum infrà teſtim. 3. cap. 1. 6. 12 35. 51. 80. 95. & 111. Alibi etiam frequenter tamquam ſacram Scripturam citat Idipſum faciunt Clemens Alex. lib. 7. ſtrom. Pontifex Sixtus epiſt. 1. ad omnes Fratres. Marcellinus ad Salom. Epiſcop. Fabianus ad omnes orient. Epiſcopos. Sixtus 2. ad Gratum. Damaſus ad Italos. Innocentius 1. cap. vlt. ad Exuper. & Ioan. ad Valerium. Item Gregor. Nazianz. orat. 8. Baſilius lib. 4. contra Eunomium. Ambr. in 7. cap. prioris ad Corinth. Hieronymus in cap 10. Eccleſ Concilium Carthagin. 3 Caſſiodorus in pſal. 50. 66. & 93. ac Gregorius lib. 10. moral. Cauſam autem cur Salomoni adſcribatur reddit Dn. Ioann. Driedonis Eccleſiæ dog. lib. 1. ex Euſebio lib. 11. præparat. Euang quemadmodum ſupra latiùs diximus lib. de Mortalitate. Iam vt omittam auctores citatos præcedent. lib. cap. 20. qui hunc librum inter canonicas ſcripturas enumerant, certè vt diuinam citant, præter iam dictos, Euariſtus Papa epiſt. Ambroſius lib. 4. de fide. Chryſoſt. in gen. hom. 6. & 19 & alibi frequentiſſimè, & diſertis verbis Epiphanius hær. 76. D. Auguſt. quoque lib. 17. de ciuit. Dei cap. 8. ad Oroſ. contra Priſcill. cap. 11. & lib. de cura pro mortuis cap. 17. Valeant igitur qui libri huius auctoritatem eleuare nituntur. PAM.

c PROPRIA VIRTVTE CAL.] In Ben. & Ver. non legitur, *propria.* RIG.

d PRIMOGENITVS TOTIVS CREATVRÆ.] In Ver. *primogenitus totius terra.* RIG.

e *Eructauit cor meum ſermonem bonum.* MS. *verbum bonum.* Sed titulus cap. *Quod idem ſit ſermo Dei*, conuincit priorem lectionem eſſe veram, non hic modò, ſed & in omnibus ſcripturis huius capitis, vbi varia reperitur lectio, præſertim quum & hoc ſic legat Tertull. adu. Marc. lib. 2. & quod infrà citatur ex 1. cap. Ioan. contra Praxeam. PAM.

Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen eſt: claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas ſculptilibus. Item in pſalmo 24. Vias tuas Domine oſtende mihi, & ſemitas tuas edoce me, & deduc me ad veritatem tuam & doce me: quoniam tu es Deus ſaluator meus. Vnde in Euangelio κατὰ Ioannem Dominus dicit: Ego ſum lumen mundi: qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Item κατὰ Matthæum: Gabriel angelus ad Ioſeph: Ioſeph fili Dauid, ne metueris aſſumere Mariam vxorem tuam. Quod enim ex illa natum fuerit, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Item κατὰ Lucam: Et Zacharias impletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui proſpexit redemptionem populo ſuo, & excitauit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui. Item illic: Angelus ad paſtores: ne timueritis: ecce enim adnuncio vobis, quoniam natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Ieſus Chriſtus in ciuitate Dauid.

8. Quod cùm à principio filius Dei fuiſſet, generari denuò haberet ſecundum carnem: in pſalmo 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Item in euangelio κατὰ Lucam: [a] Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabet, exultauit infans in vtero eius; & impleta eſt Spiritu ſancto, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. [b] Et vnde hoc mihi contingit vt veniat mater Domini mei ad me? Item Paulus ad Galatas: At vbi aduenit impletio temporis, miſit Deus filium ſuum natum de muliere. Item in epiſtola Ioannis: Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt: qui autem negat in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed eſt de antichriſti ſpiritu.

9. Quod hoc futurum eſſet ſignum natiuitatis eius, vt de virgine naſceretur homo & Deus, hominis & Dei filius, apud Eſaïam: Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo [c] in altitudinem ſurſum, & in altitudinem deorſum. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo dominum Deum meum. Et dixit: Audite itaque domus Dauid; Non puſillum vobis certamen cum hominibus quoniam Deus præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum: [d] Ecce [e] virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen Eius Emmanuel. Butyrum & mel manducabit; [f] priuſquam ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Hoc ſemen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli; in Geneſi. Tunc dixit Deus ad ſerpentem: Quia tu hoc feciſti, maledictus tu ab omni genere beſtiarum terræ. Pectore tuo & ventre repes, & erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitæ tuæ. Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter ſemen eius: [g] ipſe tuum obſeruabit caput, & tu obſeruabis calcaneum eius.

10. Quod & homo & Deus Chriſtus, ex vtroque genere concretus, vt mediator eſſe inter nos & patrem poſſet, apud Hieremiam: Et homo eſt, & quis cognoſcet eum? Item in Numeris: Orietur ſtella ex Iacob, & exſurget homo ex Iſraël. Item illic: [h] Procedet homo de ſemine eius, & dominabitur multarum gentium, & exaltabitur Gog regnum ipſius, & augebitur regnum eius, & Deus eduxit eum ex Ægypto, [i] quaſi claritas vnicornis ei, & edet gentes inimicorum ſuorum, & craſſitudines illorum emedullabit, & balliſtis ſuis configet inimicum: Recumbens requieuit quaſi leo, & quaſi catulus leonis: quis ſuſcitabit eum? qui benedicunt te, benedicti ſunt; & qui maledicunt te, maledicti ſunt. Item apud Eſaïam: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, benè nunciare pauperibus miſit me; curare contribulatos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, vocare annum Domini acceptabilem & diem retributionis. vnde in euangelio Gabriel ad Mariam:

Et

a ET FACTVM EST VT AVDIVIT.] In Ver. & Ben. *Et factum eſt quomodo audiuit.* Sic etiam num. XIX. infrà in iiſdem exemplaribus legitur: *Et factum eſt quo modo fuit Ieſus.* RIG.

b *Et vnde hoc mihi contingit.* MS. *Contigit* cum Moreſio, Græcè neutrum eſt neque apud Tertull. lib. de carne Chriſti, quam hoc & duobus ſequentibus capitib. imitatur, in comprobanda vera humanitate Chriſti, aduerſus tum ſui tum noſtri temporis hæreticos quoſdam. PAM.

c IN ALTITVDINEM SVRSVM.] In Ver. *ſuſum.* & ſic ſæpè alibi. RIG.

d *Ecce virgo accipiet & pariet filium.* Sic MS. Man. & Morel. ad verbum ex græco λήψεται ἐν γαστρί, Ambroſius quoque de Cain & Abel lib. 1. c. 3. Tertullian. vero cum MS. præter locos iam dictos duos lib. 3. adu Marc. & lib. de Trinit. legit *in vtero concipiet.* Verùm noſtram lectionem diſertis verbis D. Hieronym. dicit reperiri apud 70. de opt. gen. interp. & confirmat quod dicit in Comment. Eſaiæ. 26. legere 70. In vtero accepimus & parturiuimus, &c. Vbi græcè eædem voces ſunt, quomodo & Eſaïæ 8. vbi de propheriſſa loquitur. Quare & apud eumdem D. Hieron. in comment. in comment. 7. cap. Eſaïæ, prorſus ita legendum cenſeo. Accedit quod Lucæ 1. vbi omnes veteres legunt *concipies in vtero*, alia vox græca ſit συλλήψῃ Quandoquidem autem & Chryſoſtomus cum Cyrillo in comment. & Hieronymus locis citatis cum Tertull. Cypriano & Ambroſio conſtanter legant illud: *& pariet*, cenſeo textum Græcum Eſaïæ qui hodiè extat mutilum eſſe; & adiici oportere καὶ τέξεται. Atqui malim, vti etiam dixi, legi *vocabis*, quod ſic legant 70. ac Hieronym. teſte tres reliqui interpretes & alij veteres præter Chryſoſtomum in comment. & in Pſal. 44. qui legit καλέσουσι quam *vocabitis*, niſi ſic legerent Tertullianus lib. ſæpè dicto adu. Iudæos, & Hieronymus ad Pammachium de opt. gen. interpr. PAM.

e VIRGO IN VTERO ACCIPIET.] Ver. *in vterum.* RIG.

f PRIVSQVAM SCIAT REPROBARE MALVM.] In Ben. & Ver. *priuſquam cognoſcat me proferat mala, commutata bonum.* Ben. *commutat. Idem.*

g IPSE TVVM OBSERVABIT CAPVT.] In Ben. & Ver. *ipſa. Idem.*

h PROCEDET HOMO DE SEMINE EIVS.] Totus hic locus ſic legitur in Beneuentano & Veronenſi. vt in edit. Rom. *Procedit homo de ſemine eius & dominabitur gentiũ multarum, & exaltabitur regnum, & augebitur regnum eius. Idem.*

i QVASI CLARITAS VNICORNIS EI.] Auctor opuſculi de Stella & magis: *cuius fortitudo quaſi rhinocerotis.* Quæ diuerſitas verſionis oſtendit opuſculi auctorem non eſſe Cyprianum. *Idem.*

a *Qui*

Et reſpondens angelus dixit ad illam: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit te: quapropter qui naſcetur ex te ſanctus, vocabitur filius Dei. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios priore: Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cælo qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes: quomodo portauimus imaginem eius qui de limo eſt; portemus & imaginem eius qui de cælo eſt.

11. Quod de ſemine Dauid ſecundùm carnem naſci haberet; in Βασιλειῶν 2. Et fuit verbum Domini ad Nathan dicens; Vade & dic ſeruo meo Dauid; Hæc dicit Dominus; Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum: ſed erit, cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, [a] qui erit de vtero tuo; & parabo regnum eius. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum eius vſque in ſæculum. Et ego ero ei in patrem; & ipſe erit mihi in filium; & fidem conſequetur domus eius, & regnum eius vſque in ſæculum in conſpectu meo. Item apud Eſaiam: Et exibit virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Domini. Item in pſalmo 131. Iurauit Deus ipſi Dauid veritatem, & non reprobauit eam, de fructu ventris tui ponam ſuper thronum meum. Item in Euangelio κατὰ Lucam: Et dixit angelus ad illam: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam ante Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus thronum Dauid patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in ſæcula, & regni eius non erit finis. Item in Apocalypſi: Et vidi librum in dextera Dei ſedentis ſuper thronum, ſcriptum intus & retrò, ſignatum ſignis ſeptem; & vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis dignus eſt accipere librum, & aperire ſigna eius? Nec quiſquam poterat neque in cælo, neque ſuper terram, neque ſub terra aperire librum, ſed neque perſpicere eum. Et ego flebam multum, quòd nemo dignus repertus eſſet qui aperiret librum, aut videret illum. Et vnus ex ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperite librum, & ſoluere ſeptem ſigna eius.

12. Quod in Bethleem naſceretur; apud Micheam: Et tu Bethleem domus Ephrata non exigua es, vt conſtituaris in millibus Iuda: ex te mihi procedet, vt ſit princeps apud Iſraël, [b] & proceſſiones eius à principio à diebus ſæculi. Item in Euangelio: Et cùm Ieſus natus eſſet in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare illum.

13. Quod humilis in primo aduentu ſuo veniret; apud Eſaiam: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Annunciauimus coram ipſo ſicut pueri, ſicut radix in terra ſitienti. Non eſt figura eius neque claritas: & vidimus illum, & non habuit figuram neque ſpeciem; ſed figura eius ſine honore, & deficiens præter cæteros homines. Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre imbecillitatem: quia auerſa eſt facies eius, inhonoratus eſt, & non eſt computatus. Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus illum eſſe in dolore, & in plaga, & in vexatione: ipſe autem vulneratus eſt propter facinora noſtra, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Doctrina pacis noſtræ ſuper illum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes ſicut oues, errauimus, homo à via ſua errauit. Et Deus tradidit illum pro peccatis noſtris, & ipſe propterea quod vexatus eſt, non aperuit os ſuum. Item apud eumdem: Non ſum contumax, neque contradico; dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non auerti à fœditate ſputorum, & fuit Deus auxiliator meus. Item apud eumdem: Non clamabit, neque audiet quis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, ſed in veritate proferet iudicium. Fulgebit & non quaſſabitur quoaduſque ponat in terra iudicium: & in nomine eius gentes credent. Item in pſalmo 21. Ego autem ſum vermis & non homo, [c] maledictum hominis & abiectio populi. Omnes qui me videbant, deſpiciebant me: & locuti ſunt in labiis & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum: Item illic: [d] Aruit velut teſta virtus mea, & lingua mea adglutinata eſt faucibus meis. Item apud Zachariam. Et oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem illum magnum, ſtantem ante faciem angeli Domini, [e] & diabolus ſtabat ad dexteram eius aduerſari ei. Et Ieſus erat indutus veſtimenta ſordida, & ſtabat ante faciem ipſius angeli, & reſpondit, & ait ad eos qui ſtabant ante faciem eius, dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo;

a *Qui erit de vtero tuo.* Hinc comprobat lib. 3. adu. Marc. Tertullianus locum hunc de Chriſto debere intelligi. Eſt autem hoc caput diligenter adnotandum contra Anabaptiſtas quoſdam negantes humanitatem Chriſti. PAM.

b *Et proceſſiones.* Hoc ex MS. & vet. cod. cum Morellio, pro eo quod cæteri ex mendo Remboldi *poſſeſſiones*, eſt enim Græcè ἔξοδοι. *Idem.*

c *Maledictum hominis.* Ex MS. & vet. exc. hoc ſubſtitui, pro eo quod erat *hominum*, quia vtroque loco iam citato Tertullianus ſic legit. Adiecerunt autem paulò poſt Manutius & Morel. particulam *in*, quam tamen non habent Vet. exc. aut MS. noſtri. *Idem.*

d ARVIT VELVT TESTA VIRTVS MEA.] In Vet. *aruit velut teſtum fortitudo mea.* RIG.

e DIABOLVS STABAT AD DEXTERAM EIVS ADVERSARI EI.] In Vet. *& aduerſari ei cæpit. Idem.*

eo, & dixit ad eum: [a] Ecce abſtuli iniquitates tuas. Et induite eum poderem, & imponite cidarim mundam ſuper caput eius. Item Paulus ad Philippenſes: Qui in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed [b] ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſe, [c] factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen [d] quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu [e] omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.

14. Quod ipſe ſit iuſtus, quem Iudæi occiſuri eſſent; in ſapientia Salomonis: Circumueniamus iuſtum, quoniam inſuauis eſt nobis; & contrarius eſt operibus noſtris, & [f] exprobrat nobis peccata legis. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductione cogitationum noſtrarum, grauis eſt nobis etiam ad videndum: quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & mutatæ ſunt viæ illius. Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & continet ſe à viis noſtris quaſi ab immunditiis, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur [g] patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ ventura ſunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia ipſorum, & neſcierunt ſacramenta Dei. Item apud Eſaiam; Videte quomodo iuſtus perit, & nemo intelligit; & viri iuſti tolluntur, & nemo recognoſcit. A facie enim iniuſtitiæ ſublatus eſt iuſtus, & erit in pace ſepultura eius, de hoc ipſo in Exodo antè prædictum: Innocentem & iuſtum non occides. Item in Euangelio: Iudas pœnitentia ductus, ſacerdotibus & ſenioribus dixit: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.

15. Quod ipſe dictus ſit ouis & agnus qui occidi haberet, & de ſacramento paſſionis apud Eſaïam: Sicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum: in humilitate iudicium eius ſublatum eſt; natiuitatem eius quis enarrabit? Quoniam auferetur à terra vita eius, à facinoribus populi mei adductus eſt ad mortem, & dabo malos pro ſepultura eius; & ipſos diuites pro morte eius: quia facinus non fecit, [h] neque inſidias ore ſuo. Propterea [i] ipſe conſequetur multos, & fortium diuidet ſpolia: proptereà quod tradita eſt ad mortem anima eius, & inter facinoroſos deputatus eſt. Et ipſe peccata multorum pertulit, & propter facinora illorum traditus eſt. Item apud Hieremiam: Domine ſignifica mihi & cognoſcam, tunc vidi meditationes eorum. Ego ſicut agnus ſine malitia perductus ſum ad victimam; in me cogitauerunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius, & nomen eius non erit in memoria amplius. Item in Exodo Deus ad Moyſen: Accipiant ſibi ſinguli ouem per domos tribuum, [k] ouem ſine vitio, perfectum, maſculum, anniculum erit vobis. Ab agnis & ab hœdis accipietis, & occident illum omne vulgus ſynagogæ filiorum Iſraël ad veſperam; & accipient de ſanguine eius, & ponent ſuper duos poſtes, & ſuper limen in domibus, in quibus eum edent in ipſis: & edent carnes ipſa nocte aſſatas igni, & azyma [l] cum picridibus edent. Non edetis de eis crudam, neque coctam in aqua, niſi aſſatam igni; caput cum pedibus & interaneis; nihil derelinquetis ex eis in mane, [m] & os non confringetis ex eo. Quæ autem relicta fuerint de eo vſque in mane, igni crementur. Sic autem comedetis eum: Lumbi veſtri præcincti, & caligæ veſtræ in pedibus veſtris, & bacula veſtra in manibus veſtris, & ederis eum feſtinanter, paſcha eſt enim Domini. Item in Apocalypſi: Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi per orbem terræ. Et venit, & accepit librum de dextera Dei ſedentis in throno. Et cùm accepiſſet librum, quatuor animalia,

a *Ecce abſtuli iniquitates & indui te.* Veram hanc eſſe lectionem huius loci, vt illud, *& dixit &c.* præponatur huic: *& induite*, patet, tum ex contextu græco, tum ex D. Hieronymi comment. atque adeò corrupta fuit horum atque illorum verborum tranſpoſitio, & in exc. & in MS. cod quorum maximam varietatem omitto compendij gratia. Atqui ποδήρης tunica, inquit D. Hieronym. talaris eſt, κίδαρις iuxta Suidam & Heſychium ac Plutarchum in Anton. inſigne erat capitis regium apud Perſas μίτρα verò quam adijcit cum textu græco Tertull. lib. adu. Iud. & adu. Marcion. aureum capitis ornamentum. Vtebantur autem eodem genere ornamentorum Sacerdotes ſummi apud Iudæos. PAM.

b SEMETIPSVM EXINA.] Ver. *ſeipſum inaniuit.* RIG.

c FACTVS OBEDIENS.] In Ver. non leguntur. *Idem.*

d QVOD EST SVPER OM. NO.] In Ben. & Ver. *vt ſit ſuper om. no. Idem.*

e OMNE GENV FLECTATVR.] In Ver. *Omnes genu curuent. Idem.*

f EXPROBRAT NOBIS.] Ver. *improperat Idem.*

g PATREM SE HABERE DEVM.] In Ben. & Veron. *gloriatur patrem Deum Idem.*

h *Neque inſidias ore ſuo.* Expreſſit ad verbum quod græcè eſt, pro quo Tertull. *nec dolus in ore eius inuentus eſt*, & MS. *nec dolus fuit in ore eius.* PAM.

i *Ipſe conſequetur multos.* Rectè ſic Manut. & Morel. pro eo quod erat, *confitetur*, corruptiſſimè: eſt enim græcè κληρονομήσει, quod ſonat poſſidebit, quo modo legit Coſterius. *Idem.*

k *Ouem ſine vitio, perfectum maſculum, &c* Quandoquidem ſic legant MS. videtur retinuiſſe Cyprianus barbaram verſionem ſui interpretis qui verba græca apud 70. vt potè quum πρόβατον neutr ſit generis, non habito reſpectu ad verbum tranſtulit, vt nemo mirari debeat, ſi & nos vulg. noſtri interpretis barbariem æquo animo feramus. Cui tamen vt obuiarent, Eraſmus interjecit, & legens: *& erit vobis*, Morelius verò: *anniculus erit vobis.* ſed Manutium hic ſequimur & MS. *Idem.*

l *Cum picridibus.* Vertit hoc D Hieron. *lactucis agreſtibus*, vocatur ab aliis πικρὶς cichorium atque intybum ſylueſtre ſeu amatago. hinc illud Virgil. — *& amaris intyba fibris. Idem.*

m *Os non confringetis* Afflîgin. *oſſa.* ſed prius eſt apud 70. & Euangeliſtam. Cambron. *oſſum* voce Africanis vſitata, qua vtitur etiam Auguſt. in pſal. 138. & lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 3. ac lib. 4. cap. 10. *Idem.*

malia, & viginti quatuor ſeniores proſtrauerunt ſe ante agnum, habentes ſinguli citharas, & pateras aureas plenas odoramentis ſupplicationum quæ ſunt orationes ſanctorum; & cantauerunt canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire ſigna eius; quoniam occiſus es, [a] & redemiſti nos ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos regnum Deo noſtro, ſacerdoteſque feciſti. & regnabunt ſuper terram. Item in Euangelio; Altera die videt Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei: & ecce qui aufert peccata mundi.

16. Quod idem & lapis dictus ſit; apud Eſaïam ſic dicit Dominus: Ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem pretioſum, electum, ſummum, angularem, honoratum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Item in pſalmo 117. Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factus eſt iſte, & eſt admirabilis in oculis noſtris. Iſte dies quem fecit Dominus, exultemus & iucundemur in eo. O Domine ſalua igitur, ô Domine dirige igitur: benedictus eſt qui venit in nomine Domini. Item apud Zachariam: Ecce ego adduco puerum meum, oriens nomen eſt ei: quoniam lapis quem dedi ante faciem Ieſu, ſuper lapidem ipſum vnum ſeptem oculi ſunt. Item in Deuteronomio: Et ſcribes ſuper lapidem omnem legem hanc, manifeſtè nimis. Item apud Ieſum Naue: Et accepit lapidem magnum, & ſtatuit eum illic contra Dominum, & ait Ieſus ad populum: Ecce lapis iſte erit in teſtimonium, quia iſte audiuit omnia quæ dicta ſunt à Domino, quanta locutus eſt ad vos hodie; & erit ipſe vobis in teſtimonium in nouiſſimo dierum, quando receſſeritis à Deo veſtro. Item in Actibus Apoſtolorum Petrus: [b] Principes populi & ſeniores Iſraël audite; Ecce nos hodie interrogamur à vobis ſuper benefacto hominis infirmi in quo iſte ſaluatus eſt. Sit vobis omnibus notum, & omni populo Iſraël; quia in nomine Ieſu Chriſti [c] Nazareni quem vos crucifixiſtis, quem [d] Deus ſuſcitauit à mortuis, in illo iſte in conſpectu veſtro ſanus adſtat, in alio autem nullo. Hic eſt lapis, qui contemptus eſt [e] à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Non eſt enim nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oportet ſaluari nos. Hic eſt lapis in Geneſi, quem ponit Iacob ad caput ſuum, quia caput viri Chriſtus; & dormiens videt ſcalam ad cælum pertingentem, in qua conſtitutus erat Dominus, & angeli aſcendebant, & deſcendebant; quem lapidem conſecrauit & vnxit, ſacramento vnctionis Chriſtum ſignificans. Hic eſt lapis in Exodo, ſuper quem ſedit Moyſes [f] in cacumine collis, quando Ieſus Naue contra Amalech dimicauit, & ſacramento lapidis, & ſtabilitate ſeſſionis Amalech ſuperatus eſt ab Ieſu, id eſt, diabolus à Chriſto victus eſt. Hic eſt lapis magnus in Βασιλειῶν primo, ſuper quem poſita eſt arca teſtamenti, quando eam ab Allophylis remiſſam & redditam in plauſtro boues reportauerunt. Item hic eſt lapis [g] in Βασιλειῶν, quo Dauid frontem Goliæ percuſſit & occidit; ſignificans diabolum & ſeruos eius inde proſterni, [h] victa ſcilicet ea capitis parte, quam ſignatam non habent. Quo ſigno nos & tuti ſemper ſumus, & viuimus. Hic eſt lapis, quem cùm alienigenas Iſraël viciſſet, ſtatuit Samuel, & appellauit nomen eius Abennezer, id eſt, lapis auxiliator.

17. Quod deinde idem lapis mons fieret & impleret totam terram; apud Danielem: Et ecce imago nimis magna, & contemplatio eius imaginis metuenda & elata ſtabat contra te: cuius caput fuit ex auro bono, pectus & brachia eius argentea, venter & femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles; quoadusque abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus concidentium, & percuſſit imaginem ſuper pedes ferreos & fictiles; & comminuit eos minutatim, & factum eſt ſimul ferrum & teſta, & æramentum & argentum & aurum: & facta ſunt minuta quaſi palea, aut puluis in area æſtate, & ventilauit illa ventus, ita vt nihil remanſerit ex illis: & lapis qui percuſſit imaginem, factus eſt mons magnus, & impleuit totam terram.

18. Quòd in nouiſſimis temporibus idem mons manifeſtaretur, ſuper quem gentes venirent, & in quem iuſti quique aſcenderent; apud Eſaïam: erit in nouiſſimis temporibus manifeſtus mons Domini & domus Dei ſuper vertices montium, & exaltabitur ſuper colles, & venient ſuper illum omnes gentes, & ambulabunt multi, & dicent: Venite aſcendamus in montem Domini: & in domum Dei Iacob, & nunciabit nobis viam eius; & ambulabimus in illa. De Sion enim procedet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem; & iudicabit inter gentes, & redarguet populum multum, [i] & concident gladios ſuos in aratra, &

a ET REDEMISTI NOS SANGVINE TVO.] In Ver. *emiſti nos Deo ſang. tuo.* Quod eſt veriſſimum Etenim Chriſtus homines idololatriæ deditos, mancipia Satanæ, emit Deo per euangelium Verbi diuini, ſanguine ſuo, & miraculis adprobatum firmatumque. Sanguis Chriſti pro veritate Verbi diuini fuſus nos emit Deo. RIG.

b *Principes populi & ſeniores, audite.* Ex MS. cum vet. exc. adiecimus *audite*, & genuinum eſſe tum hoc, tum quod paulò poſt ſequitur; *in alio autem nullo*; confirmat quod dicit Beda retract. in act. Apoſt. vtrumque græcè lectum ſuo tempore, vti & alia multa quæ hodiè non leguntur. Quod notatu dignum, vt confirmemus alia fuiſſe olim Græca exemplaria quam nunc extent. PAM.

c NAZARENI.] In Ben. *Nazarei.* RIG.

d DEVS SVSCITAVIT.] In Ver. *excitauit.* Idem.

e A VOBIS ÆDIFICANTIBVS] In Beneuent. & Veron. *qui ædificabitis.* Idem.

f *In cacumine collis.* MS *montis.* ſed obſtat vox græca βουνὸ. PAM.

g *In* βασιλειῶν *primo.* Recens ex MS. & vet. exc. adiecī *primo.* Rurſum autem meminit ſigni crucis in fronte. Idem.

h VICTA SCILICET EA CAP PAR.] In Veronenſi. *victos.* RIG.

i *Et concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces.* Corruptè legebant quidam excuſi *condent* ſiue *condient*; nam præter 70 ſic legit Tertull. lib. 3. aduerſus Marc. *& concident machæras ſuas in aratra, & ſibinas in falces*: vbi expreſſit vocem græcam. PAM.

[a] & lanceas ſuas in falces, & iam non diſcent pugnare. Item in Pſalmo 23. Quis aſcendet in montem Domini; aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, & non iurauit ſubdolè proximo ſibi: iſte accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Iſta natiuitas eorum qui eum quærunt, qui quærunt faciem Dei Iacob.

19. Quòd ipſe ſit ſponſus Eccleſiam habens ſponſam, de qua filij ſpiritaliter naſcerentur; apud Iohel: Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, & indicite curationem, aggregate populum, ſanctificate Eccleſiam, excipite maiores natu, colligite paruulos lactentes; procedat ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Item apud Hieremiam: Et auferam de ciuitatibus Iuda, & de quadriuiis Hieruſalem, vocem lætantium & vocem gaudentium, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ. Item in Pſalmo 18. Et ipſe velut ſponſus egrediens de thalamo ſuo. [b] Exultauit vt gigas viam currere; [c] à ſummo cæli egreſſio eius, & decurſio eius vſque ad ſummum eius, & non eſt qui [d] lateat à calore eius. Item in Apocalypſi: Veni oſtendam tibi nouam vxorem agni; & duxit me in ſpiritu in montem magnum, oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cælo, à Deo habentem claritatem Dei. Item in Euangelio κατὰ Ioannem: Vos mihi teſtes eſtis, quoniam dixi eis, qui miſſi ſunt ab Hieroſolymis ad me, quia non ſum Chriſtus, ſed quoniam miſſus ſum ante illum. Qui enim habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi eſt, qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Huius rei myſterium oſtenſum eſt apud Ieſum Naue, quando iuſſus eſt excalciare ſe, quod ſcilicet ſponſus non ipſe eſſet. Erat enim in lege, vt quiſquis nuptias recuſaret, calciamentum deponeret; calciaretur verò ille qui ſponſus futurus eſſet. Et factum eſt [e] cùm eſſet Ieſus in Ierico, circumſpexit oculis, & vidit hominem ſtantem ante faciem ſuam, & [f] frameam tenentem in manu eius, & dixi: Noſter es, an aduerſariorum? Ille autem dixit: Ego ſum dux virtutis Domini, nunc adueni. Et Ieſus cecidit in faciem ad terram, & ait illi: Domine quid imperas famulo tuo? & ait dux virtutis Domini: Solue calciamentum de pedibus: locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt. Item in Exodo Moyſes iubetur calciamentum deponere, quòd nec ipſe ſponſus eſſet. Et apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de rubo, & vidit quoniam rubus arderet igni, rubus autem non cremabatur. Et dixit Moyſes: Tranſiens videbo hoc grande viſum, cur vtique non crematur rubus. Vt vidit autem quoniam accedit videre; vocauit eum Dominus Deus de rubo dicens: Moyſes. Qui dixit: Quid? & dixit; Ne acceſſeris huc niſi ſolueris calciamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt. Et dixit ei, Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, Deus Iacob. Hoc autem manifeſtatum eſt in Euangelio κατὰ Ioannem. Et reſpondit illis Ioannes: Ego quidem baptizo in aqua, in medio autem veſtrûm ſtat, quem vos neſcitis, ipſe eſt enim de quo dixi: Poſt me veniens homo ante me factus eſt, cuius non ſum dignus corrigiam calciamenti ſoluere. Item κατὰ Lucam: Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando veniat à nuptiis; vt cum venerit & pulſauerit, aperiant ei. Beati ſerui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes. Item in Apocalypſi: Regnauit Dominus Deus omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus ei [g] gloriæ claritatem, quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius ſe præparauit.

20. Quòd cruci illum fixuri eſſent Iudæi, apud Eſaïam: Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem, & contradicentem mihi; qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua. Item apud Hieremiam: Venite [h] mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius. Item in Deuteronomio: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ. Item in pſalmo 21. [i] Effoderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi autem contemplati ſunt, & viderunt me, & diuiſerunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam ſortem miſerunt. Tu autem Domine [k] ne elongaueris auxilium tuum à me: in auxilium meum attende. Libera à gladio animam meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.

Item

a ET LANCEAS SVAS IN FALCES.) In Ver. ſequitur: *Et iam non accipiet ſuper gentem gladium.* RIG.

b *Exultauit vt gygas viam currere* MS. cum Morel. *ad currendam viam*, ac frequens eſt Cypriano ſeruare infiniti uos græcos. Ob Phraſin etiam auctoris magis placet illud *decurſio*, quam quod MS habent *decurſus*, aut Morel *occurſio*. Tertullian. verò lib. 4. adu. Marc. legit *deuerſio* PAM.

c A SVMMO CAELI EGRESSIO EIVS.] In Beneu. *profectio*. In Ver. *proceſſio*. RIG.

d LATEAT A CALORE EIVS.] In Ver. *qui lateat calorem eius*. *Idem*.

e CVM ESSET IESVS IN IER.] In Beneu. & Veron. *quomodo fuit Ieſus*. Vide ſuprà num. VI. *Idem*.

e *Cum eſſet Ieſus in Hierico*. Ex MS vtroque ſic lego, prætermiſſà voce *agro*. Nam & hodiè ſic legunt LXX & ſic olim legiſſe teſtatur D. Auguſt. q. 7. in Ieſum Naue, addens tamen rectè legi ex Hebræo *in agro Ierico*, quia nondum erat Ieſus in ciuitate. Pro eo autem quod legitur *tenentem*, MS. legunt *habentem*, cum vet. exc. PAM.

f FRAMEAM TENENTEM IN MANV.] In Ver. *herentem*. In Ben. *ferentem*. RIG.

g GLORIAE CLARITATEM.] In Ver. *demus cl*. *Idem*.

h MITTAMVS LIGNVM IN PANEM EIVS.] Hac prophetæ ſcriptura lignum crucis Chriſti humeris impoſitum ſignificari Patres antiquiſſimi tradiderunt. Alij ſic accipiendam eſſe putant, vt ſint verba conſultantium ſuper alicuius nece per cibum pernicioſo ligni cuiuſdam ſucco venenatum. *Idem*.

i *Effoderunt manus meas & pedes*. MS placet hæc lectio, eo quod neque Græcè neque Latinè legatur, *& foderunt* quemadmodum excuſ. Tertull. lib. adu. Iudæos, modo legit, *foderunt*, modò *exterminauerunt*, vbi pulchrè hæc explicat. PAM.

k NE ELONGAVERIS.] Ver. *longinquaueris*. RIG.

Item in Pſalmo 118. Confige clauis de metu tuo carnes meas. Item in Pſalmo 140. Alleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. De quo ſacrificio Sophonias dixit: Metuite à facie Domini Dei, quoniam propè eſt dies eius: quia apparuit Dominus ſacrificium ſuum, ſanctificauit [a] electos ſuos. Item apud Zachariam: Et intuebuntur in me, in quem transfixerunt. Item in Pſalmo 87. Exclamaui ad te Domine tota die, extendi ad te manus meas. Item in Numeris: Non quaſi homo Deus ſuſpenditur, neque quaſi filius hominis minas patitur. vnde in Euangelio Dominus dicit: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo: ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui crediderit in filium habeat vitam æternam.

21. Quod in paſſione crucis & ſigno virtus omnis ſit & poteſtas; apud Abacuc: Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena eſt terra: & ſplendor eius vt lux, cornua in manibus eius erunt. Et [b] illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius, & conſtituit dilectionem validam: ante faciem ſuam ibit verbum, & procedet in campos ſecundùm greſſus ſuos. Item apud Eſaiam: Ecce natus eſt nobis puer, & datus eſt nobis filius, cuius imperium ſuper humeros eius; & vocatum eſt nomen eius, magnæ cogitationis nuncius. Hoc ſigno crucis & Amalech victus eſt ab Ieſu per Moyſen. In Exodo dixit Moyſes ad Ieſum: Elige tibi viros; & exi; & conſtitue cum Amalech in craſtinum. Ecce ego ſtabo in cacumine collis, & virga Dei in manu mea. Et factum eſt cùm leuabat manus Moyſes, præualebat Iſraël. Vbi autem ſubmiſerat manus Moyſes, inualeſcebat Amalech: ſed manus Moyſi erant graues, & accepto lapide ſuppoſuerunt ſub eo, & ſedebat ſuper eum; & Aaron & Vr ſuſtentabant manus eius hinc & inde; & factæ ſunt manus Moyſi ſtabiles vſque in occaſum ſolis, & fugauit Ieſu Amalech, & omnem populum eius. Et dixit Dominus ad Moyſen: Scribe hoc, [c] vt ſit memoria in libro, & da in aures Ieſu; quoniam deletione deleam memoriam Amalech de ſub cælo.

22. [d] Quòd in hoc ſigno Crucis ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur; apud Ezechielem dicit Deus: Tranſi mediam Hieruſalem, [e] & notabis ſignum ſuper frontes virorum qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipſorum. Item illic: Vadite & cædite, & nolite parcere oculis veſtris. Nolite miſereri ſenioris, & iuuenis, & virginis; & paruulos, & mulieres interficite, vt perdeleantur. Omnem autem ſuper quem ſignum ſcriptum eſt, ne tetigeritis, [f] & ab ipſis ſanctis meis incipite. Item in Exodo Deus ad Moyſen: Et erit ſanguis in ſigno vobis ſuper domos, in quibus ibi eritis; & videbo ſanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis cùm percutiam terram Ægypti. Item in Apocalypſi: Et vidi, & ecce agnum ſtantem in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & habebant nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Item illic. Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus, initium & finis. Felices eos qui faciunt præcepta eius, vt ſit poteſtas eorum [g] ſuper lignum vitæ.

23. Quòd medio die in paſſione eius tenebræ futuræ eſſent. Apud Amos: Et erit in illo die, dicit Dominus, occidet ſol meridie, & obtenebrabitur dies lucis; & conuertam dies feſtos veſtros in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentationem. Item apud Hieremiam: Exterrita eſt quæ parit, & tæduit anima eius. Subiit ſol ei, cùm adhuc medius dies eſſet; confuſa eſt & maledicta; reliquos eorum in gladio dabo, in conſpectu inimicorum eorum. Item in Euangelio: A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, vſque ad horam nonam.

24. Quòd à morte non vinceretur, nec apud inferos remanſurus eſſet; In Pſalmo 29. Domine reduxiſti ab inferno animam meam. Item in Pſalmo 15. Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Item in Pſalmo 3. Ego dormiui, & ſomnum cepi, & reſurrexi, quoniam Dominus auxiliatus eſt mihi. Item κατὰ Ioannem: Nemo aufert animam meam à me, ſed ego à me pono eam; poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: hoc enim mandatum accepi à patre meo.

25. Quòd ab inferis tertio die reſurgeret, apud Oſee: Viuificabit nos poſt biduum, [h] die tertio

a ELECTOS SVOS.] In Ver. vocatos. RIG.

b *Et illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius & conſtituit, &c.* Prorsùs legendum *conſtituit*, quia græcè eſt ἔθετο. Noua eſt verò hæc lectio, & quantum apparet ex variis verſionibus concinnata. Septuaginta cum græcis quæ hodiè extant exemplaribus & Theophylacto, non aliud habent quam, *& poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ*: Aquila ſtranſtulit, *& poſuit abſconſionem fortitudinis ſuæ*. Symmachus, *& poſuit abſconditam fortitudinem ſuam*. Theodotio. *Et ibi abſconſio fortitudinis eſt.* Et ſimiliter Hieronym. *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Cauſam varietatis apud eùmdem vide in comment. PAM.

c VT SIT MEMORIA.] In Ver. *Vt ſit memoria.* RIG.

d QVOD IN HOC SIGNO CRVCIS SALVS SIT OMNIBVS.] Signum hic ponitur pro ſacramento paſſionis. *Idem.*

d *Quod in hoc ſigno crucis ſalus ſit.* Idipſum argumentum tractat Tertull. lib. adu. Iud. & lib. 3. adu. Marc. & ex iiſdem penè ſcripturis. PAM.

e *Notabis ſignum ſuper frontes.* MS. & Tertull. *in frontibus*, ſed prius & græcè eſt, & ſupra legitur ad Demetr. vbi plura de ſequentium varia lectione. Atqui pro ſigno, inquit D. Hieronym. comment. quod 70. Aquila & Symmachus, tranſtulerunt, Theodotio ipſum verbum Hebraicum Tau poſuit, quæ extrema eſt apud hebræos 22. literarum. Et vt ad noſtra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus vſque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur. Tertull. autem legit vtrobique: *Et da ſigna Tau, &c.* Ipſa eſt enim, inquit lib. 3. adu. Marc. litera Græcorum Tau, noſtra autem T; ſpecies crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris, apud veram & catholicam Ieruſalem. Loci diligenter adnotandi contra noſtræ tempeſtatis ſugillatores, immò inimicos crucis Chriſti. *Idem.*

f ET AB IPSIS SANCTIS INCIPITE.] Hæc non leguntur in Veronenſi. RIG.

g SVPER LIGNVM VITÆ.] In Ben. tantum legitur *ſuper lignum. Idem.*

h *Die tertio reſurgemus.* Rectè primus adjecit vocem *reſurgemus*, Nam apud 70. legitur. Quum autem apud Oſee reperiatur hic locus, Caſtigandus eſt hunc locum citans Ter-

tertio reſurgemus. Item in Exodo: Et dixit Dominus ad Moïſen, deſcende & teſtificare populo, & ſanctifica illos hodie & cras, & lauent veſtem ſuam, & ſint parati in perendinum diem: die enim tertio deſcendet Dominus in montem Sina. Item in Euangelio: Progenies nequam & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi niſi ſignum Ionæ prophetæ. Quomodo enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

26. Quòd cùm reſurrexiſſet, acciperet à patre omnem poteſtatem, & poteſtas eius æterna ſit, apud Danielem: Videbam in viſu nocte, & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniens, venit vſque ad veterem dierum, & ſtetit in conſpectu eius, & qui aſſiſtebant ei obtulerunt eum: & data eſt ei poteſtas regia, & omnes reges terræ per genus: & omnis claritas ſeruiens ei: & poteſtas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur. Item apud Eſaïam: Nunc exſurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini: vana erit fortitudo ſpiritus veſtri, igni vos conſumet. Item in Pſalmo 109. Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dexteram meam, quoad vſque ponam inimicos tuos [a] ſuppedaneum pedum tuorum: Virgam virtutis tuæ mittet Deus à Sion; & dominaberis in medio inimicorum tuorum. Item in Apocalypſi: Et conuerſus reſpexi, vt viderem vocem quæ mecum loquebatur; & vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis veſtitum podere, & erat præcinctus ſupra mamillas [b] zonam auream. Caput autem eius & capilli erant albi velut lana aut nix; & oculi eius vt flamma ignis; & pedes eius ſimiles [c] aurichalco, ſicut de fornace ignis; & vox eius vt ſonus aquarum multarum: & habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas, & ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſplendebat vt ſol in virtute ſua. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tamquam mortuus, & impoſuit ſuper me dexteram ſuam dicens: Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus qui fueram mortuus: & ecce ſum [d] viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferorum. Item in Euangelio Dominus poſt reſurrectionem diſcipulis dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: ite ergo, & docete omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia quæcumque præcepi vobis.

27. Quod perueniri non poſſit ad Deum patrem, niſi per filium eius Ieſum Chriſtum, in Euangelio: Ego ſum via & veritas & vita: nemo venit ad patrem niſi per me. Item illic: Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Item illic: Multi prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt. Item illic: Qui credit in filium, habet vitam æternam: [e] Qui dicto non audiens eſt in filium, non habet vitam: ſed ira Dei manebit ſuper eum: Item Paulus ad Epheſios: Et cùm veniſſet, annunciauit vobis [f] pacem his qui longè, & pacem iis qui propè: quia per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem. Item ad Romanos: Omnes enim peccauerunt, & egent claritate Dei; iuſtificantur autem dono ipſius & gratia, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Item in Epiſtola Petri Apoſtoli: Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo. Item illic: In hoc enim & mortuis prædicatum eſt, vt ſuſcitentur. Item in Epiſtola Ioannis: Qui negat filium, neque patrem habet: qui confitetur filium, & filium & patrem habet.

28. Quòd ipſe iudex venturus ſit; apud Malachiam: Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui ſtipula, & ſuccendet illos aduenientis dies, dicit Dominus. Item in pſalmo 49. Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. A ſolis ortu vſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris eius. Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante eum ardebit: & in circuitu eius procella nimia. [g] Vocauit cælum ſurſum, & terram vt ſeparet populum ſuum. Colligite illi iuſtos eius, eos qui diſponunt teſtamentum eius in ſacrificiis; & annunciabunt cæli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt. Item apud Eſaïam: Dominus Deus virtutum prodibit, & comminuet bellum. Excitabit certamen, & clamabit ſuper inimicos ſuos cum fortitudine. Tacui, numquid ſemper tacebo? Item in Pſalmo 67. Exſurgat Deus, [h] & diſſipentur inimici eius, & fugiant à facie eius qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant; Sicut tabeſcit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & iuſti iucundentur & exultent in conſpectu Dei: & lætentur in iucunditate. Cantate Deo, pſallite nomini eius, iter facite ei, qui aſcendit in occaſum, Deus nomen illi. Turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & iudicis viduarum. Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, producens

tull. aduerſus Iud. & legendum: Oſee; pro eo quod eſt Eſaïam. PAM.

a *Suppedaneum pedum meorum.* Etiam hic M S. *ſcabellum*, prius tamen placet. *Idem.*

b *Zonam auream.* Hoc repoſui ex M S. cum Morel. pro eo quòd erat *zona aurea*, quia phraſis eſt Cypriani. *Idem.*

c AVRICHALCO.] In Ver. *aurochalco, ſicut de fornace ignito.* In Beneuentano, *ignita.* RIG.

d VIVENS IN SÆC.] Ver. *viuus.* *Idem.*

e QVI DICTO NON AVDIENS EST.] In Ben. *qui dicto inaudiens eſt filio.* *Idem.*

e *Qui dicto non audiens eſt in filium.* M S. *Qui in dicto inobediens eſt filio.* Græcè verò & latinè apud Ioannem non aliud quàm *qui incredulus eſt filio.* PAM.

f *Pacem his qui longè.* Omiſſam à Remboldo vocem *his* denuò adjecimus, nam habent M S. & vet. excuſ. *Idem.*

g VOCAVIT CÆLVM SVRSVM.] In Beneuentano & Veronenſi. *ſuſum.* RIG.

h ET DISSIPENTVR INIMICI.] In Ben. & Veron. *diſpargantur.* *Idem.*

ducens vinctos in virtute, ſimiliter eos [a] qui in iram prouocant, qui inhabitant in monumentis. Deus dum prodires in conſpectu populi tui, in tranſeundo in eremum. Item in Pſalmo 81. Exſurge Deus, iudica terram, quoniam tu [b] exterminabis in omnibus gentibus. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Quid nobis & tibi fili Dauid? Quid huc veniſti ante tempus punire nos? Item κατὰ Ioannem: Nihil pater iudicat, ſed iudicium omne filio dedit, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem: qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui eum miſit. Item in Epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt reportet vnuſquiſque ſui corporis propria, ſecundùm quæ egit, ſiue bona, ſiue mala.

29. Quòd ipſe ſit rex in æternum regnaturus, apud Zachariam: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluans, mitis ſedens ſuper aſinum indomitum. Item apud Eſaïam: Quis enim nunciabit vobis locum illum æternum? Ambulans in iuſtitia, & manus abſtinens à muneribus, grauans aures vt non audiat iudicium ſanguinis, & comprimens oculos ſuos ne videat iniuſtitiam; hic inhabitabit in alta ſpelunca petræ fortis. Panis illi dabitur, & aqua eius fidelis: regem cum claritate videbitis. Item apud Malachiam: Rex magnus ſum ego, dicit Dominus, & nomen meum illuſtre eſt apud gentes. Item in pſalmo 2. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, adnuncians imperium ipſius. Item in Pſalmo 20. Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum omnes termini terræ: & adorabunt in conſpectu tuo [c] omnes patriæ gentium; quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur omnium gentium. Item in Pſalmo 23. Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introibit rex claritatis. Quis eſt iſte rex claritatis? Dominus fortis & potens: Dominus fortis in prælio. Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ [d] æternales, & introibit [e] rex claritatis. Quis eſt iſte rex claritatis? Dominus virtutum ipſe eſt rex claritatis. Item in Pſalmo 44. [f] Eructauit cor meum ſermonem bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcriptoris acutè ſcribentis; decorus ſpecie ſuper filios hominum. Effuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in ſæcula. [g] Accingere enſe tuo ad femur potentiſſime. Decori & ſpeciei tuæ & intende, & dirige, & regna propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam. Item in Pſalmo 5. Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam; mane aſſiſtam tibi, & contemplabor te. Item in Pſalmo 96. Dominus regnauit, exultet terra, iucundentur inſulæ multæ. Item in Pſalmo 44. Aſtitit regina ad dexteram tuam in veſte inaurata, amicta eſt varietate. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui, & domus patris tui. Quoniam deſiderauit rex ſpeciem tuam; quia ipſe eſt Dominus Deus tuus: Item in Pſalmo 73. Deus autem rex noſter ante ſæculum, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Et cùm Ieſus natus eſſet in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis: ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Item κατὰ Ioannem dixit Ieſus: Regnum meum non eſt de iſto ſæculo: ſi de iſto ſeculo eſſet regnum meum, miniſtri mei turbarentur ne traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit Pilatus: Ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quoniam Rex ſum: Ego in hoc natus ſum: Ego in hoc veni in ſæculum, [h] vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt de veritate, audit vocem meam.

30. Quòd ipſe ſit & iudex & rex; in Pſalmo 74. Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iuſtitia. Item in Apocalypſi: Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verus, æquum iuſtumque iudicat, & præliatur. [i] Oculi autem eius erant tamquam flamma ignis: & ſuper caput eius diademata multa: & portabat nomen ſcriptum, nemini alij niſi ſibi notum. Et erat coopertus veſtem aſperſam ſanguine, & dicitur nomen eius verbum Dei; & exercitus qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis, induti byſſinum album mundum; & de ore eius exibat gladius vtrinque acutus, vt ex eo percuteret nationes, quas ipſe paſciturus eſt in virga ferrea, & ipſe calcabit torcular vini iræ Dei omnipotentis. habet etiam in veſte & in femore ſuo nomen ſcriptum: Rex regum & Dominus dominantium. Item in Euangelio: Cùm venerit filius hominis in claritate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit in

a QVI IN IRAM PROVOCANT.] Veron. *qui inamaricant. Idem.*

a *Qui in iram prouocant.* Sic Manutius; Morellius verò *qui amaritudine prouocant* Qui ſic vertit videtur voluiſſe exprimere compoſitionem vocis græcæ παραπικραινόντων. MS. & vet. excuſum neutrum habent. PAM.

b *Exterminabis in omnibus gentibus.* MS *omnes gentes.* Sed prius habet pſalmorum editio græca & Latina. Mirum eſt autem quod legat *exterminabis*, pro eo quod eſt κληρονομήσεις, quæ vox hæreditare ſignificat, & ita vertitur vbique. *Idem.*

c *Omnes patriæ gentium.* Retinuit vocem græcam πατριαί, quod & alibi adnotauit Eraſmus. *Idem.*

d ÆTERNALES.] In Ver. *æterna.* RIO.

e *Rex claritatis.* MS. bis *rex gloriæ.* prius vſitatum Cypriano eſt pro gloria. Item ſermo pro verbo, quare placet vulgata lectio: *ſermonem bonum* præſertim quum ſic legat & Tertull.

f ERVCTAVIT.] In Ver. *eructuauit.*

g ACCINGERE ENSE TVO AD FEM.) In Ben. & Ver. *Accingere enſem tuum ad femur. Idem.*

h VT TESTIMONIVM PERHIBEAM.) In Ben. & Ver. *vt teſtimonium dicam veritati. Idem.*

i *Oculi autem eius erant.* Negligentia operarum apud Manut. & Morell. irrepſerat, *erunt.* Legimus autem cum MS. Phraſi Cyprianica vſitatiſſima, *veſtem aſperſam & byſſinum album & mundum* iuxta quod græcè eſt βύσσινον λευκὸν καὶ καθαρόν. Priùs exc. non habebant *album.* PAM.

throno claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & ſegregabit illos ab inuicem, quemadmodum paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Tunc dicet Rex eis qui ad dexteram eius erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & potaſtis me; hoſpes fui, & adduxiſtis me; nudus, & texiſtis me; [a] infirmus, & viſitaſtis me; in carcere fui, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, & pauimus? ſitientem, & potauimus? quando autem te vidimus hoſpitem, [b] & adduximus? nudum, & veſtiuimus? quando autem te vidimus infirmum, & in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens Rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni horum ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet illis, qui ad ſiniſtram eius erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius: Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non potaſtis me; nudus, & non veſtiſtis me; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & [c] non miniſtrauimus tibi? Et reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni ex minimis his, neque mihi feciſtis: & abibunt iſti in ambuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam.

a INFIRMVS.] In Ver. *infirmatus.* RIG.
b ET ADDVXIMVS.] In Ver. *& abduximus.* & paulò pòſt: *non abduxiſtis.*
c NON MINISTRAVIMVS.] In Ver. & Ben. *non viſitauimus te.*

TESTIMONIORVM AD QVIRINVM

LIBER III.

PRÆFATIO.

CYPRIANVS [a] QVIRINO FILIO SALVTEM.

PRo fide ac deuotione tua quam Domino Deo exhibes, fili chariſſime, petiſti vt ad inſtruendum te excerperem de ſcripturis ſanctis quædam capitula ad religioſam ſectæ noſtræ diſciplinam pertinentia: lectionis diuinæ ſuccinctam diligentiam quærens, vt animus Deo deditus, non longis aut multis librorum voluminibus fatigetur, ſed eruditus breuiario præceptorum cæleſtium, habeat ad fouendam memoriam ſuam ſalubre & grande compendium. Et quia tibi plenum dilectionis obſequium debeo, feci quod petiſti; vt laborarem ſemel, ne tu ſemper laborares. Quantum potuit itaque mediocritas noſtra complecti, collecta ſunt à me quædam præcepta Dominica & magiſteria diuina; quæ eſſe facilia & vtilia legentibus poſſint, dum in breuiarium pauca digeſta, & velociter perleguntur, & frequenter iterantur. Opto te fili chariſſime ſemper bene valere.

CAPI-

a QVIRINO.] In Ver. CYRINO. RIG.

CAPITVLA LIBRI TERTII.

1. De bono operis & miſericordiæ.
2. In opere & eleemoſynis, etiam ſi per mediocritatem minus fiat, ipſam voluntatem ſatis eſſe.
3. Agapem & dilectionem fraternam religiosè & firmiter exercendam.
4. In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit.
5. Humilitatem & quietem in omnibus tenendam.
6. Bonos quoſque & iuſtos plus laborare, ſed tolerare debere quia probantur.
7. Non contriſtandum Spiritum ſanctum, quem accepimus.
8. Iracundiam vincendam eſſe, ne cogat delinquere.
9. Inuicem ſe fratres ſuſtinere debere.
10. In Deum ſolum fidendum, & in ipſo gloriandum.
11. Eum qui fidem conſecutus eſt, expoſito priore homine, cæleſtia tantum & ſpiritalia cogitare debere, nec attendere ad ſæculum cui iam renunciauit.
12. Non iurandum.
13. Non maledicendum.
14. Numquam muſſitandum, [a] ſed circa omnia quæ accidunt benedicendum Deum.
15. Ad hoc tentari homines à Deo vt probentur.

a SED CIRCA OMNIA.) In Ver. *ſed omnia.* RIG.

REMIT-

16. De bono Martyrij.
17. Minora eſſe quæ in ſæculo patimur, quàm ſit præmium quod promiſſum eſt.
18. Dilectioni Dei ac Chriſti nihil præponendum.
19. Voluntati non noſtræ, ſed Dei obtemperandum.
20. Fundamentum, & firmamentum ſpei, & fidei eſſe timorem.
21. Non temerè de altero iudicandum.
22. Accepta iniuria [a] remittendum & ignoſcendum.
23. [b] Vicem malis non reddendam.
24. Non poſſe ad patrem perueniri, niſi per Chriſtum.
25. Ad regnum Dei niſi baptizatus & renatus quis fuerit, peruenire non poſſe.
26. Parum eſſe baptizari & Euchariſtiam accipere, niſi qui factis & opere proficiat.
27. Baptizatum quoque gratiam perdere, quam conſecutus ſit, niſi innocentiam ſeruet.
28 Non poſſe in Eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit.
29. De odio nominis antè prædictum.
30. Quod quis Deo vouerit, citò reddendum.
31. Eum qui non crediderit, iam iudicatum eſſe.
32. De bono virginitatis & continentiæ.
33. Nihil patrem iudicare, ſed filium; & patrem ab eo non honorificari, à quo non honorificetur filius.
34. Fidelem gentiliter viuere non oportere.
35. Deum ad hoc patientem eſſe, vt nos pœniteat peccati noſtri & reformemur.
36. Mulierem ornari ſæculariter non debere.
37. Fidelem non oportere ob alia delicta, niſi [c] ob nomen ſolum puniri.
38. Seruum Dei innocentem eſſe debere, ne incidat in pœnam ſecularem.
39. Datum nobis eſſe exemplum viuendi in Chriſto.
40. Non jactanter nec tumultuosè operandum.
41. Inepte & ſcurriliter non loquendum.
42. Fidem in totum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus.
43. Poſſe eum ſtatim conſequi qui verè crediderit.
44. Fideles inter ſe diſceptantes, non debere gentilem iudicem experiri.
45. Spem futurorum eſſe, & ideo fidem circa ea quæ promiſſa ſunt; patientem eſſe debere.
46. Mulierem in Eccleſia tacere debere.
47. Delicto & merito noſtro fieri vt laboremus, nec Dei opem in omnibus ſentiamus.
48. Non fenerandum.
49. Inimicos quoque diligendos.
50. Sacramentum fidei non eſſe profanandum.
51. Quod nemo in opere ſuo extolli debeat.
52. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam.
53. Dei arcana perſpici non poſſe, & iccirco fidem noſtram ſimplicem eſſe debere.
54. Neminem ſine ſorde & ſine peccato eſſe.
55. Non hominibus, ſed Deo placendum.
56. Deum nihil latere ex his quæ geruntur.
57. Fidelem emendari & reſeruari.
58. Neminem contriſtari morte debere, cum ſit in viuendo labor & periculum, in moriendo pax & reſurgendi ſecuritas.
59. De idolis quæ gentiles deos putant.
60. Ciborum nimiam concupiſcentiam non appetendam.
61. Poſſidendi concupiſcentiam & pecuniam non appetendam.
63. Graue delictum eſſe fornicationis.
64. Quæ ſint carnalia, quæ mortem pariant; & quæ ſpiritalia, quæ ad vitam ducant.
65. Omnia delicta in baptiſmo deponi.
66. Diſciplinam Dei in Eccleſiaſticis præceptis obſeruandam.
67. Prædictum, quod diſciplinam ſanam aſpernaturi eſſent.
68. Recedendum ab eo qui inordinate, & contra diſciplinam viuat.
69. Non in ſapientia mundi, nec in eloquentia eſſe regnum Dei; ſed in fide crucis, & virtute conuerſationis.
70. Parentibus obſequendum.
71. Patres quoque aſperos circa filios eſſe non oportet.
72. Seruos cum crediderint, plus dominis carnalibus ſeruire debere.

73. Item

a REMITTENDVM ET IGNOSC.] In Ver. *prætermittendum.* RIG.
b VICEM MALIS NON REDDENDAM.] In Ver. *non referendam. Idem.*
c OB NOMEN SOLVM PVNIRI.] In Ver. *occidi Idem.*

73. Item dominos mitiores eſſe debere.
74. Viduas probatas quaſque honorandas.
75. Suorum & maximè fidelium curam plus vnumquemque habere debere.
76. Maiorem natu non temerè accuſandum.
77. Peccantem publicè obiurgandum.
78. Cum hæreticis non loquendum.
79. Innocentiam fidenter petere, & impetrare.
80. Nihil licere diabolo in hominem, niſi Deus permiſerit.
81. Mercedem mercenario cito reddendam.
82. Non augurandum.
83. [a] Cirrum in capite non habendum.
84. Barbam non vellendam.
85. Surgendum, cùm epiſcopus aut preſbyter veniat.
86. Schiſma non faciendum, etiam ſi in vna fide, & in eadem traditione permaneat qui recedit.
87. Fideles ſimplices cum prudentia eſſe debere.
88. Fratrem non circumueniendum.
89. Subito venire finem mundi.
90. Vxorem à viro non recedere, aut ſi receſſerit innuptam manere.
91. Tantum vnumquemque tentari, quantum poteſt ſuſtinere.
92. Non quidquid licet eſſe faciendum.
93. Prædictum quòd hæreſes futuræ eſſent.
94. Cum timore & honore Euchariſtiam accipiendam.
95. [b] Bonis conueniendum, malos autem vitandos.
96. Factis non verbis operandum.
97. Et ad fidem & ad conſecutionem properandum.
98. Cathecumenum peccare iam non debere.
99. Iudicium ſecundum tempora futurum, æquitatis ante legem, vel legis poſt Moyſen.
100. Gratiam Dei gratuitam eſſe debere.
101. Spiritum ſanctum in igne frequenter apparuiſſe.
102. Correptionem bonos quoſque libenter audire debere.
103. A multiloquentia temperandum.
104. Non mentiendum.
105. Frequenter emendandos qui delinquunt in domeſtico miniſterio.
106. Iniuria accepta patientiam tenendam, & vltionem Deo relinquendam.
107. Non detrahendum.
108. Non eſſe proximo inſidiandum.
109. Infirmos viſitandos.
110. [c] Suſurrones maledictos eſſe.
111. Sacrificia malorum acceptabilia non eſſe.
112. Grauius iudicari de his qui in ſæculo plus habuerint poteſtatis.
113. Viduam & pupillos protegi oportere.
114. Dum in carne eſt quis exomologeſin facere debere.
115. Adulationem pernicioſam eſſe.
116. Plus ab eo diligi Deum, cui in baptiſmo plura peccata dimittuntur.
117. Fortem congreſſionem eſſe aduerſus diabolum, & ideò fortiter nos ſtare debere, vt poſſimus vincere.
118. De antichriſto quod in homine veniat.
119. Graue fuiſſe iugum legis, quod à nobis abjectum eſt: & leue eſſe iugum Domini, quod à nobis ſuſceptum eſt.
120. Orationibus inſiſtendum.

TESTIM.

a CIRRVM IN CAPITE NON HAB.) In Ver. & Ben. *cirrum non habendum.* RIG.
b BONIS CONVENIENDVM.] In Vor. *conuinen-dum.* Idem.
c SVSVRRONES MALED. ESSE.) In Ver. *Suſurrones & bilingues.* Idem.

TESTIMONIORVM AD QVIRINVM

Liber III.

CAPVT PRIMVM.

a DE bono operis & miſericordiæ; apud Eſaïam: Exclama, inquit, in fortitudine & noli parcere: ſicut tuba exalta vocem tuam, adnuncia plebi meæ peccata ipſorum, & domui Iacob facinora eorum. Me de die in diem quærunt, & cognoſcere vias meas concupiſcunt, quaſi plebs quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei non deſeruerit. Poſtulant me nunc judicium iuſtum, & appropinquare Deo concupiſcunt dicentes: Quid quia ieiunauimus & non vidiſti, humiliauimus animas noſtras, & non cognouiſti? In diebus enim ieiunij inueniuntur voluntates veſtræ: aut enim ſubiectos vobis ſubpungitis, aut ad iudicia & lites ieiunatis, aut proximos cæditis pugnis; vt quid mihi ieiunatis, vt hodie audiatur vox veſtra in clamore? [b] Non hoc ieiunium ego elegi, niſi humiliet homo animam ſuam. Et ſi contorſeris quaſi circulum collum tuum; & ſaccum & cinerem ſubſtraueris, nec ſic vocabitur ieiunium acceptum. Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus: ſed ſolue omnem nodum iniuſtitiæ, reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem iniuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti: & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua citò orientur. Et præibit ante te iuſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te. Dum adhuc loqueris dicet: ecce adſum. De hoc ipſo apud Iob. Conſeruaui egenum de manu potentis, & pupillo cui non erat adiutor, auxiliatus ſum. Os viduæ benedixit me, cùm eſſem oculus cæcorum, pes quoque claudorum ego eſſem, & inualidorum pater. De hoc ipſo apud Tobiam: Et dixi Tobiæ filio meo: Vade & adduc quemcumque pauperem inueneris ex fratribus noſtris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto corde ſuo: hunc adduc, & [c] manducabit pariter meum prandium hoc: Ecce ſuſtineo te fili donec venias. Item illic: Omnibus diebus vitæ tuæ, fili Deum in mente habe, & noli præterire præcepta eius. Iuſtitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis: quoniam agente te ex veritate, erit reſpectus operum tuorum. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem ab vllo paupere: ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei. Quomodo habueris fili, ſic fac. Si tibi fuerit copioſa ſubſtantia, plus ex illa fac eleemoſynam: ſi exiguum habueris, ex hoc ipſo exiguo communica. Et ne timueris, cùm facis eleemoſynam, præmium bonum reponis tibi in diem neceſſitatis: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt eleemoſyna, omnibus qui faciunt eam coram ſummo Deo. De hoc ipſo apud Salomonem in parœmiis. Qui pauperi miſeretur, Deo fenerat. Item illic: Qui dat pauperibus, numquam indigebit. Qui autem auertit oculum ſuum, in multa penuria erit. Item illic: Eleemoſynis & fide peccata purgantur. Item illic: [d] Si eſurierit inimicus tuus ciba eum, & ſi ſitierit potabis eum: hoc enim faciens, carbones viuos ſuperfundes in caput eius. Item illic: Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Apud eumdem in parœmiis, Ne dixeris, abi & reuertere, cras ego dabo, cùm poſſis continuò bene facere: non enim ſcis quid contingat ſequenti die. Item illic: Qui obturat aures ſuas ne audiat imbecillum; & ipſe inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum. Item illic: Qui conuerſatur ſine vituperatione in iuſtitia, beatos filios relinquit. Apud eumdem in Eccleſiaſtico: Fili ſi habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer, memorare quoniam mors non tardat. Item illic: Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te orabit ab omni malo. De hoc ipſo in pſalmo 36. miſericordiam & poſteris prodeſſe: Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Tota die miſeretur & fenerat, & ſemen eius in benedictione eſt. De hoc ipſo in pſalmo 40. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit illum Deus. Item in pſalmo 111. [e] Diſtribuit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manebit in ſæculum ſæculi. De hoc ipſo apud Oſee: Miſericordiam volo magis quàm ſacrificium, & agnitionem Dei pluſquam holocauſtomata. De hoc ipſo in Euangelio κατὰ Matthæum: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur. Item illic: Beati miſericordes, quoniam

a *De bono operis & miſericordiæ.* Vetus exc. cum Grauio: *de opere & miſericordia*, verùm prior phraſis Cyprian. vſitata eſt in titulo libri de bono patientiæ, & infrà cap. 16. Accipitur autem opus hic in eadem ſignificatione qua lib. de opere & eleemoſynis. PAM.

b *Non hoc ieiunium ego elegi.* Vocem *quod*, interiectam ſemouimus, neque enim eam habent aut MS. aut vetus exc. aut 70. *Idem.*

c *Et manducabit pariter mecum prandium.* Sic lego ex MS. & vet. exc. pro eo quod alij *meum*, In iiſdem deſiderabatur vox *ecce*. *Idem.*

d *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Ex iiſdem hoc loco, pro eo quod Manut. & Morell. *paſces.* Item *in capitis eius*, pro eo quod hi *capitis eius*, & *ne* pro eo quod ipſi *nec*. *Idem.*

d *Diſtribuit, dedit pauperibus.* Etiam hoc denuò reſtituit, pro eo quod illi *diſperſit*, nam infrà hoc eodem cap. prius legitur. *Idem.*

quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Item illic : Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi neque tinea, neque comeſtura exterminat, & vbi fures non effodiunt, & furantur. Vbi enim fuerit theſaurus tuus, illic erit & cor tuum. Item illic : Simile eſt regnum cælorum homini negotianti, quærenti [a] bonas margaritas : vbi autem inuenit pretioſam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam. Etiam modicum opus prodeſſe. Item illic : Et qui potauerit vnum ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli ; amen dico vobis, non peribit merces eius. Nemini negandam eleemoſynam. Item illic : Omni poſcenti te da : & ab eo qui voluerit mutuari, [b] ne auerſatus fueris. Item illic : Si vis ad vitam venire, ſerua mandata. Dicit ille, quæ dicit illi Ieſus. Non occides, non mœchaberis, non falſum teſtimonium dices. Honora patrem & matrem, & diliges proximum tibi tamquam te. Dicit illi iuuenis : Omnia iſta obſeruaui ; quid adhuc mihi deeſt ? dicit illi Ieſus : Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Item illic : Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit in throno claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes. Et ſegregabit illos ab inuicem, quemadmodum paſtor ſegregat oues ab hœdis. Et ſtatuet oues ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Tunc dicet rex eis qui ad dexteram ſuam ſunt : Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare ; ſitiui, & potaſtis me ; hoſpes fui, & adduxiſtis me ; nudus, & texiſtis me; infirmatus ſum, & viſitaſtis ; in carcere fui, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti dicentes : Domine quando te vidimus eſurientem, & pauimus ; ſitientem, & potauimus ? [c] Quando te vidimus hoſpitem, & [d] adduximus ; nudum, & veſtiuimus ? Quando autem te vidimus infirmum, & in carcere ; & venimus ad te ? Et reſpondens rex dicet eis : Amen dico vobis quamdiu feciſtis vni horum ex fratribus meis minimis, & mihi feciſtis. Tunc dicet illis, qui à ſiniſtris eius ſunt : Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare ; ſitiui, & non potaſtis me ; hoſpes fui, & non adduxiſtis me ; nudus fui, & non veſtiſtis me ; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes : Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi ? Et reſpondebit illis : Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis vni ex minimis his, neque mihi feciſtis. Et abibunt iſti in ambuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam. De hoc ipſo in Euangelio κατὰ Lucam : Res veſtras vendite, & date eleemoſynam. Item illic : Qui fecit quod eſt intus, fecit & quod foris eſt. Verumtamen date eleemoſynam, & ecce vobis omnia ſunt munda. Item illic: Ecce dimidium ex ſubſtantia mea do egenis ; & ſi cui quid fraudaui, quadruplum reddo. Dixit autem Ieſus, quia ſalus hodie domui huic facta eſt, quoniam & ipſe filius eſt Abrahæ. De hoc ipſo ad Corinthios ſecunda : Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat ; vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt ſit æqualitas, ſicut ſcriptum eſt : Qui multùm habuit, non abundauit : & qui modicum, non indiguit. Item illic : Qui parcè ſeminat, parce & metet. Et qui ſeminat in benedictione de benedictione & metet. Vnuſquiſque autem ſicut corde propoſuit ; non quaſi ex triſtitia, vel ex neceſſitate : hilarem enim datorem diligit Deus. Item illic : Sicut ſcriptum eſt : Diſtribuit, dedit pauperibus : iuſtitia eius manet in æternum. Item illic : Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit : Et [e] multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletemini. Item illic : Adminiſtratio huius officij non tantùm ſuppleuit ea quæ ſanctis deſunt ; ſed abundauit per multam gratiarum actionem in Deum. De hoc ipſo in epiſtola Ioannis : Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum [f] deſiderantem, & clauſerit viſcera ſua ab eo ; [g] quomodo charitas Dei manet in illo ? De hoc ipſo in Euangelio κατὰ Lucam : Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque vicinos, neque diuites, ne fortè & illi reinuitent te & fiat tibi retributio. Sed cùm facis epulum, voca pauperes, debiles, [h] cæcos & claudos, & beatus eris : quoniam non habent retribuere tibi, retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum.

2. In opere & eleemoſynis, etiam ſi per mediocritatem minus fiat, ipſam voluntatem ſatis eſſe ; in epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda : Si voluntas prompta eſt, ſecundum quodcumque habuerit, [i] acceptabile eſt, non ſecundùm quod non habuerit : neque ſit aliis refrigerium, vobis autem preſſura.

3. Agap-

a *Bonas Margaritas*. Rectè hoc Manutius & Morell. iuxta exemplaria tam græca quàm latina, pro eo quod excuſ. & MS. noſtri *bonam Margaritam*. PAM.

b *Ne auerſatus fueris*. MS. *ne auerteris te* vet. exc. *ne auertas te* corruptè verò vulg. *ne auertaris te*. *Idem*.

c QVANDO TE VIDIMVS HOSPITEM ET ADDVXIMVS.) In Veronenſi non legitur hic, *quando te vidimus*. RIG.

d ADDVXIMVS.) In Ver. *abduximus*. & ſic in editione Romana. *Idem*.

e MVLTIPLICABIT SEMEN VESTRVM) In ben. & Ver. *ſeminationem veſtram*. *Idem*.

f DESIDERANTEM.) In Veronenſi. *deſiderantem aliquid*. *Idem*.

g QVOMODO CARITAS DEI.) Id Beneuent. *agape Dei*. *Idem*.

h *Cæcos & claudos*. Cambr cod. ſicut & alibi *clodos*. PAM.

i *Acceptabile eſt*. Coſterius *accepta eſt*, rectè quidem mea ſententia, ſed prius habent MS & exc. omnes adiecerunt verò Manut. & Mor. vocem *autem*, anteà deſideratam. PAM.

3. [a] Agapen & dilectionem fraternam religioſè & firmiter exercendam; apud Malachiam: Nonne Deus vnus condidit nos? Nonne pater vnus eſt omnium noſtrûm? Quid vtique dereliquiſtis vnuſquiſque fratrem ſuum? De hoc ipſo κατὰ Ioannem: Pacem vobis remitto, pacem meam do vobis. Item illic: Hoc eſt mandatum meum vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis. Item illic: Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Item illic: Amen dico vobis, quoniam ſi duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cælis eſt. Vbicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum. De hoc ipſo ad Corinthios prima: Et ego quidem fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus; quaſi infantibus in Chriſto [b] lac vobis potum dedi, non eſcam; dum enim adhuc puſilli eratis, non poteratis; ſed neque nunc poteſtis: adhuc enim eſtis carnales. [c] Vbi enim in vobis æmulatio & contentio & diſſenſiones, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Item illic: Et ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero corpus meum [d] vt ardeam, [e] charitatem autem non habeam nihil proficio. Charitas magnanima eſt, charitas benigna eſt; charitas non æmulatur, charitas non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniuſtitiam, conlætatur autem in veritate. Omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidet. De hoc ipſo ad Galatas: Diliges proximum tibi tamquam te. Si autem mordetis, & incuſatis inuicem, videte ne conſumamini ab inuicem. De hoc ipſo in epiſtola Ioannis: In hoc apparent filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt de Deo: & qui non diligit fratrem ſuum. Qui enim fratrem ſuum odit, homicida eſt: & ſcitis quia omnis homicida non habet in ſe vitam æternam in ſe manentem. Item illic: Si quis dixerit quoniam diligit Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? De hoc ipſo in Actibus apoſtolorum: Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente vna agebant: [f] nec fuit inter illos diſcrimen vllum, nec quidquam ſuum iudicabant ex bonis quæ eis erant, ſed fuerunt illis omnia communia. De hoc ipſo in euangelio κατὰ Matthæum: Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veni & offer munus tuum ad altare. Item in epiſtola Ioannis: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Item illic: Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, mendax eſt, & in tenebris ambulat vſque adhuc.

4. [g] In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit; in euangelio κατὰ Ioannem: Nemo poteſt quidquam accipere, niſi datum fuerit illi de cælo. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Quid enim habes quod non acceperis? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Item in Βασιλειῶν primo: Nolite gloriari, neque loquamini elata, & non procedat magniloquentia ex ore veſtro: quia Deus ſcientiarum Dominus. Item illic: Inualidus factus eſt arcus potentium, & infirmi accincti ſunt virtute. [h] De hoc ipſo in Machabæis: Iuſtum eſt ſubditum Deo eſſe, & mortalem non paria Deo ſentire. Item illic:

Et

a *Agapen & dilectionem fraternam.* Sicut Tertull. lib adu. Marc. & Hieronymus ad Euſtochium, Agapen fratrum accipiunt pro eleemoſyna, ſic hic Cyprianus pro ipſa charitate accipit. Vocatur enim agape, inquit Tertull. in Apolog. id quod dilectio penes græcos eſt. vbi agit de cœnæ genere, quod agapen dicebant veteres, quo excipiebantur pauperes, de quo & epiſtola Iudæ *ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν*. Et Paulinus lib. de Gazophylacio & alibi. in cuius locum ſucceſſit, quam hodie menſam pauperum dicimus. PAM.

b LAC VOBIS POTVM DEDI.] In Ben. & Ver. *Lacte vos potaui, non cibo, nondum enim poteratis.* RIG.

c *Vbi enim in vobis æmulatio & contentio & diſſenſ.* MS. cum exc. antè Manut. & Morel. *Vbi enim inuocatis æmulationes & diſſenſiones.* Verùm prius legitur ſuprà de zelo & liuore, & apud Apoſtolum tam græcè quam Latinè, præter vocem: *diſſenſiones.* Quam quidem reperire eſt in græcis hodiernis exempl. apud Irenæum lib. 4. cap. 75. & apud Theophylactum, ſed neque apud veteres alios Latinos, neque apud Chryſoſtomum. PAM.

d VT ARDEAM.] In Ben. & Ver. *vt ardeat.* RIG.

e CHARITATEM AVTEM NON HAB.] In Ben. & Ver. *agapem. Idem.*

f *Nec fuit inter illos diſcrimen vllum.* De verbis his ſic Beda retractatione in act. Apoſt. Hic in græcis exemplaribus quod noſtri codices non habent, adiunctum eſt: *Et non erat ſeparatio in eis vlla.* Quam ſententiam etiam B. Cyprianus in lib. teſtim. 3. ſic poſuit dicens: Turba autem eorum qui crediderunt, anima vna ac mente agebant, nec erat inter illos vllum diſcrimen, nec quicquam ſuum iudicebant ex bonis quæ eis erant, &c. Locus alter, immò totus liber retract. diligenter expendendus, ad comprobandam varietatem exemplarium græcorum illius ætatis & noſtræ. PAM.

g *In nullo gloriandum, &c.* Locum hunc citat D. Auguſt. adu. Pelagianos non modo contra duas epiſt. Pelagij. cap. 9. Sed & lib. de prædeſt. ſanct. cap. 3. *Idem.*

h *De hoc ipſo in Maccabæis.* Maccabæorum libros citat Cyprianus, tum ſupra epiſt. 56. & 68. ac ad Fortunatum cap. 11. latiſſimè, tum infra hoc eodem lib. cap. 15. & 53. immò epiſt. 53. Scripturam diuinam vocat citans ſequentia verba; ac ad Fortunatum cap. 5. inde probat, idololatras interfici debere. Tertullianus quoque lib. adu. Iudæos, ex pugna Maccabæorum in die Sabbati, Iudæorum ſabbatum impugnat; D. Ambroſius cap. 6. ac 7. lib. 2. Machab. latè tractat, lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 10. 11. ac 12. ac officiorum lib. 2. cap. 40. & 41. etiam officior. 3. citat 2. Machab. cap. 1. & 2. de igne ſacrificij abſcondito, & arca; quæ tamen quidam habent pro apocryphis. Chryſoſtomus homil. de Maccab. conſcripſit, ex qua multa citat Ionas Aurelianen. lib. 1. de cultu imag. Citat etiam ipſorum hiſtoriam hom. 4. de verbis Iſaac. cap. 6. & in Pſal. 44. Auguſtinus lib. de cura pro mort. ex iiſdem probat offerendum ſacrificium pro mortuis & lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 36. Maccabæorum libros, inquit, non quidem Iudæi ſed eccleſia pro canonicis habet. vnde & in canone ſcriptur. ab eodem recenſentur, & rurſum à concilio Carthag. ab Innocentio, Gelaſio (qui menſe Octobri legi illos in eccleſia voluit) Iſidoro, & conciliis ſuprà citatis lib. teſtim. 1. cap. 20. itaut poſt tantos viros, poſthac de horum canonica auctoritate dubitare non licet. Vnde & in illos tamquam ſcripturæ ſacræ libros commentati ſunt iam olim Bellator preſbyter, & Rabanus Maurus, cuius commentarij penès me MS. extant. vbi pulchrè 137. annos illos quos calumniantur quidem per ſingulos reges compu-

10. *In* Deum ſolum fidendum, & in ipſo gloriandum eſſe apud Hieremiam: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque glorietur fortis in fortitudine ſua: neque glorietur diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur intelligere & noſſe quoniam ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam ſuper terram: quoniam in his eſt voluntas mea, dicit Dominus. De hoc ipſo in pſalmo 54. In Domino ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo. Item illic: Non niſi ſoli Deo ſubiecta eſt anima mea. Item in pſalmo 117. Non metuam quid faciat mihi homo, Dominus mihi auxiliator eſt. Item illic: Bonum eſt confidere in Dominum, quàm fidere in homine. Bonum eſt ſperare in Dominum, quàm ſperare in principibus. De hoc ipſo apud Danielem: Reſponderunt autem Sidrac, Miſac, & Abdenago, & dixerunt regi Nabuchodonoſor: Rex non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. Eſt enim Deus, cui nos ſeruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberabit nos. Et ſi non, notum ſit tibi quia diis tuis non ſeruimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti non adoramus. Item apud Hieremiam: Maledictus homo, qui ſpem habet in homine: & benedictus homo qui fidet in Domino, & erit in Deo ſpes eius. De hoc ipſo in Deuteronomio: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. De hoc ipſo ad Romanos: Et coluerunt & ſeruierunt creaturæ, relicto creatore, propter quod & tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. De hoc ipſo apud Ioannem: Major eſt qui in vobis eſt, quàm qui in hoc mundo.

11. Eum qui fidem conſecutus eſt, expoſito priore homine, cæleſtia tantum & ſpiritalia cogitare debere, nec attendere ad ſæculum cui iam renunciauit; apud Eſaiam: Quærite Dominum, & cum inueneritis, inuocate eum. Cum autem appropinquauerit vobis, relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas: & conuertatur ad Dominum, & miſericordiam conſequetur; quia in multum remittet peccata veſtra. De hoc ipſo apud Salomonem: Vidi vniuerſa opera quæ facta ſunt ſub ſole; & ecce omnia vanitas. De hoc ipſo in Exodo: Sic autem comedetis eum. Lumbi veſtri præcincti, [a] & calciamenta veſtra in pedibus veſtris, baculi veſtri in manibus veſtris, & edetis eum feſtinanter: paſcha eſt enim Domini. De hoc ipſo in euangelio κατὰ Matthæum: Nolite cogitare dicentes, quid edemus, quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes inquirunt: ſcit autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. [b] Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius & omnia iſta apponentur vobis. Item illic: Nolite cogitare in craſtinum: craſtinus enim dies ipſe cogitabit ſibi. [c] Sufficit diei malitia ſua. Item illic: [d] Nemo retrò attendens & ſuperponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei. Item illic: Aſpicite volatilia cæli, quoniam non ſeminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, & [e] pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos pluris eſtis illis? De hoc ipſo κατὰ Lucam: Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes. Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando veniat à nuptiis, vt cum venerit & pulſauerit, aperiant illi: Beati ſerui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes. De hoc ipſo apud Matthæum: Vulpes [f] foueas habent, & volucres cæli diuerſoria; filius autem hominis non habet vbi caput ſuum inclinet. Item illic, Qui non renunciat omnibus quæ ſunt eius, non poteſt meus diſcipulus eſſe. De hoc ipſo ad Corinthios prima: Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno, clarificate & portate Deum in corpore veſtro. Item illic: Tempus collectum: ſupereſt ergo vt & qui habent vxores, quaſi non habentes ſint; & qui plangunt, quaſi non plangentes; & qui gaudent, quaſi non gaudentes; & qui emunt, quaſi non ementes; & qui poſſident, quaſi non poſſidentes; & qui hoc mundo vtuntur, quaſi non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Item illic: Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cælo. Qualis ille è limo, tales & qui de limo, & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Quomodo portauimus imaginem eius qui de limo eſt, portemus & imaginem eius qui de cælo eſt. De hoc ipſo ad Philippenſes: Omnes ſua quærunt, & non quæ ſunt Chriſti: Quorum finis eſt interitus, quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſionem eorum qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt: vnde & Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ. De hoc ipſo ad Galatas: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. De hoc ipſo ad Timotheum: Nemo militans Deo obligat ſe moleſtiis ſæcularibus, vt poſſit placere ei cui ſe probauit. Sed & ſi certauerit quis, non coronabitur, niſi legitimè pugnauerit. [g] De hoc ipſo ad Coloſſenſes: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid tamquam viuentes in mundo vana ſectamini? [h] Item de hoc ipſo:

Si

a ET CALCIAMENTA VESTRA.] In Pen. & Ver. *& caliga veſtra in pedibus veſtris, & bacula veſtra in m. v.* RIG.

b QVÆRITE PRIMVM.] In Ben. & Ver. *Quærite primò regnum & iuſtitiam Dei. Idem.*

c SVFFICIT DIEI.] Ver. *Sufficiat. Idem.*

d *Nemo retrò attendens.* Aut memoria lapſus hic fuit Cyprianus, aut olim etiam apud Matthæum hoc legebatur. Idipſum cenſendum de eo quod paulò poſt ſubiungitur. *Qui non renuntiat, &c.* Niſi fortè errore librariorum tranſpoſita ſunt teſtimonia. Reperitur hodie illud Lucæ 9 hoc 14. cap. & non alibi. PAM.

e PATER VESTER CÆLESTIS PASCIT ILLA] Ben. & Veron *alit ea.* RIG.

f FOVEAS HABENT.] Ben. & Ver. *cubilia. Idem.*

g DE HOC IPSO AD COLOSS.] In Ver. *Item ad Coloſſ.* RIG.

h ITEM DE HOC IPSO.] Ver. *Item illic. Idem.*

illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi [a] holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum. De hoc ipſo in Machabæis: Abraham nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & deputatum eſt ei ad juſtitiam?

16. De bono martyrij, [b] in ſapientia Salomonis: Liberat de malis animam martyr fidelis. Item illic: Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe [c] anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes inter ſe pœnitentiam habentes, & per anguſtiam ſpiritus gementes. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quo modo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulauimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra. De hoc ipſo in pſalmo 115. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Item in pſalmo 125. Qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent. Ambulantes ambulabant, & plorabant mittentes ſemina ſua: venientes autem venient in exultatione tollentes gremia ſua. De hoc ipſo in Euangelio κατὰ Ioannem: Qui amat animam ſuam, perdet illam: & qui odit animam ſuam in iſto ſæculo, [d] in vitam æternam inueniet illam. Item illic: Cùm autem tradiderint vos, nolite cogitare quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Item illic: Veniet hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe Deo facere. Sed & hoc facient, quoniam non cognouerunt patrem neque me. De hoc ipſo apud Matthæum: Beati qui perſecutionem paſſi fuerint propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Item illic: Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum, qui poteſt animam & corpus occidere in gehennam. Item illic: Quicumque me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram patre meo, qui in cælis eſt. Qui autem me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo, qui in cælis eſt. Qui autem ſuſtinuerit vſque in finem, hic ſaluus erit. De hoc ipſo κατὰ Lucam: Beati eritis cùm vos oderint homines, & ſeparauerint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis. Item illic: Amen dico vobis, nemo eſt qui relinquat domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantùm in iſto tempore, in ſæculo autem futuro vitam æternam. [e] De hoc ipſo in Apocalypſi: Et cùm aperuiſſet quintum ſignum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamauerunt magna voce dicentes: Quouſque Domine ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui in terris inhabitant? Et datæ ſunt eis ſingulis ſtolæ albæ, & dictum eſt eis vt requieſcerent breui adhuc tempore, donec impleatur numerus conſeruorum, & fratrum eorum, quique poſteà occidentur exemplo ipſorum. Item illic: Poſt hæc vidi turbam multam, quam dinumerare ex his nemo poterat, ex omni gente, [f] & ex omni tribu, & ex omni populo & lingua, ſtantes in conſpectu throni, & in conſpectu agni, & erant amicti ſtolas albas, & palmæ fuerunt in manibus eorum, & magno clamore dicebant: Salus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno. Et reſpondit vnus ex ſenio-

a HOLOCAVSTA HOSTIÆ.] Ben. & Ver. *holocauſtum hoſtiam.* RIG.

b *In ſapientia Salomonis.* Manutius & Morell. *in prouerbijs.* Fortaſſis quia teſtimonium quod citat inuenitur prou. 14. Verum aut legendum *parœmijs*, aut certè ſicut legunt M S. & anteà excuſi omnes: *ſapientia.* Nam ex cap. 6. huius lib. 20. 53. & 56. ſatis patet Cyprian. etiam libros alios Salomonis titulo ſapientiæ inſcripſiſſe; quomodo & hodie pro more habent Eccleſiaſtæ. PAM.

c ANGVSTIAVERVNT.] Ver. *anguſtauerunt.* RIG.

d IN VITAM ÆTERNAM INVENIET ILLAM.] Ben. & Ver. *conſeruabit illam.* Sic lib de exhort. mart. *Idem.*

e *De hoc ipſo in Apocalypſi.* Nullum noui Teſtamenti librum toties atque hunc citat Cyprianus, præmitens ſæpius: ita Dominum aut Spiritum ſanctum loqui frequenter. Idipſum facit Tertullianus qui & Ioanni Apoſtolo diſertis verbis attribuit lib. 3. adu. Marc. & apertius lib. 4. Habemus, inquit, & Ioannis alumnas eccleſias. Nam etſi Apocalypſin eius Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem reſcenſus, in Ioannem ſtabit auctorem. Similiter Dion. Eccl. hierarch. cap. 3 Irenæus adu. hær. lib. 4. cap. 30. & non vno in loco ſub finem libri 5. Iuſtinus Martyr dialogo cum Tryphone Iudæo citatus ab Euſebio lib. 4. Eccleſiaſt. hiſtor cap. 18 Origenes apud eumdem dicens ſe hoc à maioribus accepiſſe eiuſdem hiſt. lib. 6. cap. 18. & ipſe Euſebius in Chronico. Theophilus apud eumdem. Hilarius lib. 6. de Trinit. Ambroſ. lib. 3. de Virg. Hieronym. lib. 1. contra Iouinian. & de viris illuſtr. Auguſt. tract. 36 in Ioan. Poſtremò eccleſia nomine Ioannis Apoſtoli Apocalypſin decantat. Iam alij etſi expreſsè Ioanni Apoſtolo non attribuant, inter ſcripturas tamen ſacras receuſent. Inter hos fuit Clemens Alex. lib. 2. pædag. cap. 12 Dion. Alexandr. apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 10. Chryſoſtomus locis à Suida citatis. Damaſc. lib. 4. cap. 28 & concilium Tolet. 14. excommunicans eos qui contrarium ſentiunt. Omitto quod iam olim teſte Hieronymo in illam commentati ſunt, (vt Latinos prætercam Irenæus, Iuſtinus, Melito, & Hippolytus, Andreas quoque Cæſarienſis. Certè ab Epiphanio inter hæreticos receuſentur Alogiani hær. 51. & ab Auguſt. hær 30 quòd Euangelium & Apocalypſin Ioannis Apoſtoli non reciperent. Valeat igitur Eraſmus cum ſuis rationibus nouem quibus probare nititur aduot. in Apocalypſin, non eſſe ipſam Apoſtoli Ioannis, præſertim quum etſi græci quidam in ea fuerint ſententia; plures contrariam ſecuti ſint, nec cuiuſquam ſit momenti, quod in exemplaribus græcis inſcribatur *ἰωάννου τοῦ θεολόγου*, quippe cùm ab Euodio loco citato à Niceph. lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 3. & à Chryſoſt. in pſal. 37. Ioannes Theologus nuncupetur Euangeliſta. Idque quantùm conijcere licet ex Dion. Areopagit. loco citato, quòd Theologiam, id eſt, de Deo Christo ſermonem in Euangelio ſuo primus ſcripſerit. PAM.

f EX OMNI TRIBV.] Veronenſ. *Ex omni tribu & lingua & populo,* RIG.

ſenioribus, dicens mihi: Qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt? Et dixi ei: Domine mi tu ſcis. Et ait mihi: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni: Ideo ſunt in conſpectu throni Dei, & ſeruiunt ei diebus & noctibus in templo eius. Et is qui ſedet in throno, inhabitabit ſuper eos, neque eſurient neque ſitient vnquam, ſed neque ſol ſuper eos cadet, neque vllum æſtum patientur. Quoniam agnus qui in medio throni eſt, teget eos, & deducet eos ad fontes vitæ aquarum, & abſterget Deus omnem lachrymam ex oculis eorum. Item illic: Qui vincet, dabo illi edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Item illic: Eſto fidelis vſque mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Beati erunt qui vigilabunt, & ſeruabunt veſtimenta ſua ne nudi ambulent, & videant turpitudinem ſuam. De hoc ipſo ad Timotheum in ſecunda: Ego iam delibor, & tempus inſtat meæ aſſumptionis. [a] Bonum agonem certaui, curſum perfeci, fidem ſeruaui: iam ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illo die iuſtus judex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui dilexerint aduentum eius. De hoc ipſo ad Romanos: Sumus filij Dei, ſi autem filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi quidem compatiamur, vt & commagnificemur. De hoc ipſo in pſalmo 118. Beati qui immaculati ſunt in via, & qui ambulant in lege Domini. Beati qui perſcrutantur martyria eius.

17. Minora eſſe quæ in ſæculo patimur quàm ſit præmium quod promiſſum eſt; in epiſtola Pauli ad Romanos: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad ſuperuenturam claritatem [b] quæ reuelabitur in nobis.

18. Dilectioni Dei & Chriſti nihil præponendum; in Deuteronomio: Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. In Euangelio κατὰ Matthæum: Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus; & qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt meus diſcipulus. Item in epiſtola Pauli ad Romanos: Quis nos ſeparabit [c] à charitate Chriſti, preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quoniam cauſa tui occidimur tota die, deputati ſumus vt oues victimæ: ſed in his omnibus ſuperuincimus, pro eo qui dilexit nos.

19. Voluntati non noſtræ, ſed Dei obtemperandum, in Euangelio κατὰ Ioannem: Non deſcendi de cælo vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui me miſit. De hoc ipſo κατὰ Matthæum: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu. Item in prece quotidiana: Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Item κατὰ Matthæum: Non omnis qui mihi dicit, Domine Domine, introibit in regnum cælorum; ſed is qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe introibit in regnum cælorum. Item κατὰ Lucam: Ille autem ſeruus qui cognoſcit voluntatem domini ſui, & non paruerit voluntati eius, vapulabit multis. In epiſtola Ioannis: Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quo modo & ipſe manet in æternum.

20. Fundamentum, & firmamentum ſpei, & fidei eſſe timorem, in Pſalmo 100. Initium ſapientiæ timor Domini. De hoc ipſo in Sapientia Salomónis: Initium ſapientiæ, metuere Deum. Item in Parœmiis eiuſdem: Beatus homo eſt qui veretur omnia per metum. De hoc ipſo apud Eſaïam: Et ſuper quem alium reſpiciam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? De hoc ipſo in Geneſi: Et vocauit eum Angelus Domini de cælo, & dixit illi: Abraham Abraham. Ille autem dixit: Ecce ego. Et dixit: Noli imponere manum tuam ſuper puerum, neque feceris illi quidquam. Nunc enim cognoui, quoniam times Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilectiſſimo propter me. Item in pſalmo 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei in tremore. Item in pſalmo. 33. Timete Dominum omnes ſancti eius; quoniam non eſt inopia eis qui eum metuunt. Item in Pſalmo 18. Timor Domini caſtus perſeuerans in ſæcula ſæculorum.

21. Non temerè de altero judicandum, in Euangelio κατὰ Lucam: Nolite iudicare, ne iudicemini: nolite condemnare, ne condemnemini. De hoc ipſo ad Romanos: Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit; ſtabit autem, potens eſt enim Deus ſtatuere eum. Et iterùm: quare ſine excuſatione es ô homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alium, te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas. Speras autem tu qui iudicas eos qui mala agunt, & eadem facis, quia ipſe effugies iudicium Dei? Item in epiſtola

Pauli

a *Bonum agonem certaui.* Lego hoc cum Morel. Grau. ad marg. M S. & vet. exc. pro eo quod erat *bonum certamen* Ita legitur enim ſuprà epiſt. 9. ſic etiam *dilexerint* pro *dilexerunt*. PAM.

b QVÆ REVELABITVR IN NOBIS.] In Veronenſi adijcitur: *De hoc ipſo in Maccabæis. Domino qui ſanctam habet ſcientiam, manifeſtum eſt, quia cùm poßim morte liberari, durißimos dolores corporis tolero, flagellis vapulans; animo autem propter ipſius metum libenter hæc patior. Item illic: Tu quidem impotens ex hac præſenti vita nos perdis: ſed mundi rex defunctos nos pro ſuis legibus, in æternam vitæ reſurrectionem ſuſcitabit. Item illic: Potius eſt ab hominibus morti datos expectare ſpem à Deo iterum ab ipſo ſuſcitari. tibi enim reſurrectio in vitam non erit. Item illic: Poteſtatem inter homines habens, cùm ſis corruptibilis, facis quod vis; noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum. Suſtine & vide magna poteſtas eius qualiter te & ſemen tuum torquebit. Item illic: Noli fruſtrà errare. Nos enim propter noſmetipſos hæc patimur: peccantes in Deum noſtrum, tu autem ne te exiſtimes impunitum, adgreſſus pugnare cum Deo.* RIG.

c *A charitate Chriſti.* M S. & vet. exc. *Dei*, ſed prius legitur alibi. Itidem placet *pro eo qui dilexit nos*, magis quam *pro eo quod*, ſicut habent M S. vel, *propter quod*, vti legunt excuſi vulg. PAM.

Pauli ad Corinthios prima: Et qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Et iterum: Si quis ſe putat ſcire aliquid, nondum ſcit quemadmodum oporteat eum ſcire.

22. Accepta iniuria remittendum & ignoſcendum; in Euangelio, in prece quotidiana: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Item κατὰ Marcum: Et cùm ſteteritis ad orationem, [a] remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cælis eſt, remittat veſtra peccata vobis: Si autem vos non dimiſeritis; neque pater veſter qui in cælis eſt dimittet vobis peccata veſtra. Item illic: In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis.

23. Vicem malis non reddendam; in epiſtola Pauli ad Romanos: Nemini malum pro malo reddentes. Item illic: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. De hoc ipſo in Apocalypſi: Et dixit mihi, ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius, quia iam tempus in proximo eſt; & hi qui perſeuerant nocere, noceant; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: iuſtus autem adhuc iuſtiora faciat, ſimiliter & ſanctus ſanctiora. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundùm facta ſua.

24. Non poſſe ad patrem perueniri, niſi per filium eius Ieſum Chriſtum; in euangelio κατὰ Ioannem: ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem niſi per me. Item illic: Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur.

25. [b] Ad regnum Dei niſi baptizatus & renatus quis fuerit, peruenire non poſſe; in euangelio κατὰ Ioannem: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod enim natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt. Item illic: Niſi ederitis carnem filii hominis & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.

26. Parum eſſe baptizari & Euchariſtiam accipere, niſi quis factis & opere proficiat; in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Neſcitis quia qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, vnus tamen accipit palmam? Sic currite vt occupetis; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos verò incorruptam. In Euangelio κατὰ Matthæum: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Item illic: Multi mihi dicent in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia excluſimus, & in tuo nomine virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Numquam vos noui, recedite à me qui operamini inquitatem. Item illic: Luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, & clarificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Item Paulus ad Philippenſes: Lucete ſicut luminaria in mundo.

27. Baptizatum quoque gratiam perdere, quam conſecutus ſit, niſi innocentiam ſeruet; in euangelio κατὰ Ioannem: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Item in Epiſtola Pauli ad Corinthios prima. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. De hoc ipſo in Paralipomenon: Deus vobiſcum eſt, dum eſtis vos cum ipſo ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos.

28. Non poſſe in eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit, in Euangelio κατὰ Matthæum: Qui dixerit verbum aduerſus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduerſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi neque in iſto ſæculo, neque in futuro. Item κατὰ Marcum: Omnia peccata remittentur filiis hominum & blaſphemiæ: qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur illi, ſed [c] reus erit æterni peccati. De hoc ipſo in Βασιλειῶν primo: [d] Si delinquendo peccet vir aduerſus virum, orabunt pro eo Dominum, ſi autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?

29. De odio nominis antè prædictum; in euangelio κατὰ Lucam: Et eritis odibiles omnibus hominibus propter nomen meum. Item κατὰ Ioannem: Si ſæculum vos odit, ſcitote quoniam me primo odiit: ſi de ſæculo eſſetis, ſæculum quod ſuum eſſet amaret: ſed quia de ſæculo non eſtis, & ego elegi vos de ſæculo, propterea odit vos ſæculum. Mementote ſermonis quem dixi vobis: Non eſt maior ſeruus domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.

30. [e] Quod quis Deo vouerit, citò reddendum; apud Salomonem: Prout voueris votum Deo, ne moram feceris reddere illud. Item in Deuteronomio: Si autem voueris votum domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia inquirens quæret illud Dominus Deus tuus

a *Remittat peccata veſtra vobis.* Rurſum ex MS. adiecimus *veſtra*, & paulò poſt legimus, *menſi fueritis*. Atqui ex hoc capite confirmatur, quod dixi libr. de oratione Dominica, modò remittere, modò dimittere vſitatum eſſe Cypriano. PAM.

b *Ad regnum Dei niſi baptizatus. &c.* Inſignis locus contra Anabaptiſtas, atque adeò & Caluinum ipſum, qui contendunt in vteris matrum proles ſanctificari. *Idem.*

c REVS ERIT ÆTERNI PECCATI.] Hoc eſt, quod non remittetur illi neque in iſto ſeculo, neque in futuro. Non poteſt in eccleſia remitti illi. Huiuſmodi peccatum dicitur grande delictum. Exodi 32. RIG.

d *Si delinquendo peccet vir.* Sic rectè Manutius, pro eo quod erat *peccetur*, quia 70. illud legunt. PAM.

e *Quod quis Deo vouerit &c.* Inſignis locus aduerſus votorum violatores in quocunque genere. De voto Virginitatis tractauimus latè epiſt. 62 & lib. de diſcipl. & habitu virginum, & infra Cyprianus cap. 32. De votis monaſticis aliquid etiam ibi attigimus. Peculiaris verò hic erat locus tractandi de voto paupertatis ob exemplum Ananiæ quod hic adfert, verùm tam latè ab aliis id factum eſt, vt ſuperuacaneum videatur. Quare ad D. Claudium Eſpenceum, & Card. Hoſium lectorem remittimus. *Idem.*

tuus à te, & erit in peccatum: ea quæ egredientur per labia tua, obſeruabis: & facies donum quod locutus es ore tuo. De hoc ipſo in pſalmo 49. Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Inuoca me in die preſſuræ, & eximam te, & clarificabis me. De hoc ipſo in actibus Apoſtolorum: Cur impleuit ſatanas cor tuum [a] mentiri te Spiritui ſancto, cum eſſet fundus in tua poteſtate, non hominibus mentitus es, ſed Deo. Item apud Hieremiam: Maledictus qui facit opera Dei negligenter.

31. Eum qui non crediderit, iam iudicatum eſſe in euangelio κατὰ Ioannem: Qui non crediderit, iam iudicatus eſt; qui non credidit in nomine vnici filii Dei. Hoc autem eſt iudicium, quoniam lux venit in ſæculum, & magis dilexerunt homines tenebras, quàm lucem. De hoc ipſo in pſalmo 1. Propterea non reſurgent impii in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum.

32. De bono virginitatis & continentiæ; in Geneſi: Multiplicans multiplicabo triſtitias tuas, & gemitus tuos: & in triſtitia paries filios, & erit conuerſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur. De hoc ipſo in euangelio κατὰ Matthæum: Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt: ſunt enim ſpadones, qui ex vtero matris nati ſunt: & ſunt ſpadones, qui coacti ſunt ab hominibus: & ſunt ſpadones, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat. Item κατὰ Lucam: Filij ſæculi huius generant & generantur: qui autem habuerunt dignationem ſæculi illius, & reſurrectionis à mortuis, [b] non nubunt, neque nubuntur. Neque enim incipient mori: æquales enim ſunt angelis Dei, cùm ſint filij reſurrectionis. Reſurgere autem mortuos Moyſes ſignificat, cùm dicit in rubo: Dominus Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum: omnes enim illi viuunt. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Bonum eſt homini mulierem non contingere: propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque virum ſuum habeat. Vxori vir debitum reddat: ſimiliter & vxor viro. Vxor corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vxor. Nolite fraudare inuicem, niſi ex conuentione, [c] ad tempus vt vacetis orationi, & iterum reuertimini ad idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram. [d] Hoc dico ſecundùm veniam, non [e] ſecundùm imperium: volo autem omnes homines eſſe, ſicut & me: ſed vnuſquiſque proprium habet donum à Deo, alius ſic, alius autem ſic. Item illic: Cœlebs cogitat ea quæ ſunt Domini, quo modo placeat Deo. Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi huius, quo modo placeat vxori: ſic & mulier, & virgo innupta cogitat ea quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: quæ autem nupſit, cogitat de iis quæ ſunt mundi huius, quo modo placeat viro. Item in Exodo: Cùm præcepiſſet Dominus Moyſi, vt ſanctificaret populum in diem tertium, ſanctificauit ille, & adiecit: Eſtote parati: [f] tribus diebus non accedetis ad mulieres. Item in Βασιλειῶν primo: Et reſpondit ſacerdos ad Dauid, & dixit: Non ſunt panes profani in manu mea, niſi panis ſanctus vnus: [g] ſi obſeruati ſunt pueri à muliere, manducabunt. Item in Apocalypſi: Hi ſunt qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocumque ierit.

33. Nihil patrem iudicare, ſed filium: & patrem ab eo non honorificari, à quo non honorificatur filius; In euangelio κατὰ Ioannem: Nihil pater iudicat, ſed iudicium omne filio dedit, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui eum miſit. Item in pſalmo 71. Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iuſtitia. Item in Geneſi: [h] Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur & ignem de cælo à Domino.

34. Fidelem gentiliter viuere non oportere; apud Hieremiam: Hæc dicit Dominus: Secundùm viam gentilium ne ambulaueritis. De hoc ipſo quod ſegregare ſe quis debeat à gentilibus, ne ſit ſocius culpæ, & fiat particeps plagæ eorum, in Apocalypſi: Et audiui aliam vocem de cælo dicentem: Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum eius,

& ne

a MENTIRI TE SPIRITVI SANCTO.] In Ben. & Ver. *apud Spiritum ſanctum*. RIG.

b *Non nubunt neque nubuntur.* Ex MS. & exc. omnes hoc pacto legunt, vt non mirum eſſe debeat, ſi & nos hodiè vulgatum interpretem cum ſua barbarie retineamus. Imitatur autem in hoc Tertullianum lib. 4. adu. Marc. qui etiam legit, quod tum hic, tum ſuprà de diſcipl. & habitu Virgin. habet Cyprianus contra græca & latina exemplaria, *filii huius ſeculi generant & generantur*. Neque verò hic barbariſmus ſolum eſt apud Bedam, Rabanum & alios recentiores: ſed & apud Hilarium, & ipſum D. Hieronymum comment. in Matth. vbi diſertis verbis ipſum interpretatur; præterquam quod latini omnes apud tum Lucam tum Matth. 22. & Marc 12. in futuro legant, quod Cyprianus cum Græcis in præſenti effert. PAM.

c *Et ad tempus*. Neque MS. neq. 1. excuſi ante Manut. & Morell. neque Apoſtolus habet particulam *&*. Quod ſequitur apud Manut. *ad ipſum*, conſonat quidem voci græcæ ἐπὶ, at habent MS. cum cæteris excuſis *in idipſum*. *Idem*.

d HOC DICO SECVNDVM VENIAM.] In Ver. ſecundùm conſilium. In Ben. ſecundùm veniam. RIG.

e SECVNDVM IMPERIVM] In Ben. & Ver. ſecundùm iuſſum. *Idem*.

f TRIB. DIEB. NON ACCEDETIS AD MVLIERES.] Septuaginta ſic interpretantur: 1. Reg. cap. 21. *ἀπὸ γυναικὸς ἀπεσχήμεθα ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν*. Hanc abſtinentiam ridet Iuuenalis, vbi de Iudæis

—— quoties non abſtinet vxor
Concubitu ſacris obſeruandiſque diebus. *Idem*.

g SI OBSERVATI SVNT PVERI A MVLIERE.] Septuaginta: *Εἰ πεφυλαγμένα τὰ παιδάριά ἐστι πλὴν ἀπὸ γυναικὸς καὶ φάγεται*. Hic verò, πλὴν ἀπὸ γυναικὸς, à muliere, pro eo ſumptum à Cypriano videtur quod eſt, ab vtero matris. *Idem*.

h *Et pluit Dominus &c. à Domino*. Ita Manut. iuxta græcos hodiernos, & Chryſoſt. codic. quomodo & Tertull. lib. adu. Praxean. Comprobant autem hinc Tertull. & Hieronymus comment in cap. 45 Eſaiæ, & Hilarius lib. de Synodis ſecundam in Trinitate perſonam. PAM.

& ne perſtringaris plagis eius: quoniam delicta eius vſque ad cælum peruenerunt, & meminit Dominus Deus iniquitatum eius. Ideò reddidit ei dupla, & in quo poculo miſcuit, duplum remixtum eſt ei: & in quantum ſe clarificauit; & deliciarum habuit, in tantum datus eſt ei & cruciatus & luctus: quoniam in corde ſuo dicit: Regina ſum, & vidua eſſe non poſſum, nec luctum viſura ſum, propterea vna hora plagæ eius aduenient mors, luctus & fames, & igni cremabitur: quoniam fortis eſt Dominus Deus qui eam iudicabit. Et flebunt & plangent ſe in ea reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt, & in delictis conuerſati ſunt. Item apud Eſaïam: Exite de medio eorum, qui fertis vaſa Domini.

35. Deum ad hoc patientem eſſe, vt nos pœniteat peccati noſtri & reformemur; apud Salomonem in Eccleſiaſtico: Ne dixeris, peccaui, & quid accidit mihi triſte? eſt enim altiſſimus patiens redditor. Item Paulus ad Romanos: An numquid opulentiam bonitatis eius, & ſuſtinentiam & patientiam contemnis, ignorans quia bonitas Dei in pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti judicii Dei; qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.

36. Mulierem ornari ſæculariter non debere; in Apocalypſi: Et venit vnus ex ſeptem angelis habentibus phialas, & aggreſſus eſt me dicens: Veni oſtendam tibi damnationem [a] meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam: & mulier illa amicta erat pallium purpureum, & coccineum, & adornata erat auro, & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum, & immunditiæ, & fornicationis totius terræ. Item ad Timotheum: Sint mulieres veſtræ cum verecundia & pudicitia componentes ſe: non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veſte pretioſa, ſed vt decet mulieres promittentes caſtitatem per bonam conuerſationem. De hoc ipſo [b] in epiſtola Petri ad Ponticos: Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus, ſed cultus cordis. Item in Geneſi: Thamar cooperuit ſe pallio, & adornauit: & cùm aſpexiſſet eam Iudas, viſum eſt ei meretricem eſſe.

37. Fidelem non oportere ob alia delicta, niſi ob nomen ſolum puniri; in epiſtola Petri ad Ponticos: Nec quiſquam veſtrûm tamquam fur aut homicida patiatur; aut tamquam maleficus, [c] aut curas alienas agens, ſed tamquam Chriſtianus.

38. Seruum Dei innocentem eſſe debere, ne incidat in pœnam ſæcularem; in epiſtola Pauli ad Romanos: Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.

39. Datum nobis eſſe exemplum viuendi in Chriſto; in epiſtola Petri ad Ponticos: Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Qui cùm malediceretur, non remaledixit; cùm pateretur, non minabatur: tradebat autem ſe judicanti injuſtè. Item Paulus ad Philippenſes: Qui in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominis factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſe, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, vt ſit ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu curuetur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. De hoc ipſo in Euangelio κατὰ Ioannem: Si ego laui pedes veſtros magiſter, & Dominus, & vos debetis aliorum pedes lauare. Exemplum enim dedi vobis, vt, ſicut ego feci, & vos aliis faciatis.

40. Non iactanter nec tumultuosè operandum; in Euangelio κατὰ Matthæum: Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, [d] reddet tibi. Item illic: Cùm facis eleemoſynam, [e] noli buccinare ante te quomodo hypocritæ faciunt, in vicis & ſynagogis, vt clarificentur ab hominibus. Amen dico vobis, [f] compleuerunt mercedem ſuam.

41. Ineptè & ſcurriliter non loquendum; in epiſtola Pauli ad Epheſios: Stultiloquium & ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, nec nominentur quidem in vobis.

42. [g] Fidem in totum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus; in Geneſi: Et credidit

a *Meretricis magnæ.* Solus Manut. præmittit *mulieris*, quod tamen neque græcè neque latinè reperitur, neque ſuprà legitur lib. de Diſcipl. & Hab. Virg. vbi latiùs hoc argumentum auctor proſequitur. PAM.

b IN EPIST. PETRI AD PONTICOS.] Sic legitur in Beneuentano & Veroneuſi. non legitur in edit. Rom. neque item infrà paulò pòſt, num. ſeq. RIG.

b *In epiſtola Petri ad Ponticos.* Rurſum ex M S. adjeci *ad Ponticos*, tum hic, tum ſequ. & 39. capitulis. Nam & ſic illam nuncupat Caſſiodorus diuin. inſtitut. lib. 1. cap 8 & Tertullianus in Scorpiaco; hinc opinor, quod ſcripta ſit ad fideles diſperſionis Ponti. PAM.

c AVT CVRAS ALIENAS AGENS.] Tertullianus *alieni ſpeculator*, RIG.

d *Reddet tibi palam.* Adjecerunt Manutius & Morellius *palam*, verum neque noſtri M S. neque cæteri excuſi illud legunt, neque Hieron. Habent quidem hodie exemplaria græca, ſed olim non habuiſſe patet ex verbis D. Auguſtini de ſerm. Domini in monte lib. 2. cap. 5. Multa, inquit, latina exemplaria ſic habent: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi palam. Sed quia in Græcis quæ priora ſunt inuenimus, non putauimus hinc aliquid differendum eſſe. PAM.

e NOLI BVCCINARE ANTE TE.] Ben. & Ver. *noli tumultuare*. RIG.

f COMPLEVERVNT MERCEDEM SVAM.] Beneu. & Ver. *compenſauerunt*. Idem.

g *Fidem in totum prodeſſe.* Sic Manut. hoc loco, & ipſe cum Morello in titulis capitum; pro eo quod corruptiſſimè & ſuſpectiſſimè Eraſmici omnes *fidem tantum prodeſſe*. Nam accedunt quam proximè M S. & vet exc. legentes *fidem totum prodeſſe*. Accipit autem vbique *totum* pro *omninò*. Nihil igitur facit hic locus contra operum merita, quippe quæ toties inculcet, vt loca citare ſuperfluum ſit, ſufficient nunc cap. infrà 56. & 96. & ſuprà 1. 2. 3. PAM.

credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam. Item apud Eſaïam: Et ſi non crediderítis, neque intelligetis. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Modicæ fidei quare dubitaſti? Item illic: Si habueritis fidem quaſi granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illò, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis. Item κατὰ Marcum: Omnia quæcumque oratis & petitis, credite, quia accipietis, & erunt vobis. Item illic: Omnia poſſibilia credenti. Apud Abacuc: Iuſtus autem ex fide mea viuit. Item in Daniele: Ananias, Azarias, Miſahel credentes Deo liberati ſunt de flamma ignis.

43. Poſſe eum ſtatim conſequi qui verè crediderit; in Actibus Apoſtolorum: Ecce aqua, quid eſt [a] quod me impedit baptizari? Tunc dixit Philippus: ſi credis ex toto corde tuo, licet.

44. Fideles inter ſe diſceptantes, non debere gentilem iudicem experiri: in epiſtola Pauli ad Corinthios. 1. Audet quiſquam veſtrûm aduerſus alterum negotium habens diſceptare apud iniuſtos, & non apud ſanctos? An neſcitis quia ſancti hunc mundum iudicabunt? Et iterùm: Iam quidem in totum delictum in vobis eſt, quia judicia habetis cum inuicem. Quare non magis injuriam patimini, aut quare non magis fraudamini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus: an neſcitis, quoniam iniuſti regnum Dei non conſequentur?

45. Spem futurorum eſſe, & ideò fidem noſtram circa ea quæ promiſſa ſunt, patientem eſſe debere; in epiſtola Pauli ad Romanos: Spe ſaluati ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, [b] per ſpectationem ſperamus.

46. Mulierem in Eccleſia tacere debere; in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Mulieres in Eccleſia taceant. Si quæ autem quid dicere volunt, domi viros ſuos interrogent. Item ad Timotheum: Mulier cum ſilentio diſcat in omni ſubiectione. Docere autem mulierem non permitto, neque præpoſitam eſſe viro, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua: & Adam ſeductus non eſt, mulier autem ſeducta eſt.

47. Delicto & merito noſtro fieri vt laboremus, nec Dei opem in omnibus ſentiamus apud Oſee: Audite ſermonem Domini filii Iſrël, quia iudicium eſt Domino aduerſus incolas terræ, quod neque miſericordia, neque veritas, neque agnitio Dei ſit ſuper terram. Sed execratio, & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffuſum eſt ſuper terram. Sanguinem ſanguini ſupermiſcent, iccircò terra lugebit cum vniuerſis incolis ſuis, cum beſtiis agri, cum ſerpentibus terræ, cum volucribus cæli: & deficient piſces maris, vt nemo iudicet, nemo reuincat. De hoc ipſo apud Eſaïam: Numquid non valet manus Domini vt ſaluos faciat: aut grauauit aurem vt non exaudiat? Sed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant: & propter delicta veſtra auertit faciem à vobis ne miſereatur. Manus enim veſtræ inquinatæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri in peccatis: labia autem veſtra locuta ſunt facinus, & lingua veſtra iniuſtitiam meditatur: nemo loquitur vera, neque eſt iudicium verum: fidunt in vanis, & loquuntur inania: qui parturiunt dolorem, & pariunt facinus. Item apud Sophoniam: Defectione deficiat à facie terræ, dicit Dominus: Deficiat homo, & pecudes deficiant, volucres cæli & piſces maris: & auferam iniquos à facie terræ.

48. Non fenerandum; in pſalmo 13. Qui pecuniam ſuam non dedit in fenore, & munera ſuper innocentes non accepit: qui iſta fecerit, non commouebitur in æternum. Item apud Ezechielem. Homo autem qui erit iuſtus, hominem non opprimet, & pignus debitoris reddet, & rapinam non faciet, & panem ſuum eſurienti dabit, & nudum operiet, & pecuniam ſuam in vſuram non dabit. Item in Deutero. Non fenerabis fratri tuo vſura pecuniæ, & vſura ciborum.

49. Inimicos quoque diligendos; in Euangelio κατὰ Lucam: Si diligitis qui vos diligunt, quæ eſt vobis gratia? & peccatores enim diligunt κατὰ Matthæum: Diligite inimicos veſtros, & orate pro his qui vos perſequuntur: vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt; qui ſolem oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

50. Sacramentum fidei non eſſe profanandum; apud Salomonem [c] in Parœmiis: In aures imprudentis noli quidquam dicere: ne quando audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè inculcent ea pedibus ſuis, & conuerſi elidant vos.

51. Quod nemo in opere ſuo extolli debeat; apud Salomonem in Eccleſiaſtico: Nolite extollere in faciendo opere tuo. Item in Euangelio κατὰ Lucam: Quis veſtrûm habens ſeruum arantem, aut paſtorem, & venienti de agro dicit continuò, tranſi, recumbe? Sed dicit illi, para aliquid quod cœnem, & accingere, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam: & poſteà tu manducabis & bibes. Numquid habet gratiam ſeruo illi, quia fecit (quæ ei imperata

a QVOD ME IMPEDIT BAPTIZARI.) In lib. Petri Damiani, & in Ver. *quod me impediat tingui.* R I G.

b PER SPECTATIONEM.) Ver. & Ben. *per exſpectationem. Idem.*

b *Per ſpectationem ſperamus.* Probatur mihi quidem magis lectio Morellij *per patientiam exſpectamus*, vt potè que græcè & latinè ſit apud Apoſtolum, & ſuprà lib. de Bono Patientiæ. Verùm quod & M S. cum vet. exc. illam habeant, & retinuerit Manutius, nolui immutare. P A M.

c IN PAROEMIIS.) Ver. *in parabolis. Idem.*

imperata ſunt? ſic itaque & vos cùm perfeceritis quæ vobis imperata ſunt, dicite: Serui ſuperuacui ſumus: quod habuimus facere, fecimus.

52. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam; in Deuteronomio: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elige vitam, tibi vt viuas. Item apud Eſaiam: Et ſi volueritis & audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet: os enim domini locutum eſt iſta. Item in Euangelio κατὰ Lucam: Regnum Dei intra vos eſt.

53. Dei arcana perſpici non poſſe, & ideò fidem noſtram ſimplicem eſſe debere, in Epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & ego cognitus ſum. [a] Item apud Salomonem in Sapientia: Et in ſimplicitate cordis quærite illum. Item apud eumdem: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat fidenter. Item apud eumdem: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Item in Salomone: Noli eſſe multum iuſtus, & noli argumentari plus quàm oportet. Item apud Eſaiam; Væ qui arguti ſunt in ſemetipſis. Item in Machabæis: Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. [b] Item in Epiſtola Pauli ad Romanos: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & quàm inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? vel quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi claritas in ſæcula ſæculorum. Item ad Timotheum: Stultas autem & ineruditas quæſtiones deuita, ſciens quia lites generant. Seruum autem Dei non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes.

54. [c] Neminem ſine ſorde & ſine peccato eſſe apud Iob: Quis enim mundus à ſordibus? nec vnus, etiam ſi vnius diei ſit vita eius in terra. Item in pſalmo 50. [d] Ecce in iniquitatibus conceptus, & in delictis concepit me mater mea. Item in Epiſtola Ioannis: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.

55. Non hominibus, ſed Deo placendum; in pſalmo 52. Qui hominibus placent, confuſi ſunt: quia Deus nihil fecit illos. Item in Epiſtola Pauli ad Galatas: Si hominibus placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem.

56. Deum nihil latere ex his quæ geruntur; in Sapientia Salomonis: In omni loco ſpeculantur oculi Dei bonos & malos. Item apud Hieremiam: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? Item in Βασιλείων primo: Homo videt in facie, Deus autem in corde. Item in Apocalypſi: Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis: & dabo vnicuique veſtrûm ſecundùm opera ſua. Item in pſalmo 18. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine. Item in Epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda; Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt reportet vnuſquiſque ſui corporis propria ſecundùm quæ egit, ſiue bona, ſiue mala.

57. Fidelem emendari & reſeruari, in pſalmo 116. Emendans emendauit me Dominus, & morti non tradidit me. Item in pſalmo 88. Viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. [e] Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Item apud Malachiam Et ſedebit conflans & expurgans ſicut aurum & argentum; & emundabit filios Leui. Item in Euangelio. Non exibis inde, donec exſoluas nouiſſimum quadrantem.

58. Neminem contriſtari morte debere, cùm ſit in viuendo labor & periculum, in moriendo pax & reſurgendi ſecuritas; in Geneſi: Tunc dixit Dominus ad Adam: Quia exaudiſti vocem vxoris tuæ, & manducaſti ex illa arbore de qua ſola præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos eiiciet tibi, & edes pabulum agri in ſudore vultus tui. Edes panem tuum donec reuertaris in terram, de qua & ſumptus es, quia terra es, & in terram ibis. Item illic: & complacuit Enoch Deo, & non eſt inuentus poſtmodum: quia Deus illum tranſtulit. Et apud Eſaiam; Omnis caro fœnum, & omnis claritas eius, vt flos fœni. Aruit fœnum & flos decidit. [f] Sermo autem Domini manet in æternum. Apud

a *Apud Salomonem in Sapientia.* Similiter titulo ſapientiæ Salomonis citat hos eoſdem locos D. Hieronymus 1. dialog. adu. Pelag. præter quam quod pro *Noli eſſe multum iuſtus* legat, *Noli eſſe multum ſapiens.* PAM.

b *Item in epiſtola Pauli.* Quum totis his libris hac phraſi hactenus ſit vſus Cyprianus, & conſentiant MS. cum exc. non placet quod hic & aliquoties in ſequentib. repoſuit Manutius *Paulus* dumtaxat, Neque etiam quod omittit particulam *Item*, ipſi vſitatiſſimam. *Idem.*

c SINE SORDE.] In Ver. & Ben. *ſine ſordibus.* RIG.

c *Neminem ſine ſorde & ſine peccato eſſe.* Citant hunc locum D. Auguſt. lib. 4. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 10. & D. Hieronymus dialog. 1. adu. Pelag. in hæc verba. Cumque ſe imitatorem immò expletorem operis beati Martyris Cypriani ſcribentis ad Quirinum eſſe fateatur, non intelligit ſe in eodem opere dixiſſe contraria. Ille in 54. titulo lib. 3. ponit, *Neminem ſine ſorde & ſine peccato poſſe eſſe.* ſtatimque iungit teſtimonia &c. PAM.

d ECCE IN INIQVITATIB. CONCEPTVS.] In Veronenſi: *In facinore conceptus ſum & in peccatis mater mea me in vtero aluit.* RIG.

e *Miſericordiam autem meam non diſpergam.* vox quidem græca διασκεδάσω ſignificat diſpergam; quod legunt Manut. & Morell. & ſuprà Cyprianus epiſt. 52. ſed MS. cum antea excuſis legunt *auferam.* Poſſunt autem hæc referri etiam ad emendationem poſt hanc vitam, de qua latè ſuprà epiſt. ad Anton. PAM.

f *Sermo autem Domini.* Repoſuit quidem Manut. tum hic tum ſuprà lib. de diſciplina & hab. virg. vocem *verbum*, ſed prius Cyprianicum eſt. Malim autem cum vulg. exc. & MS. hic legi *Dei*, quam *Domini*, quod græcè ſit τοῦ Θεοῦ, niſi ibi conſentirent omnes cod. Rectè verò legit Manut. *manet*, pro eo quod alii, *manebit*, quia græcè eſt μένει, & ibi id legitur. *Idem.*

Apud Ezechielem : Ipſi dicunt, arida facta ſunt oſſa noſtra : periit ſpes noſtra : expirauimus : propterea Prophetiza, & dic : Hæc dicit Dominus : Ecce ego aperio monumenta veſtra, & educam vos de monumentis veſtris, & inducam vos in terram. Iſraël. Et dabo ſpiritum meum in vos, & viuetis. Et ponam vos in terram veſtram, & cognoſcetis quoniam ego Dominus locutus ſum, & faciam dicit Dominus. Item in Sapientia Salomonis : Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius : placita enim erat Deo anima illius. Item in pſalmo 83. Quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum : deſiderat & properat anima mea ad atria Dei. Et in Epiſtola Pauli ad Theſſalonicenſes : Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ne contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quia Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & Deus eos qui dormierunt in Ieſu, adducet cum eo. Item ad Corinthios prima : Stulte, tu quod ſeminas, non viuificatur niſi prius mortuum fuerit. Et iterum : Stella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur corpus in corruptione, reſurgit ſine corruptela. Seminatur in ignominia, reſurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, reſurgit in virtute. Seminatur corpus animale, reſurgit ſpiritale. Et iterum : Oportet enim corruptiuum iſtud induere incorruptionem, & & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptiuum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem ; tunc fiet verbum quod ſcriptum eſt : Abſorpta eſt mors in contentionem. Vbi eſt mors aculeus tuus ? vbi eſt mors contentio tua ? Item in Euangelio κατὰ Ioannem : Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem meam quam mihi dediſti ante conſtitutionem mundi. Item κατὰ Lucam Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Item κατὰ Ioannem : Si me dilexiſſetis, gauderetis ; quoniam vado ad patrem, quia pater maior me eſt.

59. De idolis quæ gentiles Deos putant, in Sapientia Salomonis : Omnia idola nationum æſtimauerunt Deos, quibus neque oculorum vſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad contrectandum : ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere : cùm ſit enim mortalis, mortuus fingit manibus iniquis. Melior eſt autem ipſe iis quos colit : quoniam ipſe quidem vixit, illi numquam. De hoc ipſo : Neque opera attendentes cognouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam, rectores orbis terræ Deos putauerunt : quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimauerunt, ſciant quantò his Dominus ſit ſpecioſior : aut ſi virtutes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit fortia, fortior eſt illis. Item in pſalmo 134. Idola gentium argentum & aurum, opus manuum hominum. Os habent [a] & non loquuntur : oculos habent & non vident : aures habent & non audiunt ; neque enim eſt ſpiritus in ore eorum. Similes fiant illis qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in illis. Item in pſalmo 95. Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Item in Exodo : Non facietis vobis Deos argenteos neque aureos. Et iterum : [b] Non facies tibi idolum, nec cuiuſquam ſimilitudinem.

60. Ciborum nimiam concupiſcentiam non appetendam ; apud Eſaiam : Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Non remittetur vobis peccatum iſtud, quoadusque moriamini. Item in Exodo : Et conſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Paulus ad Corinthios 1. Cibus nos non commendat Deo : neque ſi manducauerimus, abundabimus : neque ſi non manducauerimus, egebimus. Et iterùm : Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis. Item ad Romanos : Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto. In Euangelio κατὰ Ioannem : Ego cibum habeo, quem vos non noſtis. [c] Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui me miſit, & perficiam opus eius.

61. Poſſidendi concupiſcentiam, & pecuniam non appetendam ; in Eccleſiaſtico apud Salomonem : Qui diligit argentum, non ſatiabitur argento. Item in Parœmiis : Captans annonam maledictus in plebe eſt ; benedictio autem in eius capite eſt, qui communicat. Item apud Eſaiam : Væ qui coniungunt domum ad domum, & agrum ad agrum continuant, vt auferant proximo ſuo aliquid. Numquid habitabitis ſoli ſuper terram ? Item apud Sophoniam : Ædificabunt domos & non inhabitabunt ; & inſtituent vineas, & non bibent vinum

a *Et non loquuntur.* Manut. hanc lectionem, & eorum quæ ſequuntur ; *& non vident, & non audiunt*, confirmat Tertull. lib. de cor. mil. Et ſuprà cap. 2. lib ad Fortunat. Alioqui certè magis placet lectio vulgata & MS in futuro, præſertim quum græcè ſic legatur pſalm. 113. & 114. PAM.

b *Non facies tibi.* Manutius *Non facietis*, verùm prius habent & ipſo loco iam citato, vtrobique MS. & excuſi cæteri omnes, Græcè quoque legitur tam Exodi 20. quam Deuter. 50. *ὀ ποιήσεις σεαυτῷ.* id eſt, tibi ipſi. Confirmat & illud Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 17. Non enim, inquit, dicitur. non facies idolum vel ſculptile aut ſimilitudinem in quo inhiberet artem pingendi, dolandi, ſculpendi, & fundendi imagines, ſed dicitur : Non facies tibi, id eſt, vt tuum Deum, tuum idolum. *Idem.*

c MEVS CIBVS EST VT FACIAM VOLVNTATEM EIVS QVI ME MISIT.] Quemadmodum Deus Pater, hoc eſt, voluntas Dei Patris, eſt cibus Chriſti : Ita Chriſtus, hoc eſt, verba Chriſti, cibus Chriſtianorum RIG.

a MVSCI-

vinum earum, quia propè eſt dies Domini. Item in Euangelio κατὰ Lucam: Quid enim prodeſt homini lucrifacere totum mundum, ſe ipſum autem perdere? Et iterùm: Dixit autem illi Dominus: Stulte, hac nocte expoſtulatur anima tua: quæ ergo paraſti, cuius erunt? Et iterùm commemorare quoniam percepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc verò hic rogatur, tu autem doles: Et in Actibus Apoſtolorum: Dixit autem Petrus ad eum: Argentum quidem & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera, excitauit eum. Item ad Timotheum prima: Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre quid poſſumus. Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & [a] muſcipulam, & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

62. Matrimonium cum gentilibus non iungendum; apud Tobiam: Vxorem accipe ex ſemine parentum tuorum & noli ſumere alienam mulierem, quæ non eſt ex tribu parentum tuorum. Item in Geneſi: Mittit puerum ſuum Abraham, vt de ſemine ſuo accipiat Rebeccam filio eius Iſaac. Item in Eſdra: Satis non fit Deo cùm vaſtarentur Iudæi, niſi alienigenas vxores cum filiis quoque quos ex illis procreauerant, reliquiſſent. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios 1. Mulier vincta eſt quamdiu viuit vir eius: ſi autem dormierit, liberata eſt, vt cui vult nubat, tantùm in Domino: felicior autem erit ſi ſic permanſerit. Et iterùm: Neſcitis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Auferens membra Chriſti, [b] faciam membra fornicariæ? abſit. Aut neſcitis quia qui conglutinatur fornicariæ, vnum corpus ſunt? Erunt enim duo in vna carne. Qui autem ſe coniunxerit Domino, vnus ſpiritus eſt. Item ad Corinthios ſecunda: Nolite coniungi cum infidelibus. Quæ autem participatio eſt iuſtitiæ & iniquitati? [c] Aut quæ eſt communicatio luci ad tenebras? Item de Salomone in Βασιλειῶν 3. Et auerterunt vxores alienigenæ cor eius poſt deos ſuos.

63. Graue delictum eſſe fornicationis, Paulus ad Corinthios: Omne delictum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Non eſtis veſtri: empti enim eſtis pretio magno. Clarificate & portate Dominum in corpore veſtro.

64. Quæ ſunt carnalia, quæ mortem pariant; & quæ ſpiritalia, quæ ad vitam ducant? Paulus ad Galatas: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim inuicem aduerſantur ſibi, vt non quæ vultis, ipſa faciatis. Manifeſta ſunt autem facta carnis, quæ ſunt, adulteria, fornicationes, immunditiæ, ſpurcitiæ, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, prouocationes, ſimultates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Quæ prædico, quia qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. [d] Fructus autem ſpiritus eſt charitas: gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas. Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

65. Omnia delicta in baptiſmo deponi; in epiſtola Pauli ad Corinthios 1. Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores regnum Dei conſequentur. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Ieſu noſtri Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.

66. Diſciplinam Dei in eccleſiaſticis præceptis obſeruandam; apud Hieremiam: Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent oues paſcentes cum diſciplina. Item apud Salomonem in Parœmiis: Fili ne neglexeris diſciplinam Dei, neque defeceris ab eo correptus. Quem enim Deus diligit, corripit. Item in Pſalmo 2. Continete diſciplinam ne fortè iraſcatur Dominus, & pereatis à via recta. Cùm exarſerit citò ira eius ſuper vos: beati omnes qui confidunt in eo: Item Pſalmo 49. Peccatori autem dicit Deus: Ad quid exponis iuſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; tu autem odiſti diſciplinam, & abieciſti ſermones meos retrò? Item in ſapientia Salomonis: Diſciplinam qui abiicit, infelix eſt.

67. Prædictum, quod diſciplinam ſanam aſpernaturi eſſent: Paulus ad Timotheum 2. Erit tempus quando ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundùm ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros [e] prurientes in audiendo; ſcalpentes aures: Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

68. Recedendum ab eo qui inordinatè, & contra diſciplinam viuit; Paulus ad Theſſalonicenſes: Præcipimus autem vobis in nomine Ieſu Chriſti, vt diſcedatis ab omnibus fratribus

a MVSCIPVLAM.] Ver. *muſcipula*. Phæd. —— *laqueos & muſcipula*. RIG.

b *Faciam membra fornicariæ*. Rectè ſic Morellius cum MS. nam græcè eſt πόρνης. è contrario magis placet vulgata lectio *fornicariæ*, &, *conglutinatur fornicariæ* quam quod habet ipſe *meretricis*, &, *adhæret meretrici*. PAM.

c *Aut quæ communicatio*. Hoc iuxta ſtylum Cypriani, Manut. pro eo quod alij *communio*. *Idem*.

d FRVCTVS AVTEM SPIRITVS EST CARITAS.] Ver. agapes. Ben agape. RIG.

e *Prurientes in audiendo ſcalpentes aures*. Videtur plus aliquid pro more ſuo legiſſe hic Cyprianus, quàm hodie habent exemplaria græca & latina: nam græcè tantùm eſt κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν, & latinè prurientes auribus. PAM.

bus ambulantibus inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Item in Pſalmo 49. Si videbas furem ſimul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.

69. Non in ſapientia mundi, nec in eloquentia eſſe regnum Dei, ſed in fide crucis, & in virtute conuerſationis; In epiſtola Pauli ad Corinthios I. Miſit me Chriſtus annunciare non in ſermonis ſapientia, ne inanis fiat crux Chriſti: Verbum enim crucis ſtultitia eſt iis qui pereunt; iis autem qui ſaluantur, virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? nonne infatuauit Deus ſapientiam huius mundi? Quoniam quidem [a] in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum, complacuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluare credentes. Quoniam Iudæi ſigna deſiderant, & Græci prudentiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam, & iterùm: Nemo ſe decipiat. Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: [b] Reprehendes ſapientes in aſtutia ipſorum. & iterùm: Dominus cognouit cogitationes ſapientium, quia ſunt ſtultæ.

70. Parentibus obſequendum; in epiſtola Pauli ad Epheſios: [c] Filij obſequentes eſtote parentibus veſtris, hoc enim eſt iuſtum. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram.

71. Patres quoque aſperos eſſe circa filios non oportere. Et vos parentes nolite [d] in iracundiam mittere filios veſtros, ſed nutrite eos in diſciplina, & correptione Domini.

72. Seruos cum crediderint, plus dominis carnalibus ſeruire debere; in epiſtola Pauli ad Epheſios: Serui obedite dominis carnalibus cum metu & tremore, & in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed quaſi ſerui Dei.

73. Item dominos mitiores eſſe debere. Et vos Domini eadem facite ad eos, laxantes iracundiam, ſcientes quia & veſter & ipſorum Dominus eſt in cælis, & exceptio perſonarum non eſt in illo.

74. Viduas probatas quaſque honorandas: In epiſtola Pauli ad Timotheum prima; Viduas honora, quæ verè ſunt viduæ. Quæ autem delicata eſt vidua, viuens mortua eſt. & iterùm: Iuniores autem viduas præteri. [e] cùm enim indelicatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes iudicium: quoniam primam fidem reprobauerunt.

75. Suorum & maximè fidelium curam plus vnumquemque habere debere; ad Timotheum prima: Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum non agit curam, fidem denegat, & eſt deterior infideli. De hoc ipſo apud Eſaïam: Si videris nudum, veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicias. De quibus domeſticis in Euangelio dictum eſt: Si patrem-familias Beelzebub dixerunt, quantò magis domeſticos eius?

76. Maiorem natu non temerè accuſandum; ad Timotheum prima: [f] Aduerſus maiorem natu accuſationem ne receperis.

77. Peccantem publicè obiurgandum; In epiſtola Pauli ad Timotheum prima: Peccantes coram omnibus corripe, vt & cæteri metum habeant.

78. Cum hæreticis non loquendum: ad Titum: Hæreticum hominem poſt vnam correptionem deuita, ſciens quoniam peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. De hoc ipſo in epiſtola Ioannis: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Item ad Timotheum ſecunda: Sermo eorum vt cancer ſerpit.

79. Innocentiam fidenter petere, & impetrare; in epiſtola Ioannis: Si cor noſtrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quodcumque petierimus accipiemus ab eo. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Item in pſalmo 23. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde.

80. Nihil licere diabolo in hominem, niſi Deus permiſerit; In Euangelio κατὰ Ioannem dixit Ieſus: Nullam haberes poteſtatem aduerſus me, niſi data tibi eſſet deſuper. Item in Βασιλείων tertio: Et excitauit Dominus ſatanan ipſi Salomoni. Item in Iob priùs Deus permiſit, & tunc diabolo licuit. Et in Euangelio Dominus antè permiſit dicendo Iudæ; Quod facis fac celeriùs. Item apud Salomonem in Parœmiis: Cor regis in manu Dei.

81. Merce-

a *In ſapientia Dei non cognouit mundus &c.* Manut. ſolus *per ſapientiam mundi non cognouit mundus Deum.* Verùm prior lectio eſt Apoſtoli genuina, & eamdem habet Tertullianus lib 5. adu. Marc. Quare rectè adjecit primus Morellus ex MS. Dei. *Idem.*

b *Reprehendes ſapientes* Morel. *Reprehendam.* Similis eſt varietas codicum ſuprà lib. de Bono Pat. græcè eſt participium, & apud Iob, & apud Apoſtolum. PAM.

c *Filij obſequentes eſtote parentibus.* Rurſum variat à græcis & latinis exemplaribus qui adiiciunt *in Domino. Idem.*

d *In iracundiam mittere.* Ita circumloquuntur vocem græcam παροργίζετε. *Idem.*

e CVM ENIM INDELICATÆ.) Veron. *indeliciatæ.* Beneuent. *delicatæ.* RIG.

f *Aduerſus maiorem natu.* Sic vertit quod græcè eſt πρεσβύτερον. PAM.

81. Mercedem mercenario citò reddendam ; in Leuitico : Non dormiet merces mercenarii tui apud te vſque in mane.

82. Non augurandum ; in Deuteronomio : Non ominemini neque auguremini.

83. Cirrum in capite non habendum : [a] Non facietis cirrum ex coma capitis veſtri.

84. [b] Barbam non vellendam : Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ.

85. Surgendum , cùm Epiſcopus aut preſbyter veniat. [c] A facie ſenioris exſurges ; & honorabis perſonam preſbyteri.

86. Schiſma non faciendum, etiam ſi in vna fide, & in eadem traditione permaneat qui recedit ; in Eccleſiaſtico apud Salomonem : Scindens ligna periclitabitur in eis ſi exciderit ferrum. Item in Exodo : In domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras. Item in Pſalmo 132. [d] Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Item in Euangelio κατὰ Matthæum : Qui non eſt mecum aduerſus me eſt. Et qui mecum non colligit , ſpargit. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima : Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti , vt idipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu, [e] & in eadem ſententia. Item in Pſalmo 67. Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo.

87. Fideles ſimplices cum prudentia eſſe debere ; in Euangelio κατὰ Matthæum : Eſtote prudentes ſicut ſerpentes , & ſimplices ſicut columbæ , & iterum : Vos eſtis ſal terræ : Si autem ſal infatuatum fuerit , in quo ſalietur? ad nihil valet, niſi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

88. Fratrem non circumueniendum : In epiſtola Pauli ad Theſſalonicenſes prima : Non circumuenire in negotio fratrem ſuum ; quia vltor eſt Deus de his omnibus.

89. Subitò venire finem mundi , inquit Apoſtolus : Dies Domini ſicut fur in nocte , ita veniet. Cum dixerint pax & firmitas, tunc illis repentinus adueniet interitus. Item in Actibus Apoſtolorum ; Nemo poteſt cognoſcere tempus , aut tempora , quæ pater poſuit in ſua poteſtate.

90. Vxorem à viro non recedere , aut ſi receſſerit innuptam manere : Paulus ad Corinthios : Iis autem quæ nupſerunt præcipio , non ego ſed Dominus , vxorem à viro non ſeparari : ſi autem receſſerit , manere innuptam , aut reconciliari viro & virum vxorem non dimittere.

91. Tantum vnumquemque tentari ; quantum poteſt ſuſtinere ; Paulus ad Corinthios in epiſtola prima : Tentatio vos non occupauit , niſi humana. Fidelis autem Deus , qui non patietur vos tentari ſuper quod poteſtis , ſed faciet cum tentatione etiam euadendi facultatem , vt poſſitis tolerare.

92. Non quidquid licet eſſe faciendum ; Paulus in epiſtola ad Corinthios prima : Omnia licent , ſed non omnia expediunt. [f] Omnia licent , ſed non omnia ædificant.

93. Prædictum quòd hæreſes futuræ eſſent ; in epiſtola Pauli ad Corinthios prima : Oportet & hæreſes eſſe , [g] vt probati manifeſti ſint in vobis.

94. Cum timore & honore Euchariſtiam accipiendam ; in Leuitico : Anima autem quæcumque manducauerit ex carne ſacrificij ſalutaris , quod eſt Domini , & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt , peribit anima illa de populo ſuo. Item ad Corinthios prima : Quicumque ederit panem , aut biberit calicem Domini indignè , reus erit corporis & ſanguinis Domini.

95. [h] Bonis conuiuendum , malos autem vitandos : apud Salomonem in Parœmiis : Ne adduxeris impium in habitaculum iuſtorum. Item apud eumdem in Eccleſiaſtico : Viri iuſti ſint tibi conuiuæ. & iterum : Amicus fidelis medicamentum vitæ , & immortalitatis. Item illic : Longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi , & non ſuſpicaberis timorem. Item illic : Beatus qui inuenit amicum verum , & qui enarrat iuſtitiam auri audienti. Item illic : Sepi aures tuas ſpinis , & noli audire linguam nequam. Item in pſal. 17. Cum iuſto iuſtificaberis ; & cum viro innocente innocens eris ; & cum peruerſo peruerſus eris. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima : Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ.

96. Factis

a *Non facietis cirrum ex coma &c.* Cirrum cincinnum vocat , hoc eſt , contortos crines , quomodo & quidam ex Hebræo vertunt. Græcè eſt apud 70. σισόην , quam vocem alibi apud Græcos non reperi , vertit pro eo vulgatus interpres ex hebræo : *neque in rotundum attondebitis comam.* Eodem autem intellectu dixit D. Hieronymus apolog. ad Domnionem & apolog. aduerſus Ruffinum , cirratos pueros ſeu iuuenes. PAM.

b *Barbam non vellendam.* Rectè ſic Manut. & Morel. pro eo quod erat duntaxat : *Item non vellendum.* Nam ſimiliter ſupra Cypr. lib de lapſis. Non placet contra quod adnotauit ad marg. Morelius *Eſaia 55.* & quod in textu inſeruit Manutius : *apud Eſaiam* quum contrarium prorſus habeat eo capite Eſaias , etiam iuxta 70. Reperitur verò his verbis apud 70. καὶ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος ὑμῶν. Leuit. 19. *Idem.*

c *A facie ſenioris exurges.* Senioris vertit pro eo quod eſt πολιᾶς , quia qui canus eſt , ſenior eſt Eſt autem inſignis locus de veteri eccleſiæ conſuetudine etiamnum obſeruata. *Idem.*

d ECCE QVAM BONVM ET QVAM IVCVNDVM.] In Beneuentano legitur , Vt quid bonum & voluptabile eſt , vt habitent fratres in vnum. R I G.

e ET IN EADEM SENTENTIA.] Vet. eodem conſilio. *Idem.*

f *Omnia licent.* Vtrobique omittit , & hic & lib. de hab. Virg. vocem *mihi* , quæ tamen etiam græcè eſt PAM.

g *Vt probati manifeſti ſint.* Ita ex MS. nunc primum pro eo , quod erat *manifeſtati* non rectè , & lib. de vnit. eccl. prius legitur & græcè & latinè. *Idem.*

h *Bonis conuiuendum.* Morel. & Manut. *conueniendum* , & hic & in titulis capitum ; ſed non placet. *Idem.*

[a] non probat Altiſſimus.

112. Grauius iudicari de his qui in ſæculo plus habuerunt poteſtatis; apud Salomonem. Iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Item in pſalmo 2. Et nunc reges intelligite, [b] emendamini qui iudicatis terram.

113. Viduam & pupillos protegi oportere; apud Salomonem in Eccleſiaſtico: Eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris velut filius altiſſimi ſi obedieris. Item in Exodo: [c] Omnem viduam & orphanum non vexabitis. [d] Si autem vexaueritis eos, & vociferantes exclamauerint ad me, exaudiam exclamationes eorum, & iraſcar animo in vobis, & perimam vos gladio; & erunt coniuges veſtræ viduæ, & filij veſtri orphani. Item apud Eſaïam: Iudicate pupillo, & iuſtificate viduam, & venite diſputemus, dicit Dominus. Item apud Iob: Conſeruaui egenum de manu potentis; & pupillo cui non erat adiutor, auxiliatus ſum: os viduæ benedixit me. Item in pſalmo 67. Patris orphanorum, & iudicis viduarum.

114. Dum in carne eſt quis [e] exomologeſin facere debere. In pſalmo. 5. Apud inferos autem quis confitebitur tibi? Item in pſalmo 29. Numquid exomologeſin faciet tibi puluis? Item alibi, exomologeſin faciendam: Malo pœnitentiam peccatoris quàm mortem. Item apud Hieremiam: Hæc dicit Dominus: Numquid qui cadit, non ſurget? aut qui auertitur, non conuertetur?

115. Adulationem pernicioſam eſſe; apud Eſaïam: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant.

116. Plus ab eo diligi Deum, cui in baptiſmo [f] plura peccata dimittuntur: In Euangelio κατὰ Lucam: [g] Cui plus dimittitur, plus diligit: & cui minus dimittitur, modicum diligit.

117. Fortem congreſſionem eſſe aduerſus diabolum, & ideò fortiter nos ſtare debere, vt poſſimus vincere; In epiſtola Pauli ad Epheſios: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes huius mundi & harum tenebrarum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Propter hoc [h] induite arma Dei vt poſſitis reſiſtere in die nequiſſimo, vt cum omnia perfeceritis ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate Euangelij, induentes loricam iuſtitiæ, & calciati pedes in præparatione [i] Euangelij pacis; in omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia [k] ignea iacula nequiſſimi extinguere, [l] & galeam ſalutis aſſumere, & gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei.

118. Item de antichriſto quod in hominem veniat; apud Eſaïam: Hic homo qui concitat terram, commouet reges, qui ponit orbem terræ totum deſertum.

119. Graue fuiſſe iugum legis, quod à nobis abiectum eſt: & leue eſſe iugum Domini, quod à nobis ſuſceptum eſt; In pſalmo 2. Ad quid tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes congregati ſunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & [m] proiiciamus à nobis iugum eorum. Item in Euangelio κατὰ Matthæum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inueniens requiem animabus veſtris. Iugum enim meum bonum eſt, [n] & onus meum leue eſt. Item in Actibus Apoſtolorum: Viſum eſt Sancto Spiritui & nobis [o] nullam vobis imponere ſarcinam, quàm iſta, quæ ex neceſſitate ſunt, abſtinere vos [p] ab idololatriis, [q] & ſanguinis effuſione, & fornicatione. Et quæcumque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis.

120. Orationibus inſiſtendum; in epiſtola Pauli ad Coloſſenſes: Inſtate orationi, vigilantes in ea. Item in pſalmo 1. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

CON-

a NON PROBAT.) In Ver. *reprobat.* & ſic in editione Romana. RIG.

b *Emendamini qui iudicatis terram.* Peculiaris eſt hæc lectio Cypriano, ſicut pleraque in pſalmis. PAM.

c OMNEM VIDVAM ET ORPHANVM NON VEXABITIS.] Hoc eſt, Nullam viduam, nullum orphanum vexabitis. Sic Epiſt. XLII. *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat.* RIG.

d *Si autem vexaueritis eos.* Placet & hoc præ illo quod legit ipſe *vexabitis.* Et ſi etiam non legant Biblia *in vobis*, quia tamen habent MS. denuò adjecimus. PAM.

e EXOMOLOGESIM FAC.] In Ver. & in edition. Rom. *exomologeſin malo peccatoris & pænitentiam, quàm mortem.* RIG.

f PLVRA PECCATA.] In Ver. *multa. Idem.*

g CVI PLVS DIMITTITVR.] In Ben. & Ver. *cui puſillum dimittitur, modicum diligi. Idem.*

h INDVITE ARMA DEI.] In Beneuent. *tota arma Dei. Idem.*

i EVANGELII PACIS.) In Veron. tantùm legitur, *Euangelij. Idem.*

k IGNEA IACVLA.) In Ben. & Ver. *ignita. Idem.*

l *Et galeam ſalutis aſſumere.* Sic Manut. & exc. vulg. vetus verò exc. *aſſumite* quomodo & hodie legitur, neutrum habet ſuprà epiſt. ad Thybarit. neque Tertullian. lib. 3. adu. Marc. PAM.

m PROIICIAMVS A NOBIS IVGVM.) In Ver. *abiciamus.* RIG.

n ET ONVS MEVM LEV.) In Ben. & Ver. *Sarcina mea leuis. Idem.*

o NVLLAM VOBIS IMPONERE SARCINAM.) βάρει. Chryſoſt. βάρος τ̃ νόμου καλεῖ. Ergo quæ ſequuntur de lege Moſaïca ſumpta ſunt, neque aliter accipienda, quàm de idolothyto, ſuffocato & arte meretricia. *Idem.*

p AB IDOLOLATRIIS.) In Ver. idolatris. quod eſt idolothytis. *Idem.*

q ET SANGVINIS EFFVSIONE.) In Beneuentano & Veronenſi, & in editione Rom. *& ſanguine.* Rectiſſimè. Eſt enim in Actis Apoſt. Græcis καὶ αἵματος. Qui crediderunt hîc agi de homicidio, ſcripſerunt, *ſanguinis effuſione.* verùm hæc opinio non quadrat cum iis de quibus diſceptauerant Apoſtoli, cùm ſententiam ſuam ſic perſcribi voluere: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, &c. Quæ Salmaſius ad hunc locum illuſtrandum collegit, libro de Trapez. pag. 440. & ſeqq. ea ſunt valdè proba. *Idem.*

CONCILIVM CARTHAGINIENSE, DE BAPTIZANDIS hæreticis.

[a] SENTENTIÆ EPISCOPORVM LXXXVII. DE hæreticis baptizandis.

CVm in vnum [b] Carthagini conueniſſent Kalend. Septembris Epiſcopi plurimi ex prouincia Africa, Numidia, Mauritania, cum preſbyteris & Diaconibus, [c] preſente etiam plebis maxima parte, & lectæ eſſent litteræ Iubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Iubaianum reſcriptæ, de hæreticis baptizandis, quidque poſtmodum Cypriano Iubaianus idem reſcripſerit; [d] Cyprianus dixit: [e] Audiſtis collegæ dilectiſſimi, quid mihi Iubaianus coëpiſcopus noſter ſcripſerit, conſulens [f] mediocritatem noſtram de illicito & profano hæreticorum baptiſmo; & quid ego ei reſcripſerim; cenſens ſcilicet, quod ſemel atque iterùm & ſæpè cenſuimus, hæreticos ad Eccleſiam venientes, Eccleſiæ baptiſmo baptizari & ſanctificari oportere. Item lectæ ſunt vobis & aliæ Iubaiani litteræ, quibus pro ſua ſincera, & religioſa deuotione ad epiſtolam noſtram reſcribens, non tantùm conſenſit, ſed etiam inſtructum ſe eſſe gratias egit. Supereſt vt de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus; neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum [g] Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit; [h] quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium, támque iudicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt iudicare. Sed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos [i] in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.

Cæcilius à Bilta dixit:

1 Ego vnum baptiſma in Eccleſia ſola ſcio, & extra Eccleſiam nullum. Hic erit vnum vbi ſpes vera eſt, & fides certa; ſic enim ſcriptum eſt. Vna fides, vna ſpes, vnum baptiſma; non apud hæreticos, vbi ſpes nulla eſt, & fides falſa, vbi omnia per mendacium aguntur, vbi [k] exorcizat dæmoniacus; [l] ſacramentum interrogat, cuius os & verba cancer emittunt; fidem dat infidelis; veniam delictorum tribuit ſceleratus, & in nomine Chriſti [m] tingit antichriſtus: benedicit à Deo maledictus; vitam pollicetur mortuus; pacem dat impacificus; Deum inuocat blaſphemus; ſacerdotium adminiſtrat profanus; ponit altare ſacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, vt antiſtites diaboli audeant Euchariſtiam facere, aut qui illis aſſiſtunt, dicant hæc omnia falſa eſſe de hæreticis. Ecce ad qualia cogitur Eccleſia, & ſine baptiſmo ac venia delictorum communicare compellitur. Quam rem fratres fugere ac vitare debemus, & à tanto ſcelere nos ſeparare, & vnum baptiſma tenere; quod ſoli Eccleſiæ à Deo conceſſum eſt.

[n] Primus à Miſgirpa dixit:

2 Cenſeo omnem hominem ab hæreſi venientem, baptizandum. Fruſtrà enim illic putat ſe eſſe baptizatum, cùm non ſit baptiſma, niſi in Eccleſia, vnum, & verum: quia & Deus vnus,

a SENTENTIÆ EPISCOPOR.] In Corbeïenſi & Foxienſi adijcitur, *numero* LXXXVII: In Veronenſi hoc tantùm, *Sententia Epiſcopor.* RIG.

b CARTHAGINI.) In Ver. Carthagine con. Kal. Septembrib. In Foxienſi, *Carthaginem. Idem.*

c PRÆSENTE ETIAM PLEBIS MAX. PAR.] In Foxienſi, *præſentibus etiam pleb. max par. Idem.*

d CYPRIANVS DIXIT.) Hic Cypriani primus in Concilio ſermo, ſic omninò prolatus à Donatiſtis, vt teſtatur Auguſtinus libro 11. contra Donatiſt. Primum ſermonem vocat, non ſententiam. quia ſententiam dicet poſt alios omnes Epiſcopos. Et tamen idem Auguſtinus eodem opere hunc Cypriani ſermonem, pro eius ſententia, ſumpſit. itaque priorem dixiſſe ait. Nec arbitror, inquit, beatum Cyprianum, propter aliud contra conſuetudinem quid ſentiret liberiùs exprompſiſſe, prioremque dixiſſe, niſi vt alium, ſi fortè exiſteret cui eſſet melius reuelatum, grauiſſimè acciperet, & oſtenderet imitandam, non ſolùm docendi diligentiam; ſed etiam diſcendi modeſtiam, &c. Quæ cùm ſatis ambigua ſint, conuenientiſſimum videtur, hunc ſermonem pro Conſultatione accipi, vnde concilium incipiat. quo etiam nomine appellatur ab eodem Auguſtino, eiuſdem contra Donatiſtas operis libro VI. cap. 6. *Idem.*

e *Audiſtis collegæ dilectiſſimi.* Citat hæc verba D. Auguſtinus de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap. 3 & lib. 6. cap. 6. & latè excutit ſingula toto libro ſecundo, vt eos doceat exemplo Cypriani, etſi ſententiis differens, in pace tamen vnitatis manere oportere. Quum autem vel ipſo illo & D. Hieronym. contra Luciſer. teſtibus de collegis ſuis loquatur, fruſtrà detorſerit quiſpiam contra primatum Romani pontif. illud: Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcópum Epiſcoporum ſe eſſe conſtituit. PAM.

f MEDIOCRITATEM NOSTRAM.) Rectè in Veron. *mediocrit. meam.* RIG.

g EPISCOPVM SE ESSE EPISCOPOR.) In Verón. Epiſcopum ſe epiſcopor. conſtituit. quod aptiſſimè declarat per deriſum à Tertulliano dici, cùm iſta verba profert adu. Pſychicos. *Idem.*

h *Quando habeat omnis &c.* Adnotat hic Eraſmus, cum ſacramenti res tractatur ac fidei, vnumquemque ſuo relinqui iudicio. Quod nimis crudè ab illo dictum eſt; neque enim id verum eſt, præterquam (iuxta quod interpretatur D. Auguſt. dicto lib. 3. cap 3.) in his quæſtionibus, quæ nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſæ ſunt. PAM.

i IN ECCLESIÆ SVÆ GVB.) In Veronenſi. *In Eccleſia gub.* RIG.

k EXORCIZAT.] In Ver. & Fox. *exorcidiat*, quod ex vitioſa pronunciatione venit, *cizat* vt *cidiat.* vnde alij, *cidiat. Idem.*

l INTERROGAT SACRAMENTVM.) Credis Chriſtum Filium, eſſe Dei viui? *Idem.*

m TINGIT ANTICHR.) In Ver. *tinguit Idem.*

n *Primus à Miſgirpa.* Sic MS. 4. nec multum differt quod habet Cambron. *Miſcirpa* pro eo quod habebant excuſi cum D. Aug. *Migirpa.* De eadem ciuitate intelligo quod in concilio 3. Carthagin. ſententiam dixit Tutus Migirilnenſis, ſeu

vnus, & fides vna, & Eccleſia vna eſt, in qua ſtat vnum baptiſma, & ſanctitas, & cætera. Nam quæ foris exercentur, nullum habent ſalutis effectum.

a Polycarpus ab Adrumeto dixit:

b 3 Qui hæreticorum baptiſma probant, noſtrum euacuant.

Nouatus à Thamugade dixit:

4 Licet ſciamus omnes ſcripturas ſibi teſtimonium reddere de ſalutari baptiſmo, debemus tamen fidem noſtram exprimere. Hæreticos & ſchiſmaticos ad Eccleſiam venientes qui pſeudobaptizati videntur, debere eos in fonte perenni baptizari. Et ideo ſecundùm teſtimonium ſcripturarum, & c ſecundùm decretum collegarum noſtrorum ſanctiſſimæ memoriæ virorum, omnes ſchiſmaticos & hæreticos qui ad Eccleſiam conuerſi ſunt, baptizari; ſed & eos qui ordinati videbantur, d inter laïcos recipi.

Nemeſianus à Thubunis dixit:

5 Baptiſma, quod dant hæretici & ſchiſmatici, non eſſe verum; vbique in ſcripturis ſanctis declaratum eſt. Quoniam ipſi præpoſiti eorum falſi Chriſti ſunt, & falſi prophetæ, dicente Domino per Salomonem: Qui fidens eſt in falſis, hic paſcit ventos; idem autem ipſe ſequitur aues volantes. Deſerit enim vias vineæ ſuæ, à ſemitis verò agelli ſui errauit. Ingreditur autem e per auia loca atque arida, f terram deſtinatam in ſitim: contrahit autem manibus g infructuoſa. Et iterùm: ab aqua aliena abſtine te, & de fonte alieno ne biberis, vt longum viuas tempus, adiiciantur etiam tibi anni vitæ. Et in Euangelio diuina ſua voce Dominus noſter Ieſus Chriſtus locutus eſt, dicens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Hic eſt ſpiritus qui ab initio ferebatur ſuper aquam. Neque enim ſpiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine ſpiritu. Malè ergo ſibi quidam interpretantur, vt dicant, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur; cum manifeſtum ſit h vtroque ſacramento debere eos renaſci in Eccleſia Catholica. Tunc quippe poterunt filij Dei eſſe, dicente Apoſtolo: Curantes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis: vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Hæc omnia Eccleſia Catholica loquitur. Et iterum in Euangelio dicit: Quod natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt; quia Deus ſpiritus eſt, & de Deo natus eſt. Ergo omnes hæretici & ſchiſmatici omnia quæcumque faciunt, carnalia ſunt, dicente Apoſtolo: Manifeſta enim ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicationes, immunditiæ, i inceſtum idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, certamina, zelus, ira, diuiſiones, hæreſes & his ſimilia; de quibus prædixi vobis, ſicut prædico, quoniam quicumque hæc faciunt, regnum Dei non hæreditabunt. Condemnat æquè Apoſtolus cum omnibus malis & eos qui diuiſionem faciunt, hoc eſt, ſchiſmaticos & hæreticos. Niſi ergo acceperint baptiſma ſalutare in Eccleſia Catholica quæ vna eſt, ſalui eſſe non poſſunt, ſed cum carnalibus in iudicio Domini Chriſti damnabuntur.

k Ianuarius à Lambæſe dixit:

6 Secundùm ſcripturarum ſanctarum auctoritatem decerno hæreticos omnes baptizandos, & ſic in Eccleſiam ſanctam admittendos.

l Lucius à Caſtrogalbæ dixit:

7 Cùm Dominus in Euangelio ſuo dixerit: Vos eſtis ſal terræ; Si autem ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? ex eo ad nihilum valebit, niſi vt proiiciatur foras; & conculcetur ab hominibus. & iterùm poſt reſurrectionem ſuam mittens Apoſtolos ſuos mandauerit dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra; Ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Cùm ergo manifeſtum ſit hæreticos

Mirgentinenſis, vt potiùs legendum ſit *Migirpinenſis*. PAM.

a *Polycarpus ab Adrumeto*. Huius ſuprà fit mentio epiſt. 45. vbi Adrumetinam coloniam vocat, & plerique MS. cum aſpiratione legunt. Hic contra MS. & omnes exc. præter D. Auguſt. dicti lib. cap. 11. ſine aſpiratione, quomodo & Victor Vticenſis hiſt. Vand. 3. ac primum Carthag. concil. *Idem.*

b 3. QVI HÆRETICOR.] In Corbeïenſi, *Qui hæreticorum baptiſma probant, noſtrum hæreticis communicant.* In Veronenſi, *Qui hæreticorum baptiſma probat, noſtrum improbat.* RIG.

c *Secundum decretum collegarum noſtrorum*. Eiuſdem decreti meminit epiſt. ad Stephanum Cyprianus, atque adeò & hinc confirmatur noſtra ſententia de communione laica, hoc eſt, inter laicos. PAM.

d 4. INTER LAICOS RECIPI.] Sic Epiſt. ad Antoninum, Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, vt laicus communicet. RIG.

e 5. PER AVIA LOCA ATQVE ARIDA.] δι' ἀβάτου ἐρήμου. *Idem.*

f TERRAM DESTINATAM IN SITIM.] διατεταγμένην ἐν διψώδει. Quod autem in Corbeïenſi & in aliis quibuſdam libris legitur, *deſtinatam à meſſe*: vel, *in enſe*, vitioſum eſt: irrepsitque ex gloſſemate, *in meſſe colligit*. *Idem.*

g INFRVCTVOSA] ἀκαρπίαν quod in Vaticanis exemplaribus, *ſterilitatem*. *Idem.*

h VTROQVE SACRAMENTO DEBERE EOS RENASCI.] Aqua & ſpiritu. *Idem.*

i *Inceſtum, idololatria*. Hinc patet varias fuiſſe olim Noui Teſtamenti verſiones, aliter enim hîc, aliter ſuprà Cyprianus. PAM.

k 6. IANVARIVS A LAMBÆSE.] In exemplari Foxienſi: *à Lambes* Hîc verò ſemel obſeruabimus quod deinceps in iſtis Epiſcoporum & Eccleſiarum appellationibus dici oporteret, operam non perditurum, qui diligenter inſpiciet Notitias Epiſcopalium Sedium Africæ, editas à Iac. Sirmondo vnà cum opuſculis aliquot dogmaticis Leporii, Capreoli & Victorini. RIG.

l 7. LVCIVS A CASTROGALBÆ.] In Fox. *Caſtraquando*. In Thuaneo, & Corbeïenſi, *Caſtragalba* *Idem.*

l *Lucius à Caſtrogalba*. Lectionem hanc collegi partim ex Manutio, partim ex Cambr. codice quorum ille *Caſtragalba*, iſte *Caſtrogalba*; anteà non ſatis Latinè excuſi cum D. Auguſt. & aliis MS. legebant *Caſtragalba*. Suſpicor autem fuiſſe Caſtrum à Galba Cæſare extructum, præſertim quum apud Ptolomeum in Affrica reperire ſit etiam caſtra Cornelia, & caſtra Germanorum. Reſpondet autem adrationes huius Auguſt. dicti lib. cap. 14. PAM.

ficauit Eccleſiam ſuam, non ſuper hæreſim; & [a] poteſtatem baptizandi Epiſcopis dedit, non hæreticis. Quare qui extra Eccleſiam ſunt, & contra Chriſtum ſtantes oues eius & gregem ſpargunt, baptizare foris non poſſunt.

Sedatus à Tuburbo dixit:

18 In quantum aqua ſacerdotis prece in Eccleſia ſanctificata abluit delicta; in tantum hæretico ſermone [b] velut cancere, infecta, cumulat peccata. Quare omnibus [c] pacificis quidem viribus nitendum eſt, ne quis hæretico errore infectus & tinctus, ſingulare & verum Eccleſiæ baptiſmum detrectet accipere, quo quiſquis non fuerit baptizatus, regno cælorum fiet alienus.

Priuatianus à Sufetula dixit:

19 Qui hæreticos poteſtatem baptizandi habere dicit, dicat priùs, quis hæreſim condiderit. Si enim hæreſis à Deo eſt, habere & indulgentiam diuinam poteſt. Si verò à Deo non eſt, quomodo gratiam Dei aut habere aut conferre alicui poteſt?

Priuatus à Suſibus dixit:

20 Qui hæreticorum baptiſmum probat, quid aliud quàm hæreticis communicat?

[d] *Hortenſianus à Laribus dixit:*

21 [e] Quot ſint baptiſmi, viderint aut præſumptores, aut fautores hæreticorum: nos vnum baptiſma, quod non niſi in Eccleſia nouimus, Eccleſiæ vindicamus. Aut quo modo poſſunt in nomine Chriſti aliquem baptizare, quos ipſe Chriſtus dicit aduerſarios ſuos eſſe.

Caſſius à Macomadibus dixit:

22 Cùm baptiſmata duo eſſe non poſſint; qui hæreticis baptiſma concedit, ſibi tollit. Cenſeo itaque [f] flebiles & tabidos hæreticos baptizandos eſſe, cùm ad Eccleſiam venire cœperint, & ſacra & diuina lauatione lotos, & lumine vitæ illuminatos, non hoſtes, ſed pacificos, non alienos, ſed fidei Domini domeſticos, non adulteros, ſed Dei filios, non erroris, ſed ſalutis effectos in Eccleſiam recipi; abſque his, qui de Eccleſia fideles ſupplantati, ad hæreſis tenebras tranſierant, ſed eos per manus impoſitionem reſtituendos.

[g] *Alius Ianuarius à Vico Cæſaris dixit:*

23 Si non obtemperat error veritati, multò magis veritas non conſentit errori. Et ideò nos Eccleſiæ aſſiſtimus in qua præſidemus, vt baptiſmum eius ipſi ſoli vindicantes, eos, quos Eccleſia non baptizauit, baptizemus.

Alius Secundinus [h] *à Carpis dixit:*

24 Hæretici Chriſtiani ſunt, an non? Si Chriſtiani ſunt: cur in Eccleſia Dei non ſunt? [i] Si Chriſtiani non ſunt, quomodo Chriſtianos faciunt? Aut quò pertinebit ſermo Domini dicentis; Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt, & qui non mecum colligit, ſpargit? Vnde conſtat, ſuper filios alienos & ſoboles antichriſti Spiritum ſanctum per manus impoſitionem tantummodo non poſſe deſcendere, cùm manifeſtum ſit hæreticos baptiſma non habere.

Victoricus à Thabraca dixit:

25 Si licet hæreticis baptizare & remiſſam peccatorum dare; quid illos infamamus, vt hæreticos appellemus?

Alius Felix ab Vthina dixit:

26 Nemini dubium eſt, ſanctiſſimi conſacerdotes, non in tantum poſſe humanam præſumptionem, quantùm Domini noſtri Ieſu Chriſti adorandam & venerabilem majeſtatem. Memores ergo periculi, hoc quoque non tantùm obſeruare debemus, verùm etiam ab omnibus nobis confirmare, vt omnes hæretici qui ad ſinum matris Eccleſiæ accurrunt, baptizentur; vt mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta eſt, ſanctificatione lauacri purgata in melius reformetur.

[k] *Quietus à Buruch dixit:*

27 Qui fide viuimus, obſequi iis quæ inſtruendis nobis antè prædicta ſunt, credula obſeruatione debemus. Nam ſcriptum eſt apud Salomonem: Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? Quod vtique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loquitur. Si

a POTESTATEM BAPT. EPISCOPIS DEDIT.] Immò Apoſtolis, ac per Apoſtolos quidem, Epiſcopis. In Veronenſi. *Poteſtatem baptizandi Epiſcopis habere dedit.* RIG.

b VELVT CANCERE.] In Veronenſi & in Corbeïenſi, & in edit. Rom. *cancer. Idem.*

c PACIFICIS QVIDEM VIRIB.] In Ver. & in edit. Rom. & in exempl. Corb. *viris. Idem.*

d 21. HORTENSIANVS A LARIBVS.] In Corbeïenſi, *à Salaribus. Idem.*

d *Hortenſianus à Laribus.* MS. quidem *Portenſianus*, ſed malè; quum Hortenſiani frequens fiat mentio inter epiſt. Cypriani, & prius etiam legit D. Auguſt. dicti lib. cap. 28. Lares autem (quod lego apud Saluſtium in Iugurtha pro eo quod eſt Laris) collocat Ptolomeus in Numidia iuxta Mireum vti ſuprà diximus. Larenſis etiam ciuitatis meminit Victor Vticenſis lib. 2. quare corruptè legit Cambr. codex *à Salaribus.* PAM.

e QVOT SINT BAPTISMI.] In Veronenſi & Foxienſi rectiſſimè Hortenſiani ſententia incipit: *Viderint aut præſumptores aut ſ. h.* RIG.

f FLEBILES ET TABIDOS.] In Foxienſi, *flebiles & habiles.* Perperam Tabidos hæreticos dicit, quaſi tabeſcentes mærore & ſqualore pœnitentiæ. *Idem.*

g *Alius Ianuarius à Vico Cæſaris dixit.* Tractat hoc Diu. Auguſtin. dicti libri cap. 30. ſuſpicor autem vicum Cæſaris eumdem eſſe quem Ptolemeus Iol-Cæſaream vocat. A qua Cæſarienſis Mauritania dicta eſt. De qua latiùs ita Plinius: Oppidumque ibi celeberrimum Cæſarea anteà vocata Iöl, Iubæ regia, à D. Claudio coloniæ iure donata, eiuſdemque iuſſu deductis veteranis. Reperitur hodie è regione Argieræ, & quidam Bugiam nuncupant. PAM.

h 24. A CARPIS.] In Ver. & Fox *à Carpis.* RIG.

i SI CHRISTIANI NON SVNT, QVOMO. CHR. FAC.] In Ver. & Fox. *Si Chriſtiani non ſunt, fiant. aut quo pertinebit, &c.* Fiant hoc eſt, baptizentur, vt fiant ſcilicet Chriſtiani. *Idem.*

k QVIETVS A BVRVCH.] In Ver. Conſ. *Quietus à Burug. Idem.*

Si enim qui apud illos baptizantur, per remiſſionem peccatorum vitam æternam conſequuntur, cur ad Eccleſiam veniunt? Si verò à mortuo ſalutis nihil accipitur, ac propterea agnito errore priſtino ad veritatem cum pœnitentia reuertuntur; vno vitali baptiſmate, quod in Eccleſia Catholica eſt, ſanctificari debebunt.

Caſtus à Sicca dixit:

28 Qui contempta veritate præſumit conſuetudinem ſequi; aut circa fratres inuidus eſt & malignus, quibus veritas reuelatur; aut circa Deum ingratus eſt, cuius inſpiratione [a] Eccleſia eius inſtruitur.

Euchratius à Thenis dixit:

29. Fidem noſtram, & baptiſmatis gratiam, & legis Eccleſiaſticæ regulam Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuo ore Apoſtolos docens, perimpleuit dicens: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Falſum ergo hæreticorum baptiſma & iniquum, à nobis pellendum eſt, & [b] omni deteſtatione refutandum, de quorum ore virus non vita, nec gratia cæleſtis, ſed blaſphemia trinitatis exprimitur. Et ideò venientes ad Eccleſiam hæreticos, integro & Catholico baptiſmate baptiſari debere manifeſtum eſt, vt à blaſphemiæ ſuæ præſumptione purificati, poſſint Spiritus ſancti gratia reformari.

[c] *Liboſus à Vaga dixit:*

30 In Euangelio Dominus: Ego ſum, inquit, veritas: non dixit, ego ſum conſuetudo. [d] Itaque veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati, vt & ſi in præteritum quis in Eccleſia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat.

[e] *Lucius à Thebeſte dixit:*

31 Hæreticos blaſphemos atque iniquos verbis variis decerpentes ſancta & adorabilia ſcripturarum verba, execrandos cenſeo; & ideò exorcizandos & baptizandos eſſe.

Eugenius ab Ammedera dixit:

32 Et ego hoc idem cenſeo, hæreticos baptizandos eſſe.

Item [f] alius [g] ab Amaccura dixit:

33 Et ipſe ſecutus diuinarum ſcripturarum auctoritatem, baptizandos hæreticos eſſe cenſeo, ſed & eos qui apud ſchiſmaticos baptizatos ſe eſſe contendunt. Si enim [h] ſecundùm cautum Chriſti priuatus fons noſter eſt, intelligant cuncti Eccleſiæ noſtræ aduerſarij, [i] quia alienis eſſe non poteſt. Nec duobus populis ſalutarem aquam tribuere poteſt ille, qui vnius gregis paſtor eſt. Et ideò manifeſtum eſt, nec hæreticos nec ſchiſmaticos aliquid cæleſte poſſe ſuſcipere, qui à peccatoribus hominibus, & ab Eccleſia extraneis audeant accipere. Quando danti locus non eſt, vtique nec accipienti prodeſt.

Item alius [k] Ianuarius Muzulenſis dixit:

34 Miror quod cùm omnes confiteantur vnum eſſe baptiſma, non omnes intelligant eiuſdem baptiſmatis vnitatem: Eccleſia enim & hæreſis, duæ & diuerſæ res ſunt. Si hæretici habent baptiſma, nos non habemus. Si autem nos habemus, hæretici habere non poſſunt. Dubium autem non eſt, [l] Eccleſiam ſolam baptiſmum Chriſti poſſidere, quæ ſola poſſideat & gratiam Chriſti & veritatem.

Adelphius à Thaſualte dixit:

35 Sine cauſa quidam falſo & inuidioſo verbo impugnant veritatem, vt rebaptizare nos dicant; quando Eccleſia hæreticos non rebaptizet, ſed baptizet.

Demetrius Aleptiminus dixit:

36 Vnum baptiſma nos cuſtodimus, quia Eccleſiæ Catholicæ ſoli rem ſuam vindicamus. Qui autem dicunt quia hæretici verè & legitimè baptizare poſſunt; ipſi ſunt qui non vnum, ſed multa baptiſmata faciunt. Nam cùm hæreſes multæ ſint, pro earum numero & baptiſmata computabuntur.

Vin-

a *Eccleſia eius inſtruitur.* Hæc lectio Manut. confirmatur à D. Auguſtino & M S. præter Cambronenſem, anteà erat, *Eccleſia eius inſtruuntur.* Adnotat autem tum dicto cap. tum lib. 3. cap. 5. fateri iſtum, contrariam fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem. PAM.

b 29. OMNI DETESTATIONE REFVT.] In Veron. *Omni conteſtatione ref.* RIG.

c 30. LIBOSVS A VAGA.] In Veronenſi: Confeſſ. & Mart. *in Nouis areis poſitus Liboſus à Vaga. Idem.*

d 31. LVCIVS A THEBESTE.] In Veron. Confeſſ. & Mart. *in Fauſti poſitus Leucius à Theueſte. Idem.*

e ITAQVE VERITATE MANIFESTATA.] Breuiùs in Veronenſi: *Itaque veritas eſt, vt etſi in præteritum quis in Eccleſia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat. Idem.*

f *Alius Felix ab Amaccura.* Accedit magis hæc Manutij lectio ad id quod habent 4. cod. M S. *ab Amacchora*, pro quo D. Auguſt. eſt. dicto lib. ab *Accura*. M S. verò & hic prius exc. *ab Accura*. Cambronenſis codex *ab Hamuccura*. Morelius denique *à Maccura*. Hinc autem patet veriſſimum eſſe quod dixit Plinius, Africæ populorum & oppidorum nomina ineffabilia eſſe præterquam ipſorum linguis. PAM.

g 33. FELIX AB AMACCVRA.] In Foxienſi, *ab Amecora.* RIG.

h SECVNDVM CAVTVM CHRISTI.] Hoc eſt, ſecundùm inſtitutionem & præceptum Chriſti. *Idem.*

i QVIA ALIENIS ESSE NON POTEST.] Rectè in Veronenſi & Foxienſi: *quia alienus eſſe non poteſt.* Rectè, inquam, ſic enim alienus reſpondet præcedenti, noſter. Qui Felicis iſtius mentem non percepere, ſic interpolare conati ſunt; qui alieni ſunt, nobiſcum eſſe non poſſunt. Veronenſis exemplaris veſtigia ſuperſunt adhuc in Corbeïenſi. Etenim ſcriptum priùs fuerat: *qui alienus eſſe non poteſt.* Aliquis poſteà interleuit: *qui alienus, nobiſcum eſſe non poteſt.* Alius deinde: *qui alienis nobiſcum eſſe non poſſunt, nec duobus. Idem.*

k 34. IANVARIVS MVZVLENSIS.] In Foxienſi: *Mozulenſis.* In Corbeïenſi: *à Muzucha. Idem.*

l ECCLESIAM SOLAM BAPTISMVM CHRISTI POSSIDERE.] Sic in exemplari Thuani antiquiſſimo, nec aliter habent alia item antiqua. In vno Remigiano: *Dubium autem non eſt, iuſtos ſolos baptiſmum Chriſti poſſidere, qui ſoli poſſideant & gratiam Chriſti & veritatem. Idem.*

Vincentius à Thibari dixit:

37 Hæreticos ſcimus eſſe peiores quàm ethnicos: ſi ergo conuerſi ad Dominum venire voluerint, habemus vtique regulam veritatis, quam Dominus præcepto diuino mandauit Apoſtolis dicens: Ite, in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite. Et alio loco: Ite & docete gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ergo primò per manus impoſitionem in exorciſmo, ſecundò per baptiſmi regenerationem, tunc poſſunt ad Chriſti pollicitationem venire: alias autem fieri cenſeo non debere.

Marcus à Mactari dixit:

38 Mirandum non eſt, ſi hæretici hoſtes atque impugnatores veritatis, rem ſibi vindicent poteſtatis & dignationis alienæ: ſed illud mirandum eſt, quod quidam noſtri, præuaricatores veritatis, hæreticis ſuffragantur, & Chriſtianis aduerſantur. Proptereà decernimus hæreticos baptizandos eſſe.

[a] *Satius à Sicilibba dixit:*

39 Si hæreticis in baptiſmo ſua peccata donantur, ſine cauſa ad Eccleſiam veniunt. Nam cùm in die iudicij peccata ſint quæ puniuntur; nihil eſt quod timere poſſint hæretici de iudicio Chriſti, ſi ſunt remiſſionem peccatorum conſecuti.

[b] *Victor à Gor dixit:*

40 Cùm peccata non niſi in Eccleſiæ baptiſmo remittantur, qui hæreticum ad communicationem ſine baptiſmo admittit, vtrumque contra rationem facit, nec hæreticos purgat, & Chriſtianos inquinat.

[c] *Aurelius ab Vtica dixit:*

41 Cùm dicat Apoſtolus, non communicandum peccatis alienis, quid aliud quàm peccatis alienis communicat, qui hæreticis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicat? Et ideò cenſeo baptizandos eſſe hæreticos vt accipiant remiſſam peccatorum, & ſic illis communicetur.

[d] *Confeſſor Iambus à Germaniciana dixit:*

42 Qui hæreticorum baptiſma probant, noſtrum improbant; vt extra Eccleſiam non dicam lotos, ſed ſordidatos, negent in Eccleſia baptizari oportere.

Lucianus à Rucuma dixit:

43 Scriptum eſt: Et vidit Deus lucem quia bona eſt, & diuiſit inter lucem & tenebras. Si poteſt luci & tenebris conuenire, poteſt nobis & hæreticis aliquid eſſe commune. Proptereà cenſeo hæreticos [e] baptizandos eſſe.

Pelagianus à Luperciana dixit:

44 Scriptum eſt: Aut enim Dominus tuus Deus eſt, aut Baal Deus eſt: ita & nunc, aut Eccleſia Eccleſia eſt, aut hæreſis Eccleſia eſt. Porrò ſi hæreſis Eccleſia non eſt, quomodo eſſe apud hæreticos baptiſma Eccleſiæ poteſt?

Confeſſor & martyr Iader à Midila dixit:

45 Scimus non eſſe niſi vnum baptiſma in Eccleſia Catholica; & ideò non debemus admittere hæreticum, niſi baptizatus apud nos fuerit, ne ſe putet extra Eccleſiam Catholicam baptizatum eſſe.

Item alius Felix à Marrazana dixit:

46 Vna fides, vnum baptiſma; ſed Eccleſiæ Catholicæ, cui ſoli licet baptizare.

Confeſſor Paulus à Bobba dixit:

47 Ne non mouet ſi aliquis Eccleſiæ fidem, & veritatem non vindicat, quando Apoſtolus dicat: Quid enim ſi exciderunt à fide quidam illorum? Numquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Si autem Deus verax eſt, quomodo eſſe apud hæreticos baptiſmi veritas poteſt, apud quos Deus non eſt?

Confeſſor [f] Pomponius à Dionyſiana dixit:

48 Manifeſtum eſt, hæreticos non poſſe baptizare, & remiſſionem peccatorum dare; qui poteſtatem

a 39. SATIVS A SICILIBBA DIXIT.] In Corbeienſi, ab hoc epiſcopo omnes ferè nominibus ſuis præmittunt, IN PACE: qua formula ſignificare videntur, nolle ſe ſententia ſuâ quemquam à communione, etſi diuerſum ſenſerit, amouere. Quæ lex dicta per Cyprianum fuerat in præfatione Synodi. RIG.

b 40. VICTOR A GOR.] In Foxienſi, *Victor à Corduba. Idem.*

c *Aurelius ab Vtica.* Vticæ frequens mentio apud Salluſtium in Iugurtha, & Cæſarem commentar. lib. 5. Hæc teſte Mela, fato Catonis inſignis, & magnitudine (inquit Strabo libro vlt.) & auctoritate ſecunda poſt Carthaginem & ea exciſa Metropolis & receptaculum Romanorum ad res in Libya gerendas, eodem in ſinu quo Carthago, ad alterum ex promontoriis quæ ſinum faciunt, flumine Bragada intermedio. Etiam à Phœnicibus ſeu Tyriis (Plinio teſte) condita. Et vetuſtiorem Carthagine fuiſſe, indicat illud Silij Italici lib. 1. -- *Priſca ſitu, vetereſque ante arces condita Byrſa*... Ptolomeus Ythicam nuncupat, Neque enim literam V habent græci ſed eam per Y efferunt, vti rectè adnotauit Adolphus Mekercus de vera linguæ græcæ pronuntiatione, hodie Byſerta nuncupatur. Vide porrò reſponſum diui Auguſt. dicti lib. cap. quinto. PAM.

d 42. CONFESSOR IAMBVS.] In Foxienſi, neque hic neque in aliis epiſcoporum nominibus non legimus appellationes confeſſorum neque martyrum. RIG.

d *Confeſſor Iambus à Germaniciana.* D. Auguſt. dicti lib. cap. 6. non habet *confeſſor*, neque 4. MS. noſtri habet tamen cum excuſ. Cambron. cod. Atqui Germanicianæ nouæ fit mentio in conc. Africano, & de Germanicianenſi loquitur D. Auguſt. epiſt. ad Pancarium quæ 10. eſt in appendice Pariſienſi. Suſpicor eamdem eſſe quæ Germiana nomine, apud Ptolomeum ſita eſt in Mauritania Cæſarienſi ad flumen Ampſagam, qui ab illa Numidiam diſterminat. PAM.

e *Baptizandos eſſe.* Tum hic tum ſuprà, & infrà aliquoties concludit Sententias epiſcoporum codex Lambron. clauſula hac: *in pace*; non malè, vt potè ac ſi hæc adiecerint, vt ſignificarent ſe in pace eccleſiæ perſiſtere velle. Verùm nolui in contextum inſerere, eò quòd neque D. Auguſt. neque MS. alii vſpiam id legant. *Idem.*

f POMPONIVS A DIONYSIANA.] In Foxienſi non

poteſtatem non habent, vt aut ſoluere aut ligare aliquid in terris poſſint.

Confeſſor [a] Venantius à Timiſa dixit:

49 Si maritus peregrè proficiſcens amico ſuo commendaſſet vxorem ſuam cuſtodiendam commendatam ſibi ille quanta poſſet diligentia conſeruaret, ne ab aliquo caſtitas eius & ſanctitas adulteraretur: Chriſtus Dominus & Deus noſter ad Patrem proficiſcens, ſponſam ſuam nobis commendauit; vtrumne eam incorruptam & inuiolatam cuſtodiemus, an integritatem eius & caſtitatem mœchis & corruptoribus prodemus? Qui enim baptiſma Eccleſiæ commune cum hæreticis facit, ſponſam Chriſti adulteris prodit.

[b] Aymnius ab Auſuaga dixit:

50 Nos vnum baptiſma accepimus, & ipſum tenemus & exercemus. Qui autem dicit quia & hæreticis licet baptizare, ipſe duo baptiſmata facit.

Saturninus [c] à Victoriana dixit:

51 Si licet hæreticis baptizare, excuſati ſunt & defenſi illicita facientes. Nec video quare eos aut Chriſtus aduerſarios ſuos, aut Apoſtolus antichriſtos appellauerit.

Alius confeſſor Saturninus à Thucca dixit:

[d] 52 Gentiles quamuis idola colant, tamen ſummum Deum [e] Patrem creatorem cognoſcunt & confitentur. In hunc [f] Marcion blaſphemat, & quidam non erubeſcunt Marcionis baptiſmum probare: quo modo tales ſacerdotes, ſacerdotium Dei aut ſeruant aut vindicant, qui hoſtes Dei non baptizant, & ſic illis communicant?

Marcellus à Zama dixit:

53 Cùm peccata non niſi in Eccleſiæ baptiſmo remittantur, qui hæreticum non baptizat, peccatori communicat.

[g] Confeſſor Hireneus ab Vlulis dixit:

54 Si ideò Eccleſia hæreticum non baptizat, quod dicatur iam baptizatus eſſe: hæreſis maior eſt.

[h] Donatus à Cybaliana dixit:

55 Ego vnam Eccleſiam & vnum baptiſma eius noui. Si eſt qui dicat eſſe apud hæreticos baptiſmi gratiam: antè eſt vt oſtendat & probet eſſe illic Eccleſiam.

Zozimus à Tharaſſa dixit:

56 Reuelatione facta veritate, cedet error veritati; quia & Petrus qui prius circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti.

[i] Iulianus à Telepte dixit:

57 Scriptum eſt: Nemo poteſt aliquid accipere, niſi datum fuerit illi de cælo. Si hæreſis de cælo eſt, poteſt & baptiſma dare.

Confeſſor Fauſtus à Timida regia dixit:

58 Non ſibi blandiantur, qui hæreticis patrocinantur. Qui pro hæreticis eccleſiaſtico baptiſmati intercedit; illos Chriſtianos, & nos hæreticos facit.

[k] Geminius à Furnis dixit:

59 Quidam de collegis hæreticos præponere ſibi poſſunt, nobis non poſſunt; & ideò quod ſemel decreuimus tenemus, vt ab hæreticis venientes baptizemus.

Rogotianus à Noua dixit:

60 Eccleſiam Chiſtus inſtituit, hæreſim diabolus, quo modo poteſt habere baptiſmum Chriſti ſynagoga ſatanæ?

Confeſſor [l] Therapius à Bulla dixit:

61 Qui hæreticis Eccleſiæ baptiſma concedit & prodit, quid aliud ſponſæ Chriſti quàm Iudas exiſtit?

Confeſſor item alius Lucius à Membreſa dixit:

62 Scriptum eſt: Deus peccatorem non audit hæreticus qui peccator eſt, quo modo audiri in baptiſmo poteſt?

Item

apparet iſtius epiſcopi nomen. Sententia verò cum epiſcopi præcedentis ſententia confuſa eſt R I G.

a 49. VENANTIVS A TIMISA.] In Foxienſi, *à Thiniſa* In Corbeïenſi: *à Thiniſis. Idem.*

b 50. AYMNIVS.] In Foxienſi: *Ahymmus ab Auſuagoad.* In Corbeienſi, *Ritiſſimus ab Caulaga.* In Thuaneo: *Ahymmus ab auſuagga. Idem.*

c 51. A VICTORIANA.] In Foxienſi: *à Victorina. Idem.*

d 52. GENTILES SVMMVM DEVM PATREM CREATOREM COGNOSCVNT.] Hoc certè probat ipſius animæ quamuis non Chriſtianæ teſtimonio Tertullianus, lib. de Teſtim. an. *Idem.*

e PATREM CREATOREM COGNOSCVNT ET CONFITENTVR.] Poſt hæc verba Saturnini à Tucca, in exemplari Foxienſi legitur: *in hunc Marcionis baptiſmum eius noniſu eſt vt oſtendat probare quomodo tales ſacerdotes*, &c. quæ haud dubiè corruptiſſima ſunt, nec apparet origo mali, nam in aliis exemplaribus etiam antiquis ſcriptura ſana eſt, quam nobis editiones exhibent bona fide. *Idem.*

f MARCION BLASPHEMAT.] In Corbeïenſi: *Marcionitæ blaſphemant. Idem.*

g *Confeſſor Hirenaus ab Vlulis.* Aſpirationem adiicio ex manuſcriptis, Qui quamquam conformiter cum excuſis legant *Vlulis* nec multum diſſentiat illud Cambronen. *Viudis*: Cenſeo tamen legendum *Vzulis*, ſeu *Vſulis*. Nam & Vzulenſis Epiſcopus Caſtianus ſubſcripſit Carthaginen. concilio primo: ac Theodori Vzulenſis meminit D. Auguſt. contra Creſcon. lib. 3. cap. 19. Ptolomeus quoque Vſullam haud procul à minori Syrti collocat. Ita enim legendum, pro eo quod eſt, *Vſilla*: patet ex voce græca οὔσυλλα, quam legi illic teſtatur Viues in Auguſtinum. P A M.

h DONATVS A CIBALINA.] In Corbeïenſi: *Gubaliana.* R I G.

i IVLIANVS A THELEPTE.] In Corbeienſi, *à Thelapte.* In Thuaneo, *à Thepelte.* Notitia Africæ: *Frumentius Teleptenſis. Idem.*

k 59. GEMINIVS A FVRNIS.] In Thuaneo: *Geminus. Idem.*

l 61. THERAPIVS A BVLLA.] In Corbeienſi: *Aunila. Idem.*

Item alius [a] *Felix à Buſlaceni dixit:*

63 In hæreticis ſine Eccleſiæ baptiſmo admittendis, nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat: quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.

Alius Saturninus ab Auitinis dixit:

64 Si poteſt antichriſtus dare alicui gratiam Chriſti; poſſunt & hæretici baptizare, qui appellati ſunt antichriſti.

[b] *Quintus ab Aggya dixit:*

65 Ille poteſt dare aliquid, qui aliquid habuerit: hæretici autem quid poſſunt dare, quos conſtat nihil habere?

Alius Iulianus à Marcelliana dixit:

66 Si poteſt homo duobus dominis ſeruire; Deo & mammonæ; poteſt & baptiſma duobus ſeruire, Chriſtiano & hæretico.

[c] *Tenax ab Horriſcaliæ dixit:*

67 Baptiſma vnum eſt, ſed Eccleſiæ. Vbi Eccleſia non eſt, baptiſma illic eſſe non poteſt.

Confeſſor alius Victor ab Aſſuris dixit:

68. Scriptum eſt, quia Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus eſt, & Eccleſia vna, & baptiſma vnum. Quo modo ergo illic baptizari aliquis poteſt, vbi Deus & Chriſtus, & Eccleſia vna non eſt?

Donatulus à Capſe dixit:

69 Et ego ſemper hoc ſenſi, vt hæretici qui nihil foris conſequi poſſunt, quando ad Eccleſiam conuertuntur, baptizentur.

Martyr de ſchiſmaticis [d] *Verulus à Ruſiccade dixit:*

70 Homo hæreticus dare non poteſt quod non habet; multò magis ſchiſmaticus, qui quod habuit, amiſit.

Pudentianus à Cuiculi dixit:

71 Nouitas Epiſcopatus effecit, fratres dilectiſſimi, vt ſuſtinerem quid maiores iudicarent. Nam hæreſes nihil habere, nec poſſe manifeſtum eſt; atque ita ſi qui ex eis venerint, baptizari æquiſſimè ſtatutum eſt.

[e] *Martyr Petrus ab Hippone Diarito dixit:*

72 Cùm baptiſma vnum ſit in Catholica Eccleſia; manifeſtum eſt, non poſſe extra Eccleſiam baptizari. Et ideò in hæreſi tinctos ſiue in ſchiſmate, venientes ad Eccleſiam cenſeo baptizari oportere.

Item alius [f] *Lucius ab Auſafa dixit:*

73 Secundùm motum animi mei, & Spiritus ſancti, cùm ſit vnus Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vnus Chriſtus, & vna ſpes, & vnus ſpiritus, & vna Eccleſia; vnum debet eſſe & baptiſma. Et ideò dico, ſi quid ab hæreticis motum aut factum fuerit, reſcindi debere, & eos qui inde veniunt in Eccleſia baptizandos eſſe.

Item alius Felix à Gurgitibus dixit:

74 Ego cenſeo vt ſecundùm ſanctarum ſcripturarum præcepta, baptizatus ab hæreticis illicitè extra Eccleſiam, cùm ad Eccleſiam confugere voluerit, gratiam baptiſmi vbi licitè datur, conſequatur.

[g] *Puſillus à Lamaſba dixit:*

75 Ego credo baptiſma ſalutare non eſſe, niſi in Eccleſia Catholica. [h] Quidquid abſque Catholica fuerit, ſimulatio eſt.

Martyr Saluianus à Gazauſala dixit:

76 Hæreticos nihil habere conſtat; & ideò ad nos veniunt, vt poſſint accipere quod non habent.

Honoratus à Tucca dixit:

77 Cùm Chriſtus veritas ſit, magis veritatem quàm conſuetudinem ſequi debemus; vt hæreticos qui ideò ad nos veniunt, quia foris nihil accipere potuerunt, Eccleſiæ baptiſmo ſanctificemus.

[a] *Victor*

a 63. FELIX A BVSLACENI.] In Corbeienſi: *à Buſdaccini*. In Thuaneo: *à Buſlacgeni*. RIG.

b 65. QVINTVS AB AGGIA.] In Corbeienſi: *ab Aguia*. In Thu. *à Bachia*. *Idem*

c 67. TENAX AB HORRISCALIÆ.] In Corbeienſi, *ab Horreis Cæcilianis*. In Thuaneo *ab Horreis Cælia*. Notitia Africæ, Horrea Cælia. *Idem*.

d VERVLVS A RVSICCADE.] In Thuaneo: *à Ruſſicade*. In Foxienſi: *à Succade*. *Idem*.

e 72. PETRVS AB HIPPONE DIARRHITO.] In Corb. *Zarrito*. *Idem*.

e *Martyr Petrus ab Hippone Diarito*. Veram eſſe lectionem *Diarrhyto*. præ vulgata, & D. Auguſt. dicti lib. c. 36. & rurſum M S. *Diarreto*, aut aliorum *Diarito*, patet ex verbis his Plinij. Hipponem dilutum vocant διαῤῥυτον à Græcis dictam propter aquarum irrigua, & ſimiliter Ptolomæus, ad mare eam collocans, ac Mela: vt potè quæ à voce græca διαῤῥυεῖν deriuetur. PAM.

f 73. LVCIVS AB AVSAFA.] Corb. *Auſaſa*. Foxienſi: *Auſura*. *Idem*.

g 75. PVSILLVS A LAMASBA.] Corb. *Labaſma*. Fox. *Labama*. *Idem*.

h QVICQVID ABSQVE CATHOLICA FVERIT SIMVLATIO EST.] In Corbeïenſi & Thuaneo: *Simiatio eſt*. Et recipi poteſt. Ipſe Cyprianus Epiſt. LXXIII. ad Iubajanum de baptizandis hæreticis: *Nouatianus, ſimiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines tamen imitentur, vult Eccleſiæ catholicæ auctoritatem ſibi & veritatem vindicare*. Et tamen in huiuſce concilij codice quem habuit Auguſtinus ſcriptum fuiſſe *ſimulatio eſt*, apparet ex ipſius Auguſtini reſponſione *Idem*.

[a] *Victor ab Octauo dixit:*

78 Quod & ipſi ſcitis, non olim ſum Epiſcopus conſtitutus, & ideò expectabam præceſſorum conſilium. Hoc itaque exiſtimo, vt quicumque ex hæreſi venerint, ſine dubio baptizentur.

Confeſſor Clarus à Maſcula dixit:

79 Manifeſta eſt ſententia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Apoſtolos ſuos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem à patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes, & credentium fidem baptizantes. Et ideò hæretici qui nec poteſtatem foris, nec Eccleſiam Chriſti habent, neminem baptizare baptiſmo eius poſſunt.

Martyr Secundianus à Thambeis dixit:

80 Non debemus hæreticos noſtra præſumptione decipere; vt in Eccleſia Domini noſtri Ieſu Chriſti non baptizati, ac per hoc remiſſionem peccatorum non conſecuti, cùm iudicii dies venerit nobis imputent, quod per nos non ſint baptizati, & indulgentiam diuinæ gratiæ conſecuti. Propter quod, cùm ſit vna Eccleſia, & vnum baptiſma, quando ad nos conuertuntur, ſimul cum Eccleſia, & Eccleſiæ baptiſmum conſequantur.

Item alius [b] *Aurelius à Chullabi dixit:*

81 Ioannes Apoſtolus in Epiſtola ſua poſuit dicens: Si quis ad vos venit, & doctrinam Chriſti non habet, nolite eum admittere in domum veſtram, &, aue, illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi, aue, communicat factis eius malis. Quo modo admitti tales temerè in domum Dei poſſunt, qui in domum noſtram priuatam admitti prohibentur? aut quo modo cum eis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicare poſſumus, quibus, ſi aue, tantùm dixerimus, factis eorum malis communicamus?

Confeſſor Littæus à Gemellis dixit:

82 Cæcus ſi cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Cùm ergo hæreticos conſtet non poſſe illuminare quemquam, vt potè cæcos, baptiſma eorum non valet.

Natalis ab Oea dixit:

83. 84 85 Tam ego præſens, quàm Pompeius Sabratenſis, quàm etiam Dioga Leptimagnenſis, qui mihi mandauerunt corpore quidem abſentes, ſpiritu præſentes, cenſemus quod & collegæ noſtri; quod hæretici communicationem habere nobiſcum non poſſunt, niſi Eccleſiaſtico baptiſmo baptizati fuerint.

[c] *Iunius à Neapoli dixit:*

86 Ab eo quod ſemel cenſuimus non recedo, vt hæreticos venientes ad Eccleſiam baptizemus.

[d] *Confeſſor & martyr Cyprianus à Carthagine dixit:*

87 Meam ſententiam pleniſſimè exprimit epiſtola quæ ad Iubaianum collegam noſtrum ſcripta eſt; hæreticos ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam conteſtationem aduerſarios Chriſti & Antichriſtos appellatos, quando ad Eccleſiam venerint, vnico Eccleſiæ baptiſmo baptizandos eſſe, vt poſſint fieri de aduerſariis amici, & de Antichriſtis Chriſtiani.

SEQVVN-

a VICTOR AB OCTAVO.) In Corb. *ab Octana.* In Th. *ab Attaun.* In Foxienſi, *ab Octauu.* In Noticia Africæ, prouinciæ Byzacenæ, cenſentur epiſcopi Octabienſis & Octabenſis. RIG.

b AVRELIVS A CHVLLABI.] In Thuaneo, *à Buccabi. Idem.*

c IVNIVS A NEAPOLI.] In Corbeienſi, *Ianuarius.* In Foxienſi, *à Neopali. Idem.*

c *Iunius à Neapoli.* Cambronenſis *Ianuarius*, ſed prior eſt genuina, eo quòd non præmittatur *Alius*, Atqui Neapolim quidem vocatam Leptim maiorem, teſtantur Plinius, Strabo, & Ptolomeus, ſed iidem cum Mela alteram recenſent Neapolim, & collocatur à Ptolomeo iuxta Curubim ad mare, cuius & apud Cæſarem mentio, comment. lib. 5. & etiam hodie extat 12. à Tuneto milliario. Eiuſdem ciuitatis Epiſcopum fuiſſe cenſeo, qui 7. concilio Carthag. ſubſcripſit. vide reſponſum D. Auguſt. dicti libri capit. 18. PAM.

d *Confeſſor & martyr Cyprianus.* Rurſum præter Cambronenſem, non habent manuſcripti illud, *confeſſor & martyr.* neque D. Auguſtinus dicti libri cap. 29. *Idem.*

SEQVVNTVR OPVSCVLA
QVÆ VVLGO ADSCRIBVNTVR
CÆCILIO CYPRIANO.

DE SPECTACVLIS.

CYPRIANVS PLEBI IN EVANGELIO STANTI, Salutem.

VT me ſatis contriſtat, & animum meum grauiter affligit, cùm nulla mihi ſcribendi ad vos porrigitur occaſio (detrimentum eſt enim meum vobiſcum non colloqui) ita nihil mihi tantam lætitiam, hilaritatemque reſtituit, quàm cùm adeſt rurſus occaſio. vobiſcum me eſſe arbitror, cùm vobis per litteras loquor. Quamquam igitur ita ſe hæc habere quæ dico, certos vos eſſe ſciam, nec quidquam de verborum meorum veritate dubitare: tamen etiam argumentum, ſinceritatem rei aſſerit; nam cùm nulla prorſus præteritur occaſio, probatur affectio. Quamuis ergo certus ſim, vos non minus eſſe in vitæ actu graues, quàm in ſacramento fideles; tamen, quoniam non deſunt vitiorum aſſertores blandi, & indulgentes patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem, & quod eſt deterius, cenſuram ſcripturarum cæleſtium in aduocationem criminum conuertunt; quaſi ſicut innocens ſpectaculorum ad remiſſionem animi appetatur voluptas (nam & eouſque eneruatus eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorum præcipitatur in peius, vt iam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur) placuit paucis vos non nunc inſtruere ſed inſtructos admonere, ne quia malè ſunt vincta vulnera, ſanitatis obductæ perrumpant cicatricem. Nullum enim malum difficiliùs extinguitur, quàm quod faciles reditus habet, dum & multitudinis conſenſu aſſeritur, & excuſatione blanditur. Non pudet, non pudet inquam fideles homines, & Chriſtiani ſibi nominis auctoritatem vindicantes, ſuperſtitiones vanas gentilium cum ſpectaculis mixtas de ſcripturis cæleſtibus vindicare? & auctoritatem idololatriæ conferre? nam quando id, quod in honore alicuius idoli ab ethnicis agitur, à fidelibus Chriſtianis ſpectaculo frequentatur; & idololatria gentilis aſſeritur, & in contumeliam Dei religio vera, & diuina calcatur. Pudor me tenet [a] præſcriptiones eorum in hac cauſa, & patrocinia referre. [b] Vbi, inquiunt, ſcripta ſunt iſta? vbi prohibita? Alioquin, & auriga eſt Iſrael Helias, & ante arcam Dauid ipſe ſaltauit; Nabla, æra, tympana, tibias, citharas, choros legimus. Apoſtolus quoque dimicans, ceſtus, & colluctationis noſtræ aduerſus ſpiritalia nequitiæ proponit certamen. Rurſus de ſtadiis ſumit exempla, coronæ quoque collocat præmia. Cur ergo homini Chriſtiano fideli non liceat ſpectare, quod licuit diuinis litteris ſcribere? Hoc in loco dixerim longè melius fuiſſe iſtis, nullas litteras noſſe, quàm ſic litteras legere. Verba enim, & exempla, quæ ad exhortationem euangelicæ virtutis poſita ſunt, ad vitiorum patrocinia transferuntur: quoniam non vt ſpectarentur iſta ſcripta ſunt, ſed vt animis noſtris inſtantia maior excitaretur in reb. profuturis, dum tanta eſt apud ethnicos in rebus non profuturis. Argumentum eſt ergo excitandæ virtutis, non permiſſio, ſiue libertas ſpectandi gentilis erroris; vt per hanc animus plus accendatur ad Euangelicam virtutem propter diuina præmia, cùm per omnium laborum, & dolorum calamitatem concedatur peruenire ad terrena compendia. Nam quod Helias auriga eſt Iſraëlis, non

a *Præſcriptiones eorum in hac cauſa.* Præſcriptio hic ex vſu Iureconſultorum eſt accuſatoris defenſio ſiue exceptio. Vlpianus in l. Iulia §. marito. D. ad leg. Iuliam de adult. *marito*, ait, *iure mariti accuſanti illa præſcriptio obiicitur.* Eadem in notione adhibetur hæc vox a Tertulliano. P'R I.

b *Vbi inquiunt ſcripta iſta?* &c. Chriſtianorum ſimplicitas hic non arguitur, ſed proteruia eorum qui ad ſpectacula concurrebant. Pari ratione cap. 3. de ſpectac. Tertullianus. *Quorumdam enim fides aut ſimplicior aut ſcrupuloſior ad hanc abdicationem ſpectaculorum de ſcripturis auctoritatem expoſcit. Idem.*

non patrocinatur ſpectandis Circenſibus, in nullo enim is circo cucurrit. Et quod Dauid in conſpectu Dei choros egit, nihil adiuuat in theatro ſedentes Chriſtianos fideles. Nulla enim obſcœnis motibus membra diſtorquens, deſaltauit græcæ libidinis fabulam. [a] Nabla æra, tibiæ, & citharæ Deum cecinerunt, non idolum. Non igitur præſcribetur, vt ſpectentur illicita: diabolo artifice ex ſanctis in illicita mutata ſunt. Præſcribat igitur iſtis pudor, etiam ſi non poſſunt ſanctæ litteræ. Quædam enim ſcriptura magis prouidet in præcipiendo: verecundiam paſſa plus interdixit, quia tacuit: veritas ſi ad hæc vſque deſcenderet, peſſimè de fidelibus ſuis ſenſiſſet; [b] nam & plerumque in præceptis quædam vtiliùs tacentur: admonent ſæpè dum interdicuntur: ita etiam tacentur, dum in litteris ſcripta ſunt; & præceptorum loco ſeueritas loquitur, & ratio loquitur, quæ ſcriptura conticuit, ſecum tantum vnuſquiſque deliberet, & cum perſona profeſſionis ſuæ loquatur, nihil vmquam indecorum geret; plus enim ponderis habebit ſententia, quæ nulli ſe alteri debebit niſi ſibi. Quid ſcriptura interdixit? Prohibuit enim ſpectari, quod prohibet geri. Omnia inquam iſta ſpectaculorum genera damnauit, quando idololatriam ſuſtulit, ludorum omnium matrem; vnde hæc [c] vanitatis & leuitatis monſtra venerunt. Quod enim ſpectaculum ſine idolo? quis ludus ſine ſacrificio? quod certamen non conſecratum mortuo? [d] Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit; ſi idololatriam fugit, quid loquitur? qui iam ſanctus ſit, de rebus criminoſis voluptatem capit? Quid contra Deum ſuperſtitiones probat, quas amat dum ſpectat? Cæterùm ſciat hæc omnia inuenta dæmoniorum eſſe, non Dei. Impudenter in Eccleſia dæmonia exorcizat, quorum voluptates in ſpectaculis laudat: & cum ſemel illi renuntians, reciſa ſit res omnis in baptiſmate; dum poſt Chriſtum ad diaboli ſpectaculum vadit, Chriſto tamquam diabolo renuntiat. Idololatria, vt iam dixi, ludorum omnium mater eſt; quæ vt ad ſe Chriſtiani fideles veniant, blanditur illis per oculorum, & aurium voluptatem. Romulus Conſo quaſi conſilij Deo ob rapiendas Sabinas Circenſes primus conſecrauit. Cæterùm reliqui, dum vrbem fames occupaſſet, ad aduocationem populi acquiſiti ſunt ludi ſcœnici, & Cereri & Libero dicati poſtmodum, reliquiſque idolis, & mortuis. Græca illa certamina, vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus præſides ſuos habent varia dæmonia; & quicquid eſt aliud, quod ſpectantium aut oculos mouet, aut delinit aures; ſi cum origine ſua, & inſtitutione quæratur, cauſam præfert idolum, aut dæmonium, aut mortuum. Ita diabolus artifex quia idololatriam per ſe nudam ſciebat horreri, ſpectaculis miſcuit, vt per voluptatem poſſet amari. Plura proſequi quid eſt neceſſe? vel ſacrificiorum in ludis genera monſtruoſa deſcribere? inter quæ nonnumquam & homo fit hoſtia, latrocinio ſacerdotis, dum cruor etiam de iugulo calidus exceptus patera, dum adhuc feruet, & quaſi ſitienti idolo in faciem iactatus crudeliter propinatur; & inter voluptates ſpectantium quorumdam mors erogatur, vt per cruentum ſpectaculum ſæuire diſcatur: quaſi parum ſit homini priuata ſua rabies, niſi illam & publicè diſcat. Ad pœnam hominis fera rabida nutritur in delicijs, vt ſub ſpectantium oculis crudeliùs inſaniat: erudit artifex belluam, quæ clementior fortaſsè fuiſſet ſi non illam magiſter crudeliùs ſæuire docuiſſet. ergo vt taceam quicquid latiùs idololatria probat; quàm vana ſunt ipſa certamina, lites in coloribus, contentiones in curribus, gaudere quod equus velocior fuerit, mœrere quod pigrior, annos pecoris computare, conſules noſſe, ætates diſcere, proſapiam deſignare, auos ipſos, atauoſque commemorare: quàm hoc totum otioſum negotium? immò quàm turpiter non otioſum? hunc inquam, memoriter totam equini generis ſobolem computantem, & ſine offenſa hunc locum magna velocitate referentem? Partes Chriſtiani ſi perroges, neſcit; aut infelicior, ſi ſcit: quem ſi rurſum perrogem, quo ad illud ſpectaculum itinere peruenerit; confitebitur per lupanarium, per proſtitutarum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem laſciuiam, per communem omnium contumeliam. Cui vt non obiiciam quod fortaſsè commiſit, vidit tamen quod committendum non fuit, & oculos ad idololatriæ ſpectaculum per libidinem duxit; auſus ſecum Spiritum ſanctum in Lupanarium ducere ſi potuiſſet; qui feſtinans ad ſpectaculum, [e] dimiſſus, & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet, Euchariſtiam inter corpora obſcœna meretricum tulit; plus damnationis meritus de ſpectaculi voluptate. Sed vt ad cœnæ iam ſales inuerecundos tranſitum faciam, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accuſare quæ fiunt: Agentium ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles iocos, paraſitos ſordidos; ipſos quoque patres-familias togatos, modò ſtupidos,

a *Nabla, æra, tympana, &c.* Quum hic enumeret varia inſtrumentorum muſicorum genera, malè habebat codex Manutij hoc loco *aras*, & paulò poſt *ara*, quod etiam addito aſteriſco ſatis ipſe indicauit. PAM.

b *Nam & plerumque in præceptis quædam vtiliùs tacentur.* Quod hic eleganter dicit Cæcilius habet à Magiſtro de ſpectacul. cap. 19. *Cæterùm abſit, vt de iſtius ſpectaculi auerſione diutiùs diſcat Chriſtianus: quamquam nemo hæc omnia pleniùs exprimere poteſt, niſi qui adhuc ſpectat. malo non implere quàm meminiſſe.* PRI.

c *Vanitatis & leuitatis monſtra.* Non ſemel hoc in opuſculo ſpectacula vanitatis nomine indigitantur. Lucianus vanitatem illam vocat *μανίας inſaniam* de gymnaſiis. *Idem.*

d *Quid inter hæc Chriſtianus fidelis.* Hæ voces ſæpiſſimè hic, ſenſus verò idem eſt apud Tertullianum capit. 25. de ſpectac. *Idem.*

e *Dimiſſus & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet, Euchariſtiam.* Manutius aſteriſcum addidit voci *dimiſſus*, quantùm ſuſpicor quod putaret locum mutilum: ſed conſtare facilè ſenſum deprehendent, qui aduerterint veterem Eccleſiæ morem, quo fideles dimiſſi, peracto iam ſacro, à Diacono exclamante *Ite miſſa eſt*, ſecum Euchariſtiam domum deportabant, de qua latiùs ſuprà lib. de Lapſis M S. habet *dimiſſus è Dominico.* PAM.

a *Puderis*

dos modò obſcœnos, in omnibus ſtolidos, certis nominibus inuerecundos. Et cùm nulli hominum aut generi, aut profeſſioni, , ab improbis iſto ſermone parcatur; ab omnibus tamen ad ſpectaculum conuenitur. commune dedecus delectat, videlicet, vel recognoſcere otia vel diſcere: concurritur in illud [a] pudoris publici lupanarium, ad obſcœnitatis magiſterium, ne quid ſecreto minus agatur, quàm quod in publico diſcitur; & inter ipſas leges docetur, quicquid legibus interdicetur. Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit? cui vitia non licet nec cogitare, quid oblectatur ſimulacris libidinis, vt in ipſis depoſita verecundia audacior fiat ad crimina? [b] Diſcit facere dum conſueſcit videre. Illas tamen, quas infelicitas ſua in ſeruitutem proſtituit, libidinis publicæ occultat locus; & dedecus ſuum de latebris conſolantur, erubeſcunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt. At iſtud publicum monſtrum omnibus videntibus geritur, & proſtitutarum tranſitur obſcœnitas: quæſitum eſt quo modo adulterium ex oculis admitteretur. Hinc dedecori condignum dedecus ſuperducitur, homo fractus omnibus membris, & vir vltra muliebrem molitiem diſſolutus, cui ars ſit [c] verba manibus expedire; & propter vnum neſcio quem, nec virum, nec feminam, commouetur ciuitas tota, vt deſaltentur fabuloſæ antiquitatum libidines. Ita amatur quicquid non licet, vt quæ etiam ætas abſconderat, ſub oculorum memoriam reducantur; non eſt libidini ſatis, malis ſuis vti præſentibus, niſi ſuum de ſpectaculo faciat, in quo etiam ſuperior ætas errauerat. Non licet inquam adeſſe Chriſtianis fidelibus, non licet omninò; nec illis, quos ad oblectamenta aurium ad omnes vbique Græcia inſtructos ſuis vanis artibus mittit: clangores tuba bellicos alter imitatur raucos; alter lugubres ſonos ſpiritu tibiam inflante moderatur; alter cum choris, & cum hominis canora voce, contendens ſpiritu ſuo, quem de viſceribus ſuis ſuperioribus nitens hauſerat, tibiarum foramina modulans; nunc effuſo, & nunc intus recluſo, ac repreſſo, nunc certis foraminibus emiſſo, atque in aerem profuſo, item in articulos ſonum frangens, loqui digitis elaborat; ingratus artifici qui linguam dedit. Quid loquar comicas & inutiles curas? quid illas magnas Tragicæ vocis inſanias? quid neruos cum clamore miſſos? Hæc etiam ſi non eſſent ſimulachris dicata, obeunda tamen, & ſpectanda non eſſent Chriſtianis fidelibus; quæ etſi non haberent crimen, habent in ſe & maximam & parum congruentem fidelibus vnitatem: nam illa altera dementia eſt manifeſta otioſis hominibus negotiatio ſua, vt vapulet; & prima victoria eſt vltra modum humani ventris eſurire potuiſſe ſuper titulo coronæ edacis flagitioſæ nundinæ; ictibus infelix facies locatur, vt infelicior venter ſaginetur. Quam fœda prætereà iſta luctamina? vir infra virum iacens, & amplexus inhoneſtis nexibus implicatur. In tali certamine ſtare (videris quis vincat) pudor victus eſt. Ecce tibi alter nudus ſalit, alter orbem æneum contentis in aerem viribus iactat, hæc gloria eſt dementiæ: denique remoue ſpectatorem, reddideris vanitatem. Fugienda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, vt iam frequenter diximus, tam vana, tam pernicioſa, tam ſacrilega ſpectacula: & oculi noſtris ſunt, & aures cuſtodiendæ. citò in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Nam cùm mens hominis ad vitia ipſa ducatur; ſibi quid faciet, ſi habuerit exempla naturæ corporis lubricæ? quæ ſponte corruit; quid faciet, ſi fuerit impulſa? Auocandus eſt animus ab iſtis. Habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit; habet veras, & profuturas voluptates, ſi ſe recollegerit: & vt omittam illa, quæ nondum contemplari poteſt, habet iſtam mundi pulchritudinem, quam videat, atque miretur; ſolis ortum aſpiciat, rurſus occaſum mutuis vicibus dies, noctéſque reuocantem: globum Lunæ, temporum curſus incrementis ſuis, decrementiſque ſignantem; aſtrorum micantium choros, & à ſummo de ſumma mobilitate fulgentes; anni totius per vices membra diuiſa, & dies ipſos cum noctibus per hrarum ſpatia digeſtos; & terræ molem libratam cum montibus; & proflua flumina cum ſuis fontibus; extenſa maria cum ſuis fluctibus, atque littoribus: Interim conſtantem pariter ſumma conſpiratione nexibuſque concordiæ; extenſum aerem medium, tenuitate ſua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem nunc ſerenitatem refecta raritate reuocantem; & in omnibus iſtis incolas proprios, in aëre auem, in aquis piſcem, & in terra hominem. hæc inquam, & alia opera diuina, ſint Chriſtianis fidelibus ſpectacula. Quod theatrum humanis manibus extructum iſtis operibus poterit comparari? magnis licet lapidum molibus extruatur, cruſta ſunt montium; & auro licet tecta lacunaria reluceant; aſtrorum fulgore vincentur: numquam humana opera mirabitúr, quiſquis ſe cognouerit filium Dei. Deiicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt. Scripturis inquam ſacris incumbat Chriſtianus fidelis; ibi inueniet condigna fidei ſpectacula. Videbit inſtituentem Deum mundum ſuum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem: ſpectabit mundum in delictis ſuis: iuſta naufragia, piorum præmia, impiorúmque ſupplicia; maria populo ſiccata; & de petra rurſus populo maria porrecta: ſpectabit de cælo deſcendentes

a *Pudoris publici lupanarium.* Impuritas ſpectaculorum & turpitudo ſatis reuelatur & confoditur, quod etiam à Magiſtro factum cap. 17. de ſpect. Pri.

b *Diſcit facere dum conſueſcit videre.* B. Chryſoſtomus hom. 3. de pœnit. ἐθεώρησας, εἰργάσω ἁμαρτίαν, αἰχμάλωτος ἐγένου τῆς πόρνης. *Spectaſti, crimen admiſiſti, & meretricis captiuus factus es.* S. Auguſtinus lib. 3. confeſſ. *Rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum & fomitibus ignis mei. Idem.*

c *Verba manibus expedire* Alio hic in loco ait, *loqui digitis laborat.* Lucianus de ſaltat. ἀκούω ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. *Intelligo ô homuncio, quid facis, non modò video, ſed manibus ipſis loqui mihi videris.* Pri.

tes meſſes, non ex areis: inſpiciet flumina tranſitus ſiccos refrænatis aquarum agminibus exhibentia: videbit in quibuſdam fidem cum igne luctantem; religione ſuperatas feras, & in manſuetudinem conuerſas: intuebitur & animas ab ipſa morte reuocatas: conſiderabit etiam de ſepulchris admirabiles ipſorum conſummatorum iam vitas corporum redactas: & in his omnibus iam maius videbit ſpectaculum, diabolum illum qui totum detriumphauerat mundum, ſub pedibus Chriſti iacentem. Quàm hoc decorum ſpectaculum fratres? quàm iucundum? quàm neceſſarium? intueri ſemper ſpem ſuam, & oculos aperire ad ſalutem ſuam. Hoc eſt ſpectaculum quod videtur etiam luminibus amiſſis; hoc eſt ſpectaculum, quod non exhibet prætor, aut conſul, ſed qui eſt ſolus, & ante omnia, & ſuper omnia, immò ex quo omnia, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui laus & honor in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE DISCIPLINA ET BONO PVDICITIÆ.

ALiquas officiorum meorum partes non eſtimo prætériſſe, dum ſemper enitor, vel maximè quotidianis Euangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei & ſcientiæ per Dominum incrementa præſtare. Quid enim aliud in Eccleſia Domini vtiliùs geri, quid accommodatius officio Epiſcopi poteſt inueniri; quàm vt doctrina diuinorum per ipſum inſinuata collataque verborum, poſſint credentes ad repromiſſum regnum peruenire cælorum? Hoc certè mei, & operis & muneris, quotidianum votiuum negotium, abſens licet obtinere connitor, & per litteras præſentiam meam vobis reddere conor. Dum vos ſolito more allocutionibus miſſis in fide interpello, ideò conuenio, vt Euangelicæ radicis firmitate ſolidati, aduerſus omnia diaboli prælia ſtetis ſemper armati. [a] Abſentem me non credam, ſi fuero ſecurus. [b] Verumtamen omnia quæ vtiliter proferuntur, & æternæ vitæ ſtatum tractantibus vel definiunt, vel promittunt; ita demum fructuoſa ſunt, ſi ad emolumentum operis diuinæ indulgentiæ viribus adiuuentur. Non ſolùm proferimus verba quæ de ſcripturarum ſacris fontibus veniunt, ſed cum ipſis verbis preces ad Dominum, & vota ſociamus, vt tam nobis quàm vobis, & ſacramentorum ſuorum theſauros aperiat, & vires [c] ad implenda quæ cognoſcimus, tribuat. Periculum enim maius eſt voluntatem Domini cognouiſſe, & in Dei voluntatis opere ceſſaſſe. Quamuis ergo ad multa vos negotia ad diuinæ monitionis præcepta, ſemper vt ſcitis exhorter (quid enim mihi aliud votiuum aut maius poteſt eſſe, quàm vt per omnia perfecti ſtetis in Domino) tamen vt præcipuæ pudicitiæ clauſtra teneatis (quod & facitis) admoneo: ſcientes templum eſſe vos Domini, membra Chriſti, habitationem Spiritus ſancti, electos ad ſpem, conſecratos ad fidem, deſtinatos ad ſalutem, filios Dei, fratres Chriſti, conſortes Spiritus ſancti, nihil iam carni debentes, quaſi renatos ex aqua & pudicitia, [d] præter voluntatem, quam velle debemus vt noſtra ſit: præſtetur etiam propter redemptionem. vt corrumpi non poſſit, [e] quæ à Chriſto conſecrata ſit. Nam ſi Apoſtolus Eccleſiam ſponſam Chriſti pronunciat: oro vos quanta pudicitia exigitur, vbi Eccleſia inter matrimonia ſponſa virgo præſtetur? Et ego quidem, niſi quod breuiter vos admonere propoſui, latiſſimas ſatis puto, & locupletes pudicitiæ laudes proferre potui: ſed ſuperuacuum duxi laudare eam diutiùs apud colentes. Vos enim illam ornatis dum geritis, & plures eius laudes exercendo profertis; facti eius ornamentum, dum & illa veſtrûm eſt, mutuo decore inuicem fenerando. Illa vobis diſciplinam bonorum ſuggerit morum, vos illi miniſterium præſtatis operum ſanctorum. Nam & illa quantum & quid poſſit, per vos apparuit, & quid vos velitis, ipſa demonſtrauit, & docuit; copulatis in vnum duobus bonis mandatorum & rerum, ne quid mutilum videretur, ſi aut præcepta miniſteriis, præceptis miniſteria defuiſſent. Pudicitia eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia ſollicita non eſt cui placeat niſi ſibi: Pudicitia ſemper verecunda, dum innocentiæ mater eſt: Pudicitia ſemper ornatur ſolo pudore, benè ſibi tunc conſcia de pulchritudine, ſi improbis diſplicet: Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat Domino, connectit Chriſto: hæc expugnat omnia de membris illicita deſideriorum prœlia, pacem noſtris corporibus inducit: beata ipſa, & beatos efficiens apud quoſcumque habitare dignatur, quam numquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum illam multò magis mirantur, qui eam expugnare non poſſunt. Sed vt matura & in viris probata ſemper, & à feminis appetenda: ſic inimica eius impudicitia ſemper eſt deteſtanda; obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis,

a *Abſentem me non credam.* Ita Grauius ad marginem & M S. pro: *non credo.* PAM.

b *Verumtamen omnia quæ vtiliter proferuntur.* Hoc ex iiſdem Grau. & M S. pro eo quod alij *proferunt*; Non placet autem quod habet ſolus Manutius: *viriliter. Idem.*

c *Ad implenda quæ cognoſcimus.* Hanc coniecturam Eraſmi ſequuntur Grauius, Manutius, & Morellius, poterat nomen *quæque* accipi pro *quæcumque*, præſertim quum ſic legant etiam M S. *Idem.*

d *Præter voluntatem quam velle debemus vt noſtra ſit.* Ex Coſterio habeo, *vt*, pro *&*, adhuc tamen totus locus obſcurus eſt. M S. cod. *& in noſtra ſit.* ſed non placet. *Idem.*

e *Quæ à Chriſto conſecrata ſit.* Hic iterùm Coſterius: *quia Chriſto.* ſed vel Eraſmo teſte, ille ſenſus conſtat, & ſic legunt etiam M S. cod. *Idem.*

ſuis, nec corporibus parcens nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem ſuum ſub triumphum libidinis mittit: blanda prius, vt plus noceat dum placet; exhauriens rem cum pudore; hoſtis continentiæ, frequenter perueniens ad ſanguinem cupiditatum infeſta rabies, incendium conſcientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans ſanguinis & familiæ fidem, alienis affectibus ſuos inſerens filios, in aliena teſtamenta ſobolem ignoti & corrupti generis inducens. Quæ plerumque extra ſexum ardens, dum ſe non continet intra conceſſa, parum ſibi putat ſatisfactum, niſi in virorum quoque corporibus non voluptatum nouam quærat, ſed extraordinaria & portentoſa contra ipſam naturam ex viris per viros monſtra conquirat. Sed enim pudicitia locum primum in virginibus tenet, ſecundum in continentibus, tertium in matrimoniis. Verùm in omnibus glorioſa eſt cum gradibus ſuis. Nam & matrimoniorum fidem tenere laus eſt, inter tot corporis bella; & matrimonio de continentia modum ſtatuiſſe, maioris virtutis eſt, dum etiam licita reiiciuntur. Certè ex vtero ſanctitatem cuſtodiſſe, & infantem ſe vſque in ſenectutem in ſua ætate tota tenuiſſe admirandæ vtique potentiæ eſt: niſi quod blandas corporis leges non noſſe, magis felicitatis eſt, notas iam viciſſe, virtutis eſt: ſic tamen vt & virtus iſta de dono Dei veniat, licet ſe in membris hominibus oſtendat. Pudicitiæ, fratres, antiqua præcepta ſunt. Quare antiqua dico? quia cum ipſis hominibus inſtituta ſunt. Nam & ideò vir ſuus feminæ eſt, vt præter eumdem alterum neſciat, & ideò viro reddita eſt mulier, vt ſubiecto quod fuerat ei proprium, nihil requirat alienum. Sic & duo, inquit, erunt in carne vna, vt in vnum redeat, quod vnum fuerat, ne ſeparatio ſine redditu occaſionem præſtet alterius. Inde & Apoſtolus: Caput mulieris pronuntiauit virum, vt coniunctione duorum pudicitiam probaret. Nam vt alterius caput membris aptum non poteſt eſſe, ita & alieno capiti membra non ſua: caput enim ſuis conuenit membris, & membra capiti ſuo; vtraque naturali fibula in concordia mutua cohærent, ne qua Oriente diſcordia de diuiſione membrorum pactum diuini fœderis rumperetur. Addit tamen & dicit: Quoniam qui vxorem ſuam diligit, ſe ipſum diligit. Nemo enim carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Charitatis cum pudicitia ex hoc magna præſcriptio, ſi vxores diligendæ ſunt à viris ſuis ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam; & ita vxores maritos debent diligere, vt Eccleſia diligit Chriſtum. Hanc ſententiam Chriſtus quando vxorem dimitti non niſi ob adulterium dixit: interrogatus, tantum honorem pudicitiæ dedit. Hinc nata eſt illa ſententia: Adulteras non ſinetis viuere. Hinc Apoſtolus dicit: Hæc eſt voluntas Dei, vt abſtineatis vos à fornicatione. Hinc & illud dicit: Membra Chriſti, membris meretricis non eſſe iungenda. Hinc traditur ſatanæ in interitum carnis, qui proculcato iure pudicitiæ, vitia carnis exercet. Hinc meritò regnum cælorum non tenent adulteri; hinc eſt omne peccatum extra corpus eſſe, ſolum adulterum peccare in ſuum corpus: hinc cæteræ præceptorum auctoritates, quas nunc recolere omnes non eſt neceſſe, apud vos præſertim qui illas noſtis frequenter & facitis; quæ licet deſcripta non ſint, queruli tamen de his non poteſtis eſſe. [a] Adulter enim non habet excuſationem, aut habere potuit; quia ducere licebat vxorem. Sed ſicut matronis iura præſcripta ſunt, [b] quæ ita ſunt nexæ, vt diuelli inde non poſſint. Virginitas verò & continentia extra ius omne ſunt; nihil ad virginitatem de matrimoniorum legibus pertinet, altitudine ſua tranſcendit omnes. Si vlla praua hominum leges auſa ſupergredi conantur, virginitas æquat ſe Angelis: ſi verò exquiramus, etiam excedit; dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud eſt quàm futuræ vitæ glorioſa meditatio? [c] Virginitas neutri ſexus eſt: virginitas eſt perſeuerans infantia: virginitas eſt voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, ſed quod plus eſt, filiorum contemptum habet: non habet fecunditatem, ſed non habet orbitatem: felix quod eſt extra partus dolorem, felicior autem quod eſt extra funerum filiorum calamitatem. Virginitas quid eſt aliud quàm ſoluta libertas? maritum non habet dominum; virginitas affectationibus omnibus ſoluta eſt. Non matrimoniis eſt dicata, non ſæculo, non liberis. Perſecutionem non poteſt timere, dum illam de ſecuritate poteſt prouocare. Sed quia pudicitiæ nobis breuiter ſunt expoſita præcepta, iam pudicitiæ ponamus exemplum. Plus enim proficitur, cùm in rem præſentem venitur: nec de virtute dubitabitur, quando quod præcipitur, exemplis etiam ſignatur. Exemplum pudicitiæ à Ioſeph cœpit. Adoleſcens Hebræus generoſus de patre, generoſior de innocentia, ob inuidiam reuelationum diſtractus à fratribus Iſmaëlitis, in domum deuenerat hominis Ægyptij; obſequio & innocentia & tota ſeruitutis fide facilem & beneuolum in ſe animum ſui prouocauerat domini, cuius faciem tam ſermo liberalis, quàm ætas omnibus commenda-

uerat.

a *Adulter enim non habet excuſationem.* Hoc rurſum ex Tertull. de Pudicitia, non procul ab initio, referens ad excuſationem peccati, quod ille malè iuxta ſuum errorem ad excuſationem veniat. PAM.

b *Quæ ita ſunt nexa, vt diuelli inde non poſſint.* Locus pro matrimonij indiſſolubilitate. Eſt autem locus ille mutilus, quod etiam aſteriſco adnotauit Manutius. Proſequuntur quidam codices MS. alia diſtinctione quæ ſequuntur, in hunc modum. *altitudine ſua tranſcendit omnes. Si vlla praua hominum leges auſa ſupergredi conantur, virginitas æquat ſe Angelis Dei.* ſed neo ſic ſatisfaciunt. *Idem.*

c *Virginitas neutri ſexus eſt.* Grauius ad marginem, & codex S. Pantaleonis *neuter*, ſed prius placet. *Idem.*

uerat. Sed iſta generoſitas ab vxore Domini aliter quam decebat accepta eſt: in domus parte ſecreta, & ſine arbitris, alta & facinoribus accommoda; putauit ſed pudicitiam adoleſcentis incontinens mulieris impudicitia, nunc promiſſis, nunc minis poſſe ſuperare. Et cùm retentus eſt veſtibus, eò quòd molitetur fugam, propter tanti facinoris audaciam ipſas veſtes relinquens, & corporis nudi ſinceritatem habiturus innocentiæ teſtem; a ad crimen impudicitiæ ſuæ imprudens mulier adiicere non dubitauit calumniam: & cæteris & marito, ſqualida & feruens, ſpreto deſiderio ſuo, conqueſta eſt dolore ſimulato, quod Hebræus adoleſcens vim ſibi molitus fuiſſet inferre, quam ipſa conata fuerat irrogare. Maritalis ardor rerum inſcius, & vxoris accuſatione grauiter inflammatus incenditur. Pudicus verò iuuenis, quia delicto conſcientiam non miſcuit, in imum carceris truditur. Sed ſola non eſt in carcere pudicitia: nam eſt cum Ioſeph Deus, & nocentes dantur in manu eius, quia innocens fuerat. Somniorum præterea obſcura diſſoluit, quia ſpiritus in tentatione vigilabat; & per dominum liberatur à vinculis. b Qui in domo minor cum periculo fuerat; regiæ domus ſine periculo dominus effectus eſt: generoſitati ſuæ redditus, fructum pudicitiæ & innocentiæ, Deo iudice, à quo meruerat, accepit. Sed non minus ex parte diuerſa, aliud nobis pudicitiæ ſimile de continentia feminarum exoritur exemplum. Fuit, vt legimus, Suſanna filia Helciæ, vxor Ioachim pulcherrima, pulchrior moribus. Hanc nullum ad dedecorem commendabat ſpecies, ſimplex enim erat. Excoluerat pudicitia, & cum pudicitia ſola natura. Hanc & ſenioribus duo cœperant deperire, nihil memores nec diuini timoris, ſed nec ſuæ annis iam marceſcentis ætatis; ita illos in flagrantia tranſactæ iuuentutis incendia, rediuiuæ libidinis flamma reuocabat: Pudicitiæ latrones amorem profitentur, ſed oderant. Reſiſtenti minantur calumnias, adulterij ſe dicunt accuſatores, voto adulteri. Inter duos libidinis ſcopulos auxilium de Domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudiuit de cælo clamantem ad ſe pudicitiam Dominus; & cùm iniquitate oppreſſa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictam. Bis victrix, & in periculo ſuo tam funeſtè totiens conſepta, & libidinem euaſit, & mortem. Infinitum erit ſi exempla proſequar plura: his duobus contentus ſum, præſertim cùm omnibus ſit viribus per iſtos pudicitia defenſat. Non illos emollire potuit in vita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciuiæ eſt miniſtra: non decor corporis, & apte poſitorum figura membrorum, quæ ſuggerit plerumque c vt quaſi flos quidam, properans velociter tranſituræ ætatis, porrecta voluptatis occaſione paſcatur: non anni primi virentis, ſed maioris ætatis; cum rudis adhuc ſanguis æſtuans, naturæ flammas accendat, & in medullis verſata cæca incendia ad remedium verum etiam per periculum pudoris itura: non vlla latebrarum & ſine vllo conſcio, quæ tuta quibuſdam putatur, occaſio; quæ maxima vis eſt admittendi ſceleris, cum deliberationibus occurrit impunitas. Non poſita neceſſitas de auctoritate iubentium, & in temeritate participum atque ſociorum; quo genere franguntur etiam ſæpè recta conſilia. Non præmia ipſa & bonitas, non accuſationes, non minæ, non pœnæ, non mortes; nihil tam ſæuum, tam durum, tam triſte, quàm cecidiſſe de alto pudicitiæ gradu. Digni tanto iudicis diuini præmio, quorum alter regio pænè throno illuſtraretur, altera concordia mariti dotata inimicorum mortibus redimeretur. Hæc ſunt & his ſimilia ſemper nobis ante oculos exempla ponenda, his paria diebus noctibuſque meditanda.

Nihil animum fidelem ſic delectat, quam integra immaculati pudoris conſcientia. Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima: nec vlla maior eſt victoria, quàm ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed altero; qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit: qui inimicum proſtrauit, externum hoſtem percuſſit; qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperauit. Malum omne facilius vincitur quàm voluptas: quia illud quicquid eſt, horridum eſt; hoc blandum eſt. Nihil tam difficile opprimitur, quàm quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit, nam ex cupiditatibus metus veniunt. Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat: qui cupiditates vincit, malum generis humani ſub pedibus ſuis iacere oſtendit: qui cupiditates vicit, pacem ſibi perpetuam dedit: qui cupiditates vicit, libertatem ſibi, quod etiam ingenuis difficillimum, reddit. Meditanda ergo nobis, fratres, vt res docent: ſemper pudcitia, quo facilior ſit, nullis artibus conſtat. d Quæ enim illa conſummata voluntas, quæ niſi impediretur, longè eſt, ſed noſtra eſt: ita non eſt acquirenda, ſed fouenda quæ noſtra eſt. Quid enim eſt aliud pudicitia, quàm mens honeſta ad cuſtodiam corporis data; vt ſexibus redditus pudor, ſeueritate ſignatus, fidem honoris de incorrupta ſobole ſeruaret? Pudicitiæ autem, fratres, competunt & cogniti ſunt in primis diuinus pudor, & præceptorum ſancta meditatio, & animus propenſus ad fidem, & mens attonita ad ſacram religionem: e deinde videre, ne quid in ſe vltra modum ſculptum, vl-

tra

a *Ad crimen impudicitia.* Optimè ſic MS. codices, pro *pudicitia.* PAM.

b *Qui in domo minor.* Rectè etiam hoc MS. codices pro *minore*, neque enim in minori, ſed in maiori erat periculo ibi Ioſeph. *Idem.*

c *Vt quaſi flos quidam properans velociter tranſitura ætatis.* Pulchrè ſic reſtituit hunc locum Granius, pro eo quod alii legunt *quaſi flos quidam properans velociter tranſire ætatis.* Nam & conſentiunt MS. codices, qui etiam legunt *porrecta*, pro eo quòd alii *porrecta.* *Idem.*

d *Quæ enim conſummata illa voluntas.* Granius in margine *voluptas*; ſed neque hoc perſpicuum locum reddit. *Idem.*

e *Deinde videre nequid in ſe vltra modum ſculptum.* Hæc ex initio mutuatus eſt libri Tertull. de cultu Fœm. vbi docet etiam in cultu conſiſtere pudicitiam, quod ipſum ſuprà tractauit lib. de diſcipl. & hab. virg. Cyprianus vbi

tra honeſtatem productum, ne quid proditum, ne quid arte fucatum, ne quid ad irritandos, aut redintegrandos dolos lenocinatum. Non eſt pudica quæ affectat animum alterius mouere, etiam ſalua corporis caſtitate. Longè abſint quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur. Nam ſollicitudo de pulchritudine, & malæ mentis iudicium & deformitatis eſt. Sit natura corporis libera, nec diuinis operibus inferatur vis. Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet qualis eſt. Quid capillorum mutatur color? a quid oculorum extremitates ſuffuſcantur? quid facies artibus in diuerſam formam conuertitur? quid poſtremò ſpeculum conſulitur, niſi quia ne ipſa ſit timetur? Cultus etiam mulieris pudicæ pudicus ſit: adulterium fidelis nec in coloribus nouerit. Veſtibus aurum intexere, quaſi pretio eſt veſtes corrumpere. Quid inter fila ſtaminum delicata, rigida faciunt metalla? niſi vt fluentes humeros premant, & luxuriam infeliciter animi iactantis oſtendant? Quid cum ceruices peregrinis lapidibus vrgentur, & abſconduntur? Quorum pretia etiam ſine artibus b Kalendarium cuiuſuis excedunt? Non ornatur mulier, ſed vitia mulieris oſtenduntur. Quid cum digiti tali auro onerati, nec intrare poſſunt, nec egredi? vtrum vſus expoſcitur, an patrimoniorum inanis pompa monſtratur? Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris. Sed vt repetam quæ cœperam, colenda ſemper pudicitia viris & feminis, omni cuſtodia ſeruanda eſt intra limites ſuos. Citò natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam ſecum caro, quæ ſemper in lapſu eſt. Sub prætextu quippe naturæ quæ homines ſemper vrget ad affectus, quibus ruinæ collapſi generis reſarciuntur; blandimento voluptatis fallens, non ducit ad continentiam legitimæ coniunctionis ſobolem, ſed iactat in crimen. Ergo contra has carnis inſidias, quibus ſe diabolus & ſocium ingerit & ducem facit, obluctandum eſt omni genere virtutis. Aſſumantur ſecundùm Apoſtolum Chriſti opera, & a conſortio carnis quantum poteſt animus colligatur: ſeparetur conſenſus à corpore, vitia ſemper caſtigentur vt odiantur: Ante oculos obuerſetur; deformis eſſe atque deiectus peccati pudor: Pœnitentia ipſa cum luctibus ſuis commiſſorum criminum inhoneſta conteſtatio eſt. Nihil conſideretur curioſè in alienis vultibus? ſermo & breuis ſit, & ſobrius riſus, ſignum eſt enim animi facilis & remiſſi: nam contractus recedat etiam honeſtus: nihil corpori liceat, vbi vitandum eſt corporis vitium. Cogitetur quàm honeſtum, ſit viciſſe dedecus, quàm inhoneſtum victum eſſe dedecore. Dicendum etiam, quod adulterium voluptas non eſt, ſed mutua contumelia: nec delectare poteſt, quod & animam interficiat & pudorem. Coerceat animus ſtimulos carnis, refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, vt illi ad imperium eius membra ſeruirent: & quaſi legitimus ac perfectus auriga, vltra conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus, cæleſtium præceptorum habenis reflectat; ne vltra terminos ſuos currus iſte corporis raptus in periculum ſuum ſecum & ipſum rapiat aurigam. Sed inter hæc, immò & ante hæc, contra turbas & vitia omnia de diuinis caſtris auxilium petendum eſt: ſolus enim potens eſt Deus qui homines dignatus eſt facere, & plena hominibus auxilia præſtare. Ego pauca dictaui, quoniam non eſt propoſitum volumen ſcribere, ſed allocutionem tranſmittere. Vos ſcripturas aſpicite, exempla vobis de ipſis præceptis huius rei maiora conquirite. Fratres chariſſimi, bene valete.

DE

latius de ſimilibus Tertulliani locis. Atqui rectè Eraſmus coniecit legendum: *lenocinatur* pro *lenocinantium*. PAM.

a *Quid oculorum extremitates ſuffuſcentur.* Ita cenſet legendum Eraſmus, pro eo quòd habebat vetus excuſus codex, *ſuffocantur*, eo quod, inquit, ſtibio nigror oculis addi ſoleat: verùm ſi legatur *ſuffucantur*, aut *ſucantur*, accedet magis ad illud Cypriani libro cit. *oculos circumducto nigrore ſucare. Idem.*

b *Kalendarium cuiuſuis excedunt.* Similiter Tertullianus de habitu muliebri Vno lino decies ſeſtertium inſumitur, ſaltus & inſulas tenera ceruix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & in ſiniſtra per ſingulos digitos de ſingulis ſaccis ludit: & ſeipſum explicans, hæ ſunt vires, inquit, ambitionis tantarum vſurarum ſubſtantiam vno & muliebri corpuſculo baiulare kalendarium enim ſeu kalendarii liber (vt nuncupatur à Seneca epiſt. 88.) & tabulas domeſticas ſignificat, quibus adnotantur, quæ in ſingulos menſes accipiuntur, & eas in quibus proſcriptæ erant vſuræ ad kalendas exigendæ, ſicut rectè adnotaui. Rhenanus: Vlpianus enim & Africanus Iuriſconſulti, poſteriori hac ſignificatione vtuntur. Quare non eſt neceſſe confugere ad coniecturam Eraſmi, vt legatur *cilindrorum onus excedunt.*

DE LAVDE MARTYRII AD MOYSEN, ET MAXIMVM, & cæteros confeſſores.

ETSI incongruens eſt, fratres chariſſimi, in hoc fauore dicendi aliquid trepidationis adferre, minimèque deceat gloriam tantæ deuotionis infringere, ex eo quod fatear me cæpiſſe dubitare: tamen identidem dico, ipſa animum deliberatione confringi; qui exequendæ laudis cupiditate ſuccenditur, & à loquendo magnitudine virtutis inhibetur: cum aut non deceat tacere, aut periculoſum ſit parum dicere; niſi quod hæc æſtuanti res ſola ſubuenit, quod videatur ei facilè ignoſci poſſe, qui non timuit audere. Quam ob rem chariſſimi fratres, tot tantiſque rebus etſi potentia rei oneratur facultas ingenii, vt quantum ſe in exprimenda martyrii dignitate protulerit, tantum ipſo pondere laudis oppreſſa, atque æſtimatione rerum omnium, de quibus cum maximè loquitur, debilitata ac fracta, intra ſe ipſa illaqueata oratione de-

ficiat; nec habenis liberis ac ſolutis in apertum ſermonis eloquium vim tantæ laudis expromat; tamen erit aliqua, niſi fallor, in eloquendo facultas, quæ ipſius operis oratione munita [a] largè fundat, [b] quod à dicendo impar ingenij conſcientia ſubmoueat. Cum igitur, fratres chariſſimi, tot tantiſque rebus impliciti, ad comprobandos ſalutis eximios pulcherrimoſque prouentus, omni ſtudio ac labore nitamur; non vereor, ne quo ignauiæ metu territus vel reuocer, vel extinguar: cum ſi quis ad id voluerit, de quo agimus, intueri, ſpe deuotionis expenſa, atque ipſa eius magnitudine ponderata, magis miretur audere potuiſſe, in quo me poſitum & amplitudo rei premeret, & confuſam gaudio mentem in anguſtias animi voti ſui feruor vrgeret. Nam & quis eſt, quem non iſta res terreat? quis, quem non admirationis ſuæ pauore ſubuertat? Eſt enim profectò, niſi fallor, etiam in ipſo conſcientiæ robore admiranda formido, quæ nos exagitet pariter & inflammet. Cuius quantò penitiùs inſpexeris poteſtatem, tantò ex ipſo venerandæ claritatis aſpectu religionis ſuæ præmittat horrorem. Conſiderare enim vtique debetis, [c] quantæ ſit gloriæ, vitæ quamlibet maculam, & ſordes polluti corporis, & longa vitiorum tabe concreta contagia, tantóque temporis tractu mundi crimen exceptum, vnius ictus remediis expiare: quo & augeri merces, & crimen poſſit excludi. Vnde omnis conſummatio & ſtatus vitæ in martyrio eſt collocatus. Hoc fundamentum vitæ & fidei, hoc præſidium ſalutis, hoc vinculum libertatis & honoris: & quamuis ſint & alia per quæ adipiſci lux poſſit, tamen ad proximitatem muneris repromiſſi, pœnis meliùs patrocinantibus peruenitur. Quantæ enim ſit gloriæ ponderate, huius vitæ cupiditatibus, atque ab omni animum natura, mundique commercio ſegregatum, contra aduerſantis diſcrimen opponere, nec ſæuitiam torquentis horrere: animari hominem dolore, quo credatur extingui; & id ſibi in augmentum virtutis aſſumere, quod cruciatui putat prodeſſe, qui punit. Nam prædurantibus licet coſtis reſultans vngula recurrat in vulnus, & euntibus flagris cum auulſa corporis parte rediens habena ducatur; ſtat immobilis tamen pœnis ſuis fortior, hoc ſolùm ſecum ipſe conuoluens; quod in illa crudelitate carnificum, plus, pro quo patitur, Chriſtus, quàm ipſe patiatur. Nam quando, ſi negauerit Dominum, pro eo crimen ſubeat, pro quo viciſſe debeat; neceſſe eſt eum videri cuncta tolerare, cui victoria debetur & pœna. Igitur quoniam res ſumma martyrium eſt, tria ſunt quæ ex eo nobis propoſuimus eſſe dicenda: Quid ſit, quantum ſit, cui rei proſit. Quid eſt ergo martyrium? delictorum finis, periculi terminus, dux ſalutis, [d] iter patientiæ, magiſter domus vitæ quo profectò etiam ea occidunt, quæ in futuro diſcrimine potuiſſent tormenta reputari. Per hoc & teſtimonium nomini redditur, [e] & maieſtas nominis redampliatur; non quòd per ſe ipſa minui poſſit, vel de ſcelere tractantis magnitudo eius infringi, ſed quòd redundet ad gloriæ cumulum, dum circumſtrepentis populi terror impauidos animos dat dolori, & minis frendentis inuidiæ addit ad titulum: quòd tantùm ſibi mens creſcat in pugna, quantùm ſe ille putauerit vincere, per quem Chriſtus hominem voluerit coronare. Tunc ergo omne fidei robur expenditur, tunc crudelitas comprobatur, cùm in ſermones vulgi atque in opprobrium veneris: cùmque te contra illas populares inſanias religioſa mente firmaueris, conuincens ſcilicet ac repugnans, quidquid ſuper perſona tua in iniuriam Chriſti profanus ſermo iactauerit: vt cum aduerſo mari moles oppoſita reluctatur, feriant licet fluctus, & reuolutum æquor identidem pulſet; tamen hæret immobilis virtus, nec vndis circumſpumantibus adoperta ſuccumbit, donec per ſcopulos vis digeſta ſe ſupprimat, & ſuperiacens ſaxis in aperta litoris ſpatia victum æquor euadat. Quid enim eſt in illis aliud quàm ſermo vacuus, & inane colloquium, & inanium voluptas praua verborum? ſicut ſcriptum eſt: Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt. Grauatum eſt cor inſipiens eorum, ne quando conuertantur & ſanem illos. Non enim dubium eſt, quin hoc de omnibus dixerit, quorum dura mens ſemper, & obſtinata pectoris feritas, à deuotione vitali fugata diſſentit, ducente dementia, furore rapiente, omni denique illos immanitate vexante, qua inſtigantur pariter ac feruntur: vt cùm illis ad pœnam ſua facta ſufficerent, pœnam ipſam perſecutionis agitatæ crimen oneraret. Totum hoc in laudem martyrij ſpectat, totum gloriam paſſionis illuminat; in qua ſpes futuri temporis cernitur, in qua Chriſtus ipſe operatur, cuius aguntur exempla quæ petimus: cuius & virtus eſt, qua repugnamus. Et quia in hoc loco aliquid proferre ſuppetit, ſumma nimirum eſt iſta, atque admiranda dignatio, & quam nec mente concipere, nec verbis valeamus implere. Quid enim nobis ampliùs potuiſſet larga pietate largiri, quàm vt in ſe primus oſtenderet, quid in aliis coronaret? Mortalis

a *Largè fundat.* Iſtud habeo ex Affligin. cod. pro *vagè fundat*, adhuc tamen locus obſcurus eſt. PAM.

b *Quod à dicendo impar ingenij conſcientia ſubmouebat.* Cambronen. cod. *quod ad dicendum par ingenij conſcientia commoueat*, quam poſtremam vocem habent etiam vulgati exc. codices. *Idem.*

c *Quanta ſit gloriæ, vitæ quamlibet maculam, &c.* Cambr. codic. non malè, *quanta ſit gloria virtus, quam licet maculati cordis & polluti corporis licet modice iniuſta contagia.* Accedens propiùs ad corruptam Affligin. & exc. cod. lectionem: ſed prior placet magis. Confirmat verò Cambronenſis codex quod habent Manutius & Morelius: *ictus* pro *iſtu*. *Idem.*

d *Iter patientia, magiſter domus vita.* Hæc vtriuſque MS. lectio placet, eò quòd anteà, peruerſa tamen diſtinctione, legebatur in excuſis vulgatis, *iter patientia magiſter, domus vitæ*; alij omittunt vocem *iter* *Idem.*

e *Et maieſtas nominis redampliatur.* Huic etiam lectioni vulgat. conſentiunt MS. pro quo illi *ampliatur*. Similes voces reperiuntur: *recorporatio, redanimatio*, apud Tertul. lib. de reſurrect. carn. ſequentia certè illi rectè reſtituerunt. *Idem.*

talis factus eſt, vt immortales eſſe poſſemus: & humanæ ſortis exitum pertulit, per quem reguntur humana; vt nobis videretur præſtitiſſe quod paſſus eſt; confeſſionem tribuit, martyria ſubiecit: omnia denique quibus lux ſupprimi poſſet, in remedium ſalutare natiuitatis ſuæ meritis relegauit, humilitate præcipua, virtute diuina. Cuius rei quique digni eſſe meruerunt, caruerunt omni hac mundi teterrima labe, ſubactæ mortis conditionem vicerunt. Non enim dubium eſt quantum à Domino conſequantur, qui ſaluti ſuæ nomen Dei prætulerunt; vt in illa iudicii die meliores cruor faceret, [a] quos ſanguis ſuus matyres eſſe monſtraret. Mors quippe integriorem facit vitam, mors magis deducit ad gloriam. [b] Sic quotieſcumque iacentibus ſtipulis diſtenta imbribus frumenta turgeſcunt, fecundæ meſſes coguntur æſtate: ſic quotiens ferro viris abſcinditur erumpentibus pampinis, melius vua veſtitur; nam in & augmentum prouenturi temporis cedit, quidquid iniuria ſua proficit. [c] Flammas quippe plerumque agris iuuit immittere, quo calore vagantis incendii cœca terræ ſpiramenta laxentur: iuuit leues ſtipulas crepitanti igne torrere, vt ſe altius grauida ſeges tollere, parturientibus culmis denſior ariſta valeat florere. Igitur talis & martyrii primo caſus, poſtmodum fructus eſt, qui morte vitam condemnat, vt vitam morte cuſtodiat. Quid enim tam eximium atque ſublime eſt, quàm inter tot inſtrumenta carnificum deuotione robuſta cunctam fidei reſeruare virtutem? quid tam magnum atque pulcherrimum, quàm inter tot circumſtantium gladios, libertatis ſuæ Dominum ac ſalutis auctorem, repetita ſæpiùs voce profiteri? & maximè ſi ante oculos tuos ponas, nihil deteſtabilius eſſe dedecore, nihil fœdius ſeruitute, nihil aliud te debere iam petere, aliud optare, quàm eripiendum eſſe cladibus ſæculi, exuendum malis mundi, & inter ruinas orbis iam iamque perituri, alienum à terrena contagione verſari? Quid enim tibi cum hac luce, cui lux æterna promiſſa eſt? quid cùm hoc vitæ naturæque commercio, quem cæli amplitudo depoſcit? Sane teneat cupiditas iſta viuendi, ſed quos inexpiabili malo ſæuiens ignis æterna ſcelerum vltione torquebit: teneat cupiditas iſta viuendi, ſed quibus & mori pœna eſt, & durare tormentum. Tibi iam & mundus ipſe ſuccumbit, & terra cedit, qui morientibus cunctis ad hoc reſeruatus es, vt martyr eſſe potuiſſes. An non quotidiana cernimus funera? cernimus nouos exitus diuturnos factos ex ſæuientibus morbis; inexpertæ cuiuſdam cladis exitia, ac ſtrages populatarum vrbium intuemur? vt poſſimus agnoſcere quanta martyrii habenda ſit dignitas; ad cuius gloriam nos cogere etiam lues cœpit. Etenim chariſſimi fratres, reſpicite ad hoc quæſo vos plenius, in quo & ſalus vertitur & ſublimitas computatur; licet non ſim neſcius, etiam vos pleniſſimè noſſe, [d] ſtantium omnium nos iudiciis contineri; neque ignorare hanc eſſe nobis traditam diſciplinam, vt ſine vllo terrore militiæ vim tanti nominis tueamur: quippe quos pridem à deſiderio lucis iſtius cupiditas æternæ memoriæ deduxerit, quos futurorum vota diuellerint, quoſque ab omnibus vitiis optanda Chriſti ſocietas ſegregarit: niſi ſi exitio ſuccumbere, morti animam dubitamus offerre: nec iam retinenda ſunt nobis, & amplectenda beneficia diuina; quorum vltra rerum ardorem tanta ſit merces, quantum in dicendo humana mediocritas vix poſſit implere. Sanguini noſtro patet cælum: ſanguini gehennæ cedit habitaculum. Et inferiorum omnium gloria pulchrior ſanguinis titulus, & integrior corona ſignatur. Sic quotiens de hoſte triumphalibus ſpoliis onuſtus miles ingreditur, vulneribus ſuis gaudet. ſic quotiens tempeſtatibus diu nauta fatigatus littora tuta contigerit, felicitatem ſuam de perpeſſo periculo ducit. Eſt enim profectò, niſi fallor, labor lætus, per quem ſecuritas inuenitur. Igitur toleranda ſunt omnia, patienda cuncta, nec appetendum quo modico gaudeas tempore, & perpetuo puniaris ardore. Meminiſſe enim debes, velut quadam te fœderis pactione conſtrictum, ex qua aut càpeſſendæ ſalutis ſit iuſta conditio, aut pœnæ meritæ formido. ſtas inter aduerſa pariter ac proſpera, arma inter & tela, hincque te ſæcularis ambitio, inde cæleſtis admonet magnitudo. Si ſalutem times perdere, ſcito te mori poſſe. Porrò autem contemnenda tibi mors eſt, cui Chriſtus occiſus eſt. Ante oculos tibi quæſo concurrant Dominicæ paſſionis exempla: concurrant oblata & præmia, & parata diſcrimina: & quantam inter ſe habeant difficultatem, res vtraſque conſpicito: nec enim poteris confiteri, niſi ſcias quantum noceas, ſi negaris. Cælo martyres gaudent, veritatis inimicos ignis abſumit. Paradiſus Dei teſtibus floret, [e] negatores gehenna complexà æternus ignis inardeſcit. Et vt de cæteris taceam, hoc nos vtique magis debet hortari, quod confeſſio vocis vnius Chriſti perpetua confeſſione ſeruetur: ſi-

cut

a *Quos ſanguis ſuus Martyres eſſe monſtraret.* Hoc ſic reſtitui ex Cambron. cod. pro eo quod dumtaxat: *ſanguis ſuus* (vel *viuos*) *eſſe monſtraret.* PAM.

b *Sic quotieſcumque iacentibus ſtipulis.* Ita etiam ex eodem hunc locum reſtitui: Nam veram eſſe eam lectionem tum probat experientia, tum quòd alioqui non eſſet apta comparatio. Anteà erat *latentes*, pro quo Manutius & Morellus *latantibus.*

c *Flammas plerumque agris iuuit immittere.* Cambronenſis & hic & poſteà: *liber*, ſi legamus *liber*, acceder propius ad lectionem prius excuſorum & Affliginien. codicis *iubet.* latius de his in georgicis Virgilius. *Idem.*

d *Stantium omnium nos iudiciis contineri.* Iterùm hoc ex Cambron. cod. præterquam quod legat *ignoraret*, prò eo quod Manutius & Morelius, *ſtantium omnium noſtrum iudiciis contineri.* Eſt enim frequens Stantium mentio apud Cyprianum. *Idem.*

e *Negatores gehenna complexa æternus ignis inardeſcit*; Sic cum Manutio & Morelio Affligin. cod. pro eo quod erat *negatoris.* Cambronenſis autem cod. *negatores gehenna complexos, &c.* quomodò ſi legas, actiuè accipitur, *inardeſcit*, pro, comburit. haud aliter ac dixit Virgilius georg. 4 *ardebat Syrius Indos. Idem.*

cut ſcriptum eſt : [a] Qui me confeſſus fuerit in terris coram hominibus , & ego confitebor eum coram patre meo , & coram angelis eius. Adhuc accedunt ad gloriæ cumulum ornamenta virtutum : ait enim : Fulgebunt iuſti , tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrentes : iudicabunt nationes , & dominabuntur populis. Magna eſt enim , fratres chariſſimi, claritas , vitam ſalutis æternæ honeſtate paſſionis ornare ; magna ſublimitas ante ora Domini aſpectumque Chriſti poteſtatis humanæ tormenta contemnere , nec horrere. Sic Daniel minas regis & leonum frementium rabiem per conſtantiam fidei ſuæ vicit , dum adorandum nullum alium eſſe quàm Deum credidit. Sic in camino pueris conſtitutis in ſe arſit incendium , dum ignes iuſti tolerant ; quod de gehenna , Domino credendo , metuebant. Vnde & retulere condigna , non in poſterum tracti , non ſalutis æternæ premio reſeruati. Fidem illorum Deus vidit , vt quod ſibi poſt exitum promiſerant , videre mererentur in corpore : nec enim poterit æſtimari quanta in præſenti tributa ſit merces. Si ſæuitia fuit, ceſſit : ſi flamma , conſtitit. Erat enim vna mens omnibus , quam nec violentia frangeret, nec ira ſubuerteret , nec à deuotionis obſequio timor mortis inhiberet. Vnde per gratiam Domini factum eſt , vt ſic in illis rex potius videretur punitus eſſe , dum euadunt quos ſe crediderat occidere. Nunc iam ad eam rem , fratres chariſſimi , veniam ; ex qua oſtendere ſatis poſſum , quanta martyrii virtus habeatur ; quæ tametſi eſt omnibus nota , [b] proque ingenitæ claritatis inſignibus expetenda , tamen plus addidit neceſſitas temporis deſiderio voluptatis. Etenim eſt in muneribus magnis , ſi eo tempore quis coronetur , quo coronatum ſe putat , ſi fortè moriatur. Igitur cum ſit ſublime excelſumque martyrium ; nunc magis eſt neceſſarium , quando mundus ipſe ſubuertitur , partimque orbe concuſſo natura deficiens vltimi exitus monumenta teſtatur. Nam & cum cælo imber incumbit , pluuias aër triſtis oſtendit ; & quotiens atra tempeſtas horrenti imminet pelago , per inter apertam nubium noctem coruſca ignium fulmina relucefcunt : ſed & cum magnis mare fluctibus voluitur , paulatim vnda ſe tollit , paulatimque æquor albeſcit ; donec cernas ita poſtmodum ruere , vt in illis quibus retunditur ſaxis ſpumam altius iaciat , quàm vndam tumidum pelagus expuebat. [c] Legis ſcriptum eſſe , vſque quadrantem nos vltimum reddere : ſed hæc pars ablata martyribus. Etenim qui ſalutis æternæ cupiditatibus freti vitæ huiuſce deſideria vicerunt , hos expertes doloris vniuerſi , Domini propitiatio coronat. Igitur hic primum, chariſſimi fratres , poterimus exponere , quanta martyrii virtus poſſit impleri. [d] Atque vt tranſeam cuncta meminiſſe debemus , quanta ſit gloria ad Chriſtum immaculatum venire, conſortem paſſionis exiſtere , perpetuaque cum Domino æternitate regnare , carere exitiis imminentibus ſæculi , nec inter cruentam morborum populantium ſtragem in communi cum cæteris ſorte miſceri. Atque vt ſileam de corona , ſi tibi in his naturæ lubricis malis poſito , vitæ promitteretur exceſſus ; nonne omni gente gauderes ? Si inquam , te in huius mundi turbinibus fluctuante vicina acceſſeret requies , nonne mortem pro remedio computares ? Poſitus inter arma carnificum , ac tela probantium quæſtionum , Iſta ſublimis ac fortis conſiderans quanta ſit pœna negare eo tempore , quo frui ſæculo nequeas , cuius cauſa negaras : quoniam quidem grauia tormenta , ac puniendi noxias artes in perniciem noſtram Dominus ſciebat armari , quo fortes ad omnem tolerantiam faceret. Fili , inquit , accedens ad ſeruitutem Dei , ſta in iuſtitia & timore , & præpara animam tuam ad tentationem. Sed & beatiſſimus Paulus Apoſtolus exclamauit & dixit : Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quam ob rem , chariſſimi fratres , fide firma , deuotione robuſta , contra minas ſæculi atroces & aſperos inſequentium fremitus , aduerſa virtute reſiſtendum ; nec timendum quorum ſpes æternitatis & vita cæleſtis eſt , quorumque ardor in cupidine lucis ſuccenditur , & ſalus de promiſſa immortalitate lætatur. Hoc verò quod catenis artantibus manus ſtrictæ & circumacti graues ceruicibus nexus ſolido deprimunt pondere : vel quod eculeo corpus extenſum candentes ſtridet ad laminas ; non expetendi ſanguinis , ſed tentationis eſt cauſa. Nam & ipſam martyrii dignitatem quemadmodum agnoſcere poſſemus , niſi illam etiam cum damno corporis noſtri cogeremur optare ? Senſi equidem , nec me veritas fallit , cum ſæuè incumbentium manus membra diuellerent , artuſque laniatos tortor ſæuiens exararet , nec tamen vinceret , circumſtantium verbis : [e] magnum iſtud eſt , dici profecto , non doloribus ſubigi , non pœnis angentibus frangi. Sed erant aliæ dicentium voces ; & puto liberos habet. Nam eſt illi ſocia in penatibus coniux , & tamen nec vinculo pignorum cedit , nec obſequio pietatis abductus à propoſito ſuo deficit. Noſcenda res eſt, & virtus penitus ſcrutanda viſceribus : nec enim leuis eſt iſta quæcumque confeſſio , propter

a *Qui me confeſſus fuerit coram hominib. in terris.* Illud *in terris* neque alibi habet Cyprianus , neque Euangeliſtæ, pro more tamen Cypriani ex duobus Euangeliſtis concinnatum eſt hoc teſtimonium. PAM.

b *Proque ingenita.* Affligin. *proque ingentis.* Quod quidem magis accedit ad lectionem vulgatam , *pro quingentis* ; legit tamen illud cum illis Cambronenſis : Neutrum diſplicet. *Idem.*

c *Legis ſcriptum eſſe , vſque quadrantem nos vltimum reddere* , &c. Eodem prorsùs modo hanc ſcripturam explicat, nempe de doloribus poſt mortem , epiſtola ad Antonianum , quare etiam hic locus facit pro purgatorio. *Idem.*

d *Atque vt tranſeam cuncta* , &c. Placet hæc Cambron. cod. præ illa Manut. & Morel. Atque vt tranſeam cunctas neque verò malè anteà excuſi cum Affligin. cod. *Atque vt tranſeam nunc tam. Idem.*

e *Magnum iſtud eſt , dici profecto.* Pulchrè hic locus reſtitutus eſt à Manutio & Morel. anteà erat *vſlus eſt* , &c. *Idem.*

a *Et*

pter quam homo patitur, & mori poſſe. Etenim chariſſimi fratres, virtus eſt tanta martyrij, vt per illam credere etiam ille cogatur qui te voluit occidere. Scriptum eſt & legimus: In dolore ſuſtine, & in humilitate tua habe patientiam, quoniam per ignem probatur aurum & argentum. Quoniam ergo non terrenis tentationibus probat Dominus, & his ſæculi malis ſcrutator Chriſtus expendit; gratulandum nobis eſt, atque lætandum, quòd non illis nos perennibus reſeruet exitiis, ſed gaudeat ab omni contagione purgatos. Cæterùm ab his quos hæreditatis particeps adſciſcit, & in regna cælorum libenter adſumit, quid vtique aliud quàm integritatis ambitum quærit? Sua ipſe dixit vniuerſa, & quæ iacentibus ſe explicant campis, & quæ in obliquos ſe erigunt colles: ſed & quod cæli magnitudo circumuenit, & quod pelago circumfluente lubricum æquor includit. Quod ſi illi adiacent omnia, nec à nobis expoſcit niſi facta ſincera; auro, vt ipſe dixit, ſimiles eſſe debemus. Aurum quippe cùm relucentibus terris tremulo videris ſplendere ſub lumine, [a] & in liquidum flammis torrentibus reſolui (nam & artificis gratia, ferè ſic eſt) caminis quotiens anhelantibus æſtuans ignis euomitur; aditu terreſtri canali anguſto diues flamma eligitur; & refluentibus glebis arena retinetur. Vnde neceſſe eſt vniuerſa ſufferre, quo poſſimus omni ſcelere carere, ſicut per prophetam ſuum dixit: Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, tamen ſpes illorum immortalitate plena eſt: & vexati in paucis, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſui, & quaſi [b] holocauſti hoſtiam accepit illos. Quod ſi te dignitas ambitioſa deterret, & congeſta in theſauris pecuniæ admonet magnitudo, quæ ſemper propoſitum bonæ mentis auertit, & deuotam pro Domino ſuo animam furiali elidit horrore; quæſo repetas verba cæleſtia, nam & ipſa vox dicentis eſt Chriſti: Qui perdiderit animam ſuam pro nomine meo, recipiet in hoc ſæculo centuplum, & in futuro vitam æternam poſſidebit. Qua vtique nihil maius, nihil aptius, nihil vtilius computare debemus. Nam licet pretioſarum veſtium more purpura in imagines currat, & lenteſcentibus filis aurum erret ad ſpeciem, nec de effoſſis grauia quibus incumbis, deſint metalla theſauris; vacua tamen niſi fallor iſta atque inania computabuntur, ſic adiacentibus tibi cunctis; ſola ſalus tibi deeſſe videatur; ſicut Spiritus ſanctus loquitur, nihil nos in vicem animæ noſtræ poſſe dare. ait enim: Si totum orbem lucrifeceris, & animam tuam perdideris, quid proderit tibi? aut quam homo commutationem dabit pro anima ſua? Vacua ſunt enim vniuerſa quæ cernimus, & quæ infirmis radicibus poſita, ſoliditatis ſuæ vim nequeant ſuſtinere. Nam quod & de ſæculo capitur, vetuſtate temporis fruſtratur; vnde & ne quid eſſet dulce, vel carum, vel quod ſalutis æternæ præferri cupiditatibus poſſit; Dominicis amputata præceptis, iure proprio, ac lege priuata ſunt: Ne in tormentis ſcilicet patrem filius frangeret, néue obſtrictum durati roboris pectus in aliam voluntatem affectus fortè mutaret. Solam veritatem, ſalutemque ſolam inter magnos complectendam eſſe cruciatus, ſuo Chriſtus iure conſtituit: in quo coniux & liberi & nepotes, in quo omni viſcerum ſobole relicta, vſurpanda victoria eſt. Nam & Abraham ſic Deo placuit, qui tentatus à Deo, & filio non pepercit: pro quo ignoſci forſitan poſſet, ſi illum dubitaſſet occidere. Armauit manus religioſa deuotio, & omnes pietatis affectus Domini iubentis imperio pietas paterna neglexit. Nec horruit quod nati funderet ſanguinem, nec intremuit ad vocem; & adhuc pro eo Chriſtus non fuerat occiſus. Quid enim carius eo, quàm qui ne quid inuitus hodie ſuſtineres, priùs paſſus eſt, quod doceret? Quid eo dulcius, qui cùm ipſe ſit Deus noſter & Dominus, tamen patientem pro ſe hominem regni cæleſtis efficit cohæredem? O grande neſcio quid, ſiue quia illud conſcientiæ ratio vix ſuſtinet capere, quin magna ſemper miretur ad munera; ſiue quia tam larga maieſtas eſt Dei, vt inſperantibus cunctis etiam ea offerat, quæ nobis contemplatione factorum nefas fuerat optare. Etenim ſi tantùm ſalus daretur æterna, pro ipſa perpetuitate viuendi haberemur in gratia. At hunc cùm cælum & iudicandi de cæteris facultatem perenni ſæculo largiatur: quid eſt in quo ſe parem his omnibus poſſit humana mediocritas experiri? Si iniuriis ageris, prior actus eſt ille: ſi contumeliis premeris, Dei munus imitaris. Vnde & parum eſt quidquid pertuleris pro eo, qui nihil amplius potes facere, niſi quod in hoc ſalus vniuerſa conſiſtit; quia martyrio totum ille promiſit. Denique Apoſtolus cui cordi fuerunt ſemper vniuerſa, cùm inſtar munerum promiſſorum penitùs miraretur: Æſtimo, inquit, non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam claritatem, quæ reuelatur in nobis. Etenim ſecum ipſe voluebat quanta merces exiſteret, vt ei cui ſufficeret morte carere, non tantùm ſalutis daretur præmium, ſed & conſcendere cælum; cælum quod nec fugata lux cogit in noctem, nec alternis vicibus dies aperit in lucem, ſed aëris liquidi ſerena temperies, per ſudum igneo fulgore rutilantem puram explicat claritatem. Iam ſupereſt, chariſſimi fratres, vt debeamus oſtendere, cui rei marty-

rium

a *Et in liquidum flammis torrentibus reſolui.* Etiam hunc locum eleganter illi reſtituerunt, anteà erat; *res & in liquidum flammis torrentibus reſoluam*, ſeu, *reſoluiſſet*, &c. & pro, *canali*, quod habet etiam Cambronenſis, legebatur *carnalis*, peſſimè. PAM.

b *Et holocauſti hoſtiam.* Sic Afflig̃inienſ. & exc. cod. præter Manutium, qui habet, *holocauſtam hoſtiam*. Quia autem Cambronenſis legit, *holocauſta hoſtiam*, ſuſpicor eſſe legendum, ſicut alibi Cyprianus: *holocauſta hoſtia*. Atqui prorſus legendum, *accepit*, pro eo quòd perperam omnes *accipit*, quia & græcè & latinè illud legitur. *Idem.*

rium proſit. Atque illud profectò doceamus, quod nos ad hunc gloriæ titulum metus excitet futurorum. Etenim quibus magna promiſſa ſunt, magis magna ſunt quæ metuenda eſſe illis videantur. Nam nec ſe in arma miles accendit, [a] priuſquam ſe inimica hoſtis tela commouerint. Nec nauem aliquis ſtatione ſubducit, niſi animum pelagi pauor ſtrinxerit. Sed & intentans ſuis opibus ſcrutator agricola, non ante felici terram ſuſcitat vomere, quàm in puluerem imbre concepto putris gleba ſoluatur. Ita eſt omnis naturalis hic vſus, neſcire quid proſit, niſi agnoueris quod occidit. vnde & datur ſanctis omnibus præmium, dum infliguntur iniuſtis tormenta factorum. Igitur quæ ſuis promiſerit Dominus, nemini qui neſciat, dubium, ſed nec quantis minetur ignarum. Et quoniam ita ſe attulit ſermo, vt de vtriſque habeatur ratio, paucis vt de vtriſque dixi, breuiter exponam. Sæuiens locus, cui gehenna nomen eſt, magno plangentium murmure & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam ſpiſſæ caliginis noctem, ſæua ſemper incendia camini fumantis expirat: globus ignium artatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæuiendi plurima genera; tum in ſe ipſe conuoluit quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciarit. Hos, quibus recuſata vox Domini & imperia fuere contempta, diſparibus coërcet exitiis; próque merito ſalutis exactæ vires ſuas ſuggerit, dum pars ſceleris diſcrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curuat, alios per abruptum cliuoſi tramitis collem vis ſæua præcipitat, & catenarum ſtridentium nexum graue pondus inclinat. Sunt & quos agens ſtrictim rota & indefeſſa vertigo, & quos tenaci inter ſe denſitate conſtrictos adhærens corpori corpus includat: vt & abſumat incendium, & grauet ferrum, [b] & excruciet turba multorum. Quibus autem inquiſitus fuit ſemper Deus, aut notus, numquam excidit Chriſti locus; vbi iacet gratia, vbi virentibus campis terra luxurians alumno ſe induit gramine, & redolente paſcitur flore; vbi altum nemora tolluntur in verticem; & [c] vbi arbor denſiore coma veſtit, quidquid curuantibus ramis ſcena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris: nec vt in autumno arua requieſcant, aut vt iterùm vere nouo tellus fœcunda parturiat: vnius cuncta ſunt temporis: vnius poma feruntur æſtatis. Quippe cùm nec menſibus ſuis tunc luna deſeruiat, nec per horarum ſol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, ſedes tenet placida, vbi fons ſcaturiens medius ſinu aluei prorumpentis emergit, & rauco per interualla circuitu ſinuoſis flexibus labitur, vt in ora naſcentium ſibi fluminum diuidatur. Hinc ergo magna laus martyrum, hinc nobilis corona victorum, quibus maiora his repromiſſa ſunt, quibus auctiora ſunt præmia. Quod verò vel feris corpus obiicitur, vel imminens gladius non timetur; dignationis oſtenditur ratio, manifeſtatur electio. Etenim incongruens fuerat, vt quem æquum tanti muneris iudicaſſet, inter terrena vitia ſordeſque retineret. Meritò enim nihil vobis, ô boni martyres, denegatum: quos ſpes æternitatis alit, & lucis; quorumque deuotio vniuerſa, & mens cæleſti dedita cernitur ſeruituti. Meritò, inquam, meritò vobis nihil velle non licitum, quorum animo deſpectus hic mundus, & alienata ſæculi facies, velut confuſa tenebrarum inhorruit cæcitate; cui ſemper hic mundus loco carceris, tecta pro clauſtris, in vita ſemper habita commeatus. Sic quippe triumphantibus victoria de his malis rapitur, quem non pompatico greſſu vana ſubiecit ambitio, aut popularis extulit magnitudo; ſed quem cæleſti cupiditate flagrantem ſuo Chriſtus addidit regno. Nihil itaque tam magnum atque venerandum, quàm quod liberat morte, & facit viuere, & dat perpetuò regnare cum ſanctis. Hoc diuitibus aptum, miſeris neceſſarium, omnibus gratum; quo lætantur boni, releuantur abiecti, coronantur electi. Etenim Deus omnium cultor velut quoddam martyrio remedium vitæ dedit, quando aliis illud pro merito eorum tribuit; aliis pro miſericordia ſua tradidit. Vidimus quippe ad hunc nominis titulum fide nobiles veniſſe pleroſque, vt deuotionis obſequium mors honeſtaret. Sed & alios frequenter aſpeximus interritos ſteriſſe; vt admiſſa peccata redimentes, cruore ſuo loti haberentur in ſanguine, & reuiuiſcerent interempti, qui viuentes computabantur occiſi. Mors quippe integriorem facit vitam; mors amiſſam inuenit gloriam. Nam hoc ſpes jam amiſſa percipitur, hoc ſalus cuncta reparatur. [d] Sic cum arentibus campis ſementa defecerint, & herbis terra morientibus æſtuarit, ſupinis è collibus fluuium iuuit elicere, & ſcaturientibus riuis arua ſitientia temperare; quo ſe in vberes culmos victa agri ieiunitas funderet, & pluuiali imbre mentito ſeges denſior inhorreret. Quid igitur, fratres chariſſimi, potiſſimùm referam, quidve dicam? ſic in vnum conuenientibus titulis dignitatis, turbatur animus, deducitur ſenſus, & in ipſo conatu nitentis eloquij impar ſermo vaneſcit. Quid enim dici ſatis poſſit; cùm ſi vim æternæ ſalutis expreſſeris, occurrat ambitio;

ſi

a *Priuſquam ſe inimica hoſtis tela commouerint.* Ex M S. hanc lectionem ſubſtituimus, pro quod Manutius, *priuſquam inimica hoſtis tela commouerit*; & Morelius, *priuſquam inimica hoſtes tela commouerint.* PAM.

b *Et excruciet turba multorum.* Rurſum hoc ex Cambron. pro, *& ſe cruciet.* Iuxtà quem etiam nunc primum rectè ſic locus ſequens diſtinguitur: *Quibus autem inquiſitus fuit ſemper Deus, aut notus numquam excidit Chriſti locus* Neque enim in gehenna ritè collocarentur, quibus ſemper fuit Deus inquiſitus aut notus. *Idem.*

c *Vbi arbor denſiore coma veſtit.* Hæc Cambronenſ. cod. lectio magis quadrat ſequentibus. Excuſ. vulg. habebant. *arbor denſior comam veſtit*, pro quo illi, *arborem denſior coma. Idem.*

d *Si cum arentibus campis ſementa defecerint.* Cambron. arantibus *ſementa defecerant*, in cæteris cum illis conſentiens, quum apud alios locus eſſet mutilus, præterquàm quod legat cum exc. vulg. *iubet elicere. Idem.*

ſi ambitum dixeris, præueniat magnitudo? Res ſimulque congruunt, ſimulque concurrunt; [a] nec eſt hoc dignum proferendum eſſe videatur. Ita impetus orationis audentis velut implicatos irretitoſque obuiàm ex aduerſo martyrii exempla tenuerunt. Quæ vox, quæ latera, quæ vires inſtar muneris tanti capiant ſuſtinere? Confeſſioni vocis vnius aduerſa ſuccumbunt, læta proueniunt, patent regna, parantur imperia, deuincitur pœna, mors ſubigitur, vita profertur, & infeſtantis inimici repugnantia arma ſoluuntur. Si delictum eſt, occidit: ſi crimen, abſiſtit. Vnde, quæſo vos, hoc veſtris mentibus ponderate, tantùmque de noſtra oratione percipite, quantum ſciatis vos poſſe ſentire. Veniat ante oculos veſtros, qui dies ille ſit, cùm ſpectante populo, atque intuentibus cunctis, contra terrenas cruces, & minas ſæculi, inconcuſſa deuotio reluctetur; quam ſuſpenſi animi, menteſque ſollicitæ de ancipiti trepidatione, gratulante formidine, pauidó quatiantur horrore; quæ illic anxietas, quæ exoptatio precum, quæ vota memorentur, cùm adhuc nutante victoria, atque in incertos exitus caſu victrix capiti corona dependeat. Cumque illa peſtilens ac furibunda confeſſio accendatur ira, inflammetur inſania, omni denique pectoris rabie ac minis frendentibus torreatur. Etenim quantum hoc ſit quis ignorat, vt non doloribus vulnerum, non ictibus quæſtionum, velut deſpecta noſtra fragilitas, & humanæ virtutis inopinata cedat audacia; ſtare hominem, nec moueri; torqueri, nec tamen vinci; ſed pœna ipſa potius, qua cruciatur, armari. Conſiderate quid ſit, chariſſimi fratres; omnem martyrii firmitatem ſenſibus veſtris animiſque proponite. Ecce enim in cuiuſlibet paſſione vocati gaudent iampridem acciti è ſæculo martyres; gaudent bonorum omnium nuncii; gaudent pariter electi; ibi lætatur milite ſuo Dominus, lætatur teſte nominis ſui Chriſtus. Parum eſt quod dico, fratres chariſſimi, parùm eſt. Ita magna mihi ratio in hoc genere dicendi, ac moles admiranda ſuſcepta: ſed arbitrii, quæſo vos, grauitas ab intentione propria non deſit, ſciens tantùm de martyrio poſſe dici, quantum potuerit æſtimari. Vnde & hæc ſola exequendæ laudis fuit cauſa, non quo parem me gloriæ eius, atque idoneum iudicarem, ſed quod tantam in illo cernerem eſſe virtutem, vt & ſi parum de eo dicerem, plurimum me dixiſſe profiterer. Nam præferatur licet bono fidei cuſtodita iuſtitia, melioremque ſe inter omnium laudes virginitas immaculata cognoſcat: cedat tamen ſanguini, ſummittatur cruori. illi elegerunt bonum, hi imitati ſunt Chriſtum. Nunc verò, chariſſimi fratres, ne quis me arbitretur omnem ſalutem non in alio ſtatu quàm in martyrio collocaſſe: hoc primo profectò reſpiciat, neque me tantum eſſe qui loqui videor; neque ita ſe habere ordinem rerum, vt immortalitatis ſpes repromiſſa vnius partis latere nitatur. Sed quoniam ita Dominus ſuo ore teſtatus eſt, eſſe habitacula penes patrem multa; nihil maius credidi ea gloria, qua probantur hic homines, qui ſæculari indigni ſunt. Igitur chariſſimi fratres, æmula religione certantes, velut incentiuo quodam mercedis agitati, omnem virium copiam tolerantiamque ſubeamus. Non enim mouere nos debent caduca, quæ ſemper in euerſionem ſuam non modò lege propoſita, ſed etiam ipſo fine temporis vrgentur. Exclamat Ioannes & dicit: Iam quidem ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: monſtrans ſcilicet & oſtendens, vltimam eſſe rerum omnium ſenectutem. Sed & ipſe Dominus: Ambulate, inquit, dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Quod ſi illo tempore ambulandum nobis eſſe prædixit: vtique vt nos magis ambularemus oſtendit. Atque vt ad laudem martyrii redeam, vox eſt beatiſſimi Pauli dicentis: Neſcitis quoniam qui in agone currunt, multi certant, vnus autem accipit palmam? vos autem ſic currite, vt omnes coronemini. Sed & alibi, quod ad martyrium poſſit hortari, cohæredes nos Chriſti vocauit. quin etiam nequid omitteret; Si cum Chriſto, inquit, commortui eſtis, quid tamquam viuentes in hoc mundo decernitis? Etenim chariſſimi fratres, qui reſurrectionis præmia ſuſtinemus, qui iudicii diem quærimus, qui denique cum Chriſto regnaturos nos eſſe confidimus; ſæculo mortui eſſe debemus. Nec poteris optare martyrium, niſi antè oderis ſæculum; nec peruenire ad Dei præmium, niſi amaueris Chriſtum: Qui autem amat Chriſtum, non amat ſæculum; Chriſtus enim abiectus eſt ſæculo, ſicut & ſæculum Chriſto; Ita vt ſcriptum eſt: Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Nemini amabilis fuit mundus, quem non antè damnauerit Dominus; nec ſalute potuit frui æterna, qui mundi gloriatus eſt vita. Vox eſt iſta Chriſti dicentis: Qui in hoc ſæculo amauerit animam ſuam, in futuro perdet illam; qui autem in hoc ſæculo oderit illam, in futuro inueniet eam. Sed & Apoſtolus Paulus: Imitatores, inquit, mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et alibi: Volo vos omnes, ait, ſi fieri poteſt, imitatores meos eſſe. Dixit hoc ille qui paſſus eſt: & qui ad hoc paſſus eſt, vt imitaretur Dominum; vtique & nos ad hoc voluit pati, vt per ipſum imitaremur Chriſtum. Si iuſtus es & Deo credis, quid pro eo ſanguinem fundere metuis, quem pro te toties paſſum eſſe cognoſcis? In Eſaia ſectus, in Abel occiſus, in Iſaac immolatus, in Ioſeph venumdatus, in homine crucifixus eſt: & de cæteris quidem taceo, quæ nec oratio poteſt dicere, nec animus ſuſtinere. Vincitur conſcientia humilitatis exemplo; & quando conſiderat quæ dum pateretur acciderint, miratur

a *Nec eſt quod dignum proferendum eſſe videatur.* Hoc ex eodem cod. nunc primum pro, *præferendum*. qui legit, *impeditoſque*, pro, *irretitoſque*. Rectè etiam legunt illi & Cambron cod. *latera*, pro, *litera*. PAM.

miratur paſſum propter quem cuncta trepidarint. Dies fugit in noctem, in tenebras lux cuncta conceſſit: atque inclinato per alternas vices pondere, omnis terra commota diſſiluit; turbati manes, monumenta nudata ſunt; & ſepulchris hiatu dehiſcentibus terræ, reddita luci corpora reſtituerunt; fluxu ſanguinis mundus intremuit, ſciſſa quæ foribus dependebant vela [a] templum omne mugiit: qui moriendo arguit ſæculum. Igitur cùm ad exemplum Dominicæ paſſionis, atque ad omne teſtimonium Chriſti animam tuam ponas, nec fundere ſanguinem metuas; martyrio totum neceſſe eſt cedat. Martyrii inæſtimabilis gloria, infinita menſura, immaculata victoria, nobilis virtus, inæſtimabilis titulus, triumphus immenſus; quippe quo & propria confitentis laude præfertur, velut ſocio Chriſti cruore decoratus. Itaque, chariſſimi fratres, licet ſit hoc totum Dominicæ promiſſionis & muneris, liceatque tribuatur ex alto, nec capiatur niſi eius imperio, ſed nec aut mente concipi, aut exprimi verbis, aut oratione percurri, aut quibuſlibet eloquentiæ viribus poſſit impleri: tamen erit hoc beneuolentiæ veſtræ. erit charitatis & amoris, ſi volueritis noſtri memores eſſe, cum in vobis Dominus martyrium cœperit honorare. Vos intra ſe ſanctum illud altare, vos intra ſe magna illa venerandi nominis ſedes, veluti ſinu quodam gremii amplectentis includit; vos imperia perennis temporis ſuſtinent, & illic conregnaturi ſemper & victuri. O beati & quibus verè dimiſſa ſunt peccata; ſi tamen qui Chriſti compares eſtis, aliquando peccaſtis. O beati quos à primordio mundi Domini ſanguis infecit, & quos meritò ſplendor iſte niuei amictus induerit, & candor ſtolæ ambientis ornarit. Videor denique ipſe mihi iam cernere, proque arbitrio mentis humanæ ante oculos & aſpectum diuinum illud mihi & inſigne concurrit: videor, inquam, mihi iam cernere, vt ille virorum nobilis numerus Chriſti ſui gloriam iterque comitetur. Ibit ante ora eius felix caterua victorum, & ſe denſantibus turmis, velut ſolis exortu totum illuminatum agmen inferet poteſtatem. Et vtinam perabiecto mihi iſtud videre contingat: ſed hoc Dominus poterit efficere, quod vobis petentibus creditur non negare.

[a] *Templum omne mugiit, &c.* Supplendum eſt, ex libro Fabri. Templum omne mugiit, vnde magnum eſt imitari eum, qui moriendo arg. ſec. R i c.

AD NOVATIANVM HÆRETICVM, QVOD LAPSIS ſpes veniæ non eſt deneganda.

COGITANTI mihi, & intolerabiliter animo æſtuanti, quid nam agere deberem de miſerandis fratribus qui vulnerati non propria voluntate, ſed diaboli ſæuientis irruptione, adhucuſque, hoc eſt, per longam temporum ſeriem agentes, pœnas darent; ecce ex aduerſo obortus eſt alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis aduerſarius hæreticus Nouatianus; qui non tantùm, vt in Euanlio ſignificatum eſt, ſicut ſacerdos vel Leuites iacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa ac noua crudelitate ſauciatum potiùs occideret adimendo ſpem ſalutis, denegando miſericordiam patris, reſpuendo pœnitentiam fratris. Mirum quot acerba, quot aſpera, quot peruerſa ſunt? Sed facilius quis in alieno oculo feſtucam perſpicit, quàm in ſuo trabem. Nos autem, fratres dilectiſſimi, non moueat, aut turbet hæretici iſtius perfidi abrupta dementia: qui cum in tam ingenti diſſenſionis & ſchiſmatis crimine conſtitutus, & ab Eccleſia ſeparatus ſit, ſacrilega temeritate non dubitet in nos ſua crimina retorquere. Cùm ſit enim à ſemetipſo nunc factus immundus, ſordibus ſacrilegis inquinatus; hoc nunc nos eſſe contendit. Et cùm ſcriptum ſit, canes foris remanſuros; & Apoſtolus hos eoſdem canes docuerit eſſe vitandos, ſicut legimus, ait enim: Videte canes, videte malos operarios: rabiem ſuam non ceſſat latratibus excitare, luporum more tenebroſam caliginem optare, qua facilè poſſit ferina ſua crudelitate, oues à paſtore direptas, ſpelunca tenebroſa laniare. Aurum certè ſe ſuoſque quos colligit, eſſe pronuntiat. nec nos dubitamus deſertores Eccleſiæ apoſtatas factos, in aurum nunc facilè potuiſſe conuerti, ſed illud aurum in quo prima delicta populi Iſraël denotata ſunt. Cæterum vaſa aurea & argentea, quæ ab Ægyptiis excuſa ſunt, in Dominica poteſtate, id eſt, Chriſti Eccleſia, perſeuerant: in qua domo ſi perſeueraſſes, Nouatiane, vas forſitan & pretioſum fuiſſes; ſed nunc te in paleas & in ſtipulam conuerſum nec intelligis, nec plangis. Quid igitur vanis rebus extolleris? damna potius quàm lucra conſequeris. Quid te ex quo pauperior factus es, diuitem credis? Audi in Apocalypſi Dominicam vocem iuſtis te obiurgationibus increpantem: Dicis, inquit, diues ſum, & ditatus ſum, & nullius rei egeo: & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & cæcus, & pauper, & nudus. Has opes, has diuitias paupertatis pro certo poſſidere ſe credat, quiſquis Chriſti Eccleſia derelicta ratione cæca, apud temerarios illos ſchiſmatum duces & diſſenſionis auctores conuerti non trepidat; quos Ioannes antichriſtos appellat; quos Euangeliſta paleis ſimilat; quos Dominus Chriſtus fures & latrones deſignat, ſicut ipſe in Euangelio declarat dicens: Quia qui non introiit per oſtium in ouile ouium, ſed deſcendit per alteram partem, ille fur & latro eſt.

Item

Item in eodem quoque ait : Omnes qui venerunt, fures ſunt & latrones. [a] Qui iſti ſunt, niſi deſertores fidei, & tranſgreſſores Eccleſiæ Dei, qui contra [b] ordinationem Dei nituntur? quos meritò Spiritus ſanctus per prophetam increpat dicens : [c] Feciſtis conſilium non per me, & conuentionem non per ſpiritum meum, adiicere peccata ſuper peccata. Quid ad iſta reſpondeant peruerſiſſimi iſti Nouatiani, [d] vel nunc infeliciſſimi pauci; qui ad tantam furoris dementiam proruperunt, vt nec Deo, nec homini reuerentiam habuerint? Illic impudenter & ſine vlla ordinationis lege epiſcopatus appetitur; hic autem propriis ſedibus & cathedræ ſibi traditæ à Deo renunciatur. Illic veritas : Aſpernantur me, vt ſacrificent mihi, nec offerunt oblationes ſanctas filiorum Iſraël, nec accedunt offerre ſancta ſanctorum, ſed accipient ignominiam ſuam in errore, quo errauerunt. Satis ſit paucis probaſſe quidnam ſint. Audite igitur Nouatiani, apud quos ſcripturæ cæleſtes leguntur potiùs quàm intelliguntur, parum ſi non interpolentur. Sunt enim veſtræ præcluſæ aures & corda cæcata, qui nullum de ſpiritalibus ac ſalutaribus monitis lumen admittitis. Sicut Eſaias ait: Excæcati ſunt ſerui Dei; & meritò excæcati, quia voluntas ſchiſmaticorum non eſt in lege, quæ lex vnam nobis & ſingularem deſignat Eccleſiam; in illa ſcilicet quæ ſub Noë ante diluuium Dei prouidentia fabricata eſt arca, in qua non tantùm munda animalia, ſed & immunda, vt tibi citò reſpondeatur Nouatiane, inuenimus eſſe recluſa. Quæ arca ſola cum his quæ ſecum fuerant liberata eſt : in qua & cætera quæ in ea inuenta non ſunt diluuio perierunt. Ex illa igitur arca remittuntur duæ aues, corax & columba. Qui corax verè hominum immundorum, & in tenebris perpetuis futurorum per ſæculi latam viam, & immunda veſcentium apoſtatarum futurorum, & ad Eccleſiam ſe vltrà non vertentium, figuram portabat, quem legentes inuenimus emiſſum, & non amplius reuerſum. Huic ergo aui, id eſt, immundo ſpiritui, quique fuerint ſimiles inuenti, ad Eccleſiam amplius reuerti non poterunt; qui & ſi voluerint, Dominus prohibebit, qui Moyſi præcepit, dicens : Omne varium & immundum eiice foras extra caſtra. Columba autem emiſſa incontinenti ſignificatur reuerſa, eò quòd requiem non haberet pedibus ſuis : quam Noë recepit in arcam, & poſt ſeptimum diem iteratò emiſſam, recepit eam portantem ſuo ore oliuæ folium. Et ego quidem, fratres dilectiſſimi, non temerè iſta cogitans, nec humana ſapientia conſpirans, ſed vt cæleſtis Domini dignatione neceſſariè & pertinenter mentibus noſtris concipere permittitur; dico illam, id eſt, columbam, duplicem nobis per ſemetipſam ſignificare figuram. [e] Primam quidem, & principalem, ſuam, hoc eſt ſpiritalem, olim, id eſt, ab initio diuinæ adminiſtrationis inſiſtit, & ſacramentum baptiſmatis, quod in ſalutem generis humani prouiſum, & ſoli Eccleſiæ cæleſti ratione celebrare, per os ſuum præoſtendit. Ter enim emiſſa ex arca, volitans per aërem ſuper aquam, ſignificabat iam tunc Eccleſiæ noſtræ ſacramenta Vnde & Dominus Chriſtus Petro, ſed & cæteris diſcipulis ſuis mandat & dicens : Euntes euangelizate gentibus, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hoc eſt, [f] vt Trinitas illa quæ ſub Noë per columbam figuraliter operata eſt, hæc nunc in Eccleſia per hos ſpiritaliter operetur. Sumamus iam nunc & ſecundam perſonam columbæ ex arca emiſſæ; diluuij ſcilicet tempore, quando omnes abyſſi proruperunt, quando cataractæ cæli patefactæ ſunt ſuper terram, propter facinora hominum quæ quotidie exercebant coram Domino, ſicut Moyſes dixit : Et vidit Dominus Deus redundare nequitias hominum ſuper terram, & quod omnes in malum recordarentur à principio dierum ſuorum, & dixit : Perdam hominem quem feci à facie terræ, ab homine vſque ad pecus, & à reptili vſque ad volatilia cæli. Emittitur ergo tempore cataclyſmi columba ex arca, aquis violenter toto orbe terram infeſtantibus. Illa arca figuram Eccleſiæ, ſicut ſuperiùs diximus, portabat, quæ verberabatur hinc atque inde aquis inſurgentibus tantùm. Cataclyſmus ergo ille qui ſub Noë factus eſt, figuram perſecutionis quæ per totum orbem nunc nuper ſupereffuſa, oſtendit. Aquis autem, diruptis cataractis, vndique conuenientibus & exereſcentibus ſignificabantur gentes, quæ ad vaſtandam Eccleſiam excreuerunt. Sicut Apocalypſis docet dicens : Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & gentes, & regna. Columba autem quæ pedibus ſuis requiem habere non poterat, lapſorum imaginem portabat; qui [g] immemores diuinarum prædictionum, vel ſimpliciter ignorantes, vel audacter diſſimulantes ceciderunt : quorum Dominus ruinam in Euangelio futuram his verbis ſignificauerat dicens : Qui audit verba mea & non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto qui ædificauit domum

a *Qui ſunt iſti niſi deſertores, &c.* Sicut & alibi mendum hic irrepſerat apud Eraſmum, vt legeretur, *non*, eò quòd vetus excuſ. legat, *non*, quum potiùs iuxtà M S. cod. ſignificet niſi. PAM.

b *Ordinationem Dei.* Hoc quoque rectè Grauius & MS. cod. pro *ordinem*; alludit enim ad Ordinationem Cornelii, de qua paulò poſt *Idem.*

c *Feciſtis conuentionem.* Hunc locum ſic reſtitui, tum ex epiſt. 55. tum ob vocem græcam *συνθήκας*. hactenus legebatur *cogitationem. Idem.*

d *Vel nunc infeliciſſimi pauci.* Coſterius & MS. cod. *infeliciſſime*, non malè, ſed illud placet magis, vt per *ἀντίφρασιν* alludat ad feliciſſimum, cuius ſæpè in primo tomo fit mentio, & præſertim epiſtola iam dicta 55. *Idem.*

e *Primam quidem & principalem.* Locus obſcurus & corruptus, etiam in M S. cod præterquàm quòd hic ſatis ſignificet ſolam Eccleſiam baptiſmi ſacramentum habere; quod ad errorem Cypriani pertinet. *Idem.*

f *Vt Trinitas illa.* Quidam *ternitas*, Rectiùs meo iudicio *trinitas*. Sic enim M S. cod. *Idem.*

g *Immemores diuinarum pardictionum.* Sic lego, pro *prædicationum* eò quòd ſequitur, *quorum Dominus ruinam in Euangelio futuram, &c. Idem.*

mum ſuam ſuper arenam: venerunt tempeſtates, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina eius magna. Et ne temerè comparaſſe videamur, columbam illam lapſorum imaginem portare; propheta ciuitatem vt columbam, hoc eſt, lapſorum perſonam increpat dicens: Columba non exaudit vocem, id eſt, præclara & redempta ciuitas non recipit doctrinam, & in Dominum fidens non fuit. Quod autem requiem pedibus columba illa, ſicut ſuperiùs diximus, inuenire non poterat; hoc ſignificabat veſtigia negantium, hoc eſt, ſacrificatorum, lubrici veneno ſerpentis ſauciata, in lapſum conuerſa, quæ vlterius non poſſent ſuper aſpidem & baſiliſcum conſcendere, & draconem & leonem calcare. Quam poteſtatem tradidit Dominus diſcipulis ſuis, ſicut in Euangelio ait: Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper omnem poteſtatem inimici, & ſuper ſerpentes & ſcorpiones, [a] & non nocebunt vobis. Iſtis ergo tot & tantis malignis ſpiritibus infeſtantibus, & in lapſorum necem inſurgentibus, prouiſa eſt vulneratis ſalutis via: vt quibuſcumque viribus poſſent toto ſe corpore protrahere, caſtris ſuis recipere; quibus recepti poſſent medelis ſpiritalibus vulnera ſua curare. Recepta igitur columba, paucis etiam diebus interiectis, iteratò emittitur ex arca; quæ reuerſa, non tantùm firma veſtigia, ſed & inſignia ſuæ pacis atque victoriæ, per illa oleæ folia quæ ſuo ore portabat, oſtendit. Duplex ergo illa emiſſio, duplicem nobis perſecutionis tentationem oſtendit: prima in qua qui lapſi ſunt, victi ceciderunt; ſecunda in qua hi qui ceciderunt, victores extiterunt. Nulli enim noſtrûm dubium vel incertum eſt, fratres dilectiſſimi, illos qui prima acie, id eſt, Deciana perſecutione vulnerati fuerunt; hos poſteà, id eſt, ſecundo prœlio ita fortiter perſeueraſſe, vt contemnentes [b] edicta ſæcularium principum, hoc inuictum haberent; quòd & non metuerunt exemplo boni paſtoris, animam ſuam tradere, & ſanguinem fundere, nec vllam inſanientis tyranni ſæuitiam recuſare. Ecce, quàm glorioſos, quàm Domino caros, ſchiſmatici iſti ligna, fenum, ſtipulam appellare non dubitant: quorum pares, hoc eſt, in eodem crimine lapſus ſui adhucvſque conſtitutos, nec ad pœnitentiam admittendos eſſe præſumunt; ex illa Domini pronuntiatione qua ait: Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cælis eſt. Pro dolor, quid contra Dominica præcepta contendunt, vt ea quæ Chriſtus iudicij ſui tempore ſit acturus, hæc nunc ſtirps Nouatiani, patris ſui exemplum diaboli ſecuta, exercere conetur? dicente ſcriptura: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Reſpondebimus eis ad iſtam pronunciationem Domini, [c] quàm malè intelligant & malè ſibi interpretentur: Quod enim ait: Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cælis eſt, vtique futuri temporis ſignificatio eſt; quo tempore incipiet Dominus ſecreta hominum iudicare; quo tempore tribunali Chriſti omnes non oportet aſtare; quo tempore multi incipient dicere: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia excluſimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? & tamen audient vocem Domini dicentis: Diſcedite a me omnes qui operati eſtis iniquitatem; non noui vos. Ibi adimplebitur quod ait: Negabo & ego illos. Quos autem maximè negabit Dominus Chriſtus, niſi vos omnes hæreticos, & ſchiſmaticos, & nominis ſui alienos? Qui enim aliquando Chriſtiani, nunc Nouatiani, iam non Chriſtiani, primam fidem veſtram perfidia poſteriore [d] per nominis appellationem mutaſtis; velim nunc propoſitioni veſtræ reſpondeatis. Legite & docete, quem Dominus de his qui ſe dereliquerant vel negauerant, cùm adhuc ipſe eſſet, negauit; atqui & cæteris qui ſecum remanſerant de diſcipulis ait: Numquid & vos vultis abire? Petrum etiam quem negaturum antè prædixerat, cùm negaſſet, ipſe non negauit, ſed ſuſtinuit; & amarè illam ſuam negationem flentem ipſe poſtmodum lenit. Quænam eſt tua, Nouatiane, dementia, vt illa quæ ad exitium ſalutis pertineant, tantùm legas: & quæ ad miſericordiam, prætereas? clamante ſcriptura & dicente: [e] Pœnitentiam agite qui erratis, conuertimini corde. Et eodem quoque propheta ſimiliter exhortante & dicente: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & ploratione, & planctu: & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum: quoniam miſericors eſt, & miſerator multæ miſerationis. Adeò quia multæ miſerationis eſt Dominus, audiuimus: audiamus quid per Dauid conteſtatur Spiritus ſanctus: Si dereliquerint filii eius legem meam, & in mandatis meis non ambulauerint, & ſi iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint; viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. His ſimilia & per Ezechielem legimus dixiſſe Dominum: Fili hominis domus Iſraël habitauit ſuper terram ſuam, & coïnquinauerunt eam facinoribus ſuis. Sicut mulieris menſtruatæ facta eſt immunditia eorum ante faciem meam, effudi iram meam ſuper eos, & diſſeminaui eos inter gentes, & ſecundùm peccata eorum iudicaui eos:

a *Et non nocebunt vobis.* Sic Manut. & Morell. pro *vos*, quod tamen habet etiam M S. cod. PAM.

b *Edicta ſecularium principum.* Galli nempè & Voluſiani. *Idem.*

c *Quàm malè intelligant & interpretentur.* MS. cod. *intelligunt & interpretantur.* *Idem.*

d *Per nominis appellationem mutaſtis.* Iſtud denuò ex Grauio, pro eo quod alij *per nominis mutaſtis velum.* præſertim cum etiam legat *velim.* M S. cod. *Idem.*

e *Pœnitentiam agite qui erratis, conuertimini corde. &c.* Hæc quoque Grauio & Manuſcriptis codic. accepta debemus, a libi deſiderata, *Idem.*

eos : quia coinquinauerunt ſanctum nomen meum. Et quia dictum eſt de his: Hic eſt populus Domini; peperci eis propter nomen ſanctum meum, quod ſpreuit domus Iſrael inter gentes. Et coniungens ait : Proptereà dic populo Iſraël : Hæc dicit Dominus: Non vobis parcó domus Iſrael ; ſed propter nomen ſanctum meum parcam, quod coinquinaſtis inter gentes, & ſcietis quia ego Dominus, cùm ſanctificatus fuero in vobis. Item Dominus ad eumdem: Fili hominis dic populo Iſrael : Quare locuti eſtis dicentes : erroribus noſtris contabeſcimus , & quo modo ſalui eſſe poterimus ? dic eis : Viuo ego , dicit Dominus : quia non deſidero mortem peccatoris : ſed deſidero vt auertatur peccator à via ſua peſſima & viuat. Redite ergo à via veſtra peſſima. Quid morti vos traditis domus Iſrael? Sic per Eſaiam Prophetam : Non in æternum indignabor vobis , [a] neque ſemper non defendam vos. Et quoniam Hieremias Propheta in perſona populi peccatoris deprecatur Dominum dicens: Emenda nos Domine, ſed in iudicio & non in ira , ne paucos facias nos ; adiecit & dicit Eſaias: Propter peccatum modicè contriſtaui eum , & percuſſi eum , & auerti faciem meam ab eo , & contriſtatus eſt & abiit triſtis in viis ſuis ; & quia operatur , adiecit & dixit: Vias eius vidi , & curaui eum , & dedi ei exhortationem veram , pacem ſuper pacem ; [b] pœnitentibus , deprecantibus , & operantibus reſtitui poſſe , quod malè perierint , quodque à Chriſto declinauerint. Denique hoc in Euangelio comprobatur , vbi illa mulier peccatrix deſcribitur , quæ venit ad domum cuiuſdam Phariſæi , vbi erat Dominus vocatus cum diſcipulis , portans vas vnguenti ; quæ ſtetit ad pedes Domini , & lachrymis ſuis lauit pedes eius , & capillis exterſit , & oſcula infixit , vt excitaretur ille Phariſæus & diceret : Hic ſi eſſet Propheta, ſciret quæ & qualis eſſet iſta mulier quæ eum tangit , quia peccatrix eſt. Vnde incontinenti Dominus peccatorum remiſſor , & pœnitentium receptor ait : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille reſpondit dicens: Magiſter, dic. Et Dominus : Duo debitores erant cuidam feneratori , vnus qui habebat denarios quingentos , & alius quinquaginta : cùm non haberent vnde ſoluerent, ambobus donauit. Et interrogauit: Quis illorum plus diligit ? Et reſpondit Simon : Vtique ille cui plus donauit. Et adiecit dicens : Vides iſtam mulierem ? Intraui in domum tuam , oſculum mihi non dediſti; hæc autem non ceſſauit oſculando pedes meos : pedes meos non lauaſti ; hæc autem lachrymis ſuis lauit , & capillis exterſit : oleo pedes meos non vnxiſti ; hæc autem vnxit : propter quod dico tibi, Simon , quia remittuntur illi peccata eius. Ecce Dominus vtriſque debitoribus larga ſua pietate debitum concedit. Ecce delicta donantem. Ecce mulierem peccatricem pœnitentem ; flentem , deprecantem ; & remiſſam peccatorum accipientem. Erubeſce iam nunc ſi fieri poteſt , Nouatiane : deſine argumentis tuis impiis incautos decipere : deſine vnius capituli præſcriptione terrere. Legimus & adoramus , nec prætermittimus cæleſtem Domini ſententiam , qua ait negaturum ſe negantem ; numquid & pœnitentem ? Et quid ego tamdiu de miſerationibus probare ſingula geſtiam ? quandoquidem Niniuitis Allophylis , & longè à lege Domini conſtitutis , propter ciuitatis ſuæ annunciatam euerſionem deprecantibus, miſericordia Dei non denegatur ? Ipſi illi Pharaoni ſacrilega temeritate repugnanti , cum quondam cæleſtibus plagis verberaretur , & conuerſus Moyſi & fratri eius dixiſſet : Orate pro me ad Dominum , quia peccaui ; incontinenti ab eo ſuſpendebatur ira Dei. Et tu iam Nouatiane , iudicas , & nullam ſpem pacis ac miſericordiæ habere lapſos prædicas ; nec increpanti Apoſtolo aurem accommodas dicenti : Tu qui es , qui iudicas ſeruum alienum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem, potens eſt Deus ſtabilire eum. Vnde pertinenter & neceſſariè ex perſona eorumdem lapſorum increpat vos Spiritus ſanctus dum dicit: [c] Noli gratulari inimica mea mihi , quoniam ſi cecidi , & exurgam : & ſi in tenebris ambulauero , Dominus lumen eſt mihi. Iram Domini tolerabo ; quoniam peccaui illi, vſque dum iuſtificet cauſam meam , & faciat iudicium & iuſtitiam , & producat me ad lucem. Videbo iuſtitiam illius , & videbit me inimica mea , & cooperiet ſe confuſione. Oro ; non legiſti : Nolite gloriari , & nolite loqui excelſa , & ne exeat magniloquentia ex ore veſtro ; Quoniam erigit à terra pauperem , à ſterquilinio erigit inopem , & ſedere eum facit cum potentibus populi ? Non legiſti : Quia Dominus ſuperbis reſiſtit , humilibus autem dat gratiam ? Non legiſti : Qui ſe exaltat , humiliabitur ? Non legiſti : Quia Deus perdidit memoriam ſuperborum , & non relinquit memoriam humilium ? Non legiſti : Quia quo iudicio quis iudicauerit , eum iudicari neceſſe eſt ? Non legiſti : Quia qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt ; & in tenebris ambulat , & non ſcit quò eat , quia tenebræ excæcauerunt oculos eius ? Vnde igitur & tam ſceleratus , & tam perditus, tam diſcordiæ furore veſanus extiterit iſte Nouatianus , inuenire non poſſum ; qui ſemper in domo vna, id eſt , Chriſti Eccleſia , proximorum delicta vt propria fleuerit ; onera fratrum , ſicut Apoſtolus hortatur,

a *Neque ſemper non defendam vos.* Mira tranſlatio quum ad verbum græcè ſit οὐδὲ διὰ παντὸς ὀργισθήσομαι ὑμῖν. quod latinè ſonat , *neque ſemper iraſcar vobis*; Coſterius omittens ſecundam negationem , accipit *defendam* , pro , *vlciſcar*; qua ſignificatione alibi quoque vtitur Cyprianus. Certè negandi particula poſteà fuit adiecta in cod. MS. PAM.

b *Pœnitentibus ; deprecantibus ; operant. &c.* Sunt hæc verba auctoris , non Iſaiæ ; vti malè cenſet Morelius ; eſt tamen ita adhuc locus obſcurus. *Idem.*

c *Noli gratulari inimica mea.* Non minus & iſtud , pro eo quod corruptè erat *amica* : Nam græcè apud 70. eſt ἐχθρά μου. *Idem.*

tur, ſuſtinuerit, lubricos in fide cæleſti allocutione corroborauerit. At nunc ex quo [a] Cainam illam hæreſim, quæ non niſi tantùm occidere geſtit, exercere cœpit; nec ſibi nouiſſimè parcit. Cæterum ſi legiſſet, quia iuſtitia iuſti non liberabit eum in die qua errauerit, & iniquitas impii non nocebit ei ex qua die conuerſus fuerit, iam olim in cinere pœniteret: ille qui ſemper pœnitentibus aduerſatur; qui in ruina faciliùs ædificatorum ſtantium operatur, quàm inſtructione iacentium ruinarum; qui multos ex fratribus noſtris miſerrimos falſis ſuis aduerſationibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo quod pœnitentia lapſorum ſit vana, nec poſſit eis proficere ad ſalutem; clamante ſcriptura & dicente: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam; ſi quo minus, veniam tibi, niſi pœnitentiam egeris. Et quidem ad ſeptem Eccleſias ſcribens ſingulis ſua quoque facinora, & delicta ingerens, pœnitemini dicebat: quibus? niſi illis, ſcilicet, quos pretio magno ſui ſanguinis redemerat? O te impium ſceleſtumque hæretice Nouatiane, qui poſt tot & tanta in Eccleſia, à quibuſdam retrò voluntariè commiſſa crimina, quæ & tu ipſe in domo Dei priuſquam apoſtata eſſe cognoueras; & hæc poſſe aboleri de memoria ſuccedente bono vtique docueras, ſecundùm fidem ſcripturæ dicentis: Quia ſi conuerſus fuerit, facinoroſus ab omnibus facinoribus ſuis quæ commiſit, & iuſtitiam fecerit vitæ æternæ viuet, & non morietur in facinore ſuo (Delicta enim quæ commiſit, abolebuntur de memoria ſuccedentibus bonis factis.) Tu hodie retractas, an debeant lapſorum curari vulnera, qui nudati à diabolo ceciderunt, [b] violentia aquæ, quam ſuo ore ſerpens emiſit poſt mulierem. Sed quid dicam? ait Apoſtolus: Laudo vos? in hoc non laudo: quia non in melius, ſed in peius veniſtis. vbi enim ſunt æmulationes & diſſenſiones in vobis; nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Nec nos quidem mirari oportet, cur iſte Nouatianus tam nefanda, tam grauia in perſonam lapſorum exercere nunc audeat: quandoquidem habemus exempla præuaricationis huius præcedentia. Saul ille bonus, præter cætera, poſteà liuore euertitur, & contra Dauid omnia aduerſa & inimica agere molitur. Iudas ille inter Apoſtolos electus, qui ſemper in domo Dei vnanimis & fidelis; ipſe poſtmodum Deum tradidit. Prædixerat quidem & Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ouium, rapaces lupos. Qui ſunt iſti rapaces lupi, niſi ſenſu ſubdolo conſpirantes ad infeſtandum gregem Chriſti? ſicut legimus [c] apud Zachariam poſitum: Ecce ego ſuſcito paſtorem in terra, qui quod auerſum eſt, non viſitabit, & carnes electorum manducabit, & talos illorum torquebit. Similiter & per Ezechielem increpat huiuſmodi paſtores, ſcilicet prædones & laniones (dicam vt æſtimauerat) dicens: O paſtores, quare lac ebibitis, & coagulatum comeditis, & forte ad nihilum perduxiſtis, & infirmum non viſitaſtis, claudicantem non curaſtis, & errantem non reuocaſtis, & permiſiſtis populum meum errare inter ſpinas & tribulos? Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego veniam aduerſus paſtores, & exquiram oues meas [d] de manibus illorum, & repellam eos vt non paſcant oues meas, & non erunt eis amplius oues meæ in deuorationem, & exquiram eas ſicut paſtor gregem ſuum in die qua fuerit caligo & nebula: ſic exquiram oues meas, & exquiram eas in omni loco quocumque diſperſi ſunt: & quod perierat, requiram: & quod errauerat, reuocabo: & quod claudicauerat, curabo: & quod infirmum eſt, cuſtodiam, & paſcam oues meas cum iudicio. Quis iſta loquitur? vtique ille qui relictis nonaginta nouem ouibus, quæſiuit illam quæ de ſuo errauerat grege, ſicut Dauid dicit: Errauí velut ouis quæ periit; quam inuentam Chriſtus redit humero ſuo portans peccatricem, delicatam; qui gaudens & exultans vocatis amicis & domeſticis, ait: Congratulamini mihi, quoniam inuenta eſt ouis mea quæ perierat. Dico, inquit, vobis, quia tale gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Et ſubiungens ait: Aut quæ mulier habens denarios decem, & cùm perdiderit ex denariis vnum, nónne accendet lucernam, & tota die domum ſuam emundat, quærens donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quoniam inueni denarium quem perdideram. Dico vobis, quia tale gaudium erit in conſpectu angelorum Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. E contrario autem non agentes facinorum ſuorum pœnitentiam; quæ eos maneant ex ipſius Domini reſponſo cognoſcant. Legimus enim in Euangelio: quod quidam venerunt de Galilæis ad Dominum, annunciantes ei de eis quorum ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificiis ipſorum: quibus reſpondit Dominus dicens: Putatis quia illi Galilæi ſuper cæteros Galilæos peccatores fuerant, quia paſſi ſunt talia? non. Dico enim vobis, niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Aut illi decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloa, putatis

a *Cainam illam hæreſim.* Rectè Eraſmus pro *caninam.* Sic enim & Hieronymus appellat eam, quæ adimit ſpem remittendi peccati. locus Hieron. eſt epiſt. ad Oceanum, & meminit eiuſdem quaſi tollentis martyrium, libro contra Vigilant. vt ſit eadem quæ Gnoſticorum, de quibus Tertullianus in Scorpiaco. Atque adeò etiam Caina, legendum cenſeo apud eumdem Tertull. initio libri de Baptiſmo aut ſaltem *Caiana*, pro eo quod eſt *Gaiana.* Quippè quæ remedium etiam baptiſmo tolleret. De aliis huius ſectæ erroribus vide eumdem de præſcriptione aduerſus hær. Irenæum lib. 1. cap. vlt. Epiphanium hær. 38. & Auguſt. hær. 18. PAM.

b *Violentia aqua quam ſuo ore ſerpens emiſit poſt mulierem.* Intelligit perſecutionem quam diabolus immiſit in eccleſiam. *Idem.*

c *Apud Zachariam.* Hoc ex coniectura Coſterii, pro *ad*, conſentit etiam MS. cod. *Idem.*

d *De manibus illorum.* Adiecit iſtud rectè Grauius, nam habent 70. & Cyprianus ſuprà epiſt. 54. ſic etiam MS. cod. *Idem.*

putatis quia debitores fuerunt morti ſuper omnes homines qui habitabant in Hieruſalem? Non dico vobis, inquit, quia niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter perietis. Excitemus itaque nos quantum poſſumus, fratres dilectiſſimi, & abrupto inertiæ & ſecuritatis ſomno ad obſeruanda Domini præcepta vigilemus. Quæramus tota mente quod perdidimus, vt inuenire poſſimus: Quia quærenti, ait ſcriptura, dabitur, & pulſanti aperietur. Mundemus domum noſtram munditia ſpiritali, vt ſecreta quæque & abdita pectoris noſtri, vero Euangelii lumine radiata, dicant: Tibi ſoli deliqui, & nequiſſimum in conſpectu tuo feci; Quia mors peccatorum mala, & apud inferos pœnitentia nulla: habentes in contemplatione maximè diem iudicii & retributionis: & quod ab omnibus nobis credendum, & firmiter eſt tenendum, quia acceptio perſonarum non eſt apud Deum; cùm præcepit in Deuteronomio, non accipiendam perſonam in iudicio: Non accipies, ait, perſonam, nec ſecundùm minimum, nec ſecundùm maximum iudicabis. His ſimilia & per Ezechielem dixit; Omnes, inquit, animæ meæ ſunt, ſicut anima patris & anima filii. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Hic erit igitur à nobis venerandus, hic tenendus, hic per plenam & dignam noſtram confeſſionem propitiandus, qui habet poteſtatem animam & corpus mittendi in gehenna ignis; ſicut ſcriptum eſt: Ecce venit cum multis millibus nunciorum ſuorum facere iudicium de omnibus, & perdere omnes impios, & arguere omnem carnem [a] de omnibus factis impiorum quæ fecerunt impiè, & de omnibus verbis impiis, quæ de Deo locuti ſunt peccatores. His ſimilia & Daniel: Vidi, inquit, thronum poſitum, & vetuſtus dierum ſedebat ſuper eum, & veſtitus eius erat tamquam nix, & capilli capitis eius tamquam lana alba: thronus illius flamma ignis, rotæ illius ignis ardens. [b] Flumen ignis prodibat ante eum, millia millium ſeruiebant ei, & millia millium aſſiſtebant ei: ad iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Ioannes autem manifeſtius & de die iudicii & conſummatione ſæculi declarat dicens: Et cùm aperuiſſet, inquit, ſigillum ſextum, ecce terræmotus factus eſt magnus, & factus eſt ſol niger, vt ſaccus cilicinus, & luna tota ſanguinea facta eſt, & ſtellæ ceciderunt in terra, quo modo ficus à vento magno agitata mittit groſſos ſuos, & cælum receſſit vt liber cum inuoluitur, & omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt: & reges terræ, & maximi quique, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis & in cauernis montium, dicentes montibus & petris; Cadite ſuper nos & abſcondite nos à conſpectu Patris ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies interitionis, & quis poterit ſtare? Item in eadem Apocalypſi hoc quoque Ioannes dicit ſibi reuelatum: Vidi, inquit, thronum magnum; & candidum ſedentem ſuper eum, à cuius facie fugit cælum & terra, & locus eorum inuentus non eſt: & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes ante conſpectum throni Domini, & libri aperti ſunt. & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ: & iudicati ſunt ſinguli ſecundùm ea quæ ſcripta erant in libro ſecundùm opera ipſorum. Sed & Apoſtolus bonum conſulens, ſic hortatur nos dicens: Nemo vos decipiat inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ, nolite eſſe participes eorum. Demus igitur totis viribus fidei noſtræ Deo laudem, demus plenam confeſſionem: quandoquidem ſuper pœnitentia noſtra gaudeant virtutes cælorum, gaudeant angeli omnes, gaudeat & Chriſtus; qui nos denuò peccatis oneratos, delictis obrutos, plena & clementi moderatione ceſſare à facinore hortatur, dicens: Conuertite vos, & redite ab impietatibus veſtris, & non erunt vobis iniquitates veſtræ ad pœnam. Proiicite à vobis omnes impietates veſtras quas feciſtis aduerſum me: & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Et vt quid vos morti traditis domus Iſraël? Non enim deſidero mortem peccatoris. Ego ſum, ego ſum, qui deleo facinora tua, & non commemorabor te; tu autem in mente habe, & iudicemus. Dic tu facinora tua priùs, vt iuſtificeris. Dum patet, fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis ſatisfactionibus deprecemur. Humiliemus nos, vt exaltari poſſimus. Acquieſcamus diuinæ exhortationi, qua euadere liceat diem Domini & iram, dicit enim ſic: Reſpice fili nationes hominum, & ſcito. Quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt? permanſit in mandatis illius, & derelictus eſt? aut inuocauit eum, & deſpexit illum? quoniam pius & miſericors Dominus, & remittens in tempore tribulationis peccata, omnibus inquirentibus ſe in veritate. Ait ergo: Dic tu facinora tua priùs, vt iuſtificeris. [c] Præ manu ſit vobis oratio illa exomologeſeos plena.

AD

a *De omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impiè.* Ita ex margine Grauii in textum inſeruimus, eò quòd reperiatur apud Iudam Apoſtolum, præſertim conſentiente MS. cod. PAM.

b *Flumen ignis prodibat ante eum.* Grauius & Manutius *flumen*; ſed pugnat vox græca ποταμὸς. *Idem.*

c *Præ manu ſit vobis oratio illa exomologeſeos plena.* Ex MS. cod. repoſuimus *vobis*, pro *nobis*. Hinc autem apparet, niſi forte illud, *dic facinora* &c. mutilum eſſe & imperfectum hunc librum, neque tamen oratio illa Cypriani pro martyribus, ea eſſe poteſt cuius meminit; quòd nulla pœnitentiæ aut relaxationis peccatorum, (vti ante me quoque Eraſmus adnotauit) fiat mentio. Accedit quòd in cod. vet. ex quo hunc librum deſcripſit ille medius interponatur ſermo D. Auguſtini de Cypriano: & in MS. Afflig in. Marchinenſi, Dunenſi, & Anglico codd. reperiatur illa oratio cum ſequenti, abſque tamen hoc libro, ac viciſſim hic liber in MS. cod. ſine vlla Oratione. *Idem.*

AD CORNELIVM PAPAM, DE CARDINALIBVS OPERIBVS Chriſti vſque ad aſcenſum eius ad Patrem.

PRÆFATIO SEV PROLOGVS.

SOlent Matres infantulis nuper editis in ipſo vitæ introitu aptare vocabula, & ex aliquibus præcedentibus vel circumſtantibus cauſis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere nomina; vt in ipſis primordialibus initiis quædam præfigerentur commonitoria ingredientibus vitam, ne nomen eis eſſet ad ignominiam, ſi originalis naturæ traductio à conſueto limite deuiaret, & à virtute patrum degenerans, indigna ſucceſſio monſtri non hominis faciem exhiberet. Reſpicerent potiùs ad nomina vel officia ſua, quorum inſpectio honeſtæ conuerſationis formam eis infunderet & doctrinam, vt honorificarent naturales cauſas & rationales diſciplinas, nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines, vel primarias offenderent dignitates. Nam olim tumultuariè vel inconſideratè nomina rebus imponebantur: ſed ex quo ad Adam adducta ſunt ſingula, vt vocaret ea & propria imponeret nomina, prouiſum eſt in populo antiquo & inſtitutum, vt aliqua eſſet in vocabulis ratio, & interpretarentur nomina vitam, & exprimerent aliquam perſonæ proprietatem, ſecundùm quam vel differret à cæteris, vel etiam communicaret. Sic in nominibus patriarcharum Abraham, Iſaac & Iacob magnarum rerum extitêre indicia, & præloquebantur ventura, nec deerat impoſitorum nominum a ſecundùm ſenſum ſuorum effectuum certitudo. Apud gentiles etiam non in nominibus, ſed in agnominibus poſteà à viris illuſtribus obſeruatum (vt nobilitas generis vel virtutis gloria poſteros illuſtraret) Auguſti vel Cæſaris titulo ſuccedentem honorare progeniem, & imperatoriæ dignitatis hæredes primæ originis irradiare fulgoribus. Sic & philoſophi & doctores antiqui tractatibus ſuis nomina prætexêre, breui titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes, & propriæ gloriæ propoſito nomine ſuo prouidentes, vt integritatem operis & laborem auctoris tam ſtili quàm perſonæ in poſterum auctoritas conſeruaret; & facilè ſcripturæ ſubtilitas indicaret, ſi aliqua manus inuida elegantiæ tractatuum elimatorum pannum rudem inſueret, vel nugis ſuis quaſi ſua eſſent quæ alius laudabiliter dictaſſet, furtiua tranſlatione insereret. Sic in capite libri ſui quiſque auctorem ſe poſuit, vt & ſtilus auctori, & ſtilo auctor famularetur, & auctoritate altrinſeca communis gloria muniretur. Hoc virorum illuſtrium præclara meruerunt ingenia, & per hæc viuax eorum fama & gloria indelebilis perſeuerat. Nos verò qui vix intelligimus quæ ab eis dicta ſunt, ſenſu & eloquentia omninò eis impares, ſi quid aliquando ſcribimus, indignum titulo iudicamus; ne fortè nobilis materia, cuius explanationi ſtudium adhibemus, decoloratam ſe potiùs quàm ornatam noſtra præſumptione queratur. Verùm quia ſolent aliquando patres nugis infantilibus arridere, & linguis balbutientibus delectari; indulgentiam meretur humilitas, quæ quo poteſt acceſſu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit attrectandam, non gloriam mendicans, ſed gratiam. Ego quidem nec à me ipſo, neque ab alio quæro nomen, neque enim aliquid me exiſtimo eſſe, b cùm nihil ſim; qui hoc à vobis maxima ſupplicatione quæſiui, vt non eſſem quod ſum, & humiliter ſupplicaui vt ab hac flamma in qua crucior, me veſtra clementia liberaret. Tentaui ſi poſſem manu veſtra me ſuſtinente, honeſtè deſcendere: quod quia non potui vrgentibus flammis, non attendi quò proſilirem, dum me vorax incendium non cremaret. c Sublimes materiæ ſubtilium ingeniorum exigunt tractatores: nec facilè de artibus rectè iudicat, qui artes ignorat. Exercitati in liberalibus diſciplinis ſimul ingenio conueniente & ſtudio philoſophari poſſunt, & ſecurè aggredi res abditas; eorumque conatibus ſe peruiam penetrata exhibet difficultas, & ænigmatibus enodatis rerum ſecretarum facies patet, cuius ſerenitatem velabat nubes oppoſita, & veritati ſuperfuſa caligo. Ideóque tam in diuinis, quàm in philoſophorum doctrinis, nec tutum eſt nec honeſtum, ineruditos & ignaros d ſenſuum ad litteras illas pertinentium, proſilire ad diſcuſſionem eorum quæ neſciunt: & de his ſibi vſurpare magiſterium quæ ignorant. Huius rei forma ſeraphim faciem Dei, & pedes velat; & petentibus quæ in medio ſunt, principium ſinémque maieſtatis diuinæ alarum extenſio infrà ſupráque operiens, aditum ad ſe temerariis tractatoribus vel ſcriptoribus interdicit: nec patitur ad liquidum ſe videri diuinitas, quam vtique inueſtigatio fidelis aliquo modo odorat vel ſentit, ſed puram eius eſſentiam nec conſpicit nec comprehendit. Affirmatio quippe de Dei eſſentia in promptu haberi non poteſt: neque enim diffinibilis eſt diuinitas, e ſed veriùs ſinceriuſque remotio indicat negando quid non ſit, quàm aſſerendo quid ſit: quoniam

a *Secundùm ſenſum ſuorum effectuum.* Sic lego ex coniectura, pro *ſecundùm ſenſum ſuum.* PAM.

b *Cùm nihil ſim.* Planè & iſtud, pro *ſum*, alludit enim ad verba Apoſtoli. *Idem.*

c *Sublimes materiæ, &c.* Quum quod latinè præfatio, græcè dicatur. προλογος, cum Morelio ſuſtuli diſtinctionem illam, qua hæc pars prologus intitulabatur. *Idem.*

d *Senſuum ad litteras pertinentium.* Locus pro difficultate *ſcripturæ.* *Idem.*

e *Sed veriùs ſinceriuſque remotio indicat.* Locus obſcurus *Id.*

quoniam quidquid ſenſui ſubiacet, illud eſſe non poteſt, quod omnem ſuperat intellectum. Quidquid audiri vel videri vel ſciri poteſt, non conuenit maieſtati : hebes eſt in hac conſideratione omnis acies ſenſuum, & caligat aſpectus. Hanc inuiſibilem lucem, & inacceſſibilem naturam ſex aliis hinc & inde ſeraphim ſtatu & volatu circumeunt & abſcondunt; ſtatu æternitatis immobilitatem monſtrantes, volatu verò altitudinem eius, ſic in ſuperioribus eleuatam, vt quantumlibet ad cor altum homo aſcendat, exaltetur Deus, & comprehenſionis importunitatem euadat. Nec tamen alæ illæ, quæ Dei velant ſubſtantiam, noſtros conſpectus diffugiunt, ſed illæ puris mentibus ſe viſibiles exhibent; & operum Dei ratio ſiue eorum quæ ex nihilo ſunt, ſiue eorum quæ ex materia vel factæ ſunt vel fiunt, ſe intelligibilem exponit : & quæ circa Deum & quæ ſub Deo ſunt mundi poteſt cordis quoquo modo ſinceritas contemplari. Prima rerum conditio ſex inſtituta diebus fatetur artificem, & profitetur opus auctorem. Neque enim ſui ipſius artifex eſſe, aut potuit quis nouam creare materiam, nec potuerunt multa & diuerſa rerum eſſe principia : quia niſi ad vnum cuncta reſpicerent, diſcordia & infinitate cuncta turbata voluerentur in chaos, & repugnarent & colliderentur in ſe diſcordes materiæ, niſi omnibus factoris auctoritas imperaret & vnius monarchia poteſtatis, vniuerſitatis cauſas & efficientias ordinaret. Homo itaque præpoſituram in inferiora accepit, ſciens quis hunc honorem contulerit : nec tamen ea ſcientiæ perfectione illuſtratus eſt, vt eo modo congnoſceret conditorem, quo eius cognitioni reliquæ creaturæ ſubiectæ ſunt; ſed diſtantiam maximam experiretur inter ſumma & infima, & ex hoc ipſo eſſet Deo accliuis & humilis, quo auctori ſuo ſe in nullo poſſet conferre, cuius effugere dominium, nec penetrare conſilium, nec poterat vitare iudicium. Itaque qui circa ipſum ſunt angelici ſpiritus, licet inuiſibilis naturæ ſint, in legationibus tamen ſuis ſe auditu manifeſtant & viſu; & ſalutis noſtræ miniſteriales ſæpiſſimè experimur, quorum officia & nomina in ſcripturis ſanctis habentur. Illa quidem ſuperiora agmina nobis prædicant, non indicant Deum : & nunciant quæ iubentur, [a] ſpiritalem iniuncti negocij peragentes, non vniuerſitatis explicantes ſcientiam : quia ad nos numerus & menſura & pondus refertur. Deus verò his omnibus non artatur, ſed excedens omnia & æternaliter antecedens poteſtas & virtus nil habet coæuum, nec immenſitatis eius profundum vlla creatura vel cæleſtis vel terrena metitur. Quæ verò ſub ipſo ſunt, implent templum; & præſens Eccleſia cognitionem, earum rerum aſſequitur, quæ ad cultum iuſtitiæ, quæ ad ordinem vitæ, quæ ad gradus aſcenſionum, quæ ad conuenientiam morum, quæ ad honeſtatem huius conuerſationis & gratiam pertinent contemplationis : hæc aguntur & exercentur in templo præſenti & per hæc Deus quæritur, nec tamen quæſitus illicò inuenitur. Guſtamus, delibamus, odoramus, & propè eſt : cumque acceſſeris, longiùs abit. Et quo modo fulgur nubes diſrumpit, & repentina coruſcatio non tam illuminat quàm hebetat oculum : ita aliquando neſcio quo modo tu augeris, & tangi te ſentis, cum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinſecus quæ efferri non ſufficis, vt dubitare non poſſis, qui iuxta te eſt, immò intra te qui ſollicitat : nec tamen ſicuti eſt, ſe tibi videndum concedat. Rachel ad odorem, non ad eſum, Liæ mandragoras concupiſcit; tu ſponſo fide non complexu coniungeris, tu ſpe concipis, donec Chriſtus in te formetur; & depoſito pondere huius cadaueris, eiuſdem ſint puritatis caro & ſpiritus, & renouata natura ſobolem immaculatam parturiat. Rachel quippe viſum principium ſonat. Quod verbum in principio apud Deum in ſuo proprio eſſe, mihi non patet, ſed quibuſdam nominibus Deum inuoco & dico : iuſtitia, veritas, ſanctificatio, charitas; & quæro aliquas ſpecies vel formas, & per quas quid ſentio quoquo modo intimem. Nam quod verbum caro factum eſt, facilius video, ſi hoc ſenſui meo quaſi eſu incorporo; principium autem illud vix remotiſſimo odoratu quaſi pertranſiens ſentio. Illa quidem intellectualia per viſibiles creaturas, quantùm fas eſt animæ videre vel præuidere, diuina mente à longè proſpicimus; in multis per opinionum & coniecturarum pelagus circumducti, in multis veritati hærentes, in multis magnitudine rerum oppreſſi, exclamamus cum Apoſtolo : O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Cordi igitur noſtro ſe offert Deus, & aliquid ſui luminis infundit inuitans & prouocans. Niſi enim aliquo modo ſentiretur, nec appetendi, nec inquirendi ſpes eſſet aliqua vel facultas. [b] Sed quia ex parte ſentitur, admirationi eſt odor ille & ſapor, nullam habens cum carnalibus dulcedinibus ſimilitudinem, & per omnia ſuauitate differens, eóque deſideratur copioſiùs, quò cætera delectamenta excedit. Deſiderium autem inquirentes purificat, & purificatio excluſis enormitatibus ad formam Dei prouehit aſcendentes : atque ita in opere ſuo imago & ſimilitudo Dei multis laborioſiſque prouectibus propriam ſibi demum indicat dignitatem. Ad hanc rerum adeò profundarum indaginem niſi incarnati Verbi magiſterium acceſſiſſet, humana defeciſſent ingenia; & neſcio ſi & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus aſſurgere : ſed aſſociata carni diuinitas aſſumptam

a *Spiritalem iniuncti negotij peragentes* Apud Remboldum, qui primus hoc opus edidit, poteſt legi *ſpecialitatem*. PAM.

b *Sed quia ex parte ſentitur, admirationi eſt odor ille & ſapor.* Manutius & Morelius : *dolor ille* : ſed non placet, *idem*.

ptam naturam ex parte ſuæ voluit eſſe clariratis conſortem, & apertis cælis ſuper doctorem & Dominum noſtrum ad ſuperiora noſtrum introduxêre aſpectum: & vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à patre: & de plenitudine gratiæ & veritatis quæ in ipſo eſt, inſtillata eſt nobis aliqua portio. Et cum Philippo audiuimus: Qui videt me, videt & patrem. Nec tamen in hac viſione plena poteſt eſſe ſufficientia, donec in ſplendoribus ſanctorum in die virtutis ſuæ agnoſcatur [a] ratio gignentis & geniti & procedentis; quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ad liquidum hucuſque aſcendit. In his omnibus quæ dicta ſunt omninò ſenſum noſtrum materiæ excedit ſublimitas, & ſtilum repellit moles nimii ponderis, & aſcenſiones arduæ difficultas: ſed præcepti veſtri, Pater excellentiſſime, me coegit neceſſitas, vt tentarem, ſi fortè importunitate ſtudii aliqua poſſem de ſanctuarii ſuppellectile vellicare, & reducto in partem velamine, arcto ſubtilique aditu propitiatorium intueri. Præſumpſit meditatio aſpicere à longè, & annos æternos inquirere, & quid ante tempora ſæcularia eſſet indagare; ſi tamen ſæculum vel tempus dici poteſt ante lucem & diem & ſolem; & quo modo ante cauſas elementarias & materiales origines illa æternitatis infinitas ſe haberet; ſi illa omnipotentia apud ſe ſolitaria eſſet, & miniſteriales ei deeſſent ſpiritus, & maneret apud ſe illocaliter ſempiterna diuinitas, & in quo eſſet ſapientiæ regnum, [b] cùm non eſſet quod regeretur, & vſu ſpecieque careret illa inanis antiquitas. Ab his omnibus repulſus, ad ſæcularia viſibilia compulſus ſum redire, & vtinam me ipſum cognoſcam & ſciam. Quod ſi animæ meæ, quæ corporis mei obtinet principatum, nec originem ſcio, nec metior quantitatem, nec qualis ſit intueri ſufficio; ſi ignota eſt mihi ratio quare ipſa delectetur in corpore perſecutore ſuo; ſi neſcio quis hanc legem membris inſculpſerit, vt tam violenta dominatione ſpiritum opprimat, & melior digniorque natura deteriori ſuccumbat; patienter me ferre oportet, ſi operatorem vniuerſitatis non intelligo, qui in minimis operationum ſuarum particulis meam profiteor cæcitatem. Inſolubilis videtur hæc quæſtio, quare homo rationabilis in negata nitatur & vetita, & ſemper illicitis delectetur. Omninò rarum eſt & difficile, fieri bonum, facile & pronum eſt eſſe malum; & hac ſine magiſtro, ſine exemplo doctrina, ſtatim pubeſcentibus annis imbuimur & docemur. Vide in ipſis qui ſanctimoniam profitentur, quæ religio manum claudat porrectis muneribus, quæ ſolitudo aures obſerat oblatis fauoribus, quæ gula communibus eſt contenta ſaporibus. Quis non ſe habeat vilem, ſi videat humilem? Quis non putet opprobrium, ſi ſe ſentit inglorium? Quis enumeret voluptatum potiùs monſtra quàm ſpecies, quæ [c] per concupiſcentias carnis inuitam animam trahunt, clam palamque de conclaui ad forum, de lupanaria ad theatrum? In primis abraſa verecundia, pudoréque conuulſo, non abſconditur ſcelus, nec nutat ratio, nec diſcretio reluctatur carnis affectibus; captiuus ſpiritus conſentaneam exhibet clientelam. Hoc ipſum quod dico, carnis affectus, impropriè dico; quia hæc vitia propriæ animæ ſunt, quæ ſentit & mouet & viuit: cui imputatur peccatum, [d] quia ipſi datum eſt arbitrium, & iudicium, & ſcientia, & potentia, per quæ poſſit improbare malum, & eligere bonum. Corpore autèm ſic vtitur anima, ſicut faber malleo vel incude in qua format omnium turpitudinum Idola, & fabricantur quælibet quarumcumque voluptatum ſimulachra. Non eſt caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda; ſed officina eſt ſpiritus, qui in ea, & per eam, quæcumque affectauerit, peragit & conſummat. Quod autem ipſa inſenſibilis ſit, ſpiritu recedente dinoſcitur: poſt cuius diſceſſum nulli apta vſui supereſt putredinis maſſa, & paludis aceruus. Quidquid enim ſentit, à natura corporis alienum probatur. Quod verò caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem contendere dicitur, & repugnare impropriè arbitror dictum, quia ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat, certior in huiuſmodi quæſtionibus quid bonum ſit, quid malum, quàm in aliarum rerum inquiſitionibus quid verum ſit, quid falſum. Nam in abditarum cauſarum inſpectionibus & ſecretis naturæ poteſt homo errare vel decipi; quia non per omnia à fine vſque ad finem intellectus humanus attingit; ſed in his quæ oculis & manibus ſubiacent, nulla ſubtilitas iudicium impedit: quià fœtenti à non fœtentibus, decora à turpibus, amara à dulcibus, dura à ſuauibus, & à diſſonis conſonantia facilè diſcernuntur. Sed deſiderii ſui veneno mens ebria, corpus contumeliis applicat, & iunctis complexibus ambo in mortiferas ſuauitates elapſi, obdormiunt. Cumque euigilauerint, ſerò pœnitentiam adducit confuſio, & inquinamentorum horror fœdatæ menti occurrit. Et in cæteris omnibus quæ malignè patrata ſunt, huiuſmodi vltio peccatorem perſequitur, & ipſe libidinum labe crapulatus ſe conuomit. Sed auaritiæ ſolius & quæſtus ardor nec ſatiat cupidum, nec pœnitet eum cumulaſſe quod creſcere optat, non minui: [e] & diſcola obſtinatus ſemper quid idolo ſuo immolet, ſedulus coaceruat. Vnde hæc ſitis diuitiarum miſeris pectoribus aſſidet, & ambitionis

a *Ratio gignentis & geniti & procedentis.* En diſtinctionem perſonarum Trinitatis. PAM.

b *Cùm non eſſet quod regeretur.* Manutius & Morelius *gereretur*, at illud placet, quia præcedit, *regnum*. *Idem.*

c *Per concupiſcentia carnis vitam animam trahunt.* Cenſeo legendum *per concupiſcentias carnis, inuitam animam trahunt*. *Idem.*

d *Quia datum eſt ipſi arbitrium.* Locus pro libero arbitrio. *Idem.*

e *Et diſcola obſtinatus.* Diſcola pro idololatra. *Idem.*

bitionis ſalſugo bibulam animam occupat; vt per fas & nefas ad loca ſuperiora etiam de latebris eremi nonnulli ſe ingerant: & de omni gradu vbi aliquis aditus patet anheli prodeant, diſcurrant ad iudices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, vt ſedeant cum principibus; eo quæſtu, vt maledicat Deus quod ipſi benedixerint, & benedicat quod maledixerint. Hæc lex peccati, quare in his & ſimilibus legem iuſtitiæ opprimat, & quare eneruata ratio cum ſtare poſſit, tam miſerabiliter ruat, difficile eſt aſſequi; [a] maximè cum defectus iſte à damnationis ſententia pendeat, & hanc ineuitabilem pœnam antiqua tranſgreſſio ſit ſortita. [b] Ergo ſi me ipſum neſcio, ſi animæ meæ ſubſtantiam & naturam ignoro, ſi eorum quæ intra me ſunt rationem non intelligo: qua audacia ſupra me erigam oculos, vt videam principium ſine principio, & finem ſine fine attingam? à talibus auſibus deſiſtendum excellentia maieſtatis imperat, & ipſa impoſſibilitas omnes ingenii noſtri conatus repellit. Ea igitur quæ licita ſunt & conceſſa tangamus, & circa cunabula Saluatoris prima infantiæ eius fercula deguſtemus; & circumciſi & loti victo diabolo, Sanctitatis affectibus in cœna cum Domino recumbamus; vbi pane angelorum refecti, poſt illius cibi delicias ſurgamus ad tranſitum, vt de hoc mundo vehiculo crucis euehamur ad cælum; Spiritu ſancto nos replente, vt qui deinceps nos deuehat, & patefaciat quidquid in exilii huius peregrinatione moles corporis & imperfectionis lippitudo fecit obſcurum. Librum igitur quem de cardinalibus Chriſti domini noſtri operibus ſcripſi, paternitati veſtræ (ſuppreſſo nomine noſtro) miſi; in quo fons ſacramentorum & diſciplinæ huius in qua ſtamus, origo formam & exemplar rectè viuendi nobis proponens, ab humili aduentu vſque ad glorioſum eius reditum ad patrem gradatim conſcendit: quem potiùs in mente noſtra quàm in pagina ſcribi deſidero; & vtinam in ſanctitatis veſtræ conſpectu, memoriam & recordationem noſtri ſupplex mereatur affectus.

DE

a *Maximè cùm defectus iſte.* Ita appellat peccatum originale. PAM.

b *Ergo ſi me ipſum.* Hoc rurſum ex coniectura Cauchij, pro *ego. Idem.*

DE NATIVITATE CHRISTI.

ADEST Chriſti multùm deſiderata & diu expectata Natiuitas, adeſt ſolemnitas inclyta; & in præſentia Saluatoris grates & laudes viſitatori ſuo per orbem terrarum ſancta redit Eccleſia. Gaudia nobis cælitus renunciantur, lætitia imperatur. Nox iſta ſacri partus conſcia, nouis fulgoribus illuſtratur. Gloriantur in cæleſtibus ſuperi, pax in terra bonæ voluntatis hominibus confirmatur. Adſunt angeli, loquuntur paſtoribus; non dedignantur loqui perſonis humilibus, & cùm ipſi ſublimes ſint, infimos non aſpernantur. Nec luce inſolita, nec angelorum terrentur paſtores præſentia; ſanæ & puræ fidei homines delectantur in eo quod audiunt conſonas laudantium voces cæleſtes, gloriæ & gratiæ diuinæ præconia modulantes. Nec ſatis fuit ſuperiùs arcana reſerare cæleſtia, etiam hominibus pax reddita nunciatur, & bonæ voluntatis noui muneris largitate conſecratur affectus. Oportuit bonum Dominum certificare & lætificare in aduentu ſuo bonas expectantium voluntates: & multiplicatis teſtibus certa præſentiæ ſuæ dare indicia, vt iam non expectaretur quaſi venturus, ſed qui venerat, videretur; & eſſent angeli quem ſibi noua Chriſti infantia conſecrarat, ſancti ortus & loci indices. Vnus Gabriel virgini obumbrationem virtutis altiſſimi nunciat; multitudo cæleſtis exercitus, gratulabunda Saluatorem mundi prædicat aduenisſe, & reconciliata terreſtria ſuperis canit; & conſilium antiquum prodiit palam nec iam ſecretum eſt; ſed innotuit publicè in conſpectu gentium reuelata Chriſti benignitas, & oblata mundo in nullo à nobis differens, excepto quod peccati expers fuit, Saluatoris humanitas. A ſupernis legationibus incipit Euangelium, cuius primi dictatores Angeli extiterunt. Nec iam in manibus prophetarum ſimilitudines, & ænigmata inuoluuntur; ſed angelorum iubilo, & hominum ſtilo, & [a] euidenti rerum indicio conſtant & conſonant ſimul promiſſa & data, vmbriſque remotis, lex & Euangelia ſunt vnita. Multiplicantur teſtes, militia cæleſtis conclamat, credit paſtorum cuneus & exultat. A ſapientibus & prudentibus non quærit teſtimonium, qui paruulis ſe reuelat. In huius doctrinæ initio ſtatim faſtus & ambitio condemnatur. Non colores rhetorum, non inductiones perſuaſoriæ adducuntur, ratio & miracula harum rerum ordinem complectuntur. In primis ſigna ſe fidei miſcuerunt; & maxima in hoc efficacia dogmatum fuit, cum ſimul verbis & rebus actum eſt, vt nullum infidelium repugnantia inueniret diffugium. Nox illa omni luce clarior; ſermones angelici pacem hominibus nunciantes, deſignato loco Bethleem, ad quærendum puerum cohortantur. Paſtores illi amplius mente quam oculis carnalibus illuminati, ad conſpiciendum Emmanuel feſtinant: & edocti intus inuiſibili magiſterio Spiritus ſancti, quem paruulum vident, confitentur immenſum; & piæ ei deuotionis

affectum

a *Euidenti rerum indicio, conſtant & conſonant ſimul.* Ita lego pro eo quod corruptè legebatur, iudicio conſtat. PAM.

affectum præſentant. Electa adeſt humilium perſonarum ſimplicitas; vt poneretur regula, & indiſſolubilis daretur forma, quod non niſi pauperibus ſpiritu, Chriſti pateret humilitas: nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſet admittere veritas. Veniunt in Bethleem; quem prædixit Gabriel, inuenitur Emmanuel; ciuitas parua, domus paupercula, ſupellex exigua. Nulla domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo; mater in feno, filius in præſepio. [a] Tale elegit fabricator mundi hoſpitium, huiuſmodi habuit delicias ſacræ virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro byſſo in ornatu regio laciniæ congeruntur, genitrix eſt & obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit eſcula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio; [b] nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pediſſequas ſubſtantia familiaris non patitur; mancipiorum obſequia ſumptus tenuis & inops menſa excludit. Nullum domus arta diuerſorium occultabat, nec ſecreti receſſus erant illius caſulæ; [c] incruſtaturam tectum, & ſoli parietes per circuitum veſtiebant. Nec locus ibi erat lauacris, quæ ſolent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læſerat, quoniam ſine tormento peperit; quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen conſuetudinem ſequens, vt legi ſatisfaceret, quaſi cum aliis mulieribus eſſet ei in hoc opere ratio ſimilis, diebus deſignatis recubuit, & depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa oblatæ quieti paruit: & in diebus ſeparationis non ſe à thoro Ioſeph, qui eam numquam tetigit, ſed ab ingreſſu templi & cæteris quæ lex prohibebat, continuit. Vltrò maturus arbore baiula fructus elapſus eſt: nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat. [d] Nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vſuram. Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt; ideoque innoxiam affligi non decuit, nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis; quoniam plurimùm à cæteris differens, natura communicabat non culpa. Eratque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec antè, nec deinceps meruit obtinere, quòd erat ſimul mater & virgo ſingulis titulis inſignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria; quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpiritali & corporali intus & extra Chriſti præſentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant, etiam ſi adeſſent, non haberent oculos inſpectores: quia præſentia paruuli, ſic eorum qui aderant, Ioſeph, [e] & ſi quis fortè alius ibi erat, oculos occuparat, ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat; vt in hoc ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet euagari & mendicari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat. Angelica ſanè non eſt credendum miniſteria defuiſſe, nec receſſerat à venerabili pectore matris Spiritus ſanctus ad verbum Gabrielis elapſus. Poſſidebat domum ſuam; & templum quod ſibi conſecrauerat adornabat. Seruabat ſacrarium ſuum & ſanctimoniæ thalamum honorabat: lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcentiarum ludibria abigebat; legem mentis lex carnis non infeſtabat, rebellio nulla quem ſpiritus affligebat. Paruulus ſugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons ſacri pectoris defæcatum edulium ori mundiſſimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant: eratque vtrinque mira iucunditas, cùm pia ſanctæ matris & deuota humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas confederatis affectibus mergerentur. Extinſecus nuda erant & egena quæ videbantur, [f] nihil in illa paupertate videbatur diuinum, niſi his quibus reuelatum eſt deſuper; quorum primi fuêre ſuprà memorati paſtores, quorum innocentia & ſimplicitas electa eſt, vt laus Chriſti perficeretur: [g] quin piſcatores & paſtores ſequentibus temporibus confunderent oratores, & à paupetibus & humilibus prædicatio paupertatis [h] haberet initium. Execrari ſolent Ægyptii hoc hominum genus, & abominabiles eis ſunt oues & pecora. Sed huiuſmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit: & Abel paſtor munera de gregibus ouium obtulit; quæ in eo quòd cælitus inflammari viſa ſunt, quòd grata eſſent Deo, cunctis innotuit. Paſtores Abraham Iſaac & Iacob viri Deo familiares: Paſtores Patriarchæ duodecim: paſtor ipſe Moyſes, qui in eremi receſſu dum ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deum, & poteſtate ſignorum collata, populi recipit principatum. Heliſæus de aratro propheta coſtituitur: Dauid de poſt fœtantes accipitur, & in regni ſolio collocatur. Agnum quem abominatur Ægyptius, ſacrificari ſibi præcipit Deus, eiuſque ſanguinis Iſraëlitarum poſtibus illitus, exterminatorem angelum repellit & abigit; nec timetur mortis periculum, vbi tantæ reuerentiæ conſpicitur ſignum. Ad vmbram Petri languentes conſurgunt; Apoſtolis ſubiiciuntur dæmonia;

cedit

a *Tale elegit fabricator mundi hoſpitium*. Hoc quoque lego; pro, *tale egit*. PAM.

b *Nullus dolor*. Prorſus ſic lego ex conjectura Cauchij, pro *dolus*, eò quòd ſequatur *nulla natura contumelia in puerperio*; præſertim quum in ſequentibus latiùs hoc proſequatur. *Idem*.

c *Incruſtaturam tectum & ſoli parietes veſtiebant*. Magis placet lectio Marginalis apud Remboldum & alibi, quàm quod in textu eſt *incraſtaturam*. *Idem*.

d *Nihil in hac re petiit vltio*. Iſtud etiam ex coniectura Cauchij, pro *vltro*, facit autem hic locus pro immunitate B. Virginis à peccato originali, & præſertim ſequentia. *Idem*.

e *Et ſi quis fortè alius ibi erat*. Irrepſerat vitio operarum ſuperflua hic negatio apud Manutium. *Idem*

f *Nihil in illa paupertate videbatur diuinum niſi iis*. Etiam hoc rectè legit Cauchius, pro *non his*. *Idem*.

g *Quin piſcatores & paſtores*. Hoc Rembold. rectiùs quàm Eraſmus *qui*. *Idem*.

h *Haberet initium*. Ita lego pro *habet*, quemadmodum etiam paulò poſt *Paſtores Abraham Iſaac & Iacob*, pro eo quòd alij, *paſtor*.

cedit idiotis reproborum eloquentia: prædicante Paulo captiuas complicant manus gentes & regna. Pauperes electi, ſuberbi neglecti: nec faſtus, nec altus circa Chriſti diſcipulatum aliquem obtinent locum: Chriſtus pauper diſcipulos diuites aſpernatur Pauper mater, pauper filius inops hoſpitium, his qui in forma huius ſcholæ in Eccleſia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabulis adorauere paſtores; & paruulum confitentes, Deum ſimpliciter argumentoſi in ſpiritu & veritate, quem adorauerunt, nouerunt. Fuerat quidem miraculum, quod apertis cælis, lux fulgoris inſoliti nocte ſuper eos fulſerat, quod auditi angeli & conſpecti quod ab ipſis fuerant edocti & inſtructi paſtores. Sed licet hæc preceſſiſſent, tamen circa infantiam pueri diuinitatis intimatæ nulla humana ratio præbebat experimentum: nec circa illius præſepii anguſtias, vagiente inter alligaturas infantulo, aliquod maieſtatis erat indicium, ſed auditui fides obtemperans, nullum apud Deum impoſſibile verbum credidit; & per Spiritum ſanctum ad ſacramentum hoc intelligendum ſubtiliſſimis eſt intelligentiarum acceſſibus introducta. Idemque ſpiritus qui longè ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus ſe infundens, dilatabat humani intellectus anguſtias, & aperiebat interiores oculos; vt viderentur inuiſibilia, intelligerentur ea quæ humanus non attingit ſenſus, nec rationis penetrat intellectus. Hinc eſt quod prædixerat Eſaïas: Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Hoc potuit videri, huc nullum fides meritum quærit. Quod autem ſequitur, vocabitur nomen eius Emmanuel, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis, ſi clauſi ſint oculi mentis, exterioribus oculis neſcio quid mereris. Qui nec dum loquitur, quo modo conſiliarius erit? paruulus, quo modo creditur omnipotens Deus? omninò infirmus, in quo videbitur fortis? nihil omninò poſſidens, ad apicem regni & principatus faſtigium quibus aſcenſionibus attinget? Sed ſi fidei myſterium proſequaris, in his omnibus ſubtiliſſimas & puriſſimas rationes inuenies, & quòd omninò neceſſe fuit immenſum fieri paruulum, & filium Dei hominis filium euidenter agnoſces. Mirabitur etiam & dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundiſſimum ſacramentum in eo quòd contemptibilis factus eſt admirabilis, & qui litteras non didicit, nec legibus inſtructus eſt, ſufficiens ſit diuinarum humanarumque rerum conſiliarius: quo modo diuinitas & humanitas in vnam perſonam conuenerunt, & vbi æſtimata eſt infirmitas, fortitudo inuenta eſt; [a] & corpus humilitatis noſtræ diuinæ claritati configuratum, non in hoc mundo, ſed in cæleſti gloria perpetuum habeat principatum. Ad paruulos venit Chriſtus, & cum paruulis conſeruatur, pauperes inſtruit, & creat, & facit. Ipſe in ſynagoga Iudæorum in Eſaïæ volumine cùm legiſſet in ſabbato, complicato libro prophetiam hanc in ſe completam edocuit, quòd à Spiritu ſancto vnctus ſit, & ad euangelizandum pauperibus pater eum miſerit. Item in Euangelio gloriatur, confitetur Domino cæli & terræ, gratias agens, quòd reuelata ſunt diuina myſteria paruulis, à quorum intellectu ſublimitas huius mundi repulſa eſt; quæ Deo ſubiici non poteſt, dum ſecundùm carnem & ſanguinem inuiſibile ipſius ſuis regulis inueſtigat. Hic eſt primus religionis introïtus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus; vt quicumque piè vult viuere, humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cælo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter paruulus attulit: & à cunabulis nos ſibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona. Quia verò filij Dei ſumus, humanitatis participatione frater noſter fieri voluit, vt eſſemus ſecum beatitudinis cohæredes, & haberet tota compoſitio hominis perfectam plenamque lætitiam, cùm ſpiritus diuinam repræſentatet imaginem, & caro noſtra Chriſti corporis ſimilitudinem; conſummatæ ſocietatis beneficium obtineremus cùm nominis Chriſti & hæreditatis conſortes, & diuinæ naturæ communicamus per ſpiritum, & humanæ per corpus. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum; & promiſſionum ſuarum non immemor, ſicut ſe daturum nobis iurauerat, ſic compleuit. Filius datus eſt nobis: qui cùm in forma Dei eſſet, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, non eſt confuſus ſe ad formam ſerui exinanire, vt qui de fraternitate eius gloriantur & volunt aſcendere, non erubeſcant deſcendere; ſed eidem ſcalæ cum Iacob innitantur, & cantantes canticum graduum ab imis ad ſuperiora conſcendant. O Domine quàm admirabile eſt nomen tuum, vere tu es Deus qui facis mirabilia. Non modò mundi huius ſtaturam admiror, non ſtabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamentum; non ſingulos dies, non lunæ defectum & incrementum, non ſolem ſemper integrum & laborem eius perpetuum; non temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modo videntur, deinceps reuiuiſcunt: miror Deum in vtero virginis, miror omnipotentem in cunabulis, miror quo modo verbo Dei caro adhæſerit, quo modo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit; miror in hac diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam Saluatoris. In breui poterat patrari, negotium & poterat tantus labor abbeuiari ad ſolum Chriſti verbum; ſicut factus mundus, & diſpoſita cuncta ad eius imperium. Sed elementario mundo dignior eſt rationabilis homo, quod ex eo quod in eius ſeruitium facta ſunt omnia, facilè creditur.

In

[a] *Vt Corpus humilitatis noſtra, &c. habeat principatum.* Ex Cauchio adiecimus particulam *vt*, prorſus neceſſariam. PAM.

In cæteris quocumque modo aliquæ ſatisfaciunt rationes; hic ſolus me complectitur ſtupor. Et cum Abacuc cano: Conſideraui opera tua & expaui. Miror ieiunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in ſepulchro iacentem, miror occiſum & reſurgentem. [a] Hæc ſunt noua mira quæ prædixerat Hieremias: Nouum faciet Dominus ſuper terram. Mulier circumdabit virum. Opus ſuum faciet, & peregrinum opus eius ab eo. Ieſus Chriſtus heri & hodie ante luciferum genitus, initium carnis ſumpſit ex virgine; [b] quem cæli cælorum non capiunt; qui implens omnia cùm ſit in omnibus, ab his tamen non capitur nec tenetur. Nouum eſt & inauditum, quòd in materni anguſtia vteri circumdedit intra ſe fragilis caro virtutem Altiſſimi, & ordinem rerum curſumque naturæ mutauit ſapientia Dei: & vbique diuinitas dilatata, plenitudinem ſui vaſi infundens exiguo, ſic eſt circumdata muliebri vtero, [c] vt cùm vniuerſa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continens, extra vniuerſa complectens. Quem nos paruulum, propheta nuncupat virum; inſinuans ei numquam defuiſſe virtutem, ſed ſemper virilis ætatis aſſuiſſe fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat. Opus ſuum igitur fecit quod creauerat, ſaluans quod perierat, ad vitam reuocans quod mortuum: Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod verbum factum eſt caro, quod factus eſt viſibilis & comprehenſibilis, paſſibilis & mortalis: & peregrinum à maieſtate; puer ſugens vbera, panniculis inuolutus & ſuſtinens conuicia, filius Dei in patibulo conſtitutus. Conſiliarius quoque dictus eſt paruulus iſte, qui & alibi dictus magni conſilij angelus, eò quòd ſecreta Dei quæ ab hominibus erant abſcondita, publicè reuelauit, & cùm nemo noſſet patrem, niſi filius ipſe arcana Dei reſerans, indaginem Trinitatis explicuit; loquens Patri, & à Patre reſponſum accipiens, & Spiritum ſanctum infundens diſcipulis, [e] generationis & proceſſionis intimans rationes, ſubtiliter aſtruens perſonarum proprietates, & indiſſolubilis eſſentiæ vnitatem. Alia quoque inferiora, ſed tamen neceſſaria conſilia edocens; vt beneficia collata homo intelligat, vt in eo quod ſtat, gratias agat, & quod poſſibile eſt ex Dei gratia, cùm ceciderit reſurgat. De Virginibus, ait Apoſtolus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus. Vult & laudat ex imperio Domini, vt quæ nupſerint, ſic permaneant; [f] quæ verò virgines ſunt Dei, cumulatione caſtitatis integritatem exhibeant Chriſto: & in hunc modum quæcumque auctoritate diuina immobilia conſtant, ſic maneant; quæ verò in alterutrum poteſt libertas arbitrii flectere, locum eligant priorem: quia & ſi bona ſunt, & à Deo inſtituta coniugia, melior tamen eſt continentia, & virginitas excellentior; quam non cogit neceſſitas aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium. Quod ſi diuinis conſiliis obuiauerint tentamenta & liberas, mentes ad carnales reuocauerint appetitus; adeſt Deus fortis, nec ſpem ponat homo in homine, nec in brachio carnis ſuæ confidat, quia qui mundum vicit, victoriam ſuis promittit militibus; & qui victores ſunt ſui, cælo vim inferunt, quoniam ſicut ſcriptum eſt: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. In paruuli huius nomine cum hoſte antiquo congredimur, & fortis armatus ſuperueniente fortiore de atrio antiquitus poſſeſſo potenter expellitur, & præſumptæ infeſtationis audaciæ ſilentium imperatur. Defectui carnis noſtræ quæ à primitiuis fæcibus originalis mali infecta languerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo: & ſacramentorum communicatio, per quam illius corporis ſinceritati vnimur, nos in tantum corroborat; vt de mundo, & de diabolo, & de nobis ipſis victoria potiamur, & ſacramentali guſtu viuificis myſterijs inhærentes, vna caro, & vnus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo. Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt: Sic hi ad quos ſermo fit, dicuntur Dii, & filii excelſi, nominis, & hæreditatis, & æternitatis participes, fortitudine ſocietatis Chriſti ſubigentes tentamina: & cùm homines ſint ex indigniori materia, in captiuitatem redigunt, & conſpuunt ligantque dæmonia. Et quidem in hoc tempore in ſtadio vitæ huius ſe exercet militia Chriſtiana, & præeunte Chriſti vexillo, quem & paruulum vidimus & cognouimus Deum: & quos ſpiritus conſilii & fortitudinis munit, nec vinci, nec decipi poſſumus; quos eruditio, diuina ſcientia & poteſtate fecit inſignes. Videtur autem in præſenti diſciplina huiuſcemodi non eſſe gaudii, ſed mœroris; eò quòd non ſine periculo certamina peraguntur. Bonum verò certamen certantibus pacatiſſimum fructum in futuro exercitatis in iuſtitia dabit princeps pacis æternæ, conſignans ſibi in beatitudine, quorum communicauit naturæ. Ipſi gloria & imperium à modo, & vſque in ſempiternum. Amen.

DE

a *Hæc ſunt noua mira quæ prædixerat Hieremias.* Prorſus ſic legendum, pro *Eſaias.* Neque enim hæc verba apud Eſaïam, ſed apud Hieremiam reperiuntur. PAM.

b *Quem cæli cælorum non capiunt.* Omiſi particulam, *&*, quæ ſenſum obſcurabat. *Idem.*

c *Vt cùm vniuerſa ambiret.* Locus mutilus. *Idem.*

d *Saluans quod perierat.* Cum Cauchio omiſi adiectam *qua* particulam. *Idem.*

e *Generationis & proceſſionis intimans rationes.* Locus pro proceſſione Spiritus ſancti, etiam ex filio. *Idem.*

f *Quæ verò virgines ſunt Dei.* De his vide librum de diſciplina & habitu virginum. Rurſum autem hic locus eſt pro libero arbitrio; item pro peccato originali: & mirè facit hic locus contra eos qui dicunt impoſſibilem continentiam. *Idem.*

a In

DE RATIONE CIRCVMCISIONIS.

INter omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil Circumciſione ſollemnius antiqua celebrauit religio, nec tantùm in Hebræos, ſed etiam [a] in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit. Reliquæ gentes tam mandatum quàm factum irrident; & Deo minimè aſſerunt conuenire, vt Saluatoris benignitas plagis infantium delectetur, & immeritos in ipſo vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino ſentire, qui neminem vult perire, abſurdum & irrationabile iudicant. Nec tamen eis omnia reliqua ſacrificia ſunt horrori; ſed in multis naturalem legem ſequentes, expiationum retinent inſtrumenta, & immolant victimas, & incendunt adipes; & cum odoramentis & libaminibus fundunt coram Deo vota & preces. Legimus Iob Dei teſtimonio approbatum, iugibus ſacrificiis occupatum; [b] nec legimus circumciſum. Et poterant eſſe eo temporum diuerſis in locis multi viri inſignes, qui iuſtitiæ Dei ſubiecti, hoc ſigno carebant; licet filios Eſau & Hiſmael putandum ſit huius traditionis non fuiſſe expertes. Verùm cùm opus iſtud & antiquitas commendet, & iubentis auctoritas; inquirenda eſt tanti myſterii ratio, quæ Abrahæ ſpecialiter & ſemini eius tanto pondere mandata eſt, vt quiſquis in illa gente huius ſigni careret differentia, Ethnicus non Iudæus reputaretur, & à titulo filiorum Iſrael abraderetur proſcriptus. Hoc cum octaua die iuſſum ſit celebrari, & nomen circumciſo aptari; intimatum eſt his qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur quod eorum nomina ſcriberentur in cælis, & æternæ beatitudinis quam poſt vitæ huius ſeptimanam octaua conſequitur, hæredes fierent & conſortes, quicumque vitæ innocentia & cælibatus ſanctimonia ſeſe Domino conſecraſſent. Tenera itaque infantia huiuſmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiſcibiles motus, quos peccatum meruerat, miſerabili pœnæ, & ineuitabili vindictæ etiam in paruulis adhibenda erat ſeueritas, & antequàm ebulliret ſartago libidinum prouiſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium. Ideóque dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur; vt in primis elementis diſcerent paruuli ſemper propriæ memores ſectionis contraria curare contrariis, & ad cohibendos refrænandoſque turpitudinum appetitus neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hoc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, non tantùm circumcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinariis motibus opponens cauterium, vſque adeò corpus ſuum redigens in ſeruitutem vt diceret: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Cuius facti æmulatores erubeſcimus in pudendis: & detecto ſectóque confuſionis opericulo, quamuis conſcientia teſtis ſemper nobis exponat ſcaturientes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſſimus iudicium; viriliter tamen ſtandum eſt, & rationis auctoritate increpandi ſunt titillatorii ſenſus, & ſummopere vigilandum eſt ne ſequatur aſſenſus. Intra nos pudor iſte aboleri omninò non poteſt; quia nec totum hoc membrum, ſed anterior eius portio iuſſa eſt circumcidi. Res ſanè maxima eſt, ſi non egrediatur foras huius contagio corruptelæ, & inſaniens beſtia corrupti anhelitus catenis ferreis in vltimis animæ receſſibus alligetur, intuſque fractis dentibus ſeipſam concupiſcentia captiua maſtiget & corrodat. Manet itaque erubeſcentia propter ſenſum; vt qui in agone contendit, ſciens circumciſionis myſterium, ab omnibus ſe abſtineat quæ poſſunt huic flammæ miniſtrare fomentum. Nec tamen peremptoria eſt contendentibus, ſed probatoria huius ſenſualitatis colluctatio tam veterna: ſed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, vt victor homo peccati & pœnæ, poſt triumphos ſollemnes coronetur in gloria, ſine infeſtationibus deinceps, liber à peccato & pœna. Hanc verecundiam poſt præuaricationem, vanitati ſubiecta, non volens anima pertulit, & vim ſuſtinet inquietudine perurgente, & inuoluntariis motibus fatigata infelicitatis ſuæ deplorat miſeriam, liberari de corpore mortis huius deſiderans, & pacifici tranquillique ſtatus à Deo poſtulat libertatem. Quotidiano ſanè conflictu ſpiritus & caro luctantur, & cauſatur ratio aduerſus domeſticum malum; quod ita intra ſe exerceat regnum quaſi natura ſit vitium, & ſecum traxerit creatio prima peccatum. Hoc vtique prima non ſentit conditio, ſed ſecutum & tranſgreſſorem ſupplicium, & adhæſit indiuidua pœna peccato; de quo erubeſcent quicumque mundo corde regem in decore ſuo videre deſiderant. Quis in tam aſſiduis illuſionibus non confundatur? Quis non in tantis contumeliis erubeſcat? Fomes quippe huius mali intus in tenebroſis receſſibus latitans, vt viderit animam alias occupatam, & minùs ad ſui circumſpectionem ſollicitam; irruptionibus vehementibus erumpit, blanditiis venena ſupponens pudicitiæ puritatem inopinatis inuadit aſſultibus. Ideóque pudibundus homo nuditatem ſuam operit, & fœditatem confuſus occultat. His rediuiuis

a *In Phœnices & Arabes.* Vide D. Hieronymum in Hieremiam capi 9. PAM.

b *Nec legimus circumciſum.* Grauius legit *legitur*; at prius placet. *Idem.*

rediuiuis vulneribus ſemper hac ſanie illitis neceſſaria eſt per omnem huius vitæ ſeptimanam iugis reſecatio putredinum, & continua circumciſio cicatricum. Et in cæteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrii retinent libertatem. Hic verò vbi Babyloniæ fornax exarſerit, & quaſi pice & naphtha conſperſi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis priuatur honore; intantum vt rebellia membra velit nolit in motus nefarios audacter exurgant. Præcedebant olim integumenta rerum ſignificantia abolitionem peccati, & ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc ſacramentum conſuetudini antiquæ ſubtrahere voluit Chriſtus, & licet non eſſet in hoc tempore neceſſarium, tamen ne antiqua religio prorſus reproba videretur, in ſe voluit circumciſionis aptare ſignaculum. Sanè originale peccatum quod à primis patribus in totam generis huius ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari; licet vim plenam ſignificantia non habuerint, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet ſacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat; quia ab Adam vſque ad Noë ſacrificia Deo conſtat fuiſſe accepta, quæ vſque ad illud tempus ſine legis diſtinctione diuinitus inſpirata inſtitutione primi hominis celebrarent. Illa verò ſacrificia aut in animalium ſanguine, aut aliarum oblationum incenſionibus agebantur; non quod fumo aut mortibus pecudum delectaretur Deus, ſed vt intelligeretur immutabile iudicium & prolata ab initio ſententia in peccatum. Immutabile decretum ab æterna lege exierat, concupiſcentia affligi, & morte peccatorem puniri: nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod ſubuenire, quin ſtimulus carnis ſine vlla exceptione colaphizaret infirmum, & vſque ad diſſolutionem mors importuna perſequeretur captiuum. Et mors quidem carnis concupiſcentiarum interſecabat ludibria, nec poterat vltrà peccare illud quod erat putredini ac diſſolutioni prædeſtinatum & datum; ſed ſupererat poſt mortem carnis animæ labor, & afflictio ſpiritus: nec poterat vlla ratione illa abſolui damnatio, niſi morti omnium vita omnium ſubueniret, & pro generali morbo gratia Dei ſingulare propinaret antidotum. a Hoc antiquum redemptionis noſtræ conſilium ſanctis patribus reuelauit Deus, voluitque vt paulatim aſſueſcerent homines paſſioni & morti neceſſariæ, voluntariæ mortis opponerent libamentum, & pœnam in medelam, & ſupplicium in remedium commutarent. Huius oblationis doctrinam ſacrificia continebant antiqua: & incenſiones & mortes huius conſummationis gratiam præſignabant. Propter hoc cum iam fidei tempora propinquarent, imperata eſt circumciſio; & pars illa corporis in qua eſt voluptatum ſeminarium & libidinis officina iuſſa in paruulis amputari, vt proprii primitias ſanguinis, ei qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent, & communia ſingulorum ſacrificia ſingulare præcederent holocauſtum. Vbi verò Chriſtus Dominus venit, de quo in capite libri ſcriptum erat, vt in morte ſua patris voluntatem impleret, ceſſarunt ſacrificia; nec iam truncationem præputii euangelium imperauit, ſed circumciſionem cordis, & omnem tam membrorum quàm affectionum petulantiam gladio ſpiritus reſecari immutabili decreto mandauit. Et tantæ dignitatis illa vna redemptoris noſtri fuit oblatio, vt vna ad tollenda mundi peccata ſufficeret; qui tanta auctoritate in ſancta introiuit in ſanguine proprio, vt deinceps nulla ſupplicantium poſtulatio ſanguine indigeret alieno. A diebus igitur viſitationis noſtræ regnum cælorum vim patitur, nec iam in expoliatione carnis circumciſio agitur, ſed Spiritus ſancti virtute vetuſtatis antiquæ ſanies expurgatur.

DE

a *Hoc antiquum redemptionis noſtræ conſilium.* Grauius *an---tiqua*, verùm prius placet. PAM.

DE STELLA ET MAGIS, ET INNOCENTIVM MORTE.

NAto in Bethleem Saluatore, audita eſt in Effrata eius in terris præſentia, & vſque ad ſiluas campoſque gentium nouæ huius natiuitatis eſt fama porrecta: in Iudæa à paſtoribus & angelis primo ſunt hæc gaudia celebrata, nec multò poſt Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari ſtella luminis a cæleſte numen nouis ſplendoribus indicauit. Erant in illis regionibus viri ſiderum inſpectionibus aſſueti, qui arte mathematica vim diſcurſumque nouerant planetarum; quia ex elementorum natura rationem temporum metientes, aſtrorum miniſteria certis experimentis propriis didicerant effectibus aſſignata. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierant, ſtellam oriri in Iacob, & hominem in Iſrael, cuius fortitudo quaſi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui ſuperarent Aſſyrios, & vaſtarent Hebræos, quo temporum nec in Iacob idolum, nec in Iſrael ſimulacrum eſſet. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerant, & vbi venit plenitudo temporis, orto repente nouo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam teſtimonio muniti quàm ſigno dromadis inuecti in Iudæam ſtella duce perueniunt. Nec potuere Palæſtinæ incolas latere

tanti

a *Cæleſte lumen.* Sic legendum cenſeo; & ita poterit retineri hæc vox quæ ſequitur *indicauit.* Alioqui non vt malè coniicit Cauchius reponendum iudicatur. PAM.

tanti nominis perſonæ; ſed vbi auditum eſt quòd ſtellam indicem nati in Bethleem paruuli ſequerentur, Herodi noui regis inquiſitio nunciatur. Euocatis itaque Magis, rei huius ordinem cum omni diligentia ſciſcitatur. Audit natum in Bethleem eſſe paruulum, quem profitentes regem & Deum, qui dè Sabba venerant, adorare & venerari feſtinant: intimatum eſt ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licet gentilis, prædixerat: & contulit cum litteris gentium, ſanctorum vaticinia prophetarum quorum ſcripta per omne ſabbatum legebantur; de quibus nulla in populo Iudæorum ambiguitas erat, quin rata eſſent, quæ illi vel aſſeruiſſent præterita, vel prædixiſſent futura: à fortitudine eius qui quaſi vnicornis obuios penetraret, in cuius obſequium vltrices de Italia trieres in Iudææ terminos aduentarent, & vſque ad finem mundi dilatarent imperium, anxius expauit & timuit. Conturbabat quoque aliud quod in Michæa ſcriptum eſt teſtimonium: Quoniam de Bethleem quæ eſt Effrata, egrederetur paruulus, qui Dominator eſſet in Iſrael, cuius egreſſus eſſet ab initio à diebus æternitatis. Cumque ea quæ domeſtici codices continebant, [a] cum his quæ ab alienigenis dicebantur, intelligeret conuenire; diuinis tentans reluctari conſiliis, ſimulat perfidus religionis aſſenſum, promittens Magis ſeſe ad adorandum paruulum cum omni deuotione illicò affuturum, cùm per reuertentes certitudinem de puero accepiſſet. Turbatur cum Rege maligno Hieroſolyma, non lætatur: expaueſcit & tabeſcit, & negare erubeſcit quod ſcriptura teſtatur. Nec minus horrendum ſcribarum ſacrilegium, quàm Herodis impietas: quia proprio Iudæi abutentes priuilegio, cùm viſitationi diuinæ inuenirentur ingrati cauſam ſibi cum Herode fecêre communem; cùm hinc & inde impietas & infidelitas aduerſus Dominum & Chriſtum eius fremerent, & pariter in eius odio conſentirent. Ecce alienigenæ à fluminibus Æthiopiæ ad paruulum Chriſtum ſupplices veniunt, & filii diſperſorum deferunt munera; accedunt qui longè erant, & qui propè recedunt; in loco humili & ſuppellectile vili Rex regum & Dominus dominantium inuenitur, cognoſcitur, & ab aliis adoratur. Quia verò neminem in conſpectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet; præuaricatoribus legis abeuntibus vacuis; primitiæ gentium ſacramentalia munera proferunt de theſauris, & Domino aurum & odoramenta præſentant; profitentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid ſentirent. In auro regem, in ture ſacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis paſſibilem profitentur. Oblatio iſta incarnati verbi & exponit myſteria, & breui ſubtilique indicio vtriuſque naturæ humanæ diuinæque exprimit vnitatem, quod & proprium eſt vnicuique ſingulatim diſtinguens. Nam Deo patri cuius regnum & imperium ſuis mundum replet ſplendoribus, in odorem ſuauitatis ſummus ſacerdos & pontifex Chriſtus ſe obtulit; cuius cato paſſionis cremata carbonibus, [b] incenſionis ſuæ fragrantiam tranſmiſit ad cælos, & vſque hodie odor ille ſuauiſſimus in terreſtri cæleſtique Eccleſia indeficiens perſeuerat. Quod autem paſſibilitas quam obediens Deo voluntariè ſuſcepit, incorruptione firmata ſit; virtus myrrhæ obuians corruptelæ ſuo probat effectu, & viſibilium ratione munerum immortalitatis ſolidæ conſtat euidens argumentum. Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur: quia neceſſe eſt, vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſunt ad ſalutem, deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas, deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per artas verò & difficiles reditur ad ſuperos. Propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & iugulator voluptatum, [c] ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus aggreditur. Arta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas; ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere, ſcopuloſæ ſunt ſemitæ, ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Non eſt tutus ad Herodem regreſſus, nec expedit cum his qui oderunt Deum fœdera iungere: nec de religione cum malignantibus inire conſilia, quorum familiaritas infantiam Chriſti ſtudioſè perſequitur; & antequam formetur Chriſtus in nobis, in ipſo piæ conuerſationis initio, vt extinguatur ſpiritus, & ſuffocetur vita iuſtitiæ, penitùs elaborat. [d] Deluſum ſe Herodes conqueritur, cùm Magos alias comperit diuertiſſe: quia moleſtiſſimum eſt principi tenebrarum cùm excogitatis laqueis tentatos quoſlibet nouerit euaſiſſe; & acriori inflammatus rabie, in neces innocentium debacchatur. Sic ſanctorum perſecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat: & quòd ille in perditionem molitur, hi vtuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Ecce paruuli iſti, quos hoſtis naturæ, pietatis inimicus, beſtialis ſæuitiæ; inauditæ crudelitatis monſtrum Herodes occidit, ſubitò fiunt martyres, & dum vice Chriſti, & pro Chriſto auulſi, à matrum vberibus detruncatur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſione; & ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. Illicò ſpiritus infantilis vaſculi receptaculum deſerens, iam non tenelli corporis ætatiſque nouitiæ tempore tenetur: ſed ab illis infantilibus

coaguliſ

a *Cum his quæ ab alienigenis dicebantur.* Sic rectè Morelius, pro eo quod erat, *cum his qui*, peſſimè. *Idem.*

b *Incenſionis ſuæ fragrantiam.* Rurſus hoc ex Morelio pro *flagrantiam.* PAM.

c *Stantem ex diuerſo hoſtem.* Fortè *ex aduerſo. Idem.*

d *Deluſum ſe Herodes queritur, cùm Magos alias.* Accipit *alias*, tum hîc, tum infra alicubi, pro *alia*; id eſt, per aliam viam. *Idem.*

coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem in occurſum Chriſti feſtinat, à quo militiæ ſuæ quærens ſtipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia; & [a] Epiphaniæ ſolemnia in cæleſtibus celebrat, nec in ſtellæ alicuius lumine, ſed in ipſa claritate diuinæ præſentiæ gloriatur. Acta eſt natiuitatis ſolemnitas ſurſum iubilantibus angelis, deorſum ex ore infantium & lactentium laus eſt perfecta, reſonantibus vſque ad cælos victoriæ tubis; & verſus eſt paruulorum vagitus in gaudium, & luctus in iubilum, ſequente non ſtellam, ſed agnum exercitu innocentium, & baiulante glorioſiſſimi triumphi ſolemne vexillum. Nec potuit mundus interficere nuper agonem ingreſſum infantilem exercitum: & pedes qui nondum lutum calcauerant, vrgens citatuſque tranſitus non eſt paſſus vllis ſordibus inquinari: ſed in ipſo vitæ initio tota illa innocua phalanx, ſine vllo integritatis detrimento, ad ſolidioris vitæ tranſlata eſt gloriam. Et quæ expectari poterat annorum elapſu rationis diſcretio; repentè nullis iam ætate illa temporibus ſubiecta, omnis conſummationis reperit finem, & caſuum accidentium mutabilitates euaſit. Euigilauerunt ſenſus quos ſopor infantiæ opprimebat; diſploſiſque palpebris intuiti lucem, in momento aſſecuti ſunt, quæ pacificis & mundo corde debetur, beatitudinem: & aſcendentes per omnium virtutum gradus ſine doctrinæ humanæ exercitio cumulatam inuenere menſuram; ita vt in ordine ſanctorum protomartyres primum habeant locum, [b] & ſecretorum conſcii diuinorum, propinquitate familiariſſima clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus; quos vſque hodie funeſtus Herodes perſequitur, quorum ſanguine & morte diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cælum tranſlati, facti ſunt ſuperni capitolii ſenatores & iudices, [c] nonnullis veniam obtinentes immeritis; aſſiſtuntque miſerationibus & vltionibus diuinis, ſed ſæpiùs agni, quem quocumque ierit, proſequuntur, manſuetudine, quàm ira vel furore vtuntur. Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam, vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram; non minus ad lauacrum animæ ſanguinem efficacem, quàm ſanctificatas verbis ſolemnibus aquas; maximè cùm nec ſanguis hoc elemento careat, ſed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus verò ſanctus & aquis & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet & abluit; quo baptizante idem occiſio quod merſio operatur, qua extinctam peccati vitam virtutemque emortuam vtriuſque rei continet ſacramentum. Ipſe enim eſt qui vel hoc vel alio modo quicumque eſt ille modus baptizat, & ad idem refertur quod pura fide agitur per Chriſtum Dominum noſtrum.

DE

a *Epiphaniæ ſolemnia.* Iam tunc igitur ſolemnis erat Epiphaniæ dies. PAM.

b *Et ſecretorum conſcij diuinorum &c.* Locus inſignis de oratione Sanctorum pro nobis. *Idem.*

c *Nonnulli veniam obtineant immeritis.* Denuò repoſui *nonnullis* pro eo quod Manut. & Morel. *nonnulli.* *Idem.*

DE BAPTISMO CHRISTI, ET MANIFESTATIONE Trinitatis.

NON ſatis eſt quod angeli locuti ſunt paſtoribus, quod apparuit ſtella regibus, quod natiuitati, & perſonæ, & loco conſona prophetarum oracula, perfidæ gentis indicio, Chriſto perhibentia teſtimonium, in vnam conuenêre ſententiam: ſublimius & perfectius teſtimonium profertur diuinitus, & ipſe pater inuiſibilis auditur, & aures humanas omnipotentis Dei præclara vox penetrat, & inaudita à ſæculo fidei ſpecies declaratur. Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat, ſed vt ſacramento perennis daretur auctoritas, & tanti virtutem operis nulla perſonarum acceptio commendaret: quoniam remiſſio peccatorum, ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolemnitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum: rem verò ipſam Spiritus ſanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo, ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat & perficit. Si in Petri vel Pauli nomine baptiſmi gratia donaretur, poſſet alius alio videri ſublimior: & ſecundùm miniſtrorum merita hæc ſingularis gratia æſtimari, vt melior eſſet baptiſmus eius qui ſanctior videretur, & indignior eſſet qui ab eo acciperetur, quem non amplior æſtimatio commendaret. Hæc & in alia ſacramenta transferretur iniuria, vt non in eis vnitas, ſed diuerſitas haberetur; ſi cenſerentur à melioribus fieri meliora, & minus haberent vtilitatis & ponderis quæ fierent ab indignis. Sic euchariſtia vna alia melior, & baptiſmus pro miniſterio vel melior, vel deterior credetur. Abſit hoc à fide catholica, abſit à religione Chriſtiana tantæ corruptionis fermentum. Vna nobis fides, vnus Dominus, vnum baptiſma: quod ſi ab indigno fortè fuerit conſecratum, non audet iuſtus iterare vel corrigere quod ſemel eſt factum: quia per quemcumque fiat, idem eſt; nec hoc priuilegium meritis eſt

datum, ſed gratiæ, & propriè ſibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum. Neque enim Paulus pro nobis crucifixus eſt, aut nos gloriamur in Paulo, ſed in cruce domini gloriamur: cuius virtus omnia peragit ſacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum; neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas & profundum, & longè latéque plenitudo diffunditur gratiarum. Quod ne vlla præſumptio ſibi doni huius in poſterum gloriam vendicaret, in hoc ſicut & alijs, Domini noſtri Eccleſiæ ſuæ prouidit benignitas, vt ipſe baptizaretur à ſeruo: [a] ne conſerui conſeruorum miniſterium detrectarent; vel aliquis cuiquam in hoc opere præferretur; quoniam ſiue Iudas ſiue Paulus baptizet; Chriſtus peccatum lauat, abſoluit, & delet. Sic Rachel & Lia, Balam & Zelpham maritis accommodant, & liberos accipiunt ex vteris ancillarum. Scribæ & phariſæi in cathedra Moyſi ſedentes, dum agunt quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis vtuntur, & officium non vita tantis effectibus honoratur. Obediunt dæmones exorciſtis: Chriſtum, inquiunt, ſcimus, & Paulum nouimus: & in nomine Chriſti, quem Paulus prædicat, adiurati egredimur, vos autem penitus ignoramus. Ecce in nomine ſuo nihil quæſtuarii peragunt exorciſtæ, nec ſe eis deferre ipſi dæmones profitentur, ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retinet poteſtatem, & fiunt in talibus cauſis miniſtri mercenarii: ſicut naues onerariæ, quæ per pelagus euehunt inſtitores, quarum rectores potiùs eorum quos ducunt, pecuniis inhiant quàm ſaluti. Et tamen mare ſæculi huius neceſſarios habet huiuſmodi tranſuectores: alioqui ceſſabunt commercia, nec ex tranſmarinorum copia aliorum inopia habebit ſubſidium, nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi vehicula tollantur de inuio, & pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippe ſæpè malorum miniſteria ſuffragantur. Supponit itaque ceruicem ſanctam manibus hominis humilitas redemptoris, & licet plenam non habeat virtutem, ſuſcipit tamen Chriſtus baptiſma Ioannis. Præparabat viam Domino Ioannes lauando exterius corpora; vt præcederet exterius lauacrum ſecuturum baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Præceſſit quod erat ex parte, vt conſummatio ſequeretur. Horret tamen Ioannes, & accliue ſibi eſſe ſacrum Chriſti caput non patitur: quia maiorem à minore benedici antiquis regulis refragatur, & criminalis ei viſa eſt vſurpatio poteſtatis. De plenitudine Chriſti omnes accepiſſe, & ſeipſum cum cæteris prædicarat Baptiſta; ideóque Deo & hominem manus imponere iudicabat temerarium, lauare eum in quo non erat peccatum æſtimabat ſuperfluum. Se ad ſoluendam calciamenti huius corrigiam confeſſus indignum, formidabat exhibere prælatum, ſi ipſe in magiſtro ſine cauſa tentaret hoc agere, quod ab ipſo ſuſcipere neceſſarium dignoſcebat. Ideóque tremebundus, humili ſatisfactione poſtulanti miniſterium negat aſſenſum; non quod obedientiam detrahat imperanti, ſed quod iudicio ſuo ſeruo ſubdi, non competat maieſtati. Tu, inquit, venis ad me, & à te debeo baptizari? Cui Dominus: Sine modo: ſic enim decet nos omnem complere iuſtitiam. Ioannis humilitas non arguitur; nec vituperabile viſum eſt Chriſto ſimplicitatis diffugium, quod reuerentia non importunitas ſuggerebat. In hoc igitur omnem impleri iuſtitiam aſſeuerat, ſi doctrinam præcedat exemplum, & honore ſe inuicem præueniant, qui maiorem & qui minorem obtinent locum; & qui maior eſt, fiat minor, & præceſſor ſicut miniſtrator: ſi in vnitate ſacramentorum omnes ſimul conueniant, ſi pacis eccleſiaſticæ fœdera non diſrumpant. Baptizatur Chriſtus, nec vltra Iordanis retrorſum conuertitur: aruerunt vnctiones Iudaïcæ, ceremoniæ putruerunt; perpetuo lapſu baptiſmi gratia emanat ad poſteros, nec vlla vetuſtate ſiccatur. Adeſſe ſe tantis myſteriis & præſentiam ſuam dignoſci dignata eſt ſempiterna diuinitas; cæliſque apertis in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus ibi ſe ipſum oſtendens, & intelligi voluit & videri, & quietiſſimo elapſu adueniens, ſuper Chriſtum quieuit & manſit. Acceperat quippe familiare ſuper hoc ab eodem Spiritu Ioannes reſponſum: quia ſuper quem Spiritum ſanctum ſub hac ſpecie videret, ipſe eſſet apud quem baptiſmi maneret auctoritas, qui mundi peccata tolleret, qui ſolus à nullo ſanctificatus, & cuncta ſanctificans non tam intereſſet ſanctificationibus & ſacramentis omnibus, quàm patraret. Sed & vox patris audita eſt cælitus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Hucuſque Domine ſancte pater non audiuimus te loquentem, qui multifariè olim patribus locutus es in prophetis, & per angelos ſanctos quibus ad diuerſa ſæpè myſteria à te legatio eſt iniuncta. Te ipſum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, vt perſonaliter tibi aſſignetur locutio quam proferres. Hanc vocem à paternitate tua delatam nemo eſt qui ambigat; non eſt qui ſibi hoc verbum audeat arrogare, non eſt in cæleſtibus agminibus qui Dominum Ieſum, ſuum audeat filium nominare. Certè tibi ſoli nota eſt trinitas; & ſolus pater ſcit filium, patrémque nouit filius, nec à quoquam niſi eo reuelante eſt cognitus. In hac diuini magiſterii ſcola pater eſt qui docet & inſtruit, filius qui arcana Dei nobis reuelat, & aperit, Spiritus ſanctus qui nos replet & imbuit. A patre potentiam, à filio ſapientiam, à Spiritu ſancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus ſanctus coniungit, & vnit. A Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis eius conformitas

a *Ne conſerui conſeruorum miniſterium detrectarent.* Ita prorſus legendum, pro, *hec.* PAM.

conformitàs, & à Spiritu ſancto integritas & libertas. In Patre ſumus, in Filio viuimus, in Spiritu ſancto mouemur & proficimus. Conuenerunt ſimul ſempiterna diuinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore vtriuſque naturæ facta eſt vnitas, vt impoſſibile ſit quod iunctum eſt ab inuicem ſeparari, ſed verbum & caro ſic ſunt vna eſſentia, vt perfectam & integram ſincera coniunctio faciat vnitatem. Nec iniuria eſt, ſed gratia Dei, ſi quod minus videtur digniori iungatur; cum inferior natura contumeliam probrumque peccati non contrahat: nec eſt minoratio maieſtatis, profectio paupertatis: nec altitudinem Dei in aliquo humilitas diſpenſatoria dehoneſtat. Hoc teſtimonium auditum eſt, quia filius Dei eſt quem Ioannes tenet in manibus, verùs homo, verus Deus, vnicus patris, in ſua natura inuiſibilis, in noſtra viſibilis; vt fide & experimento fulciatur doctrina, dum & viſu & intellectu incarnati verbi notitiam aſſequatur. Dilectus à patre [a] immeritos nos dilexit, vltrò viſitationis ſuæ nobis beneficium largitus eſt, vltrò ſanauit, vltrò curauit, vltrò libertate donauit. Etiam ingratos proſequitur hic amor & reuocat: neque tunc odit, cum corripit & flagellat: vſque ad mortem Chriſtum duxit dilectio, & reſurgens à mortuis caros habet, quibus tantæ charitatis affectum oſtendit. Duo grata vocabula, filius & dilectus, ipſo Deo dictante noſtris ſenſibus imprimuntur; vt communio nominum nos aſſociet collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina noſtrum emolliant animum accendantque deuotionis affectum. Per omnia ſibi pater in filio complacuit, nec vlla in eo ſerpentis ſunt reperta veſtigia, nec ſacerdotii eius pœnituit Deum: quoniam ſacrificium quod in cruce obtulit; ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, & perpetua virtute conſiſtit, vt non minus hodie in conſpectu patris oblatio illa ſit efficax, quàm ea die qua de ſaucio latere ſanguis & aqua exiuit, & ſemper reſeruatæ in corpore plagis ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant. [b] Huic dilecto filio tuo tu Domine nos præcipis obedire. Loquere igitur Domine, quia audit ſeruus tuus. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, doctrinam tuam amplector: ſuaue eſt mihi eloquium tuum, viuus & efficax ſermo tuus, ancipiti gladio penetrabilior vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ meæ attingens, carnales & ſpiritales intra me ſeparat & ſequeſtrat affectus; & à vilibus pretioſa diſtinguens, quaſi flagello de funiculis contexto, de meo interiori templo quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellit, nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum ſed à ſanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit. Audio te cum iraſceris, audio cum miſereris; ſiue parcis, ſiue flagellas, iuſtum & bonum te prædico: In ira te ſupplicio, in clementia gratias ago, nec ſanctis ſermonibus contradico. Loquere, magiſter bone, libenter te audio, & cùm aduerſaris mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo diſciplinam: nec latet me te docente, ad ſiccandas corruptionum mearum putredines prodeſſe cauterium, & mundare cicatrices veteres ſal diſciplinæ tuæ euangelio tuo medente infuſum. Præcipis vt infundam corrupto pulmoni hyſſopum, & ſpiritus tui ſuauitate epota, totius malignitatis inflatio detumeſcat. A te, Deus bone, humilitatem diſcentes, quaſi manſueta animalia quieto greſſu te baiulamus ſeſſorem; nequaquam ſub hoc onere laſſitudinem, ſed quietem inuenturi: quia iugum tuum non eſt graue, ſed leue: & lex tua, & teſtimonia iuſtitiæ & præcepta, timor & iudicia delectabilium in ſe rerum continent ſacramenta. Lex tua docet vitare peccatum, & corripit tranſgreſſores: & vt lotis mundiſque pedibus in via immaculata incedant omnia præmonſtrat offendicula, & inſinuat diuerticula, quibus periculoſi tranſitus euitentur; nihil impoſſibile, nihil iubet auſterum. In quibuſdam per legem tuam promiſſa præmia nos inuitant, in multis pœnæ propoſitæ, & ſupplicia vel damna territos animos à ſcelerum retrahunt appetitu: neque lex tua ſcripta à lege naturali in aliquo diſſonat, ſed reprobatio mali, & electio boni ſic animæ rationali infixa ſunt diuinitus, vt de hoc nemo rectè cauſetur: quia nulli ad harum rerum perſecutionem deeſt ſcientia ſiue potentia; quia & quod agendum eſt, ſcimus: & quod ſcimus, facere poſſumus. Quod ſi impoſſibilia eſſent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua ſic abdita, vt non poſſet intelligi quid à nobis intelligi quid à nobis tua expeteret altitudo, licet inuitus nemo peccet; poſſet tamen ex multis excuſare delictum, niſi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum diſtinctio auctoritate cognoſcibili prouidiſſent: & ſimul ſe complecterentur poſſibilitas, & facilitas, ſcientia & poteſtas. [c] Præcipis mihi Domine Deus, vt diligam te; hoc & poſſum & debeo: & totum me & interius tibi eſſe iubes obnoxium; de proximo iubes, vt ad meam eum menſuram complectar. Gratias ago tibi clementiſſime Deus, quia quod quæris à me priùs ipſe donaſti: & quomodo tu me dilexeris, ſi linguis hominum & angelorum loquar, nec dignè poſſum eloqui, nec vniuerſa complecti, quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Iuſtum eſt Domine vt diligamus te; quia & ipſe nos diligis:

a *Immeritos nos dilexit.* Sic legendum cenſeo, pro immerito. PAM.

b *Huic dilecto filio tuo.* Eraſmus hic nouum ſermonem faciens, falſus eſt cod. Remboldi, qui primus hoc opus edidit. Dum enim quæ ſequuntur, littera maiuſcula excuſa eſſent, fortè fortuna in frontiſpicio pagellæ, videbatur illi ſuperſcriptio, *de Baptiſmo Chriſti*, nouus eſſe noui ſermonis titulus. Quare rectè à Manutio & Morelio, prioribus ſequentia coniuncta ſunt. *Idem.*

c *Præcipis mihi Domine Deus vt diligam te, hoc & poſſum; &c.* Rectè ſic Cauchius, Morelius & Manutius, pro *diligam te hic & poſſum. Idem.*

diligis: & iniquum omninò eſt, vt te in aliquo dilecti tui offendant. Verè hoc mandatum legem complectitur & prophetas, & in hoc verbo omnium ſcripturarum volumina coartantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat auctoritas; hoc ex ore tuo audiuimus; hîc inuenit conſummationem omnis religio; primum eſt hoc mandatum & vltimum, hoc in libro vitæ conſcriptum, indeficientem & hominibus & angelis exhibet lectionem. Legat hîc vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio, & inueniet ex hac ſcriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe: & hinc naſci, & huc reuerti, quidquid eccleſiaſtica continet diſciplina, & in omnibus irritum eſſe & friuolum quidquid dilectio non confirmat. Non pertinet Domine ad te, nec de tuis eſt qui te non diligit: nec diligit te, qui ſcienter offendit. Dilectioni tuæ detrahit, qui terminos à te poſitos tranſit, & Euangelii tui decreta tranſgreditur & contemnit. Non amat te qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo ſimul deſeruit. Non pertinent ad te ſpeciem pietatis habentes & negantes virtutem, nec militant tibi negotiorum huius ſæculi traiectores; non audiunt te, ſed ſicut aſpis aures ſuas obturant, ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato ſeruiunt & voluptati carnalium amatores. Lex tua Deus, Apoſtolorum & Martyrum teſtimonio confirmata; paruulis tuis pauperibus ſpiritu, quibus tibi regnum tuum dare complacuit, ſapientiam præſtitit; & lætificauerunt animas eorum iuſtitiæ tuæ, in quibus per eamdem legem edocti vixerunt: & hoc dilectionis præceptum ita fidelium mentes illuminauit, vt in pace & ſanctimonia viuentes pacificis & mundis cordibus te viderent, & ſimul amor ſanctus & timor caſtus perſeuerantibus tibi ſtudiis obedirent; vſque adeò tibi aſcenſionibus huiuſmodi propinquantes, vt fierent iudiciorum tuorum conſcii, & per ipſos tua & nunc poſtmodum iudicia exerceres. Præcepiſti Domine vt audiamus dilectum filium tuum: gratias tibi agimus, quia nos eius magiſterio commendaſti. Nos verò ex præcepto tuo eius doctrinæ nos tradimus informandos; & inhærentes ei, libenter eum, duce Spiritu ſancto, omni tempore audiemus.

DE IEIVNIO ET TENTATIONIBVS CHRISTI.

ANNO triceſimo carnis aſſumptæ, baptizato Domino in Iordane, poſtquam reuelante patre, quòd filius Dei eſſet, innotuit; non iam conueniebat eum putari filium Ioſeph, vel eſſe ſubditum illi. Nec tamen repentè ad ſigna & miracula & doctrinam vſus eſt poteſtate, ſed interim auctoritatem continuit; & antequam notum ſe faceret mundo, expoſuit ſe tentandum diabolo: non vt diuinitatis integritas probaretur, ſed vt tentatoris confunderetur præſumptio; dum fame & laſſitudine poſt ieiunium veritas humanitatis pateret, quæ diuinitati aſſociata omninò peccati ſenſu & conſenſu careret. Hac ætate tempus doctrinæ inſinuatum eſt rationabile, & [a] ante has metas perperam inuadi magiſterium data eſt forma: quia non competit annis impubibus ſedere in cathedra, & in primogenitis boum lege aratio eſt interdicta. Iam verò cùm ætatis & temporis ratio conueniret, & ad obediendum verbo Chriſti mandatum cælitùs aduenìſſet: voluit tamen ſapientia Dei primo erudiendos informare exemplo, & contra tentamenta proponere documenta; vt audiret & videret & ſentiret humana rationabilitas, quàm inſuperabilis ſit victrixque peccati, ſi libertas arbitrii libero moderamine dirigatur. Igitur deſertum Chriſtus ingreditur: ibi ſuo, id eſt, Spiritu ſancto duce & comite conuerſatur. Locus ſecretus eligitur; quia ſolius Dei iudicio ieiunia ſunt agenda, & ſingulariter inſpectorem adiutoremque Deum volunt hæc habere certamina, neque in agonibus aliquibus periculoſiùs militatur. Nulli religionis exercitio fraudulentiùs inanis gloria adulatur, nulli virtuti fauor ita blanditur. Ieiuniorum ſudoribus laus importuna ſe ingerit: & ſubtiliſſimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit; & pungit, cùm vngit. Virtutem in hypocriſim vertit, & ſimpliciter inchoata peruertit. Quaſi tinea quod integrum erat, rodit & occupat, & ſanctitatis fundamenta euellit & diſſipat. Subtiliſſimum malum proprio laqueo hypocritam iugulat, & propriis armis ſanctitatem impugnat. Caſtigatio carnis ſpiritum inflat, & macies corporis extenuatum arrogantem impinguat. Contemptus venerationem veneratur, fames & calamitas laudibus ſaturatur. Mens hoc veneno imbuta in miſeriis deliciatur, & occupata hac ſcabie in vlceribus gloriatur. Religio fit ſuperſtitio, & ſuccedit ei ambitio ſubornata. Extincto ſpiritu quatriduano cadaueri ſolæ ſuperſunt exuuiæ, virtutis ſpecies exanimis & ſimulachrum ſanctitatis. Tanta eſt hypocritarum dementia, vt fœtoribus pro odoribus abutantur, & pretioſa vilia, & aſpera ſuauia arbitrentur, & fauorum ſapor omnium dulcedinum ſuperet condimenta, omniſque delira ſenſualitas contrariis delectetur. Propter hoc ſolitudo carens arbitris, & eremus aſſentatorum ſatellitio vacua à ieiunante Chriſto eligitur, vt non cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritalibus nequitiis dimicetur, & amotis minarum occaſionibus homo cum diabolo colluctetur, & ſoli ſint in palæſtra Chriſtus

[a] *Ante has metas perperam inuadi magiſterium.* Prorſus ſic legò ex coniectura Cauchij, pro *nec ante. &c.* PAM.

negari non poterat. Fuerant & ante Chriſtum viri inſignes prophetæ & ſacerdotes, ſed in peccatis concepti & nati, nec originali nec perſonali caruere delicto: & inuenta eſt in omnibus vel ignorantia; vel inſufficientia; in quibus erronei peccauerunt, & eguerunt miſericordia Dei, per quam edocti & reſtituti gratias egerunt Deo, & ad plenitudinem iuſtitiæ multum ſibi deeſſe confeſſi ſunt, & ſperantes in Deo nullam ſibi ſoliditatem attribuere præſumpſerunt. Non ita Chriſtus in quo verbi carniſque ſic conuenit natura, vt nulla alteri ex altero iniuria deueniret: quia in carne ſocia nullam diuinitus maculam reperit, nec ſecuta eſt, nec præceſſit. Hæc naturarum coniunctio diabolum excæcabat: quia impoſſibile ei videbatur vel quòd eſurire poſſet diuinitas, vel quòd tantæ tolerantiæ poſſet eſſe, tantæque poteſtatis corporalis humilitas. Duplicem itaque inquiſitionem ſinuoſa calliditate orditur, vt de Chriſto verum naturalis filius Dei ſit, ipſo reſpondente certitudinem habeat: vt cum Deum confeſſus ſe fuerit, abſurdum videatur quòd Deus eſuriat, & in quamcumque partem ſe reſponſio verterit, neceſſitas concluſionis occurrat: Si filius Dei es, tibi non competit eſurire. quod ſi eſuris, manifeſtum eſt filium Dei non eſſe, quem violentia neceſſitatis communibus indigentiis intercludit. Succurre, inquit, neceſſitati ſi potes, alioqui deficies: & præſentes lapides in panis muta ſubſtantiam; ſic enim fiet vt euadas periculum, & ſi hoc potueris, probes te Deum. Non erat digna reſponſione quæſtio malignantis; neque enim technas diaboli Dominus ignorabat, ſed diuino cauillatori ſatisfecit eloquio, ſubtiliſſimo dogmate edocens corporis & animæ vitæ propriis alimoniis deberi ſubſidia, & cibum animæ, id eſt, verbum Dei eduliis corporalibus præponendum, & citiùs attentiùſque menti prouidendum quàm ventri. Nec opus erat vt hoc facto inſidiatori innoteſceret: quia nullo ſigno eius poterat inuidia commutari, cuius incorrigibilem iniquitatem deſperatio ſugillauit. Superfluum igitur erat ad ſuggeſtionem eius ibi nulla profutura miracula operari; cùm ſatis eſſet diligenter conſideranti, quod eſurientem cibi non ſuperabat appetitus, & deſiderij motus defectio non eſſet, ſed virtus. In nullo Chriſtum aliqua coëgit aut dominata eſt ei neceſſitas; qui propriæ moderamine voluntatis diſpoſuit, & perſoluit quod exegit humanitas. Sicut in ipſius voluntate fuit conſecrare ieiunium, ita & in poteſtate fuit tempore oportuno ſumere cibum: quod vtique nec miniſterio, nec conſilio diaboli fuerat ordinandum; quia & abſtinentiæ & refectionis penes ipſum erat & arbitrium & facultas. Itaque nihil certitudinis ſeductor extorſit, ſed dubius incertuſque dimiſſus eſt; nec obtinuit vt ſe proderet Chriſtus miraculo, vel intemperanter ad cibum properans obediret ſeductoris conſilio, quaſi tunc primum quid fieri oporteret data doctrina, acceptáque ſententia. Repulſus igitur auctoritate ſcripturæ, & propoſiti firmitate, defecit ſcrutinio: nec tamen alia aggredi via deſtitit, & falſatis argumentis prioribus alia ſubiiciens, quibus ab eo conſentaneas ſibi reſponſiones aliquas extorqueret, adiecit. Eo igitur ſupra templi pinnaculum conſtituto, quem gula non potuit, vana gloria ſubuertere nititur. A multis ambigitur verum fuerit hic tranſlatio corporalis: & ſi de loco ad locum ſe Chriſtus transferri permiſerit, eo modo quo Abacuc de Iudæa in Chaldeam delatus eſt; & Philippus de Azoto in occurſum eunuchi, qui reuertens de Hieruſalem non intelligens Eſaiam, codicem reuoluebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens: quòd humeris eius Saluator inſederit, & pro vehiculo vſus ſit quem præcipitatorem ſciebat; vel ei ferendum ſe commiſerit, cuius inſidias agnoſcebat. Suo itaque ſpiritu eum credendum eſt ductum & in deſertum, & ſuper templum, vt vtrobique eum diabolus aſſumeret ad tentandum. Et localiter quidem in deſerto prima fuit tentatio; ſed cæteras eo modo circumduxit tentatoris aſtutia; vel circumduci paſſa eſt patientia Saluatoris, quo modo Ezechiel cùm ſuper fluuium Chobar ſederet, Hieroſolymam raptus in ſpiritu ciuitatem ædificat & metitur, & muros & templum inſtaurat. Hoc modo ſuper culmen templi Chriſtus erat in ſpiritu; [a] ſciens quid Antiſpiritus affectaret, & hoſti ſe de vana gloria pulſaturo opportunitatem parabat. Hac igitur occaſione loci hortatur & conſulit, vt in vrbe ſancta & frequentia populorum quaſi nouus funambulus in excelſo pendulus; ſe deorſum ad ſpectaculum vulgi iactet intrepidus; addens ex teſtimonio ſcripturæ angelorum affutura ſuffragia, quæ ruentem exciperent, & conſeruarent illæſum. O execrabilis diaboli malitia, ô ſtulta nequitia; ô inſenſata verſutia, ô præſumptio excæcata. Putabat malignus quem gula non vicerat, [b] vana gloria ſuperari. Experientia quippe rerum didicerat, & in multis probauerat; vitiorum victores ſæpe nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquumque eſſe virtutibus malum adulationem: nec facilè quemquam poſſe euadere, quin libenter aſſentatorum canticis porrigat aures; & laudatorum modulationibus delectetur. Et ſicut rarus eſt, aut nullus qui de ſe mala dici æquanimiter ferat: ita rarus eſt, qui non benè de ſe velit ſentiri, & ſe ſi rectè viuit ſtantem in vitæ rectitudine non diligat æſtimari. Quod ſi opera virtutum foras exierint, rarus eſt qui hominum iudicia conſpuat, & laudes humanas contemnat. Hoc generale malum in humano genere ſatan putabat ex præcedentis occaſione victoriæ ſuggerere Saluatori: vt popula-

ribus

a *Sciens quid antiſpiritus affectaret.* Prorſus ſic legendum, non *anteſpiritus*; patet ex verbis illis non procul ab initio *Chriſtus & antichriſtus, Spiritus & antiſpiritus.* PAM.

b *Vana gloria ſuperari.* Malim legere *ſuperarí.* Idem.

ribus laudibus vellet attolli, & facere ſibi nomen iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra ſi geminato miraculo ieiuniorum conſtantia innoteſceret populo, & vectoribus angelis ſine offendiculo ſuſtentatus, ſe filium Dei tam potenti abſtinentia, quàm angelorum obedientia, comprobaret. Huiuſmodi conſiliis filios hominum ſatan corrumpere conſueuerat, & robuſtis virilibuſque animis etiam huiuſmodi cogitatus immittit: [a] & ſi ab ingreſſu mentis arceatur renitente conſenſu, aliquid tamen de ſpurcitia ſua ibi euomens, abominationum horrore nauſeare compellit. Sic, vt aliquid poëticum inſeram, [b] temulentus Cyclops illiciti coniugii appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Erichthonium fundit; & incorrupta Minerua, ſupereſt tamen deforme monſtrum, nec omninò affectata ſcelera in memoria moriuntur. Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Hoc in Deuteronomio ſcriptum eſt: Ecce lex legi obiicitur, & ſatan auctoritate ſcripturæ abutens malus legis interpres præcipitium quaſi ex ratione mandati hortatur: ſed intellectus fallax & falſus veritate ſincera confunditur; & generali edicto interdictum oſtenditur, ne dum pateet in quibuſlibet anguſtiis quilibet exitus, Deus vlla præſumptione tentetur. Alia explorator malignus argumenta conatur adducere; & ad ſummam cumulumque nequitiæ ſuæ, continentem & humilem oblata aggreditur poteſtate; & oſtenſa mundi huius ſublimitate & gloria (quaſi indignum ſit tantæ auctoritatis doctorem, & inſignium operum patratorem, ignobili, & contemptibili ſchemate obumbrari) & dominatione vniuerſorum vſque animum dignum honore ſollicitat; & daturum ſe omnia pollicetur, ſi ei pro tanto munere gratias agat, & procidens adoret tanti culminis largitorem. Solent viris virtutum huiuſmodi præſtigia ſe offerre, [c] & teſtimonium religionis conſcientia perhibente, cum ab aliis digni honoribus iudicentur, facilè acquieſcunt: & tam proprio quàm alieno faſcinati iudicio à rectitudine corruunt, euerſâque cathedra mentis, humo fractis ceruicibus colliduntur: repentéque & ſubitò quod multis erat partum ſudoribus, ambitione irruente obliteratum eſt & turbinis huius impetu auulſum eſt, quidquid antiquæ religionis labor meruerat. Malum hoc Adam in paradiſo pulſauit & ſtrauit; cum ſubiectionem quam Deo debebat faſtidiens, appetiit dominatum; & cùm vellet eſſe ſicut Deus, ſine Deo ſe vidit & nouit: & conſpectam carnis Euæ abhorruit fœditatem, quam licet operiret, manens tamen perpes ibi contumelia ſtetit & adhæſit. Ad ſuaſionem diaboli animam vanitati ſubiectam deiecit ambitio; [d] poteratque exterminio eius poſteritas didiciſſe, quàm miſera mutatio fuit de deliciis ad ſpinas & tribulos emigraſſe, & raſtris ligonibuſque auaritiam condemnatam. Hoc malo reſtitit, & reſiſtere nos ſaluator edocuit, vt ſoli Deo ſubiectus ſit homo quantumcumque profecerit, vt in ipſo, immo ipſe ſit ſubſtantia noſtra; & pateat nobis, quod ſicut [e] peremptoria eſt altitudo quæſita, ita & periculoſiſſima eſt oblata: non quod poteſtas quæ ex Deo eſt ſit damnabilis, aut ordinatio diuina peccatorum ſit obſtetrix; ſed quod excellentiam, cuius Spiritus ſanctus auctor eſt, ita debet complecti humilitas, vt qui vocatus eſt ſuperius, neſciat ſe ſublimem, & per omnia agnoſcat conditio conditorem, & gratia largitorem. Gloriabantur aliquando diſcipuli, & complacebant ſibi in miraculis, gratulabundi quòd eis etiam dæmonia obedirent: ſed repreſſa eſt, increpante Domino, ſimplicitatis eorum præſumptio: Videbam, inquit, ſatanam tamquam fulgur deſcendentem de cælo. His verbis eorum animis intimans; quia ante hoc temporale initium ipſe in principio, immò ipſe principium exiſtens apud Deum, ante hominis conditionem ſuperbientis diaboli ruinam vidit, affectatæ dominationis ambitionem deiectionis eius fuiſſe cauſam: nec in hoc gaudendum eſſe ſi quis prærogatiua celſitudinis donaretur, ſed hanc eſſe certam ſtabilémque veri gaudii metam, ſi vocatio noſtra iuſtificatione muniretur: & tunc demum ratum conſtare beatificationis prouentum, ſi huius ordinis ſcriptura in conſpectu Dei indelebilis ſeruaretur. Hoc igitur attendentes, quod non in nobis quaſi ex nobis ſufficientes ſumus, ſed ex Domino ſufficientia noſtra eſt; & contentos ſolo Deo neceſſe eſt ei eſſe omnes accliues, cui totum debemus quod viuimus, quod mouemur, quod ſumus. Qui de plenitudine ſua nobis interim prout cuique opus eſt, donationes partitur, donec ad cumulum perueniat copia conſummata; vſqueadeo conferta coagitataque menſura, vt nihil vel accedat amplius, vel recedat; ſed in cognitione Dei certum finem ſtabilemque metam omnes & animæ & corporis obtineant appetitus. Fruſtra itaque regna huius mundi tranſitoria mutabilia immutabili & æterno regi oſtendit vel promittit diabolus, cùm ipſe dicat regnum ſuum de hoc mundo non eſſe: non quod creationem ſuam remouens, dæmonum ſubiecerit poteſtati; ſed quia in his qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur diuinitas ſibi facere manſionem: & impoſſibile ſit eos à Deo regi, qui ſe diabolo tradidere: quia Chriſti & Belial nulla eſt participatio, nec aliqua iuſtitiæ cum iniquitate poteſt eſſe communio. [f] Regnum hoc non eſt

naturæ,

[a] *Et ſi ab ingreſſu mentis arceatur renitente conſenſu*. Manutius & Morelius *retinente*, ſed non placet. PAM.

[b] *Temulentus Cyclops*, hoc ſumpſit ex Ouidii primo metamorph. *Idem*.

[c] *Et teſtimonium religionis conſcientia perhibente*. Non dubito eruditos omnes mihi in hac lectione aſſenſum præbituros, pro eo quod erat, *prohibente*, nullo ſenſu. *Idem*.

[d] *Poteratque eius exterminio poſteritas didiciſſe*. Etiam hoc reponere non ſum veritus ex coniectura Cauchii, pro *extermino eius*. Malim etiam legi *quam miſera mutatio fuerit*, quam *fuit*. *Idem*.

[e] *Peremptoria eſt altitudo*. A perimendo propriè hanc vocem accipit, ſicut etiam infrà ſub finem. *Idem*.

[f] *Regnum hoc non eſt natura, ſed malitia*. Cum Grauio

ſed malitiæ, perſecutio eſt, non defenſio : & tota huius poteſtatis virtus in mortem damnationemque eorum qui ſub hoc principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur vitiis, ambitur flagitiis, turres eius ſunt crimina, arma quarumcumque turpitudinum molimina. Huius regis telonarii ſunt pauperum oppreſſores, tribuni, ſeductores, præfecti iudiciorum peruerſores. Cubicularii eius ſunt quæſtuum aduncatores, mercimonii traiectores, ærarij ſacerdotes, nummularii doctores, conductiti defenſores, linguæ ſubdolæ vel conſilii locatores, venales auxiliarii, bilingues cauſidici, concinnatores mendacii, fabricatores peccati, veſtiti mollibus, amicti diſcoloribus. In domo huius regis ſunt; qui paludamentis talaribus pauimenta verrentes, capillis muliebribus ſe in fœminas transfigurant, & dignitatem virilem non ſine naturæ iniuria dehoneſtant. In hoc regno ſunt quicumque veritatem Dei commutant in mendacium; quicumque, quaſi in taberna vitiorum præcones, venales animas impuriſſimis dæmonibus corrumpendas exponunt. Hîc auaras manus cupidi muneribus complicant; hîc genu flexo concupiſcentiæ ſuæ quiſque idolum colit, & propriæ libidinis adorat ſimulachrum. Non hæc te Domine Ieſu gloria mouet; non huius mundi tu tenes imperium; non horum cupidine tu cadis, aut proſterneris; non adoras malitiam, non peccato ſubiiceris: qui ſeruis tuis dæmonia ſubdis, & omnem huius mundi gloriationem deſtruis & confundis. Inſaniſſime ſatan, qua fronte, qua lingua auſus es dicere Saluatori; vt ante te, qui ſtat inflexibilis, & immobilis, caderet? vt te damnatum, ipſe qui te damnauerat, adoraret? Quis auſus, quàm impudens hæc fuit præſumptio? Quid deſperate ſperaſti? An filium Dei putabas poſſe tecum apoſtatam fieri? Si de mundo viſibili, id eſt, cælo & terra, & de his quæ in eo aguntur, te iactas habere dominium; nec cæli, nec terræ tu conditor, nec ſolem moues, nec curſum das ſideribus, nec per te voluitur firmamentum: nec vides aut intelligis Deum, nec vllum tibi eſt cum cæleſti militia conſortium, vel aliquam habes ad ſuperioris mundi claritatem acceſſum. Huius inferioris mundi tua eſt ſcabies, languentis ſunt vlcera, hæc ſcalpis, hæc impurus ablingis. Si quid vitii eſt, ſi quid corruptelæ, tu cadaueribus aſſides, tu contrectas putredines, tu diſtemperas fæces, tu verſas fœtores: tu ſpiritus nequam, tu in priſtino ſæculi huius fermentator immundus, tu ſanctitatis corruptor, & ſimplicium perturbator, tu incendiator libidinum, & omnium turpitudinum adinuentor: in his regnas quos inquinas, & in his quos polluis, dominaris. Fornicatores & adulteri te habent ſuggeſtorem, te habebunt tortorem; te quoque cum illis vltricia incendia concremabunt. Stultis vaniſque promiſſionibus nullus à corde Chriſtiano dari debet acceſſus, ſed primis titillationibus obuiare debet abigens manu: nec foueri debet coluber, donec in draconem formetur. Mendax eſt diabolus, & his qui ſibi obtemperant, multa ſe daturum promittit. Malum hoc in vniuerſa Eccleſia vagatur, & communis peſtilentia innumerabiles occupat; vt pro gloria huius mundi qui liberi erant, ſe vendant in ſeruos, & per vitia ad ſeruitia deputentur, & obligati pacto chirographum ſubiectionis conſcribant diabolo. Per omne nefas voluptates emuntur; & per omne ſcelus copioſæ libidines exquiruntur. Iudas ille proditor venditurus magiſtrum, pretaxatum pretium à principibus exegit ſacerdotum; Quid mihi, inquit, vultis dare, & ego eum vobis tradam? Vſque ad mortem Domini amor lucri ſe ingerit; nec vitæ Saluatoris quæſtus deſiderium parcit. Etiam in ſinu ſacerdotum ambitio dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat. Simon Apoſtolorum temporibus venalem putans Spiritum ſanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere poteſtatem, per quam plura lucretur. Hæc ſacrilegii forma per omnia officia graduſque diſcurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quiſquam diaboli hæc eſſe negotia, & nundinatores eius quicumque hæc exercent commercia; nec quidquam huiuſmodi ab eo, niſi præmiſſa apoſtaſia, donari. Inuerecundè tentator ambitioſos aggreditur, [a] & conditione perniticioſa præmiſſa præmia talia pollicetur, vltra quæ extendi non poſſit cupiditas; regnorum ſcilicet omnium monarchiam & vniuerſitatis dominatum, vt in omnibus mundanis vnus homo quaſi Deus habeat poteſtatem, & vni omnia ſubiecta ſint, & generale vectigal excellentiæ principali cuncta perſoluant. Quid vltrà cupide quæris? quid amplius auare deſideras? numquid & ſic poteſt impleri ambitio tua, aut ſatiari poteſt fames tua, offa huius mundi iniecta dentibus tuis, & faucibus tuis vniuerſa rerum maſſa intruſa? Mundum habes, Deum non habes: mundus tranſibit; tu cum eo qui non ſtat, cades, tranſibis & rues. Peremptoria ſunt hæc conſilia, quæ tibi alia pollicentur, in quibus te neceſſe eſt aut vomitu, aut ruptis interire viſceribus. Sed & pretium quod petitur, vt diabolum adores proſtratus: & cum tibi Deum conſtituas, quem non dubitas ſeductorem, ſi conſenſeris vt concedas, caſus tui te non potes excuſare improuidum; cùm ipſe tibi caſum & ruinam prænominet, & præcipitium exigat, qui tanti ſe facit nundinatorem culminis, & tantæ tibi promittit faſtigia poteſtatis. Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo: regnum cælorum tibi Deus promittit, ipſum ſolum adora, ipſi ſoli memento vt ſeruias, qui repulſo tentatore, te quoque gloria & honore poſt victoriam coronabit, ſi in iuſtitiæ rectitudine ſteteris, nec falſis

adiicio negandi particulam. PAM.
b *Et conditione. præmiſſa præmia talia pollicetur.* Cum eo | dem adiice *præmia.* *Idem.*

falſis promiſſionibus obtemperans, ad venerationem diaboli damnationis eius factus particeps incurueris.

DE COENA DOMINI, ET PRIMA INSTITVTIONE [a] conſummantis omnia ſacramenta.

SVSCITATI Lazari Hieroſolymis [b] increbuerat rumor, & tam ſolemne miraculum ad venerationem Chriſti excitauerat populum: vnde & ei ciuitatem ingredienti, cum ramis palmarum obuiam proceſſerunt; ſedentémque ſuper aſinum reſonantibus laudibus introduxerunt in vrbem, regem Iſraël confitentes, & acclamantes filium Dauid in nomine Domini aduenisſe, cuius æternum imperium prophetarum vaticinia antiquitus conclamarant. Nec latebat Dominum, qui ſciebat omnia, quòd in viæ illius confinio de torrente paſſionis erat bibiturus, & ex ea veneratione quæ impendebatur ei à plebe, inflammandam amplius inuidiam magiſtratuum, & animos exacerbatos vehementiori inſania perturbandos, & conſpirationis malignæ non vltrà poſſe occultari conſilia, nec differri ampliùs quæ de eius interitu cogitarant. Sed volebat pius magiſter cùm iam damnationis ſuæ dictaretur ſententia, & propè eſſet vt figeretur in cruce, ſuæ dare indicia poteſtatis, [c] vt qui animam Lazari reuocauerat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dinoſceretur virtute diuina non humana tantum opus patraſſe: & impoſſibile eſſe ſuam animam ab infero teneri, qui alienam poteſtatiuè extraxerat: nec ſe neceſſitate, ſed obedientia vrgeri ad mortem; & vitam quam aliis reddebat, [d] ad ſe quoque vbi iuberet, illicò redituram. Finem igitur legalibus cæremoniis impoſiturus, parari ſibi voluit Paſcha, & ex conſuetudine legis ea quæri quæ ſolemnitas exigebat, agnum aſſum, panes azymos, & lactucas agreſtes. Non oportet eſſe fermentarios noui Teſtamenti miniſtros: puras ſincerasque mentes ſanctum quærit conuiuium: in veru crucis boni odoris aſſatio omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem, & induret ſolidétque mentis affectus: nec in Eccleſiæ ſanctæ ſacrificio vlla ſit macula, ſed pura ſimplicitas & innocentia vitæ, in vna Eccleſiæ catholicæ domo à fidelibus de Ægypto egredientibus, tranſito mari rubro, lotis Chriſti ſanguine affectibus offeratur. Cœna itaque diſpoſita inter ſacramentales epulas obuiarunt ſibi inſtituta antiqua & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis: nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia populi inuitantur; ſed immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius ſummus Sacerdos panem profert & vinum: Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manducauerant & biberant de eodem pane ſecundùm formam viſibilem, ſed ante verba illa cibus ille communis, tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporali ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem, [e] hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus; quotienſcumque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens. Manifeſtata eſt etiam ſpiritalis & corporalis cibi ſubſtantia, aliud fuiſſe quod priùs eſt appoſitum & conſumptum, aliud quod à magiſtro datum eſt & diſtributum. Quamdiu cibi illi qui ad diem feſtum erant parati à conueſcentibus Apoſtolis ſumebantur, veteris paſchæ agebatur memoria, nec dum Iudas ad veterem vitam pertinens, diabolo inuadente & occupante animum eius egredi cogebatur, ſed vbi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit, [f] patricidialis animus vim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exſufflatus, & præceps cucurrit ad proditionem & pretium, ad deſperationem & laqueum. Orta fuerat aliquando, ſicut in Euangelio Ioannis legitur, de nouitate verbi huius quæſtio: & ad doctrinam myſterij huius obſtupuerant auditores, cùm diceret Dominus: Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retrò: quia horrendum eis & nefarium videbatur veſci carne humana; exiſtimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam

xam

a *Conſummantis omnia ſacramenti.* Ita videtur mihi in titulo legendum, pro eo quod eſt, *ſacramenta*, vt potè ſacramentum Euchariſtiæ, ſacramentum omnia conſummans: eadem ſignificatione, qua appellatur à Dion. Areopag. lib. de Eccl. hierarch. τελετῶν τελετή. Ac ſi dicas ſacramentum ſacramentorum. Rationem reddit ille, quòd nullum ferè ſacramentum hierarchici ordinis ſine diuina Euchariſtia perficiatur. Facit pro noſtra lectione, quod poſt medium tractatus dicat: hæc ſecreta diuina omnium in ſe myſteriorum ſummam continere. Prior tamen lectio etiam eodem recidit. PAM.

b *Increbruerat rumor.* Rectiùs mea ſententia Morelius & Gryphius quàm cæteri: *increbuerat. Idem.*

c *Vt qui animam Lazari.* Prorſus ſic lego, pro &c. *Idem.*

d *Ad ſe quoque vbi iuberet, illicò redituram.* Etiam hoc lego pro *redditurum. Idem.*

e *Hæc eſt caro mea.* Fortè legendum *hoc eſt corpus meum.* ſic enim habent Euangeliſtæ omnes & Paulus. *Idem.*

f *Parricidialis animus.* Sic Manutius & Morellius, alij, *parricidalis. Idem.*

xam, vel aſſam, ſectámque membratim edere docerentur, cum illius perſonæ caro ſi in fruſta partiretur, non omni humano generi poſſet ſufficere, qua ſemel conſumpta, videretur interiſſe religio, cui nequaquam vlteriùs victima ſupereſſet. Sed in cogitationibus huiuſmodi caro & ſanguis non prodeſt quidquam: quia ſicut ipſe magiſter expoſuit, verba hæc ſpiritus & vita ſunt: nec carnalis ſenſus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, niſi fides accedat. Panis eſt eſca, ſanguis vita, caro ſubſtantia, corpus Eccleſia: corpus propter membrorum in vnum conuenientiam; panis propter nutrimenti congruentiam: ſanguis propter viuificationis efficientiam; caro propter aſſumptæ humanitatis proprietatem. Hoc ſacramentum aliquando corpus ſuum, aliquando carnem & ſanguinem; aliquando panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ; [a] cuius ſecundùm hæc viſibilia corporali communicauit naturæ. Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideóque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm ſpiritali tranſitione Chriſto nos vniri. Ipſe enim & panis, & caro, & ſanguis, idem cibus & ſubſtantia, & vita factus eſt Eccleſiæ ſuæ quam corpus ſuum appellat, dans ei participationem ſpiritus. Et nos quidem cùm caro eſſemus & ſanguis, corrupta & infirma corporis animæque natura, reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei, reuerti niſi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curatione deſperatæ infirmitatis contraria remouerentur contrariis, & ſimilia ſimilibus conuenirent. Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas; ita ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus & ſanguis ſacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus, vſque ad participationem ſpiritus; non quod vſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed vſque ad ſocietatem germaniſſimam eius hæc vnitas perueniſſet. Solus quippe filius patri conſubſtantialis eſt, nec diuiſibilis eſt, nec partiabilis ſubſtantia trinitatis: noſtra verò & ipſius coniunctio nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates. Ita Eccleſia corpus Chriſti effecta obſequitur capiti ſuo; & ſuperius lumen [b] in inferiora diffuſum claritatis ſuæ plenitudine à fine vſque ad finem attingens, totum apud ſe manens, [c] totum ſe omnibus commodat, & caloris illius identitas ita corpori aſſidet, vt à capite non recedat. Panis itaque hic azymus, cibus verus, & ſincerus per ſpeciem & ſacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat. Et ſicut panis communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis: ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis. Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris, eumdem ſine ſacramento manifeſtiùs edemus in cælis; non miniſterio corporali, [d] ſæpè repetitis actionibus ad eumdem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro, erit & permanebit perpetua & ſtabilis, implens & reficiens nos ſufficientia, qua proferet ſe palàm abſque vllis integumentis, omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis. Sacramenta quidem, quantum in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non poſſunt; nec vllo modo diuina ſe abſentat maieſtas myſteriis: ſed quamuis ab indignis ſe ſumi vel contingi Sacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit. Ideóque aliis ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: quia omninò iuſtum eſt, vt tantò priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas ſibi faciat manſionem. Noua eſt huius ſacramenti doctrina, & ſcholæ Euangelicæ hoc primum magiſterium protulerunt, & doctore Chriſto primùm hæc mundo innotuit diſciplina, vt biberent ſanguinem Chriſtiani, cuius eſum legis antiquæ auctoritas diſtrictiſſimè interdicit. Lex quippe eſum ſanguinis prohibet, [e] Euangelium præcipit vt bibatur: in quibus mandatis hoc maximè diſcernere debet Chriſtiana religio, quod ſanguis animalium à ſanguine Chriſti per omnia differens, temporalis tantum habeat viuificationis effectum; & vita eorum finem habeat, & ſine vlla reuocatione terminum conſtitutum. Ideóque ad obtinendam æternitatem [f] non poteſt proficere, quod ſemel obrutum non ſurgit vlteriùs, nec aliqua ei ſupereſt virtus, quod ſine vlla ſpe præciſis radicibus mors penitus exſiccauit. Vita verò hominis licet aliquam habet affinitatem cum ſanguine, non tamen ſolo ſanguine regitur: ſed anima ſanguini dat caloris & nutrimenti effectum, ſicut & cæteris quæ in corpore ſunt, propria diſtribuit officia, & diuidit motus, & quaſi talenta partitur. Nec oportuit

a *Cuius ſecundùm hæc viſibilia, &c.* Locus obſcurus. Quod verò ſequitur, prorſus tranſſubſtantiationem confirmat. Obſcurum eſt & illud quod poſteà ſubiungitur, *cuius corpus ſacramenta ſunt.* PAM.

b *In inferiora diffuſum.* Grauius *diffuſa*, eligat lector vtrum velit. *Idem.*

c *Totum ſe omnibus commodat.* Rectiùs legeretur *accommodat. Idem.*

d *Sæpè repetitis actionibus ad eumdem reuertentes.* Remboldus cum vulgatis *ad eadem*, Manutius & Morel. *ad eamdem*: Sed illa Grauij lectio genuina eſt, quia loquitur de pane. Facit autem hic locus ad Frequentem communionem *Idem.*

e *Euangelium præcipit vt bibatur.* Nihil hoc facere pro neceſſitate communionis vtriuſque ſpeciei pulchrè deducit Dn. Ioan Heſſelius ex ſequentibus: quæ planè conuincunt loqui auctorem de potu ſpiritali ſanguinis Chriſti. Vide adnotationes noſtras in epiſt. ad Cæcilium de ſacramento calicis. *Idem.*

f *Non poteſt proficere.* Protſus ſic legò prò, *non poteſt perficere. Idem.*

tuit vt ſanguini humano ſanguis pecudum miſceretur; quia vita rationalis hominis vitæ beſtiali conſociari non habet: ſed omninò & fidelium animis quaſi ſanguis impurus detergenda eſt hæc carnalis opinio, ne putetur vita hominis eo modo tranſitoria, quo vita pecudum inaneſcit, vel quod ſanguis conſubſtantialis ſit animæ, & neceſſe ſit vtrumque ſuperueniente ſuffocatione diſſolui. Carne quidem animalibus ſimiles ſumus, ſed vita diſſimiles: ideóque quod commune cum eis habemus, nobis incorporare licenter poſſumus: quod verò dignitati noſtræ non conuenit, & ab æternitate alienum videtur, à nobis ſubtiliſſimo legis indicio ſeparamus. Bibimus autem de ſanguine Chriſto ipſo iubente, vitæ æternæ cum ipſo & per ipſum participes; animalis vitæ peccata, quaſi ſanguinem impurum horrentes, & fatentes nos per peccati guſtum à beatitudine priuatos & damnatos, niſi nos Chriſti clementia ad ſocietatem vitæ æternæ ſuo ſanguine reduxiſſet. Nobis itaque pro quibus ſanguis Chriſti oblatus eſt in cruce, & quos reconciliauit Deo, omnes excedens victimas hoc ſacrificium ſingulare, ipſe Chriſtus picerna porrexit hoc poculum & docuit; vt non tantùm exterius hoc ſanguine liniremur, ſed & interius [a] aſperſione omnipotenti anima muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid eſſet intus ibi durum effugaret, & renouaret ſanarétque quidquid morbi carni vel ſpiritui veteris vitæ ad linierat corruptela. Dixerat ſanè huius traditionis magiſter, quod [b] niſi manducaremus eius carnem, & biberemus eius ſanguinem, non haberemus vitam in nobis: ſpiritali nos inſtruens documento, & aperiens ad rem adeò abditam intellectum, vt ſciremus quod manſio noſtra in ipſo ſit manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio, ſubiectis obſequiis, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Eſus igitur carnis huius quædam auiditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in ipſo, per quod ſic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato noſtro & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animæ corporiſque receſſus. Potus & eſus ad eamdem pertinent rationem; quibus ſicut corporea nutritur ſubſtantia & viuit, & incolumis perſeuerat, ita vita ſpiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides: quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui; excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter & finaliter. Celebrantes ſacramenta commonemur, quaſi vngulam findens & ruminans pecus reuocare ad fauces, & minutatim commolere Dominicæ inſtitutionis exemplum, vt ſemper paſſio ſit in memoria; nec terreant crucifixi hæredes mortis ſupplicia, ſed paſcant & reficiant maturatæ reſurrectionis lætabunda ſolemnia. Quàm præclarus eſt calix iſte, quàm religioſa eſt huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retrò ſunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum huius mundi, [c] ſed diuitis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra ipſa redemptoris noſtri vulnera figimus linguam: quo interius exteriuſque rubricati, à ſapientibus huius ſæculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum, vſque hodie retrò abeunt, & à ſecretis diuinis omnium intra ſe myſteriorum continentibus ſummam diffugiunt, & recedunt. Qui manducat ex hoc pane, vltrà non eſurit; qui bibit, vltrà non ſitit: quoniam myſterii huius ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia; vt cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis conſummationis fine inuento Chriſti baiulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore habitatori ſuo dicta & facta iubilatione conſona laudes reſonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, ſed extinguit peccatum: in hoc vino non eſt luxuria, nec mouetur ad ludum poſt hunc potum laſciuia. Cùm ſopiuit obliuio cuncta carnis ludibria: mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur; [d] quem agnus iſte Paſchalis inhabitat, cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat. Inter Dominicæ menſæ conuiuas animalis homo non admittitur; quidquid caro & ſanguis dictat ab hoc cœtu excludit; nihil ſapit, nihil prodeſt quidquid humani ſenſus molitur ſubtilitas: omne quidquid à ſuis rationibus deuium videtur, ſapientes huius ſæculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit; & cùm in ſole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata eſt non illuminata humana præſumptio, & aſpectui eius lippitudo inhæſit. Vident hæc ſacramenta pauperes ſpiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aſpernantur: & poſſidentes Chriſtum, aliquam huius mundi poſſidere ſupellectilem dedignantur. Eſurientes & ſitientes iuſtitiam cùm ſaturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quàm ſancti odoris ſit quidquid illa eructat plenitudo; verbum bonum, mores compoſitos, affectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interior ſinceritas vbique diffundit; ita vt poſt odoramenta iſta gratiæ huius comparticipes diſcurrant, & mutuis ad inuicem affectibus complectantur, & quibus vnus eſt panis, vnum eſt corpus, & omnium vnum cor, & anima vna, vni Chriſto adhærens

a *Aſperſione omnipotenti anima muniremur.* fortè *muniretur.* PAM.

b *Niſi manducaremus eius carnem.* Adiecit Grauius *carnem* ego verò particulam *eius*. Alludit enim ad verba Chriſti Ioan. 6. *Idem.*

c *Sed diuitis purpurati delicias contemnentes.* Rectè ſic Grauius pro *preparati*. *Idem.*

d *Quem Agnus iſte Paſchalis inhabitat.* Remboldus habebat *qua*, cæteri *quin*. priùs verò illud lego ex coniectura Cauchii. *Idem.*

adhærens; [a] cætera omnia quaſi fermentata reſpuens, in vnius azymi ſinceritate lætatur. Perpes eſt hoc ſacrificium & ſemper permanens holocauſtum: nulla panem hunc multitudo conſumit, nulla antiquitate veteraſcit. Vna eſt domus Eccleſiæ, in qua agnus editur, nullus ei communicat, quem Iſraelitici nominis generoſitas non commendat. Huius panis figura fuit manna quod in deſerto pluit, ſic vbi ad verum panem in terra promiſſionis ventum eſt, cibus ille defecit. Per ſingula ſabbata panes propoſitionis iam frigidi & duri mutari conſueuerant, & calidi panes eiuſdem numeri in menſa proponi: [b] Iam nulla fit panis mutatio, vnus eſt panis caloris continui, ſtatus integri, qui ſemel oblatus Deo in ſapore dulciſſimo, & candore puriſſimo perſeuerat. [c] Nec ſolos ſacerdotes ad panes huius dignitatis Leuiticæ prærogatiua admittit: vniuerſa Eccleſia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, diſtributus non demembratur: incorporatur non iniuriatur, recipitur non includitur, cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum miniſterio indignatur: fides pura, mens ſincera hunc habitatorem delectat, neque immenſi & omnipotentis Dei magnitudinem pauperculæ domus noſtræ anguſtia offendit vel artat. Panis iſte Angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica, omnibus qui dignè & deuotè ſumunt, ſecundùm ſuum deſiderium ſapit; & ampliùs quàm manna illud eremi implet & ſatiat edentium appetitus, & omnia carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quo modo his qui Chriſti commemorant paſſionem [d] intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus [e] egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur; quantam ſuauitatem animæ inquirenti vbi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant. Non illos [f] imbres procelloſæ tempeſtatis deponunt, ros matutinus eſt de cæleſtibus ſtillans, & quaſi vnctio ſpiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retrò & ante ſe affectio intuens, inter data condonando ſe diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori; & ſe ſanatam & ſanctificatam agnoſcens, fletibus ſe abluit, & lachrymis ſe baptizat. Verùm hi qui verbo tenus corde ſicci & mente aridi [g] ſacris interſunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, ſed inde nec mel ſugunt, nec oleum: qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus ſancti pinguedine vegetantur, nec ſe iudicant, nec ſacramenta diiudicant: ſed ſicut cibis communibus irreuerenter ſacris vtuntur muneribus, & Dominicæ menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter, quibus melius erat mola aſinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illota conſcientia de manu Domini bucellam accipere; qui vſque hodie hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus diuidit. In huius præſentia non ſuperuacuæ mendicant lachrymæ veniam, nec vmquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam. Quotiens te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito aſpirantem: cùm intueor flentem, ſentio ignoſcentem. Tu ſi templum Spiritus ſancti violas, ſi intra te ſacrarium Dei deturbas & fœdas, ſi cum calice Chriſti de calice dæmoniorum communicas, contumelia eſt, non religio; iniuria, non deuotio. Idolorum ſeruitus & horrenda abominatio, velle ſimul Baal famulari & Chriſto. Abi retrò cum ſacellis tuis qui lucris inhias, & mercedes ſectaris; qui opulentus in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in ſtratis ſegmentatis laſciuis, qui veſtiris mollibus & in terra ſuauiter viuentium conuerſaris, cuius manus plenæ ſunt ſanguine; cuius lumbi diſcincti ſunt, & ſine baltei diſcutris ligamine. Non eſt tibi pars in ſermone iſto: quia quod Dei eſt, aufers Deo, & imaginem Dei conſecras idolo. Pauperes quidem ſpiritu ad hoc myſterium [h] eligit & diligit Spiritus ſanctus, & eorum qui pompaticè & glorioſè ſacris ſe altaribus ingerunt, obſequia deteſtatur. Ozias licet Rex ob præſumptionem lepra percuſſus, à ſanctuarii ingreſſu repellitur, & eius oblatio quaſi ſordida refutatur. Incenſi odor de immundorum manibus reputatus eſt pro fœtore, & iram non gratiam præſumptio meruit: quia contra fas rem vſurpans illicitam, temerariè in ſancta conſcendit. Sed & propter malignantium inſolentiam altare ſuum Deus repellit, & ſanctificationibus maledicit, odit ſabbata, abominatur ſolemnia, odoramenta fœtent, diſplicent holocauſta. In his omnibus laborare ſe dicit Deus, nec eſſe voluntatem ſuam in miniſtris impuris, indignatione diſtricta teſtatur. Sed hierarcha pius quem Spiritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat, & ſanctificat, eleuatione manuum crucis myſterium repræſentans, confidenter orat pro ſua & populi ignorantia; recolens pudibundi & contriti animi confeſſione, quod aliquando præualente aduerſum ſe peccato fuerit derelictus, iuxta illud quod Dauid plorans ait: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Et Dominus per Eſaiam: Ad tempus in modico derelinquam

a *Cætera omnia quaſi fermentata.* Manutius & Morelius *fermenta*, ſed prius malo. PAM.

b *Iam nulla fit panis mutatio.* Nic. Faber, id eſt, ſemper idem panis nobis apponitur is qui de cælo deſcendit. RIG.

c *Nec ſolos ſacerdotes ad panis huius.* Aliquid deſideratur, fortè legendum, *ad panis huius eſum.* PAM.

d *Intra ſacra officia.* Locus hic facit pro ſacræ miſſæ officio, de quo paulò poſt plura in hæc verba. *Sed hierarcha pius eleuatione manuum crucis myſterium repræſentans, &c.* & iterùm ſub finem. *ad hæc intra ſacra myſteria ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite &c. Idem.*

e *Egrediantur torrentes.* Manut. & Morell. *egredientur.* at prius placet *Idem.*

f *Imbres procelloſa tempeſtatis.* Sic lego, pro *tempeſtates. Idem.*

g *Sacris interſunt vel etiam participant donis.* Hinc conuincere mihi videor quoſdam interfuiſſe ſacris donis qui non participarent. *Idem.*

h *Eligit & diligit.* Fortè *delegit. Idem.*

relinquam te. Verecundatur fateri, & tamen fatetur iuuentutis delicta. Sed accuſatrici conſcientiæ neceſſe eſt coram iudice reſpondere; nec poteſt ibi eſſe vllum diffugium, vbi ipſa teſtis eſt quæ accuſat, & nihil ei poteſt eſſe occultum qui iudicat. Sed vbi cum iudice agit qui iudicatur, & ipſe in partem accuſatoris tranſiens, etiam in ſua proſcriptione ſententiam approbat condemnantis, experitur clementiam Saluatoris, & lætabundus canit: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Et iterùm per Eſaïam audit: In miſerationibus magnis congregabo te. [a] Sed & in eodem articulo temporis cùm iam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur, nec ſerum eſt quod verum, nec irremiſſibile quod voluntarium: & quæcumque neceſſitas cogat ad pœnitudinem; nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia: ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes, & velit nolit. Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ipſe Dominus noſter derelictorum perſonam gerens in cruce, ſe queritur derelictum: & ne deſperarent etiam in vltimis conſtituti, feſtinans in adiutorium illicò adeſt, & re in arto poſita non differt beneficium, ſed repentè indulgentiæ celeris documentum eiuſdem ſtatuit & exemplum, latroni inquiens. Hodie mecum eris in paradiſo. Latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum pœnam [b] mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem; & ſtatim conſummatus ciuis ſanctorum & domeſticus Dei [c] præmiſſus eſt in regnum: reconciliationis humanæ priuilegium ſecum ferens ad ſuperos; quod Deo patri tantæ legationis fungens honore, in ſe ipſo ſcripturæ huius experimentum continens, libero & ſecuro aditu penetrans, præſentauit. Quid tu Domine amplius Stephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores? quid labores ſanctorum? quid tot annorum tormenta? quid martyrum plagæ? Vna hora huic collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina peruenerunt. Sic tu Domine, armentarios ſtatim facis prophetas, opiliones reges, teloniarios Apoſtolos, piſcatores doctores. Neque ab his quos ſanas, lentè languor abſcedit, ſed illicò quem reſtituis ex integro, conualeſcit: quia conſummatum eſt quod facis, & perfectum quod largiris. Hanc Dei gratiam recolens, qui de ſacro calice bibit, ampliùs ſitit: & ad Deum viuum erigens deſiderium, ita ſingulari fame illo vno appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium ſit ei quaſi rancidum radénſque palatum acutæ mordacitatis acetum. Ad hæc inter ſacra myſteria ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite, munditia cordis adepta, ſe intelligens conſummatum, reſtitutus peccator ſanctificatam Deo animam quaſi depoſitum cuſtoditum fideliter reddit, & deinceps cum Paulo gloriatur & lætatur dicens: Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Hæc in Chriſti commemoratione retractantur à fidelibus, [d] & defæcatis animis carnis eius edulium non eſt horrori, ſed honori, potuque ſancti & ſanctificantis ſanguinis ſpiritus delectatur. Hæc quotiens agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera panem ſanctum frangimus & partimur; dum quod diuinum & quod humanum eſt, diſtinguimus & ſeparamus, itemque ſimul ſeparata iungentes, vnum Deum & hominem fatemur. Sed & nos ipſi corpus eius effecti ſacramento & re ſacramenti capiti noſtro connectimur & vnimur ſinguli alter alterius membra, miniſterium dilectionis pro inuicem exhibentes, communicamus charitate, participamus ſollicitudine, eumdem cibum manducantes, & eumdem potum bibentes qui de petra ſpiritali profluit & emanat, qui cibus & potus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

DE

a *Sed & in eodem articulo, &c.* Pulchet locus contra Nouatianos. PAM.

b *Mutauit in martyrium.* Vide epiſtolam ad Iubaianum. *Idem.*

c *Præmiſſus eſt in regnum.* Sic Manutius & Morelius pro, *permiſſus*, optimè; nam bis ſic loquitur tract. de paſſione Chriſti ſub medium. *Idem.*

d *Et defæcatis animis.* Ita prorſus lego pro, *defæcata. Idem.*

DE ABLVTIONE PEDVM.

IAM Sacramenta corporis ſui Apoſtolis Dominus diſtribuerat, iam exierat Iudas, cùm repentè de menſa ſurgens, linteo ſe præcinxit, & ad genua Petri, lauaturus pedes eius, ipſe genibus flexis Dominus ſeruo conſummatæ humilitatis obtulit famulatum. Et ne quid conſummationi doctrinæ deeſſet, inter fixa & immobilia præcepta, & ea quæ moueri poſſunt & repeti, diſtinctionem poſuit; vt cæteris immutabiliter ſemel ſtatutis, [a] vltima lauacri ſpecies quotidianis expiationibus commodata commendaretur fidelibus: & ſicut lex per ſingulas offenſiones propria ſacrificia

a *Vltima lauacri ſpecies.* Pœnitentiam haud dubiè intelligit nempè qua (vt paulò pòſt inquit) adhærentes animæ ſordes quotidiana ſatisfactione lauentur. PAM.

a *Nam*

ſacrificia requirebat ; vnum figuretur fidei Chriſtianæ remedium ; ad quod curreret, quotiens ſe cognoſceret offendiſſe. Quod quidem Petro nondum fuerat reuelatum, quippe qui huius traditionis nondum audierat diſciplinam. Docetur ergo quæ ſit baptiſmi & aliorum ſacramentorum ſtabilitas, & quantum ad expiationem proficiat humilis pietas & pia humilitas; & quo modo omni tempore proſequenda & repetenda ſit ablutio pedum, per quam rectè cognitam & intellectam, adhærentes animæ ſordes quotidiana ſatisfactione lauantur. [a] Nam baptiſmum repeti, Eccleſiaſticæ prohibent regulæ : & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterùm conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros ordines ſemel datos iterùm renouat ; nemo ſacro oleo lita iterum linit aut conſecrat, nemo impoſitioni manuum vel [b] miniſterio derogat ſacerdotum: quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi euacuari poſſet quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret, quod ille ſemel ſtatuit & confirmat. Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt ſacramēti inſtitutor & auctor, in cæteris homines Spiritum ſanctum habuère doctorem; & ſicut par eſt Spiritui ſancto & Chriſto diuinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas & poteſtas: nec minus ratum eſt quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quàm quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Manet ſingulis propria dignitas, & vniformis in ſuo genere ſtat actio omnium ; nihil addi, nihil ſubtrahi, nihil poteſt corrigi vel mutari. [c] Ornata & honorata eſt Eccleſia quaſi paradiſus, in amplitudinis ſuæ vmbilico fontem continens gratiæ ſingularis, flumina creans in vitam æternam ſalientia ; viuam habens originem & decurſum perennem. Hinc egredientia quatuor Euangelii flumina per vniuerſum mundum ſecum regenerationis euehunt lauacrum ; & de abdito & ſecretiſſimo Spiritus ſancti munere huius gratiæ liquor emanat, ſic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula aliqua ſui poſt ablutionem illam veſtigia derelinquat. Prætéritis lotis, vita deinceps arbitrio eſt proprio deducenda ; ita tamen vt actualibus aliquando recrudeſcentibus iam non imputentur originalia, nec propter illa damnationi obnoxius ſit cui ſemel illa ſunt in baptiſmo indulta. In originalibus enim corruptio naturæ abiici & exterminari meruerat ; ſed quia non erat voluntas in culpa, prouidit Deus generali damnationi remedium, & ſuæ ſententiam iuſtitiæ temperauit, hæreditarium onus à ſobole remouens, & miſericorditer ablutione & vnctione medicinali corruptionis primitiuæ fermentum expurgans. Sed in eos qui poſt indulgentiæ huius gratiam voluntarii per peccata euagati ſunt ; qui proprio abutuntur arbitrio, & voluntate non neceſſitate ducuntur ; indignatio & ira non immeritò redit : nec in morte Chriſti aliquis eis ſupereſt quæſtus, ſed iuſtiſſimè eos beneficia contempta condemnant. Nunc contemptum ſuum non ſtatim vlciſcitur Deus, nec per ſingulas offenſas iudicantis ira diſcurrit, nec obſtruxit fonti miſericordiæ ſuæ oſtia meatuſque multiplices ; ſed obuiat fugientibus, & cogit regredi deſperatos, oſtendens eis pœnitentiæ viam, qua nulla latior inuenitur: & reuerſis dat vt iterùm eis poſſint ſacramenta iniuriata prodeſſe, quorum ſi pœnitentia non ſubeſſet, nullo modo deinceps experiri poſſent effectum. Propter hoc, benigniſſime Domine, pedes lauas diſcipulis : quia poſt baptiſmum [d] quem ſui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum procuraſti, quod numquam debeat intermitti : tamen ipſe quod doces facis, vt quanti quæſtus hoc opus ſit ex tua bonitate diſcamus, & inclinata ad pedes noſtros altitudine tua, ſtans aduerſus proximos, & erigens ſe contra Deum confundatur ſuperbia hominum, & ad humilitatem Dei nouerit de ſe humilia ſapere lutum. Pauent diſcipuli, nec audent obloqui, & quaſi ecſtaſis teneat eos, vel [e] mens alias rapta peregrinetur, nec magiſtro reſiſtere ; neque quid hoc ſit, vel cur fiat inquirunt. Solus Petrus ſciens quia perhibuerat ei teſtimonium quod filius Dei viui eſſet, & quia verba vitæ æternæ haberet ; iudicans apud ſe indignum & inconueniens, ſanctum ſanctorum flectere genua ad pedes peccatorum. [f] Neutiquam, inquit, tu mihi pedes ablues, & huius humilitatis ſuſtinere obſequium, non eſt noſtrûm, qui adorare debemus in loco vbi ſtant pedes tui, & ſatis eſt nobis quod ſicut catuli de menſæ tuæ reliquiis manducamus. Hoc in muliere peccatrice aliquando paſſus es, nec dedignatus es in menſa ſolemni multis conueſcentibus infamis perſonæ ſuſcipere famulatum ; cuius deuotio vſa eſt ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptiſmo, tetigit, lauit, & vnxit vnguento. Mactata intrinſecus anima proprium in ſancta ſanguinem intulit ; ſingula ſuum præbuere miniſterium, cor contritum erupit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit. Hæc multa in conſpectu tuo congerens holocauſta, de fonte cordis fletus hauſit quos protulit : de pœnitentiæ pixide vnguenta quæ obtulit, caputque pro ſuppedaneo ſtrauit, crinibus

circumfuſis

a *Nam baptiſmum repeti*, &c. vide latiùs ſuprà epiſtolam dictam ad Cæcilium. Idipſum autem non licere in Sacramentis ordinis & manus impoſitionis, hic docet. PAM.

b *Miniſterio derogat ſacerdotum*. Sic Manut. & Morel. alii, *miniſteriis*. *Idem*.

c *Ornata & honorata eſt Eccleſia*. Ita lego prò *erat*. Eſt autem ſimilis locus epiſt. ad Iubaianum, facit autem quod ſequitur contra Lutheranos. *Idem*.

d *Quem ſui reuerentia non patitur iterari*. Manutius & Morel. legunt *qui* Ego autem iudico legendum *quem*, & aut præmittendum illud, *& Euchariſtiam*, aut certè dictis verbis poſtponendum. Alioqui ſibi ipſi contradiceret auctor tract. præcedenti dum repetitis verbis nos ad eumdem pánem angelorum reuerti dicit. Superfluum autem id eſſe vel ex eo colligere eſt, quód ſub finem, de Baptiſmo, non de Euchariſtia, repetat idipſum. Niſi legamus, *Chriſma*, pro eo quod eſt *Euchariſtiam*. *Idem*.

e *Mens alias rapta*. *alias*, pro aliò. Sicut etiam ſuprà de ſtella & Magis, & infrà de reſurrectione Chriſti. *Idem*.

f *Neutiquam tu mihi pedes ablues*. Omitto ita legendum pro *abluis* iuxta Euangeliſtam. *Idem*.

circumfuſis pedes ſacros inuoluit & terſit. Nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi deuouit, & tu affectum potius quàm factum attendens, vngebas vngentem, abluebas lauantem, tergebas intrinſecus pœnitentem. Superbo oculo Simon leproſus hanc clementiæ tuæ diligentiam non poterat intueri, ſed moleſtè ferebat quòd tangi ſe ab huiuſmodi perſona Dominus ſuſtinebat. Qui ſi lepræ ſuæ te attenderet mundatorem, non dedignaretur ſi de plenitudine gratiæ tuæ alii accipiunt, ſi lauas immundos, ſi iuſtificas impios, ſi reuocas exules & abiectos. Honor tuus Deus iudicium diligit, & æquum eſt vt omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur: verùm quòd tu ante figmentum tuum curuaris, quod ſeruis pedes abluis; non competit maieſtati. Habebat in excuſatione ſua zelum Dei Petrus, ſed non ſecundùm ſcientiam: & tolerabile aliquo modo videretur quod humilitas ſuggerebat, ſi non obſtinatio reſiſtere præceptori niteretur. Non lauabis, inquit, mihi pedes in æternum. Ego, ſi oportuerit me mori tecum, paratus ſum. Hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter ceruicem porrigo percuſſori, ſed Deum meum & Dominum meum ad pedes meos proſtratum non patior, non audeo ſuſtinere. Simili modo & Ioannes venienti Domino ad baptiſmum tentauit reſiſtere, ſed manſuetiùs increpatus, illicò obediuit: & quia ſuper hoc etiam reſponſum acceperat, licet territus acquieuit. Sed differentiam cauſæ huius Petrus intelligens, lauare magiſtrum & obſequi ei tolerabile iudicabat. Lauari autem ab eo, & tantam humilitatis eius pati deiectionem, ita videbatur indignum, vt omninò cogi non poſſet, niſi interminatio periculoſiſſima coartaret. Ait ei Dominus: Niſi lauero te, non habebis partem mecum. Paulatim myſterii huius declaratur neceſſitas, quam conditio propoſita ineuitabilem reddit: & ſi cum Chriſto aliter partem habere non poſſumus, niſi ipſe pedes noſtros abluat, quandoquidem ſic artatur conſenſus, lauet & tergat, & ſacramenti huius nobis virtutem exponat. Suprà diximus ſemel lotos baptiſmate, eodem lauacro vlteriùs non egere: ſed hoc lauacrum quotidianis eſt exceſſibus inſtitutum, & iugis retractatio vſque ad nouiſſima veniens, omnia debet opera & cogitatus ſingulos perſcrutari; & affectus per vitia diſcurrentes, vagam inſtabilémque animam per inania euehentes corrigere & lauare; nec quidquam in vita prætermittere indiſcuſſum, quod gemitibus & ſuſpiriis non fuerit expiatum. Hoc cùm Dominus ſuos vſque in finem diſcipulos dilexiſſet; in fine ſtatuit & dixit neminem poſſe habere perfectam ablutionem, niſi hac ſollicitudine muniatur. Mandatum igitur ſimul & exemplum complexus eſt hoc, vt hoc exemplo inſtructi, non dedignarentur in alterutrum agere, quod actum eſt à magiſtro & mandato poſteris religionis auctoritas firmaretur. Vnde & ſubiungit: Si ego Dominus & magiſter laui veſtros pedes, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Non erubeſcat ſeruus, ſi facere iubetur quod priùs fecit Dominus: nec difficile nobis eſſe debet, ſi ſicut ille nobis donauit, & nos inuicem condonamus: quia alter alterius onera comportantes ſic legem Chriſti implemus. Quotiens igitur cohortamur puſillanimes, & his qui Pharaoni in luto & latere famulati ſunt perſuademus, vt exeant de Ægypto, quotiens cum infirmis infirmamur, & cum his qui ſcandalum ferunt vrimur; quotiens cum afflictis gemimus: totiens inhærens lutum peccatorum qua poſſimus ſollicitudine lauamus; non quod noſtra ablutio ex nobis ſufficiat, niſi ad lauandum omni tempore nos pius magiſter accedat. In hoc ſe periculo fluctuantem laborans anima in Canticis canticorum conqueritur: Laui, inquit, pedes meos, quo modo inquinabo illos? Quod ablutum eſt, timet iterùm inquinare: ſed in via lutulenta vix aliquid ſolidum vbi pedem figat inuenit: & in quibus ſæpè prouoluta eſt, paludum inquinamenta formidat. Clementiſſime magiſter, quotiens ego doctrinæ tuæ tranſgreſſus ſum regulas, quotiens edicta tua Domine ſancte contempſi: & cùm diceres mihi, reuertere, non ſum reuerſus; cùm minareris, non timui; cùm bonus eſſes & lenis, exaſperans fui; vltra ſeptuagies ſepties in cælum & coram te peccaui; quis tot ſordes abluet? quis abradet ſtercora conglobata? Quidquid dicat Petrus, neceſſe eſt vt ipſe nos abluas: neque enim lauare nos poſſumus, ſed in omnibus quæ agimus indulgentiæ tuæ lauacro indigemus. Ad menſæ tuæ participationem [a] Iudas proditor eſt admiſſus; ſed ab hoc lauacro ſalutari excluſus, lauari in fine non potuit, quia Apoſtolatus ſui honorem deteſtabili cupiditate fœdauit. Quia verò apud te fons vitæ eſt, & miſerationum quæ à ſæculo ſunt profunditas infinita: quos abluiſti baptiſmo, quos lauiſti ſanguine tuo, quos ſemper lauas quotidiana peccata donando, transfer à paludibus ſæculi huius, & luto vitæ præſentis ad [b] purgatiſſimum gloriæ tuæ regnum, vbi nec ſcabies vlla, nec lippitudo, vbi nemo fluxum ſanguinis patiens, nemo immundus, vbi nullo amplius opus eſt lauacro, configurato corpori claritatis tuæ corpore noſtro; ſecundùm promiſſa tua, [c] neceſſe eſt vt impleas, & qui incœpiſti in nobis opus bonum, perficias ſolidéſque per te Chriſtum Dominum noſtrum.

DE

a *Iudas proditor eſt admiſſus &c.* Nic. Faber; id eſt, ab effectu, Nam reuera Dominus etiam Iudæ lauit pedes, vt apparet ex cap. 13. Ioan. R I G.

b *Purgatiſſimum gloriæ ſuæ regnum.* Grauius in margine *prægratiſſimum.* Cauchius *pergratiſſimum*: ſed prior lectio germana eſt. *Idem.*

c *Neceſſe eſt vt impleas.* Manutius *eſſe*, at prius placet. *Idem.*

DE VNCTIONE CHRISMATIS ET ALIIS SACRAMENTIS.

DIES iſta multiplicibus myſteriis honoratur. Hac die primùm commendata eſt nobis fractio panis, & menſa Eccleſiæ panem Angelorum hominibus propoſuit ad manducandum. Hodie Chriſtus pedes lauit Apoſtolis, & hoc ſolemni deuotione omni tempore agendum inſtituit. Hodie in Eccleſia cum cæteris vnctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, [a] ſacrum chriſma conficitur: in quo mixtum oleo balſamum, regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis diuinitùs eſt vnctio inſtituta. Hodie reconciliantur Eccleſiæ peccatores, & eiecti foris ad matris vbera reducuntur, & excluſi à cœtu ſanctorum, ad communionem qua caruerant reuertuntur: hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Seueritate depoſita hodie iudices manſueſcunt, & vndique coniugata pietatis negotia, quaſi abortiuas traditiones antiquas ſepeliunt, & Chriſtianæ religionis parturiunt nouitatem. Mortuus quippe eſt Moyſes, & veteris litteræ putruerunt ænigmata: à facie noui olei deſiccatæ ſunt vnctiones antiquæ, tota veteris inſtrumenti incompacta eſt ſtrues, tabernaculum demolitum, arca ab Allophylis capta, totus templi decor ad Aſſyrios eſt tranſlatus. Neque enim decebat vt Chriſtiana religio ornamentis viſibilibus occupata, in manufactis delectaretur: ſed ipſa tabernaculi conſumptio & templi ruina, & ſancta in rapinam expoſita, excellentioris gloriæ intimarent ſtabilitatem: & manentia in perpetuum ſacramenta, cultores ſuos ad intuitum inuiſibilium informarent, & abſtractum à corporalibus deſiderium noſtrum, cæleſtis templi concupiſceret & ambiret decorem; cuius nec antiquatur, nec ſeneſcit religio, in quo lucerna inextinguibilis ſine fine coruſcat. Vbi ſanguis animalium non infertur in ſancta, nec ſunt hæreditariæ ſucceſſiones pontificum, vel vni Leuiticæ tribui miniſteria aſſignata: ſed de omni tribu, & gente & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, ſecundùm vitæ, non generis meritum ſtatuit ſacerdotes, [b] quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper refertum, conſeruandum tradidit, & erogandum; cuius aſperſione & communione intus & extra corda & corpora mundarentur. Hodie, vt diximus, vnguentum ad ſanctificationem paratur, cuius fragrantia adoleſcentulæ & nouellæ animæ accedentes ad fidem illectæ delectantur, & exinanitionis eius ſuauitate delibutæ, diligunt & ſequuntur aromatum largitorem, & vſque ad regis accubitum ſpiramine illo trahuntur, & poſt odorem illum vbique deſiderio ſancto perurgente ſitibundæ diſcurrunt. Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus qui ex quorumdam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis eius eſt ex craſſitudine penetratiua, quæ ſecundùm quaſdam naturales rationes emollit & temperat ſpiſſamenta humorum, quos ſolet intrinſecus aſtringere ſiccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta: [c] quia ſanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentiùs operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento; vt & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas deiformi conuerſatione & cæleſtibus moribus innoteſcat. Hoc oleo antiquitus ſacerdotes ſacrabantur & reges, & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritalem intelligi volebant ſacris myſteriis ineſſe pinguedinem. [d] Et ſicut oleum fluitat, & humidis quibuſlibet ſuperfertur, ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis ſecundùm formam Dei & Chriſti ſub ſe omnia continens, regimen & munimen tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ obtinet: & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas Spiritus ſanctus prout vult, ſingulis diſtribuit & largitur. Ex huius vnctionis beneficio & ſapientia nobis & intellectus diuinitùs datur, conſilium & fortitudo cælitùs illabitur, ſcientia & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti [e] cum ſpiritalibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc oleum à creditorum vſuris ſub Heliſæo Propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc Heliæ tempore Sareptanam pauit, nec lecythus trina effuſione defecit. Hoc oleo Iacob lapidem quem ſuppoſuerat capiti vnxit, & familiari mandato eruditus inter ſacramenta aſcenſionum & deſcenſionum, & diſcurſus angelicos innixum ſcalæ ſublimi videns Deum, quid virtutis hæc haberet vnctio, intellexit. Moyſes hoc oleo tabernaculum & ſacra vaſa perunxit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vſque in barbam eius deſcenderet, & [f] ſuper oram veſtimenti manaret. Samuel quoque ad reges initiandos ſine oleo

a *Sacrum chriſma conficitur.* Latiùs hac de re ſuprà diximus epiſtola 70. ad Ianuarium, & cæteros Epiſcopos Numidas. PAM.

b *Quibus calicem ſanguinis ſui &c.... ſeruandum tradidit.* Quia de ſacerdotibus loquitur, cenſeo reponi debere *conſecrandum.* Eſt autem inſignis locus de electione ſacerdotum legis nouæ. *Idem.*

c *Quia ſanctificatis elementis,* Manutius & Morelius *ſanctitatis.* Verùm illud malo. *Idem.*

d *Et ſicut oleum fluitat.* Sic rectè Eraſmus, pro eo quod Remboldus, *fluentis.* *Idem.*

e *Cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur.* En proprium ſacramentalis confirmationis effectum. *Idem.*

f *Super oram veſtimenti manaret.* Manutius & Morel. *maneret*, at prius germanum eſt. *Idem.*

oleo non accedit, & vſque ad defectum & reprobationem carnalium cæremoniarum in populo illo huiuſmodi perſeuerauit traditio, ſed vaſis Iudaïcis deficientibus defecit gratia, & ſtetit oleum. Impletis vaſis propheticis & ſanctis regibus ad patres appoſitis, in apoſtaſiam & diſcolatum verſum inſtabile vulgus, in ſe non retinuit locum quem poſſet Spiritus ſanctus inhabitare, & vâſa amurca plena non ſuſcepêre liquorem, ſteteruntque in ſummo fæces, quæ longo ſitu induruere; & vbi domicilium religionis fuerat ſterquilinium peccati computruit. Nec tamen ceſſantibus his quæ ritu antiquo inoleuerant; cùm iam in populo Chriſtiano circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur vnctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit, ſed cæteris generali ſanctorum conſenſu damnatis, non ſolùm in regibus & ſacerdotibus vnctionis honor permanſit, ſed in omnem populum catholicum effuſa eſt huius gratiæ plenitudo. [a] Vt ſicut Chriſtus à chriſmate dictus eſt, eò quòd ſingularis excellentiæ oleo vnxerit eum Deus; ita & participes eius quotquot ſunt, conſortes ſint tam vnctionis quàm nominis, & dicantur à Chriſto Chriſtiani, vt ſint ſui Chriſto duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo [b] ſanctimoniæ ſacerdotes. Nec immeritò huic diei aſſignata eſt tanti operis cauſa; & ex hoc ſacramenta hæc obtinuêre initium; quo hodie in ſacramento calicis Chriſti [c] Eccleſiæ vnitas, in lauacro pedum concors ſocietas, & donans inuicem charitas & ſubiecta humilitas; in vnctione Chriſtiani nominis dignitas excellentiæ ſpiritalis propriè data eſt, & confirmata filiis adoptionis perpes auctoritas & dignitas perſeuerans. Dedit itaque Dominus noſter in menſa, in qua vltimum cum Apoſtolis participauit conuiuium, propriis manibus panem & vinum: in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum; vt in Apoſtolis ſecretiùs impreſſa ſincera veritas, & vera ſinceritas, exponeret gentibus, [d] quo modo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus conuenirent, & diuerſa nomina vel ſpecies ad vnam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur. His gratiæ ſupernæ priuilegiis eſu ſanctificati panis refecti, loti, & vncti, non eam quam amiſerant, ſed ampliorem & digniorem recuperant libertatem: & eiecti de paradiſo nudi, ad lignum vitæ hodie reuertuntur veſtiti, reddita ſtola & annulo prolato in medium: & reconciliantur matri Eccleſiæ, quos inobedientiæ malum foras expulerat; & cherubim flammeum gladium ab introïtu tranquilli ſtatus & innocuæ conuerſationis amouit. Hodie in terra maledicta relictis raſtris & graui vomerum pondere, & ſtimulis fatigatorum boum cruore perfuſis, [e] deterſo ſudore vultus exuſti caloribus, ad paternam domum exules reducuntur: & egreſſus obuiam reuertenti filio lætabundus pater clementiam improperio non corrumpit, nec indulgentiam fœdat conuiciis, ſed bonitatis ſuæ honotat magnificentiam, & hilaritate magnificat largitatem. Reſonant in ſuſceptione huius ſollennis muſica inſtrumenta, & communis iubilatio pari conſonantia patri miſericordiarum gratias agit; cuius imperio antiquam prædam euomunt inferi, ligantur dæmones, & diruptis ferreis nexibus diu quaſſati liberi reuertuntur. Hæc dies nocti illi contigua eſt, qua abſolutionis noſtræ negotium Dominus inchoauit: qua à principibus ſacerdotum ad Romanum præſidem ductus iudex omnium ſuſtinuit iudicari: paſſus eſt rex illudi, & vita occidi; deſcendenſque ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit: hoc Eccleſiæ ſuæ hodierna traditione exemplum relinquens, vt fieret in Eccleſia abſolutio peccatorum, & hæreditati redderentur eiecti, & præcedentibus beneficiis quæ ſuprà enumerauimus, libertate donarentur pœnitentes, qui ſecundùm merita, niſi gratia ſubueniret, fuerant condemnati. Et omninò conuenit, vt eo tempore quo Chriſtus captiuos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad Eccleſiam reducantur: & quo confracta ſunt infernalis repagula carceris iudiciaria ſeueritas manſueſcat: & quo ab infernalibus tormentis ceſſatum eſt, humana ſupplicia crudelitatis horrorem deponant.

DE

a *Vt ſicut Chriſtus.* Quia ſequitur *ſint & dicantur*, prorſus *vt* lego, pro *&*. PAM.
b *Sanctimonia ſacerdotes.* Priùs egit de ordine ſacerdotij, nunc de ſacerdotio laïci, quod accipit in baptiſmo per vnctionem Chriſmatis *Idem.*
c *Eccleſiæ vnitas.* Prætermiſi vocem *&*, ſuperfluam, ſicut etiam paulò poſt. *Idem.*
d *Quo modo vinum & panis caro eſſet & ſang.* Nic. Faber nam & Chriſtus panis eſt & vinum, quo alimur & potamur ad vitam æternam. Nam & panis & vinum Chriſtus eſt, dixit enim: Hoc eſt corpus meum, panem demonſtrans: is inquam dixit, qui verbo ſolo omnia perficit. R I O.
e *Deterſo ſudore vultus.* Nic Faber. alludit ad illud quod etiamnum in Eccleſia cantatur in die Cinerum, vt & antiquitùs cùm pœnitentes ex Eccleſia eiiciebantur, In ſudore vultus tui panem tuum comedes. *Idem.*

DE PASSIONE CHRISTI.

DOMINE audiui auditum tuum & timui. Terruit me cùm appropinquaret traditor Iudas, & immineret paſſionis hora, quod dixiſti ad patrem. Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: & triſtem te vſque ad mortem, præ nimia anxietate ſanguineo ſudore perfuſus coram Apoſtolis es profeſſus. Audiens hæc ego expaui. Quis enim non timeat, ſi timet ille, quem omnia timent; ſi pauet ille, cui omne genu curuatur; ſi ille qui mors eſt mortis, & morſus inferni, morte propinquante pertimeſcit? Nonne ad hoc veneras, & ita futurum ipſe prædixeras? Nonne hoc & ſigna, & ora-

cula, & vaticinia prophetarum à mundi initio conclamarunt? Si voluntariè obediſti patri, & non te vt padereris coegit neceſſitas; quid quereris, quid cauſaris? Nonne tu docueras & inſtruxeras fideles tuos, vt non timerent eos qui corpus occidunt, quia vſque ad animam tyrannica violentia non attingit? Sed metus ille infirmitatis humanæ communem exprimebat affectum, & generalitatem omnium in carne viuentium hoc dolore vrgeri, & diſſolutionem corporeæ ſpiritaliſque naturæ hac moleſtia non poſſe carere; & hanc pœnam vniuerſæ ſucceſſioni Adam ſine exceptione impoſitam, vt difficultas extremi tranſitus timeretur. Et hæc quidem moleſtia in eos, qui Dei iudicio rationem reddituri occurrunt, non immeritò cadit: qui de eo quod beneficio vitæ & rationis, & reliquorum largitate munerum abuſi ſunt; accuſante conſcientia redarguti, examen illud in quo nullum eſt ſubterfugium timent: & ipſa auulſio ſpiritus carnis teneritudinem dirumpit & lædit: hanc nemo anxietatem euaſit, & nemo egrediente anima ſine amaritudine expiauit. Sed tu Domine, qui iudex es omnium, qui poteſtatiuè ponis animam tuam, & poteſtatiuè reſumis; nec pœna te ex neceſſitate perſequitur, nec formidabilis patris tibi poteſt eſſe conſpectus; quid anxiaris? quid tremebundus ad orationem diſcurris? Dormitantibus Apoſtolis peruigil proditorem expectas, nec tamen te abſcondis; ſed obuius in aduentum eorum procedis, qui te ligare veniunt, & trahere ad Pilati tribunal, quos Iudas ſignifer inſtructa malignitate præcedit. Audiui, Domine, auditum tuum & expaui, dum quæris à quærentibus quid quærant, cum noueris quod te quærant: & dixiſti eis te eſſe Ieſum Nazarenum. Inuaſit illicò timor tuus eos quos tu timueras, & proſtrati ſolo iacuere exanimes, & armatam cohortem vox vnius hominis terruit; & latens in humanitate omnipotentia te diſcipulis pauidum, coram perſecutoribus terribilem exhibebat. Sed vt fieret voluntas patris, & ſacrificium carnis à timore & triſtitia inchoaret, ſuberant victimæ deſolatorii carbones; quos obedientiæ liquefactus adeps extinxit: & cum traheretur vinctus ad præſidem, non ſupplicauit apparitoribus, ſed Petri compeſcuit zelum: nec gladiorum paſſus eſt adhiberi ſuffragia, immo & Herodis & Pilati contempſit faſtigia: nec potuit altitudo poteſtatum extorquere ad interrogata reſponſum. Iam poſtpoſito timore quaſi vtens potentiori auctoritate, inter ſputamenta, & colaphos, & reliqua ludibria, patientia & manſuetudine veſanas perſecutorum mentes conturbat, & in eo quod inter iniurias & conuicia ſe malitia Iudaica ſentit contemptam, vehementiùs exacerbatur: & de impietate & malitia ſuauitas pietáſque Chriſti triumphat. Fruſtra funeſtas iudex manus in prætorio abluis, à ſanguine Domini te profitens innocentem. [a] Tu ipſe cauſam mortis cùm diligenter inquiſieris, te non inueniſſe in eo fateris: ipſa coniux tua nihil tibi & iuſto huic eſſe mandauerat, quod vtique per os eius dæmonia [b] imminere ſibi iudicium ſententia teſtabantur: non excuſas ſed accuſas, cauſam tibi facis cum Iudæis communem. Illi ſe proditione, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro occidis: tam te quàm illos inauditæ crudelitatis ſcelus inuoluit. Veniet anima tua in manus iudicis quem condemnas, fractiſque tribunalibus tuis iudicaberis, & demergeris in profundum inferni: eruntque tibi & Iudæ ſcelerato in tenebris & gehennalibus flammis pœnæ irremediales, inconſumptibiles ignes, dolores perpetui, & tormenta æterna. Et quidem filius hominis, ſicut ſcriptum eſt de illo, vadit: qui damnatus eſt, vt liberaret damnatos; doluit, vt ſanaret infirmos; timuit, vt faceret ſecuros; opprobria pertulit, vt improperia detrahentium non mouerent electos. Deputatus inter impios, quorum alter aſſumptus, alter reprobatus eſt: vt daretur exemplum & [c] forma indiſſolubilis manens in poſteros; quia nec in vltimis Dei clementia pœnitens excludit; nec vlla hora ſera eſt, cui compunctio diſtricta occurrit; nec eos qui vitæ ſuo quocumque articulo temporis veri ſunt iudices iterum iudicari: quia, cum iudicis & tortoris vices non parcens peccatot aſſumit, ſemetipſum perſequens, dum confeſſionem confuſione honorat; holocauſti huius incenſio in conſpectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipſum iudicat Deus; ſed impœnitentes ipſe iudicat & damnat, pœnitentes vero quia à ſeipſis ſuſcipit iudicatos, abſoluit: neque iudicio quod pœnitentiæ humanæ ſeueritas protulit aliquid iuſtitia cæleſtis apponit. Iudicati ſunt Ægyptii, cum in redeuntibus ſuper ſe maris fluctibus inuoluerentur; iudicati Sodomitæ, cùm ſubuerſis eorum vrbibus flammis ſulphureis cremarentur: ſed in eiſdem ſubuerſionibus gemerent pœnitentes, temporali pœnæ æternalis non ſuccederet pœna, ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium, & pro abſolutione tormentum; nec contritos corde æternum contereret & aggrauaret iudicium. Sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, ſed Chriſti familiaris effectus, præmiſſus eſt in paradiſum; & factus eſt particeps regni, per confeſſionem factus collega martyrii. Illi vero blaſphemo, quia de Domini deſperauit potentia, nulla potuit ſubuenire clementia: nec potuit illi crucis prodeſſe conſortium, [d] cuius malitiam non expiabat pœnitentiæ lauacrum. Aſcendiſti Domine palmam: quia illud crucis tuæ

a *Tu ipſe cauſam mortis cum diligenter inquiſieris.* Grauius *cauſa mortis*, ſed non placet. PAM.

b *Imminere ſibi iudicium ſententia.* Rectè ſic ille cum Remboldo, pro eo quod apud Eraſmum & alibi legebatur *ſententia.* videtur autem alludere ad formam exorciſmorum. *Idem.*

c *Forma indiſſolubilis in poſteros.* Malim legere *manans.* Agit autem hic rurſum contra Nouatianos de pœnitentia numquam ſera. *Idem.*

d *Cuius malitiam non expiabat pœnitentia lauacrum.* Rectè ſic Manutius & Cauchius, pro eo quod alii *malitia. Idem.*

tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus, & poteſtatibus, & nequitiis ſpiritalibus victoriam: erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erant fortitudo tua abſcondita, & imperium tuum ſuper humerum tuum: tu ipſe patibuli tui baiulus, hærebas ligno quod tuleras, euectionis & paſſionis anxietates ſuſtinens & labores. Conſideraui opera tua & expaui. [a] Clauis ſacros pedes terebrantibus, foſsiſque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris; de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris; ſed ſatagis vt innoteſcat poſteris, quare derelictus à Deo videaris, expoſitus contumeliis & Iudæorum ludibriis. Cauſam mortis in te non eſſe Pilatus ipſe prædixerat, & Caiphas mortem tuam pro inimico populo ſatisfacturam, cùm eſſet anni illius pontifex; prophetauerat. Tu de morte non agis, de opprobriis non contendis: ſed hoc vis intelligi, quæ ſit cauſa mortis; quis quæſtus; vt vtraque re cognita peccatum appareat & gratia; & quanti ponderis ſit, vtrumque rerum probet effectus: [b] cum originali morti nullum niſi in Christi morte potuerit eſſe remedium; nec reconciliare Deo potuerit exules & damnatos quælibet oblatio, niſi ſanguinis huius ſingulare ſacrificium. Et ſine hoc holocauſto poterat Deus tantum condonaſſe peccatum; ſed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam Chriſti vix cohibent paſſiones, quæ vix ſceleratos animos à voluptatum fæce auellunt. Vulneri ſanè tam putrido & antiquarum cicatricum fœtori non inueniebatur medicamentum conueniens; niſi vnguento ſanguinis huius plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extenſæ ſiccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis & omni poſteritati eius ſerpens ille ſeductor antiquus infuderat. Hæc vna medela corroſit illas quæ in immenſum excreuerant cicatrices: & vim ſuam concupiſcentiarum perdidit corruptela, & deleta damnationis conſcriptione nouis litteris [c] aſſignata eſt & reſtituta libertas; priuilegio dato, charta indulgentiæ, ſigillo plagæ lateralis firmata. Conſidero opera tua, & admiror te cruci inter damnatos affixum, iam nec triſtem nec pauidum: ſed ſuppliciorum victorem eleuatis manibus triumphantem de Amalech; & quaſi ſanctificantem de excelſo plebem, & eleuatum in ſublimi, & quaſi cælo proximum ſuperioribus inferentem conſummati agonis vexillum: & inferioribus erexiſſe ſcalam in patris occurſum. Ibi dolorum & conuiciorum immemor, ſubtiliter inueſtigas & ipſe exponis quare derelictus fueris, indicans anxietates illius querimoniæ verba eſſe delictorum tuorum, quorum perſonam & cauſam aſſumpſeras; in tantum vt per Moyſen & per Apoſtolum ſuſtineres vocari peccatum, & maledictum pro ſimilitudine pœnæ, non culpæ: quod pro eis voluiſti intelligi, qui deſeri à Deo propter peccata meruerant, quorum reconciliationis agebas cauſam. In qua allegator ſubtilis pro ſeruis ſeruilem non dedignaris accipere perſonam: & in tantùm infirmis compateris, vt nec crucifigi, ne mori dum illi viuant, & te patrocinante non pereant, nec erubeſcas nec formides; altitudinem tuam derelinquens, ad tempus gloriæ tuæ maieſtatem euacuans, vt redeant diſperſi, & reſpirent derelicti. Hæc eſt cauſa quare derelictus ſis, vt colligeret & reuocaret inanitio tua eos qui fuerant derelicti; & qui ſine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum, reducti ad iuſtitiam, conformes Chriſti, & Chriſti efficerentur & dij. Vnde ſcriptum eſt: Ego dixi, dij eſtis. Conſidero, Domine, te in illo patibulo vbi videbaris ſine adiutorio, quo modo imperatoria poteſtate latronem præmittis ad regnum: & in cuius aſſumptione iam manifeſtè conſtat quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iſte gloria & honore coronatus, ipſa die paradiſi ciuis, & domeſticus curiæ cæleſtis efficitur. Impoſſibile quippe erat illam ſanctam animam tuam teneri ab inferis, de qua ipſe ad patrem dicis: Quia non derelinques animam meam in inferno, nec corrumpi carnem meam in ſepulchro: quia vbi in præſentia illius effractis inferis eſt captiuata captiuitas, præſentata victrice anima in conſpectu patris, ad corpus ſuum ſine dilatione reuerſa eſt; & appropinquauerunt ſaluti, qui longè erant à ſalute, & inter mortuos liber morti obnoxios perpetua libertate donauit. Conſidero te in cruce de matre ſollicitum, cui volenti loqui tecum cùm euangelizares, negaueras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores verbi, pauperes ſpiritu; dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui voluntati patris obtemperant. Nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides ſedulò benedictæ inter mulieres apoſtolicam clientelam; & obſequium virginis virgini diſcipulo tradis: [d] vt iam non Ioſeph, tanti myſterii oneretur præpoſitura, ſed Ioannes; quia iam exigebat ratio, vt coniugii remoueretur opinio: nec vltrà pater Chriſti æſtimaretur, qui eatenus vicem patris & coniugis tenuerat. Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum: ſed quia in ſpiritu actum erat coniunctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſeruitio præponi, quem digniorem ſe iudicabat; & ideò

a *Clauis ſacros pedes terebrantibus.* Fuit igitur auctor in ea ſententia, quod non vnico, ſed duobus pedes Chriſti terebrati fuerint. Et certè confirmatur idipſum vetuſtiſſ. picturis quibuſdam. PAM.

b *Cum Originali morti nullum niſi in morte Chriſti potuerit.* Sic lego prorſus cum Cauchio, & hic & in eo quod ſequitur, pro, *potuerat* & *potuit*. *Idem.*

c *Aſſignata eſt & reſtituta libertas,* Etiam hic adieci voculam &. *Idem.*

d *Vt iam Ioſeph,* Hinc colligere non eſt difficilè vixiſſe Ioſeph in paſſione Domini, iuxta huius auctoris ſententiam. *Idem.*

ideò maximè quia magiſtri electio ſic negotium ordinabat. [a] Ad hæc ſacerdotalis auctoritatis priuilegium in medio proferens, mediator inter nos & patrem oras, pro his qui ad dolorem vulnerum tuorum opprobria addiderunt; & pro inimicis impetras veniam, ſupplicas & obſecras, vt hæc eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeantur innoxij ipſi, qui ſanguinem tuum ſuper ſe & ſuper filios ſuos manere precantur, vſque adeò excæcati, vt ſcelus ſuum non intelligant, nec odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat. Sed charitas tua interim ſuſpendit iudicium, & reis ingratiſque patientia tua [b] pœnitentiæ prouidet locum, tempuſque reſeruat, & differt punire dignos exitio; hæc orans vt aperiantur oculi eorum, & agnoſcant quæ ſit virtus crucis, quæ efficientia ſanguinis, quæ magnitudo delicti & doni, gratiæ & peccati. Tanta erat ſpiſſitudo velaminis, & craſſitudo doctrinæ, qua erant Moyſeos ſcriptura imbuti: ita erant eorum ſenſus hebetes, & ingenia tenebroſa, vt in verbis legis nihil diuinum ſaperent; nihil aliud quàm exterioris vmbraculi integumenta viderent, neque ad ſacramentorum ſecreta aliqua intellectus indagine penetrarent. Immò ſi quis eos vellet in ſancta inducere, & introducere in arcana profundaque myſteria; impium iudicabant & ſtultum mel è petra ſugere, & de ſaxo duriſſimo oleum eliquare. Dimiſſum eſt ergo Chriſto orante peccatum, & ex parte maxima cæcitas illuminata eſt, & malignantium perfidia demum credidit & intellexit: & de torculari crucis muſtum expreſſit, accepit & bibit; & in calice quod propinarat Moyſes vinum merum à fæcibus ſegregauit. Ecce plus potuit donum quàm delictum, & gratia quàm peccatum: quoniam ex debito damnationis obnoxios, gratis ſine vllo merito gratiæ beneficio pietatis abſoluit: & iudicium imperante Chriſto miſericordiæ dedit locum, & diſtrictionis ſuæ temperamentum iuſtitia Domino diſponente modeſtè ſuſtinuit. Iam videt Hebræus, & quicumque de ſeruitute Ægyptia ad repromiſſæ patriæ libertatem anhelat, quod ſanguis Chriſti efficaciùs quàm ſanguis agni illius, quem in Ægypto Iſraël immolauit, contrarias abigat poteſtates: cuius hodie tanta eſt auctoritas & poteſtas, vt non ſolùm Iſraëlitica limina muniat, ſed etiam ab his qui Iſraëliticè non viuunt, ſolum ſacramenti ſignum repellat dæmonia: & vbicumque conſpecta fuerit, terribilis ſit eis ſacri nominis virtus & ſanguinis nota. Denique quicumque ſint ſacramentorum miniſtri; qualeſcumque ſint manus quæ vel mergunt accedentes ad baptiſmum, vel vngunt; qualecumque pectus, de quo ſacra exeunt verba: [c] operationis auctoritas in figura crucis omnibus ſacramentis largitur effectum, & cuncta peragit nomen, quod omnibus nominibus eminet, à ſacramentorum vicariis inuocatum. Et licet indigni ſint qui accipiunt, ſacramentorum tamen reuerentia & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & vbi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum: nec alias quæri aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum ſacramentum. Iam ſanguis tuus, Domine, non quærit vltionem, ſanguis tuus lauat crimina, peccata condonat. Clamat ſanguis Abel, clamant Sodomorum peccata, & parricidium & libido digna ſunt vltione. Tu olim vltionum Deus, modò miſereris & parcis his qui offenderunt; ſanas contritos corde & alligas vulneratos; filio prodigo reuertenti non improperas luxum; mulieri adulteræ non opponis proſtibulum; peccatricis publicæ non recuſas ſeruitium; [d] debenti pecuniam dimittis depoſitum. Iudæis perfidis & dediſti gratiam, & dimiſiſti ſcelus ſcelerum & peccatorum peccatum. De latere tuo fons egreditur in vitam æternam proſiliens; & de eadem conſubſtantialique origine diuiſis limitibus aqua & ſanguis emanant, ad complementum perfectionemque totius iuſtitiæ, ſacramenta in perpetuum duratura; & fontis illius vbertas perenni lapſu vniuerſam Eccleſiam irrigat & fecundat. Ex hoc fonte non tantùm ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Chriſtum, vndas haurimus: ſed & compunctionnm & lachrymarum perennes effluunt riui, miſericordiarum ſuauitas, & totius pietatis effectus emanat. Tu, Domine, ſacerdos ſancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, ſancti huius ſanguinis permanentem plenitudinem reliquiſti, & beneficium huius ſancti liquoris in perpetuum tradidiſti, & conſtituiſti nobis inconſumptibiliter potum viuificum, crucis ſignum, & mortificationis exemplum. Tu conſummatis omnibus vade ad patrem, & trahe nos poſt te: da nobis in vita præſenti, vt ſimus ſine angaria baiuli crucis tuæ, & comprehendamus cum omnibus ſanctis quid latitudo, quid longitudo, quid ſublimitas, quid profundum huius ligni ſignificet; quo conſpecto non noceat nobis, neque mordeat coluber ſolitudinis, ſed incolumes per omnia ſequamur te; tecum paruuli ſimus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum ieiunemus, tecum lotis pedibus panem angelorum edamus, tecum crucifixi mundo viuamus, tecum Spiritu ſancto repleti, & corpore & ſpiritu in æternum maneamus. [e] Qui viuis, & vltra non moreris in ſæcula ſæculorum.

DE

a *Ad hæc ſacerdotalis auctoritatis priuilegium.* Sic rectè Grauius pro, *auctoritas.* PAM.

b *Pœnitentiæ prouidet locum.* Rurſus contra Nouatianos agit. *Idem.*

c *Operationis auctoritas in figura crucis, &c.* In lib. Fabul. Auguſt. tractat. 118. in Ioan. & ſerm. 17. de tempore. Chryſoſtomus homil. 55. in Matth. R 16.

d *Debenti pecuniam dimittis depoſitum.* Fortè *debitum* PAM.

e *Qui viuis & vltrà non moreris.* Anteà erat, *& non vltrà morieris*: verùm illam germanam eſſe conuincit Remboldus. *Idem.*

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

QVÆSITIS Aromatibus ad vngendum Dominum Ieſum in monumento poſitum, ſacræ mulieres communicato conſilio conuenerunt, & repertis ibi ſine corpore ſudariis, quem non inuenêre, putauêre ſublatum. Nam & lapis reuolutus, & vacuum monumentum ſimplicibus animis coniecturas huiuſmodi opponebant; quòd corpus ſtrictum linteis niſi tranſlatum eſſet moueri loco non poſſet; nec lapis magni ponderis niſi vi humana, nullatenus reuolui potuiſſet: vnde & manè venientes quo modo poſſet ab oſtio monumenti lapis gyrari anxiè cauſabantur. Sed Dominus qui inſpirauerat vt venirent, præuenerat venientes; & egreſſus de ſepulchro vacuum locum reliquerat, apertóque oſtio ingredi volentibus liberum dederat aditum, & quaſi monebat ſe alias quæri, qui illis anguſtiis non poterat occultari. Flebant igitur ſacræ fœminæ, quæ eum cui obſequi volebant, ſe perdidiſſe putabant; & obriguerant mœſtitudine, eò quòd deuotio ſua deſiderato fruſtraretur effectu. Habuerant ſiquidem eum ſicut prophetam, non inferiores fide illis diſcipulis, qui dicebant, quòd Ieſus Nazarenus vir propheta fuerat, potens in opere & ſermone. Et licet de reſurrectione ſua ipſe tam Apoſtolos quàm reliquos diſcipulos, in quorum ſocietate iſtæ eſſe meruerant, magiſter prouidus inſtruxiſſet; incuſſerat tamen omnibus dubietatem & terrorem ſupplicium crucis & mortis atrocitas: nec tamen ab eorum cordibus auelli poterat dilectio qua adhæſerant, & recordatio ſignorum quæ viderant, & admiratio doctrinæ quam audierant, & conuerſationis piæ admirabilis ſanctitudo qua fuerant informati. Necdum firmo greſſu ibant, ſed labebat pes dubitantium, ſed quærebant quem amabant, nec malignè deſperabant: vnde factum eſt, vt quæſtum inuentionis dilectionis perſeuerantia mereretur. Illæ itaque primæ viderunt & cognouerunt quæ ardentiùs dilexerunt, quæ deuotiùs quæſierunt: illæ ſermocinatæ cum Chriſto, certificatæ quòd ipſe eſſet qui à mortuis reſurrexiſſet, nunciant Petro & cæteris, quòd Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur. Euangelizarunt viuentem, qui mortuus putabatur: nec iam ſepulturæ eius odoramentis corporalibus deſeruiunt; ſed aromatibus firmæ fidei, & certæ ſpei, & charitatis ſinceræ regnanti Domino famulantur, & virtutum fragrantiam non iudicato præſentant, ſed judici. Lætantur Apoſtoli, quos mundus quaſi dehiſcens terruerat, [a] & quaſi diſſolutione elementorum quaſſaretur, omnia præcipiti ruina ſterneret, minas horribiles intentarat: ſolidatiſque & compactis cæleſtibus & terrenis, æterna redemptione inuenta, gratulabundi adorant quem reliquerant; credunt, nec in aliquo hæſitant; aſſiſtunt quantùm poſſunt ei, à quo diffugerant. Quem non fragor ille mundi terreret; quando terra tremuit, ſol expalluit, & radios lucis ſuæ ſol contenebratus abſcondit? Ipſa monumenta lapides ſibi ſuperpoſitos proiecerunt, & indignata ſuperior & inferior plaga tenebris & motibus & ſciſſuris, compaſſionis ſuæ & vehementis anguſtiæ indicauerunt affectum: nec ſuſtinuit intueri mundus perfidiæ Iudaicæ ſcelus; & viſa ſunt inſenſata elementa ſenſu vti abundantiore, quàm homines, quibus ſecundùm naturam ratio inerat: & crudeliores extitêre feris abutentes intellectu; in tantum Chriſti ſanguinem ſitientes, vt ſe ipſos maledictione æterna damnarent, & in paruulos ſuos anathematis illius reliquias immobili ſtabilimento firmarent. Sed ne in eorum ſcelere diutiùs immoremur, qui repulſi ſunt & deſtructi in finem; quorum parricidalia vota ſeruitium & exterminium meruerant, quos cùm Dathan & Abiron (quos ob diſſenſionis flagitium terra dehiſcens viuos abſorbuit) conſtat in tenebris inferi ſigillatos: ne tantarum abominationum recordatio paſchalem ſerenitatem interpolet, circa ſollemnitatis inclytæ gaudia deuotis & alacribus animis inſiſtamus. Neque enim fas eſt, vt à nobis aliqua his diebus triſtia recitentur: ſed ſicut [b] filiis Chore datum eſt vt ſemper læta canerent & prophetarent, & omnes pſalmi eorum atticulati nominibus gaudia prædicant, nec aliqua minantur aduerſa: ita nos ad Chriſtum pertinentes, cuius ſanguine conſperſa creditur [c] Adam caluaria, qui ſub loco quo crux Domini fixa eſt humatus traditur ab antiquis; eiuſdem ſanguinis ſanctificati elapſu, lætemur & delectemur in Domino: nec iam amatoribus crucis mors magiſtri ſit horrori, neque pœna ſit dolori, nec paſſio ſit pudori; cùm hæc omnia vitæ noſtræ ſint inſtrumenta: quia mors eius pro peccatis noſtris ſacrificium fuit, & pœna crucis exceſſibus pœna dignis occurrit; labor eius onera noſtra depoſuit, dolor eius nos ſanauit, & damnatio indebita nos à damnatione æterna abſoluit. Et ſi quid confuſionis viſa eſt in tempore illo pati ſancta eius humilitas, rerum hodie manifeſtatur effectu quòd Apoſtolus

a *Et quaſi diſſolutione elementorum quaſſaretur*, &c. Manutius & Morelius *quaſſarentur omnia*. ſed prius malo. Eſt tamen locus obſcurus, præſertim in eo quod ſequitur. PAM.

b *Filiis Chore datum eſt, vt ſemper læta canerent*. Pſalmos filiis Chore atticulatos, videtur ipſis auctoribus adſcribere. *Idem*.

c *Adam Caluaria*. Hieron. non ſatis quidem probat hanc ſententiam in Matth. dicens ſepultum Adam iuxta Hebron & Arbeæ, ſicut in lib. Ioſue legitur. Præter tamen Epiphan. contra Tatianum (ad cuius verba videtur alludere Hieron.) Origenes tract. 35. in Matth. Athanaſ. de paſſione Domini. Ambroſ. epiſt. 19. Chryſoſt. in Ioan. cum Theophylacto & Euthymio, & Auguſt. ſerm. 71. de tempore, idem cum hoc auctore ſentiunt. *Idem*.

a *Virtus*

ſtolus ait : ſtultum huiuſcemodi ſapientius eſſe hominibus , & infirmum fortius omni fortitudine , per quod reprobata ſapientia huius mundi , & de ſapientibus & potentibus in nomine crucifixi pauperes ſpiritu potentiſſimè triumpharunt. Cantemus igitur Domino , glorioſè enim honorificatus eſt. Liber populus egreditur de Ægypto , Moyſe duce : mare fit peruium ; columna flammea nocte coruſcans Iſraeliticum antecedit exercitum ; ſtat à dextera & læua mare ſuſpenſum , deſiccato luto profundi , in offenſum abyſſus dat tranſitum : & egreſſo populo Dei , Pharaonem cum populo ſuo repentina mole illapſum pelagus intercludit. Iam præceſſerat agnus quem Iſrael in Ægypto immolarat , cuius ſanguine limina rubricata percuſſor angelus non eſt auſus attingere : nec exterminatoris gladium populus formidabat , cui & de ſpiritalibus nequitiis parabat victoriam , illud ſine macula ſacrificium , & mare diuiſum , & totum Ægypti robur extinctum. Primum illud antiquum paſcha his miraculis coruſcauit , & excluſo fermento , præceptum eſt vt horum dierum celebritas ageretur in azymis : nec ſollemnitatis huius gaudia ſeruilibus operibus fuſcarentur , nec omninò aliqua tantæ ſinceritatis gloriam malignitas inquinaret. Certa data eſt ex lege diſtinctio , quæ eſſet paſchalis oblatio , & tempus , & locus , & modus ; quando , vel vbi , vel quo modo ſacra deberet hoſtia immolari. Victima , agnus , locus , vna per ſingulas familias domus ; caro non elixa , ſed aſſa , hora veſpertina. Hæc cum eo tempore fierent in figura , quod nos in veritate agimus , typicè loquebantur : & dirupto in Chriſti morte templi velamine , verus agnus ſolus inter filios hominum ſine macula Chriſtus ætate vltima , in qua mundi veſperaſcit conditio , ab vna populi Chriſtiani familia in vnitate Eccleſiæ aſſus in cruce , proiectis foras hæreticorum fermentis , ſinceræ fidei ſolidata compagine , inconſumptibiliter editur , creditur , & tenetur. Noua & vetera ſub hoc nomine conuenerunt : egreditur Iſrael de ſeruitute Ægypti ; exit populus Dei de regno diaboli : baptizantur in nube , & mari Hebræi , & iam Spiritu ſancto & ſanguine Chriſti mundatur à peccatis populus Dei : ex diuerſis familiis vna fit domus , vna fit tribus , vnus eſt cibus ſignificantia & ſignificata , & res ſigna [a] virtus inuiſibilis , & viſibilia ſacramenta ſic faciunt vnum corpus , ſicut caro & ſpiritus , & quod videtur , & nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur. In hac rerum conuenientia honorificatus eſt Chriſtus , & glorioſæ laudis triumphos lætabunda hodie canit Eccleſia , [b] in lapide angulari conſocians diſiunctos olim parietes ; quos in vnum mirabilis artifex fuſo ſanguine glutinauit , & reprobato diu à malignis fidei fundamento , caritatis ſuæ nexibus diuiſas copulauit macerias , & redegit partes in totum , & multa in vnum ; & facti ſunt vna domus confœderati parietes , & ſtabile fundamentum. Honorificatus eſt Chriſtus reſurgens à mortuis , victor mortis , ſpolians inferos , & captiuos præmittens ad ſuperos. Hucuſque per humilitatis gradus aſcendens , modò gloria & honore coronatus , nil mortale , [c] nil paſſibile retinens , impaſſibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria , & reſurgentes in beatitudine conſtituit ſempiterna. Reſurrexerunt quidem ante Chriſtum , ſed in nomine & fide eius , ſub Helia viuente in corpore , vnus : & Hæliſæo viuo & mortuo , duo qui obierant : ſed ad mortem quam guſtauerant , iterùm redierunt. [d] Reſurrexit & Lazarus , & alii nonnulli ad imperium Chriſti : & aliquo tempore beneficio vitæ vſi , iterùm ad funera rediere. Res quidem honorabilis & dominatio poteſtatiua fuit ad corpus exanime ſpiritum reuocare : ſed reſurrectionis huius cuius ſunt in Chriſto primitiæ , incomparabilis eſt dignitas ; quam nec ſequitur corruptela , nec diſſoluit antiquitas , nec aliqua mutabilis labefactat. Mirati ſumus in transfiguratione quæ facta eſt in monte præſentibus Apoſtolis Petro , & Iacobo , & Ioanne , quando ſicut ſol reſplenduit facies Saluatoris , & veſtimenta eius candorem omnem exuperantia Apoſtolorum hebetauere conſpectum : ſed momentaneus ille decor imaginem , non ſpeciem ; ſimilitudinem , non ſubſtantiam ; partem , non plenitudinem transformationis mirificè explicauit. Sed neque eamdem gloriam quam antè oſtendit : ſed quod videre conſueuerant , hoc viderunt ; & dilata eſt claritatis illius quam nobis pollicitus eſt plenitudo , quæ in ſe erat perfecta , & à nobis expectatur perficienda , lucidior & ſincerior , quàm æſtimari poſſit ab aliquo , vel quam illa etiam claritas intimauerit , cuius primitias in Chriſto transformato accepimus. Agunt in cæleſtibus hæc paſchalia gaudia ipſi angelici ſpiritus , & reſurgentis Domini gloriam admirantur , lætantur & delectantur in eo , quod forma ſerui reuerſa ſit in formam Dei , & exinanitio humilitatis ad depoſitæ altitudinis redierit maieſtatem. Sed & in hoc multiplicata ſunt gaudia , quod ab his pro quibus ſe humiliauerat , [e] tantæ excellentiæ beneficium dignatur eſſe commune ; & partiri nobis ſuæ abundantiam voluit claritatis : vt poſt reſurrectionem corpus non aggrauet animam , ſed ſit caro ſine mole , & pondere , agilis & mobilis , nullis clauſa obſtaculis , viſu , & aditu penetrans omnia & attingens , quocumque voluerit ſine impedimento diſcurrens.

a *Virtus inuiſibilis & viſibilia Sacramenta.* Ita prorſus lego cum Cauchio , pro , *inuiſibilia ſacramenta* , vel ob id quod ſequitur : *quod videtur , & nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur.* quæ verba mirè faciunt contra Caluiniſtas. PAM.

b *In lapide angulari* , &c. locus obſcurus , cum Eccleſiæ adſcribatur , quod Chriſti peculiare eſt. *Idem.*

c *Nihil paſſibile retinens.* Manutius vitio operarum habebat , *niſi. Idem.*

d *Reſurrexit & Lazarus.* Manutius & Morelius , *ſurrexit* : at prius placet. *Idem.*

e *Tanta excellentia beneficium dignatur eſſe commune.* Deprauatè prius lectum : *dignatus* , ſignificat aſteriſco ſuo Manut. illud ergo cum Cauchio reponimus. *Idem*

rens. Inerit reſuſcitatis corporibus nulli vanitati ſubiecta libertas; & quæ cogi non poſſit ad aliquid, in nullo laborans, iam à ſpe educta, re ipſa perfruens, nulla expectatione ſuſpenſa, & in pace quietiſſima confirmata, omniſque expers formidinis, in ſpiritalibus deliciis illa permanſio reflorebit. Quàm mirabilis eſt ſcientia tua Deus, confirmata eſt ſuper nos, nec poſſumus ad eam attingere. [a] Hæc ſapientiæ tuæ altitudo, qua mundum non ex præcedente materia, ſed ſolo verbi tui condidiſti imperio, creaturis verò corporalibus ex mundi eſſentia dediſti initium, ſuis incolis ſingula elementa adornans; hominem quem de mundo feciſti, cunctis in terra & aquis & aere viuentibus præficiens, ita vt ſuo præpoſito ſingula in ſuo genere miniſtrarent. Tu aliis vitam temporalem, aliis procuraſti perpetuam; admirabili ordine quædam mutans & renouans: & præfinito tempore metam irrationabilibus omnibus præfixiſti, & terminum quem tranſire non poſſit diſſolutioni conditio deſtinata. Homo quia ex cæleſti & terrena materia compactus eſt, veſtitus extrinſecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo te iubente, redderet terræ quod de terra aſſumpſerat, & ad immaterialem originem reuerteretur ſpiritus, cuius natura diſſolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus conſumenda, ſecundùm naturæ ſuæ rationem æternitatis [b] non poterat priuilegio perfrui, & quod ſibi iure non competebat, à conditore ne quibat exigere; neque vlla eorum interrogatio ſuper hoc merebatur reſponſum. Sed tu, optime Domine, vltrò gratiam volens dare ſpiritui, decreuiſti clementius, vt ex ſocietate & clientela quam rediderat animæ caro, aliquid ei commodi proueniret: & quæ ei vehiculum fuerat & particeps ſtudiorum, in recompenſatione miniſterii, iterum dilecto accolæ conſociata pudica & pacifica rediret, nullas ſecum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed & hoc, Domine, ad cumulum beneficii addidiſti, vt inter legem carnis & ſpiritus nulla poſtmodum eſſet diuerſitas, nec poſt initum fœdus illa iterum inter eos recrudeſcat rebellio; ſed per manum tuam reconciliatio ordinata ſtabilis in perpetuum perſeueret. Te igitur iubente, terra fit caro, & expulſa de domo iterùm coniugatur viro, non iam ancilla, ſed libera: & habitant vnius moris in domo murmurationibus conſopitis, quas olim compugnantes inter ſe concupiſcentiæ concitabant. Quis, domine Deus, conſiderare hæc opera tua ſufficit? & quis lutum coagulare poteſt in carnem? quis formare poteſt in hominem, quis infundere animam, quis reddere vitam, quis dare æternitatem, quis addere felicitatem? [c] Adhunc prouentum humana laborat creatio, hæc ſemper fidelium expectatio fuit: Hoc optabat rex ille humilis qui ſe nouerat imperfectum, vt adderes conditioni tuæ quod deerat, & perficeres & ſolidares opus tuum, quod corruptibilitas & mortalitas aſſiduè conuiciis multis ſolebant affligere, & variis opprobriis conſueuerant infeſtare. Tu morti imperas, & abſorpta eliditur: inaneſcit corruptio, vbi æger te medente ſanatur. Guſtaſti mortem pro filiis hominum; vt qui tecum mortui erant, tecum viuerent, & participes tribulationum, etiam conſolatione gauderent. Reſurrectio quidem communis eſt, & ante tribunal Chriſti neceſſe eſt in corpore iuſtos ſtare & impios, Dei hoc dictante iuſtitia, vt pietas & impietas in operatoribus debitis ſtipendiis donarentur; & qui finem habere contempſerunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis: & qui gloriati ſunt in cruce, cum crucifixo regnantes, beatæ fierent perennitatis participes. Non ſunt participes huius gaudii, quos damnat ambitio: non poteſt furtiuos habens loculos, paſchalibus ſollemniis intereſſe. Nihil proditor & venditor magiſtri, fermentator profanus commune habet cum azymis: omnis immundus in anima ad eſum huius agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, omnis malignitas excluditur: calciatus pedibus [d] ad euangelizandum paratus, accinctus renibus & ſanctimoniæ deſtinatus, habens baculum in manibus, & feſtinans vt Ægypti deſerat idola, ſequens Moyſen, nec formidans vitæ diſcrimina, quiſque purus & ſincerus ſine fraude homo verus accedat & edat: & ſecurus quòd reſurgat mortem optet, vt attingat ad æterna gaudia, in quibus eſt vita noſtra ſurſum manens, & nos trahens ad bona cæleſtia. Qui viuit, &c.

DE

a *Hæc ſapientiæ tuæ altitudo, qua.* Hoc quoque lego pro *qui. Idem.*

b *Non poterat priuilegio perfrui.* Hoc etiam pro, *non poterant*, quia ſequitur *nequibat*, & rurſum, *merebatur. Idem.*

c *Ad hunc prouentum humana laborabat creatio.* Hoc repoſuimus ex Remboldo, pro, *laborat*, quia ſequitur, *fuit* & *optabat. Idem.*

d *Ad Euangelizandum paratus.* Sic rectè Grauius & Morelius, pro *peractus. Idem.*

DE ASCENSIONE CHRISTI.

CELEBRATA in cruce ſolemni victoria, cùm iam templum corporis ſui, quod perſecutio Iudæorum [a] effoderat, Dominus reparaſſet; noluit ſtatim ad patrem aſcendere, & glorificati corporis præſentiam inferre cæleſtibus: ſed neceſſaria diſpenſatione diſcipulorum infirmitati conſulens, vtiliter diſtulit; & quadraginta diebus in terra conuerſatus, & viſus eſt ſæpè, & locutus cum Apoſtolis, & manducauit & bibit; & vulnera quæ ad dubietatem eorum tollenda, in corpore reſeruarat

a *Effoderat.* Fortè *perfoderat.* PAM.

ſeruarat, & videnda & palpanda expoſuit, & impleta in ſe quæ in ſcripturis erant prædicta, euidentia rerum edocuit. Ad hoc neceſſaria fuit huius temporis mora; vt recollectis quos in fugam timor impegerat, quos ſupplicium crucis terruerat, in multis argumentis apparens, mentes quæ diffidentia titubauerant, ſolidaret: nec eſſe phantaſticum, ſed verum corpus quod ſurrexerat, tam comeſſationibus quàm contrectationibus probaret. Ad hoc dilata eſt aſcenſionis gloria, vt ſub hoc dierum interſtitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, immò vt diſcipulorum deſideria receſſionem eius corporalem ambirent; quia ſpiritalis præſentiæ plenitudo quamdiu conſpectu carnis præſens aderat, aduentare non poterat: & paulatim in hoc conducti ſunt, vt libenter conſuetudine conuictus aſſueti carerent, cùm inhabitator Spiritus ſanctus eorum animas poſſidens, inuiſibili acceſſu ſinceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro patrem luminum, & ſubſtantia rerum ſperandarum propoſita apparentia ſepeliret: nec incertitudinis ſcrupulus ſupereſſet, cùm Dominus & magiſter, quem verum hominem probauerant, eis videntibus cælum aſcenderet; ſed iam ſecuri ſe crederent ſecuturos, nec eſſe impoſſibile quin & ipſi in carne & ſpiritu ad ſuperos transferrentur. Omnibus itaque ad tam delectabile ſpectaculum aggregatis: Aſcendo, inquit, ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Horum verborum auctoritas, cùm iam eorum virtutem Spiritus ſanctus intimaſſet, omnem poterat excludere diffidentiam, & hilareſcebant animi eorum paternitatis diuinæ illuſtrati honore, & fraternitatis Chriſti honorati conſortio, cùm audirent & crederent ſe filios Dei & fratres Chriſti, in quo omnis excellentiæ plenitudo & ſufficientia inerat. Nec iam quaſi idiotæ & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter: ſed ſubtiliſſimè generationem & dignitatem creaturæ à voluntate & nutu creatoris habuiſſe initium, & imaginem & ſimilitudinem Dei in interiori homine videbant; & dinoſcebant intellectu potiùs quàm viſu, quam affinitatem habeant inter ſe pater & filius; & quia ſubſtantiuo & naturali filio filij adoptiui conformes, à prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia. Sanè huius generoſitatis conſortium, ſecundùm quam ſimul cum Chriſto filij Dei ſumus, nobilitatem exiſtentiæ noſtræ exponit & intimat: in quo honore ſi manſerimus non degeneres, conſtat omninò non poſſe patrem diffidere à filiis, ſed deiformibus tutum eſſe ad paternitatem acceſſum; nec poſſe pati, ad hæreditatem poſſidendam diſpoſitos, in petitionibus diuinis repulſam: ſed in quibuſcumque filius filialiter genitorem appellauerit, neceſſe eſt bonitatem largitoris iuſtè ſupplicantis proſequi voluntatem; [a] maximè cùm ipſe pater qui largitur, iſta ſuggerat peti quæ non differt benignè largiri. Et quidem paterna caritas bonis filiis & hæredibus maximè delectatur: & hoc gloriæ Chriſti vnigeniti dilecti accumulat, quòd beatitudinis ſuæ non patitur eſſe ſolitariam magnitudinem, ſed addit fratres; non qui minuant quaſi diuiſam in plures excellentiam; ſed qui altitudinem diuitiarum eius exornent participes & conſortes. Quod cùm ipſum qui pater eſt, conſtet eſſe Deum, & eum Deum noſtrum ſicut & ſuum filius atteſtetur: in eo quòd filij ſumus, ipſe nos poſſidet: in eo quòd noſter eſt Deus; quòd noſtrum eſt, ipſum cuius proprij ſumus, propriè poſſidemus. Dico igitur Domino meo: Deus meus es tu, & dicit mihi Dominus meus: Ego Dominus Deus tuus. Homo cuius Deus eſt, quid amplius quærit? Si ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quippiam, nec auferre. Si eſurierit, non dicet tibi. Eius eſt orbis & plenitudo eius; & magnitudinem eius cæli cælorum non capiunt. Non infirmatur, non eget indumento vel cibo; omnia ſcit, omnia poteſt, omnia continet: in ipſo omnes viuimus, mouemur & ſumus. Quid tu ei quaſi indigo conferes? te ſolùm bonitate non neceſſitate deſiderat. Scriptum eſt, & ipſo iubente tabulis inſculptum lapideis, vt diligas eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Dilige, & diligeris: propè eſt merces tua, in manibus porrigitur præmium: eſto tu Dei, & erit tuus Deus tuus. Impar ſanè commercium, pretium inæquale: ſed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio quod pro eo datum eſt, & in eo quod ipſe dedit pro mundo, diſſimilitudo, cum ipſe exiguo argenteo emptus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret, vt dubium eſſe non poſſit, quin pretii magnitudo ſuperaret negotium; nec æquari poſſet damnum, quod omninò damnatio iuſta meruerat, obedientiæ Chriſti, quæ gratis vſque ad mortem progreſſa eſt, & vltrò ſoluit quod non debebat. His intellectis Apoſtoli, ſicut filii prophetarum olim verum Heliam aſcenſurum ſciebant, & horam illam præſtolabantur gaudentes, nec iam anxiabantur parturientes, ſed exorta lætitia parati erant proſequi recedentem: [b] minimè dubitantes, quin & ipſi poſt modicum conuerſationis huius, poſtquam de torrente paſſionis in via hac bibiſſent, exaltato capite & erecto, ſe ad cæleſtia Dominum ſecuturos. Eleuatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus eſt Chriſtus; ſed naturæ diuinæ propria vſus virtute, carnem cælo intulit, & corpus glorificatum patris conſpectibus præſentauit. Non indiguit ve-

ctoribus

a *Maximè cùm Pater; qui largitur iſta.* Ita prorſus lego, pro; *qui largitur iuſta.* PAM.

b *Minimè dubitantes quin & ipſi.* Omninò ſolœciſmus eſt, niſi omittatur illud; *quin & ipſi.* Idem.

ctoribus angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus; ſed præcedentes & ſubſequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat cælos conſonantiæ illius harmonia: thronis & dominationibus parantibus filio iuxta patrem conſeſſum; cherubim & ſeraphim pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndique diuinis claritatibus, & ſplendoribus ſupercæleſtibus; quos nec ardor perſeuerans conſumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abſcondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cæleſtis exercitus; & qui deſcendenti coram paſtoribus Bethleemitis decantauerunt in ſublimi præconia, modò expreſſioribus conatibus, & intenſioribus iubilis reuertenti ad patrem ſolemniora obſequia impendebant, & feſtiuis affectibus venerabantur hominem ſupra ſe ſublimatum, quem gloria & honore coronauerat pater, [a] ad dexteram ſuam collocatum: hoc dato ei priuilegio ſingulari, vt in nomine eius omne genu flecteretur, & ſuper omne nomen eius nomen excellentiùs coleretur. Quanta in eius ſuſceptione in cælis iucunditas fuerit, nemo ſufficit enarrare: rei huius magnificentia omnem ſuperat intellectum. Si linguis hominum vel angelorum quis eloquatur, vel ad hoc cuiuſlibet elaboret acumen ingenij, vt definire velit quæ patris in reditu filii hilaritas fuerit: aut ſi fortè illud ſempiternum gaudium aliquod tunc admiſerit incrementum, ſi ſtabilitatis æternæ ſe aliquo modo mutare poſſit immobilis magnitudo; ſcrutator ille maieſtatis opprimetur à gloria: & verendum eſt ne dum vehementiùs exprimit verba quàm oportet, ſanguinem pro lacte emungat. Attamen inuiſibilem Deum viſibilem filium recepiſſe ad dexteram tuam, manifeſtum eſt; & humilitatem carnis noſtræ throno iudiciario honoratam, paternæ complacuiſſe altitudini; [b] duo genera gentium ciuitati ſupernæ, de qua glorioſa dicta ſunt, deinceps aſſignari, & eſſe ſupra manſionarios homines & angelos, & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Chriſti, hæc crucis & mortis ſtipendia, hic paſſionis labor promeruit; vt corpus humilitatis noſtræ fieret corpori claritatis Chriſti conforme, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Chriſto in cæleſtibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vſque ad mortem tribulationum conſortes. Hac die primùm inuecta eſt in cælis hæc nouitas inaudita; & gauiſus eſt pater hæreditate amplificata, ſobole multiplicata, promiſſionibus quas locutus fuerat in prophetis redditis & completis. Solum ad hæc quæ prædicta ſunt, reſtat iudicium, & examinationi vltimæ adhuc reſeruant antiqua oracula locum. De iudicio quippe & anguſtia, Chriſto ſublato, ſupereſt poſt miſericordiæ tempora quæ ad finem feſtinant, vt iuſtitiam comitetur iudicium: & habeant ſinguli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc & duo angeli Chriſto aſcendente teſtati ſunt, quia qui iudicatus abibat, iudex eſſet terribilis rediturus; & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conſpuerat, & prolata in medium inflexibili ſententia, occurrentibus ſaluatori electis, remaneant impii infinitis deputati tormentis. Quanta illud edictum ſequentur lamenta, illius vltimæ tubæ clangor quàm horribilis erit; continuus erit & ſuperfluus illarum lacrymarum decurſus, ſtridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miſeri viuent; incendia, & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur: & omni tormento atrociùs deſperatio condemnatos affliget. Non miſerebitur vltrà Deus, neque tunc audiet pœnitentes, ſera erit illa confeſſio: & cùm clauſa fuerit ianua, fruſtra carentes oleo, acclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium: ſemel Chriſtus deſcendit ad inferos, vlteriùs non deſcendet. Non vltrà videbunt Deum in tenebris ſigillati: irregreſſibilis erit illa ſententia, & immutabile iudicium, & ſtabit damnationis huius immobile conſtitutum. Exultabunt ſanè Sancti in gloria, videbunt Deum & gaudebunt, lætabuntur & delectabuntur & fruentur gloria, & in felicitate iucundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt quàm ſuauis ſit Deus, ſed implebuntur & ſatiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit, omne deſiderium eorum Chriſtus præſens implebit. Non ſeneſcent, non tabeſcent, non putreſcent ampliùs: perpetua ſanitas, felix æternitas beatitudinis illis ſufficientiam confirmabunt. Non erit concupiſcentia in membris, [c] non vltrà vlla exſurget rebellio carnis, ſed totus hominis ſtatus pudicus & pacificus, ſana ex integro natura, ſine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præſentia omnes animæ & corporis implebit appetitus; ceſſabuntque de cætero conſummatis omnibus miniſtratorii angelicarum virtutum diſcurſus: & impleta ordinataque omninò ciuitate Dei, nec innouabitur, nec mutabitur vltrà fixæ & conſummatæ beatitudinis ſtatus. Ei igitur, ante cuius tribunal ſtabimus, qui nunc vultui Dei apparet pro nobis, cui

a *Ad dexteram ſuam collocatum.* Omiſi voculam, *&*, ſuperfluam cum Cauchio. Pam.

b *Duo genera gentium &c. aſſignari,* Hoc repoſui pro, *aſſignare. Idem.*

c *Non vltra vlla exſurget rebellio carnis.* Non rectè in Grauio omiſſa fuit vox *vltra.* Nam habet eam Remboldus. *Idem.*

cui de nobis tanta cura fuit, vt pro nobis vellet naſci & mori, in præſenti quæſumus, vt cura ſit curandi nos, & nobis auctoritatem & poteſtatem iudicandi noſmetipſos & corrigendi concedat; vt in illo terribili iudicio ſuo inter electos aſciti & congregati, liberi à ſeruitute & captiuitate, cæleſtibus ciuibus coniungamur, & fruamur bonis, quæ ipſe diligentibus ſe repromiſit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit.

DE SANCTO SPIRITV.

ADeſto ſancte Spiritus, & paracleſim tuam expectantibus illabere cælitus, ſanctifica templum corporis noſtri, & conſecra in habitaculum tuum; deſiderantes te animas tua præſentia lætifica; dignam te habitatore domum compone adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum: ſterne pauimenta pigmentis; niteat manſio tua carbunculis flammeis & gemmarum ſplendoribus; & omnium chariſmatum intrinſecus ſpirent odoramenta: affatim balſami liquor fragrantia ſua cubiculum tuum imbuat: & abigens inde quidquid tabidum eſt, quidquid corruptelæ ſeminarium, ſtabile & perpetuum hoc facias gaudium noſtrum, & creationis tuæ renouationem in decore immarceſcibili ſolides in æternum. Interfuimus ſacræ verbi infantiæ, & puerperio virginis obſecuti ſumus, cum cæleſti militia gloriam decantauimus paruulo; confeſſi ſumus omnipotentem, quem in cunabulis vidimus vagientem. Circumciſionis celebrauimus ſacramenta, & truncato præputio voluptatum ſanctimoniæ didicimus mancipari. Interfuimus baptiſmati Saluatoris, & audita patris voce de cælis, ad obediendum Chriſto traditi ſumus, & inſtructi cælitus quo modo patrem & filium dilectio iungat, & vniat; ita vt in ipſis nominibus intimetur diſtinctio perſonarum, & naturæ vnitas euidentiſſimè innoteſcat. [a] Sed & Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ inter illa myſteria vidimus, & intelleximus ex illa ſpecie, gemitus pœnitentiæ & deſideria contemplationis diuinæ, ex ſimplicitate cordis & innocentia vitæ immaculatæ inceſſanter prodire; & neminem niſi ſuſpiriis huiuſmodi præcedentibus, & inſpiratione diuina monente, poſſe ad cæleſtia aſpirare, vt ſuſpiratio, & inſpiratio, & aſpiratio à ſancto Spiritu & cauſam habeant, & effectum, & materiam, & prouentum. Secuti quoque ſumus in eremum Dominum ieiunantem, & repulſa potenter diaboli vidimus tentamenta. Interfuimus cœnæ, & de calice Domini bibimus; pedes lauimus; mortui ſumus cum Chriſto, & ecce viuimus: proſequimur aſcendentem, & præſtolamur promiſſum nobis Spiritum ſanctum; cuius vnctio nos de omnibus doceat, qui inuiſibili magiſterio nos doceat, & cæleſtibus inſtruat diſciplinis: qui carnales hebetet ſenſus, & conterat appetitus. Hic Spiritus ſanctus ab ipſo mundi initio aquis legitur ſuperfuſus; non materialibus aquis quaſi vehiculo egens, quas potiùs ipſe ferebat, & complectentibus firmamentum dabat congruum motum, & limitem præfinitum. Huius ſempiterna virtus & diuinitas, cum in propria natura ab inquiſitoribus mundi antiquis philoſophis propriè inueſtigari non poſſet, ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt coniecturis compoſitionem mundi; compoſitis & diſtinctis elementorum affectibus præſentem omnibus animam affuiſſe, quæ ſecundùm genus & ordinem ſingulorum vitam præberet & motum, & intranſgreſſibiles figeret metas, & ſtabilitatem aſſignaret, & vſum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum eſſentiam animam mundi philoſophi vocauerunt; putantes cæleſtia corpora, ſolem dico & lunam & ſtellas, ipſumque firmamentum, huius animæ virtute moueri & regi, & aquas, & terram, & aerem huius ſemine imprægnari. Qui ſi Spiritum, & Dominum, & creatorem, & viuificatorem, & nutritorem crederent omnium quæ ſub ipſo ſunt, conuenientem haberent ad fidem acceſſum. Sed abſcondita eſt à ſapientibus & prudentibus tantæ rei maieſtas: nec potuit humani faſtus ingenii ſecretis intereſſe cæleſtibus, & penetrare ad ſupereſſentialis naturæ altitudinem; & licet intelligerent quod verè eſſet creatrix & gubernatrix rerum diuinitas, diſtinguere tamen nullo modo potuerunt quæ eſſet deitatis trinitas, vel quæ vnitas, vel quæ perſonarum proprietas. Superferebatur quidem elemento purificatorio Spiritus ſanctificator, iam tunc baptiſmi virtutem enuncians. Iam tunc illa præfigurabantur tempora quibus arca Noë aquis inuecta diluuii viri iuſti familiam conſeruauit illæſam; abolita generatione adultera, qui in filiabus hominum beſtiali petulantia effrænes, imprudenter ſe illis commiſcuerant, nec diuinos, nec humanos in flagitiis publicis verebantur aſpectus. Arcam illam quæ typum gerebat Eccleſiæ, Spiritus ſanctus, & tunc regebat, & adhuc regit, extra quam quiſquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum; & impoſſibile eſt eum viuere, cui non ſuperfertur ſpiritus vitæ, cuius viuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fecundat. Hic Spiritus ſanctus omnium viuentium anima, ita largitate ſua ſe omnibus abundanter infundit, vt habeant omnia rationabilia & irrationabilia ſecundùm genus ſuum ex quòd ſunt, & quod in ſuo ordine ſuæ naturæ competentia agunt: non quod ipſe ſit ſub- ſtantialis

a *Sed & Spiritum ſanctum*. Voculam, &, caſu omiſſam apud Manutium denuò adiecimus. PAM.

ſtantialis anima ſingulis, [a] ſed in ſe ſingulariter manens, de plenitudine ſua diſtributor magnificus, proprias efficientias ſingulis diuidit & largitur; & quaſi ſol omnia calefaciens ſubiecta, omnia nutrit, & abſque vlla ſui diminutione integritatem ſuam de inexhauſta abundantia, quod ſatis eſt & ſufficit omnibus, commodat & impartit. Hic Spiritus rubri maris aquas ſiccauit, & ſuſpenſis hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carnium, & Æpypti pulmentariis populum ad ſpiritalem eremi libertatem eduxit incolumem; & alimoniis cæleſtibus pauit, manna quaſi rorem matutinum infundens graminibus, quod colligi iuſſum eſt ad menſuram. Aderat plena menſura per totam hebdomadam vacante ſabbati die; [b] cui ſexta præcedens dies conſueti victus duplicans quantitatem, octauæ præfigurabat quietem, in qua abſque labore & ſollicitudine in deliciis epulabuntur electi, & ſaturabuntur in terra ſua duplicia poſſidentes, corporis & animæ felici perennitate, & perenni felicitate ditati. Hic eſt Spiritus ſanctus, quem Magi in Ægypto tertii ſigni oſtenſione conuicti, cùm ſua defeciſſe præſtigia faterentur, Dei digitum appellarunt, [c] & antiquis philoſophis eius intimarunt præſentiam defuiſſe. Et licet de patre & filio aliqua ſenſiſſent Platonici: ſpiritus tamen tumidus & humani appetitor fauoris ſanctificationem intellectus diuini mereri non potuit: & vbi ad profunditatem ſacramentorum ventum eſt, omnis eorum caligauit ſubtilitas, nec potuit infidelitas ſanctitudini propinquare. Hic digitus Dei, mundanæ iudex & vindex perfidiæ, noui tempore teſtamenti potenter expellit dæmonia: nec laborat agendo, ſed ſolo nutu perficit omnia: quod dicit, facit; quod iubet implet; ſecreta indicat, pandit occulta, reuelat ignota: hebetat acutos, & perſpicaces confutat. Hoc digito in lapideis tabulis lex primùm conſcripta, quinquageſimo die poſt egreſſum Iſrael de Ægypto in monte Sina Moyſi eſt commendata: ſed populus nequam & gens duræ ceruicis, à quorum animis terror ille receſſerat, quem mors ardens & flammea iuga, & clangor buccinæ, & lampades coruſcæ, & horrenda tonitrua nuper incuſſerant, in Apoſtaſiam conuerſi, & de Moyſi reditu deſperantes, lege diuinitus miſſa indigni iudicati ſunt, quia in oculis eorum Moyſes frangens tabulas, tam verba quàm inſtrumenta comminuit & deleuit. Quin etiam ſceleris vltione patrata, reuerſus in montem ad Dominum, quadraginta diebus ieiunans & colloquens, tandem obtinuit, vt ipſe alias ex ſaxo ad inſtar priorum exciderit tabulas, in quibus eamdem quæ in primis fuerat, ſcripturam inſculperet & formaret. Factumque eſt mirabili diſpenſatione ſuperni iudicii, vt lex quam ſanctus ſcripſerat Spiritus, deleretur: & quam manus humana reſtituit, in poſterum teneretur. Quod ea ratione credi poteſt ſic actum, vt populus prior ſecundùm carnem ambulans & viuens, diuinis colloquiis & ſpiritalibus mandatis oſtenderetur indignus; nec poſſe mentes perfidas ſancta percipere, nec intelligere ſacramenta, quæ exemplarium tegmine velabantur. Porrò teſtamenti noui quæ Chriſto euangelizante patuit veritas verbo Chriſti prolata, indiſſolubilis permanſit, & ſolida deinde ſtabilitatis perpetuæ auctoritate fulcita eſt, eò quòd oblatam gratiam humiles ſuſceperunt, & quod filius inter pauperes ſpiritu inuenit ſibi domum in qua caput reclinaret: & meritò reprobatos viſibiles tabulæ inuiſibilis Dei indicant contemptores, & ampliori dignos honore incarnati verbi credulos auditores, & deuotos veneratores. Lex igitur à paſchalis agni immolatione die quinquageſimo datur: & Pentecoſtes nomen tantæ rei ſolemnitas ex lege accepit, in ipſo dierum numero ſacramenti magni complicans rationem. [d] Septenarius quippe numerus ſepties reuolutus, quinquageſimum efficit, addito monade; qui præſentis ſæculi meta, & futuri initium, perpetuitatem ſub octauæ nomine continens, ſic præſentia terminat, vt nos ad perpetua introducat. Sacratus hic ſeptenarius numerus à conditione mundi auctoritatem obtinuit: quoniam in ſex diebus prima Dei opera patrata ſunt, & ſeptima conſecrata quieti, quaſi ſancta & ſanctiſicans ſolemnitate vacationis honorata, & Spiritui ſanctificatori attitulata. Vnde & ceſſanti à ſeruilibus operibus populo iubetur vt diem ſabbati ſanctificet &; Spiritui rectitudinis, & ſanctitudinis, & fortitudinis adſcribat, quod directe, quod honeſtè, quod viriliter incedit: quia totum ex eius conſtat ducatu quòd deuii diriguntur, quod impii conuertuntur, quod debiles confirmantur. Spiritus rectus, Spiritus ſanctus, Spiritus principalis regit, componit, conſummat, & perficit quas inhabitat mentes, & corda quæ poſſidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos docuerit, quos poſſederit, quos gladio potentiſſimæ virtutis accinxerit. Septenarius iſte ex quaternario & ternario conſtans, cùm in ſe propter prædictas cauſas honorabilis habeatur, habet ex partibus ſuis excellentiam maximam: quia artificis & materiæ videtur exprimere & diſtinguere primarias ſubſtantias; vt ternarius creatorem propter trinitatam enunciet, & quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum om-

nium

a *Sed & in ſe ſingulariter manens.* Repoſui *ſed*, cum Cauchio pro, &. PAM.

b *Cui ſexta præcedens feria.* Obſcurùm quomodo ſextam feriam Octauæ comparet, quùm de ratione circumciſionis rectè aſſerat, poſt ſeptimanam, octauam ſubſequi. *Idem.*

c *Et antiquis Philoſophis.* adiecimus, &, vt ſenſus conſtet. *Idem.*

d *Septenarius quippe numerus &c. quinquageſimum indicat.* Sic rectè Eraſmus pro eo quòd deprauatè erat apud Remboldum, *quinquageniuum.* vide autem plura de ſeptenario numero lib. ad Fortunatum cap 11. Pulchrè autem explicat quadruplicem ſeptimanam, hebdomadum nempè, dierum, menſium, annorum *Idem.*

nium cauſæ ſunt & ſemina, ſub huius numeri breuitate concludat. [a] Spiritus ſanctus à patre procedens, à patre & filio, quaternario ſuperfertur, & conditor benignus opus ſuum amplectitur, & diligit quod plaſmauit, & creaturam ſuam Sanctus ipſe ſanctificat & conſociat ſibi, & charitatis nexu ſtatuit & conquadrat. His aliiſque ſecretioribus rationibus quas illuſtrium virorum ſubtiliora ingenia indagarunt, ſeptenarius numerus in Scripturis ſanctis ſæpè ſacramentales cauſas complectitur; & ſimplex & multiplicatus, neceſſarios ad intelligentiam diuinorum operum parturit intellectus. In hebdomadibus apud Hebræos, dies ſeptimus [b] Sabbatum, id eſt, requies appellatur: qui numerus non tam in ſeptimanis, ſed etiam obſeruatur in annis, & annorum hebdomada conſummata ſeptimus annus requietionis eſt; & ipſi terræ ſabbatum imperatur; nec fas eſt cuiquam eo anno ſerere vel metere quippiam, ſed quæ ſponte ſiue in terra, ſiue in vineis, vel in arboribus naſcuntur, alimoniæ pauperum deputantur. Annorum quoque ſeptimanæ apud Hebræos quinquageſimum annum faciunt, quem iubileum appellant; in quo decreto legis (vt ſuprà dictum eſt) fit terræ remiſſio, & ſeruorum libertas, & reſtitutio poſſeſſionum, quas eatenus diſtractio alienauerat, & cætera huiuſmodi gratis ad hæreditatis ordinem reuertuntur. De numero ſeptenario cùm multa dicta ſint, plura ſuperſunt quæ in lege & Euangelio præcipuè commendantur. Quinquageſimus itaque annus perficit iubileum; quinquageſimus dies à paſcha pentecoſten facit, in quo verè Spiritu ſancto infuſo Apoſtolis, ad hæreditatem cæleſtem à quo venumdati ſub peccato exulabant, quos diabolo domino mendicitas & egeſtas ſubiecerat, reuertuntur. Septem ſacerdotalibus clangentibus tubis, Hiericho corruit: ſeptem petitionibus orandum patrem filius docuit. Remiſſio peccatorum duplicato ſepties ſeptenario, Petro mandatur. Leproſus ſeptimi diei inſpectione à ſacerdote iudicatur; ſummi ſacerdotis in ſeptem diebus conſecratio conſummatur. Dominus Ieſus Chriſtus de ſeptem panibus quinque millia hominum reficit: & iuſtus quiſque Deo laudes per diem ſepties dicit. Ipſe Dominus Ieſus ab Adam ſecundùm generationes, quas Lucas commemorat, ſeptuageſimus ſeptimus inuenitur; vt vltionem in Lamech ſeptuageſies ſepties promulgatam veniens terminaret. Septem diebus in paſcha editur azyma; ſeptem diebus menſe ſeptimo tabernaculorum ſolemnitas celebratur. In ſeptem annis templum à Salomone conſtruitur; ſeptem brachiis & totidem luminibus candelabrum adornatur. Celebramus tam nos quàm Iudæi quinquageſimum diem, ſed illi in typo; nos autem in veritate, non tam ſignificamus quàm agimus. [c] Pentecoſten igitur celebrantes, commemoramus quæ olim ſub Moyſe in veteri Teſtamento ſunt acta, & quæ ſub Chriſto facta ſunt. Poſt cuius aſcenſionem in cælos Spiritus ſanctus viſibiliter ſuper Apoſtolos in linguis igneis apparuit, & ad inſtar prioris ſeculi vniuerſitatem fidelium vnius labii eſſe voluit: vt quorum erat cor vnum & anima vna, vna eſſet & lingua, nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diuerſitas verborum; ſed Euangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eamdem efficientiam obtineret, vt Græcis & Barbaris omnibuſque gentibus verbum Euangelii ſic eſſet intelligibile, ac ſi in eorum auribus linguæ in qua nati erant idiomata reſonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Meſopotameni, & Arabes. [d] Hi omnes, dum Hebræa lingua Apoſtoli prædicarent, locutio Iudaïca enunciationis ſuæ articulos curſu conſueto euoluens, nullo exponebatur interprete, ſed verbo eorum per Spiritum ſanctum inerat virtus & gratia: vt habitantes Pontum & Aſiam, ſuam eſſe dicerent linguam, quam audiêbant; quaſi primitiuæ linguæ libertas ad antiquitatis reuerſa originem confuſionis contumeliam euaſiſſet. Nec tantùm Apoſtolis collata eſt hæc gratia, ſed multitudini credentium idem Spiritus ſuperfuſus eſt, intus ardentibus, extrà loquentibus; & complectebantur ſe dilectio & verbum, & de calore Spiritus ſermo feruebat ignitus. Iam omni timore excluſo obedire, ſe Deo magis quàm hominibus, publicè profitebantur & videbatur eis gloria, ſi pro Chriſto iniuriam paterentur. Ad hunc modum olim Moyſi iuſſum eſt, vt in viros ſeptuaginta quos ipſe preſbyteros iudicaret, de Spiritu ſuo partiretur, vt in negotiis partem gererent ſollicitudinis: quibus cùm impoſuiſſet Moyſes manus, requieuit in eis Spiritus ſanctus; qui non Moyſi ablatus eſt, quaſi ipſe ſine Spiritu remaneret, vel idem Spiritus ſecaretur in partes; ſed ſecundùm menſuram donationis diuinæ quæ erat in Moyſe gratia ſingularis facta eſt multiplex & communis, & data eſt multis in eo poteſtas, quod prius ſolius Moyſi diſponebat auctoritas. Sic Heliæ Spiritum duplicem recepit Heliſæus: non quòd in duas ſubſtantias idem Spiritus ſit diuiſus, & duos propheta ſanctus habuerit Spiritus; ſed quòd populo Chriſtiano, cuius typum Heliſæus gerebat, accepto Spiritu ſancto data ſit poteſtas in opere & ſermone; & aſcendentem Heliam, id eſt, Chriſtum, pio deſiderio proſecutus, fide claruerit & intellectu, & vita & ſignis & miraculis fulſerit & exemplis. Hic ſacrorum ordinum diſtributor, reges creat & principes, ſacrat pontifices, eligit ſacerdotes. Hic ſapientia Salomonem, intellectu

a *Spiritus ſanctus à patre procedens, à patre & filio.* Prius illud *à patre* cenſeo ſuperfluum. PAM.

b *Sabbatum, id eſt, requies.* Prorſus ſic lego, pro, *idem. Idem.*

c *Pentecoſten igitur celebrantes, commemoramus.* Hoc quoque, pro, *commemoranimus. Idem.*

d *Hi omnes dum Hebræa &c.* Aut ſolœciſmus eſt, aut aliquid deſideratur. *Idem.*

intellectu Danielem, Ioſeph conſilio, Samſonem fortitudine, Moyſen ſcientia, Dauid pietate, Iob timore proſequitur: & ſanctorum animas omnimodis fecundat virtutibus, in tantum affectus pacificos prouehens, vt iam in cælis noſtra ſit conuerſatio, diffuſa in nobis charitate per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hic in pudicis mentibus ſibi ſtatuit manſionem. Hic humiles cælibes habet domeſticos, abominatur ærarios, falſarios deteſtatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, & Ieroboam vendentem ſacerdotia cum apoſtatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem à ſanctorum conſortio exhæredat, cuius deteſtabiles auſus vltrix ruina confundit & quaſſat. Hic Balaam ad maledicendum conducto ſilentium imponit; & per aſinam redargutum, colliſo ad parietem pede, vacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remiſit confuſum. Hic omnibus Eccleſiæ ſacramentis intereſt, quæ ipſe efficit & conſummat. Hic peccata diluit, hic iuſtificat impios, & ad vitam reuocat mortuos. Hic diſcordes pacificat, & vinculo dilectionis adſtringit & ligat. Hic nos cælo inuehit, & à mundi huius vanitatibus auulſos superni regni conſtituit hæredes, cuius ſumma eſt felicitas, quod corpus iſtud ſpiritali effectu cum angelis conuerſabitur, nec vltrà erit carnis & ſanguinis aliquis appetitus, ſed erit omnium plena ſufficientia, cognoſcibilis Deus, & inhabitator Spiritus ſanctus.

DE ALEATORIBVS.

[a] MAGNA nobis ab vniuerſa fraternitate cura, fidelis maximè: & rea perditorum omnium audacia, id eſt, aleatorum animi, ad nequitiam ſe in lacum mortis mergunt. [b] Et quoniam nobis diuina & paterna pietas Apoſtolatus ducatum contulit, & vicariam Domini ſedem cæleſti dignatione ornauit, & originem authentici Apoſtolatus, ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam in ſuperiore veſtro portamus, accepta ſimul poteſtate ſoluendi: ſalutari doctrina admonemur, ne cùm delinquentibus aſſiduè ignoſcimus, ipſi cum eis pariter torqueamur. Ideò ſal terræ dicimur, vt ex nobis omnis fraternitas cæleſti ſapientia ſaliatur. Nam cùm dicat: Sal autem ſi fatuatum fuerit, nihil valebit, niſi vt proiiciatur foras & conculcetur ab hominibus; hoc veremur & timemus, [c] ne in Eccleſia ſecuri, quòd nobis ſacerdotalis dignitas tradita eſt negligentes, iuxta quoſdam fratres inertes reperiamur: aut dum falſam communicationem damus, id quod cum honore de Dei dignatione percepimus, [d] indignante Domino & exprobrante amittamus, dicit enim Scriptura diuina. Væ erit Paſtoribus. Quod ſi ipſi paſtores negligentes reperti fuerint, quid reſpondebunt Domino pro pecoribus? Quid dicent? à pecoribus ſe eſſe vexatos? non creditur illis: incredibilis res eſt, paſtores pati poſſe aliquid à pecore; magis punientur propter mendacium ſuum. Et alia Scriptura dicit: [e] Rectorem te petierunt, noli extolli. Eſto in illis quaſi vnus ex ipſis: curam illorum habe & conſidera. Et iterùm: [f] Exiſtimate ſacerdotem eſſe cultorem, & omnes eſſe apud eum delicias, granaria plena, & de quocumque conſiderauerint pabulo oues, eas ſaturare. Nam vt conſtaret nos, id eſt, Epiſcopos, paſtores eſſe ouium ſpiritualium, hoc eſt, hominum fidelium qui ſub cura noſtra conſtituti, [g] ne vllum in eis ſcabiei vitium reperiatur; quo magis à nobis quotidie perſcrutentur, vt medicamine cæleſti adhibito, vellera eis florida creſcant, quæ ad naturam veſtis ſalutaris proficiant. In Euangelio Dominus ad Petrum dixit: Paſce oues meas. Et quoniam Epiſcopium, id eſt, Spiritum ſanctum per impoſitionem manus, cordis excepimus hoſpitio; [h] cohabitatori noſtro ne vllam moleſtiam proponamus, Apoſtolus monet & dicit: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum qui in vobis eſt; & nolite extinguere lumen, quod effulſit in vobis. Quanta autem Epiſcopum benè agentem & ſalubriter admonentem, [i] ſine tribulatione corporis, condigna maneant Martyria: quanta & in Epiſcopum negligentem nulla de Scripturis ſanctis documenta promentem, cumulentur tormenta; Apoſtolus nos excitat Paulus, [k] & condigno ſtatu Epiſcopos & procuratores Euangelicæ doctrinæ ponit, & dicit: Quamdiu erit infans, procuratores & actores habet; at cùm creuerit, hæreditatem ſuam expetit. Nos etiam diſpenſatores & procuratores Euangelij ſumus; hoc quoque inter diſpenſatores & procuratores quæritur, vt quis fidelis & iuſtus inueniatur; ſi ergo apud diſpenſatores quæritur, vt quis fidelis & iuſtus inueniatur, [l] quid ſi oues

a *Magna nobis ab vniuerſa fraternitate cura.* Fortè legendum: *vniuerſa fraternitatis cura.* eſt tamen adhuc planè mutilum huius libri frontiſpicium. PAM.

b *Et quoniam nobis diuina & paterna pietas, &c.* Nic. Faber notat hunc tractatum non eſſe Cypriani. Nam ex hoc loco apparere alicuius Pontificis Romani ſcriptum eſſe. RIG.

b *Et quoniam nobis.* Prætermiſi voculam, *in*, ſuperfluam. *Idem.*

c *Ne in Eccleſia ſecuri.* Etiam hic interpoſita erat particula, *cum*, ſuperflua. *Idem.*

d *Indignante Domino, exprobrantes amittamus.* Cenſeo legendum, *& exprobrante. Idem.*

e *Rectorem te petierunt.* Etiam hic malim, *poſuerunt. Idem.*

f *Exiſtimate ſacerdotem.* Neſcio ad quam ſcripturam alludat. *Idem.*

g *Ne vllum in eis ſcabiei vitium reperiatur.* Ita lego pro eo quod erat: *ſcabie*, eſt tamen adhuc locus obſcurus & mutilus. *Idem.*

h *Cohabitatori noſtro.* Superflua *&* particula, locum reddebat obſcurum. *Idem.*

i *Sine tribulatione corporis* Hic velim adiectum *etiam. Idem.*

k *Et cum digno ſtatu.* Prorſus lego, *condigno. Idem.*

m *Quid ſi oues delinquant.* Ita ex Antonino, pro, *omnes. Idem.*

a Prouidam

oues delinquant, & delinquentibus diſpenſatores ignoſcant? Non ipſi delinquentium ſe pondere onerant? Apoſtolus Paulus commemorat, quando ad Timotheum docendum & corroborandum in fidei firmitate, ne quid Deum fallat, & ne malignum orationibus iuſtorum intercedat, [a] prouidus & ſollicitus dicit: O Timothee fili commendatum ſerua: noli ſpernere donum quod in te eſt per impoſitionem manuum ſeniorum: accingere fortiter, & viriliter age miniſterium tuum, & cum integritate ſupple: eſto cæteris bonum exemplum; nemo tibi contradicat, nemo iuuentutem tuam contemnat: peccantem coram multis caſtiga, vt & cæteri metum habeant, & ne communicaueris peccatis alienis. Et iterùm: Si quis frater fornicarius, aut idolorum cultor, aut auarus, aut raptor ſiue iniuſtus nominatus fuerit; cum eiuſmodi quidem nec cibum capere. Et alio loco: Quicumque frater more alienigenarum viuit, & admittit res ſimiles factis eorum, deſine in conuictu eius eſſe; quod niſi tu feceris, & tu particeps eris eius. [b] Et in doctrinis Apoſtolorum: Si quis frater delinquit in Eccleſia, & non paret legi; hic nec colligatur, donec pœnitentiam agat, & non recipiatur, ne inquinetur, & impediatur oratio veſtra. Et Apoſtolus etiam iterùm dicit: Eximite malos è medio veſtri. Quod ſi multorum teſtium varia & conſonanti monitione docemur, [c] cum delinquentibus fratribus cibo ne quidem veſci; quantò magis debeat & ab ſacrificio Chriſti arceri? [d] Quàm magna & larga pietas Dei filii, quod in futurum præſcius nobis conſulat: ne quis fratres incautus denuò laqueis diaboli capiatur, ſollicitos eſſe iuſſit & prouidos atque eruditos; quoniam hoſtis ille antiquus circuit, pulſans Dei ſeruos, [e] non vno genere tentans. Multæ enim ſunt tentationes eius quorum primordia ſunt: idololatria, [f] Mœchiæ, furta, rapinæ, auaritia, fraus, ebrietas, impatientia, adulterium, homicidium, zelus, perfidia, falſa teſtimonia, eloquium falſum, inuidia, extollentia, maledictum, error, & ſi qua ſunt ſimilia quæ his congruunt; ex quibus eſt aleæ tabula: Præſto eſt diaboli laqueus manifeſtus, venenum portans letale ſerpentis, & inductio corrumpens; quæ cùm videtur nihil eſſe, [g] magna amplexi operitur deletio. Quid illud eſt quæſo fideles, vt [h] manus quæ iam ab iniuriis humanis expiata eſt, & [i] ad ſacrificium Dominicum admiſſa, & quod ad ſalutem totius hominis pertinet, dignatione ſuſcipit; [k] quæ ad laudem Domini in oraculo exſurgit; [l] quæ ſignum crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit: [m] ipſa quæ diuina ſacramenta conſummat: [n] quid eſt, inquam, vt iterum laqueis diaboli, vnde exuta eſt, implicetur? & per ipſa damnetur? aleatrices manus, libidinoſo ſtudio conſueuerunt, id eſt, aleæ tabulæ; quod eſt [o] diaboli venabulum, & delicti vulnus inſanabile. Aleæ tabulam dico, vbi diabolus præſto eſt, ad capiendum ſummiſſus, & cum ceperit de captiuo triumphum, perfidia, falſa teſtimonia. Tabulam aleæ dico; [p] vbi dementia, & furia, & venale periurium, imperium & colloquium ſerpentinum. [q] Illic rabioſa amicitia, illic atrociſſimi [r] ſceleris fraternitas diſcordans, illic conuicia & audacia ſæua, & mens inſana, & fera impatientia. Aleæ tabulam dico; vbi poſſeſſionum amiſſio, & pecuniarum ingentium perditio, monſtrum, & demonſtrans litigioſum, furax dementia. O aleatorum noxia, ſedentaria, & pigra nequitia! ô manus crudeles, & ad periculum ſui armatæ, quæ bona paterna & [ſ] opes auorum ſudore quæſitas ignominioſo ſtudio dilapidant: manus trux, noxia & inſomnis, nocte dieque continuis inſtrumentorum ſuorum armigera: quæ peccando ſeipſam damnauit, & poſt peccata non deſinit ire. O nequam manus, in perniciem domini ſui armata, quæ ſordidiſſimi æris totam ſubſtantiam perdit; & [t] cùm tot eſſent augendæ rei familiaris & multarum abundantiæ opum, modo inops & pauper eſt! Alea eſt, quam lex odit: alea eſt, quam ſequitur crimen ignobile, vbi manifeſta tentatio, & pœna occulta. [u] Alea eſt alueus mali, & ſupplantatio amici, quæ nec lucrum confert, ſed totum conſumit. Hinc deinde pauperes fiunt, hinc opes ſuas perdunt, hinc iam conſumptis omnibus rebus ſuis, mutuis pecuniis ſe obruunt: hinc patrimonium [x] ſine vlla fori calumnia amittunt. Qualis eſt

a *Prouidus & ſollicitus dicit.* Omninò & iſtud lego, pro: *dicens.* PAM.

b *Et in doctrinis Apoſtolorum.* vnde hæc citat neſcio, neque enim reperiuntur aut in canonibus aut in conſtitutionibus Apoſtolicis. *Idem.*

c *Cum delinquentibus.* Ruſum omiſimus *ne*, particulam ſuperfluam. *Idem.*

d *Quam magna & larga pietas domini filii.* Lego, *Dei.* *Idem.*

e *Non vno genere tentans.* cenſeo legendum *tentationis.* *Idem.*

f *Mœchia.* Proſus aut hoc legendum, aut *mœchia*, pro eo quod erat, *mœcha.* *Idem.*

g *Magna amplexi operibus deletio.* Locus multis eſt corruptus. *Idem.*

h *Manus quæ iam.* Omninò lego hoc, pro *tam*, adiicio verò, *eſt*, ex Antonino. *Idem.*

i *Ad ſacrificium Dominicum admiſſa.* aut alludit ad veterem conſuetudinem, de qua libro de lapſis, aut (quod magis apparet ex ſequentibus) de preſbyteris loquitur. *Idem.*

k *Quæ ad laudem Domini.* Sic rectè Anton. & Morelli quidam codex, pro, *ipſa.* *Idem.*

l *Quæ ſignum crucis &c.* Hoc iterùm ex Antonino pro eo quod erat, *ipſa per quam tuemur ſignum crucis in frontibus* *Idem.*

m *Ipſa quæ diuina Sacr.* Iuxta præcedentem Antonini lectionem, non ſum veritus interſerere, *quæ.* *Idem.*

n *Quid eſt, inquam.* Particulam, *inquam*, ex eodem Antonino adieci; quippe apud quem haud dubiè ſic legendum, pro eo quod habet, *inquit.* *Idem.*

o *Diaboli venabulum & delicti vulnus.* Hæc lectio quoque eius placet, præ vulgata, *Zabuli malum & diaboli vulnus*: Iuxta quem iterùm paulò pòſt & prætermiſimus. *Idem.*

p *Vbi dementia & furia.* Antoninus, *vbi mentis furia.* *Idem.*

q *Illic rabioſa amicitia.* Sic etiam ille, & alius quidam Morelli codex, pro, *rabidoſa.* *Idem.*

r *Sceleris fraternitas.* Ita alius Morelli codex, pro, *immanitas.* *Idem.*

ſ *Opes auorum ſudore quæſitas.* Alias Morelli codex *ſudoribus*, ſic & Anton. *Idem.*

t *Cum & tot eſſent augendæ rei &c.* Aliquid deſideratur; nempè *occaſiones*, aut ſimile quid. *Idem.*

u *Alea eſt alueus mali*, &c. hoc rurſum ex Anton. pro, *laqueus eſt ille mali, & ſupplantatio inimici, qui.* *Idem.*

x *Sine vlla fori calumnia.* Ex eodem *fori*, pro, *forti.* Sed viciſſim apud illum reponendum *calumnia*, pro, *pecunia.* *Idem.*

eſt lis, vt quos nemo perſequitur, ſeipſos per inuidiam perſequantur? vt paternas ſuas hæreditates ſub hoſtium ſuorum multiformi numero diſpergant? Eſt & quando ipſi aleatores cum proſtitutis mulieribus penes auctorem ſuum nocturnas vigilias clauſis foribus celebrant: armantur aduerſus ſe miſeri, ſpiritu diaboli repleti: & illic duplex aut geminum crimen admittunt. Hic concrepat aleæ ſonus, illic ſilentio operatur inceſtus: hic ſine vllo dignitatis ſuæ reſpectu, ſine vlla excuſatione, peſtifero ſtudio cedere bonis ſuis cogitur; illic ſecretò mortale venenum bibitur. Vnde hæc ſacrilega meditatio, vnde hoc crimen, auctorum teſtimonio comprobamus? Cum enim quidam ſtudio litterarum benè eruditus, multum meditando hoc malum & tam pernicioſum ſtudium adinuenit, [a] inſtinctu ſolius Zabuli, qui eum artibus ſuis repleuerat; hanc ergo artem oſtenſit, quam & colendam ſculpturis cum ſua imagine fabricauit. Statuit itaque imaginem ſuam cum nominis ſui ſubſcriptione, ſuggerente ſibi amico, qui vt hanc artem excogitaret [b] in peccatorem ſubuenit. Sic ergo ſe in imagine ſpecioſa demonſtrans, alto quodam loco condidit; & [c] in ſinus ſuos hanc aleæ tabulam geſtans, vt quaſi ipſe luſor & adinuentor huius malitiæ appareret, cuius nomen à Dei ſeruis nominari non deberet (ſic enim in nomine turpis eſt, quomodo in factis iniquus) & quiſque Dei ſeruus aleæ tabulam amplectitur, auctoris nomine vocaretur. Ille enim cum ſe [d] in ſtatunculis, & ſimulacris formaret; aliud crimen adinuenit, [e] quo ſe ab imitatoribus ſuis colendum, & ſibi ſacrificandum inſtituit; ita vt qui vellet ſtudio eius adhærere, non antè manum in tabulam porrigeret, niſi auctori huius priùs ſacrificaſſet. Inde factum eſt, vt olim qui homo fuerat, & facinoris admiſſionis adulter, poſt mortem, à pronis & errantibus [f] ſub fictitio nomine Dei talis coli meruerit. Aleæ tabula qui ludit, & maleficia noſſe debet, quod à Dei ſeruis longè ſit, ſciens quoniam foris [g] maleficus & venenarius, & iterùm in iudicii diem in igne rotante torquebitur. Aleæ tabula qui ludit, prius auctori eius ſacrificare debet; quod Chriſtianis non licet dicente Domino: ſacrificans diis, eradicabitur, niſi Deo ſoli; & iterùm: Nolite ſacrificare diis alienis ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendum vos. Chriſtianus qui es, & Aleæ tabula ludis; licet non ſacrifices, lege huius facinoris particeps es. Et vtique Dominus occurrit & dicit: Exi de ea populus meus, ne ſis particeps delictorum eius. Et iterùm: Diſcedite, diſcedite inde, exite de medio eius qui portatis vaſa Domini, & immundum ne tetigeritis. Chriſtianus quicumque es, & Alea ludis, hoc primum in loco credere debes, quia non Chriſtianum, ſed Ethnicum tibi nomen eſt; & illud quod ad ſacrificium Dominicum pertinet, in vacuum ſumus, ſic enim dicit: Omnis immundus non tanget ſacrificium ſancti. Dicit enim ſcriptura: [h] Omnis vir manducans carnem ſacrificii, & immunditia eius ſuper ipſum; pereat anima illa de populo meo. Aleator quicumque es, Chriſtianum te dicis; quod non es, eò quod ſeculo particeps es: nec animus Chriſti potes eſſe, qui cum inimico Chriſti tenes amicitiam. [i] Certè qualis dementia aleatorum fidelium, vbi inſaniunt, & furaciſſimis vocibus peierant; [k] & deorbati Zabuli caligine, inuicem ſibi manus inferunt, maledicunt, ſe deuouent, parentum originem [l] turbis præſentibus dehonorant. Sonat publicè aleæ ſtrepitus, feſtinant ad necem hæreditatis ſuæ manus: nec intelligit miſer, quid ſibi noceat, quando ſe aleæ auctorat. Et qui iam ſæpiùs vincitur, rurſus ad nocentius ſtudium, Zabulo ſuadente, animatur. O ars infeſta ſtudentibus, & ſtudium libidinoſum; quod non diuitias, ſed nuditatem & inopiam præſtat; manus carnifex, manus noxia, quæ nec poſt lucra deſinit; ſed adhuc poſt damna ludit. Chriſtianus qui alea ludit, ad ſacrificium Zabuli, [m] immolantibus pœnis auctoris, manus polluit. Et idcircò Dominus ad hoc indignari dicit: Nolite, inquit, extendere manus veſtras iniuſtè, ne exacerbetis me, & non deſinam vos diu permanere ſuper terram; & iterùm: Abſtinete manus veſtras ab iniuſto, [n] & ne feceritis quicquam mali. Et Apoſtolus beatiſſimus Paulus ſimiliter dicit: [o] Videte fratres, ne obſiguremini huic ſeculo, & pompis, deliciis & voluptatibus eius, ſed continete vos ab omni iniuſtitia. Nam qui delinquit in Deum, nulla fit excuſatio, nec indulgentia vlla, [p] & nemini venia datur. In Euangelio Dominus dicit: Si quis, inquit, dixerit blaſphemias in filium hominis, dimittetur illi: at is qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non dimittetur

a *Inſtinctu ſolius Zabuli.* Hoc quoque ex eodem, pro, *inſtigatu*, qui etiam legit, *adimpleuit*, pro, *repleuerat*, ſed hoc malè. PAM.

b *In peccatorem ſubuenit.* Phraſis obſcura. *Idem.*

c *In ſinus ſuos.* Fortè *in ſinu ſuo*; eſt tamen adhuc locus obſcurus & mutilus. *Idem.*

d *In ſtatunculis & ſimulacris.* Adiecimus *&*, antè deſideratum. *Idem.*

e *Quo ſe ab imitatoribus colendum &c.* Ita rurſum ex illo, pro eo quod erat, *colendum diceret, ſacrificandi ſibi legem terminauit. Idem.*

f *Sub fictitio nominis Dei.* Prorſus ſic lege, pro, *fictioſo. Idem.*

g *Maledicus & venenarius.* Noua vox, quantùm apparet, à venerandis idolis deriuata. *Idem.*

h *Omnis vir manducans carnem ſacrificii* Prorſus ſic reſtitui hunc locum, ex lib. de lapſis, vbi ſic citatur hæc ſcriptura, pro eo quod erat, *mendicans*: lego ex eodem *immunditia*, pro *immunditia. Idem.*

i *Certè qualis dementia.* Antonin. *O qualis*, qui etiam *peierant*, legit pro, *periurant. Idem.*

k *Et deorbati Zabuli caligine.* Anton. *diaboli.* noua autem eſt vox *deorbati. Idem.*

l *Turbis præſentibus.* Hoc ex eodem repoſui, pro eo quod erat, *turpibus*, peſſimè. *Idem.*

m *Immolantibus pœnis auctoris.* Rurſum obſcurus locus. *Idem.*

n *Et ne feceritis quicquam mali.* Omninò ſic lego, quia præcedit, *abſtinete. Idem.*

o *Videte fratres ne obſiguremini.* Vbique alibi Cyprian. *configuremini. Idem.*

p *Et nemini venia datur.* Etiam hoc lego, pro, veniam. videtur autem hoc pertinere ad errorem Nouatianorum. *Idem.*

dimittetur illi, nec hîc, nec in futuro ſæculo: & iterùm propheta dicit: [a] Si delinquendo peccet vir aduerſus virum, orabitur pro eo ad Dominum: Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Et beatus Apoſtolus Paulus procurator vicarius Chriſti, Eccleſiaſticam curam agens, ponit & dicit: Vos eſtis templum Dei, & in vobis Chriſtus habitat; ſi quis templum Dei violauerit, perdet illum Deus. Iterùm Dominus in Euangelio ſuo negat peccatores, & exprobrat dicens: Recedite à me omnes qui operamini iniuſtitiam; numquam vos cognitos habui. Et Ioannes Apoſtolus dicit: Omnis qui peccat, non eſt de Deo, ſed de diabolo eſt; & ſcitis, quoniam ideò venturus eſt filius Dei, vt perdat filios diaboli. Si quis aleator Chriſtianus es, tuus & hæreditatis tuæ inimicus es: quicumque es, deſine ab illa dementia miſer, quid te in laqueum mortis cum diabolo vltrà præcipitas? [b] quid opes & diuitias tuas ſordidiſſimas æris admittis? quid te laqueis ſæcularibus inuoluis, vt de ſæculo iudiceris? quid inimicum tuum fauoribus laudando, delinquis; cum quo neceſſe eſt puniaris? Eſto potiùs, non aleator, ſed Chriſtianus: pecuniam tuam adſidente Chriſto, ſpectantibus angelis, & martyribus præſentibus, ſuper menſam Dominicam ſparge: patrimonium tuum, quod forſitan ſæuo ſtudio perditurus eras, pauperibus diuide: diuitias tuas Chriſto vincenti committe: ſeruus cum Domino tuo vocare, ſtudio deifico obſequere, artem Domini imitare, quæ non perdit ſed potiùs acquirit. Deſine ab illis tuis furaciſſimis moribus, cohibe præcipitem nequitiam tuam; ſit tibi cum pauperibus quotidianis luſus, ſit tibi cum viduis frequens operatio; cenſum & adparatus tuos omnes ad ſtudium Eccleſiæ diſtrahe: aurum tuum, & argentum, & pecunias tuas in theſauris cæleſtibus repone; fundos & villas tuas, iuſta operatione [c] ad paradiſum remoue: vt peccata donentur tibi, eleemoſynis & orationibus continuis incumbe. Alea ne luſeris; vbi luſus nociuus eſt, [d] & crimen mortale; vbi dementia ſine conſideratione; vbi nulla veritas, ſed [e] mendaciorum mandra. Abſcide inde manum tuam, & auerte inde cor tuum: extrahe caliginem inimici ab oculis tuis, & purifica manum tuam à ſacrificiis Zabuli: abige abs te furaces mores, eſto patiens & Chriſtianus, eſto tibi & vitæ tuæ in operationibus iuſtus & prouidus. Fuge diabolum perſequentem, & fuge aleam inimicam rerum tuarum: ſtudium ſit tibi ſapientiæ, Euangelii monitis erudire, puras manus ad Chriſtum extende; vt promereri Dominum poſſis, Aleam noli reſpicere, Amen.

DE

a *Si delinquendo peccet vir.* Iſtud quoque ex Cypriani aliis locis, pro *peccatur.* PAM.
b *Quid opes & diuitias tuas.* Locus iterùm obſcurus. *Idem.*
c *Ad paradiſum remoue.* Fortè *remitte. Idem.*
d *Et crimen mortale.* Prorſus ſic lego cum altero Morelij cod. pro, *immortale. Idem.*
e *Mendaciorum mandra.* Alius *mendacij malitia. Idem.*

DE MONTIBVS SINA ET SION ADVERSVS IVDÆOS.

[a] PROBATIO Capitulorum quæ in Scripturis deificis continentur, quæ in veteri Teſtamento figuraliter ſcripta ſunt, per nouum Teſtamentum ſpiritaliter intelligenda ſunt, quæ per Chriſtum in veritate adimpleta ſunt. Nobis enim per Ieſum Chriſtum ſpiritalis intellectus datus eſt, [b] ipſo Ieſu dicente: Vobis quidem datum eſt intelligere ſacramenta Dei, aliis autem in ſimilitudinibus. Inuenimus in Euangelio [c] κατὰ Ioannem ſcriptum: Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Quæ lex Moyſi in monte Sina data eſt. Verùm iterùm inuenimus ſcriptum [d]: De Sion enim exiet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem. [e] Quatenus hoc intelligere debemus? vtrum Sina mons, vbi à Deo Moyſi lex data eſt, & Sion mons vnde lex exiuit, vnum ſint; an verò alter ſit Sina mons, & alter ſit Sion mons. Inuenimus enim hæc nomina duorum montium eſſe Hebraïca [f] verùm latina interpretatio nominum differentium ab inuicem, oſtendit aliud eſſe Sina montem, & aliud montem Sion: Hæc eſt interpretatio de Hebraïca lingua in Latinam. Sina mons interpretatur tentatio æterna & odium: æque & Sion interpretatur tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Vides ergo in Hebraica interpretatione non ſibi ſimilare, ſed neque eſſe vnum montem, ſed potiùs duos inuicem à ſe differentes gratia & honore. Præterea cùm dicat Dauid propheta [g] in pſalm. 2. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, annuncians imperium eius: ecce quatenus montem Sion ſanctum deſignat. Vnde manifeſtum eſt montem Sion cæleſtem eſſe & ſpiritalem, [h] & montem Sina eſſe terrenum. Nihil enim

poteſt

a *Probatio capitulorum.* Mutilum eſt atque adeò obſcurum huius libri frontiſpicium, quod tamen legunt omnes excuſi & MS. cod. præter Cambron. qui ſic habet. *quod probatio capitulorum &c.* neque ille ſatisfacit. PAM.
b *Ipſo Ieſu.* Cambron. *Chriſto. Idem.*
c *Secundùm Ioannem* Hoc ex cod. Cambron. Marchin. Dunen. & Affligin. ad marginem cum Morelio pro eo quod Affligin. in ipſo contextu & vet. exc. *iuxtà*, cæteri verò *ſecundùm. Idem.*
d *De Sion enim exiet lex.* Etiam hoc cum Morelio ex tribus cod. MS. pro *exibit. Idem.*
e *Quatenus hoc intelligere debemus.* Adiecimus interrogandi notam cum vet. exc. Grauio & Cauchio, & cùm nulli eam legerent, loco ſubmouimus vbi erat. *an vnum. Idem.*
f *Verùm latina interpretatio.* Manutius *latina verò*, at illud genuinum eſt. *Idem.*
g *In pſalmo 2.* Prorſus ſic lego non *primo*, cùm etiam Cyprianus ſuprà lib. teſtim. 3. cap. 29. ſecundum nuncupet hunc pſalmum, hæc verba citans, non primum. *Idem.*
h *Et montem Sina.* adiicio *montem* ex Cambron. cod. ex

poteſt, quod in terra eſt, eſſe ſanctum, cùm totus mundus mala facta habeat, & à diabolo ſit maculatus, dicente Ieſu: Odit me ſæculum, [a] & ego odi illud: quia mala facta ſunt illius. Ex qua re quidquid eſt in hoc ſæculo terreno, ſanctum eſſe non poteſt. Sion autem non tam ex prophetico dicto conſtat eſſe ſanctum & ſpiritalem; in quo monte [b] Spiritus ſanctus filius Dei rex conſtitutus eſt, annuncians voluntatem & imperium Dei, & patris ſui: & Sina montem terrenum eſſe in arida terra conſtitutum, qui eſt in Syria Palæſtina, vbi eſt terra Iudæa, vbi eſt ciuitas illa interfectrix prophetarum: ante cuius portam Chriſtus à Iudæis crucifixus eſt in horto: quæ ciuitas dicitur Hieruſalem per Eſaïam prophetam, ſpiritaliter verò execrata & derelicta. Nec immeritò. Quia & Deus ex eodem monte Sina terreno, per Moyſen adhuc in carne terrena primi hominis poſitum populo Iudæorum terreno & carnali legem à Deo accepit illis tradendam, digitis ſacris, ſcriptam in duabus tabulis lapideis, ([c] licet digitis ſacris, tamen digitis in figurá carnis) quaſi populo carnali & duriſſimo: ſicut fuerunt tabulæ lapideæ duriſſimæ, in quibus tabulis legem acceperunt. Ideò in duabus, quia ſignificaret vnitatem populi diuidi in duas partes, partem quæ ſaluatur, & partem incredulam quæ perit; dicente Angelo ad Rebeccam vxorem Iſaac: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Rebecca verò figuram portabat Eccleſiæ, ſicut Iſaac vir eius typum in ſe portabat Chriſti. Ergo cùm dicit, duæ gentes in vtero tuo ſunt: quia & de gentibus duas partes futuras deſignabat, partem idololatram perditam, & partem credulam viuentem per fidem; hanc vnam partem gentium deſignat in vtero Eccleſiæ permanere, in generationem æternam in figura Rebeccæ; & partem populi infidelium Iudæorum à ventre tunc Rebeccæ diuidi, & ſeparari à natiuitate Eccleſiæ. hæc fuit præfiguratio in Geneſi per Angelum ſpiritaliter annunciata. Hæc verò nomina montium talem habent interpretationem in lingua latina, vt demonſtret veritatem; qui ſint hi duo montes Sina, vel Sion: quod quidem poſt paululum dicturi ſumus. Ita enim hanc veritatis interpretationem probauimus, de principio generis humani venientem. [d] Ita ab initio mundi & deinceps omnes homines naſcentes, de tempore & facto nomina à parentibus ſuis accipiebant (non quidem ex ſe, ſed à Deo mente impellebantur; qui antequam fiant præſcius eſt futurorum) vt quales poſt crementum ætatis ſuæ futuri eſſent, poſteriori tempore verbis & nominibus Hebraicis deſignaretur; & quid ſingulis futurum eſſet, interpretatio nominum deſignaret veritatem; ſicuti tunc temporis in Patriarchis completum eſt, ſecundùm primi hominis carnem de terræ limo eſſe. Ex ipſo protoplaſto probamus veritatem. Nomen accepit à Deo Adam. Hebraicum Adam in Latino interpretatur terra caro facta, eò quòd ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, ſicut ſcriptum eſt: Palmo menſus ſum cælum, & pugno comprehendi terram, & finxi hominem ex omni limo terræ: Ad imaginem Dei feci illum. Oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomen in ſe portare Adam. Inuenimus in Scripturis, per ſingulos cardines orbis terræ eſſe à conditore mundi quatuor ſtellas conſtitutas in ſingulis cardinibus. Prima ſtella orientalis dicitur ἀνατολή, ſecunda occidentalis δύσις, tertia ſtella aquilonis ἄρκτος, quarta ſtella meridiana dicitur μεσημβρία. Ex nominibus ſtellarum numero quatuor, de ſingulis ſtellarum nominibus tolle ſingulas litteras principales, de ſtella Anatole, a, de ſtella Dyſis, d, de ſtella Arctos, a, de ſtella Meſembria, m; in his quatuor litteris cardinalibus habes nomen Adam. Nam & in numero certo per quatuor litteras Græcas nomen deſignatur ἀδαμ, ita α μία, [e] id eſt, vnum, δ τέσσαρα, id eſt, quatuor, α μία, id eſt, vnum. μ τεσσαράκοντα, id eſt, quadraginta. Fac & inuenies numerum quadragenarium ſenarium. Hic numerus XLVI. paſſionem carnis Adæ deſignat, [f] quam carnem in ſe figuralem Chriſtus portauit, & eam in ligno ſuſpendit. Quæ caro à Deo patre Ieſu vocitata eſt Spiritus ſanctus, qui de cælo deſcendit, Chriſtus, id eſt, vnctus Dei viui à Deo vocatus eſt; ſpiritus carni mixtus, Ieſus Chriſtus. Hic ergo numerus 46. paſſionem declarat, eò quod ſexto milleſimo anno hora ſexta paſſus, à mortuis reſurgens quadrageſimo die in cælos aſcendit: vel quia Salomon quadraginta ſex annis templum Deo fabricauerit. In cuius templi ſimilitudinem Ieſus carnem ſuam eſſe dixit,

eodem repoſui illud. *cùm totus mundus mala facta habeat & à diabolo*, pro eo quod erat, *cùm totus mundus propter mala facta à diabolo.* PAM.

[a] *Quia & ego illud.* Cambron. omiſſo *quia*, legit *& ego odi illud*, neutrum placet, quia longè aliter Euangeliſta, *quia ego teſtimonium perhibeo de illo. Idem.*

[b] *Spiritus ſanctus filius Dei.* De hac veterum loquendi formula, vide ſuprà librum, *quod idola non ſint dij.* quare nihil mouere debent lectorem, aut iſte aut duo ſimiles infrà doceri. Neque enim ante hæreſes de Spiritu ſancto exortas, tam cautè ſcripſerunt veteres. *Idem.*

[c] *Licet digitis ſacris, tamen digitis in figura carnis.* Manutius omiſſa voce *licet*, & ſemel tantùm recitans voces illas, *digitis ſacris*, paulò priùs certa poſuit. Verùm vulgatæ lectioni conſentiunt MS noſtri; & ſi parentheſis hæc includantur, ſenſus erit perſpicuus. *Idem.*

[d] *Ita enim omnipotens Deus*, &c. Locum hunc deprauatiſſimum ex codic. MS. partim Affligin. Dun. Marchin. & vet. exc. partim Cambronenſi iſta reſtitui. *ita ab initio mundi & deinceps omnes homines naſcentes, de tempore & facto nomina à parentibus ſuis accipiebant (non quidem ex ſe ſed à Deo mente impellebantur qui antequam fiant, præſcius eſt futurorum) vt quales poſt crementum ætatis ſuæ futuri eſſent, poſteriori tempore verbis & nominibus Hebraicis deſignaretur, & quid ſingulis futurum eſſet, interpretatio nominum deſignaret veritatem. Idem.*

[e] *Id eſt vnum*, &c. Tum hoc, tum quæ ſequuntur, *id eſt quattuor*, &, *id eſt, vnum*, & rurſum, *id eſt, quadraginta*, adſcripta erant in cod. MS. Dun. ad interpretationem græcarum vocum, in aliis MS. & vet. exc. omninò deſiderabatur. Ad intellectum tamen maiorem putauimus retinenda. *Idem.*

[f] *Quam carnem in ſe figuralem.* Sanè & cautè hoc intelligendum rectè adnotauit Manutius. *Idem.*

xit, dicens Phariſæis: [a] Deſtruite fanum iſtud, & ego in tribus diebus excitabo illud. Et Phariſæi dicebant: Quadraginta ſex annis ædificatum eſt fanum iſtud, & hic in tribus diebus excitabit illud? Dicebat autem Ieſus fanum de corpore ſuo. Deinde Abel filius Adæ nomen accepit hebraicum, deſignans fratris interfectionem, & parentum luctum. Item Enoch, qui ante diluuium Deo iuſtus complacuit, & ideò de iſto mundo in carnis ſuæ natiuitate viuus tranſlatus eſt in loco, vbi Deus ſcit; ex quo loco in conſummatione mundi innouari habet in hoc mundo; vnde etiam tranſlatus eſt ad confundendum & reuincendum antichriſtum. A quo interfecti matyria ſua complebunt, viuentes in æternum in ſæcula ſæculorum. Et ideò Enoch interpretatur innouatus. Deinde Iob iuſtus, qui ante diem iudicii meruit voce iudicis laudari, & ideò diabolo deuicto & ſuperato, Iob interpretatur chariſſimus Dei. Æquè & Abraham in ſua natiuitate à parentibus ſuis Abram vocatus eſt; tentatus verò à Deo fidelis inuentus eſt, & à Deo benedictus pater multarum gentium conſtitutus eſt, & ideò immutato à Deo nomine Abraham vocatus eſt, interpretatur pater multorum populorum. Ecce interim de multis probationibus pauca diximus, vt ad duorum montium nominum peruenientes interpretationes, eorum montium nominum probemus, qualiter deſignata ſunt ad noſtram inſtructionem; vt ex hac interpretatione nominum, intelligamus montem Sina eſſe terrenum, & montem Sion eſſe cæleſtem. Spiritaliter interpretatur Sina, tentatio æterna, & odium; [b] & mons Sion tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Ita intelligitur cum dicitur mons Sina tentatio æterna & odium, eò quod ex eo monte Moyſes legem acceperit populo duriſſimo & contumaci. Per quam legem tentati à Deo æterno, inuenti ſunt non poſſe eamdem legem ſuſtinere in perpetuum, exinde Deo in odium conuerſi ſunt. Ideò in nomine montis Sina, vnde legem acceperant, interpretatio nominis deſignauit populum tentatum à Deo, & in odium æternum eſſe conuerſos: ideò dicitur Sina tentatio æterna & odium. Inuenimus enim in ſcripturis eos eſſe à Deo tentatos. Ita poſitum dicente Domino ad Moyſen: Exeat populus iſte, & colligant ſibi diurnum in diem, & tentabo eos an poſſint legem meam ſuſtinere an non; & tentati à Deo per legem, [c] inuenti ſunt ab ea lege alieni. Exinde Deo in odium æternum conuerſi ſunt, & completa eſt interpretatio Sina. [d] Manifeſta verò & Moyſen, per quem eos Deus per legem tentauit, in Latino interpretatur ſimiliter, Moyſes tentatio Dei, & inuentio, per quem tentati à Deo inuenti ſunt alieni à legis obſeruatione, ideò in æternum Deo in odium conuerſi ſunt. Hoc odium in ipſo genere Iudæorum ſcriptum inuenimus, dicente Iſaac de duobus ſuis filiis Eſau maiore, & Iacob minore: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Eſau verò maior piloſus fuit totus, inquit, quaſi corium piloſum, in figura populi maioris, in impietate delictorum ſuorum conſtituti. Et Iacob fuit lenis & minor, in figura populi nouellioris, qui ex dicti audientia per crudelitatis fidem ex aſpredine ſæculi in lenitatem conuerſus eſt ad Chriſtum Deum, & Dei filium. Ecce probauimus per ſcripturarum fidem populum maiorem & vetuſtiorem eſſe Deo in odium conuerſum ſecundùm interpretationem montis Sina dicentis, tentatio æterna & odium. Æque Sion mons ita interpretatur, tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Hæc verò interpretatio Latina ligni ſacri paſſionem deſignat, dicente Salomone de ipſa paſſione Dominica: Contumelia & tormento interrogemus illum, vt ſciamus reuerentiam illius & probemus patientiam ipſius, [e] & tentemus quæ euentura ſunt illi. Si enim verè filius Dei eſt, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum; morte turpiſſima condemnemus illum. Hæc cogitauerunt & errauerunt; excæcauit illos malitia ipſorum, & non intellexerunt ſacramenta Dei. Ecce tentatores Iudæos: Item ſcriptum eſt: Et tentauerunt Deum in loco inaquoſo. Speculum verò altitudinem ligni declarat, dicente Salomone: Poſuerunt me velut cuſtodiam pomarii, eo quòd in horto in ligno confixus inter duos latrones pependit: & de altitudine ligni ambos ſpeculatur in figura duorum populorum malefactorum; Gentes in ſæculi mala facta iacentes, & Iudæos interfectores prophetarum. Hi ſunt duo populi malefactores, quorum figuram in ſe portabant duo latrones, inter quos pependit innocens. Vnus blaſphemabat; alius verò confeſſus eſt, quia innocens iniuriam patiebatur. Ieſus autem ambos ſpeculabatur de ligno ſpeculatorio, blaſphemum & confeſſorem ſaluauit, & blaſphemum perdidit, ſicuti de duobus populis fecit. Perſecutores derelicti, qui in æternæ mortis ſententia ſibi non crediderint;

a *Deſtruite fanum iſtud.* Grauius *phanum*, & hic & bis poſteà rerum illud conſtanter MS. omnes, & non Feſtus modò, ſed & Varro de L L. lib. 5. & Liuius 1. dec. lib. 10. à fando dictum fanum volunt. PAM.

b *Et mons Sion tentatio exacerbationis.* Addebant alii: *æterna*, verùm rectè omiſit Manutius cum Cambron. cod. quia ſuprà non legitur. *Idem.*

c *Inuenti ſunt.* Ex auctoritate eiuſdem cod. omiſi particulam, *&*, ſuperfluam. *Idem.*

d *Manifeſta verò & Moyſen &c.* Locus vſque adeò corruptus, vt mederi ex MS. non licuerit. Ex illis enim quattuor conſentiunt cum excuſis vulgatis, ſicut etiam veteres excuſi, præterquam quod legant *Moyſes*, quomodo & Morelius legens etiam, *Manifeſtat*, Cambron. cod. verò longè aliter: *Manifeſta verò Moyſi & Aaroni, per quos eos Deus per legem tentauit, in Latino interpretatur. Similiter in monte tentati à Deo inuenti ſunt alieni &c.* fortaſſis ita legendum; *& completa eſt interpretatio Sina, manifeſta Moyſi & Aaroni per quos eos Deus per legem tentauit*, omiſſis cæteris omnibus; quandoquidem priùs eadem verba ſint poſita, atque adeò hic videantur ſuperflua. *Idem.*

e *Et tentemus quæ euentura ſunt illi.* Iterùm iſtud ex Cambron. cod. pro: *quæ ventura ſunt*: Eſt enim Græcè apud 70. τὰ ἐν ἐκβάσει, omittunt verò MS. voculam *&*, paulò poſt. *Idem.*

rint, ſi ſic de ſæculo exierint, perient. Gentes verò ad ſe conuerſæ fidem ſibi habentes, quia filius Dei eſt; ſaluatæ videbunt in æterna ſæcula ſæculorum imperatorem & regem ſuum. Verùm in ipſa paſſione pendens in ligno, duas partes populi proſpiciens ſpeculabatur, de alto ligno. Pars populi, qui viderant virtutes eius mirabiles & deificas, patientem illum iniurias dolentes, plorabant: alij verò Iudæi irridentes, de arundine caput eius quaſſabant, blaſphemantes & dicentes: Aue rex Iudæorum, vbi eſt pater tuus? veniat & liberet te de cruce. Exinde exacerbatus pater fecit cælum patefieri, & tonitrua facta ſunt, & tenebræ inſuſtinibiles; terra commota, patefacta ſunt ſepulchra, [a] & corpora ſua eiecerunt, & foras à ſe miſerunt; velum templi ſciſſum eſt; & à tantò fragore cæli, & terræmotu, omnes qui ſtabant ante lignum, alij dolentes, alij verò blaſphemantes, illudentes [b] proſtrati in faciem iacuerunt, trementes tamquam mortui. Tunc Iudæi intellexerunt ſe offendiſſe Deum & in luctum conuerſi ſunt, & fuit exacerbatio. Eo enim tempore quo in ligno confixus pependit, dies fuerunt azymorum, qui ſunt dies feſti Iudæorum. Eo die metuentes factum eſſe terræmotum, & cæli fragorem, proſtrati in faciem, in terra plangentes, in luctum conuerſi ſunt; & in ipſa ſua paſſione compleuit propheticum dictum: Et conuertam dies feſtos eorum in luctum, & cantica eorum in lamentationem. Antè enim cum captiui detenti eſſent in Babylone, dicebant illis Babylonij. Cantate nobis cantica de canticis Sion, & Iudæi lamentantes captiuitatem ſuam dicebant Babylonis, vt diximus, lamentantes ſe: Quo modo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Ecce quatenus completa eſt interpretatio montis Sion, tentatio exacerbationis & ſpeculatio, vnde manifeſtum eſt montem Sion ligni ſacri regnum eſſe in ſanctitate iuſtificatum, dicente Dauid: Annunciate regnum Dei in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno, & tranſiuit in gentibus. De quo regno ligni regalis idem propheta dicit: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, annuncians imperium eius. Quod dictum propheticum per Pontium Pilatum in ſua paſſione pendens in ligno compleuit. [c] Pontius Pilatus impulſa mente à Deo accepit tabulam, & titulum ſcripſit tribus linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè: Ieſus Nazarenus rex Iudæorum; & in capite ligni clauis tabulam cum nomine regis Iudæorum confixit: & tunc manifeſtauit propheticum dictum, eo quòd ſpiritaliter mons Sion crux eſt, quæ eſt virtus Dei, Apoſtolo dicente: Crux Chriſti non credentibus ſtultitia eſt, credentibus autem crux virtus eſt Dei; & iterùm dicit: Nos autem annunciamus vobis Chriſtum, & hunc crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis, Dei virtutem & Dei ſapientiam. [d] Sic verò & alius propheta declarat lignum paſſionis Dominicæ eſſe montem Sion ſanctum, in ſpiritu ita dicens: Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus; dextera læuáque extenſis clauis fixis, innocentiam demonſtrans. Ideò dicit innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, [e] & non iurauit ſubdolè proximo ſuo, hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Omnis paſſio hominum in terram cadet, hæc ſola paſſio crucis ſtantem demonſtrat: vnde verum dicimus, montem ſanctum lignum eſſe paſſionis. Inde innocens manibus, & mundo corde: hoc dicto prophetico Iudæos redarguebat, qui Moyſen præponunt Chriſto Domino illius; eo quod Moyſes cum in montem Sina aſcendiſſet, vt legem Iudæis acciperet, innocens manibus & mundo corde non fuit. Nec enim mundus corde, eo quod Ægyptium calce percuſſerit in Ægypto, & mortificauerit eum, & manibus ſuis eum in arena obruerit; Chriſtus autem in montem ſanctum aſcendit lignum regni ſui, vt moreretur à Iudæis; quamquam ipſe aliquem hominum non mortificauerit, niſi ſolum diabolum inimicum generis humani. Exinde in montem aſcendit innocens & mundus corde; & ideò propheta dicit: Quis aſcendet in montem Domini, & quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde. Et declarauit montem Sion ſanctum eſſe ſanctam crucem, dicente æquè propheta: De Sion exiet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem. Lex Chriſtianorum crux eſt ſancta Chriſto filio Dei viui, dicente æquè propheta: Lex tua in medio ventris mei. Percuſſus in lateris ventre de lancea, ſanguis & aqua mixtus profuſus fluebat, vnde ſibi Eccleſiam ſanctam fabricauit, in qua legem paſſionis ſuæ conſecrabat, dicente ipſo: Qui ſitit, veniat & bibat: Qui credit in me, ſicut ſcriptum eſt, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Item in pſalmis: Et erit velut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Ecce verbum propheticum, fructum reſurrectionis die tertio ſpiritaliter intelligendum dicentis: De Sion exiet lex, hoc eſt, de ligno regali, & verbum Domini ab Hieruſalem quæ eſt Eccleſia.

a *Et corpora ſua eiecerunt & foras & ſe miſerunt.* Locum mutilum ſic ſuppleuimus ex Cambron. & Cauchii cod. vulgati habebant duntaxat: *& corpora à ſeipſo*, pro quo non malè Manut. cum aliis MS. *& corpora foras emiſit.* PAM.

b *Proſtrati in faciem.* Hoc habeo ex omnibus MS. pro, *proſtratis facie. Idem.*

c *Pontius Pilatus impulſa mente,* Cum codex Remboldi negligentia operarum haberet: *impelluta*, non malè repoſuit ex coniectura Eraſmus, *infuſa*, at illud genuinum eſt. *Idem.*

d *Sic verò & alius propheta.* Manutius *verum & alius*, ſed illud habent MS. noſtri. Mirum autem eſt quod alium prophetam dicat, quùm idem Dauid id pronuntiarit. *Idem.*

e *Et non iurauit ſubdolè.* Quùm ſic legat alibi Cyprianus, hoc malo cum tribus MS & excuſis vulgatis, quam *in dolo*, cum Cambron. *ſub dolo*, cum Manutio. *Idem.*

cleſia. Caro ligno confixa emiſit verbum Dominicum dicens : Heli , heli. & adimpletum eſt propheticum ſpiritale antè dictum : De Sion exiet lex , & verbum Domini ab Hieruſalem. [a] Hieruſalem dicit de cælo deſcendentem , nouam ciuitatem , quadratam per quatuor Euangelica , habentem duodecim fundamenta duodecim prophetarum , duodecim portas , duodecim Apoſtolorum ; per quorum annunciationem Chriſtiani in hanc ciuitatem ſanctam & nouam introierunt, quæ ſpiritalis eſt Eccleſia. Ecce probauimus per omnium Scripturarum deificarum fidem duos montes, Sina in terra, & Sion in cælo, duorum Teſtamentorum portare figuram ; veteris Sina, & noui Sion. Ex quibus duobus montibus videlicet duobus teſtamentis poſteriori tempore demonſtratos & declaratos duos populos ; veterem & priorem Iudæorum , & nouum & poſteriorem populum Chriſtianorum: Iudæos terrenos, qui terram promiſſam à Deo acceperunt carnales ; & Chriſtianos cæleſtes qui regna cælorum à Deo promiſſa accepturi ſunt in futuro ſæculo. Caro enim Chriſtianorum ſpiritalis & immortalis erit. Alia probatione veritatis in Scripturis poſita ex ea veritate cæleſti ſpiritalem facimus figurarum comparationem, de huius mundi conuerſatione. Diximus enim, montis ſancti Sion , quod lignum regale & ſacrum haberet interpretationem [b] de Hebraico , in Græcum vel Latinum , tentatio exacerbationis vel ſpeculatio, eo quòd de ligno ſpeculabatur ante ſe ſtantes bonos & malos. Ita inuenimus ipſum Saluatorem [c] per Salomonem ſpeculum immaculatum patris eſſe dictum , eo quòd Spiritus ſanctus Dei filius geminatum ſe videat ; pater in filio , & filius in patre, vtrique ſe in ſe vident , ideò ſpeculum immaculatum. Nam & nos qui illi credimus , Chriſtum in nobis tamquam in ſpeculo videmus, ipſo nos inſtruente & monente [d] in epiſtola Ioannis diſcipuli ſui ad populum : Ita me in vobis videte , quo modo quis veſtrûm ſe videt in aqua aut in ſpeculo , & confirmat Salomonicum dictum de ſe dicens : Qui eſt ſpeculum immaculatum patris. Verùm etiam & vitam æternam & veram ſe eſſe dixit ; patrem ſuum agricolam. Si ergo Chriſtus vitis vera: vtique conſtat, quia & nos qui in illo credimus & ipſum induimus, ſumus vitis vera, quæ eſt vinea Dominica, & Chriſtus cuſtos vineæ ſuæ, dicente Salomone : Poſuerunt me cuſtodem in vinea. Inuenimus verò in conuerſatione huius mundi in ſimilitudinem ſpiritalem figulariter eſſe vineam , habentem dominum & poſſeſſorem ſuum. Tempore verò maturo prope dies vindemiarum poſitum in vineam cuſtodem puerum in alto ligno media vinea confixo ; & in eo ligno faciunt ſpeculum quadratum de arundinibus quaſſatis , & per ſingula latera quadraturæ ſpeculi faciunt cauernas ternas , quæ faciunt cauernas duodecim: per quam quadraturam cauernarum cuſtos puer omnem vineam perſpiciens cuſtodiat, cantans, ne viator ingrediens vineam Dominicam ſibi aſſignatam vexet, vel fures vuam vineæ conculcent. Quòd ſi importunus fur egens in vineam voluerit introire & vuam demere, illic puer ſollicitus de vinea ſua deintus de ſpeculo dat vocem malam maledicens & comminans , ne in vineam viator fur audeat accedere, dicens, rectum ambula. Fur autem timens vocem pueri ſibi comminantis refugit de vinea, ſpeculum videt, vocem audit, puerum intus in ſpeculo ſibi comminantem non videt , & timens poſt viam ſuam vadit. Hæc conuerſatio ſæcularis ſimilatur gratiæ ſpiritali. Ita eſt enim & in populo deifico ſicut in vinea terrena. Vinea Dominica & ſpiritalis plebs eſt Chriſtianorum, quæ cuſtoditur iuſſu Dei patris à puero Chriſto in ligni ſpeculo exaltato. Quòd ſi viator diabolus, perambulans viam ſæcularem , auſus fuerit de vinea ſpiritali hominem de plebe Dominica ſeparare & vexare; ſtatim à puero cæleſti voce correptus , & ſpiritalibus flagris emendatus, exulans ad centeſimum effugit in locis aridis & deſertis. Hic eſt cuſtos puer filius Dominicus ; qui vineam ſuam ſibi à patre commendatam ſaluandam & reſeruandam accepit : de quo Eſaïas propheta canit dicens : Ecce puer meus dilectiſſimus , ponam ſuper eum ſpiritum meum , & iudicium gentibus nunciabit : non clamabit neque contendet. Arundinem quaſſatam non confringet , & linum fumigans non extinguet , quoaduſque expellat in contentione iudicium; [e] & in nomine eius gentes credent & ſperabunt.

CÆ-

a *Hieruſalem dicit.* Quod adiecerat Eraſmus , vt ſenſus conſtaret , *de qua dicitur in Apocalypſi , vidi.* Nulli habent MS. Sed priùs cum illis legunt veteres excuſi codd. PAM.

b *De Hebraico in Græcum , vel in Latinum.* Iſtud ex tribus aliis MS. pro eo quod erat , *in Græco & Latino.* Tamen locus adhuc obſcurus. Quæ verò ſequuntur , intelligenda ſunt, ſicut ſuprà *Idem.*

c *Per Salomonem.* Et hîc & anteà adſcribit Salomoni quoque Sapientiæ librum. *Idem.*

d *In epiſtola Ioannis diſcipuli ſui.* Nuſquam tale quid habent Ioannis epiſtolæ Catholicæ , videtur itaque reponendum *Iacobi* , vt alludat ad illud , *Hic comparabitur viro conſideranti vultum ſuum in ſpeculo.* Quo magis miror quod legat Cambronenſis , *ad Paulum. Idem.*

e *Et in nomine eius gentes credent & ſperabunt.* Etiam hoc ex iiſdem , quod miror , quum & apud Iſaïam , & apud Matthæum non aliud habeatur , quam *ſperabunt* ; græcè & latinè ; neque etiam Cyprianus ſuprà lib. teſtim. 2. cap. 13. aliud legat , quàm *credent.*

CÆCILII CYPRIANI GENESIS.

PRincipio Dominus Cælum Terramque creauit:
Namque erat informis fluctuque abſcondita tellus;
Immenſuſque Deus ſuper æquora vaſta meabat,
Dum cahos & nigræ fuſcabant cuncta tenebræ.
Has dum disjungi iuſſit de cardine, fatur:
[a] Lux fiat, claro & nituerunt omnia mundo.
Cùm Dominus primi compleſſet facta diei,
Condidit albentem nebulis naſcentibus axem;
Accipit immenſus verrentia littora Pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulua retexit,
Arida mox poſito narratur nomine terra;
Florea ventoſis conſurgunt germina campis,
Pomiferique ſimul procuruant brachia rami.
Quarta dies generat Solis cum lampade Lunam,
Et Stellas tremulo radiantes lumine fingit;
Hæc elementa dedit ſubiecto inſignia Mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
At quinta accipiunt liquentia flumina piſces,
[b] Et volucres varias ſuſpendunt aëre pennas.
Sexta prægelidos in ſpiras lubricat angues,
Quadrupedumque greges totos diffundit in agros;
Cunctaque multiplici mandauit creſcere paſſim
Germine, & immenſis errare & paſcere terris.
Hæc vbi conſtituit diuina potentia iuſſu.
Rectorem inſpiciens mundanis defore rebus,
Hæc memorat: Noſtris hominem faciamus [c] ad vnguem
Vultibus adſimilem, toto qui regnet in orbe;
[d] Et licet hunc vno poſſet componere verbo;
Ipſe tamen ſancta dignatus ducere dextra,
Inſpirat Brutum diuino in pectore pectus.
[e] Quem poſtquam effigie formatum ceu ſua vidit,
Metitur ſolùm mordaces voluere curas.
Ilicet irriguo perfundit lumina ſomno,
Mollibus vt vulſa formetur fœmina coſta,
Atque artus mixtu gemino ſubſtantia firmet.
[f] Inditur & nomen vitæ, quod dicitur Eua.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Coniugibuſque ſuis poſitis cum ſedibus hærent.
Septima, quando Deus factorum fine quieuit,
Sacrata ſtatuens venturi gaudia ſæcli,
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet, indit
[g] Adami à Domino donata Prudentia ſolers.
Quem Deus adloquio, iunctam dignatur & Euam:
Creſcite multimodo ventura in tempora partu,
Vt polus & plenæ veſtro ſint germine terræ;
Hæredeſque mei, varios decerpite fructus,
Quos nemora & pingui reddunt de ceſpite campi.
Hæc vbi diſſeruit, læta paradiſus in aula
Inſtruitur, primique aſpectat lumina Solis.
Gignitur hæc inter pomis lethalibus arbos,

a *Lux fiat, claro.* Sic Fabricius, pro eo quod Morelius, *clare*, rectius mea ſententia. PAM.

b *Et volucres varias ſuſpendunt, &c.* Ita lego cum Cauchio, pro *ſuſpendunt corpore.*

c *Ad vnguem vultibus adſimilem.* Hoc cum eodem & Fabricio, *in vnguem. Idem.*

d *Et licet hunc vno.* Prætermiſimus cum Fabricio vocem, *ſolo*, ſuperfluam, additum quantùm colligere eſt ex margine. *Idem.*

e *Quem poſtquam effigie formatam.* Corruptus verſus aut ablatiuus *ſua* corripitur contra artem metricam in vltima ſyllaba. *Idem.*

f *Inditur & nomen vita.* Fabricius *viua*, verùm illud placet. *Idem.*

g *Adami à Domino, &c.* Fabricius vt carmen conſter: *Adami à Domino data data quæ prudentiv.* Verùm ſenſus eſt obſcurior. *Idem.*

Coniunctum generans vitæ mortiſque ſaporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quod rigat inſignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidóſque ſecat vndante ex fonte meatus.
Phiſon auriferis prædiues fluctuat vndis,
Conſpicuáſque terit rauco de gurgite gemmas;
Praſinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens;
Perſpicuuſque vadis terram prælambit Heuilath.
Poſt hunc Æthiopas Gihon adlapſus opimat.
Tertius eſt Tigris, Euphrati adiunctus amœno,
Aſſyriam celeri diſcretim flumine ſulcans.
Hic poſitus cuſtos Adamus cum coniuge fida,
Atque opifex, tali formatur voce tonantis:
Ne trepidata ſimul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonſum ramo frondente creauit;
Sollicití ne fortè malum noxale legatis,
Quod viret ex gemino diſcreta ad munia ſucco.
Nec minus intereà cæcos nox alta tenebat,
Ac modò formatos veſtis nec texerat artus.
Has inter ſedes, & baccis mitibus ortus:
Spumeus aſtuto vincens animalia ſenſu,
Serpebat tacite ſpiris frigentibus anguis,
Liuida mordaci voluens mendacia ſenſu,
Fœmineo tentat ſub pectore mollia corda:
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Numquid poma Deus non omnia nota ſacrauit?
Equeis ſi ſtudeas mellitos carpere victus,
Aureus aſtrigero remeabit cardine mundus,
Illa negat, vetitóſque timet contingere ramos;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora ſenſu.
Ilicet vt niueo iam mitia dente momordit,
Adfulſit nulla maculatum nube ſerenum:
Tum ſopor illecebram mellitis faucibus indens,
[a] Compulit inſueto munus deferre marito.
Quod ſimul ac ſumpſit, deterſa nocte nitentes
Emicuere oculi, mundo ſplendente, ſereni.
Ergo vbi nudatum proſpexit corpus vterque,
Cumque pudenda vident, ficulnis frondibus vmbrant.
Fortè ſub occiduo Domini iam lumine Solis
Agnoſcunt ſonitum, trepidique ad deuia tendunt.
Tum Dominus Cæli mœſtum compellat Adamum;
Dic vbi nunc degas? Reſpondit talia ſupplex;
O Domine adfatus pauido ſub corde tremiſco
Magne tuos, nuduſque metu frigente fatigor.
Tunc Dominus; Quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promptim
Candenti perfuſa die, liquidumque ſerenum
Adfulſiſſe ſibi, Solémque & ſidera Cæli.
Protinus ira Dei turbatam territat Euam,
Auctorem vetiti dum quærit maximus acti.
Illa ſub hæc pandit: Serpentis ſuaſa loquentis
Accepi, fallente dolo, blandóque rogatu:
Nam ſua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis, narrauit dulcia pomis.
Ilicet omnipotens condemnat geſta draconis,
Præcipiens cunctis inuiſum viſere monſtrum;
Pectore mox fuſo prorepere, [b] tum ſola morſu
Mandere: manſuro quæcumque in tempora bello,
Humanos inter ſenſus, ipſumque labantem;
Vertice vt abiecto pronus poſt crura virorum
Serperet, vt calcet dum labens cominus inſtat.

[a] *Compulit inſueto munus deferre marito.* Cauchius conicit legi debere, *inſuetum.* PAM.

[b] *Tum ſola morſu, mandere.* Prorſus ſic lego cum Cauchio, pro, *pandere. Idem.*

Fœmina fraudigeris miſerè decepta loquelis,
Præcipitur duro diſcrimine ponere partum,
Seruitiumque ſui ſtudio perferre mariti.
Tu verò cui viſa fuit ſententia verax
Coniugis, immiti ceſſit quæ victa draconi;
Deflebis miſerum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ ſurget pro germine meſſis
Carduus, & ſpinis multum paliurus acutis,
Vt cum viſceribus laſſis & pectore mœſto,
Plurima ſollicitos præſtet ſuſpiria victus;
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Vnde geris corpus, terræ reddare iacenti.
His actis Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Deiectóſque procul ſacratis dimouet hortis,
Obuerſóſque locat, medióque eliminat igni;
In quo perceleri Cherubim euoluitur æſtu,
Dum calidus deferuet apex, flammáſque volutat.
Queis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Conſuit euulſas pecudum de viſcere pelles,
[a] Operiens nudos calidis de veſtibus artus.
Ergo vbi coniugio ſeſe iam fidus Adamus
Eſſe virum ſenſit, nomen genitricis amatæ
Exhibet vxori; bino qui germine factus
Continuò genitor, diuerſis nuncupat orſis.
Atque Cain hic nomen habet, cui iunctus Abelus:
Innocuas huius ſeruabat cura videntes;
Aſt alius curuo terram vertebat aratro.
Hi cum perpetuò ferrent ſua dona tonanti,
Diſſimiles fructus ſenſu ſuadente dedere.
Nam prior vberibus fuerant quæ proſata glebis
Obtulit: aſt alius miti ſe deuouet agno,
Exta manu ſincera gerens adipémque niualem;
Confeſtímque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira.
Quem Deus adloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, ſi rectum viuas, & noxia cernas,
Degere non poſſis contracto à crimine purus?
Deſine mordaci fratrem diſperdere ſenſu,
Qui tibi ceu Domino ſubiectus colla daturus.
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arua;
Atque vbi deprenſum deſerto in gramine vidit,
[b] Elidit geminis frangens pia guttura palmis.
Quod factum Dominus [c] Cælo ſpeculatus ab alto,
Diſquirit, quonam terrarum degat Abelus?
Ille negat poſitum cuſtodem ſe fore fratris.
Cui Deus effatur: [d] Numnam vox ſanguinis eius
Ad me miſſa ſonat, celſumque deſcendit ad axem?
Noſce igitur manſura tibi pro crimine tanto.
Nam modo quæ maduit germani ſanguine terra,
Inuiſo maledicta tibi commiſſa negabit
Semina, & adſumptis fructum non proferet herbis.
[e] Torpidus vt multo collidens membra tremore.

EIVSDEM

a *Operiens nudos.* Fabricius & Cauchius: *Opperiens*, addita altera littera *p*, vt carmen conſtet. atqui aliam ſignificationem ea vox habet. *Idem.*

b *Elidit geminis frangens &c.* Ex coniectura ſic omninò legendum cenſeo, pro, *frandans. Idem.*

c *Calo ſpeculatus ab alto.* Sic rectè Morelius, pro eo quod Fabricius *celſo. Idem.*

d *Numnam vox ſanguinis.* Contrà ſic rectius Fabricius, & ex coniectura Cauchius, quam Morelius *nonne*, *Idem.*

e *Torpidus vt multò collidens &c.* Quum prorſus mutilus ſit finis huius carminis, ſuſpicor cætera quoque geneſeos capita; ad euerſionem vſque Sodomæ, metro à Cypriano conuerſa. *Idem.*

EIVSDEM CYPRIANI SODOMA.

IAm Deus omnipotens, primæui tempore ſæculi
[a] Vindice diluuio cunctis aboleuerat vndis,
Quas cælum ſparſit terræ, maris expuit æquor:
[b] Hactenus haud liquido pœnas decernere pactus
Excidio; quoties hiemes induceret aër,
Frenandis varium pluuiis mandauerat arcum,
Purpureo & viridi ſignantem nubila limbo;
Iridis huic nomen; propria eſt quæ fibula nimbis.
Sed recidiua hominum pariter cum gente ſecunda
Impietas, iterumque mali noua pullulat ætas;
[c] Excidio iam non imbres ſortita, ſed ignes;
Sic Sodomûm meruit tellus [d] ardentibus vri
Flammis, & finis portendere ſigna futuri.
Effera luxuries illic inimica pudoris
Inſtar legis erat, fugeret quam præſcius hoſpes,
Antè vel ad Scythicas, vel apud Buſiridis aras,
Exoptans per ſacra necem, cæſuſque cruorem
Fundere Bebrycium, & Libycas ſatiare paleſtras;
Antéque vel Circea nouas per pocula formas
Sumere, quam læſum Sodomis amittere ſexum.
Pulſabant Cælum inuidia connubia mixta;
Inceſtu parili generis natura rebellis
In ſeſe, læſumque viri cum corpore nomen.
Tempore ſed certo Deus omnia proſpeculatus,
Iudicat iniuſtos; [e] patiens, vbi criminis ætas,
Ceſſandi ſpacium vis nulla coëgerit iræ.
Iámque dies vltrix aderat: duo de grege miſſi
Angelico, forma iuuenes qui ſpiritus ambo
Diua miniſteriò Domini mandata ferebant,
Succedunt Sodomis. Illic de ſtirpe piorum
Tranſuena Loth aderat, ſapiens iuſtique colonus
Vnus erat meminiſſe Deum; ſolet vtilis arbor
In ſyluis latitare feras velut hoſpita fructu.
Is tunc pro porta reſidens (vix mœnia adibant
Cælicolæ) quamquam diuinos neſcius, vltrò
Aduocat, adpellat, patrio veneratur honore;
Hoſpitióque vocat, longè ſtabulare parantes;
Eniſus longis precibus, pia pignora menſa
Officiíſque probis ſtudio diſpungit amicos.
Nox requiem dederat, lux ſoluerat altera noctem,
Et Sodoma in foribus ſtrepitat [f] conqueſta rudendum.
Loth contra ſupplex: Ne vos nunc pacta libido
Incendat iuuenes ipſam fœdare iuuentam;
Quo luxus genitura vocat? quo ſemina fruſtra?
Quo nullæ nuptant animæ; non luſtra colentes,
Non ſtabulis reduces, non vndis ſubter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent;
Nec quæ per terram [g] pertracto corpore reptant.
Omne genus luxu genus eſt, ſed fœmina coniux.
Omnibus; & numquam cuiquam niſi fœmina mater;
Nunc ſi fas iuuenilis habet vaſtare pudorem,
Sunt intus natæ biiuges mihi, nubilis ætas,

Virginitas

a *Vindice diluuio.* Rectè ſic Morelius pro eo quod fabricius *Iudice.* PAM.
b *Hactenus haud liquido.* Contra hoc Fabricius, quàm Morelius, *hactenus &*, quia commemorat pactum Dei de non excidendo poſt hac orbe per diluuium, *Idem.*
c *Excidio iam non imbres.* Morelius rurſum ita melius quam aliter, *imbrem.*
d *Ardentibus vri flammis.* Hoc denuò Fabricius vt carmen conſtet, pro, *facibus*: Cauchius cenſebat legendum *faſcibus*, non malè. *Idem.*
e *Patiens vbi criminis ætas.* Videtur deſiderari verſus vnus. *Idem.*
f *Conqueſta rudendum.* Obſcurum eſt hoc quomodo & illud, *pacta libido*, pro libidine Sodomitica, Item verſus ille: *quo luxus genitura vocat.* &c. *Idem.*
g *Protracto corpore reptant.* Pulchrè ſic Morelius, pro eo quod Fabricius *manant.* *Idem.*

Virginitas in flore tumet, iam dedita meſſi;
Digna cupido viris, tulerit quam veſtra voluptas:
[a] Dedo, pater, próque hoſpitibus penſabo dolorem.
Vulgus ad hæc demens: quiſnam tu, quantus, & vnde,
Qui nobis domineris, ait, legeſque recondas?
[b] Tranſuena num rector Sodomorum, vt ingerat iras?
Nunc igitur tute ipſe lues, quod noſtra cupido eſt,
Pro natis, próque hoſpitibus; ſatis vnus in omnes,
Dicta & facta ſimul: vulgi nulla mora ferentis.
Turbidus hiberno vt dum voluitur impete torrens,
Riuorum numeros vno pede [c] fertur in omnes;
Si qua illic arbor rapidis offenditur vndis,
Haud manſura diu; quantum radice licebit
Crinitas durare moras, vbi ſubter adeſam
Perdit humum [d] circumfoſſo iam caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam:
Haud aliter Loth in media vertigine vulgi
Nutabat vinci prope iam; ſed diua poteſtas
Subuenit, Angelici iuuenes de limine raptum
Reſtituunt tectis; demens ſed vulgus ibidem
Pœnarum auſpiciis [e] multatur lumine diro.
Tunc decreta Dei reſerant, dignam adfore pœnam
De cælo Sodomis; ipſum meruiſſe ſalutem
Iuſtitiæ titulo: Quin ergo accingeris iſtinc
Feſtinare fugam, pariterque educere ſi quid
Gentis habes: nos exitium iam inducimus vrbi.
Loth generos citus adloquitur: ſed dura hominum mens
Credere deſpexit monitum, riſitque timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conſcendere tentat,
Et bicolor cæli facies de nocte diéque eſt,
Inſtabant iuuenes [f] Chaldeam educere gentem
Ex Sodomis iuſtamque domum donare ſaluti:
Eia age Loth exſurge, tuamque adſume iugalem,
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito;
Præueniens Sodomûm pœnas; Manibus quoque amicis
Producunt trepidos, [g] atque hæc ibi cætera mandant:
Serua Loth animam; ne viſum in terga retrorſum
Vertere fortè velis, cœptum vel ſiſtere greſſum;
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cæleſtes ne priùs iræ
Opprimerent: alios igitur depoſcere portus
Adgreditur, paruam quam contra aſpexerat, vrbem.
Huc, inquit, contendo fugas; vix mœnibus extat,
Nec longè, nec magna. [h] Illi fauere precanti,
Vrbis & ipſius pariter geſſere ſalutem;
Segor inde loco nomen vox Barbara nouit.
Tunc Loth ingreditur [i] Segor, ſimul exoritur ſol,
Vltimus ille quidem; in Sodomamque incendia feruens
Infert, nam totos radios armauerat igni:
Æmula ſubſeritur caligo, includere lucem
Cœptans, atque globos confuſo intexere Cælo:
Fumantes coëunt nubes, nouus irruit imber;
Sulfura cum flammis flagrantibus æſtuat æther.
Hinc habet in falſo de vero fabula famam,
Solis progeniem currus optaſſe paternos,
Nec valuiſſe leuem puerum frænare ſuperbos

a *Dedo pater.* Fabricius *cedo*, vtrum vis eligas. PAM.

b *Tranſuena num rector Sodom &c.* Fabricius *tranſuena corrector Sodomorum duplicat iras.* at illud placet *Idem.*

c *Fertur in omnes.* Optimè ſic Fabricius, pro, *vehitur in omnes. Idem.*

d *Circumfeſſo iam caudice.* Placet contra hoc Morelli, pro eo quod Fabricius *cum caudice. Idem.*

e *Multatur lumine diro.* Ita Fabricius, pro eo quod Morelius, *interdum lumine mulctant.* Quod non diſpliceret, ſi legatur *interdiu. Idem.*

f *Chaldaam educere gentem.* Fabricius *Chaldaum educere ſaluum*, ſed illud eſt elegantius, & ſequens verſus apud illum deſideratur. *Idem.*

g *Atque hac vbi catera mandant.* Fabricius, *atque hæc tibi catera mando.* Verùm non placet. *Idem.*

h *Illi fauere precanti.* Sic ex varia lectione hunc locum reſtitui. Fabricius habet: *illi fauere petenti*: Morelius verò *mihi fauete precanti. Idem.*

i *Segor inde loco nomen.* Fabric. *Inde ſegor vico*, perinde eſt vtrum legas. *Idem.*

Iouis equos, arſiſſe orbem ; tunc fulmine raptum
Aurigam illicitum, planctum mutaſſe ſorores.
[a] Viderit Eridanus, ſi qua illic populus al bet,
Aut ſi quis plumat ſenio modulatior ales:
Hîc aliter verſæ mœrent miracula formæ.
Namque comes coniux heu me, malè tum quoque legis
Fœmina non patiens, diuina ad murmura Cæli
Audaces oculos ne quicquam ſola retorſit,
Non habitura loqui quod viderit ; & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum;
Ipſaque imago, ſibi formam ſine corpore ſeruans:
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quinetiam ſi quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet;
Dicitur & viuens alio iam corpore, ſexus,
Munificos ſolito [b] diſpungere ſanguine menſes.
Nuſquam ſunt Sodomi, nuſquam illorum impia lucent
Mœnia, cum Dominis domus omnis inops ita nuſquam:
Tota rogus regio eſt ; hinc atro horrore fauillæ,
Hincque ſitu cano cineres incendia ſignant.
Occidit illa prior feritas (quam proſpiciens)
Nullus arat fruſtrà piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam ſi qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes ; facilè optima ſeſe
Promittunt oculis, pira, perſica, & omnia mala,
Donec carpantur : nam protinus indice tactu,
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.
Sic igitur cælo pariter terraque ſepultis
Nec mare viuit ibi, mors eſt maris illa quieti;
[c] Quòd nullus animat per anhela volumina fluctus,
Quódque etiam patrio nuſquam ſuſpirat ab auſtro;
Quòdque nequit proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, læuive cuti vel cortice ſeptam,
Vel criſpam concham, aut duplici compagine clauſam.
Solùm illic propria mentitur fruge bitumen,
Exuſti ſiligo maris ; quod viuidus ardor
Subter ſtagna coquens de ſulfuris & ſalis æſtu,
Temperat, inque picem dat terræ hærere marinam:
Inuehitur proprio cum tempore pingue crematæ
Virus aquæ, ſpumiſque cutis ſuper æquora nigra
Texitur. Adpellunt queis eſt ea captio mercis;
Adclinant laterum læues libramine lembos,
Vt ſemel impoſitam doceant conſcendere venam:
Nam ſe ſponte leuans [e] adnabit inertis ad ora
Nauigij, preſſumque dabit præ munere largo,
Ni plaga contigerit quam menſis fœmina veſtit.
Ecce aliud monſtrum pelagi de clade notatur:
Cuncta illic immiſſa natant ; natura receſſit
Mergendis data corporibus ; ſi denique teſtæ
Luciferam narem ſiſtens qua ſpiritus igni eſt
Velificauit apex, flammæ ſi flamma perempta eſt,
Ibit ſubter aquas deſtructio naufraga lucis.
Hæ Sodomûm & Gomorûm ſignatæ in ſæcula pœnæ
Gentibus iniuſtis, queis pectora dura timorem
Deſeruêre Dei, cæleſtia iura tueri,
Inque vnum rerum Dominum ſperare docebunt.

a *Viderit Eridanus.* Optimè ſic Morel. pro eo quod Fabricius, *videres heu durum.* Præterquam enim quod : *viderit.* Cypriano familiare ſit, in Eridanum decidiſſe Phaetontem de quo loquitur, ferunt poëtarum fabulæ. PAM.

b *Diſpungere ſanguine menſes.* Rurſum hoc rectius Morel. quam alter *depungere.* Nam & ſuprà dixit *diſpungit amicos*, & eſt phraſis Cyprianica, [*quam proſpiciens Loth.* etiam videtur hic verſus deſiderari. *Idem.*

c *Quod nullus animat per anhela volumina fluctus.* Fabr. *idque animat nullus*, &c. Verùm prius genuinum videtur, quia ſequitur : *quodque* produxerunt enim veteres nonnumquam, ſ, in fine dictionis : quare neque placet, vt cum Morelio legatur, *nullos. Idem.*

d *Adnabit inertis ad ora Nauigij.* Placet & hoc Morelij, pro *annabit mercis ad ora.* Hoc autem ſignificat ita hærere bitumen nauigiis, vt ſolui non poſſit niſi menſtruo fœmineo, cuius rei locuples eſt teſtis Ioſephus de bello Iud. lib. 5. cap. 5. *Idem.*

AD SENATOREM EX CHRISTIANA RELIGIONE ad Idolorum ſeruitutem conuerſum.

QVum te diuerſis iterùm vaniſque viderem
Inſeruire ſacris, priſcóque errore teneri;
a Obſtipui monitus: quia carmina ſemper amaſti,
Carmine reſpondens, properaui ſcribere verſus;
Vt te corriperem, tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim, te matrem credere magnam,
Poſſe deam dici, rurſuſque putare colendam;
Cuius cultores infamia turpis inurit?
b Námque ſacerdotes tunicis muliebribus idem
Interius ritum cultu interiore fatentur;
Idque licere putant, quod non licet: vnde per orbem
Leuiter incedunt, mollita voce loquentes,
Lapſatóſque tenent extenſo pollice lumbos,
Et proprium mutant vulgato crimine ſexum.
Cumque ſuos celebrant ritus, his eſſe diebus
Se caſtos memorant: at ſi tantummodo tunc ſunt
Vt perhibent, caſti reliquo iam tempore quid ſunt?
c Sed quia coguntur ſaltem ſemel eſſe pudici,
Mentę fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem.
d Quale ſacrum eſt vero quod fertur nomine ſanguis?
Nunc etiam dicis, quod te non fecerit ætas,
Sed tua relligio caluum: caligáque remota
Gallica, ſit pedibus molli redimita papyro.
Res miranda ſatis deiectáque culmine ſummo,
Si quis ab Iſiaco Conſul procedat in orbem,
Riſus oris erit: qui te non rideat autem,
Qui fueris Conſul, nunc Iſidis eſſe miniſtrum?
Quodque pudet primo, te non putet eſſe ſecundo;
Ingeniumque tuum turpes damnare per hymnos
Reſpondente tibi vulgo & lacerante Senatu.
Téque domo propria pictum cum faſcibus antè,
Nunc quoque cum ſiſtro faciem portare caninam.
e Hæc tua humilitas; ſed humilitatis imago eſt.
Ædibus illa tuis ſemper monmenta manebunt.
Rumor & ad noſtras peruenit publicus aures,
Te dixiſſe: Deá erraui, ignoſce, tediui.
Dic mihi ſi valeas, cùm talia ſæpè rogares,
Et veniam peteres; quæ tecum, verba locuta eſt?
Verè mente cares, ſequeris qui mente carentes.
Hæc iterùm repetis, nec te delinquere ſentis.
Quid mereare vide: minus eſſes fortè notandus,
Si tantùm hoc ſcires, & in hoc errore maneres:
At cum veticolæ penetraueris oſtia legis,
Et tibi noſſe Deum paucis acceſſerit annis;
Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
Nilque colis, dum cuncta colis; nec corde retractas
Vera quid à falſis, quid ab vmbris lumina diſtent.
Philoſophum fingis, cùm te ſententia mutet:
Nam tibi ſi ſtomachum popularis mouerit aura;
Et Iudæus eris, totuſque Incertus haberis.
Indulge dictis, ſapientia non placet alta:
Omne quod eſt nimium contrà cadit: vnum operantur,
Et calor & frigus: ſic hoc, ſic illud adurit;
Sic tenebræ viſum, ſic ſol contrarius aufert,

Et

a *Obſtipui monitus*, Lego *monitus*, pro eo quod erat *motus*, mallem etiam legi *Obſtupui*, niſi alibi legeretur apud Cyprianum, *meus obſtipuit*. PAM.

b *Namque ſacerdotes tunicis &c.* Obſcurus locus & quantum apparet corruptus. *Idem.*

c *Sed quia coguntur ſaltem ſemel.* Puto ex vitio operarum legi *ſaltim* apud Morelium. *Idem.*

d *Quale ſacrum verò &c.* Etiam hoc carmen obſcurum, *Idem.*

e *Hac tua humilitas.* Etiam hic auctor more veterum *h* pro conſonante vtitur, de quo vide Bedam de arte metrica, niſi fortè legendum, *hac non humilitas. Idem.*

Et pariter lædunt gelidum feruenſque lauacrum,
Eſca aliter corpus, corpus corrumpitur eſca;
Vimque ſuam minuit, ſi quid protenditur vltrà.
Denique ſi ſedeas, requies eſt magna laboris;
Si multum ſedeas, labor eſt. Maro namque Poëta
Pro pœna poſuit: ſedet, æternumque ſedebit
Infelix Theſeus; ſemper nocet vtile longum;
Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant:
Sic nimium ſapere ſtultum facit improba ſecta,
Me dea ſic docuit, moderamen amabile dixit.
Sed tu nec ſectam modo, nec moderamina curas;
Mens autem ſtabilis nullo peruertitur æſtu,
Ipſáque ſimplicitas numquam mala cogitat vlla.
Hinc ſincera fides æterna ſede fruetur:
Et contrà dolus longo cruciabitur igni.
Elige quid velis, vt digna piacula vites.
Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam,
Vt leue crimen erit, ſi nolis noſcere vera;
Non leue crimen erit, ſi cognita vera relinquas.
Sed te correctum forſan matura ſenectus
In melius reuocat ſatiatum erroribus iſtis;
Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.
Tunc igitur cum te conſulta reduxerit ætas,
Diſce Deo ſeruare fidem, ne fortè bis vnum
Incurras lapſum; quia verè dicitur illud:
Qui pedis offenſi lapidem vitare ſecundò
Neſcit, & incautus iterum vexauerit artus;
Imputet ipſe ſibi, [a] nec caſibus imputet illis.
[b] Corrige delictum fidamine, corrige mentem.
Suffecit peccare ſemel, deſiſte vereri:
Non erit in culpa quem pœnitet antè fuiſſe.

HYMNVS

a *Nec caſibus imputet illis.* Etiam hoc lego ex coniectura, pro *illis*. PAM.

b *Corrige delictum fidamine.* Noua vox. *Idem.*

HYMNVS CYPRIANI [a] DE PASCHA DOMINI.

EST locus ex omni [b] medium quem credimus orbe,
Golgota Iudæi patrio cognomine dicunt:
Hîc ego, de ſterili ſucciſo robore lignum
Plantatum, memini fructus genuiſſe ſalubres;
[c] Non tamen hos illis qui ſe poſuere colonos
Præbuit; externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc ſpecies vno de ſtipite ſurgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos;
[d] Sicut plena graues antennæ carbaſa tendunt,
Vel cum diſiunctis iuga ſtant ad aratra iuuencis.
Quod tulit hoc primo, maturo ſemine lapſum
Concepit tellus: Mox hinc mirabile dictu,
Tertia lux iterùm terræ ſuperiſque tremendum
Extulerat ramum vitali fruge beatum.
Sed bis vicenis conformiter ille diebus,
Creuit in immenſum, cælumque cacumine ſummo
Contigit, & tamdem ſanctum caput abdidit alto:
Dum tamen ingenti biſſenos pondere ramos
Edidit, & totum ſpargens porrexit in orbem;
Gentibus vt cunctis victum vitámque perennem
Præberent, mortémque mori qui poſſe docerent.

Explicitis

a *De Paſcha Domini.* Beda de re metrica, Victorino Pictauienſi tribuit. RIG.

b *Medium quem credimus.* Anglicus codex cum Fabricio *medius*. at prius habent Dunen. & Cornelii Gualteri codd. & placet magis; Fabricius verò ſolus legit *cernimus*. *Idem.*

c *Non tamen hos.* E contrario arridet hæc Fabricii lectio, eo quod alii *hoc* vel *hic*: aliud cenſeo de eo quod legit *colonis*, cum Dunenſi cod. in margine pro *colonos*. *Idem.*

d *Sicut plena graues antennæ.* Iſtud habeo ex varia lectione legentibus Angl. cod. & Fabricio *graues*, aliis verò *granis*: pro *ſicut*, Gualteri codex, minùs rectè *ſic vbi*. *Idem.*

rupta, deuotione robuſta, operatione ſeu dilectione continua; vt in Eccleſia ſancta tua nos florere permittas: quoniam tibi flectimus genua, & curuamus ceruices, cui Angeli & Archangeli, millia millium Martyrum, chorus Apoſtolorum, & Prophetarum gloria exultant, cui omnes aues canunt laudes, linguæ confitentur cæleſtium, terreſtrium & infernorum: tibi omnes aquæ in cælo, & ſub cælo confitentur; te inſenſibilia ſentiunt: tu es ſolus, & præter te & extra te nemo. Te quæſumus Domine pater omnipotens, qui [a] ſoli filio conſpicabilis es, cuius Angeli & Archangeli obtemperant tibi Domine Pater: te oramus, vt tribuas nobis mentem integram, [b] innocentiam puram, ſinceritatem deuotam, conſcientiam ſanctam, puram, ſobriam, caſtam, contra omnes inſidias ſæculi glorioſa fide degentem: contra diaboli minas, & carnales illecebras munitum pectus concedas; ne violenti & cruenti hoſtis lethalibus laqueis implicemur, [c] vt ſignum ſalutis æternæ incolume perferamus. Pelle à nobis omnem ſæculi illuuiem, omnemque diaboli perſuaſionem. Laqueetur, concidat, & ſuperetur à nobis, & amoueatur, ſicut à Sarra famula tua Aſmodeus demon nequiſſimus, extinctus per Angelum tuum ſanctum Raphaël. Et ſicut Tobiæ affuiſti, ità mihi adeſſe digneris. Et vt tribus pueris in camino, & Danieli miſericordiam præſtiſti: ſic circa nos famulos tuos facere digneris. Qui mortuos ſuſcitaſti; cæcos illuminaſti; ſurdis auditum, mutis eloquia, claudis greſſum, leproſis ſanitatem dediſti: ita & da famulis tuis, qui te tota virtute mentis credimus natum, paſſum, venturum iudicare viuos & mortuos. Aſſiſte nobis, ſicut Apoſtolis in vinculis, Teclæ in ignibus, Paulo in perſecutionibus, Petro in fluctibus. Qui ſedes ſuper ſeptem thronos ad dexteram Patris, reſpice nos & libera nos de æternæ mortis interitu: vnus in vno, Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus ſanctus, per quem, & cum quo eſt tibi in ſancta Eccleſia honor, virtus, claritas, maieſtas, poteſtas, benedictio, immortalitas, & nunc & in æternum, ſemper & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

ORA-

a *Soli filio conſpicabilis es.* M S. omnes & vet. exc. *conſpectabilis.* Verùm illud placet, quod ſimiliter dixerit Prudentius.: *coram refulſit ore conſpicabilis.* PAM.

b *Innocentiam puram.* Morelio rurſus acceptam debemus vocem *puram*, & paulò poſt vocem *hoſtis*, vbi legitur *cruenti hoſtis*, alibi deſideratas. *Idem.*

c *Vt ſignum ſalutis æternæ incolume perferamus.* Iiſdem penè verbis vtitur etiamnum Eccleſia in ceremoniis baptiſm. *Idem*

ORATIO CYPRIANI QVAM SVB DIE Paſſionis ſuæ dixit.

DOMINE Sancte Pater hagios, Deus hagie, & hagie Deus meus, quis enim maior te? tibi gratias & laudem refero [a] Deus Abrahæ, & Deus Iſaac & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum, Deus Apoſtolorum, & Deus Prophetarum, & Deus Martyrum, qui fuiſti ante mundi diſpoſitionem, Deus viuorum, venturus iudicare viuos & mortuos: qui es Deus verax, qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim ſedem honoris tui, & proſpicis abyſſos: qui vides cuncta priuſquam naſcantur; [b] qui habes poteſtatem occidere & rurſus reſtituere; qui habes poteſtatem de arido viride facere. Tu omnium Dominus dominator, libera me ab hoc ſæculo, & exaudi me orantem, ſicut exaudiſti filios Iſraël de terra Ægypti, & non tibi crediderunt, nec famulo tuo Moyſi. Væ peccatis meis. Cùm eleuaueris confringere terram, ſub qua fiſſura petrarum me abſconſurus ſum ab ante virtutem tuam? Cui monti dicturus ſum, cade ſuper me; & cui colli, tege me ab ante metum Domini, cùm te leuaueris confringere terram? Rogo, Domine, ſubueni mihi: noli ſecundùm actum meum me iudicare: nihil enim in præceptis tuis parui. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Ionam de ventre ceti; ſic exaudias me, & eiicias me de morte ad vitam. Sicut Niniuitæ induerunt cinerem & cilicium, & pœnitentiam egerunt [c] ante Dominum. Exomologeſin facienti ante conſpectum tuum pro vniuerſis peccatis meis, qui es amator pœnitentiæ, miſerere mei. Sed & Dauid dicit: Domine propter nomen tuum dele peccatum meum. Et ego deprecans maieſtatem tuam; dele vniuerſa peccata mea, & exaudi me orantem, ſicut audiſti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Miſaëlem: & miſiſti angelum tuum cum nimbo roris, & confuſus eſt Nabuchodonoſor præpoſitus regni: quoniam tu es Rex regnantium, & Dominus dominantium, qui ſolus habes immortalitatem, & lucem habitas inacceſſibilem, quam nemo hominum videt, nec videre poteſt. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Danielem de lacu leonum: & miſiſti Abacuc prophetam, & attulit ei prandium & dixit: Prande prandium, quod tibi miſit Deus. Et dixit Daniel: Non relinquet Dominus quærentes ſe. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Tobiam & Sarram dum orarent in atrio domus ſuæ: tunc obtulit pro eis Raphaël angelus

a *Deus Abrahæ* Præmittit idem Grauius, *Deus patrum noſtrorum*. quod vulgò poſtponitur, quantum apparet, quia ſic ferè vbique ſcriptura, ſed nobiſcum legunt M S. PAM.

b *Qui habes poteſtatem occidere.* Adijcio *occidere* cum Morelio ex M S. adiicit autem præterea Grauius, *qui habes poteſtatem mortificare, & rurſum viuificare*, ſed non placet: alioqui enim bis id repeteretur. ex ipſo tamen addidi illud, *& de viridi aridum. Idem.*

c *Ante Dominum.* Hoc rurſum ex Grauio. Omiſimus verò cum M S. paulò poſt vocabulum *&* ſuperfluum. *Idem.*

angelus orationes eorum: ſic & tu exaudias preces meas, & admittas ad aulam ſanctam tuam orationes meas, & continenter mittas angelum tuum, qui deleat vniuerſa delicta mea, ſicut delesti ſpiritum immundum à Sara filia Raguel: & illumines cor meum, ſicut illuminaſti oculos Tobiæ. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Suſannam inter manus ſeniorum, ſic me liberes ab hoc ſæculo, quia tu es amator puræ conſcientiæ. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Ezechiam regem Iudæ & delesti ab eo infirmitatem: ſic & à me auferas infirmitatem carnis, & augeas mihi ad fidem, ſicut illi auxiſti annos quindecim ad vitam. Libera me de medio ſæculi huius, [a] ſicut liberaſti Theclam de medio amphitheatro, libera me ab omni infirmitate carnis meæ. Te deprecor pater maieſtatis, qui in fine temporum miſertus es noſtri mittens nobis Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum Deum Saluatorem noſtrum, natum ex Maria virgine de Spiritus ſancto, annunciante Gabriele angelo, per quem nos liberaſti de periculo mortis imminentis. Et te deprecor filium Dei viui, [b] qui feciſti tanta mirabilia, qui in Cana Galileæ de aqua vinum feciſti, propter Iſraël; qui cœcis oculos aperuiſti; qui ſurdos audire feciſti; qui paralyticos ad ſua membra reuocaſti; qui ſoluiſti linguas blæſorum; dæmonio vexatos ſanaſti; claudos, currentes feciſti velut ceruos: mulierem de profluuio ſanguinis liberaſti; mortuos ſuſcitaſti; ſuper aquam pedibus ambulaſti; qui Petro labenti manum tradidiſti; qui mare fundaſti, & terminum ei poſuiſti, & dixiſti: Hucuſque venies, & hic te confringes in virtute tua. Te deprecor filium Dei viui propter vniuerſa commiſſa mea, qui es in cælis filius in patre & pater in te in ſempiternum, qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim [c] ſedem honoris tui. Tibi aſſiſtunt Angeli, Archangeli, numerus innumerabilis, timentes & pauentes honorem & virtutem tuam, clamantes voce magna & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Tu ipſe nobis teſtamentum feciſti: Petite, & accipietis; pulſate, & aperietur vobis. Quodcumque à patre meo petieritis in nomine meo, ego à patre peto vt accipiatis. Ego peto, vt accipiam; quæro, vt inueniam; ego pulſo, vt aperiatur mihi; ego in tuo nomine peto, vt tu à patre petas, & detur mihi. Paratus ſum propter nomen tuum victimam ſanguinis fundere, & quodcumque tormentum ſuſtinere. Tu es, Domine, auditor meus & defenſor: defende me ab aduerſario meo. Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu dixiſti; quod credentes petieritis per orationem, dabitur vobis. Omnis homo mendax, tu es verax. Sicut tu repromiſiſti, poteſtatem habes, Domine, dare mihi omne ſacramentum tuum cæleſte, vt dignus ſim faciem ſanctorum tuorum videre. Spiritus in me operetur; voluntas tua in me fiat: quoniam tibi ſpopondi omnibus diebus vitæ meæ, qui paſſus es ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, qui crucifixus deſcendiſti, & conculcaſti aculeum mortis. Deuicta eſt mors, deuictus eſt inimicus diabolus. Tu reſurrexiſti à mortuis, & apparuiſti Apoſtolis tuis, ſedes ad dexteram patris: qui venturus es iudicare viuos & mortuos. Tu dominaberis, libera me de manu quærentis animam meam. Per nomen tuum libera me ab aduerſaria poteſtate, vt opem des vincendi inimicum meum: quoniam tu es potens aſſertor & aduocatus precum, & petitionum noſtrarum animarum. Die ac nocte interpelles pro peccatis meis, orationem meam perferas ad patrem tuum. Et tu Domine ſancte pater digneris reſpicere ſuper preces meas, ſicut reſpexiſti ſuper munera Abel. Digneris me liberare ab igne & pœna perenni, & ab omni tormento quod paraſti iniquis: per bonum & benedictum Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, per quem tibi laus, honor, virtus, gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

a DE

a *Sicut liberaſti Theclam de medio amphitheatro.* Priori oratione, ignium Theclæ, hic amphitheatri meminit. Sancta enim Thecla Apoſtoli Pauli diſcipula, primùm ignes, deinde leones in amphitheatro ſolo crucis ſigno euaſit illæſa; Poſtmodum tamen Martyrium Iconii paſſa: vide Metaphraſten. PAM.

b *Qui feciſti tanta mirabilia.* Morel. quidam cod. magnalia. *Idem.*

c *Sedem honoris tui.* Ex Morel. adiecimus *Sedem, omne Sacramentum tuum cæleſte.* Hic adiicio ex MS. *tuum. Idem.*

[a] DE SINGVLARITATE CLERICORVM ORIGENIS iuxta quoſdam.

PROMISERAM quidem vobis ante tempus epiſtolam, filij chariſſimi, quæ omnium morum inſtituta de lege commendans, ſummatim omnia etiam contineret, quæcumque vniuerſis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt diſciplinæ. [b] ſed quia nunc de feminarum commoratione vulgariter inter vos quidam [c] ad ignominiam deuoluti ſunt, etiam de hac re ſpecialiter vobis, [d] Domini correptione ſcribere compulſus ſum: qui miſerum me pro veſtra negligentia

tia

a *De ſingularitate Clericorum.* Codex Foſſatenſis Cypriano tribuit. In Corbeienſi inſcribitur, Auguſtini de ſingularitate clericorum. RIG.

b *Sed quia nunc de feminarum commoratione.* Manutius & Morelius, cum Landulpho de Columna, *commemoratione.* Verum prius habet Antoninus cum vet. excuſ. & argumento libri magis conuenit. Niſi verò etiam Landulphus legeret illud *de*, ſuperfluum putarem, & omitterem cum Antonino. PAM.

c *Ad ignominiam deuoluti ſunt*; Ex vitio codicis Remboldi legebatur *ignominia*, dumtaxat quod non placeret, repoſuit Eraſmus ignominioſè, & illud legunt Antoninus & vet. exc. *Idem.*

d *Domini correptione.* Manutius & Morel. *correptionem*,

tiam cum ſeueritate corripiens, mandare præcepit, ne clerici cum feminis commorentur. Et licet hæc admonitio ſola litterarum mearum auctoritate ſufficeret, tamen ne me ſomniatorem irrideat quiſquam, ſicut Ioſeph fratres irriſerunt, ſcripturarum addimus firmitatem; vt omnes ſciant hoc etiam modo per reuelationem Dominum iubere, quod litteris cognoſcitur antè iuſſiſſe; nec nos eſſe adulterantes verbum Domini, aut volentes iactanter de reuelationibus gloriari, ſed ſic ante conſpectum Domini referendo non mentiri quod loquimur; ſicut à Domino confidimus nos non audiſſe mendacium, præſumentes vocem Apoſtoli Pauli proteſtantis: Non enim ſumus, inquit, ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate ſicut ex Deo coram ipſo in Chriſto loquimur. In dolore itaque maximo conſtituti de quibuſdam putrefactis membris corporis noſtri, & in gemitu iacturam lamentantes Eccleſiæ, quæ per ſegnitiem noſtram redigitur per dies ſingulos ad nimiam paucitatem; credimus nos ex parte aliqua ſubleuari, quod diligentiæ noſtræ negligentia quorumdam obeſſe non poſſit, quibus numquam noſtræ litteræ defuerunt, quæ per abſentiam noſtram frequentiam omnibus penſauerunt diſſimulationis ſuæ: vt vnuſquiſque contemptor [a] reum ſemetipſum conſcribat, nos autem libera fronte contemptoribus exclamemus, quòd Salomon confidenter exprobrat: Quoniam quidem vocabam, inquit, & non obaudiebatis: & extendebam verba mea, & non intendebatis, ſed irrita faciebatis mea conſilia, meis autem increpationibus non intendebatis: itaque & ego veſtræ perditioni ſuperridebo. Gratulabor ergo aduerſum vos, cùm aduenerit vobis interitus, & [b] cùm aduenerit vobis ſubitò tumultus: euerſio autem ſimul & procellæ, & cùm aduenerit vobis preſſura & expugnatio. Erit enim cum me inuocaueritis, ego autem non exaudiam vos. Quærent me mali, & non inuenient: oderunt enim ſapientiam. Verbum autem Domini non aſſumpſerunt, neque voluerunt meis conſiliis intendere. Spreuerunt enim meas correptiones: ideóque edent vix ſuæ fructus, & ſua impietate ſatiabuntur. Ad vos nunc mea exhortatio conuertitur, quos nolumus experiri talia præcipitia ruinarum. Metuite quantum poteſtis eiuſmodi caſus exitia: & in iſta ſubuerſione, labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps eſt qui tranſire contendit, vbi alium conſpexerit cecidiſſe: & vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator verò eſt ſalutis ſuæ, qui euitat alienæ mortis incurſum. Et ipſe eſt prouidus, qui ſollicitus fit cladibus cæterorum: ſicut Salomon approbat dicens: Aſtutus videns malum puniri, vehementer erudietur. Et iterùm: Cadentibus impiis iuſti vehementer terrebuntur. [c] Aduerſaria eſt confidentia, quæ periculis vitam ſuam pro certo commendat. Et lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat. Incerta victoria eſt, inter hoſtilia arma pugnare. Et impoſſibilis liberatio eſt; flammis circumdari, nec ardere, quod Salomon non negat, dicens: Quis alligabit in ſinu ſuo ignem; veſtimenta autem ſua non comburet? Aut quis ambulabit ſuper carbones ignis: pedes verò non comburet? Sic qui introierit ad vxorem proximi ſui, non erit immunis, neque omnis qui tangit eam. Credite quæſo vos, credite diuinæ fidei, [d] quinimò quam noſtræ: quia omne quidquid pollicetur non poteſt fallere, dicente Domino: Facilius eſt, inquit, cælum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere. Et iterùm: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Ipſi ergo nos fallimus, quotiens inordinaliter credimus, æſtimantes per fidem noſtram legis præcepta mutari: vt inter maſculos & feminas ſperemus paſſim caſtitatem immobilem cuſtodiri. Difficile quis venenum bibet, & viuet. Verendum eſt dormienti in ripa ne cadat, cùm dicat Apoſtolus: Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus benè timere; quàm malè fidere. Et vtilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præſumptores obiurgat Apoſtolus dicens: Si quis putat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit; ſeipſum implanat. Pro certo implanator proprius ſuam animam decipit, qui non cauendo contraria, noxiis rebus ſemetipſe commiſerit. Ille autem tutiùs ſibi conſulit, qui circa malos ſemper infidus ſpecies quaſcumque noxias extimeſcit: quorum diſtantiam Salomon diſſeruit, dicens: Sapiens timendo declinabit ab omni malo: inſipiens autem confidens ſui miſcetur iniquo. Magnum ſapientiæ diuinæ conſilium inuentum eſt, vbi timoris auxilio liberemur. Magna compendia prouidentiæ, vt aliquando fiat virtus & victoria per timorem. Magna remedia Dominus contulit ad ſalutem, vt habeat & timidus laudem, ſicut Salomon repetit, dicens: Beatus vir qui veretur omnia per metum. Inæſtimabilis Domini miſericordia, [e] quæ vnicuique homini ſuam contulit gloriam: & incomprehenſibilis pietas, quæ ſecundùm pugnas dedit & palmas: vt confitendo maſculorum

verùm prius placet obſequentia: præſertim ſi legamus cum Antonino, *corripiens*, pro, *conueniens*. PAM.

a *Reum ſemetipſum conſcribat*. Etiam hic Remboldus repoſuit *rerum* corruptiſſimè; nam illud habent vet. excuſ. Grauius & Morelius. *Idem*.

b *Cum aduenerit vobis interitus*. Nec vet. excuſ. neque Remboldus hoc habent, ſed eſt apud 70. quare rectè quoque ex coniectura Cauchii adiecimus *&*, *illi* quod ſequitur. *Idem*.

c *Aduerſaria eſt confidentia* Ita etiam ille rectiùs, quam vulg. *aduerſa*. *Idem*.

d *Quinimmo quam noſtræ*. Accipit *quinimo* pro, *potius*. nam illud *piùs*, neque habent veter excuſ. neque Remboldus, ſed primus Eraſmus addidit. *Idem*.

e *Qua vnicuique homini ſuam contulit gloriam*. Remboldus vitio operarum habebat, *ſuo*, quod quùm non quadraret, repoſuit Eraſmus, *vnd.que* pro, *vnicuique*, at prius genuinum eſt. *Idem*.

culorum ſæuitiam ſuperemus, & timendo fœminarum blandimenta vincamus; dummodo & de virtute & de infirmitate ſuper nos Dominus glorias operetur: vt in omnibus & per omnia omnipotentem ſemetipſe teſtetur, diuidens differentias triumphorum; vt tam conſiliis quàm viribus à nobis bella vincantur, ne ſi vicerimus ſolius fidei fortitudine, contra Salomonem vacua eſſent opera ſapientiæ. Nunc igitur ſapientiæ arma geſtanda, vbi fœminei & virilis ſexus certamen indicitur vnde Salomon ſic inſtruit, dicens, Prudentiam, inquit, fac notam tibi, vt te ſeruet à muliere aliena & peſſima. Videte nunc prudentiam in iſto bello, non fidem nobis datam eſſe victricem, quæ nos timiditatis remedio liberaſſet: & contemplamini quæ ſunt modò arma ſumenda, ſi vultis habere legis auxilia. Eſtote timidi, vt ſitis intrepidi: & licet timor in certamine infirmitas eſſe videatur; tamen ſecundùm verbum Apoſtoli, virtus in infirmitate perficitur. Separamini deprecor, ſeparamini contagione peſtifera. Quantumcumque fuerit vnuſquiſque longius ab aduerſis, tantùm non ſentit aduerſa. Minùs voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt, vbi frequentia eſt voluptatum. Et minùs auaritiæ moleſtias patitur, qui diuitias non videt: ſi admittimus Apoſtolum pollicentem: Qui volunt, inquit, diuites fieri, incidunt in tentationem [a] & in muſcipulas, & deſideria multa, & inutilia & noxia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Non aliter tentationibus ſubiacet, qui iunctus eſt feminæ; in qua nihil eſt aliud niſi quod feriat proximantem, aculeus peccati facta eſt forma fœminea; & mortis conditio non aliunde ſurrexit, niſi de muliebri ſubſtantia. Quod Salomon ad noſtram ſollicitudinem memorat, dicens: A muliere factum eſt initium peccati, & propter hanc omnes morimur. Inde mortales tenemur, nec timemus. Quid ſi iam immortales eſſemus? Per mulierem liberauit nos equidem Chriſtus: ſed vnde adhuc morimur formidare debemus. Tunc liberatio ipſa conſtabit in fœmina, ſi à nobis mors reuincatur, quæ per fœminam venerat. Cæterùm ſi adhuc per mulierem circa nos ſcandala dominantur, liberationis Chriſti fecimus pro certo diſpendium. Si quidem in futurum ſpes iſta libertatis manet, quem fidei noſtræ Chriſtum credimus contuliſſe: vt tunc nobis omninò mulier non noceat, cùm & ipſa mors fuerit euacuata. Nam ſi modò putamus nos intentabiles eſſe muliebribus iaculis; quid ergo reſtat cæleſtibus regnis? Non immeritò tales ſenſus Apoſtolus increpat, dicens: Iam ſatiati eſtis, iam diuites facti eſtis: ſine nobis regnatis, & vtinam regnetis. Tempus ergo luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc vſque graſſatur. Mentior, ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Epiſcopi & clerici ſimul & laïci, poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina, poſt magnalia & ſigna vel mirabilia vſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe; cùm volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delicata, quæ cùm ſit vilis & miſera, [b] de magnis efficit prædam? Quod Salomon loquitur dicens: Pretium meretricis tantum eſt vnius panis, mulier autem pretioſas animas capit. Ante nos iſta tractantur, & nullis terroribus coërcemur; quid faceremus, ſi opinionibus tantummodò geſtas hiſtorias audiremus? Sed hæc eſt ſemper incredulitas humanæ duritiæ, vt non ſolùm audiendo, ſed etiam videndo non credat alteros interiſſe, niſi & ſe ipſam viderit interire; nec ſociorum mortibus quatitur, [c] dum illos promeritos aut inualidos opinatur. Se autem multùm mereri, aut multùm valere fiducialiter putat, neſciens præberi cunctis exempla, cùm fuerint quibuſdam irrogata ſupplicia, ſicut Dominus in Euangelio proponit & dicit: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis fuerint peccatores, qui talia paſſi ſunt? Non, dico vobis niſi pœnitentiam habueritis, ſimiliter peribitis, ſicut illi ſupra quos cecidit turris in Syloa, & occidit eos. Putatis quoniam & ipſi debitores fuerunt præ omnibus hominibus habitantibus in Hieruſalem? Non, dico vobis: ſi non pœnitueritis ſimiliter peribitis. Miramur ſi Adam per Euam ſeductus eſt, quem nulla morientium exempla præceſſerant, niſi iuſſio vna conſtrinxerat; cùm modo nos nec innumerabiles mortes, nec infinita iuſſa compeſcant; Quibus conuenienter dicitur ſecundùm increpationem Domini: Si Adam vidiſſet mortes, quæ factæ in vobis; olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſet. Dico autem vobis, quoniam Adæ tolerabilius erit in die iudicij, quàm vobis. Longè ſit peſtis illa & lues, & clandeſtina pernicies. [d] O quàm inordinabilis fœminæ propinquitas iaculatur, cuius vicinia eſt delictorum latrocinium. Non eſt in hac ſocietate ſinceritas approbabilis, quæ colliſiones habet velut quibuſdam fluctibus turbulentas. In hac familiaritate non habitat amica concordia: quoniam non niſi diſcordantes inimicitias creat. Fecit equidem viro Dominus mulierem adjutricem, ſed ſerpentis inuidia perſonam ſumpſit hoſtilem. Quòd ſi illa de viro ſuo nata, vſque hodie ipſum cui iungitur, tentat: quantò magis illa quæ copulatur, nulla lege coniuncta? Et ſi illi

qui

a *Et in muſcipulas.* Omiſimus vocem *diaboli*; quod neque vet. excuſ. neque Remboldus habeant, neque alibi Cyprianus, qui tamen vbique *muſcipulam* legit. PAM.

b *De magnis efficit prædam.* Antoninus addit *eius*, pro *ſuam*, antiquus verò alter codex Morelij longè aliter legit: *de magnis tantùm & fortibus ſuam mixtam efficit prædam.* *Idem.*

c *Dum illos promeritos aut inualidos opinatur.* Non malè etiam Eraſmus, *emeritos*, niſi ſequeretur, *ſi autem multum mereri*, quare illud ex vet. exc. & Remboldo repoſuimus: *Idem.*

d *O quàm inordinabilis.* Sic etiam Antoninus: vet. excuſ. verò, & Remboldus *inordinalis*, locus obſcurus. Conijcit autem Grauius legendum, *lenocinium*, pro, *latrocinium*, ſed hoc non ſatisfacit. *Idem.*

qui duo ſunt in carne vna concreti, tentationibus mutuis inuicem pungunt, quid facient hi qui in vna carne nec nati nec iuncti ſunt ? præſertim quia nec Deum iam inuocare permittitur, qui caritate alterius auocatur ; nec ſinitur cogitare diuina, qui ſibi quæſiuit cui exhiberet domeſticam curam. Propter quod ſic Apoſtolus conſulit dicens: Volo vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quo modo placeat Deo : qui autem habet vxorem, cogitat quæ ſunt huius mundi, quo modo placeat vxori. Quid eſt nunc quod in hac coniunctione delectet, in qua ſunt ſolæ pugnæ ? aut quæ vtilitas fauet, vbi non ſunt officia coniugalia, quando nec ipſa poſſunt eſſe ſecura ? [a] Cauſale eſt omne quod fœminæ eſt ; & copulatio eius ſemper infeſta eſt. Fœdere ſuo magnas moleſtias præſtat ; & cui adhæſerit contra fas, inſanabilem ingerit plagam. De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam, quam Salomon ſic comparat dicens : De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Volo ſcire quæ ſit affectio iſta communis, quæ morbi diſſenſio ſemper ambigua, quæ propoſitum ſuum nutantibus conſiliis impugnando conturbat. Vt quid ſibi adhibuit mulierem qui ducere contempſit vxorem ? Omnis qui non manducauerit carnem ; vt quid habitationem ſuam carnis apparatibus replet ? Et qui non biberit vinum, quid [b] videndi oblectatione perfruitur ? Quaſi non aliquotiens videndo nec guſtando copia eſculentorum animus paſcitur, & vini odoriferi ſola fragrantia ſuſcitatur ſæpiùs animus. Quid per hypocriſim vult ab hominibus abſtinens dici, & in ſecreto carnibus & ebrietate diſtendi ? Habent multi diuitias quas ſuis vſibus negant, ſed pro cupiditate conſeruant ; quibus ſi nulla cupiditas inhæſiſſet, nec cupiditatis inſignia poſſiderent. At verò quia cupiditate poſſeſſi ſunt, pe fruuntur animo quod vſu non tangunt. Ita is qui deſpexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur ; quamuis nullo concubitu miſceatur, deſiderio tamen, viſu, colloquio, coniunctione ſemper oblectatur. Nam ſi deſiderium fœminæ non haberet, numquam feminam ſuis oblectamentis aſſumeret. Immò verò inſuper mihi [d] ſuſpectum placitum dedit: qui non legitimam duxit, & legitimam recuſauit : niſi fallor, in publico argumentatus eſt hominibus promittere ſanctitatem, & in occulto ſine vxore non eſſe. Duo argumenta ſanctitatis & libidinis hinc & inde miranda ſunt, quæ vtraque inuicem tegunt, & vtraque inuicem produnt. Ingenioſus eunuchus & mœchus inuidet ſibi dum conſulit, & dum quærit vtrumque, neutrum facit ; vt ſanctus minimè deputetur, qui non vera coniunctione perfruatur, cùm Paulus Apoſtolus dicat : Alligatus es vxori ? ne quæſieris ſolutionem. Solutus es ab vxore ? ne quæſieris vxorem. Sed conſentio non eſſe caſtitatis huius pudicitiam violatam: ſuſpicioſis tamen malam porrigit famam ; & pudicitiæ bonum fruſtrà intrinſecus laborioſo agone cuſtodit ; [e] qui illud forinſecus efficit infamari, deſtruens magiſterium Pauli prouidentis pariter & monentis : Vt quid, inquit, libertas mea iudicatur ab infideli conſcientia? Si ergo gratiæ participo, vt quid blaſphemor pro eo quod gratias ago ? Peius eſt quam mœchia, continentiam ducere criminoſam, & infamem facere ſanctimoniam. [f] *Blaſphemiam* ingerit religioni quam colit, qui quod confitetur, non ante omnes impleuerit ; ne Chriſtianitas credatur eſſe fallacia, & mœchatio videatur eſſe ſanctitatis velamento veſtita. Propter quod Dominus in Euangelio ſic præmonet, dicens : Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona, magnificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Hoc ſequitur & Paulus Apoſtolus dicens : Non ergo blaſphemetur bonum veſtrum. Et iterùm: Prouidentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Et alio loco : Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et eſtote ſine ſcandalo Iudæis, & Græcis, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo. Sed opponitur forſitan, quid eſt quod ipſe iterùm dixerit ? Si hominibus placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem. Numquam ſe quæcumque dicta legis excludunt, ſed certis locis reſponſa vniuerſa defixa ſunt. Illic placere hominibus non licet, vbi voluntas hominum non capit Domini voluntatem. Vbi verò acceptant homines, quod ad gloriam proficit Dei, innoteſcere omnibus ipſe Paulus Apoſtolus præcepit. Vnuſquiſque inquit, noſtrûm, proximo ſuo placeat ad bonam ædificationem. Quale ergo præmium ſanctitatis expectat, qui non ſolùm blaſphemiam ſanctitatis ab infidelibus prouocat, ſed etiam fidelibus pernicioſum præbet exemplar ; vt infirmi ſub prætextu dilectionis ſubtiliter fornicentur, & pudicus impudiciſſimæ caſtitatis præbeat magiſterium, deſtruens quod Paulus Apoſtolus comminatur : Periit, inquit, frater infirmus in tua conſcientia, propter quem Chriſtus paſſus eſt ? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Et quidem non hoc iuuenibus tantùm, ſed & ſenibus congruit, fratrum imbecillitati conſulere ;

a *Cauſale eſt omne quod fœmina eſt.* Eraſmus *Caſuale*, at illud habet vet. exc. & Remboldus. Alludere videtur ad illud:
Semper habet lites, alternaque iurgia lectus. PAM.

b *Videndi oblectatione perfruitur.* Sic lego cum vet. exc. pro, *vini*. neutrum habet Remboldus. *Idem.*

c *Omnis qui non manducauerit carnem.* Videntur ea ætate clerici à carnibus & vino abſtinuiſſe. *Idem.*

d *Suſpectum placitum. Placitum* pro *decretum*. Solus enim Manut. *placidum. Idem.*

e *Qui illud forinſecus efficit infamari.* Ita ex Antonino, & quodam Morelij cod. pro, *quod forinſecus*, legit etiam ille codex *permittit*, pro, *efficit*.

f *Blaſphemiam ingerit religioni quam colit.* Sic optimè quidam Morelij codex, pro, *contulit. Idem.*

conſulere ; ne ſenectus perire prouocet iuuentutem, ex qua debent omnia ſalutaria documenta procedere : ſicut Eleazarus in libro Machabæorum profitetur & dicit : Præmitti malo in infernum, quàm patrias leges deſerere. Non enim ætatem noſtram dignum eſt fingere; vt multi adoleſcentium arbitrati Eleazarum nonaginta annorum, tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum & corruptibile tempus vitæ, per me ſeducantur, & odium ac maculam ſenectuti meæ acquiram. Ille maluit vitam ſuam tormentis obiicere, quàm cuiquam magiſter perditionis exiſtere : & nos vbi nulla tormenta ſunt, fluxibus ſolis, nolumus ſaluandos fratres anteponere : nec contenti ſumus ſine vllis cruciatibus tam nobis prodeſſe quàm cæteris, cùm ille noluit viuere moriturus: ſicut inferiùs proſecutus eſt dicens : Quamobrem fortiter vita excedens, [a] ſenectute dignus apparebo, adoleſcentibus quidem exemplum forte relinquam, vt prompto animo ac fortiter pro grauibus & ſanctis legibus honeſtæ morti ſuccedant. Cùm hoc etiam laicos deceat, ne aut extraneis occaſionem blaſphemandi, aut fraternitati opportunitatem fornicationis opponant; tum maximè clericos vehementer neceſſitas iſta conſtringit ; quibus áut religio blaſphemata, aut fraternitas perdita pœnas duplices irrogabit. Nec inuenient in iudicio Domini vllum omninò ſolatium, qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem miniſtrarunt. Propter quod ſic Paulus Apoſtolus Titum inſtruit dicens : Te ipſum bonorum factorum præbens exemplum in doctrina, in integritate, in grauitate, in verbo ſano atque irreprehenſibili : vt aduerſarius reuereatur, nihil habens de nobis dicere mali. Et iterùm : Omnibus, inquit, finem bonam oſtende, vt bonam doctrinam Saluatoris Domini noſtri præferant in omnibus. Sic & ad Timotheum ſcribit, dicens : Forma eſto fidelibus in ſermone, in conuerſatione, in caritate, in fide, in caſtitate. Quod & Petrus Apoſtolus hortatur dicens : Conuerſatio, inquit, veſtra in gentibus bona ſit, vt in eo quod detrahunt de vobis tamquam de malefactoribus, de bonis operibus veſtris glorificent Deum. Et iterùm : Quoniam ſic eſt, inquit, voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis ſtultorum hominum ignorantiam. Nec quiſquam ſibi proponat & dicat, habere volo quod vincam : hoc eſt enim dicere, viuere deſidero ſub ruina. Quis tam ſtultus qui artari cupiat ad laborem, cui offertur delicatus triumphus ? neque enim duplex triumphus eſt ſub fœminæ præſentia probari victorem, quàm eſt in ſingularitate ſeruare integram ſponſionem ſanctimoniæ. Et cùm ſit vnus titulus gloriarum ; hoc loco vnus fortis eſt, qui ſatis laborat : & cum illo qui parum laborando vicerit, pariter muneratur. Quid quod ille [b] quinimmò conſummatus adſcribitur, qui ſe omni tempore fœmineis affectibus oſtentat abſciſſum ? Quia eum Dominus in Euangelio perfectum vocat, qui totum ſuis vſibus amputauerit patrimonium. [c] Certè etiam ſoli cuicumque, quotidiani triumphi pro caſtitate non deſunt ; quia numquam deſideriis carnalibus ſpiritum ceſſat infeſtare corpus humanum, quod Apoſtolus affirmat dicens : Caro, inquit, concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem : hæc enim inuicem aduerſantur ſibi, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Habes nunc carnem tuam, quam ſuperes ſemper : Quid tibi vis alteram vel conducere ? Nemo ſuper vnam febrem cupit adhibere peiorem ; ne incipiat [d] hemitritæo inſanabili laborare, cui nullus valeat medicus ſubuenire. Neque aliquis ſuper onus proprium tollit inſuper alienum ; ne oneribus duobus oppreſſus, vſque ad inferos demergatur. Vnde ſic Hieremias propheta docet ſanctitatis pondus ſingulariter ſuſtinendum. Bonum eſt, inquit, viro cùm portauerit iugum graue in iuuentute ſua ; ſedebit ſingulariter & ſilebit, quoniam tulit ſuper ſe iugum graue. [e] Sed quiſquam malignus obſecutor ad dictum Apoſtoli Pauli confugiet dicentis : Onera veſtra ſuſtinete inuicem, & ſic implebitis legem Chriſti : Non hæc ſunt onera, quæ Paulus Apoſtolus imperat ſubuehenda ; ſed vt tolerantes noſmetipſos diſcordia nulla diſcernat ; & in tentationibus conſtitutis fratribus præbeamus auxilia : non vt ipſi nobis tentamenta per fœminas procuremus, ſed vt tentamentorum magis pondera ſubleuemus ; cùm ſciat quale ſit ſanctitatis iugum, quod vix ſingulare portetur. De quo non ſolùm ipſe, ſed & Dominus noluit certum definire præceptum dicens : Non omnes capiunt verbum iſtud ſed quibus datum eſt : Et iterùm : Qui poteſt capere, capiat. Si ergo difficile ſingulariter magnitudo iſtius ponderis toleratur quo modo tolerabitur, ſi geminatis ponderibus prægrauetur ? Et ſi ſingulares pænè omnes vix durant carnales inſidias ſuſtinere : quid faciunt illi, qui ex vtroque latere gladiis impendentibus non cunctantur incumbere ? Plus dico. Si mariti & vxores deſideria coniugalia quotidie gerentes, ſibi non ſufficiunt ; quid agunt illi qui ad augendas impugnationes fœminis ſociantur ? [f] Ex improuiſo vel tranſeunter ad horam fœmineus aſpectus occurrens velut ſagittas alienis oculis iactat. Quando libera non eſt ſimplex reuerentia; quid

a *Senectute quidem dignus.* Adiicimus *quidem*, ex vet. cod. Nam legitur in Machabæis. PAM.

b *Quinimò conſummatus.* Prorſus ſic lego cum Morelio pro, *qui minime*, Quia ſuprà hanc vocem habuimus eadem ſignificatione, & conſentiunt vet. exc. cod. & Remboldus *Idem.*

c *Certè etiam ſoli cuicumque.* Adiicio ex iiſdem *ſoli. Idem.*

d *Hemetritæo inſanabili laborare.* Hemetritæus febris eſt iuxta Remboldum, tertiana vna & dimidia. *Idem.*

e *Sed quiſquam.* Omiſimus voculam *ſi* interiectam iuxta cod. vet & Remboldum. *Idem.*

f *Ex improuiſo vel tranſeunter.* Antoninus *in tranſitu*, ſed illud bis ter ve infra repetitur. *Idem.*

quid illic geritur vbi libertatis ſumit mulier in contubernalitate conſtantiam? quando in domeſticis negotiis nunc lacertos ac femora lanificis operibus nudat, nunc æſtuans detegit membra, nunc fatigata iactatur, [a] aut in vſu aliquando diſſoluitur; nunc blanditias exhibet, & quod eſt venenoſius ſuper cuncta pſallere delectatur, aut canere? Cuius cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem. Contra quam Salomon ſic nos cautos efficit dicens: Cum ſaltatrice noli aſſiduus eſſe, nec audias illam, ne forte diſpereas in efficacia eius. Taceo reliqua, quæ magis pudenda ſunt quàm dicenda: ſolum hoc dico, in dolore vel in ira mulierem frangi conſpicere, iam non eſt ſine mulcedine Quid dicimus ſi videas iucundantem, aut quod eſt deterius blandientem? Semel dixerim, omnis inconueniens ſodalitas mulierum, gluten eſt delictorum, & viſcum toxicatum, quo diabolus aucupatur. Incongrua eſt ſodalitas feminarum: quarum ſodalitatem ita nos rurſum Salomon docet in omnibus præcauere. Cum aliena, inquit, muliere ne ſedeas omninò, & ne alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem. Poſtremò ſi animum noſtrum confidimus in hac communitate durare ſemper, vel illud apud nos debet eſſe ſuſpectum; ne ipſæ quæ nobiſcum conueniunt, in nos ipſos forſitan moueantur, aut in alteros amores præ rapida ætate incitamentis furialibus ſtimulentur, & erit nobis cauſa quod peius eſt ſine cauſa, vt fornicatio nos maculet aliena, apud quos ſuggeritur cæteris occaſio lupanaris; & crimine alieni reatus abſorbebimur, cui nos ipſi ſubornamus immunditiæ lenocinium. Propter quod Apoſtolus Paulus de ſimilibus ita nos inſtruit dicens: Si propter eſcam frater tuus ſcandalizatur, iam non in caritate ambulas. Noli eſca tua illum perdere, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Et iterùm: Bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinum, [b] neque oſtendere in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Et alio loco: Hoc, inquit, iudicare magis, ne ponatis offendiculum aut ſcandalum fratri. Et de ſemetipſo ſic ait: Propter quod ſi cibus ſcandalizat fratrem meum, iam non manducabo carnem in æternum, ne fratrem ſcandalizem. Cùm ergo nos pulſat coniunctionis huius moleſtia deteſtabilis; & ſi adulteros non poteſt facere, facit tamen peiores adulteris & inceſtis. Quis enim cordis alterius ſcrutator qualitatem vniuſcuiuſque perpendat; & pro altera perſona contra ſatanam repugnator, circa Deum verò idoneus fideiuſſor eſſe præſumat? De ſemetipſo demens eſt, qui aliquid pollicetur, ne dicam ſi etiam pro femina ſponſionem ponere videatur; cum Paulus Apoſtolus ſic de ſe pronunciet dicens: Non quia iam accepi, aut iam iuſtificatus ſum, aut iam perfectus ſum: ſequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto. Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe: vnum tamen, poſteriora quidem obliuiſcens, ad ea quæ ſunt ante pedes, ad regulam ſequor, ad palmam ſupernæ vocationis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Mihi, inquit, pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico, qui autem iudicat me, Dominus eſt. Et alio loco: Beatus, inquit, qui non iudicat ſemetipſum, in quo probat alium. Quamuis ergo nos nec de noſtra ſtabilitate certum aliquid habeamus, qui ſine ceſſatione concutimur, inter fluctus ſeculi ſuſtinentes procelloſos incurſus: tamen ſi alicui tanta fiducia eſt de immobilitate propriæ firmitatis; ſaltem ſollicitus reformidet, ne ipſe ſit ſcandalum viſibus alienis, ſed terreatur voce Domini comminantis: Væ, inquit, huic mundo ab ſcandalis: verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. Si has Domini comminationes religioſo corde metuimus & veremur, plus de aliis quàm de nobis extimeſcamus periculum noſtrum, qui mutuis ([c] ab Apoſtolo Paulo) vtilitatibus obligamur: Non quæ ſua ſunt, inquit, ſinguli cogitantes, ſed quæ aliorum. Et iterùm: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Sed aliquis arripiens de ipſo Paulo quod opponat: Vnuſquiſque, inquit, veſtrûm pro ſe rationem reddet Deo: & vnuſquiſque ſuam ſarcinam portabit. Qui non vult ergo pro altero reddere rationem, nec cauſis eius, nec negotiis debet particeps illicitus intereſſe: & qui liber vel immunis circa ſarcinas alienas conatur exiſtere, nihil alienum contraria conditione teneat infra ſe. Nam neceſſe eſt vt rationi alterius ſubiiciatur, qui negotium tractauerit alienum. Oportet eum damno perſtringi vel diſpendio ſarcinarum, apud quem ſub intuta cuſtodia fratris ſarcinæ perierunt; quia quidquid in domo noſtra ſub minus idonea tutela perditum fuerit, aut latrones effugerint, noſtrum eſt, & à nobis exigetur quidquid per inertiam noſtram malè commiſſum cuſtoditur. Tunc verò ab inuicem liberi ſumus, ſi nihil apud nos de re alterius reſeruetur. Forſitan aliquis dicat: Ergo nec ad domum orationis debemus pariter conuenire, ne aliquis aliquem ſcandalizet. Hæreticæ profeſſionis eſt iſta contradictio calumnioſa, quæ de bonis præſcribit, vt afferat mala; & de ſanctitate præiudicat, vt immunditiam ſubtiliter introducat; de licito calumnias facit, vt obtinere illicitum poſſit propter quod Apoſtolus Paulus hæreſi huic antè præſcribit dicens: Verumtamen neque mulier ſine viro, neque vir ſine muliere in Domino. Abſit, abſit, vt vbique feminæ præſcribantur, aut vbique permiſſio tribuatur. Habent

a *Aut in vſu aliquando diſſoluitur.* Remboldus legebat *in riſu*, pro quo Eraſmus rectiùs *in riſum*: ſed illud habet vet. exc. PAM.

b *Neque oſtendere.* Non eſt iſtud hodiè apud Apoſtolum. *Idem.*

c *Ab Apoſtolo Paulo.* Eraſmus *teſtante Apoſtolo*, ad illud arridet quia eſt in vet. cod. *Idem.*

Habent loca ſua circa maritum, circa filios, circa fratres, circa parentes, circa ſeruos; & in domo orationis tantummodo iuxta cunctos clericos. In manſione autem vna, ſine cognatione competenter non habent ſocios. Hæc eſt libera quæ ſtat. Stare verò non poteſt quidquid inclinauerit libera, dicente ſcriptura: Non declinabis in dexteram, neque in ſiniſtram. Et Dominus in euangelio: Quod amplius eſt, à malo eſt. Diſce nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris exceſſum. Ama feminas inter ſacra ſolemnia, & odio habe in communione priuata; ſi vis Salomonis tenere doctrinam: Tempus, inquit, amandi, & tempus odiendi. Tunc ergo cauenda ſunt feminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua vnanimiter frequentia: quoniam inter curas ſuas caro ſemper incitamenta cupidinis prouocat; & illic parit fomenta peccandi, vbi pertractans commoda ſua temporalis vitæ cogitationibus ſenſerit paululum relaxari; ſicut Salomon aſſerit dicens: Deprimit terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem. a In conuentu verò ſacrorum, vbi ſpiritus dominatur, ancilla ſemetipſam cognoſcens, perdit ſuæ voluptatis vſum; perdit & luxum dum tractantur cæleſtia, dum celebrantur ſancta myſteria; tota humanitas occupatur, vbi non humana, ſed diuina ſunt omnia: vbi veneratio vel tremor & terror incutitur; animis vniuerſis ſepulta eſt perfecta ſubſtantia carnalis. Inter ipſa ferè carnis mercimonia multi voluptatem corporis negligunt, ſcilicet quando à legionibus exercitia meditantur armorum, aut crepat litibus forum, aut reſonant litteris auditoria, aut negotiatores commerciis inſtanter incumbunt, aut artifices in artificia ipſa propenſi ſunt: quantò magis vbi non carnale opus hominum, ſed ſpiritale geritur angelorum? Nihil illic impugnationes poſſunt, vbi & ipſi dæmones cedunt; & nulla ſexus alicuius permittitur conſiderari diſtantia, vbi nec ætas, nec dignitas, ſed ſola æqualitas regnat: atque vt pleniùs dicam, omnes illic tales ſenſus accipiunt; & vt ipſa coniugalitas ignoretur, vbi Chriſtus loquitur, auditur, attenditur, & per omnia & in omnibus ſolus eſt totum, teſtante Apoſtolo & dicente: Vbi non eſt, inquit, Iudæus & Græcus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, maſculus & femina, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Hunc planè conuentum gloria eſt celebrare cum feminis, in quo nulla eſt diſcretio qualitatis, vbi tantum licet omnes æquare ſine aliqua differentia: vt nec in ipſo baptiſmate cuiuſquam nuditas erubeſcat, vbi Adæ & Euæ renouatur infantia; nec exponit, ſed potius accipit tunicam. Quod ſi & illic ſit aliquis diabolo peior, qui feminarum aſpectibus feriatur; de nullo tamen congregatio veſtra culpatur, quæ propter cæleſtia, non propter terrena colligitur. Verumtamen ſi quis illic luxurioſis obtutibus fuerit, nullo modo alterum lædit, qui non ad hominem, ſed ad Chriſtum pro ſalute proceſſit. Quinetiam de ſuis contradictionibus contradictores excludam, vt non meis, ſed ſuis propoſitionibus cedant. Si inter feſta ſancta poteſt communis conuentio ſcandalizari, vbi tentator ipſe diabolus tremit; quis illic ſtabilem ſe eſſe promittit, vbi tentator audenter occurrit? & ſi illic periclitamur, vbi Dei præcepta nos congregant, quid agimus vbi Dei iuſſa nos ſeparant? & ſi turbamur illic, vbi Dei voluntate munimur; quantò magis vbi non ſolùm diabolum, ſed etiam Dominum habemus aduerſum? Cum ſacroſanctis enim iuſſis nobis diuina protectio miniſtratur, ſicut Eſaïas ait: Legem, inquit, in adiutorium dedit; ſine iuſſionibus verò diuinis nullum poteſt eſſe præſidium. Aliud eſt quod Deus imperat facere, & aliud voluntati eius obſiſtere. cuius ita ſunt mandata ſeruanda, vt ſi aliquid iuſſerit quod ſecundùm homines iniuſtum eſſe videatur, iuſtum credatur & fiat; & ſi iuſtum iuſſerit, iuſtum reputetur & fiat: b cum ſine iuſtitia non poteſt eſſe quod mandat, qui potens eſt iniuſtitiam iuſtificando vocare iuſtitiam, & iuſtitiam reprobando iniuſtitiam probare tranſuerſam, cuius voluntas eſt ſola & vera iniuſtitia. ſi enim totum quod gerimus, ad hoc tantummodò gerimus, vt Domino placeamus; profectò hoc ſolum erit iuſtum quidquid voluerit, & iuſſerit, & probauerit Deus cui placere geſtimus. Nam cum ſerui non poſſint à ſemetipſis ſcire quid ſuis dominis placeat niſi dominorum ſequantur imperia; & vtique homines hominum ſimilium ſibi non valeant voluntates agnoſcere, niſi acceperint quod obſeruent: multò magis mortales neſciunt immortatalis Dei iuſtitiam comprehendere, niſi ipſe iuſtitiarum ſuarum dignetur indicia demonſtrare, ſicut Salomon approbat dicens: Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? c Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore: quæ in cælis autem ſunt, quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſcit, niſi tu dederis ei ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum de altiſſimis? Et ſi correctæ ſunt ſemitæ eorum qui in terra ſunt: & quæ tibi placent, didicerint homines, & per ſapientiam ſanati ſunt

a *In conuentu verò Sacrorum &c.* Pulcher locus pro Sacris eccleſiæ; quippè vbi dicit tractari cæleſtia, celebrari ſancta myſteria, opus ſpiritale angelorum geri, ea Dei præcepta nos congregare & colligere. PAM.

b *Cum ſine iuſtitia non poteſt eſſe.* Phraſis eſt auctoris. Vetus excuſ. & Remboldus legunt *ſine victoria.* Sed non placet. *Idem.*

c *Cogitationes enim mortalium.* Rectè ſic Grauius & Morelius, pro eo quod alii *cogitationes immortalium.* Nam ſic habet liber Sapientiæ, quam Salomonis titulo citat, quomodo & paulò poſt librum Eccleſiaſtici. *Idem.*

a Vt

ſunt; ambulantes in tenebris ſibimetipſis lumen non poſſunt oſtendere, niſi vltroneum ſeipſum non videntibus offerat lumen. Ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam niſi ipſe lucernam legis oſtendat. Vnde Dauid ſic loquitur dicens: Lucerna eſt, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lux ſemitis meis. Et iterùm: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Hoc eſt ergo luciferum quodcumque fuerit à Deo intimatum: & hoc Deo dignum, quod ipſe Deus voluntati ſuæ fatetur acceptum, vt exerceat per omnia dominatum. Alioqui nec nos ſerui adſcriberemur, nec ipſe Dominus haberetur; ſi ſecundùm voluntatem noſtram permitteremur impendere ſeruitutem, & arbitrio noſtro non Dei eligeremus exercitamenta iuſtitiæ. Tales Paulus Apoſtolus vanificat dicens: Ignorantes, inquit, Dei iuſtitiam, & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: Tollantur nunc è medio ambages iſtæ tam vanæ, & querimoniæ inaniter calumnioſæ. Ad ſpiritales actus cum fœminis, Deo iuuante, non metuimus adunari, qui per Dei iuſſionem iuſtitiam nos credimus operari, ex qua nobis ſcimus munimenta ſupponi. Priuatim verò, continentibus quàm plurimum clericis & virginibus, hoſpitia ſeparanda ſunt: quia quod Deus iniquum iudicat, iuſtum eſſe non poteſt. Contubernium tamen etſi nulla in ipſo contubernio turpis conſuetudo noſcatur, accendit: quia impoſſibile eſt integritatem ad victoriam peruenire, quæ contendit contra Dei iuſſa pugnare. Quantum enim lex obedientibus ſuggerit adiutorium, tantum inobedientibus incitat peccatum, dicente Apoſtolo: Virtus, inquit, peccati lex. Qui nos ergo iuſſit vt in ſacris ſuis cum fœminis triumphemus, ipſe iubet vt priuatim pugnas fœmineas caueamus. Sunt equidem neceſſitates aliæ, quæ nos quoque priuatim fœminas videre compellant, ſed etiam ipſæ diuini operis vel præcepti imperant efficaciam, vt viſitemus, vt ſolatia præbeamus, vt hortamenta vitalia ſalubriter intimemus: nec tamen & in his officiis minor cura agenda eſt pro moribus noſtris, vt clareſcant in noſtra operatione indicia puritatis. Seueritas non deſit, quæ ſub clerico fœminam poſſit aſtringere, [a] vt ipſam conſolationem noſtram ſuſcipiat cum tremore, & ita ſentiat viſitationis affectum, vt clericum veneretur. Ac ne tardius ſit euagari per ſingula totum quidquid agimus, honeſtum eſſe poteſt; ſi ſemper in nobis ſigna honeſtatis eluceant: ſicut Paulus Apoſtolus vniuerſa complexus eſt dicens. Omnia veſtra honeſtè fiant. Et iterùm: Sicut præcepimus, inquit, vobis, vt honeſtè ambuletis. Non benè ſuccedit quidquid agitur paſſim: & ſanctum non eſt quod geritur ſanctum, niſi ſanctè quod ſanctum eſt peragatur, ſicut Salomon aſſerit dicens: Qui enim cuſtodierint iuſtè iuſta, iuſtificabuntur. Sinceriter ergo ſinceritas ipſa ſeruanda eſt; [b] & omne quod voti eſt, etiam in actu ſignandum, ne aliud vota commendent, & aliud actus inſinuent. Vndique probanda eſt inſtitutio voluntatis, & vndique conſummandus eſt curſus vniuſcuiuſque certaminis; ne minus ſit aliquid ad triumphum, ſi non pleniùs dimicetur. Hinc Paulus Apoſtolus introducit documenta certaminum: Sed & qui in agone, inquit, certat, non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Et iterùm: Neſcitis, inquit, quoniam qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. ſic currite, vt comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam. Plenitudo eſt ergo ſanctitatis, [c] & palma perfecta, vt ex omni parte ſecum non habeat quod recuſet; ne quod profitetur odiſſe, tenendo videatur amare. Quod ſi aliquis dicit: Captiuum teneo aduerſarium meum, cui ſemper inſultem, videat ne fortè aduerſus eum captiuus incipiat præualere. Numquam ſecurus cum theſauro latro tenetur incluſus: nec intra vnam caueam habitans cum lupo tutus eſt agnus. [d] Ipſe ſe voluit ſuperari, qui hoſtem proprium in ſuas portas induxit; & inteſtinum gladium ſibi ipſe ſuppoſuit; qui locum habitationis ſuæ aduerſarij ingreſſibus reſerauit: & qui fretus eſt conuerſari cum ſcandalo, [e] ſine cauſa dicit: pacatus eſſe volo cum diabolo; contra Apoſtolum dicentem: Nolite locum dare diabolo. Omni ergo muniendus eſt locus, vbi fuerit theſaurus abſconditus, ne per vnam cauernam totum parietem latro ſuffodiat. Nam ſi deforis expugnans vix murus expellitur, quantum valebit ſi intra muros acceperit habitaculum? & ſi illi qui contra eum claudunt, aliquotiens ab eodem capiuntur; quantò magis ille, qui vltroneus illi patefecerit ingreſſum, decipitur? cùm dicat Salomon: Si iuſtus vix ſaluus fit, iniuſtus vbi parebit? Omnes ergo rimæ, ne dicam portæ, claudendæ ſunt, nè per vnum foramen caſtra omnia penetrentur: & vniuerſa componenda ſunt munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat, ſicut Salomon repetit dicens. [e] Qui ſpernit modica, paulatim cadet. [f] Sic ſtudeo autem huius peruerſitatis arbitrium, vt à clericis ad communitatem fœmina magis quàm maſculus eligatur. Numquid tantùm mulier vtilior eſt commodis clerici, quantùm prodeſt maſculus continens, vel puer maſculo continenti? aut ipſa erit decens vtilitas, quam

a *Vt ipſam conſolationem noſtram ſuſcipiat.* Vetus excuſus ac Remboldus, & hoc & ſequentia plurali numero legunt, ſed præcedit *fœminam.* PAM.

b *Et omne quod voti eſt.* Confirmatur hinc votum tacitum caſtitatis, adnexum cœlibatui clericorum, de quo paulò poſt apertiùs. *Idem.*

c *Et palma perfecta.* Hinc apparet antè etiam legi debere: *vnus accipit palmam.* ſicut vbique legit Cyprianus: *Idem.*

d *Ipſe ſe voluit ſuperari.* Vet. exc. & Remboldus *penetrari.* *Idem.*

e *Sine cauſa dicit.* Vet. exc. *non dicit*: ſed prius placet. *Idem.*

f *Qui ſpernit modica, paulatim cadet.* Eraſmus, malè, *e dit,* nam prius habet Eccleſiaſticus. *Idem.*

f *Sic ſtudeo autem,* &c. Hoc Eraſmo placet pro eo quod erat, *arbitrio,* *Idem.*

quam indecens communitas facit ? & vbi erit quod Salomon ait : Omne animal diligit ſimile ſibi ? Et iterùm : Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt. Sed & ſi fœmina vtilior exiſtimatur, non oportebat carnalia emolumenta præponere vtilitatibus ſpiritalium commodorum : & expediebat qualemcumque virum inutilem ſuſtinere pro exiſtimatione munienda, [a] quàm bonos effectus mulieris cum exiſtimatione turpiſſima. Quod Salomon comparat dicens : Melior eſt, inquit, iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Artificialia ſunt itaque ſemper diaboli veneficia, quibus ingenium ſuæ calliditatis exercens, ſanctimoniæ deditos doloſis commoditatibus iuuat vt perdat : & inter continentes quaſi neceſſaria emolumenta mutuis adiuuaminibus ſubminiſtrans, [b] agit prius maſculum & fœminam pariter conuerſari; vt poſtquam inſeparabiles fecerit per alterutra ſolatia, poſſit occidere dantes ſimplices animos ad caſtitatis vota ſeruanda : & impugnationis ſuæ arma ſubducens interim, quaſi placidus fautor ſuggerit ſanctitatis argumenta, donec diutiùs inter ambos inimicam nutriat concordiam. Facit affabiles ſibi inuicem & deſeruire, & aſſentator infeſtus impedimenta remouens vniuerſa, commodis eorum gaudet efficaciam commodare ; vt tota eos ſibimetipſis neceſſitate commendans, exhibere eos poſſit in alterutrum ſolita conſolatione pendere. Non vult eos in aliquo impedire, ne ſeparet tam ſpiritaliter quàm carnaliter. Inconcuſſos efficit viuere, ne ipſa ſocietatis initia immaturo tempore fœdera cœpta conturbent. vſque adeò illos videntibus cunctis ad perfectum ſanctitatis inuitat, fouet, ſubleuat : vt Dei eſſe computent beneficia ipſa contraria, quibus inducuntur vt pereant ; neſcientes numquam Deum iuuare quod vetat. Quibus in tantum diabolus blandiens ſecuritatem præparat ſanctimoniæ, vt coniunctos ſe magis æſtiment quàm diſiunctos, immobiles circa libidinem perdurare : quos cum omni tranquillitate deducens, nullis procellis aut fluctibus inquietat ; & velut in medio mari minus cautos inducit relaxare vela, nec quærere gubernacula, vt ſubita tempeſtate concitatos, naufragos ex inſperata commotione ſubmergat. Hanc primò exhibet lenitatem, vt duas naues oblectet adinuicem conuenire ; quas cum fecerit iunctas, repentinis turbinibus [c] in ſemetipſas elidere poſſit & frangere : & his vtitur blandimentis, vt ſubtractis omnibus iaculis compeſcens aduerſa, ſuggerens proſpera, tam diu ſopitum [d] ignem ſine vllis flammis occultet, donec duas faculas iungens, ſimul ambas accendat : & tamdiu ceſſat ſæuitiæ ſuæ tela ſupponere, donec ſicut peritus venator quos occiſurus eſt, laquei ſui vinculis alliget. at vbi indiſſolubili catena deuinctos adſtrinxerit ; velut laniſta protinus duos gladiatores aduerſus inuicem compellit armari ; & ſubinde ſtimulans membra, ſtatim gladios aptat, ſtatim ſuccendit inſaniam, & vulnificos amplexus impingens, vtrumque ſimul vno ictu mortificat. Sic explicat quod antè præſtare videtur, ſic de ſimplici caritate amorem conflat illicitum, ſic per ſanctitatem ſibi inducit interitum ; dum contentus eſt cedere, ſic valet fortius occupare ; [e] & dum ſummiſſus patitur ſemetipſum præbere deuictum, ſic pleniùs deuincere gloriatur. cuius verſutias Paulus Apoſtolus ſic intelligit dicens : Non enim ignoramus, inquit, aſtutias eius. Malè itaque in hac participatione pacati ſunt, qui ad bella pacificante diabolo perducuntur, & non benè in ſanctitate proficiunt, quibus ad detrimentum profectus ipſe inimici artificio ſubornatur ; nec recto curſu moliuntur continentiæ ſcalas aſcendere, quos vt de alto præcipitet, elaborat ad culmen aduerſarius protelare. Sed neceſſe eſt caducis lapſibus elidantur, qui viam lubricam tenuerunt, de qua Salomon ſic prædicat dicens: Eſt via quæ videtur apud homines recta eſſe, nouiſſima autem eius veniunt in profundum inferorum. Sed aiunt : Si de hac coniunctione clerici denotantur, notandi ſunt etiam ſancti plerique nobiſcum. Sicut Helias, qui manſit apud viduam : ſiue Apoſtoli, qui mulieres ſecum comites circumducebant : vt Ioannes, qui matrem Domini aſſumpſit, eodem Domino delegante ; aut ipſe Dominus, cui de ſuis facultatibus alimenta præſtabant aliquæ mulieres religioſæ, cui etiam Martha miniſtrabat ad menſam, & qui ſingulariter locutus eſt ad puteum ſedens cum alienigena muliere Samaritana, vel cui recumbenti fœmina lachrymis pedes lauit, & capillis exterſit. Callidi argumentatores & iuriſperiti fallaces : qui dum cupiunt præuaricari [f] controuerſias actioneſque cauſarum, etiam ipſa iura tranſuertunt ; & cùm nolunt competentibus coërceri iuſſionibus legum, ad illudendos iudices inconuenientibus exemplis velut ſimiles coniecturas iuris obiiciunt : qui per Salomonem ipſius legis ſagacitate produntur : Peccator, inquit, homo euitat correptionem, & ad voluntatem ſuam inuenit comparationem. Tales ergo non per orationem, [g] ſed per correctionem potiùs reuincendi ſunt, vt non antè interpretatis orationibus inſtruantur, quàm admiſerint quod ad defenſionis ſolatium repererunt ; ſicut nos aduerſus huiuſmodi homines Salomon edocet dicens : Noli, inquit, reſpondere inſipienti ad ipſius inſipientiam, ne ſimilis fias illi, ſed

reſponde

a *Quam bonos effectus mulieris.* Eraſmus *affectus*, minus rectè. PAM.

b *Agit prius maſculum & fœminam*, &c. Remboldus omiſerat conuerſari, & Eraſmus legebat *adiicit*, illud verò habet vet. exc. *Idem.*

c *In ſemetipſas elidere.* Cenſeo legendum *illidere. Idem.*

d *Ignem ſine vllis flammis occultet.* Rectè ſic Morellus & Grauius cum vet. exc. & Remboldus pro eo quod alij *occultat. Idem.*

e *Et dum ſummiſſus.* Adiicio *dum*. & vet. exc. *Idem.*

f *Controuerſias, actioneſque cauſarum.* Gennina quoque eſt hæc lectio, & Remboldus pro eo quod repoſuit Eraſmus: *controuerſas actiones, quæ cauſarum. Idem.*

g *Sed per correctionem.* Placet & iſta pro *correptionem. Idem.*

reſponde inſipienti contra ipſius inſipientiam, vt non videatur ſibi ſapiens eſſe. Re vera magni homines qui ſe comparant ſanctis, & eximia conuerſatio noſtra, quæ prophetis vel Apoſtolis videatur æqualis. Ad occaſionem luxuriæ noſtræ in peruerſum ſanctos volumus imitari; [a] & in cæteros actus veſtigia iuſtorum nolumus ſequi. In quibuſdam infirmos nos excuſamus ad imitanda facta maiorum; & in aliis nos æquales maioribus proteſtamur: cum Helias ipſe in anguſtia conſtitutus, imparem ſe patribus ſuis ante Deum fateatur. Numquid, inquit, melior ſum patribus meis? Hoc Helias de anteceſſoribus ſuis in infirmitate ſua cogitur exclamare: & nos Heliæ vel prophetis, & Apoſtolis, & Domino virtutem noſtram non dubitamus æquare? [b] Video planè ſic apud vos calcari auaritiam, ſicut Apoſtoli propria cuncta dimiſerunt. Video crapulam & ebrietatem ſic veſtris conuiuiis abeſſe, ſicut Apoſtoli nihil habentes frequenter coacti ſunt eſurire. Cognoſco taliter in nobis ieiunia, ſitim, famem, nuditatem propter inſtantiam doctrinæ ſolius vbique pollere, ſicut in Apoſtolis legimus triumphaſſe; & approbantur apud nos eadem exercitia feruere virtutum quibus Apoſtoli omnia vitia tremuerunt. Planè quadraginta dierum ieiunium Domini meditamur, & orationes excubiáſque quibus ille per ſolitudines etiam nocturna ſilentia rumpebat. Numquid ſimiles agones frequentamus contra luctamina vitiorum, & ſic agimus rigore, auctoritate, vigiliis, paſſionibus, labore, neceſſitate, afflictione, abſtinentia, quibus peccata calcantur, vt nemo de nobis mali aliquid ſuſpicetur? Per quæ Paulus Apoſtolus conſcientiam ſuam innotuiſſe omnibus gloriatur: In omnibus, inquit, commendantes noſmetipſos quaſi Dei miniſtros, in ſuſtentatione multa, in preſſuris, in tentationibus, in tribulationibus, in anguſtiis, in plagis, in cuſtodiis, in carceribus, in ſeditionibus, in inuocationibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate in, ſcientia in, longanimitate, in bonitate, in Spiritu ſancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. Ad has imitationes infirmi ſumus; & ad mulieres circumducendas poſſibilitatem nobis comparandæ imitationis adſciſcimus, quod ſi etiam cuncta illorum quiſquam ſe implere iactaſſet; me tamen nullius ſuadela poterat inclinare, vt alios nunc Apoſtolos crederem, contra Apoſtoli Pauli profeſſionem: Numquid, inquit, omnes Apoſtoli, numquid omnes prophetæ? Si Chriſtus ſeipſum comparare auſus eſt Deo; qui ait: Pater maior me eſt: aut ſi Apoſtoli coæquare ſemetipſos auſi ſunt Chriſto: nos hodie Apoſtolis æquales facit conſimilis fortitudo. Miſera humanitas in hac æqualitate non times fulminari, quæ de filio Dei, aut de filiis tonitrui, non cunctaris peccatis tuis exempla velut ſimilia mutuare? cum ſuperbiæ ſit elata iactantia; etiam minimis Eccleſiæ quemquam comparabilem velle conſcribit, cum Paulus moneat & dicat: Alter alterum ſuperiorem ſibi exiſtimantes. Et inferiùs addidit dicens: Hoc ſentire de vobis quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Minus itaque de noſtris viribus ſentiendum eſt, nec fortitudini ſanctorum noſtra infirmitas comparanda eſt, ſicut nobis Apoſtolus Paulus de ſemetipſo magiſterium proponit, & dicit: Non enim audemus, inquit, comparare nos aut conferre quibuſdam qui ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis ipſis noſmetipſos nobis commendantes: non ſupra menſuram gloriantes, ſed ad menſuram gratiæ, quam nobis menſus eſt Deus. Etenim contemplamur quod iterùm dixit: Plus ab illis omnibus laboraui, nihil melius, nihil aptiùs mihi proponitur, vnde vincam, niſi vt de ipſo de quo mihi præſcribitur, ego ipſe præſcribam. Certè plus omnibus ipſe laborauit, & tamen ad mulieres circumducendas collegas ſuos imitari contremuit, ne ſe ad interitum ſubiiceret tentationi carnali. Vnde ipſe rationem ſic reddidit dicens: Ego, inquit, ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem cædens, ſed affligo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus inueniar. Huic ergo te compara, qui Apoſtolum iactas; & ex ipſo diſce quid metuas, qui clamat & dicit: Oro vos imitatores mei eſtote. Noluit itaque de mulieribus circumducendis habere fiduciam; qui non ignorabat quantum aliæ virtutes ab aliis virtutibus differant, & aliam claritatem ſolis, & aliam lunæ, aliam verò ſtellarum, de chariſmatibus Eccleſiaſticis ſimilitudinem comparans intimauerat. Sed nos contrà de Apoſtolica nobis coæquatione blandimur; non intendentes penitus quid Apoſtoli & ſancti omnes inuicta virtute geſſerunt, & difficilem rumpere quærimus viam, cum per facilia planior ſit nobis appoſita; contra Salomonem dicentem: Non te credas, inquit, viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. Nec vllus conſiderat, quoniam vnus ſecurus in lubrico graditur, & alius qui impar eſt, labitur: [c] vnus per rupes curſu montes aſcendit, alius ſi ſe coartauit, cadit. Vni contingit per tempeſtates nauigia feliciter explicare, & alteri talis felicitas non poteſt euenire; quod [d] Paulus Apoſtolus decernit dicens: Vnuſquiſque, inquit, proprium donum habet ex Deo; vnus quidem

a *Et in cæteros actus.* Etiam hæc, prò, *inter.* PAM.

b *Video planè ſic.* Et hic & paulò poſt adiecit negationem *non*, Eraſinus; ſed non eſt opus. Eſt enim Ironia, ſicut & in eo quod ſequitur *cognoſco &c.* Idem eſt iudicium de his adiuncta ab illo negatione, ad illam ſententiam *ſi Chriſtus ſeipſum &c.* præſertim ſi legamus cum illis *facit* pro, *faciet.* *Idem.*

c *Vnus per rupes.* Vetus exc. & Remboldus *repas.* *Idem.*

d *Paulus Apoſtolus decernit dicens.* Adiicio dicens ex vet. exc. *Idem.*

dem ſic, alius verò ſic. Sed qui mihi de ſanctorum exemplo præiudicant; [a] quid aliud exemplum nolunt contemplari, quod metuant [b] & qui Apoſtolis coæquari contendit, quare non magis presbyteros adulteros apud Danielem ad formidinem ſibimetipſe proponit? Hæc autem non ideò propono, vt quaſi Apoſtolorum imitatoribus contradicam, ſed vt illos confundam, qui ſe ſanctis exæquent. Nec nego ipſos eſſe ſectandos, quos doctores accepimus cuncti; ſed aduerſus eos contendo, qui cupientes ad mala ſua bonorum hiſtorias depravare, legem Dei ſibi æſtimant ſuffragari; ſicut omnes qui perire feſtinant, & ſub obtentu ſanctorum dedecora ſua volunt eſſe celata, vt ſub imitatione maiorum contraria quæque committant; quos Apoſtolus Paulus prodit & publicat dicens: Quod autem facio, & facturus ſum, vt amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem; vt in eo in quo gloriantur, tales inueniantur quales & nos ſumus. Nam & huiuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarii doloſi, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Hoc addunt ad cumulum perditionis cumulandum, vt bonos infament, quorum exemplo vtuntur ad malum; quibus vtile eſſet ſatis & ſalubre, ſi cuiuſcumque hiſtoriæ ſeipſos magis crederent non intellexiſſe rationem, quàm aliquid inhoneſtum arbitrarentur in lege: quos Apoſtolus Paulus corripit & confundit dicens: Non intelligentes neque de quibus affirmant. Et iterùm: Si quis putat ſe ſcire aliquid, necdum cognouit quemadmodum eum oporteat ſcire. Vacant itaque præiudicia petulantium, quos ingenia ſuæ peruerſitatis errabunda tranſducunt; & quærunt competentes ſuis ſenſibus hiſtorias quas exponant, qui malè agentes mutuant legalia patrocinia. Benè agentibus bona ſunt omnia, quæcumque ſcripta ſunt, qui benedicta bene ſuſcipiunt; ſicut Paulus Apoſtolus pollicetur: Scimus quoniam bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur. Obtinuimus confundendo contradictores. Conuertamur ſubinde eoſdem quos vicimus inſuper erudire, ne aut vt ſanctos remanere patiamur in crimine, aut ignari deputemur in reddendo rationem, vt publicè victi pœnitentiam gerant: aut ſi noluerint, nos expunximus, quod ad noſtram pertinet diligentiam; vt quo modo ſatisfecimus ſupradictæ ſententiæ Salomonis, ita ſatisfaciamus Paulo Apoſtolo concionanti: Seruum, inquit, Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum omni modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati; ne fortè det illi Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ſecundùm eius voluntatem. Omne quidquid ab auctoribus noſtris geſtum eſt, rationabiliter gerebatur: vt poſteris nobis aduerſus præuaricatores munita vndique auctoritas traderetur, propter hæreſim amputandam quam ſuperiùs taxauimus, de aſſumendis feminis; quam ſiue per ſemetipſum, ſiue per ſeruos ſuos Dominus paululum relaxauit, ne nimio rigore in totum Domini fabrica damnaretur. Præuidebantur à Domino hæretici, qui nuptias auferunt; & [c] quos Dominus iunxit, contra naturæ principium, & contra euangelium ſeparare contendunt. Quibus interdicens iam tunc auctoritas parabatur, ne maritatæ mulieres accedere vetarentur ad Chriſtum, qui in præſentia ſeruierunt. Sed non ſine moderamine fuit etiam ipſa permiſſio procurata, quæ non ſibi operabatur quod gerebat, ſed cæteris. Nam ſic allocutus Dominus Samaritanam, ad horam docuit & receſſit, nec defenſionem continuandis exceſſibus fecit. Ad horam quoque Martham paſſus eſt miniſtrantem. Sed quid erat aliud Dominò; niſi regni cæleſtis prandia miniſtrare? Numquid ſub Domino non fuere conuiuia? aut ſub maieſtate eius erat alius cibus aut potus, quàm diſciplina tantummodò quæ paſcebat? teſtante ipſo Domino ac dicente: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. [d] Sic Apoſtolos mulierum comitatus decebat non vt perderent, ſed vt diſcerent reuerentiam, & propter humanitatis exhibendum miniſterium ſequebantur, ſicut in euangelio de Domino & de ipſis pariter memoratur: Et factum eſt, inquit, poſt hæc & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres quæ erant curatæ à ſpiritibus immundis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia ſeptem exierant, & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ & miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Numquid adhærebant ſingularibus ſingulæ, aut indiſciplinatæ commorantes, perſeuerabant illecebroſo conſortio conuerſantes? [e] Vbi tota Eccleſia propemodum videbitur, vt non ad conuiuationes improbas, ſed ad diſcenda bonæ conuerſationis ſtudia ſequerentur. [f] Ideò non inde ſcribitur, quod noſtris conuiuationibus coæquetur, non riſus, non iocus dicitur affuiſſe. Nec ſicut apud quoſdam nunc vſque aſſolet fieri, chorus pſallentium virginum aures venenoſis cantibus aſſeritur demulſiſſe. Et vt de Apoſtolis breuiter probem, quantum illis fluxa familiaritas potuit diſplicere, qui compulſi ſunt & de ipſo Domino loquente cum fœmina dubitare, niſi eos maieſtatis notitia probata compeſceret,

ſicut

a *Quid aliud exemplum nolunt.* Ex eodem cum Morelio lego ſic, pro *volunt* PAM.

b *Et qui Apoſtolis.* Solus Manutius *Apoſtolicis. Idem.*

c *Quos Dominus iunxit.* Aut ſic legendum cum Eraſmo aut cum vet. exc. & Remboldo, *quod Dominus iuſſit*, prius tamen arridet magis. *Idem,*

d *Sic Apoſtolos mulierum comitatus decebat.* vet. exc. *Apoſtolum &c. docebat. Idem.*

e *Vbi tota eccleſia propemodum videbitur.* Locus prorſus obſcurus vet. excuſus verò & Remboldus legunt *conſurationes improbroſas*, pro, *conuiuationes improbas*, non rectè. *Idem*

f *Ideò non inde ſcribitur.* Hoc ex cod. vet. exc. pro quo Remboldus, *adeo*, Eraſmus verò, *ad ea benè deſcribitur*, Morel. *adeò non benè. Idem.*

ſicut Euangeliſta refert dicens : Inter hæc, inquit, venerunt diſcipuli eius, & mirabantur quòd cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi: quid quæris, aut quid loqueris cum ea ? Quid autem loquar acceſſum fœminæ ad pedes Domini prouolutæ, cuius luctus & planctus ad defenſionem laſciuiæ ſuæ non erubeſcunt improbi flagitare ? Vſque adeò illos propria cæcitas rapit, vt nec de ſimilibus cauſis audeant reluctari, de quibus Salomon excæcauit, inquit, eos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei. Ioannes autem matrem Domini ſuſcepiſſe videtur, ſed matrem cuius mores maternum indicat nomen. [a] Tamen non poſſum & alias Chriſti matres admittere, nec æquanda eſt mulieribus cunctis, quæ genuit maieſtatem. Helias quoque iuſſus eſt à Domino relinquere ſolitudinem & ingredi tabernaculum viduæ. Pro imperio Domini laborauit vt in domo manſiſſet, cui ſolitudo ſolatium præſtabat & requiem. Occaſionem illi Dominus obtulit ad magnalia facienda, vt magis famis tempore tam ipſi viduæ quàm pupillis eius ſufficientia tribueret alimenta, qui ieiuniis vſquequaque afflictus tolerauerat indigentiam; & qui miſſus venerat paſci, paſtus quinimò conferens miſeris, miſerias egeſtatis fecit excludi. Et hoc non poteſt cuiuſquam fauere luxuriæ; cùm nulla fuerit opportunitas ſcandali vbi tranſeunter quod peius eſt [b] egeſtoſam habuerit manſionem : quam quicumque hoſpes effugeret. At hic apud quos hoſpitatus eſt, impleuit & rediit; qui etiam ſi moraretur ſuſpectus eſſe non potuit. Qualis illic fuit communitatis effectus, vbi non erat victus ? Et qualem ad viduam habuit Helias introitum, cui fames dedit hoſpitium ? Quiſquis es qui te vis Heliæ de commoratione viduæ vocari diſcipulum, priùs ſolitudinis afflictiones, & quadraginta dierum tolera ieiunij exitum; & aut non quæres fœminam, aut non erit qui cum fœmina commoretur, & tamen ſi valueris tibi ſerua. Nobis autem in ſpiritu & virtute Heliæ non alium quàm Ioannem ſolum angelus, & Dominus Chriſtus inſinuat. Pro dolor, dolere cogimur quod docemus; qui vſque ad hoc venimus, vt in comparatione fluxorum, de ſanctorum tremendis virtutibus diſputemus. Patce iam parce proteruitas, numquam tibi ſancti conſentiunt; qui religioſa, modeſta, veneranda, pudica, pudorata cum fœminis negotia peregerunt. Aut ſi adhuc per ſanctos cauillationis anfractus contendis exquirere; nos tamen [c] amicos Dei non nouimus, niſi ad venerationem tantummodò memorari, quod Dauid docuit dicens : Mihi autem vehementer honorificati ſunt amici tui Deus. Eant nunc prædones pudoris, & plagiarij caſtitatis, mulierculis ſuis exponere moleſtias querelarum. Apud ſanctos noſtros non habent omninò ſuffugium, quibus miſceri Eccleſiæ auctoritate Pauli Apoſtoli prohibetur: Et hos, inquit, deuita; ex his enim ſunt qui repunt in domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis. Poſt hoc edictum vtinam confidant ſibi Angelorum exempla conducere. Nos iam non valent flectere, [d] qui nouimus & angelos cum fœminis cecidiſſe. Ab ipſis equidem benè patrocinia mutuantur, ſed nos nullum Angelum audimus contra Paulum Apoſtolum : Et ſi, inquit, ego aut Angelus Dei aliter euangelizauerit vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Inſaniunt prorſus, ardent deſiderio fœminarum, quotquot huic interdictioni non cedunt; & obſcœnitatibus inhiantes, malunt mori, quàm contenti ſint à lateribus mulierum aliqua diſiunctione diuelli : vt ad explendam [e] ſuæ auiditatis ingluuiem etiam puncto temporis non ſint ſine fœminæ voluptate : & hunc habent in mulieribus fructum, vt in illis ſemper defixa intentione, deſideria ſatient oculorum, ne vel momentum aliquod tranſeat, [f] quando indigeant quod affectant. Sic inter eos integritas emoritur; vbi omnis commoratio, ſiue conuiuendo, ſiue commanendo corruptis affectionibus inquinatur. Quos ſanctus Petrus Apoſtolus deſignauit dicens : In conuiuiis ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos mœchationibus, & inceſſabilibus delictis, capientes animas infirmas. Hos etiam ita Salomon denotat : Abominatio eſt, inquit, coram Domino defigens oculum. Planè contrà, purum oculum teſtatur ſe habere Iob, qui ait: Et, ſi oculis conſenſit cor meum. Verùm enimuerò ille poteſt ſuis oculis obnoxius non teneri; cui nolenti repentinus occurſus mulieris ſcandalum mouerit, quod protinùs mens quod nolebat expellit. Ille autem commotionem ſui viſus non meretur euadere, qui apud ſe ſcandali materiam tenet, qui vult intentionis ſuæ affectibus frui, qui affectat habere quod oculis offenſionem ingerat; quorum auiditas inexplebilis inter offendicula continua nullo modo poteſt omninò compeſci; quod Salomon approbat dicens : Infernus & interitus non ſatiantur, ſimiliter oculi hominum inſatiabiles ſunt. Et in alio loco : Non ſatiatur oculus videndo. Et iterùm : Nequius oculo quid creatum eſt ? Hac caſtigatione non compuncti, diuina interdicta nefandæ familiaritatis obſtinatione contemnunt, & adhuc inſuper de charitate cauſantur, qui ſecundùm verbum Eſaiæ amaritudinem pro dulcedine deuorantes, nudam fœditatem velamento boni nominis tegunt, dum apud eos ſub falſa dilectione, vera dilectio

a *Tamen non poſſum.* Iſtud rurſum ex illorum vtroque, pro eo quod Eraſmus *poſſunt.* PAM.

b *Egeſtoſam.* Sic rectiùs Morelius, Remboldus & vet exc. quàm alii *egeſtuoſam. Idem.*

c *Amicos Dei non nouimus, niſi ad venerationem.* Locus inſignis pro veneratione Sanctorum, *Idem.*

d *Qui nouimus & Angelos cum fœminis cecidiſſe.* Etiam hic auctor filios Dei Gen. 6. Angelos interpretatur. *Idem.*

e *Suæ auiditatis ingluuiem.* Vet. exc. & Remboldus, *illuuiem*, neutrum diſplicet. *Idem.*

f *Quando indigeant.* Hoc certè ex illo repoſuimus; pro *cum. Idem.*

dilectio violatur. Sed exclamat charitas & appellat, tales ego non iunxi, falſa altera eſt quæ me ſimulando confinxit. Numquam Dei præceptis obſiſto, numquam fluxis faueo, per me ſanctitatem non opto culpari. Calumnias mihi auerſa germanitas facit, pericula & ego inter falſos fratres incurri. Succurre meus præco, ſuccurre Paule Apoſtole, dic teſtimonium meum, ne quod de me annuncias peruertatur. Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Dilectio deputabitur, per quam ſanctitatis iniuria criminationibus appetitur? Aut illorum erit ſincera fraternitas æſtimandi, de quibus filiæ matris Eccleſiæ perducuntur in culpam? [a] Si talis Chriſtiana charitas adnotatur; indubitanter odia meliora ſunt, quæ dum ſeparant, neminem maculant. Hæc autem parricidalis dilectio fratres perſecutores adunare conſueuit, qui libenter patiuntur de ſuo conſortio filias Eccleſiæ fornicarias diffamari, contra charitatem quam Paulus Apoſtolus docuit, dicens: Dilectio proximi malum non operatur. Egregia probatio charitatis, quæ non tantùm noxia germanitate officit proximo, ſed etiam ſubiecta non vult eſſe præſcriptionibus Apoſtolicæ iuſſionis. Confundantur aſſertores dilectionis huiuſcemodi, quos iudicant illi, qui pro communibus commodis etiam conſanguineam deſerunt charitatem. In omni mundo penè totum iunctum eſt genus humanum, & vbique cognatio naturalis alterna peregrinatione diſcernitur. Poſſunt parentes, poſſunt filii, poſſunt fratres, poſſunt & ipſi quod plus eſt coniuges à Deo conceſſa ſibi naturæ vincula diſrumpere; & clerici Deo non concedente, inſuper prohibente, mulierum nexibus ancillatam non valent recuſare charitatem? Optanda ſemper cognatis abſentatur affinitas proximorum; & peregrinari ab extraneis fœminis clerici reluctantur? quibus faciendum fuerat, etiam ſi peculiare aliquid vel inconſuetum Dominus imperaſſet; qui ad explicanda impoſſibilia habent Spiritum ſanctum, quem mundani homines non habent. Vnde Ioannes Apoſtolus ſic admonet, dicens: Filioli vincite illos, quoniam maior eſt qui in vobis eſt, quàm qui in hoc mundo. Nunc verò poſſibile etiam gentibus (non dicam Chriſtianis) & leue proſpicitur, & apud clericos ſine vllis effectibus euacuatur; vt parum ſit eis Dei mandata deſpicere, niſi aliud dedecus habeant quod nec ſectantur, non dicam vincunt omnium gentium conſuetudinem: quibus Dominus per Ezechielem exprobrat & dicit: In legalibus meis non ambulaſtis, & iuſtificationes meas non feciſtis. Sed neque ſecundùm iuſtificationes gentium, quæ ſunt in circuitu veſtro, feciſtis. Pudendum neſcio quid dilectio iſta ſignificat, quæ extorqueri contra naturam putatur. [b] Adhuc habeo quid mirari: Cùm videam de Chriſtianis pleroſque maritos pariter & vxores continentiam deſtinantes, domicilia ſingularia magis eligere, vt conſenſu communium votorum ſine irritatione præſentiæ & concordante ſeceſſu valeant obtinere: & [c] eunuchi noſtri non durant ſine fœminæ ſodalitate dormire? Apud illos amor coniugalis continentiæ amore penſatur; & apud ſpadones cohabitatio fœminæ numquam poteſt habere faſtidium. Dicat eunuchorum charitas, dicat, ne fortè in hac ſeceſſione magis coniugalis charitas peccet; vt Apoſtoli Pauli conſilium videatur coniugibus inſinuaſſe diuortium: Tempus, inquit, quod reſtat, breue eſt. Reliquum eſt vt & qui habent vxores, ſic quaſi non habentes eſſe nitantur, & qui non habent, quaſi habentes eſſe glorientur. De his ipſe Apoſtolus ait: Gloria in turpitudine ipſorum. Dilectio eſt, inquiunt. O dilectio quæ inuidet ſibi. O charitas quæ cupit ſe in vituperatione laudari. Grande miraculum, vt virginum charitas virgines faciat velut coniuges credi: & coniugum charitas coniuges faciat velut virgines æſtimari. Ecce vera dilectio, quæ in coniugalitate diuidit, vt in caſtitate coniungat. Ecce ſancta dilectio, quæ coniugalibus ad communem laudem inducit abſentiam. Hi pro certo ſeſe inſeparabiliter diligunt, qui vt triumphos ſibi inferant, à ſe ipſis diſcedunt; quibus nec crimen, nec natura, nec lex, nec Dominus, nec Apoſtolus [d] poteſtatem vnius interdixit aut tulit, ſed pro tuendis paribus votis, ſemota vnanimitate abſentari charitas quam nouerunt, qui nec crimini, nec naturæ, nec legi, nec Domino, nec Apoſtolo, nec ipſi coniugalitati ſuccumbunt; quos tantùm virginitas probroſa condemnat, quantùm illos coniugalitas caſtrata glorificat, quibus ſufficiat ad ſupplicium dedecoroſum, quod ſpadones à coniugibus iudicantur. Ad quorum increpationem non tacendi ſunt etiam filii Iſraël, qui apud Eſdram vxores & filios contra diuina iura ſuſceptos [e] non cunctati ſunt depellere, nec contra Domini charitatem conati ſunt excuſare. [f] Verùm fatear, ſi permittor. Qui nunc pro dimittendis fœminis, alienis adhærent: quid facerent ſi liberos & vxores proiicere iubeantur? Aut quando valebunt pro Chriſto renunciare cognatis, qui mulierculas non ſuas præponunt, Chriſti præceptis? Dico eos faciliùs pro iiſdem mulierculis parentes proprios abnegare, quàm propter Chriſtum ipſas mulierculas relinquere poſſe; deſpicientes quod in Euangelio

a *Si talis Chriſtiana charitas adnotatur.* Rectiùs ſic vet. exc. & Remboldus, quàm alij, *adnotatur.* PAM.

b *Adhuc habeo quid mirari.* Non placet quod repoſuit Eraſmus, *quid mirari non valeo*, niſi addatur, *ſatis*. Certè illud habent vet. exc. & Remboldus. Eſt autem locus inſignis de voto continentiæ coniugum. *Idem.*

c *Eunuchi noſtri non durant.* Neque hic arridet lectio Eraſmi: *&* *eunuchi dubitant.* *Idem.*

d *Poteſtatem vnius.* Adiecerat Eraſmus, *conuerſationis*, ſed ſuperfluè. *Idem.*

e *Non cunctati ſunt pellere.* Hoc rurſum ex vet. exc. cum Grauio & Morelio, pro eo quod corruptè Remboldus & cæteri: *contati.* Manutius verò *contenti.* *Idem.*

f *Verùm fatear, ſi permittor.* Etiam hæc Morelij & illorum genuina eſt lectio, pro eo quod Eraſmus, *fateor, ſi permittar.* *Idem.*

Euangelio ipſe Dominus dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut fratres, & ſorores, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Si de abiiciendis parentibus dubitantes, indigni ſunt Chriſto; quid ſibi promittunt, quos contemptores exhibet Chriſto non parentalis affectio? Ac per hoc illorum meritis euacuantur, quos vident contemplatione Chriſti nullas perſonas excipere cognatorum. a Nec minus eos, ſed peius etiam illi confundunt, qui metuentes non tantum cum aliena, ſed etiam cum ſua carne luctari amputatis genitalibus abſcedunt: De quibus modò examinationis ſuſpendo, ſententiam relinquens alia diſputatione promendam. Secundùm confuſionem ſpadonum, non dubito meliores aſſerere, qui nec ſibi parcunt quidem, dicam feminis audent tentamenta porrigere. Reſpondeant ſpiritales eunuchi, quis furor in dilectione mulierum, vel quod ſit in contubernalitate fœminæ myſterium, vt in perniciem ſuam alienis membris indulgeant, cum illi ſua quoque incunctanter abſcindant? Hi confirmatos in ſe artus abiiciunt; & illi aduerſariis artubus glutinantur. Hi pro integritate ſpiritali cum tormento non integri corporis dimicare non dubitant; & illi ſine tormento, integri eſſe ſine fœminarum dimidietate detrectant. Sed aduerſus illos comparatio nulla eſt facienda de noſtris; ne conſolentur addicti quibuſcumque iudiciis Chriſtianis. Peiores ſunt & aliqui memorandi, vt maior pœna ſit à damnato damnari. Iudæos conſiderent vſque hodie pro legis imperio carnis ſuæ partem circumciſione truncare; & ſciant quid mereantur, qui Euangelio iubente, diſſimulant circumciſi mulierum præſentia peragere Domini voluntatem; non intelligentes quod ipſe Dominus dixerit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Puto etiam b de Gallis ſuis nobis idololatræ exprobranter inſultent. qui abſcindentes ſemetipſos libenter excruciant, dum modo cum damno ſtatus ſui, ſimulachrorum diſſimulationibus pareant. Clerici autem noſtri, ad lucrum magis corporis proprij, damnum volunt mulierum ſecum commorantium ſuſtinere; quas etiam de ſubſtantia propria euellere oportebat, ſi cum illis naſci contingeret, ne comparati idololatris & ſacrilegis, erubeſcerent. De quibus & Dominus contemptores arguit dicens: Prudentiores ſunt filii ſæculi huius, filiis lucis. Ergo noſtris clericis talium profana deuotio eſt præponenda, quibus cum tantis exitiis amabilia ſunt turpia ſacerdotia. Clerici verò pro dignitate ſacerdotij cæleſtis non ſanguinem fundunt, non tolerant ferrum, non eſt aliquod vulnus, non eſt aliquis cruciatus; ſed ſolus contra Dominum fœminæ tenet aſpectus. Sic in fœminas ruunt, ſic fœminas amant, vt non ſperent manifeſtari dilectionis ſuæ quandoque poſſe impura myſteria; ſicut per conſimiles eorum turpiter publicata ſunt & detecta; quos Paulus Apoſtolus præuiderat, iam tunc dicens: Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſua ſubſequuntur. Similiter autem & facta bona manifeſta ſunt, & quæcumque aliter ſe habent abſcondi non poſſunt. At contrà & ipſi dicunt: Nonnulli de contemptoribus noſtris ſimiliter fœminas habentes in domibus, martyrium conſecuti ſunt, vt illorum innocens conſcientia probaretur. Nolo mihi de martyrio quiſquam moueat actionem; quia ſæpiùs & mœchi, & ſanguinarii, & ebrioſi, & omnium ſcelerum rei, reperta pugnæ occaſione conuerſi, c meruerunt ad martyrii veniam peruenire. Ideò enim martyrium appellatur tam corona, quàm baptiſma; quia baptizat pariter & coronat. Age nunc, ſi licuerit quibuſdam inuiolata fœminarum ſocietate martyrium promereri; ſine indulgentia quoque illis martyrium ipſum non fuit, quos reatus prohibitæ contubernalitatis non abſoluit. Nec innocentes in ipſa innocentia potuit approbare; quibus contemptum legis & conuerſationis illicitæ fœditatem, & quod eſt gravius ſuper omnia crimen Eccleſiæ cernitur ignouiſſe. Etenim noxia eſt innocentia, quæ ſponſæ Chriſti officit famæ. Et cum Chriſtus agnus innocens, immò ipſe cæleſtis innocentia, quod eſt verius, totum ſe contempſerit pro Eccleſia, vt eam ſine macula vlla vel ruga redderet illibatam; qualis eſt clericus cui ad hoc ſponſa Chriſti committitur, vt pro vnius fœminæ amore culpari totam Eccleſiam patiatur. Audemus dicere, à Deo patre miſſus eſt filius de ſinu patris, & regno abſens eſſe durauit, vt Eccleſiam faceret innocentem, & clericus mulieris latus deſerere non poteſt, ne Chriſti Eccleſiam reddat infamem? Sed aiunt: In martyrio ignoſcitur nobis, ſicut indultum eſt parentibus. Hoc ergo & nos omnes de peccatis noſtris confidamus; vt qui agere benè laboramus, inter luxurias euagemur, & diſcurramus per ſemitas peccatorum, retinacula dimittamus, & fræna laxemus: Eamus non quacumque mundus abſtulerit, & vbicumque nos diabolus inuitauerit, liberè fornicemur, inuideamus, rapiamus, fraudemus; omnia mala ſecuri committamus, martyrium ſubueniet & euademus. Sic enim Paulus Apoſtolus pollicetur: Faciamus mala vt veniant bona: quorum damnatio iuſta eſt. Huic martyrio ſpem tradant, quos mathematici docuerunt habere de craſtino præſcientiam; & has coronas expectent; qui ſuper angelos & Chriſtum per aſtrologos

a *Nec minus eos, ſed peius etiam illi confundunt.* Mendum cod. Remboldi hic quoque remanſit hactenus in excuſis, *nec minus eos ſed penis.* PAM.

b *De Gallis ſuis.* Galli vti verè adnotauit Remboldus erant ſacerdotes Cybeles, à Gallo fluuio ſic dicti. *Idem.*

c *Meruerunt ad martyrii veniam.* Repoſuit Eraſmus *palmam*, ſed quia de peccatoribus loquitur, qui ipſo martyrio veniam impetrabant; illud illorum placet. *Idem.*

logos didicerunt ſcire tempora, quæ pater in ſua poſuit poteſtate; vt vel tunc recordentur, ante martyrij tempus bene agere debuiſſe, cùm diem Domini ſenſerint ſicut furem. Sed credamus ſuper illos martyrium iam iámque pendere. Interim priuſquàm martyres fiant, legibus ſubiacent; vt iudicio ſubiiciantur, niſi armis exarmentur. Audaciæ nefas eſt, illis aduerſus auctoritatem Domini parentum perſonas obiicere, quibus ipſe Dominus contradictionis huius abſtulit vocem. In legalibus, inquit, patrum veſtrorum nolite ambulare, & iuſtificationes eorum nolite cuſtodire, & ſtudiis eorum nolite commiſceri, & nolite inquinari. Ego Dominus Deus veſter. In præceptis meis ambulate, & iuſtificationes meas cuſtodite. Sciant nunc adempta ſibi eſſe parentalia patrocinia, qui huc atque illuc recurrentes contradictionum latebras quærunt, ne vnquam fœminis careant: & quia vndique defenſionis ſuffragio deſeruntur, nouiſſimis cunctis argumentis exhauſtis ſententiam Pauli Apoſtoli opitulari ſibi opinantur, & dicunt: Tu quis es, qui de ſeruo alieno iudices? Agnoſcit equidem Paulus Apoſtolus conſtitutionis ſuæ verba prolata; ſed conſtitutionarios & prolatores ipſos ignorat. Illis enim contulit defenſionem, qui nullam partem legis impugnant; & ipſis tribuit patrocinium, qui ex voto ſuo aliquid faciunt, nec quidquam Eccleſiaſticis iuris impediunt. [a] Ius tractat viuendi, & non edendi; arbitrium vniuſcuiuſque confirmans. De ſimilibus neminem iuſſit iudicari, quæ voluntati ſingulorum auctoritas diuina concedens, in vtraque parte faciendi & non faciendi clementer indulſit. Illos autem Eccleſiaſticis tribunalibus ſubdidit, quos [b] tranſgreſſores ordinariæ tranſgreſſionis nulla impunitas excuſauit; vt qui paſſim (Tu quis es, qui de ſeruo alieno iudices?) aduerſus nos veluti libellum contradictorium proferant, [c] rationabile ſimul & certum recognoſcant quod accepimus ab eodem Paulo Apoſtolo repulſorium: Præcipimus, inquit, vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſeparetis vos à fratribus ambulantibus inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam accepiſtis à nobis. Euaſimus vt opinor tanta ligamina quæſtionum, quibus amatores eunuchos amplexus fœminei ligauerunt: qui peruerſis interpretationibus decreta legalia demutare coguntur; & malunt audiri proponentes vana & fabuloſa commenta, quàm ipſi quæ vera ſunt audiant: quos Paulus Apoſtolus annunciat dicens: A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quidquid volunt adhuc exquirant, vt obſiſtant pro mulieribus veritati. Victoriam non habent, apud quos contra Eſdram mulier potiùs quàm veritas vicit. Vos autem filij chariſſimi non tantùm perſuaſione, ſed poteſtate conuenio. Tale deliramentum deſpicite, quorum quæſtiones Paulum Apoſtolum ſcitis vbique damnaſſe, ſicut ad Romanos ſcripſit dicens: Rogo vos, fratres, diligenter obſeruare eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis, aut dicunt, aut faciunt, & declinate ab ipſis. Sic & Timotheo delegat: Noli, inquit, verbis contendere, nihil enim vtile eſt, niſi in ſubuerſionem audientium. Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium irreprehenſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Stulta autem & inania eloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ſicut cancer ſerpit. Atque vt oſtenderet, clericis diſponendis, ad euacuandas quæſtiones quæ ſit doctrina conueniens; etiam Tito ſic inſinuat dicens: Tu autem loquere quæ conueniunt ſanæ doctrinæ, maiores natu ſobrios eſſe, prudentes, ſanos in fide, in charitate, in patientia ſincera. Ergo auditiones ſimplices obedientia veſtra ſuſcipiet, & verſipellem contradictionum vitate fallaciam. Purum iter veſtris greſſibus mundate & ſuper ſpinas & tribulos nolite ſeminare vel calcare, ne bonum ſemen non poſſit vobis propter ſpinæ frutices ſanctitatis fructus afferre. Vnde propheta Hieremias ſic hortatur & docet, dicens: Nolite, inquit ſerere in ſpinis. Circumcidite vos Deo veſtro, circumcidite præputium cordis veſtri. Abſcindenda ſunt ergo de agro noſtro cuncta quæ pungere & lacerare conſueuerunt; ne animus agricultoris in poſſeſſione ſua malignis ſentibus inſeratur. Et amputanda ſunt omnia nobis, quæcumque igniferi fomitis ſulphurantibus flammis ſcatens fornax ebullientis carnis exæſtuat; ne vel tenuis quidem ſcintilla ſeruata maiora conflet incendia. Quod Salomon manifeſtat dicens: Ab ſcintilla vna augetur ignis. Auertite occaſiones impuras, quibus interiora pectoris penetrantur, vt liquida in vobis perſpicuitas honoretur. Contenti eſtote ſingularitatem laborioſam pro pudore ſeruando potiùs ſuſtinere, quàm ſine labore ad dedecus peruenire. Contemplamini quid ſit populo ſancto præeſſe, & conſiderate quale ſit diuinis ſacramentis inſiſtere. [d] Alteris placere debent, qui alteris viuunt, & talis conuenit cura ſinceritatis ſacratis, qualia ſunt ſacra ipſa quibus exhibent officia ſeruitutis; ne circa Dominum offendant ipſi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire quod prædicant. Propter quod Paulus Apoſtolus ſic teſtificatur: Et omnia, inquit, ſuſtinemus, ne quod impedimentum demus Euangelio Chriſti. Et iterùm: Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur [e] miniſterium noſtrum. Hac igitur inſtitutione vobis quàm plurimùm laborandum eſt, de iis quibus ad manifeſtandam grauitatem ſingularitas

a *Ius tractat viuendi non edendi.* Obſcurus locus. PAM.

b *Tranſgreſſores ordinariæ tranſgreſſionis.* Rectè ſic Eraſmus pro eo quod illi *ordinarı.* Idem.

c *Rationabile.* Et hic & ſuprà alicubi vetus excuſus, & Remboldus *rationali.* Idem.

d *Alteris placere debent qui alteris viuunt.* Hæc quoque genuina eſt lectio, pro eo quod non malè Eraſmus; *alteribus placere debent, qui ab alteribus viuunt.* Idem

e *Miniſterium noſtrum.* Prorſus ſic legendùm cum Morelio, pro, *veſtrum* quia conſentit Apoſtolus. Idem.

ritas magis quàm pluralitas teſtis vera eſt. Reſpicite quanta mala conuerſatio pluralitatis huius acquirat; quæ non niſi corruptionem ſeminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, laſciuiam paſcit, petulantiam nutrit, [a] caſus exaltat, ruinas ædificat, ripas eripit, præcipitia inſtruit, periculis nauigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fouet, confuſionem mercatur, thezaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accuſationes inflammat, & cateruatim ſemel in faſcem glomerans numeroſas indagines captionum, per infinita dedecorum, [b] multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum. Tot itaque & tantas ſtrages calamitatis [c] & peſſimæ conuerſationis nemo proſternit, nemo calcat, nemo funeſtat, niſi ſingularis caſtitas ſola: quæ munimen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ; fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas; probitatis præſidium, & improbitatis excidium; animæ victoria, & corporis præda; vbertas gloriarum, [d] & ſterilitas criminum; pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis; ſinceritatis indicium, & abolitio ſcandalorum; exercitium continentiæ, & euacuatio tota luxuriæ; pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum; puritatis culmen, & libidinis carcer; honeſtatis portus, & ignominiæ naufragalis locus; virginitatis mater, & hoſtis immunditiæ; lorica pudoris, & ſpolium probroſitatis; corruptionis exitium, murus rigoris, & deſtructio vulgaritatis; ſeueritatis gladius, triumphator & diſſolutionis occiſor; armatura virium, & exarmatura fluxorum; integritatis dignitas, & fornicationis addictio; claritatis faſtigium, & dedecoris præcipitium; voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum; refrigerium pudicitiæ, pœna petulantiæ; acquiſitio triumphorum, & facinorum detrimentum; requies ſalutis, & perditionis exilium; vita ſpiritus, & carnis interitus; ſtatus qualitatis angelicæ, funus humanæ ſubſtantiæ. Huius retinaculis omnis obſcœnitas frenatur, & compedibus eius calces furentis libidinis ſtatuuntur. In hanc velut in ſcopulos franguntur impetus qualeſcumque ſanguinis inundantis; & in illa ſedatur ſpumans humoris inſania corporalis. Quæ dum ſibi ſubtrahit adminicula concupiſcentiæ, mortua membra ſua cognoſcitur baiulare: de quibus Apoſtolus Paulus præmonet dicens: Mortificate ergo membra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus; propter quæ venit ira Dei. Ab his omnibus non niſi ſplendido ſingularitatis cultro caſtratur humana natura, vt illibatos ſpadones ad conuiuium ſanctitatis diſpenſante circumciſione introducat. Cui ſanctitas ita promiſit annuli ſui nuptiale ſignaculum, vt ſine ipſa virginitas reſignetur, quæ ſe ſola contenta cupidinem domat, mentemque rectificat, concupiſcentiam ſubigit, deſideria ardoris extinguit, artus debilitat, corpus ancillat: & ita carnalia crucifigit, vt tam maſculus quàm fœmina videatur in conuerſatione mentiri, dum illos vtriuſque ſexus operatione abſcidit: aut neutrum faciens de duobus, tertiam formam conferre gloriatur ambobus, vt ante reſurrectionem reſurrectionis imaginem, ad inſtar Angelorum meditari noſcatur. Quod promittens Dominus futurum: qui digni, inquit, habentur ſæculi illius & reſurrectionis à mortuis, non nubent, neque nubentur, neque enim morientur. Nam ſunt ſimiles Angelis Dei: quia reſurrectionis filij ſunt. Hoc exigit ſancta ſingularitas clericorum, vt antequam transfiguretur, iam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aſpectum, quæ omnia ſibi amputans concupiſcentiæ certamina deprædatur: cuius laudes Salomon exequitur dicens: Melius eſt eſſe ſine filiis cum claritate. [e] Immortalitas eſt enim in memoria illius; quia & apud Deum nota eſt, & apud homines. Cùm præſens eſt, imitantur illam, & deſiderant eam cùm ſe abduxerit; & in perpetuum coronata triumphat, incoïnquinatorum certaminum prælium vincens. Non eſt ſine filiis cum claritate, niſi ſingularitas ſola, quam non ſolùm conſcientia ſua nullis ſordibus maculat, ſed etiam nullæ opiniones [f] ſuſpectæ pluralitatis infamant. Nam ſi caſtitas, quod eſt difficile, maſculum & fœminam pariter in virginitate conſeruet, [g] non habet claritatem; quam communitas ipſa non poteſt niſi quibuſdam probroſitatum tenebris obſcurare. Singularitas verò ita clara eſt omnibus & exerta, vt cunctis ſplendore ſui candoris pura manifeſtetur & lucida. Vnde ſic nos Apoſtolus edocet, dicens: Sicut filij lucis ambulate: fructus enim luminis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate, probantes quod beneplacitum ſit Deo. Et iterùm: Omnia, inquit, facite ſine murmuratione & hæſitatione, vt ſitis irreprehenſibiles & ſimplices ſicut filij Dei immaculati in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Sic vbique ſingularitas ſplendet, [h] vt omnes pro illa ſplendere non

a *Caſus exaltat.* Malè Eraſmus *caſas*, Neque verò etiam placet, quod repoſuit ipſe: *rapinas exigit*, pro eo quod illi *μεταφορικῶς*, *ripas eripit.* PAM.

b *Multiplices mortes inuehit.* Vetus excuſ. *ſimplices mentes.* Remboldus verò & alij plerique *ſimplices mortes*, pro quo Grauius & Manut. *mores*; Morelius autem *multiplices mortes*, quod placet maximè. *Idem.*

c *Et peſſimæ conuerſationis.* Interiecerat Remboldus denuò, *ſtrages*, ſed non eſt opus. *Idem.*

d *Et ſterilitas criminum* Hæc lectio vet. excuſ. genuina eſt, quia præcedit *vbertas*, pro qua cum Remboldus legeret *cupiditas*, repoſuit Eraſmus *captiuitas.* *Idem.*

e *Immortalitas enim eſt memoria illius.* Contrà hic rectè non poſuit Eraſmus, *Immortalitas eſt enim memoria illius*; quia illud reperitur ad verbum græcè. Rectè tamen ipſe, *quia*, pro *qua*; græcè enim eſt ὅτι. *Idem.*

f *Suſpectæ pluralitatis.* Rurſum hic legebatur ex mendoſo cod. Remboldi *paritatis.* *Idem.*

g *Non habet claritatem.* Ego negationem ſuperfluam cenſeo *Idem.*

h *Vt omnes pro illa ſplendere non dubitent.* Metaphraſis efficit vt Eraſmus reponeret, *ſpeciaſſe.* *Idem.*

non dubitent: & ita ſanctitatem in ſemetipſa clarificat, vt laudem ſibi ab ipſis quoque inimicis extorqueat. Quod maximè de præpoſito quocumque Paulus Apoſtolus mandat dicens: Oportet autem eum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat & laqueum diaboli. Hanc igitur amate, hanc tenete, quæ ſola poteſt fœminas debellare: cùm adhuc concupiſcentia nulla pectus impulſat, & dum adhuc ſimplicitas incorrupta permanet vel quieta, ad ſecretæ ſingularitatis tutelam citò concurrite, ne poſtmodum non valeatis effugere. Præoccupandus eſt aditus cunctis inſidiis, ne hoſtilitas prior obrepens occurrat improuidis. Salutare remedium eſt præuenire potiùs quàm præueniri: & anticipare potiùs quàm anticipari, viribus fortibus congruit. Vbicumque fuerit prouidentia, fruſtrantur vniuerſa contraria; vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur. Ante famem certamus, ante inopiam laborando ſatagimus. Sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus prouidentiam temporum futurorum. Quantò magis antè præuenienda eſt omni prouiſione calamitas fœminarum; cuius cupido ſi admittitur incipere, numquam prorſus accipit finem? Cuius comparationem Salomon explicat, dicens: Infernus, & amor mulieris, & terra quæ non ſatiatur aqua, & ignis non dicit: ſufficit. Vnuſquiſque itaque qui ſecurus eſt quia necdum tentatur, timeat; quia nihil de illo dicitur, proſpiciat ne dicatur: homines ſumus, fragilitatem noſtram carne portamus. Sic iam vndique nos circumſpecta viuacitate circumdare debemus & cingere, vt non ſit pars aliqua quæ vacillet. Accipimus quidem fortitudinem ſpiritalem, per quam ſubſtantiæ noſtræ fragilitas roboretur. Sed ita nobis ſpiritalis fortitudo collata eſt; [a] vt prouidos non vt præcipites tueatur: vt illos muniat qui renunciant importunitatibus delictorum, non eos qui ſe magis importunis delictis immergunt. Cuſtos nobis datus eſt ſpiritus, ſed vt contraria declinantibus aſſiſtendo ſubueniat, non vt contraria eligentibus faueat; nec vt voluntarios & pronos in aduerſa confortet, ſed vt ab aduerſis nitentes ſeparari confirmet. Nam quicumque pernicioſis conatibus audet exercere virtutem, iuuamen non habet Spiritus ſancti, qui neminem vult vltroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coartari: nec protegit eum, quinimò ſed deſerit, quem periculis irruentem per illicitos euentus exquirere triumphos agnouerit; ſicut ipſe iam tunc per Salomonem locutus eſt dicens: Amans periculum, in ipſo periet. Ordine ſuo igitur, non noſtro arbitrio virtus ſancti Spiritus miniſtratur, & ſecundùm inſtitutum eius prœlia proſperantur. Numquam niſi præcipitatus exercitus cecidit, qui auidus [b] fortiter facere ducis vel imperatoris ſui diſpoſitiones irrupit; [c] multò magis perperam erogat fortitudinem, qui ſine armis doctrinæ magiſtri Spiritus præſumpſerit triumphare: cùm dicat: Væ qui per præſumptionem ſuam aliquid faciunt, non per Deum. Si qua igitur in vobis eſt fiducia virium ſpiritualium, [d] quid ſpiritales deceat recordemini: & ſi creditis vos ſpiritaliter militare, agnoſcite quod docemus non eſſe carnale, ſicut Paulus Apoſtolus loquitur, dicens: Si quis putat ſe Prophetam eſſe, aut Spiritalem, cognoſcat quæ ſcribo vobis. Non eſt quod vobis in hac perſuaſione deceptoria blandiamini, vt quia ſpiritales eſtis, velitis [e] inter flagitioſorum armamenta verſari, nec vos inhabiles eſſe pro clericatus dignitate: quia maiores maioribus conſueuerunt conflictiones occurrere. Acriùs diuitibus quàm pauperibus inuidetur, & non inopes, ſed locupletes inquietat infeſtatio ſæua latronum. Plus duces & principes quàm milites ab hoſtibus appetuntur in pugna: & violentibus propulſantur ventis & turbinibus culmina, quæcumque ſunt altiora. Ideò magis magiſque quò plus cæteris vnuſquiſque poteſt, ſciat eſſe ſibi metuendum ne in aliquo minoretur, propter quod Salomon ſic admonet, dicens: Qui gloriatur, inquit, in diuitiis, paupertatem vereatur. Rogo vos quantùm valeo, & vltra quàm valeo, hæc ſint ſtudia omnium clericorum, vt ſingularitatis inaccuſabilis ſeceſſione fungantur: ne aut ipſi per fœminas, aut fœminæ per illos ad ignominioſa ludibria prouocentur. Si quis habet matrem, vel filiam, vel ſororem, vel coniugem, vel cognatam, ſic habeat, vt nulla ancilla interſit, neque aliqua ingrediatur extranea; ne ad hoc videatur tenere proximas ſuas, vt ipſarum cauſa liberè ſibi adhibeat alienas: quòd ſi non poſſint ipſæ quæ ſunt proximæ ſine famularum miniſterio, vel ſine amicarum eſſe ſolatio; expedit vt migrent ad aliud domicilium, quàm propter illas perſonæ contrariæ teneantur. Humanum eſt enim, vt nec clericus illas neceſſariis fœminis fraudet, nec ipſæ clericum per importunas fœminas ſordident. Aſſignari poſſunt ſanctis mulieribus, cum quibus viuant, dummodò cum clerico fœmina nulla commaneat. Non deſpecta, non vetula ſine affinitate, peculiariter ſuſcipienda ad domeſticum obſequium: quia magis illicito delinquitur, vbi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum; maximè quia cupidini nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidij, vel vilis exiſtit, ſed diabolus pingens ſpecioſum efficit, quidquid fœdum vel horridum fuerit. Si quis autem modo profectione

a *Vt prouidos non præcipites tueatur.* Adiecimus cum Morelio ex vet. excuſ. & Remboldo, *vt*, omiſſa tamen voce, *nos*: cum iiſdem. PAM.

b *Fortiter facere ducis*, &c. Cum iſdem adiecimus, *fortiter*. *Idem.*

c *Multò magis perperam.* Hactenus corruptiſſimè ex vitio cod. Remboldi legebatur, *per perituram*. *Idem.*

d *Quid ſpiritales deceat, recordemini.* Remboldus denuò corruptè *recordetur*, pro quo Eraſmus, *recordemur*. at illud genuinum eſt. *Idem.*

e *Inter flagitioſorum armamenta.* Repoſuerat Eraſmus, *armenta*. *Idem.*

fectione cogente. apud fratres, vel apud extraneos hoſpitatur, vbi mulieres interſunt; omninò ſe arret, ne paſſibilitate aliqua vitietur. Semotus ac ſecretus Deo vacet & ſibi, ne intus capiatur à diabolo; & qui foris capi non potuit, apud ſuos cadat. Qui hoſtes effugit, adtempus pro ſalutaribus cauſis procedat ad faciem, & iterùm citò diſcedere de conſpectu feſtinet. Vbique guſtanda eſt cum mulieribus, non continuanda præſentia, ſed quaſi tranſeunter fœminis exhibenda eſt acceſſio quodammodo fugitiua. Proteruitatis enim iam cœpta ſunt repræſentari ſemper in medium; & perditionis meditatio eſt, frequentatiuum inter mulieres celebrare proceſſum. De qua re nobis Salomon moderamen impoſuit dicens: In medio mulierum noli aſſiduus eſſe. Sic igitur ambulate, ſic agite, vt ſemper in clericis Eccleſiæ ſenatus candidus conſtet. Seueritas in vobis circa fœminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur. Vt ſemel omnia colligamus ad clauſulam, breuiarium relegimus vobis, quod ad compendioſam plenitudinem redigens Paulus Apoſtolus inſinuat: De cætero fratres quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, quæ accepiſtis, & didiciſtis, & audiſtis, & vidiſti in me. Hæc agite; & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Amen.

EXPOSITIO IN SYMBOLVM APOSTOLORVM RVFIno Aquileienſi Preſbytero auctore.

[a] MIHI Quidem, fideliſſime Papa Laurenti, ad ſcribendum animus tam non eſt cupidus, quam nec idoneus; ſcienti non eſſe abſque periculo, multorum iudiciis ingenium tenue & exile committere. Sed quoniam, vt [b] cum venia tui dixerim, temerè in epiſtola tua per Chriſti me ſacramenta, quæ à nobis maxima cum reuerentia ſuſcipiuntur, aſtringis, vt aliquid tibi de fide, ſecundùm ſymboli traditionem rationémque componam, quamuis ſuprà vires noſtras ſit pondus præcepti. ([c] Non enim me latet ſententia illa ſapientium, quæ prope admodum dicit; quia de Deo dicere etiam vera, periculoſum eſt.) Tamen in expoſitionis à te impoſitæ neceſſitatem orationibus iuues; dicere aliqua obedientiæ magis reuerentia, quàm ingenij præſumptione tentabimus; quæ quidem non tam perfectorum exercitiis digna videantur, quàm ad paruulorum in Chriſto & incipientium librentur auditum. Et quidem comperi nonnullos illuſtrium tractatorum aliqua de his piè & breuiter edidiſſe, [d] Photinum verò hæreticum ſcio eatenus conſcripſiſſe; non vt rationem dictorum audientibus explanaret, ſed vt ſimpliciter & fideliter dicta ad argumentum ſui dogmatis traheret; cum in his verbis ſanctus Spiritus prouiderit, nihil ambiguum, nihil obſcurum, nihil à reliquis diſſonans poni: quia in his verè completur prophetia qua dicitur: Verbum enim conſummans & breuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram. Nos ergo vel ſimplicitatem ſuam verbis Apoſtolicis reddere & aſſignare tentabimus, vel quæ omiſſa videntur à prioribus adimplere. Sed vt manifeſtius fiat argumentum verbi huius (vt diximus) breuiati cauſam qua hæc traditio eccleſiis data eſt, ab origine repetemus. Tradunt maiores noſtri quod poſt aſcenſionem Domini, cùm per aduentum ſancti Spiritus ſuper ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, vt loquelis diuerſis variiſque loquerentur, per quod eis nulla gens extera, [e] nulla linguæ barbaries inacceſſa viderentur & inuia; præceptum eis à Domino datum, ob prædicandum Dei verbum, ad ſingulas quemque proficiſci nationes. Diſceſſuri itaque ab inuicem normam [f] prius futuræ prædicationis in commune conſtituunt: ne fortè alius ab alio abducti, diuerſum aliquid his qui ad fidem Chriſti inuitabantur, exponerent. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi, vt diximus, prædicationis indicium, conferendo in vnum quod ſentiebat vnuſquiſque, componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & iuſtiſſimis ex cauſis appellare voluerunt. Symbolum enim Græcè, indicium dici poteſt & collatio, hoc eſt, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in vnum conferendo quod vnuſquiſque ſenſit. Indicium autem vel ſignum idcircò dicitur: quia illo tempore ſicut & Paulus Apoſtolus dicit, & in Actis Apoſtolorum refertur,

a *Mihi quidem fideliſſime Papa.* Epiſcopus fuit quiſpiam iſte Laurentius, tum enim, vti epiſt. 2. diximus omnes Epiſcopi Papæ nuncupabantur. PAM.

b *Cum venia tui dixerim.* Sic prorſus lego cum Morelio & Froben. editione operum Hieronymi; legebant enim vulg. *vt conueniatis qua dixerim:* Marut. *vt conueniat tis* &c. vtique corruptiſſimè. Ex eadem adiecimus paulò poſt, *tua.* Idem.

c *Non enim me latet.* Cum Morelio & Froben. hic adiecimus, *me.* Viciſſim apud hunc non rectè legitur, *petitionis*, pro, *expoſitionis*, legendum eſt etiam ibi, *qua quidem*, pro, *equidem.* Idem.

d *Photinum verò hæreticum.* De hoc vide Auguſt. hær. 45. & Epiphanium hær. 71. fuit autem multò recentior Cypriano. *Idem.*

e *Nulla linguæ barbaries*, &c. Iſtud non modò habet Frobenius, ſed & vetus exc. Hieronymi, pro eo quod erat, *nulla lingua barbara inacceſſa viderentur & inuia*, aut *in via*, quod peſſimè habent excuſi præter Morel. Viciſſim apud Frobenium caſtigandum, *ob*, pro, *ab.* Idem.

f *Prius futuræ.* Hoc quoque ex Frobenio hic deſideratum, & ex eodem cum Morelio legimus *inuitabantur*, pro, *mutabantur.* Idem.

refertur, multi ex circumciſis Iudæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur; nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nunciantes. Iccircò ergo iſtud indicium poſuere, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundùm Apoſtolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obſeruari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos vnus eſt, atque eadem inſtituta bellandi, ne qua doli ſubreptio fiat, ſymbola diſcreta vnuſquiſque dux ſuis militibus tradit; quæ Latinè vel ſigna, vel indicia nominantur: vt ſi fortè occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus ſymbolum, prodat ſi ſit hoſtis, an ſocius. Icircò denique hæc non ſcribi chartulis atque membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt, vt certum eſſet, neminem hæc ex lectione quæ interdum peruenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe ſufficeret. Diſceſſuri ergo, vt diximus, ad prædicandum, iſtud vnanimitatis & fidei ſuæ indicium Apoſtoli poſuere: non ſicut filij Noë diſceſſuri ab alterutrum turrem ex latere cocto & bitumine conſtruentes, cuius cacumen pertingeret vſque ad cælum; ſed munimenta fidei quæ ſtarent aduerſum faciem inimici ex lapidibus viuis, & margaritis Dominicis ædificantes: quæ neque venti impellerent, neque flumina ſubuerterent, neque tempeſtatum ac procellarum turbines permouerent. Meritò ergo illi ab inuicem ſeparandi turrem ſuperbiæ ædificantes, linguarum confuſione damnati ſunt, vti ne vnuſquiſque poſſet aduertere proximi ſui loquelam. Iſti verò qui turrem fidei conſtruebant, omnium linguarum ſcientia & agnitione donati ſunt; vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. Sed iam nobis etiam de ipſis aliquid contrectandum eſt margaritis; in quibus primo in loco fons & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur: [a] CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM. Verùm priuſquàm incipiàm de ipſis ſermonum virtutibus diſputare, illud non importunè commonendum puto; quòd in diuerſis Eccleſiis aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In Eccleſia tamen vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego proptereà eſſe arbitror, quod neque hæreſis vlla illic ſumpſit exordium: & mos ibi ſeruatur antiquus, eos qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publicè, id eſt, fidelium populo audienti ſymbolum reddere, & vtique adiectionem vnius ſaltem ſermonis, eorum qui præceſſerunt in fide non admittit auditus. In cæteris autem locis quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ nouellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem ſequimur, quem [b] in Aquileienſi Eccleſia per lauacri gratiam ſuſcepimus. CREDO, ergo primum omnium ponitur, ſicut & Paulus Apoſtolus ad Hebræos ſcribens dicit: Credere enim primò omnium accedentem oportet ad Dominum, quia eſt, & credentibus in ſe remunerator ſit. Sed & Propheta dicit: Niſi credideritis, non intelligetis. Vt ergo intelligentiæ tibi aditus pateſcat, rectè primò omnium te credere profiteris: quia nec nauem quis ingreditur, & liquido ac profundo vitam committit elemento, niſi ſe priùs credat poſſe ſaluari. Nec agricola ſemina ſulcis obruit, & pro frugibus ſpargit in terram; niſi crediderit venturos imbres, affuturum quoque ſolis teporem, quibus terra confota, ſegetem multiplicata fruge, ac ventis ſpirantibus nutriat. Nihil denique eſt quod in vita geri poſſit, ſi non credulitas antè præceſſerit. Quid ergo mirum ſi accedentes ad Deum, credere nos primò omnium profitemur, cum ſine hoc nec ipſa exigi poſſit vita communis? Hoc autem icircò in principiis præmiſimus, quia pagani nobis obiicere ſolent, quod religio noſtra, quia quaſi rationibus deficit, in ſola credendi perſuaſione conſiſtat. Et ideò oſtendimus nec agi nec ſtare aliquid poſſe, niſi præceſſerit vis credendi. Denique ideò & matrimonia contrahuntur, quia creditur ſucceſſura poſteritas: & pueri diſcendis artibus traduntur, quia magiſtrorum in diſcipulos transfundenda creditur diſciplina: Imperij quoque inſignia vnus ſuſcipit, dum credit ſibi vrbes & populos, armatum etiam exercitum parituros. Quod ſi hæc ſingula niſi priùs crediderit futura, nullus aggreditur, quo modo non multò magis ad agnitionem Dei credendo veniatur? Sed videamus quid iam breuiatus hic Symboli ſermo proponat. [c] CREDO (inquit) IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM. Orientis Eccleſiæ omnes, ita tradunt: Credo in vnum Deum patrem omnipotentem. Et rurſum in ſequenti ſermone, vbi nos dicimus: Et in Ieſum Chriſtum vnicum filium eius Dominum noſtrum, illi tradunt: Et in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnicum filium eius. Vnum ſcilicet Deum & vnum Dominum ſecundùm auctoritatem Pauli Apoſtoli profitentis. Sed de hoc in competentibus locis repetemus. Nunc interim quod ait: In Deum patrem

a *Credo in Deum patrem omnipotentem*, Ita nos cum Morelio & Frobenio, quùm antea locus eſſet mutilus: præterquam quod Morelius in ablatiuo hæc legat, quomodo & Cauchius. Verùm quia legunt alii & plures in accuſatiuo, certè magis placet, vt in accuſatiuo legantur omnia, præſertim quùm ſic legant, non modo Froben, & vet. exc. cod. Hieron. ſed & vetuſtior adhuc ex prima editione, quam primùm innotuit ars Typographica, quem vidi in bibliotheca Tholoſana. Accidit quod tria illa cætera ſymboli tom. 4 operum Hieronymi, & ipſe Hieronymus dial. contra Lucifer. præterquam vno in loco, B. etiam Auguſt. vbique in accuſatiuo omnia legant. Et hæc dicta ſemel ſufficiant PAM.

b *In Aquileienſi Eccleſia.* Remboldus & vet. Hieronymi codex *Aquilegienſi. Idem.*

c *Credo*, inquit, *in Deum patrem omnipot.* Non modò accuſatiuos pro ablatiuis hic repoſuimus, ſed & locum mutilum ex Frobenio cum Morelio ſuppleuimus. *Idem.*

patrem omnipotentem, videamus. [a] Deus ſecundùm quod opinari poteſt humana mens, naturæ ipſius vel ſubſtantiæ, quæ eſt ſuper omnia, eſt appellatio. Pater verò arcani & ineffabilis ſacramenti vocabulum eſt. Deum cùm audis, ſubſtantiam intellige ſine initio, ſine fine, ſimplicem, ſine vlla admixtione, inuiſibilem, incorpoream, ineffabilem, inæſtimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum ſit. Sine auctore eſt enim ille, qui auctor eſt omnium. Patrem cùm audis, [b] filij intellige patrem, qui filius ſupradictæ ſit imago ſubſtantiæ. Sicut enim nemò dicitur dominus, niſi habeat vel poſſeſſionem, vel ſeruum cui dominetur, & ſicut nemo magiſter dicitur, niſi diſcipulum habeat: ita & pater & nullo pacto quis dici poteſt niſi filium habens. Hoc ergo ipſo nomine quo Deus pater appellatur; cum patre pariter ſubſiſtere etiam filius demonſtratur. [c] Quo modo autem Deus pater genuerit filium, nolo diſcutias, nec te curioſiùs ingeras in profundi huius arcanum: ne fortè dum inacceſſæ lucis fulgorem pertinaciùs perſcrutaris, exiguum ipſum qui mortalibus diuino munere conceſſus eſt, perdas aſpectum. Aut ſi putas in hoc omni indagationis genere nitendum, priùs tibi propone quæ noſtra ſunt: quæ ſi conſequenter valueris expedire, tunc à terreſtribus ad cæleſtia, & à viſibilibus ad inuiſibilia properato. Expedi primò ſi potes, & explana, quo modo mens quæ intra te eſt, generet verbum, & quis ſit in ea memoriæ ſpiritus: quo modo hæc cùm diuerſa ſint rebus & actibus, vnum tamen ſint ſubſtantia vel natura; & cùm è mente procedant, numquam tamen ab ipſa ſeparentur. Sed hæc quamuis in nobis & in animæ noſtræ ſubſtantia habeantur, tamen tantò nobis occulta videntur, quantò & aſpectui corporeo inuiſibilia. De apertioribus requiramus. Fons quo modo ex ſe generat fluuium? quo autem ſpiritu rapidum fertur fluentum? quod quidem cùm vnum & inſeparabile ſit, & fluuius, & fons, tamen nec fons fluuius, nec fluuius fons intelligi aut appellari poteſt, & tamen qui viderit fluuium videt & fontem. Exerce te prius in horum explanatione, & diſcute ſi potes quæ habentur in manibus; & tunc ad horum ſublimiora veniemus. Nec putes, quia te ſtatim de terra ſuadeam aſcendere ſuper cælos; ſed priùs te ſi placet ad iſtud firmamentum quod oculis patet, educam, & ibi ſi potes naturam huius viſibilis luminis diſcute. Quo modo ignis iſte cæleſtis generat ex ſemetipſo ſplendorem lucis? quo modo etiam producit vaporem? & cùm ſint tria in rebus, vnum tamen ſunt in ſubſtantia. Quod, & ſi hæc ſingula inueſtigare potueris; ſcito adhuc diuinæ generationis myſterium tantò eſſe differentius & eminentius, quantò creator creaturis potentior, quantò artifex opere ſuo præſtantior, quantò ille qui ſemper eſt, eo qui ex nihilo cœpit eſſe nobilior. Credendus eſt ergo Deus, pater eſſe vnici filij ſui Domini noſtri, non diſcutiendus: neque enim fas eſt ſeruo de natalibus Domini diſputare. Conteſtatus eſt pater de cælis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Pater ipſum dicit eſſe filium ſuum, & ipſum audiri iubet. Filius dicit: Qui me videt, videt & patrem. Et: Ego & pater vnum ſumus. Et: Ego à Deo exiui, & veni in hunc mundum. Quis eſt qui inter has patris & filij voces medium ſe diſcuſſorem interſerat, & Deitatem diuidat, affectum ſeparet, & ſubſtantiam rumpat, ſpiritum ſecet, neget eſſe verum quod veritas dicit. Eſt ergo Deus pater verus veritatis pater, non extrinſecus creans, ſed ex eo quod ipſe eſt filium generans, id eſt, quia ſapiens ſapientiam, quia iuſtus iuſtitiam, quia ſempiternus ſempiternum, quia immortalis immortalem, quia inuiſibilis inuiſibilem, quia lux ſplendorem, quia mens verbum. Quod autem diximus: Orientis Eccleſias tradere [d] vnum Deum patrem omnipotentem & vnum Dominum, hoc modo intelligendum eſt, vnum non numero dici, ſed vniuerſitate. Verbi gratia: Si quis dicit vnum hominem, aut vnum equum; hic vnum pro numero poſuit. Poteſt enim & alius homo eſſe & tertius, vel equus. Vbi autem ſecundus vel tertius non poteſt iungi, vnus ſi dicatur, non numeri, ſed vniuerſitatis eſt nomen. Vt ſi exempli cauſa dicamus vnum ſolem, hic vnus ita dicitur, vt alius vel tertius addi non poſſit; vnus eſt enim ſol. Multò magis ergo Deus cùm vnus dicitur, vnus non numeri, ſed vniuerſitatis vocabulo nuncupatur, id eſt, qui propterea vnus dicatur quod alius non ſit. Similiter & de Domino accipiendum eſt, quod vnus ſit Dominus Ieſus Chriſtus per quem Deus pater dominatum omnium tenet, vnde & ſequens ſermo omnipotentem pronunciat Dominum. Omnipotens autem ab eo dicitur, quòd omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia pater per filium, ſicut & Apoſtolus dicit: Quia per ipſum creata ſunt omnia, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. & iterùm ad Hebræos ſcribens dicit: Quia per ipſum ſæcula inſtituit, & ipſum conſtituit vniuerſorum hæredem. [e] Conſtituit autem quod ait; genuit, intelligitur. Quòd

a *Deus ſecundùm quod opinari poteſt.* Sic vtraque editio Hieronymi, pro eo quod noſtri, *Deus enim quod inopinari poteſt*, minus rectè, neque enim inopinari vox latina. PAM.

b *Filij intellige patrem.* Ita etiam lego cum Frobenio & Morelio. Ex illo vero & vet. edit. lego, *qui filius ſupradicta ſit imago ſubſtantia*, pro, *ſupradictus. Idem.*

c *Quomodo autem.* Placet & hoc illorum. pro, *ſanè.* Legunt etiam *ingeras*, pro, *inſeras*, & pro, *in profundi huius arcanum* habent *in profundo arcani*, pro quo ego legendum cenſeo *in profundum huius arcani. Idem.*

d *Vnum Deum.* Prorſus hoc adiiciendum cum iiſdem quum prius id habuerit, ſed vox *verum* omittenda. Caſtiganda etiam eſt vtraque Hieronymi editio, & legendum; hoc modo intelligendum pro *hoc non*, *& numeri*, pro, *vnitatis. Idem.*

e *Conſtituit autem*, &c. Tota hæc periodus in illis quoque ſupplenda. Item paulò poſt illud, *de Seraphim. Idem.*

Quod ſi per ipſum ſæcula inſtituit pater, & per ipſum creata ſunt omnia, & ipſe eſt hæres omnium per ipſum; ergo & potentatum omnium tenet. Quia ſicut lux de luce, & veritas de veritate: ita & de omnipotente omnipotens natus eſt. Vt in Apocalypſi Ioannis de Seraphim ſcriptum eſt: Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus [a] ſabaoth, qui erat, & qui eſt, & venturus eſt omnipotens. Omnipotens ergo dicitur qui venturus eſt. Et quis eſt alius qui venturus eſt, niſi Ieſus Chriſtus filius Dei? His additur, inuiſibilem & impaſſibilem. Sciendum quòd duo iſti ſermones in Eccleſiæ Romanæ ſymbolo non habentur: conſtat autem apud nos additos, hæreſeos cauſa Sabellij, illius profectò quæ à noſtris Patripaſſiana appellatur; id eſt, quæ patrem ipſum vel ex virgine natum dicit, & viſibilem factum, vel paſſum affirmat in carne. Vt ergo excluderetur talis impietas de patre, videntur hæc addidiſſe maiores, & inuiſibilem patrem atque impaſſibilem dixiſſe. Conſtat enim filium non patrem in carne & ex carne natum, & ex natiuitate carnis filium viſibilem & paſſibilem factum. Quantùm autem ſpectat ad illam deitatis immortalem ſubſtantiam, quæ vna ei eademque cum patre eſt; ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus ſanctus viſibilis aut paſſibilis creditur. Secundùm verò dignationem carnis aſſumptæ filius & viſus & paſſus in carne eſt. Quod & propheta prædixerat, vbi ait: Hic Deus noſter, & non reputabitur alter ad eum. Inuenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. [b] Sequitur poſt hæc: ET IN CHRISTVM IESVM VNICVM FILIVM EIVS DOMINVM NOSTRVM. Ieſus Hebræi vocabuli nomen eſt, quod apud nos Saluator dicitur. Chriſtus à chriſmate, id eſt, ab vnctione appellatur. Legimus enim in libris Moyſi, quòd Auſes Naue filius cùm electus eſſet dux populi, commutato nomine Auſe, Ieſus cognominatus ſit. Quo ſcilicet oſtenderetur hoc eſſe nomen quod principibus & ducibus conueniret, iis dumtaxat qui ſalutem ſequentibus ſe populis darent. Itaque & ille Ieſus appellatus eſt, qui eductum de terra Ægypti populum, & de erroribus eremi liberatum in terram repromiſſionis induxit. Et hic Ieſus dicitur, qui populum de ignorantiæ tenebris eductum, & de mundi erroribus euocatum introduxit ad regna cælorum. Chriſtus quoque vel pontificale, vel regium nomen eſt. Nam prius & pontifices vnguento chriſmatis conſecrabantur & reges: ſed illi velut mortales & corruptibiles vnguento materiæ corruptibilis vngebantur; hic verò Sancto ſpiritu perunctus, Chriſtus efficitur, ſicut Scriptura de eo dicit: Quem vnxit pater Spiritu ſancto miſſo de cælis. Et Eſaias præſignauerat, dicens ex perſona filij: Spiritus Domini ſuper me propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me. Quia ergo oſtendimus quid ſit Ieſus qui populum ſaluet, & quid ſit Chriſtus qui pontifex factus ſit in æternum: nunc ex conſequentibus de quo dicantur iſta, videamus. [c] Et in vnicum filium eius (inquit) Dominum noſtrum. Per hoc docet nos, quia Ieſus iſte de quo diximus, & Chriſtus de quo expoſuimus, vnicus filius ſit Dei & noſter Dominus. Ne fortè putes quòd humana iſta vocabula terrenum te aliquid doceant, ideò ſubiungit vnicum hunc eſſe filium Dei Dominum noſtrum. Vnus enim de vno naſcitur: quia & ſplendor vnus eſt lucis, & vnum eſt verbum cordis. Nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in diuiſionem cadit; vbi qui naſcitur, nequaquam à generante ſeparatur. Vnicus eſt, vt menti ſenſus, vt ſapientia ſapienti, vt cordi verbum, vt forti virtus. Nam ſicut ſolus ſapiens pater ab Apoſtolo dicitur, ita & ſolus filius ſapientia nominatur. Vnicus ergo filius eſt: & cùm ſit gloria, ſempiternitate, virtute, regno, poteſtate, hoc quod pater eſt; omnia tamen hæc non ſine auctore ſicut pater, ſed ex patre tamquam filius, ſine initio, & æqualis habet; & cùm ipſe ſit omnium caput, [d] ipſius tamen caput eſt pater. Sic enim ſcriptum eſt: Quia caput Chriſti Deus, ipſius tamen auctor eſt pater generando ſine initio. Quia nec pater præcedit filium, nec filius ſequitur patrem in faciendo quaſi adoptiuum, ſicut nos. Filium ſanè cùm audis, nolo cogitationem carnalis natiuitatis aſſumas, ſed memento hæc de incorporeæ dici ſubſtantiæ natura ſimplici. Si enim, vt ſuprà iam diximus, vel in eo quod cor generat verbum, vel mens ſenſum, vel lux ex ſe parit ſplendorem, nihil horum requiritur, nec vlla in tali generatione fragilitas cogitatur; quantò puriùs & ſacratiùs de horum omnium creatore cenſendum eſt? Sed fortaſsè dicas, iſta quam memoras, inſubſtantiua eſt generatio. Neque enim lex ſubſtantiuum profert ſplendorem, aut cor ſubſtantiuum generat verbum. Filius autem Dei ſubſtantialiter aſſeritur generatus. [e] Ad hoc primò omnium illud dicimus quod etiam in cæteris

rebus

a *Sabaoth, qui erat.* Hoc viciſſim nos ex illis recens adiicimus, quia reperitur & in Apocalypſi. PAM.

b *Sequitur poſt hæc & in Ieſum Chriſtum, &c.* Locum hunc anteà mutilum ſic ſuppleuimus, ex vtraque Hieron. editione; neque enim etiam Morelius aliud habebat, quàm *& in Chriſto Ieſu.* Putat autem præmittendum nomen *Ieſu,* non Chriſti, quia prius illud explicat. *Idem.*

c *Et in vnicum filium eius, &c.* Sic quoque illi, in noſtris deſiderabantur: *inquit*, neque verò maiuſcula litera hæc ſcribi debent, viciſſim apud illos legendum *per hoc*, non *poſt hoc.* Minus etiam rectè illi, *ſplendor vnius*, quam nos *vnus.* Illis quoque adiiciendum, *ſine initio & æqualis. Idem.*

d *Ipſius tamen caput eſt Pater, &c.* Hæc ex iiſdem recens adiecimus haud dubiè germana. Videtur tamen etiam hoc aut ſimile quid adiiciendum, *cùmque filius ſit omnium auctor.* & deinde ſubiungendum *ipſius tamen auctor eſt pater &c.* vſque ad illud *filium ſanè*, quæ omnia illi non habent. *Idem.*

e *Ad hoc primò omnium illud dicimus.* Hæc quoque ex illis repoſui pro, *ad hæc*, &c. *dicemus.*

rebus, cum proferuntur exempla, non per omnia ſimilitudinem ſeruare poſſunt rei illius cui præbere putantur exemplum, ſed vnius alicuius partis, pro qua videntur aſſumpta, ſimilitudinem tenent, Verbi gratia, vt cum in euangelio dicitur: Simile eſt regnum cælorum fermento, quod abſcondit mulier in farinæ menſuris tribus. Numquid putabimus regnum cælorum ſic per omnia ſimile eſſe fermento, vt & ſubſtantia illa palpabilis ſit ac fragilis, vt acida fieri poſſit & corrupta? Sed ad hoc ſolum exemplum iſtud videtur aſſumptum, vt oſtenderetur, ex parua prædicatione verbi Dei, humanas mentes fidei fermento poſſe coaleſcere. Similiter & cum dicitur: Simile eſt regnum cælorum reti miſſo in mare, quod ex omni genere piſcium attrahit: & in hoc numquid putandum eſt, quod naturæ lini quo rete aptatur, ac nobis quibus maculæ nectuntur, regni cælorum ſubſtantia per omnia conferatur? ſed ad hoc ſolum videtur aſſumpta comparatio vt oſtenderet; quia ſicut rete de profundo maris piſces adducit ad littus, ita de profundo huius ſæculi errore, humanæ animæ regni cælorum prædicatione liberantur. Ex quibus conſtat, exempla non in omnibus his quorum exempla ſunt, eſſe ſimilia. Alioquin ſi eadem eſſent omnia, iam non exempla dicerentur: ſed ipſæ potiùs res, de quibus agitur, viderentur. Deinde etiam illud dicendum eſt; quod nulla creatura talis eſſe poteſt qualis creator eius; Et ideò ſicut ſine exemplo eſt diuina ſubſtantia, [a] ita & ſine exemplo eſt diuina maieſtas. Tunc etiam illud addimus, quia omnis creatura ex nihilo eſt. [b] Si ergo inſubſtantiua ſcintilla quæ ignis eſt, ex ſe creaturam, quæ ex nihilo facta eſt, gignit, & conditionem in hoc ſeruat originis ſuæ: cur illius æternæ lucis ſubſtantia, quæ ſemper fuit, quia inſubſtantiuum in ſe nihil habuit, inſubſtantiuum ex ſe ſplendorem proferre non potuit. Et ideo rectè vnicus dicitus filius. Vnicus enim eo ſolus eſt, quia natus ſit. Nec comparationem aliquam poteſt habere quod vnicum eſt. Nec ſimilitudinem ſubſtantiæ cum facturis ſuis habere poteſt ille, qui factor eſt omnium. Hic ergo Ieſus Chriſtus filius vnicus Dei, qui eſt & Dominus noſter vnicus, & ad filium referri & ad Dominum poteſt. Vnus eſt filius, vere filius, & vnus verè Dominus Ieſus Chriſtus. Cæteri quippè, licet dicantur filij, adoptionis tantum gratia dicuntur, non veritate naturæ. Et ſi dicuntur alij Domini, conceſſa non ingenita poteſtate dicuntur: hic vero ſolus eſt vnicus filius, & ſolus vnicus Dominus, ſicut & Apoſtolus dicit: Vnus pater Deus, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Igitur poſteà quam propoſitus ordo fidei, ineffabile ſacramentum filij de patre natiuitatis expoſuit; nunc ad humanæ ſalutis dignationem diſpenſationémque deſcendit. Et hunc quem ſuprà dixit vnicum filium Dei, Dominum noſtrum nunc dicit. QVI NATVS EST DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE. Hæc iam inter homines diſpenſationis natiuitas eſt, illa diuinæ ſubſtantiæ; hæc dignationis eſt, illa naturæ. De Spiritu ſancto ex virgine naſcitur. Et iam hoc loco mundior auditus requiritur, & purior ſenſus. [c] Huic enim quem dudum de patre natum ineffabiliter didiciſti, nunc à ſancto Spiritu templum fabricatum intra ſecreta vteri virginalis intellige. Et ſicut in ſancti Spiritus ſanctificatione nulla ſentienda eſt fragilitas: ita & in partu virginis nulla eſt intelligenda corruptio. Nouus enim huic ſæculo datus eſt hic partus, nec immeritò: qui enim in cælis vnicus filius eſt, conſequenter & in terra vnicus eſt, quia & vnicè naſcitur. Nota ſunt omnibus & in Euangeliis decantata de hoc ſcripta Prophetarum qui dicunt, quod virgo concipiet & pariet filium. Sed & partus ipſius mirabilem modum Ezechiel propheta antè formauerat; Mariam figuraliter portam Domini nominans, per quam, ſcilicet, Dominus ingreſſus eſt mundum. Dicit ergo hoc modo; Porta autem quæ reſpicit ad Orientem clauſa erit, & non aperietur, & nemo tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël tranſibit per eam, & clauſa erit. Quid tam euidens dici [d] de conſeruatione virginis potuit? Clauſa fuit in ea virginitatis porta, per ipſam introiuit Dominus Deus Iſraël, & per ipſam in hunc mundum de vtero virginis proceſſit: & in æternum porta virginis clauſa, ſeruata virginitate, permanſit. Igitur Spiritus ſanctus refertur Dominicæ carnis & templi eius creator. Incipe hinc iam intelligere etiam ſancti Spiritus maieſtatem. Conteſtatur enim & euangelicus ſermo de ipſo, quod cum loquenti angelo ad virginem & dicenti: quia paries filium, & vocabitis nomen eius Ieſum, hic enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis ſuis: illa reſpondiſſet: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Dixerit ei Angelus Dei: Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et ideò quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei: [e] Vide ergo cooperantem ſibi inuicem Trinitatem. Spiritus ſanctus venire dicitur ſuper virginem, & virtus altiſſimi obumbrare ei. Quæ eſt autem virtus altiſſimi, niſi ipſe Chriſtus qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia? Cuius autem hæc virtus eſt? Altiſſimi, inquit. Adeſt ergo altiſſimus, adeſt virtus altiſſimi, adeſt Spiritus ſanctus. Hæc eſt Trinitas vbique latens, vbique apparens, vocabulis perſoniſque diſcreta, inſeparabilis verò ſubſtantia deitatis: Quamuis ſolus filius naſcatur ex virgine, adeſt

a *Ita & ſine exemplo eſt diuina maieſtas.* Illi, *diuinitas.* PAM.

b *Si ergo in ſubſtantiua ſcintilla &c.* Locum hunc anteà mutilum ſic ex iiſdem ſuppleuimus, & ante nos quoque Morelius, præterquam quod legat minus rectè, *ſi ergo in ſubſtantiua ſit illa quæ ignis eſt. Idem*

c *Huic enim.* Viciſſim ſic illi caſtigandi ſunt pro *hunc*; *Idem.*

d *De conſeruatione Virginis.* Etſi cum noſtris legat editio vetus *de conſecratione.* Magis tamen illud Frobenii arridet: Placet etiam quod ille paulò poſt habet, *dixerit*, pro; dixit. *Idem.*

e *Vide ergo cooperantem ſibi inuicem Trinitatem.* Corruptiſſimè anteà erat, *ſimplicem Trinitatem. Idem.*

adeſt & Altiſſimus, adeſt & Spiritus ſanctus, vt & conceptus virginis ſanctificetur & partus. Verum hæc quia ex ſcripturis propheticis aſſeruntur, poſſunt fortè Iudæos quamuis ſint infideles & increduli confutare. Sed pagani ſolent ridere nos cum audiunt prædicari à nobis virginis partum: propter quod paucis & eorum obtrectationibus reſpondendum eſt. Omnis partus, vt opinor, ex tribus conſtat. Si adultæ ætatis ſit femina, ſi virum adeat, ſi non ſit [a] illius vulua vitio ſterilitatis occluſa. Ex his tribus in hoc partu quem prædicamus, vnum defuit, vir; & hanc partem (quia qui naſcebatur, non erat terrenus homo, ſed cæleſtis) per cæleſtem ſpiritum dicimus, ſalua virginis incorruptione, compleram. Et tamen quid mirum videtur ſi virgo conceperit; cum Orientis auem quam Phœnicem vocant, in tantum ſine coniuge naſci vel renaſci conſtet, vt ſemper & vna ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo vel renaſcendo ſuccedat? Apes certè neſcire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam eſt. Sed & alia nonnulla deprehenduntur vti huiuſcemodi ſorte naſcendi. Hoc ergo incredibile videbitur diuina virtute ad totius mundi redintegrationem factum; cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur? Et tamen mirandum cur hoc gentilibus impoſſibile videatur, qui credunt Mineruam ſuam de cerebro Iouis natam: quid ad credendum difficilius? aut quid magis contra naturam? Hic femina eſt, hic naturæ ordo ſeruatur, hic conceptus & partus temporibus ſuis editur. Ibi nuſquam femineus ſexus, ſed vir ſolus & partus. Qui illa credit, cur iſta miretur? Sed & Liberum de femore eius aſſerunt natum. Ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque, quam aphroditem vocant, de ſpuma maris (ſicut etiam nominis ipſius compoſitio oſtendit) credunt eſſe progenitam; de ouo natos Caſtorem Pollucémque confirmant; ex formice Myrmidones: & alia mille ſunt, quæ contra rerum naturam venientia, ipſis tamen viſa ſunt credibilia: vt Deucaleonis & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his ſegetem natam. Et cùm hæc tot & talia figmenta crediderint; [b] vnum eis verbum impoſſibile videtur, quod adoleſcens fœmina diuinum germen, non hominis vitio, ſed Deo inſpirante conceperit; Qui vtique ſi ad credendum difficiles ſunt, illis tot & tam turpibus monſtris fidem nequaquam commodare debuerant. Si verò faciles ſunt ad credendum, multò promptiùs hæc noſtra tam honeſta & tam ſancta recipere, quàm illa tam indigna & tam fœda credere debuiſſent. [c] Sed dicent fortaſſis, quia poſſibile quidem fuerit Deo vt virgo conciperet, poſſibile etiam fuerit Deo vt pareret; ſed indignum videri vt tanta illa maieſtas per genitales fœminæ tranſiret egreſſus: vbi quamuis nulla fuerit ex virili admixtione commixtio, fuit tamen ipſius puerperij obſcenæ attrectationis iniuria: pro quo pauliſper eis ſecundùm ſenſum ſuum reſpondeamus. Si quis videat paruulum in profundo cœni necari, & ipſe cum ſit vir magnus & potens, extremis, vt ita dixerim, plantis ingrediatur cœnum, vt paruulum morientem liberet; pollutus ne à te accuſabitur hic vir, quod paululum luti calcauerit? an vt miſericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Sed hæc etiam de communi homine dicta ſint. Redeamus nunc ad naturam eius qui natus eſt. Quantum putas natura ſolis eo inferior eſt? quantum creatura ſine dubio creatore. Intuere nunc ſolis radios, [d] ſi in cœni alicuius voraginem demittantur, numquid inde iam aliquid pollutionis acquirunt? aut obſcœnorum illuſtratio ſolis ducitur in iniuriam? Ignis quoque natura quantò eſt inferior his de quibus ſermo eſt? Et nulla materia vel obſcœna, vel turpis adhibita ei, ignem polluiſſe creditur. Cum ergo hæc ita eſſe in rebus materialibus conſtet; tu in illa ſupereminenti & incorporea natura, quæ ſuper omnem ignem, & ſupra omne lumen eſt, pollutionis aliquid putas, aut obſcœnitatis incidere? Tum deinde etiam illud aduerte: Nos hominem à Deo creatum de terræ limo dicimus; quod ſi obſcœnitas Deo reputatur opus ſuum requirenti, multò magis ei reputabitur opus illud ab initio fabricanti; & ſuperfluum eſt dicere cur per obſcœna tranſierit cum non poſſis dicere, cur obſcœna condiderit. Et ideò obſcœna hæc eſſe non natura, ſed obſeruantia docuit. Cæterùm omnia quæ ſunt in corpore ex vno eodemque luto formata, vſibus tantum & officiis naturalibus diſtinguuntur. Sed nec illud quidem ab abſolutione vacare huius quæſtionis omittam; quod ſubſtantia Dei quæ per omnia incorporea eſt, inſeri corporibus, vel capi ab eis principaliter non poteſt, niſi aliqua media ſit ſubſtantia ſpiritalis, quæ capax eſſe diuini ſpiritus poſſit. Verbi gratia, vt ſi dicamus: Lux omnia quidem membra corporis illuſtrare poteſt, à nullo tamen eorum niſi à ſolo oculo capi poteſt, ſolus enim oculus eſt qui capax ſit lucis. Et filius ergo Dei naſcitur ex virgine, non principaliter ſoli carni ſocians, ſed anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media, & in ſecreta rationabilis ſpiritus arce verbum Dei capiente; abſque vlla quam ſuſpicaris iniuria Deus natus eſt ex virgine. Et ideò nihil ibi turpe putandum eſt, vbi ſanctificatio ſpiritus inerat, & anima

quæ

a *Illius vulua.* Addimus hoc ex iiſdem cum Morelio. Item, *& hanc partem*, pro eo quod erat corruptè, *& hoc pates.* *Idem.*

b *Vnum eis verbum impoßibile videtur.* Non habet vtraque Hieronymi editio: *verbum*, & legunt *ſpirante*, pro, *inſpirante.* *Idem.*

c *Sed dicent fortaßis quia poßibile quidem fuerit.* Contrà rectiùs ſic noſtra, quam Froben. cum Morelio, *ſed dicunt quia poßibile ſi fuerat*, aut vet. edit *poßibile quidem fuerat* *Idem.*

d *Si in cœni alicuius voraginem demittantur.* Ita lego ex coniectura Cauchii & ex Froben. pro, *dimittantur*, quamquam legat iſte omnia hæc in ſingulari numero cum vet. edit. *Idem.*

a Et

quæ erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi dicas impoſſibile, vbi aderat virtus Altiſſimi. Nihil de humana fragilitate cogites, vbi plenitudo inerat deitatis. CRVCIFIXVS SVB PONTIO PILATO, [a] ET SEPVLTVS DESCENDIT IN INFERNA. Docet Apoſtolus Paulus, illuminatos debere eſſe oculis cordis noſtri ad intelligendum [b] quæ ſit altitudo, latitudo & profundum deſcriptio crucis eſt. Cuius eam partem quæ in terram defixa eſt, profundum appellauit; altitudinem verò illam quæ in aërem porrecta ſublimis erigitur: latitudinem quoque illam quæ diſtenta in dexteram læuamque protenditur. Cùm ergo tot ſpecies mortis ſint, quibus de hac vita exitus dari hominibus ſolet; vult nos Apoſtolus illuminatos corde ſcire rationem, cur ex his omnibus crucis potius ſpecies ad mortem delecta ſit Saluatoris. Vnde ſciendum eſt, quòd crux iſta triumphus erat: triumphi enim inſigne eſt trophæum, trophæum autem deiecti hoſtis indicium eſt. Quia ergo aduenians Chriſtus, ſicut Apoſtolus dicit, tria pariter ſibi regna ſubiecit, hoc enim indicat vbi ait: Quia & in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & hæc omnia ſua morte vincebat: conueniens myſterio mors quæſita eſt; vt in aërem ſublimatus, & aëreas ſubiugans poteſtates, victoriam de his ſupernis & cæleſtibus traderet; [c] expenſas autem manus tota die (ſicut ſanctus Propheta dicit) tenderet ad populum incredibilem qui eſt in terra, vt incredulos conteſtaretur & inuitaret credentes; ea verò parte quæ ſub terram demergitur, inferna ſibi regna ſubiiceret. Etenim vt breuiter aliqua etiam de ſecretioribus perſtringamus, ab initio Deus cùm feciſſet mundum, præfecit ei & præpoſuit quaſdam virtutum cæleſtium poteſtates, quibus regeretur, & diſpenſaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyſes indicat in Deuteronomij cantico, vbi dicit: Cùm diuideret excelſus gentes, ſtatuit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum Dei; ſed horum nonnulli, ſicut & ipſe qui princeps appellatus eſt mundi, datam ſibi à Deo poteſtatem non his quibus acceperant legibus temperarunt, nec humanum genus diuinis obedire præceptis, ſed ſuis parere præuaricationibus docuerunt. Et hinc aduerſum nos peccatorum chirographa ſcripta ſunt, quia, vt propheta dicit, peccatis noſtris venundati ſumus. Pretium namque animæ ſuæ vnuſquiſque conſequitur, cùm concupiſcentiæ ſatisfecerit. Iſtud ergo vnuſquiſque chirographum ab illis rectoribus peſſimis tenebatur, quod Chriſtus detraxit aduenians, & hac eos poteſtate nudauit; idque ſub ingenti myſterio Paulus indicat, cùm dicit de eo: Delens quod aduerſum nos erat chirographum, & affigens illud cruci ſuæ, traduxit principatus & poteſtates, triumphans eos in ſemetipſo. Rectores ergo illi quos humano generi præfecerat Deus, in tyrannidis contumaciam verſi, impugnare commiſſos ſibi homines aggreſſi ſunt, & peccati prœliis debellare. Sicut Ezechiel propheta myſticis deſignat eloquiis, cùm dicit: In illa die procedent angeli feſtinantes exterminare Æthiopiam, eritque inter eos perturbatio in die Ægypti, quoniam ecce venit. Rectè ergo eos omnipotentia nudatos Chriſtus dicitur triumphaſſe, ablatamque ab eis poteſtatem hominibus tradidiſſe. Sicut ad diſcipulos ſuos dicit ipſe in euangelio: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Illos itaque qui accepta poteſtate malè abuſi ſunt, ſubiectis quondam ſuis ſubiicit crux Chriſti. Nos verò, hoc eſt, humanum genus edocet primò omnium vſque ad mortem reſiſtere aduerſum peccatum, & libenter interitum pro pietate ſuſcipere. Tum deinde & obedientiæ nobis in hac eadem cruce proponit exemplum, ſicut illis qui aliquando rectores noſtri fuerant, poſuit contumaciæ pœnas. Audi ergo quo modo Apoſtolus vult per crucem Chriſti obedientiam nos docere: Hoc, inquit, ſentite in vobis quod & in Ieſu Chriſto, qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu repertus vt homo, factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quia ergo ille magnus magiſter eſt qui fecerit & docuerit, [d] ideò obedientiam quæ piis morte etiam ſuſcepta ſeruanda eſt, docuit ipſe priùs pro hac moriendo ſeruari. Sed fortaſsè terreatur aliquis in huiuſcemodi doctrina, quòd quem paulò antè cum Deo patre diximus ſempiternum, ac de eius ſubſtantia eſſe progenitum, quemque regno, æternitate & maieſtate vnum cum patre eſſe docuimus, nunc de eius morte tractemus. Sed nolo terrearis, fidelis auditor, paulò pòſt iſtum quem audis mortuum, rurſum videbis immortalem, mors enim ab eo mortem ſpoliatura ſuſcipitur. Nam ſacramentum illud ſuſceptæ carnis quod ſuprà expoſuimus, hanc habet cauſam, [e] vt diuina filij Dei virtus, velut hamus quidam habitu humanæ carnis obtectus,

a *Et ſepultus.* Prorſus hoc adiiciendum cum cod. patet. tum ex eo quod infrà dicit, *vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo quod ſepultus dicitur*, tum quia D. Auguſtinus lib. de fide & ſymbolo; & rurſum lib. 2. & 3. ad Catech de ſymbolo, id legat & exponat. PAM.

b *Quæ ſit altitudo.* Adiicit cum illo Morelius *diuinitatis*, verùm neque habet Apoſtolus, neque huic loco conuenit. Rectè tamen illud addunt, *altitudo ergo, & latitudo, & profundum, deſcriptio crucis eſt.* & deinde legunt, *crucis*, pro *crucis. Idem.*

c *Expenſas autem manus, &c.* Ita rectè reſtituit hunc locum Cauchius, anteà corruptiſſimum, tam in noſtris quàm illis edit. ſimiliter & id quod ſequitur, *ea verò parte quæ ſub terram demergitur, inferna ſibi regna ſubiiceret. Idem.*

d *Ideò obedientiam, &c.* Longè aliter Froben. & vet. edit. *Ideòque prius etiam ſuſcepta morte ſeruanda docuit, ipſe hac primus moriendo ſeruauit. Idem.*

e *Vt diuina filij Dei virtus.* Hunc locum anteà corruptiſſimum ex illis reſtituimus, omiſſis vocibus, *erat, ergo, vt*, & legentes *poſſit*, pro, *poſſet. Idem.*

ctus, & (ſicut antè Apoſtolus dixit) habitu repertus vt homo, principem mundi inuitare poſſit ad agonem: cui ipſe carnem ſuam velut eſcam tradidit; vt hamo eum diuinitatis intrinſecus teneret inſertum, & effuſione immaculati ſanguinis, qui peccati maculam neſcit, omnium peccata deleret, eorum dumtaxat qui cruore eius poſtes fidei ſuæ ſignaſſent. Sicuti ergo hamum eſca conſeptum ſi piſcis rapiat, non ſolùm eſcam cum hamo non remouet, ſed & ipſe de profundo eſca aliis futurus educitur: ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Ieſu, non ſentiens in eo hamum diuinitatis incluſum; ſed vbi deuorauit, hæſit ipſe continuò, & diſruptis inferni clauſtris, velut de profundo extractus traditur, vt eſca cæteris fiat. Quod ita futurum ſub hac eadem figura & Ezechiel dudum ſignauerat dicens: Et extraham te in hamo meo, & extendam te ſuper terram, campi implebuntur de te, & conſtituam ſuper te omnes volucres cæli, & ſaturabo ex te omnes beſtias terræ. Sed & Propheta Dauid dicit: Tu confregiſti capita draconis magni, dediſti eum in eſcam populi Æthiopum. Et Iob de eodem myſterio ſimiliter proteſtatur, ait enim ex perſona Dei loquentis ad ſe: Aut adduces draconem in hamo, & pones capiſtrum circa nares eius? Non ergo damno aliquo, aut iniuria diuinitatis Chriſtus in carne paſſus eſt; ſed vt per infirmitatem carnis operaretur ſalutem in medio terræ Diuina natura in mortem per carnem deſcendit; non vt lege mortalium detineretur à morte, ſed vt per ſe reſurrecturus ianuas mortis aperiret: velut ſi quis rex pergat ad gentem in qua proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, depictáque carcerem intret, in quo vincti detinebantur; [a] & ingreſſus aperiat ianuas, reſoluat catenas, vincula, ſeras, & clauſtra comminuat & vinctos in remiſſionem educat, & eos qui ſedent in tenebris, & in vmbra mortis luci ac vitæ reſtituat. Ergo dicitur rex fuiſſe quidem in carcere, non tamen ea conditione qua cæteri qui tenebantur incluſi: ſed illi quidem vt pœnas ſoluerent, hic verò vt abſolueret pœnas. Cautiſſimè autem qui ſymbolum tradiderunt, etiam tempus quo hæc ſub Pontio Pilato geſta ſunt, deſignauerunt; ne ex aliqua parte velut vaga & incerta geſtorum traditio vacillaret. Sciendum ſanè eſt quod in Eccleſiæ Romanæ ſymbolo non habetur additum: Deſcendit ad inferna, ſed neque in Orientis eccleſiis habetur hic ſermo: vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo quòd ſepultus dicitur. Sed quoniam tibi erga ſcripturas diuinas amor & ſtudium ſubiacet, ſine dubio dicis mihi oportere hæc magis euidentibus Scripturæ diuinæ teſtimoniis approbari. [b] Quantò enim maiora ſunt quæ credenda ſunt; tantò idoneis magis & indubitatis teſtibus indigere, vera eſt & conſequens propoſitio. Sed nos tamquam ſcientibus legem loquentes, teſtimoniorum ſyluam breuitatis cauſa reliquimus; pauca tamen ex multis, ſi etiam hoc requiritur, adhibemus; ſcientes ſtudioſis quibuſque in Scripturis diuinis latiſſimum teſtimoniorum pelagus patere. Primò ergo omnium ſciendum eſt, quod ipſa ratio crucis non omnibus vna eademque eſt, ſed aliud gentibus, aliud Iudæis, aliud credentibus ſapit, ſicut & Apoſtolus dicit: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis verò vocatis Iudæis & Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et alibi: Verbum enim crucis [c] pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his verò qui ſalui fiunt virtus Dei eſt. Iudæi ergo quibus ex lege traditum fuerat, Chriſtum in æternum manſurum, ſcandalum patiebantur de cruce eius; quia reſurrectionem eius recipere noluerunt. Gentibus autem ſtultitia videbatur, Deum mortem ſuſcepiſſe, quia ignorabant myſterium carnis aſſumptæ. Fideles verò qui & natum & paſſum in carne receperant, & à mortuis reſurrexiſſe; meritò virtutem Dei credebant eſſe, quæ vicerat mortem. Primò ergo hoc ipſum, quòd Iudæi quibus prophetæ hæc prædixerant, non eſſent credituri, ſed illi qui numquam hæc à prophetis audierant: audi quo modo [d] prophetico ſermone ſignatur. Quibus non eſt, inquit, annunciatum de eo videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Quod autem his qui meditabantur legem Dei à pueritia vſque ad ſenectutem non credentibus, ad gentes eſſet omne myſterium transferendum, Eſaias hoc modo prædicit: Et faciet, inquit Dominus, Deus ſabaoth omnibus gentibus in monte iſto inueniri lætitiam, bibent vinum, vngentur vnguento. Trade hæc omnia gentibus. Hoc enim conſilium Dei omnipotentis ſuper omnes gentes. Sed dicent fortaſsè nobis illi qui ſe iactant in ſcientia legis: Blaſphematis, qui ſic dicitis Dominum corruptioni mortis ſubiectum & paſſionis crucis fuiſſe. Legite ergo quod ſcriptum habetis in lamentationibus Hieremiæ vbi dicit: Spiritus vultus noſtri Chriſtus dominus, comprehenſus eſt in corruptionibus noſtris: in quo diximus, ſub vmbra eius viuemus in gentibus. Audis quo modo propheta dicit Chriſtum dominum comprehenſum eſſe, & pro nobis, id eſt, pro peccatis noſtris corruptioni traditum. In cuius vmbra quoniam populus ille qui permanſit incredulus, abiectus eſt, dicit, quia viuemus non in Iſraël, ſed in gentibus. Quod ſi operoſum non videtur, quam poſſumus breuiter, ſingula quæ in euangeliis referuntur, qualiter in prophetis

prædicta

a *Et ingreſſus aperiat ianuas.* Hoc adieci ex illis, quibuſcum etiam & cum Morelio lego, *reſoluat catenas, vincula, ſeras, & clauſtra comminuat.* PAM.

b *Quantò enim maiora ſunt.* Hoc cum Morelio ex iiſdem pro, *magna*, adiecimus etiam vocem *magis.* *Idem.*

c *Pereuntibus quidem.* Viciſſim illis adiiciendum *quidem*, quia id habet Apoſtolus. *Idem.*

d *Prophetico ſermone ſignatur.* Ex illis hoc repoſui, pro, *ſignantur.* *Idem.*

prædicta ſunt deſignemus; vt hi qui prima fidei elementa ſuſcipiunt, teſtimonia hæc habeant in corde deſcripta, vt nulla eis vnquam de his quæ credunt ambiguitas inimica ſurripiat. Edocemur per euangelium quod Iudas vnus de amicis & conuiuis Chriſti, tradiderit eum; audi quo modo hoc prænuncietur in pſalmis: Qui manducat, inquit, panes meos, ampliabit aduerſum me ſupplantationem. Et alibi: Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Et iterùm: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, [a] & ipſi ſunt iacula. Vis videre quo modo molliti ſunt? Venit, inquit, Iudas ad Ieſum, & dixit ei: Aue rabbi, & oſculatus eſt eum. Per molle ergo oſculi blandimentum, execrabile iaculum proditionis infixit. Vnde & Dominus ad eum dixit: Iuda oſculo filium hominis tradis? Triginta argenteis audis eum appretiatum eſſe cupiditate proditoris. Audi & de hoc propheticam vocem. Et dixi, inquit, ad eos: Si bonum eſt in conſpectu veſtro, date mercedem meam [b] aut abnuite: & poſt hæc Et accepi, inquit, triginta argenteos, & miſi eos in domum Domini in conflatorium. Nonnè hoc eſt quod in euangeliis ſcribitur; quia Iudas pœnitentia ductus reportauit pecuniam, & proiecit eam in templo, & diſceſſit? Bene autem mercedem ſuam dicit, velut imputantis & exprobrantis affectu. Etenim tam multa opera bona apud eos egerat: Cæcos eorum illuminauerat; claudis pedes, paralyticis greſſum, mortuis quoque reddiderat vitam. Pro iis ergo omnibus bonis mercedem reſtituunt ei, mortem triginta argenteorum æſtimatione penſatam. Refertur item in euangeliis quod vinctus ſit. Prædixit hoc ſermo propheticus per Eſaiam dicens: Væ animæ ipſorum, quia cogitauerunt cogitationem peſſimam aduerſum ſeipſos, dicentes: Alligemus iuſtum, quia inutilis eſt nobis. Sed dicet aliquis: Numquid hæc de Domino intelligenda ſunt? numquid Dominus ab hominibus teneri poterat, & in iudicium protrahi? Et de hoc te idem propheta conuincet, dicit enim his verbis: Ipſe Dominus in iudicium veniet cum ſenioribus & principibus populi. Iudicatur ergo ipſe Dominus ſecundùm prophetæ teſtimonium, & non ſolùm iudicatur, ſed & flagellis cæditur, & palmis in faciem verberatur & conſpuitur, & omnem pro nobis perfert indignitatis iniuriam. Et quia hæc ſtupenda erant omnibus cum prædicarentur ab Apoſtolis, iccircò etiam ex perſona ipſorum propheta exclamat & dicit: Domine quis credidit auditui noſtro? Incredibile enim eſt vt Deus Dei filius iſta pertuliſſe dicatur & prædicetur. Et ideò prædicuntur per prophetas, ne qua credituris dubitatio naſceretur. Ipſe ergo ex ſua perſona Chriſtus Dominus dicit: Dorſum meum dedi flagellis, & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non auerti à confuſione ſputorum. Scribitur etiam illud inter cæteras paſſiones eius, quod alligantes eum duxerunt ad Pilatum: præſignauit etiam hoc propheta vbi dicit: [c] Et alligantes adduxerunt eum xenium regi Iarim: niſi ſi obiiciat aliquis & dicat, ſed Pilatus non erat rex. Audi ergo quid in ſequentibus euangelium refert: Audiens, inquit, Pilatus eum eſſe de Galilæa, miſit eum ad Herodem, qui erat tunc rex in Iſraël. Et benè addidit nomen Iarim, quod eſt ſilueſter. Non enim erat Herodes de domo Iſraël, nec de illa vinea Iſraëlitica, quam eduxerat Dominus de Ægypto, & plantauerat in cornu in loco vberi: ſed erat ſilueſter, id eſt, ex ſilua alienigenarum. Et ideò ſilueſter appellatur, quaſi qui de Iſraëliticæ vitis nequaquam palmitibus pullulaſſet. Sed & quod ait propheta, xenium, conuenienter aptauit. Tunc enim Herodes & Pilatus (vt euangelium teſtatur) ex inimicis in concordiam reuocati ſunt. Et velut reconciliationis ſuæ xenium, [d] vinctum ſibi inuicem mittebant Ieſum. Quid intereſt dummodo Ieſus vbique vt ſaluator diſſidentes reconciliet, pacem reparet, concordiam reddat? Vnde etiam de hoc ſcriptum eſt in Iob: Dominus reconciliat corda principium terræ. Refertur item quòd cum Pilatus vellet eum dimittere, omnis populus clamauerit: Crucifige crucifige eum. Prænunciat hoc Hieremias propheta dicens ex perſona Domini ipſius: Facta eſt, inquit, hæreditas mea mihi ſicut leo in ſilua. Dedit ſuper me vocem ſuam, propterea exoſus ſum eam. Et propter hoc inquit, dereliqui domum meam. Et iterùm alibi dicit. Super quem aperuiſtis os veſtrum, & aduerſus quem relaxaſtis linguas veſtras. Cum iudicaretur, ſcribitur tacuiſſe. Multæ de hoc ſcripturæ teſtantur, in pſalmis dicitur: Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo increpationes. Et iterùm: Ego autem ſicut ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: & iterùm alius Propheta: Sicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Impoſita ei ſcribitur corona ſpinea. Audi de hoc in Canticis Canticorum, ſuper iniquitates Hieruſalem mirantis de iniuria filii patris vocem, & dicentis: Exite & videte filiæ Hieruſalem coronam qua coronauit eum mater ſua. Sed de ſpinis ita alius propheta commemorat. Et expectaui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas, & non iuſtitiam, ſed clamorem. Verumtamen vt myſterij ſecreta cognoſcas: oportebat eum, inquam, qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare; quæ protoplaſto peccante, ſententiam præuaricationis acceperat, di-

cente

a *Et ipſi ſunt iacula.* Illi, *ſtant.* legit etiam Frobenius *audire* pro *videre.* quod tamen etiam habet vetus editio. PAM.

b *Aut abnuite & poſthæc, &c.* Rectè ſic illi cum 70. quos ſecutus Morelius, præterquam quod retinuerit *abite*, pro, *abnuite*, non rectè. *Idem.*

c *Et alligantes adduxerunt eum xenium Regi Iarim.* Prorſus ſic legendum cum illis, pro eo quod alij, *ad xenium regis.* Non potui autem reperire, vnde hoc ſumptum ſit. Eſt haud dubiè iuxta 70. *Idem.*

d *Vinctum ſibi inuicem mittebant.* Contrà ſic illi caſtigandi, pro, *iuſtum.* *Idem.*

cente Domino, maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos producet tibi. Propterea ergo ſpinis coronatur Ieſus, vt prima illa condemnationis ſententia ſolueretur. Ad crucem ducitur, & in ligno totius mundi vita ſuſpenditur. Vis & de hoc propheticis teſtimoniis confirmari? audi Hieremiam dicentem: Venite, & iniiciamus lignum in panem eius, & conteramus eum de terra viuentium. Et iterùm: Moyſes velut deflens eos dicit: Et erit vita tua ſuſpenſa ante oculos tuos, & timebis per diem & noctem, & non credes vitæ tuæ. Sed tranſcurrendum nobis eſt, iam enim propoſitæ breuitatis excedimus modum, & breuiatum ſermonem longa diſſertione diſtendimus; pauca tamen addemus, ne penitus quod cœpimus præteriſſe videamur. Scribitur Ieſus in latere percuſſus, aquam ſimul & ſanguinem profudiſſe. Hoc quidem myſticum eſt; ipſe enim dixerat, quia flumina de ventre eius procedent aquæ viuæ. Sed produxit & ſanguinem, quem petierant Iudæi venire ſuper ſe & filios ſuos. Produxit ergo aquam, quæ credentes diluat: produxit ſanguinem, qui condemnet incredulos. Poteſt tamen etiam intelligi, quòd duplicem gratiam baptiſmi figurauerit, vnam quæ datur per aquæ baptiſmum: aliam quæ per martyrium profuſione ſanguinis quæritur, vtrumque enim baptiſmum nominatur. Quod ſi & hoc quæris cur non ex alio membro, ſed ex latere potiùs produxiſſe dicatur aquam & ſanguinem. Videtur mihi in latere per coſtam mulier indicari, quia fons peccati & mortis de muliere prima [a] quæ fuit primi Adam coſta, proceſſit; fons redemptionis ac vitæ de ſecundi Adam coſta, producitur. Scriptum eſt quod in paſſione eius ab hora ſexta vſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt. [b] Accipe & de hoc prophetæ teſtimonium dicentis: Occidet tibi ſol meridie. Et iterùm Zacharias propheta: In illa, inquit, die non erit lux, ſed frigus & pruina erit in vno die; & dies ille notus Deo, & neque dies neque nox, & ad veſperam erit lux. Quid tam euidens à propheta dici potuit? Vt iam tum hæc non tam futura prædici quàm narrari præterita videantur, etiam pruinam & frigus prædixit. Propterea enim Petrus calefaciebat ſe ad ignem, quia frigus erat, & frigus patiebatur, non ſolum temporis, ſed & fidei. Addidit etiam: Et dies illa nota Domino, neque dies, neque nox. Quid eſt, neque dies neque nox? nonne apertè de inſertis diei tenebris & reuocata rurſum luce diſſeruit? Non fuit illa dies, neque enim cœpit ab ortu ſolis neque integra nox fuit; non enim peracto diei curſu, [c] ſpatia ſibi debita vel ab initio ſuſcepit, vel ad vltimum terminata perduxit, ſed fugata per impiorum facinus lux reparatur ad veſperam. Poſt horam enim nonam depulſis tenebris ſol redditur mundo. Et iterùm alius de hoc ipſo teſtimonium dicit: Obſcurabitur ſuper terram in die lux. Docet euangelij prædicatio, quòd etiam milites diuiſerunt ſibi veſtimenta Ieſu, & ſupra tunicam eius miſerunt ſortem. Hoc etiam curæ fuit Spiritui ſancto Prophetarum vocibus proteſtari, cum dicit: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Sed nec de illa quidem veſte quàm dicuntur milites illudentes induiſſe eum, id eſt, de veſte coccinea prophetæ ſiluerunt. Audi enim quid dicit Eſaïas: Quis eſt iſte qui venit de Edom, rubor veſtimentorum eius [d] ex Boſor? Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua, & indumentum tuum [e] tamquam à torculari calcato? Vnde & ipſe reſpondit. [f] Torcular calcaui ſolus filius Sion. Solus eſt enim qui peccatum non fecit, & abſtulit peccata mundi. Si enim potuit per vnum hominem moris introire: quantò magis per vnum hominem qui & Deus erat, potuit vita reſtitui? Refertur etiam quòd aceto potatus ſit, vel vino myrrhato, quod eſt amarius felle. Audi quid de hoc propheta prædixerit. Et dederunt, inquit, in eſca mea fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Atque reſpondens iam tunc Moyſes dicebat de populo illo: Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum de Gomorrha. Vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis ipſis. Et iterùm exprobrans eos dicit: Populus ſtultus & non ſapiens, hæc Domino retribuiſti? [g] Sed & in Canticis Canticorum eadem prænunciantur, vbi etiam hortus in quo crucifixus eſt deſignatur, dicit ergo: Intraui in hortum meum, ſoror mea ſponſa, & vindemiaui myrrham meam. Vbi euidenter vinum myrrhatum quo potatus eſt declarauit. Spiritum poſt hæc ſcribitur reddidiſſe. Prænunciatum fuerat & hoc per prophetam dicentem ex perſona filii ad patrem: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Sepultus quoque perhibetur, & lapis magnus poſitus ad oſtium monumenti. Accipe etiam de hoc quid propheticus per Hieremiam ſermo prædixerit: Mortificauerunt, inquit, in lacu vitam meam, & poſuerunt lapidem ſuper me. Euidentiſſima hæc ſepulturæ eius indicia propheticis vocibus deſignata ſunt; accipe tamen & alia: A conſpectu, inquit, iniquitatis ablatus eſt iuſtus, & erit in pace locus eius. Et alibi: Et dabo malignos in ſepultura eius. Item alius: Recumbens dormiuit vt leo, & vt catulus leonis: quis ſuſcitabit eum? Sed & quod in infernum deſcendit, euidenter prænunciatur

in

a *Quæ fuit primi Adam coſta.* Rectè pro, *prima*, ſupplenit etiam Morelius quod hic deerat. *Idem.*

b *Accipe & de hoc.* Adiicio *&*, quomodo & paulò poſt, *tum. Idem.*

c *Spatia ſibi debita.* Etiam voculam *ſibi*, & rurſum *perduxit*, cum Morelio. *Idem.*

d *Ex Boſor* Cod. *Boſra*, at illud habent 70. *Idem.*

e *Tamquam à torculari calcato.* Morelius *in torculari calcatum.* Verum illud habent 70. & ex græco ad verbum Cyprianus ſuprà epiſt. 63. *Idem.*

f *Torcular calcaui ſolus.* Quùm iſtud non ſit reperire apud 70. ſed in verſione Hieronymi, præterquam illud, *filia Sion*, videtur mihi alludere Rufinus ad illud Thren. 1. *Torcular calcauit Dominus virginis filia Iuda.* Atque adeò non rectè legunt alii, *filij Idem*

g *Sed & in Canticis Canticorum.* Non habent illi, *Canticorum. Idem.*

in pſalmis vbi dicit : Et in puluerem mortis deduxiſti me. Et iterùm : Quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendero in corruptionem ? Et iterùm : Deſcendiſti in limum profundi, & non eſt ſubſtantia. Sed & Ioannes dicit : Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Vnde & Petrus dixit : Quia Chriſtus mortificatus carne, viuificatus autem ſpiritu. In ipſo (ait) eis qui in carcere incluſi erant, deſcendit ſpiritibus prædicare, qui increduli fuêre in diebus Noë, in quo etiam quid operis egerit in inferno, declaratur. Sed & ipſe Dominus per prophetam dicit, tamquam de futuro. Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem : quod rurſus prophetice nihilominus oſtendit impletum cùm dicit : Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Sequitur poſt hæc : TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS : Reſurrectionis quippe gloria in Chriſto, omne quod infirmum & fragile videbatur, abſoluit. Si tibi paulò antè non videbatur eſſe poſſibile vſque ad mortem veniſſe immortalem ; aſpice nunc quia qui deuicta morte reſurrexiſſe dicitur, non poteſt eſſe mortalis : ſed bonitatem in hoc intellige creatoris, quia eouſque ille miſerando deſcendit, vſquequò tu peccando deiectus es. Nec creatorem omnium Deum impoſſibilitatis accuſes, vt ibi putes opus eius caduco lapſu potuiſſe concludi, quo ille [a] id reparaturus peruenire non poſſet : inferna & ſuperna nobis dicuntur, qui certa corporis circumſcriptione concluſi, intra præſcriptæ nobis legis terminos continemur. Deo autem qui vbique eſt, & nuſquam deeſt, quod inferum eſt, aut quod ſupernum, patet. Verumtamen in aſſumptione corporis etiam iſta complentur. Reſuſcitatur caro quæ depoſita erat in ſepulchro, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam : Quia non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Rediit ergo victor à mortuis, inferni ſecum ſpolia trahens ; eduxit enim eos qui tenebantur à morte, ſicut & ipſe prædixerat, vbi ait : Cùm exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham. Atteſtatur autem euangelium de hoc cùm dicit : Quia monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum dormientium reſurrexerunt & apparuerunt multis, & ingreſſi ſunt ſanctam ciuitatem illam de qua Apoſtolus dicit : Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm : Sicut & ad Hebræos dicit : Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentem, auctorem ſalutis eorum, [b] per paſſiones conſummari. Igitur conſummatam paſſionibus carnem humanam, quæ in mortem ceciderat per protoplaſti lapſum, reſurrectionis virtute reparatam, in dextera ſedis Dei altiſſimi collocauit. Vnde & Apoſtolus dicit : Qui ſimul conſuſcitauit nos, ſimulque ſedere fecit in cæleſtibus, hic enim erat figulus, qui (vt Hieremias docet propheta) vas de manu ſua collapſum & confractum, rurſum eleuauit manibus ſuis, & reformauit ſicut placuit in conſpectu eius. Placuit autem ita, vt corpus quod mortale & corruptibile ſuſceperat, de ſepulchri petra leuatum, & immortale atque incorruptibile effectum, iam non in terrenis, ſed in cæleſtibus & in patris dextera collocaret. Plenæ ſunt de his ſacramentis ſcripturæ veteris Teſtamenti. Nullus ſuper his propheta, nullus legiſlator aut pſalmographus ſiluit, ſed omnis pænè ſacra de his loquitur pagina : & ideò ſuperfluum videtur immorari nos ad congreganda teſtimonia : pauca tamen & admodum pauca ponemus, ad ipſos fontes diuinorum voluminum remittentes eos, qui potare abundantiùs cupiunt : dicit ergo ſtatim in pſalmis : Ego dormiui, & ſomnum cepi, & reſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me. Et iterùm in alio loco : Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus. Et alibi ſicut iam ſuperiùs diximus : Domine, eduxiſti de inferno animam meam : ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Et in alio : Quoniam conuerſus viuificaſti me, & de abyſſo terræ iterùm reduxiſti me. Euidentiſſimè autem in octogeſimo & ſeptimo pſalmo de eo dicitur : Et factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. Non dixit homo, ſed ſicut homo. Sicut homo enim erat, quia etiam deſcenderat in infernum : ſed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri non poterat. Et ideò in vna natura humanæ fragilitatis, in alio diuinæ poteſtas maieſtatis oſtenditur : Oſee autem propheta etiam de tertia die manifeſtiſſimè prænunciat hoc modo : Sanabit nos, inquit, poſt biduum : in die autem tertia reſurgemus & viuemus in conſpectu eius. Hæc autem ex perſona eorum dicit, qui cum ipſo die tertia reſurgentes, de morte reuocantur ad vitam : & ipſi ſunt qui dicunt : die tertia reſurgemus, & viuemus in conſpectu eius. Eſaïas verò apertè dicit : [c] Qui educit de terra paſtorem magnum ouium. Sed & mulieres quòd viſuræ eſſent reſurrectionem eius, ſcribis & phariſæis & populo non credentibus, etiam hoc prædixit Eſaias his verbis : Mulieres quæ venitis ab ſpectaculo venite : non enim eſt populus habens intellectum. Sed & de illis quæ poſt reſurrectionem perrexiſſe ad ſepulcrum dicuntur & quæſiſſe eum, & non inueniſſe : ſicut Maria Magdalena refertur veniſſe ad monumentum

a *Id reparaturus.* Illi, *ſalutem operaturus*, ſed minus placet. Contra rectiùs ille, *certa*, quam, *certè*. PAM.

b *Per paſſiones conſummari.* Prorſus hoc cum illis lego, tum quia græcè eſt διὰ παθημάτων, tum quod ſequatur. *paſſionibus*. *Idem.*

c *Qui educit*, Ille *eduxit*. vtra lectio ſit verior neſcio. Quum neque Eſaiæ 40. quod adnotarunt in margine Man. & Morel. neque alibi hanc ſcripturam reperire potuerim, ſicut nec illud quod ſequitur, *mulieres quæ venitis*, &c. niſi fortè illud ita tranſlatum fuerit ab Aquila, Symmacho, aut Theodotione illo loco. *Idem.*

mentum ante lucem, & non inuento eo flens dixiſſe ad angelos qui aderant: Quia tulerunt Dominum, & neſcio vbi poſuerunt eum: etiam de hoc ita prædicitur in Canticis Canticorum: In cubili meo quæſiui quem dilexit anima mea, in noctibus quæſiui eum, & non inueni eum. De illis quoque quæ inuenerunt eum, & tenuerunt pedes eius, prædicitur in Canticis Canticorum: Tenebo eum, & non dimittam eum quem dilexerit anima mea. Hæc interim pauca de multis; breuitati enim ſtudentes plura coaceruare non poſſumus.

ASCENDIT IN CÆLOS, SEDET AD DEXTERAM PATRIS: INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS.

Conſequenti breuitate in fine ſermonis hæc continentur; in quibus quod dicitur quidem palam eſt, ſed requiritur quo ſenſu intelligi debeant quæ dicuntur. Nam aſcendiſſe & ſediſſe, & venturum eſſe, niſi ſecundùm dignitatem diuinitatis intelligas, aliquid per hæc humanæ fragilitatis videbitur indicari. Conſummatis etenim his quæ in terra gerebantur, & animabus de inferni captiuitate reuocatis, aſcendere memoratur ad cælos, ſicut propheta prædixerat: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Illa ſcilicet dona, quæ Petrus in Actis Apoſtolorum de Spiritu ſancto dicebat: Exaltatus ergo dextera Dei, effudit hoc donum quod vos auditis & videtis. Donum ergo Spiritus ſancti hominibus dedit: quia captiuitatem, quam priùs diabolus per peccatum deduxerat in infernum, Chriſtus per mortis ſuæ reſurrectionem reuocauit ad cælum. Aſcendit ergo ad cælos, non vbi verbum Deus antè non fuerat: quippe qui erat ſemper in cælis, & manebat in patre; ſed vbi verbum caro factum antè non ſederat. Denique quia nouus iſte ingreſſus portarum cæli ædituis & principibus videbatur, videntes naturam carnis cælorum ſecreta penetrantem, dicunt ad inuicem, ſicut Dauid plenus Spiritu ſancto enunciat: Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio. Quæ vox vtique, non propter diuinitatis, ſed propter nouitatem carnis aſcendentis ad dexteram Dei ferebatur. Dicit & alibi idem Dauid: Aſcendit Deus in iubilatione, Dominus in voce tubæ. In voce enim tubæ, moris victorum eſt redire de prœlio. De ipſo quoque & aliâs dicitur: Qui ædificat in cælo aſcenſum ſuum. Etiam alibi: Qui aſcendit ſuper Cherubim & volauit, volauit ſuper pennas ventorum. Sedere quoque ad dexteram patris, carnis aſſumptæ myſterium eſt: neque enim incorporeæ illi naturæ conuenienter iſta abſque aſſumptione carnis aptantur: neque ſedis cæleſtis profectum diuina natura, ſed humana conquirit. Vnde & dicitur de eo. Parata ſedes tua Domine ex tunc à ſæculo tu es. Parata ergo à ſæculo ſedes eſt, in qua ſeſſurus erat is in cuius nomine omne genuflectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Et omnis lingua confitebitur ei, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria Dei patris eſt. De quo & Dauid ita refert; Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Quæ tamen dicta Dominus in euangelio diſſerens, dicebat ad Phariſæos: Si ergo Dauid in ſpiritu Dominum eum vocat, quo modo filius eius eſt? Per quod ſe oſtendit ſecundùm ſpiritum Dominum, ſecundùm carnem filium eſſe Dauid. Vnde & ipſe Dominus iterùm dicit: Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei. Et Petrus Apoſtolus dicit de Chriſto: [a] Qui eſt in dextera Dei, ſedens in cælis. Sed & Paulus ad Epheſios ſcribens: Secundùm operationem, inquit, potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans eum à mortuis, & ſedere faciens in dextera ſua. Quòd autem veniat iudicaturus viuos & mortuos, multis quidem diuinarum ſcripturarum teſtimoniis edocetur: ſed priuſquàm propheticis hæc eloquiis prædicta doceamus, illud neceſſariò arbitror admonendum, quòd iſta fidei traditio quotidie nos vult de aduentu iudicis eſſe ſollicitos; vt actus noſtros ita præparemus, velut reddituri imminenti iudici rationem. Hoc enim erat quod & propheta dicebat de viro beato. [b] Quia diſponet ſermones ſuos in iudicio. Quid autem dicitur iudicare viuos & mortuos, niſi quod alij viui, alij mortui ad iudicium veniant? ſed animæ ſimul iudicabuntur & corpora, in quibus viuos animas, corpora mortuos nominauit. Sicut & ipſe Dominus in Euangelio dicit: Noli timere eos qui corpus poſſunt occidere, animæ autem nihil facere poſſunt: ſed timete potiùs eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Nunc iam paucis ſi videtur etiam per prophetas hæc prædicta eſſe doceamus. Plura autem teſtimonia cùm volueris, ipſe tibi de ſcripturarum latitudine congregabis. Dicit ergo Malachias propheta: Ecce venit Dominus omnipotens, & quis ſuſtinebit diem aduentus eius, aut quis ſuſtinebit aſpectum eius? quia ipſe ingreditur ſicut ignis conflatorij, & ſicut ſpuma lauantium: & ſedebit conflans eos, & purgans ſicut argentum & ſicut aurum. Vt autem euidentiùs agnoſcas quis ſit iſte Dominus, de quo hæc dicuntur, audi quid & Daniel propheta prænunciat. Videbam, inquit, in viſu noctis, & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniens, & vſque ad vetuſtum dierum

a *Qui eſt in dextra Dei, &c.* Peſſimè Froben. *Quod* atqui poſteriores duas voces hodiè non habet epiſtola Petri. PAM.

b *Quia diſponet.* Et Frobenius & vetus editio *diſponit*, ſed illud placet, quia græcè eſt οἰκονομήσει. *Idem.*

dierum perueniet, & in conſpectu eius oblatus eſt: & ipſi datus eſt principatus, & honor, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient. & poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non peribit: & regnum eius non corrumpetur. Ex his ergo edocemur, non ſolum de aduentu & iudicio, ſed & de poteſtate eius & regno, quia poteſtas eius æterna ſit, & ſine corruptionis fine ſit regnum, ſicut in Euangelio dicitur. Regni eius non erit finis. Vnde valde alienus à fide eſt, qui regnum Chriſti dicit aliquando finiendum. Scire tamen debemus, quod ſalutarem hunc Chriſti aduentum conabitur inimicus ad decipiendum fideles quoſque callida fraude ſimulare, & pro filio hominis qui expectatur venturus in maieſtate patris ſui, filium perditionis in prodigiis & ſignis mendacibus præparare, vt pro Chriſto, mundo huic introducat Antichriſtum. De quo & ipſe Dominus in Euangeliis prædixit Iudæis: Quia ego veni in nomine patris mei, & non recepiſtis me: alius veniet in nomine ſuo, & ipſum recipietis. Et iterùm dicit: Cùm videbitis abominationem deſolationis [a] ſtantem in loco ſancto, ſicut dicit Daniel propheta: Qui legit, intelligat. Daniel ergo de aduentu erroris iſtius pleniùs & latius in ſuis viſionibus edocet: ex quibus valdè operoſum eſt exempla nunc ponere, quia ſatis amplis narrationibus dilatantur. Et ideò ſcire de his pleniùs delectantem, ad ipſas magis recenſendas remittimus viſiones. Sed & Apoſtolus de eo dicit: Ne quis vos ſeducat vllo modo; quoniam niſi diſceſſio venerit primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollit ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. Et paulò poſt: Et tunc reuelabitur, inquit, inimicus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui: & euacuabit illuminatione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus ſecundùm opera ſatanæ, in omni virtute, ſignis & prodigiis mendacibus. Et iterùm paulo poſt: Et ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati. Proptereà ergo propheticis & euangelicis atque apoſtolicis vocibus nobis prænunciatur hic error, [b] ne quis pro aduentu Chriſti aduentum credat Antichriſti. Sed & ipſe Dominus dixit: Cum dixerint vobis, ecce hic Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere: venient enim multi pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & ſeducent multos. Sed quo modo demonſtrabitur iudicium veri Chriſti, videamus: Sicut fulgur, inquit, de Oriente reſplendet vſque ad Occidentem: ita erit aduentus filij hominis. Cum enim aduenerit verus Dominus Ieſus Chriſtus, ſedebit, & iudicium ſtatuet: ſicut Euangelium dicit: Et ſegregabit oues ab hœdis, & iuſtos ab iniuſtis. Sicut & Apoſtolus ſcribit: Quia omnes nos ſtare oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria operis ſui, prout geſſit ſiue bona, ſiue mala: iudicabimur autem non ſolùm pro geſtis, ſed & pro cogitatis ſecundùm quod & ipſe Apoſtolus dicit: Inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die quo iudicabit Deus occulta hominum: ſed de his iſta ſufficiant. Poſt hoc ponitur in ordine fidei. ET IN SPIRITVM SANCTVM. Ea quæ in ſuperioribus paulò latius de Chriſto ſunt tradita, ad incarnationis vel paſſionis eius myſterium pertinent. Quæ dum media intercedunt perſonæ ipſius cooptata, Sancti ſpiritus commemorationem paulò longiùs reddiderunt. Cæterùm ſi ſolius diuinitatis ratio habeatur eo modo quo in principio dicitur. Credo in Deum patrem omnipotentem, & poſt hæc: In Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum; ita iungitur: Et in Spiritum ſanctum. Illa verò omnia quæ de Chriſto memorantur ad diſpenſationem carnis, vt diximus ſpectant: igitur ſancti ſpiritus memoratione adimpletur myſterium Trinitatis. Sicut enim vnus dicitur Pater, & alius non eſt Pater: vnus dicitur & vnigenitus Filius, & alius vnigenitus non eſt: ita & Spiritus ſanctus vnus eſt, & alius non poteſt eſſe Spiritus ſanctus. Vt ergo fiat diſtinctio perſonarum affectionis vocabula ſecernuntur; quibus ille pater intelligatur, ex quo omnia, & ipſe non habeat Patrem; filius verò tamquam qui ex Patre natus ſit; & Spiritus ſanctus, tamquam de Dei ore procedens & cuncta ſanctificans. Vt autem vna eadémque in Trinitate diuinitas doceatur; ſicut dictum eſt, in Deum Patrem credi adiecta præpoſitione, in: ita & in Chriſtum Filium eius, ita & in Spiritum ſanctum memoratur. Sed vt manifeſtius fiat quod dicimus, ex conſequentibus approbabitur. Sequitur namque poſt hunc ſermonem SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, REMISSIONEM PECCATORVM, HVIVS CARNIS RESVRRECTIONEM. Non dixit: in [c] ſanctam Eccleſiam, nec in remiſſionem peccatorum, nec in carnis reſurrectionem. Si enim addidiſſet, IN, præpoſitionem, vna eadémque vis fuiſſet cum ſuperioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, vbi de diuinitate fides ordinatur; in Deum patrem dicitur & in Ieſum Chriſtum filium eius & in Spiritum ſanctum; in cæteris verò vbi non de diuinitate, ſed de creaturis ac myſteriis ſermo eſt, IN, præpoſitio non additur, vt dicatur,

in

a *Stantem in loco ſancto*. Ex Frobenio & vet. edit. Hieron. addimus, *ſtantem*, quod id habeat Euangeliſta. Ex quibus etiam paulò poſt legimus *magis*, pro, *magnas*. PAM.

b *Ne quis &c. credat*. Idem, *ne qui &c. credant, vt recipiat vnuſquiſque propria operis ſui*. Legunt illi *corporis*, quomodo & græcè & latinè Apoſtolus: fortaſſis alia verſione vſus eſt Ruffinus. Confirmant tamen tum iſte tum ſuprà Cyprianus lib. teſtim. 2. cap. 22. & Ambroſ. in comment. lect. vulgati noſtri interpretis qui videtur legiſſe, τὰ ἴδια, pro eo quod eſt hodiè τὰ διὰ. *Idem*.

c *Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Ex iiſdem adiecio. *Catholicam* quamquam mirer non explicari eam vocem ab auctore. Viciſſim autem apud illos adiicienda prorſus vox *huius*, *Idem*.

in ſanctam Eccleſiam, ſed Sanctam Eccleſiam credendam eſſe, non vt in Deum, ſed vt Eccleſiam Deo congregatam: & remiſſionem peccatorum credendam eſſe, non in remiſſionem peccatorum; & reſurrectionem carnis, non in reſurrectionem carnis. Hac itaque præpoſitionis ſyllaba creator à creaturis ſecernitur, & diuina ſeparantur ab humanis. Is ergo Spiritus ſanctus eſt, qui in veteri teſtamento legem & prophetas; in nouo verò euangelia & Apoſtolos inſpirauit. Vnde & Apoſtolus dicit: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum. Et ideò quæ ſunt noui ac veteris inſtrumenti volumina, quæ ſecundùm maiorum traditionem per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur, & eccleſiis Chriſti tradita competens videtur in hoc loco euidenti numero, ſicut ex patrum monumentis accepimus, deſignare. Itaque veteris inſtrumenti primo omnium Moyſi quinque libri ſunt traditi, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Poſt hos Ieſu Naue, Iudicum ſimul cum Ruth: quatuor poſt hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant; Paralipomenon, qui dierum dicitur liber; & Eſdræ libri duo, qui apud illos ſinguli computantur, & Heſter: Prophetarum verò Eſaïas, Hieremias, Ezechiel, & Daniel: prætereà duodecim Prophetarum liber vnus: Iob quoque & Pſalmi Dauid ſinguli ſunt libri: Salomonis verò tres eccleſiis tradidit, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum. In his concluſerunt librorum numerum veteris Teſtamenti. Noui verò quattuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis: Actus Apoſtolorum, quos deſcripſit Lucas: [a] Pauli Apoſtoli epiſtolæ quatuordecim. [b] Petri Apoſtoli epiſtolæ duæ. Iacobi fratris Domini & Apoſtoli vna: Iudæ vna: Ioannis tres: Apocalypſis Ioannis. Hæc ſunt quæ patres intra canonem concluſerunt; ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt. Sciendum tamen eſt, quòd & alij libri ſunt qui non canonici, ſed eccleſiaſtici à maioribus appellati ſunt: vt eſt Sapientia Solomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filij Syrach, qui liber apud latinos hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus appellatur; quo vocabulo non auctor libelli, ſed ſcripturæ qualitas cognominata eſt. Eiuſdem ordinis eſt libellus Tobiæ, & [c] Iudith, & Machabæorum libri. In nouo verò teſtamento libellus, qui dicitur [d] Paſtoris ſiue Hermatis, qui appellatur [e] duæ viæ, vel iudicium Petri; quæ omnia legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò ſcripturas apocryphas nominarunt, quas in Eccleſiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, vt dixi, tradita opportunum viſum eſt hoc in loco deſignare, ad inſtructionem eorum qui prima ſibi Eccleſiæ ac fidei elementa ſuſcipiunt, vt ſciant ex quibus ſibi fontibus verbi Dei haurienda ſint pocula. Tenet deinde traditio fidei ſanctam Eccleſiam. Cauſam iam ſuperiùs diximus, cur non dixerit etiam hic in ſanctam Eccleſiam, ſed ſanctam Eccleſiam. Hi ergo qui ſuprà in vnum Deum credere docti ſunt ſub myſterio Trinitatis, credere etiam hoc debent, vnam eſſe Eccleſiam ſanctam; in qua vna eſt fides, & vnum baptiſma, in qua vnus Deus creditur Pater, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus Filius eius, & vnus Spiritus ſanctus. Iſta eſt ergo ſancta Eccleſia, non habens maculam aut rugam. Multi enim & alij Eccleſias congregarunt, vt Marcion, vt Valentinus, vt Hebion, vt Manichæus, vt Arius, & cæteri omnes hæretici. Sed illæ Eccleſiæ non ſunt ſine macula aut ruga perfidiæ. Et ideò dicebat de illis propheta: Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. De hac autem Eccleſia quæ fidem Chriſti integram ſeruat, audi quid dicat Spiritus ſanctus in Canticis Canticorum: Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta genitricis ſuæ. Qui ergo hanc fidem in Eccleſia ſuſceperit, non declinet in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat. Concilium namque vanitatis eſt, quod ait Marcion, qui negat patrem Chriſti Deum eſſe creatorem, qui per filium ſuum fecerit mundum. Concilium vanitatis quod Hebion docet, ita Chriſto credi debere, vt & circumciſio carnis, & obſeruatio ſabbati,

a *Pauli Apoſtoli Epiſtolæ.* Etiam hæc illorum lectio vt omnia ſequentia, in nominatiuo non in accuſatiuo legantur, placet magis. PAM.

b *Petri Apoſtoli epiſtolæ duæ.* Locus diligenter adnotandus, quod Epiſtolam Pauli ad Hebræos, [nam alioqui tredecim tantùm eſſent epiſtolæ Pauli] vtramque Petri, Iacobi vnam, & Iudæ vnam, Ioannis tres, indubitatò inter Canonicas ſcripturas, iam ab ætate ſua Rufinus numeret, quodque Petro & Iacobo Apoſtolis inſcribat. De quarum adeò auctoritate plura hic ſtatueram adſcribere, ſed ne ſim prolixior, lectorem remitto ad Ioan. Driedonem lib. 1. eccleſiaſt. dogm. Melchiorem Canum locorum Theologic. 2. & Sixtum Senenſem lib. 1. biblioth. ſanctæ, quod opus non ita pridem prodiit, digniſſimum profectò, quod omnium ſtudioſorum teratur manibus. *Idem.*

c *Iudith.* Quàm non rectè hic ſentiat Rufinus de cæteris hic commemoratis ſcripturæ libris ſuprà alicubi ſuis locis tractauimus. Vt idipſum autem faciamus de hoc libro Iudith. In primis non modò cum aliis recenſetur in canone ſcripturarum locis in argum. citatis, ſed & vel ipſo D. Hieronymo teſte in prologo, Synodus hunc Nicæna inter ſacras ſcripturas computauit. Deinde citant tamquam ſcripturam canonicam Origenes in cap. vlt. lib. Iudic. Chryſoſtomus de variis locis in Matth. hom. 10. Ambroſ. officior. lib. 3. epiſt. 82. lib. 2 de inſtit. virgin. cap. 2. & lib. de viduis latiſſimè, etiam cum ſua expoſitione dignatus, pro non exigua ſui parte. Cyrillus in Ioannem lib 7. Fulgentius epiſt. de ſtatu viduar. Ipſe denique Hieronymus epiſt. ad Saluinam. Omitto Bellatorem presbyterum, D. Iſidorum Hiſpal. & Rhabanum noſtrum, qui in illum commentati ſunt. Certè D. Hilarius prologo in pſalm. etiam libros Iudith & Thobiæ annumerari dicit canoni ſcripturarum, vt 24. libri conſtituantur veteris Teſtamenti *Idem.*

d *Paſtoris ſiue Hermatis.* Magis placet illud, quod apud Origenem in epiſt. ad Rom. non Hermes, ſed Hermas nominetur: quum tamen vtriuſque Apoſtolus meminerit. Damaſus etiam in catalogo Pontificum Herman vocat, & Euſebius lib. 3. hiſt. eccl. cap. 3. ipſo Ruffino interprete, Hermæ libellum nuncupat. Hic autem etſi apud veteres Clementem Alex. Irenæum, Athanaſium. citetur etiam ad dogmatum confirmationem, poſteà tamen à Proſpero nullius auctoritatis iudicatus, & à Gelaſio reprobatus, quippè ex quo, cum Caſſianus ſuum errorem hauſerit, tum Ariani ſuam hæreſin comprobare niterentur. *Idem.*

e *Duæ viæ vel iudicium Petri.* Veriſimilius eſt illud *qui appellantur duæ viæ*, ad librum Paſtoris referri quàm ad *Idem.*

a *Et*

ſabbati, & ſacrificiorum ſolemnitas cæteræque omnes obſeruationes ſecundùm litteram legis teneantur. Concilium eſt vanitatis quod Manichæus docet. Primùm quòd ſe paracletum nominauit, tum deinde quòd mundum à malo factum dicit, Deum creatorem negat, teſtamentum vetus repudiat, vnam bonam, aliam malam naturam ſibi inuicem aduerſantes aſſerit, coæternas Deo animas hominum ſecundùm Pythagoricos in pecudes & animalia & beſtias redire per diuerſos naſcendi circulos adſtruit, reſurrectionem carnis noſtræ negat, paſſionem Domini & natiuitatem non in veritate carnis, ſed in phantaſiis fuiſſe confirmat. Concilium vanitatis eſt, quod Paulus Samoſatenus & poſt eius ſucceſſor Photinus aſſeruit Chriſtum non fuiſſe ante ſecula natum ex patre, ſed ex Maria cœpiſſe: & non eum Deum hominem natum, ſed ex homine Deum exiſtimat factum. Concilium vanitatis eſt, quod Arius atque Eunomius docuit, qui filium Dei non ex ipſa patris ſubſtantia natum, ſed ex nihilo creatum volunt, & filium Dei habere initium, & minorem eſſe Patre: ſed & Spiritum ſanctum non ſolùm minorem eſſe ſed & mittendarium aſſerunt. Concilium vanitatis eſt & quod illi aiunt, qui filium quidem de ſubſtantia patris fatentur, ſanctum verò Spiritum ſeparant & ſecernunt; cùm vtique vnam eamdemque virtutem & diuinitatem oſtenderit Trinitatis Saluator in euangelio, cùm dicit: Baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et eſt apertè impium ſeparari ab homine quod diuinitùs jungitur. Concilium vanitatis eſt & hoc, quod olim congregauit pertinax & praua contentio, aſſerens quidem Chriſtum carnem humanam ſuſcepiſſe, non tamen & animam rationalem: cùm vtique & carni, & animæ, & ſenſui, & menti vna eademque ſalus à Chriſto collata ſit. Sed & illud concilium vanitatis eſt, quod Donatus per Africam traditionis Eccleſiam criminando contraxit; [a] & quod Nouatus ſollicitauit, lapſis pœnitentiam denegando, & ſecundas nuptias cùm fortè iniri eas neceſſitas exegerit, condemnando. Has omnes ergo velut congregationes malignantium fuge, ſed & eos ſi qui illi ſunt qui dicuntur aſſerere, quod filius Dei non ita videat, vel nouerit patrem ſicut ipſe noſcitur, & videtur à patre: vel regnum Chriſti eſſe finiendum, vel carnis reſurrectionem non integra naturæ ſuæ ſubſtantia reparandam: futurum Dei iuſtum erga omnes negare iudicium: [b] diabolum debita abſoluere damnatione pœnarum. Ab his, inquam, omnibus fidelis declinet auditus, ſanctam verò Eccleſiam teneat; quæ Deum Patrem omnipotentem, & vnigenitum Filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & Spiritum ſanctum concordi & conſona ſubſtantiæ ratione profitetur, filiumque Dei natum ex virgine, & paſſum pro ſalute humana, & reſurrexiſſe à mortuis in eadem carne qua natus eſt credit, eumdemque venturum judicem omnium ſperat, in qua & remiſſio peccatorum, & carnis reſurrectio prædicatur. Verùm de remiſſione peccatorum ſufficere deberet ſola credulitas. Quis enim cauſas aut rationem requirat, vbi indulgentia principalis eſt? Et tamen cùm terreni regis liberalitas diſcuſſioni non ſit obnoxia, ab humana temeritate diſcutitur diuina largitio? Solent enim cum irriſione dicere aduerſum nos pagani, quòd ipſi nos decipiamus, qui putamus crimina, quæ opere commiſſa ſunt, verbis poſſe purgari, & aiunt: Numquid poteſt qui homicidium commiſit, homicida non eſſe? aut adulter non videri, qui adulterium perpetrauit? Quo modo huiuſcemodi criminum reus, ſanctus vobis effici ſubitò videtur & purus? Sed ad hæc, vt dixi, meliùs fide quàm ratione reſpondeo. Rex enim eſt omnium qui promiſit, terræ cælique Dominus eſt qui hæc pollicetur. Vis vt ei qui me hominem ex terra fecit, non credam quòd ex criminoſo me faciat innnocentem: & qui me cùm eſſem cæcus, fecit videre; cùm eſſem ſurdus, audire me fecit; qui mihi claudo reddidit greſſum, innocentiam mihi perditam non poterit reparare? Et tamen veniamus ad ipſius naturæ teſtimonium. Occidere hominem non ſemper criminoſum eſt, ſed malitia non legibus occidere criminoſum eſt. Non ergo factum me in talibus, quia interdum & rectè fit, ſed animus malè conſulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminoſus effectus eſt, & in quo origo fuit vitij corrigatur; cur tibi non videar poſſe innocens effici, qui priùs fueram criminoſus? Si enim, vt ſuprà oſtendimus, conſtat quòd non in facto; ſed in voluntate ſit crimen, ſicut mala voluntas, auctore malo dæmone, peccato me & morti fecit obnoxium; ita in bonum voluntas mutata auctore bono Deo, innocentiæ me reddit & vitæ. Similis cauſa & in cæteris criminibus. Et hoc modo fides noſtra non inuenitur naturalibus rationibus aduerſari; dum remiſſio peccatorum non geſtis quæ mutari non poſſunt, ſed animo quem de malo in bonum verti poſſe, certum eſt, deputatur. [c] Sed & vlterius iſte ſermo, qui reſurrectionem carnis prænunciat; ſummam totius perfectionis ſuccincta breuitate concludit. Quamuis etiam de hoc non ſolùm à gentilibus, ſed etiam ab hæreticis fides impugnetur Eccleſiæ. Nam Valentinus reſurrectionem carnis omnimodò negat, & Manichæus, ſicut ſuperiùs oſtendimus. Sed & iſti, qui Eſaïam prophetam dicentem quidem: Reſurgent mortui, & ſuſcitabuntur qui in monumentis ſunt, audire noluerunt; nec Danielem

a *Et quod Nouatus ſollicitauit.* Rectè ita loquitur, nam auctor hæreſis fuit Nouatus, aſſertor Nouatianus. PAM.

b *Diabolum debita abſoluere damnatione pœnarum.* Hic viciſſim illi non rectè *abſolui.* Atqui veluti digito Origenem (quod mirum eſt) auctor notat. *Idem.*

c *Sed & vlterius.* Sic vetus editio pro eo quod alij, *ſed vltimus.* Et videtur ille caſtigatius, quia ſequitur in ſymbolo ET VITAM ÆTERNAM. Quod tamen niſi tacitè fortè, non explicat auctor. *Idem.*

Danielem ſapientiſſimum omnium propherantem : Quia tunc reſurgent qui ſunt in terræ puluere ; hi quidem in vitam æternam ; hi autem in opprobrium & confuſionem æternam. Inde vel in euangeliis quæ recipere videnrur, diſcere debuerunt à Domino ſaluarore noſtro Saducæos docente dictum : Quod autem reſurgant mortui, non legiſtis quo modo dicit Moyſes in rubo : Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob ? Deus autem non eſt mortuorum ſed viuentium. In quo etiam quæ ſit & quanta reſurrectionis gloria, in ſuperioribus memorauit, cùm dixit : In reſurrectione autem mortuorum neque nubenr, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei. Reſurrectionis ergo virtus angelicum hominibus confert ſtatum, vt qui de terra reſurrexerunr, non iterùm in terra cum pecudibus, ſed in cælo cum angelis viuant ; quos tamen ad hoc ratio vitæ prioris admiſerit : illos ſcilicet, qui iam non carni ſeruiunt, ſed animæ ſuæ, carnem caſtis pudicitiæ frenis in obedientia ſancti Spiritus ſubiugauerunt, & omni eam vitiorum labe tenuatam, & ad ſpiritalem gloriam ſanctificationis virtute mutatam, Angelorum quoque meruerunt conſortiis inferre. Sed infideles reclamant & dicunt : Quo modo poreſt caro quæ putrefacta diſſoluitur, aut in puluerem vertitur, maris etiam inrerdum profundo ſorbetur fluctibuſque diſpergitur ; recolligi rurſum & redintegrari in vnum, & corpus ex ea hominis reparari ? Ad quos primam interim reſponſionem ſermonibus Pauli faciamus, dicentes eis : Inſipiens tu, quod ſeminas non viuificabitur niſi priùs moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum tritici, aut alicuius cæterorum ſeminum : Deus autem dat illi corpus prout vult. Quòd ergo in ſeminibus quæ tu in terram iacis, per annos ſingulos fieri vides ; hoc in tua carne, [a] quæ Dei lege ſeminatur in terra, futurum eſſe non credis ? Cur, quæſo re ram anguſtus & inualidus diuinæ potentiæ æſtimatores, vt diſperſum vniuſcuiuſque carnis puluerem in ſuam rationem colligi & reparari poſſe non cenſeas ; cùm videas quod etiam mortale ingenium demerſas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putet ? Nec tantùm quidem concedimus ei qui fecit hominem ; quantùm homo qui ab ipſo factus eſt, aſſequi poteſt ? Et cùm auri eſſe propriam venam, & argenti aliam, æris quoque longè diſparem, ferrique & plumbi diuerſas in terra ſpecies terræ larere, mortale deprehendat ingenium : diuina virtus inuenire poſſe ac diſcernere non putabitur vniuſcuiuſque carnis proprium ſenſum, etiam ſi videatur eſſe diſperſum ? Sed adhuc tentemus animas quæ deficiunt in fide, naturalibus rationibus adiuuare. Si quis diuerſa ſemina in vnum permiſceat, & hæc indiſcrera ſeminet vel paſſim ſpargat in rerram ; nonne vniuſcuiuſque ſeminis quocumque loci fuerat ſatio, competenri tempore ſecundùm naturæ ſuæ ſpeciem germen producit, & culmum ſuæ formæ ſuique corporis reparat ? Ita ergo vniuſcuiuſque carnis ſubſtantia quamuis variè & diuersè diſperſa ſit, ratio ramen ipſa quæ ineſt vnicuique carni immortalis eſt. Tempore quo ſeminatis in terram corporibus primum verbum Dei voluntate cùm arriſerit, collectum de terra, & attractum ſubſtantiæ ſuæ ſenſum reddit ac reparat in illa ſpecie, quam mors aliquando diſſoluerat. Et ita fit vt vnicuique animæ non confuſum, aut extraneum corpus, ſed ſuum quod habuerat reparetur : vt conſequenter poſſit pro agonibus præſentis vitæ cum anima ſua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri. Et ideò ſatis cauta & prouida adiectione fidem ſymboli Eccleſia noſtra docet, quæ in eo quod à cæteris traditur, carnis reſurrectionem, vno addito pronomine tradit. Huius carnis reſurrectionem HVIVS ſine dubio, quam, is qui profertur, ſignaculo crucis fronti impoſito contingit ; quo ſciat vnuſquiſque fidelium, carnem ſuam ſi mundam ſeruauerit à peccato, futuram vas eſſe honoris, vtile Domino ad omne opus bonum paratum : ſi verò contaminata fuerit in peccatis, futuram eſſe vas iræ ad interitum. Iam verò de ipſa reſurrectionis gloria, & de promiſſionum magnitudine ſi quis pleniùs ſcire deſiderat, omnibus pænè diuinis voluminibus inueniet indicari ; ex quibus nos commonitionis tantummodò gratia, pauca in præſenri loco memorantes, finem iniuncti à te opuſculi faciemus. Igitur Apoſtolus Paulus quòd reſurganr mortui, talibus aſſerit argumenris, dicens : Quòd ſi reſurrectio mortuorum non eſt, ergo nec Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicario noſtra, vacua eſt & fides noſtra. Et paulò poſt : Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, [b] ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine : initium Chriſtus, deinde hi qui ſunr Chriſti in aduentu eius, deinde finis. Et in conſequentibus addit etiam hæc : Ecce myſterium vobis dico : [c] Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momeno, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgenr incorrupti, & nos immutabimur. Sed & ad Theſſalonicenſes

[a] *Quæ lege Dei ſeminatur in terra.* Prorſus ex illis adieci cum Morel. *terra* Cum iiſdem tribus lego *tam*, pro, *nunc*, & *æſtimator*, pro, *exiſtimator*. PAM.

[b] *Ita in Chriſto omnes viuificabuntur.* Sic ex cod. pro *viuificantur*, quia exemplaria Apoſtoli & Latina & Græca ſic legunt. *Idem*.

[c] *Omnes quidem reſurgemus.* Adnotanda eſt hæc lectio conformis noſtro interpreti, præſertim quum præcedentia ferè iuxta græcum Apoſtoli exemplar leguntur. In cuius confirmationem latiùs D. Hieron. epiſt. ad Minerium & Alexandrum. *Idem*.

nicenſes nihilominus ſcribens dicit: Nolo autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Nam ſi credimus quia Ieſus mortuus eſt & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos qui viuimus, qui relicti ſumus in aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, in voce Archangeli, in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos qui viuimus, qui relicti ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ita ſemper cum Domino erimus. Verum ne exiſtimes hæc Pauli ſolius prædicatione quaſi nouella ſignari: audi quid etiam Ezechiel propheta olim per Spiritum prælocutus ſit: Ecce, inquit, ego aperiam ſepulchra veſtra, & educam vos de ſepulcris veſtris. Iob quoque myſticis redundans totus eloquiis, audi quàm euidenter reſurrectionem prædicet mortuorum: a Eſt, inquit, arbori ſpes: ſi enim abſciſſa fuerit, iterùm pullulabit, & virgultum eius numquam deficit: quod ſi ſenuerit, in terra erit radix eius. Si autem in petra mortuus fuerit truncus eius, ab odore aquæ reflorebit, & faciet fruticem quaſi nouella. Vir verò ſi mortuus fuerit, abiit: & mortalis ſi ceciderit, vltrà iam non erit? Non tibi videtur in his cum quodam pudore arguere homines & dicere: Ita ne eſt ſtultum hominum genus, vt cum videant exſciſſæ arboris truncum iterùm pullulare de terra, & lignum emortuum iterùm vitam recipere; ipſi nec lignis ſimile aliquid de ſemetipſis, nec arboribus opinentur? Vt autem ſcias quod velut interrogantis modo, legendum ſit quod dixit: Mortalis autem cum ceciderit, non reſurget? de conſequentibus probat, ſubiungit namque ſtatim: Si autem mortuus fuerit homo, viuet. Et paulò poſt dicit: Expectabo vſquequo iterùm fiam. Et iterùm idem dicit: Qui reſuſcitaturus eſt ſuper terram pellem meam, quæ hæc nunc haurit. Hæc quidem dicta ſunt ad comprobationem profeſſionis noſtræ, qua confitemur in ſymbolo huius carnis reſurrectionem. Quod enim adiunctum eſt, HVIVS, vide quàm conſonum ſit omnibus his, quæ de exemplis diuinorum voluminum memorabamus. Quid enim aliud indicatur in dictis Iob, quæ ſuperiùs expoſuimus, cum dicit: Qui reſuſcitabit pellem meam quæ hæc nunc haurit, id eſt, quæ iſta tormenta perpetitur, nonne apertè huius carnis dicit reſurrectionem futuram? huius, inquam, quæ tribulationum & tentationum cruciamenta nunc ſuſtinet. Sed & Apoſtolus cum dicit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: numquid non corpus ſuum quodammodo contingentis, & digito palpantis eſt vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus eſt, reſurrectionis gratia incorruptibile erit, & hoc quod nunc mortale eſt, immortalitatis virtutibus induetur; vt ſicut Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, neque mors ei vltrà dominabitur: ita qui & in Chriſto reſurgunt, nec corruptionem ſentiant vltrà, nec mortem, non natura carnis abiecta, ſed conditione eius & qualitate mutata. Erit ergo corpus quod reſurget à mortuis incorruptibile & immortale, non ſolùm iuſtorum, ſed etiam peccatorum. Iuſtorum quidem, vt ſemper poſſint permanere cum Chriſto: peccatorum verò, vt abſque internecione ſui debitas luant pœnas. Quod autem iuſti ſemper cum Domino Chriſto permaneant iam & in ſuperioribus edocuimus, vbi oſtendimus quia Apoſtolus dicit: Deinde nos qui viuimus, qui relicti ſumus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ita ſemper cum Domino erimus. Nec mireris ſi ſacroſancta ſanctorum corpora in tantam gloriam reſurrectionis mutabuntur, vt in occurſum Domini ſuſpenſa nubibus & aëre vectata rapiantur; cum ipſe Apoſtolus exponens quantum conferat Deus his qui diligunt eum, dicat: Qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, b conforme corpori fieri claritatis ſuæ. Nihil ergo abſurdum eſt, ſi ſanctorum corpora dicantur nubibus in aëra ſuſtolli, cum ad formam corporis Chriſti quod in dextera Dei ſedet, dicantur eſſe reformanda. Sed & hoc ſanctus Apoſtolus, vel de ſe, vel de cæteris ſui loci, vel meriti addit & dicit: c Quia coexcitauit nos cum Chriſto, ſimulque fecit ſedere in cæleſtibus. Vnde cum hæc & horum ſimilia quàm plurima in repromiſſionibus habeat reſurrectio iuſtorum; non erit iam difficile credere etiam illa quæ Prophetæ prædixerunt: quod iuſti fulgebunt ſicut ſol & ſicut ſplendor firmamenti in regno Dei. Cui enim difficile videbitur, eos fulgorem ſolis habituros, & ſiderum ac firmamenti huius ſplendore decorandos; quibus vel vita & conuerſatio angelorum Dei paratur in cælis, vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Chriſti? Ad quam gloriam Saluatoris ore promiſſam reſpiciens ſanctus Apoſtolus dicit: Quia ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Si enim verum eſt, ſicut certè verum eſt, quod iuſtos quoſque & ſanctos angelorum conſortiis ſociabit diuina dignatio; certum eſt quod & corpora eorum in ſpiritalis corporis gloriam vertat. Nec hoc tibi contra naturalem corporis rationem videatur eſſe promiſſum. Si enim ſecundùm ea quæ ſcripta ſunt, quod accipiens Deus limum terræ plaſmauit hominem, credimus, & hæc eſt natura corporis

a *Eſt inquit arbori ſpes.* Eſt adnotatu dignum, quod hæc dicat interrogantis modo legenda, contra quam hodiè fit in Latinis & græcis exemplaribus. Mirum eſt viciſſim quod vtrobique legat *cum reciderit* quandoquidem græcè ſic priori loco [illegible], & poſteriori [illegible]. PAM.

b *Conforme corpori fieri.* Rectius quàm *corporis filij* græcè enim eſt [illegible]. adiecimus paulò poſt voculam *&c. Idem.*

c *Quia coexcitauit &c. ſimulque fecit.* Contra non placet lectio *conſuſcitabit & faciet*, quia repugnant & græca & Latina Apoſtoli exemplaria. *Idem.*

corporis noſtri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem; quid tibi aut abſurdum aut contrarium videtur, ſi eiſdem rationibus, quibus lutum profeciſſe dicitur in corpus animale, rurſum corpus animale, in corpus proficere ſpiritale credatur? Hæc quidem atque his ſimilia multa inuenies in ſcripturis diuinis de reſurrectione iuſtorum. Dabitur autem & peccatoribus, vt ſuprà diximus, incorruptionis & immortalitatis ex reſurrectione conditio, vt ſicut Deus iuſtis miniſtrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confuſionis miniſtret & pœnæ. Sic enim propheticum definit eloquium, cuius & paulò antè meminimus, vbi dicit: Et multi reſurgent de terræ puluere: hi quidem in vitam æternam, hi autem in confuſionem & opprobrium æternum. Si ergo intelleximus qua veneratione Deus omnipotens pater dicatur, quoue ſacramento Dominus noſter Ieſus Chriſtus vnicus filius eius habeatur, & qua perfectione ſanctus Spiritus eius nominetur, vtque ſancta Trinitas vnum ſit per ſubſtantiam ſed affectu perſoniſque diſcreta: quid etiam partus virginis, quid verbi in carne natiuitas; quid ſacramentum crucis; quæ vtilitas diuini ad inferna deſcenſus; quæ reſurrectionis gloria, & animarum de infernis reuocata captiuitas; quid etiam aſcenſus ad cælum; & venturi iudicis expectatio: ſed & ſanctæ Eccleſiæ aduerſum congregationes vanitatis, qualis haberi debeat agnitio; qui ſacrorum voluminum numerus; quæue hæreticorum vitanda conuenticula: vtque in peccatorum remiſſione diuinæ libertati nequaquam ratio naturalis obſiſtat, & vt carnis noſtræ reſurrectionem non ſolùm diuinæ vocis, ſed & ipſius Domini & Saluatoris exemplum & conſequentia naturalis rationis aſſignet. Si, inquam, hæc ſecundùm traditionis ſuprà expoſitæ regulam conſequenter aduertimus; deprecemur vt nobis & omnibus qui hæc audiunt, concedat Dominus, fide quam ſuſcepimus cuſtodita, curſu conſummato, expectare repoſitam coronam iuſtitiæ; & inueniri inter eos qui reſurgunt in vitam æternam, liberari vero à confuſione & opprobrio ſempiterno: per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem eſt Deo Patri omnipotenti cum ſancto Spiritu gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

a AD VIGILIVM DE IVDAICA INCREDVLITATE SEV POTIVS Celſi cuiuſdam in altercationem Iaſonis & Papiſci, Præfatio.

b ET ſi plurimos gentilium ſcio Vigili ſanctiſſime, ab ordine atque ratione veritatis aduerſos, quo minus Dominum noſcant, cæcitate mentis errare, tamen magis Iudaicæ plebis inſaniam noui aduerſus nomen Domini, pertinaci etiam nunc duritia cordis, ingenita patrum iniquitate, perſtare; aduerſantis veram ſalutem, nec inquirentis vitæ æternæ datorem, vt qui delictis ſtirpis antiquæ ſint pari merito nequitiæ genitalis obnoxij, ſaltem vel ſerò credentes poſſint conuerſi ad Domini timorem ſatisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari: ſed perſtat & durat adhuc & ſemper aduſque progeniem ſuccidaneam innata patrum irreligioſa perfidia; quæ aduerſum odium nominis Domini incredulitatis infamia roborata, nec ad noſcendam veritatem poteſt corrigi, nec ad timorem Dei ipſius monitis doceri atque ſuaderi. Cum autem doceat Dominus, & oſtendat dicens: Ego ſum lumen ſæculi, qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ: quæ, malum, ratio eſt, oſtenſum diuinitus vitæ lumen omittere, & mentis cæcitate malle tenebras mortis eligere, vt oſtendat damnationis ſuæ propriæ voluntatis liberam & illicitam perditionem, contra Deum etiam illa nolle quæ proſunt. Secundùm quod & per Domini vocem increpatam Hieruſalem quod colligi noluerit, Domino illam volente colligere, loquitur Spiritus ſanctus, & bonitatem Dei manifeſtat peccatoribus ſubuenire iugiter velle: Hieruſalem Hieruſalem, quæ interficis Prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui colligere filios tuos, ſicut gallina colligit filios ſuos ſub aſſellas ſuas, & noluiſti? Adeò Dei voce manifeſta, perfidi populi contumacia denotatur, vt etiam ſalutem propriam ſuam ſemper aduerſus clementem miſericordiam Domini ſpreuiſſe doceatur. Propheta item alius, beneuolentiam Dei exhortatione offerens, prædicatione inſinuans; proclamat & ſuadet dicens: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus. Alias quoque ſimiliter miſericordiam ſuam Deus ſempiternam manere demonſtrans, addidit dicens: Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur & viuat, dicit Dominus. Quid eſt ergo reuerti, quam in Chriſtum credendo, per eum qui eſt via veniendi ad patrem, Deo reconciliatum poſſe ſaluari? Quomodo autem reuerti ad Deum poſſunt, qui ei per quem eſt agnitio, & reuerſio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere noluerunt? aut quomodo Deum ſatisfactione placare potuerunt; qui eum qui eſt ſatisfactio & placatio pro nobis apud patrem, ſacrilega impugnatione perſequi maluerunt? Si enim aduocatum Chriſtum habemus apud Deum patrem, ſeruare ea quæ nos docuit & monuit, quæque ad patrem locuturus eſt, ſollicito timore facere debemus. Igitur nos qui mente in Domini metum prona, mandatorum eius monitis

a *Ad Vigilium*, *&c.* Nicol. Faber: memini me in altercatione Iaſonis & Papiſci, quæ græco ſermone conſcripta eſt, ita repetiiſſe: λοιδορία θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id eſt, maledictio Dei qui appenſus eſt. RIG.

b *Etſi plurimos gentilium ſcio.* Optimè quidem quæ de hoc Vigilio poſteà narrat, conuenirent in D. Vigilium Epiſcopum Tridentinum & martyrem; ſed videtur auctor iſte vetuſtior, etiam ſi Ambroſii ætate vixiſſe illum dicamus. PAM.

monitis inſiſtimus, & religioſi ac venerabilis cordis fide credulitatem de eius timore concipimus; quid aliud ſequi, quid cupere, quid magis velle ac tenere debemus, quàm vt omni à nobis mentis antiquæ nocte diſcuſſa, & caligine vitæ prioris abſterſa, mandatorum Domini ſalutarium memores, ac vitæ æternæ promiſſa retinentes, ad eius monita vertamur, & in ipſius lumine quod oſtendit, firmata credulitate gradiamur; vt qui ignari aliquando ſalutis futuræ, in erroribus implicati vitæ prioris, ac tenebris aberrauimus, illuminati nunc eius veri luminis claritate, & oſtenſo nobis atque patefacto melioris vitæ limite, Domini mandata ſequenda & gerenda teneamus. Hoc lumen nobis vitæ ſalutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum, de Dei patris procuratione ac miſeratione, præſidium. Magi primi ab Orientali parte venientes, & ſtella eius duce, Iudæorum regem palàm præſcia prædicatione quærentes, adferentes etiam munera, teſtificata omnibus inquiſitione monſtrarunt. Et ne aliquibus, quis ille, eſſet abſconſum: inuentum puerum procidentes genibus adorarunt; ſicut teſtificatur Euangelium, dicens: Cùm autem natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt in Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum; teſtificantes ſcilicet veritatem de eo, etiam ſtellam ſibi ſignum atque indicium natiuitatis ipſius eſſe monſtratam, qua indice natum illum Magis prædicantibus & adfirmantibus, Hieroſolymis crederent. [a] Simeon quoque iuſtus qui in cœcitate conſtitutus, diuino monitu audierat, ſe non antè moriturum quàm vidiſſet Chriſtum; cùm in templum omni populo præſente infantem ſecum inferret mater, & in ſpiritu natum eſſe Chriſtum ſenſiſſet, acceptum in manus puerum vidit; & benedicens Deum, in conſpectu & auditu omnium dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Simeon quod cœcus audierat, euidenti veritate perfectum eſt; & veritatem quam accepto lumine viderat, benedicendo palàm, Deum populo prædicabat. Ad hoc enim viderat vt referret, & reuelatione ſua quòd Chriſtus natus fuiſſet, oſtenderet; & perfidi populi initia prima incredulitatis inſtrueret. Nec hoc ſolùm teſtimonium de eo ſcripturarum cæleſtium veritas perhibet, verùm & per Prophetas antè Spiritus ſanctus aduentum eius in hunc mundum futurum, palam mente omnium conſciente prædicauit. Nec eſt obtentus excuſationis incredulis, vel ignoraſſe Dei filium Chriſtum, vel neſciſſe futurum Saluatoris aduentum; ſicut Dauid manifeſtat dicens: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam; non ſunt ſermones nec verba, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & trans fines terræ fines eorum. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt, in manifeſto, in luce, palàm ſeipſum veniſſe monſtrauit; & prædicatione per Prophetas, ſui oſtenſione quodammodo, omnibus ſuam præſentiam probauit. Hoc etiam Eſaias, per quem Dominus præſentiam ſuam clara annunciationis manifeſtatione monſtrauit, prophetat & dicit: Ipſe qui loquebar veni, id eſt, qui per prophetas antè aduentus mei futuri præloquens fueram, is propria nunc atque præclara voce præſentiam meam teſtis mei ipſe manifeſto. Quid euidentius? quid luce præclarius? quid verius poteſt dici? vt oculis quodammodo perſpectus eſſet, oſtendit veniſſe ipſe qui fuerat venturus, antequam veniret; & incredulitate [b] mentes populi perfidi obſtruente, venientem nemo cognouit. Sicut idem Iſaias in prima increpatione populo proclamat dicens: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepium domini ſui, Iſraël autem me neſciit, & plebs me non intellexit. Palam cunctis ſicut ipſe prædixit apparuit; & ſedentibus in tenebris manifeſtum vitæ lumen effulſit, & iuſtitia [c] perfidorum pectus obſeſſum, poſtpoſita propria ac reiecta ſalute tenebras potiùs cœcitate cordis elegit. Frequentatur vbique aut manifeſtat prophetatio cunctorum, qui ſancto Spiritu præmonente aduentus Domini metatores eſſe ſortiti ſunt; hoc lumen ſæculo datum, & diem nobis ſalutis exortum, viuificandis quoque in eum credentibus deſtinatum. Docet hoc in pſalmis Spiritus ſanctus & oſtendit dicens: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à Domino factum eſt iſtud, & eſt admirabile in oculis noſtris: iſte dies eſt quem fecit Dominus, ambulemus & iucundemur in eo. In hoc die nos ambulare, Paulus quoque Apoſtolus præcipiens & docens ac præmonens dicit: Nunc enim propiùs eſt nobis ſalus quàm cum credimus; nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſic vt in die honeſtè ambulemus, id eſt, in Chriſto & mandatis eius, cuius lumine ac monitis luminati & in claritate diei eius inuenti, proximam nobis ſalutem credulitatis in eum mente conſpicimus. Solem quoque eſſe Chriſtum cunctis timentibus eum Malachias propheta teſtatur & promittit dicens: Vobis autem timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ, & ſanitas in alis eius; oſtendens ex nullo nobis ſalutem poſſe conferri, niſi in paſſione crucis eius, qua extendens manus cuncta ſæculi ſaluaturus amplexus eſt. Conuerſo ergo ad eum timore credamus, & ad æternitatem vitæ ſpe futuri regni eius animemur. Quis enim tam ſtolidus ac demens, quis ſic ab intellectu ſuæ ſalutis alienus; qui tot & tantis veritatis teſtimoniis incredulus,

a *Simeon quoque iuſtus, &c.* Mirum eſt quòd etiam ſecundò repetit, Simeonem hunc cœcum fuiſſe: neque enim id apud quemquam me legiſſe memini. PAM.

b *Mentes populi perfidi obſtruente.* Rurſum hoc repoſui, pro mentis. *Idem.*

c *Perfidorum pectus obſeſſum.* Vox quæpiam hic deſiderari videtur. *Idem.*

incredulus, [a] non aduerſus, in metam fidem obdutatum pectus intellectu veritatis emolliat; & tenebris vitæ quondam mortalis exutus, in lumine præceptorum cæleſtium gradiens, ad diuina monita & Domini ſalutaria gerenda mandata, illuminato corde, tota mentis ac fidei credulitate conuertat: vt quem Prophetæ prædicauerunt, Deum noſcat; vt Chriſtum qui ſe palam mundo veniſſe monſtrauit, intelligat vt ſcripturis diuinitùs teſtificantibus, Dei filium & Deum credat. Sicut ipſe, quæ ſit vita æterna, manifeſtat dicens: Hæc eſt autem, ait, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum; docens atque oſtendens, nihil aliud eſſe Deum noſſe, quàm credere & oculos cordis in Dominum pronas, immò tota pectoris fide deuotæ mentis aperire. Inde iam fit vt credendo intelligas, intelligendo quod credis, in ſenſu Deum illuminato corde conſpicias; ſicut idem ipſe Dominus & per Eſaiam antemonet dicens: Si non credideritis, nec intelligetis. Tam facilis & præſtans & larga eſt atque abundans de Domini pietate clementia; vt ſi quis ſemel ſeſe in eum toto timore conuerterit, ad cæleſte munus admiſſus; iam eius non niſi ad diuina mens pateat, & ad cælum ac ſuperna oculos cordis adtollens, Chriſti lumen parte iam ſalutis aſpiciat. Exemplum ac documentum noſtri timoris & fidei, ex ipſius Abrahæ patriarchæ fideli credulitate monſtratur, qui repromiſſioni Dei mente ſimplici ſtatim credidit, & ideò ad iuſtitiam deputari ei condigna remuneratione commeruit. Hoc Deus diligit, hoc adpetit, hoc in ſeruis ſuis benignus remunerat, & honorat ſimplicitatem mundi cordis; [b] quo quidem eius cernimus timorem dilectionis Domini, quo probamur: credulam fidem mentis, qua iuſtitiæ deputamur. Hanc fidem ſequi, hunc Dei timorem ſeruare nos conuenit; qui cuſtodientes verba cæleſtia, & ſperantes promiſſa diuina, filij Abrahæ meruimus nuncupari. Quod Apoſtoli Pauli, qui Dei voce vas electionis eſt dictus, conteſtatione firmatur dicentis. Sic Abraham credidit Deo, & accepto latum eſt ei ad iuſtitiam. Cognoſcite ergo, quoniam qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Hoc Iudaicus populus, cui à primordio legis monita loquebantur, incredulæ mentis duritia, & perfidi cordis inſania ſeruare noluit; & ideò pro diffidentiæ merito, filiorum nomen amiſit: non tamen omnium perfidæ gentis, aduerſus nomen Domini, quo minùs intelligerent veritatem, odio durata mens eſt. [c] Etiámque Spiritus ſanctus, id eſt, Chriſtus Dominus noſter profectus ex Deo patre, venit vt ſaluum faceret quod perierat Iſraëlis: qui maior ac fortior ad ſubigenda contumacium colla in timorem ſui nominis & poteſtatem, eos qui aduerſus luminis ſui claritatem, obſtinata etiam tunc mentis cœcitate durabant, ad notitiam claritatis & gloriæ ſuæ tam facilè conuertit; quàm vt omnes ſaluos faceret prouidentiæ ſuæ diuinæ miſericordiæ dignatus aduenit. Nam vt duri cordis tunc & impiæ plebis ad Domini metum ipſo Domino euangelizante conuerſas mentes ſileam; vt Apoſtolorum eius prædicatione multiplicatum in toto orbe & reuerſum credentium populum conticeſcam; illud præclarum atque memorabile glorioſúmque [d] Iaſonis Hebræi Chriſtiani, & Papiſci Alexandrini Iudæi, diſceptationis occurrit: Iudaici cordis obſtinatam duritiam, Hebræa monitione ac leni increpatione mollitam; victricem in Papiſci corde, Iaſonis de Spiritus ſancti infuſione doctrinam. Qua Papiſcus ad intellectum veritatis admiſſus, & ad timorem Domini ipſo Domino miſerante formatus, & in Ieſum Chriſtum filium Dei credidit, & vt ſignaculum ſumeret deprecatus, Iaſonem poſtulauit. Probat hoc ſcriptura concertationis ipſorum, quæ collidentium inter ſe Papiſci aduerſantis veritati, & Iaſonis aſſerentis & vindicantis diſpoſitionem & plenitudinem Chriſti, Græci ſermonis opere ſignata eſt: ad cuius tranſlationem, ad intellectum latinum, animante Dei ope, & fidei viuentis firmitate, ſeruata verborum proprietate, intrepidus acceſſi; & his qui ab intellectu Græci docilitatis alieni ſunt, interpretata, integra ſignificatione verborum, & intellectus omnis ac veritatis manifeſtatione patefacta, Romani ſermonis ratione diſcuſſa, diſſerui, cuius laboris probationem tibi chariſſime, [e] qui vtriuſque linguæ inſtructione fundatus es, impenſa petitione committo; vt qui ſancti Spiritus veneratione verecundus es, collata vtriuſque operis lectione; audaciam verecundæ temeritatis explores; & examine iudicij tui, quæ minus à nobis vel improptiè fortè digeſta ſunt, auctoritate Spiritus ſancti, qui in pectus tuum inundatione gratiæ cæleſtis influxit, comprobes & emendes: Sitque ad te de iſta lectione ab humilitate noſtra mandata legatio, & inſinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio; vt paruitatem fidei meæ, cum diſcipulorum tuorum inſtructione atque eruditione coniungas; & me quem in alia parte huius prouinciæ conſtitutum propter viſendos vultus tuos non itineris longinquitas terruit, nec ſenium ac difficultas fatigati ac feſſi iam corporis retardauit,

a *Non aduerſus, in metam fidem.* Locus corruptiſſimus: ſic etiam paulò poſt mira eſt congeminatio, *cordis, pectoris, mentis.* PAM.

b *Quo quidem eius cernimus.* Etiam hic locus obſcurus eſt & coruptus. *Idem.*

c *Etiámque Spiritus ſanctus, id eſt, Chriſtus, &c.* De hac veterum phraſi qua etiam Chriſtum Spiritum ſanctum vocabant, vide ſuprà lib. quòd Idola non ſint dij. &, de montibus Sina & Sion. Atque hic videtur conſcripta hæc præfatio ante hæreſim Arianam. *Idem.*

d *Iaſonis hebræi Chriſtiani & Papiſci, &c.* Vel hinc & ex eo quod ſequitur, *ad cuius tranſlationem &c.* patet non aliud eſſe hoc ſcriptum quàm præfationem, vti latiùs in argumento diximus. Quanquam etiam iſte locus videatur mutilus. Porrò Iaſon iſte Theſſalonicenſis fuiſſe dicitur, cuius Rom. 16. & Actuum 17. fit mentio, quem Dorotheus Tyrius in ſynopſi poſteà fuiſſe ſcribit primum Troadis Epiſcopum. *Idem.*

e *Qui vtriuſque linguæ inſtructione fundatus es.* Hæc & ſequentia optimè in D. Vigilium quadrarent, quippe qui & Athenis ſtuduerit, & inde reuerſus ſtatim ad Epiſcopatum raptus ſit, ac poſteà ad martyrium, qui etiam quoſdam tractatus conſcripſerit: ſed ſicut iam diximus, vetuſtior fuiſſe auctor videtur. *Idem.*

dauit, ſed animante ſtimulatu Domini, & vrgente feſtinata cupiditate properandi, contempta quoque omni tribulatione inopiæ atque penuriæ, quantacumque virium facultate veniendi, ſanctimoniæ tuæ celebris huc fama perduxit, ad permixtam [a] dilectionis tuæ caritatem, cum vnanimitate fraternitatis admittas; & amore tuo quem diſcipulis ſuis Dominus hæreditatis titulo reliquit, coniungas pariter & adſciſcas. Expertum pariter cum fratribus in apertione oris tui ſplendorem gratiæ luminis Chriſti ſequar; in tractatibus tuis lumen vitæ, quod Dominus oſtendit, quod Chriſtus adueniens æternam vitam eſſe monſtrauit. Certè quàm mihi læta illa, quàm exoptabilis dies eſt, cum miſericordiæ Domini fauore accerſitione dilata, ſenectam iſtam meam proferre contigerit; vt & orationibus ſanctorum impensè & iugiter deprecantium Dominum, Chriſti martyrem videam, vt coronam iuſtitiæ, quæ tibi penes Dominum depoſita eſt, portare conſpiciam. Nec putaueris autem martyrii tibi, ſecundùm præſens votum fidei noſtræ, gloriam tribui: tunc inde felicitatis huius collata dignatio eſt; tunc iudicio ſuo iuſto Dominus elegit deſtinatum martyrem, cum te exemptum de iuſtorum grege atque adſumptũ ſibi, inopinatò conſtituit altari ſacerdotem. Præclara prorſus & glorioſa vocationis electio, & de Domini dignatione noua atque inaudita & mira felicitas; tranſmarinæ peregrinationis neceſſitatibus occupatum, ad deſtinatum tibi munus, ignarum ac neſcium repentè veniſſe: atque ita regreſſus tui tempus ad hoc eſſe libratum, vt inſperata celeritate veniendi, intelligeres atque dignoſceres honorem ſacerdotij cæleſtis inter cæteros tibi potiſſimùm deſtinatum; & quod iuſſione Domini expectatus venires atque occurreres, reſeruatus vt Eccleſiæ ſuæ Dominus tota miſerationis pietate conſuleret. Dimicationis plebis mora, quem potiùs eligeret Epiſcopum, te quærenti populo ſuo Chriſtus inopinatum repentè obtulit, & complacitum ſibi cæleſtis prouidentia; manifeſtè aduentus tui improuiſa occurſione monſtrauit: documentum repentini ac perennis occurſus, procurationem Dei voluntatis oſtendit; vt quod difficili expeditione potuiſſet occurrere, facili celeritate perfectum ſit, vrgente Domini iuſſione; & vt priùs te in Eccleſia Dei Epiſcopum ſtare conſpiceres & ſtuperes, quàm veniſſe dignoſceris. Inde dilectionem iam tecum ſuam Dominus initiata charitate firmauit; inde amicitiam tecum, quam diſcipulis ſuis cum triumpho crucis ſuæ tradidit dedicauitque, dicens: Si feceritis quæ mando vobis, iam non dico vos ſeruos, ſed amicos, [b] inde martyrium, inde ſacerdotii electionem ſignauit. Amicitia eſt, per quam ad Chriſti vultus admitteris, extraordinaria hoſtia peruenis. Sic eliguntur iuſti, ſic probantur religioſi, ac ſimplices in Chriſtum timore electi; vt antè remuneratione fidei deſtiteris, antè præmio deuotæ mentis in Domino dignus habearis, quàm venerit hora decreti, quàm exceperis ſententiam Chriſti, probatam te & paratam hoſtiam electio cæleſtis inueniat. Etenim ille te, qui non mendax Deus, qui Epiſcopum plebi ſuæ de improuiſo conſtituit, ille plena dilectione ſuæ voluntatis te coronabit. Tantum tunc vt noſtri memineris petimus, & oramus; cum pudicitia adlectionis Domini probata atque immaculata hoſtia, ante Chriſti tribunal adſtiteris, cum gloriam gratiæ Dei, præmio deuotæ mentis ac remunerationis exceperis; memoriæ hæreat & teneas, vt in ſenſibus tuis maneat, quam nobis impertire dignaris, dilectio caritatis; vt orationibus tuis peccata noſtra veniam conſequantur, vt meritis iuſtitiæ tuæ, vitæ noſtræ delicta purgentur. Etenim martyrii inſtar eſſe confido, peccatorem iuſti martyris petitione meruiſſe ſaluari: & vt, cum ipſe pro te promouere quod precibus tuis minus poſſis, martyris meritis libereris. Sic Iob iuſtus pro amicorum trium peccatis à Deo rogaturus & impetraturus, oſtenditur, & probatio timoris eius & fidei Domini voce teſte ſignatur. Cum ergo in die liberationis tuæ cariſſime, repræſentare te Chriſti vultibus cœperis, cum in æternitatem perpetuitatemque viuendi regnare cum Chriſto felici ſorte ſucceſſeris; in Domini miſericordia, [c] in mente iam habe puerum tuum Celſum ſanctiſſime.

ADVERSVS

a *Dilectionis tuæ caritatem*. Sic edidit Pamelius. In vet. cod. *Dilectus tui*, rectiſſimè. R I G.

b *Inde martyrium*, &c. Prorſus ſimile eſt, ſed luculentius Epiphonema, illi Cyprianico de hab. virg. & de bono pudicitiæ, mirè confirmans inuocationem ſanctorum. P A M.

c *In mente iam habe puerum tuum Celſum*. Hinc patet auctorem huius tranſlationis, non Cyprianum, ſed Celſum quemdam; niſi fortè velit quis legere *Cecilium*. Verum obſtat ætas ſenectutis, in qua tranſtuliſſe hæc auctorem conſtat: neque enim eſt veriſimile Cyprianum in Epiſcopatu ſuo hæc ſcripſiſſe, vt omittam quod martyrio prohibitus videatur, ne ad ſenectutem perueniret. *Idem*.

ADVERSVS IVDÆOS, QVI INSECVTI SVNT DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum, incerto auctore.

[a] ADTENDITE ſenſum & intelligentiam veſtram & in Spiritu ſancto, vt non tantum auribus audiatis, ſed etiam oculis cernatis diuinum Chriſti ſacramentum. Cernitis autem per fidem veſtram: audire enim neceſſitatis eſt, credere ſollicitudinis. Aurium officium eſt, indifferenter pariter vana atque vtilia perſpicere; fidei autem, niſi quæ probauerit, credere. Neque enim quicquam prodeſt libenter audire, niſi credulitas auditum confirmet. Fidei oculi ſunt ſpiritus, per quem videntur ſpiritalia:

a *Adtendite ſenſum & intelligentiam veſtram*. Videtur alludere ad illud Philip. 4. Pax Dei cuſtodiat ſenſus & intelligentias veſtras &c. P A M.

talia: Si ergo vos eſtis ſpiritales, intelligite cæleſtia. Similia enim ſui ſimilia recognoſcunt: etiam muta animalia de vocis ſono inuicem ſe intelligunt, leones fremitum, tauri mugitum & miles tubam. Quantò ergo veriùs ſpiritales ſpiritalia intelligunt, cæleſtes & hæredes patris ſui præcepta & ea quæ teſtamento patris cauta ſunt? Vos ergo cum ſitis Chriſti hæredes, intelligite teſtamentum eius. Quod ſi quis per ætatem minus docibilis eſt ad intelligendum, habet Spiritum ſanctum interpretem, illum ſequatur; illo duce & magiſtro facillimè poterit noui teſtamenti iura virtutémque cognoſcere, quod hæreditas gentibus contributa eſt, hoc modo. Deus & Pater in principio fecit hominem ſua manu, cumque poſuit in paradiſo, data certa conditione præceptorum vitæ legis & teſtamenti. Ille autem contemptis patris præceptis, expulſus eſt paradiſo in ſuam terrigenam natiuitatem, in qua etiam defunctus eſt: ſed Deus ſuſcitauit genus iuſtum de ſemine Adæ, quod ſemen conſeruauit in populum, ſuper filium Noë, & hæredes eius. Ex illo genere inuenit hominem iuſtum, cui imperauit, vt faceret fabricam in modum machinæ, capacitatis certæ menſurarum compagibus; vt illa conditus [a] cum ſuis filiis Noë, ſeruaretur per illud genus: ſed iuſſerat Deus, propter iniuſtitiam hominum, orbem terræ aquis inundantibus deperire. Igitur poſteà ſaluus factus eſt cum ſuis Noë, cui conſtituit & Deus præcepti ſui teſtificationem dicens: Omnes res cibus vobis, quaſi pabulum olerum; excepta carne in ſanguine vitæ: & poſuit huius teſtificationis ſignum in arcu. Poſt hæc rurſus Dominus Deus teſtificatus eſt Abrahæ in Iſaac, hoc modo dicens: Tibi dabo hanc terram & ſemini tuo, & faciam te patrem multarum gentium. Et exinde increuit ſemen in multitudinem populi, & diuiſum eſt in duodecim Patriarchas. Sed etiam illis quoque Dominus teſtificationem poſuit [b] in monte Choreb per Moyſem, de quo loco expulſis gentibus, conſtituit illic populum quem accepit & poſſedit promiſſa ſibi hereditate: quibus etiam pleraque ſigna & miracula oſtendit Deus, quaſi chariſſimo filio: Sed idem populus perceptis tot tantiſque beneficiis, aduerſatus eſt Patri & dereliquit Deum viuum. Dereliquit enim Iſraël Dominum, oſtendens ei terga, & non faciem: nam faciem ſuam conuertit ad idola; & interficiendo miſſos ad ſe prophetas, qui de Chriſto prædicabant, exinde conſueuit Iſrael perſequi Chriſtum, non tantùm in corpore aduenientem, ſed etiam cùm à Prophetis adnunciatetur. Vniuerſos etenim vates perſecuti ſunt, ex quibus quoſdam lapidibus inſectati, alios indignè excruciando, peremerunt non tantùm ipſos, ſed & per eos Dominum Chriſtum. Quæ enim huius probatio? ſcilicet eo quòd inſimulatos & infidos, & perfidos, mendaces, & contrarios Chriſti ſuſceperint; veros autem & fidei plenos impugnauerint. Moyſen maledicebant, quoniam Chriſtum prædicabat: Dathan amabant, quoniam Chriſtum non prædicabat. Aaron repudiabant in ſacerdotio, quoniam Chriſti ſimilitudinem præferebat: Abiron conſtituebant, quoniam Chriſto contradicebat. Dauid oderant, quoniam Chriſtum canebat: Saul extollebant, quoniam Chriſtum non loquebatur: Samuelem reſpuebant, quoniam Chriſtum loquebatur. [c] Agag ſeruabant, nihil enim de Chriſto loquebatur. Hieremiam lapidabant, Chriſtum vaticinantem. Ananiam diligebant Chriſto aduerſantem. Iſaiam ſecabant, Chriſtum vociferantem: Manaſſe magnificabant, Chriſtum perſequentem. Ioannem interimebant, Chriſtum demonſtrantem: Zachariam trucidabant Chriſtum diligentem: Iudam diligebant Chriſtum tradentem. Videtis quemadmodum Chriſtum qui diligunt, odiuntur: qui odiunt amore flagrant apud indignam plebem. O pertinaciam perſecutionis dignam vſque ad mortis exterminationem: non enim tantummodò teſtes Domini impugnauerunt, ſed & ipſi Domino perfidi coloni, contumeliam fecerunt Patri in Filio. Quid igitur digni fuerunt pati ad hoc admiſſum? ſcilicet fugari de regno, abdicari hæreditate: & ita factum eſt, & ita euenit, digna dignis obtigerunt. Pater enim contumeliam paſſus in filio, filius perpeſſus in Prophetis tempore quo moriebantur; in ſuo tempore coactus eſt in indignatione ſcribere nouum teſtamentum, adhibitis teſtibus cælo & terra, & angelo de templo aſſiſtentibus Moyſe & Helia. Hos enim teſtes adhibuit, cum pateretur in Iſrael; hæc ita facta prædixit per prophetas, his verbis: Audi cælum & præbe aurem terra, quoniam Dominus locutus eſt: Filios genui & exaltaui; ipſi autem me ſpreuerunt. Has voces effudit Dominus in Iſrael, vociferans & dicens: Vos me noluiſtis, alij me recipient, qui nondum nec mentionem mei audierunt. Vos nuptias meas ſpreuiſtis, alij ibunt qui non ſunt vocati. Vos meum rus & vineam meam colere recuſaſtis, vnde fructus iuſtitiæ proueniunt; alij colent & fructus capient in Deo. Quæ eſt iſta tam dira mens & execranda cogitatio? Interficere ergo potuiſtis regem & ſponſum? propter hoc teſtes ſunt cælum & terra, & quæ in illis ſunt elementa: Inſuper omnis creatura teſtis eſt in mortem Chriſti. O nouam crudelitatem: [d] commota eſt omnis natiuitas in Domini paſſione; populus manſit immobilis ſine trepidatione. Angelus in pœnitentiam conciſo velamine refugit: plebs autem ſine pauore, integra veſte permanſit.

Conuerſa

a *Cum filiis ſuis.* Prorſus ſic legendum, pro, *fratribus.* Neque enim Noë arcam ingreſſus eſt cum fratribus, ſed cum filiis. Similiter paulò poſt, *arcu*, pro, *arca.* Poſuit enim teſtimonium fœderis Deus in arcu cæli ſiue Iride. PAM.

b *In monte Choreb.* Sicuti alias omnes, ſic & hanc ſcripturam iuxta 70, citat, qui *Choreb* legunt pro *Oreb. Idem.*

c *Agag ſeruabant* Etiam hunc locum reſtitui, pro eo quod erat *Acham*, neque enim vſpiam ſeruaſſe Acham leguntur Iudæi, ſed 1 Reg. 15. refertur peperciſſe Saul & populus Agag, regi Amalech. *Idem.*

d *Commota eſt omnis natiuitas.* Natiuitas pro creatura. eſt autem mirum quod dicit, *Angelus in pœnitentiam conciſo velamine refugit. Idem.*

a *Cruci.batur.*

Conuerſa ſunt elementa & confuſa; Iſraël ſecurus durauit. O duritia noua, ô audacia ſingularis, ô perfidia cruenta! Pilatus exteræ gentis iudex ſæcularis, poteſtate temporalis, purificauit manus & abluit ſcelus neceſſitatis, dicens: Innocens & immunis ſum ab huius ſanguine; plebs autem nec alienum nec externum imitata eſt, & inſuper adclamabat; Adfige in cruce, tolle: ſanguis huius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Violenta crudelitas, & plebs inhumana: & corda obtuſa, & oculi recluſi, interfecerunt benè merentem ſuum nec lacrymas profuderunt. Lugebant Apoſtoli, & populus gloriabatur: tremebat terra, & plebs lætabatur; iudicabatur Dominus, & Iſraël exultabat: patiebatur Chriſtus, & impij exclamabant: [a] cruciabatur Dominus, & plebs lætabatur: ſuſpendebatur Dominus, & plebs epulabatur: hac ignominioſa ſua ſolemnitate iniqua conſilia conſignauerunt, delicto crudelitateque ſua. Dic mihi & loquere impie Iſraël, talem hoſtiam obtuliſti, patri immolando ſuum filium? talia profudiſti libamina, ſanguinem pignoris acceptiſſimi Deo? ducebas choreas Hieruſalem, cùm interficeretur Chriſtus; fauſtis vocibus cantus dabas cùm diceres; Adfige, ſuſpende. Propter hoc in fame & in ægritudine: Popule Iſraël (queritur de te Dominus) neomenias, ait, ſabbatum & diem magnum non patior; ferias & ieiunium execratur anima mea, nec immeritò Deus odiuit cæremonias veſtras, in quibus vnicum & primarium filium eius peremiſtis. O diem durum, & horam flebilem, & ſollemnitatem lugubrem, & terram infauſtam, & ciuitatem profanam, & populum Domini nece cruentum. Interfecerunt enim Dominum, & latronem liberauerunt. Ob hanc ergo cauſam coactus eſt Dominus nouum facere Teſtamentum, [b] conſignatum ſeptem ſignaculis, teſte Moyſe & Helia in monte; vbi præcepit ne pateſieret ſcripturæ ſacramentum, niſi filius hominis reſurrexiſſet à mortuis: ſed mox vt ſurrexit Dominus die tertio, aperuit teſtamentum nouum, teſtamentum vitale, atque ita dixit: Venite exteræ gentes hæredes mei; Iſraël enim non obaudiuit: quapropter ite diſcipuli in vltimam vſque terram, & prædicate per orbem his verbis. Venite vndique patriæ gentium, introite in æternam hæreditatem. Iſraël enim noluit. Ne dubitetis; nulla hîc exceptio eſt, nec ingenuitatis, nec dignitatis, nec conditionis, nec poſitionis, nec formæ, nec ætatis, licet dignitate magnifici, licet nobiles, licet ſenes; licet iuuenes, licet pauperes, diuites, boni malique, domini atque ſerui, æqualiter introite in hæreditatem: & ſi pedibus captus eſſet, corpore deformis, etſi maculis turpis, & capite defectus videatur, etſi oculis defectus, vniuerſis liberè licet diſcumbere in conuiuio, & epulari nuptias ſponſi. Ne hominem pudeat nec ætatis, nec humilitatis, nec valetudinis, nec conditionis. conſueuit enim Dominus huiuſmodi hominem ſuſtinere. Nam & cæcis oculos reſtituit, & claudos ambulare fecit, & mutis ſermonem reddidit, & maculoſos emundauit, & mortuos ſuſcitauit. Ne timeatis qui peccaſtis: priores ad vitam venite, nec qui homicidium fecerit paueat, quia fecerat; nec qui furatur aliena, deſperet quia inuolauerat; nec publicanus timeat, quia concuſſerat. omnibus enim remiſſio peccatorum ſtatuta eſt, & tales Dominus deſiderat humilitate abiectos, & ſpecie indecoros, & valetudine fractos, & ſeruitute depreſſos. Beati enim & glorioſi & magnifici, & potentes & diuites & fortes, noluerunt acquieſcere Domino, neque introire in nuptias ſponſi; inſuper indigniſſimè peremerunt. Propterea factus eſt altiſſimus quiſque eorum, humillimus; & fortiſſimus, inualidus; & prudens, ſtultus; & nobilis & diues; pauperrimus & hæres abdicatus: quoniam quidem ipſi abdicauerunt Regem modeſtiſſimum & benigniſſimum, dicentes: Ignoramus quis ſit hic; non enim eſt Rex noſter; habemus alium regem Cæſarem, propterea habent quem petiuerunt. Tunc completa eſt prophetiæ vox, quæ prædixit illis: Vos noluiſtis aquam Siloam quæ vadit ſilentio, ſed magis voluiſtis aquam Raſſin. Quapropter induco vobis regem Aſſyriorum, qui montes veſtros in planum dabit, & introibit terras veſtras. Atque ita factum eſt. Repudiatus enim Chriſtus à populo, miſit tyrannum quem voluerunt; qui ciuitates eorum diruit, & plebem captiuitate damnauit, & ſpolia accepit, & ad ſolitudinem Sodomæ patriam eorum redegit: Nam Dominus ex indignatione abſtulit ab Hieruſalem virtutem panis & aquæ fortem, gigantem hominem & bellatorem, iudicem, prophetam, deſtinatorem & ſenem laudabilem, conciliatorem & peritum architectum, & prudentem adiutorem. Hæc omnia autem auxilia munitionis propugnaculo tranſtulit ad gentes, & omne regnum ſuum infixo ſigno; inhabitauit in illis, & caſtra metatus eſt liminis, & ibi conſtituit virtutis exercitum, ibique regnauit. Non eſt iam regnum Hieruſalem, ſed in nobis: Hic caſtra, hic exercitus, hic dux, hic virtus, hic ſponſus, hic nuptiæ, hic Rex, hic Chriſtus, hic vita, hic ſuſcitatio, hic æternitas; hic eſt qui ab initio figuratus eſt, & à prophetis honoratus, & in viſceribus corporatus, & in Iordane tinctus, & à populo contemptus, & in ligno ſuſpenſus, & in terra ſepultus. Hic eſt qui rupit vetus ſuum teſtamentum, & ſcripſit nouum, quo gentes [c] ad poſſeſſionem bonorum ſuorum vocauit: ideóque nos gentes humeris noſtris crucem Domini noſtri geſtamus, crucem quam confeſſus eſt Iſraël Dominus, qui eos placidè adloquebatur his verbis: Venite ad me omnes qui ſub onere laboratis, & ego vos reficiam. eſt enim iugum meum placidum, & onus leuiſſimum; & reſponderunt: non audiemus

a *Cruciabatur Dominus.* Addidi vocem *Dominus*, prorſus neceſſariam. PAM.

b *Conſignatum ſeptem ſignaculis.* Quum alludere videatur ad lib. de quo Apocal. 1. ſignatum ſignaculis ſeptem, prorſus legendum cenſeo *ſeptem ſignaculis*, niſi quis malit legi, *à ſeptem ſpiritibus*, quippe quorũ etiam Apoc. 1. fit mentio. *Idem.*

c *Ad poſſeſſionem bonorum ſuorum.* Ex coniectura ſic quoque hunc locum reſtitui, pro, *ad poſſeſſionem* *Idem.*

audiemus ; ſed gentes noſtræ exaudierunt, & crediderunt verbo ſalutari, quo patefactæ ſunt aures eorum, & oculi illuminati cæcorum, & elocutæ linguæ impeditorum, claudi proſilierunt velut fera laſciuiens. Chriſtus enim cum ſuo regno ſedem poſuit illis ; plebs autem derelicta, nuda, deſerta, viduata regno cæleſti atque terreſtri : nam à cæleſti abiecti ſunt, conſecuti omnia inſtrumenta quæ poſſederunt, lychnum ſepem luminum, & machinam Teſtamenti, & vaſa ærea & tubas, & panem de cælo, & terram ſanctam lacte & melle profluentem ; hac hæreditate priuatus eſt Iſrael, & nunc derelictus in omni ſua terra ſine alimento, ſine luminis auxilio. Auxilium enim & præſidium interemiſti, & lumen perſecutus es, & protectorem repuliſti, & ſponſum adfixiſti, & regem ſuſpendiſti : propterea exules de patria tua, oberrans circa gentium flumina, [a] voce ſupplicum precem fleuiſti dicens : Expulſus ſum miſer de propriis ſedibus meis, hoſpes & aduena factus ſum alienæ poſſeſſionis, ſine domo, ſine tecto, miſerere deſerti & impij & indignè victi. Hæc pœna in Iſraël eſt, hæc conditio in Hieruſalem ; & niſi conuerterint mentes, & dixerint : Viuit Dominus in ſæcula, non poterunt intrare in Domini. Viuit etenim, & viuunt hæreditates eius ; & viuit quem interfeciſtis impiè in Hieruſalem : & tamen non tibi totam ſpem denegauit Dominus, dedit enim veniam pœnitentiæ, ſi quo modo poſſis pœnitere. Quis tam bonus, quis tam pius, tam miſericors ? Accipe, inquit, ſalutem, licet me occideris : hæres eſto cum virgine licet non merearis. Ignoſco ſi te pœnitet. Ergo ſi fas eſt, ſic capite mentem bonam, vel ſerò vel tardè intelligite teſtamentum nouum. Eia vos gentes, abſoluite illis ſcripturas ſuas, & dicite : Adorate Dominum pro meritis ſuis, quòd [b] manus extenderis, licet exaggeres orationem tuam non exaudit, manus enim tuæ plenæ ſunt ſanguine. Lauamini, mundi eſtote, & venite colloquamur, dicit Dominus Deus ; eluite ſanguinem ex vobis, & emundabit corda veſtra ſuper niuem, & animas veſtras ſuper lac. Accedit huc, ſcripturis credite, hic eſt ſalus de Sion Dei, exiet verbum de Hieruſalem, iudicabit in medio gentium, & corripiet plebem multam. concidant gladios ſuos in aratra, & frameas ſuas in falcibus commutent : non ſumet gens contra gentem gladium, deſinent enim belligerare. Et tu domus Iacob, venite eamus in lumine Domini ; remiſit enim plebem ſuam : completa eſt regio tua præſagiis alienis, & filij alienati ſunt. Tua enim ipſa terra eſt, & exterum factum eſt genus Domini. Venite ergo, intrate, & eſto quaſi vna gens : [c] miſerere errantium : æquum eſt honorificari ſententiam Dei, qualiter magnifici proſtrati ſunt, & humiles alleuati, fortes debilitati, infirmi confirmati ; diuites ad paupertatem redacti, hæreditati dominantes ſerui, [d] dominatui ſubjecti ad regnum vocati ; videntes orbati, orbi illuminati ; prudentes ad ſtultitiam, ſtulti ad prudentiam conuerſi. Etenim qui quondam vecordes, & indocti ſpiritu, nunc ſcripturas docent, & ſciunt, & intelligunt : qui autem ab initio docti & periti & legis diſciplinam ſcientes, neſciunt legem, neſciunt legere, nec intelligunt ſpiritalia : & qui ex illis prudentibus cupiens videre venit, intelligit, rogat puerum, aut paruulum, aut anum, aut viduam, aut ruſticum, dicens : Viuere cupio, dux eſto mihi in Sion : enarra mihi nouum teſtamentum, reconcilia me Domino : ecce trado me tibi diſcipulum, interpretare mihi legem, quæ acta ſunt in Choreb, diſſere præcepta quæ in Sion, & intellige ſine litteris. Diſſerit ſcripturas eis, & puer docet ſenem, & anus perſuadet diſerto. Correptus ergo Iſraël ſequitur iniecta manu ad lauacrum, & ibi teſtificatur quod credidit, & accepto ſigno purificatus per Spiritum, rogat accipere vitam per cibum gratiæ panis qui eſt in benedictione & fit mirum ſpectaculum : & qui Leuitæ offerebant, & ſacerdotes immolantes, & ſummi antiſtites libantes adſiſtunt puero offerenti diſcum ; [e] Docentur qui olim docebant, & iubetur eis qui præcipiebant, & intinguntur qui baptizant & circumciduntur qui circumcidebant : ſic Dominus florere voluit gentes. Videtis, quemadmodum vos Chriſtus dilexit.

TRACTA-

a *Voce ſupplicum precem fleuiſti.* Mira eſt phraſis, aut certè locus mutilus. Sic & illud neſcio quid ſibi velit : *hæres eſto cum Virgine.* PAM.

b *Quum manus tuas extenderes.* Ita legendum : hoc enim legunt 70. Eſaiæ. 1. vnde ſumpta ſunt ſequentia. *Idem.*

c *Miſerere errantium.* Rurſum videtur hic locus mutilus. *Idem.*

d *Dominatui ſubjecti.* Etiam hoc lego, pro *dominati.* videtur autem rurſum mutilus locus, aut certè ſolœciſmus, vbi legitur paulò poſt, *interpretare mihi legem quæ acta ſunt in Choreb, Idem.*

e *Docentur qui olim docebant.* Omninò adjeci *docentur*, anteà deſideratum, quòd alioqui ſenſus non conſtaret, *Idem.*

TRACTATVS DE REVELATIONE CAPITIS BEATI Ioannis Baptiſtæ, incerto Auctore.

[a] NArrat Ioſephus vinctum fuiſſe abductum Ioannem Baptiſtam in Caſtellum Macheronta, ibique caput eius truncatum fuiſſe: [b] narrat hiſtoria Eccleſiaſtica ſepultum in Sebaſte ciuitate regionis Paleſtinæ, quæ quondam Samaria eſt appellata. [c] Poſt longum verò tempus monumentum eius pagani inuaſerunt, & oſſa per campi planiciem diſſipauerunt, rurſumque collecta igne concremauerunt, & poſteà per agros cremata proiecerunt. Poſteà verò aduenerunt quidam Monachi religioſi viri de Hieroſolymis ad locum eiuſdem monumenti, audientes ea quæ Ioanni acciderant, & quidquid potuerunt ex oſſibus illius colligentes, ad patrem ſuum Philippum detulerunt Hieroſolymam, & ille tranſmiſit ea cum aliis viris religioſis Athanaſio Alexandriæ Pontifici fideliſſimo. Ibique miro modo fuerunt ſeruata, vſque ad tempus Theophili eiuſdem vrbis Epiſcopi. Qui Theophilus iubente Theodoſio principe omnia idolorum fana in illa regione Chriſto fauente deſtruxit, & eccleſiam miræ magnitudinis conſtruxit, & in honorem eiuſdem ſancti Ioannis Baptiſtæ conſecrauit; & illius oſſa quæ ſibi direxerat ſupraſcriptus Athanaſius, in eadem eccleſia congregatis ibi vicinis pontificibus ex omni parte cateruatim, omnibuſque ordinibus clericorum & populorum, honorificè conſtituit. Igitur accedente Paſchali feſtiuitate decollatus eſt Ioannes Baptiſta imperante nequiſſimo Herode, qui dari ſaltanti puellæ caput eius iuſſit; & multò poſt decollationem eius, accedente illo anno quo conſtructa eſt Eccleſia in nomine eius, & oſſa eius ibidem collocata à Theophilo pontifice, iubente Theodoſio principe, in honore eius conſecrata eſt quartò Kalendas Septembris. Sollemnitas namque eius mirificè eſt conſecrata in dedicando. Caput autem illius tunc temporis repoſitum adhuc erat in loco, quod illud in abſconſo vxor Herodis depoſuerat, nemine ſciente poſtquam à filia in diſco ſuſcepit. Si quis omnia pleniùs voluerit ſcire, [d] chronicam Marcellini principis legat; & ibi reperiet, duos monachos ab Oriente in Hieruſalem veniſſe cauſa orationis in tempore Marciani Imperatoris. Quibus monachis in viſione angelica dictum eſt: Ite ad palatium Herodis, qui quondam hic fuit perfidus princeps; introëuntes perſpicite diligenter, & vbi fumum è terra aſcendentem videritis; fodientes ibi caput Ioannis Baptiſtæ incunctanter inuenietis. Et ita fecerunt, & cum magno honore clanculum ſecum Hieroſolymam deportauerunt. Et non multò poſt à latronibus raptum eſt: qui [e] mittentes in quemdam ſpecum ibidem dimiſerunt, donec idem Ioannes Chriſto auxiliante cuidam viro religioſo nomine Marcello ſacerdoti, qui in eodem ſpecu morabatur vt eremita, reuelauit dicens: Accipe caput meum, quod in hoc ſpecu depoſitum eſt à latronibus, & defer illud [f] Iuranno Epiſcopo, qui nunc præeſt Alexandriæ ciuitati poſt Theophilum Deo carum; vbi reliquiæ corporis mei requieſcunt. Et ſic fecit Marcellus Chriſto annuente. In eadem igitur ſollemnitate collectionis reliquiarum illius & tranſlationis & Eccleſiæ conſecrationis, allatum eſt caput Ioannis Baptiſtæ [g] ad ciuitatem Alexandriæ à Marcello Presbytero, & datum Iuranno Epiſcopo, quarto Kalendas Septembris. Et Iurannus ſuſcepit illud collocans mirabiliter in eodem loco perpetim cuſtodiendum. Et ideò hodierna feſtiuitas

a *Narrat Ioſephus.* lib. nempè 18. antiq. 10. ſeu iuxta nouam verſionem 7. Quod ipſum ex illo repetit Euſebius lib. 1. hiſt. eccl. cap 11. ſeu iuxta græcum exemplar. 11. & poſteà Beda in cap. 14 Marci, vbi quùm iiſdem verbis vtatur, atque adeò illinc hæc tranſcripta ad verbum videantur, non ſum veritus reponere, *in caſtellum Macheronta abductum.* PAM.

b *Narrat hiſtoria eccleſiaſtica &c.* Sic lego, quia nullam huius rei facit mentionem Ioſephus, ſed hiſt. eccl. lib. 11. cap. 28. auctore Rufino in ſua ad Euſebium appendice. *Idem.*

c *Poſt longum verò tempus.* Tempore nempè Apoſtatæ Iuliani, inquit Beda cum Rufino: qui etiam rectius narrant, adfuiſſe tunc, quùm diſpergerentur oſſa Ioannis Bapt. Monachos; non poſteà adueniſſe. Ex quibus etiam omninò legendùm cenſeo *Philippum*, pro, *Ioſephum*: præſertim conſentientibus Petro Trecenſi in hiſt. Scholaſtica, vt omittam MS. quemdam de hac re tractatum. & Adone in martyrol. ad 4. Kal Septemb. qui cum Rufino miſſa dicunt hæc oſſa Athanaſio per Iulianum diaconum. *Idem.*

d *Chronicam Marcellini principis.* anteà mendosè legebatur *Marcelli.* Citat enim etiam Beda loco citato chronicam Marcellini comitis. Is enim ad Chronicum Euſebii, & Hieron. Appendicem ſcripſit, & produxit ad tempora vſque Iuſtiniani, quæ excuſa eſt cum faſtis conſularibus Onuphrii Panuinii. *Idem.*

e *Mittentes in ſpecum quemdam.* Quod auctor à latronibus, Marcellinus comes & Simeon Metaphraſtes, à figulo quodam raptum dicunt ſacroſanctum Baptiſtæ caput. Atque hinc factum puto, vt maluerit Beda tum loco citato, tum in hom. de decollatione ſeu natali D. Ioannis Baptiſtæ, non aliud ſcribere quàm incuriæ culpa deperditum. Quod de verbo ad verbum etiam tranſcriptum eſt in Bedæ & Adonis martyrologiis ad 6. kal. Martii, quem Peritium vocat Metaphraſtes. Quibus locis, vti & apud Vſuardum, legendum eſſe Emeſſam, ſeu potiùs Emeſum Phœniciæ ciuitatem, non Edeſſam, patet ex Marcellino, Metaphraſte, & Petro Trecenſi: tum ex dicta narratione, & Martyrol. D. Donatiani MS. & ipſius Adonis Chronicis *Idem;*

f *Iuranno Epiſcopo.* Beda legit *Iulioramo.* Petrus Trecenſis, *Iuliaramo.* Illud accedit magis ad lectionem Metaphraſtis, qui eum MS. cod. legit *Vranio*, præſertim quum Marcellinus comes legat *Iuliurano.* Qui tamen non Alexandrinus, ſed Emiſſenus epiſcopus fuiſſe ab illis omnibus perhibetur, atque adeò videtur auctor memoria lapſus, dum Alexandriæ epiſcopum facit & ſucceſſorem Theophili neque enim inter Alexandrinos epiſcopos Vranius recenſetur, aut Iulioranus *Idem.*

g *Ad ciuitatem Alexandriæ.* Etiam hic ſui oblitus videtur auctor, fortaſſis ex eo quod apud Alexandriam, vti priùs dixit, oſſa D. Ioannis Baptiſtæ eſſent recondita, & in eius honorem ædificata Eccleſia. Nam etiam pro aliis facit, quod habet Sigebertus in Chronico ad annum Dom. 761 Caput Ioannis Bapt. ex Edeſſa (nam ſic legendum cenſeo, pro eo quod eſt *in*) ciuitate transfertur. Nam de Tranſlatione in Gallias, id intelligi patet ex Vincentio Bellouacenſi, Petro Trecenſi, & Antonio; Item ex Chronico quodam MS. Guilielmitarum incerti auctoris. *Idem.*

na feſtiuitas collectio beati Ioannis Baptiſtæ, non decollatio nominando Chriſto annuente; & inuentio ac reuelatio capitis eius. Iamque idem vir Domini Iurannus Epiſcopus, & Marcellus ſacerdos feliciter ad Dominum ex hoc mundo in pace migrauerant. Annis euoluentibus non plurimis cuidam viro religioſo ſacerdoti ac monacho, Felici nomine, qui orationis gratia ab occidentali parte in illis diebus Hieroſolymam adierat, angelica viſione dictum eſt: Felix ſurge concitus & pergens ad ciuitatem Alexandriæ inuenies ibi Eccleſiam in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ conſecratam, vbi caput eius cum tribus paruulis innocentibus reconditum eſt. Quod accipiens transfer in partibus Galliarum in regione Aquitaniæ in locum quem tibi oſtendero. De qua viſione certus & expergefactus reuerendus ſenex gaudio ampliſſimo repletus; pergens illicò vbi iuſſus fuerat, ſicut ei dictum fuerat, cuncta reperiens, rectori ſui itineris grates innumeras rependit. properanſque ad locum, theſaurum ſibi à Deo deſtinatum in vnius ſportellæ concluſit ſinu: Statimque retrò iter arripiens, iunctis ſibi ſociis ſeptem fratribus ſuis, qui cum eo abierant, vallanſque clàm omnem regionem illam, perueniens ad littora maris inuenit nauem cum remigiis ac gubernaculis à Deo paratam; quam ingreſſus eſt cum theſauro & magni pretij margaritis. Igitur fratres & ſocij eius deſcendentes cum eo in naui, gratias agentes in hymnis, & laudibus Deum benedicentes, alta petunt æquora. Cumque in mare iter agere cœpiſſet, Felix eleuatis oculis ad cælum palmas tetendit dicens: Domine Ieſu Chriſte qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & profundum abyſſi intueris, qui ſuper vndas maris ſiccis pedibus ambulaſti, & Petrum mergentem manu erexiſti, & Paulum ter de naufragio liberaſti, libera nos de magnis fluctibus huius pelagi, vt viuentes benedicamus nomen tuum in ſæcula ſæculorum. Mittere etiam Domine dignare ſanctum angelum tuum de cælis, vt ſit dux itineris noſtri, ſicut fuit quondam patribus noſtris, quando eduxiſti eos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu tua valida, & perduc nos recto itinere ad locum optatum; ad ſanctas & precioſas margaritas collocandas. Hæc & his ſimilia orante beato Felice, ecce nubes lucida deſcendit ſupra nauem, & de medio nubis egreſſa eſt columba ad inſtar niuis candida, & ſuper puppim nauis immobilis perſtitit, tam in die quàm in nocte, vſque dum in partibus Aquitaniæ ad littus maris Oceani pertingerent. Cumque non longè à terra ſe eſſe cognouiſſent, diuerterunt ad portum qui appellatur Angoliſmenſis, qui eſt ſitus in pago Alnienſi. Ibique euntes de naui ad terram, pauliſper requieuerunt. Mouentes autem ex eodem loco, duobus mailliariis peractis, inuenerunt eminus corpora mortuorum, [a] regem videlicet Vvandalorum cum omni exercitu ſuo iacentem ſuper faciem terræ, vt opinor quaſi viginti millia virorum. Quoniam egreſſus fuerat iſdem populus craſſa ceruice de vagina ſua per mare cum claſſe magna, & ventus vehemens irruit in eos, & tranſuexit in partes occidentis in ſupradictum portum Angoliſmenſem. Nunciatumque eſt Pipino regi Aquitanorum, quod gens Vvandala regnum eius inuaderet: miſitque in omnes terminos Aquitanorum ac Xanctonicæ, nec non Angoliſmæ, ſiue omnes terminos eorum, vt contra eos pergerent ac dimicarent: quia iſdem rex Pipinus tunc morabatur in territorio Alnienſe ſuper fluuium Vultonæ, in palatio qui vocatur Engeriacus, inter medios fines Pictauorum ac Xanctonicæ. Denique cum iſdem rex Pipinus cum omni multitudine armatorum occurreret hoſtibus ſuis, fecit Dominus ſalutem magnam omni exercitui ſuo, ita vt nullus euaderet ex hac multitudine, qui non cæde vaſtaretur. Supradictus autem rex videns ſibi à Domino auxilium de cælo fuiſſe præſtitum, & vltionem de inimicis, ita vt non minuerentur de exercitu ſuo, niſi viginti viri quos præ cæteris valdè diligebat. Quos accipiens, ſingulis depoſuit feretris. Lætus pro victoria, mœſtus pro amiſſorum funeribus exercitum reuocat, pergere cupiens ad propria. Cumque ab hac cæde quaſi quatuor milliaribus diſiuncti eſſent, figere tentoria imperat, preſſuſque ſomno ſtratum ſuum parari in papilionibus iubet. Tunc pro laſſitudine ſomno ingruente vox diuina oblata eſt, dicens ad eum: Cur te piger ſomnus ita preſſit? Noueris magni viri Ioannis Baptiſtæ caput ex tranſmarinis partibus ab oriente cum tribus paruulis innocentibus ad hunc pagum deferri, & propter eius meritum in hoc prælio diuinitus victoriam tibi à Domino eſſe collatam. Reſpondit ei Rex Pipinus in viſione dicens: Si tanta beneficia propter eius meritum in me vigent, indica mihi quid agam: aut quemadmodum inueſtigare vel inuenire potero eum. Reſpondit ei vox diuina, dicens: Ecce poſt tergum tuum ſequuntur te ſeptem fratres in habitu peregrinorum, & vnus qui cæteris præeſſe videtur Felix vocatur. Vade in occurſum eorum cum paucis, & in humilitate cordis benignè ſuſcipe: adornatáſque precioſiſſimas magaritas, pacifice tecum ducere coneris, & videbis magnalia Dei. Vir autem Domini Felix viſa tanta multitudine cæſorum corporum, pauore perterritus, tamen de adiutorio Dei confiſus, confortat

[a] *Regem videlicet Vvandalorum.* Intelligendum eſt iſtud aut de ſtrage Chilzingi Aruernenſis, & Amingi Pictauienſis, comitum, quale quid indicat Sigebertus, qui in auxilium venerant duci Aquitaniæ contra Pipinum: aut de ipſa cæde Vvayfarii ducis ſeu regis, interfecti apud Petragoricos, iuxta Adonem & Aimoinum: vt Vvandalos illos nuncupet, quòd à Vaſconibus, atque adeò & Vvandalis orti eſſent. Aut certè reliquiæ quæpiam Vvandalorum turſum Gallias tunc infeſtantium, quemadmodum eos feciſſe ſcribit Robertus Gaguinus paulò antè quam regnaret Carolus Martellus Pipini pater. PA &.

tat ſocios, & vt pauliſper iter agerent, admonet. Diuertenteſque ex aduerſo, paruulum ſibi ſtatuerunt habitaculum, vt eadem nocte vſque manè in eodem permanere potuiſſent. Prædictus autem rex Pipinus à ſomno euigilans, intra ſemetipſum cogitare tacitus cœpit ex viſione quam viderat, quid agere deberet, recogitans quia in antiquis eſt ſapientia, & multorum peritorum prudentia. Mittenſque concitus accerſiri iubet virum prudentem, ac bonis operibus pollentem nomine Felicem, vt de tanta manifeſta viſione Dominum pulſarent, vt ei ſalubre conſilium ſuggerere dignaretur. Igitur conſilio inuentum eſt, vt exutis veſtibus & calciamentis ſuis in cinere & cilicio nudis plantis incedentes, ſicuti oraculo diuino admonitus fuerat, obuiam famulis Dei procederent. Cúmque ſe mutuo conſpexiſſent, iacentes, tam ipſe quàm omnes qui aderant, proni in terram tamdiu adorauerunt, quoadusque famuli Dei ad locum vbi iacebant, pertingerent. Cumque Dominum benedixiſſent, & ſe inuicem ſalutaſſent, oſculum pacis ſibimet dederunt. Leuanteſque ſe à terra, lachrymabiliter interrogabant ſe inuicem, qua cauſa hæc quæ viderant & audierant, accidiſſent. Vir autem Domini Felix cuncta intelligens à Deo eſſe manifeſtata, retexit hiſtorias quemadmodum Hieroſolymam adierat orationis gratia, & theſaurum abſconditum diuina miſericordia ei reuelauerat. Et facta oratione cùm omnes reſpondiſſent: Amen; eleuatis Felix precioſiſſimis margaritis, capite ſcilicet Ioannis Baptiſtæ & reliquiis ſociorum eius beatorum martyrum innocentium; cum hymnis & laudibus pſallentium dirigit chorum. Quo audito cunctus exercitus qui in caſtris erat, quaſi vnus vir ei obuiam proceſſit numero triginta millia virorum. Exequias verò mortuorum qui in prælio corruerant, ſecum deferentes, petebant auxilium de cælo à Domino per præcurſorem ſuum Ioannem, vt cuius reliquiæ deportarentur diuina gratia manifeſtare dignaretur; promittentes ſe tantam fidem habere, vt quidquid peteretur, ſanctus Ioannes Domino annuente tribuere poſſet, Apprehendenteſque ſportellam, in qua beati Ioannis Baptiſtæ caput continebatur, ſingulis feretris impoſuerunt, mortuos tangentes. Miro atque inæſtimabili modo mox vt tetigit oſſa iacentium, vita per mortuum mortuis reddita eſt. Surrexerunt autem eadem hora ab officio funeris viginti viri tam celeriter ac ſi à ſomno eſſent excitati; & qui à flentibus amicis portabantur ad tumulandum, iiſdem gaudentibus ad vitam redeunt. Videns autem Rex Pipinus & cunctus exercitus magnalia quæ circa eos Dominus geſſerat per præcurſorem ſuum Ioannem Baptiſtam; plaudentes manibus benedicebant Dominum, qui fecit mirabilia in cælo & in terra. Vir autem Domini Felix & ſocij eius gaudio repleti, vna cum Rege Pipino & exercitu eius leuantes caput beati ac præcellentiſſimi præcurſoris Chriſti Ioannis Baptiſtæ, & beatorum innocentium, cum gaudio & lætitia iter agere cœperunt. Cumque nulla mora fieret in eundo, peruenerunt ad quamdam villam, quæ appellatur Vultronia. Cumque ibidem pauliſper quieuiſſent, obuius eis quidam cœcus factus eſt, qui ſtatim ſanus effectus eſt per beatiſſimi præcurſoris merita. Cumque de eodem loco eis moueri placuiſſet, arripiunt iter per viam quæ ducit ad paludem cognomine Matheuallis. Cumque eis aliquantulum ibi requieſcere placuiſſet, ecce quidam debilis pedibus qui ſe erigere omninò nequibat, rependo ſe trahens obuiam eis proceſſit. Qui inuocans meritum beati Ioannis, ita redditus eſt ſanitati, vt firmus & ſtabilis ſine dolore incederet cum turbis. Iamque propinquantes ad locum quò tendebant, ſuper fluuium Vultonnæ ad palatium nomine Engeriacum peruenerunt. Audiens autem omnis populus à maximo vſque ad minimum, à viro vſque ad mulierem, omnes ſimul in vnum conglobati obuiam eis proceſſerunt. Cumque ibidem ante palatium Regis Pipini perueniſſent, in baſilica beatiſſimæ & glorioſiſſimæ ſemper virginis Mariæ, cum magno feruore & ſtudio, illicò ad cuſtodiendum depoſuerunt. Lætatuſque eſt vniuerſus populus lætitia magna, & celebrauerunt ſollemnitatem huius diei quarto Kalendas Septembris, & reuerſi ſunt vnuſquiſque ad habitacula ſua. Igitur beatus Felix & ſocij eius cùm venerando rege inter cætera Dominum deprecabantur, vt eis ſalubre conſilium ſuggereret, quonam in loco ſancta membra locarent. Ædificanteſque baſilicam, & in ea concauum ciborium cum ſex columnis marmoreis mirifici operis benè compoſitis non longè à Vultonnæ littore, ſed vt arbitror centum ſtadiis. In quo cum aromatibus & plurimis bonis odoribus condientes caput beati Ioannis Baptiſtæ almi præcurſoris Chriſti, & beatorum trium innocentium corpora ſimul in hoc ciborio concluſerunt, bitumineque ſigillato munierunt. Domino autem auxiliante hoc ædificium completum eſt feliciter. Fecit etiam idem rex fontem ductorium, qui à duobus ferè miliariis per profundiſſimos terræ meatus ad palatium eius ductus decurreret, & in ipſam baſilicam per ferrum & æs introduceretur, ac ſubtus ciborium per concauam marmoream columnam ebulliret: ibique ſacri baptiſmatis ablutio fieret: ſicque iterùm ad primos aditus reflecteretur. Conuocans igitur Rex Pipinus & beatus Felix Pontifices & ſacerdotes, omneſque patriæ nobiles; benedicentes Eccleſiam, atque in honore eiuſdem Ioannis Baptiſtæ dedicando mirificè conſecrantes, prædiis ac poſſeſſionibus ſuis à progenitoribus ſibi dimiſſis eam nobiliter dotauerunt. Ordinatiſque omnibus neceſſariis, monachos ibidem Deo in perpetuum ſeruituros ſtatuerunt, poſtmodum multa Domino mirabilia operante per famulum ſuum Ioannem Baptiſtam. Tandem verò metam narrationi ponentes, oremus immenſitatem bonitatis Chriſti, vt ſua potenti dextera ſuffultos nos ad æternæ quietis ſtationem perducat: qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula.

DE DVPLICI MARTYRIO AD FORTVNATVM, auctore neoterico.

MVLTIPHARIAM Multiſque modis ago gratias, Fortunate mihi in Domino chariſſime; diuinæ benignitati, quòd & tuam pietatem excitauit ad extimulandum officium meum, vt vnico libello commilitonibus noſtris materiam ſubminiſtrarem; vnde ſibi gratia ſpiritus opitulante, munimenta teláque fabricarentur aduerſus perſecutionum incurſus: & mihi quod petebas conanti, non dedignata eſt adeſſe: & quod vtriuſque noſtrûm operam non paſſa eſt eſſe ſterilem, hoc eſt [a] quod mei Fortunati pium deſiderium benè fortunauit, & miniſtri ſui officium voluit eſſe gregis ſui beneficium. Scribis enim ex eo libro multùm roboris & alacritatis acceſſiſſe ſtrenuis, timidioribus autem & infirmis tantùm animorum eſſe additum, vt ex his quoque per Dei gratiam certam victoriam nobis promittere debeamus: eoque libentiùs obtemperaui poſterioribus tuis litteris, quibus orat tua charitas, vt quoniam hoc auſpiciis Domini noſtri Ieſu Chriſti benè ſucceſſit, addam volumen alterum de duplici martyrij genere: quorum vnum exhibetur, cùm ſæuit tortorum immanitas: alterum occultiùs quidem eſt, ſed nihilominus fortem animum poſtulat, multaque diuinitùs armatura communitum. Vtinam & hoc munus Chriſti ſpiritus per me fratribus & commilitonibus noſtris largiri dignetur, & quod dederit benè proſperare. Quemadmodum enim nihil ſanctum niſi illo ſanctificante, nihil potens niſi illo corroborante: ita nihil felix, nihil auſpicatum, niſi illo proſperante. Sanè & veſtris precibus, & Domini bonitate fretus aggrediar. Martyr (vt iis quoque notum eſt qui Græcè neſciunt) teſtem ſonat. Quamquám autem poſt exortam euangelicæ veritatis lucem, eccleſiaſtica conſuetudo cognominis huius honorem propriè tribuere cœpit iis, [b] qui in tormentis vſque ad mortem perdurarunt in profeſſione nominis Ieſu Chriſti, & euangelicum inſtrumentum ſanguine ſuo velut obſignarunt apud incredulos: omnis tamen piorum vita teſtimonium reddit Deo. Non quòd ille cuiuſquam egeat teſtimonio, qui ex ſe fons eſt æternæ gloriæ, vt nec vllis hominum honoribus fieri poſſit honoratior, nec vllis mortalium ignominiis obſcurior. Sed tamen ita viſum eſt æterno illius diuinoque conſilio, vt ſuam bonitatem, ſapientiam ac potentiam apud homines per homines velit illuſtrari; ſicut mundum gubernari voluit per angelos, cùm angelorum miniſterio non egeat multaque hominibus per homines largiatur, quæ per ſe dare poterat, qui quidquid vult, nutu poteſt, & cui voluiſſe, feciſſe eſt. Et quamquam, vt dixi ad illam ineffabilem maieſtatem nulla pertingit ignominia, tamen in ſcripturis ita loquitur, quaſi per nos honoretur, vel ignominia afficiatur. Nam in Deuteronomio cum Moyſe expoſtulat, quòd apud populum [c] ob laticis penuriam murmurantem in Cades deſerti Sin, ad aquas contradictionis non ſanctificarit ipſum inter filios Iſraël, & ob hanc offenſam non eſt illi nec Aaroni datum ingredi terram promiſſam, ac tot annis expectatam, ſed tantùm è montis vertice procul aſpicere licuit. Porrò quòd dictum eſt ſanctificare pro glorificare, qui litteras Hæbræorum callent, affirmant eſſe ſermonis illius proprietatem; quod ipſum tamen ex aliis ſcripturarum locis liquere poteſt, ſi minus illorum teſtimonio fidimus, quandoquidem & in oratione Dominica: Sanctificetur nomen tuum, dictum eſt pro, glorificetur ſiue clarificetur nomen tuum. Sic & Corinthios exhortatur, vt glorificent ac baiulent Deum in corpore ſuo. Sicut enim nomen Dei glorificatur, vita piorum hominum, in quibus ipſe per ſpiritum ſuum operatur quidquid faciunt boni: ita è diuerſo polluitur & infamatur malefactis eorum qui ſe Dei cultores profitentur. Quemadmodum & militis virtus, aut ſerui probitas redundat in gloriam ducis, aut heri: ita militis ignauia, aut ſerui nequitia, dedecori eſt duci aut hero, propterea, quòd horum mores magna ex parte pendent ab illorum moribus, in quorum poteſtate ſunt. Qui etiamſi prorſus abſunt ab omni culpa, tamen popularis exiſtimatio ſolet dominorum mores ex ſeruorum moribus æſtimare. Vnde etiam hîc videmus diuinam ſcripturam frequenter iuxta mortalium affectus loquentem, velut in Leuitico de eo qui de ſemine ſuo dediſſet idolo Moloch, dicit: Quia polluit nomen ſanctum meum. At quod ab hominibus ſanctificatum eſt, pollui poteſt: Dei verò nomen in ſe ſemper eſt glorioſum, apud homines tantùm contaminatur, quemadmodum mendax infamia non polluit virum integrum. Sic & apud Ezechielem clamat nomen ſuum fuiſſe pollutum inter gentes impiis moribus Iſraelitarum. Quin & beatiſſimus Paulus ſcribens Romanis ex auctoritate prophetæ dicit, appellans Iudæos legem profitentes, ſed ea quæ lex vetat facientes: nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes. Et in oratione Dominica, ſicut attigi modò

a *Quod mei Fortunati, &c.* Quamquam hic vt Cypriani eſſe perſuaderet hunc librum, alterius libri ad Fortunatum meminerit, tamen ipſe ſtylus repugnat, neque enim veteres patres vnquam voce fortunare vſi ſunt, ne fortunæ viderentur aliquid tribuere. PAM.

b *Qui in tormentis vſque ad mortem perdurarunt.* Quam diuerſa ſignificatione martyres accipiat Cyprianus, ſuprà abundè diximus, præſertim tomo 1. epiſt. 9. *Idem.*

c *Ob laticis penuriam.* Non rectè Manutius & Morelius *lacticis*, neque verò ſic etiam alicubi Cyprianus, cui etiam heri nomen ignotum eſt. *Idem.*

modo, ex auctoritate redemptoris, oramus vt ſanctificetur nomen Dei Patris, hoc eſt, vt inclareſcat & illuſtretur apud homines vtique, per homines, vel potiùs in hominibus. Illuſtratur autem, ſi ſpiritus illius regnet in nobis, & ſi illius voluntati obtemperetur in terris, quemadmodum in cælis nulla eſt rebellio. Quoniam autem homines ex ſeſe nihil habent virtutis, quidquid per nos rectè geritur, cedit in gloriam Dei, & ideò theſaurum diuinæ potentiæ promit interdum ex vaſis fictilibus; vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. Ergo quamquam omnis piorum vita martyrio ſuo glorificat Deum & Chriſtum Filium eius, nullum tamen eſt illuſtrius teſtimonium apud homines, quàm ſanguinis, hoc eſt vitæ propter Deum contemptæ, & mortis fortiter toleratæ. Reddiderunt & miracula teſtimonium diuinæ potentiæ, præſertim apud incredulos, nam his propriè data ſunt ſigna, quemadmodum ſcribit beatus Apoſtolus: ſed ſemper efficacius fuit ſanguinis profuſi teſtimonium. Quot morbos inſanabiles verbo ſanarat Dominus? quot cœcos illuſtrarat? quot mancos, paralyticos ac debiles reſtituerat? quot exanimes ad vitam reuocarat? Et tamen pauci credebant in eum, & audiebat: In Beelzebub eiecit dæmonia. Cæterùm vbi ventum eſt ad ſanguinem, ibi deiectum eſt Satanæ regnum, ibi ſubactus eſt mundus. Commemorat & Ioannes euangeliſta triplex in terra teſtimonium, ſpiritus, aquæ & ſanguinis: quod efficaciſſimum eſt, poſtremo recenſens loco. Spiritum in columbæ ſpecie deſcendentem ſuper Ieſum videre meruit Ioannes Baptiſta, an alij viderint incertum. Certè hoc teſtimonium Ioanni datum eſt, quo deſineret dubitare de Domino Ieſu, an ille eſſet qui baptizaret ſpiritu & igni. Aquæ teſtimonium vidit Ioannes euangeliſta, nec ſatis conſtat, ſolus ne viderit, an cum multis. Erat quidem hoc ingens myſterium ſacri lauacri quo delentur peccata: ſed vidit aquam ſimul effluere cum ſanguine, qui niſi adfuiſſet, inefficax erat aqua. Quid enim prodeſt aboleri peccata, niſi ſuccedat vita iuſtitiæ quam confert ſanguis? Quamquam hi tres vnum ſunt: vnus enim Deus eſt, qui per ſpiritum, aquam, & ſanguinem declarat hominum generi virtutem ac bonitatem ſuam: [a] aut ideò dicuntur vnum eſſe, quoniam vndique ſibi conſtat teſtimonium, nec vlla ex parte diſſonat: quemadmodum quos artiſſima iungit amicitia, propter ſummum animorum conſenſum, vnus animus eſſe dicuntur. Ac iuxta ſenſum craſſiorem, hæc tria præcipua ſunt in homine vitæ argumenta atque etiam inſtrumenta. Quamdiu enim pulmonis officio attrahitur viciſſim ac redditur halitus, certum vitæ indicium eſt: vnde loquendi conſuetudine, ſpirare dicuntur qui viuunt, & expiraſſe qui vitam finierunt. Quin & anima Latinis flatus dicitur, ad Græcæ vocis imitationem, qui ventum anemon vocant. Super hæc, ſunt in ipſo homine ſubtiliſſimi ſpiritus, à corde vbi fontem habent ſparſi per vniuerſum corpus, ſed præcipuè per arterias commeantes, licet & aliis partibus omnibus mixti: hi ſi ſubitò euolent, mortem præſentem adferunt: ſin includantur, lenta ægrotatione conſumunt hominem. Adeſt & humor quidam naturalis, quem (vt arbitror) medici phlegma vocant, ſparſus & ipſe per vniuerſum corpus. Huius vſum numquam ſentimus euidentius quam in ſenſu guſtus: niſi enim hic admixtus ſit inter linguam & palatum, nullum erit palati iudicium. Et tamen hæc ſic mixta ſunt in homine, vt non ſit ſanguis abſque ſpiritu & phlegmate, & pariter ad tuendam vitam conferunt omnia. Videmus quoduis animal mori ſimulatque ſanguis effluxerit; & conſumpto humore, quem medici radicalem vocant, non aliter moritur homo, quàm extinguitur lucerna conſumpto oleo. Sed nimium diu moramur in contemplatione naturæ; quod tamen non inutiliter factum opinor à nobis, vt dilucidius fiat charitati veſtræ myſterium, in cuius contemplatione ideò verſamur lubentiùs, quia ſalubrius. Nam iuxta naturæ conſiderationem tunc iſta magnam vim habent, cum in viuo corpore ſua munia peragunt: ac iuxta myſticam philoſophiam, tunc demum plurimum valent, cum corpus relinquunt. Nemo miratus eſt Dominum humano more ſpirantem ac reſpirantem: ſed cùm in cruce clamore valido emiſiſſet ſpiritum, ſimul intellectum eſt, illum & verum fuiſſe hominem, & verum Deum: hominem, quod iuxta naturæ ordinem, & vbi vitalem flatum emiſiſſet, deſiit viuere; Deum, quod ſimul cum ingenti clamore mortuus eſt, declarans ſe volentem ac ſpontaneum deponere vitam, quod humanarum virium nemo neſcit non eſſe. Senſit efficax teſtimonium ſpiritus vicinus Centurio, ſic enim narrat beatus Marcus: Videns autem Centurio qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic expiraſſet ait: Verè hic homo filius Dei erat. Quid morte abiectius iuxta carnem? ſed nihil morte potentius iuxta ſpiritum. Erat & illud præter naturæ curſum quod è latere exanimati corporis, ſanguis & aqua profluit, vt abſolueretur triplex teſtimonium. Totum effudit ſpiritum vt nos reſpiraremus: quidquid erat humoris aquei reliquum, expreſſit vt nos ablueremur: quidquid reſederat in corde ſanguinis, emiſit vt nos confirmaremur. Atque haud ſcio an perperam faciam hæc tria inter ſe conferens; cum ſint vnum, non natura, ſed in myſterio. Si qua tamen eſt diſcretio, ſanguis in teſtimonium ratione potiſſimum celebratur, quod in hoc ſcriptura teſtatur eſſe vitam animantis, & ob id à cibis ſubmouebatur edicto legis: præterea magis eſt expoſitus hominum oculis ſanguis quam ſpiritus aut aqua. [b] Vita

Domini

[a] *Aut ideò vnum dicuntur eſſe &c.* Nimirum conſentit hæc expoſitio adnotationibus Eraſmi, in hunc epiſtolæ Ioannis locum: Ipſe verò Cyprianus longè aliter, de vnitate Patris, Filij, & Spiritus ſancti interpretatur, libro de vnit. eccleſiæ. Sic etiam alii veteres. PA M.

[b] *Vita Domini qui ſummus martyr fuit.* Non exiſtimo apud veteres Chriſtum martyrem nuncupari. *Idem.*

Domini qui ſummus fuit martyr, quique & hodie pugnat & vincit in martyribus plurimis, fuit offendiculo: non iam loquor de Phariſæis & Scribis, ipſis etiam cognatis ac fratribus fuit deteſtabilis, cum dicerent illum in furorem verſum; ſed mors illius non ſolùm, ſed piis impiis etiam fuit admirabilis, nec alibi magis verum fuit, quod Dei virtus in infirmitate perficitur. Ibi fracta eſt ſatanæ tyrannis, ibi deuicti ſunt inferi, ibi triumphatum eſt de diabolo, ibi deiectus orcus, cælum apertum. Nimirum hoc erat quod inſtante mortis tempore deprecabatur Dominus: Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Quid homine mortuo contemptius? Quis enim vel Cæſarem mortuum metuat? Sed Chriſti morte quid efficacius? Velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque ad imum, terra concuſſa eſt, ſaxa diſciſſa ſunt, aperta ſunt monumenta, reuixerunt ſepultorum corpora, ſol medio die obtexit faciem ſuam. Numquam per omnem vitam magis declarauit potentiam ſuam: mox refractis omnibus mortis repagulis viuum ſe diſcipulis exhibuit. Nimirum hoc eſt efficax illud ſacroſancti ſanguinis teſtimonium, qui ſolus potuit dirimere maceriem, quæ Deum ab hominum genere ſeparabat: ſolus potuit vnica litura delere totum illud chirographum quod erat contra nos, & a ſatanæ in nos ius vindicabat. Neque enim ſanguis hircorum aut vitulorum potuit abolere peccatum, vmbræ erant illa & typi futurorum. Nec vllus hominis ſanguis poterat tollere peccatum mundi, præter vnici illius agni ſanguinem cui Baptiſta tribuit teſtimonium dicens: Ecce agnus Dei, b ecce qui tollit peccata mundi. Plus eſt tollere peccatum quàm peccata: & peccatum non huius aut illius, ſed mundi. Corpus enim peccati mundum vniuerſum occuparat: hoc per Chriſtum eſſe ſublatum, ſanguis ipſius pro nobis effuſus reddit euidens teſtimonium, melius pro nobis loquens, vt inquit Apoſtolus, quàm ſanguis Abel. Si quidem ille clamans de terra loquebatur vindictam: at Chriſti ſanguis de cruce clamans, pacem loquitur & reconciliationem. Quin idem ſanguis quoniam à nobis bibitur, ſi modò dignè bibitur, clamat in cordibus noſtris verba pacifica & ſolatii plena. Et illic triplex eſt teſtimonium, licet ſpiritali quodam modo. Clamat ſpiritus, qui nobis arrhabonis loco datus eſt: Abba pater, teſtificans quod ſumus filij Dei. Clamat aqua per quam renati ſumus, quod condonata ſunt nobis omnia peccata; & ſi quis adhuc dubitat, accedit ſanguinis teſtimonium clamantis: quid adhuc hæſitas, quid adhuc pauitas tyrannum ſatanan? ecce pretium quo te redemit Dei filius. Niſi te ſaluum voluiſſet Deus, non tradidiſſet vnigenitum ſuum in mortem. Nemo maiorem charitatem habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Si non eſt maius eximiæ beneuolentiæ teſtimonium, quàm ſi quis vitam impartiat amico; grauius eſt Dominici ſanguinis teſtimonium, qui pro inimicis effuſus eſt. Effuſus pro inimicis, fecit amicos ac filios Dei: atque vt conſideremus hanc fore perpetuam amicitiam, reliquit nobis edendam carnem ſuam, reliquit bibendum ſanguinem; vt per eadem aleremur, per quæ ſumus redempti. Sanguinis aſperſione confirmatum eſt vetus teſtamentum quemadmodum Hebræis ſcribens præclarè docet beatiſſimus Paulus: Chriſti ſanguine conſignatum & corroboratum eſt nouum teſtamentum, hoc eſt teſtamentum & pactum gratiæ & remiſſionis peccatorum, per ſanguinem agni immaculati, qui in ſe recipere dignatus eſt totius mundi peccatum, quod omnes ex Adam contrahunt qui prodeunt in hanc vitam, & cuius contagio peccant quicumque peccant. Tanta autem eſt Chriſti ſublimitas, vt fortaſſe non oporteat quemquam cæterorum hominum cum illo conferre, niſi ipſe nobis tantam fiduciam præbuiſſet; qui non dedignatus ſit diſcipulos ſuos vocare amicos, ſeruulos ſuos vocare fratres & cohæredes. Quemadmodum igitur ille ſuo mirabili teſtimonio clarificauit patrem in hoc mundo, atque etiam in cælis: ita teſtimonium illius quodammodo conſummatur teſtimonio ſanctorum, quaſi ſit vna paſſio Domini & ſeruorum. Id ne quis exiſtimet parum religioſè dictum, beatus Paulus nobis patrocinatur, ita ſcribens Coloſſenſ. Qui nunc gaudeo in paſſionibus, pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Quis enim neſcit, fratres, quam vberem prouentum effudit Eccleſiæ ſeges, Apoſtolorum ac cæterorum martyrum ſanguine irrigata? Quò plus ſanguinis effuſum eſt, hoc magis effloruit multitudo fidelium: hoc latius ſparſit ſuas propagines illa beata vitis à Chriſto ſtirpe ſurgens, & occupans orbem vniuerſum, quacumque patet ab oriente ad occidentem, ab aquilone vſque ad auſtrum. Ecce, fratres dilectiſſimi, à Domini redemptoris temporibus c anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta; iamque huius vitis palmites penè latiùs ſe ſparſerunt quàm Romanum imperium, efferas etiam nationes muſto ſpiritus inebriantes, & quos nulla ferri vis domare potuit, emollit ſanguis illius agni candidi. Qui naturæ cauſas ſcrutantur, narrant adamantem nullæ chalybis duritiei cedentem, hircino ſanguine maceratum, ictu malleorum diſſilire: nullus autem adamas corde ſaxeo peccatorum durior. Hoc igitur cor ferreum, cor ſaxeum, cor plus quàm adamantinum, emollit ſanguis Chriſti, & huius

a *Satanæ in nos ius vindicabant.* Negligentia operarum apud Manutium erat, *iudicabat*. PAM.

b *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Lugdunenſis editio, & Manut legunt *peccata*, ſed illud habet vtraque Frobenii & Grauii editio, & genuinum eſſe conſtat ex interpretatione auctoris, quæ eadem eſt cum illa, quam habet Eraſmus in Adnotationibus in Ioannem, ita vt vel hinc confirmetur coniectura H. Grauii. *Idem.*

c *Anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta.* Hoc addidit auctor vt putaretur vetuſtum opus, ſed ipſe ſibi contradicit hac periodo, dum iam ea ætate latius ſparſam dicit fidem, quàm Romanum imperium; neque enim id ante tempora Imperatoris Conſtantini verum fuiſſe ſatis conſtat. *Idem.*

a *Vitis*

huius martyrum, qui ſuppleuerunt quod illius paſſionibus deerat. Hoc argumento ſummus ille paſtor, & vt Petrus ait, princeps paſtorum teſtificatus eſt ſe eſſe paſtorem bonum: quia animam ſuam poſuit pro ouibus, nobis exemplum præbens, vt qui pro noſtra qualicumque portione [a] vices illius gerimus, parati ſimus & ipſi pro grege Dominico ſanguinem fundere, niſi malumus videri mercenarij quàm paſtores. Domini verbis congruunt verba diſcipuli. Cùm enim dixiſſet ſe gaudere in paſſionibus, quibus conſummaret paſſiones Chriſti, perpetiens & ipſe pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia; qualia paſſus erat Dominus; cauſam adiecit cur ea libenter pateretur: Cuius, inquit, factus ego ſum miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vobis vt impleam verbum Dei. Et alio quodam in loco ſcribit ſe repleuiſſe Euangelium. Sicut ergo mortibus martyrum conſummantur paſſiones Chriſti, ita ſanguine paſtorum confirmantur promiſſa Chriſti. Nullum enim inſtrumentum indubitabilius, quàm quod tot martyrum ſanguine ſignatum eſt. Hoc nimirùm eſt implere verbum Dei, hoc eſt replere Euangelium. Sed interim grauiſſimus dolor oboritur animo meo, dilecti, dum mecum reputo, [b] cùm adhuc recens ille Chriſti ſanguis feruere debeat in cordibus fidelium, tam multos eſſe in quibus refrixit charitas: atque hoc grauiùs diſcrucior, quòd tales non paucos paſtores habeat Eccleſia, qui, non ſolùm non opponunt corpora ſua aduerſus luporum incurſus, verumetiam ipſi lupos agunt, dum mactant ac perdunt animas ſimplicium, ipſi ventri ſuo, quæſtui, & ambitioni ſeruientes; adeóque non implent verbum Dei, vt illud cauponentur potiùs & impiis dogmatibus adulterent; nec cogitant quòd ille paſtorum Princeps ſeueriſſimo iudicio repoſcet ſingulas oues, pro quibus redimendis ſanguinem ſuum fuderat, de manibus eorum. Sed illos ſuum manet ſupplicium: nunc melius eſt vt omiſſis querelis, nos inuicem ad officium quod Chriſto debemus exhortemur. Triplex à Chriſto teſtimonium accepimus, triplex illi teſtimonium reddamus oportet. Rudimenta fideliter tradamus baptizandis, perfectiora baptizatis. Confirmemus illos fructibus ſpiritus ad cæleſtem vitam prouocantes, & ſi res poſtulet, libenter etiam vitam commiſſo nobis gregi impendamus, noſtraque morte viciſſim Deum clarificemus. Et ne cui videatur mirum, morte hominum glorificari Deum, audi beatum Ioannem in Euangelio de Petro; cui Dominus prædixerat fore, vt vbi ſenuiſſet, ab alio cingeretur & duceretur quò nollet, ita loquentem: ſignificans qua morte eſſet glorificaturus Deum. Quotquot igitur ab orbe condito propter Deum, propter iuſtitiam ac pietatem mortui ſunt, morte ſua glorificauerunt Deum. Nam eleemoſynas, ieiunia, precationes, aliaque pietatis exercitamenta ſimulant etiam hypocritæ: mortem nemo ſuſcepit alacriter, niſi qui certò perſuaſum haberet, nihil aduerſi poſſe accidere iis qui perſiſtunt in charitate Dei. Neque tamen ſtatim martyr eſt, qui occiditur: occiduntur & ſicarij & piratæ: [c] non ſupplicium facit martyrem, ſed cauſa. Quòd ſi qui leguntur ſibi fortiter conſciuiſſe necem; aut infirmitas erat morte quærens dolorum finem, aut ambitio aut dementia. Nec hoc eſt teſtimonium præbere Deo, id facere quod & Deo diſplicet, & gentium etiam legibus prohibetur. Plurimùm intereſt inter barbaricam immanitatem, & martyrum modeſtiſſimam conſtantiam in ſe imbecillem, in Chriſto fortem. Sunt qui certis artibus corpus ſtupefaciunt, ne ſentiant cruciatus: hoc modo ſe quidem malefici muniunt aduerſus carnificum manus. Sunt & affectus impotentes, qui ſenſum adimunt animo, ita vt vel mortem impauidi perferant. Sed placidum illud ac manſuetum, illud humiliter ſublime & ſublimiter humile, non videmus niſi in Chriſti martyribus. Non obtuentur trucibus oculis carnificem; [d] non minitantur tyranno: magis dolent de illorum cæcitate, quàm de ſuis afflictionibus. Scilicet clamat & in illis Chriſtus: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non aliud ſpectant quàm in cælum, vbi ſpem omnem habent repoſitam. Sic ipſe Dominus velut agnus ſine voce ad mactationem ductus eſt: & ſi quam edidit vocem, ea magis declarauit animum mitem ac placidum, quàm vllum potuiſſet ſilentium. Quàm blanda oratione compellat Iudam proditorem? quàm placidè reſpondit cæſus alapa? quàm nihil ferocius loquitur Annæ & Caiphæ? quàm tranquillè reſpondit Pilato? Denique cùm Phariſæi veluti victores mouerent capita ſua, amariſſimis conuiciis in illum debacchantes, ille mitiſſimus clamat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non igitur mori per ſe, teſtimonium eſt; ſed ſic mori, eſt teſtimonium præbere Deo. Stephanus iuuenis inter homicidas, agnus inter lupos, ſtabat placido angelicoque vultu, & ad Domini exemplum orat pro lapidantibus, nec alibi habet oculos quàm in cælum. Illic videre meruit, cuius præſidio ſuperior erat perſequentibus. Qui verò timet Deum, non metuit hominum ſæuitias. Qui ex animo diligit vitam cæleſtem, facilè vilem habet animam; atque illi, cum beato Paulo, Viuere Chriſtus eſt, mori lucrum. An non ingens lucrum eſt, hanc & breuem & innumeris

a *Vices illius gerimus.* Hoc rurſùm auctor addidit vt Epiſcopus putaretur. PAM.

b *Cùm adhuc recens ille Chriſti ſanguis, &c.* Etiam hoc ad ſubornationem pertinet. Neque verò vſpiam Cyprianus malos paſtores lupos nuncupat, ſed ſolos iuxtà Scripturam hæreticos. *Idem.*

c *Non ſupplicium facit martyrem, ſed cauſa.* Sumpſit quidem hoc ex D. Cypriano, ſed quod ille contra hæreticos, iſte aduerſus eos qui mortem ſibi conſciſcunt, & maleficos in medium adducit. *Idem.*

d *Non minitantur tyranno.* Non per omnia hoc verum eſſe patet, vel ex ſolo Prudentio, vbi & Laurentius & Romanus martyres contra faciunt, immò & Macchabæi martyres non erunt, ſi huic auctori credendum ſit. Cautè itaque hic locus legendus, ne fauere videatur pſeudomartyribus noſtri ſæculi. *Idem.*

innumeris malis contaminatam vitam cum ſempiterna felicitate commutare? Hic Dominus quemadmodum & in cæteris omnibus ſeſe formam nobis exhibuit. Quum enim inſtaret extremus actus martyrij, quem aiunt in fabulis oportere eſſe optimum, ſeceſſit, abiecit ſeſe in terram, prolixè atque etiam frequenter, ac ſanguineo ſudore madeſcens, noſtræ naturæ in ſe expreſſit imbecillitatem, antè teſtatus animi tædium ac triſtitiam vſque ad mortem, ne nos in deſperationem caderemus, ſi cùm omnia mortem præſentem intentant, horrorem naturæ ſenſerimus. Niſi enim adeſſet ſenſus dolorum, nihil haberet admirabile martyrium: ſed ſuperare dolorem, corona dignum eſt. Horrere mortem, naturæ eſt: vincere naturam animi fortitudine, gratiæ eſt. omnia poteſt Paulus, ſed in eo qui ipſum corroborat. Sed quibus præſidiis vincitur naturæ infirmitas? ſi nos totos humi proſternamus, hoc eſt, ſi nihil omninò tribuamus viribus noſtris; ſi vigilemus & oremus inſtanter; ſi noſtram voluntatem diuinæ voluntati ſubmittamus, dicamuſque illa ex animo, ex toto corde: Tranſeat hic calix ſi fieri poteſt, ſed fiat non ſicut ego volo ſed ſicut tu vis. Noui ego ac fleui quoſdam magna animi fortitudine præditos; qui iam coronæ proximi defecerunt, & quem diu profeſſi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in cauſa? Dimouerant oculos ſuos ab eo qui ſolus robur dat infirmis: intermiſerant rationem, ac cœperant ad humana præſidia reſpicere. Contemplabuntur ſuæ naturæ viriculas, conſiderabant aculeos, vngulas, candentes laminas, ferrum & ignem, reliquumque carnificinæ apparatum, etiam aſpectu horrendum, & cruciatuum atrocitatem cum ſuis viribus conferebant, & ideò victoriam amiſerunt è manibus. Vbi quis ita cogitat: hoc poſſum; illud perpeti non poſſum; numquam feliciter peraget martyrium. Sed qui ſe totum tradit diuinæ voluntati, non aliò ſpectans quàm ad illius opem, is demùm firmus eſt & inuictus. Hoc autem fieri non poteſt, niſi adſit vera ac viuida fides, nihil hæſitans, nihil diſquirens: ne cogitaris quanta ſit tyranni ſæuitia, quanta hominis imbecillitas, ſed quanta ſit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris ſuis. Ergo vt à digreſſione reflectamus ad id quod erat conſtitutum; quemadmodum Domini mors potentior erat quàm vita, ita voluit martyrum ſuorum mortem eſſe potentem. Quid enim infirmius quàm vinciri, damnati, cædi, cruciari, occidi, & ad carnificis arbitrium præbere corpus? Hæc ſpecies interdum miſericordiam mouet etiam ſæuiſſimis tyrannis. Verùm vbi iam ad monumenta martyrum pelluntur morbi, rugiunt dæmones, terrentur monarchæ, coruſcant miracula, concidunt idola: tum apparet quàm ſit efficax ac potens martyrum ſanguis. Præſentia infirma, epiſtolæ graues, audiuit beatiſſimus gentium doctor; hoc & ad martyres rectè accommodabitur; vita infirma & contempta, mors grauis ac potens. [a] Iam non eſt par omnium martyrum in tormentis alacritas, quemadmodum nec omnes eodem genere mortis defunguntur. Tres illi beati pueri in mediis flammis inuenêre refrigerium, & ſepti innocuo elemento, velut in conclaui canebant hymnum Domino. Daniel item citra noxam, leonum ſodalitio eſt vſus. Beatus Andreas, [b] vt habet humana quidem hiſtoria, ſed ſatis probatæ fidei, gaudens ſibique gratulans ibat ad crucem. Alij diutinis ac variis cruciatibus ſubinde moriuntur, nec tamen morte datur finire dolorem. Eſt igitur & illud veri martyris, hoc quoque totum arbitrio Dei committere. Nouit ille quid expediat nobis, & quid ad ipſius gloriam maximè conducibile ſit. Tantum illud aſſiduè cogitandum eſt: Siue viuimus ſiue morimur, Domini ſumus. Nec ſibi quiſquam diſpliceat, ſi corpore pariter & animo ſentiat grauem ac diutinam moleſtiam: tantùm fidat ei cui certat, is non patietur quemquam tentari ſupra id quod poteſt, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. Quoſdam electos interdum patitur in tormentis deficere, vt agnoſcant imbecillitatem ſuam, atque eoſdem poſt fortiſſimos reddit in certamine. Hac diſpenſatione Petrus ter abnegauit Dominum, vt edoctus quàm nihil poſſet ſuis viribus, confirmaret fratres ſuos. Quomodo autem confirmaret? vt ſibi diffiſi, fiduciam omnem collocarent in Domino. Sed iam tempus eſt, vt de altero martyrij genere diſſeramus charitati tuæ, de quo etiam accuratius eſt diſputandum, quod occultum ſit & omnium temporum commune; neque enim ſemper ſæuiunt Nerones, [c] Diocletiani, Decij, ac Maximini: numquam tamen ceſſat diabolus exercere Chriſti militiam profeſſos. Et fortaſſis erunt poſt hac donante Chriſto tempora, quibus nullæ tyrannorum perſecutiones affligent Eccleſiam: numquam tamen defutura ſunt certamina, numquam martyria quibus homines pij glorificent Deum, Eccleſia quidem adhuc in hoc exilio militans, peculiaribus gaudiis applaudit iis, qui in profeſſione nominis Ieſu animas ſuas fideliter depoſuerunt, & ad horum memorias magna cum alacritate concurritur: ſed cæleſte theatrum, angelorum myriades & iuſtorum cum Chriſto regnantium innumerabilis populus applaudunt omnibus, qui ſinceram fidem, & charitatem inuictam, quam habent erga Dominum Ieſum, integritate & innocentia vitæ teſtificantur. Nec ſolùm profeſſione fidei, quæ iuxta Paulum,

a *Iam non eſt par omnium Martyrum in tormentis alacritas.* Morel. & Manut. *Martyrium*, verùm non placet. PAM.

b *Vt habet quidem humana hiſtoria.* Hæc quoque phraſis veteribus eſt incognita, qui non humanas, ſed eccleſiaſticas hiſtorias nuncupant. *Idem.*

c *Diocletiani.* Morelius coniicit legendum *Valeriani.* Verùm etſi id fiat, plura ſunt alia quæ Cypriani non eſſe conuincunt. Neque verò vſpiam de altero hoc martyrij genere apud illum ſermo eſt. *Idem.*

Paulum, ore fit ad ſalutem, glorificatur Deus: verumetiam confeſſione commiſſorum. Hæc ne temerè ex nobis ipſis loqui videamur, adducenda ſunt ſcripturarum teſtimonia. Ergo niſi piorum vita cederet in gloriam Dei, Chriſtus non diceret in Euangelio: Vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Nec [a] Paulus Apoſtolus ſcriberet Galatis: Et in me glorificabant Deum. Confirmatur hoc & per repugnantiam ex his quæ diximus. Etenim ſi nomen Dei polluitur ac dehoneſtatur impia vita ſui populi; vtique bona illius vita cohoneſtatur. Damnatur apud Apoſtolum & Philoſophorum impia ſapientia, qui cum Deum cognouiſſent, non tamen eum vt Deum glorificauerunt. Sapientiam profitebantur, & ſummam exhibebant ſtultitiam. Itaque cum Deum eſſe profiterentur, tamen turpiter viuentes & idolis ſacrificantes, falſo teſtimonio quodammodo obſcurabant Dei gloriam, quaſi nec iuſtus eſſet nec verax: aut quaſi non vnus eſſet, ſed multi, aut quaſi ſaxis eſſet adſimilis. Id autem euidentius etiam teſtatur beatiſſimus Paulus, ſcribens ad Corinth. Empti, inquit, eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Ideò Deus redemit nos pretio ſanginis ſui, vt ſemel à peccatis expurgati, deinceps vitam ipſo dignam ageremus. Ac ſymbolum imperatoris geſtamus impreſſum frontibus noſtris. Quid ſi gerens ſignum Chriſti, præſtet opera Belial, nonne dedecoratur ille cuius inſignia gerimus? Contrà ſicut imperator ſibi placet de milite præſtrenuo, ſic exiſtimans illius virtutem ipſi decori & ornamento eſſe: ſic Deus gloriatur in his quos redemit, quos lauit, quos ſanctificauit, quos ſpiritus donatiuo dignatus eſt, ſi vitæ ſanctimonia declararint, Domini gratiam in ipſis non fuiſſe vacuam. Si Paulus gloriatur in diſcipulorum pietate, gaudium & coronam ſuam illos appellans, qui nihil erat niſi diſpenſator alieni muneris: an non Dominus magis gloriatur, ſuper his pro quibus mortuus eſt? Iam quod in libro Iob ad hunc modum ſatanæ loquitur Dominus: Num animaduertiſti ſeruum meum Iob, quomodo non ſit ei ſimilis ſuper terram, homo ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malitia? nonne ſermonem profert de ſuo cultore gloriantis? Beatus autem Paulus ſplendidiore etiam verbo vſus eſt, ſcribens ſecundam ad Corinthios epiſtolam: Deo autem gratia, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo. Melius eſt nomen bonum ſuper vnguenta pretioſa. Scriptura glorioſam famam appellare ſolet odoramenta. Non tamen Deus gloriatur hominum more, ſibi placens ac geſtiens, ſed noſtram ſalutem ſuam ducit gloriam, & ideò ſubiecit Apoſtolus: In his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Quomodo glorificatur Deus in his qui ſalui fiunt? quoniam in illis illuſtratur illius miſericordia. Quomodo in his qui pereunt? quoniam in his declaratur illius iuſtitia. Nunc ipſe ſermonis curſus nos eò deduxit, vt doceamus & peccatorum confeſſione glorificari Deum. Hic occurrit protinus ex libro Ieſu Naue Achan, qui quoniam contra diuinum edictum ſuſtulerat ex anathemate pallium coccineum inſigne, ac ducentos ſiclos argenti, ac linguam auream ſiclorum quinquaginta, populus Iſraël terga vertit hoſtibus. Itaque Ioſue dixit [b] Achan: Fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Confeſſus, dedit pœnas, & auerſus eſt furor Domini. Ea confeſſio clarificauit Dei iuſtitiam ac ſapientiam. Sapientiam, quod illius oculis nihil eſſet abſtruſum: iuſtitiam, quod non ſine cauſa paſſus eſſet hoſtes aduerſus Iſraëlem inualeſcere; quodque leges ipſius nullus hominum impunè violat. Nihil erat magni quod ſuffuratus erat Achan: magnum tamen erat documentum vniuerſo populo, quantum periculum ſit Dei iuſſa negligere, eique velle imponere quaſi quidquam illum fugeret, aut quaſi faueret præuaricatoribus. Atque ille quidem cum eſſet Iudæus ob vnicum peccatum, quod ipſi leue videbatur, ſeueriſſimas pœnas dedit, lapidatus ab vniuerſo populo, corporis interitu ſalutem animæ redimens. Non enim iudicat Deus bis in idipſum. Sed quæ pœna manet illos, qui poſt tantam Euangelii lucem & gratiam, poſteà quàm ſemel illuminati ſunt, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt æquè bonum Dei verbum virtutéſque ſæculi venturi, in multa atque immania crimina relabuntur, crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes? Qui hoc ſunt etiam miſerabiliores, quod cum tales ſint, aſpernantur tamen pœnitentiæ ſalutaris remedium, contremnunt Eccleſiam maternum gremium offerentem, & ad ſanitatis inſtaurationem inuitantem. Eiuſmodi defectio quantam putas ignominiam inurit Eccleſiæ? nec ea ignominia non poteſt pertinere ad Chriſtum qui eſt caput Eccleſiæ, & per omnia ſuum eſſe ducit, quod eſt corporis ac membrorum ipſius. E diuerſo, quanta totius Eccleſiæ exultatio, cum qui lapſus eſt, per pœnitentiam Eccleſiæ reconciliatur? Ac ne putemus hoc gaudium apud nos tantum eſſe, Dominum audiamus in euangelio [c] κατὰ Lucam loquentem: Ita dico vobis, quod gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Nam hæc clauſula

a *Paulus Apoſtolus ſcriberet Galatis.* Rectè ſic Manut. pro, *Corinthiis.* PAM.

b *Achan.* Morelius *Achar* Et ſic etiam 70. ſed verſio hæc mixta eſt ex vulgata edit. Hieron. & 70. hoc autem mirum quod pœnitentiam lapſorum martyrium quoddam facere videatur. *Idem.*

c κατὰ *Lucam.* Manutius quidem hic & poſteà repoſuit, *ſecundùm.* Verùm quod illud Cyprianicum ſit, puto auctorem ſic ex inſtituto ſcripſiſſe. Eſt autem etiam præter veterum ſententiam huius loci expoſitio. PAM.

clauſula finit parabolam de paſtore, qui relictis nonaginta nouem ouibus, vnam quæ à grege aberrauerat multo labore quæſitam ac tandem inuentam, impoſuit humeris ſuis, & caulæ reſtituit. Simili ſententia claudit parabolam de muliere, quæ drachmam perditam inuenerat. Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Nec tamen hoc ſic accipiendum eſt, quaſi Deo & eius angelis gratius ſit poſt lapſum redire ad pietatem, quàm citra lapſum perſeuerare in innocentia: ſed ſcriptura ſuo more loquitur ſecundùm affectus humanos, illud teſtatum eſſe volens, Deo gratiſſimam eſſe peccatorum conuerſionem. Non enim quærit mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Atque interdum piorum hominum lapſus quamuis enormes, diuina diſpenſatione vertuntur in ſummum Eccleſiæ profectum. Sic lapſus eſt Apoſtolorum princeps: ſic Paulus gentium doctor: ſic Maria Magdalene, quibus nunc Eccleſia præcipuè gloriatur, quorum lapſus ceſſerunt in ſtabilimentum ac ſolatium domus Dei. Præterea non hic loquitur de verè iuſtis; ſed de iuſtitia Phariſaica, quemadmodum alibi dicit: Non eſt opus ſanis medico, ſed malè habentibus. At non erant ſani quibus hoc dicebat Dominus; ſed legis qualicumque obſeruatione tumidi, ſibi videbantur ſani, & ideò non deſiderabant medicum. Hæc cum ad hunc habeant modum, deſiderate frater, conemur aſſiduis exhortationibus excitare fidelium animos, vt tota etiam vita martyrium, hoc eſt, teſtimonium reddat Deo: quod adeò negligendum non eſt, vt niſi ea præceſſerit, martyrium quod ſanguine perhibetur, non ſit martyrium. Fruſtra enim ceruicem præbueris carnifici, niſi prius occideris membra quæ ſunt ſuper terram, hoc eſt, affectus qui militant aduerſus ſpiritum, odium, inuidiam, auaritiam, ſuperbiam, libidinem: quibus quicumque ſeruit, Deum quodammodo abnegauit; & Chriſtum ore profitens, vita ſatanam Deum confitetur. Nec hic ſermo debet cuiquam videri durior, cum ſit verax ac ſalutaris: quidquid homo quiuis Deo antepoſnit, ſibi Deum facit, nec poſſumus duobus ſeruire Dominis: vnus enim eſt Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendus. Quiſquis igitur ore dicit: Credo in vnum Deum, & ſeruit auaritiæ, aut libidini, aut luxui, ſibi mentitur, ſibique repugnat, aliud lingua ſonans, aliud animo celans, voce tantum teſtimonium perhibens Deo, cùm vita ſatanam colat. Efficacius autem eſt vitæ, quàm linguæ teſtimonium. Non omnis qui dicit: Domine Domine, intrabit in regnum, ſed qui facit voluntatem patris cæleſtis. Habent & opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam, etiam tacente lingua. Ideò Dominus in Euangelio κατὰ Ioannem ita loquitur: Opera quæ dedit mihi pater vt perficiam ea, ipſa opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me. Quemadmodum igitur bona opera profitentur Deum: ita mala quodammodo loquuntur: non eſt Deus, nec eſt ſcientia in excelſo. Quis non contremiſcat, quis non inhorreſcat, quis non laceret veſtimenta ſua, quis non obturet aures ſuas, ſi tales voces audiat ex Chriſtiano? Quantus horror, quantus dolor occupat animos noſtros; cùm quis victus tormentis, iuſſus abnegare Chriſtum, abnegat; & ad Iouis ſtatuam tus adolet? Quàm trepidamus metuentes ne Deus iratus fulmen in nobis vibret iræ ſuæ, ne terra dehiſcens nos abſorbeat? vt interdum vnius impietas, ſupplicii conſortio multos inuoluat; & ſunt ſcelera tam immania, vt vidiſſe quoque aut audiſſe ſit deteſtabile. Sed cur alias in ſimili crimine tam ſumus conniuentes? Cur & nobis adeò blandimur & aliis? At vide quid de talibus loquitur Apoſtolus ſcribens Tito: Profitentur ſe noſſe Deum; factis autem negant. Idem in priore ad Timotheum de vidua quæ negligit familiam: Si qua autem ſuorum, maximè domeſticorum, curam non habet; fidem negauit, & eſt infideli deterior. Si fidem negauit, quæ negligentius habet ſuam familiam; quid dicturum putas de his qui ſe totos dediderunt mammonæ & ventri? De Chriſtianis vtique loquitur Paulus ſcribens Philippenſibus, cùm ait: Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt. Quos eoſdem taxat, ſcribens Romanis: Huiuſmodi Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Seruire, iuxta ſcripturarum conſuetudinem dixit, pro colere. Ventrem colunt, cum quem habent pro Deo. Iam de auaritia manifeſtius etiam pronunciat ſcribens ad Coloſſenſes, Mortificate, inquit, membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus. Execramur eos qui procumbunt ad Dianæ ſimulacrum: quantò iuſtius eos execramur, qui toto pectore ſeruiunt mammonæ, qui illi quotidie ſacrificant? Et ſi auarus eſt idololatra, qui pecuniæ ſtudio tenetur, qui quod hæreditate obuenit, aut induſtria partum eſt recondit, nec erogat in egenos; quid cenſendum eſt de his qui lenocinio, qui fœnore, qui rapto, qui fraude, qui calumniis, qui opprimendis pauperibus rem accumulant? Atque hæc idolorum ſeruitus non ſolum inuenitur inter Chriſtianos, verum etiam, quod gemendum eſt, inter Epiſcopos. [a] Porrò temulentia adeo communis eſt Africæ noſtræ, vt propemodum non habeant pro crimine. An non videmus ad martyrum memorias Chriſtianum à Chriſtiano cogi ad ebrietatem? An hoc leuius crimen eſſe ducimus, quàm hircum immolare Baccho? Mihi videtur multò grauius, ſi rem recta ratione velimus expendere.

[a] *Porrò temulentia adeò communis eſt Africæ &c.* Quod præmiſit de epiſcopis, habet ex lib. Cypriani de lapſis. Hoc verò ex D. Auguſtino epiſt. ad Auxilium, vt putetur Africanus eſſe. PAM.

dere. Cùm tyrannus dicit: Abnega Chriſtum, & immola Ioui, & eſto amicus noſter, aut morere: ſæpè lingua negat, corde reclamante: & manus adolet tus, cùm animus intus adoret Chriſtum: quamquam hoc quoque grauiſſimum eſt crimen, tamen aliquam impietatis culpam eleuat humanæ naturæ imbecillitas. Ibi ſatanas tibi loquitur voce tyranni: at quid tibi dicit idem per tuam concupiſcentiam? Abnega Chriſtum, & eſto diues: Sacrifica Mammonæ, & Chriſto nuncium remittito. Quid eſt quòd pollicetur? aurum & argentum, inutilem materiam niſi exerceas. Nec dicit morere, ſed oblecta oculos; immò potiùs hoc dicit: Lucrare pecuniam ad breue tempus habiturus, & perde in æternum animam tuam. Et tamen hîc ſponte ſubmittis genua ſatanæ, & abnegato Chriſto, te totum illi mancipas. Quid autem Chriſtus? Meus eſto, & viue in æternum: contemne diuitias iſtas temporarias, & ego tibi centuplum reponam in hoc ſæculo, & vitam æternam in futuro. Relinque terram, & accipe cælum. Ac Deus iſta pollicens deſeritur; & diabolus tam nihili res, eaſque falsò promittens adoratur. O fœdam defectionem! O turpem idololatriam! O iniquam permutationem! Quo præmio ſollicitauit humani generis primos auctores? Oſtendit pomum, & dedit mortem. Mendacio fefellit: Non moriemini, ſed eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Atque illi deluſi, qualem Dominum deſeruerunt, & ad quem defecerunt? A qua felicitate exciderunt, & in quas ærumnas ſemet coniecerunt? Sed idem ille tenebrarum princeps qui Euæ locutus eſt per ſerpentem, nobis loquitur per ſatellites ſuos ac miniſtros, per lenas & lenones, per eos qui pelliciunt ad amorem pecuniæ, ad ambitionem, ad voluptatem, auocantes à ſinceritate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Idem ille loquitur nobis per concupiſcentias noſtras, quæ viuunt in membris noſtris. Nec dicit quod homo tyrannus: aut mihi obtempera aut morere, nec oſtentat [a] carceres, catenas, vncinos, ſartagines, aut caminos incenſos, non cruces, laqueos aut gladios; ſed tantùm: contemne Deum, renuncia vitæ cæleſtis hæreditati, & committe adulterium, & capies voluptatem. Sed qualem? Momentaneam & corporis tantùm, quot autem amaritudinibus conditam? infamia, periculo, ſuper omnia verò ſecreto conſcientiæ cruciatu. Hæc eſt eſca diaboli, hoc auctoramentum. Stipendium porrò quale eſt? Dicat maiore cum fide beatus Apoſtolus: Stipendium peccati mors eſt. Quæ mors? Corporis, quam ſolam minitatur & inferre poteſt tyrannus homo? Non, ſed mors gehennæ, quæ finem neſcit. Plus poteſt homo tyrannus, quàm diabolus. Ille quodammodo cogit hominis naturam, hic nihil aliud poteſt quàm ſollicitare: deiicere non poteſt, niſi aſſentiaris, contempſiſſe viciſſe eſt. Maior itaque venia debetur, Chriſtum in tormentis abneganti, quàm ſponte aſſentienti diabolo; cui credidiſſe, eſt Chriſtum abnegaſſe. Ille mendax eſt, & omnis mendacij pater, & illius promiſſa, quantumcumque fronte blandiantur, nihil aliud ſunt quàm præſtigiæ pellicientes in exitium. Ne quis itaque ſic ſibi blandiatur: Sum peccator, amo pecuniam, ſeruio libidini, ſtudeo honoribus, indulgeo vindictæ, deditus ſum voluptatibus: ſed Chriſtum non abnegaui. At reclamat tibi Paulus: Factis abnegaſti; reclamat tibi Dominus ipſe: Non potes duos dominos colere. Et interim horres abominandum [b] turificati aut libellati cognomen, ipſe fortaſsè turificatis aut libellatis deterior. Illos humanus metus violentior, quàm vt hominis natura poſſit vincere, eò compulit, vt impias voces promant lingua, reclamante conſcientia; tu tam vili mercedula ſollicitatus, ſponte deficis ad eum, à cuius tyrannide te Chriſtus ſuo ſanguine redemit: cuius iam totus es factus, quemadmodum ait Apoſtolus: Empti eſtis pretio magno, & iam non eſtis veſtri. Huius militiam profeſſus es ad ſalutare lauacrum, huic dediſti nomen, huius ſacramentis initiatus es, accepiſti donatiuum & pignus ſpiritus [c] ne quid dubitares de promiſſo ſtipendio, ſimulque diabolo denunciaſti perpetuas inimicitias, renunciaſti omnibus illius pompis ac voluptatibus; exſufflaſti, exſibilaſti, iuraſti in verba Redemptoris: cúmque tot vitiis ſeruias, tibi places quòd nondum ſis turificatus aut libellatus. Si quis miles iuratus in verba Cæſaris profugeret ad Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea quæ ſciret ingratiſſima Cæſari; nonne comprehenſus ad ſupplicium, raperetur vt deſertor, vt periurus, vt perfuga? Quis autem audiret eum ita ſe defendentem; non ſum deſertor, non abnegaui Cæſarem? An non mox audiret, quid refert ſi lingua tacuit? re ipſa abnegaſti, & pluſquam abnegaſti; qui non ſolùm deſerueris militiam, verùm etiam ad tyrannum & hoſtem imperatoris tui irreconciliabilem transfugeris. Meritò fidelium aures abominantur apoſtatæ vocabulum: verùm hoc non ibi tantùm execrandum eſt, cum incenſo tuſculo, aut ſcripto libello renunciatur profeſſioni nominis Chriſti; ſed vbicumque contemptis Chriſti legibus, obtemperatur ſatanæ. Nec enim refert quid ſonet lingua; quæ ſi ſonet Chriſtum, cùm animus ſit deditus criminibus, non eſt profeſſio, ſed hypocriſis; abnegatura Chriſtum ſi metus vrgeat, qui premit turificatos aut libellatos. Atque in his rebus quæ ſic inter ſe pugnant, vt neutra ferat alterius conſortium; quotiens hanc amplectimur, illam abdicauimus; quotiens vnam reiecimus, alteram agnoſcimus. Cuiuſmodi ſunt lux & tenebræ, bellum & pax, mors

a *Carceres, catenas, vncinos.* Omninò ſic legendum, PAM.

b *Thurificati aut libellati nomen.* Hoc iterùm ex D. Cypriano, qui tamen libellaticos nuncupat. *Idem.*

b *Ne quid dubitares.* Nimis ſæpè inculcat hanc certam in Deo fidem. *Idem.*

mors & vita, Deus & Belial; quemadmodum teſtatur & beatus Paulus in ſecunda ad Corinthios: Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Adhæſiſſe Belial, eſt abnegaſſe Chriſtum, [a] vtcunque lingua aut habitu Chriſtum profitearis. De hoc ſi quis ſimpliciorum dubitarit, dabo argumentum craſſum & euidens. Fingamus tyrannum ita loqui Chriſtiano: Incende tus Ioui; nihil addentem nec exigentem vt Chriſtum abneget: ſi adoleuerit, nonne cunctis manifeſtum erit, illum hoc ipſo Chriſtum abnegaſſe, quod Ioui fecerit thymiama, etiamſi nihil proferat impium in Chriſtum? Quemadmodum qui magicis artibus vtuntur [b] (à quo malo nos Domini miſericordia liberauit; ſicut à cæteris omnibus, quibus iuxta veterem hominem quondam ambulantes tenebamur) tacitè Chriſtum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus. Iam ſi [c] Machabæi fratres vna cum matre maluerunt tot cruciatibus exanimari, quàm carne ſuilla veſci, ſic exiſtimantes, eum Deum legis auctorem negare, quiſquis ſciens ac volens legis præcepta violat: quo pacto ſibi blanditur, qui in luxu, temulentia, auaritia, rapinis, adulteriis aliiſque criminibus conſeneſcunt, quæ gentium etiam leges noluerunt eſſe impunita? Et cùm tot modis Chriſtum abnegent cùm toties immolent dæmonibus; pro Chriſtianis haberi poſtulant? Atque in his ſunt, qui palam iſta committunt, ac propemodum etiam glorientur in rebus peſſimis; adeò non pudet aut piget admiſſorum: & tamen audent venire in Eccleſiam ſanctorum, audent miſceri gregi Dominico. Tales interdum tolerat Eccleſia, ne prouocati magis etiam perturbent populum Dei: ſed quid prodeſt non eiici cœtu piorum, ſi merueris eiici? Nam eiici remedium eſt, & gradus ad recuperandam ſanitatem: eiectionem meruiſſe, ſumma malorum eſt. Ac fruſtrà miſcetur cœtui ſanctorum in templo manufacto, ſi ſubmotus eſt à conſortio Dei & ab vniuerſo corpore myſtico Chriſti. Oportet autem & illud conſiderare, quantopere Chriſtiani abhorrent ab idolothytis, & ab ingreſſu fanorum, atque ab ipſis etiam ſimulacris. Cùm Beatus Paulus clamet, neque idolum eſſe aliquid, neque idolothytum; multò minùs fanum ex lapidibus conſtructum, eſt aliquid: & tamen plurimorum animus ea religione tenetur, vt mortem oppetant citiùs, quàm guſtent idolis immolatum: & inexpiabile piaculum eſſe ducant, ſi ingrediantur fanum Iouis aut Apollinis aut Dianæ, ſeque putent contactu ſimulachri vehementer contaminari. Equidem probo talium religionem, ſi ſibi conſtet in omnibus. Nunc, pro dolor, videre eſt quoſdam in his pænè ſuperſtitioſè trepidos, in aliis vbi grauior erat metuendi cauſa, nimium eſſe ſecuros. Per ſe non inquinat animam contactus idoli, nec ingreſſus fani, nec eſus idolothyti: ſed per ſe polluit conſcientiam amor pecuniæ, inceſtus, rapina, hypocriſis, & his ſimilia monſtra. Quàm verò congruit hortere fani ingreſſum, nec horrere in templo ſancto Spiritui conſecrato victimas immolare dæmoniis? Clamat ſanctus Paulus ſcribens Corinthiis: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Rurſus in eadem epiſtola: An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt ſancti Spiritus qui in vobis eſt, quem habetis à Deo & non eſtis veſtri? Quòd ſi Chriſtianorum pectora ſibi conſecrauit Deus vt in illis inhabitet per ſpiritum ſuum; illic deliciatur & inambulat, [d] illic amat ſibi offerri victimam puram in omni loco. Et qui in hoc templum Deo ſacrum, eiecto ſancto Spiritu, inducit abominationes quas in myſtica viſione conſpexit Ezechiel; qui illic ſedem facit Mammonæ, Veneri, Como, Baccho, aliiſque portentis; qui ibi dæmonibus immolat ſpurciſſimas hoſtias, veretur ingredi fanum gentium ne contaminetur? [e] Proinde nemo ſibi fruſtrà blandiatur, Deus non irridetur; conſtet ſibi noſtra religio, nec alios deteſtemur, ipſi grauioribus obnoxij criminibus: nec alibi ſimus religioſè timidi, alibi impudenter impij. Sed Chriſtum ſemel profeſſi, tota vita reddamus illi teſtimonium, & vndique glorificemus illum, obedientes illius præceptis; vt in hoc cognoſcant homines quod verè fidimus illi, quod ex animo diligimus illum, & quod non ſimulatè ad ſacrum lauacrum addiximus nos illius militiæ. Beatus Apoſtolus prædixit, nulli piè viuere volenti in Chriſto Ieſu defuturam perſecutionem. Si deeſt tyrannus, ſi tortor, ſi ſpoliator; non deerit concupiſcentia, martyrij materiam quotidianam nobis exhibens. Poſtremò hæc ipſa mala quæ ſecum defert vita mortalium, quæque piis cum impiis communia ſunt, martyrij coronam nobis parabunt; ſi placidè, ſi cum gratiarum actione pertulerimus. Neque priuati ſunt martyrij gloria quicumque violenta morte conſummati non ſunt. Quis autem auſit vel Abraham patriarcham, vel huius filium Iſaac, vel beatum Iob eximere è Martyrum numero? Quæ carnificinæ grauius torſerunt corpus, quam patriarchæ mentem torquebant naturæ affectus; cùm incunctanter ad Dei iuſſum appareret immolare filium vnicum & vnicè carum, in quo tota ſpes erat illi poſteritatis? Quid defuit Iſaac martyrio, qui nihil obmurmurans, paſſus eſt ſe colligari & imponi buſto? nec expauit in ceruicem vibratam

a *Vtcumque lingua & habitu Chriſtum profitearis.* Cautè & hoc legendum. PAM.

b *A quo malo nos Domini miſericordia liberauit* Hoc etiam addidit, vt Cypriani videretur hic liber, quippe quem magicas artes profeſſum fuiſſe (quamquam perperam) quidam tradunt. *Idem*,

c *Machabai*. Rectè ſic Manut. pro eo quod erat *Maccabai*, *Idem*.

d *Illic amat ſibi offerri victimam*, *&c.* Mirè detorquet hanc Malachiæ ſcripturam auctor *Idem*.

e *Proinde nemo ſibi fruſtrà blanditur.* Hoc rurſum mutuatus eſt ad verbum ex lib. Cypriani de Lapſis. *Idem*.

tam machæram? Cuius autem martyrium audebimus conferre cum his quæ paſſus eſt Iob? Quod ſi quis adhuc diffidit ſermoni noſtro, certè beati Pauli verbis non poterit diffidere. Is ſcribens ad Hebræos orſus ab Abel vſque ad Gedeonem, ingentem ſanctorum catalogum recenſet, in quo plures ſunt qui non defuncti ſunt morte violenta; immò pauci ſunt qui ſic mortui ſunt; & tamen de omnibus pronunciat: Et hi teſtimonio fidei probati inuenti ſunt, perſpicuè declarans etiam vita bona peragi martyrium fidei. a Eccleſiæ quidem vſus diſcernit illos cognominibus martyres appellans eos, qui violenta morte deceſſerunt; confeſſores, qui conſtanter in cruciatibus ac minis mortis profeſſi ſunt nomen Domini IESV; parati mortem oppetere, vel potiùs martyrii ſupremam coronam ambientes. Apud Deum tamen quicumque carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, quicumque Chriſto verè commortui ſunt, eique in baptiſmo conſepulti ſunt, vt iam non ſibi viuant, neque mundo cui ſemel mortui ſunt, ſed ei, qui pro ipſis eſt mortuus; martyres ſunt, nec martyrum corona fraudabuntur: in primis autem monachi, qui verè monachi ſunt, ac virgines quæ verè virgines ſunt. [b] Neque enim locus deſertus, ſaccus pro veſte, legumen pro cibo, neque ieiunia, neque chameuniæ monachum abſoluunt; ſub his inuolucris interdum latet animus valdè mundanus. Quod ita deprehenditur, ſi ad munus aliquod Eccleſiaſticum vocentur: ibi videas quoſdam ex illis facillimè vinci deliciis, impatientiores iniuriarum, appetentiores vindictæ quam quiuis alius ſit ex media plebe. Quid cauſæ eſt? Quoniam corpus exercuerunt magis quàm animum; cum beatus Paulus doceat, quod exercitatio corporalis ad modicum vtilis ſit, pietas ad omnia valeat. Non hæc dixerim, quod improbandi ſint qui talibus modis caſtigant corpus ſuum, & in ſeruitutem redigunt: ſed quod ſatanas mille inſtructus artibus, nonnumquam illudit incautis, transfigurans ſe in Angelum lucis, & ex huiuſmodi corporum exercitamentis inducit illis falſam ſanctimoniæ perſuaſionem; cumque intus madeant ſpiritalibus vitiis, & ſibi, & aliis, habentur pij. Talis erat iuſtitia Phariſæorum, cui prælata eſt iudice Chriſto publicani iniuſtitia. Ita ſunt & virgines fatuæ; quæ ſolidam exiſtimant pietatem corpus habere viro intactum, cum animus auaritia, ſuperbia, inuidia & obtrectatione ſit corruptiſſimus. Sunt & falsò viduæ, quæ dum viuunt in deliciis, Chriſto mortuæ ſunt. In ſumma tamen, quiſquis verè Chriſtianus, cuiuſque ſtatus aut ordinis habet certamina ſua, habet crucem ſuam; quam ſi patienter tollit, ſi conſtanter ſuſtinet, teſtimonio ſuo glorificat Dominum, tantum ne ſibi vindicet laudem bonorum operum: hoc enim non eſt glorificare Deum, ſed clarificare ſeipſum. Habet vnuſquiſque fidelium agones ſuos, habet aduerſarium diabolum, habet agonothetam Deum, habet theatrum non ſolum Eccleſiæ & Angelorum, ſed & infidelium; quemadmodum dicit Paulus ad Corinthios: Spectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus. Si vincimus; gloriantur Angeli, gloriantur & fidelium Eccleſiæ, gloriatur & ipſe Chriſtus in membris ſuis. Sin vincimur ignauia noſtra, triumphat ſatanas cum angelis ſuis, inſultant nobis increduli, ac Deum contumeliis afficiunt, dicentes: Ecce qui iactant ſe redemptos à tyrannide ſatanæ, qui prædicant ſe mortuos mundo, nihilo minus vincuntur à cupiditatibus ſuis quàm nos, quos dicunt adhuc teneri ſub regno ſatanæ. Quid prodeſt illis baptiſmus, quo dicunt exui veterem hominem cum actibus ſuis, & indui nouum qui ſecundùm Deum creatus eſt? Quid prodeſt illis Spiritus ſanctus, cuius arbitrio dicunt ſe temperari? Cur ſemper in ore habent; Euangelium, Euangelium; cum tota vita diſcrepet ab Euangelii præceptis? Quanto creditis pudore ſuffunditur Eccleſia, cum hæc ingeruntur ab hoſtibus, nec habet quo refellat opprobria? Nónne videmus totum Eccleſiæ cœtum [c] demittere vultus atque erubeſcere, quotiens aliqua virgo quæ Chriſto nupſerat, dilapſa ex angelico contubernio defecit ad ſtuprum, aut coniugium? Quantus mæror occupat omnium noſtrûm animos, ſed præcipuè paſtorum, ſi quando Chriſti miles tormentis inferior, renunciauit imperatori ſuo? Quantus autem ex aduerſo ſatanæ triumphus? Itaque, fratres dilectiſſimi, ſi verè diligimus Deum, ſi quotidie petimus ex animo: Sanctificetur nomen tuum; ſummò ſtudio aduigilemus, necubi polluamus nomen illius, ſed & morte & vita glorificemus illum, iuxta beati Pauli monita: Viuentes ſine querela vt ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos luceamus ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes ad gloriam Chriſti IESV Regis & agonothetæ noſtri, qui ſuum eſſe ducit quidquid in membris ipſius geritur. Patiamur cum illo, vt cum illo glorificemur in die Domini. Nos hic illum clarificemus apud homines, vt ille nos clarificet claritate ſua coram Angelis ſuis: Cum, vt inquit beatus Paulus, venerit glorificari in ſanctis ſuis. Nemo coronatur niſi legitimè certauerit. Et hi qui corruptibilem coronam ambiunt, ab omnibus ſe abſtinent, nihil non facientes quod ad victoriam conducit: quid nos facere conuenit, vt aſſequamur illam immortalis vitæ coronam incorruptibilem & immarceſcibilem in cælis? Hic ſi quis roget, quo pacto quis poſſit eſſe martyr ſine ſanguinis effuſione: quiſquis hoc animo ſequitur iuſtitiam, vt mortem citiùs admiſſurus ſit, quàm

a *Eccleſia quidem vſus*, &c. Non per omnia Cyprianicam eſſe hanc martyris & confeſſoris differentiam tomo 1. epiſt. 9 ſatis oſtendimus. PAM.

b *Neque enim locus deſertus.* Planè ſunt hæc Eraſmica, atque adeò & cautè legenda. *Idem.*

c *Demittere vultus.* Quidam non rectè *dimittere.* *Idem.*

quàm velit à iuſtitia deflectere: huic prompta voluntas pro martyrio deputabitur. Deus enim non æſtimat quemquam ex euentu rerum, ſed ex affectu. Cur enim ille fraudetur martyrii gloria, per quem non ſtetit quo minus martyrium peregerit? Vt contrà, mercedem apoſtatæ feret; quiſquis hoc animo viuit, vt Chriſtum negaturus ſit, ſi iactura bonorum, aut corporis cruciatus, aut mors ſit accipienda. Qui ob paululum pecuniæ peierat; an is verebitur abnegare Chriſtum, ſi tota res periclitetur, ſi intentetur infamia, carcer & mors? [a] Qui ob febriculam ad incantantricum remedia confugit; an is malit cruciatus morte triſtiores perferre, quàm Chriſto renunciare? Immò qui totiens ob breuem carnis delectatiunculam, ob momentaneam gloriam deficit à Chriſto; vitam habebit vilem pro Chriſto? Nec hunc tyrannus fecit apoſtatam, ſed ad tyrannum acceſſit apoſtata. Vt autem eſt ſimilis certandi ratio: ita iiſdem armis fratrum animi communiendi ſunt ad has pugnas quibus oſtendimus confirmandos ad martyrium. Fides eſt, quæ pugnat & ſuperat in martyribus: nec quiſquam defecit in tormentis; niſi fidei defectu. Orandus igitur aſſiduè Deus, vt fidem in nobis augeat: eſt enim Dei donum, illi debetur omnis victoriæ gloria. Ingeramus illorum animis & infigamus, quàm horrendum crimen ſit omnis idololatria, quàm ſeuerè punita ſit à Deo ſub lege vetere: quot millia trucidarit Moyſes ob vitulum aureum. Deinde proponatur comparatio manifeſtæ idololatriæ, cum immolatur ſimulachris: & occultæ, cum contempto Deo obeditur per concupiſcentiam ſatanæ. Deinde conferantur inter ſe Deus fons omnis boni, & diabolus omnis malitiæ princeps. Oſtendatur & inæqualitas contubernii: in altera parte ſunt filii Dei, conciues Angelorum, & hæredes beatæ immortalitatis; in altera filii Belial, ſocietas omnium dæmonum, & hæredes gehennæ. Conferatur & impar malitiæ genus, comparentur diuerſa ſtipendia. Hæc ſi priùs fuerint perſuaſa, & intimis infixa viſceribus, facilis erit victoria. Nunc fides multis natat in labiis, cum in corde aut nulla ſit, aut vehementer langueat. Quis enim non profitetur, quod in Deuteronomio legimus: Audi, Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt? Et; Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies? Quis non quotidie recitat ore: Credo in Deum Patrem omnipotentem? At non credit in Deum, qui non in eo ſolo collocat [b] totius felicitatis ſuæ fiduciam: nec vnum habet Deum ac Dominum, qui per ſcortationem, per luxum & auaritiam ſatanæ facit imperata, nec illi ſoli ſeruit, qui ſeruit ventri, qui deditus eſt huic mundo; qui in prauo poſitus eſt. Ethnici putant plures eſſe Deos, & hoc tibi videris perfectus Chriſtianus, quòd perſuaſum habes vnum eſſe Deum? quid magni facis? Idem credunt Iudæi qui quotidie blaſphemant Filium Dei in Synagogis ſuis: idem credunt dæmones & contremiſcunt. Si verè credis in Deum, crede iuſtum & veracem: iuſtum in remunerandis piis, & puniendis impiis: veracem in promiſſis. Crede non eſſe ſpem ſalutis, niſi per filium eius quem pro nobis omnibus tradidit in mortem: crede nihil accidere mali poſſe iis, qui ſe totos illius voluntati tradiderunt & in illo perſeuerant. Hoc eſt credere in Deum Patrem, hoc eſt credere in Filium eius, hoc eſt credere in Spiritum ſanctum, vnum Deum, & Eccleſiam ſanctam myſticum Chriſti corpus; extra quam, non eſt ſalus, & in qua non eſt pernicies. Quiſquis in tali petra pedes animi fixerit, aduerſus omnes tentationum incurſus ſtabit immobilis. Exempli gratia: Laceſſitus es conuicio, ſuggerit tibi caro vindictæ cupiditatem, priùs quàm reſpondeas, ſic cogita tecum: Hunc maledicum hominem ſubornauit diabolus, vt me deiiciat, ac deiectum perdat, ſed auſculta quid ſuadeat imperator tuus cui militas: Beati, inquit, mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Et; Mea eſt vindicta, & ego retribuam. Quid ſuadet fortiſſimus ille Chriſti dux Paulus: Non noſmetipſos vindicantes chariſſimi, ſed date locum iræ, Diabolus dicit: Fruere vindicta, & perde vitam æternam. Deus dicit. Vince in bono malum, & noli reſiſtere malo; & accipe cum filio meo poſſeſſionem regni cæleſtis. Mox diſpice, vtri potiùs expediat obtemperare. Dicit tibi per concupiſcentiam tuam diabolus: Mœchare, & fruere temporaria corporis voluptate, & eſto meus ſeruus, & cohæres gehennæ. Audi potiùs quid dicat tibi Deus: Sperne temporariam voluptatem, & accipe centuplum bonæ conſcientiæ gaudium in hoc ſæculo, & vitam æternam in futuro: & expende vtri potiùs ſit aſcultandum. Suggerit tibi per carnis affectum veluti per Euam ſathanas: Viue genialiter. Ex aduerſo dicit Chriſtus: Beati qui lugent, [c] quoniam ipſi conſolationem accipient. Ad eumdem modum de cæteris tentationibus, obiice tentatori clypeum ſcripturarum; in quibus tibi loquitur Deus non minore fide, quàm ſi tibi coram ore ad os loqueretur. Ex his torrentibus ſume tibi lapides, quibus deiicias ſuperbum Goliath. Habes exemplum à Domino tuo, ſic ille proſtrauit diabolum: nec deiicias animum ſi ſæpiùs inuadat, ac ſubinde maioribus machinis aggrediatur: nihil poteſt aduerſus eum qui tecum eſt. Dic illud Ioannis: Maior eſt qui in nobis eſt, quàm qui in iſto mundo. Succurrat illud Domini dictum: Confidite quoniam ego vici mundum. His orationibus ſi Chriſti miles fuerit exercitatus ad conflictum; in dies comperiet ſuum antagoniſtam debiliorem

Nec

a *Qui ob febriculam ad incantatricum remedia confugit.* Neſcio quæ remedia incantatricum intelligat. PAM.

b *Totius felicitatis ſua fiduciam* Corruptè & hic quidem *infelicitatem*: quia etiam paulò poſt omiſerat vocem, *et*, eſt etiam hoc cautè legendum. *Idem.*

c *Quoniam ipſi conſolationem accipient.* Eſt etiam hæc Eraſmi verſio. *Idem.*

a *Aſsibus*

Nec tamen remittendæ ſunt excubiæ, ſi quando hoſtis ſimulabit tranquillitatem; ſed obſeruans illius inſidias, dicat cum beato Abacuc: Super cuſtodiam meam ſtabo & gradum figam ſuper petram, omni cuſtodia ſeruans cor meum, ne qua pateat aditus obambulanti quærentique quem deuoret. Tutiſſimum autem cordis munimentum eſt ſobrietas cum inſtanti oratione, iugique ſcripturarum meditatione. Omnis enim ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Ex hac igitur colligendæ ſunt ſententiæ, quas ad manum & velut in procinctu habeas, vt his protinùs ſerpentem caput erigentem deiicias. Nullus eſt enim animorum morbus, cui non præſens remedium diuina Scriptura ſuppeditaret. Hinc comparanda ſua exempla piorum, ſed præcipuè Chriſti, quibus ſe quiſque vel animet vel conſoletur. Venio nunc ad illa mala quæ vel ipſam naturam hominis comitantur, vel fortuitu videntur inferri. Hæc quoque pius animus, & ad pugnandum inſtructus, ſibi vertet in materiam coronæ. Exemplo faciam, quod dico, clariùs. Excutitur aliquis facultatibus ſuis, ſiue bello, ſiue naufragio, ſiue rapina. Ne protinùs hic cogitet laqueum, aut rationem malis artibus ſarciendi quod periit; ſed ita ſecum loquatur: Dominus eſt qui tentat me, an diligam ipſum ex toto corde. Ipſe dedit, ipſe abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Gratias agat quòd acceperit ex Domini benignitate: agat gratias quòd amiſerit ad probationem fidei. Si hæc dixerit eo animo, quo dixit ſanctus Iob; cum illo mercedem accipiet. Nec enim Dominus æſtimat, quantùm quis perdat, ſed quàm patienter: quemadmodum non reſpicit, quantùm aliquis largiatur egentibus, ſed quo animo. Habet aliquis filium vnicè charum, eo te mors orbat præmatura, peſtilentia ſpoliat te cariſſimis, ſponſa, liberis, amicis; ferto patienter, & dic: Domino ita viſum, & ſic fortaſſis & nobis expediebat, & noſtris; Sit nomen Domini benedictum. Sunt & morbi qui non minus atroces habent cruciatus, quàm vlla poteſt inferre tortorum ſæuitia [a] veluti pleuritis, iſchiaſis, podagra, paralyſis, calculus, renum & veſicæ exulceratio. Tale ſi quid acciderit, ne mens exaſperetur ad impatientiam, ne lingua erumpat in voces blaſphemas, ſed cum beato Dauid & Heli ſacerdote dicat: Dominus eſt, faciat quod bonum eſt in oculis ipſius. Ita mala quæ non inferuntur ob Chriſti profeſſionem, vertemus nobis in coronam, & Chriſto in gloriam. Ac fiet fortaſſè, vt Dominus noſtra tolerantia propitiatus, aut auferat afflictiones, aut mitiget; quòd ſi non fit, tamen hac ratione faciemus, vt quod animo impatienti fuiſſet intolerabile, fiat patientia mitius. His atque huiuſmodi argumentis non deſinemus nos inuicem exhortari, ad illuſtrandam Domini gloriam, cuius titulum & inſignia gerimus. Præſtemus illi martyrium in ſuo quiſque ſtatu & ordine, non ſolùm in aduerſis, verùm etiam in proſperis. In aduerſis agnoſcamus amorem patris flagellantis nos ad correctionem, & gratias agamus charitati qua diligit nos, vt filios, quos abdicare non vult, ſed emendatos recipere. In proſperis æquè gratias agamus illius bonitati, qua conſolatur nos vt tentationum pondus poſſimus ſuſtinere: ita fiet vt tota vita noſtra nihil aliud ſit quàm teſtimonium, declarans apud credentes & incredulos ſapientiam, bonitatem, miſericordiam ac veritatem Dei Patris, & Filij illius Ieſu & Spiritus ſancti. Amen.

DE

a *Veluti pleuritis.* Magis placet hoc Morellij quàm quod habebant priùs excuſi, *pleuretis*, aut Manut. *pleureſis*. PAM.

DE DVODECIM ABVSIONIBVS SÆCVLI PERPERAM Cypriano adſcriptis.

CAPVT PRIMVM.

PRIMVS abuſionis gradus eſt, ſi ſine bonis operibus ſapiens & prædicator fuerit; qui quod ſermone docet, [a] actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ dicta facere contemnunt, cùm prædicatoris opera à prædicationis verbis diſcrepare conſpiciunt. Numquam enim fit efficax conſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis cordi adfixerit audientis, præſertim cùm & ipſe doctor, ſi in vitiorum amorem delapſus fuerit, alterius doctoris medicamentum ſuis vulneribus adhibere paruipendit. Vnde & ipſe Dominus in Euangelio de doctrina pariter & bono opere inſtruere volens diſcipulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens: Quòd ſi ſal euanuerit, [b] in quo ſalietur? Hoc eſt, ſi doctor errauerit, à quo iterum doctore emendabitur? Et ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? Si namque oculus, à videndi officio deſierit; quis à manu, vel à pede, vel à reliquo corpore illud miniſterium exiget? quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ ſubiaceant, ſi plurimis perditionis occaſionem abundantiùs præſtent. Nam & ipſe Salomon dum multæ ſapientiæ tranſgreſſionem

a *Actibus explere.* Auguſtinus *complere.* PAM.

b *In quo ſalietur.* M S. *ſolò. Idem.*

tranſgreſſionem incurrit, totius Iſraëliticæ plebis regni diſperſionem [a] ſolius ſui merito præſtitit. Quibus ergo committuntur multa, maiora perdunt; ſi non rectè diſpenſauerint Rectoris ſui munera, quæ perceperunt. Cui enim plus committitur, ab eo plus exigitur. Et ſeruus qui Domini ſui voluntatem intelligens non facit, acrioribus flagellis grauioribuſque vindictis vapulabit.

CAP.

a *Solius ſui merito.* Auguſtinus *ſolo ſuo. Idem.*

CAPVT II.

Secundus abuſionis gradus eſt, ſi ſine religione ſenex eſſe inueniatur. [a] Cui cùm membra exterioris hominis veteraſcunt; vires animi, id eſt, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare ſenibus competit, quos præſentis ſæculi florida ætas tranſacta deſeruit. Sicut namque in lignis ipſa reproba arbor comparet, quæ poſt flores fructus optimos cultori ſuo non exhibet: ſic & in hominibus ipſe reprobus eſt, quem flos iuuentutis deſerit, & tamen in ſui corporis ſenectute, bonorum operum maturos fructus proferre paruipendit. Quid enim ſtolidius fieri poteſt; ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat, quando totius corporis habitus ſenectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus non ſuauiter olet, pectus ſuffocatur, tuſſis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat; etiam homo interior, qui non ſeneſcit, his omnibus adgrauatur. Et hæc omnia ruituram iamiamque domum corporis citò prænunciant. Quid ergo ſupereſt: niſi vt dum huius vitæ defectus adpropiat, nihil aliud cogitare, quomodo futura habitatio proſperè comprehendatur, quiſque ſenex adpetat? Iuuenibus enim incertus huius vitæ terminus inſtat, ſenibus verò cunctis maturior ex hac luce exitus breuiter concordat. Cauendæ enim ſunt homini duæ particulæ, [b] quæ in illius carne non veteraſcunt, & totum hominem ſecum ad peccatum pertrahunt; cor videlicet & lingua: quia cor nouas ſemper cogitationes machinari non deſinit; lingua impigrè loquitur, quodcumque machinari cor ſenſerit. Caueat ergo ſenilis ætas, ne iſtæ iuueneſcentes particulæ totam ſui harmoniam decipiant, & per res ineptas reliqui corporis grauitatem ne illudant. Vnicuique enim conſiderandum eſt, quid ætate eminenti dignum ſit; vt hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec miniſterium vile reddat.

CAP.

a *Cui cùm membra.* Omiſimus cum Auguſtino & M S. codic. vocem *multa*, ex Auguſtino etiam lego *deſeruit*, pro *deſerit*. PAM.

b *Quæ in illius carne.* Hic quoque prætermiſimus voculam, *&*, cum M S. *Idem.*

CAPVT III.

Tertius abuſionis gradus eſt, ſi adoleſcens ſine obedientia deprehenditur; quo mundus à recto rationis ordine deprauatur. Qualiter namque in ſenectute [a] aliis miniſterium imperabit, qui in adoleſcentia ſe ſenioribus obedientem exhibere contemnit? [b] Vnde & in prouerbio apud veteres habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui ſeruitutem præbere denegat. Propter quod & Dominus Ieſus in temporibus ſuæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non perueniret, obedienter miniſtrationem parentibus ſuis præſtitit. Sicut ergo in ſenibus ſobrietas, & morum perfectio requiritur: ita etiam in adoleſcentibus, obſequium, & ſubiectio, & obedientia ritè debetur. Quapropter & in mandatis legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris & matris honor imperatur: quia quamuis carnalis pater non ſuperuixerit, aut indignus fuerit; alicui tamen patri digno & viuenti, paternus honor vſque ad dignam ætatem à filiis præbendus eſſe oſtenditur. Quatuor etenim modis per ſcripturas diuinas patres vocantur; hoc eſt, natura, gente, admonitione, & ætate. De patre namque naturali Iacob ad Laban loquitur: Niſi timor patris mei Iſaac adfuiſſet, tuliſſes omnia quæ mea ſunt tibi. Gente verò pater dicitur, quando Dominus de rubo ad Moyſen loquebatur: Ego ſum, inquiens, Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Ætate autem & admonitione pariter pater dicitur, cùm Moyſes in cantico Deuteronomij loquitur: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Quòd ſi ergo naturalis pater ſuperſtes non fuerit, aut indignus fuerit; [c] admonenti tamen ſeniori adoleſcentis obedientia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in ſenectute adparebit; qui diſciplinæ laborem in adoleſcentia non ſuſtinuerit? Quodcumque etenim homo laborauerit, hoc & metet. Omnis namque diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris; poſteà verò fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Sicut ergo fructus non inuenitur in arbore, in qua pampinus aut flos priùs non apparuerit:

a *Aliis miniſterium imperabit.* Auguſt. *ille miniſtrari ſibi ſperabit.* PAM.

b *Vnde & in prouerbio.* Hoc ex M S. cod. pro, *in prouerbiis. Idem.*

c *Admonenti tamen ſeniori.* Interſerunt M S. cod. voculam *aut. Idem.*

fuerit : ſic & in ſenectute honorem legitimum adſequi non poterit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicuius exercitatione non laborauerit. Diſciplina igitur abſque obedientia, qualiter fieri poteſt? Adoleſcens ergo ſine diſciplina, adoleſcens ſine obedientia eſt: quoniam & ipſa obedientia, quæ omnium diſciplinarum mater eſt, magna exercitatione indiget; quæ ſui normam ſtudij in Chriſto Domino ſumpſit, qui obediens patri vſque ad mortem, mortem autem Crucis, ignominiam libenter ſuſtinuit.

CAPVT IV.

Quartus abuſionis gradus eſt, diues ſine Eleemoſyna; qui ſuperflua vſus ſui quæ cuſtodienda in poſterum recondit, indigentibus & nihil habentibus non diſtribuit: per quod efficitur, vt dum in terra quæſita diligenti cura cuſtodit, cæleſtis patriæ perennem theſaurum amittat. Ad quem theſaurum Dominus Ieſus adoleſcentem diuitem, qui eum de perfectione interrogauerat, ita reſpondens inuitauit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cælo. Quem theſaurum nullus vnquam hominum habere poteſt, niſi qui pauperibus ſolatia præſtat, aut qui per ſeipſum pauper eſt. Non ergo dormiat in theſauris ſuis, qui pauperes dormire non ſinit. Diues namque etſi multa congregauerit, his frui ſolus nequaquam poterit; quia vnius hominis natura multis rebus non ſuccurit. Quid ergo ſtultius eſt; quàm propter vnius hominis victum & veſtitum, totam regni cæleſtis perdere perennem iocunditatem, & æternos inferni cruciatus, abſque conſolationis præſtolatione ſubire? Quod igitur aliquando per neceſſitatem amittendum eſt, pro æterna remuneratione ſponte diſtribuendum eſt. Omnia enim quæ videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt. Quamdiu namque temporales ſumus, temporalibus temporalia deſeruiunt; & cùm hinc tranſierimus, [a] æternis æterna ſolatia præſtabuntur. Idcircò non debemus diligere ea, quæ non ſemper habebimus; præſertim cùm expertem rationis auarum diuitem, theſauri & ſui agri, & omnia quæ habet, oſtendant; quia toto cordis intuitu illas res amat, quæ numquam ſe diligunt. Si etenim aurum & argentum, & agros, & veſtimenta, & cibos, & metalla, & bruta animalia quis dilexerit; hæc omnia vicem ſibi amoris rependere non poſſe, ipſa rerum natura oſtendit. Quid ergo à ratione longius eſt; quam diligere, quod te amare non valet, & negligere illum, qui [b] ſuæ ditioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, ſed diligi proximus à Deo præcipitur; quia proximus vicem ſui amoris poteſt rependere, quod mundus non poteſt, vel minime non poſſe dubitatur. Sic enim inimicum eſſe diligendum Dominus præcepit, vt illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quiſquis ergo diues cupidus, qui vult æternas habere diuitias, diſtribuendo egenis præſtet interim non manſuras. Si enim quod diligit, non vendit, nemo poteſt emere quod cupit. Auari namque ideò in iudicio à rectiſſimo iudice nuncupantur maledicti, quia cum præteribant eorum habitacula non dicebant: Benedictio Domini ſuper vos, [c] benediximus vobis in nomine Domini. Infelices ergo ſunt auari diuites, qui propter res tranſitorias, in æternam damnationem dilabuntur; & è contrario: Beati ſunt miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Felix eſt ergo miſericors, dum in hac virtute non ſubſtantiam, ſed adfectum Deus requirit.

CAP.

a *Æternis æterna ſolatia præſtabuntur.* Rurſum hoc ex M S. cod. pro, *præſtabunt.* PAM.

b *Sua dilectioni.* Auguſtinus *ditioni. Idem.*

c *Benediximus vobis.* Etiam hoc ex M S. cod. pro, *benedicimus*, illud enim legitur in pſalmis. *Idem.*

CAPVT V.

Quintus abuſionis gradus eſt, femina ſine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat & cuſtodit in viris prudentia; ſic & in fœminis cunctos honores actus nutrit & fouet & cuſtodit pudicitia. [a] Pudicitia namque caſtitatem cuſtodit, auaritiam refrænat, lites deuitat, iram mitigat, libinem occupat, cupiditatem temperat, laſciuiam caſtigat; ebrietatem cauet, verba non multiplicat; gulæ concupiſcentias purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia reſtringit; & omnes virtutes; & quicquid coram Deo & bonis hominibus laudabile eſt nutrit. Impudica namque vita: nec laudem ab hominibus in præſenti ſæculo, nec remunerationem à Deo expectat in futuro. Pudica verò vita, famam bonam inter homines habet, & de ſpe futuræ beatitudinis gaudet. Præſentibus ſemetipſam imitabilem facit, poſteris memoriam amabilem relinquit. Bonis ſemper moribus delectatur & conſentit, & aſſiduis ſcripturarum meditationibus & eloquiis, animam vegetat. Bonorum præcedentium exempla cuſtodit, & inſeparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis conſtat veræ pudicitiæ exercitatio, id eſt, corporis habitu & ſuperficie, & animi adfectu interno. Per exteriorem modum, iuxta Apoſtolum, coram hominibus exempla; per interiorem modum coram Deo, prouidemus opera bona. Pudicitia namque corporis eſt,

a *Pudicitia namque caſtitatem cuſtodit.* Iſtud ex Auguſtino, pro, *caſtitatem habet.* Cuius etiam iſtud paulò poſt placet, *animam vegetat*, pro eo quod erat, *animum figit.* PAM.

eſt, alienas res non appetere, & omnem immunditiam deuitare, ante horam congruam non guſtare velle, riſum non excitare, verba vana & falſa non loqui; habitum per omnia ordinatum, compoſitionémque conuenientem tam capillorum quàm veſtium ſicut decet, habere; cum indignis contubernia non inire; ſuperciliosſo intuitu neminem adſpicere, vagari oculos non permittere; pompatico & illecebroſo greſſu non incedere; nulli inferior in incœpto bono opere apparere; nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blaſphemare, bonis non inuidere, ſenes non irridere, meliori non controuerſari; de his quæ ignoras, non tractare, & ea quæ ſcis non omnia proferre: Hæc enim proximis amabilem hominem reddunt, & Deo acceptabilem faciunt. [a] Pudicitia enim animæ eſt, plus propter Dei oculos, quàm hominum, omnia bona facere; adpetitiones turpium cogitationum compeſcere; omnes meliores ſe eſſe æſtimare, nemini inuidere; de ſemetipſo nihil confidere, Dei ſemper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos ſemetipſum conſtituere, hæretica prauitate ſenſum non maculare, Catholicis per omnia conſentire: Deo ſoli adhærere, caſtitatem æternæ mentis Deo Chriſto offerre: [b] omnia cœpta opera bona mortis tantùm termino finire, præſentes tribulationes animi fortitudine negligere, paruipendere; in terra præter proximos nihil amare, cuncti amoris ſui theſaurum in cælo conſtituere, & pro omni bono actu mercedem à Deo in cæleſtibus ſperare. Pudicitia ornamentum nobilium eſt, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, proſperitas laborantium, ſolamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defenſio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia.

CAP.

a *Pudicitia enim.* Auguſtinus *verò*. PAM.

b *Omnia cœpta bona opera.* Sic MS. pro eo quod Auguſtinus *intercepta*, & Morelius *accepta*. ſic poſteà vbi Morelius *mœrentium*, illi legunt, *mœſtorum*. *Idem.*

CAPVT VI.

Sextus abuſionis gradus eſt, dominus ſine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere poteſtatem, ſi dominus ipſe non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, [a] quæ & ipſa ſæcularibus dominis neceſſaria eſt, indiget: quàm animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet: ſæpè enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, ſicut in Heli ſacerdote factum fuiſſe comprobatur. Qui dum ſeueritate iudicii peccantes filios non coërcuit in eorum vindictam, Dominus, velut conſentienti, ferociter non pepercit. Tria ergo neceſſaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem ſcilicet, & ordinationem, & amorem. Niſi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè conſtare illius poteſt. Per beneficia ergo & adfabilitatem, procuret vt diligatur: & per iuſtas vindictas, non propriæ iniuriæ, ſed legis Dei, ſtudeat vt metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipſe Deo adhærere debet, qui illum in ducatum conſtituit: qui ad portanda multorum onera, ipſum veluti fortiorem ſolidauit. Paxillus enim niſi benè forte firmetur, & alicui fortiori adhæreat: omne quod in eo pendet citò labitur, & ipſe ſolutus à rigore ſuæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps niſi ſuo conditori pertinaciter adhæſerit: & ipſe, [b] & omne quod continet, citò deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam impoſito ſibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyſes namque accepto populi ducatu, familiariùs Dei locutionibus vtebatur: Saul verò filius Cis, poſtquam ſceptra regni ſuſcepit, per inobedientiæ ſuperbiam Deum offendit. Rex Salomon poſtquam patris ſui Dauid ſedem obtinuit, Deus illum vltra omnes mortales velut ad numeroſi populi gubernationem ſapientiæ munere ditauit. E contrario verò Hieroboam ſeruus Salomonis, poſtquam regni domus Dauid occupauit partem: ad idolorum culturam, decem tribus Iſraël, quæ erant in parte Samariæ, [c] deuerterat. Per quæ exempla euidenter oſtenditur, quoſdam in ſublimiori ſtatu ad maiorem perfectionem creſcere, quoſdam verò per ſupercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod vtrumque intelligitur: eos qui ad meliora condeſcendunt, per virtutem animi & Dei auxilium poſſe id facere: & eos qui ad deteriora deuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & negligentiam errare. Vnde & dominum abſque virtute fieri non decet, qui virtutem ſine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, ſi non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infeſtationibus, vel aduerſitatibus ſolent laborare. Omnis ergo qui præeſt, hoc primus animi tota intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omninò non dubitet. Si namque cœperit in actibus ſuis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere eius dominatum: non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Ipſe enim eleuat de ſtercore egenum, & ſedere facit cum principibus populi ſui, & deponit potentes de ſede, & exaltat humiles: vt ſubditus fiat omnis mundus Deo, & egeat omnis gloria Dei.

CAP.

a *Quæ & ipſa.* Hoc ex MS. pro, *ipſis*. PAM.

b *Et omne quod continet.* Rectiùs ſic Auguſtinus quàm alij, *& omnis qui conſentit vitio*. *Idem.*

c *Deuerterat.* Auguſt. *diuertit*, & paulò poſt *diuertuntur*, pro, *deuertuntur*. Verùm vtrumque latinè dicitur, & conſentiunt Morelij MS. *Idem.*

CAPVT VII.

Septimus abuſionis gradus eſt, Chriſtianus contentioſus, qui cùm participationem nominis Chriſti per fidem & baptiſmum ſuſceperit, contra Chriſti dicta & propoſitum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contenditur; aut propter propriam eius rei dilectionem de qua agitur; aut propter alterius amorem, quæ ſub odioſa ſpecie latet, adpetitur. Quemadmodum, verbi gratia, bellum animóſo compugnantium conflictu cùm odioſa res ſit, propter amorem victoriæ & libertatis peragitur; & multæ aliæ dilectæ ſpecies, ſub odioſo labore vel formidine, ſatis contentioſè expetuntur. Vnde patenter intelligitur, nihil contendi poſſe, niſi propter dilectionem, ſperatam ſcilicet & ſubſequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præſente ex quacumque cauſa contendit, perſpicuè oſtendit quòd illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Ioannem Spiritus ſancti ſermones interdicunt? qui ait: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Mundi enim amor & Dei, pariter in vno corde cohabitare non poſſunt, quemadmodum iidem oculi cælum pariter & terram nequaquam conſpiciunt. Sed requirendum eſt, ſi verè in mundo aliquid ſit quod amari debeat, [a] & quis ſit ille mundus, quem diligi diuina eloquia vetant. Terra ergo cum naſcentibus ex ea, & metallis, & animantibus, & pulchritudine veſtium, & oblectationibus ciborum, & iis quæ ad hæc pertinent, non diligi præcipitur: ſed proximus, propter quem hæc omnia facta ſunt, hic amari iubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non manſura, ad cæleſtem patriam pergentes concomitari nequeunt. Proximi verò velut manſuri regis cohæredes, ſemetipſos licenter diligunt. Quod ergo ſemper in mundo non manet, & cum mundo pariter deficiet. Ipſe mundus non amari præcipitur, proximus autem qui eſt pars regni cæleſtis, in terra & inter ima elementa, à regni cælorum adpetitoribus non incongruè amatur: dum in ſuprema illa patria in æternum cohæres habebitur. Propterea verò mundus præſens non diligi imperatur, ne à Dei dilectione alienus, ſæculi dilector quiſque efficiatur. Non ergo debet contendi, quod non licet amari. Igitur Chriſtianus, qui hominis Chriſti ſimilitudinem tenet, morum quoque eius ſimilitudinem habere debet. Chriſtianus enim nemo rectè dicitur, niſi qui Chriſto moribus coæquatur. De Chriſto verò per Prophetam ita ſcribitur: Ecce filius meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo ſibi anima mea: ponam ſpiritum meum ſuper eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem eius. Ecce Chriſtus non contendit, neque clamauit: & tu ſi morum Chriſti ſimilitudinem tenere cupis, ne contendas, ne [b] abuſiuus in Eccleſia Chriſtianus exiſtas. Suis enim ſectatoribus Chriſtus præcepit: Nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter, qui eſt Chriſtus: & patrem nolite vocare ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt. Omnes enim vos fratres eſtis, quibus ad ſupplicandum imperauit, cùm dicet: Sic autem orabitis: Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. [c] Fruſtrà ergo contendit patrem ſe habere in terra, qui patrem & patriam profitetur ſe habere in cælo. Cuius patriæ nemo poſſeſſor efficitur, niſi qui de terrenæ patriæ contentione ſecurus habetur.

CAP.

a *Et quis ſit ille mundus.* Iterùm hoc ex M S. pro *quid ſit*, & paulò poſt ex Auguſt. *concomitari*, pro, *comitari*. P A M.

b *Abuſiuus.* Hinc videtur comprobari titulus Cambron. cod. de 12. abuſiuis ſæculi, quæ vox à Cypriano, vti & a ia pleraque eſt alieniſſima, poſteà tamen denuò reperitur ſub finem. *Idem.*

c *Fruſtrà ergo.* Rectiùs ſic MS. quàm alij, *enim. Idem.*

CAPVT VIII.

Octauus abuſionis gradus eſt, Pauper ſuperbus, qui nihil habens, in ſuperbiam extollitur: cùm è contrario diuitibus ſæculi non ſuperbè ſapere per Apoſtolum Paulum imperetur. Quid ergo ſtolidius poteſt fieri: quàm illum, qui per infimam miſeriam velut in terram abiectus, extremus & humilis incedere & contriſtari debuerat, ſupercilioſo ſuperbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapſi corruerunt, qui in ſummo cæli conditi erant culmine. Quid ergo velut quaſi potens in terra ſuperbit: qui præ omnibus hominibus debuerat humilis apparere? Sed ne de paupertate ſua triſtitiam habeant, quid à Deo recepturi ſint, pauperes attendant: ipſe enim inquit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Recta namq; diſpenſatione miſericors iudex cæli regnum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abſtulit: vt ipſe diues in cæli ſede appareat, qui in terra penitùs nihil procurat. Cauendum ergo pauperibus eſt, ne dum per egeſtatem & neceſſitatem terrenum regnum prætereunt, per mentis etiam impudentiam cælorum regna amittant. Cùm enim Dei diſpenſatione paupertatem neceſſariam acceperunt, in ipſorum arbitrio pendet, vtrum pauperes ſpiritu ſint. Non enim quibuſcumque pauperibus cæli regna promittuntur, ſed his tantummodò in quibus diuitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis pauper ſpiritu appellatur, qui cùm egenus foris cernitur, numquam in ſuperbiam eleuatur: quoniam ad appetenda regna cælorum plus valet mentis humilitas, quàm præſentium diuitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui benè diuitias poſſeſſas habent, poſſunt pauperes ſpiritu appellari: ſuperbos autem, nihil habentes, haud dubium eſt beatitudine paupertatis priuari. De quibus vtriſque ſancta Scriptura ita loquitur: Eſt quaſi diues nihil habens, & eſt quaſi pauper, cùm in multis diuitiis ſit. Quaſi pauper ergo in multis diuitiis, eſt

diues humilis ſpiritu, & nihil habens quaſi diues, eſt pauper ſuperbus mentis adfectu. Nobilis ergo inopia eſt mentis humilitas, & ineptæ diuitiæ ſunt animorum enormitas. Prouidendum eſt ergo pauperibus, vt ſemetipſos, quales ſint, intelligant: & quia rebus conſequi, quod cupiunt, non valent, mentis tumore ſuperbire deſinant.

CAPVT IX.

Nonus abuſionis gradus eſt, Rex iniquus. Etenim regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet. Inde in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet: nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, vt ſubiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit: qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Quoniam in iuſtitia regis exaltatur ſolium, & in veritate regis ſolidantur gubernacula populorum. Iuſtitia verò regis eſt neminem iniuſtè per potentiam opprimere, ſine perſonarum acceptione inter virum & proximum ſuum iuſtè iudicare, aduenis & pupillis, & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non ſinere, [a] Eccleſias defendere, pauperes eleëmoſynis alere, iuſtos ſuper regni negotia conſtituere, ſenes, & ſapientes & ſobrios conſiliarios habere, magorum, ariolorum, pythoniſſarumque ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iuſtè contra aduerſarios defendere, per omnia in Deo confidere, proſperitatibus animum non eleuare, cuncta aduerſa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios ſuos non ſinere impiè agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas congruas cibum non guſtare. Væ enim terræ, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt. Hæc regni proſperitatem in præſenti faciunt, & Regem ad cæleſtia regna meliora perducunt. Qui verò regnum non ſecundùm hanc legem diſpenſat, multas nimirùm aduerſitates imperij tolerabit. Iccircò enim pax ſæpè populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno ſuſcitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & ſeruitia populorum præpediuntur, multi & varij dolores proſperitatem regni inficiunt, charorum & liberorum mortes triſtitiam conferunt, hoſtium incurſus prouincias vndique vaſtant, beſtiæ armentorum & pecorum greges dilacerat: tempeſtas aëris & hyemis turbata rerum fœcunditate, maris miniſteria prohibent: & aliquando fulminum ictus, ſegetes & arborum flores, & pampinos quoſque exurunt. Super omnia verò Regis iniuſtitia, non ſolùm præſentis [b] imperij faciem obfuſcat, ſed etiam filios ſuos & nepotes, ne poſt ſe regni hæreditatem teneant, obſcurat. Propter piaculum enim Salomonis, regnum domus Iſraël Dominus de manibus filiorum eius diſperſit. Et propter iuſtitiam Dauid Regis, lucernam de ſemine eius ſemper [c] in Hieruſalem reliquit. Ecce quantum iuſtitia regis ſæculo valet, intuentibus perſpicuè patet. Eſt enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. Attamen ſciat Rex, quòd ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis, ſi iuſtitiam non fecerit, primatum habiturus eſt. Omnes namque quoſcumque peccatores ſub ſe in præſenti habuit, ſupra ſe [d] modò implacabili, in illa pœna futura habebit.

CAP.

a *Eccleſias defendere.* Vel hinc patet Cypriani non eſſe, neque enim tunc reges erant Chriſtiani, eodem pertinet illud *Catholicam in Deum habere.* Citant tamen hinc quædam Iuo lib. 8. & Gratianus 23. quæſt. 5. cap. Rex. PAM.

b *Imperij faciem obfuſcat.* Sic Auguſt. alij, *fuſcat. Idem.*

c *In Hieruſalem.* MS. *in ſeculum,* ſed illud placet.

d *Modo implacabili.* Etiam hoc ex Auguſt. pro, *plagali. Idem.*

CAPVT X.

Decimus gradus abuſionis eſt Epiſcopus negligens: qui gradus ſui honorem inter homines requirit, ſed miniſter ſui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non cuſtodit. Primum namque ab Epiſcopo, [a] quid ſui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam cùm Epiſcopus nomen Græcum ſit, ſpeculator interpretatur. Quare verò ſpeculator ponitur, & quid à ſpeculatore requiritur, Dominus ipſe denudat, cùm ſub Ezechielis prophetæ perſona, Epiſcopo officij ſui rationem denunciat, ita inquiens: Speculatorem dedi te domui Iſraël. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, nunciabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non annunciaueris vt reuertatur impius à via ſua, ipſe quidem impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris, & ille non fuerit reuerſus, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, ſed tu animam tuam liberaſti. Decet ergo Epiſcopum, [b] qui omnium ſpeculator poſitus eſt, peccata diligenter attendere, & poſtquam attenderit, ſermone, ſi potuerit, & actu corrigere; ſi non potuerit, iuxta Euangelij regulam ſcelerum operarios declinare. Si enim, inquit in Euangelio Dominus,

peccauerit

a *Quid ſui nominis dignitas teneat.* Iterùm hoc ex eodem, pro, *tenet.* PAM

b *Qui omnium ſpeculator poſitus eſt.* MS. *omnium quibus in ſpecula poſitus eſt.* Ex quo repoſui *ſermone*, pro eo quod erat corruptè *ſermonem. Idem.*

peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, [a] lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos teſtes, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: ſi illos non audierit, dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus eſt, quicumque doctori vel Epiſcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulſus fuerit, ab alio aliquo doctore vel Epiſcopo non debet recipi. De ſacerdote namque ſcriptum eſt in lege: Viduam aut repudiatam non accipiat vxorem. Qui ergo illum excommunicatum à Catholico, illo non permittente, ſibi iungit: iura ſacerdotii ſancti, [b] quod Chriſtianorum genus electum eſt, excedit. Hac ratione Epiſcopum, ad eos quibus in ſpeculationem poſitus eſt, eſſe oportet. Cæterùm verò, qualis in ſemetipſo eſſe debeat, Paulus Apoſtolus exponit: vt ad gradum Epiſcopi veniens ſit ſobrius, prudens, caſtus, ſapiens, modeſtus, hoſpitalis, filios habens ſubditos cum omni caſtitate, teſtimonium habens bonum ab his qui foris ſunt, proferens doctrinæ fidelem ſermonem, antequam Epiſcopus ſit, non plures habens vxores quàm vnam. Non percuſſor, non bilinguis, non ebrioſus, non neophytus, & per hæc ipſe oſtendat in opere, quod alios docet in ſermone doctrinæ. Caueant ergo negligentes Epiſcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur, dicens: [d] Paſtores multi demoliti ſunt populum meum, & non paſcebant gregem meum paſtores, ſed paſcebant ſemetipſos, ſed potiùs procurent hi, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, dare illis cibum in tempore ſuo menſuram tritici, puram ſcilicet & probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.

CAP.

a *Lucratus eris.* MS. *es.* ex eodem adieci vocem *teſtium.* Cyprianus certè aliter etiam hanc & alias ſcripturas citat. PAM.

b *Quod Chriſtianorum.* MS. *in quo* Idem.

c *Antequam Epiſcopus ſit.* MS. & Auguſtinus *ante epiſcopatum* Pulchrè autem explicat auctor illud *vnius vxoris virum.* Idem.

d *Paſtores multi.* Auguſt. *mei.* Idem.

CAPVT XI.

Vndecimus abuſionis gradus eſt, plebs ſine diſciplina, quæ, cum diſciplina exercitationibus non ſeruit, communi ſe perditionis laqueo conſtringit: iram etenim Domini abſque diſciplinæ rigore non euadit. Atque idcircò Pſalmiſtæ vocibus, indiſciplinatæ plebi prædicatur: Apprehendite diſciplinam nequando iraſcatur Dominus. [a] Diſciplina verò morum eſt ordinata correctio, & maiorum præcedentium regularum obſeruatio, de qua diſciplina Paulus Apoſtolus ita loquitur dicens: In diſciplina perſeuerate; tamquam filiis vobis offert ſe Deus. Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti eſtis? omnes enim adulteri & non filii eſtis. Qui ergo adulteri, ſine diſciplina ſunt, & cæleſtis regni hæreditatem non capiunt: ſi filii autem paternæ diſciplinæ correctiones ferunt, & hæreditatem quandoque recipere poſſe non deſperent. De qua etiam diſciplina Eſaias quidem indiſciplinatæ plebi prædicat, dicens: Quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. [b] Et ad eamdem Pſalmiſta conſona voce compſallit, dicens: Declina à malo, & fac bonum. Infelix ergo eſt, qui abiicit diſciplinam. Audet enim extra milites aliquid qui Dominum crucifigentes, non eius ſciderunt tunicam, qui Eccleſiæ Chriſti ſcindit diſciplinam. Sicut enim tunicâ totum corpus præter caput tegitur: ita diſciplinâ, omnis Eccleſia, præter Chriſtum, qui caput eſt Eccleſiæ & ſub diſciplina non eſt, protegitur & ornatur. Ipſa enim tunica contexta deſuper fuerat per totum; quia eadem diſciplina Eccleſiæ à Domino de cælo tribuitur & integratur. De qua Dominus cùm ad patrem aſcendiſſet, poſtquam reſurrexit à mortuis, ad Apoſtolos ſuos loquebatur, dicens: Vos autem ſedete hic in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tunica ergo corporis Chriſti, diſciplina Eccleſiæ eſt: qui autem extra diſciplinam eſt, alienus eſt à corpore Chriſti. Non ſcindamus igitur illam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, id eſt, non ſoluamus quicquam de mandatis Domini, ſed vnuſquiſque in quo vocatus eſt, in eo permaneat apud Dominum.

CAP.

a *Diſciplina verò.* Longè aliter definit diſciplinam Cyprianus. PAM.

b *Et ad eamdem Pſalmiſta conſona voce compſallit.* Ita hunc locum ex MS. reſtitui, pro eo quod erat *ad eadem*, &c. *pſallit.* nullo ſenſu Ex eodem etiam paulò poſt *loquebatur*, pro, *loquitur.* Idem.

CAPVT XII.

Duodecimus abuſionis gradus eſt. Populus ſine lege, qui dum Dei dicta & legum ſcita contemnit, per diuerſas errorum vias [a] eumdem perditionis laqueum incurrit. De quibus viis ſub perſona præuaricatoris populi, humanum genus propheta ita deplangit: Nos autem ſicut oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, [b] de quibus viis etiam ſapien-

tia

a *Eumdem perditionis laqueum.* Auguſt. *præuaricationis*, at illud conuenit præcedentibus. PAM.

b *De quibus viis etiam*, &c. Omiſi cum MS. vocem *eadem*, malè interiectam; eſt autem mirum quod legat *multa*

tia loquitur per Salomonem: Multæ viæ videntur hominibus rectæ, & nouiſſima earum deducunt ad mortem. Quæ vtique multæ perdirionis viæ tunc inceduntur, cùm vna regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinat, per negligentiam deſeritur. De qua ſcilicet Dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt finis legis ad iuſtitiam omni credenti, denunciat: Ego ſum via, veritas & vita, neque venit ad patrem niſi per me. Ad quam viam omnes homines communiter inuitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum, vbi non eſt Iudæus, nec Græcus, maſculus & fœmina, ſeruus & liber, barbarus & Scytha, ſed omnia in omnibus Chriſtus: omnes enim vnum ſunt in Chriſto Ieſu. Dum ergo Chriſtus finis legis eſt, qui ſine lege ſunt, ſine Chriſto fuiſſe. Igitur populus ſine lege, populus ſine Chriſto eſt. Abuſiuum ergo, in temporibus Euangelii populum ſine lege fieri, quando Apoſtolis in rectas gentes licentia prædicationis data eſt, quando tonitruum Euangelii per cunctas ſæculi partes intonuit, quando gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: quando qui de longè fuerant, facti ſunt propè in ſanguine Chriſti: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Chriſto, quando eſt tempus acceptabile & dies ſalutis, & tempora refrigerii in conſpectu altiſſimi, quando vnaquæque gens habet teſtem reſurrectionis, quando ipſe Dominus proteſtatur dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Non itaque ſimus ſine Chriſto in hoc tempore tranſitorio, ne ſine nobis Chriſtus eſſe incipiat in fururo.

COENA

via, quum non aliud habeatur prouerb. 14. quam *eſt via &c.* tam apud 70. quàm vulgatum interpretem. *Idem.*

COENA CYPRIANO FALSO ETIAM INSCRIPTA.

QVIDAM rex nomine Iohel, nuptias faciebat in regione Orientis, in Chana Galilææ. Is inuitauit plures, vt cœnam eius confrequentarent. Igitur qui temperiùs loti in Iordane, adfuerunt in conuiuio. [a] Tunc commendauit Naaman, aquam ſparſit Amos, Iacobus & Andreas adtulerunt fœnum, Matthæus & Petrus ſtrauerunt, menſam poſuit Salomon, atque omnes diſcubuerunt turbæ. Sed cùm iam locus recumbentium plenus eſſet, qui ſuperueniebant, quiſque prout poterat, locum ſibi inueniebat. Primus itaque omnium ſedit Adam in medio, Eua ſuper folia, Cain ſuper aratrum, Abel ſuper mulgarium, Noë ſuper arcam, Iaphet ſuper lareres, Abraham ſub arbore, Iſaac ſuper aram, Loth iuxta oſtium, Iacob ſuper petram, Moyſes ſuper lapidem, Helias ſuper pellem, Daniel ſuper tribunal, Tobias ſuper lectum, Ioſeph ſuper modium, Beniamin ſuper ſaccum, Dauid ſuper monticulum, Ionas ſuper terram, Pharao in arena, Lazarus ſuper tabulam, IESVS ſuper puteum, Zacchæus ſuper arborem, Matthæus in ſcamno, Rebecca ſuper hydriam, Raab ſuper ſtuppam, [b] Ruth ſuper ſtipulam, Thecla ſuper feneſtram, Suſanna in horto, Abeſſalon in frondibus, Iudas ſuper loculum, Petrus ſuper cathedram, Iacobus ſuper rete, Samſon ſuper columnam, Heli ſuper ſellam, Rachel ſuper ſarcinam. Patiens ſtabat Paulus, & murmurabat Eſau, & dolebat Iacob, Iob ſolus ſedebat in ſtercore. Tunc porrexit Rebecca pallium, Iudith coopertorium, Agar ſtragulum, Sem & Iaphet cooperuerunt. [c] Recumbentibus illatus eſt guſtus cœnæ, & accepit cucurbitas Ionas, olus Eſaias, betas Iſraël, morum Ezechiel, ſycomorum Zacchæus, citrium Adam, lupinos Daniel, pepones Pharao, carduum Cain, ficus Eua, malum Rachel, prunum Ananias, bulbos Lia, [d] oliuas Aaron, ouum Ioſeph, vuas Noë, nucleos Simeon. Dedit acetum Ionas, accepit oxygarum IESVS Chriſtus. Deinde ſuperuenit Iacob cum filiis ſuis, & Laban cum filiabus ſuis, & ſederunt ſuper lapides. Venit & Abraham cum domeſticis ſuis & Moyſes cum cætera turba, & ſederunt foris. Tunc reſpiciens rex inuitatos ſuos, ſic ait: Quiſque voluerit veſtrûm venire in veſtiarium meum, [e] dabo ſingulis ſingulas cœnatorias veſtes; tunc aliqui ierunt, & acceperunt. Primus itaque omnium accepit Zacharias albam, Abraham paſſerinam, Iob ſulphurinam, Lazarus lineam, Ionas ceruleam, Thecla flammeam, Daniel leoninam, Ioannes triclinam, Adam pelliceam Iudas argyrinam, Raab coccineam, Herodias cardinam, Pharao marinam, Enoch cælinam, Agar variam, Dauid neruinam, Helias aeriam, Eua arborinam, Iob biblagiam, Eſaïas meſotropam, Maria ſtolam, Suſanna caſtalinam, Moyſes conchylinam, Abel purpuream, Leui ſpartacinam, Thamar colorinam, Azarias carbaſinam, Aaron murrinam, Iudith iacinthinam, Cain ferrugineam, Abiron nigram, Anna perſicinam, Iſaac natiuam, Paulus Tharſicam,

a *Tunc commendauit Naaman.* Sic reſtitui ex M S. pro *Neeman.* PAM.

b *Ruth ſuper ſtipulam.* Hoc ex iiſdem adieci, & iuxta eoſdem vbique lego: *Abeſſalom*, pro, *Abſalon*: fortaſſis legendum: Iudas ſuper loculos pro eo quod eſt *loculum. Idem.*

c *Recumbentibus illatus eſt.* Etiam hoc ex illis, anteà erat corruptiſſimè, *Recumbentes illatus eſt. Idem.*

d *Oliuas Aaron, vuas &c.* Ita etiam prorſus ex MS. pro eo quod erat, *oliuas Noë, ouum Ioſeph, vuas Aaron. Idem.*

e *Dabo ſingulis ſingulas.* Adiicio ex iiſdem *ſingulas*, lego etiam ex illis *Dauid neruinam*, vbi erat *prouernicam.* Iidem legunt *Suſanna Caſtilinam* pro, *caſtalinam*, & *Aaron myrrinam*, pro, *murrinam. Idem.*

Thacſicam, Petrus operariam, [a] Iacob alethinam, IESVS columbinam. At vbi diuiſit veſtes, Rex reſpiciens eos, ſic ait: Non antè cœnabitis, niſi ſinguli ſingulas vices feceritis: atque ita [b] ſibi præcepta diaconia conſummauerunt. Primus itaque omnium ignem petiit Helias, ſuccendit Azarias, lignum [c] porrexit Sara, collegit Iephte, adtulit Iſaac, concidit Ioſeph, puteum aperuit Iacob, hyſſopum porrexit Sepphora, ad lacum ſtabat Daniel, aquam adtulerunt miniſtri, hydriam portabat Rebecca, vinum protulit Noe, vtrem portabat Agar, adtulit argentum Iudas, vitulum adduxit Abraham, adligauit Raab, reſticulam porrexit IESVS, pedes copulauit Helias, ferrum tradidit Petrus, eliſit Daniel, occidit Cain, ſupportauit Abacuc, ſuſpendit Abeſſalon, pellem detraxit Helias, ventrem aperuit Hermocrates, mediana ſuſpendit Tobias, ſanguinem effudit Herodes, ſtercus proiecit Sem, aquam adiecit Iapheth, elauit Heliſæus, partes fecit Phalech, numerauit Auſes, ſalem miſit Moleſſadon, oleum adiecit Iacob, in focum impoſuit Antiochus, coxit Rebecca, prior guſtauit Eua. Explicitiſque omnibus, omnes locis ſuis reſederunt. Tunc intulit panes Saul, fregit Ieſus, tradidit omnibus Petrus, intulit lentem Iacob, ſolus manducauit Eſau, intulit intritam Abacuc, totum comedit Daniel: [d] fabam intulit Amelſad, prior guſtauit Miſael. Sed quoniam Hœdum coctum comederat Iſaac, & piſcem aſſum Tobias; cœpit tumultuari Æglom. Valdè eſuriebat Daniel, panem petebat Hermocrates, non manducabat Ioannes: nihil guſtauerat Moyſes, ieiunus fuit Ieſus, micas colligebat Lazarus. Cæteri autem partes ſuas tenebant, quas ex variis venationibus acceperant. Abraham vitulinam, Iſaac ceruinam, Abel aguinam, Noe arietinam, Samſon leoninam, Eliſæus vrſinam; maiorem tamen partem tenebat Beniamin. Poſtmodum dedit panes Pharao, omnibus diuiſit Ioſeph, [e] diſcum adtulit Herodes, partes compoſuit Rebecca, intulit Iacob, diſtribuit omnibus Noe. Primus ergo ſuſtulit Ioannes caput, cerebellum Abeſſalon, linguam Aaron, maxillam Samſon, auriculam Petrus, oculos Lia, ceruicem Holofernes, arterias Zacharias, collum Saül, armora Agar, interanea Ionas, [f] fel piſcis Tobias, cor Pharao, renalia Eſaias, latus Adam, coſtam Eua, ilia Maria, ventrem Sara, vuluam Elizabeth, adipem Abel, femora Abraham, caudam Moyſes, crura Loth, pedes Iacob, oſſa collegit Ezechiel. Item Iacobus & Andreas intulerunt piſces: ſuſtulit itaque aſſellum Ieſus, labeonem Moyſes, lupum Beniamin, mugilem Abel, murænam Eua, pellamidem Adam, locuſtam Ioannes, gladium Cain, captionem Abeſſalon, polypum Pharao, turpitudinem Lia, auratam Thamar, ſcarum Agar, cantaridem Dauid, halecem Ioſeph, ſexatilem Hieremias, vmbras Lazarus, ſoleam Iuda, hirundinem Tobias, argentillum Iudas, ſepiam Herodes, [g] carnutam Eſaü, glauculum Ionas, alopidem Iacob, ſalpam Moleſſadon, denticem Eſaias, araneum Thecla, coracinum Noe, rubellionem Rebecca, lacertum Golias, mænam Maria, & leonem Samſon. Poſuit & Ionas acetum, Moleſſadon ſalem miſit, prior intinxit Cain. Explicitiſque omnibus, dedit adipem Abel, mel Ioannes, lac Abraham, conſperſit Sara, dulcia fecit Ieſus, omnia perminiſtrauit Paulus. Sed quoniam aliquot genera vini habebant, paſſum bibebat Ieſus, Marſicum Ionas, Surrentinum Pharao, pellinum Adam, Gaditanum Moyſes, Creticum Iſaac, Adrianum Aaron, arbuſtinum Zachæus, arſinum Thecla, albenſe Ioannes, campanum Abel, ſigninum Maria, florentinum Rachel. [h] Saturatione vini ſopitus iacebat Adam, ebrius obdormiuit Noe, ſatis biberat Loth, ſtertebat Holofernes, ſomnus tenebat Ionam, vigilauit prope gallum Petrus, ſuſcitabatur Ieſus, ſurgere quærebat Iacob, prior ſurrexit Laban. Tunc miſcuit ſcyphum Beniamin, intulit Martha, prior bibit Petrus. Sed quoniam vinum ſubduxerat Amelſad, & male miſcuerat Ionas; murmurabat Hermippus, aquam bibebat Ioannes; vinum petebat Maria, non conſentiebat Suſanna, plenam ampullam ferebat Martha, ſitiebat Iſmael, ire volebat Tobias, alienum calicem bibere volebat Iacobus. Sublatiſque omnibus, aquam ad manus petebat Pilatus, tradidit Iudas, miniſtrabat Martha, effudit Hermocrates, [i] linteum porrexit Martialis, intulit lucernam Eſaïas, gratias egit Simeon, benedixit Anna, intulit coronas Rachel, Dauid hyſſopum porrexit, dedit vnguentum Maria, perunxit Martha, poma intulit Adam, fauum porrexit Samſon, cytharam percuſſit Dauid, tympanum Maria, pſalrerium duxit Iubal, choros duxit Iudith, cantauit Aſael, ſaltauit Herodias, laudes dedit Azarias, magis luſit Mambres, riſum fecit Iſaac, oſculum porrexit Iudas, vale fecit Lothor. Et cum vellent diſcedere, reſpiciens eos rex, ſic ait: Nunc per omnia diem nuptiarum celebrate, & frequentate, & demutate habitus, velut pompas facientes; ſic ite in domos veſtras. Placuit verò omnibus voluntas Regis: [k] atque ita primus omnium

a *Iacob alethinam.* MS. *Ioannes pſeudoallechinam* coniicio legendum *Ioſeph halecinam* eo quod poſteà ſequatur: *Ioſeph halecem.* PAM.

b *Sibi præcepta diaconia.* MS. *præceptas diaconias. Idem.*

c *Porrexit Sara.* Rurſum hoc ex MS. adiicio & lego paulò poſt *elauit Heliſæus*, pro, *lauit*. habent iidem *Maleſſadon*, pro, *Maleſſadon*, &, *Arriochus*, pro, *Antiochus*, tum hic t m poſteà. *Idem.*

d *Fabam intulit Amelſad.* MS. vnus *Melſad*, alter *Melſat. Idem.*

e *Diſcum attulit Herodes.* Ita lego ex iiſdem, quia paulò poſt ſequitur, intulit. *Idem.*

f *Fel piſcis Tobias.* MS. *Sycothum Tobias.* legunt etiam paulò poſt, *politum*, pro, *polypum*; ſed non placet. Contrà rectius legunt *Scarum*, quam alii *Scaurum. Idem.*

g *Carnutam Eſaü, glauculum Ionas.* MS. legunt *Corontam & conchulam.* Item *Iob* vbi eſt, *Iacob. Idem*

h *Saturatione vini Sopitus* Priores duas voces adieci etiam ex MS. & repoſui paulò poſt *Laban*, pro, *Lazarus*, *intulit Martha*, MS. *Maria. Idem.*

i *Linteum porrexit Martialis.* MS. *Petrus*, at non placet. Rectius verò illi paulò poſt, *choros*, quàm alii *choreas*. Siue autem legas, cantauit *Aſael*, ſiue *David* perinde eſt. *Idem.*

k *Atque ita primus procedit* MS. *præcedit. Idem.*

omnium procedit in magiſtro Ieſus, in cuſtode Ioannes, in retiario Petrus, in ſecutore Pharao; [a] in venatore Nemroth, in delatore Iudas, in hortulano Adam, in exordiario Eua, in latrone Cain, in paſtore Abel, in curſore Iacob, in ſacerdote Zacharias, in rege Dauid, in cytharœdo Iubal, in piſcatore Iacobus, in coquo Antiochus, in aquario Rebecca, in furnitore Ananias, in beſtiario Thecla, in ſtupido Moleſſadon, in religioſo Salomon, in miniſtra Martha, in milite Vrias, in inſano Herodes, in famulo Cham, in medico Tobias, in ebrio Noe, in riſiculo Iſaac, in triſti Iob, in iudice Daniel, in fabro Ioſeph, in proſtituta Thamar, in formoſa Rachel, in odibili Lia, in domina Maria; in impio Loth, in aduerſario Amalech, inſtructore Sem, in ruſticulo Eſau, in forti Golias, in piſtore Hieroboam. Sed quoniam contendebat Diana, aquam effundedat Aaron, & nudus erat Ionas; tunc ſolem petebat Auſes vt ſiccaretur Berſabée. [b] Quo facto iuſſit eos Rex ad ſe venire, qui venerunt (altera die) & munera ei obtulerunt. Primus itaque omnium obtulit arietem Abraham, taurum Thecla, ouiculam Noe, camelum Rebecca, leonem Samſon, ceruum Eſau, vitulum Ieſus, iumentum Iacob, currum Helias, veſtem Iudith, [c] crines Berſabee, ligna Iſaac, frumentum Ioſeph, reſinam Ruben, pecuniam Abimelech, ſtrobilos Leui, capſam Moyſes, fauum Petrus, copias Abigea. Sed quoniam ante diem conuiuii, quædam de conuiuio ſubducta fuerant, iuſſu regis [d] inquirebantur ab eis. Inuoluerat enim ſtragulum multicolorium Agar, ſigillum aureum Rachel, ſpeculum argenteum Thecla, ſciphum bibitorium Beniamin, annulum ſignatorium Thamar, coopertorium ſubſericum Iudith, lanceam regiam Dauid, alienam vxorem abduxerat Abimelech. Tunc iuſſit rex, vt omnes qui fuerant in conuiuio ducerentur ad tormenta. Quo facto, [e] primus innocens decollatur Ioannes, occiditur Abel, foras proiicitur Adam, timens obmuteſcit Zacharias, fugit Iacob, quæritur Enoch, turbatur Abimelech, immutatur Nabuchodonoſor, deprecatur Abraham, transfertur Helias, ſupprimitur Dina, includitur Noe, [f] impingitur Loth, fuſſigitur Ieſus, damnatur Daniel, accuſatur Suſanna, adligatur Ioſeph, occiditur Martha, tollitur Abacuc, beſtiis datur Thecla, in fornacem mittitur Ananias, vinculis conſtringitur Sampſon; punitur Vrias, flagellatur Paulus, tenditur Eſaias, expoliatur Ionas, lapidatur Hieremias, excœcatur Tobias; non credebant Moyſi, ſubducitur Abiron, ſuſpenditur Abeſſalon, confunditur Rebecca; tranſducitur Agar, arguitur Pharao, relinquitur Iſrael, abducitur Datham, [g] deprimitur Chore, copulatur Iſaac, mittitur Nathan, conuincitur Amalech, maledicitur Iudas, dehoneſtatur Mambres, cogitur Loth, interficitur Phinees, dimittitur Ophni, timens moritur Heli, comprimitur Dina, decipitur Eſau: ſubſtringitur Saul, dolet de facto Iob, interrogatur Eua, neſcio clamat Cain, tenetur & negat Petrus. Sed quoniam multorum conſcientia erat in furto quod [h] erat ſuſpiciens Raab, querebatur Laban, infamabatur Suſanna, arguebat Ioannes, negabat Rachel, docebat Moyſes, plorabat Triphæna, obſeruabat Maria, attendebat Oneſiphorus, triſtis erat, iurabat Iacob, non credebat Pharao, mentiebatur Hieroboam, pauebat Suſanna, erubeſcebat Rebecca, pſangebat Hieremias. Poſtmodum ſcrutatis omnibus, inuentum eſt furtum apud Beniamin, quod erat in conſcientia Ioſeph. [i] Sed poſteaquam probatum eſt Regi, quod Achar filius Carmi, ſolus eſſet reus furti, iuſſit eum mori, donauitque eum omnibus. Tunc occaſione accepta, primus omnium calce eum percuſſit Moyſes, abiit in complexum Iacob, veſtem detraxit Thecla, ad terram eliſit Daniel, lapide percuſſit Dauid, virga Aaron, flagello Ieſus, medium aperuit Iudas, lancea transfixit Eleazar. Tunc iuſſit, vti qui mortuus eſſet ſepeliretur; [k] & vendidit agrum Laban, emit Abraham, Ioſeph monumentum fecit, & ædificauit Nachor; aromata impoſuit Maria, cluſit Noe, ſuperſcripſit Pilatus, precium accepit Iudas: quo facto gaudens clamat Zacharias, confunditur Elizabeth, ſtupet Maria, ridebat de facto Sarra. Expliciti ſque omnibus domos ſuas repetierunt.

a *In venatore Nemroth.* Magis hæc placet cod. Dunenſ. lectio, & MS. Tornac. quam aliorum *mambres.* PAM.

b *Quo facto.* Morelius præmittebat *pro*, MS. *ſub.* ſed vtrumque ſuperfluum eſt. Non habent autem MS. illud *altera die. Idem.*

c *Crines Berſabee.* Addit vterque MS. *Agar*, ſed deſideratur munus quod obtuliſſe dicatur, ſi legi debeat, fortaſſis adiicienda vox, *amphoram. Idem.*

d *Inquirebatur ab eis.* Sic lego, pro, *inquirebatur*, item. *inuoluerat* ex MS. Tornac. pro, *inuolauerat. Idem*

e *Coopertorium ſubſericum.* Vterque MS. *ſericum. Idem.*

f *Primus decollatur Ioannes.* Omiſimus cum MS. *omnium. Idem.*

g *Impingitur Loth.* Prorſus ſic etiam lego cum iiſdem, poſtea enim fit mentio *Agar*, legunt iidem *Maria* pro, *Martha Idem.*

h *Deprimitur Chore* Etiam hoc reſtitui ex MS. pro eo quod corrupte erat *Coreb.* legunt iidem *demonſtratur mambres*, pro *dehoneſtatur. Idem.*

i *Erat ſuſpiciens Raab.* alii *ſuſpiciens. Idem.*

k *Sed poſteaquam.* Rurſum & hoc pro, *&*, item *Achar*, pro, *Aghar.* legunt iidem *Elizer*, pro, *Eleazar*, &, *vt ei*, pro, *vti. Idem.*

l *Et vendidit agrum Laban.* MS. vterque, *Emmon*, fortè legendum *Ephron. Idem.*

FINIS.

INDEX

INDEX

IN SANCTI CYPRIANI

EPISTOLAS ET TRACTATVS.

A

ABRAHÆ filij, 101
Abrupta præſumptio, 21
Abſtinere hunc poteris, 108
Abſtentus, 51
Abſtentus & hoſtis Eccleſiæ iudicatus, 110
Abſtentus, 78
Acca meretrix, 205
ſine Acceptione perſonæ, 154
in Acceptum referat, 117
in Acceptum referre, 178
Accerſitio Domini, 212
Accerſitionis propriæ dies, 213
Accipere perſonam, differentias, 131. 132
Accipiet in vterum virgo, 19
Acerbationes crimionſæ, 57
Acies tormentorum, 19. 20
Acies adhuc geritur, 26. 66
Acta feciſſent, 44
Actum ſuum diſponit & dirigit vnuſquiſque ep. 72
omnis Actus Eccleſiæ, 39. 40
Actus ſui rationem Domino redditurus, 108
Actus noſtri & diſciplinæ, 26
pro Actus noſtri mediocritate, 40
Adaquare, 101
Adgaudere, 249
Adhuc in manus eſt, 67
Adjurati dæmones, 206
Adjudicat ſecum ipſis, 145
Admetus, 204
Admonent ſæpè, dum interdicunt, 293
Adprehenſi infirmitate, 9
Aduentus ſecundus Dei appropinquat, 105
Aduentus Chriſti duo, 207
Adulatores, 6
Adultera aqua, 127
Adulteram cathedram collocare, 110
Adulterat præcepta diuina, 105
Adulteria & furta ſpiritalia, ibid.
Adunata trinitas, 126
Adunatio, 143
Adunatio ſequentis fraternitatis, 119. 120
Ægrum perire voluit, qui cenſum pereuntis inuadit, 198
Ægyptia portenta, 205. 206
Æmilio Dominus ignouit, 172
Æmulus princeps, 68
Æmula ingreſſione nitendum eſt, 164
Æneas profugus, 205
Æſculapius, 204
Ætas longa decem annis. 122
Æternum peccatum, 21
tam Africæ quàm Numidiæ, 122
Agere pro integro velle, 105
Agnitio Dei non eſt in terris, 199. 200
Agon cæleſtis, 19
Agon ſpiritalis, 160
Agonis ſub ictu, ibid.
Agone imminente, 8
Agrippinus, 120
Agrippino bonæ memoriæ viro, 122
Ahimnius ep. 75
Alexander ad Matrem, 205
Alexius, 34
Alienus lucis, 2
Alienigenæ, alieni à diuino genere, 203
Alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, 98
Allocutionibus miſſis interpellare, 293. 295
Altare Domini remouere, 86
Altare collocare, 122
Altari poſito, 56
Altari Dei aſſiſtat Antiſtes, 93
Alter Felix, 155
Alteri Gargilio. 155
Alteri Saturnino, ibid.
Alteri Victori, ibid.
Alternent per vices, 11
Alterutrum adjutores, 157
Alterutrum ad ſe venientes, 130
Amantius acoluthus, 157
Ambitio, 5. & 6
Amœnare oculos, 1
Anceps temporum, 6
inter Angelos ſtare, 37
Angentibus peccatis premebatur, 103
Angentibus fortunis, 6
Angentium iniuriarum pondere, 227
Animat Spiritus ſanctus, 2
Animatus lauacro aquæ ſal. 2
Animata in vnum fraternitas, 17
Animationis ſuæ iram ſuperduxit, 194
Anni totius membra diuiſa, 294. & ſeq.
Anni fatigantis induciæ, 1
Annonarum incrementa captata, 200
Annorum ſex millia ab orbe cond. 233
Anteceſſores noſtri, 8. 23. 68
Anthropiani, 123
Antichriſtus, 85
Antichriſti metator, 33
Antichriſti tempus appropinquaſſe, 87
Antichriſtus, hora nouiſſima, 118
Antichriſto appropinquante, 115
Antichriſtus ſub vocabulo Chriſti, 179
Antichriſti, 154. 155
de Antichriſti ſpiritu, 125. 126
de Antichriſtis Chriſtiani, 290
Antichriſtos appellauit, 150
Antichriſti tempora, 184
Antiſtes Dei, 32
Antonianus, 35. 36
Antoniano, 154
Appelletiani, 123
Apelles hær. 131
Apelles, 144

Aphronitrum, 153
Apibus Rex, 206
Apollo, 204
Apoſtoli pari conſortio prædìti honoris & poteſtatis, 180.
hoc vtique & ceteri Apoſtoli quod & Petrus, ibid.
Apoſtolorum conteſtatione, 115
Apoſtatæ angeli, 166
Apoſtatauerunt, 76
Appellationes tranſmarinæ, 63
Apportantibus ſibi cibum, 193
Apprehenſus, 161
A qua mendax & perfida, 113
A qua ſola Chriſti ſanguinem non poteſt exprimere, 103.
Aqua ad menſuram, 34
Aqua adultera, 127
Aqua continua perſeueranter ac jugiter fluat, 132
Aquæ ſunt gentes in ſacris ſcripturis, 103
Aræ diaboli, 70
Arbitrio propriæ libertatis manente, 181
Arbor ſenectute deformis, 197
Arca Noë ſacramentum Eccleſiæ, 147
Arca Noë, typus Eccleſiæ, 151
Arcæ vnius ſacramentum, 131
Arceſſitio, 34
Ardor gehennæ, 159
Argumenta fidei, 1
Ariſto, 33
Arma ordinationis & honoris, 121
Arma contra Eccleſiam, 185
nihil ſibi Arroganter aſſumere, 100
aliquid ſibi Arroganter aſſumere, 112
Ars impudica hiſtrionum, 105
Arundines baiulæ, 1
Aſpirat ventus, 221
Aſtunita, 111
Aſylus, 205
Auaritia, 6
Auctoritas probri, 4
Audientes catechumeni, 26
Augendus, no. pr. 52
Augendus diac. 55
Augendus, 62
Aurelius Lector, 47. 49
Aurelius, 34. 35
Aurigarum colores, 291. 293. 294
Aurum ignitum, 217
Auſpicatus eſt pacem, 47
Autumnus, 1

B

Babylonii ignes, 115
Bajulæ arundines, 1
Baptiſma poſt quod nemo jam peccat, 234
Baptiſma publicæ confeſſionis, 127. 128
Baptiſmata, 128
Baptiſmata duo eſſe non poſſunt, 119. 120
Baptiſma ſpiritale & corporale, 147
Baptiſmus Chriſti, 2
Baptiſmus hæreticor. 117. 10
Baptiſmus martyrij 233. 234
Baptiſmi vnda genitalis, 2
Baptiſmi, 214. 215
de Baptiſmo infantium, 95
Be Barpizandis Nouatianis, 150
Baptizatus à mortuo, 118. 119
Baptizati quomodocumque, 125. 126
Baſilides, 112
Baſilides Romam pergens exambiret reponi ſe in epiſcopatum, 114
Baſilides, 145
Baſſianus, 8. 34
Baſſus in peierario, 34
Bella crebriùs ſurgant, lues, fames ſæuiant, &c. 196
Benedictus martyr, 35
Bibulus Canalis, 152
Bona mulier, 30 31
Boni vnà cum malis corripiuntur, 202
Botri acini, 151
Botronatus, 165
Breuiauit ſalutari ſermone Deus precem noſtram, 195
Breuiarium præceptorum cæleſtium, 260
Breuiata non eſt dignitas, 95
Britius, 55
Brutus filios interficit, 205
Budinarius, 52

C

Cæca petitio, 14
Cæcantibus veritatem præſtigiis, 24
Cæcilius epiſc. 76
Cæcilius, 98. 112
Cæſar-auguſta, 114
Cæſariani in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti, 160
Cæſar in Africam, 206
Caldianus, 55. 56. & ſeq.
Caldonius, 117. 10
Caldonius ep. 76
Caldonius, 35
Calicem ſanctificare, 103
Calicis ſacramentum, 100
Calor fidei, 16
Calor gloriæ, 21
Calphurnius, 35
Calumnia forenſis euertit, 219
Canalis aquam ducens, 132
Candida, 33
Candida, 32. 33
Candida cohors, 16
Capillaturam adæquare, 157
Capilli mendacio colorati, 169
Capillus horreſcit, 156
ſponte ad Capitolium ventum eſt, 171
Capitula dominica, 233
Capitula ad fidem pertinentia, 260
Captiuorum fratrum cura, 96. 97
Caput & originem veritatis relinquunt, 182
Cardea, 242
Caritas Chriſtiana, 183 184
Carthaginem Roma præcedit, 65
Carthaginienſis Eccleſiæ fides, 41
Caſſio, 117. 20
Caſto Dominus ignouit, 172
Caſtor & Pollux, 204
Caſtra ſecularia, 48
Caſtra Domini, 76
Caſtra domeſtica, 58
Cataphrygas, 145
ad pulpitum poſt Cataſtam venire, 47
Catechumeni ne vacui exeant, 25
Cathedra vna ſuper Petrum, 54
Cathedræ honor, 24
Cathedra ſacerdotalis, 112
Cathedræ auctoritas, 107
Cathedra adultera, 111
Cauſſa audiatur, vbi crimen eſt commiſſum, 84
Celerinus, 35
Celerinus, 31
Celerina, 48
Celerinus Lector, ibid.

Celerinus, 35.
Cenſura ſacerdotalis, 78.
Cenſura diuina, 17.
Centenarius martyrum fructus, 167.
Cerdon, 130. 145.
non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens, 15.
Chriſtiani quales tempore Cypr. 170.
Chriſtus, 207.
Chriſti præſentiam & ſanctimoniam adeſſe, 147.
Chriſti aſcenſio ad Patrem, 207.
Chriſti miracula, *ibid.*
Chriſti ſacramentum, 243.
in Chriſti nomine multa apud hæreticos aguntur, 148. 149.
Cibi frugales, ſed innocentes, 98.
Cibi ferales, 70.
Cilicia, 146.
in Cilicio & cinere, 32.
Cincinni, 155.
Circenſes, 29. 293.
in Circo poſtulatus, 80.
Cirtino, 117. 20.
Clarificatio Domini, 118. 10.
Claritas carnis & honor, 163.
Clauditur Eccleſia, 85.
Claudicares in Epiſc. 38.
Clauduntur lenitatis paternæ ſolatia, 110.
Clementius hypodiac. 10. 17.
Cleri Romani epiſt. ad Clerum Carthaginienſem, 8.
Cleri & plebis collatione collecta pecunia, 97.
Cleri confeſſus, 86.
Cleri tutores dari non debent, 109.
Clerica Epiſt. 11.
Clero tecum præſidenti, 86.
Clero conueniente præſente & ſtantium plebe, 26.
Clerus Romanus, 27.
Clericæ ordinationes, 47.
Clientium cuneis ſtipatus, 2.
de Clinicis, 150.
Clinici an Peripatetici, 154. 155.
Clinici non Chriſtiani, 155.
Clinicus de Euangelio, *ibid.*
Cludi imbribus cælum, 200.
non Cogitans Epiſcopum, 54.
Cognitionis dies imminebat, 64.
Cohors candida, 168
Collegij honor, 129.
Colligere fraternitatem, 81.
Colligendis fratribus, 69.
Colliguntur extra Eccleſiam, 83
Collyrium Chriſti, 218.
Colores aurigantium, 291. 294.
Colonicus, 34.
Copioſum corpus eſt ſacerdotum, 111.
Commeatum ſibi precaretur, 212.
Comeſtura exterminat, 216.
Commeatum dare bonis Confeſſoribus, 48.
Comi ad ſpeciem formæ ſuæ, 164.
Commemorationes eorum, & dies quibus excedunt marr. 51.
Commune eſt in noſtra vſurpatione quodcumque Dei eſt, 221.
Commune conſilium, 41.
ſi ſibi vel laïco Communicare liceret, 114.
Communicatio non communicantibus offeratur, 84.
Communicare ſacrificatis, 69.
Communicatio ſacrilega, *ibid.*
Communi conſilio ponderare, 46.
Communi conſilio dirigantur, 144.
Communi conſilio, 26.
Communionem deſiderent, 8.
Communicet ille cum ſuis, 24.
Communicent laïci, 121.
Communis & immundus, 96.
Compedes impoſiti pedibus, 155.
Compendia diuina, 153.
Compendia gratiæ diuin. 2.
Compreſbyteris Cyprianus, 30.
Compreſbyter Epiſcopi, 50.
Compreſbyteri noſtri, 13.
Computat Deum debitorem, 221.
Conamina humana, 86.
Concilium Afr. de baptiſmo hæreticor. 117. 20.
Concilium Epiſcopor. 66. 67.
in Concilio placuit, 75.
Concilium plurimorum ſacerdotum, 110.
Concilio frequenter acto, 83.
Concubitus illiciti, 13.
Concubitu infami, 14.
Concordia Chriſti, 17.
Conditio loci, 11.
Confeſſio florida, 32. 33.
Confeſſionis magnæ corona, 157.
Confeſſor illuſtris & verus, 13. 14.
Confeſſores mali, 186.
Confeſſorum pudor, 21.
Confeſſorum & martyrum gloria, 29.
in Confeſſoribus fraudes & ſtupra, 185.
Confitentes atque intelligentes delicta noſtra, 18.
Confiteri maluit quàm profiteri, 161.
Conflictatio ſæcularis, 159.
Confuſa ſidera ad crucem Domini, 224.
Conjacentium durorum turpis & fœda dormitio, 99.
Conſcientia tolerabilis, 70.
Conſcientiam pectoris erudire, 1.
Conſcientiæ ſuæ vulnere, 114.
Conſcientia, 4. & 5.
Conſcientia fortior, *ibid.*
ſine Conſcientia plebis, 94.
Conſcientia luminum, 4.
ad Conſcientiam tuam pertulimus, 121. 122.
quæ erant in Conſcientia noſtra, 77.
Conſeneſcente impetu, 42.
Conſidentibus ſacerdotibus, 56. 57.
Conſilio plurimorum examinata, 12.
Conſiliorum collatione, 45.
Conſilium limare, 25.
Conſilio omnium veſtrûm, 56.
Conſilium comm. Epiſc. 53. 54.
non Conſolati eſtis quod contribulatum eſt, 77.
Conſpirantes litteræ, 44.
Conſtantiùs & fortiùs docet alio loco, 103.
Conſtituti in exitu, 25.
Conſuetudo, 119. 120.
Conſuetudinem hominis ſequi non oportet, ſed Dei.
Conſuetudini Romanorum conſuetudinem veritatis opponimus, 148.
Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt, 152.
Conſuetudinem ratio & veritas excludit, 288.
Conſulatus, 205. 206.
Conſummatio orationis clauſula, 194.
Conſummatione martyrij, 155.
Conſus, Conſilij Deus, 292.
Conteſtantes ei, 118.
Conteſtatio Chriſti, 125. 127.
Conteſtatio Apoſtolica, 130.
Conteſtatione Apoſtolorum, 115.
Conteſtatio Apoſtoli, 127.
Contumax, contradicens, 25.
Conuenæ temerarij, 182.
Conuentus Epiſcoporum, 56 57.
Conuiua gentilium turpia & lutulenta, 114. 115.
Corban non reſpicis, 213.
Cor mundum, 215.

Cornelius centurio, 121.
Cornelio fratri, 76.
Cornelus Epiſc. Rom. 67. 68.
Cornelius collega noſter, 67.
Cornelij honor, 112.
Cornelio coëpiſcopo noſtro, 66.
Cornelius Epiſc. ſanctiſſimæ catholicæ Eccleſiæ, 60.
Cornelio fratri, 56. 58. 60.
Corona candida, corona purpurea, 221.
Coronati mart. 19.
Corporis Eccleſiaſtici compago, 73.
Corporis & ſanguinis Chriſti protectione muniamus, 76.
Corpori & ſanguini Domini vis infertur, 173.
Corpus Domini inuadunt, *ibid.*
Corporum cura, 51.
Correcti & reformati, 128.
Cothurnus trag. 4.
Craſtinus dies ipſe cogitabit ſibi, 191.
Credentibus Deus dat quantùm credentes accipere ſe credunt, 19.
Credentium populus, 178.
Credentium robur elanguit, 187.
Credulitas, fides, 157.
Credula, mulieris proprium nomen, 33.
Criminum mors, 2.
Cruda hyeme, 146.
Cruditate in dies ſuperſtite, 106.
Cruor de jugulo calidus exceptus patera, 291. 293. 294.
Cruſtæ montium, 291. 295.
Cultus plebeius, 2.
Cunctabundi pedes, 155. 156.
Cunei clientium, 6.
Cuneis clientium ſtipatus, 2.
Curatam à fullone veſtem, 25.
Cura Corporum def. 51.
Curricula viuendi, 234.
Cypriano Papæ, 37. 41. 43.
Cyprianus, qui & Thaſcius, 116.
Cyprianus Papa, 8.
Cypriani ſeceſſus, 8. de contemptu ſæculi, 1. 2. 3. 4. 5. 6.

D

DANIEL, 144.
Danielis martyrium, 115.
Datiuus, 155. 157.
Dæmonia exeludere, 184.
Dæmon nequiſſimus, 146. 147.
Dæmones, 206.
Dæmonia eiicere, 2. 3.
Decimus, 30. 31.
Deformationem religionis, non virtutem, 184.
Deformitas terra, 156.
Degrauari terrenis cupiditatibus, 172.
Deifica diſciplina, 115.
Deifica diſciplina, 232.
Deificæ ſcripturæ, 284.
Deifica ſanctitas, 146.
Dei præcepta prima, 195. Prima ſententia Dei, 168. 208.
Delicata de Chriſto confeſſio,
Delicata cuſtodia. *Pont. in vita Cypr. & in act. Mart.*
Delicatæ mentis ignauia, 208.
Delicta extrema, grauiſſ. 24.
Delicta minora, 24.
Delictores grauiſſimi, 96.
Demetrianus perſecutor Eccleſiæ, 197.
Deo omnipotenti omnia remiſimus, 61.
Depopulator matrimoniorum, 78.
Deprehenderis virgo, 163.
Deſaltauit Græcæ libidinis fabulam, 291. 293
Deſaltare fabuloſas antiquitatum libidines, 292. 294.
Deferentes fraternitatem, 8.
Deſideria ponderetis, 23.
Deſideria Mart. examinanda, 22. 23.
Deſideria prolixa de ſæculi ambitione, 164.
Deſperatorum factio, 78.
Deſperatio meliorum, 2.
Detruncat oleam turbo, 199.
Deuotio & timor Chriſt. 68. 69.
Deus Epiſcopum facit, 67.
Deus, 206.
Deus rogat pro nobis, 195.
Deus occultorum ſcrutator de his judicat, 77.
Diaconus mulieri commiſcetur, 146. 147.
Diaconus ſuperbus, 107.
Diana Taurica, 205.
Dico prouocatus, dico dolens, dico compulſus, 80.
Dies præſtitutus Chriſtianis negandi Chriſtum, 169.
Dies reditionis, 221.
Differentias accipere, 132.
Dignatio Dominica, 159.
Dilati Chriſtiani vrgente veſpera, 171.
Diſceptatione, ſi potes vince. vince ratione, 201.
Diſcernit inter juſtos & malos, 226.
Diſciplina, fundamentum religionis, 234.
Diſciplina Dominica, 14. 15.
Diſciplina, venia, 18.
de Diſciplina & habitu, 234. 235.
Diſciplina gladiatoria, 4.
Diſciplina Chriſtiana corrumpitur longa pace, 169. 170.
Diſcipulus docibilis, 37.
Diſcordia, 232.
Diſcordioſus ſtilus, 56. 57.
Diſcriminalia, 165.
Diſcurrere improbè & inſolenter, 13.
Diſpendia pigra & ignaua, 197.
portionem ſui in Diſperſo habet, 118.
ad Diſponenda quædam, 121.
hoc Diſponere nituntur, 45.
Diſpoſitio diuina, 130.
Diſpoſitionis diuinæ jus, 152.
Diues ſterilis, 217. 218.
Diuina miſericordia potens eſt, 24.
Diuiſio menſurna, 41.
Diuortium collidentium voluntatum, 181.
Docibilis eſſe debet Epiſc. 132.
Docibilis diſcipulus, 37.
Domeſtica caſtra, 58.
Dominica fides, 159.
Domine frater dilectiſſime, 33.
Dominico legit apud nos, 47.
Dominicum celebrare poſt cœnam, 104.
Dominicum celebrare, 218.
in Dominicum ſine ſacrificio venis, *ibid.*
Domino reſeruari, 74.
Donata, 33. 34.
Donatus Epiſc. 66. 67. 82.
Donatus, 1. 13. 14 33. 34.
ſi peccata Donentur, 193
Dormitio, 109.
Dormientes non mortui, 212.
Ducatum præbere ad confeſſionem, 158.
Duobus ſimul cognitis Deo & Chriſto, 126.
Durate fortiter, 168.
Durè & crudeliter ab Eccleſia ſegreg. 70.
Duritia & inhumanitas, *ibidem & 71.*
Duritia, inclementia, 70.
Duritia crudelis, *ibid.*
Durior philoſophia, *ibid.*
Durum ac difficile, 2.

E

Eant nunc Magiſtratus & Conſules, 28.
Eccleſia in Epiſcopo, cùm nobis & Eccleſia vna ſit. & mens juncta, 91.
Eccleſiam claudi pulſantibus, 76.
Eccleſia Dominica, 161.
Eccleſiæ vnius caput & radicem tenemus, 122.
vt Eccleſia Capitolio cedat, 86.
Eccleſia, plebs ſacerdoti adunata, 118.
Eccleſia erubeſcere incipiat, 23.
Eccleſiæ libram tenentes Epiſc. 110.
Eccleſiaſtica diſpoſitio, 58.
Eccleſiæ gubernaculum, 11.
Eccleſia in Epiſcopo, 118.
Eccleſiaſtici corporis compago, 73.
Eccleſia Rom. fortis in fide, 8.
Eccleſia principalis, 84.
Eccleſia ſuper Petrum, 118. 20.
Eccleſia paradiſi inſtar, 124.
Eccleſia mater, 180. 181.
Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituta, 39.
Eccleſiæ gubernandæ ſublimis ac diuina poteſtas, 78.
in Eccleſiæ adminiſtratione vnuſquiſque Epiſcopus liberum habet voluntatis ſuæ arbitrium, 122.
Ecſtaſis pueror. 22.
Edicta feralia, 68. 69.
Effigiem barbæ non corrumpetis, 177.
Elaborata mole, 7.
Elanguit robur credentium, 187.
Elanguit robur fidei, 115.
Eleemoſynis ſolis Deum poſſe placari, 215.
Eloquentiæ vires, 1.
Emerita, 2.
Emundabat filios ſuos offerens Deo, 219
Epictetus Ep. Aſſuritanus, 105.
Epiſcopatus Cypr. primordium, 13. 14.
Epiſcopatus vnus Epiſcopor. multorum concordi numeroſitate diffuſus, 73.
Epiſcopalis locus & gradus, 50.
Epiſcopatus noſtri contumeliam ferre poſſum, 21.
Epiſcopatus vigor, 78.
Epiſcopatus vnus & indiuiſus, 180.
Epiſcopus in locum def. ſubſtitutus, 79. 80.
Epiſcopus vnuſquiſque actum ſuum dirigit, 72.
Epiſcopus poſt lapſum, non recipiat locum Epiſc. 106. 107.
Epiſcopus in Eccleſia, 118.
Epiſcopus denegatur, 85.
Epiſcopus Epiſcoporum, 283. *alias* 281.
vt Epiſcopi preſbyteri, diac. animaduertantur, 160.
Epiſcopo tractante, 70
Epiſcopos Dominus elegit, Epiſcopi diaconos, 108.
Epiſcopi plures conuocati, 25.
Epiſcopi, ſoli Deo conſcientiam debent, 43.
Epiſcopi ſucceſſerunt Apoſtolis ordinatione vicaria, 148.
Epiſcopos, id eſt, Apoſtolos, 108.
Epiſcopo honor debitus, 2.
Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi, 114.
Epiſcopi nomen ſibi aſſumunt, 182.
Epiſcopi per vrbes ſingulas, 73
Epiſtola clerica, 11.
Epiſtolam ne teneatis occultam, 18.
Epiſtolæ tredecim à Cypriano in ſeceſſu ad clerum ſuum miſſæ, 27.
Epulares cœnæ, 2.
Equini generis ſobolem, auos ipſos atauoſque, 291. 293. 294.
Equorum annos computare, conſules noſſe, *ibid.*
Erratici palmitum lapſus, 1.
Erratici ſpiritus, 5.
Erubeſcere Eccleſia incipiat, 23.
Erubeſcit Eccleſia, 32.
Erudire conſcientiam pect. 1.
Erudit artifex belluam, 291. 293. 294.
Eſurire vltra modum humani ventris, 292. 294.
Etecuſa, 32.
Euangelica auctoritas, 125. 126.
Euangelicus vigor, 66.
Euangelij majeſtas, 46.
Euangelij vigor, 35.
Euangelij interpretes falſi, 181.
Euariſtus, 62.
Euchariſtia, 76.
adhuc gerens ſecum vt aſſolet Euchariſtiam inter corpora obſcena, 291. 293. 294.
Euchariſtia profanata, miraculum, 175. 176.
Euchariſtia oleum in altari ſanctific. 117. 10.
Euchariſtia datur pœnit. 22. 23.
Euchariſtia geſtata, guſtata, 226.
Euchariſtiam jure communicationis accipiunt, 192.
Euchariſtiam facit mulier, 147.
Euchratius Ep. 97.
Euirantur mares, 4.
Eutychianum, ſaluto, 158.
Eutychiano, 117. 20.
Exambire apud martyras, 27.
Exambiret reponi ſe, 114.
Excarnificatus mart. 37.
Excarnificandi pro Euangelio, 44.
Excitauit Dominus ſatanam ipſi Salomoni, 194.
Excitatus de grabato, 154.
Excitari de preſbyterio, 64.
fallaces in Excuſatione præſtigias, 44.
Exemplum facti eſtis cæteris, 23.
Exhibitio & tegumentum, 217.
Exhibitionem & tegumentum, 193
Exitus vrgens, 46.
in Exitu conſtituti, 25.
in Exitu conſtitutis pax daretur, 67.
in Exitu ſubuenire ſacrificatis, 70. 71.
Exoletis cornibus luna tenuatur, 197.
Exomologeſin faciebat Deo Azarias, 177.
Exomologeſi facta, 26. 34.
Exomologeſin delicti facere, 25.
ante Exomologeſin factam, 173.
Exomologeſis, 21. 23.
Exorciſtæ, 146. 147.
Exorciſtæ ſpiritalia flagra, 201.
per Exorciſtas flagellatur dæmon, 154.
Exorcizat dæmoniacus, 182.
Exoſculari veſtigium infantis recens nati, 95.
Expoſiti, 147.
Exſcidiſti teipſum, 149.
Extorris factus, 15.
Extrema tempora, 81.
Exultantia, 155.
Ezechiel, 144.

F

Fabianus Epiſcop. Rom. nobiliſſimæ memoriæ, 45.
Fabianus, 82.
Fabiano Cornelius ſucceſſit, 151.
Fabrica mundi, 291. 295.
ſine vlla Fabula, 99.
Fabulæ de virgine, 167.
Fabulis ſtudentibus, 1.
Facete precem baptizato, 118. 20.
Faciens audacia cum vitiis, 5.
Facit mecum, 1.
quid Facit in domo fidei perfidum pectus, 217.
Facti fides in actibus Apoſtolorum poſita, 215.

Factio perdita, 117.
Factio deſperatorum, 78.
Facultates ſuas ad Deum antè præmiſſas ſequitur, 193.
Familia ſtrepens, 1.
Fauſtinus Ep. Lugdun. 110.
Febris dea, 205.
Felix, martyr, 158.
Felix, 30.
Felix, Ep. 37.
Felix, 30. 155. 157.
Felix pſeudo-epiſcopus, 82. 83.
Felix de Cæſar auguſta, 114.
Felicianus acoluthus, 82.
Feliciſſimus hoſtis Chriſti, 78.
Feliciſſimus factioſus, 51.
Fenerare Deum, 218.
Fenera patrimonium tuum Deo, 164.
Feneratur Deus eleemoſynis, 218.
Ferales cibi, 70.
Fera rabida nutritur in deliciis, 291. 293. 294
Feralia edicta, 68. 69.
Feriata quies, 7.
Feſtinatio temeraria, 26.
Fides Dominica, 159.
Fidei robur elanguit, 114. 115.
Fidei calor, 26.
Fidus Ep. 94.
Figmenta terrena, idola, 222.
Figura præcurrit, 110.
Figura ſacramentum, *ibid.*
Figuram Chriſti imagine præeunte portabant, 224.
Filium Dei qui ſe cognouerit, 291. 295.
Fine mundi jam proximo in occidua extrema deuergit, 198.
Finito patrimonio i. conſumto, 216. 217.
Firmilianus Ep. 143.
Firmitate illapſa, 2.
Firmus, 33.
Fixus oculos, 1.
Flagitauit me populus violento clamore, 26.
Flora meretrix, 205.
Florentio cui & Pupiano, 116.
Florentius Pupianus, *ibid.*
Florida confeſſio, 32.
Focillare ſolatio, 25.
Forculus Deus, 205.
Forma prædicationis diuinæ, 74.
Formam à me vobis dari, 26.
Fortuna, mulier, 33.
Fortunatus, 55. *& ſequent.*
Fortunatus, 233.
Fortunatus, 14.
Fortunatus, 75.
Fortunatus, 82.
Fortunatus Ep. 81.
Fortunatus Ep. 78.
Fortunatus, 105.
Fortunatianus Aſſurar. Epiſc. 34
Fortunio, 5.
Forum, 98.
Frangitur in fœminam maſculus, 78.
Frater acoluthus, 9.
Fraternitas, id eſt, fratres, 21.
Fraternitas, 57.
Fraternitati connexæ, 25.
Fraternitatem vniuerſam, 74.
Fraternitatis irriſio, 85.
Fraternitatis dolor, 24.
Fratrum ruina, 1.
Frondea tecta, 33.
Fructus pr. 161.
Frumentarios eſſe miſſos, 74.
Fruſtrandæ fraternitatis irriſio, 166. 166.
Fucis lenocinantibus,
minus Fundatus Dominica lectione, 343
Funeſtum opus, 69.
Furnitanorum plebs, 109.
Fuſtibus cæſi, 155.
Futurus, no. pro. 42.
Futurorum indicia prænoſc. 2.

G

GAIVS Diddenſis presbyter, 40.
Galatia, 146.
Gargilio, 117. 20.
Gaudete nobiſcum, 204.
Geminius Fauſtinus preſb 109
Gazophylacium, 278.
Genuinum obduruit, 2.
Genitalis vnda, bapt. 2.
Geſtata euchariſtia, 226. 29.
Getulicus, 34.
Girum cæli circuiui, 249.
Gladiatorius ludus, 4.
Gordius, 14.
de Grabato excitatus, 154.
Gradimur ad vitam, 100.
Grandeſcere copias meſſium, 222.
tam Grandia, de ſacram. corp. Chr. 104.
Grande compendium, 260
Grande delictum, 173.
Granditer docuiſtis, 91.
Granditer Deum timere, *ibid.*
Granditer operati ſunt, 39.
Granditer defleamus, 178.
Granditer nuper defenſio ſecuta ſit, 202.
in tantum Granditer, 226. 227.
Gratia diuina maturans, 2.
Gratiæ diuinæ compendia, *ibid.*
Gratioſa deprecatione corrumpere, 27.
Grauiſſimum atque extremum delictum idolol. 23.
Grauitas ſacerdotalis, 57.
Gubernator in tempeſtate dinoſcitur, 210.

H

HABITVDO & ſtatura corporis, 233.
Hadrumetina colonia, 59.
Heliam certaſſe ſublimiter, 115.
Helias typum Chriſti gerens, 219.
Herculanus, 52. 53.
Hercules, 204.
Herena, 33. 34.
Hereneus, *ibid.*
Herennianus hypodiac. 157.
Hermes Triſmeg. 206.
Hippocrates med. 153.
Hiſpaniæ Clerus & plebs, 112.
de Hiſtrione, 97. 98
Hiſtrionici geſtus, 4.
Homo templum Sp. ſ. 96.
Homo exerces in homine dominatum, 199.
Honorato, 96. 117. 20.
Homo Dei & Chriſti eſſe cœpit, 208.
Honor ſacerdotij epiſcopalis, 24.
Horæ tertia, ſexta, nona, 196.
Hora nouiſſima, antichriſtus, 118.
Horror inceſtorum, 4.
Hoſtilius, 205.
Hoſtanes magnus, 206.
Humana traditio, diuinæ diſpoſitioni antepoſita, 130.
Humana indulgentia, diuina præſcriptio, 113.
Humani errores, præcepta Dominica, 115.
Hyginus Epiſ. R. 129. 130.

Hypodiaconus, 10.

I

IActv retis operire, 17.
Iactatio inuerecunda, 16.
Iactatio odioſa, 2.
Iader ſubſcripſi, 158.
Iader martyr, *ibidem.*
Iader, 155.
Ianiculum, 205.
Ianuaria, 96.
Ianuarius Num. 117. 120.
Ianuaria, 34.
ſub Ictu paſſionis, 108.
ſub Ictu agonis, 160.
Iconium in Phrygia, 146.
Idæa mater, 205.
Idola pereunt, niſi ab homine ſeruentur, 234.
Idolorum vanitas, 204. 205.
Iens præceps, 9.
Ignatius, 48.
Ignitum aurum de igni, 217.
Illabitur in Virginem Deus, 207.
Illapſa firmitate, 3.
Ille communicet cum ſuis, 24.
Illuſtre iter ad mart. 117.
Illuſtris paſſio, 48. 49.
Imago aduenientis Domini Lucius Ep. Rom. 93.
Imago ſacrificii Chriſti in pane & vino conſtituta, 101.
Imago, figura, veritas, 203.
Imagines defunctorum, 204.
quod ſemel Imbiberint nolunt deponere, 121.
Immerſerint ſe hominibus, 3.
Impetu conſeneſcente, 42.
Implicantis mundi laqueis ſolui, 6.
Importuna cenſura, 77.
Improbus cultus fem. 164.
Impudenter Eccleſia dæmonia exorcizat, 291. 293.
Indeſinenter offero ſacrificia Deo, 118.
Indiſciplinatus, 100.
Indiſciplinati, ſuperbi, 122.
Induciæ ſolennes, 1.
Induere Chriſtum, 181.
Induiſſe Chriſtum, 131.
Induit hominem Deus, 207.
Induit ſpiritum, 147.
Indulgente vindemia, 1.
Indulgentiam recipere ab eo qui poteſt præſtare, 9.
Inexcuſabilem ſententiam, 145.
nec bonum corporis Infamet cultus, 235.
Infamare martyrum dignitatem, 173. 174.
de Infantium baptiſmo, 95.
Inflammare fidem, 38.
Ingenium exile, 1.
Initians & dedicans patientiam, 224.
Initiaret ſanguine ſuo dominicam paſſionem, 194.
nihil Innouetur, 129.
Inordinatè ambulantib. contra diſciplinam, 125.
Inquietare litibus calumnioſis, 5. 6.
Inquieti confeſſores, 45.
Inſilis in ſacerdotem, 116.
Inſilis in ſacerdotem Dei, 79.
Inſolenter extollit, 16.
Inſpiratio diuina, 144.
Inſtar paradiſi exprimens, 124.
Inſtigare fratres ad precem ſatisfactionis, 172.
Inſultantium ſputamina, 213. 214.
Integrè feciſtis, 40.
Intercedunt quidam de preſbyteris. i. vetant, 40.
Intercepta pœnitentia, 173.
Interrogatio ſymboli, 152.
Interrogatio quæ fit in baptiſmo, 117. 120.
Interrogationes in bapt. 146. 147.
Inteſtini cruciatus, 230.
Inuerecunda iactatio, 16.
Inundatio cæleſtis, baptiſmus, 124.
Iobi patientia, 210.
Iouis antrum in Creta, 204. 205.
Iouinus, 182.
Irene Rutilorum, 52.
Irreligioſus timor Dei, 114. 115.
Irrogabit ſupplicia Deus, 203.
Irrogari mala, 202.
Iter illuſtre ad mart. 117.
ad Iubajanum, 122.
Iudici Deo reſeruamus, 71.
Iudicas alios, eſto tui iudex, 199.
Iudicaturi veneunt, 200.
Iudicat occultorum ſcrutator Deus, 77.
non Iudicemus nos inuicem, 155.
Iudicii Dom. dies, 70. 71.
Iudicis ſui iudex factus, 37.
Iudicium & teſtimonium Dei in ſacerdotis ordinatione, 116.
Iulia, 33.
Iuno Argiui, Samia, Pœna, 205.
Iupiter Creticus, *ibidem.*
Iupiter ſenuit, *ibidem.*
Iuſtum & legitimum baptiſma, 128.
Iuſtum tempus pœnit. 21.
Iuſtus fide viuit, 208.
Iuuentus nouella & vegeta, 198.

L

LAbavit greſſus, 171.
Lacrymæ pro doloribus legati, 45.
Lælius diaconus, 112.
Laïci ſtantes, 45.
Laïci viderint, 84.
vt Laïcus communicet, 69.
in Laminas ductiles producuntur, 152.
Lambeſitana col. 82.
Languentium ſtrages, in perſec. 18.
Laniena grauior, 19.
Laomedon, 204.
Lapidantur furore populari, 220.
Lapſis pax, 21.
Lapſus voluntarii Chriſtianorum, 170.
Largiter operari, 217.
Latrocinio ſacerdotis, 291. 294.
in Latronibus aliqua vtcumque ſcelerum verecundia, 200.
Lauacri vitalis ſanctificatione, 235.
Laurentius, 48.
Lector, 35.
Lectoris ordinatio, 48.
Leges XII. tab. inciſæ, 5.
Legio, 112.
Legitimus Chriſtianus, 154.
ad Legionem petitus, 80.
Leuari aduerſus ſe æmulum principem, 68.
Leucothea, 204.
Libellati & mœchi cauſa diuerſa, 73.
Libellaticos cum ſacrificatis æquare, 69. 70.
Libellaticos interim admitti, *ibid.*
Libellati, 27.
Libelli à martyribus dati, 240.
Libelli macula, 114.
Libelli labe maculatus, 69.
Libellis nefandis conſcientiam polluiſſent, 27.
Libello à martyribus accepto, 26.

Libelli à martyribus, 25.
Libellorum millia quotidie, 27.
Libellorum nefariorum profeſſio, 43.
Libellus oblatus, 70.
Liberalis ep. 76.
Liberatori debet obſequium liberatus, 164.
Liberalis, 117. 120.
Liberalis ep. 57.
Libido præcipitat, 2.
Libram Domini tenentes Epiſc. 65.
Libram gubernandæ Eccleſiæ tenentes, 110.
Librata diu & ponderata, 66.
Librato diu apud nos conſilio, 94.
Librato de omnium collatione conſilio, 67.
omnis ſpes in Ligno, 155.
Limare conſilium, 25.
Limanda pleniùs ratio, 41.
Limentinus, 205.
Litteræ conſpirantes, 44.
Litteræ ſobriæ, 31.
Litteus ep. 155.
Localis perſecutio, 146.
Loci & gradus epiſcopalis conditio, 50.
Loci præniti termini coërcent, 155.
Loci ſui miniſterium, 152.
Loci conditio, 158.
Loci ſacerdotalis religio, 131.
Locum ſuum agnoſcere iuſſimus, 61.
Locus epiſcopalis, 21.
Locus refrigerii, 159.
Longa ætas, 122.
Longa ſupplicia vicerunt, 172.
Longinus, 55.
Longinquant ſe abs te, 144.
Longior pugna, 29.
Lucanus, 178. acoluthus, 179.
Lucianus, 31. 32. & ſeq.
Luciani mart. inuerecundia, 34.
Lucius martyr, 157.
Lucius, 29. 115.
Lucius papa Rom. 93.
Lucio fratri, *ibidem*.
Lucii honor, 112.
Lucro ſtudentes, 16.
Luctamina, inhoneſtis nexibus implicantur, 292. 294.
Ludibria contumeliarum, 213. 224.
Luna cornibus exoletis tenuatur, 198.
Lunulæ, 165.

M

MACARIVS, 33. 34.
Macarius ep. 60. 64.
Magi, 206.
Magiſteria diuina, ſalutaria, 186. 187.
Magiſterium Dominicum, 14.
Magiſterium turpitudinum, 4.
Magiſterium Chriſti negligitur, 230.
Magiſteria diuina, 80.
Magiſterium diuinum, 25
Magiſterium Scripturarum, 13.
Magiſterium impudicitiæ artis, 97. 98.
à Magiſterio diuino non recedamus, 102. 103.
Magnalia multa cum miraculo faceret, 164.
Magnalia diuinæ protectionis, 93.
Magnalia diuinæ maieſtatis, 14.
Magno, filio, 150.
Maieſtas Euangelii, 41. 42.
Maieſtas Domini protegentis, 68.
Maieſtas fidei, 44.
Maieſtas Eccleſiæ, 81. 82.
Maieſtas & dignitas Eccleſiæ, 111.
Maieſtate cenſuræ percuſſus, 152.
Maieſtate angelica ſubnixus, 219.
Maledicam benedictionem veſtram, 84.
Mancinus, 205.
Mandata martyrum, 174.
imponitur Manus baptizato, 130.
Manus impoſitus ab Epiſc. 21.
Manus impoſitio in baptiſmo, 130. 131.
Mappalicus martyr, 19. 20.
Mappalicus, 33.
Marcianus Arelatenſis, 110.
Marcianus, 112.
Marcion, 123. 144.
Marcion de Ponto, 130.
Marcionis baptiſmo communicat, 131.
Marcionitæ, 123.
Mare ſacramentum baptiſmi, 154.
Maria, 33. 34.
Maria populo ſiccata, 292. 294.
Marmorum cruſtæ, 198.
Mars Thracius, 205.
Martialis, 33. 114.
Martyr ſecundo prœlio, 172.
Martyria ſecerunt, 89.
ad Martyria facienda paratus, 174.
Martyrii exhortatio, 233.
Martyrii tui dignitas, 116.
Martyrii conſummatione, 155.
Martyrii obeundi voluntas, 20.
Martyrii ſublimitas, 117.
Martyrum tormenta, 19.
Martyrum cruciatus varii, 172.
Martyrum memoriæ, 51.
Martyrum mandata, 174.
Martyrum prærogatiua, 25.
Martyrum commemoratio anniuerſaria, 48.
Martyrio meo priuor dum præueniot morte, 221.
Martyrium tollit, 77.
Martyrum ſepultura, 9.
Mater noſtra Eccleſ. 19. 22.
Mater Eccleſia, 19. 20.
Mathatias, 115.
Matrimonia cum infidelibus, 170.
Matrona ad ſpectaculum, 4.
Matthæus quidam, 55.
Mauritania, 121.
Maxillam manu ſuſtinens, 17.
Maximus, 82.
Maximo, 96. 117. 20.
Maximus preſb. 36. 46. 55. 58. 81.
Maximus acoluthus, 157.
Medela dolentium, 3.
Melchiſedech typus Chriſti, 101.
Melicertes, 204.
Membra noſtra ſunt templa, quorum & antiſtites ſumus, 235.
Memoriale filiis Iſraël, 152.
Memoriæ martyrum, 51.
Menſæ Dom. communicare, 21.
Menſura muneris diuini, 154.
Menſurna diuiſio, 41.
Mercenari paſtores, 8.
Metalla exhauſta, 197.
in Metallo conſtitutus, 154. 155.
Metallum Siguenſe, 158.
Metator veſter, 160.
Metator antichriſti, 33.
Metrius hypodiac. 57.
Militia eſt vita hominis, 208.
Minis ac terroribus reſiſtere debet Epiſc. 78.
Minis non cedendum in Eccleſia, 85.

Miniſterium loci ſui tranſgredi, 152.
Minora delicta, 24.
Miſericors Deus ſententiam flectit, præſtabilis eſt aduerſus malitias irrogatas, 178.
Miſericordiæ diuinæ munera, 214.
Modiano, 117. 20.
Modio, 96.
Mœchus in corpus ſuum peccat, 75.
Mole elaborata, 6.
Montanum fratrem noſtrum, 31.
Montanus, 145.
Morbiba valetudo, 199.
Morbidæ oues, 85.
Morbidus ſermo, 173.
Mori poſſe, vinci non poſſe, 91.
Moriendi velocitas, 16. 17.
Morientibus pax datur, 69.
Morimur ad immortalitatem, 212. 213.
Morientibus in infirmitate ſubuenire, 76.
prima & ſecunda Mors animæ, 215. 216.
Mors criminum, 2.
Mors optabilis Chriſtiano, 209.
Mortalitatis copia, 208.
de Mortalitate, 208.
in Morte non com. 52.
Mortis vrgentis admonitio compellit, 75.
Mortui ſepeliant mortuos ſuos, 189. 190.
Morula, 18.
Moyſes preſb. 36.
Moyſes homo lenis nimis, 70.
Moyſes & Maximus preſb. 46.
Muliebri veſte induti viri, 97. 98.
Mulier in ecſtaſi, 146. 147.
Mulier facit euchariſtiam, ibidem.
Mulier nudis pedibus, cruda hieme, ibidem.
Mulier baptizans, ibidem.
Multiplex portio plebis, 156.
Mundi fabrica, 292. 295.
Munerarii, 219. 210.
in Muſcipulam incidunt, 193.
Muſcipula, 217.
Muſſitamus, 202.
Mutilari & debilitari in nullo poſſunt beneficia diuina, 153.

N

NAMPVLO, 117. 20.
Nampulo, 96.
Natiuitas ſecunda, 131.
Natiuitas ſecunda, bap. 2.
Natiuitas ſpiritalis, 220. 221.
Naufragia nefanda, idolol. 32.
Naufragauerunt à fide, 172.
Neceſſitas temporum, 31.
Neceſſitate vrgente, 154.
Neceſſitates ſingulorum, 67.
Neceſſitates corporum curandæ, 157.
Neceſſitate cogente, 153.
Neceſſitate cogente cenſuimus, 76.
Neceſſitas, ſi preſbyter non fuerit repertus, 25.
Neceſſitate peruenit ad funeſtum opus, 69.
Neceſſitas temporum, 30.
Negatorum à Deo punitorum exempla, 175.
Negotiationis illicitæ nundinas, 24.
Nemeſianns, 155. 157.
Nemeſiano, 96. 117. 20.
Nemini præſcribentes aut præiudicantes, 128. 129.
Neptunus, 204.
Ne vlteriùs inquietarentur, 41.
Ne quis Chriſtianus vltro ſe gentilibus offerat, 161.
Nequam ſpiritus, 146.
Nequiſſimus dæmon, 147.
Nexus penduli, 1.
Nicephorus acoluth. 57. 61.
Nicomedes ep. 76.
Nicoſtratus diac. 37. 46. 58.
Ninus ep. 75.
Noë arca, 132. 133.
Nomen eor. offertur, 21.
Nominis confeſſio, 37.
Nomina eorum qui contulerunt pecunias, 97.
Nominari in ſacerdotum prece, 109.
Non alligentur ſecularibus negotiis clerici, ididem.
Non offertur pro eo, ibidem.
Non præiudicamus Domino iudicaturo, 71.
Nonaginta Epiſcopor. ſententia data. 82.
Nouati ſcelera, 62. 63.
Nouatus, 11.
Nouatiani factio, 62.
Nouatianus, 55. 66. 73. 81. 86.
Nouatiano nuper refuſo, 111.
Nouatianenſes, 122.
Nouatiano ſtudens, 110.
Nouatiani ac Nouati, 58.
Nouatiani ſcelera, 92.
Nouellandus animus in ſecretis cordis, 39.
Nouella & humana inſtitutio, 100.
Nouerca intercedente, 83.
Nouiſſima hora, 118.
Nox cæca, 131.
Negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, 195.
Numeria, 32. & ſeq.
Numeri trigeſimi, ſexageſimi, centeſimi fructus, 154.
Epiſcopi Numero ſeptuaginta & vnus. 121.
Numeroſitas filiorum, 219.
Numeroſa ſacrificia pro liberis, ibidem.
Nomidia, 121.
Numidici preſbyteri ordinatio, 49.
Numidicus. ibidem. & ſeq.
Nunc eſt vt memores mei ſitis, 49.
Nundinas illicitæ negotiationis, 24.

O

OBDVRVIT genuinum, 2.
Oblationes, ſtipes & lucra deſiderant, 106.
Oblationes & ſacrificia, 51.
Oblatrantes fluctus, 78.
Obnitente plebe, 85.
cui negligenter Obreptum eſt, 114.
Obſtinatio dura prorupit, 131.
Obſtetricum manus ſæpe falluntur, 99.
Obſcurato lumine Eccleſiaſticæ veritatis, 149.
Obſecundans eram, 2.
Obſeruatio præſcripta, 22. contemta, ibidem.
Occaſio libelli, 70.
Occaſus ſeculi, 173.
Occidere innocentibus nec nocentem licet, 91.
Occupari infirmitate, 156.
currite vt Occupetis, 20.
Oculos amœnare, 1.
Oculos fixus, 1.
Oetei ignes, 204.
Offenſa Domini, 21.
ſine Offenſa, 201. 293.
Offerre oblationes Chriſtianorum, 40.
Offertur nomen eor. 21.
Offerre pro illis, 24.
Offerebant pretia in vſus indigentium, 187.
Offerre prohibeantur, 22.
Offerre ſacrificia, 48.
Oleum in altari ſanctificatum, 117. 20.

Oliuæ opus mentietur, 202.
Omnis ſpes in ligno, 155.
Omnimodo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem, 124.
Operatio eleemoſynarum aſſidua & gregis inſtar.
Operatio bona & neceſſaria, 97.
Operatio largiter fiat, 178.
Operatio erroris, 83. 178.
Ophitæ, 113.
Optatus hypodiac. 35. 41.
Optatus, 75.
Opus funeſtum, 69. 70.
Orandi formam dedit Deus, 188.
Orare frequenter, vigilanter, 17.
Oratio Valeriani Imp. 160.
Oratio communis & publica, 189.
Oratio ſterilis, 196.
Oratio communis & concors, 48.
Orbana, 205.
Ordinatione ſuccedanea præſidet, 151.
Ordinatione clerica promouentur, 109.
Ordinatio Lectoris, 47.
Ordinationes. *ibidem.*
Ordinari indignos ſecundùm humanam præſumptionem non ſecundùm Dei voluntatem, 114.
Ordinatus, præpoſitus, 230.
ad Oſculum Domini venerunt, 29.
Oſtendere & reuelare dignatus eſt, 116.
Oſtendere per viſum, 40.
Oſtendere Dom. dignatur, 18.
Oſtendere & reuelare Dominus dignatur, 16.
Oſtenditur, viſione, 77.
Oſtenſio Dei, 116.
celebris Oſtenſionibus admonemur, 76.
Oſtenſum illud eſt, 17.
Oues victimæ, 38.
Oues morbidæ, 85.

P

PACONIVS, 98.
Palabundæ oues, 57.
Palabundi, 207.
Palabundi, errantes, 60.
Pallor, Deus, 205.
Palpationibus, blanditiis, 40.
Panem ſanctificat, 147.
Panis illic exiguus, 156.
Panis modicum, 34.
Panis ſtabilimentum, 174.
Panis vitæ Chriſtus, panis noſter, non omnium, 192.
Papa Cyprianus, 8.
Papæ Cypriano, 29.
Pantomimus, 291. 292. 294.
Paradiſus, 213. 214.
Paralyticus, 153.
Paralyticos reſtringere, 207.
Parentes paricidæ, 171.
Paricidalia arma contra Eccleſiam, 76.
Parœmia Salom. 280.
Pars viſcerum, fratres Chriſt. 24.
Participato vobis inuicem conſilio, 76.
Paruitas fidei, 208.
Paſchæ lætitia, 32.
Paſſionis tempore, 194.
ſub ictu paſſionis, 108.
Paſtores mercenarii, 8. 9.
Patera exceptus cruor humanus, 291. 297.
Patienter audire, 212.
Patres familias, togatos, ſtupidos, 291. 293. 294.
Patres familias certis nominib ipuerecundos, *ibidem.*
Patrimonii iactura, 171.
Paulus nec poſt tertium cælum & Paradiſum quidquam ſibi inſolenter adſumpſit, 13.
Paulus mar. 33. 34. 41.
Paulus blaſphemus & perſecutor, 125.
Paulus pullos edaces habuit, 205.
Paula ſarcinatrix, 52.
Pauperum cura, 13. 50.
Pauor Deus, 205.
Pax data lapſis, 30.
Pax adulteris dabatur, 71.
Pax habet coronas ſuas, non tantùm perſecutio, 232.
Pax non eſt inter ipſas togas, 201.
Pax reddita Eccleſiæ, 168. 169.
Pax longa corruperat diſciplinam, 170.
Pax lapſis, 23.
Pax irrita & falſa, 173.
Pax temerè data, 31.
Pacem rupit Stephanus, cum orientalibus & cum iis qui ſunt in meridie, 149. 150.
ad Pacem feſtinare, 26.
Pacem prior Eccleſ ſumpſerit, 22.
Pacem quomodocumque à Sacerdote Dei ſemel datam non putauimus auferendam, 108.
Peccatum æternum, 21.
Peccatum grauiſſimum atque extremum, 23.
Peccatum ingens & ſuper omnia, 38.
Pedes incunctabundi compedib. 155. 156.
in Peierario, 53.
Peierare, 170.
Pendere in iudicii diem, 71.
Penduli nexus, 203.
Perdeleantur, 1.
Perditionis auctores, 121.
ad Perfectum diſcipulos erudiret, 213.
Perfidia Chriſtianorum negantium, 172. 173.
Perfuſi non loti, 153. 154.
Peripatetici an Clinici, 154. 155.
Peroptimus, 130.
Perſecutiones Chriſtianorum, 203.
exploratio potiùs quàm Perſecutio, 170.
Perſecutio aduerſus Chriſt. ex terræ motu, 146.
Perſeus collega noſter, 81.
Perſonæ inſignes, 9.
Perſonas accipiunt, 24.
Perſonam accipere, 132.
Perſonarum mutatio, 12.
Per zeli liuorem, 99.
Peſtes hæreticæ, 130.
Petitio cæca, 24.
ſuper Petram robuſta mole fundati, 29.
Petro ſuper quem ædif. Eccleſ. 123.
Petri cathedra, 148.
Petrus ſuper quem fund. Eccleſ. 110.
Petri cathedra, 84.
ſuper Petram robuſta mole fundati, 179.
Petrus ſuper quem Dominus ædif. Eccleſ. 81.
Petrus ſuper quem, 214.
Petri ſucc ſſionem tenere contendit, 148.
Petri locus & gradus cathedræ, 68.
Petras alias multas inducit, 148.
Phanorinus, acolythus, 41. 47.
Philippus diaconus, 114.
Philoſophia durior, 70.
Philoſophia vera Chriſt. 122.
Philoſophorum patientia, *ibidem.*
Philumenus hypodiac. 41.
Phinees, 114.
Picus, 201.
Pilumnus, *ibidem.*
Placentes, ſibi philoſophi, 122.

Placetur

Placetur hominibus, 92.
Placuit nobis, ſancto Spiritu ſuggerente, 77.
Plato, 206.
Plauſibiles, 21.
Plebe præſente & iudicante, 24.
in plebe conſiſtentibus, *ibidem.*
Plebe præſente, 26.
Plebe obnitente, 85.
Plebeius cultus; 2.
cum Plebe vniuerſa, 41.
conuocata tota Plebe gerebatur, 114.
Plebis conſenſus, 14.
ſine Plebis conſcientia, 94.
Pluuias ſerena longa ſuſpendant, 198.
Pluuia deſuper rara deſcendit, 199.
Pluuia impetrata precibus Chriſtianorum, 201.
Poculum ſalutare, 36.
Pœnalis loci tenebræ, 28.
Pœnæ ſubtractus, de martyre, 93.
à Pœnitentia per triennium deſtitiſſe, 75.
Pœnitentia quæ ſatisfacit; 178.
Pœnitentia trahebatur longiùs, 76.
Pœnitentia falſa, 176. 177.
Pœnitentia intercepta, 173.
Pœnitentiæ locus nullus eſt, nullus ſatisfactionis effectus, quando iſtinc exceſſum fuerit, 204.
Pœnitentium ſatisfactio, 176. 177.
Pœnitentiæ iuſtum tempus, 21.
Polianus, 155.
Polianus legi; 158.
Polianus martyr, *ibidem.*
Polycarpus Hadrumetinus, 59.
Polycarpus, 112.
Polycarpus coëpiſc. 59.
Pompeius & Stephanus collegæ noſtri, 55.
Pompeius & Cæſar adfines, 206.
Pompeius Sabrat. ep. 129.
Pomponio fratri, 98.
Populus credentium, 178. 179 216.
ſub Populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, 114.
Popularium clamores in circo, 80.
Portenta quædam & monſtra venerantur, 200.
Porticus vitea, 1.
Poſſidentis, occupantis, 118.
Poſt Alexandrum Imp. multæ preſſuræ, 145.
Potentatus animi, 3.
Potentatu improbo, 52.
Poteſtas honoris tui, de Epiſc. 108.
Poteſtatis alienæ iam factus eſt, 230.
Præcipitat libido, 2.
Præceps cupiditas, 38.
Prædurantibus coſtis reſultans vngula recurrit in vulnus, 298.
Præfatio ſacerdotis ante orationem, 195.
Præfiguratio alimentorum panis cæleſtis, 154.
Præiudicantes nemini, 128.
non Præiudicamus quo minus vnuſquiſque quod putat, ſentiat, 153.
plures Præpoſiti in vnum conuenientes, 27.
Præpoſiti Epiſcopi honor; 21.
Præpoſitus, ordinatus, 230.
Præpropera feſtinatio, 150.
Prærogatiua martyrum, 25.
Præſagium futurorum, 166.
Præſcriptio innocentiæ poſt baptiſmum, 214.
Præſtigia obtendebantur, 85.
Præſtigiæ excuſat. 44.
Præſtigiis cæcantibus veritatem, 205. 206.
Præſumptio abrupta, 21.
Præuaricatores in occaſione martyrij, 44.
Præuentus poſterior eſſe cœpiſti, 128.
Preces farciendas acceſſione operum, 215.
Precem facere baptizato, 118. 20.
Preſbyterii honor, 49.
Preſbyterium contrahi placuit, 60.
Preſbyterium ſubminiſtrabat, 30.
Preſſuræ vaſtitas turbida, 16.
Prima ſententia Dei, 168.
Prima ſolennia Paſchæ, 75.
Primatus ſuos perdidit, 128.
Prima præcepta, prima ſententia; 168 195.
Primatus ſuos amiſit, 227.
Primus, 112.
Primitiuus compreſbyter; 59.
Primitiuus, 55.
Primores, magiſtri, 207.
Princeps æmulus, 68.
Principalis Eccleſia, 84.
Priſca, 145.
Priuatianus ep. 75.
Priuatus Lambeſitanus, 42.
Priuatus vetus hæreticus, 82.
Pro arbitrio & ructu ſuo viuere, 98.
apud acta Proconſulis, 157.
apud Proconſulem; 75.
Proculo, 96. 117. 20.
Proculus peierans, 205.
Promeritus Deum, 124.
Promiſcua cum fem. 16.
Propinatur crudeliter, 291. 294.
de Propria quantitate, 97.
ad Protoplaſtum Deum loquitur, 236.
Prouincia Africæ, 71.
Prouincia noſtra habet Numidiam & Mauritanias, 59.
per Prouinciam noſtram, 3. 6.
dirigantur in Prouinciam litteræ, 109.
Pſalmos ſonet conuiuium, 6.
Pſeudobaptizati videntur, 283.
Pſeudoepiſcopo conſtituto, 84.
Pſeudoepiſcopus, 81. 82.
Pſeudoprophetæ, antichriſti, 70.
Publicanus orans Deum, 188. 189.
Publicani, gentiles, 223.
Pudor confeſſorum, 21.
Pugna aduerſus diabolum perpetua; 208.
ad Pulpitum poſt cataſtam venire, 47.
Pulpitum tribunal Eccleſiæ, 49.
Purgari diu igne, 71.
Purgatorii locus, 204.
Purificatio confeſſionis; 29.
Purpura magiſtratuum, 5.
Puſilliores; 33.
Putamina colligenda, 85.
Putaminibus amputatis; 172.

Q.

QVADRIGA vel conſulatus petitur, 220.
Quæſtio duriſſima, 19.
Quæſtionati confeſſores, 117. 118.
Quantitas mercium, pro mercibus pretioſis, 166.
de Quantitate patrimonii, 216.
de Quantitate mea propria ſumptus ſuggeratis, 50.
Quid proferre aut ſcribere ſacerdotes Dei oporteat,
Quies plebis Chriſt. 24.
Quieti & modeſti, 13. 14.
Quieti Chriſtiani, 15. 18. 40.
Quintianus, 34.
Quirinus, 157. 158.
Quintus compreſbyter, 66.
Quinto collegæ noſtro, 112.
Quod in veritate geritur; 126.
Quomodocumque vbicumque baptizati; *ibidem.*
Quos diſponit Deus. 87.

Quotidiana ſacrificia, 219.

R

RABIEM tyranni tractatibus coërcere, 197.198.
Rami naturales, 14.
Rebaptizare, 122.
Rebellauerint contra nos, 121.
Recalcitrat, 230.
Recentes Dei manus, 95.
Reuelare & oſtendere Dom. dignatur, 17.
Recollegerit ſeſe, 291.294.
Redampliatur maieſtas nominis, 297.
Redditionis dies, 221.
Reformati, correcti, 128.
Refrigeria parauit, 46.
Reges, 204.
Regite vos ſingulos, 24. & 25.
Regna varia, 205.
Regnum Dei in proximo, 208.
Regulus, 205.
Religio non imperatur, 201.
Religionis deformationem habentes, 184.
Religioſa delicta, 4.
deformes Reliquiæ Chriſtianorum, 169.
Remiſſam non habebit, 21.
Remiſſio peccatorum dari poſſit, 123.
Remiſſa peccatorum, 126.
Renaſci in nouam vitam, 2.
Replicatur actio ad imaginem veritatis, 4.
Repoſtus 52. nom. pr. *ibidem*.
Repoſtus Saturnicenſis, 82.
Reſeruetur diſciplina .i. ſeruetur, 22.
Reſeruari Domino in Eccleſ. 74.
Reſeruando homini procurauit Deus .i iterum ſeruando poſt lapſum, 214.
Reſtringere paralyticos, 207.
Reſurrectio Domini matutina oratione celebratur, 197.
Rete Diaboli, 17.
Reualeſcere, 70.
Reuelationes, 212.
Rogatianus, 14.50.52.158.
Rogatianus ep. 107.
Rogatianus presbyter, 160.
Rogatiano, 117.20.
Rogatianus diac. 143.
Romam nauigare, 64.
Romam nauigauerunt, 82.
Romanorum fides, 84.
Romæ in omnib. obſeruantur ea quæ ſunt ab origine tradita, 145.
Romulus paricida, 205.
Romulus, *ibidem*.
Rudis ad Eccleſiam venit, 117.20.
Ruffinus diac. 37.
Ruffinus diac. 46.
Ruina fratrum, 24.
Rumpens aduerſum nos pacem, 145.
Ruſticitas, peritia agrorum colendorum, 74.
Ruſticitatis cultor, 205.
Ruſticus preſb. 146.

S

SABINA, 34.
Sabinarum raptus, 205.
Sabini ep. ordinatio, 114.
à Sacerdotali honore prohiberi, *ibid.* & 115.
Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis delegatur, 114.
Sacerdos, Epiſc. 54.
Sacerdos Dei ſummi Chriſtus, 181.
Sacerdos Dei Epiſc. 21.
Sacerdotio ſuo vicit tyrannum, 68.69.
Sacerdotes à Deo ordinantur, 116.
Sacerdotalis auctoritas, 54.
Sacerdotes Dei & Chriſti ſumus, 105.
Sacerdotes Dei, 67.68.
Sacerdotium Dei, 53.
Sacerdotii vigor, 27.
Sacerdotium glutino concordiæ copulatum, 111.
agere pro Sacerdote, 106.107.
Sacerdotalis cenſura, 79.
Sacerdoralis poteſtas, *ibidem*.
Sacerdotalis grauitas, 57.
quanta Sacerdoti reuerentia, 79.
Sacerdotis latrocinio, 291.294.
Sacerdotes, qui ſacrificia Dei quotidie celebramus, 77.
Sacerdotes Dei, 108.
Sacerdotem Dei agnoſcentes, 117.
Sacerdotalis poteſtas, vigor, 107.108.
Sacerdos Dei Romæ conſtitutus, 68.
Sacramentum vnitatis, 125.
Sacramentum Chriſti, 243.
Sacramentum diuinæ traditionis, 56.
Sacramentorum theſauri, 293.
Sacramentum Trinitatis, 113.
Chriſti Sacramento & ſigno cenſeamur, 204.
Sacramenrum vnanimitatis, 78.
Sacramentum Trinitatis, 196.
Sacramentum vitæ magna breuitate complexus, 195.
Sacramentum orationis Dominicæ, 189.
Sacramenta Dei diſturbat, 185.
Sacramentum calicis, 100.101.
Sacramento vtroque naſcuntur, 111.
Sacramentum & veritatis iura mutilamus, 127.
Sacramenta occulta nudare, 157.
Sacramentum diuinæ traditionis, 132.
Sacramentum æqualitatis, 154.
Sacramentum crucis, 232.
Sacrificia offerre pro def. 111.
Sacrificium ſpiritus contribulati, 156.
Sine ſacrificio venis in Dominicum, 218.
Sacrificandi ſibi licentiam vindicant, 152.
Sacrificauit & exacerbauit Dom. 32.
Sacrificatis in exitu ſubueniri, 70.71.
Sacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus, 188.
Sacrificia offerimus pro martyrib. 48.
Sacrificio & manu ſacerdotis purgata conſcientia, 173.
in Sacrificiis precem cum plurib. facimus, 28.
Sacrificia quotidiana, 219.
Sacrificia Dominica, 151.
Sacrificia diuina celebrare, 112.
Sacrificia matutina, 104.
Sacrificium Corporis & Sang. Chriſt. 100.101.
Sacrificium veſpertinum, 175.
Sacrificatis communicare, 69.
Sacrificare coacti Chriſtiani, 170.171.
Sacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre, 121.
in Sacrificiis Dominicis vinum potiùs offeramus, 103.
Sacrificium pro dormitione eius, 109.
Sacrificia indeſinenter offero, 118.
ad Sacrificia ſacrilegi Sacerdotis ſe miſcere, 113.
in Sactificiis atque orationibus non ceſſantes, 93.
Salario redimendum, 98.
Sales inuerecundi, 291.294.
Saltus ſaltibus continuantes, 5. & 6.
Salutatores, 5.
Sanctificare calicem, 103.
Sanctificatus, remiſſam peccatorum conſecutus, 125.
Sanctificatus, 117.20.

Sanctificati baptiſmo Eccleſiaſtico, 154.
omnes Sancti fratres, 32. 35.
Sanctificat panem, 146.
Sanctum Domini, 176.
Sanctum Domini, caro Chriſti, 181.
Sanguis Chriſti oſtenditur vino, 100. 101.
Sanguis vuæ, 101.
Sanguinem ſuum vinum appellat, 151.
nec poteſt videri Sanguis Chriſti, 100.
Sanguinem ſanguini ſupermiſcent, 198.
Sanguine ſuo baptizatos, 117. 118.
Sanguine baptizatus, paſſione ſanctificatus, *ibidem*.
Satis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus, 149. 150.
Satisfactio pœnitentium, 177.
Satisfactionis preces, 179.
Satisfacere Domino precib. operibus, 21.
Satisfactio pro pec. 74.
Saturninus, 34. 35.
Saturni ærarium, 205.
Saturnino, 117. 20.
Saturninus cum comitibus, 34.
Saturus frater, 78.
Saturus lector, 41.
Saturus Lector, 35. 46.
Saturus, 40.
Scanſus Deus, 205.
Scena, 4.
Scintillæ in arundineto, 159.
Schiſma, 179.
Schiſmata, 186.
Sciſſi, Schiſmatici, 56.
Scorpii in ſicco præualent, 154.
Scripturis ex vtraque parte prolatis, 67.
Seceſſio cauta, in perſecutione, 169. 170.
etiam in Seceſſu, martyrium, & confeſſio nominis, *ibidem*.
Sectatio veritatis, 164.
Sectæ noſtræ. i Chriſt. diſciplinam, 260.
Seculares moleſtiæ, 110. 111.
Secularia opera, 70.
Seculi non Chriſtiani mala, 3.
Seculi finis, 115.
Seculi occaſus, 173.
Secundùm peccata noſtra, 16.
Secundus Dei aduentus appropinquat, 104.
Secundo prælio victor, 171.
Sedatus, 58.
Seditio inter confeſſores, 34.
Seguenſe metallum, 158.
Semen Dominicum, 154.
Semitonſum caput, 156.
Senectus mundi, 198.
Senium æui, 4.
Senio vetuſtatis, 2.
Senſibus magnis locutus es, 157.
prima Dei Sententia, 168.
Senuiſſe iam mundum, 198.
filios apud profana Sepulcra depoſitos, 1:4.
Sepultos cum alienigenis, *ibidem*.
Sepultura Martyrum, 9.
Serenianus præſes in Capp. 146.
Sergio Rogatiano, 158.
Sericæ veſtes, 1-7.
Sermo gratiæ magiſter, arbiter, 206. 207.
Sermo diuinus humanam ſupergreditur naturam, 144.
Serpentinis crinib. pullulantes, 131.
Serpentinus liuor, 232.
Seuerianus, 32.
Sexagenarius virginum fructus, 167.
Sex millia annor. iam penè complentur, 233.
Sexu ſuo fortiores, 159.
Sexus arte mutatur, 98.
Siccitates, 200.
Sidonius conf. 60. 64.
Signifer ſeditionis. 85.
Simiarum more, 122.
Simiatio, ſimulatio, 289.
Simplicitas religioſa, 57.
Simulabo eum viro ſapienti, 179.
Simon Petrus, 9.
Simulatio, ſimiatib, 289.
Sine communicatione decedit, 77.
Soboles ſubciſiua, 232.
Socratis dæmonium, 206.
Soliaſſus, 52.
Soli Deo conſcientiam ſuam debent Epiſ. 43.
à ſingulis in Solidum pars tenetur, 180.
Solus mihi rem communem vindicare non debeo, 30.
Solus Iudex, 41.
Solus reſcribere nihil potui, 13.
Somniator ille venit, 137.
Somnium ſomnians, 54.
Somnio aduerſo territus, 215.
Sophia, 34.
Soranus med. 155.
Soſpitandis hominibus ſalutare lumen, 179.
Soſpitantis Domini verba, 235.
Spectacula, 4.
Spectaculum Chriſtiano dignum, 291. 294. 295.
Spectaculorum vanitas, 220.
Speſina, 34.
Spiritalia agere, 118 20.
Spiritalia furta & adulteria, 105.
Spiritalis ſapientia in ſacram. 103.
Spiritales Dei milites, 48.
Spiritus erratici, immundi, 3.
Spiritum ſanctum auſus ſecum in lupanarium ducere, 291. 294.
Spiritus ſanctus in baptiſmo, 145.
Spiritus ſanctus ad baptiſ. 152. 153.
Spiritus nequam, 146. 147.
Spiritus dæm. 206.
Spiritus ſancti menſura nulla, nullus modus eſt, 3.
in falſis & Spoliatis ſacerdotibus, 116.
Sputamina inſultantium, 223. 224.
Stabilimentum panis, 174.
Stabili confeſſione, 36.
Stabulum à latronibus teneri, 111.
Stamus ad orationem, 195. 196.
Stantes, 15.
Stantes in fide, 18.
Stantium multitudo, ſtantium firmitas, 193.
Stantium plebs, 26.
Stantium firmitas, 19.
Stare ad veniam, 71.
Statius, 32.
Statuit fontem ſiccitas, 198.
Sterilis diues, 217. 218.
Sterilitas ſacrilega, 220.
Stephanus, Iudas, 143.
Stephanus frater noſter, 129.
Stephanus de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, 148.
Stephani audacia, inſolentia, 143.
Stephani obſtinatio, 131.
Stephano fratri, 110.
Stephanum longè poſitum, 114.
Stibium diaboli, 218.
Stipatore numeroſo protectum latus, 6.
Stipatus cuneis client. 2.
Stoici, omnia peccata paria eſſe dicunt, 70.
Strophæ agentium, 291 294.
Studentes luctu, 16.
Studentibus fabulis, 1.
Stupore elatus eſt, 130.

Stupore inflatus, 63.
Stupore elatus eſt, 54.
Sub ictu paſſionis, 108.
Sub ipſa paſſione, 223.
Subdiaconus, 8.
Subitatos eſſe appareat, 92.
Subciſiua ſoboles, 232.
Subitatio inſperatæ ſalutis, 203.
Sublimia verba, 47.
Sublimis ſtatus hominis, 201. 202.
Sublimis ac diuina poteſtas Eccleſiæ gubernandæ, 78.
Succeſſo fratri, 160.
Succidaneus, 98.
Suffocationes impotentium commerciorum, 196.
Summulas ſignificaui, 97.
Sumptus ſuggerendi confeſſoribus Chriſti, 11. 12.
Super petram ſolida ſtabilitate, 66.
Superſtite in dies cruditate ructabant, 106.
Superbia Pupiani, 116.
Supplicia longa vicerunt, 172.
Supplicii terminus, 16.
Surſum corda, 195.
Suſanna pudica, 54.
Suſpendunt pluuias longa ſerena, 197. 198.
Suſpenſus in Deum, 3.
Suſtentatio paſſionum, 157. 158.
Symboli lex, 152.
Simeon iuſtus, 208.
Synagoga hæreticorum, 147. 148.
Synodus Africana, 76.

T

Tabitha, 216.
Tarditas tormentorum, 155.
Tatius, 205.
Tecta frondea, 1.
Temerè data pax, 31.
Tempeſtas vaſtitatis, 17.
Tempeſtiuum tempus, 1.
Templa Dei, 15.
Tempore paſſionis, 194.
Tempora nouiſſima, 115.
pro Temporis conditione, 38.
Temulentus ab aquis, 15.
Terminus ſupplicii, 16. 17.
Terræ molem libratam, 292. 294.
Terræ motus, 146.
Tertullus, 12. 51. 98.
Teſtimoniorum libri, 243.
Teſtis infamat, 5.
Thaſcius Cypr. 115.
Thebanorum germanitas, 206.
Therapius collega noſter, 94.
aliquis Thomæ ſimilis, 48.
Tibiam inflare, 292. 294.
Timor innocentiæ cuſtos, 2.
Timoris obſeruatio, 115.
Timor religioſus, 116.
Timor Dei irreligioſus vacillat, 115.
Timor Chriſtianus, 69.
Timori & religioni congruit, 105.
Tinctio illicita & profana, 146.
Tinctus foris, 118. 20.
Tobiæ patientia, 210.
inter Togas pax non eſt, 100.
Tolerabilis conſcientia, 70.
Tolerabiles rei, 85.
Tormenta ſuperare, 47.
Tormenta venerunt, 27.
Tormenta, 201.
Tormentis tormenta ſuperaſſe, 37.
Tormenta martyrum, 19.
Tormentorum tarditas, 155. 156.
Tormentorum acies, 19.
Torus mollior alto ſinu, 6.
Tractatus noſter, 34.
Tractatus epiſc. 156.
Tractatu cum collegis plurimis habito, 69.
Tractatu habito inter nos. i. concilio, 65.
Tractante me, 161.
in Tractatibus ſeruum contemnunt, 217.
Tractante epiſcopo, 70.
Tractabo cum ſingulis pleniùs, 75.
Traditio de Dominica auctoritate deſcendens, 129.
Traditio Apoſtolica, 125. 126.
Traditio humana, diuina diſpoſitio, 130.
Traditionis diuinæ caput & origo, 132.
Traditiones humanæ, 104.
Traditionis Dominicæ radix & origo, 100. 101.
quod diuinitus inſtitutum eſt, humana Traditione mutare, 104.
Traditiones, 145.
Traditum eſt, 129.
Tragicus cothurnus, 4.
Tranſmarinæ appel. 63.
Tranſcurſu legimus, 144.
Tranſpunctionis ſpiritus, 83.
Tranſuerſariis & compedibus, 155. 156.
Trianfacta, 32.
Trinitas adunata, 126.
Triſmegiſtus Hermes, 206.
Trophimus, 66.
Trophimus ad Eccleſiam admiſſus, 69.
Tunica textilis per totum, 181.
Turba fuit in vno, 113.
Typus futuræ veritatis, 101.
Typum Chriſti gerens Helias, 204.
Tyrannico terrore aduerſus collegas. 281.

V

Vacui, Inanes, 153.
Vacui exeuntes, 25.
Valentinus hær. 131.
Valentinus, 145.
Valeriani reſcriptum ad Senatum, 160.
Vapulabit multis, 16.
Variantur multa pro locorum & hominum diuerſitate, 145.
Varietas terræ, 154.
Vaſtitatis tempeſtas, 17.
Vbicumque quomodocumque baptizati, 1. 6.
Vbi relinquitur? 38.
Vbi erit? Vbi erunt? 127.
Vbi erit? 39.
Velamen capitum ſacrificantium, 169.
Velocitas moriendi, 16. 17.
Venæ pauperes breuiantur in dies, 213.
Venerunt tormenta, 27.
Ventilantur opinionibus, 160.
Ventus aſpirat, 221.
Ventus, 34.
Venus Calua, 205.
Verecundiam paſſa plus interdixit quia tacuit, 293.
Spiritus ſancti Veritatem tenere, 112.
Veritas rudis, 2.
Veritatem ſequi oportet, 104.
Vernaculis & propriis, 2.
Vernaculi Dii Rom. 204. 205.
Veſpera vrgente, vergente, 171.
Veſtem à fullone curatam, 25.
Veſtigium infantis exoſculari, 95.
Veſtitus Chriſtus in viduis quas veſtiuerat Tabitha, 216.

Vexare quomodo triticum, 18.
Viæ inſidioſæ, 5.
Vicarius & ſucceſſor, 112.
Vicarios pro me miſeram, 51.
Vices poreſtatum, 205.
Vice paſtoris, 8.
nullam Vicem pro injuria reddimus, 204.
Victorinus, 33.
Victor Geminius frater noſter, 109.
Victori, 96. 117. 20.
Victori Ep. 94.
Victorius Herennianus, 158.
Victor, 33. 51. 98. 155. 157.
Victoria, 30.
Viduus Deus, 205.
Vindemia indulgente, 1.
Vinum ſi deſit calici, 100.
Vinum fuiſſe, quod ſanguinem ſuum dixit, 102.
Virgines dicatæ Chriſto, 236.
Virgines cum maſculis dormire, 99.
Virgines diligenter inſpiciantur ab obſtetricibus, *ibidem*.
Virgo in vterum accipiet, 19. 20.
Vir vltra muliebrem mollitiem diſſolutus, 291. 294.
Virum fregit in fœm. 4.
Viſio Cypr. 22.
Viſio voluptaria, 1.
Viſio Cypr. 16. *& ſeq.*
Viſio, 212.
in Viſione dictum eſt, 16. 17.
ad Viſionem erunt vniuerſæ carni, 205.
Viſiones cordis, 54.
Vita virtutum, 1. & 2.
Vitea porticus, 1.
ne Vlterius inquietarentur, 42.
Vltronea voluntas, 100.
Vmbram ſacerdotalis nominis, 116. 117.
Vnanimitas Chriſtiana, 181. *& ſeq.*
Vngitur baptizatus, 117. 20.
Vngulæ laniantes, 19.
Vnitas Eccleſiæ, 179.
Vnitas Eccleſiæ ſacramentis cæleſtibus cohærens, 181. 182.
Vnitatis Eccleſ. origo, 180.
Vnitatis origo ſuper Petrum, 118. 20.
Vnitas Eccleſiæ, 68.
Vnius domus conſortium noſſe, 181.
Vnum Epiſcopum in Eccleſ. cathol. 60.
ſuper Vnum ædificat Eccleſiam, 180.
totus populus Vnum ſumus, 189.
in Vno turba erat, anima & mente vna agebant, 221.
Voce publica conteſtari, 37.
Vocis tragicæ inſanias, 291. 294.
Volubilis ambitio, 2.
Voluntas obeundi martyrij, 20.
Voluptaria viſio, 2.
Voluptabile, 143.
Vranius, 34.
Vrbanus Conf. 60. 61. 64.
Vrbici confeſſores & clerici, 53.
Vrgens exitus, 46.
Vſurpatum diu, 2.
in Vterum accipiet virgo, 20.
Vterus vxoris calce percuſſus, 63.
Vticam perducendus Cyprianus, 161.

X

XIſtus in cœmeterio animaduerſus, 160.

Z

ZElare quod bonum videas, 228.
Zetus Epiſc. 62.

INDEX
IN OBSERVATIONES AD CYPRIANVM.

ABDVCERE in hoſpitium, 262. 20.
Abigeatam ouem, 119.
Abrahæ ſinus, 79.
Abſtinete ab idolothytis & ſang. 281.
Accedere ad mulierem, 272.
Accepta facere, 44.
Accerſitio, mors, 33.
Accerſitionis propriæ dies, 2'2.
Accerſitio vicina, 208.
Accipere & ſumere quomodo diſtinguantur, 226.
Actus noſtri ratio, 26. 27.
Actum ſuum diſponit vnuſquiſque Epiſcopus, 72.
de Adjuratione, 201.
Adorare idem quod orare, 195.
de Adulterio leges Romanæ, 99.
Adulterium vultus & adulterium caſtitatis, 146.
Aduocatione fungantur, 45.
Ægyptiorum deorum monſtra, 200.
Æterni peccati reus, 271.
Æternum peccatum, idololatria, 21.
Affectione, non poteſtate, 163.
Africa cur vocata Proconſularis, 28.
Africa populorum & oppidorum nomina, ineffabilia, præterquam in eorum lingua, 286.
Agape Dei, 261.
Agape, 263.
Agape, caritas, 274.
Agon Chriſtianorum cum certaminibus Gentilium comparatus, 20
Agonis ictus, 160.
Agon quotidie celebratur, 66.
Agrippinus Carthag Ep. 122.
Alienus eſſe non poteſt, 186.
Alimentarij in Eccleſia, 98.
Altare & ſacrificia, 122.
Alterutrum onera ſuſtinete, 264.
Alterutrum ad ſe venientes, 129.
Altior locus, 49.
Alto collo ambulare, 165.
Altus ſuper altos, 79.
Ambitio volubilis, 2.
de Ambone recitare, 47.
Amiſerunt paruuli baptiſma, 159
Amiſſo diaconio, 63.
Amor patrimonij, 171.
Amphiteatro impietas attributa, 4.

Amplior locus, 50.
contra Anabaptiſtas caput notandum, 253. 271.
Anaxilai luſus, 142.
Angentibus preſſuris, 88.
Angentibus peccatis, 93.
Anguſtauerunt, 269.
Animaduerſi, 117.
Animaduertantur, 159.
Annus magnus quot annis conſtet, 198.
Anteceſſores Epiſcopi, 8.
Antichriſti aduentus, 85.
Antichriſto appropinquante, 93.
Antrum Iouis, 104.
Anubis Latrator, 200.
Apelletiani, 123.
Apes habent regem, 117.
de Apocalypſi, 269.
Apollo cur dictus Paſtor, 203.
Apollonij miracula, 129.
Apoſtoli & diſcipuli à Domino baptizati, 135.
ab Aquis temulentus, 15.
Arbitrij ſui libertas, 129.
Arca Eccleſ. 50.
Arca Noë, Eccleſia, 132.
Arceſſitio, mors, 33.
Ardor perſec. 88.
Arelatenſis ciuitas vnde ſic dicta, 111.
Arma honoris, 114. 121.
Arma Dei induere, 274.
Arnobius emend. 3.
Arrogatas malitias, 223.
Artes indignæ Chriſtiano, 51.
Aſtronomiæ certitudo quot annis poſſit comparari, 198.
Auctor pro fautore & propagatore, 78.
Auctoritas cathedræ Epiſc. 108.
Audientes catechumeni, 25.
Audientiam facere, 222.
Auditus gratiæ ſpiritalis, 179.
D. Auguſtinus quid ſenſerit de Baptiſmo hæreticorum, 125.
de Auribus perforatis, 165. 166.
Authentica epiſtola, 10.
Autumna fœcunda ſunt, 198.

B

Balneum viris & mulieribus commune, prohibitum, 167.
de Baptiſmo Hæreticorum quid ſenſerit Cyprianus, 118. 20.
Baptiſmus in nomine Chriſti, an valeat, 126.
Baptiſma ſalutis & honoris, 140.
Baptiſmus ſine aqua, 135.
Baptiſmus infantium, 94. *& ſeq.*
Baptiſmum Chriſti ſoli juſti poſſident, 186.
in Baptiſmo interrogatus, 117. 20.
Baptiſma Dominicum, 134.
Baptiſmata, 128.
Baptiſmus mundi, 131.
Baptiſterium mater adoptionis, 117.
Baptizari à mortuo, 119.
Baptizatus Spiritu ſancto ſine aqua, 125.
Barba Herculi deraſa, 12.
Barba nuntiorum Dauid per contumeliam ab vna parte raſa, 156.
Barba in viris corrupta, 170.
Barbæ ſtudium in viro à Tertulliano deſcriptum, 170.
de Barbæ corruptione iterùm, 177.
Balabundas oues, 57.
Benedictus Cyprianus, 8.
Benedictus Papa, *ibdi.*
Bibere ſpiritum, bibere judicium, 90.
Bilingues, 262.
Breuiarium pro oratione Dominica, 189.
Buccinare, tumultuare, 270.

C

Cadauer corpus, 239.
Calor fidei, 34.
Calidus fide, *ibid.*
Caluini ſtupiditas & inſcitia, 131.
de Cantu Eccleſiaſtico, 188.
Capite peccas, 166.
Capitolium, 9.
Capitolium pro aris deorum, 171.
Caro Chriſti, 81.
Caro communis, 209.
Caroloſtadij ſtupiditas & inſcitia, 131.
Caſtitas cur ſit in viduis laborioſa, 227.
Caſus, ruina, caducarij, 175.
Cataphryges, 146.
Cataſta, 47.
Cataſta, mart. *ibid.*
Catechumeni, 9.
Cathedræ Epiſcopalis auctoritas, 108.
Cathedra ſuper Petrum, 54.
Cathedram vnam conſtituit, 180.
Catholicæ Eccleſiæ vnus Epiſcopus, 68.
Cenſura Dei judicis, 176.
Cenſetur Chriſti paſſione, 211.
Cenſus ſui ſerui, 217.
Centenarius martyrum fructus, 123.
Cerdon hæreticus, 130.
Character hæreticorum, 183.
Chriſtiani laſciuientes, 15. jam non Chriſtiani, *ibid.*
Chriſtiana fides, 2.
Chriſtiani, genus morti expeditum, 14.
in Chriſti nomine, in Chriſti veritate, 126.
Chriſtiani factioſi & inquieti, 11. 12.
Chriſti venientis cibus, 154.
Chriſti magnalibus obtrectantes, 229.
Chriſtus eorum qui corpus eius contingunt, panis eſt, 192.
de Chriſti patientia, 223.
Chriſtiani turbulenti, inquieti, 13.
Chriſti caro, 81.
Chriſtus ſe ipſe docuit nos, 137.
Chriſtum ſcire, *ibid.*
Chriſtus panis, 192.
Chriſtus qui & petra, 102.
Cibi fortiores, 4.
Cibi innocentes, 98.
Cibus ſalutis, 192.
Cibus Chriſti venientis, 154.
Cibus Chriſti, voluntas Patris, 276.
Cinericius panis, 218.
Circo impietas attributa, 4.
Cirrus *pro* cincinno, 274.
Ciuitas cæleſtis, 38.
Claritas, fortitudo, 251.
Clauduntur terræ, 242.
Claues communicandas cæteris Petrus accepit, 180.
Claues regni cælorum, 125.
Clerici an poſſint fieri tutores, 109.
in Clerum aſſumpti conjugati, 64.
Clero proximi, 35.
Clerus Rom florentiſſimus, 87.
Clerus ſede vacante, 8.
Cleri Chriſtiani, 10.
Clerus Rom ſede vacante, 8.
Clerus, Clerici, 7.
Cleri Moſaïci, *ibid.*
Clinomeni Clinici, 9.
Clipei cum imaginibus, 121.

hominem non Cogitant, 21.
Cohors candida, 169.
Colyphium, 20.
Collega, de Epiſc. Rom. 10.
Colligere, 57.
Colligendis fratribus, 69.
Collyrio Chriſti, 218.
Commeatu accepto poſt gloriam confeſſionis, 20.
Commeatus, 48.
Commeatus pro liberatione à morte, 212.
Comeſtura, 77.
Comeſtura exterminat, 216.
Committuntur gladiatores, 22.
Commodianus, 214.
Commodiani inſtitutiones, 221.
Commoritur liberis ſuis, 241.
vt ſibi vel laïco Communicare liceret, 114.
Communicet vt laïcus, 69.
de Communione ſub vtraque ſpecie, 173.
Communio olim quotidiana, 192.
Communis caro, 209.
Communicaturus in monte ſecum, 52.
Compenſare mercedem ſuam, 273.
ad Complexum & oſculum Domini, 29.
Compreſbyteri Epiſcoporum, 13.
Conceptus in facinore, 275.
Conceptio pernicioſa, 211.
Conceptio pro cogitationis ad effectum perducendæ conſilio, 211.
Confeſſio florida, 32.
Confeſſionis dignitas, 44.
Confeſſio exordium gloriæ eſt, 186.
Confeſſio Communione præmittenda, 173.
Confeſſores, Martyres, 44. 51.
Confeſſores boni & mali, 15.
Conſcientiam Deo ſoli debere, 43.
ad Conſcientiam appellare, 199.
Conſiſtentes in plebe &c. 24.
Conſuetudinem opponunt qui ratione vincuntur, 125.
non Conſuetudo, ſed veritas, 104.
Conſuetudo vicit, 119.
Conſuetudo ſine veritate, 112.
de Conſuetudine præſcribere, 119.
Conſummatio honeſta, martyrium, 10.
Contrarii Legis, 284.
locum Contradictioni non quemlibet, 154.
Contrectanda virginitas, 167.
Contumeliarum tolerata ludibria, 213.
Conuiuendum bonis, 261.
Conuenæ temerarij, 182.
Copioſum corpus Epiſcoporum, 111.
Copulati pedes, 238.
Corban non reſpicis, 218.
Cordis, non vocis, auditor eſt Deus, 188. 189.
Coronas veſtra manu fertas, 36.
Corona purpurea & candida, 20.
Corporum cura, 51.
Corpus Epiſcoporum, 111.
Corpora athletica, 4.
Corpus Chriſti cenſetur, oſtenditur, exprimitur, 101. *& ſeq.*
Corpus Domini, Euchariſtia, 90.
quantum ſe Credit accipere qui ſumit, 19.
ad Credulitatem accedere, 157.
Crimen principale, 205.
Crimen ingens & immenſum, 41. *Vide*, Æternum peccatum,
Crines cur torqueantur, 165.
Crucis ſignum, ſacramentum, 257.
Crux homines liberatura ab Angelis diaboli, 169.
Crucis ſacramentum, 232.
Cruditas paſſiua, 39.
Cruditates ſuas poſtridie ructat, 177.
Cruditas ſuperſtes, 106.
Cura corporum, 51.
Cyprianus benedictus, 8.
Cypriani prudentia, 12.
Cypriani ſeceſſus, 8.
Cyprianus vt pſeudo-Chriſtus & pſeudo-Apoſtolus & doloſus operarius, 153.
Cypriani dictio, 1.
Cyprianus regulæ Apoſtolicæ ſectator, 204.
Cypriani bona proſcripta, 80.
Cypriani vitæ inſidiati quinque Preſbyteri, 53.
Cyprianus, qui & Thaſcius, 116.
Cyprianus quando fuerit paſſus, 160.
Cyrus Rex Perſarum, 247.

D

DÆmones ejecti de corpore hom. 3.
Decimæ, 109.
Decius Imperator in lapidem offenſionis impingens, 168.
Decreta cæleſtia, 43.
Deformatio religionis, 184.
Defuncti orant pro nobis, 214.
Defunctorum corpora lauandi mos vetus, 216.
Dei judicio reſeruatus, 62.
Deifica diſciplina, 63.
Delicta religioſa, 4.
Delictoribus grauiſſimis, 95.
Delictor, deſertor, 41.
Deprehendi, laſciuientium eſt, 163.
Detrectatione maligna debilitat, 169.
Deum de ſuo rogare, 189. i. oratione Dom.
Deus in ſenſu adorandus, *ibid.* & *διανοίᾳ.*
Deo ſoli debere conſcientiam, 43.
Dei judicio reſeruare, *ibid.*
Deo judici reſeruare, 70.
Deus nullum habet nomen proprium, 206.
Diabolus cur ſerpens cognominatus, 179.
Diacones, 10.
Diaconio amiſſo, 63.
Diaconos Apoſtoli conſtituerunt, 108.
apud Diaconum exomologeſis, 25.
Dialogus, 1.
Dictio menſurnantium, 41.
Didda pagus in Dioceſi Carthaginienſi, 40.
de Die, 61.
Dies ſecnlares, 95.
Dies qui adſignat ſingulos domicilio ſuo, 212.
Digeſto errore, 119.
Dignatio diuina, 49.
Dignitas confeſſionis, 44.
Dij à gentibus, 245.
Diſciplina Chriſtiana corrupta, 169.
Diſciplina & habitus virginum, 161.
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ tenax Cyprianus, 41.
Diſciplinæ vocabulum quid ſignificet apud Tertullianum, 162.
Diſcordia non venit ad regnum Dei, 195.
Diſcriminalia, 165.
Diſponetur bene, 159.
Diſponemus in commune, 161.
Diuidere plebem cum Epiſcopo, 51.
Diuina miſericordia poteſt medelam dare, 24.
Doleſcens, 3.
Domicilio ſuo ſingulos adſignat dies, id eſt, vitæ vel morti æternæ, 213.
Dominatio expugnatoria, 201.
ad Domini complexum, 29.
Dominica Philoſophia, 92.
Dominicum celebrare, 218.
Dominicum pro Templo ſiue Eccleſia, *ibid.*

Domus Dei Eccleſia; 121.
Donatus, 1.
Ducenarius procurator, 114.
Duriſſimi homines, 113.

E

Eccleſia ſuper Petrum, 118.
Eccleſia mater, 25.
Eccleſia ſuper vnum fundata; 125.
Eccleſia principalis, 58.
Eccleſia principalis, 84.
Eccleſia erubeſcit apud Gentiles, 25.
Eccleſia ſupra Petram ſolidata, 148.
Eccleſiarum auctoritas venerabilis, 133.
Eccleſiarum omnium ſollicitudo, 67.
Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem, 58.
Eccleſiæ vnitas, 179.
Eccleſiæ auctoritas, 48.
Eccleſiaſtici liber Salomoni attributus à Cypriano, 249.
Ecſtaſis, 16.
Ecſtaſis puerorum, 21.
Eleazarus, 241.
Elementorum ſeruitia, 222.
Eloquentiæ vires, 2.
Epictetus Epiſcopus Aſſuritanus, 105.
Epiſcopatus vigor, 78.
Epiſcopi vrbium clariſſimarum, 143.
de Epiſcopo iam nec laïcus, 63.
Epiſcopi poteſtas, 108.
Epiſcoporum collegium, 111.
Epiſcopi an poſſint fieri tutores, 109.
Epiſcopus Epiſcoporum, 281.
Epiſcopus quiſque actum ſuum diſponit, 72.
Epiſcopor. Rom. ſucceſſiones, 130.
Epiſcopo tractante, 70.
Epiſcopi deprauati, 170.
Ἐπιστῇ, reſpectus, 159.
Epiſtola, 1.
Equulei & vngulæ, 171.
Eraſmus notatus, 54.
Errones, erratici ſpiritus, 3.
Errore digeſto, 119.
Errores ſciſſi, 56.
Erubeſcit Eccleſia apud Gentiles, 23.
Eructuauit, 259.
Etecuſa, 32.
Euangelicus vigor cecidit, 115.
Euangelici ſacramenti vnitas, 65.
Euariſtus factioſus, 61.
Euchariſtiam manu accipere, ore ſumere, 90.
Euchariſtia per ſanctum canibus non dandum intellecta. 197.
ad Euchariſtiam ſumendam quinam ius habeant, 192.
Euchariſtia, poſt cœnam, 104.
Euchariſtia, oleum ſanctificatum, 121.
Examinabuntur ſingula, 24.
Exceſſus, pro morte, 10.
Exordium gloriæ confeſſio, 186.
Excitari de preſbyterio, 64.
Exibitionem & tegumentum, 217.
Exhibitionem habentes, 193.
Exempla quæ fuerunt facinora, 4.2.
Exhortatio Martyrii, 233.
Exigua ſtantium firmitas, 18.
Exomologeſis & quid in ea obſeruatum. 22.
Exomologeſis pro quo ſumatur apud Cyprianum, 25.
Exomologeſis, 99.
Exomologeſis apud diaconum, 25.
Exomologeſi facta, 280.
Exomologeſin malo quàm mortem, 281.
Exorcizat, 282.
Exorciſtæ vocati adiurantes, 201.
Exorcizati dæmones, 34
Exorciſmi voce humana, poteſtate diuina, 154.
Exploratio pectoris, 18.
Exponere, deponere, exuere, 2.
Expoſitis peccatis, 150.
Expuncta morte, 225.
Expungere neceſſitates, 51.
Extorres obiurgati, 15.
Extorris, 47.52.
Exuenda de incendio ſarcina, 99.
Exuere de faucibus, 97.

F

Fabulæ ſtudentes, 1.
Faciens cum vitiis, 5.
Factioſi & turbulenti Chriſtiani, 11.
Faſti Eccleſiæ municipalibus ſolennitatibus gentilium oppoſiti, 51.
Fauſtinus preſb. 110.
Felicitas æterna præſens martyrib. 29.
Fidei calor, 34.
Fidentibus, fidelibus, 211.
Fide Chriſtiana, 2.
Fides aliqua ſcabra, 136.
Firmilianus Cappad. ep. 143.145.
Flagitatus ad necem Cyprianus, 13.
Flammei capilli, 166.
Florentiſſimus Clerus Rom. 87.
Florida confeſſio, 31.
Floridam vocem, 36.
Floridi martyres, 31.
Florida Apuleii, *ibidem.*
Floridus calor, *ibidem.*
Fomenta ſuſpirandi, 164.
Forenſis enercitii venalitas, 5.
Foris, extra Eccleſ. 125.
Frater ſchiſmaticus, 116.
Fraternitati connexæ, 58.
Frumentarii, 160.
Fuga in perſecutione, 8.
Fuga in perſecutione licita, imò & quodammodo imperata, 171.

G

Galbæ caſtrum, 283.
Geometriæ certitudo quot annis poſſit comparari, 198.
Germanitas Thebanorum, 206.
Gladiatorum plura genera, 4.
Gladius ſpiritalis, 100.
Gradus preſbyteralis ſubditus epiſcopali, 21.
Gradus cathedræ ſacerdotalis, 63.
Grandiores fabulæ, 40.
Grandia verba, *ibidem.*
Granditer operari, *ibidem.*
Gratiam non dari ſecundùm merita, 190.
Gratioſa deprecatio, 27.

H

Habitus muliebris duplex ſpecies, 163.
Hæreſum & ſchiſmatum origo, 179.
Hæretici in ſemetipſos ſententiam ferunt, 145.
Hæreticorum maledicentia, 78.
Hæreticorum technæ & artes, 18.
de Hæreticis an poſſit ſumi ſupplicium, 236.

Hiſtriones apud Romanos infames, 97.
Holocauſta hoſtia, 169.
Hoſtia holocauſta, 242.
Humana Eccleſia, non diuina, 109. 113.
Humana & nouella inſtitutione, 90.
Homines non tam in mundum editi, quàm eiecti, 225.
Hoplomachi, 4.
de Horarum Canonicarum inſtitutione, 196.
Humana crudelitas, 77.
Humana traditio, non diuina, 145.
Humani errores, 115.
Humanum odium, 193.
Humilitatis chriſtianæ certamen, 33.
Humilitas Chriſtiana, 135.
Hyginus ep. Rom. 130.

I

IACENTES, lapſi, 169.
Ianſenius electus Gandenſis, 38.
Iactu retis operire, 17.
ſub Ictu agonis, 160.
Idololatria peccatum æternum, 21.
Ieiunet à ſalute, 192.
Ieiunio attenuante, 39.
Illapſa firmitas, 3.
Illuſtrata membra baptiſmo, 15.
Imago ſacrificii Dom. 101.
Imago Dominicæ paſſionis, *ibidem.*
Imbuere clauem, *ibidem.*
Imbuere certamen, *ibidem.*
Impedimentum ſcholaſtici in matrimonio, 170.
Impietas maxima, 4.
Imprimere litteras, 205.
Impune futurum, 240.
Inamaricare, 256.
Inaudiens, 258.
Incrementum pœnæ propagantis, 206.
Indeliciatæ viduæ, 281.
Induere arma Dei, *ibidem.*
Induere Chriſtum, 151.
carnem Induitur Spiritus ſanctus, 207.
Indulgentiæ vox quo ſenſu olim vſurpata, 42.
Indulgentia pœnitentiæ, 9.
Infantes recens natos oſculari, 95.
Infantium baptiſmus, 94.
Inferi, 79.
Inferi, 74.
tam Ingenti & immenſo crimine, 41.
Infinitiui pro præteritis, 171.
Innocentes cibi, 98.
Innocentiæ quis ſit cuſtos, 3.
IN PACE, 81.
In pace vincentibus, 221.
Inſolentia abiicienda vbi requiritur humilitas, 188.
Inſtar, 124.
Intercedere precibus, 54.
Interceſſio, prohibitio, 99.
Interrogatio in baptiſmo, 117. 20.
Inuidiam faciunt, 26.
Iudex Epiſcopi, 80.
Iudicum prauitas, 5.
Iudiciorum publica merces, 3.
Iugum imponere, ſarcinam Legis Moſaicæ, 281.
Iuppiter Pappeus, 8. 2.
Iuſtos ſolos baptiſmum Chriſti poſſidere, 286.
Iuſtificati ſermonibus ſuis, 31.

K

KEmnitij imperitia, 131.

L

LAcus qui non portant aquam, 117. 20.
Lacrymis initiatur homo, 225.
Lætitia pro morte, 209.
Laïci in Conciliis, 45.
Laïci ſtantes, *ibid.*
Lamentanda conditio, 94.
Laminas aurium pertundere, 166.
Laniena grauior, 19.
Laniſtæ Gladiatorum magiſtri, 4.
Lares in Numidia, 285.
Largitas operationis, 187
Lateat calorem eius, 256.
Lateri iunctos, 62.
Latitudo pectoris ſancti, 158.
Latro in ipſa paſſione credens, 128.
Latro ſanguine baptizatus, *ibid.*
Latus pernicioſum fugiant, 64.
Lauatio pudica, 167.
Laudandus ante mortem nemo, 13.
Laxamentum martyrij, 141.
Lazarus apud inferos, 79.
Lector in Eccleſia, 35.
Lectoris ordinatio, 47.
Leuari aduerſus ſe æmulum principem, 68.
Leuitarum tyrannis, 7. 10.
Libelli pacis olim apud Chriſtianos, 24. 27.
Libelli occaſio, 69.
Libellatici, libellati, *ibid.*
Libellatorum tria genera, 43.
Libertati ſuæ relictus homo, 81.
ad Libidinem oculi curioſi, 167.
Libram gubernandæ Eccleſiæ tenent Epiſcopi, 110.
Librare, 57.
in Ligno ſpes, 155.
Lignum mittamus in panem, 256.
Limare, 12.
Lineamenta fidei, 244.
Litteras imprimere, 205.
Loci conditio, 11.
Locus Epiſcop. 61.
Locus altior, 49.
Locus amplior, 50.
Longa ætas, 122.
Longa medicina, 178.
Longum tempus, decem anni, 82.
Longinquare, elongare, 256.
Ludus gladiatorius, à Conſtantino interdictus, 4.
Lumen comparatione tenebrarum fit clarius, 227.

M

de MAchabæorum libris, 263.
Magiſteria diuina, 164.
Magna viuimus, 222.
Magnalibus Chriſti obtrectantes, 229.
Magnanimitas pro longanimitate, patientia, vel bonitate, 192.
Majeſtas Eccleſiæ Catholicæ, 81.
Majeſtas plebis Chriſtianæ, 86.
Maledicere Chriſto, 209.
Malitias irrogatas, 223.
Manus Dei recentis, 96.
Manus impoſitio in bapt. 135.
Manu impoſita, 26.
in Manus olim traditum corpus Domini, 175.
Manuum elatio temperata, 188.
Marcion interfector veritatis, & ſceleſtiſſimus hominum, 123.
Martyribus patent cæli, 88.
Martyres fiunt etiam in pace, 221.

Martyres vani, otioſi Chriſto, 214.
Martyri præſens felicitas, 29.
Martyrij dignitas, 116.
Martyrium tollere, 214.
Martyri corona purpurea, confeſſori candida, 20.
Martyres inter & Confeſſores differentia, 19.
Martyrologiorum origo, & primus author, 51.
Mater Eccleſia, 23.
Matricula neceſſitatum, 51.
Matrimonij vinculum cum infidelibus, an ſit licitum, 170.
Matrix Eccleſia, 58.
Mauritaniæ duæ, 59.
Melchiſedecis ſacrificium, 101.
Melloproximatus, 35.
Membra Chriſto dicata, 97.
Menſurnæ diuiſiones, 49.
Menſurnantium dictio, 41.
pro Meritis operum elegans locus, 173.
Metator antichriſti. 33.
Metatura, 245.
Metus innocentiæ cuſtos, 3.
Mileuitanum Concilium, 284.
Mimi, capita ignominioſa & famoſa, 98.
Miniſtrare preſbyterium, 31.
Minori clero, 138.
de Miſſis priuatis & ſolemnibus, 175.
Mirmillones, 4.
Modeſtia ſupplicationis, 188.
Monachi an poſſint fieri tutores, 109.
Mœchis pacem dare, 72.
Mœchi cauſa peior quàm libellati, 74.
Mogilalum & ſurdum, 238.
in Monte communicare, 52.
Mora ipſa paſſionis, 28.
Moriente ſæculo, 88.
Morientibus ſubuenire, 75.
Mors prima & ſecunda, 215.
Morte expuncta, 225.
Mortis nomen odioſum Chriſtianis, 10.
Mortalitas ingens, 208.
Mortalitas pro peſtilentia, ibid.
de Mortali, ibid.
Mortalitas ad quid proſit, 211.
Mortui qui non Chriſtiani, 119.
Moyſes & Maximus Epiſc. 28.
Mulcedo religioſa, 7.
ad Mulierem accedere, 272.
Multa ſoluentes animas, 70.

N

Natalia Sanctorum, 48.
Natiuitate gratiæ ſpiritalis reparati, 189.
Naturæ quod debetur parum eſt, 193.
Naufragio conjungitur nauis ſaxo, 209.
Ne ſe offerat vltrò gentilibus, 161.
Neceſſitas, 69.
Neceſſitas temporum, 30.
Neceſſitas in bapt. 135.
Neceſſitas quæſita, 39.
Neceſſitas, preſſura, 11.
Neceſſitatum matricula, 51.
Negantibus dies præſtitutus, 169.
Negotia finienda vbi orta ſunt, 85.
Negatores, 170.
Neruus tortorum inſtrumentum, 48.
Nicoſtratus plurium criminum reus, 63.
Nimietate præſtandi, 139.
propter Nomen occiſus, 70. 75.
Nomina adulterat, 150.
Nouatus, 28.
Nouatus in Concilio damnatus, 67.
Nouatus, Nouatianus, 62.
Nouatianus Eccleſiæ Romanæ Preſbyter, 55.
Nouatiani hæreſis, 74.
Nouellitas, poſteritas, 120.
Nouelli & poſteri, ibid.
Numerus impudens nihil valet, 38.
Nubere & nuberi, 372.

O

Oblatio ſanctificatur, 105.
Oblatio memoriæ orationis noſtræ, 210.
Oblationes & ſtipes deſiderant, 106.
Obligati pedes, 238.
Obſeruati pueri à muliere, 272.
Obſeruatio ſolenniſſima, 133.
Occaſus ſæculi, 12.
Occidere non licet, 88.
Occupare baptiſma, 118.
Oculi paricidæ, 4.
Oculi procaces, 167.
Oecumenicus rector, 117.
Offertura erroris, 284.
Offerre oblationes, 40.
Offerre nomen, 21.
Offerre nomina, 97.
Oleum ſanctificatum, euchariſtia, 117. 20.
Omnem viduam non vexabitis, id eſt, nullam vex. 281.
Omnimodo fides annuntiatur, 125.
Omnis ſermo non procedat de ore veſtro, 57.
Operari granditer, 40.
Operatio aſſidua & jugis, 214.
Operatio pro virtute Auaritiæ contraria, 214.
Operatio erroris, 83.
Opiliones Chriſti, 7.
Oratio pudica, 2.
Orationis Dominicæ excellentia, 187.
Orationis Dominicæ ſecunda petitio tertiæ poſtpoſita, 191.
Oratio jeiunio comite commendata, 196.
Oratio Imp. 160.
Orbana, 205.
Ordinationes ſacerdotales, 113.
Ordines Eccleſiaſtici, 7. 8.
Origo Dominica & Euangelica, 132.
Oſtendit Dominus in ſom. 50.
Oſtenſionibus crebris, 76.
Otioſi Chriſto, 214.
Oues balabundas, 57.

P

Pacem des in nomine meo, 33.
Pacifici Chriſtiani, 56.
Palabundas oues, 57.
Palabundi, errantes, 60.
Palma, alapa, 15.
Palmatus paries, ibid.
Panis ἐπιούσιος, 192.
Panis frumentarius olim in Eccleſia Latina adhibitus, 218.
Panis cinericius, ibid.
de Pane qui poſtulatur in oratione Dominica, 192.
Panis Chriſtus eſt, ibid.
Papa benedictus, 8.
Papam Romani vocant Epiſcopum Carthagin. 46.
Papæ nomen Epiſcopis tributum, 8.
Papa quaſi pater patrum. ibid.
Papæ vocabulum, 8.
Papatus, 11.
Pappare, 8.
Pappare Cypriano, 29.

Parabolani, præcipites Chriſtiani, 29.
Parricidæ quinam ſint, 224.
Parricidæ oculi, 4.
Pars, & hoc vocabulum pro Schiſmaticis vſurpatum, 56.
Paruuli in parentibus amittentes, 171.
de Paruulorum communione, 175.
Patientia charitatis comes & velut ſubſidium, 226.
Patientia & pœnitentia, 173.
Patientia Philoſophiæ præceptum, 222.
Patrem cur vocemus Deum, 189.
Patrimonij amor quomodo multos decipiat, 171.
Patronorum fraudes, 5.
Paulianiſtæ, 146.
de Paupertate voluntaria locus inſignis, 172.
de Paupertate voluntaria iterùm, 178.
Pax poſt exomologeſim danda, 34.
Pax olim apud Chriſtianos quidnam, 23.
Pax Eccleſiæ durante Fabiani Pontificatu, 169.
Pax à quibus danda, 42.
Pax longa corruperat diſciplinam, 169.
Peccas capite, 166.
Peccata in Deum an Eccleſia remittat, 21.
Peccata in fratrem omnia remittentur, *ibid.*
Peccatum æternum, *ibid.* & 23.
Peccatum grauiſſimum atque extremum, 23.
Pectoris exploratio, 18.
Pedes copulati, 238.
Pedes obligati, *ibid.*
Pejetarium, 33.
Pejor adultera, 166.
Perditi, ſcelerati, 206.
Peregrini Epiſcopi, 46.
Perpetuitas petendo panem quotidianum poſtulata, 192.
Perſecutio repentina, 93.
Perſeuerantiam eſſe donum Dei, 190.
Perſonas accipientes, 24.
Peruicacia Hæreticorum in quo ſit ſita, 145.
Petitor improbus quis ſit, 193.
Petra Chriſtus, 102.
Petrarium, 33.
Petri prædicatio, 142.
ſuper Petrum fundata Eccl. 240.
ſuper iſtam Petram fund. Eccl. 39.
ſuper Petram fundata, 29.
Petri archipœmenica, 1.
Petri archipœmenica, 1.
Petrus Petra, 284.
Petrus πρωτόκλητος, 120.
Petrus ſacramentum vnitatis, 180.
Petri fuga, ſeceſſus, 9.
Petro promiſſæ claues, 120.
Petrus ad Ponticos, 273.
Eccleſia ſuper Petrum ædif. 120.
Petrus à Petra, 118.
multas alias Petras inducit, 148.
Philoſophia Chriſtiana, 92.
Picrides, 254.
Piſcator hominum Chriſtus, 17.
à nobis & à Plebe, 55.
Plebis teſtimonio & judicio, 56.
cum Plebe ipſa vniuerſa, 41.
Plebe præſente examinabuntur ſingula, 24.
Plebem diuidere cum Epiſc. 51.
Plebis conſenſus in rebus Eccleſiæ, 14.
Plebs à præpoſito ſeparare ſe debet, 113.
Plus cadunt, 21.
Pluſquam poſtulant tempore largiente, 33.
Pœnitentia, 30.
Pœnitentiæ dolore facti fortiores, 92.
de Pœnitentiis olim publicis, 173.
Pœnitentia plena tribus conſtans, 177.
Pompeius Epiſc. Sabratenſis, 129.
Pontius ſcriptor vitæ Cypr. 161.
Portante flatu, 204.
Portenta prodigia, 239.
Portatur caro iſta communis, 209.
Portio gregis Eccleſ. 84.
Poſt baptiſmum nulla ſit venia vltra delinquere, 56.
de Præfatione Miſſæ, 195.
Prænouitas, 184.
Præſagia diuina in ſomniis, in furore, 22.
Præſentare, 8.
Præpoſitorum negligentia, 25.
Præpoſiti, 10.
Præſidentes Epiſc. *ibid.*
Præſident majores natu, 145.
Prætermittere, ignoſcere, 261.
Præuaricator, quis ſit, 212.
Precem cum pluribus facimus, 28.
Preces cum multis, 165.
pro Precum Eccleſiaſticarum communium antiquitate, locus inſignis, 202.
Preſbyteri pro Cardinalibus, 60.
Preſbyteri an olim ab Epiſcopis diſtincti, 49.
Preſbyteri an poſſint fieri tutores, 109.
Preſbyterium ſubminiſtrare, 30.
Preſbyterium ſubminiſtrabat, 31.
Preſbyterium Epiſcopi, 57.
Preſbyteralis gradus ſub Epiſcopali, 21.
Preſbyterium contrahi placuit, 60.
Preſſuræ dies, 87.
Primatum aſſumere, locum Epiſcopi, 152.
Primatus Petri, 120.
Primatus ſuos perdidit, 128.
Primatus Petri ſtabilitus, 180.
Primores, 53.
Principale crimen, 205.
Principatus ad crimina, *ibid.*
Principalis Eccleſia, 84.
Priuatus Lambeſitanus, 42.
Proceſſiones veteris Eccleſiæ, 11.
Profeſſio denegantis, 176.
Promerendi Dei titulus, 36.
Propriè hæretici, 119.
Proſcriptionis onus, 117.
Prouincia Africæ, 56.
Prouidentia Dei, 212.
Proximatus, 35.
Pſalmi in conuiuio, 7.
ad Pulpitum poſt cataſtam, 47.
Puſilliores, 33.
Putramina amputata, 172.

Q

QVadrans quid ſit, 218.
Quaſi optimus imp. 38.
à Quæſtione, 33.
Quantitas mea propria, 50.
Quantitas mercium, id eſt, precium mercium, 166.
Quantitatem accepimus oblationis nomine, 158.
Quaſi rhinocerotis fortitudo, 252.
Quid lata, quid arta, 264.
Quod Petrus fuit hoc erant & cæteri, 180.
factum eſt Quomodo fuit Ieſ. 252.

R

REcentes manus Dei, 96.
Receptibiles homines, 209.
Rectum iter, 184.
Reditionis dies, 221.

Referre injuriam, 261.
Refocillatus, 50.
Regite vos ſingulos, præpoſitis negligentibus, 25.
Regnum diaboli, 89.
Religio non imperatur, ſed ſuadetur, 201.
Religionis zelo & calore præcipiti, 11.
Religioſa delicta & vitia, 4.
Reliquiæ negatorum deformes, 169.
Renatus Chriſtianus, 2.
Renaſci Chriſto, *ibid.*
Renaſcitur homo baptizatus, *ibid.*
Reponere ſibi theſauros, 215.
Repoſtus de extorribus, 52.
Reſeruare Deo judici, 71.
erit Reſpectus illorum, 159.
Reſurrectio languentium, lapſorum, 49.
Retis jactu operire, 17.
Retiarij, 4.
Retiarius diabolus, *ibid.*
Retiariorum ſpongiæ, *ibid.*
Retractare, 15.
Robuſta petra, robuſta moles, 66.
Roma pro magnitudine ſua præcedit Carthag. 63.
Romam nauigare appell. 82.
Romana Eccleſia fortis in fide, 9.
Romanæ ſedis honor præcipuus, 8.
Romanæ Eccleſiæ laudes, 43.
Romanorum fides prædicatur, *ibid.*
Romanus clerus florentiſſ. 87.
Romanorum fides præd. 91.
Romanorum fides prædicata, 84.
Romanos fruſtra auctoritatem Apoſtolorum prætendere, 145.
Ructat cruditates ſuas, 177.
Ructu ſuo viuere, 98.
Ruinæ & funera lapſorum, 20.

S

SAcerdotes pro Epiſcopis, 56.
Sacerdos ſecundus preſb. 21.
Sacerdos Dei Romæ conſtitutus, 68.
Sacerdos Dei, 80.
Sacerdotij vigor preſbyteris & diaconis, 27.
Sacerdotes Dei, ſerui Dei, 22.
Sacerdos à Deo conſtitutus, 59.
Sacerdotes juſti, 56.
Sacerdos, Epiſc. 47.
Sacramenta occulta nudare, 157.
Sacramenta ab impio ſacerdote miniſtrata, 106. 107.
Sacramenta orationis Dominicæ, 189.
Sacramenti Euangelici vnitas, 65.
Sacramenti veritas, 104.
Sacramento veſtit & ſigno, 181.
Sacramentum militare cum baptiſmo collatum, 170.
Sacramentum vitæ, 192.
Sacramentum Crucis, 204. 232.
Sacramentum ſalutis noſtræ, 155.
Sacramentum ſolitæ precationis, 147.
Sacramentum vnanimitatis, 78.
Sacramentum fidei, 44.
Sacrarium regenerationis, 131.
Sacrificantibus nobis, 175.
Sacrificantium manus. 63.
Sacrificati, 69.
Sacrificati, 27.
Sacrificia Dominica, 151.
Sacrificia anniuerſaria, 48.
Sacrificia matutina, 104.
Sacrificij Chriſtiani auctor, 100.
de Sacrificio quod pauper obtulit, 218.
in Sacrificiis precem cum pluribus facimus, 28.
Sal terræ, Apoſtoli, 192.
de Salomonis Libris, 213.
Salus hominum voluntas Dei, 191.
Salutare, 61.
ad Sanctum miniſtrare, 106.
Sanguinis & corporis Chriſti protectio, 76.
Sanguis Chriſti oſtenditur vino, 105.
de Sanguinis Baptiſmo, 127.
Sapientia cæleſtis, ſal terræ, 192.
Satisfactio longa, 53.
de Satisfactionis modo elegans locus, 39.
Satisfactionis deſcriptio, 26.
Saxa conſtringunt nauem, 209.
Scabra fides, 136.
Shiſmatis primi in Eccleſia author, 55.
Scire Chriſtum, 137.
Scutores, 4.
Seceſſus Cypriani, 8.
Secta in bonam partem ſumpta, 35.
Securitas mortuorum, 208.
Seculares dies, 95.
Seculi occaſus, 87.
Seculo moriente, 88.
Seminatio, ſemen, 262. 20.
Semitonſum caput, 156.
Senectus fonti attributa, 198.
Senes domeſtici, 9.
Separatio pro excommunicatione, 182.
Sepulcra profana, 114.
Sepulturæ cura, 9.
Sermonibus ſuis iuſtificati, 31.
Sermonis flagella, 201.
Serua animam tuam. Conſule tibi, 28.
Serui tonderi ſoliti, 156.
Seruire tempori, 22. 88.
Seſtertia, 97.
Seueritas caſtigatrix, 162.
Signaculum Dominicum, 124.
Signa ante ordinationem, 49.
Signum fidei, 133.
Signum crucis, 257.
Silentium orantis Deo cognitum, 188.
Simiatio eſt, 289.
Simplicitas vt diſtinguitur à duplicitate, 182.
Simpliciter, per errorem, 128.
Sincerata poſtmedum fides, 136.
Sinus Abrahæ, 79.
Siſtere ſe Deo celerem, ſine vlla mora, 37.
Soboles ſucceſſiua, 232.
Sollicitudo omnium Eccleſiar. 67. 68.
Solus Dominus miſereri poteſt, 173.
Solus reſcribere nihil potui, 14. 41.
Solus judex, 41.
Spectacula impia, 4.
Spes in ligno, 155.
Spiritus columbæ ſimilis in baptiſmo Chriſti, 134.
Spiritus ſanctus, 3.
ab immundo Spiritu correpta cecidit, 175.
Spongiæ retiariorum, 17.
Sportulantes fratres, 99.
Sportulantes, 41.
Sportulis honorentur, 49.
Stantes, non Lapſi, 11.
Stantes pro iis qui in fide ſteterunt, 39.
Stantium firmitas exigua, 18.
Stare ad veniam, 71.
Stationes in Eccleſia vnde dictæ, 195.
Statuit fontem ſiccitas, ſtare facit, 199.
Stephani inhumanitas, 143.
Stephano fratri Cyprianus, 110.
Sterilitas ſacrilega, 220.
ſi Steriſſent in ſubſtantia mea, 182.
Stibium diaboli, 218.

Stipes & oblationes deſiderant, 106.
Studia in aures dare, 2.
Stultum vulgus, 207.
Stupor hæreticus, 134.
Stupore elatus eſt, 137.
Subitatos eſſe, 92.
Subdiaconi, 8.
Subſtantia ſalutis, 187.
Succeſſiua ſoboles, 232.
Suffocationes impotentium commerciorum, 196.
Sumpticuli, 16.
Super confeſſione accepta ſententia, 161.
Super Petrum fund. Eccleſ. 54.
Super Petram non ſuper hæreſin, 284.
Super iſtam petram ædificabo Eccl. 180.
Superſtitio abiicienda vbi modeſtia requiritur, 188.
Superuincimus, 236.
Suppedaneum, ſcabellum, 264.
Supplicia longa, 178.
Suſum, ſurſum, 252.
Suſum, 228.
Suſpirandi fomenta, 154.
Suſtinentia, patientia, 223.
Suſtinere, exſpectare, 45.

T

TAſcius Cyprianus, 116.
Tempeſtas pro perſecutione, 12.
Temporum officia, 222.
Tempus longum, decem an. 82.
Tenebræ carceris, 44.
Tentare fidem, 61.
Terra deſtinata ſiti, 285.
Terræ clauduntur, 243.
Teſtamentum ſubiicere, 5.
Teſtimonia Chriſtiana, ibid.
Teſtimonium de ſe, 116.
Teſtimonio ſunt mihi, 248.
Teſtimonium Ieſu, ſermo Ieſu, 242.
Thraces gladiatores, 4.
Thurificatus, 66.
Timor Chriſtianus, 290.
Timor innocentiæ cuſtos, 3.
Timor inſtrumentum pœnitentiæ, ibid.
Tingui, baptizari, 274.
Titulus promerendi Dei, 36.
Titulus pro capite, ſeu indice, ibid.
Tobiæ liber, 248.
Tollere martyrium, 77. 214.
Tormenta venerunt, 16.
Tormenta verborum, 201.
Tormenta ſine fine tortoris, 16.
Tractante Epiſcopo, 70.
Tractantes Epiſcopi, 88.
Tractare pro diſſerere, diſputare, 18.
Tractatus pro concionibus ad populum, 217.
Traditio, 102.
Traditionum origo, 132.
Tradux folliculi, 104.
Tranſpunctionis ſpiritus, 83.
Trianfacta, 32.
Triumfata, ibid.
contra Trinitarios locus annotandus, 194.
Triſtitia pro vita, 203.
Trophimus, 66.
Tumidi & inuerecundi Chriſtiani, 16.
Tumor arrogantiæ, typhus, 73.
Tumultuare, buccinare, 273.
Tyrannicus terror, 72.

V

VAcat malos eſſe, 199.
Vacui exeant, 25.
Valitudo morbi, 209.
Valetudo morbi pro morbo inualeſcente, ibid.
Vani martyres, 214.
Vaſtatio, perſecutio, 32.
Vaſtationis impetus, 211.
Ventris crepitus pro Deo habitus, 200.
Verba ſublimia, 47.
Veſtitus in viduis Chriſtus, 216.
Vetus fidelium populus, 211.
Viaticum leue, 16.
Viduam inter & virginem differentiæ, 227.
Vincentij Lirinenſis de Cypriano & Stephano, 144. 145.
Vindemiæ tempus feriatum, 1.
Vir fractus in fœminam, 4.
Virginalis conſcientiæ pudor, 68.
Virgines & confeſſores, 83.
Virgines inſpici, 99.
Virginitatis & continentiæ vota, ibid.
Virginum diſciplina, 162.
Virtus quantum boni habeat, vitia demonſtrant, 227.
Viuorum optimus, 138.
Viſio Cypriani, 8. 16. & ſeq. 39. 48. 92. 274. 212.
Viſiones, 22.
Vita in Chriſto, 25.
Vita mortalis, 225.
de Vita dimicamus, id eſt, æterna, 14.
de vita longæua primorum hominum, 198.
Vitæ præmia, 21.
Vitia religioſa, 4.
Vitiorum incentiua, 146.
Vnam cathedram conſtituit, 180.
Vnctio in baptiſmo, 94.
Vnctionis ſuauitas, 117. 20.
Vngulæ & equulei, 172.
Vnitas ſacramenti Euangelici, 65.
Vnitas Eccleſiæ, 179.
Vnitatis domicilium Eccleſia, 61.
ex Vnius appellatione ſacramentum vnitatis, 181.
Vnum gregem paſcimus, 111.
ſuper Vnum fundata Eccleſia, 124. 125.
Vnus Epiſc. in Eccleſia catholica, 61. 68.
Vocis firmitatem, vocem floridam, 36.
Voluptabile, 143. 279.
Voluntas Dei, ſalus hominum, 171.
Vota virginitatis, 99.
aduerſus Votorum violatores inſignis locus, 271.
Vox illuſtris, Chriſtianus ſum, 29.
Vrbs Roma, 59.
Vt ſit memoriæ, 257.
Vulgus ſtultum, 206.
Vultus quomodo ornandus, 146.

Z

ZEli liuor, 99.

FINIS.

MARCI
MINVCII FELICIS
OCTAVIVS
ET
CÆCILII CYPRIANI
DE IDOLORVM VANITATE.

NICOLAVS RIGALTIVS LECTORI.

DE VARIIS EDITIONIBVS OCTAVII MINVCIANI.

ANNI ſunt omninò centum, ex quo M. Minucij Felicis Octauius prima per typographos editione verſari cœpit hominum manibus eruditiorum. Exemplar annorum haud minus octingentorum in Vaticana Romæ ſeruabatur. ex eóque deſcripti ſeptem Arnobij aduerſus Gentes libri prodière; cum iiſque vna pro libro eiuſdem Arnobij octauo Minucij Felicis Octauius. Nemo ſuppoſitum arguebat. Ipſe quidem vindicias libello ſuo ſatis clarè poſcebat. Sed libellum percipiebat nemo. Ergo delatus in Germaniam Arnobius cum appendice ſua, in eas manus incidit, quæ ſtili Africani ſatis horridam libertatem imperioſa dictatura tam inuerecundè ſubegèrunt vt pænè ſenſus ac mentis impotem reddiderint; fari iuſſum, quæ nec ſomniare voluiſſet vnquam. eiuſdemque ſortis infelicitatem nec Minucius effugit. Miſellus Octauius! & ſuum & parentis ſui nomen amiſerat, & jam non perſona, ſed liber octauus Arnobij dicebatur. Non ſine rubore talis audiebat, inter haud ignaros commentariorum Lactantii & Hieronymi, qui numerum Arnobianorum ſeptimo concludi teſtarentur, deque Minucij Octauio, clari parentis legitimo fœtu, fidem non ambiguam facerent. Quis crederet? Hæc monimenta non ſenſerat Eraſmus, qui tam multos ſimili caſu adflictos erexerat. Tandem inter ciuilis prudentiæ togatos, eruditione, judicio, pietate inſignis Franciſcus Balduinus Atrebas ex jure manu conſertum venit, & appellata fide publica doctè & religiosè multa præfatus, datis notoribus, indiciis apertiſſimis, Arnobio non inuito, abduxit Octauium, confeſtimque reddidit M. Minucio Felici. Sic peractum ſtatus Octauiani judicium anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo Hidelbergenſes typographi vulgauerant. Et tamen annis poſt triginta tribus, quaſi tota penderet adhuc in dubio cauſſa, Fuluius Vrſinus ex ſcedis Petri Ciacconi Romanam Arnobij editionem inſtaurauit, prima certè, & Germanica etiam, atque Bataua, longè meliorem; ſed quæ diſſimulato Balduini præjudicio, totam ſibi iudicij gratiam vindicaret: quaſi tum primùm de ſtatu ſuo Minucius & Octauius certi eſſe inciperent ac ſecuri. Annis adhuc ſequutis prope viginti, vir eximiè doctus, & iudicij admodum exacti, Ioannes Vouerius, Minucii ſextam editionem per Frobenianos accurauit. Notas appoſuit ſinceras collatione veterum, qui pro Chriſtianis apologetica ſcripſerant, perutiles Etenim multa præcedentibus editionibus obſcura & deprauata remanſerant. Vetus exemplar inſpexiſſe videtur; illud ipſum ex quo Romanam editionem primam per Ferrarium & Priſcianenſem fuiſſe cuſam teſtatur Fauſtus Sabæus, præfatione ad Franciſcum I. cuius nomini maieſtatique opus dicatum fuerat, & iuſſu quidem, vt videtur, Pontificis maximi. is potentiſſimo Principi vetuſtorum exemplarium bibliothecam inſtituenti, cum editione Arnobij typographica veteres etiam membranas, vnde prodibat editio, donari voluit. nam exinde in Bibliotheca Regia cenſentur: tanti plurimi æſtimandæ, quod Minucij vel Arnobij vetus exemplar aliud vllibi exſtare hactenus eſt incompertum. Annis poſt Vouerium nouem, ſeptima Minucij Felicis editio venit in lucem, ab Geuerarto Elmenorſtio elaborata, Balduini præfatione recuſa, & Vouerij notationibus interſparſis, adiectiſque inſuper veterum eiuſdem argumenti auctorum paginis locuples. Illic præterea variæ lectiones exhibitæ, ac ſæpenumerò citatus perperam liber manuſcriptus. non alius ſanè quàm ille Regius. qui liber viſus eſt etiam Deſiderio Heraldo Iuriſconſulto, cuius adeò poſt ceteras omnes accuratior editio anno poſt Elmenorſtium prodiit. Nos hac ipſa denuò cum eodem libro Regio commiſſa & comparata, deprehendimus quæ perſpicaces oculos effugerant aliquam multa, nec pauca etiam ſecus accepta quàm velit ipſe Minucius vt jam opinari liceat, huic editioni noſtræ locum fuiſſe ſeruatum. nec offenſum iri de præcedentibus editoribus quemquam, ſi quid ſibi bono publico fiat, quod ipſe ſuis anteceſſoribus non ſine gloria, feciſſe dicatur.

VETERVM DE M. MINVCIO FELICE TESTIMONIA.

LACTANTIVS LIB. I. DIVINARVM INSTITVTIONVM, CAP. XI.

Minucius Felix in eo libro, qui Octauius inſcribitur, ſic argumentatus eſt, Saturnum, quum fugatus eſſet à filio, in Italiamque veniſſet, Cæli filium dictum; quod ſoleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentinò aduenerint, de cælo cecidiſſe dicere; Terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus.

IDEM LIB. V. CAP. I.

Minucius Felix, non ignobilis inter cauſſidicos loci fuit. Huius liber, cui Octauio titulus eſt, declarat, quàm idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet.

B. HIERONYMVS DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Minucius Felix Romæ inſignis cauſſidicus ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui Octauius inſcribitur. Sed & alius ſub nomine eius fertur de fato, vel contra Mathematicos, qui cùm ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtilo conuenire.

IDEM EPISTOLA AD MAGNVM.

Minucius Felix cauſſidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octauius eſt, & in altero contra Mathematicos, ſi tamen inſcriptio non mentitur auctorem quid Gentilium ſcripturarum dimiſit intactum?

IDEM APOLOGIA AD PAMMACHIVM.

Taceo de Latinis ſcriptoribus Tertulliano, Cypriano, Minucio, Victorino, Lactantio, Hilario: ne non tam me defendiſſe, quàm alios videar accuſaſſe.

EVCHERIVS EPISC. IN EPIST. AD VALERIANVM.

Er quando clariſſimos facundia Firmianum, Minucium, Cyprianum, Hilarium, Iohannem Ambroſium ex illo volumine numeroſitatis euoluam.

PROLEGOMENA

FRANCISCI BALDVINI I. C.

IN M. MINVCII FELICIS OCTAVIVM.

VT hunc ſiue Libellum, ſiue Dialogum, qui multis jam ſæculis falsò creditus eſt, dictuſque eſſe octauus Arnobij aduerſus Gentes, & inſcriberem, & eſſe planè liquidóque affirmarem M. Minutij Felicis OCTAVIVM, facilè mihi perſuaſerunt duo & boni & antiqui, & graues teſtes auctoreſque, Lactantius & Hieronymus. Ille enim ſuarum Inſtitutionum lib. I. cap. II. citat Minucium Felicem in eo, vt ait, libro, qui OCTAVIVS inſcribitur: & ex eo verba quædam deſcripta recitat, quæ non patiuntur nos aut alium aliquem, aut alterius cuiuſquam OCTAVIVM fingere. Idem lib. 5. cap. I. loquens de Chriſtianorum quos legerit, eloquentia primo loco hunc Minucium laudat. *Minutius* (inquit) *Felix, non ignobilis inter cauſidicos loci fuit. Huius liber cui* OCTAVIVS *titulus eſt, declarat, quàm idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet.* Teſtis alter eſt Hieronymus, qui hunc (ſicut ipſe fatetur) Lactantium ſecutus, in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum ait: *Minutius Felix Romæ inſignis cauſidicus, ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui* OCTAVIVS *inſcribitur.* Idem in epiſt. ad Magnum Oratorem Roman. *Minucius* (inquit) *Felix cauſidicus Romani fori, in libro cui titulus* OCTAVIVS *eſt, quid Gentilium ſcripturarum dimiſit intactum?* Iam autem non eſſe hunc librum Arnobij, ſatis patet, cùm Minutij eſſe appareat. Et verò quòd Hieronymus in eadem epiſtola ſubjicit, indicare alioqui poterat, Arnobij non eſſe, cùm quidem non niſi ſeptem, qui etiamnum extant, libros aduerſus Gentes Arnobium ſcripſiſſe teſtetur. Cúmque alterùm quemdam librum Minucio noſtro falsò inſcriptum fuiſſe narret, tanto miror doleóque magis, hunc qui eius erat vnicus ὁ γνήσιος, fuiſſe illi ſurreptum, alterique non domino injuſtè aſcriptum: vt & plagio & partu ſuppoſito facta noſtro Minucio duplex injuria eſſe videatur. Sed hæc frequens eſt querela de librariorum nihil non temerè miſcentium facinoribus. Fortaſſe, vt hunc libellum Arnobio quidam aſcriberent, quædam ſtyli & argumenti ſimilitudo, quæ imperitos perſæpè fallit, fecit: & cùm legerent OCTAVIVM, ſtatim ſomniarunt octauum aliquem eſſe librum. Ridiculè profectò & ineptè. Saltem Arnobio perpetua oratione vtenti Dialogum temerè aſcribendum non eſſe cogitaſſent. Verùm inſcitiæ tam cœca quàm confidens eſt audacia. Sanè Hieronymus ſcribit, Nepotianum ſuum tam in ſcriptoribus Eccleſiaſticis diligenter verſatum fuiſſe; vt ſi quid ex iis proferretur, ſtatim agnoſceret atque diſcerneret, quid Tertulliani, quid Cypriani, quid Lactantij, quid Minucij, quid Victorini, quid Arnobij eſſet. Ceterùm tantò magis miror, Eraſmum eo loco, illum dico Eraſmum, hominem acerrimo judicio præditum, & talium ſcriptorum minimè obtuſum cenſorem, annotaſſe, huius Minucij nihil nunc extare.

Cujus potiſſimum Imperatoris temporibus Romæ vixerit noſter Minucius, nondum mihi ſatis liquet. Hieronymus in ſuo Catalogo, quo ſcriptores Eccleſiaſticos eo quo vixerunt ordine recenſere videtur, illum Origeni proximum, Cypriano priorem fuiſſe, obſcurè ſignificat. Sed eius alioqui vel ſæculum vel ætatem non indicat. Certè in Cypriani de Idolorum vanitate libello plurima ſunt, quæ totidem verbis in OCTAVIO Minucij leguntur: neceſſe vt ſit, aut hunc ab illo, aut illum ab hoc ea ſumpſiſſe. Hieronymus verò in Epiſtola ad Magnum, loquens de latinis ſcriptoribus Eccleſiæ, etſi Minucium ante Cyprianum laudet, tamen illam de Idolis orationem aſcribere Cypriano magis videtur. Sed & in apologia pro ſuis aduerſus Iouinianum libris, primo loco Tertullianum, ſecundo Cyprianum, tertio Minucium commemorat. Sabellicus, ſed ſine teſte, affirmat eum Romæ floruiſſe, quo tempore Vrbanus ibi erat Epiſcopus: hoc eſt, temporibus Alexandri Seueri Imperatoris. Si ita eſſet, eſſet Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, noſtriſque adeò Iureconſultis Vlpiano & Paulo. Verùm etſi poſteriorem fuiſſe credam, tamen proximè illa tempora ſecutum eſſe exiſtimo; noſtra verò non attingere niſi interuallo longiſſimo, hoc eſt, annorum propè M. CCC.

Minuciam gentem olim Romæ nobilem fuiſſe memini, in qua quatuor Conſules Minucij Augurini intra annos quadraginta numerari poſſunt. Sed & Minucios Rufos, & Minucios Thermos in faſtis Conſularibus lego. Denique & Minucius Fundanus Aſiæ præſes fuit illuſtris, ad quem Adrianus Imp. non iniquam de Chriſtianis legem miſit: vt jam nihil dicam de eo, cuius in Epiſtolis meminit Plinius, vel quem ille noſter laudat Iulianus, cuius ad Minucium Natalem libri de jure ciuili laudantur.

His verò omnibus vnum Minucium Felicem, etſi non fuerit eiuſdem aut gentis aut familiæ, facilè antepono, ætate quidem poſteriorem, doctrina tamen, virtute, & (quod primo loco numerandum eſt) pietate multò ſuperiorem. Fuit enim non modò Iuriſconſultus magnus, & excellens ſuo tempore orator: ſed & (quod maius eſt) fuit ſeriò Chriſtianus. Afrum fuiſſe ſuſpicor, licet id affirmare non auſim. Certè Frontonis Cirtenſis (Cirta autem fuit nobiliſſima ciuitas, cuius & in Pandectis mentio fit) ita meminit, vt in Africa verſatum ſe eſſe ſignificet. Eſtque genus dicendi, ſcribendique ſecutus, quale Afri illi, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius; vt iam de poſterioribus non loquar, quos eadem olim aluit Africa, illa (inquam) felix, fœcundaque Africa, quæ vt ſemper aliquid noui proferre dicebatur, ſic etiam religionis noſtræ vindices & patronos doctiſſimos, acerrimoſque protulit, & ad ipſius quoque Romanæ Eccleſiæ præſidium atque defenſionem emiſit. Nam & ex eadem Africa prodibant hoſtes minimè ignaui, neque improbi minus, quàm vehementes calumniatores; qualis (ne longiùs abeam) fuit ille, cuius iam memini, Fronto: quem quidem tam impudentem rhetorem, quàm impium Chriſtianorum aduerſarium fuiſſe, ex Minucio intelligemus. Nollem hunc fuiſſe Papirium Frontonem Iuriſconſultum, qui in Pandectis laudatur. Suſpicor potiùs fuiſſe Cornelium Frontonem Rhetorem: quem Capitolinus narrat fuiſſe præceptorem M. Antonini Philoſophi Imp. & ex cuius etiam ſchola oratoria accepimus prodiiſſe illum noſtrum Militonem, qui ad Chriſtianorum defenſionem eloquentiam ſuam connettit: vt quod illis impius præceptor probrum aſperſerat maledicendo, bonus diſcipulus abſtergeret reſpondendo.

Minucium noſtrum Romæ cauſas egiſſe, paulò antè ex Lactantio & Hieronymo dictum eſt: neque hoc ipſe

diſſimulat, cùm vindemiarum feriis curam judiciariam ſibi remiſſam fuiſſe narrat. Sic enim & Vlpianus in Pandectis lib. 1. D. de Feriis ſcribit, M. Antonini Imp. oratione expreſſum fuiſſe, ne quis meſſium aut vindemiarum tempore aduerſarium cogeret ad judicium venire. Sicuti & Suetonius narrat Auguſtum ſtatuiſſe, ne Septembri Octobrive menſe neceſſe eſſet in Senatum venire. Imò verò & ipſe Cyprianus, tamquam alter Minutius, in ſua epiſtola ad Donatum, meminit eius temporis, quo (vt ait) indulgente vindemia ſolutus animus in quietem, ſolennes & ſtatas anni fatigantis inducias ſortitur. Ac tum quidem ſeceſſus amœnos captare ſe ait, vbi de rebus diuinis cogitet. Non diſſimilis eſt narratio noſtri Minucij. Felices verò illæ feriæ, quibus à foro ſubſelliiſque abductus nobiliſſimus cauſidicus eſt ad religioſam ſiue commentarionem, ſiue diſputationem. Cicero, quod abs noſtro Scæuola accepit, narrat Lælium cum Scipione ſolitum eſſe ruſticari: eoſque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cùm rus ex vrbe tamquam ex vinculis euolaſſent: conchas etiam & vmbilicos ad Cajetam & ad Lucrinum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere. Eius verò exempli ſtatim mihi in mentem venit, cùm Minucium audirem, relicto ſtrepitu forenſi, cum ſuo Octauio ruſticari, & in littore Oſtienſi ſuauiter ſpectare puerilem, quem deſcribit ludum. Sed cùm deinde audio, quàm in illo ſeceſſu & grauis & ſeria de religione diſputatio fuerit, & quale ſit in deſerto fornice concilium: ſentio, numquam coactum Romæ fuiſſe ſenatum maiori de re: nullumque forum, vrbem nullam, nullum negotium, illi ſiue otio ſiue ſolitudini prætulero. Sæpiuſque vt Iuriſconſulti eo modo feriari, ſecedere atque ruſticari aliquando velint, optare cogor. An in eorum animas cadere non poteſt ſancta aliqua, & religioſa, & ſecreto ſuo digna rerum diuinarum cogitatio? Lactantius innuit Minucium ſeſe totum non contuliſſe ad ſtudium rerum Eccleſiaſticarum. Sed tanto nobilior eius juriſprudentia fuit, quæ qualis eſſe debet, in Repub. fuit: & rerum diuinarum humanarumque curam & cognitionem coniunxit: tantóque propterea magis eius exemplum noſtri ordinis hominibus commendo: vt ſaltem diebus nefaſtis in ocio melioris religionis faſtos excolant, iiſque ſe dent atque addicant. Habebant olim feriantes Romani ſuam decurſionem Tiberinam, cuius meminit Cicero: ſuamque (vt leges noſtræ vocant) Majumam ad Oſtiam. Sed excurſio noſtri Minucij quàm minimè aut ocioſa aut ludicra fuit? Digna profectò, cuius veſtigia libenter conſpiceret Auguſtinus: & illum receſſum, in quo habita eſt diſputatio, ſalutaret, cùm in Eccleſia Oſtienſi matrem ſuam Monicam ſepeliret. Equidem religioſi eius colloquij, quod ſancta hæc matrona cum filio ſuo habuit ad oſtia illa Tiberina, [ſicuti ipſe recitat lib. 9. Confeſſion.] meminiſſe ſoleo, quoties Dialogum hunc Minucianum lego.

Quænam eſſet Romani fori conditio, cùm in eo verſaretur Minucius, quæque Eccleſiæ in ea vrbe tunc facies eſſet, eius ætatis memoria planè oſtendit: & quæ aliquando ſcripſi ad edicta veterum Principum Romanorum de Chriſtianis, eam rem illuſtrant. Neque ignota eſt hiſtoria temporum, quibus Decius aut Valerianus imperauit. Benè verò habet: Iuriſconſultis, quorum de jure ciuili reſponſa legimus, non ſolùm abs religione alienis, ſed & eius acerrimis aduerſariis, ſucceſſiſſe Chriſtianum cauſidicum: & illud ſiue forum, ſiue collegium Romanæ togæ atque aduocationis, quod tot jam annis conſperſum fuerat ſanguine & cineribus piorum hominum, tandem aliquando voce & veſtigiis Chriſtiani Iuriſperiti expiatum atque conſecratũ fuiſſe. Arnobius libro primo gloriatur, & oratores & juriſconſultos, magnis (vt ait) ingeniis præditos, tranſiiſſe ad Eccleſiam. Credo equidem, cùm id ſcriberet, de Minucio eum ſuo cogitaſſe. Multos eius ordinis fortaſsè numerare vix potuiſſet. Sed Minucij tamen exemplum quoſdam ſecutos eſſe credo: vt & Minucius habuit, quos in eodem ſtadio ſequeretur. Saltem Hieronymus ad Magnum, vbi Minucium laudat, meminit duorum Romanæ vrbis Senatorum, Hippolyti & Apollonij, qui vt inter ſcriptores Eccleſiaſticos referrentur, meriti ſint. Quid dicam de illo Vetio Epagatho Lugdunenſi, qui olim & multis quidem ante Minucium annis & fuit, & partim ignominiæ, partim honoris cauſa (vt varia tunc erant hominum de religione judicia) publicè appellatus eſt Advocatvs Christianorvm? An horum cauſam aliquando in foro Rom. Minucius egerit, neſcio. Certè Tertullianus vix hoc licuiſſe ſignificat, & tam odioſa tunc erat eorum ſiue religio, ſiue Eccleſia, cui ſtatus Reipub. Imperijque Rom. aduerſabatur, totque iam erat publicis præjudiciis confoſſa, vt ipſius nominis Chriſtiani confeſſio ad damnationem ſatis eſſet. Tantùm abeſt, vt huius religionis eſſet, quæ libertatis erat, aſſertio. Sed tantò magis intereà miror, in tam profano & inimico foro conſiſtere cauſidicum pium potuiſſe. Mirum verò, cùm iam annis propè ducentis orbis Romanus & palam & publicè & liberè Chriſto nomen dediſſet, auctoribus ipſis Imperatoribus, viſam eſſe legem neceſſariam, quæ & tandem lata eſt, vt in nullo foro vel aduocatus vel cauſidicus eſſet vllus, vel ius poſtulandi quiſquam haberet, qui Chriſtianus non eſſet. L. 8. Cod. de Poſtul. Quàm fuit itaque nobile Minucij noſtri exemplum, quo bonarum partium, quantùm potuit, patronus Romæ fuit, quo tempore nondum impunè hoc licebat? Certè Chriſtianis tunc erat interdictum foro, neque iis ius poſtulandi Prætor dabat. Verùm etſi magis illi palliati quàm togati eſſe ſolerent: tamen quia iis Reſpub. ſæpè carere non poterat, aliquando togatos eſſe eos, & eorum quoſdam aliquod in Repub. munus obire, paſſi ſubinde ſunt ethnici principes. Chriſtiani Imperatores deinde multò fuêre indulgentiores, qui eos & Conſules & Præfectos Vrbi atque etiam Prætorio interdum creabant, quos alioqui non ignorabant eſſe acerrimos hoſtes religionis, quod intelligi poteſt vel ex vnius Symmachi conditione. Sed facti tandem aliquando ſunt ſeueriores, & ſenatum forumque Romanum perpurgarunt, & Minucios quoſdam eſſe iuſſerunt, quicumque vel ius dicerent, vel cauſas agerent. Aram Victoriæ, quæ in veſtibulo curiæ ſtabat, ad quam ſenatus jurare atque ſacrificare ſolebat, iampridem euerterant, ipſo etiam Symmacho & ſenatu reclamante. Sed effecerunt poſtremò, vt non modò à tali ſuperſtitione liberi eſſent omnes togati, ſed etiam vt nulla in foro niſi Chriſtiana eſſet illa juriſprudentia, cuius iam olim aliqua in Minucio noſtro effigies fuerat.

Minuciani huius Libelli inſcriptio, & Dialogi forma, antiquum, eruditumque ſcribendi morem refert. Genus dicendi eſt argutum, acre, vehemens Eſt preſſum, denſum, neruoſum, crebris ſententiis compactum, omniumque antiquitatum atque hiſtoriarum memoria refertum: & in quo plures ſententias, quàm periodos numerare poſſis. Nam neque verboſi olim fuerunt Chriſtiani, qui verba dare nondum didicerant: & eorum patroni erant homines docti, ac (vt vno verbo dicam) polyhiſtores. Quod ad falſa crimina attinet, non tam verbis & libellis quàm vita & re ipſa refellebant aduerſarios.

Quæſtio, quæ hîc proponitur, & cauſa, qua de agitur magna eſt, de religione nempè vera aut falſa. Acerrima vtrinque eſt actio atque contentio. Exitus & victoria eſt, qualis eſſe debet, vbi verum cum falſo confligit. Malarum partium vehemens patronus, & bonarum grauis hoſtis eſt Cæcilius Natalis. Harum contra vindex, & illarum accuſator acerrimus atque iuſtiſſimus eſt Octauius Ianuarius Medius ſedet bonus judex atque arbiter Minucius Felix, Contentionis occaſio fuit, quòd cum hic cum duobus illis, quos nominaui, in litore Oſtienſi ambularet, ab Octauio Chriſtiano reprehenſus ſit Cæcilius ethnicus, qui occurrens idolo Serapidis, illud colere ſe ſignificaſſet. Sanè olim Piſone & Gabinio Coſſ. Serapidis ſacra Capitolio & vrbe

fuerant eiecta : ſed poſteà fuerunt reſtituta, & in ſuburbiis facilè hærebant. Reprehenſus Cæcilius fremit, & tamquam irritatus grauiter in Chriſtanorum religionem inuehitur : ſuamque ſimul ſuperſtitionem defendens, Octauium veluti laceſſit. Sed imprudens incurrit in aduerſarium fortem & acrem, & (vt ille ait) fragili cupiens illidere dentem, infregit ſolido.

Cauſæ ſtatus non vnus eſt. Cæcilius variè & confuſè agit de multis. Octauius pleraque & depellit ſola inficiatione, & retorquet iuſta recriminatione. Quædam ingenuè confitetur : ſed iure defendit. Itaque hæc diſceptatio partim facti, partim iuris quæſtionibus conſtât. Tertullianus ante ì, & ante Tertullianum Iuſtinus & Athenagoras, quorum extant apologetici libelli, & poſteà Cyprianus partim contra Demetrianum, partim in libello de vanitate Idolor. & multò deinde magis Arnobius atque Lactantius hanc cauſam egerunt : & vſi plerumque ſunt non iiſdem modò & ſententiis & argumentis, ſed & verbis & formulis. Sic enim maiores noſtri eadem de iiſdem (vt ille olim dicebat) dicere ſolebant.

Atque vtinam poſteritas tale obſeruaſſet exemplum, ambitioſa nouitas bonam antiquitatem non inquinaſſet. Velim ſanè apologias eorum, quos dixi, cum hoc Minuciano libello conferri : vt alium nunc commentarium colligere non ſit neceſſe. Multa ex veterum philoſophorum diſputationibus & poëtarum fabulis, & Romana, Græcaque hiſtoria ſubtiliter & doctè hic repetuntur. Verùm ineptum eſſet iis de rebus annotationes multas & ocioſas hoc loco inculcare. Mallem quæ ad antiquitatum Chriſtianarum memoriam pertinent, copioſè explicare. Sed & harum commentariis alius dabitur liberior locus : nam iis, quos jam inchoaui, abſoluendis aliquando me dedam. Iam verò præter illos, quos dixi, libellos valdè velim etiam hic legi & comparari aduerſatias orationes Symmachi & Ambroſij : vt, quam cauſam acriter quidem, ſed priuatim tamen, quo tempore Chriſtianis palam eſſe vix licebat, actam eſſe ex Minucio audiemus, eamdem multis poſt annis publicè in aulico conſiſtorio iterum iterumque agitatam, in eaque nobilem Romanorum ſacrorum patronum, qui & Pont. Max. & Præfectus Vrbi erat, cum maximo & acerrimo antiſtite Chriſtianæ religionis commiſſum, quo tempore noſtri liberi erant & bona, æquaque conditione, audiamus : præſertim cùm judex & arbiter ſederet, non modò tam religioſus, quàm Minucius, ſed multò maioris auctoritatis, & qui rem benè judicatam exequi, & aduerſarij calumniatoris petulantiam reprimere atque coërcere poſſet Si quis denique hîc adjungat Auguſtini libros de Ciuitate Dei, ad Octauij diſputationem multum lucis & ſplendoris adjunxerit. Ego in talibus commentariis nunc deſcribendis non immorabor. Sed breuiter tantùm delibabo quædam capita Minuciani libelli, vt lectorem præmoneam.

Cæcilius principio laudat neſcio quam ſiue Academicam ἀκαταληψίαν, ſiue Pyrrhonicam ἐποχὴν, quaſi nulla eſſet religionis ſcientia: & Epicurea audacia exagitat Dei prouidentiam, prope vt ille Cotta apud Ciceronem in libris de Nat. deor. Octauius prouidentiam defendit : neque iis etiam argumentis vti dedignatur, quibus Velleius apud eumdem Ciceronem refellit Cottæ vanitatem : Cæcilius exprobrabat, Chriſtianos Deo, vt cuidam fato, addicere quicquid agitur geriturve. Abs verbo Fati, tametſi odioſo propter ineptias Stoïcorum, qui ea voce abutebantur, non abhorret Octauius. Sed longiorem ea de re diſputationem in aliud tempus rejicit, & eum veluti ſcopulum cautè refugit. Sanè Hieronymus in Catalog. & ad Magn. teſtis eſt, quemdam de fato librum olim Minucio inſcriptum fuiſſe. Sed falſam fuiſſe inſcriptionem monet. Credo illi à quibuſdam eſſe aſcriptum, quia hîc videbatur tale aliquid eſſe pollicitus. Arnobius quem Minucij diſcipulum & imitatorem appellare ſoleo, modò aduerſarios de fato accuſat, modò etiam Chriſtianos eodem nomine accuſatos fuiſſe oſtendit : & in vtraque tamen cauſa, cùm ad rem ventum eſt, hæret, & neſcio quomodo attonitus ἐπέχει. Nam (iuuat enim propter Minucium & quoſdam alios obiter hoc notare) lib. 7. poſteaquam exagitauit fatum, præſertim quale Stoïci fingebant : *has tamen* (inquit) *partes, quia res nimium longi eſt multique ſermonis, inexplicatas tranſcurrimus atque intactas*. Idem lib. 11. cùm ſcriberet Chriſtianos vrgeri rogatos, an ſine Dei voluntate quicquam fieret : tam ſe vtrimque premi ſentit, vt ad elabendum, deprecatione cuiuſdam ignorantiæ vtatur. *Si* (inquit) *cuncta eius voluntate conficiuntur, nec citra eius nutum quicquam poteſt in rebus vel prouenire vel cadere neceſſariò ſequitur, mala etiam vt cuncta voluntate eius intelligantur enaſci. Sin autem dicere voluerimus, peſſimorum: ab eo reijcientes cauſas, mali eſſe conſcium generatoremque nullius : incipient videri aut eo inuito res peſſimæ fieri, aut (quod ſit immane dixiſſe) neſciente, ignaro, & neſcio.* Quid igitur tandem, inter has veluti Symplegadas conſtrictus, quæſtioni reſpondet. *Reſpondeamus* (inquit) *neceſſe eſt, neſcire nos iſta, &c.* Iuſtinus anteà in ſua apologia non dubitauerat τὴν τῆς εἱμαρμένης ἀνάγκην (vt appellat) apertè inficiari, planéque rejicere, dum ſcopulum vnum, quem imminere alioqui putat, vult effugere. Atqui tunc in alterum incurrit, quem non minus aut Minucius aut Arnobius reformidaſſe videtur. Tandem verò Auguſtinus in eadem Africa volens veluti perſoluere, quod Minucius pollicitus eſſe dicebatur, &, quod hic præſtare fortaſſè vix potuiſſet, cumulatè dependere : ſubtiliter expoſuit in hac quæſtione medium quidpiam, quo ſatisfieri poſſe judicauit vtrique difficultati. Sciebant & Minucius & Arnobius, quænam olim fuiſſet diſſenſio diſputatioque inter Chryſippum & Diodorum περὶ δυνατῶν, καὶ εἱμαρμένης. ſiue de fato. Nam & nos ex Cicerone & Plutarcho illam vtcumque cognoſcimus. Sed ne in huius quidem judicibus & arbitris noſtri quicquam deprehendebant, quod omninò ſequerentur. Itaque quamdiu non liquebat, AMPLIVS pronunciare, quàm temerè aliquid ſtatimque definire maluerunt.

Redeo ad Cæcilium. Is ſuorum numinum antiquitatem, paſſimque receptam auctoritatem, quantum poteſt, tuetur : Chriſtianorum Deum verum & vnicum exagitat, & eos intereà tamquam ἀθέους, proſcindit : Octauius idolorum fabulam & vanitatem ſalsè traducit, iiſdem etiam verbis vſus, quibus Cyprianus in eodem argumento vtitur. Neque verò difficilis fuit reprehenſio, cùm quidem & ipſius Ciceronis libri de Nat. Deor. veluti ſuffragaretur. Nam & Arnobius teſtis eſt, propterea quoſdam Chriſtianorum hoſtes aliquando muſſitaſſe, libros illos juſſu ſenatus abolendos atque concremandos eſſe. Quid? res ipſa, quæ abs ſuis quoque cultoribus eſt irriſa, (nulla enim vmquam ſtultior atque ineptior fabula vllius ſuperſtitionis fuit) vltrò ſeſe refellebat. Sed quod huc pertinebat, facilè deſcribere potuit Minucius ex Tertulliano, Iuſtino, Athenagora, Theophilo : vt & poſteà ex Minucio Arnobius, Lactantius, Ambroſius, Auguſtinus, cùm eamdem cauſam agerent. Certè quòd Octauius de Saturno narrat, Lactantius ipſum Minucium auctorem laudans, repetit, latiuſque exponit lib. 1. cap. 11. Vt autem Octauius totam fabulam Romanæ ſuperſtitionis ſalsè ſubſannat : ſic & ipſorum oraculorum, quibus tantopere gloriabantur Ethnici, vanitatem eleganter oſtendit : ac ante ſuam quidem ætatem oraculum Apollinis Pythij deſiiſſe ſignificat : ſicuti & Plutarchus fatetur temporibus Adriani Imp. planè defeciſſe. Sic enim cùm Chriſtianæ religionis veritas inualeſceret, neceſſe fuit euaneſcere impoſturam illorum τῶν χρηστηρίων. Porrò Octauius de dæmonibus & eorum, cùm abs Chriſtianis adiurantur, trepidatione narrat, quod anteà Iuſtinus & Tertullianus in Apolog. & Cyprianus contra Demetrianum, & poſteà

Lactantius libro quarto, capite vigeſimo ſeptimo. Itaque facilè refellit ipſum quoque Vlpianum, Chriſtianos, vt impoſtores, huius (vt vocant) exorciſationis cauſa, irridentem. L. 1. De extraordinaria cognitione. Inanes non fuiſſe exorciſmos poſterioribus quoque temporibus. & fuiſſe frequentes in Eccleſia, intelligi quoque poteſt ex Optato Afro, & Auguſtino, ſcriptoribus à Minucio minimè alienis.

Sed & de Deo vnico multa Octauius inculcat, non diſſimilia iis, quæ Iuſtinus περὶ μοναρχ. & Clemens Alexandrinus collegerant. Nam & vtrumque legiſſe noſter potuit. Neque verò præterit, quod Cyprianus vrget, ipſum quoque vulgus naturaliter appellare Deum vnum & ſingularem, cùm Numen inuocat; ſicuti & Lactantius libro ſecundo, capite primo ait, Ethnicos, cùm jurarent, Deum potiùs quàm Iouem nominaſſe. In antiqua formula jurisjurandi Rom. nominatur Dieſpiter. Sed Cicero libro ſeptimo, epiſt. ad Trebat. dixit, *jurare Iouem lapidem.* Sæpè etiam Iouis meminiſſe olim jurantes & conſtat, & apud Græcos Ζεὺς ὅρκιος eſt appellatus. Mirum verò, quod Cæcilius gloriatur, ignotis etiam numinibus Romanos aras extruxiſſe. Nam quid hoc aliud eſt, quàm errorem confiteri? Talem aram Paulus Athenis vidiſſe ſe ait, & ex ea ſumit argumentum conuincendæ huius ignorantiæ, docendorumque Athenienſium. Neque in Attica modò, ſed & in Elide fuiſſe aras ita inſcriptas, teſtis eſt Pauſanias. Et fortaſsè poſteà Octauius cùm docere Cæcilium inſtituit, Pauli exemplo inde repetiit ſuæ Catecheſeos de veri Dei cognitione principium.

Illud quoque mirum videri poſſet, Cæcilium gloriari, quæ apud alios populos ſingula numina coluntur, vniuerſa Romæ coli: nihil vt ſuperſit, quàm vt ſuum Pantheon glorioſè oſtentet. Atqui obſtabat lex Romuli, quæ peregrinos Deos coli vetabat. Obſtabat Ciceronis ſententia, qui confuſionem religionum alioqui fore pronunciat. Sed peregrinos fortaſsè non judicabant, quia jam erant publicè acciti, & veluti ciuitate donati. Sic Vrbs illa, quæ ab Athenæo ſcitè dicta erat ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, ſalsè abs Theophilo noſtro ante Minutij ætatem appellata eſt ἐπιτομὴ τῆς δεισιδαιμονίας. Nam & Tertullianus dixerat, in ea conſediſſe conuentum dæmoniorum, curiamque Deorum. Intereà non temerè adjecit, illic quidvis colere jus fuiſſe, præter Deum verum. Eſtque profectò memorabile quod Auguſtinus libro primo de conſen. Euang. cap. 18. ſcribit, cur illum vnum non coluerint Romani, qui colebant omnes alios. *Quia* (inquit) *ſolum ſe coli voluerit, illos autem Deos gentium, quos iſti jam colebant, coli prohibuerit.* Cùm autem de ipſo Chriſto quæreretur, alia etiam cauſa fuit, cur Senatus reclamaret. Porrò vt Auguſtinus in eo libro multa inculcat, quæ ex noſtro Octauio repetita videri poſſent, ſic & quod eleganter reſpondet de excidio Hieroſolymitano, Octauij de eadem re reſponſionem confirmat. Sed ſingula nunc deſcribere nihil attinet. Redeo ad Minucianum auditorium.

Cæcilius Chriſtianos accuſat quòd templa tamquam buſta deſpiciant. Fatetur Octauius. Nam & Clemens Alexandrinus in προτρεπ. anteà probauerat illa eſſe ſepulchra. Sed & Arnobius libro ſexto templa buſtis ſuperlata fuiſſe ait. Cæterùm Chriſtiani alia poſteà ratione ex ſuorum Martyrium ſepulchris, non modò templa, ſed & altaria effecerunt. Neque non potuit Minucius ea vidiſſe. Sed ita eſt profectò. Etſi majores noſtri religionis nomine multa facerent in ſpeciem ſimilia iis quæ ab ethnicis fiebant: tamen quia alius erat finis, aliuſque vſus, ſua ſacra defendi poſſe ſciebant, etſi aliorum κακοζηλίαν damnarent. Sacrificiorum Romanorum ritus quàm valdè irrident? Atqui non diſſimilis eorum, quæ lege diuina Iudæis mandata erant, forma fuit.

Etſi autem Chriſtiani ætate noſtri Minucij ſua templa ſuperbè attollere ad exemplum ethnicorum non poſſent, tamen ſuas ſaltem habebant cryptas, & quaſdam etiam ædes & domus ſacras in apertis & editis locis, vt Tertullianus ait, & lubenter conueniebant ad illa ſuorum martyrum ſepulchra: quæ κοιμητήρια vocabant. Nam & hæc illis permiſiſſe Galienum Imper. (qui Minucij ætatem non longo interuallo attigit) Euſebius ſcribit. Ridet autem Cæcilius, quod Chriſtiani ſuos jam vita functos, non tam mortuos eſſe, quàm dormire dicerent, & crederent, corporumque reſurrectionem futuram jactarent. Atqui & apud ſuum Homerum legerat, ὑπνώοντας ἐγείρειν, & apud Virgilium, Somnos adimere, cùm de mortuis in vitam reuocandis agitur. Quid præterea hîc reſponderit Octauius, conferri poteſt cum iis quæ anteà Theophilus, Athenagoras, Iuſtinus, Tertullianus eadem de re ſcripſêre. Nam hos ſecutus Minucius eſt. Ridet Cæcilius Chriſtianos quòd cadauera vngant, non coronent. Atqui & Romani, etſi quid agerent, ignorarent, vnguenta funebria habebant. Notus eſt ille Ennij verſiculus, *Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.* Et licet Leges duodecim Tabul. ſeruilem vncturam cadauerum (vt ait Cicero) tollerent, aliam tamen relinquebant: & ipſi Iuriſconſulti inter juſtos funeris ſumptus vnguenta referunt. L. 37. De religioſ. & ſump. fun. Quod ad coronas cadauerum attinet, fatetur Octauius Chriſtianis ineptas videri: & eos propterea in eo genere ethnicos imitari nolle. Tertullianus in lib. de Coron. milit. ait, à ſæculo coronari & ipſas libitinas: & ipſe Cicero pro Flacco meminit aureæ coronæ impoſitæ mortuo cuidam Caſtricio. Verùm quid antiquæ leges Rom. de coronis cadauerum ſtatuerent, dixi ad duodecim Tab. Denique ridet & indignatur Cæcilius, apud Chriſtianos cadauera humari, non vri. Verum eſt vetus illud, *Riſu inepto nihil eſt ineptius.* Quid Octauius? Simpliciter reſpondet, antiquam eſſe ſuam & meliorem ſepeliendi conſuetudinem. Quod & Arnobius reſpondit. Nam & poſt Minucium mota iterum hæc quæſtio eſt. Atqui Romani poterant ſui ſaltem Ciceronis librum ſecundum de legibus legiſſe, qui hunc morem defendit & confirmat. Et Plinius libro ſeptimo, capite quinquageſimo quarto, Ipſum, inquit, cremare, non fuit veteris inſtituti apud Romanos: terra condebantur. Sanè Tertull. de coron. milit. ait: Chriſtiano non licuiſſe cremare. & in lib. de Reſurrect. carnis ridet eos, qui atrociſſimè (vt ait) exurunt defunctos.

Porrò Auguſtinus libro vndecimo Confeſſ. ſignificat, in Eccleſia Oſtienſi peculiarem aliquem etiam fuiſſe morem humandorum corporum. An is quoque iam tum in vſu eſſet, cùm ibi ageret Minucius, neſcio. Ridiculum verò, quod Cæcilius, ſeuerus ſcilicet cenſor, Chriſtianos accuſat, quia neque vnguentis delibuti, neque ſertis redimiti eſſent. Mirum, quòd intereà non miratur, eos tamen vſos jam tunc fuiſſe oleo & chriſmate. Sanè ſobriam, ſiccam, frugalemque vitam, hoc eſt, ab vnguentis alienam, ipſi etiam ethnici laudare ſolebant: & Plato ex ſua Repub. quam optimam ſuo judicio fingit, Homerum non eiicit niſi vnguento perfuſum & vittis redimitum, & (vt hic noſter Octauius ait) coronatum: cùm ſignificaret ſeſe habere nolle ciues tam molles. Ac ne longiùs abeam, Veſpaſianus quemdam vnguentis madentem, & gratias agentem pro impetrata præfectura, auerſatus, Mallem, inquit, allium oleres. Sed quid non obijceret Cæcilius, cùm etiam Chriſtianos accuſet, quia flores naribus ſupponerent, nec capiti coronando imponerent. Atqui ipſe Lucianus in ſuo Nigrino ipſos Romanos rectiùs irridet, quòd Chriſtianos hic non imitentur, & faciant contra naturam, planeque nihil aut ſapiant, aut ſentiant. Adde Tertull. de Coron. milit.

Cæterùm Cæcilius, vt alter Lucianus in Peregrino, Chriſtianos irridet, quòd colant hominem crucifixum, Octauius breuiter negat hominem tantum eſſe, quem colunt: & regerit, aduerſarios potiùs eſſe ἀνθρωπολάτρας, qui reges tamquam deos colant, & per eorum etiam genium jurent: quinimò grauiùs puniant ita

peierantem, quàm ſiquis ſuum Iouem jurando ſciens falleret. Suſpicor hic notari quandam conſtitutionem Alexandri Seueri: quæ tamen relata eſt in libros Iuris. L. 11. Cod. de rebus credit. Sanè olim Chriſtianos noluiſſe vti tali formula jurisjurandi, teſtis eſt Tertullianus in Apologet. Sed tantò magis miror eam poſteriorum Cæſarum Chriſtianorum legibus commendari.

Cæcilius contumelioſè obiicit, Chriſtianos etiam ipſam crucem adorare. Negat Octauius. Aduerſarius iis, vt furciferis maledicit. Noſter (non enim eum pudet crucis Chriſtianæ) cruciferos ſuo modo dici, non recuſat, & de ſuo crucis ſigno religioſo (quod certè maioribus olim noſtris familiare fuit) reſpondet, quod anteà Iuſtinus & Tertullianus ſcripſerant, & poſteà Lactantius lib. 4. cap. 27. Nam & quanti illud fecerit Conſtantinus, notum eſt: certè vt vulgò res minus eſſet ignominioſa, edixit, ne deinceps facinoroſi cruci affigerentur. Non deſiit tamen Iulianus Apoſtata, vt Cæcilius, Chriſtianis ignominiæ cauſa exprobrare crucis cultum: ſicuti ex Cyrillo intelligi poteſt.

Mira eſt impudentia calumniæ. Eò tandem euaſit, vt neſcio quæ ſacrotum monſtra Chriſtianis obiicerent aduerſarij, & qualia demens (vt quidem Poëta dixit) Ægyptus portenta colit Audet etiam Cæcilius fingere nos adorare caput aſini, quamquam primus hoc non finxerit. Octauius tam putidam calumniam infitiatione depellit, & id potiùs de aduerſariis verè dici poſſe, recriminando probat, ſecutus ſuum Tertullianum: qui & Chriſtianos vulgò dictos eſſe aſiniarios, & Chriſtum ipſum auribus aſininis tamquam aliquem Midam ab impio pictore expreſſum fuiſſe narrat. Talem autem confictam fabulam eſſe ſignificat, quòd Cornelius Tacitus mentiendo tale quippiam de Iudæis recitaſſet. Verùm & ante Tacitum multis annis Appio Alexandrinus tempore Caligulæ in Iudæis accuſauerat quandam ὀνολατρείαν. Cæterùm cùm Ioſephus tale mendacium iam refutaſſet, minus ignoſcendum eſt Tacito, qui in eo perſtat: minimè verò illis, qui maiori etiam impudentia Chriſtianis hoc probrum aſpergunt.

Turpius eſt, quod Cæcilius eodem pudore clamitat, eos colere neſcio quæ pudenda. Ecquò ruit impura maledicentia? Octauius ſuæ verecundiæ eſſe intelligit, id longiori oratione non refellere. Interea audire cogitur alia non minus nefanda, cùm Cæcilius declamaret, nefarios eſſe Chriſtianorum cœtus antelucanos, inceſto & parricidio pollutos, propè vt olim erant Romæ Bacchanalia. Octauius talia crimina non ſolùm abs ſuis depellit, ſed etiam retorquet in aduerſarios. Quàm inceſta eſſent Romanorum ſacra, non eſt ignotum. Nam & eorum Poëta. Nota bonæ, inquit, ſecreta Deæ. Diu etiam humanas victimas immolarunt: etſi in aliis gentibus hanc, non jam dico ſanctam, ſed ſanguinariam & ſceleratam feritatem deprehenderent. Eſt autem memorabile, quod Plutarchus in Problemat. narrat eos obtendiſſe ad hoc ſuum factum excuſandum, aliorumque damnandum Mirum verò, Chriſtianis ſacra talia obiecta fuiſſe. Fuit tamen vetus & diuturna hæc calumnia: & quidem promiſcuæ libidinis coitio, & quia Chriſtiani ſeſe fratres ſororeſque appellarent, atque etiam oſculo ſeſe inuicem exciperent. Quid dicam oſculo quoſdam impudicè abuſos eſſe, vt & fatetur & conqueritur Clemens Alexandrinus in Pædagog. Chriſtjani ſatis multa caſtiſſimi ſui pudoris teſtimonia opponebant. Sed nihil audit impudens maleuolentia, quæ vt linguam habet intempetantem, ſic neque frontem, neque aures hebet. Sanè & olim Appionem tale quippiam de Iudæorum cœtibus confinxiſſe narrat Ioſephus. Ergo nihil noſtris tali infamia oppreſſis aliud ſuperfuit, quàm, quod ſcitè & eleganter Æſchylus ait, τὴν ἀλήθειαν ἀναπθῦσαι τῷ χρόνῳ. Non erant impoſtores, qui verba darent: non homines clamoſi & impotentes, qui conuitiis, maledictis, libellis famoſis aduerſarios viciſſim opprimere vellent. Rebus ipſis falſum refellere, & eo tandem modo vincere ſedendo & ſilendo, malebant: & bona intereà conſcientia ſeſe ſuſtentabant atque conſolabantur. Sic bonam cauſam agebant benè.

Mirum rurſus, Cæcilio tam inſolentem viſam eſſe illam inter eos fraterni nominis communionem, cùm & ipſe Vlpianus ſcripſerit, eum, qui fraterna charitate diligitur, etſi frater non ſit, rectè tamen fratrem ſimpliciter appellari: quod & in libros Iuris relatum eſt, L. quinquageſima octaua. De hæredib. inſtit. Quinimò & olim ipſos Eſſæos, ante tempora Chriſtianorum, ita ſeſe inuicem compellaſſe, didici ex quodam Philonis fragmento, quod extat apud Euſebium περὶ εὐχῆς.

Horribilius eſt alterum quod obiiciebat crimen infanticidij: cœpitque hæc calumnia paulò poſt tempora Trajani, & ad Conſtantini ætatem perdurauit, & quidem cum tragica ſuſpicione cuiuſdam cœnæ Thyeſteæ. Sed vnde hæc ſuſpicio? An quia Chriſtiani dicere ſolerent ſe veſci corpore & ſanguine Chriſti? ſicut ediuerſo narrat Auguſtinus quoſdam aliquando exiſtimaſſe ab Chriſtianis adorari Cererem & Bacchum, cùm audirent in eorum myſteriis tanti fieri panem & vinum, neque alioqui rem intelligerent. Quid dicam, quod Epiphanius narrat quoſdam hæreticos, qui Gnoſtici & Cataphryges & Pepuziani appellabantur, ſe verò Chriſtianos eſſe mentiebantur, commiſiſſe, quod hic Cæcilius omnibus Chriſtianis obiicit? Sed an æquum fuit, vt viris bonis propterea affingeretur, quod ab iis erat alieniſſimum? Aduerſarij loco probationis obtendebant famam & rumorem. Sed nullo quoque jure id fieri, leges ciuiles pro noſtris reſpondebant, & ipſe Quintilianus dixit, nulli non etiam innocentiſſimo accidere poſſe fraude inimicorum falſa vulgantium, vt ſiniſtro rumore laboret. Quàm verò procul abeſſent Chriſtiani abs omni homicidio, ſatis Octauius oſtendit, cùm ne homicidium quidem in ludis gladiatoriis ſpectare eos per ſuam religionem potuiſſe narrat, quod & anteà Theophilus dixit contra Autoly. & eodem tempore Athenagoras in Apologia, & latiùs Tertullianus in libro de Spectaculis. & poſteà Lactantius libro ſexto, capite vigeſimo. Sed nequæ cæſæ pecudis ſanguinem guſtaſſe noſtros Minutius affirmat, ſicuti & Tertullianus. Sic enim quam Apoſtoli repetitam Nohæ legem rurſus tulerant, multis ſæculis noſtri diligenter obſeruarunt, non minus quàm Apoſtolicum in eadem Synodo decretum περὶ πορνείας. Certè quàm honeſtum, religioſum, pudicum, caſtumque fuerit Chriſtianorum ſolenne conuiuium, quod Ἀγάπην appellabant, Cæcilius, ſi verum ingenuè dicere, quàm improbè mentiri noluiſſet, intelligere potuerat non ſolùm ex Tertulliani noſtri Apologia, ſed & ſui Plinij quadam ad Trajanum epiſtola. Sed petulantiam projectæ maledicentiæ quid refrenare poſſet? Dixi de eo conuiuio plura in annotationibus ad illam epiſtolam, quæ jam repetere nihil attinet. Vtut autem nocturni Chriſtianorum cœtus innoxij eſſent, tamen obſtabat lex duodecim Tab. multis decretis confirmata, & grauia erant judicia de collegiis illicitis. Noſtri verò reſpondebant, nihil Reipub. eſſe periculi à ſuis coitionibus, quia eſſent alieniſſimi ab omni vel ambitione vel vllius dignitatis cogitatione, nihilque eſſet in Repub. quod affectarent, ſed ſua eſſent priuata conditione contenti, vt Tertullianus in Apolog. reſpondet.

Cæterùm vt jam prætercam reliqua capita vel accuſationis Cæcilianæ, vel Octauianæ defenſionis illud obſeruare iuuat: cùm calumniator ingenioſus & acer nihil non vel confingat vel exaggeret, & majeſtatis quædam leuiora crimina adiungat: præteriſſe crimen perduellionis, quod & alij anteà objecerant, & ad reos

ſtatim opprimendos imprimis idoneum eſſe videbatur. An id diſſimulauit, quia ne tenuis quidem eius eſſet ſuſpicio? Fuit certè perpetua hæc majorum noſtrorum gloria, quòd nullis injuriis tam irritati potuerint, vt in principes aut tyrannos, etſi ab iis indigniſſimè vexarentur, hoſtili animo eſſent, aut vllis aduerſus eos conjuratis conſpirationibus (quæ tamen alioqui & ſpecioſæ & frequentes tunc erant) aſſentirentur: aut quid ſua patientia, tolerantia, modeſtia, continentia dignum eſſet, non meminiſſent. Tantum abeſt vt eſſent aut turbulenti aut ſeditioſi, aut immani cupiditate vltionis abriperentur. Nam etſi ea multitudine ſepti eſſent, vt facilè poſſent conficere quod in hoc genere inſtituiſſent, tamen fas non eſſe putabant. Et verò ſuæ alioqui religionis & principia ſuſtuliſſent, & fundamenta euertiſſent. Imò verò humanæ ſocietatis vincula omnia diſſoluiſſent. Quid multi etiam philoſophi ambitioſè prædicarent de tyrannicidis, notum erat. Sed noſtri talibus flabellis incendi ſe non patiebantur; quantùm abeſt vt religionis nomine ad publicum parricidium incitarentur. Nihil eſt prætermiſſum quod eos inflammare poſſet, & furor fieri dicitur læſa ſæpiùs patientia. Sed eos religió continuit, & ad inuictam modò patientiam armauit. Id verò, de quo etiam quæri hoc tempore audio & miror, perpetua plurium ſæculorum hiſtoria nos aliàs confirmabimus. Illud modò breuiter attingam, quod Minucius dicere potuit, ac paulò ante eius ætatem accidit.

Tertullianus ad Scapulam, *Circa Majeſtatem*, inquit, *Imperatoris infamamur: tamen numquam Albiniani vel Nigriani vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani.* Iuuat & alterum eiuſdem Tertulliani locum, cuius memoriam veterem hiſce temporibus renouari plurimùm intereſt, aſcribere. *Vnde*, inquit in Apolog. *& Caſſij & Nigri & Albini? vnde qui inter duas lauros obſident Cæſarem? Vnde qui faucibus eius exprimendis palæſtricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Parthenis audaciores? De Romanis (ni fallor) id eſt, de non Chriſtianis.* Ne hunc quidem locum ex hiſtoria illuſtrare grauabor. Auidius Caſſius, Syriæ legatus, aduerſus M. Antoninum Imp. ſurrexerat, cùm prætexeret ſe Rempublicam reſtituere atque conſeruare velle, quam Marci diſſoluta indulgentia peſſumdaret. Chriſtiani tamen qui in Marci exitu aduerſus Marcomannos tam frequentes fuerunt, Caſſianæ factionis nulli fuerunt. Commodum impurum tyrannum & noſtris infeſtiſſimum domi ſtrangulari Romani curarunt, qui illi maximè erant familiares. An his Chriſtianus vllus adfuit? Septimio Seuero, qui ad Imperium gladiatorio animo viam affectabat, ſeſe oppoſuit Peſcennius Niger in Syria, & deinde Clodius Albinus in Britannia Galliaque, cùm vterque tam bono jure armatus, quàm Seuerus, ſibi eſſe videretur. Nam & ipſe Tertullianus in libro de Pallio, hoſce non minus quàm Seuerum, Auguſtos aliquando agnouit atque appellauit. Chriſtiani tamen in eorum vel exercitu vel factione nulli inuenti ſunt. Plautianus, qui Principi proximus erat, & poſt eum maximæ auctoritatis, vt Seuerus & Caracalla, à quibus fiebant multa crudeliter, jugularentur, immittit in curiam ſuum Præfectum. & eodem paulò poſt irrumpit. An Plautianum Chriſtiani ſecuti ſunt, quorum intereſſe videbatur tyrannos illos tolli? Imò verò potius Seuerum jam decumbentem illi ſuo etiam oleo curarunt, ſanaruntque, vt teſtis eſt Tertullianus ad Scapulam, vbi & ſolennes Eccleſiæ preces pro Principibus commemorat. Tum addit: *Ex regula patientiæ diuinæ agere nos ſatis manifeſtum eſt, cum tanta hominum multitudo, pars penè maior ciuitatis cuiuſque, in ſilentio & modeſtia agimus. Abſit enim, vt indignè feramus ea nos pati, quæ optamus: aut vltionem à nobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus.* Non diſſimilia ſunt, quæ reperit in Apolog. & digna ſunt, quæ his quoque temporibus inculcentur. Certè ait, Chriſtianos facilè paucis faculis vel vna nocte potuiſſe ſeſe vlciſci, ſi aut fuiſſent aut eſſe voluiſſent (quod tamen iam à temporibus Neronis dicebantur) incendiarij. *Sed abſit*, inquit, *vt aut igni humano vindicetur humana ſecta, aut doleat pati, in quo probatur.* Ait illis, ſi apertè agere & vim vi repellere voluiſſent, minimè defuiſſe vim numerorum & copiarum. *Sed*, inquit, *apud iſtam diſciplinam magis occidi licet, quàm occidere.* Ait, illos etiam ſine armis potuiſſe vincere ſecedendo, & vacuum Romanis ſuum orbem relinquendo, ſi aliò migrare voluiſſent. Tunc enim defuiſſent quibus imperaſſet Rom. Imp. Adeò pauci ſupererant, qui non eſſent Chriſtiani. Sed noſtros & ciues manere voluiſſe, & ad hoſtes Romanorum tranſire noluiſſe ſignificat, & interea tamen à Romanis appellatos eſſe non hoſtes modò, ſed & principum & humani generis hoſtes. Cæterùm tam injuſta & aperta fuit hæc injuria, vt ipſos tandem hoſtes Chriſtianorum puduerit tam & ingratè agere, & loqui impudenter. Ergo Cæcilius, quantumuis eſſet impudens, erubuit iis aliquod perduellionis crimen affingere. Quiduis aliud objicere, carpere, mentiri, calumniari maluit. Sed neque Chriſtianis aſcribit cauſam publicarum calamitatum: quod tamen eo tempore alij aduerſarij odioſè facere imprimis ſolebant. Triſtiſſima ſanè, ætate Minucij, erat facies Romani imperij, horribiliſque dilaceratio atque confuſio. Quid dicam genus omne malorum tunc inundaſſe? orbemque & concuſſum & permixtum bellis, incendiis, inundationibus, terræ motu, ciuitatum ruinis, gentium regnorumque excidiis; denique confectum & fame & peſte publica? Non committit tamen Cæcilius, vt (quod vulgus tunc clamitabat, & antè poſtque multis ſæculis jactatum eſt) calumniaretur, Chriſtianis totum illud chaos acceptum ferri debere, eorumque ſanguine eſſe expiandum. Ante Minucii ætatem Tertullianus, Si, inquit, Tiberis aſcendit in arua, ſi cælum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim CHRISTIANOS AD LEONEM acclamatur. Non minus odioſa & immanis erat acclamatio tempore Cypriani, vt ex huius ad Demetrianum epiſtola ſatis apparet. Eadem & tempore Arnobii. Nam & hic in ſuis aduerſus Gentes libris laborat, vt hac publici odii & inuidiæ flamma noſtros liberet. Quid ipſe poſtea Symmachus? Nonne audet talem rurſus cantilenam canere? Certè dignus erat, qui audiret, quod aliquandò Romæ poſt mortem Commodi Imp. acclamatum eſt: DELATORES AD LEONEM. Sed noſtri abs ſanguine & vltionis cupiditate erant alieni. Ambroſius non paſſus eſt eum in crimine tam falſo diutiùs exultare. Sed cùm non multò poſt vrbs ipſa capta atque direpta fuiſſet, non erubuerunt impii calumniatores talem poſtremò cladem religioni Chriſtianæ aſcribere: coactuſque eſt rurſus Auguſtinus tam tetræ maledicentiæ occurrere. Nam & propterea ſe ſuos de Ciuitate Dei libros ſcripſiſſe fatetur. Agit ergo minus malitioſè Cæcilius, qui aliorum exemplo talem facem in noſtros non contorquet, neque eorum innocentiam tam indignè onerat. Imò verò iis, vt miſeris, vt victis, vt ſeruis, ipſe tamquam magnis victoriis elatus, & ſumma felicitate cumulatus, ſuperbè inſultat: & hoc nomine tam illorum religionem faſtidioſè deprimit, quàm ſuam glorioſè attollit ſuperſtitionem. Sic enim profani homines ex fortuna & rerum ſucceſſu pendent. Sic ipſe Cicero pro Flacco contumelioſè exagitat Iudæorum & gentem & ſacra. Sed & Appionem Iudæis ſeruitutem, & ærumnas, tamquam falſæ religionis teſtimonia, confidenter objeciſſe, ex Ioſepho intelligimus. Mirum verò, poſt tempora quoque Conſtantini, Iulianum Imp. noſtros eadem ratione imperiiſſe, ſicuti ex Cyrilli reſponſionibus cognoſcimus. Quantò id magis potuit Cæcilius, qui Chriſtianos, niſi afflictos, miſeros, puperes, nullos viderat? Itaque magno ſupercilio & faſtu & contemptu eos deſpuit, & tamquam καθάρματα καὶ περίψηματα (vtor Apoſtoli verbis) proculcat. Sed Thraſonicos eius ſpiritus altiori animo deſpicit Octauius, iiſque ſanctam quamdam ſuperbiam opponit, qua & in paupertate diuites, & in ſeruitute liberi, & in media denique morte victores eſſent

cùm diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem [a] ſapientiæ & veritatis emergerem, A non reſpuit comitem, ſed, quod eſt glorioſius, præcucurrit. Itaque cùm per vniuerſam conuictus noſtri & familiaritatis ætatem mea cogitatio volueretur, in illo præcipuè ſermone eius mentis meæ reſedit intentio, quod [b] Cæcilium ſuperſtitioſis vanitatibus [c] etiam nunc inhærentem diſputatione grauiſſimâ ad veram religionem reformauit. Nam negotij, & viſendi mei gratiâ Romam contenderat, relictâ domo, coniuge, liberis, & quod eſt in liberis amabilius, [d] adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorem. Quo in aduentu eius non poſſum exprimere ſermonibus, quanto, quamque impatienti gaudio exultauerim: cùm augeret maximè lætitiam meam amiciſſimi hominis inopinata præſentia. B Igitur poſt vnum & alterum diem, cùm iam & auiditatem deſiderij frequens aſſiduitatis vſus impleſſet; & quæ per abſentiam mutuam de nobis neſciebamus, relatione alterna comperiſſemus, placuit [e] Oſtiam petere amœniſſimam ciuitatem, quod eſſet corpori meo ſiccandis humoribus de marinis lauacris blanda & appoſita curatio. [f] Sane & [g] ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant. Nam id temporis, poſt æſtiuam diem, in temperiem ſemet autumnitas dirigebat. Itaque cùm diluculo ad mare inambulando litore pergeremus, vt & aura aſpirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli veſtigio cedens arena ſubſideret, Cæcilius [h] ſimulacro Serapidis denotato, C vt vulgus ſupeſtitioſus ſolet, [i] manum ori admouens, oſculum labiis preſſit. Tunc Octauius ait; [k] Non boni viri eſt, [l] Marce frater, hominem domi foriſque lateri tuo inhærentem, ſic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deſerere, vt tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos ſanè, & vnctos, & coronatos; cùm ſcias huius erroris non minorem ad te quàm ad ipſum infamiam redundare. Cùm hoc ſermone eius medium ſpatium ciuitatis emenſi iam liberum litus tenebamus. Ibi [m] arenas extimas velut ſterneret ambulacro perfundens lenis vnda tendebat. Et vt ſemper [n] mare etiam poſitis flatibus inquietum eſt, etſi non canis ſpumoſiſque fluctibus exibat ad D terram, tamen [o] criſpis toroſiſque ibidem erroribus delectati perquam ſumus, cùm in ipſo æquoris limine plantas tingueremus, quod viciſſim nunc adpulſum noſtris pedibus adluderet fluctus, nunc relabens, ac veſtigia retrahens in ſeſe reſorberet. Senſim itaque tranquillèque progreſſi, oram curui molliter litoris, iter fabulis fallentibus legebamus.

Hæ

a SAPIENTIÆ ET VERITATIS.] Hoc eſt, veræ ſapientiæ, nempe Chriſtianæ. Sic feminas ſapientiam conſecutas dixit Tertullianus, Chriſtianas. Et Socratem ſapere ad veritatem, cùm ad Chriſtianorum ſcita propiùs accedebat. RIG.

b CÆCILIVM.] Hunc etiam appellabit Natalem. Vtriuſque autem nominis epiſcopi & preſbyteri citantur Africano concilio de baptizandis hæreticis. Sunt qui Cæcilium iſtum putant Cypriani fuiſſe præceptorum. Sed quibus id ſibi rationibus perſuaſum fuerit, non explicant. Pontius in vita Cypriani: Erat ſanè illi etiam de nobis contubernium viri iuſti & laudabilis memoriæ Cæcilii & ætate tunc & honore preſbyteri, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis à ſeculari errore correxerat, &c. *Idem*.

c ETIAM NVNC INHÆRENTEM.] Sic loquitur Minucius, reſpiciens ad illud temporis ſiue negotii quod hic deſcribitur. *Idem*.

d *Adhuc annis innocentibus*.] Innocentem ætatulam dicit Prudentius in agone Romani. Tacitus hiſtor. lib. 3. *innoxiam ætatem*. Philo, *ἄκακον ἡλικίαν*, aduersùs Flaccum. *μὴ γῆρας, μὴ νεότητα, μὴ παίδων ἄκακον ἡλικίαν οἰκτισάμενοι*. HERALDVS.

Annis adhuc innocentibus. Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4. cap. 23. *Innocens ætas*. Hilarius in Pſalm. 118. *Rudes à peccatis annos, & ætatem adhuc criminum neſciam*. Cyprianus de lapſis. *ſimplices annos*. Victor de perſecutione Vandal. lib. 1. & 3. Prudentius in Romano Martyre, *innocentem ætatulam*. Martialis lib. 10. epigr. 62. *ſimplicem turbam* pueros appellat. ELMEN.

Annis adhuc innocentibus. Lactantius lib. 1. cap. 21. vbi de infantibus Saturno immolatis: *Cùm teneras atque innocentes animas, quæ maximè eſt ætas parentibus dulcior, ſine vllo reſpectu pietatis extingueret*. Dimidiata verba. Ita ad Lætam Hieronymus in re ſimili. VOVV.

e OSTIAM PETERE.] Quo loci etiam Auguſtinus ſanctiſſimos habuit cum Monica matre de pietate Chriſtiana ſermones. Oſtiam veteres dixere, & τὰ Ὤστια. Oſtia Tiberina. Vnde & Oſtianos & Oſtiates atque etiam Oſtios. RIG.

f SANE ET AD VINDEMIAM FERIÆ.] Ad formam huiuſce opuſculi Minuciani ſuam Cyprianus ad Donatum epiſtolam ſiue diſſertationem concepit. *Idem*.

g *Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant*.] Iuſtitium fieri ſiue vacationem ab omni actione forenſi menſibus Quintili & Sextili nemo niſi rudis ignorat. Eſt autem hic locus verbis non diſſimilibus expreſſus à Cypriano epiſt. ad Donatum de gratia Dei. *Indulgente vindemia*, inquit, *ſolutus animus in quietem, ſolennes ac ſtatas anni fatigantis inducias ſortitur, locus etiam cum die conuenit, & mulcendis ſenſibus ac fouendis ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna conſentit*. Ceſſatio autem illa ſtatuitur leg. 1. D. de Fer. & dilat. & Quamuis cauſæ quædam exceptæ fuerint quæ referuntur. D. eodem. PRI.

h SIMVLACRO SERAPIDIS DENOTATO.] Hoc eſt animaduerſo, deprehenſo, notato ſibi obviàm. RIGALT.

i MANVM ORI ADMOVENS.] Adorans. Plinius lib. 28. in adorando dexteram ad oſculum referimus. Fulgetras poppyſmis adorare conſenſus gentium eſt. *Idem*.

Manum ori admouens, oſculum labiis preſſit.] In adorationis ritu manum ori admoueri ſolitam, iampridem à doctiſſimis in hoc genere viris obſeruatum eſt, quorum diligentiæ ac famæ nihil detractum volumus, etiamſi ad Minucium hac occaſione quædam delibemus. Lucianus *ἐν Θυσίαις* & paulò clariùs *περὶ ὀρχήσεως*. Sic Apuleius Mileſiarum 4. Manum verò priùs oſculari ſolebant, ac tum demum eam versùs illum, quem adorabant, porrigebant; vt rectè contra Lipſium obſeruat vir ſtupendæ & ad miraculum reconditæ eruditionis excellentiſſimus Salmaſius in notis ad Fl. Voſpici Probum. Et hoc dicebant, *oſcula iacere*, & *baſia iactare*. OVZ.

k NON BONI *viri eſt*, *Marce Frater*.] Octauius Marcum Minucium fratrem appellat. Chriſtianus Chriſtianum. At infrà. Cæcilius adhuc ethnicus eumdem Minucium ſic etiam compellabit, quamquam tibi Marce frater, hæc igitur appellatio fuit adfectus & religionis. Vtriuſque certè in Octauio: Adfectus in Cæcilio. RIG.

l *Marce frater*.] Fratris nomine non ſolùm vocantur Germani, ſed etiam qui ſimilibus conueniunt moribus, pareſque per omnia ſunt; & ita Octauius Minucium Fratrem appellat: Sic ἀδελφοὶ græcis. OVZ.

m ARENAS EXTIMAS *lenis vnda tendebat*.] Recta eſt hæc veteris libri ſcriptura. Tendebat arenas: extendebat. Sic tendere plagas, retia. RIG.

n *Mare etiam poſitis fluctibus inquietum eſt*.] Maris fidem infamem vocat Tertullianus cap. 2. de Pallio. & Horat. lib. 1. od. 3. *Infames ſcopulos Acroceraunia*. Sed Gregorius Nyſſenus oratione funebri Placillæ Auguſtæ rem explicat. *κατὰ πᾶσαν ... τῷ λαίλαπι τῆς συμφορᾶς ἐκ βυθῶν ἀνατρέφεται*. *calamitatis turbine agitatum mare à fundo vſque commouetur*. PRI.

o CRISPIS TOROSISQVE.] Parum attentis oculis Regium exemplar inſpexerat, qui primus ex eo renunciauit ſcriptum, tortuoſis. Nam in eo libro ſcriptum priùs fuerat, ſpis tororiſiſque. Et qui correxit, legi voluit. criſpis toroſiſque. Venarum toros medici dixere, & iubarum toros Poëtæ. RIO.

A [a] Hæ fabulæ erant Octauii diſſerentis de nauigatione narratio. Sed vbi eundi ſpatium ſatis iuſtum cum ſermone conſumpſimus, eamdem emenſi viam rurſus verſis veſtigiis terebamus. Et cùm ad id loci ventum eſt, vbi ſubductæ nauiculæ [b] ſubſtratis roboribus, à [c] terrena labe ſuſpenſæ [d] quieſcebant, pueros videmus certatim geſtientes, [e] teſtarum in mare iaculationibus ludere. [f] Is luſus eſt teſtam teretem iactatione fluctuum leuigatam legere de litore, eam teſtam plano ſitu digitis comprehenſam, inclinem ipſum, atque humilem, quantum poteſt ſuper vndas inrotare, vt illud iaculum vel dorſum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur: vel ſummis fluctibus tonſis emicaret, emergeret, dum aſſiduo ſaltu ſubleuatur. Is ſe [g] in pueris victorem ferebat, cuius teſta & procurre-
B ret longiùs, & frequentiùs exiliret. Igitur cùm omnes hac ſpectaculi voluptate caperemur, Cæcilius nihil intendere, neque de contentione ridere, ſed [h] tacens, anxius, ſegregatus, [i] dolere neſcio quid vultu fatebatur. Cui ego: Quid hoc eſt rei? cur non agnoſco, Cæcili, alacritatem tuam illam? & illam oculorum etiam in ſeriis hilaritatem requiro? Tum ille: Iamdudum me Octauii noſtri acriter angit & remordet oratio; qua in te inuectus, obiurgauit negligentiæ, vt me diſſimulanter grauiùs argueret inſcientiæ. Itaque progrediar vlteriùs: de toto & integro mihi cum Octauio res eſt. [k] Si placet vt ipſius ſectæ homo cum eo diſputem, iam profectò intelliget facilius eſſe in contubernalibus diſpu-
C tare, [l] quàm conſerere ſapientium modo. In iſtis ad tutelam balnearum iactis, & in altum procurrentibus petrarum obicibus reſidamus, vt & requieſcere de itinere poſſimus, & intentiùs diſputare. Et cum dicto eius aſſedimus, ita [m] vt me ex tribus medium lateris ambitione protegerent: nec hoc obſequii fuit, aut ordinis, aut honoris, quippe cùm amicitia pares ſemper aut accipiat aut faciat: [n] ſed vt [o] arbiter & vtriſque proximus aures darem, & diſceptantes duos medius ſegregarem. Tum ſic CÆCILIVS exorſus eſt: [p] Quam-
D quam tibi Marce frater, de quo cum maximè quærimus non ſit ambiguum; vt pote [q] cùm diligenter in vtroque viuendi genere verſatus repudiaris alterum, alterum comprobaris: inpræſentiarum tamen ita tibi informandus eſt animus, vt [r] libram teneas æquiſſimi iudicis, nec in alteram partem propenſus incumbas, ne, non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quàm ex tuis ſenſibus prolata videatur. Proinde ſi mihi quaſi no-

uus

a *Hæ Fabulæ.*) Fabulam rem geſtam etiam deſignare iampridem monuere Critici. Ita Plautus Perſa act. 5. ſc. 2.

Sed quid ego aſpicio?
Hæc vide quæ hæc fabula eſt.

Apud Petronium habes multis in locis. Quæ omnia de re geſta capienda ſunt. OVZ.

b *Subſtratis roboribus.*) ϕαλάγγας Pollux lib. 1. Non. Palangæ. Quamquam Minucius non tam de iis fuſtibus quibus naues ſubducuntur, ſed quibus ſuſpenſæ eriguntur, quos puluinos appellaſſe veteres colligo ex Iſidori lib. 19. nempè quod in iis naues quieſcebant, vt loquitur Minucius. VOY.

c A TERRENA LABE SVSPENSÆ.) Labem dicit vliginem cænoſam, qua putreſcerent carinæ diutino ſitu. RIG.

d QVIESCEBANT.) Etenim ea robora puluini ſunt nauium quieſcentium. *Idem.*

e TESTARVM IACVLATIONIBVS.) ἐποςρακισμοῖς.

f *Is luſus eſt.*) Ludum hunc puerilem, à Græcis ΕΠΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΝ appellatum, eleganter & pleniſſimè Minucius hoc loco deſcribit. Iulius Pollux quoque Onomaſt. lib. 9. cap. 7. Euſthathius ad Iliad. σ. Etymologici M. auctor, ἐποςρακίζειν παιδιά τις, ἣν παίζουσιν οἱ παῖδες, ὄςρακα ῥίπτοντες εἰς τὴν θάλασσαν. Quæ totidem verbis & apud Suidam & Phauorinum habentur OVZ.

g IN PVERIS.) Inter illos pueros. vt mox, In contubernalibus. RIG.

h TACENS, ANXIVS, *ſegregatus*) Deſcribit hominem vexatum mœroribus & curis ingentibus, qualis erat Homeri Bellerophon. *Idem.*

i *Dolere neſcio quid vultu fatebatur.*) Vultus lætitiæ aut triſtitiæ index. Q. Cicero. de petit. conſulatus. Plinius lib. 2 cap. 37 Cyprianus de lapſis. Hieronymus in Ezech. cap. 8. Ouidius faſtorum lib. 4. & 6. Iuuenalis ſat. 9. Theodoretus ſerm 8. de Prouid. Caſſianus lib. 1. collat. 3. Athanaſius apolog. ad Imp. Conſtant. ELMEN

k *Si placet vt ipſius ſectæ homo cum eo diſputem.*) Hoc non eſt nouum pro Chriſtiana confeſſione ſectam dicere. Nam ſub finem huius libri, *& Deo cedo, & de ſecta iam noſtra ſinceritate conſentio.* Tertullianus multis in locis, & potiſſimum apologetici cap. 1. vbi in bonam partem accipit. *Si denique,* inquit, *quod proximè accidit, domeſticis iudiciis nimis operata ſecta huius infeſtatio obſtruit viam defenſionis.* Quod & à magiſtro ſuo hauſit Cyprianus epiſt 22. *Celerius confeſſor quàm ſit moderatus & cautus, & humilitate ac timore ſectæ noſtræ verecundus.* Similiter quoque vocem αἵρεσιν in bonam partem interpretari Apoſtolum, teſtatur Beda retractatione in acta Apoſt. atque eiuſ loci non malè reddidit hanc vocem interpres, per *ſectam.* PRI.

l QVAM CONSERERE *Sapientium modo.*] Sic facilè reſtituimus infiſſimam ſcripturam Minucij deprauatam in exemplari peruerſa litterula: facilius eſſe in contubernalibus diſputare, quàm conſerere ſapientium modo in iſtis ad tutelam balnearum, &c. Omnes hactenus editiones praua interpunctione ſenſum euerterant Et falſi ſunt interpretes, qui aſſerunt in manuſcripto legi aliter quàm hic retulimus. Ait Cæcilius facturum ſe vt Octauius intelligat, facilius eſſe diſputare & rixari inter contubernales vulgaribus dicteriis & conuiciis, quàm eo modo conſerere. quo ſolent ſapientes. Deinde incipit aliam clauſulam. In iſtis ad tutelam balnearum, &c. RIG.

m *Vt me ex tribus medium.*] Antiquis locus medius pro honeſtiſſimo habebatur, ac idcircò in omnibus cœtibus honoratiorem ſemper in medio collocabant. Suetonius in Claudio cap. 23. OVZ.

n *Sed vt arbiter,* &c.] Appoſitè Lucianus in amoribus, ἐν μέσῳ πάνυ δικαςικῶς ἐκαθεζόμην. HER.

o *Arbiter.*] Iudex; Feſtus: arbiter dicitur iudex, quòd totius rei habeat arbitrium & facultatem. Sic & Eugraphius illud Terentij Heautontimor. *Me cepere arbitrum, me iudicem eſſe voluerunt.* Arnob. lib. 4. Cicero orat. pro L. Muræna ſcribit hoc apud veteres conſultos controuerſum fuiſſe *iudicem* an *arbitrum* dici oporteret. Horum tamen nominum differentia ex eodem Cicerone orat. pro Q. Roſcio Comœdo colligi poteſt, quòd qui bonæ fidei iudiciis, vel arbitrariis dabatur, *arbiter*, qui ſtrictis *iudex* diceretur. Hic ſub actionum anguſtiſſima formula, à qua ne latum quidem vnguem diſcedere licitum, iudicabat; ille liberum arbitrium habebat ſtatuendi, quod ÆQVIVS MELIVS videretur. Hoc quoque diſcrimen Seneca lib 3. de benef. cap. 7. perſpicuè declarat. & lib. 2. de Clementia. cap. vlt. OVZ.

p QVAMQVAM TIBI MARCE FRATER.) Cæcilius ethnicus Minucium Chriſtianum fratrem vocat, quocum erat amicitiæ familiaritate coniunctiſſimus, vt indicant illa Octauij ad Minucium de Cæcilio, Hominem domi foriſque lateri tuo inhærentem, ſuprà RIG.

q CVM DILIGENTER *In vtroque viuendi genere verſatus,*) Hinc apparet Minucium noſtrum ætate iam prouecta factum Chriſtianum *Idem.*

r *Libram teneas æquiſſimi iudicij.*) ἴσον καὶ κοινὸν eleganter Græci dicunt, neque enim iudex æquus hic eſt ἐπιεικής. Demoſthenes in ea de corona: καὶ προςάχθεν ἑαυτὸν ἴσον καὶ κοινὸν ἀμφοτέροις ἀκροατὴν, ὅπερ τὴν δίκαιον πάντως δεῖ ποιεῖν. Rectè autem *libram teneas*, nempe vt vnicuique æquo pondere ius veluti appendatur. Prouerbium Græcorum eſt cuius meminit Euſthathius ad lib 7 Iliad. ζυγῷ πρὸς δίκην ἀθύρμος. Eleganter Clemens Alex. lib. 1. pædag. cap. 10 καὶ ἐθίμητα ἐπὶ ζυγῷ ταῖς ἰσοςασίαις ἀπονεμεῖ πᾶσι τὸ δίκαιον τῆς ἀγῆς. Prudentius.

Gentibus inſtam poſiturus æquo pondere libram. HER.

uus aliquis, & quaſi ignarus partis vtriuſque conſidas, nullum negotium eſt patefacere, A omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa: magiſque omnia veriſimilia, quàm vera. Quò magis mirum eſt, nonnullos tædio inueſtigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temerè ſuccumbere, quàm in explorando pertinaci diligentia perſeuerare. Itaque [a] indignandum omnibus, indoleſcendumque eſt, audere quoſdam, & hoc [b] ſtudiorum rudes, [c] litterarum profanos, [d] expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum, ac maieſtate decernere, de qua tot omnibus ſeculis ſectarum plurimarum vſque adhuc ipſa philoſophia deliberat: nec immeritò, cùm tantùm abſit ab exploratione diuinâ humana mediocritas, vt neque [e] quæ ſupra nos cælo ſuſpenſa ſublata ſunt, neque quæ infra terram B profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut [f] ſcrutari permiſſum, aut [g] ſtuprare religioſum: & beati ſatis, ſatiſque prudentes iure videamur, [h] ſi ſecundùm illud vetus Sapientis oraculum, noſmetipſos familiariùs nouerimus. Sed quatenus indulgentes inſano atque inepto labori vltra humilitatis noſtræ terminos euagamur, & in terram proiecti, cælum ipſum & ipſa ſidera audaci cupiditate tranſcendimus, vel hunc errorem ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicemus. [i] Sint principio omnium [k] ſemina naturâ in ſe coëunte denſata: quis hic auctor deus? Sint fortuitis concurſionibus totius mundi membra coalita, digeſta, formata: quis deus machinator? Sidera licèt ignis accenderit, [l] & cælum licèt ſua materia ſuſpenderit: [m] licèt terram fundauerint pondera, & mare licèt influxerit C liquor: vnde hæc religio, vnde formido, quæ ſuperſtitio eſt? Homo & animal omne quod naſcitur, inſpiratur, attollitur, elementorum vt voluntaria concretio eſt: in quæ rurſum homo & animal omne diuiditur, ſoluitur, diſſipatur. Ita [n] in fontem refluunt, & in ſemet omnia reuoluuntur, nullo artifice, nec iudice, nec auctore. Sic congregatis ignium ſeminibus, ſoles alios atque alios ſemper ſplendere. Sic exhalatis terræ vaporibus nebulas ſemper adoleſcere; quibus denſatis coactiſque nubes altiùs ſurgere; iiſdem labentibus pluuias fluere; flare ventos, grandines increpare, vel nimbis collidentibus tonitrua D mugire; rutilare fulgura, fulmina præmicare. Adeò paſſim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt; ſine delectu [o] tangunt loca ſacra & profana, homines noxios feriunt, & ſæpè religioſos. Quid [p] tempeſtates loquar varias & incertas? quibus nullo ordine, vel

examine

a INDIGNANDVM OMNIBVS *indoleſcendumque eſt.*] Sollicitari nondebuit hæc ſcriptura veteris exemplaris. Etenim proba eſt. Et Octauij diſceptatione firmatur Cæcilij verba repetentis RIG.

Et quoniam frater meus erupit ægre ſe ferre ſtomachari, indignari, dolere, &c. *Idem.*

b HOC STVDIORVM RVDES.] Rerum diuinarum imperitos. *Idem.*

Studiorum rudes, literarum profanos. Cæcilius hic & infrà pluribus locis agit, quod paſſim gentiles ſolebant, qui Chriſtianis, literas ſeculares phaleraſque verborum minùs colentibus, vti ad ſalutem non neceſſarias, obiiciebantque imperitiam ac ruditatem, ſcriptaque eorum ob ſtili ſimplicitatem ſpernebant, quaſi ab indoctis & imperitis hominibus profecta. Lactant. lib. 5. cap. 1. & lib 6. cap. 21. Arnobius lib 1. 2. & 3. Iſidorus Peluſ. lib. 4. epiſt. 27. 28. & 30. Theodoretus ſerm. 5. ad Græcos. Theophilus ad Autolycum lib. 1. Tatianus contra Græcos. Iuſtinus apolog. 1. OVZ.

c LITTERARVM PROFANOS.] Illitteratos. Profanum vulgus. RIG.

d EXPERTES ARTIVM *etiam ſordidarum.*] Inertes. Artium quarumlibet exſortes. Artes ſordidas dicit, illiberales: quæ ſeparari ſolent ab iis quas homine ingenuo non indignas cenſemus. Significat igitur vulgus infimum & fecem vulgi. Sic Cæcilius adhuc ethnicus pauperes Chriſtianos deſpicit. *Idem.*

e QVÆ SVPRA NOS CÆLO *ſuſpenſa ſublata ſunt.*] Totus hic locus ad fidem exemplaris editus eſt Et fruſtra ſunt qui pro, ſublata, ſcribi iubent, ſublimata. Suſtolluntur ea quæ ſus, ſiue ſurſum, id eſt, in altum tolluntur. Itaque ſublata ſunt τὰ ὑψωθέντα. Sublata dixere delicatiores pro ſuſlatis. Et hîc ſublata opponuntur demerſis, vt ſuſpenſa profundis. Rectè igitur Minucius ait, non eſſe permiſſum ſcrutari quæ ſupra nos cælo ſuſpenſa ſunt, neque eſſe religioſum ea quæ ſub terram profunda ſunt ſtuprare. Quaſi ſtuprum inferant terræ, qui in viſcera eius penetrare audent. Elegantiſſima ſunt in hanc ſententiam à Plinio notata lib. 11. cap. 63. & præfatione libri 33. *Idem.*

f SCRVTARI.) Liber Reg. ſcrutare. *Idem.*

g STVPRARI.) Idem liber: ſtuprari *Idem.*

h *Si ſecundum illud vetus Sapientis oraculum*, &c.) Variis hæc ſententia tribuitur. Clemens Alex. ſtrom. 1. τὸ μὲν οὖν γνῶθι σεαυτόν, οἱ μὲν Χίλωνος ὑπειλήφασι, χαμαιλέων δὲ ἐν τῷ περὶ θεῶν Θαλοῦ. Ἀριστοτέλης δὲ τῆς Πυθίας. Cui & Dio Chryſoſt. adſcribit orat. 6. At Clemens ſtrom. 2 ex eo tranſlatum ait, quod Moyſes πρόσεχε σεαυτῷ. Plato Alcibiade 1. & Xenophon. 4. ἀπομνημ. Pythiæ præceptum, quod Pythagoras noſſe dæmonium ſuum, hoc eſt vt Hierocles interpretatur, τὴν ψυχήν. VOTT.

i SINT PRINCIPIO OMNIVM SEMINA.) Sic legitur in exemplari. & rectiſſimè. RIG.

k *Semina.* ex ſententia Epicureorum qui ἀτόμους ſtatuunt: ſic enim Latini ἀτόμους vocant, vt Lucretius plurimis in locis: & ita Seruius ad Virgilij ecloga 7. vbi eorum hac de re doctrinam paucis verſibus incluſit. Statius Papinius lib. 3. Theb. Claudianus lib. 3. in Ruffinum. OVZ.

l ET CÆLVM LICET SVA MATERIA SVSP.) Nihil mutandum. Sua materia, id eſt, ſui generis materia, apta, habilis, conueniens cælo. RIG.

m LICET TERRAM *fundauerint pondera, & mare licèt influxerit liquor.*) Sic iſta duo commata reſtituimus ordine præcedentium ducti: nec dubitamus quin nobiſcum ſentiat quiſquis attentiùs ea penſitauerit. In exemplari legitur: licèt terram fundauerit pondere, & mare licèt influxerit è liquore. Facilè adducor vt credam iſtud, è liquore, occaſionē dediſſe librariis conturbandi quæ non capiebant. Si quis autem adhuc preſſiùs hærere velit exemplari, ſcribat nobis fauentibus: & mare licèt influxerit eliquor. Nam & eliquare & eliquamen dixere auctores valde boni. Stagnabat aquis terra priuſquam dixiſſet Deus, Appareat arida. Verbo Dei aquæ ſe receperunt in cōceptacula ſua, & ſic eliquatus eſt humor ille circumfluus quo terra imbuebatur. Inde autē facta ſunt aquarum maria, & eliquor fluxit in mare, vel vt ait Minucius, influxit mare. Hoc eſt, ſuo influxu fecit mare *Idem.*

n *In fontem refluunt, & in ſemet omnia reuoluuntur.*] Quoniam ex aqua & terra omnia conſtare quorumdam fuit opinio, in eaſdem reſolui cuncta crediderunt. Vnde Homerus ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. Lucretius lib. 4.

Omnia quandequidem cogit natura referri.
Ac reſilire ab rebus ad aquos reddita flexus. PRI.

o *Tangunt loca ſacra & profana.*) Et hoc argumento diuinā prouidentiam euertere nititur Cæcilius, Epicurum ſequens cuius diſcipulus lib. 6. de nat. rer. deliramenta talia loquitur.

Poſtremò cur ſancta Deûm delubra, ſuaſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine ſedes:
Et benè facta Deum frangit ſimulacra,
Demit imaginibus violento vulnere honorem.

Impij, & ſi qui adhuc cum Epicuro ſentiunt, Iſidorum Peluſ. audiant, & videant, vt errorem ſuum recognoſcant & emendent. Is epiſt. 73. lib. 1. Calliopium preſbyterum affatur. ELMEN.

p *Tempeſtates varias.*) Quodcumque inſtabile ac mutabile eſt; paſſim hoc epitheto deſignant auctores. Sic apud Manilium *varia ſidera*, Papinium lib. 8 *Sol varius.* Claudianum lib. 1. in Ruffin. *varia Plebe.* Martian. Capell. lib. 8.

Et toties varia flammantia cornua luna.

Penes Boëtium conſol. lib. 1. carm. 5. *varius annus.* OVZ.

A examine rerum omnium impetus volutatur. in naufragiis, bonorum malorumque fata mixta, merita confuſa. in incendiis, interitum conuenire inſontium nocentiumque. &, cum tabe peſtifera cæli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire: & cum belli ardore ſæuitur, meliores potius occumbere. In pace etiam, non tantum æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: vt in pluribus neſcias, vtrum ſit eorum deteſtanda prauitas, an optanda felicitas. [a] Quod ſi mundus diuina prouidentia, & alicuius numinis auctoritate regeretur, numquam B mereretur Phalaris & Dionyſius regnum; numquam Rutilius & Camillus exilium, numquam Socrates venenum. Ecce arbuſta frugifera, ecce iam ſeges cana, [b] iam temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine cæditur. adeò aut incerta nobis veritas occultatur & premitur: aut, quod magis credendum eſt, variis & lubricis caſibus [c] ſoluta legibus fortuna dominatur. Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura ſit; quantò venerabiliùs ac meliùs antiſtites veritatis maiorum excipere diſciplinam, religiones traditas colere, deos, quos à parentibus [d] antè imbutus es timere quàm noſſe familiarius, adorare; nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſeculo in ipſius mundi nata- C libus, [e] meruerunt deos vel faciles habere, vel reges. [f] Inde adeò per vniuerſa imperia, prouincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & deos colere municipes, vt Eleuſinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, [g] vniuerſa Romanos. Sic eorum poteſtas & auctoritas, totius orbis ambitus occupauit: ſic imperium ſuum vltra ſolis vias, & ipſius Oceani limites propagauit, dum exercent in armis virtutem religioſam, dum vrbem muniunt ſacrorum religionibus, caſtis virginibus, multis honoribus ac nominibus ſacerdotum: D dum obſeſſi, & citra ſolum Capitolium capi, colunt deos, quos alius iam ſpreuiſſet iratos; & per Gallorum acies mirantium ſuperſtitionis audaciam pergunt telis inermes, ſed cultu religionis armati: dum capti in hoſtilibus mœnibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur: dum vndique hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt: dum aras extruunt etiam [h] Ignotis numinibus, & Manibus. Sic dum vniuerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt. Hinc perpetuus venerationis tenor manſit, qui longa ætate non infringitur, ſed augetur. quippe antiquitas cerimoniis atque fanis tantùm ſanctitatis tribuere conſueuit, quantùm adſtruxerit vetuſtatis. Nec tamen temerè, [i] auſim enim interim & ipſe concedere & ſic

a *Quod ſi mundus diuina prouidentia regeretur.* Impij in deſtruenda prouidentia diuina, omnes hoc ferè argumento vſi. Vide Cicer. lib. de nat. deor. Firmicum aſtronom. lib. 1. cap. 3. Claudianum lib. 1. in Ruff. Lucianum Ioue confutato. Lactant. lib. 1. cap. 9. Gaudentium in præfat. ad Beneuolum. Athenag. apol. pro Chriſtian. Theodoretum ſerm. 6. de prouident. Ambroſium in epiſt. Pauli ad Corinth. 1. c. 1. de officiis lib. 1. Clementem recognit. lib. 3. Remigium Altiſſiodorenſem epiſcop. in Malachiam cap. 2. ELMEN.

a *Si mundus diuina prouid.* Nihil vulgatum magis in ſchola non modò Epicureorum, ſed etiam Stoicorum, vnde ex eorum ſententia Lucanus lib. ſept. *mentimur regnare Iouem.* Argumentum autem iſtud infirmum eſt, & debile, euertiturque à majoribus noſtris paſſim, quorum loca multa indicauit olim Elmenhorſtius. PRI.

b IAM TEMVLENTA VINDEMIA.] Proxima temeto. de qua mox temetum fiat: vnde & temulenti. RIG.

c SOLVTA LEGIBVS *fortuna dominatur.*] Præclara eſt in hanc ſententiam fortunæ conſideratio Plinij lib. 11. Toto quippe mundo & locis omnibus omnibuſque horis omnium vocibus fortuna ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuiciis colitur; volubilis, à pleriſque verò & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit. Lactantius 3. cap. 27. Simulacrum eius cum copia & gubernaculo fingunt, tamquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat, &c. *Idem.*

d ANTE IMBVTVS *es timere quàm noſſe.*] Rectiſſima eſt hæc libri veteris ſcriptura. Et imperſonaliter quidem accipienda videtur. *Idem.*

e MERVERVNT DEOS *vel faciles habere, vel reges.*] Faciles dicit beneficos, benemeritos. Plinius lib. 11. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales numinibus adſcribantur. *Idem.*

f *Inde adeò per vniuerſa imperia, prouincias, oppida videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & deos colere municipes.* Id Apologetici 24. Tertullianus enarrat, *vnicuique prouinciæ, & ciuitati ſuus eſt Deus, &c.* Sed expreſſiùs adhuc meo iudicio B. Athanaſius orat. contrà gentes. καὶ ὅλως ἑκάστη πόλις καὶ κώμη τοὺς ἰδίους οὐκ εἰδυῖα θεοὺς, τοὺς ἑαυτῆς προκρίνει, καὶ μόνους τούτους εἶναι νομίζει θεούς. *vnaquæque demùm ciuitas & vicus vicinorum deos reſpuens, ſuos præponit, eoſque ſolos deos eſſe arbitratur.* PRI.

f *Inde adeò per vniuerſa imperia, &c.* Tertullian. apolog. cap. 24. Ouidius lib. 3. Faſtor. Poeta in carmine libero. Sidonius Apollinaris in docto panegyrico ad Priſcum Valerianum. OVZ.

g VNIVERSA ROMANOS.] Mox dicet. Vniuerſarum gentium ſacra ſuſcepiſſe. Et paulò pòſt: Initiaſſe ritus omnium religionum. Cur ergo tam crudeliter obſtitere Chriſtianis? ſunt qui factum id fuiſſe dicant, eò quòd Iudæorum ac deinceps Chriſtianorum Deus ſolus coli voluerit. Et certè cum ſit vere Deus, ſequitur eum ſolum eſſe Deum. nec præter ipſum coli debere alium quemquam. quod eſt ſanè veriſſimum: ſed quæſtionem minimè ſoluit. Lampridius aliam tradidit rationem in Alexandro Seuero, quem in larario ſuo habuiſſe refert diuos principes, ſed optimos, electos; & animas ſanctiores, in quîs & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum: prætereà Chriſto templum facere voluiſſe, eumque inter deos recipere. hoc etiam cogitaſſe Adrianum; ac templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris fieri iuſſiſſe ad hoc parata. ſed prohibitum fuiſſe ab iis, qui conſulentes ſacra repererant omnes Chriſtianos futuros ſi id eueniſſet, & templa reliqua deſerenda. RIG.

g *Vniuerſa Romanos.* Prudent. 1. aduerſ. Symm. Tertull. apolog. *Apud nos quoduis colere ius eſt præter verum Deum.* hæc ratio eſt cur Hebræorum Deum cum omnia numina Romani ſuſceperunt, reiecerint, quod ille ſolus coli volebat, ſine ſocio & æmulo maieſtatis. Auguſt. de ciu. Dei lib. 9. VOV.

g *Vniuerſa Romanos.* Romani quotquot prouincias, vrbes, populos edomabant, eorum omnium deos, partim publicè conſecrabant, partim priuatim per familias ſpargebant, vt luculenter ea de re Arnobius lib. 3. OVZ.

h ARAS IGNOTIS *numinibus & manibus.*] Benè Cæcilius componit Deos Manes cum ignotis numinibus. benè inquam ex Epicuri ſenſu, qui negabat eſſe aliquos Manes & ſubterranea regna. Etenim Manes eorum dicuntur, qui iam eſſe deſierunt, ac proinde nulli ſunt. Et Cæcilius. Ignotos Deos ſpernit, quia ſunt ignoti: & manes ſiue defunctos quia defuncti & iàm nulli. RIG.

h *Ignotis numinibus.* Etiam apud Athenienſes ara θεῷ ἀγνώστῳ. actor. cap. 17. Diogenes in Epimenide. Lucianus, Philopat. Hieronymus in epiſt. ad Titum. Suidas Ἰησοῦς. apud Burdigalenſes quoque ara Dei ignoti. Aurelianus Lemouic. epiſc. vita S. Martialis. VOV.

i AVSIM ENIM *interim & ipſe concedere, & ſic melius errare.*] Cæcilius ſuprà de ſchola Epicuri dixit, magis eſſe credendum in rebus humanis ſolutam legibus fortunam dominari, adeòque agi cuncta variis & lubricis caſibus, non deorum aliqua prouidentia aut cura. Hac verò diſſertatione ſua currente, ſentit eò ſe ferri vt fateatur Romanos haud fruſtrà deditos fuiſſe religionibus ſuis erga Deos etiam exteros, quando talium numinum fauore ac tutela totius orbis imperium teneant. Antequam igitur exemplis hoc probare inci-

ſic melius errare, [a] maiores noſtri aut obſeruandis auguriis, aut extis conſulendis, aut in- A
ſtituendis ſacris, aut delubris dedicandis operam nauauerunt. [b] Specta de libris memorias, iam eos deprehendes initiaſſe ritus omnium religionum, vel vt remuneraretur diuina indulgentia, vel vt auerteretur imminens ira, aut vt iam tumens & ſæuiens placaretur. Teſtis mater Idæa, quæ aduentu ſuo & probauit matronæ caſtitatem, & vrbem metu hoſtili liberauit. [c] Teſtes equeſtrium fratrum [d] in lacu, [e] ſicut oſtenderant, ſtatuæ conſecratæ, qui [f] anheli, [g] ſpumantibus equis atque fumantibus de Perſe victoriam [h] eadem die qua fecerant nuntiauerunt. Teſtis [i] ludorum offenſi Iouis de ſomno [k] plebeij hominis [l] iteratio: & [m] Deciorum deuotio rata. [n] Teſtis & Curtius, qui [o] equitis ſui vel mole [p] vel B
honore hiatum profundæ voraginis coæquauit. Frequentius etiam quam volebamus, deorum præſentiam contempta auſpicia conteſtata ſunt. Sic [q] Allia nomen infauſtum. ſic Claudij, & Iunij non prœlium in Pœnos, ſed [r] ferale naufragium eſt. & vt [ſ] Thraſymenus Romanorum ſanguine & maior eſſet & decolor, [t] ſpreuit auguria Flaminius: & vt [u] Parthos ſigna repetamus, dirarum imprecationes Craſſus & meruit, & irriſit. Omitto vetera, quæ multa ſunt, & [x] de deorum natalibus, donis, muneribus: negligo carmina poëtarum: prædicta etiam de oraculis fata tranſilio, ne vobis antiquitas nimium fabuloſa videatur. Intende templis ac delubris deorum, quibus Romana ciuitas & protegitur & ornatur; [y] magis ſunt C
auguſta numinibus incolis, præſentibus, inquilinis, quàm cultus inſignibus & muneribus opulenta. Inde adeò pleni & mixti deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatium calamitatibus, laboribus leuamentum.

etiam

piat, ne quid præiudicet opinioni ſuæ de fortuna, corrigit ſe ſe interiectione iſta: Auſim enim interim & ipſe concedere, & ſic melius errare; obijciens errorem pudendum Octauio, qui Deum colat cultoribus ſuis grauem & noxium potius quàm beneficum, bona futura & incerta promittentem, mala ac præſentia non auertentem; imò dehortantem ac depellentem ſuos ab honoribus opibus & voluptatibus, tamquam ab rebus non ſuis. Ait ergo Cæcilius ſe ſe melius errare quàm Octauium, ſi Romanorum ſuperſtitiones probare videatur tam vtiles & proſperas cultoribus ſuis.

a *Majores noſtri aut obſeruandis augurijs.* Auguria olim non ſolùm apud illos qui humaniores audiebant, vti Græci, & Romani, ſed & barbaras quaſque nationes magno in pretio & æſtimatione fuiſſe liquet ex Æliano lib. 11. c. XXXI. variar. hiſt. quiſnam augurandi ſcientiam primus inuenerit, non conuenit inter auctores. Suidas in voce τηλέγονος inuentorem eſſe vult. Plinius verò lib. 7. cap. 56. ait eſſe inuentum à Caris. à quo Caria nomen accepit. Apud Æſchylum in Prometh. ſibi ipſi inter alia augurij inuentionem quoque tribuit Prometheus. Alij in Etruria repertam volunt, auctoremque extitiſſe Tagen quemdam. Ouid. lib. 15. Metam. OVZ.

b SPECTA DE LIBRIS MEMORIAS.] In exemplari, quod hactenus vnicum habemus ſcriptum eſt, memoria. Itaque coniecturæ locus eſt. nec erit magni momenti diſcrimen. vtrum legas: Specta de libris memoriarum? an, ſpecta de libris memorias. Hos libros Arnobius Annales nuncupat. lib. VII. aduerſ. Gen. Nonimus infitias, inquit, in Annalium ſcriptis contineri hæc omnia quæ ſunt à vobis in oppoſitione prolata. RIG.

c TESTES EQVESTRIVM FRATRVM.] Tyndaridarum, Caſtorum.

d IN LACV.] Iuturnæ.

e SICVT OSTENDERANT.] Eodem habitu.

f ANHELI.] Vel anhelis equis. Valer. Max. ſuum equorumque ſudorem abluere viſi ſunt Cicero Tuſcul. 1. non modò adiutores in prœliis victoriæ pop. Rom. ſed etiam nuncij fuiſſe perhibentur.

g SPVMANTIBVS EQVIS ATQVE FVMANTIBVS.] Lactantius: equorum ſudorem abluentes.

h EADEM DIE QVA FECERANT.] Qua fecerant quod hic narratur. qua & ipſi pugnauerant.

i LVDORVM OFFENSI IOVIS.) Scriptum fuerat in aliquo exemplari primario, offens. Iouis. Deſcriptum inde fuit in Cod. Reg. Offenſio Iouis. Legendum, offenſi Iouis. Et rectè, ludorum Iouis. Erant enim dicati Ioui Circenſes, ludi maximi votiui, bello Latino tum primum facti. Arnobius VII. Eſt vt ignoſcere debeamus Ioui indignanti, non adhibitam curam ſollicitiorem ludis Circenſibus propriis. Propriis ſcilicet, Ioui ipſi dicatis.

k PLEBEII HOMINIS.] Cicero, ruſtici cuiuſdam Romani. Valerius, nomen illi fuiſſe ſcribit, Ti. Atinio, homini ex plebe.

l ITERATIO.] Inſtauratio. Totam hanc hiſtoriam, prolixiùs certè, ſed & ſcrupuloſiùs perſequitur Arnob. VII.

m DECIORVM DEVOTIO RATA.] Etenim laborantes perditaſque vires Vrbis Rom. correxit. Itaque dignoſci arduum eſt, vtrum Romana ciuitas vtilius habuerit Decios duces, an miſerit quoniam vita eorum ne vinceretur obſtitit: mors fecit vt vinceret. Huc alluſit Iuuenalis hoc verſu:

Pluris enim Decij quam qui ſeruantur ab illis.

n TESTIS ET CVRTIVS.] Lacus Curtius, ab illo famoſo equite M. Curtio.

o EQVITIS SVI.] Marci Curtij, vnde nomen inditum Lacui Curtio.

p VEL HONORE.] Val. Max. ſuper quem vniuerſi ciues honoris gratiâ certatim fruges iniecerunt. Liuius 1 donáque ac fruges ſuper eum à multitudine virorum ac mulierum congeſtæ.

q *Allia nomen infauſtum.* Quo die pugnata Allienſis ſit pugna, in hiſtoriis ambiguum. Tacitus enim 15. Annal. A.D. 14. Cal. Sextiles, quo die in Calendario Farneſſano Romæ effoſſo: LVCARIA notantur, quæ à Romanis in luco celebrabantur qui permagnus inter viam Salariam & Tyberim fuit, quod victi à Gallis fugientes è prælio ibi ſe occultauerant, & NF. hoc eſt nefaſtus poſtrema parte diei ſignatur. Mentio quoque apud Macrobium lib. 1. ſatur. cap. 4. & Feſt. in Lucaria. Titus Liu. lib. 6. & Plutarch. in Camillo. A.D. 15. Kal. ſextil. cladem Allienſem perpeſſam ſcribunt. Auctor de viris illuſtribus, A. D. 16. Kal. Aug. Cui præ aliis cum A. Schotto, hac de re aſſentior, idque potiſſimum, quia pridie eius diei, hoc eſt, poſtrid. EID. QVINCTIL. pro proſpero ac fauſto eius pugnæ ſucceſſu rebus diuinis operam datam eſſe prodit Agellius lib. 5. cap. 17. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 16. Verrius Flaccus lib. 4. de verbor. ſignif. Hinc Afranius in Fratriis, à Nonio Marcello adductus dict. *Atri dies.* Dicti etiam hi dies, religioſi. Agellius lib. 4. cap. 9. OVZ.

r *Ferale naufragium.* Benè dixit Minutius *ferale naufragium.* nam in illo prælio XC. naues cum pugnatoribus captæ ſunt, 10. demerſæ. Vide breuiatorem Eutropij lib. 1. Valer. Max. lib. 1. cap. 4. de nat. deor. & lib 2. de Diuinat. Polybium lib. 1. ELMEN.

ſ THRASYMENVS DECOLOR.] Arnobius IV. apud Thraſymenum lacum ſanguinei cucurrere torrentes. RIG.

t *Spreuit auguria Flaminius.* Cicero lib. 2. de nat. *Flaminius non paruit auſpicijs, itaque perijt cum exercitu.* Idem lib. 1. de Diuin. Oroſius lib. 4. c. 15. Liuius lib. 22. Plutarchus Fab. Valer. Max. lib. 1. cap. 6. Florus lib. 2. cap. 6. ELMEN.

u ET VT PARTHOS SIGNA *repetamus.*] Hæc adſignare videntur ætatem Minucij ſub Seuero. Sed auctor eſt Spartianus Septimium Seuerum Parthicum bellum ſuſcepiſſe gloriæ cupiditate, non aliqua neceſſitate adductum. & iampridem Parthos ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant repoſcenti Octauio Auguſto reddidiſſe narrat Tranquillus.

x *De Deorum natalib.* Idololatriam illam profligat Tertullian. cap. 10. de Idolol. *etiam ſtrena captanda, & ſeptimontium, & bruma, & chara cognationis honoraria exigenda omnia, flore ſchola coronanda: Flaminica & Ædile ſacrificant Cereri, ſchola honoratur Ferijs. Idem fit idoli natali.* PRI.

y MAGIS SVNT *Auguſta Numinibus incolis præſentibus inquilinis, quam cultus inſignibus & muneribus opulenta.*] Sic olim habuit Codex Reg. Hodie præfert: cultu inſignibus. vnde Critici occaſionem arripuere corrigendi: cultu inſignia. Sed apparent veſtigia deraſæ litteræ ſ. quam nos hac editione reducimus in lucem, vt redeat Minucii ſenſus iſte genuinus, Templa ac delubra Romana magis eſſe diuinæ beneficentiæ titulis auguſta, quàm cultus inſignibus aut muneribus opulenta. Beneficentiæ tituli ſunt Auguſtæ illæ inſcriptiones, NVMINIBVS INCOLIS. NVMINIBVS PRÆSENTIBVS. NVMINIBVS INQVILINIS. At opulenta cultus inſignia ſunt aureæ ſtatuæ, thenſæ, acerræ, lectiſternia ſoliſternia, currus & alia huiuſmodi pretioſa. RIG.

A etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoſcimus, [a] quos impiè per diem negamus, nolumus, peieramus. Itaque cum omnium gentium de diis immortalibus, quamuis incerta ſit vel ratio, vel origo, maneat tamen [b] firma conſenſio, neminem fero tanta audacia tamque irreligioſa neſcio qua prudentia tumeſcentem, qui hanc religionem [c] tam vetuſtam, tam vtilem, tam ſalubrem diſſoluere, aut infirmare nitatur. Sic licet ille Theodorus Cyrenæus, vel qui prior [d] Diagoras Melius, [e] cui Atheon cognomen appoſuit antiquitas, qui vterque nullos deos aſſeuerando, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus
B ſuſtulerunt: numquam tamen, in hac impietatis diſciplina ſimulatæ philoſophiæ, nomine atque auctoritate pollebunt. Cum Abderitem Protagoram Athenienſes viri, [f] conſultè potius quàm profanè de diuinitate diſputantem, & expulerint ſuis finibus, & [g] in concione eius ſcripta deuſſerint: quid? homines (ſuſtinebitis enim me impetum ſuſceptæ actionis liberiùs exerentem) homines, inquam, [h] deploratæ, inlicitæ, ac [i] deſperatæ factionis grasſari in deos non ingemiſcendum eſt? qui de vltima fece collectis imperitioribus & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ coniurationis inſtituunt; quæ [k] nocturnis con-
C gregationibus, & ieiuniis ſolemnibus, & [l] inhumanis cibis, non ſacro quodam, ſed piaculo fœderantur. [m] latebroſa & [n] lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula, [o] templa vt buſta deſpiciunt, deos deſpuunt, rident ſacra, miſerentur. miſeri! ſi fas eſt, ſacerdotum honores & purpuras deſpiciunt, ipſi ſeminudi. proh! mira ſtultitia & incredibilis audacia? ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt & futura: & [p] dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent. [q] ita illis pauorem fallax ſpes ſolatia rediuiua blanditur. Ac iam, vt fecundius nequiora proueniunt, ſerpentibus in dies perditis moribus, per
D vniuerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt. Eruenda prorſus hæc, & execranda conſenſio. Occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò pænè antequam nouerint: paſſim etiam inter eos quædam libidinum religio miſcetur: ac [r] ſe promiſcuè appellant

a QVOS IMPIE *per diem negamus, nolumus, peier.*] Verbum nolumus, minus aptè interiectum videatur, niſi præcedentia ſic repetantur. Per quietem deos videmus, audimus, agnoſcimus, quos per diem negamus eſſe, nolumus videre, imò quos vidimus audiuimus, agnouimus peieramus. Scio quid hic alij tentauerint. Sed obſtat exemplaris auctoritas. RIG.

b FIRMA CONSENSIO.] Senſus publicus, conſenſus gentium, qui ſæpè adducitur à Plinio ad diſputationes huiuſcemodi. *Idem.*

c TAM VETVSTAM, TAM VTILEM.] In aliquo exemplari ſcriptum fuerat antiquario more, tam vetus tam vtilem. quod eſt tam vetuſtam, tam vtilem. Syllabas proximè repetitas ſemel ſcribebant, vt videmus in editione Pandectarum iuris ad exemplar Florentinum. Et hæc ſcriptura compluries in Minuciano exemplari reperitur. *Idem.*

d *Diagoras.* Cicero 1. de nat. Deor. Ioſephus 2. contra Appionem. Tatian. Athenag. πρὸς ἕλληνας. Clemens protrept. ὃν δὴ χάριν, οὐ γὰρ οὐδαμῶς ἀποκρυπτέον, θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ ἀθέους ἀνεγράψαντο, καὶ Διαγόραν, καὶ ἵππωνά τε μάλιστα, τί[?] Κυρηναῖον ἐπὶ τού-τοις ἄλλοι, ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ καὶ πολλοὺς ἄλλους συχνοὺς σωφρόνως βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερον τοῦ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασι. VOV.

d *Diagoras Melius.* Suidas in Διαγόρας. Vixit autem Diagoras iuxta Euſeb. Olymp. 74. & deinceps: Vir perſpicaciſſimi ingenij Clariſſ. Voſſius, exiſtimat, eumdem eſſe Diagoram Athenienſem qui reliquit ſermones Phryios. Tatianus contra Græcos. Διαγόρας ἀθηναῖος ἦν ἀλλὰ τοῦτον ἐξορχησάμενον τὰ παρ᾽ ἀθηναίοις μυστήρια, τετιμωρήκατε καὶ τοῖς φρυγίοις αὐτοῦ λόγοις ἐντυγχάνοντας ὑμᾶς μεμισήκατε. Hi Phrygij ſermones fuiſſe videntur hiſtoria eorum, quæ ad Cybelen, ſiue matrem Phrygiam, & eius ſacra pertinerent. ab ipſo autem eo fine conſcriptos, vt homines à ſacris illius auerteret. OVZ.

e CVI ATHEON *cognomen appoſuit antiq.* Diagoræ cognomen appoſitum Atheo. Proſcripſere Athenienſes talenti pretium illi qui Diagoræ caput adferret. RIG.

f CONSVLTE POTIVS *quàm profanè.*] Non habere ſe dixerat Prothagoras quod de diis pronunciaret; eſſent, necne. multis impedimentis prohiberi. tam propter rei difficultatem quàm propter humanæ vitæ breuitatem. Huic certè ſermoni, pro Ethnici ſententia conuenire videatur illud Cæcilij Minuciani, Conſultè potiùs quàm profanè. Nam exordium ipſum, vt eſt à Cicerone poſitum, abruptius eſt. atque ob id iure Protagoras exterminatus. *Idem.*

g IN CONCIONE *eius ſcripta deuſſerint.*] Cicero: Librique eius in concione combuſti. Laërtius: κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ.

h DEPLORATÆ, INLICITÆ *ac deſperatæ factionis.*] Aiunt in mſ. legi, inquinatæ. Sed Codicem antiquum alium à Regio exemplari nemo hactenus protulit. In Regio diſertiſſimè ſcribitur, inlicitæ. Et meritò quidem exploditur quod Ferrarius & Priſcianenſis ediderant, inclitæ. Illud verò, inlicitæ, etſi defendatur antiquitate exemplaris, nihilominus friget inter illa duo, deploratæ ac deſperatæ. Itaque, ſi coniecturæ locus eſt, legam incitæ, quod eſt incitatæ. furioſæ, rabidæ. Catullus in Galliambo. Alios age incitatos, alios age rabidos. Incitus, quemadmodum percitus. In Prudentij Vincentio vbi de ſpiritibus immundis: Qui vos latenter incitos, in omne compellunt nefas. *Idem.*

i *Deſperatæ factionis.* Tertullianus apolog. 50. ſiue vlt. *meritò itaque victi non placemus: propterea enim deſperati ac perditi exiſtimamur.* Lactantius lib. 5. cap. 9. *Qui autem cultores ſe Dei non abnegauerint, in eos totis carnificina ſua viribus, veluti ſanguinem ſitiant, incumbunt; & deſperatos vocant, quia corpori ſuo minimè parcunt.* Ob generoſam ſcilicet in perpetienda morte pro Chriſto conſtantiam deſperati dicebantur. Beſtiarij quoque dicti ſunt, eodem fermè ſenſu propter audaciam, vtpotè qui in beſtias pugnare non vererentur. PRI.

k NOCTVRNIS CONGREGATIONIBVS.] Peruigiliis, παννυχισμοῖς. RIG.

l INHVMANIS CIBIS.] Mox dicet de infanticidio.

m LATEBROSA ET *lucifugax natio.*) Sic habet exemplar. & ſic editum fuit prima editione Rom. *Idem.*

n *Lucifugax natio.* Latebroſam vocat nationem ob preces matutinas, & nocturnas congregationes, vt mox dicebat, quod Tertullianus apolog. 2. cœtus appellat antelucanos. S. Baſilius epiſt. 63. quæ eſt ad Clericos Eccleſiæ Neocæſarienſis. ἐκ νυκτὸς γὰρ ὀρθρίζει παρ᾽ ὑμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς. quod ita reddi poteſt. *Noctu quippe apud nos populus in domo orationis antelucanas preces fundit.* Niſi malit quis ita dictos Chriſtianos, quoniam rebus diuinis penitùs dediti, vulgo ſemouebantur. PRI.

o TEMPLA VT BVSTA DESPICIVNT) Mox recurret idem verbum, Purpuras deſpiciunt. quod accidiſſe per negligentiam Minucij non dixerim, ſed librariorum, qui fulciendum putauerunt quod Minucius ſcripſerat: Templa, vt buſta, deos deſpuunt. Tertullianus lib. de Spectac. cap. 13. Dum mortui & dij unum ſunt, vtráque idololatria abſtinemus: nec minus templa quàm monumenta deſpuimus. RIG.

o *Templa vt buſta deſpiciunt.* Meritò Chriſtiani templa paganorum, vt buſta deſpiciebant; nouerant enim illa nihil aliud eſſe quàm cineres & oſſa, functorumque corporum ſepulturas. Doctè Arnobius lib. 6. Clemens Alex. in protrept. Theodoretus contra Græcos ſerm. 8. de mart. ELMEN

p DVM MORI *poſt mortem timent, interim mori non timent.*) Ex eodem ſenſu Martialis, furor eſt, ne moriare mori. RIG.

p *Dum mori poſt mortem timent.* Lucianus peregrinat. πεπείκασι αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, παρ᾽ ὃ καὶ καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὐτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί. VOV.

q ITA ILLIS *pauorem fallax ſpes ſolatia rediuiua blanditur.*) Sic omninò legitur in exemplari: & eleganter Minucius ſub perſona Cæcilii ethnici dixit, Fallax ſpes blanditur Chriſtianis pauorem: & blanditur, inquit, ſolatia neſcio quæ rediuiua. Tertullianus lib. de Anima. Quies finem operis blanditur. RIG.

r *Sed promiſcuè appellant fratres, & ſorores.* Haud abs re Cæ-

appellant fratres, & ſorores, vt etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat in- A
ceſtum. ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Nec de ipſis, niſi ſubſiſte-
ret veritas, maxima & varia & honore præfanda ſagax fama loqueretur. Audio eos [a] turpiſ-
ſimæ pecudis caput aſini conſecratum inepta neſcio qua perſuaſione venerari: [b] digna & na-
ta religio talibus moribus. alii eos ferunt ipſius antiſtitis ac [c] ſacerdotis colere genitalia, &
quaſi parentis ſui adorare naturam. neſcio an falſa, certe occultis ac nocturnis ſacris appo-
ſita ſuſpicio. & qui hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna fera- B
lia eorum ceremonias fabulatur, congruentia perditis ſceleratiſque tribuit altaria, vt id co-
lant quod merentur. Iam de initiandis tirunculis fabula tam deteſtanda, quàm nota eſt. in-
fans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuatur. [d] is infans à ti-
runculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus prouocato cæcis occultiſque vulneribus oc-
ciditur: huius, proh nefas ſitienter ſanguinem lambunt, huius certatim membra diſpertiunt,
hac fœderantur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignerantur. hæc ſa-
cra ſacrilegiis omnibus tetriora. [e] Et de conuiuio notum eſt. paſſim omnes loquuntur. [f] id C
etiam Cirtenſis noſtri teſtatur oratio. ad epulas ſolemni die coëunt, cum omnibus liberis,
ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. illic poſt multas epulas, vbi con-
uiuium caluit, & inceſtæ libidini ebrietatis feruor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt,
iactu offulæ vltra ſpatium lineæ qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſo
& extincto conſcio lumine, [g] impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt per
incertum ſortis: &, ſi non omnes opera, conſcientia tamen pariter inceſti; quoniam voto vni-
uerſorum appetitur, quidquid accidere poteſt in actu ſingulorum. Multa prætereo conſultò. D
nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraque omnium vera declarat ipſius prauæ
religionis obſcuritas. Cur etenim occultare & abſcondere quidquid illud colunt magnopere
nituntur? cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint. [h] cur nullas aras ha-
bent, templa nulla, nulla nota ſimulacra, numquam palam loqui. numquam liberè congre-
gari, niſi illud quod colunt & interprimunt, aut puniendum eſt, aut pudendum? Vnde au-
tem, vel quis ille, aut vbi Deus vnicus, ſolitarius, deſtitutus; quem non gens libera, non
regna, non ſaltem Romana ſuperſtitio nouerunt? [i] Iudæorum ſola & miſera gentilitas vnum
& ipſi Deum, ſed palam, ſed templis, aris, victimis, cerimoniiſque coluerunt. cuius adeò
nulla

cilius Chriſtianos ait ſeſe appellare fratres ac ſorores; nomina enim hæc gentilibus, inter laſciua & *ἐρωτικὰ* erant. Petronius paſſim Martialis.

Quare deſine me vocare fratrem
Ne te Carmenion vocem ſororem.

Sic apud Tragicum Phædra, cum amorem ſuum verecundè indicare vellet, ait:

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens
Noſtros humilius nomen affectus decet;
Me vel ſororem Hippolyte, vel famulam voca.

At multò aliter ſeſe res cum Chriſtianis habebat, qui non libidinis, ſed communis regenerationis & mutuæ charitatis cauſa hiſce nominibus vtebantur. OVZ.

a *Turpiſſimæ pecudis caput aſini, &c.* Execrandos hic ritus Gnoſticorum Chriſtianis affingit, ex errore gentilium. Ea enim Gnoſticorum impia cæcitas, vt Porci, aut Aſini figura Deum expreſſerint. *Φασὶ δὲ τὸν σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. dicunt alij Deum Sabaoth Aſini, alij, porci figuram habere.* de iis loquens Epiphanius. PRI.

b DIGNA ET NATA RELIGIO TALIBVS MORIBVS.] Quaſi aſinina patientia & hebetudine. Sic illudebant impij Chriſtianæ ſimplicitati. RIG.

c SACERDOTIS COLERE *genitalia.*] Calumnia ſtultiſſima, ex ea occaſione concinnata, quod Chriſtiani, quibus contigerat poſt fidem Chriſto datam grauiter labi, ita vt Eccleſiæ communione abſtinerentur, ſi pœnitentiæ locum dari ſibi flagitarent, hoc tam demiſſè ac ſuppliciter poſcebant, vt acciderent ad pedes & genua fratrum & ſacerdotum. Inde illa paſſim apud rerum Chriſtianarum ſcriptores, Aduolui preſbyteris, & Volutando caligas fratrum detergere. *Idem.*

c *Sacerdotis colere genitalia.* Hæc ad pœnitentiam pertinent, vnde Tertullianus preſbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari. lib. de pœnit. & in Itinerario Rutilij

Reddimus obſcœna conuicia debita genti,
Quæ genitale caput propudioſa metit. PRI.

d *Is infans à tirunculo &c.* Tertull. apolog. c. 7. 8. & 9. calumniam illam diluit, probatque gentiles in Chriſtianos retorſiſſe crimina quibus poſtulabantur. Hæ autem ſordes hæreticorum forſan fuere, multi enim hoc nomine infames, Gnoſtici Nicolaitæ, Carpocratiani & alij. Vide quæ ad Tertullianum obſeruabamus, *Idem.*

e ET DE CONVIVIO NOTVM EST.] Plinius Cæcilius quamuis ethnicus ab omni de conuiuio calumnia Chriſtianos liberauit apud Traianum: Etenim ſcripſit, morem illis fuiſſe coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium. RIG.

f ID ETIAM *Cirtenſis noſtri teſtatur oratio.*] Hanc aduerſus Chriſtianos orationem fuiſſe Frontonis declarat Octauius. vbi obiectionem Cæcilij ſic diluit: Et tuus Fronto non vt adfirmator teſtimonium fecit; ſed conuicium vt orator adſperſit. Sed ambigitur vter iſte Fronto fuerit, Papirius-ne Fronto Iuriſconſultus, qui in Pandectis memoratur, an Cornelius Fronto rhetor, quem Lampridius Marci Antonini Imp. Præceptorem fuiſſe tradidit? Franciſcus Balduinus præclara ad Minucium præfatione in hunc magis inclinat. quod & verius exiſtimo. *Idem.*

g *Impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt.* Tertullianus apolog. 7. *& poſt conuiuium inceſto, quod euerſores luminum canes, lenones ſcilicet, tenebrarum inuerecundia procurent.* Hinc igitur damnata myſtica ſacra ac nocturnæ peruigilationes ab antiquis, in quibus quid poſſit accidere innocentes Comici, vt eos appellabat Cicero *εἰρωνικῶς*, ſatis indicant, qua de re obſeruabamus aliquid ad Arnobium. Alij autem horrorem noctis addere aliquid venerationis exiſtimabant, & hac de cauſa nocturna ſacra inſtituta; cum alij contra libidinibus potiùs perfruendis excogitata cenſerent, qua de re locus eſt elegans apud Euripidem in Bacchis. HER.

h *Cur nullas aras habent, templa nulla.* Origenes contra Celſum lib. 8. *μετὰ ταῦτα δὲ ὁ Κέλσος φησὶν ἡμᾶς βωμοὺς, ἀγάλματα, καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν.* Prioribus quidem Eccleſiæ temporibus Chriſtianis à gentibus obiiciebatur, nulla iis eſſe templa venerationis ad officium conſtructa, quia tum temporis adhuc tenuiores minuſque ſtabiles res erant Chriſtianorum, quàm vt ſuperbas illas ædificiorum moles erigere quirent. Habebant ergo ſua tantùm conuenticula, vbi conueniebant, neque ea ob perſecutionum ſæuitias, ſemper fixa erant; tum enim latebras quærebant Chriſtiani, ac ædibus priuatis, denique quibuſcunque poterant locis congregabantur. De his conuenticulis Arnobius lib. 4. Lactantius lib. 5. cap. 11. Oroſius lib. 7. cap. 12. Ammianus Marcellinus lib. 27. OVZ.

h *Nullas aras, templa nulla.* Arnob. lib. 6. *conſueſtis crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus,* &c. Chriſtiani non habebant templa dedicata, & conſecrata ritu ethnico, ſuas tamen baſilicas, ſeu vt ipſi appellabant, *κυριακὰς* habuiſſe ſatis conſtat, eaque frequentaſſe, niſi quatenus perſecutione impedirentur. Tunc enim ad domos priuatas confugiebant. Auguſt. contra Donatiſt. *Domum priuatam Chriſtianis congregandis præſtitam conſtitit tempore perſecutionis.* D. Lucas actor. 1. VOR.

i IVDÆORVM SOLA *& miſera gentilitas vnum & ipſi Deum.*] Feminam aliquam Hebræam potiùs quàm Chriſtianam deſcribit Apuleius IX. Metam. quæ ſpretis atque calcatis diuinis numinibus in vicem certæ religionis mentita ſacrilega præſumptione Dei, quem prædicabat vnicum, confictis obſeruationibus vanis, fallens omnes homines, atque ipſum maritum

A nulla vis, nec poteſtas eſt, [a] vt ſit Romanis hominibus cum ſua ſibi natione captiuus. [b] At etiam Chriſtiani, [c] quà in tam noſtra, quæ portenta confingunt? Deum illum ſuum, quem nec oſtendere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique, & occultas cogitationes diligenter inquirere: diſcurrentem ſcilicet, atque vbique præſentem: moleſtum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curioſum ſiquidem adſtat factis omnibus, locis omnibus intererrat: cum nec ſingulis inſeruire poſſit per vniuerſa diſtractus, nec vniuerſis ſufficere in ſingulis occupatus. [d] Quid? quod [e] toto orbi, & ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium, ruinam moliuntur. quaſi aut naturæ diuinis legibus conſtitutus æternus ordo turbetur; aut rupto elementorum omnium fœdere, & cæleſti compage diuiſa, moles iſta, qua continetur & cingitur, ſubruatur. Nec hac furioſa opinione contenti aniles fabulas adſtruunt B & annectunt. [f] renaſci ſe ferunt poſt mortem & cineres & fauillas: & neſcio qua fiducia mendaciis ſuis inuicem credunt. putes eos iam reuixiſſe. anceps malum, & gemina dementia! cælo & aſtris, quae ſic relinquimus vt inuenimus, interitum denuntiare: ſibi mortuis, extinctis, qui ſicut naſcimur, & interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas. quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſoluatur; [g] nec interſit, vtrum feræ diripiant, an maria conſumant: an humus contegat, an flamma ſubducat: cum cadaueribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna ſit: ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam ſibi, vt bonis, & perpetem vitam mortuis pollicentur; ceteris, vt iniuſtis, ſempiternam. Multa ad hæc ſuppetunt, ni feſtinet oratio. Iniuſtos ipſos magis, nec laboro, C iam docui. quamquam etſi iuſtos darem, [h] culpam tamen, vel innocentiam fato tribui ſententiis plurimorum & hæc veſtra conſenſio eſt. Nam quidquid agimus, vt alij fato, ita vos Deo dicitis. [i] ſic ſectæ veſtræ [k] non ſpontaneos cupere, ſed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis, qui ſortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen ſciſcitari, vtrumne cum corporibus, & corporibus quibus; [l] ipſiſne, an innouatis reſurgatur. Sine corpore? Hoc, quod ſciam, neque mens, neque anima, nec vita eſt. ipſo corpore? ſed iam antè dilapſum eſt. alio corpore? ergo homo nouus naſcitur, non prior ille reparatur. & tamen tanta ætas abiit, ſecula innumera fluxerunt, [m] quis vnus vllus ab inferis vel Proteſilai ſorte remeauit, horarum ſaltem permiſſo commeatu, vel vt exemplo crederemus? Omnia iſta figmenta male ſanæ opinionis, & inepta ſolatia à poëtis fallacibus in dulcedine carminis luſa; D à vobis nimirum credulis in deum veſtrum turpiter reformata ſunt: nec ſaltem de præſentibus capitis experimentum, quam vos irritæ pollicitationis [n] caſſa vota decipiant. quid poſt mortem impendeat, miſeri! dum adhuc viuitis æſtimate. Ecce pars veſtrûm & maior, melior,

ritum decipiens, matutino mero & continuo ſtupro corpus manciparat. RIO.

a VT SIT *Romanis hominibus.*) In exemplari legitur, nominibus, quod eſt, numinibus. *Idem.*

b AT ETIAM *Chriſtiani qua in tam noſtra.*) Vetus exemplar, *qua in tã nrã.* Vnde Ferrarius & Priſcianenſis confecere quod in cunctis editionibus hodie cernimus, quænam monſtra. quæ lectio vitium ipſa ſuum ſatis prodit. nam vt congrueret ſequentibus, dicendum fuerat, quæ monſtra, quæ portenta confingunt? Sed quare perdimus ſenſum Auctoris ipſiſſimum & longè præſtantem? At etiam Chriſtiani, quà in tam noſtra, quæ portenta confingunt? Iudæorum, inquit, ſola gentilitas, patria ſua velut angulo cohibita, Deum ſibi ſuum habebat, quem etſi templis, aris atque victimis procuraret, non in regna tamen aliena exundabat. At Chriſtiani, quà ſunt in vrbes Italiæ, in populi Romani prouincias, in tam noſtra diffuſi, quæ portenta confingunt? *Idem.*

c QVA IN TAM NOSTRA.] Tertullianus Apolog. cap. 37. Veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, ſenatum, forum. *Idem.*

d *Quid? quod toto orbi, & ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium.* Vnde & Philopatris ille Luciani eos notabat quod nihil niſi infauſtum augurarentur. Sanè nihil magis damnabant in tota doctrina Chriſtiana Nationes, quam quod extremo iudicio ac mundi conſummatione & reſurrectione doceiur B. Baſilius Hom. 1. in Hexam. HER.

e TOTO ORBI.] Sic legitur in exemplari. RIO.

f *Renaſci ſe ferunt poſt mortem.* Cum Chriſtiani reſurrectionis mentionem facerent, ſemper à paganis irridebantur. acta apoſtol. cap. 17. ἀκούσαντες δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον, οἱ δὲ εἶπον, ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου. Damaſcenus de duobus martyr. ELMEN.

g *Nec interſit vtrum feræ diripiant, an maria conſumant.* Petronius in ſatyr. *tamquam interſit periturum corpus, quæ ratio conſumat, ignis an fluctus, an mora.* Statius Papin. lib. 9. Theb. Seneca de fortuit. remed. *quid intereſt ignis me an fera conſumat, an tempus omnium ſepultura?* & lib. 8. controuer. 1. *Multas rerum natura mortis vias aperuit, & hæc eſt conditio generis humani, quod naſcimur vno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur miſerabili animæ.* Firmicus Aſtronom. lib. 1. cap. 4. *Quidnam de mortalium vario exitu dicemus? ille cogente fato ſuſpenditur laqueo, at ille gladio percutitur, ille mari fluminibuſque ſubmergitur, ille ſæuientibus flammis, ignique traditur, in cinerem fauillaſque conuertitur: ille per præcipitia iactatur, ille cadentium tectorum ruina comprimitur, &c.* & eleganter Teles. τί διαφέρει ὑπὸ πυρὸς κατακαυθῆναι, ἢ ὑπὸ κυνῶν καταβρωθῆναι, ἢ ἐπάνω τῆς γῆς ὄντα ὑπὸ κοράκων, ἢ κατορυχθέντα ὑπὸ σκωλήκων; *quid intereſt, igne abſumi, aut à canibus lacerari, aut in aere à coruis, ſeu in terra defoſſum à vermibus diſcerpi?* Lucifer Calaritanus lib. moriendum eſſe pro filio Dei. *Quantum ad exitum nihil intereſt, clauo an lancea moriar.* PRI.

h *Culpam tamen, vel innocentiam fato tribui, &c.* Chriſtianos bona vel mala, quæ in humanis rebus fiunt, fato adſcribere, impudens improbumque mendacium eſt. Nam nihil æquè hominibus inculcant, & preſſiùs commendant, quàm ingenitum nobis à Deo libertatis decus: deteſtantes Ethnicorum profanorum impietatem, qui hominem ad Dei imaginem conditum, tam infeliciter fati violentia & peccandi neceſſitate deuinctum putant, vt is etiam pecoribus inuidere cogatur. ELMEN.

i SIC SECTÆ *veſtra non ſpontaneos cupere.*) Helleniſmus. Suidas, ἐθελοντής. ἑκών, προαιρετικῶς ἔχων. RIO.

k NON SPONTANEOS, SED ELECTOS.] Paulus ad Rom. IX. 16. οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ. *Idem.*

l IPSISNE AN *innouatis reſurgatur. ſine corpore. Hoc, quod ſciam, neque M.*) Sic legitur in exemplari niſi quod aliter interpunximus: vt de tribus quæſtionibus propoſitis hæc prima ſit: Sine corpore? Sequitur reſponſio: Hoc, id eſt, ſine corpore reſurgere, quod ſciam, neque mens, neque anima, nec vita eſt. *Idem.*

m QVIS VNVS VLLVS AB INFERIS.) Hoc habet à Minucio Lactantius omiſſa dictione vllus. Sed legitur in exemplari. etſi contrarium adfirment qui excerpta ſua venditant nimium credulis. *Idem.*

n *Caſſa vota:* Virg. Æneid 12. *Dixit; opemque Dei non caſſa in vota vocauit.* Vbi Seruius: *non ad inania vota poſcit auxilium.* Vt Minucius *caſſa vota*: Ita Prudentius Rom. Martyre, *caſſa pericula.* QVA.

peierantem, quàm ſiquis ſuum Iouem jurando ſciens falleret. Suſpicor hic notari quandam conſtitutionem Alexandri Seueri: quæ tamen relata eſt in libros Iuris. L. 11. Cod. de rebus credit. Sanè olim Chriſtianos noluiſſe vti tali formula jurisjurandi, teſtis eſt Tertullianus in Apologet. Sed tantò magis miror eam poſteriorum Cæſarum Chriſtianorum legibus commendari.

Cæcilius contumelioſè obiicit, Chriſtianos etiam ipſam crucem adorare. Negat Octauius. Aduerſatius iis, vt furciferis maledicit. Noſter (non enim eum pudet crucis Chriſtianæ) cruciferos ſuo modo dici, non recuſat, & de ſuo crucis ſigno religioſo (quod certè maioribus olim noſtris familiare fuit) reſpondet, quod anteà Iuſtinus & Tertullianus ſcripſerant, & poſteà Lactantius lib. 4. cap. 27. Nam & quanti illud fecerit Conſtantinus, notum eſt: certè vt vulgò res minus eſſet ignominioſa, edixit, ne deinceps facinoroſi cruci affigerentur. Non deſiit tamen Iulianus Apoſtata, vt Cæcilius, Chriſtianis ignominiæ cauſa exprobrare crucis cultum: ſicuti ex Cyrillo intelligi poteſt.

Mira eſt impudentia calumniæ. Eò tandem euaſit, vt neſcio quæ ſacrorum monſtra Chriſtianis obiicerent aduerſarij, & qualia demens (vt quidem Poëta dixit) Ægyptus portenta colit Audet etiam Cæcilius fingere nos adorare caput aſini, quamquam primus hoc non finxerit. Octauius tam putidam calumniam infitiatione depellit, & id potiùs de aduerſariis verè dici poſſe, recriminando probat, ſecutus ſuum Tertullianum: qui & Chriſtianos vulgò dictos eſſe aſiniarios, & Chriſtum ipſum auribus aſininis tamquam aliquem Midam ab impio pictore expreſſum fuiſſe narrat. Talem autem confictam fabulam eſſe ſignificat, quòd Cornelius Tacitus mentiendo tale quippiam de Iudæis recitaſſet. Verùm & ante Tacitum multis annis Appio Alexandrinus tempore Caligulæ in Iudæis accuſauerat quandam ὀνολατρείαν. Cæterùm cùm Ioſephus tale mendacium iam refutaſſet, minus ignoſcendum eſt Tacito, qui in eo perſtat: minimè verò illis, qui maiori etiam impudentia Chriſtianis hoc probrum aſpergunt.

Turpius eſt, quod Cæcilius eodem pudore clamitat, eos colere neſcio quæ pudenda. Ecquò ruit impura maledicentia? Octauius ſuæ verecundiæ eſſe intelligit, id longiori oratione non refellere. Intereà audire cogitur alia non minus nefanda, cùm Cæcilius declamaret, nefarios eſſe Chriſtianorum cœtus antelucanos, inceſto & parricidio pollutos, propè vt olim erant Romæ Bacchanalia. Octauius talia crimina non ſolùm abs ſuis depellit, ſed etiam retorquet in aduerſarios. Quàm inceſta eſſent Romanorum ſacra, non eſt ignotum. Nam & eorum Poëta. Nota bonæ, inquit, ſecreta Deæ. Diu etiam humanas victimas immolarunt: etſi in aliis gentibus hanc, non jam dico ſanctam, ſed ſanguinariam & ſceleratam feritatem deprehenderent. Eſt autem memorabile, quod Plutarchus in Problemat. narrat eos obtendiſſe ad hoc ſuum factum excuſandum, aliorumque damnandum Mirum verò, Chriſtianis ſacra talia obiecta fuiſſe. Fuit tamen vetus & diuturna hæc calumnia: & quidem promiſcuæ libidinis coitio, & quia Chriſtiani ſeſe fratres ſororeſque appellarent, atque etiam oſculo ſeſe inuicem exciperent. Quid dicam oſculo quoſdam impudicè abuſos eſſe, vt & fatetur & conqueritur Clemens Alexandrinus in Pædagog. Chriſtjani ſatis multa caſtiſſimi ſui pudoris teſtimonia opponebant. Sed nihil audit impudens maleuolentia, quæ vt linguam habet intemperantem, ſic neque frontem, neque aures hebet. Sanè & olim Appionem tale quippiam de Iudæorum cœtibus confinxiſſe narrat Ioſephus. Ergo nihil noſtris tali infamia oppreſſis aliud ſuperfuit, quàm, quod ſcitè & eleganter Æſchylus ait, τὼ ἀλήθειαν αἰαπσῶσαι τῷ χρόνῳ. Non erant impoſtores, qui verba darent: non homines clamoſi & impotentes, qui conuitiis, maledictis, libellis famoſis aduerſarios viciſſim opprimere vellent. Rebus ipſis falſum refellere, & eo tandem modo vincere ſedendo & ſilendo, malebant: & bona intereà conſcientia ſeſe ſuſtentabant atque conſolabantur. Sic bonam cauſam agebant benè.

Mirum rurſus, Cæcilio tam inſolentem viſam eſſe illam inter eos fraterni nominis communionem, cùm & ipſe Vlpianus ſcripſerit, eum, qui fraterna charitate diligitur, etſi frater non ſit, rectè tamen fratrem ſimpliciter appellari: quod & in libros Iuris relatum eſt, L. quinquageſima octaua. De hæredib. inſtit Quinimò & olim ipſos Eſſæos, ante tempora Chriſtianorum, ita ſeſe inuicem compellaſſe, didici ex quodam Philonis fragmento, quod extat apud Euſebium περὶ ἀρχῶν.

Horribilius eſt alterum quod obiiciebat crimen infanticidij: cœpitque hæc calumnia paulò poſt tempora Trajani, & ad Conſtantini ætatem perdurauit, & quidem cum tragica ſuſpicione cuiuſdam cœnæ Thyeſteæ. Sed vnde hæc ſuſpicio.? An quia Chriſtiani dicere ſolerent ſe veſci corpore & ſanguine Chriſti? ſicut ediuerſo narrat Auguſtinus quoſdam aliquando exiſtimaſſe ab Chriſtianis adorari Cererem & Bacchum, cùm audirent in eorum myſteriis tanti fieri panem & vinum, neque alioqui rem intelligerent. Quid dicam, quod Epiphanius narrat quoſdam hæreticos, qui Gnoſtici & Cataphryges & Pepuziani appellabantur, ſe verò Chriſtianos eſſe mentiebantur, commiſiſſe, quod hic Cæcilius omnibus Chriſtianis obiicit? Sed an æquum fuit, vt viris bonis propterea affingeretur, quod ab iis erat alieniſſimum? Aduerſarij loco probationis obtendebant famam & rumorem. Sed nullo quoque jure id fieri, leges ciuiles pro noſtris reſpondebant, & ipſe Quintilianus dixit, nulli non etiam innocentiſſimo accidere poſſe fraude inimicorum falſa vulgantium, vt ſiniſtro rumore laboret. Quàm verò procul abeſſent Chriſtiani abs omni homicidio, ſatis Octauius oſtendit, cùm ne homicidium quidem in ludis gladiatoriis ſpectare eos per ſuam religionem potuiſſe narrat, quod & anteà Theophilus dixit contra Autoly. & eodem tempore Athenagoras in Apologia, & latiùs Tertullianus in libro de Spectaculis. & poſteà Lactantius libro ſexto, capite vigeſimo. Sed nequæ cæſæ pecudis ſanguinem guſtaſſe noſtros Minutius affirmat, ſicuti & Tertullianus. Sic enim quam Apoſtoli repetitam Nohæ legem rurſus tulerant, multis ſæculis noſtri diligenter obſeruarunt, non minus quàm Apoſtolicum in eadem Synodo decretum περὶ πορνείας. Certè quàm honeſtum, religioſum, pudicum, caſtumque fuerit Chriſtianorum ſolenne conuiuium, quod Ἀγάπην appellabant, Cæcilius, ſi verum ingenuè dicere, quàm improbè mentiri noluiſſet, intelligere potuerat non ſolùm ex Tertulliani noſtri Apologia, ſed & ſui Plinij quadam ad Trajanum epiſtola. Sed petulantiam projectæ maledicentiæ quid refrenare poſſet? Dixi de eo conuiuio plura in annotationibus ad illam epiſtolam, quæ jam repetere nihil attinet. Vtut autem nocturni Chriſtianorum cœtus innoxij eſſent, tamen obſtabat lex duodecim Tab. multis decretis confirmata, & grauia erant judicia de collegiis illicitis. Noſtri verò reſpondebant, nihil Reipub. eſſe periculi à ſuis coitionibus, quia eſſent alieniſſimi ab omni vel ambitione vel vllius dignitatis cogitatione, nihilque eſſet in Repub. quod affectarent, ſed ſua eſſent priuata conditione contenti, vt Tertullianus in Apolog. reſpondet.

Cæterùm vt jam prætereeam reliqua capita vel accuſationis Cæcilianæ, vel Octauianæ defenſionis illud obſeruare iuuat: cùm calumniator ingenioſus & acer nihil non vel confingat vel exaggeret, & majeſtatis quædam leuiora crimina adiungat: præteriſſe crimen perduellionis, quod & alij anteà objecerant, & ad reos

ſtatim opprimendos imprimis idoneum eſſe videbatur. An id diſſimulauit, quia ne tenuis quidem eius eſſet ſuſpicio? Fuit certè perpetua hæc majorum noſtrorum gloria, quòd nullis injuriis tam irritari potuerint, vt in principes aut tyrannos, etſi ab iis indigniſſimè vexarentur, hoſtili animo eſſent, aut vllis aduerſus eos conjuratis conſpirationibus (quæ tamen alioqui & ſpecioſæ & frequentes tunc erant) aſſentirentur: aut quid ſua patientia, tolerantia, modeſtia, continentia dignum eſſet, non meminiſſent. Tantum abeſt vt eſſent aut turbulenti aut ſeditioſi, aut immani cupiditate vltionis abriperentur. Nam etſi ea multitudine ſepti eſſent, vt facilè poſſent conficere quod in hoc genere inſtituiſſent, tamen fas non eſſe putabant. Et verò ſuæ alioqui religionis & principia ſuſtuliſſent, & fundamenta euertiſſent. Imò verò humanæ ſocietatis vincula omnia diſſoluiſſent. Quid multi etiam philoſophi ambitioſè prædicarent de tyrannicidis, notum erat. Sed noſtri talibus flabellis incendi ſe non patiebantur; quantùm abeſt vt religionis nomine ad publicum parricidium incitarentur. Nihil eſt prætermiſſum quod eos inflammare poſſet, & furor fieri dicitur læſa ſæpiùs patientia. Sed eos religio continuit, & ad inuictam modò patientiam armauit. Id verò, de quo etiam quæri hoc tempore audio & miror, perpetua plurium ſæculorum hiſtoria nos aliàs confirmabimus. Illud modò breuiter attingam, quod Minucius dicere potuit, ac paulò ante eius ætatem accidit.

Tertullianus ad Scapulam, *Circa Majeſtatem*. inquit, *Imperatoris infamamur: tamen numquam Albiniani vel Nigriani vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani.* Iuuat & alterum eiuſdem Tertulliani locum, cuius memoriam veterem hiſce temporibus renouari plurimùm intereſt, aſcribere. *Vnde*, inquit in Apolog. *& Caſſij & Nigri & Albini? vnde qui inter duas lauros obſident Cæſarem? Vnde qui faucibus eius exprimendis palæſtricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Parthenis audaciores? De Romanis (ni fallor) id eſt, de non Chriſtianis.* Ne hunc quidem locum ex hiſtoria illuſtrare grauabor, Auidius Caſſius, Syriæ legatus, aduerſus M. Antoninum Imp. ſurrexerat, cùm prætexeret ſe Rempublicam reſtituere atque conſeruare velle, quam Marci diſſoluta indulgentia peſſumdaret. Chriſtiani tamen qui in Marci exitu aduerſus Marcomannos tam frequentes fuerunt, Caſſianæ factionis nulli fuerunt. Commodum impurum tyrannum & noſtris infeſtiſſimum domi ſtrangulari Romani curarunt, qui illi maximè erant familiares. An his Chriſtianus vllus adfuit? Septimio Seuero, qui ad Imperium gladiatorio animo viam affectabat, ſeſe oppoſuit Peſcennius Niger in Syria, & deinde Clodius Albinus in Britannia Galliaque, cùm vterque tam bono jure armatus, quàm Seuerus, ſibi eſſe videretur. Nam & ipſe Tertullianus in libro de Pallio, hoſce non minus quàm Seuerum, Auguſtos aliquando agnouit atque appellauit. Chriſtiani tamen in eorum vel exercitu vel factione nulli inuenti ſunt Plautianus, qui Principi proximus erat, & poſt eum maximæ auctoritatis, vt Seuerus & Caracalla, à quibus fiebant multa crudeliter, jugularentur, immittit in curiam ſuum Præfectum. & eodem paulò poſt irrumpit. An Plautianum Chriſtiani ſecuti ſunt, quorum intereſſe videbatur tyrannos illos tolli? Imò verò potius Seuerum jam decumbentem illi ſuo etiam oleo curarunt, ſanaruntque, vt teſtis eſt Tertullianus ad Scapulam, vbi & ſolennes Eccleſiæ preces pro Principibus commemorat. Tum addit: *Ex regula patientiæ diuinæ agere nos ſatis manifeſtum eſt, cum tanta hominum multitudo, pars penè maior ciuitatis cuiuſque, in ſilentio & modeſtia agimus. Abſit enim, vt indignè feramus ea nos pati, quæ optamus: aut vltionem à nobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus.* Non diſſimilia ſunt, quæ repetit in Apolog. & digna ſunt, quæ his quoque temporibus inculcentur. Certè ait, Chriſtianos facilè paucis faculis vel vna nocte potuiſſe ſeſe vlciſci, ſi aut fuiſſent aut eſſe voluiſſent (quod tamen iam à temporibus Neronis dicebantur) incendiarij. *Sed abſit*, inquit, *vt aut igni humano vindicetur humana ſecta, aut doleat pati, in quo probatur.* Ait illis, ſi apertè agere & vim vi repellere voluiſſent, minimè defuiſſe vim numerorum & copiarum. *Sed*, inquit, *apud iſtam diſciplinam magis occidi licet, quàm occidere.* Ait, illos etiam ſine armis potuiſſe vincere ſecedendo, & vacuum Romanis ſuum orbem relinquendo, ſi aliò migrare voluiſſent. Tunc enim defuiſſent quibus imperaſſet Rom. Imp Adeò pauci ſupererant, qui non eſſent Chriſtiani. Sed noſtros & ciues manere voluiſſe, & ad hoſtes Romanorum tranſire noluiſſe ſignificat, & intereà tamen à Romanis appellatos eſſe non hoſtes modò, ſed & principum & humani generis hoſtes. Cæterùm tam injuſta & aperta fuit hæc injuria, vt ipſos tandem hoſtes Chriſtianorum puduerit tam & ingratè agere, & loqui impudenter. Ergo Cæcilius, quantumuis eſſet impudens, erubuit iis aliquod perduellionis crimen affingere. Quiduis aliud obijcere, carpere, mentiri, calumniari maluit. Sed neque Chriſtianis aſcribit cauſam publicarum calamitatum: quod tamen eo tempore alij aduerſarij odioſè facere imprimis ſolebant. Triſtiſſima ſanè, ætate Minucij, erat facies Romani imperij, horribiliſque dilaceratio atque confuſio. Quid dicam genus omne malorum tunc inundaſſe? orbemque & concuſſum & permixtum bellis, incendiis, inundationibus, terræ motu, ciuitatum ruinis, gentium regnorumque excidiis; denique confectum & fame & peſte publica? Non committit tamen Cæcilius, vt (quod vulgus tunc clamitabat, & antè poſtque multis ſæculis jactatum eſt) calumniaretur, Chriſtianis totum illud chaos acceptum ferri debere, eorumque ſanguine eſſe expiandum. Ante Minucii ætatem Tertullianus, Si, inquit, Tiberis aſcendit in arua, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim CHRISTIANOS AD LEONEM acclamatur. Non minus odioſa & immanis erat acclamatio tempore Cypriani, vt ex huius ad Demetrianum epiſtola ſatis apparet. Eadem & tempore Arnobii. Nam & hic in ſuis aduerſus Gentes libris laborat, vt hac publici odii & inuidiæ flamma noſtros liberet. Quid ipſe poſtea Symmachus? Nonne audet talem rurſus cantilenam canere? Certè dignus erat, qui audiret, quod aliquandò Romæ poſt mortem Commodi Imp. acclamatum eſt: DELATORES AD LEONEM. Sed noſtri abs ſanguine & vltionis cupiditate erant alieni. Ambroſius non paſſus eſt eum in crimine tam falſo diutiùs exultare. Sed cùm non multò poſt vrbs ipſa capta atque direpta fuiſſet, non erubuerunt impii calumniatores talem poſtremò cladem religioni Chriſtianæ aſcribere: coactuſque eſt rurſus Auguſtinus tam tetræ maledicentiæ occurrere. Nam & propterea ſe ſuos de Ciuitate Dei libros ſcripſiſſe fatetur. Agit ergo minus malitioſè Cæcilius, qui aliorum exemplo talem facem in noſtros non contorquet, neque eorum innocentiam tam indignè onerat. Imò verò iis, vt miſeris, vt victis, vt ſeruis, ipſe tamquam magnis victoriis elatus, & ſumma felicitate cumulatus, ſuperbè inſultat: & hoc nomine tam illorum religionem faſtidioſè deprimit, quàm ſuam glorioſè attollit ſuperſtitionem. Sic enim profani homines ex fortuna & rerum ſucceſſu pendent. Sic ipſe Cicero pro Flacco contumelioſè exagitat Iudæorum & gentem & ſacra. Sed & Appionem Iudæis ſeruitutem, & ærumnas, tamquam falſæ religionis teſtimonia, confidenter objeciſſe, ex Ioſepho intelligimus. Mirum verò, poſt tempora quoque Conſtantini, Iulianum Imp. noſtros eadem ratione imperiiſſe, ſicuti ex Cyrilli reſponſionibus cognoſcimus. Quantò id magis potuit Cæcilius, qui Chriſtianos, niſi afflictos, miſeros, pauperes, nullos viderat? Itaq; magno ſupercilio & faſtu & contemptu eos deſpuit, & tamquam ὡς καθάρματα καὶ περίψηματα (vtor Apoſtoli verbis) proculcat. Sed Thraſonicos eius ſpiritus altiori animo deſpicit Octauius, iiſque ſanctam quamdam ſuperbiam opponit, qua & in paupertate diuites, & in ſeruitute liberi, & in media denique morte victores eſſent

noſtri. Vtut autem Cæcilius initio deſpumans, & intemperanter conuicia profunderet, & minas efflaret, & ampullas horribiles proiiceret, denique Chriſto inſultaret: tamen veris victus paulò poſt cedit, neque arbitri, judiciſque Minucij ſententiam expectat, ſed vltrò illi occurrit. Admirabilis profectò conuerſio, præſertim tam repentina. Sed ea oſtendit, ſanabiles multos Romæ fuiſſe, qui videbantur alioqui depoſiti & deplorati. Veritati verò errorem facilè cedere. Ergo Cæcilius quadam veluti in jure ceſſione Octauio vindicanti addici poterat. Certè vinci dedique non recuſat, & Octauianæ orationis quodam quaſi fulmine perculſus, tamquam alter quidam Paulus, ſubitò religionem, quam ignorans oppugnauerat, admonitus complectitur. Vellem autem, Minucius nobis quoque expoſuiſſet totam huiuſce μετανοίας hiſtoriam: vt &, qua lege, qua conditione, quibus ſponſoribus, quo ritu, qua ceremonia, Cæcilius Romam reuerſus, in Eccleſiæ collegium & communionem cooptatus fuerit, intelligeremus. Nam & antiqui illius moris memoria expetenda eſt. Sed quod Hieronymus ad Chronica Euſebij, & Auguſtinus libro octauo Confeſſion. narrant de duobus aliis eiuſdem & conditionis & ordinis, & gentis, & ingenij vitis, Arnobio & Victorino: cogitemus factum quoque eſſe de Cæcilio. Imò verò hic Cæcilius fatetur, ſeſe, poſteaquam intellexit, quid non ſit vera religio, deſiderare intelligentiam, cognitionem, inſtitutionem religionis veræ; eam verò catecheſin in diem ſequentem fuiſſe reiectam Minucius ſcribit. Sed tantò magis doleo, alteram hanc ſcholam, quæ Minuciani libri optima & maxima pars fuiſſet, non editam eſſe, ſaltem non extare. Nam neque ſatis eſt, fa ſum refellere: verùm etiam docere oportet: vt & quid non ſit, & quid ſit Deus aut religio, exponatur. Sed benè habet: quod hic deſideramus, ſarcire poteſt Auguſtini liber de Catechizan. rudib. qui & leges & formulam veteris catecheſeos eleganter deſcribit: & quomodo ſit agendum cum doctis & literatis, etiam monet: neque diſſimilem Minucij ætate credo catecheſin fuiſſe: & his quoque temporibus non obſeruari miror. Iuuat autem, vt Cæcilium audiuimus accuſatorem & aduerſarium, nunc rebus conuerſis ſpectare cathecumenum. Catechumeni tunc etiam appellabantur auditores, vel audientes, ſicuti ex multis Tertulliani locis apparet: erantque imprimis dociles, minimeque refractarij: quod & ipſe Lucianus in Philopat indicat. Contentioſæ itaque diſputationes nullæ cum iis erant: ſed placidis monitionibus religio docebatur. Poſt catecheſin, qui jam ſua nomina Eccleſiæ dederant, vt baptiſmo initiarentur, appellati ſunt competentes: eorumque rurſus in ordine Cæcilium iam noſtrum conſpicere iuuat. Poſt baptiſmum candidatus denique particeps fiebat τῶν μυστηρίων, à quibus anteà procul abeſſe jubebatur. Neque ſanè de iis, aut promiſcuè diſputare, aut coram profanis hominibus diſſerere, maiores noſtri ſolebant. Teſtis eſt Theodor. in Eran. Nam illa religioſiùs atque adeò timidiùs tractanda eſſe ſentiebant: & quorſum alioqui res euaderet, longè proſpiciebant. Itaque licet, cùm accuſarentur eorum συνάξεις magna cauſa eſſe videretur, cur exponere deberent quicquid in iis ageretur, tamen de myſteriis nihil dicunt in foro, neque de iis cum aduerſariis aut contendunt aut litigant.

Atque hæc quidem hactenus breuiter præmonere viſum fuit, vt ad Octauij Minuciani lectionem viam veluti præmunirem, quæ & Chriſtianarum antiquitarum memoriam nobis commendat, & ad eam renouandam nos excitat, qui & alioqui Romanas tanto ſtudio perſequimur. Atque vtinam qui Romæ ſunt docti homines, & nullum non etiam lapidem reuoluunt, nullamque non in ipſis lapidibus literam obſeruant, vt antiquæ Reipublicæ aliquid eruant: veteris quoque Eccleſiæ monumenta (quibus eadem vrbs abundat) colligerent, pluresque, qui in ea & vixerunt, & ſepulti ſunt, Minucios excitarent. Satis jam, ſatis eſt nouorum de religione libellorum. Veteribus potiùs in lucem reuocandis huius generis reliquiis operam demus: & ſimus aliquando doctæ antiquitatis potiùs quàm inanis nouitatis ſtudioſi: majorumque noſtrorum imagines & intueamur, & aliis, ne noui homines eſſe fortè videamur, oſtentemus. Neque tamen, etſi eadem eorum religio, animuſque idem fuerit, eadem quoque ſemper facies fuit, idemve ſtatus. Non enim ſemper vexati abjectique jacuerunt, neque tam aut ingrati aut inepti fuerunt, vt optimo jure optimaque conditione eſſe recuſarint, cùm hoc iis licuit per Principes Chriſtianos: neque tam fatui, vt hoc beneficio non vterentur: neque tam iniqui, vt ſi quid in ſuis Imperatoribus deſiderarent, paganorum (vt loquimur) tyrannorum loco eos haberent: neque tam moroſi, vt publicæ tranquillitati nihil quicquam condonarent. Loquor de iis, qui non fuerunt degeneres. Sed liberæ Eccleſiæ ſplendorem non vidit Minucius. Seruientis modò ſquallorem vidit. Noſtrum verò eſt, vtrumque ſtatum & vtriuſque temporis conditionem rectè conſiderare atque diſcernere: & hoc externæ (vt ita loquar) formæ temporumque diſcrimen prudenter obſeruare, vt & antiquitatis memoriâ, & maiorum noſtrorum exemplis rectè vtamur. Hîc enim & prudentia magna & cautione maxima opus eſſe fateor, & cùm lex noua rogatur fertur ſæpè illud VTI ROGAS, ſæpiùs iſtud ANTIQVO, nobis vt occurrat atque placeat, neceſſe eſt, reſque poſtulat. Inſculptum Romæ in veteri marmore eſſe dicitur, CANDIDA FVLVO NOBILIOR AVRO FELIX ANTIQVITAS. Sed eius præjudiciis infeliciter abuteremur, niſi liberum integrumque judicium in iis diſcernendis atque deligendis adhibeamus: ne vel confuſè omnia miſceamus, vel malitioſè prætereamus, quæ imitari nos oportet; vel etiam quæ huic ætati non conueniunt, intemperanter vrgeamus. Cùm olim de teſtamentis ageretur, lex quædam ciuilis reſpondit, retinendum eſſe morem fideliſſimæ vetuſtatis. L. XVIII. Cod. de teſtam Cúmque de finibus & ordinatione gubernationis Eccleſiaſticæ quæreretur, audita in Niceno concilio eſt illa vox: ΤΑ ΑΡΧΑΙΑ ΕΘΗ ΚΡΑΤΕΙΤΩ. Nulla tamen fuit ſuperſtitio, quæ intemperanter atque impotenter vrgeret, quod Reipublicæ ſalus repudiaret. Et vt ſapientes Iuriſconſulti, vbi de Magiſtratuum jure quæſtio eſſet, grauiter reſpondebant, non ſolùm ſpectandum eſſe, quid Romæ factum ſit, ſed etiam quid fieri debebat. L. XII. de offic Præſ. Sic etiam ſpectare debemus, non ſolùm quid maiores noſtri fecerint, ſed & quo tempore, & qua conditione, quave fini neque non meminiſſe quoque oportet, quod Lex quædam monet, non tam exemplis quàm legib. iudicandum eſſe Ergo facio perlubenter, vt & juriſprudentiam & hiſtoriam coniunctim aut colam, aut ſaltem colendam eſſe ſæpè profitear: & quidem vtramque in vtroque genere, humanarum dico & diuinarum rerum, ſiue ciuilium & Eccleſiaſticarum. Nam & earum intelligentia atque memoria talem horum ſtudiorum coniunctionem requirit: vt ſi Tiberius Imperator rectè judicauit militarem diſciplinam (quod ait Suetonius) ex antiquitate eſſe repetendam: nos multò magis ſentiamus, rectiuſque dicamus, ciuilem & Eccleſiaſticam bona fide judicioque bono inde repeti debere. Intereà verò, quia variè & periculosè hîc errari poſſe ſentio, iterùm iterúmque obteſtabor omnes bonos & cordatos, vt à factionibus auerſi, & à ſtudio partium alieni, primùm vetuſtati tantum auctoritatis tribuant quantum illi debetur: deinde placidè cogitent atque obſeruent, non ſolùm quid veteres Chriſtiani, tempore Minucij, facerent, cùm aliud non poſſent; ſed & quid optarent, & vbi poſſent, faciendum eſſe ſtatuerent: & verò, quid tandem, cùm liberi fuerunt, fecerint, vt & Rempublicam & Eccleſiam rectè conſtituerent.

MARCI

[a] MARCI
MINVCII FELICIS
[b] OCTAVIVS.

A COGITANTI mihi, & cum animo meo Octauii boni & [c] fideliſſimi contubernalis memoriam recenſenti, tanta dulcedo & affectio hominis inhæſit, vt ipſe quodammodo mihi viderer in præterita redire, non ea quæ iam tranſacta & decurſa ſunt recordatione reuocare. Ita eius contemplatio; quantùm ſubtracta eſt oculis, tantùm pectori meo, ac penè intimis ſenſibus implicata eſt. Nec immeritò diſcedens [d] vir eximius & ſanctus, immenſum ſui
B deſiderium nobis reliquit; vt pote cùm & ipſe tanto noſtri ſemper amore flagrauerit, vt & in ludicris & ſeriis, [e] pari mecum voluntate concineret [f] eadem velle vel nolle: [g] crederes vnam mentem in duobus fuiſſe diuiſam. Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus: &

cùm

COMMENTARIVS.

[a] MARCI MINVCII FELICIS.] De Marco Minucio Felice quid in veterum ſcriptis reperiatur, præter illa quæ ſunt huic editioni præfixa Lactantij, Hieronymi, & Eucherij teſtimonia, non habemus quicquam. Ipſe circa iudiciarias curas occupatum ſeſe innuit, huiuſce diſceptationis exordio. Quo tempore vixerit, auctores non tradunt: niſi quòd Hieronymus in illo ſuo Scriptorum eccleſiæ catalogo, vbi ordinem ferè temporum ſeruat, Minucium antepoinit Cypriano, & iuxta Tertullianum atque alios cenſet, qui Seueri imperatoris æuo proximi fuiſſe dicuntur. Idem verò in Apologia ad Pammachium, vbi minimè neceſſaria temporis erat cura, citatis auctoribus iiſdem, Minucium noſtrum Tertulliano quidem, verùm & Cypriano, ſubiungit. credo ne Minuciani nominis interpoſitione magiſtrum à diſcipulo diuelleret. certè Minucio Victorinum & Firmianum & Hilarium ſubdit. At Eucherius epiſcopus Lugdunenſis, in quadam ad Valerianum epiſtola, Felici noſtro medium inter Firmianum & Cyprianum adſignat locum: vt iam propior vero ſententia ſit, non habitam fuiſſe in iſtis rationem ætatis cuiuſque exactiſſimam. Certior igitur ea fuerit coniectura, quæ de ipſius Tertulliani ac Cypriani aduersùs idolorum cultores ſcriptis dicetur. Etenim ſi Tertullianicis comparentur Minuciana, ſtatim apparebit, Minucium ab Tertulliano & argumenta & diſſerendi ordinem, atque ipſa plerumque verba ſumpſiſſe: Cyprianum verò, in illo præſertim opere, quo vanitatem idolorum arguit, Minucianis & ſententiis & verbis vſum eſſe tamquam ſuis: vt gloriari tamen debeat Minucius ea ſibi in mentem veniſſe quæ Cyprianus vſurpando ſanxerit. Hoc amplius: ne quidem ſemel à Cypriano Minucium eſſe nominatum, neque à Minucio Septimium, rationibus vtrimque, vt par eſt credere, haud improbandis. Denique Vouuerio libens adſentior exiſtimanti, antiquiorem Cypriano fuiſſe Minucium, vel ſaltem edidiſſe hunc Dialogum priuſquàm Cyprianus de idololatria ſcriberet. At Minucium ſanè manifeſta imitatione aliorum verba ſuis immiſcuiſſe, nec tamen eſſe penes ipſum quod acceptum ferre debeat Cypriano. Afrum fuiſſe Minucium opinari licet, cuius verbis Cyprianus tam familiariter vtatur, quàm ipſe Minucius Tertulliano. Afros item fuiſſe Cæcilium Natalem, & Octauium Ianuarium Cirtenſis Fronto teſtatur: omnéſque adeò ſe ſe inuicem demonſtrant. RIGALTIVS.

[b] OCTAVIVS.] Qui & Ianuarius poſteà dicetur. Hoc verò nomen aliquoties occurrit in nomenclatura epiſcoporum & presbyterorum, qui ſententias dixere in concilio Africano de baptizandis hæreticis, ſub Cypriano. *Idem.*

[c] *Fideliſſimi contubernalis.* Contubernalis nomine vtitur, vt amicum & ſumma familiaritate coniunctum indicet. Nam contubernales ſunt, qui ſub eodem tecto habitant, quaſi contabernales. Si enim propriè hanc vocem explicare quiſpiam voluerit, de ſeruorum vxoribus & liberis interpretabitur, ex Iuriſconſultorum vſu & fori Romani conſuetudine. Matrimonium quippe eſt inter liberos homines, verùm inter ſeruos contubernium propriè dicitur, aut cum ſeruis. t. 3. C. de inceſt. nupt. Contubernium etiam in re militari vndecim militibus conſtabat, quorum præfectus Decanus vocabatur. PRIORIVS.

[d] VIR EXIMIVS ET SANCTVS.] Virum ſanctum & ſanctam feminam etiam Ethnici dicebant moribus & virtute præſtantem. Apud Chriſtianos, qui datam Chriſto fidem ſeruabat, qui baptiſma ſuum habebat integrum, ſanctus appellabatur. Et hæc appellatio religionem deſignabat & mores. Quòd ſi aliquis moribus improbis notaretur, iam deſinebat eſſe & haberi Chriſtianus. RIGALTIVS.

[e] PARI MECVM VOLVNTATE *concineret eadem velle vel nolle.*] Sic habet vetus exemplar. Nec mutari debuit quicquam. Ait enim Minucius Octauium ſuum pari ſecum voluntate concinere ſolitum, Volo, vel Nolo. Eſt autem etiam in nolendo voluntas. Volumus abeſſe quæ lædunt aut diſplicent, & quæ ſcilicet nolumus. Concineret, conſentiret, concordaret. *Idem.*

[f] *Eadem velle vel nolle.*] Salluſtius bello Catilinario: *Idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt.* Caſſianus in collat. 16. Abbatis Ioſeph. cap. 3. *Idcircò in his tantùm poteſt indiſrupta dilectio permanere, in quibus vnum propoſitum, vnum velle ac nolle conſiſtit.* Ennodius Euprepiæ lib. 6. epiſt. 8. *Et dum inter nos vnum velle & vnum nolle conſiſtit.* Sic Cicero oratione illa pro Plancio: *Vetus enim*, inquit, *eſt lex iſta iuſta veraque amicitiæ, quæ mihi cùm iam diu eſt, vt idem amici ſemper velint, neque vllum eſt certius amicitiæ vinculum, quàm conſenſus & ſocietas conſiliorum & voluntatum.* Atque è contrario lib. 3. in Verr. *An tu maiores vllas inimicitias putas eſſe quàm contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudinem ſtudiorũ ac voluntatum?* Hinc & Thucydides lib. 3. OVZELIVS.

Eadem velle vel nolle. Auguſtinus tom. 10. in feſt. Epiph. *Amicos vt nouimus, coniunctio animorum facit: vnde quidam ſapiens huius mundi ait, idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt.* Salluſt. bello Catil. Hieronym. tom. 2. aduerſ. Ruff. cap. 2. Cicero pro Plancio. ELMENHORSTIVS.

[g] *Crederes vnam mentem in duobus fuiſſe diuiſam.*] Ariſtoteles apud Diogenem Laërt. ἐρωτηθεὶς τί ἐστι φίλος, ἔφη, μία ψυχὴ δυσὶ σώμασιν ἐνοικοῦσα. D. Lucas actor. cap. 4. τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία. VVOVVER.

cùm diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem [a] ſapientiæ & veritatis emergerem, A
non reſpuit comitem, ſed, quod eſt glorioſius, præcucurrit. Itaque cùm per vniuerſum conuictus noſtri & familiaritatis ætatem mea cogitatio volueretur, in illo præcipuè ſermone eius mentis meæ reſedit intentio, quod [b] Cæcilium ſuperſtitioſis vanitatibus [c] etiam nunc inhærentem diſputatione grauiſſimâ ad veram religionem reformauit. Nam negotij, & viſendi mei gratiâ Romam contenderat, relictâ domo, coniuge, liberis, & quod eſt in liberis amabilius, [d] adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorem. Quo in aduentu eius non poſſum exprimere ſermonibus, quanto, quamque impatienti gaudio exultauerim: cùm augeret maximè lætitiam meam amiciſſimi hominis inopinata præſentia. B
Igitur poſt vnum & alterum diem, cùm iam & auiditatem deſiderij frequens aſſiduitatis vſus impleſſet; & quæ per abſentiam mutuam de nobis neſciebamus, relatione alterna comperiſſemus, placuit [e] Oſtiam petere amœniſſimam ciuitatem, quod eſſet corpori meo ſiccandis humoribus de marinis lauacris blanda & appoſita curatio. [f] Sane & [g] ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant. Nam id temporis, poſt æſtiuam diem, in temperiem ſemet autumnitas dirigebat. Itaque cùm diluculo ad mare inambulando litore pergeremus, vt & aura aſpirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli veſtigio cedens arena ſubſideret, Cæcilius [h] ſimulacro Serapidis denotato, vt vulgus ſupeſtitioſus ſolet, [i] manum ori admouens, oſculum labiis preſſit. C
Tunc Octauius ait; [k] Non boni viri eſt, [l] Marce frater, hominem domi foriſque lateri tuo inhærentem, ſic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deſerere, vt tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos ſanè, & vnctos, & coronatos: cùm ſcias huius erroris non minorem ad te quàm ad ipſum infamiam redundare. Cum hoc ſermone eius medium ſpatium ciuitatis emenſi iam liberum litus tenebamus. Ibi [m] arenas extimas velut ſterneret ambulacro perfundens lenis vnda tendebat. Et vt ſemper [n] mare etiam poſitis flatibus inquietum eſt, etſi non canis ſpumoſiſque fluctibus exibat ad terram, tamen [o] criſpis toroſiſque ibidem erroribus delectati perquam ſumus, cùm in D
ipſo æquoris limine plantas tingueremus, quod viciſſim nunc adpulſum noſtris pedibus adluderet fluctus, nunc relabens, ac veſtigia retrahens in ſeſe reſorberet. Senſim itaque tranquillèque progreſſi, oram curui molliter litoris, iter fabulis fallentibus legebamus. Hæ

a SAPIENTIÆ ET VERITATIS.] Hoc eſt, veræ ſapientiæ, nempe Chriſtianæ. Sic feminas ſapientiam conſecutas dixit Tertullianus, Chriſtianas. Et Socratem ſapere ad veritatem, cùm ad Chriſtianorum ſcita propiùs accedebat. RIG.

b CÆCILIVM.] Hunc etiam appellabit Natalem. Vtriuſque autem nominis epiſcopi & preſbyteri citantur Africano concilio de baptizandis hæreticis. Sunt qui Cæcilium iſtum putant Cypriani fuiſſe præceptorum. Sed quibus id ſibi rationibus perſuaſum fuerit, non explicant. Pontius in vita Cypriani: Erat ſanè illi etiam de nobis contubernium viri iuſti & laudabilis memoriæ Cæcilii & ætate tunc & honore preſbyteri, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis à ſeculari errore correxerat, &c. *Idem.*

c ETIAM NVNC INHÆRENTEM.] Sic loquitur Minucius, reſpiciens ad illud temporis ſiue negotii quod hic deſcribitur. *Idem.*

d *Adhuc annis innocentibus.*] Innocentem ætatulam dicit Prudentius in agone Romani. Tacitus hiſtor. lib. 3. *innoxiam ætatem.* Philo, *ἄκακον ἡλικίαν*, aduerſùs Flaccum. *μὴ γῆρας, μὴ νεότητα, μὴ παίδων ἄκακον ἡλικίαν οἰκτισάμενοι.* HERALDVS.

Annis adhuc innocentibus. Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4. cap. 23. *Innocens ætas.* Hilarius in Pſalm. 118. *Rudes à peccatis annos, & ætatem adhuc criminum neſciam.* Cyprianus de lapſis. *ſimplices annos.* Victor de perſecutione Vandal. lib. 1. & 3. Prudentius in Romano Martyre, *innocentem ætatulam.* Martialis lib. 10. epigr. 62. *ſimplicem turbam* pueros appellat. ELMEN.

Annis adhuc innocentibus. Lactantius lib. 1. cap. 21. vbi de infantibus Saturno immolatis: *Cùm teneras atque innocentes animas, quæ maximè eſt ætas parentibus dulcior, ſine vllo reſpectu pietatis extingueret.* Dimidiata verba. Ita ad Lætam Hieronymus in re ſimili. VOVV.

e OSTIAM PETERE.] Quo loci etiam Auguſtinus ſanctiſſimos habuit cum Monica matre de pietate Chriſtiana ſermones. Oſtiam veteres dixere, & *τὰ Ὤστια.* Oſtia Tiberina. Vnde & Oſtianos & Oſtiates atque etiam Oſtios. RIG.

f SANE ET AD VINDEMIAM FERIÆ.] Ad formam huiuſce opuſculi Minuciani ſuam Cyprianus ad Donatum epiſtolam ſiue diſſertationem concepit. *Idem.*

g *Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant.*] Iuſtitium fieri ſiue vacationem ab omni actione forenſi menſibus Quintili & Sextili nemo niſi rudis ignorat. Eſt autem hic locus verbis non diſſimilibus expreſſus à Cypriano epiſt. ad Donatum de gratia Dei. *Indulgente vindemia*, inquit, *ſolutus animus in quietem, ſolennes ac ſtatas anni fatigantis inducias ſortitur, locus etiam cum die conuenit, & mulcendis ſenſibus ac fouendis ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna conſentit.* Ceſſatio autem illa ſtatuitur leg. 1. D. de Fer. & dilat. & Quamuis cauſæ quædam exceptæ fuerint quæ referuntur. D. eodem. PRI.

h SIMVLACRO SERAPIDIS DENOTATO.] Hoc eſt animaduerſo, deprehenſo, notato ſibi obviàm. RIGALT.

i MANVM ORI ADMOVENS.] Adorans. Plinius lib. 28. in adorando dexteram ad oſculum referimus. Fulgetras poppyſmis adorare conſenſus gentium eſt. *Idem.*

Manum ori admouens, oſculum labiis preſſit.] In adorationis ritu manum ori admoueri ſolitam, iampridem à doctiſſimis in hoc genere viris obſeruatum eſt, quorum diligentiæ ac famæ nihil detractum volumus, etiamſi ad Minucium hac occaſione quædam delibemus. Lucianus *de Saltat.* & paulò clariùs *περὶ ὀρχήσεως*. Sic Apuleius Mileſiarum 4. Manum verò priùs oſculari ſolebant, ac tum demum eam versùs illum, quem adorabant, porrigebant; vt rectè contra Lipſium obſeruat vir ſtupendæ & ad miraculum reconditæ eruditionis excellentiſſimus Salmaſius in notis ad Fl. Voſpici Probum. Et hoc dicebant, *oſcula iacere*, & *baſia iactare.* OVZ.

k NON BONI *viri eſt*, *Marce Frater.*] Octauius Marcum Minucium fratrem appellat. Chriſtianus Chriſtianum. At infrà, Cæcilius adhuc ethnicus eumdem Minucium ſic etiam compellabit, quamquam tibi Marce frater, hæc igitur appellatio fuit adfectus & religionis. Vtriuſque certè in Octauio: Adfectus in Cæcilio. RIG.

l *Marce frater.*] Fratris nomine non ſolùm vocantur Germani, ſed etiam qui ſimilibus conueniunt moribus, pareſque per omnia ſunt; & ita Octauius Minucium Fratrem appellat: Sic *ἀδελφοὶ* græcis. OVZ.

m ARENAS EXTIMAS *lenis vnda tendebat.*) Recta eſt hæc veteris libri ſcriptura. Tendebat arenas: extendebat. Sic tendere plagas, retia. RIG.

n *Mare etiam poſitis fluctibus inquietum eſt.*) Maris fidem infamem vocat Tertullianus cap. 2. de Pallio. & Horat. lib. 1. od 3. *Infames ſcopulos Acroceraunia.* Sed Gregorius Nyſſenus oratione funebri Placillæ Auguſtæ rem explicat. *θάλασσα κυματουμένη τῷ λαίλαπι τῆς συμφορᾶς ἐκ βυθῶν ἀναστρέφεται.* *calamitatis turbine agitatum mare à fundo vſque commouetur.* PRI.

o CRISPIS TOROSISQVE.] Parum attentis oculis Regium exemplar inſpexerat, qui primus ex eo renunciauit ſcriptum, tortuoſis. Nam in eo libro ſcriptum priùs fuerat, ſpis tororiſiſque. Et qui correxit, legi voluit. criſpis toroſiſque. Venarum toros medici dixere, & iubarum toros Poetæ. RIG.

A [a] Hæ fabulæ erant Octauii diſſerentis de nauigatione narratio. Sed vbi eundi ſpatium
ſatis iuſtum cum ſermone conſumpſimus, eamdem emenſi viam rurſus verſis veſtigiis te-
rebamus. Et cùm ad id loci ventum eſt, vbi ſubductæ nauiculæ [b] ſubſtratis roboribus,
à [c] terrena labe ſuſpenſæ [d] quieſcebant, pueros videmus certatim geſtientes, [e] teſtarum
in mare iaculationibus ludere. [f] Is luſus eſt teſtam teretem iactatione fluctuum leuigatam
legere de litore, eam teſtam plano ſitu digitis comprehenſam, inclinem ipſum, atque hu-
milem, quantum poteſt ſuper vndas inrotare, vt illud iaculum vel dorſum maris raderet, vel
enataret, dum leni impetu labitur: vel ſummis fluctibus tonſis emicaret, emergeret,
dum aſſiduo ſaltu ſubleuatur. Is ſe [g] in pueris victorem ferebat, cuius teſta & procurre-
B ret longiùs, & frequentiùs exiliret. Igitur cùm omnes hac ſpectaculi voluptate caperе-
mur, Cæcilius nihil intendere, neque de contentione ridere, ſed [h] tacens, anxius, ſegre-
gatus, [i] dolere neſcio quid vultu fatebatur. Cui ego: Quid hoc eſt rei? cur non agno-
ſco, Cæcili, alacritatem tuam illam? & illam oculorum etiam in ſeriis hilaritatem requi-
ro? Tum ille: Iamdudum me Octauii noſtri acriter angit & remordet oratio; qua in te
inuectus obiurgauit negligentiæ, vt me diſſimulanter grauiùs argueret inſcientiæ. Itaque
progrediar vlteriùs: de toto & integro mihi cum Octauio res eſt. [k] Si placet vt ipſius ſe-
ctæ homo cum eo diſputem, iam profectò intelliget facilius eſſe in contubernalibus diſpu-
C tare, [l] quàm conſerere ſapientium modo. In iſtis ad tutelam balnearum iactis, & in al-
tum procurrentibus petrarum obicibus reſidamus, vt & requieſcere de itinere poſſimus, &
intentiùs diſputare. Et cum dicto eius aſſedimus, ita [m] vt me ex tribus medium lateris am-
bitione protegerent: nec hoc obſequii fuit, aut ordinis, aut honoris, quippe cùm amici-
tia pares ſemper aut accipiat aut faciat: [n] ſed vt [o] arbiter & vtriſque proximus aures da-
rem, & diſceptantes duos medius ſegregarem. Tum ſic CÆCILIVS exorſus eſt: [p] Quam-
D quam tibi Marce frater, de quo cum maximè quærimus non ſit ambiguum; vt pote [q] cùm
diligenter in vtroque viuendi genere verſatus repudiaris alterum, alterum comprobaris:
inpræſentiarum tamen ita tibi informandus eſt animus, vt [r] libram teneas æquiſſimi iu-
dicis, nec in alteram partem propenſus incumbas, ne, non tam ex noſtris diſputatio-
nibus nata ſententia, quàm ex tuis ſenſibus prolata videatur. Proinde ſi mihi quaſi no-
uus

a *Hæ Fabulæ.*) Fabulam rem geſtam etiam deſignare iam pridem mouuere Critici. Ita Plautus Perſa act. 5. ſc. 2.
Sed quid ego aſpicio?
Hoc vide quæ hæc fabula eſt.
Apud Petronium habes multis in locis. Quæ omnia de re geſta capienda ſunt. OVZ.

b *Subſtratis roboribus.*) φάλαγγας Pollux lib. 1. Non. Palangæ. Quamquam Minucius non tam de iis fuſtibus quibus naues ſubducuntur, ſed quibus ſuſpenſæ eriguntur, quos puluinos appellaſſe veteres colligo ex Iſidori lib. 19. nempè quod in iis naues quieſcebant, vt loquitur Minucius. VOV.

c A TERRENA LABE SVSPENSÆ.) Labem dicit vliginem cænoſam, qua putreſcerent carinæ diutino ſitu. RIG.

d QVIESCEBANT.) Etenim ea robora puluini ſunt nauium quieſcentium. *Idem.*

e TESTARVM IACVLATIONIBVS.] ὀστρακισμοῖς.

f *Is luſus eſt.*) Ludum hunc puerilem, à Græcis ΕΠΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΝ appellatum, eleganter & pleniſſimè Minucius hoc loco deſcribit. Iulius Pollux quoque Onomaſt. lib. 9. cap. 7. Euſthathius ad Iliad. σ. Etymologici M. auctor, ἐποστρακίζειν παιδιά τις, ἣν παίζουσιν οἱ παῖδες, ὄστρακα ἀφιέντες εἰς τὴν θάλασσαν. Quæ totidem verbis & apud Suidam & Phauorinum habentur OVZ.

g IN PVERIS.) Inter illos pueros. vt mox, In contubernalibus. RIG.

h TACENS, ANXIVS, *ſegregatus*) Deſcribit hominem vexatum mœroribus & curis ingentibus, qualis erat Homeri Bellerophon. *Idem.*

i *Dolere neſcio quid vultu fatebatur.*) Vultus lætitiæ aut triſtitiæ index. Q. Cicero. de petit. conſulatus. Plinius lib. 2 cap. 37 Cyprianus de lapſis. Hieronymus in Ezech cap. 8. Ouidius faſtorum lib. 4. & 6. Iuuenalis ſat. 9. Theodoretus ſerm 8. de Prouid. Caſſianus lib. 1. collat. 3. Athanaſius apolog. ad Imp. Conſtant. ELMEN

k *Si placet vt ipſius ſecta homo cum eo diſputem.*) Hic non eſt nouum pro Chriſtiana confeſſione ſectam dicere. Nam ſub finem huius libri, *& Deo cedo, & de ſecta iam noſtra ſinceritate conſentio.* Tertullianus multis in locis, & potiſſimum apologetici cap. 1. vbi in bonam partem accipit. *Si denique,* inquit, *quod proximè accidit, domeſticis iudiciis nimis operata ſectæ huius infeſtatio obſtruit viam defenſioni.* Quod & à magiſtro ſuo hauſit Cyprianus epiſt 22. *Ceterum nus confeſſor quàm ſit moderatus & cautus, & humilitate ac timore ſecta noſtra verecundus.* Similiter quoque vocem αἵρεσιν in bonam partem interpretati Apoſtolum, teſtatur Beda retractatione in acta Apoſt. atque eius loci non malè reddidit hanc vocem interpres, per *ſectam.* PRI.

l QVAM CONSERERE *Sapientium modo.*] Sic facilè reſtituimus infirmam ſcripturam Minucij depprauatam in exemplari peruerſa litterula: facilius eſſe in contubernalibus diſputare, quàm conſerere ſapientium modo in iſtis ad tutelam balnearum, &c. Omnes hactenus editiones praua interpunctione ſenſum euerterant Et falſi ſunt interpretes, qui aſſerunt in manuſcripto legi aliter quàm hic retulimus. Ait Cæcilius factutum ſe vt Octauius intelligat, facilius eſſe diſputare & rixari inter contubernales vulgaribus dicteriis & conuiciis, quàm eo modo conſerere, quo ſolent ſapientes. Deinde incipit aliam clauſulam. In iſtis ad tutelam balnearum, &c. RIG.

m *Vt me ex tribus medium.*] Antiquis locus medius pro honeſtiſſimo habebatur, ac idcircò in omnibus cœtibus honoratiorem ſemper in medio collocabant. Suetonius in Claudio cap. 23. OVZ.

n *Sed vt arbiter,* &c.] Appoſitè Lucianus in amoribus, ἐν μέσῳ πάνυ δικαστικῶς ἐκαθεζόμην. HER.

o *Arbiter.*] Iudex; Feſtus: arbiter dicitur iudex, quòd totius rei habeat arbitrium & facultatem. Sic & Eugraphius illud Terentij Heautontimor. *Me cepere arbitrum, me iudicem eſſe voluerunt.* Arnob. lib. 4. Cicero orat. pro L. Muræna ſcribit hoc apud veteres conſultos controuerſum fuiſſe *iudicem* an *arbitrum* dici oporteret. Horum tamen nominum differentia ex eodem Cicerone orat. pro Q. Roſcio Comœdo colligi poteſt, quòd qui bonæ fidei iudiciis, vel arbitrariis dabatur, *arbiter*, qui ſtrictis *iudex* diceretur. Hic ſub actionum anguſtiſſima formula, à qua ne latum quidem vnguem diſcedere licitum, iudicabat; ille liberum arbitrium habebat ſtatuendi, quod ÆQVIVS MELIVS videretur. Hoc quoque diſcrimen Seneca lib 3. de benef cap. 7. perſpicuè declarat. & lib. 2. de Clementia. cap. vlt. OVZ.

p QVAMQVAM TIBI MARCE FRATER) Cæcilius ethnicus Minucium Chriſtianum fratrem vocat, quocum erat amicitiæ familiaritate coniunctiſſimus, vt indicant illa Octauij ad Minucium de Cæcilio, Hominem domi foriſque lateri tuo inhærentem, ſuprà RIG.

q CVM DILIGENTER *In vtroque viuendi genere verſatus,*) Hinc apparet Minucium noſtrum ætate iam prouecta factum Chriſtianum *Idem.*

r *Libram teneas æquiſſimi iudicij.*) ἴσον καὶ κοινὸν eleganter Græci dicunt, neque enim iudex æquus hic eſt ἐπιεικής. Demoſthenes in ea de corona: καὶ παρασχεῖν ἑαυτὸν ἴσον καὶ κοινὸν ἀμφοτέροις ἀκροατὴν, ὑπὸ τὴν διάγνωσιν ποιήσασθαι περὶ πάντων. Rectè autem *libram teneas*, nempe vt vnicuique æquo pondere ius veluti appendatur. Prouerbium Græcorum eſt cuius meminit Euſthathius ad lib 7 Iliad. ζυγοῦ πρὸς δίκην ἀθύρματος Eleganter Clemens Alex. lib. 1. pædag. cap. 10 καὶ ταλαντωθεὶς ἐπὶ ζυγῷ ταῖς ἰσοταγέσιν ἀντιρροπαῖς ἀμφω τῇ δικαίῳ πλάστιγγι. Prudentius.
Gentibus iuſtam poſiturus æquo pondere libram. HER.

uus aliquis, & quaſi ignarus partis vtriuſque conſidas, nullum negotium eſt patefacere, A
omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa: magiſque omnia veriſimilia, quàm vera.
Quò magis mirum eſt, nonnullos tædio inueſtigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temerè ſuccumbere, quàm in explorando pertinaci diligentia perſeuerare. Itaque [a] indignandum omnibus, indoleſcendumque eſt, audere quoſdam, & hoc [b] ſtudiorum rudes, [c] litterarum profanos, [d] expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum, ac maieſtate decernere, de qua tot omnibus ſeculis ſectarum plurimarum vſque adhuc ipſa philoſophia deliberat: nec immeritò, cùm tantùm abſit ab exploratione diuinâ humana
mediocritas, vt neque [e] quæ ſupra nos cælo ſuſpenſa ſublata ſunt, neque quæ infra terram B
profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut [f] ſcrutari permiſſum, aut [g] ſtuprare religioſum: & beati ſatis, ſatiſque prudentes iure videamur, [h] ſi ſecundùm illud vetus Sapientis oraculum, noſmetipſos familiariùs nouerimus. Sed quatenus indulgentes inſano atque inepto labori vltra humilitatis noſtræ terminos euagamur, & in terram proiecti, cælum ipſum & ipſa ſidera audaci cupiditate tranſcendimus, vel hunc errorem ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicemus. [i] Sint principio omnium [k] ſemina naturâ in ſe coëunte denſata: quis hic auctor deus? Sint fortuitis concurſionibus totius mundi membra coalita, digeſta, formata: quis deus machinator? Sidera licèt ignis accenderit, [l] & cælum li- C
cèt ſua materia ſuſpenderit: [m] licèt terram fundauerint pondera, & mare licèt influxerit liquor: vnde hæc religio, vnde formido, quæ ſuperſtitio eſt? Homo & animal omne quod naſcitur, inſpiratur, attollitur, elementorum vt voluntaria concretio eſt: in quæ rurſum homo & animal omne diuiditur, ſoluitur, diſſipatur. Ita [n] in fontem refluunt, & in ſemet omnia reuoluuntur, nullo artifice, nec iudice, nec auctore. Sic congregatis ignium ſeminibus, ſoles alios atque alios ſemper ſplendere. Sic exhalatis terræ vaporibus nebulas ſemper adoleſcere; quibus denſatis coactiſque nubes altiùs ſurgere; iiſdem labentibus pluuias fluere; flare ventos, grandines increpare, vel nimbis collidentibus tonitrua D
mugire, rutilare fulgura, fulmina præmicare. Adeò paſſim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt; ſine delectu [o] tangunt loca ſacra & profana, homines noxios feriunt, & ſæpè religioſos. Quid [p] tempeſtates loquar varias & incertas? quibus nullo ordine, vel examine

a INDIGNANDVM OMNIBVS *indoleſcendumque eſt.*] Sollicitari nondebuit hæc ſcriptura veteris exemplaris. Etenim proba eſt. Et Octauij diſceptatione firmatur Cæcilij verba repetentis RIO

Et quoniam frater meus erupit ægre ſe ferre ſtomachari, indignari, dolere, &c. *Idem.*

b HOC STVDIORVM RVDES.] Rerum diuinarum imperitos. *Idem.*

Studiorum rudes, literarum profanos. Cæcilius hic & infrà pluribus locis agit, quod paſſim gentiles ſolebant, qui Chriſtianis, literas ſeculares phaleraſque verborum minùs colentibus, vti ad ſalutem non neceſſarias, obiiciebantque impetitiam ac ruditatem, ſcriptaque eorum ob ſtili ſimplicitatem ſpernebant, quaſi ab indoctis & imperitis hominibus profecta. Lactant. lib. 5. cap. 1. & lib 6. cap. 21. Arnobius lib 1. 2. & 3. Iſidorus Peluſ. lib. 4. epiſt. 27. 28. & 30. Theodoretus ſerm. 5. ad Græcos. Theophilus ad Autolycum lib. 1. Tatianus contra Græcos. Iuſtinus apolog 1. OVZ.

c LITTERARVM PROFANOS.] Illitteratos. Profanum vulgus RIO.

d EXPERTES ARTIVM *etiam ſordidarum.*] Inertes. Artium quarumlibet exſortes. Artes ſordidas dicit, illiberales: quæ ſeparari ſolent ab iis quas homine ingenuo non indignas cenſemus. Significat igitur vulgus infimum & fecem vulgi. Sic Cæcilius adhuc ethnicus pauperes Chriſtianos deſpicit. *Idem.*

e QVÆ SVPRA NOS CÆLO *ſuſpenſa ſublata ſunt.*] Totus hic locus ad fidem exemplaris editus eſt Et fruſtra ſunt qui pro, ſublata, ſcribi iubent, ſublimata. Suſtolluntur ea quæ ſus, ſiue ſurſum, id eſt, in altum tolluntur. Itaque ſublata ſunt τὰ ὑψωθέντα. Sublata dixere delicatiores pro ſuſlatis. Et hîc ſublata opponuntur demerſis, vt ſuſpenſa profundis. Rectè igitur Minucius ait, non eſſe permiſſum ſcrutari quæ ſupra nos cælo ſuſpenſa ſunt, neque eſſe religioſum ea quæ ſub terram profunda ſunt ſtuprare. Quaſi ſtuprum inferant terræ, qui in viſcera eius penetrare audent. Elegantiſſima ſunt in hanc ſententiam à Plinio notata lib. 11. cap. 63. & præfatione libri 33. *Idem.*

f SCRVTARI.) Liber Reg. ſeturare. *Idem.*

g STVPRARE.) Idem liber: ſtuprari *Idem.*

h *Si ſecundum illud vetus Sapientis oraculum, &c.)* Variis hæc ſententia tribuitur. Clemens Alex. ſtrom. 1. τὸ μὲν οὖν γνῶθι σαυτὸν, οἱ μὲν Χίλωνος ὑπειλήφασι, χαμαιλέων δὲ ἐν τῷ περὶ θεῶν θαλῆ. Ἀριστοτέλης δὲ τῆς Πυθίας. Cui & Dio Chryſoſt. adſcribit orat. 6. At Clemens ſtrom. 2 ex eo tranſlatum ait. quod Moyſes πρόσεχε σεαυτῷ. Plato Alcibiade 1. & Xenophon. 4. ἀπομνημ. Pythiæ præceptum, quod Pythagoras noſſe dæmonium ſuum, hoc eſt vt Hierocles interpretatur, τὴν ψυχήν. VORT.

i SINT PRINCIPIO OMNIVM SEMINA.) Sic legitur in exemplari. & rectiſſimè. RIO.

k *Semina.* ex ſententia Epicureorum qui ἀτόμους ſtatuunt: ſic enim Latini ἀτόμους vocant, vt Lucretius plurimis in locis: & ita Seruius ad Virgilij ecloga 7. vbi eorum hac de re doctrinam paucis verſibus incluſit. Statius Papinius lib. 3. Theb. Claudianus lib. 3. in Ruffinum. OVZ.

l ET CÆLVM LICET SVA MATERIA SVSP.) Nihil mutandum. Sua materia, id eſt, ſui generis materia, apta, habilis, conueniens cælo. RIO.

m LICET TERRAM *fundauerint pondera, & mare licèt influxerit liquor.*) Sic iſta duo commata reſtituimus ordine præcedentium ducti: nec dubitamus quin nobiſcum ſentiat quiſquis attentiùs ea penſitauerit. In exemplari legitur: licèt terram fundauerit pondere, & mare licet influxerit è liquore. Facilè adducor vt credam iſtud, è liquore, occaſionē dediſſe librariis conturbandi quæ non capiebant. Si quis autem adhuc preſſiùs hærere velit exemplari, ſcribat nobis fauentibus: & mare licèt influxerit eliquor. Nam & eliquare & eliquamen dixere auctores valde boni. Stagnabat aquis terra priuſquam dixiſſet Deus, Appareat arida. Verbo Dei aquæ ſe receperunt in cōceptacula ſua, & ſic eliquatus eſt humor ille circumfluus quo terra imbuebatur. Inde autē facta ſunt aquarum maria, & eliquor fluxit in mare, vel vt ait Minucius, influxit mare. Hoc eſt, ſuo influxu fecit mare *Idem.*

n *In fontem refluunt, & in ſemet omnia reuoluuntur.*) Quoniam ex aqua & terra omnia conſtare quorumdam fuit opinio, in eaſdem reſolui cuncta crediderunt. Vnde Homerus ὕδωρ καὶ γαῖα γένεσθε. Lucretius lib. 4.

Omnia quandoquidem cogit natura referri.
Ac reſilire ab rebus ad aques reddita flexus. PRI.

o *Tangunt loca ſacra & profana.*) Et hoc argumento diuinā prouidentiam euertere nititur Cæcilius, Epicurum ſequens cuius diſcipulus lib. 6. de nat. rer. deliramenta talia loquitur.

Poſtremò cur ſancta Deûm delubra, ſuaſque
Diſcutit infeſto præclaras fulmine ſedes:
Et benè facta Deum frangit ſimulacra,
Demit imaginibus violento vulnere honorem.

Impij, & ſi qui adhuc cum Epicuro ſentiunt, Iſidorum Peluſ. audiant, & videant, vt errorem ſuum recognoſcant & emendent. Is epiſt. 73. lib. 1. Calliopium preſbyterum affatur. ELMEN.

p *Tempeſtates varias.*) Quodcumque inſtabile ac mutabile eſt; paſſim hoc epitheto deſignant auctores. Sic apud Manilium *varia ſidera*, Papinium lib. 8 *Sol varius.* Claudianum lib. 1. in Ruffin. *varia Plebe*, Martian. Capell. lib. 8.

Et toties varia flammantia cornua luna.

Penes Boëtium conſol. lib. 1. carm. 5. *varius annus.* OVZ.

A examine rerum omnium impetus volutatur. in naufragiis, bonorum malorumque fata mixta, merita confuſa. in incendiis, interitum conuenire inſontium nocentiumque. &, cum tabe peſtifera cæli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire: & cum belli ardore ſæuitur, meliores potius occumbere. In pace etiam, non tantum æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: vt in pluribus neſcias, vtrum ſit eorum deteſtanda prauitas, an optanda felicitas. [a] Quod ſi mundus diuina prouidentia, & alicuius numinis auctoritate regeretur, numquam
B mereretur Phalaris & Dionyſius regnum; numquam Rutilius & Camillus exilium, numquam Socrates venenum. Ecce arbuſta frugifera, ecce iam ſeges cana, [b] iam temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine cæditur. adeò aut incerta nobis veritas occultatur & premitur: aut, quod magis credendum eſt, variis & lubricis caſibus [c] ſoluta legibus fortuna dominatur. Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura ſit; quantò venerabiliùs ac meliùs antiſtites veritatis maiorum excipere diſciplinam, religiones traditas colere, deos, quos à parentibus [d] antè imbutus es timere quàm noſſe familiarius, adorare; nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſeculo in ipſius mundi nata-
C libus, [e] meruerunt deos vel faciles habere, vel reges. [f] Inde adeò per vniuerſa imperia, prouincias, oppida, videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & deos colere municipes, vt Eleuſinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Aſtarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, [g] vniuerſa Romanos. Sic eorum poteſtas & auctoritas, totius orbis ambitus occupauit: ſic imperium ſuum vltra ſolis vias, & ipſius Oceani limites propagauit, dum exercent in armis virtutem religioſam, dum vrbem muniunt ſacrorum religionibus, caſtis virginibus, multis honoribus ac nominibus ſacerdotum:
D dum obſeſſi, & citra ſolum Capitolium capi, colunt deos, quos alius iam ſpreuiſſet iratos; & per Gallorum acies mirantium ſuperſtitionis audaciam pergunt telis inermes, ſed cultu religionis armati: dum capti in hoſtilibus mœnibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur: dum vndique hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt: dum aras extruunt etiam [h] Ignotis numinibus, & Manibus. Sic dum vniuerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt. Hinc perpetuus venerationis tenor manſit, qui longa ætate non infringitur, ſed augetur. quippe antiquitas cerimoniis atque fanis tantùm ſanctitatis tribuere conſueuit, quantùm adſtruxerit vetuſtatis. Nec tamen temerè, [i] auſim enim interim & ipſe concedere & ſic

a *Quod ſi mundus diuina prouidentia regeretur.* Impij in deſtruenda prouidentia diuina, omnes hoc ferè argumento vſi. Vide Cicer. lib. de nat. deor. Firmicum aſtronom. lib. 1. cap. 3. Claudianum lib. 1. in Ruff. Lucianum Ioue confutato. Lactant. lib. 1. cap. 9. Gaudentium in præfar. ad Beneuolum. Athenag. apol. pro Chriſtian. Theodoretum ſerm. 6. de prouident. Ambroſium in epiſt. Pauli ad Corinth. 1. c. 1. de officiis lib. 1. Clementem recognit. lib. 3. Remigium Altiſſiodorenſem epiſcop. in Malachiam cap. 2. ELMEN.

a *Si mundus diuina prouid.* Nihil vulgatum magis in ſchola non modò Epicureorum, ſed etiam Stoicorum, vnde ex eorum ſententia Lucanus lib. ſept. *mentimur regnare Iouem.* Argumentum autem iſtud infirmum eſt, & debile, euertiturque à majoribus noſtris paſſim, quorum loca multa indicauit olim Elmenhorſtius. PRI.

b IAM TEMVLENTA VINDEMIA.] Proxima temeto. de qua mox temetum fiat: vnde & temulenti. RIG.

c SOLVTA LEGIBVS *fortuna dominatur.*] Præclara eſt in hanc ſententiam fortunæ conſideratio Plinij lib. 2. Toto quippe mundo & locis omnibus omnibuſque horis omnium vocibus fortuna ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuiciis colitur; volubilis, à pleriſque verò & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit. Lactantius 3. cap. 27. Simulacrum eius cum copia & gubernaculo fingunt, tamquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat, &c. *Idem.*

d ANTE IMBVTVS *es timere quàm noſſe.*] Rectiſſima eſt hæc libri veteris ſcriptura. Et imperſonaliter quidem accipienda videtur. *Idem.*

e MERVERVNT DEOS *vel faciles habere, vel reges.*] Faciles dicit beneficos, benemeritos. Plinius lib. 2. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benemerentibus gratiam mos, vt tales numinibus adſcribantur. *Idem.*

f *Inde adeò per vniuerſa imperia, prouincias, oppida videmus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & deos colere municipes.* Id Apologetici 24. Tertullianus enarrat, *vnicuique prouinciæ, & ciuitati ſuus eſt Deus, &c.* Sed expreſſiùs adhuc meo iudicio B. Athanaſius orat. contrà gentes. *καὶ ὅλως ἑκάστη πόλις καὶ κώμη τοὺς τῶν γειτόνων οὐκ εἰδυῖα θεοὺς, τοὺς ἑαυτῆς προκρίνει, καὶ μόνους τούτους εἶναι νομίζει θεούς. vnaquaque demùm ciuitas & vicus vicinorum deos reſpuens, ſuos præponit, eoſque ſolos deos eſſe arbitratur.* PRI.

f *Inde adeò per vniuerſa imperia, &c.* Tertullian. apolog. cap. 24. Ouidius lib. 3. Faſtor. Poeta in carmine libero. Sidonius Apollinaris in docto panegyrico ad Priſcum Valerianum. OVZ.

g VNIVERSA ROMANOS.] Mox dicet. Vniuerſarum gentium ſacra ſuſcepiſſe. Et paulò pòſt: Initiaſſe ritus omnium religionum. Cur ergo tam crudeliter obſtitere Chriſtianis? ſunt qui factum id fuiſſe dicant, eò quòd Iudæorum ac deinceps Chriſtianorum Deus ſolus coli voluerit. Et certè cum ſit vere Deus, ſequitur eum ſolum eſſe Deum. nec præter ipſum coli debere alium quemquam. quod eſt ſanè veriſſimum: ſed quæſtionem minimè ſoluit. Lampridius aliam tradidit rationem in Alexandro Seuero, quem in larario ſuo habuiſſe refert diuos principes, ſed optimos, electos; & animas ſanctiores, in quis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum: prætereà Chriſto templum facere voluiſſe, eumque inter deos recipere. hoc etiam cogitaſſe Adrianum; ac templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris fieri iuſſiſſe ad hoc parata. ſed prohibitum fuiſſe ab iis, qui conſulentes ſacra repererant omnes Chriſtianos futuros ſi id eueniſſet, & templa reliqua deſerenda. RIG.

g *Vniuerſa Romanos.* Prudent. 1. aduerſ. Symm. Tertull. apolog. *Apud nos quoduis colere ius eſt præter verum Deum.* hæc ratio eſt cur Hebræorum Deum cum omnia numina Romani ſuſceperunt, reiecerint, quod ille ſolus coli volebat, ſine ſocio & æmulo maieſtatis. Auguſt. de ciu. Dei lib. 9. VOV.

g *Vniuerſa Romanos.* Romani quotquot prouincias, vrbes, populos edomabant, eorum omnium deos, partim publicè conſecrabant, partim priuatim per familias ſpargebant, vt luculenter ea de re Arnobius lib. 3. OVZ.

h ARAS IGNOTIS *numinibus & manibus.*] Benè Cæcilius componit Deos Manes cum ignotis numinibus. benè inquam ex Epicuri ſenſu, qui negabat eſſe aliquos Manes & ſubterranea regna. Etenim Manes eorum dicuntur, qui iam eſſe deſierunt, ac proinde nulli ſunt. Et Cæcilius. Ignotos Deos ſpernit, quia ſunt ignoti: & manes ſiue defunctos quia defuncti & iam nulli. RIG.

h *Ignotis numinibus.* Etiam apud Athenienſes ara θεῷ ἀγνώστῳ. actor. cap. 17. Diogenes in Epimenide. Lucianus, Philopat. Hieronymus in epiſt. ad Titum. Suidas *ἠμαθίων*. apud Burdigalenſes quoque ara Dei ignoti. Aurelianus Lemouic. epiſc. vita S. Martialis. VOV.

i AVSIM ENIM *interim & ipſe concedere, & ſic melius errare.*] Cæcilius ſuprà de ſchola Epicuri dixit, magis eſſe credendum in rebus humanis ſolutam legibus fortunam dominari, adeòque agi cuncta variis & lubricis caſibus, non deorum aliqua prouidentia aut cura. Hac verò diſſertatione ſua currente, ſentit eò ſe ferri vt fateatur Romanos haud fruſtrà deditos fuiſſe religionibus ſuis erga Deos etiam exteros, quando talium numinum fauore ac tutela totius orbis imperium teneant. Antequam igitur exemplis hoc probare inci,

ſic melius errare, [a] maiores noſtri aut obſeruandis auguriis, aut extis conſulendis, aut in- A
ſtituendis ſacris, aut delubris dedicandis operam nauauerunt. [b] Specta de libris memorias,
iam eos deprehendes initiaſſe ritus omnium religionum, vel vt remuneraretur diuina indul-
gentia, vel vt auerteretur imminens ira, aut vt iam tumens & ſæuiens placaretur. Teſtis
mater Idæa, quæ aduentu ſuo & probauit matronæ caſtitatem, & vrbem metu hoſtili li-
berauit. [c] Teſtes equeſtrium fratrum [d] in lacu; [e] ſicut oſtenderant, ſtatuæ conſecratæ,
qui [f] anheli, [g] ſpumantibus equis atque fumantibus de Perſe victoriam [h] eadem die qua
fecerant nuntiauerunt. Teſtis [i] ludorum offenſi Iouis de ſomno [k] plebeij hominis [l] itera-
tio: & [m] Deciorum deuotio rata. [n] Teſtis & Curtius, qui [o] equitis ſui vel mole [p] vel B
honore hiatum profundæ voraginis coæquauit. Frequentius etiam quam volebamus, deo-
rum præſentiam contempta auſpicia conteſtata ſunt. Sic [q] Allia nomen infauſtum. ſic
Claudij, & Iunij non prœlium in Pœnos, ſed [r] ferale naufragium eſt. & vt [ſ] Thraſymenus
Romanorum ſanguine & maior eſſet & decolor, [t] ſpreuit auguria Flaminius: & vt [u] Parthos
ſigna repetamus, dirarum imprecationes Craſſus & meruit, & irriſit. Omitto vetera, quæ
multa ſunt, & [x] de deorum natalibus, donis, muneribus: negligo carmina poëtarum: præ-
dicta etiam de oraculis fata tranſilio, ne vobis antiquitas nimium fabuloſa videatur. Intende
templis ac delubris deorum, quibus Romana ciuitas & protegitur & ornatur; [y] magis ſunt C
auguſta numinibus incolis, præſentibus, inquilinis, quàm cultus inſignibus & muneribus opu-
lenta. Inde adeò pleni & mixti deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, mor-
bis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatium calamitatibus, laboribus leuamentum.

etiam

piat, ne quid præiudicet opinioni ſuæ de fortuna, corrigit ſe ſe interiectione iſta:. Auſim enim interim & ipſe concedere, & ſic melius errare; obijciens errorem pudendum Octauio, qui Deum colat cultoribus ſuis grauem & noxium potiùs quàm beneficum, bona futura & incerta promittentem, mala ac præſentia non auertentem; imò dehortantem ac depellentem ſuos ab honoribus opibus & voluptatibus, tamquam ab rebus non ſuis. Ait ergo Cæcilius ſe ſe melius errare quàm Octauium, ſi Romanorum ſuperſtitiones probare videatur tam vtiles & proſperas cultoribus ſuis.

a *Majores noſtri aut obſeruandis auguriis.* Auguria olim non ſolùm apud illos qui humaniores audiebant, vti Græci, & Romani, ſed & barbaras quaſque nationes magno in pretio & æſtimatione fuiſſe liquet ex Æliano lib. 11. c. XXXI. variar. hiſt. quiſnam augurandi ſcientiam primus inuenerit, non conuenit inter auctores. Suidas in voce τηλέγυος inuentorem eſſe vult. Plinius verò lib. 7. cap. 56. ait eſſe inuentum à Caris, à quo Caria nomen accepit. Apud Æſchylum in Prometh. ſibi ipſi inter alia augurij inuentionem quoque tribuit Prometheus. Alij in Etruria repertam volunt, auctoremque extitiſſe Tagen quemdam. Ouid. lib. 15. Metam. OVZ.

b SPECTA DE LIBRIS MEMORIAS.] In exemplari, quod hactenus vnicum habemus ſcriptum eſt, memoria. Itaque coniecturæ locus eſt. nec erit magni momenti diſcrimen. vtrum legas: Specta de libris memoriarum: an, ſpecta de libris memorias. Hos libros Arnobius Annales nuncupat. lib. VIII. aduerſ. Gen. Nonimus inficias, inquit, in Annalium ſcriptis contineri hæc omnia quæ ſunt à vobis in oppoſitione prolata. RIG.

c TESTES EQVESTRIVM FRATRVM.] Tyndaridarum, Caſtorum.

d IN LACV.] Iuturnæ.

e SICVT OSTENDERANT.] Eodem habitu.

f ANHELI.] Vel anhelis equis. Valer. Max. ſuum equorumque ſudorem abluere viſi ſunt Cicero Tuſcul. 1. non modò adiutores in prœliis victoriæ pop. Rom. ſed etiam nuncij fuiſſe perhibentur.

g SPVMANTIBVS EQVIS ATQVE FVMANTIBVS.] Lactantius: equorum ſudorem abluentes.

h EADEM DIE QVA FECERANT.] Qua fecerant quod hic narratur. qua & ipſi pugnauerant.

i LVDORVM OFFENSI IOVIS.] Scriptum fuerat in aliquo exemplari primario, offens. Iouis. Deſcriptum inde fuit in Cod. Reg. Offenſio Iouis. Legendum, offenſi Iouis. Et rectè, ludorum Iouis. Erant enim dicati Ioui Circenſes, ludi maximi votiui, bello Latino tum primum facti. Arnobius VII. Eſt vt ignoſcere debeamus Ioui indignanti, non adhibitam curam ſollicitiorem ludis Circenſibus propriis. Propriis ſcilicet, Ioui ipſi dicatis.

k PLEBEII HOMINIS.] Cicero, ruſtici cuiuſdam Romani. Valerius, nomen illi fuiſſe ſcribit, Ti. Atinio, homini ex plebe.

l ITERATIO.] Inſtauratio. Totam hanc hiſtoriam, prolixiùs certè, ſed & ſcrupuloſiùs perſequitur Arnob. VII.

m DECIORVM DEVOTIO RATA.] Etenim laborantes perditaſque vires Vrbis Rom. correxit. Itaque dignoſci arduum eſt, vtrum Romana ciuitas vtilius habuerit Decios duces, an miſerit quoniam vita eorum ne vinceretur obſtitit: mors fecit vt vinceret. Huc alluſit Iuuenalis hoc verſu:

Pluris enim Decij quam qui ſeruantur ab illis.

n TESTIS ET CVRTIVS.] Lacus Curtius, ab illo famoſo equite M. Curtio.

o EQVITIS SVI.] Marci Curtij, vnde nomen inditum Lacui Curtio.

p VEL HONORE.] Val. Max. ſuper quem vniuerſi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt. Liuius: donáque ac fruges ſuper eum à multitudine virorum ac mulierum congeſtæ.

q *Allia nomen infauſtum.* Quo die pugnata Allienſis ſit pugna, in hiſtoriis ambiguum: Tacitus enim 15. Annal. A. D. 14. Cal. Sextiles, quo die in Calendario Farneſſano Romæ effoſſo LVCARIA notantur, quæ à Romanis in luco celebrabantur qui permagnus inter viam Salariam & Tyberim fuit, quod victi à Gallis fugientes è prælio ibi ſe occultauerant, & N F. hoc eſt nefaſtus poſtrema parte diei ſignatur. Mentio quoque apud Macrobium lib. 1. ſatur. cap. 4. & Feſt. in Lucaria. Titus Liu. lib. 6. & Plutarch. in Camillo. A. D. 15. Kal. ſextil. cladem Allienſem perpeſſam ſcribunt. Auctor de viris illuſtribus. A. D. 16. Kal. Aug. Cui præ aliis cum A. Schotto, hac de re aſſentior, idque potiſſimum, quia pridie eius diei, hoc eſt, poſtrid. EID. QVINCTIL. pro proſpero ac fauſto eius pugnæ ſucceſſu rebus diuinis operam datam eſſe prodit Agellius lib. 5. cap. 17. Macrob. lib. 1. Satur. cap. 16. Verrius Flaccus lib. 4. de verbor. ſignif. Hinc Afranius in Fratriis, à Nonio Marcello adductus dict. *Atri dies.* Dicti etiam hi dies, religioſi. Agellius lib. 4. cap. 9. OVZ.

r *Ferale naufragium.* Benè dixit Minutius *ferale naufragium.* nam in illo prælio xc. naues cum pugnatoribus captæ ſunt, 30. demerſæ. Vide breuiatorem Eutropij lib. 1. Valer. Max. lib. 1. cap. 4. de nat. deor. & lib 2. de Diuinat. Polybium lib. 1. ELMEN.

ſ THRASYMENVS DECOLOR.] Arnobius IV. apud Thraſymenum lacum ſanguinei cucurrere torrentes. RIG.

t *Spreuit auguria Flaminius.* Cicero lib. 2. de nat. *Flaminius non paruit auſpicijs, itaque perijt cum exercitu.* Idem lib. 1. de Diuin. Oroſius lib. 4. c. 15. Liuius lib. 22. Plutarchus Fab. Valer. Max. lib. 1. cap. 6. Florus lib. 2. cap. 6. ELMEN.

u ET VT PARTHOS SIGNA *repetamus.*] Hæc aſſignare videntur ætatem Minucij ſub Seuero. Sed auctor eſt Spartianus Septimium Seuerum Parthicum bellum ſuſcepiſſe gloriæ cupiditate, non aliqua neceſſitate adductum. & jampridem Parthos ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant repoſcenti Octauio Auguſto reddidiſſe narrat Tranquillus.

x *De Deorum natalib.* Idololatriam illam profligat Tertullian. cap. 10. de Idolol. *etiam ſtrena captanda, & ſeptimontium, & bruma, & chara cognationis honoraria exigenda omnia, flore ſchola coronanda: Flaminica & Ædile ſacrificant Cereri; ſchola honoratur Ferijs. Idem fit idoli natali.* PRI.

y MAGIS SVNT *Auguſta Numinibus incolis præſentibus inquilinis, quam cultus inſignibus & muneribus opulenta.*] Sic olim habuit Codex Reg. Hodie præfert: cultu inſignibus. vnde Critici occaſionem arripuere corrigendi: cultu inſignia. Sed apparent veſtigia deraſæ literæ ſ. quam nos hac editione reducimus in lucem, vt redeat Minucii ſenſus iſte genuinus, Templa ac delubra Romana magis eſſe diuinæ beneficentiæ titulis auguſta, quàm cultus inſignibus aut muneribus opulenta. Beneficentiæ tituli ſunt Auguſtæ illæ inſcriptiones, NVMINIBVS INCOLIS. NVMINIBVS PRÆSENTIBVS. NVMINIBVS INQVILINIS. At opulenta cultus inſignia ſunt aureæ ſtatuæ, thenſæ, acerræ, lectiſternia ſoliſternia, currus & alia huiuſmodi pretioſa. RIG.

A etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoſcimus, [a] quos impiè per diem negamus, nolumus, peieramus. Itaque cum omnium gentium de diis immortalibus, quamuis incerta ſit vel ratio, vel origo, maneat tamen [b] firma conſenſio, neminem fero tanta audacia tamque irreligioſa neſcio qua prudentia tumeſcentem, qui hanc religionem [c] tam vetuſtam, tam vtilem, tam ſalubrem diſſoluere, aut infirmare nitatur. Sic licet ille Theodorus Cyrenæus, vel qui prior [d] Diagoras Melius, [e] cui Atheon cognomen appoſuit antiquitas, qui vterque nullos deos aſſeuerando, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus B ſuſtulerunt: numquam tamen, in hac impietatis diſciplina ſimulatæ philoſophiæ, nomine atque auctoritate pollebunt. Cum Abderitem Protagoram Athenienſes viri, [f] conſultè potius quàm profanè de diuinitate diſputantem, & expulerint ſuis finibus, & [g] in concione eius ſcripta deuſſerint: quid? homines (ſuſtinebitis enim me impetum ſuſceptæ actionis liberiùs exerentem) homines, inquam, [h] deploratæ, inlicitæ, ac [i] deſperatæ factionis graſſari in deos non ingemiſcendum eſt? qui de vltima fece collectis imperitioribus & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ coniurationis inſtituunt; quæ [k] nocturnis con-
C gregationibus, & ieiuniis ſolemnibus, & [l] inhumanis cibis, non ſacro quodam, ſed piaculo fœderantur. [m] latebroſa & [n] lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula, [o] templa vt buſta deſpiciunt, deos deſpuunt, rident ſacra, miſerentur. miſeri! ſi fas eſt, ſacerdotum honores & purpuras deſpiciunt, ipſi ſeminudi. proh! mira ſtultitia & incredibilis audacia? ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt & futura: & [p] dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent. [q] ita illis pauorem fallax ſpes ſolatia rediuiua blanditur. Ac iam, vt fecundius nequiora proueniunt, ſerpentibus in dies perditis moribus, per
D vniuerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt. Eruenda prorſus hæc, & execranda conſenſio. Occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò pænè antequam nouerint: paſſim etiam inter eos quædam libidinum religio miſcetur: ac [r] ſe promiſcuè appellant

a QVOS IMPIE *per diem negamus, nolumus, peier.*] Verbum nolumus, minus aptè interiectum videatur, niſi præcedentia ſic repetantur. Per quietem deos videmus, audimus, agnoſcimus, quos per diem negamus eſſe, nolumus videre, imò quos vidimus audiuimus, agnouimus peieramus. Scio quid hic alij tentauerint. Sed obſtat exemplaris auctoritas. RIG.

b FIRMA CONSENSIO.] Senſus publicus, conſenſus gentium, qui ſæpè adducitur à Plinio ad diſputationes huiuſcemodi. *Idem.*

c TAM VETVSTAM, TAM VTILEM.] In aliquo exemplari ſcriptum fuerat antiquario more, tam vetus tam vtilem. quod eſt tam vetuſtam, tam vtilem. Syllabas proximè repetitas ſemel ſcribebant, vt videmus in editione Pandectarum iuris ad exemplar Florentinum. Et hæc ſcriptura compluries in Minuciano exemplari reperitur. *Idem.*

d *Diagoras.* Cicero 1. de nat. Deor. Ioſephus 2. contra Appionem. Tatian. Athenag. πρὸς Ἕλληνας. Clemens protrept. οὐ δὴ χάριν, οὐ γὰρ οὐδαμῶς ἀποκρυπτέον, θαυμάζειν ἐπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ δύσμορον τὸν ἀκραγαντῖνον, καὶ νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ διαγόραν, καὶ ἵππωνα τὸν μήλιον, τὸν Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἄλλους συχνοὺς σωφρόνως βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερον που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασι. VOV.

d *Diagoras Melius.* Suidas in διαγόρας. Vixit autem Diagoras iuxta Euſeb. Olymp. 74. & deinceps: Vir perſpicaciſſimi ingenij Clariſſ. Voſſius, exiſtimat, eumdem eſſe Diagoram Athenienſem qui reliquit ſermones Phryios. Tatianus contra Græcos. διαγόρας ἀθηναῖος ἦν ἀλλὰ τοῦτον ἐξορχησάμενον τὰ παρ' ἀθηναίοις μυστήρια, τετιμωρήκατε καὶ τοῖς φρυγίοις αὐτοῦ λόγοις ἐντυγχάνοντες ὑμᾶς μεμισήκατε. Hi Phrygij ſermones fuiſſe videntur hiſtoria eorum, quæ ad Cybelen, ſiue matrem Phrygiam, & eius ſacra pertinerent. ab ipſo autem eo fine conſcriptos, vt homines à ſacris illius auerteret. OVZ.

e CVI ATHEON *cognomen appoſuit antiq.* Diagoræ cognomen appoſitum Atheo. Proſcripſere Athenienſes talenti pretium illi qui Diagoræ caput adferret. RIG.

f CONSVLTE POTIVS *quàm profanè*] Non habere ſe dixerat Protha_oras quod de diis pronunciaret ı eſſent, necne. multis impedimentis prohiberi. tam propter rei difficultatem quàm propter humanæ vitæ breuitatem. Huic certè ſermoni, pro Ethnici ſententia conuenire videatur illud Cæcilij Minuciani, Conſultè potiùs quàm profanè. Nam exordium ipſum, vt eſt à Cicerone poſitum, abruptius eſt. atque ob id jure Protagoras exterminatus. *Idem.*

g IN CONCIONE *eius ſcripta deuſſerint.*] Cicero: Librique eius in concione combuſti. Laërtius: κατεκαύσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ.

h DEPLORATÆ, INLICITÆ *ac deſperatæ factionis.*] Aiunt in mſ. legi, inquinatæ. Sed Codicem antiquum alium à Regio exemplari nemo hactenus protulit. In Regio diſertiſſimè ſcribitur, inlicitæ. Et meritò quidem exploditur quod Ferrarius & Priſcianenſis ediderant, inclitæ. Illud verò, inlicitæ, etſi defendatur antiquitate exemplaris, nihilominus friget inter illa duo, deploratæ ac deſperatæ. Itaque, ſi coniecturæ locus eſt, legam incitæ, quod eſt incitatæ, furioſæ, rabidæ. Catullus in Galliambo. Alios age incitatos, alios age rabidos. Incitus, quemadmodum percitus. In Prudentij Vincentio vbi de ſpiritibus immundis: Qui vos latenter incitos, in omne compellunt nefas. *Idem.*

i *Deſperata factionis.* Tertullianus apolog. 50. ſiue vlt. *meritò itaque victis non placemus: propterea enim deſperati ac perditi exiſtimamur.* Lactantius lib. 5. cap. 9. *Qui autem culturæ ſe Dei non abnegauerint, in eos totis carnificina ſua viribus, veluti ſanguinem ſitiant, incumbunt; & deſperatos vocant, quia corpori ſuo minimè parcunt.* Ob generoſam ſcilicet in perpetienda morte pro Chriſto conſtantiam deſperati dicebantur. Beſtiarij quoque dicti ſunt, eodem fermè ſenſu propter audaciam, vtpotè qui in beſtias pugnare non vererentur. PRI.

k NOCTVRNIS CONGREGATIONIBVS.] Peruigiliis, παννυχισμοῖς. RIG.

l INHVMANIS CIBIS.] Mox dicet de infanticidio.

m LATEBROSA ET *lucifugax natio.*) Sic habet exemplar. & ſic editum fuit prima editione Rom. *Idem.*

n *Lucifugax natio.* Latebroſam vocat nationem ob preces matutinas, & nocturnas congregationes, vt mox dicebat, quod Terullianus apolog. 2. cœtus appellat antelucanos. S. Baſilius epiſt. 63. quæ eſt ad Clericos Eccleſiæ Neocæſarienſis. ἐκ νυκτὸς γὰρ ὀρθρίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς. quod ita reddi poteſt. *Noctu quippe apud nos populus in domo orationis antelucanas preces fundit.* Niſi malit quis ita dictos Chriſtianos, quoniam rebus diuinis penitùs dediti, vulgo ſemouebantur. PRI.

o TEMPLA VT BVSTA DESPICIVNT) Mox recurret idem verbum, Purpuras deſpiciunt. quod accidiſſe per negligentiam Minucij non dixerim, ſed librariorum, qui fulciendum putauerunt quod Minucius ſcripſerat: Templa, vt buſta, deos deſpuunt. Tertullianus lib. de Spectac. cap. 13. Dum mortui & dij vnum ſunt, vtráque idololatria abſtinemus: nec minus templa quàm monumenta deſpuimus. RIG.

o *Templa vt buſta deſpiciunt.* Meritò Chriſtiani templa paganorum, vt buſta deſpiciebant; nouerant enim illa nihil aliud eſſe quàm cineres & oſſa, functorumque corporum ſepulturas Doctè Arnobius lib. 6. Clemens Alex. in protrept. Theodoretus contra Græcos ſerm. 8. de mart. ELMEN

p DVM MORI *poſt mortem timent, interim mori non timent.*) Ex eodem ſenſu Martialis, furor eſt, ne moriare mori. RIG.

p *Dum mori poſt mortem timent.* Lucianus peregrinat. πεπείκασι αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, παρ' ὃ καὶ καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὐτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί. VOV.

q ITA ILLIS *pauorem fallax ſpes ſolatia rediuiua blanditur.*) Sic omninò legitur in exemplari: & eleganter Minucius ſub perſona Cæcilii ethnici dixit, Fallax ſpes blanditur Chriſtianis pauorem: & blanditur, inquit, ſolatia neſcio quæ rediuiua. Tertullianus lib. de Anima. Quies finem operis blanditur. RIG.

r *Sed promiſcuè appellant fratres, & ſorores.* Haud abs re Cæ-

appellant fratres, & ſorores, vt etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum. ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas, maxima & varia & honore præfanda ſagax fama loqueretur. Audio eos [a] turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum inepta neſcio qua perſuaſione venerari: [b] digna & nata religio talibus moribus. alii eos ferunt ipſius antiſtitis ac [c] ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. neſcio an falſa; certe occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio. & qui hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulatur, congruentia perditis ſceleratiſque tribuit altaria, vt id colant quod merentur. Iam de initiandis tirunculis fabula tàm deteſtanda, quàm nota eſt. infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuatur. [d] is infans à tirunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus prouocato cæcis occultiſque vulneribus occiditur: huius, proh nefas ſitienter ſanguinem lambunt, huius certatim membra diſpertiunt, hac fœderantur hoſtia, hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignerantur. hæc ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora. [e] Et de conuiuio notum eſt. paſſim omnes loquuntur. [f] id etiam Cirtenſis noſtri teſtatur oratio. ad epulas ſolemni die coëunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. illic poſt multas epulas, vbi conuiuium caluit, & inceſtæ libidini ebrietatis feruor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ vltra ſpatium lineæ qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſo & extincto conſcio lumine, [g] impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt per incertum ſortis: &, ſi non omnes opera, conſcientia tamen pariter inceſti; quoniam voto vniuerſorum appetitur, quidquid accidere poteſt in actu ſingulorum. Multa prætereo conſultò. nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraque omnium vera declarat ipſius prauæ religionis obſcuritas. Cur etenim occultare & abſcondere quidquid illud colunt magnopere nituntur? cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint. [h] cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra, numquam palam loqui. numquam liberè congregari, niſi illud quod colunt & interprimunt, aut puniendum eſt, aut pudendum? Vnde autem, vel quis ille, aut vbi Deus vnicus, ſolitarius, deſtitutus; quem non gens libera, non regna, non ſaltem Romana ſuperſtitio nouerunt? [i] Iudæorum ſola & miſera gentilitas vnum & ipſi Deum, ſed palam, ſed templis, aris, victimis, cerimoniiſque coluerunt. cuius adeò nulla

A B C D

ellius Chriſtianos ait ſeſe appellare fratres ac ſorores; nomina enim hæc gentilibus, inter laſciua & ἐρωτικὰ erant. Petronius paſſim Martialis.

Quare deſine me vocare fratrem
Ne te Carmenion vocem ſororem.

Sic apud Tragicum Phædra, cum amorem ſuum verecundè indicare vellet, ait:

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens
Noſtros humilius nomen affectus decet;
Me vel ſororem Hippolyte, vel famulam voca.

At multò aliter ſeſe res cum Chriſtianis habebat, qui non libidinis, ſed communis regenerationis & mutuæ charitatis cauſa hiſce nominibus vtebantur. Ovz.

a *Turpiſſimæ pecudis caput aſini, &c.* Execrandos hic ritus Gnoſticorum Chriſtianis affingit, ex errore gentilium. Ea enim Gnoſticorum impia cæcitas, vt Porci, aut Aſini figura Deum expreſſerint. *φασὶ δὲ τὸν σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. dicunt alij Deum Sabaoth Aſini, alij, porci figuram habere.* de iis loquens Epiphanius. Pri.

b Digna et nata religio talibus moribus.] Quaſi aſinina patientia & hebetudine. Sic illudebant impij Chriſtianæ ſimplicitati. Rio.

c Sacerdotis colere *genitalia.*] Calumnia ſtultiſſima, ex ea occaſione concinnata, quod Chriſtiani, quibus contigerat poſt fidem Chriſto datam grauiter labi, ita vt Eccleſiæ communione abſtinerentur, ſi pœnitentiæ locum dari ſibi flagitarent, hoc tam demiſsè ac ſuppliciter poſcebant, vt acciderent ad pedes & genua fratrum & ſacerdotum. Inde illa paſſim apud rerum Chriſtianarum ſcriptores, Aduolui presbyteris, & Volutando caligas fratrum detergere. *Idem.*

c *Sacerdotis colere genitalia.* Hæc ad pœnitentiam pertinent, vnde Tertullianus presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari. lib. de pœnit. & in Itinerario Rutilij

Reddimus obſcœna conuicia debita genti,
Quæ genitale caput propudioſa metit. Pri.

d *Is infans à tirunculo &c.* Tertull. apolog. c. 7. 8. & 9. calumniam illam diluit, probatque gentiles in Chriſtianos retorſiſſe crimina quibus poſtulabantur. Hæ autem ſordes hæreticorum forſan fuere, multi enim hoc nomine infames, Gnoſtici Nicolaitæ, Carpocratiani & alij. Vide quæ ad Tertullianum obſeruabamus, *Idem.*

e Et de convivio notum est.] Plinius Cæcilius quamuis ethnicus ab omni de conuiuio calumnia Chriſtianos liberauit apud Traianum: Etenim ſcripſit, morem illis fuiſſe coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium. Rio.

f Id etiam *Cirtenſis noſtri teſtatur oratio.*] Hanc aduerſus Chriſtianos orationem fuiſſe Frontonis declarat Octauius. vbi obiectionem Cæcilij ſic diluit: Et tuus Fronto non vt adfirmator teſtimonium fecit; ſed conuicium vt orator adſperſit. Sed ambigitur vter iſte Fronto fuerit, Papirius-ne Fronto Iuriſconſultus, qui in Pandectis memoratur, an Cornelius Fronto rhetor, quem Lampridius Marci Antonini Imp. Præceptorem fuiſſe tradidit? Franciſcus Balduinus præclara ad Minucium præfatione in hunc magis inclinat, quod & verius exiſtimo. *Idem.*

g *Impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt.* Tertullianus apolog. 7. *& poſt conuiuium inceſto, quod euerſores luminum canes, lenones ſcilicet, tenebrarum inuerecundiæ procurent.* Hinc igitur damnata myſtica ſacra ac nocturnæ peruigilationes ab antiquis, in quibus quid poſſit accidere innocentes Comici, vt eos appellabat Cicero εἰρωνικῶς, ſatis indicant, qua de re obſeruabamus aliquid ad Arnobium. Alij autem horrorem noctis addere aliquid venerationis exiſtimabant, & hac de cauſa nocturna ſacra inſtituta, cum alij contra libidinibus potiùs perfruendis excogitata cenſerent, qua de re locus eſt elegans apud Euripidem in Bacchis. Her.

h *Cur nullas aras habent, templa nulla.* Origenes contra Celſum lib. 8. *μετὰ ταῦτα δὲ ὁ Κέλσος φησὶν ἡμᾶς βωμοὺς, ἀγάλματα, καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν.* Prioribus quidem Eccleſiæ temporibus Chriſtianis à gentibus obiiciebatur, nulla iis eſſe templa venerationis ad officium conſtructa, quia tum temporis adhuc tenuiores minuſque ſtabiles res erant Chriſtianorum, quàm vt ſuperbas illas ædificiorum moles erigere quirent. Habebant ergo ſua tantùm conuenticula, vbi conueniebant, neque ea ob perſecutionum ſæuitias, ſemper fixa erant; tum enim latebras quærebant Chriſtiani, ac ædibus priuatis, denique quibuſcunque poterant locis congregabantur. De his conuenticulis Arnobius lib. 4. Lactantius lib. 5. cap. 11. Oroſius lib. 7. cap. 12. Ammianus Marcellinus lib. 27. Ovz.

h *Nullas aras, templa nulla.* Arnob. lib. 6. *conſueſtis crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus,* &c. Chriſtiani non habebant templa dedicata, & conſecrata ritu ethnico, ſuas tamen baſilicas, ſeu vt ipſi appellabant, κυριακὰ habuiſſe ſatis conſtat, eaque frequentaſſe, niſi quatenus perſecutione impedirentur. Tunc enim ad domos priuatas confugiebant. Auguſt. contra Donatiſt. *Domum priuatam Chriſtianis congregandis præſtitam conſtitit tempore perſecutionis.* D. Lucas actor. 1. Vov.

i Ivdæorvm sola *& miſera gentilitas vnum & ipſi Deum.*] Feminam aliquam Hebræam potiùs quàm Chriſtianam deſcribit Apuleius ix. Metam. quæ ſpretis atque calcatis diuinis numinibus in vicem certæ religionis mentita ſacrilega præſumptione Dei, quem prædicabat vnicum, confictis obſeruationibus vanis, fallens omnes homines, atque ipſum maritum

A nulla vis, nec poteſtas eſt, [a] vt ſit Romanis hominibus cum ſua ſibi natione captiuus. [b] At etiam Chriſtiani, [c] quà in tam noſtra, quæ portenta confingunt? Deum illum ſuum, quem nec oſtendere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique, & occultas cogitationes diligenter inquirere: diſcurrentem ſcilicet, atque vbique præſentem: moleſtum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curioſum. ſiquidem adſtat factis omnibus, locis omnibus intererrat: cum nec ſingulis inſeruire poſſit per vniuerſa diſtrictus, nec vniuerſis ſufficere in ſingulis occupatus. [d] Quid? quod [e] toto orbi, & ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium, ruinam moliuntur. quaſi aut naturæ diuinis legibus conſtitutus æternus ordo turbetur; aut rupto elementorum omnium fœdere, & cæleſti compage diuiſa, moles iſta, qua continetur & cingitur, ſubruatur. Nec hac furioſa opinione contenti aniles fabulas adſtruunt

B & annectunt. [f] renaſci ſe ferunt poſt mortem & cineres & fauillas: & neſcio qua fiducia mendaciis ſuis inuicem credunt. putes eos iam reuixiſſe. anceps malum, & gemina dementia! cælo & aſtris, quae ſic relinquimus vt inuenimus, interitum denunciare: ſibi mortuis, extinctis, qui ſicut naſcimur, & interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas. quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſoluatur; [g] nec interſit, vtrum feræ diripiant, an maria conſumant: an humus contegat, an flamma ſubducat: cum cadaueribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna ſit: ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam ſibi, vt bonis, & perpetem vitam mortuis pollicentur; ceteris, vt iniuſtis, ſempiternam. Multa ad hæc ſuppetunt, ni feſtinet oratio. Iniuſtos ipſos magis, nec laboro,

C iam docui. quamquam etſi iuſtos darem, [h] culpam tamen, vel innocentiam fato tribui ſententiis plurimorum & hæc veſtra conſenſio eſt. Nam quidquid agimus, vt alij fato, ita vos Deo dicitis. [i] ſic ſectæ veſtræ [k] non ſpontaneos cupere, ſed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis, qui ſortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen ſciſcitari, vtrumne cum corporibus, & corporibus quibus; [l] ipſiſne, an innouatis reſurgatur. Sine corpore? Hoc, quod ſciam, neque mens, neque anima, nec vita eſt. ipſo corpore? ſed iam antè dilapſum eſt. alio corpore? ergo homo nouus naſcitur, non prior ille reparatur. & tamen tanta ætas abiit, ſecula innumera fluxerunt, [m] quis vnus vllus ab inferis vel Proteſilai ſorte remeauit, horarum ſaltem permiſſo commeatu, vel vt exemplo crederemus? Omnia iſta figmenta male ſanæ opinionis, & inepta ſolatia à poëtis fallacibus in dulcedine carminis luſa;

D à vobis nimirum credulis in deum veſtrum turpiter reformata ſunt: nec ſaltem de præſentibus capitis experimentum, quam vos irritæ pollicitationis [n] caſſa vota decipiant. quid poſt mortem impendeat, miſeri! dum adhuc viuitis æſtimate. Ecce pars veſtrûm & maior, melior,

ritum decipiens, matutino mero & continuo ſtupro corpus manciparat. Rɪo.

a Vᴛ sɪᴛ *Romanis hominibus.*) In exemplari legitur, nominibus, quod eſt, numinibus. *Idem.*

b Aᴛ ᴇᴛɪᴀᴍ *Chriſtiani qua in tam noſtra.*) Vetus exemplar, *qua m tā nrā.* Vnde Ferrarius & Priſcianenſis confecere quod in cunctis editionibus hodie cernimus, quænam monſtra. quæ lectio vitium ipſa ſuum ſatis prodit. nam vt congrueret ſequentibus, dicendum fuerat, quæ monſtra, quæ portenta confingunt? Sed quare perdimus ſenſum Auctoris ipſiſſimum & longè præſtantem? At etiam Chriſtiani, quà in tam noſtra, quæ portenta confingunt? Iudæorum, inquit, ſola gentilitas, patria ſua velut angulo cohibita, Deum ſibi ſuum habebat, quem etſi templis, aris atque victimis procuraret, non in regna tamen aliena exundabat. At Chriſtiani, quà ſunt in vrbes Italiæ, in populi Romani prouincias, in tam noſtra diffuſi, quæ portenta confingunt? *Idem.*

c Qᴠᴀ ɪɴ ᴛᴀᴍ ɴᴏsᴛʀᴀ.] Tertullianus Apolog. cap. 37. Veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, ſenatum, forum. *Idem.*

d *Quid? quod toto orbi, & ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium.* Vnde & Philopatris ille Luciani eos notabat quod nihil niſi infauſtum augurarentur. Sanè nihil magis damnabant in tota doctrina Chriſtiana Nationes, quam quod extremo iudicio ac mundi conſummatione & reſurrectione docetur B. Baſilius Hom. 1. in Hexam. Hᴇʀ.

e Tᴏᴛᴏ ᴏʀʙɪ.] Sic legitur in exemplari. Rɪo.

f *Renaſci ſe ferunt poſt mortem.* Cùm Chriſtiani reſurrectionis mentionem facerent, ſemper à paganis irridebantur. acta apoſtol. cap. 17. *ἀκούσαντες δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον, οἱ δὲ εἶπον, ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου.* Damaſcenus de duobus martyr. Eʟᴍᴇɴ.

g *Nec interſit vtrum feræ diripiant, an maria conſumant* Petronius in ſatyr. *tamquam interſit periturum corpus, quæ ratio conſumat, ignis an fluctus, an mora.* Statius Papin. lib. 9. Theb. Seneca de fortuit. remed. *quid intereſt ignis me an fera conſumat, an tempus omnium ſepultura?* & lib. . controuer. 1. *Multas rerum natura mortis vias aperuit, & hæc eſt conditio generis humani, quod naſcimur vno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur miſerabili huic animæ.* Firmicus Aſtronom. lib. 1. cap. 4. *Quidnam de mortalium vario exitu dicemus? ille cogente fato ſuſpenditur laqueo, at ille gladio percutitur, ille mari fluminibuſque ſubmergitur, ille ſæuientibus flammis, ignique traditur, in cinerem fauillaſque conuertitur: ille per præcipitia iactatur, ille cadentium tectorum ruina comprimitur, &c.* & eleganter Teles. *τί διαφέρει ὑπὸ πυρὸς καταναλωθῆναι, ἢ ὑπὸ κυνὸς καταβρωθῆναι, ἢ ἐπάνω τῆς γῆς ὄντα ὑπὸ κοράκων, ἢ κατορυχθέντα ὑπὸ σκωλήκων;* quid intereſt, igne abſumi, aut à canibus lacerari, aut in aere à coruis, ſeu in terra defoſſum à vermibus diſcerpi? Lucifer Calaritanus lib. moriendum eſſe pro filio Dei. *Quantum ad exitum nihil intereſt, clauo an lancea moriar.* Pʀɪ.

h *Culpam tamen, vel innocentiam fato tribui, &c.* Chriſtianos bona vel mala, quæ in humanis rebus fiunt, fato adſcribere, impudens improbumque mendacium eſt. Nam nihil æquè hominibus inculcant, & preſſiùs commendant, quàm ingenitum nobis à Deo libertatis decus: deteſtantes Ethnicorum profanorum impietatem, qui hominem ad Dei imaginem conditum, tam infeliciter fati violentia & peccandi neceſſitate deuinctum putant, vt is etiam pecoribus inuidere cogatur. Eʟᴍᴇɴ.

i Sɪᴄ sᴇᴄᴛᴀ *veſtra non ſpontaneos cupere.*) Helleniſmus, Suidas, *ἐπιθυμεῖ. χαίρει, προαιρετικῶς ἔχει.* Rɪo.

k Nᴏɴ sᴘᴏɴᴛᴀɴᴇᴏs, sᴇᴅ ᴇʟᴇᴄᴛᴏs.] Paulus ad Rom. ix. 16. *οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ.* *Idem.*

l Iᴘsɪsɴᴇ ᴀɴ *innouatis reſurgatur. ſine corpore. Hoc, quod ſciam, neque M.)* Sic legitur in exemplari niſi quod aliter interpunximus; vt de tribus quæſtionibus propoſitis hæc prima ſit: Sine corpore? Sequitur reſponſio: Hoc, id eſt, ſine corpore reſurgere, quod ſciam, neque mens, neque anima, nec vita eſt. *Idem.*

m Qᴠɪs ᴠɴᴠs ᴠʟʟᴠs ᴀʙ ɪɴꜰᴇʀɪs) Hoc habet à Minucio Lactantius omiſſa dictione vllus. Sed legitur in exemplari. etſi contrarium adfirment qui excerpta ſua venditant nimium creduli. *Idem.*

n *Caſſa vota;* Virg. Æneid 12. *Dixit, opemque Dei non caſſa in vota vocauit.* Vbi Seruius: *non ad inania vota poſcit auxilium.* Vt Minucius *caſſa vota*: Ita Prudentius Rom. Martyre, *caſſa pericula.* Oᴠᴀ.

lior, vt dicitis, egetis, algetis, [a] opere, fame, laboratis: [b] & Deus patitur, diſſimulat; non
vult, aut non poteſt opitulari ſuis. ita aut inualidus, aut iniquus eſt. Tu qui immortalitatem
poſtumam ſomnias, cum [c] periculo quateris, cum febribus vreris, cum dolore laceraris, non- A
dum conditionem tuam ſentis? nondum agnoſcis fragilitatem? inuitus miſer infirmitatis ar-
gueris, nec fateris? Sed omitto communia. [d] ecce vobis minæ, ſupplicia, tormenta, etiam
non adorandæ, ſed ſubeundæ cruces: ignes etiam quos & prædicitis & timetis: vbi deus ille
qui ſubuenire reuiuiſcentibus poteſt, viuentibus non poteſt? Nonne Romani ſine veſtro deo
imperant, regnant, fruuntur orbe toto, veſtrique dominatur? vos vero ſuſpenſi interim at-
que ſolliciti, honeſtis voluptatibus abſtinetis; [e] non ſpectacula viſitis, non pompis intereſtis, B
conuiuia publica abſque vobis; ſacra certamina, [f] præcerptos cibos, & delibatos altaribus
potus abhorretis. Sic reformidatis deos, quos negatis. non floribus caput nectitis, [g] non cor-
pus odoribus honeſtatis: [h] reſeruatis vnguenta funeribus: coronas etiam ſepulcris denegatis,
pallidi, trepidi, miſericordia digni, ſed noſtrorum deorum. ita nec reſurgitis miſeri, nec in-
terim viuitis. Proinde ſiquid ſapientiæ vobis, aut verecundiæ eſt, deſinite cæli plagas, &
mundi fata & ſecreta rimari. ſatis eſt pro pedibus aſpicere, maximè indoctis, impolitis, ru-
dibus, agreſtibus: quibus non eſt datum intelligere ciuilia, multò magis denegatum eſt diſſe- C
rere diuina. [i] Quamquam, ſi philoſophandi libido eſt, Socratem ſapientiæ principem quiſ-
que veſtrûm tantus eſt ſi poterit imitetur. Eius viri, quoties de cæleſtibus rogabatur, nota
reſponſio eſt: Quod ſupra nos, nihil ad nos. [k] Meritò. Ergo de oraculo teſtimonium meruit
prudentiæ ſingularis, [l] quod oraculum ipſe præſenſit, [m] idcircò vniuerſis eſſe præpoſitum,
non quod omnia comperiſſet, ſed quod nihil ſe ſcire didiciſſet. ita, confeſſæ imperitiæ ſum-
ma prudentia eſt. Hoc fonte defluxit [n] Arceſilæ, & multò pòſt Carneadis & Academicorum
plurimorum in ſummis quæſtionibus tuta dubitatio; quo genere philoſophari & cautè indo- D
cti poſſunt, & docti glorioſe. [o] Quid, Simonidis melici nonne admiranda omnibus, & ſe-
ctanda cunctatio? qui Simonides cum de eo, quid, & quales arbitraretur deos ab Hierone
tyranno quæreretur, primò deliberationi diem petiit, poſtridie biduum prorogauit, mox alte-
rum tantum admonitus adiunxit; poſtremò cum cauſas tantæ moræ tyrannus inquireret, re-
ſpondit ille, quod ſibi quantò inquiſitio tardior pergeret, tantò veritas fieret obſcurior. Mea
quoque opinione, quæ ſunt dubia, vt ſunt, relinquenda ſunt: nec tot ac tantis viris deli-
berantibus temerè & audaciter in alteram partem ferenda ſententia eſt; [p] ne aut anilis indu-
catur

a OPERE, FAME LABORATIS.] Sic eſt in exemplari. Nec emendatione opus eſt vlla. Horarius, dieſque longa videtur opus debentibus.

b *Et Deus patitur, diſſimulat.* Hoc argumento plurimum vtebantur gentes aduerſus Chriſtianos, vt conſtat ex ſcriptoribus eccleſiaſticis: Illi enim cum viderent Chriſtianos malis multis diuerſiſque miſeriis opprimi, ſæpiùs inſultabant eorum innocentiæ, dicendo: ſi cordi eſtis Deo omnipotenti, iſque curam veſtri gerit, cur perpeti patitur vos perſecutiones tam acerbas. Sic enim apud Arnobium lib. 2. Sed optimè illis Chriſtianis occurrebat Arnobius eodem loco. Auguſtinus lib. 1 de ciu. Dei cap 29. Chriſtiani autem ſe maximè à Deo tum diligi dicebant, cùm ab ipſo caſtigarentur. Vide Lactant lib. 5 cap. 22. alioſque inter patres. OVZ.

c PERICVLO QVATERIS.) Nam quis ipſa periculi præſentia non quatitur aut commouetur? Faceſſant ad Nonium cum ſuo querquero, quibus exemplaris antiqui ſcriptura diſplicuit. RIO.

d *Ecce vobis ruina, ſupplicia, tormenta, &c.* Vſitata ſupplicia, quibus in Chriſtianos ſæuiebant, recenſet Tertul. Apolog. *Sic itaque nos vngula fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant, paratus eſt ad omne ſupplicium Chriſtianus.* His adde innumera tormentorum & pœnarum ingenia, quæ ſolers tyrannis excogitabat, prodita Martyr. act. Euſeb. Prudent. & aliis, quorum meminiſſe animus horret, ea ſanè crudelia, & inhumana Romanorum iudicia arguunt. VOV.

e NON SPECTACVLA *viſitis, non pompis intereſtis.*] Ex his conijcere eſt quo tempore vſitari cœperit inter Chriſtianos ritus & formula renunciandi Satanæ, ſeculo & pompis eius. RIO.

f PRÆCERPTOS CIBOS *& delibatos altarib. potus.*] Idolothyta, ſacrificata aut patentata, ſacrificales epulas. *Idem.*

g *Non Corpus odoribus.* Vnguenti vſus varius vnctioni corporis, & mixturæ cibi. & potus. Athen. Plin. Lucian. Nigrino. Plutarch. Sym. oſ. adhibita autem potiſſimùm vnguenta fœtori pellendo, ideoque & cibis miſcebant, vt habitum oris ex ingluuie contractum pellerent. Plin. lib. 13. cap. 1. & lib. 11. cap. 51. VOV.

g *Reſeruatis vnguenta funeribus.* Tertull de Idolol. *Pigmenta nobis ad ſolatia ſepulturæ vſui ſunt.* Apolog. *ſciunt Sabæi, pluris, & carius ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm diis fumigandis.* Prudent. Cathem. *Idem.*

h *Reſeruatis vnguenta funeribus.* Mos vngendi cadauera ſanè antiquiſſimus eſt, videturque ab Ægyptiis originem traxiſſe; ex horum enim ritu in ſacra pagina, legitur, Ioſephum pollinctoribus ſuis præcepiſſe, vt patrem Iacobum vita functum aromatibus condirent. Et paulò poſt Ioſephus ipſe ſimili ritu ab Ægyptiis conditus legitur geneſeos cap. extremo. Quomodo autem Ægyptij corpora defunctorum condierint, multis referunt Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus Biblioth. hiſt. lib. 1. cap. 5. OVZ

i QVAMQVAM SI *Philoſophandi libido eſt.*) Tota hæc de Socrate periodus, vt eſt in exemplari, atque etiam in cunctis hactenus editionibus, ſupra modum obſcura eſt & perplexa. Eam verò quiſquis attentè perleget, mutatis interpunctionibus extricabit vt tribus notulis proximè ſequentibus declaratur. RIO.

k MERITO.] Hoc eſt, Meritò ita reſpondit, quod ſupra nos nihil ad nos. Quam abſurde confuſa hæc fuerant. Meritò ergo de oraculo teſtimonium meruit. *Idem.*

l QVOD ORACVLVM *ipſe præſenſit.*) Hoc eſt, quod oraculi iudicium ſiue mentem ipſe præuenerat, dicto illo ſuo de rebus cæleſtibus, Quæ ſupra nos nihil ad nos. *Idem.*

m IDCIRCO VNIVERSI. *eſſe præpoſitum.*] Supplendum de præcedenti commate, meruit. Idcircò meruit vniuerſis eſſe præpoſitum, eò quod prædicabat. Hoc vnum ſe ſcire quod nihil ſciret. *Idem.*

n *Arceſilæ, & multò pòſt Carneadis, & Academicorum tuta dubitatio.* Ioannes Sariſberienſis Polycratici lib. 2. cap. 22. *Malo cum Academicis de ſingulis dubitare, quàm pernicioſa ſimulatione ſcientiæ, quod ignotum vel abſconditum eſt temerè definire.* lib. 7. cap. 1. *Academici vitantes præcipitium falſitatis, in eo quidem modeſtiores ſunt, quod defectum ſuum diffitentur, & in rerum ignorantia poſiti, ferè de ſingulis dubitant. Quod quidem tutius eſt, quàm incerta temerè definire.* Cicero in Acad. & lib. 3. de Orat. & lib. 1. de nat. deor. & Plutarchus adu. Coloten. Arnobius lib. 2. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 8. Origin. cap. 6. ELMEN.

o *Quid, Simonidis Melici.* Cicero lib. 1. de nat. deor. *Roges me quid aut quale ſit Deus? autore vtar Simonide, de quo cum quæſiuiſſet hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi cauſa ſibi vnum diem poſtulauit: cum idem ex eo poſtridiè quæreret, biduum petiuit; cum ſæpius duplicaret numerum dierum, admiratuſque Hiero quæreret, cur ita faceret? Quia quantò, inquit, diutiùs conſidero, tantò mihi videtur res obſcurior. Idem.*

p NE AVT *anilis inducatur ſuperſtitio, aut omnis religio tollatur.*] Eſt enim in traditionibus diuinis periculum, ne aut neglectis iis impia fraude, aut ſuſceptis anili ſuperſtitione obligemur, inquit, Cic. 1. de diuin. RIO.

A catur ſuperſtitio, aut omnis religio deſtruatur. Sic Cæcilius, & renidens ([a] nam indignatio-
nis eius tumorem [b] effuſæ orationis impetus relaxauerat:) Et quid ad hæc, ait, audet Oc-
tauius [c] homo Plautinæ proſapiæ, vt piſtorum præcipuus, ita poſtremus philoſophorum?
[d] Parce, inquam, in eum plaudere: neque enim priùs exultare te dignum eſt concinnitati
ſermonis, quam vtrinque pleniùs fuerit peroratum; maxime cum non laudi, ſed veritati di-
ſceptatio veſtra nitatur. Et quamquam magnum in modum me [e] ſubtili varietate tua delecta-
rit oratio, tamen altiùs moueor, non de præſenti actione; ſed de toto genere diſputandi:
quod plerumque pro diſſerentium viribus, & eloquentiæ poteſtate, etiam perſpicuæ veritatis
conditio mutetur. Id accidere pernotum eſt auditorum facilitate, qui dum verborum leno-
cinio à rerum intentionibus auocantur, ſine delectu aſſentiuntur dictis omnibus: nec à rectis
falſa ſecernunt, neſcientes ineſſe [f] & incredibili verum, & in veriſimili mendacium. Itaque
B quò ſæpiùs aſſeuerationibus credunt, eò frequentiùs à peritioribus arguuntur: ſic aſſiduè te-
meritate decepti, culpam iudicis transferunt ad incerti querelam, vt damnatis omnibus ma-
lint vniuerſa ſuſpendere, quàm de fallacibus iudicare. Igitur nobis prouidendum eſt, ne odio
identidem ſermonum omnium laboremus; ita vt in execrationem & odium hominum pleri-
que ſimpliciores afferantur. Nam incautè creduli circumueniuntur ab his, quos bonos puta-
uerunt: mox errore conſimili iam ſuſpectis omnibus, vt improbos metuunt, etiam quos op-
timos ſentire potuerunt. Nos proinde ſolliciti, quod vtrinque omni negotio diſſeratur, & ex
altera parte plerumque obſcura ſit veritas, ex altero latere mira ſubtilitas, quæ nonnumquam
vbertate dicendi, fidem confeſſæ probationis imitetur: diligenter, quantum poteſt, ſingula
ponderemus, vt argutias quidem laudare, ea verò quæ recta ſunt, eligere, probare, ſuſcipe-
C re poſſimus. Decedis (inquit Cæcilius) officio iudicis religioſi: nam periniurium eſt, vires
te actionis meæ intergreſſu grauiſſimæ diſputationis infringere, cum Octauius integra & illi-
bata habeat ſingula. [g] Si potes reputare id quod criminaris, inquam, in commune, niſi fal-
lor, compendium protuli, vt examine ſcrupuloſo noſtram ſententiam [h] non eloquentiæ tu-
more, ſed rerum ipſarum ſoliditate libremus. nec auocanda, quod quereris, diutiùs intentio.
cum toto ſilentio liceat reſponſionem Ianuatij noſtri [i] iam geſtientis audire. Et OCTAVIVS:
Dicam equidem, vt potero, pro viribus, & [k] adnitendum tibi mecum eſt, vt conuiciorum
[l] amariſſimam labem [m] verborum veracium in lumine diluamus. Nec diſſimulabo; principia
ita

a NAM INDIGNATIONIS *eius tumorem.*] Etenim iam ipſe ſibi ſatisfecerat. RIG.

Nam indignationis eius tumorem. Arnobius lib. 1. *nullus tumor indignationis in dijs eſt.* Virgilius.

——— ——— tumor omnis & ira
conceſſere Deum. ——— ———

Hinc *ira ſufflatum*, dicit Zeno Veronenſis ſerm. 7. de tribus pueris: *Ipſum contempſerunt regem, qui ira ſufflatus ſolito ſeptiés amplius caminum iuſsit incendi.* OVZ.

b *Effuſa orationis impetus.* Enormis eſt loquacitas de qua Petronius, & Fulgentius Myth *Apud Rhetores verò aliud profuſo & libero curſu effrænata loquacitas, aliud conſtricta virtutes indagand. curioſa nexilitas.* PRI.

c HOMO PLAVTINÆ *proſapia.*] Et tamen adhuc hæret illius animo dicacitas Octauij, Cæcilium tam luculento die impegiſſe in lapides, eò quod in Oſtienſi littore lapidem vnctum & effigiatum ethnico ritu adoraſſet. Itaque Octauium ſuum alio ſale defricat; &, Hominem eſſe dicit Plautinæ proſapiæ. quod prima quidem fronte ad Plautinos tantùm iocos referri videatur. At ſubinde illum ipſum hominem Plautinum in piſtrinum trudit, vbi tres fabulas ſcripſiſſe M. Accium Plautum Varro & plerique alij tradiderunt. Hoc verò piſtrinenſis militiæ probrum torquet in Octauium Cæcilius ob religionis Chriſtianæ ſimplicitatem, cuius ſequaces magna pars erant idiotæ & opifices vt piſtores, ſutores, & id genus alij. Ait igitur Octauium eſſe quidem inter piſtores Chriſtianos præcipuum: at inter philoſophos poſtremum. RIG.

c *Homo Plautinæ proſapia.* D. Hieronymus ſpecie prouerbij vſurpaſſe videtur epiſt. 48. *Plautina familia columen.* & epiſt. 27. *inuenta ſunt Plautina familiæ, & ſcioli tantùm ad detrahendum.* Ab eo quod Plautus ad molas manuarias piſtori ſe locaſſe dicitur. VOV.

d PARCE IN EVM PLAVDERE.] Cæcilium Minucius iam repercutit de Plautina proſapia. Parce, inquit in eum plaudere. quaſi diceret Noli in Octauium noſtrum latrare cum illa tua Plautina, ſiue latrante proſapia. Et eſt iocus duplex. Nam peracta comœdia ſolent actores plauſum petere. hic Cæcilius ſibi plaudit in odium & infamiam Octauij. Plauſus autem datur complauſis ſiue comploſis manibus. & plautiores tunicæ dicuntur quæ ſunt ad plauſum aptiores, & plauti canes quorum aures dependulæ; flaccidæ, & latiores applaudunt capiti. RIG.

e SVBTILI VARIETATE *tua delectarit oratio.*] Subtilem Cæcilij varietatem dicit Minucius, quam mox Octauius dicet ſubtilem variationem & vacillationem, quæ proximè accedat ad cauillationem & verſutiam. *Idem.*

f ET IN *incredibili verum.*] In exemplari legitur, & *incredibili.* Sed mens Auctoris poſcit, vt duas ſyllabas intelligamus in vnam fuiſſe contractas antiquario more, quem ſuprà notauimus. Vt ineſſe in veriſimili mendacium dixit Minucius, ita ſanè dixerit, ineſſe in incredibili verum. Incredibile eſt Deum hominem factum eſſe & crucifixum. Incredibile eſt fore vt corpora mortuorum ſiue cremata, ſiue ſepulta, etiam poſt multa ſecula reuiuiſcant. Et tamen iſthæc, quamuis incredibilia, vera ſunt. Rurſus: Veriſimile eſt non eſſe Deum; aut non agere curam rerum humanarum. aut ſi ageret; fore vt pollueretur tam triſti atque multiplici miniſterio. Item, veriſimile eſt morte omnia humana finiri. Et tamen hæc etſi veriſimilia ſint, falſiſſima ſunt. *Idem.*

g SI POTES REPVTARE.] In exemplari legitur: ſi poteſt reputare. Vnde nonnullis placuit, ſi poteſt reputari. *Idem.*

h *Non eloquentia tumore, ſed rerum ipſarum ſoliditate libremus.* Rem metiamur ex rerum pondere & argumentorum, non ex inanitate verborum, proiiciamus ampullas, & ſeſquipedalia verba. Sic Petronius in ſatyr. ſtatim ab initio: *Grandis, & vt ita dicam, pudica oratio non eſt maculoſa, nec turgida, ſed naturali pulchritudine exurgit.* Et Idem. *Oratio ſicut corpus hominis ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ, nec oſſa numerantur; ſed temperatus ac bonus ſanguis implet membra, & exurgit toris: ipſos quoque neruos robur tegit & decor commendat.* Et Seneca lib. 9. controuerſ. *Omnia vſque ad vltimum tumorem perducta, vt non extra ſanitatem, ſed extra naturam eſſent.* Tumor ille Græcis eſt ὄγκωμα. PRI.

i IAM GESTIENTIS.] Eloquii, ſcilicet. RIG.

k ADNITENDVM TIBI MECVM EST.) Ambigua oratio, Minucio ſit aduitendum, an Cæcilio. Sed vultu geſtuque dicentis tolli potuit omnis ambiguitas; ſi conuerſus ad Cæcilium hæc dixerit Octauius, quod ſanè factum videtur.

l AMARISSIMAM LABEM.] Plautinæ proſapiæ & aliorum quæ Cæcilius in Chriſtianorum religionem effudit.

m VERBORVM VERACIVM *inlumine*] Sic legitur in exemplari. Aduitendum tibi mecum eſt, inquit, vt omnes conuiciorum maculæ ſermonum veracium radiis inluminatæ diluantur. verbis ſcilicet Chriſti, verbis vitæ æternæ, veritatis Chriſtianæ lumine, conuicia velut ſordes & tenebræ Sole veritatis illuminatæ euaneſcunt. Sanè conuenientiſſimum eſt, quod à quibuſdam ſuggeritur, flumine diluamus. nam & ſermo ſiue oratio fluere dicitur, labes & ſordes flumine diluuntur & Cæcilij ethnici peccata baptiſmo. *Idem.*

m *Verborum veracium inlumine diluamus.* Cicero lib. 2. de nat. deor *Neque flumine conturbor inanium verborum.* Et 3 Orat. *omnis flumine reprehenſoris vitia diluuntur.* Quem locum in mente habuit Minucius. ELMEN.

MINI

a ita Natalis mei errantem, vagam, lubricam b nutaſſe ſententiam, vt ſit nobis ambigendum, A
vtrum tua eruditio turbata ſit, c an vacillauerit per errorem. nam interim deos credere, in-
terim ſe deliberare variauit, vt propoſitionis incerto, d incertior reſponſionis noſtræ intentio
fundaretur. Sed in natali meo verſutiam nolo, non credo, e procul eſt ab eius ſubtilitate ſim-
plici ſubtilis vrbanitas. Quid igitur? f vt qui rectam viam neſcit, vbi, vt fit, g in plures vna
diffunditur, h quia viam neſcit, hæret anxius, nec ſingulas audet eligere, nec vniuerſas pro-
bare: ſic cui non eſt veri ſtabile iudicium, prout infida ſuſpicio ſpargitur, ita eius dubia opi-
nio diſſipatur. Nullum itaque miraculum eſt, ſi Cæcilius idemtidem in contrariis ac repug- B
nantibus i iactetur æſtu, & fluctuetur: quod ne fiat vlteriùs, conuincam & redarguam, k quam-
uis diuerſa ſint quæ dicta ſunt, vna veritate confirmata probataque. Nec dubitandum ei de
cetero eſt, nec vagandum. Et quoniam meus frater erupit ægrè ſe ferre, ſtomachari, indi-
gnari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos, de rebus cæleſtibus diſputare; ſciat omnes ho-
mines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis, rationis & ſenſus capaces & habiles procreatos:
nec fortuna nanctos, ſed natura inſitos eſſe ſapientiam: quin ipſos etiam philoſophos, vel ſi
qui alij artium repertores l in memorias exierunt, priuſquam ſollertia mentis parerent nomi-
nis claritatem, habitos eſſe plebeios, indoctos, ſeminudos. adeò diuites facultatibus ſuis il- C
ligatos, magis aurum ſuſpicere conſueſſe, quam cælum. m noſtrates pauperes, n & commen-
tos eſſe prudentiam, & tradidiſſe ceteris diſciplinam. vnde apparet o ingenium non dari fa-
cultatibus, nec ſtudio parari, ſed cum ipſa mentis formatione generari. Nihil itaque indig-
nandum, vel dolendum, ſi quicumque de diuinis quærat, ſentiat, proferat; p cùm non diſ-
putantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur: atque etiam, q quò imperitior
ſermo, hoc illuſtrior eſt: quoniam non fucatur r pompa facundiæ & gratiæ, ſed, vt eſt, D
recti regula ſuſtinetur. Nec recuſo, quod Cæcilius aſſerere inter præcipua connitus eſt, ſ ho-
minem

a ITA NATALIS *mei errantem, vagam.*] Obliqua oratione adfatur Cæcilium Natalem, & mox verbis directis ait. vtrum tua eruditio turbata ſit. Sic enim legitur in exemplari. qui putarunt ſermonem ab Octauio factum ad Minucii perſonam, ſcripſere, Vtrum ſua eruditio turbata ſit. vt ſua ſit pro eius. RIG.

b *Nutaſſe ſententiam.* Martianus Capella.

Anxia cum trepidis nutat ſententia rebus.

Arnobius lib. 1. *Coniecturarum æſtimationibus nutant.* OVZ.

c AN VACILLAVERIT *per errorem.*] Ethnicum ſcilicet. Quam penè tranſpoſitis litteris ſcripſit, an cauillauerit. vt canillare ſeu cauillari dicuntur fontes cum ſui copiam non faciunt, cum fruſtrantur & ſubterfugiunt. In veteri gloſſario Vacillator dicitur συκοφάντης. RIG.

d INCERTIOR RESPONSIONIS *noſtra intentio fundaretur.*) In Ms. legitur, certio Reſtitui compoſitionem negatiuam quæ exciderat, & eſt ad Octauij mentem neceſſaria. Ait enim Cæcilium ſubtili vacillatione per ethnicum errorem interdum Deos credere, interdum addubitare an vlli ſint, vt per hanc variationem & per incertum ſuæ propoſitionis, ſiue per incertam præpoſitionem ſuam incertum reddat Octauianæ reſponſionis fundamentum. Hoc, verſutiam mox dicet Octauius. *Idem.*

e PROCVL EST *ab eius ſubtilitate ſimplici.*) In Ms. legitur, Procul eſt ab eius ſubtilitate ſimplicitate ſubtilis vrbanitas. Mendosè. Subtilem vrbanitatem dixerit, quam ſuprà, verſutiam, & ſubtilem varietatem. Verùm ne quid diſſimulem, magis conueniret, ſubtilior vanitas, quæ parum diſtat à fraudulento mendacio. cuiuſmodi eſt verſutia, quam tantopere auertit & amolitur ab ſuo Natali. *Idem.*

f *Vt qui rectam viam neſcit, vbi, vt fit in plures vna diffunditur.* Virgilius lib. 6. Æneid.-- *partes vbi ſe via findit in ambas.* Virgilij locum exſcripſit Lactantius lib. 6. cap. 3. *Dicunt humana vita curſum Y litera eſſe ſimilem, quod vnuſquiſque, cùm primùm adoleſcentia limen attigerit, & in eum locum venerit, partes vbi ſe via findit ambas, hæreat nutabundus, ac neſciat in quam ſe partem potiùs inclinet.* ELMEN.

f *Vt qui rectam viam neſcit.* Ouid. faſt. 5.

Vt ſtat, & incertus, qua ſit ſibi neſcit eundum

Cum videt ex omni parte viator iter.

Hinc elegans eſt apud Græcos verbum ἀπορεῖν, & nomen ἀπορία quæ eſt inopia conſilij, cum quis rerum ſuarum inuenire exitum neſcit. Scitum eſt hac de re Hieronymi Wolfij diſtichon in annot. Demoſth.

Cum via multa patet, nulla eſt bona: qua ſit eundum

Ipſe tibi monſtret ductor Atlantiades.

Pertinet huc quoque prouerbium Theognideum ἐν τριόδῳ δ' ἕστηκα· δύ' εἰσὶ τὸ πρόσθεν ὁδοί μοι· φροντίζω τούτων ἥν τιν' ἴω προτέρην. Alciat. Emblem.

Omnes in triuio ſumus, atque hoc tramite vitæ

Fallimur, oſtendat ſi Deus ipſe viam.

Hinc prouerbium *in triuio conſiſtere*, in eum qui dubitat. Suidas ἐν τριόδῳ εἰμί· παροιμία ἐπὶ τῶν ἀδήλων, καὶ ἀμφιβόλων πραγμάτων ἐπειδὴ ὁ ἐν τριόδῳ γινόμενος οὐκ οἶδε ποίαν χωρήσῃ ὁδόν. OVZ.

g IN PLVRES *vna diffunditur.*] Sunt qui emendari velint, diffinditur. Sed nihil eſt neceſſe. RIG.

h QVIA VIAM NESCIT.] Hæc ſcriptura exemplaris. *Idem.*

i IACTETVR ÆSTV ET FLVCTVETVR.] Sic legitur in exemplari. nec video cur mutari debuerit. *Idem.*

k QVAMVIS DIVERSA *ſint quæ dicta ſunt.*] Turbata eſt libri veteris ſcriptura, Quamuis diuerſa quæ dicta ſunt vna veritate confirmata probataque ſint. *Idem.*

l *In memorias exierunt.* Optimè in memorias ire dicuntur res æternitati ac famæ conſecratæ; ac pari elegantia ſcriptores alij ſuper aliiſque rebus æternitati dedicandis loquuntur. De hominum clarorum memoria Symmachus lib. 10. epiſt. 32. *hinc factum eſt vt ruſticis adhuc ſæculis optimi quique ciuium manu & arte formati in longam memoriam mitterentur.* Venantius Fortunatus lib. 1. carm. 2.

O nimium felix, æternum in lumen iture,

Cuius vita ſuo proficit iſta Deo.

Plinius iunior panegyrico optimo principi Traiano dicto: *Ibit in ſecula fuiſſe Principem, cui florenti & incolumi, numquam niſi modici honores, ſæpiùs nulli, decernentur.*

Focas vita Virgilij

Et monſtrare viam graditura in ſecula fama.

Silius Italicus lib. 9.

—— dea, quarum mihi ſacra coluntur

Mortali totum hunc aperire in ſecula poſſe

Ore diem, ſperamus-ne?

Idem lib. 11.

Factoque in ſecula ituro Lætantur tribuiſſe locum.

Claudianus panegyrico Probini.

——— Te varijs ſcribent in floribus horæ

Longaque perpetui ducent in ſæculo faſti. OVZ.

m NOSTRATES PAVPERES.] Chriſtianos, Fratres. qui communem habent in cælis patrem. quibus eſt communis patria cælum. RIG.

n PAVPERES *commentos eſſe prudentiam.*] Bonæ mentis ſoror eſt paupertas. *Idem.*

o INGENIVM NEC *ſtudio parari.*] Democrates, πολλοὶ πολυμαθέες νοῦν οὐκ ἔχουσι. & πολυνοΐην, οὐ πολυμαθίην ἀσκεῖν χρή. Tertullianus de Chriſtianis pauperibus & idiotis: Deum quilibet opifex Chriſtianus & inuenit & oſtendit, & exinde totum quod in Deo quæritur, re quoque adſignat. *Idem.*

p *Cur non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur.* Simile eſt illud Heliodori Æthiopic. lib. 10. τὰς ὑπεροχὰς οὐ δυναμοῦν τὸ δίκαιον, ἀλλ' εἰ ἔστιν ὁ βασιλεύων ἐν τοῖς κρίσεσιν, ὁ τοῦ δικαίου λόγος τῆς κρατεῖν. Huc quoque referri poſſe videtur illud Romani Martyris apud Prudent.

Si me mouere rebus vllis niteris,

Ratione mecum non furore dimica. OVZ.

q *Quò imperitior ſermo, &c.* Ambroſius in Luc. lib. 7. c. 11. lib. 8. cap. 17. & in epiſt. Pauli ad Corinth. 1. cap. 2. Lactant. lib. 3. cap. 1. Athenagor. apol. pro Chriſtian. Cyprianus epiſt. 2. ad Donatum. ELMEN.

r *Pompa facundiæ.* Arnobius lib. 1. *pompa ſermonis.* Ambroſius in Luc. lib. 7. cap. 1. *pompa facundiæ.* & lib. 8. *verborum inſula.* Caſſiodorus variar. lib. 11. epiſtol. 5. *Romani eloquij pompa. Idem*

ſ *Hominem noſſe ſe & circumſpicere debere.* Clemens Alex. pædagog. lib. 3. cap. 1. ἦν ἄρα ὡς ἔοικε, πάντων μεγίστον μαθημάτων, τὸ, γνῶναι αὑτόν. ἑαυτὸν γάρ τις ἐὰν γνῷ, θεὸν εἴσεται, θεὸν

A minem noſſe ſe, & circumſpicere debere, quid ſit, vnde ſit, quare ſit, vtrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potiùs à Deo factus, formatus. quod ipſum explorare & eruere ſine vniuerſitatis inquiſitione non poſſumus, cùm ita cohærentia, connexa, concatenata ſint, vt niſi diuinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis, nec poſſis pulchrè gerere rem ciuilem, niſi cognoueris hanc communem omnium mundi ciuitatem: præcipuè cum à feris belluis hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia, nihil nata ſint proſpicere, niſi pabulum: [a] nos quibus vultus erectus, quibus ſuſpectus in cælum datus eſt, [b] ſermo, & ratio, per quæ Deum agnoſcimus, ſentimus, imitamur, ignorare nec fas nec licet ingerentem ſeſe oculis, & ſenſibus noſtris cæleſtem claritatem. ſacrilegij enim vel
B maximi inſtar eſt, humi quærere, quod in ſublimi debeas inuenire. Quò magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non diuina ratione perfectum volunt, [c] ſed fruſtis quibuſdam temerè cohærentibus conglobatum, mentem, ſenſum, oculos denique ipſos non habere. [d] Quid enim poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cùm oculos in cælum ſuſtuleris, & quæ ſunt infrà circaque luſtraueris, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cælum ipſum vide, quàm latè tenditur, quàm rapidè voluitur, vel quod in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod in diem ſole luſtratur; iam ſcies quàm ſit in eo ſummi moderatoris mira & diuina libratio. Vide & annum, vt ſolis ambitus faciat, & menſem vide vt e luna [e] auctu, ſenio, labore circumagat. [f] Quid tenebrarum & luminis dicam recurſantes vices, vt ſit nobis operis
C & quietis alterna reparatio? Relinquenda verò aſtrologis prolixior de ſideribus oratio, vel quòd regant curſum nauigandi, vel quod arandi, metendique tempus inducant: quæ ſingula non modò vt crearentur, fierent, diſponerentur, ſummi opificis, & perfectæ rationis eguerunt, verùm etiam ſentiri, perſpici, intelligi, ſine ſumma ſollertia & ratione non poſſunt. [g] Quid? cum ordo temporum ac frugum ſtabili varietate diſtinguitur, nonne auctorem ſuum, parentemque teſtatur? Ver æquè cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meſſibus, & autumni maturitas grata, & [h] hiberna oliuitas neceſſaria: qui ordo facilè turbaretur, niſi maxima ratione conſiſteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hiems ſola glacie vreret, aut ſola æſtas ardore torreret, autumni & veris inſerere medium temperamentum, vt per veſtigia ſua anni reuertentis occulti & innoxij tranſitus laberentur. Mari intende, lege litoris ſtringitur; quidquid ar-
D borum eſt vide, quàm è terræ viſceribus animatur. Aſpice oceanum, refluit reciprocis æſtibus: vide fontes, manant venis perennibus: fluuios intuere, eunt ſemper exercitis lapſibus. Quid loquar aptè diſpoſita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? quidue animantium loquar aduerſus ſeſe tutelam multiformem? alias [i] armatas cornibus, alias dentibus ſeptas, & fundatas vngulis, & ſpicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. Ipſa præcipuè formæ noſtræ pulcritudo Deum fatetur artificem, ſtatus rigidus, vultus erectus, oculi in ſummo, velut in ſpecula conſtituti, & omnes ceteri ſenſus velut in arce compoſiti. Longum eſt ire per ſingula. nihil in homine membrorum eſt, quod non & neceſſitatis cauſa ſit, & decoris: &, quod magis mirum eſt, eadem figura omnibus, ſed quædam vnicuique lineamenta deflexa. ſic & ſimiles vniuerſi videmur, & inter ſe ſinguli diſſimiles inuenimur.

Ἐξ οἴδας. ἐξημαιωθῆναι &c. Philoſtratus de vita Apollonij Tyanei lib. 7. cap. 7. Xenophon memorabil. lib. 3. ELMEN.

a *Nos quibus vultus erectus, &c.* Lactantius de opific. Dei cap. 8. *Cum igitur ſtatuiſſet Deus ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cæleſtem, cætera vniuerſa terrena: hunc ad cæli contemplationem rigidum erexit, bipedemque conſtituit, ſcilicet vt eadem ſpectare, vnde illi origo eſt: illa verò depreſſit ad terram; vt quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum proiecta, ventri pabuloque ſeruirent. Hominis itaque ſolius recta ratio eſt, & ſublimis ſtatus, & vultus Deo patri communis, ac proximus, originem ſuam fictoremque teſtatur.* lib. 2. cap. 1. de ira 7. & 14. lib. 7. cap. 5. & 9. In Epitome cap. 7. Ouid. lib. metam. fab. 2.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Doctè Baſilius M. hom. *εἰς τὸ πρόσεχε σεαυτῷ*. ELMEN.

b *Sermo & ratio per quæ Deum cognoſcimus.* Ambroſius lib. 5. epiſt. 38. *Proceſſit poſtremus creaturarum homo ſpecie gratus, mente ſublimis, vt omni eſſet creaturæ miraculo, in quo ad ſimilitudinem æterni Dei vis eſſet æternus, humana ſpecie antiquus.* VOV.

c FRVSTIS *quibuſdam temerè concurrentib.* [Atomis. Si & atomi corpulentias de coitu ſuo cogunt, inquit, Tertul. Et lepida eſt illa deſcriptio apud Cic. 1. de nat. deor. Infinita vis innumerabilium volitat atomorum quæ interiecto inani cohæreſcunt tamen inter ſe, & aliæ alias apprehendentes continuantur. Alibi dicit, turbulentam atomorum concurſionem. Quod vero Tullius dixit; continuantur, Minucius ſuprà, concinnantur. RIG.

d LVNA LABORE CIRCVMAGAT. [Defectu. Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non habet. nemo obſeruat lunam, niſi laborantem. Seneca. *Idem.*

e *Quid enim poteſt eſſe tam apertum, &c.* Pænè ad verbum, noſter hæc ex Cicerone, apud quem in 2. de nat. deor. legi: *quid poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus quàm aliquod eſſe numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur.* Eamdem & adducit rationem lib. 2. de diuinat. *eſſe præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.* Prudent. Apoth. vide Iſidor. Peluſ. lib. 4. epiſt. 186. OVZ.

f *Quid tenebrarum & luminis dicam recurſantes vices?* Rectiſſimè vices, cùm alternatim ſuccedant, nec ſit quod interrumpat ordinem. *Idem.*

g *Quid cum ordo temporum.* Athanaſius longa oratione hoc deduxit: veriſſimum eſt, inquit, eſtimare Deum, qui *συμφωνίαν* iſtam operatur, quem licet ſubtractum oculis non cernamus, ordo tamen & concentus *τῶν ἐναντίων* ducem, & principem fatetur. VOV.

h HIBERNA OLIVITAS NECESSARIA.] Hoc minimè ad Octauii propoſitum facere videtur. nam pleriſque regionibus non proueniunt olivæ, neque eſt neceſſaria oliuitas, ineptè autem componeretur hiberna oliuitas cùm autumni maturitate. Figurate igitur Minucius hibernam oliuitatem hic poſuit pro hiberna vligine. cum ſcili et humus per hiemem ipſo ſitu putris glacie per vices regelata & niuibus reſolutis in limum pingueſcit velut oliuo perfuſa. hæc ſanè hiberna oliuitas tam neceſſaria eſt quam autumni maturitas grata. etenim agros oblimat & oblimatione mollitos ad ſerendum aptiores reddit. Ceterum, ſiquis hic alluſum etiam velit ad ipſam oliuarum oliuitatem quæ fit menſe Decembri, facilè concedam. RIG.

i *Armatas cornibus.* Lactantius de Opif. Dei cap. 1 *animalia alia vel plumis leuibus in ſublime ſuſpenſa ſunt vel ſuffulta vngulis, vel inſtructa cornibus, quibuſdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci vngues.* Apuleius Metam. 8. Ana-

uenimur. Quid naſcendi ratio, quid cupido generandi? nonne à Deo data eſt, & vt vbera partu A
matureſcente lacteſcant, & vt tener fetus vbertate lactei roris adoleſcat? Nec vniuerſitati ſo-
lummodò Deus, ſed & partibus conſulit. [a] Britannia ſole deficitur, ſed circumfluentis ma-
ris tempore recreatur. Ægypti ſiccitatem temperat [b] Nilus: colit [c] Euphrates Meſopotamiam
pro imbribus penſat. Indus & ſerere Orientem dicitur, & rigare. Quod ſi ingreſſus aliquam
domum, omnia exculta, diſpoſita, ornata vidiſſes, vtique præeſſe ei crederes dominum, &
illis bonis rebus multò eſſe meliorem: ita in hac mundi domo, cum cælum, terramque per-
ſpicias, prouidentiam, ordinem, legem, crede eſſe vniuerſitatis dominum, parentemque,
ipſis ſideribus, & totius mundi partibus pulcriorem. Ni fortè, quoniam de prouidentia nulla
dubitatio eſt, inquirendum putas, vtrum vnius imperio, an arbitrio plurimorum cæleſte re-
gnum gubernetur: quod ipſum non eſt multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, qui-
bus exempla vtique de cælo. Quando vnquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine B
cruore diſceſſit? [d] Omitto [e] Perſas de equorum hinnitu augurantes principatum: [f] & The-
banorum par, mortuam fabulam, tranſeo. Ob paſtorum, & caſæ regnum de geminis memo-
ria notiſſima eſt. [g] Generi & ſoceri bella toto orbe diffuſa ſunt, & tam magni imperij duos
fortuna non cepit. Vide cetera: [h] rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector
vnus: tu in cælo ſummam poteſtatem diuidi credas, & ſcindi veri illius ac diuini imperij to-
tam poteſtatem? cum palam ſit parentem omnium Deum nec principatum habere, nec ter-
minum; qui natiuitatem omnibus præſtet, ſibi perpetuitatem: qui ante mundum fuerit ſibi
ipſe pro mundo; qui vniuerſa quæcumque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute con-
ſummat. [i] Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt; nec comprehendi poteſt, nec æſtimari, ſen-
ſibus maior eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus quantus eſt notus. nobis verò ad in- C
tellectum pectus anguſtum eſt: & ideò ſic eum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dici-
mus. Eloquar quemadmodum ſentio. magnitudinem Dei qui ſe putat noſſe, minuit: qui non
vult minuere, non nouit. nec nomen Deo quæras, Deus nomen eſt: illic vocabulis opus eſt
cum per ſingulos propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt: Deo, qui ſolus
eſt, Dei vocabulum totum eſt: quem ſi patrem dixero, terrenum opineris; ſi regem carna-
lem ſuſpiceris; ſi dominum, intelliges vtique mortalem. Aufer additamenta nominum, &
perſpicies eius claritatem. Quid, quod omnium de iſto habeo conſenſum? Audio vulgus,
cum ad cælum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt, &, Deus magnus eſt, &,
Deus verus eſt: &, ſi Deus dederit. vulgi iſte naturalis ſermo eſt, an Chriſtiani confitentis
oratio? Et qui Iouem principem volunt, falluntur in nomine, ſed de vna poteſtate conſen- D
tiunt. [k] Audio poëtas quoque vnum patrem diuum atque hominum prædicantes, & talem
eſſe mortalium mentem, [l] qualem parens omnium diem duxerit. [m] Quid Mantuanus Maro?
non-ne

creon, οὐκ ἐς τὸ κατὰ πνοαις, &c. Tullius 2. de natur. deor. *Animantium alia corijs tecta, alia villis veſtita, alia ſpinis hirſuta, pluma alias, alias ſquama videmus obductas, alias cornibus armatas, alias habere effugia pinnarum.* Ambroſius Hexamer. lib. 6. Plinius in proœmio. P r i.

a *Britannia ſole deficitur.* Strabo lib. 4. in Britannia ſereno etiam cælo aërem caliginoſum, ὥστ᾽ ἐφ᾽ ἡμέρας ὅλης ἐπὶ τρεῖς μόνας ἢ τέτταρας ὥρας περὶ τὴν μεσημβρίαν ὁρᾶσθαι τὸν ἥλιον. Getulicus in epigram. de Britannis apud Probum in 1. Georg.

Non illic aries verno ferit aere cornu
Gnoſia, nec gemini præcedunt cornua tauri:
Sicca Lycaonius reſupinat plauſtra Bootes. V o v.

b *Nilus.* Nilus dictus videtur eſſe ab Hebræo נחל, quo nomine in ſacra pag. appellatur Ieſ. cap. 27. com. 12. Amos cap. 6. com. 14. pro *Nahal* enim, ſiue *Naal* Syri & Ægyptij dixere *Neel*, vt Phœnices, & alij pro *Bahal* ſiue *Baal*, *Beel*; atque vti ex *Beel*, *Bel*, inde βῆλος; ita ex *Neel*, *Nel* vel *Neil*, vnde νεῖλος. multum huc quoque facit, quod Mela lib. 3 cap. 10. tradit, Nili fontem in Æthiopia *Nuchul* ab incolis nominari, *Nuchul.* at enim quin à נחל ſit, vnde νεῖλος anteà deducebamus, nullus dubitat. Quamquam non ignorem נחל propriè fluuium denotare, vnde etiam ſept. interpretibus redditur ποταμὸς *Flumen*, item χειμάῤῥους *Torrens.* Nilus tamen κατ᾽ ἐξοχὴν נחל dictus eodem modo vt in Aſia per flumen פרת *Perath* ſiue *phrath*, is qui Græcis Euphrates, intelligitur. O v z.

c *Euphrates Meſopotamiam.* Operam ludunt qui Euphratis originem ab Arabibus deducunt; quum vox ea prius extiterit apud Hebræos, Gen 2. והוא פרת. O v z.

d *Omitto Perſas, &c.* Herodotus Thalia. Iuſtinus hiſt lib. 1. Valerius Maxim. lib. 7. cap. 3. Conſtantinus Manaſſ. in Annal. E l m e n.

e P e r s a s d e *equorum hinnitu augur. princ.*] Sordida Magorum dominatione oppreſſa, inquit, Valerius Memorabilium v i r. R i o.

f E t T h e b a n o r.] *Par, mortuam fab.*] In membranis antiquis legitur, permortuam fabulam. Haud dubiè ſcripſerat Minucius, Thebanorum par. neque aliter legebat Cyprianus cum dixit Thebanorum germanitatem. Statius, Par infandum, & geminis ſceptrum exitiale tyrannis, Et conſanguineum ſcelus, & vnius ingens bellum vteri. Sed cur mortuam fabulam dicit Minucius, paulò ante ſua tempora tota Statii Thebäide decantatam? Fortean ſcripſerat, mutuam fabulam. Etenim pacti erant fratres vt mutuis annis regnarent, & mutua pernicies vtriſque, vnde & mutua fabula. Sed exſpectanda auctoritas alterius exemplaris. *Idem.*

g G e n e r i e t *ſoceri bella.*] Vnde vulgatum illud: Socer generque perdidiſtis omnia. *Idem.*

h *Rex vnus eſt apibus.* Hieron. tract. 9. part. 1. epiſt. 39. ad Ruſticum Monachum de contemptu ſeculi: *ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus principes ſunt. Grues vnam ſequuntur ordine litterato. imperator vnus eſt.* Ælianus de animal. lib. 1. cap. 10. Ariſtot. in hiſtor. animal. lib. 9. cap. 40. Origenes lib. 4. contra Celſum. Theodoretus orat. 5. de prouid. Iſidorus Pelus lib. 2. epiſt. 16. Elias Cretenſis in 3 orat. Nazianzen. Cato de re ruſtica & Virgilius Georgic. lib. 4. E l m e n.

i *Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt*, &c. Carmina quæ Sibyllina vulgo oracula dicuntur, in proœmio εἷς θεὸς ὃς μόνος ἄρχει ὑπερμεγέθης, ἀγένητος παντοκράτωρ, ἀόρατος ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα, αὐτὸς δ᾽ οὐ βλέπεται θνητῆς ὑπὸ σαρκὸς ἁπάσης. Baſilius M. hom. 10. in Hexam. Cyrillus Alex. in Amos. Ioannes Chryſoſtomos orat. 2 de incomprehenſibili Dei natura Nyſſenus orat. de mortuis. ἀλλὰ πάντων τούτων, καὶ τῶν τοιούτων ὑφαιρεθέντων, νοεῖν τι καὶ ἄϋλον, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀσώματον, καὶ ἀδιάστατον χρὴ πάντως νοεῖν. *Verùm omnibus hiſque ſimilibus remotis, concipere oportet quiddam quod mente conſtat, materieque expers, quod tangi nequit, quodque corpore caret & omni dimenſione.* Videndus Tertullianus cap. 17. Apolog. & Lactantius lib. 8. cap. 9. P r i.

k *Audio poëtas, vnum patrem Deum.* Athenagor. Apolog. pro Chriſtian. Sophocles apud Theodor. contra Græc. orat. 2. de ſacrificiis Philolaus apud Philonem de mundi opificio. Iuſtinum M. cohortat. ad Græcos. Tertull. ad Scapulam cap. 2. E l m e n.

l Q v a l e m p a r e n s *omnium diem duxerit.*] Sic legitur in exemplari, niſi quod ſcriptura paulum exerrante apparet, duxerit. Itaque legendum vt edidimus. qualem parens omnium diem duxerit, οἷον ἐπ᾽ ἦμαρ ἄγῃσι. Talis eſt mens, qualis dies: quo die mens edita eſt. Hoc ſibi vult Homerus & verſio Ciceronis quæ refertur ab Auguſtino lib. v. de ciuitate Dei R i o.

m *Quid Mantuanus Maro.* Virgilius non vno loco de his lo-

non-ne apertius, proximius, verius? Principio, ait, cælum & terras, & cetera mundi mem-
bra, ſpiritus intus alit, & infuſa mens agitat: inde hominum, pecudumque genus, & quid-
quid aliud animalium. Idem alio loco, mentem iſtam & ſpiritum Deum nominat. hæc enim
A vera ſunt: Deum namque ire per omnes terraſque tractuſque maris, cælumque profundum:
vnde homines & pecudes, vnde imber & ignes. [a] Quid aliud & ab nobis Deus, quam mens
& ratio, & ſpiritus prædicatur? [b] Recenſeamus, ſi placet, diſciplinam philoſophorum; de-
prehendes eos, etſi ſermonibus variis, ipſis tamen rebus in hanc vnam coire & conſpirare ſen-
tentiam. Omitto illos rudes & veteres, qui de ſuis dictis ſapientes eſſe meruerunt. Sit Tha-
les Mileſius omnium primus, qui primus omnium de cæleſtibus diſputauit. idem [c] Mileſius
Thales rerum initium aquam dixit: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta forma-
uerit. [d] Eho, altior & ſublimior aquæ & ſpiritus ratio, quàm vt ab homine potuerit inue-
niri. à Deo traditum. Vides philoſophi principalis nobiſcum penitus opinionem conſonare.
Anaximenes deinceps, & poſt Apolloniates Diogenes aera Deum ſtatuunt, infinitum, & im-
B menſum. Horum quoque ſimilis de diuinitate conſenſio eſt. [e] Anaxagoræ verò, deſcriptio &
motus infinitæ mentis Deus dicitur. & Pythagoræ Deus eſt animus, per vniuerſam rerum na-
turam commeans & intentus; ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. [f] Xenophanem
notum eſt omne infinitum cum mente Deum tradere: & [g] Antiſthenem populares deos mul-
tos, ſed naturalem vnum præcipuum. [h] Speuſippum vim naturalem, animalem, qua omnia
regantur, Deum noſſe. Quid [i] Democritus? quamuis atomorum primus inuentor, nonne ple-
rumque naturam, quæ imagines fundat, & intelligentiam Deum loquitur? [k] Straton quoque
& ipſe naturam. etiam [l] Epicurus ille, quid deos aut otioſos fingit, aut nullos, naturam ta-
men ſuperponit. [m] Ariſtoteles variat, & aſſignat tamen vnam poteſtatem. nam interim men-
tem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Heraclides Ponticus
C quoque Deo diuinam mentem, quamuis variè, adſcribit, alias mundo, alias menti diuinæ
tribuens principatum. [n] Theophraſtus, & Zenon, & Chryſippus, & Cleanthes, ſunt & ipſi
multiformes, ſed ad vnitatem prouidentiæ omnes reuoluuntur. [o] Cleanthes enim mentem,
modò animum, modò æthera, plerumque rationem Deum diſſeruit. [p] Zenon eiuſdem ma-
giſter naturalem legem atque diuinam, & æthera interim, interdumque rationem vult omnium
eſſe

quitur, libro nempè 6. Æneid. & Georg. 4. citaturque locus Virgilij ex Æneide à B. Hieronymo lib. 16. in Eſai. cap. 57. atque non ſolùm Latini, ſed & Græci illud idem tradunt. Pri.

a] *Quid aliud & ab nobis Deus, quàm mens & ratio, &c.* Tertullianus Apolog. 21. *Apud veſtros quoque ſapientes*, λόγον, *id eſt, ſermonem, atque rationem conſtat artificem videri vniuerſitatis.* Et Athenagoras. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ θεὸς νοῦς ἀΐδιος ὤν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν. *Ab initio Deus qui eſt mens æterna, habuit in ſeipſo verbum, æternum rationalis exiſtens. Idem.*

a *Quid aliud & ab nobis Deus.* Seneca lib. 1. natural. quæſt. *Quid eſt Deus? mens vniuerſi* Tertullianus Apolog. cap. 21. & 23. Nazianz. orat. 17. & Iambicò 18. Triſmegiſtus Pimand. cap. 5. Iuſtinus M. cohort. ad Gr. Auguſt. tom. 3. de ſpiritu & anima cap. 54. Lactant. lib. 4. cap. 8. & 9. lib. 7. cap. 3. Stobæus eclogis Phyſicis. Elmen.

b Recenseamvs *diſciplinam philoſophor.*] Hanc omnem veterum philoſophorum diſciplinam habet Minucius ex lib. 1. Cic. de nat. Deor. Rig.

c *Mileſius Thales rerum initium aquam dixit:* Idem de de Thalere habes à Iuſtino M. in paræneſi ad Græc. Auguſtino lib. 8. cap. 2. de ciu. Dei & infinitis aliis. Veterum autem quorumdam ante Thaletem hæc fuit opinio. Orpheus hymno in Oceanum.

ὠκεανὸν καλέω πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα
ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Hos verſus ſic reddidit Latinè heros maximus Ioſephus Scaliger.

Te veneror Pater Oceane, immortalis origo,
Naturaque Deum æterna, & mortalium hominum. Pri.

d Eho, altior *& ſublimior aqua & ſpiritus ratio quàm vt ab hom. pot. inueniri, à Deo traditum.*) Qui Minucium antehac edidêre, non videntur cepiſſe Minucij mentem, nec ſanè peruiderant quid vetus exemplar ſuggereret; editioni Romanæ nimium creduli. etenim ſecundùm eam ſic ediderant, Et altior & ſublimior aquæ & ſpiritus ratio, quàm vt ab homine poterit inueniri, à Deo tradita. Scriptum eſt in exemplari, Eo altior, &, à Deo traditum. Reddita aſpiratione ac diſpunctione rediit ſenſus clauſulæ alias malè cohærenti. Poſtquam appoſuit Cæcilio ſententiam Thaletis propè conſentaneam Moſi de Deo & Mundo condito, ſubſiſtit hac interiectione, Eho ac ſubinde conſiderata ſublimitate ſententiæ altiorem eſſe ait quàm vt ab homine potuerit inueniri aut cogitari. & continuò pronunciat abſolutè à Deo traditum. per Moſen ſcilicet à quo Thales acceperat Rio.

e Anaxagoræ vero *deſcriptio & motus infinita mentis Deus dicitur.*) In exemplari legitur, deſcriptio & motus. Ferrarius, & poſt Ferrarium editores ceteri, deſcriptio & modus, bellè emendatum rati, quia legerant apud Ciceronem, vbi eiuſdem Anaxagoræ ſententia refertur, *primus omnium rerum deſcriptionem & modum mentis infinitæ vi ac ratione deſignari & confici voluit.* Sed ex iis quæ apud Ciceronem ſequuntur, & ex veteris ſcripturæ Minucianæ veſtigiis procul dubio tam Ciceronis quàm Minucij editiones emendandæ ſunt, legendùmque, deſcriptionem & motum. Verba Ciceronis hoc euincunt apertiſſimè: In quo non vidit, inquit, neque motum ſenſui coniunctum & continentem in infinito vllum eſſe poſſe. *Idem.*

f *Xenophanem.* Cicero lib. de nat. Deor. *Xenophanes mente adiuncta, omne præterea quod eſſet infinitum, Deum voluit eſſe.* Epiphanius de fide eccl. Cathol. Ariſtot. lib. Metaph. cap. 5. Elmen.

g *Antiſthenem.* Cicero lib. 1. de nat. deor. *Antiſthenes in eo libro qui phyſicus inſcribitur, populares deos multos, naturalem vnum eſſe dicit. Idem.*

h *Speuſippus.* Cicero lib. de nat. deor. *Speuſippus Platonem auunculum ſubſequens, & vim quamdam naturalem Deum dicens, quâ omnia regantur.* Stobæus eclogis Phyſicis cap. 1. *Idem.*

i *Democritus.* Cicero lib. 1. de Nat. deor. *Democritus imagines, earumque circuitus in Deorum numerum refert, tum illam naturam, quæ imagines fundat ac mittat, tum ſcientiam intelligentiamque noſtram. Idem.*

k *Straton quoque.* Cicero lib 1. de Nat. Deor. *Strato, is qui Phyſicus appellatur, omnem vim diuinam in natura ſitam eſſe cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendiue habeat. Idem*

l *Epicurus qui deos, &c.* Cicero lib. 2. de diuinat. *Epicurus negat quidquam Deos nec alieni curare nec ſui. Ennius:*

Ego Deum genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum;
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et de nat. deor. lib. 1. Seruius in 2. Æneid. Theodor. contra Græcos Plutarchus de placitis Philoſ. *Idem.*

m *Ariſtoteles.* Lactant lib. 1. cap 5. *Ariſtoteles quamuis ipſe ſecum diſsideat, ac repugnantia ſibi & dicat & ſentiat: in ſummum tamen vnam mentem mundo præeſſe teſtatur.* Vid. Ariſtot. lib. 1. Metaph cap 3. & 4. Cicer. lib 1. de nat deor. *Idem.*

n Aristoteles variat.] Cicerò: Ariſtoteles multa turbat: modò enim menti tribuit omnem diuinitatem modò mundum ipſum, Deum dicit eſſe. modò quemdam alium præficit mundo. Quod Tullius dixit, modo, Minucius, interim. Rio.

o *Theophraſtus.* Cicero lib. 1. de nat. deor. *Theophraſtus modò menti diuinum tribuit principatum, modo cælo; tum autem ſignis, ſideribuſque cæleſtibus.* Elmen.

p *Cleanthes.* Cicero lib. 1. de nat. deor. Lactant lib. 1. cap. 5. *Idem.*

q *Zenon.* Cicero lib. 1. de nat. deor. *Idem.*

eſſe principium. idem interpretando Iunonem aera, Iouem cælum, Neptunum mare, ignem eſſe Vulcanum, & ceteros ſimiliter vulgi deos elementa eſſe monſtrando, publicum arguit A grauiter & reuincit errorem. Eadem fere [a] Chryſippus, vim diuinam, rationalem naturam, & mundum interim, & fatalem neceſſitatem Deum credit, Zenonemque interpretatione phyſiologiæ in Heſiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. [b] Babylonio etiam Diogeni diſciplina eſt [c] exponendi & diſſerendi, Iouis partum, & ortum Mineruæ, & hoc genus cetera, rerum vocabula eſſe, non deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri poſſe, & ideò quæri non oportere: Ariſto Chius comprehendi omninò non poſſe. vterque maieſtatem Dei intelligendi deſperatione ſenſerunt. Platoni apertior de Deo, & rebus ipſis & nominibus oratio eſt; & quæ tota eſſet cæleſtis, niſi perſuaſionis ciuilis nonnumquam admixtione ſordeſceret. Platoni itaque in Timæo Deus eſt ipſo ſuo nomine mundi parens, B artifex animæ, cæleſtium [d] terrenorumque fabricator; quem & inuenire difficile, præ nimia & incredibili poteſtate, & cum inueneris, [e] in publicum dicere impoſſibile præfatur. Eadem ferè & iſta quæ noſtra ſunt. nam & Deum nouimus, & parentem omnium dicimus; & [f] numquam publicè niſi interrogati prædicamus. Expoſui opiniones omnium fermè philoſophorum, quibus illuſtrior gloria eſt, Deum vnum multis licet deſignaſſe nominibus: vt quiuis arbitretur aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut philoſophos fuiſſe iam tunc Chriſtianos. Quod ſi prouidentia mundus regitur, & vnius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperiorum [g] fabellis ſuis delectata, vel capta, ad errorem mutui rapere conſenſus: cum philoſophorum ſuorum ſententiis refellatur, quibus & rationis & vetuſtatis adſiſtit auctoritas. Maioribus enim noſtris tam facilis in mendaciis fides fuit, vt temerè crediderint etiam alia monſtruoſa mira miracula: Scyllam multiplicem, Chimæram multiformem, & Hydram felicibus C vulneribus renaſcentem, & [h] Centauros equos ſuis hominibus implexos, & quidquid famæ licet fingere, illis erat libenter audire. Quid illas [i] aniles fabulas, de hominibus aues, & feras homines, & de hominibus arbores atque flores? quæ ſi eſſent facta, fierent; quia fieri non poſſunt, ideò nec facta ſunt. [k] Similiter ac vero erga deos quoque maiores noſtri improuidi, creduli, rudi ſimplicitate crediderunt: [l] dum reges ſuos colunt religioſè, [m] dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere, ſacra facta ſunt quæ fuerant adſumpta ſolatia. Denique & antequam commerciis orbis pateret, & antequam gentes ritus ſuos moreſque miſcerent, vnaquæque natio conditorem ſuum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicuius muneris vel artis repertorem venerabatur, vt ciuem bonæ memoriæ. ſic & defunctis præmium, & futuris dabatur D exemplum. [n] Lege Stoicorum ſcripta, vel ſcripta ſapientium, eademmecum recognoſces. ob merita

a *Chryſippus.* Cicero lib. I de nat. deor. Vide Ariſtotelem tom 2. Stobæum in eclog. Phyſ. cap. 2. Lactant. lib. 1. cap. 5 Diogenem Laert. lib 7. ELMEN.

b BABYLONIO ETIAM DIOGENI. [ἐκ Σελευκείας τῆς ἐν Βαβυλῶνι. Athen. v. RIG.

c EXPONENDI ET *diſſerendi Iouis partum.*] Sic etiam philoſophatur Salluſtius, libello de Diis & Mundo. *Idem.*

d *Terrenorumque fabricator, &c.* Platonis verba τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Eadem Hermes Pimand Iuſtinus paranet. Platonem illa hauſiſſe ex Moyſis & Ægyptiorum diſciplina ſcribit Clem. protrept. Apud Hebræos enim Dei nomen ἀνεκφώνητον. Baſil. περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, cap. 47. VOV.

e IN PVBLICVM *dicere impoſſibile præfatur.*) Platonis verba ſunt, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Cic. Patrem huius mundi nominari negat poſſe. Tertul. Apol. Neque inueniri facilem, & inuentum enarrari in omnes difficilem. Chalcidius: Opificem genitoremque vniuerſitatis tam inuenire difficile eſt quàm inuentum impoſſibile digne profari. RIG.

f NVNQVAM PVBLICE, *niſi interrogati prad.*) prohibiti ab Ethnicis, Chriſtianos publicè philoſophantes audire erubeſcentibus aut timentibus. *Idem.*

g *Fabellis ſuis delectata.* Auguſt. de ciu. Dei lib. 22. cap 6. *antiquitas recepit fabulas etiam fictas inconditè.* Theodor. orat. 1. de fide. Arnobius lib. 1. Auguſt. tom. 4. de variis quæſtion. Cicer. lib. 2. de diuin. ELMEN.

h CENTAVROS EQVOS *ſuis hominibus implexos.*] Bimembres dixit Ouidius. & in Centaurea pugna Monychus ipſe centaurus ſic alloquitur ſuos, & quid fortiſſima rerum in nobis duplex natura animalia iunxit. Hæc fuit fabula. Re ipſa homines fuere in equis. Palæphatus: οὐδὲν γὰρ τοιοῦτος ταῦρος τοῖς κενταύροις, ἀλλ' ἵππου καὶ ἀνδρὸς ἰδέα ἐστί. Sic vnuſquiſque homo ſuum equum habuit, & equus quiſque ſuum hominem ſibi implexum. RIG.

i *Aniles fabulas.* Hieronymus in Daniel. cap. 4. *Scyllam quoque & Chimaram, Hydram atque Centauros, aues & feras, flores & arbores, ſtellas & lapides factos ex hominibus narrant fabula.* ELMEN.

k SIMILITER, AC *verò erga Deos quoque, maiores noſtri, improuidi.*] Sic interpungenda eſt hæc veteris exemplaris ſcriptura. RIG.

l *Dum reges ſuos, &c.* Scholiaſt. Lycoph. τοὺς βασιλεῖς οἱ ἀρχαῖοι θεοὺς ἐκάλουν πάντας. VOV.

l *Dum reges ſuos, &c.* Suidas & Damaſcenus auctores ſunt, Seruchum defunctos præſtantes viros adorari, & quotannis eorum memoriam celebrari iuſſiſſe, & illorum nomina in ſacros commentarios referri, atque Deos eos indicari, tamquam benefactores. Hinc primùm ortam idololatriam, deorumque pluralitatem. Suidas in σερούχ: Damaſcen. de hær. Cyrillus contra Iulianum lib. 6. Marius Victor. lib. 3. in geneſ. Athanaſius contra gentes. Lactant. lib. 1 cap. 8. & 15. lib. 2. cap. 13. Auguſt. contra Fauſtum Man. lib. 2. cap. 17. Nazianz orat. 2. de Theolog. Philaſtrius de hæreſib. Chryſoſtomus in Matth. cap. 27. hom. 87. Conſtantinus Manaſſes in annal. Iſidorus Hiſpal. Origen. lib. 8. cap. 11. Epiphanius Ancorato. & in epiſt. ad Acacium & Paulum. Auguſt. de ciu. lib. 14. cap. 11 Hieronymus in Oſeam cap. 2. ELMEN.

m DVM DEFVNCTOS *eos deſiderant in imaginib. videre.*) Fulgentius Mythol. 1. ex Diophante Lacedæmonio, de filio Syrophanis cuiuſdam Ægyptij: Doloris anguſtia quæ ſemper inquirit neceſſitati ſolatium, filij ſibi ſimulacrum in ædibus, ſeminarium potius doloris inuenit. Tertullianus lib. de Anima, vbi de Achille Patrocli corpus diutius ſeruante, laudat pietatis Homericæ induſtriam tantopere ſatagentis circa eiuſdem Patrocli ſepulturam, ne quis defunctum diu detinens, ipſe ampliùs cum illo maceretur enormitate ſolatij dolore nutriti. RIG.

n LEGE STOICORVM SCRIPTA.] Non bonæ fidei fuiſſe videntur qui de veteri exemplari varias lectiones Ioanni Vouerio deſcripſere. is fidem illorum ſecutus aſſerit in Ms. & Rom. editione legi, Hiſtoricorum, Vtrumque præ oculis habemus, & vtrobique diſertiſſimè legitur, Stoicorum. Et inter philoſophos quidem. Euemerus à Plutarcho cenſetur, & à Cicerone inter philoſophos citatur, vt hic etiam à Minucio noſtro, qui Euemero ſubnectit Prodicum & Perſæum philoſophantem. Fortean decepti aliqui fuerint eo quod lib. vi. de ciu. Dei Auguſtinus ait, Euemerum, non fabuloſa garrulitate, ſed hiſtorica diligentia tradidiſſe Iouem & ceteros huius generis, reges fuiſſe non Deos. Sed & ipſe Auguſtinus lib. de conſ. Euang. de eodem Euemero verba facit tamquam de Poëta, cap. 23. *Idem.*

A merita virtutis aut muneris deos habitos. [a] Euhemerus exſequitur, & [b] eorum natales, patrias, ſepulcra dinumerat, & per prouincias monſtrat: [c] Dictæi Iouis; & Apollinis Delphici, [d] Phariæ Iſidis & Cereris Eleuſinæ. [e] Prodicus aſſumptos in deos loquitur, qui errando inuentis nouis frugibus vtilitati hominum profuere. [f] In eamdem ſententiam & Perſeus philoſophatur, & adnectit inuentas fruges & frugum ipſarum repertores iiſdem nominibus, vt comicus ſermo eſt Venerem ſine Libero & Cerere frigere. [g] Alexander ille magnus Macedo inſigni volumine ad matrem ſuam ſcripſit, metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de diis hominibus [h] à ſacerdote ſecretum. [i] illic Vulcanum facit omnium principem, & poſteà Iouis gentem; & [k] de ſpicis Iſidis ad hirundinem ſiſtrum, & adſparſis membris inanem [l] tui Serapidis ſiue Oſiridis tumulum. Conſidera denique ſacra ipſa, & ipſa myſteria, inuenies exitus triſtes, fata
B & funera, & luctus, atque planctus miſerorum deorum. Iſis perditum filium cum [m] Cynocephalo ſuo & [n] caluis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitantur: mox inuento paruulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur: nec deſinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt; vel inuenire quod perdunt. Nonne ridiculum eſt, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc & ſacra Romana ſunt. [o] Ceres facibus accenſis, & ſerpente circumdata, errore ſubreptam & corruptam Liberam anxia & ſollicita veſtigat. Hæc ſunt Eleuſinia. Et quæ Iouis ſacra ſunt? [p] nutrix capella eſt, & auido patri ſubtrahitur infans ne voretur, & [q] Corybantum cymbalis, [r] ne pater audiat, vagitus initus eliditur. [ſ] Cybelæ Dyndima pudet dicere, quæ adulterum ſuum infeliciter placitum, quoniam & ipſa deformis & vetula, vt multorum deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, exſecuit, vt Deum ſcilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam & ſemiuiri ſui corporis ſupplicio colunt. hæc iam non ſunt ſacra, tormenta ſunt. Quid formæ ipſæ & habitus? nonne arguunt ludibria & dedeco-
C ra deorum veſtrorum? Vulcanus claudus Deus & debilis: Apollo tot ætatibus leuis: Æſculapius benè barbatus, etſi ſemper aduleſcentis Apollinis filius: Neptunus glaucis oculis, Minerua cæſiis, bubulis Iuno: pedibus Mercurius alatis, Pan vngulatis, Saturnus compeditis: Ianus verò frontes

a EVHEMERVS EXSEQVITVR.] Lib. ἀπίστου καὶ ἀθεωτέρου μυθολογίας. RIG.

b EORVM NATALES, *patrias, ſepulcra dinumerat.*] ἐξανδραποδίζει τὰ θεῖα. Plutarch. lib. de Iſide. *Idem.*

c *Dictæi Iouis.* Dicitur Iupiter Dictæus, quoniam in Dictæi montis antro, qui eſt Cretæ, habitaſſe fertur & educatus. Hinc Virgil. lib. 4. Georg.

Dictæo cæli regem pauere ſub antro.

Apollonius Rhod. argonaut. lib. 1. ὄφρα Ζεὺς ἔτι κοῦρος ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδὼς Δικταῖον ναίεσκεν ὑπὸ σπέος. OVZ.

d *Pharia Iſidis.* Sic dicta Iſis à Pharo inſula Ægypti ex aduerſo Alexandriæ. Videtur autem Iſis nomen accepiſſe ab Hebræo אשה, quod viram ſonat. Diodorus Siculus 1. bibl. ait Iſidem iuxta linguam Ægyptiacam ſignificare antiquam. Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιάν. additque ei tale nomen eſſe. ἀπὸ τῆς ἀϊδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως. Ægypti verò ſub Iſidis nomine Lunam colebant, vnde & ei cornua attributa, quia talis Lunæ aſpectus eſt, quando falcis imagine creſcit & decreſcit. *Idem.*

e PRODICVS *aſſumptos in Deos loquitur.*] In exemplari ſcriptum eſt, prodigiis. Corruptè. Cicero lib. 1. de nat. deor. Quid Prodicus Chius? qui ea, quæ prodeſſent hominum vitæ, deorum in numero habita eſſe dixit. quam tandem religionem reliquit. RIG.

f IN EAMDEM *ſententiam & Perſeus philoſophatur.*] Cicero: At Perſeus eiuſdem Zenonis auditor, eos dicit eſſe habitos Deos, à quibus magna vtilitas ad vitæ cultum eſſet inuenta. ipſaſque res vtiles & ſalutares deorum eſſe vocabulis nuncupatas. *Idem.*

g ALEXANDER ILLE *Magnus Macedo.*] Immò Alexander Polyhiſtor. Deceptus eſt Minucius cum pleriſque aliis quos notauimus ad Pallium Tertull. *Idem.*

h A SACERDOTE.] Auguſtinus VIII. de ciu. D. A magno antiſtite ſacrorum Ægyptio quodam Leone. Et in Aſtronomico Higini citatur Leon qui res Ægyptias conſcripſit.

i ILLIC VVLCANVM.] In exempl illi. *Idem.*

k DE SPICIS ISIDIS.] Sic apertiſſimè legitur in exemplari. Ægyptius ille antiſtes Leo prodidit Alexandro myſteria, & de frumenti ſpicis, quas geſtat Iſis ſiue Ceres factum fuiſſe dixit ſiſtrum, quod eſt Iſidis & Iſiacorum geſtamen. ſpicas verò ſuccuſſas & colliſas ſiue agitatas criſpante brachio ſonum edere qualis editur concuſſione ſiſtri eiuſmodi autem ſonum alludere ad garritum hirundinis, cuius formam ſumpſiſſe dicitur Iſis. ac denique, de ſparſis frumenti granis, quæ ſunt velut membra tumuli ſiue acerui, tumulum Serapidis ſiue Oſiridis inanem fieri. Hæc Ægyptiorum ſacrorum ratio, quam Phyſicam vocant, à Iulio Firmico Materno ſic explicatur libro de err. prof. relig. Frugum ſemina (ſi-rim dicunt eſſe, Iſin terram, Typhonem calorem. Et quia maturatæ fruges calore ad vitam hominum colliguntur, & rurſus appropinquante hyeme ſeminantur, hanc volunt eſſe mortem Oſiridis cum fruges reddunt; inuentionem verò, cum fruges genitali terræ fomento conceptæ noua rurſus cœperint procreatione generari. *Idem.*

k DE SPICIS *Iſidis ad hirund. ſiſtrum.*] Repetendum eſt præcedens verbum facit, & aptandum ſingulis, hoc modo: Illic, id eſt, eo volumine ſiue epiſtola ad matrem Alexander doctus ab Ægyptio illo Leone ſacerdote, facit Vulcanum omnium principem. facit poſteà Iouis gentem. facit de ſpicis Iſidis ſiſtrum ad hirundinem, hoc eſt, ad Iſidem hirundinino garritu querulam. facit denique ſparſis membris Oſiridis tumulum inanem. *Idem.*

l TVI SERAPIDIS.] Hic rurſus per deriſum obiicit Octauius Cæcilio quod ſimulacro Serapidis obuiam ſibi notato manum ori admouiſſet, oſculum labiis impreſſiſſet, quod eſt, adoraſſet, ſuprà. *Idem.*

m *Cynocephalo ſuo.* Cyprian. contra Demetr. autor querolі. Origen. in exod. cap. 7. hom. 4. Lucian. de ſacrif. Euſebius lib. 2. præp. Eccleſ. cap. 1. Albericus de deor. imaginib. Auguſtinus tomo 4. de variis quæſt. Athanaſius contra gentes. ELMEN.

n *Caluis Sacerdotibus.* Hieronymus lib. 13. comment. in Ezech. cap. 44. *perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitib. ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis atque Serapidis; nos eſſe debere.* Ambroſ. epiſt. 36 ad Sabinum. *capita & ſupercilia ſua radunt, qui Iſidis ſuſcipiunt ſacra.* Prudent. lib. 1. contra Symmachum. *Idem.*

o *Ceres facibus accenſis.* Nota fabula ex Seru. in Virg. 1. Georg. quam etiam multis narrat Tzetzes; aliique interpretes Heſiodi, Claudian. de raptu Proſerp.—

—— Faces extollit Eleuſis:
Angues Triptolemi ſtridens; & ſquamea curuis
Colla leuant attrita iugis.

Hinc Apul. lib. 11. in deſcrip. Cereris. *dextra læuaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita.* VOV.

p *Nutrix capella.* Lactant. in 3. Thebaid. Stat. & lib. 8. *In Arcadia Iouem Amalthæa capra dicitur nutriſſe.* Callimachus hymno in Iouem v. 5. Apollodorus biblioth. lib. 1. Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 3. Firmicus Aſtron. lib. 8. cap. 6. Prudentius περὶ στεφάνων. Lucianus de ſacrificiis. ELMEN.

q *Corybantum cymbalis.* Dicti Corybantes putantur, quia κορύπτοντες βαίνοιεν, hoc eſt, *ſaltantes incederent.* Quidam Corybantes cum Curetibus, Cabiris, Idæis Dactylis, Telchinis eoſdem ponunt, alij cognatos inter ſe, & exilibus diſtinctos differentiis, vt ait Strabo lib. 10. In ſacris verò Corybantum fraternum parricidium celebratur, mors ſcilicet Cabiro à fratribus illata. OVZ.

r NE PATER *audiat vagitus initus eliditur.*] Hæc eſt Regij codicis ſcriptura. quæ ſanè recta eſt. niſi quis malit, vagitus intus eliditur RIG.

ſ CYBELÆ DINDYMA.] τὰ Δίνδυμα. Nec fuit hic mutandum quicquam. Virgilius ita per alta Dindyma Seruius: Montes matris Deûm. Catullus dixit deam Didymi, ſiue Dindymi. *Idem.*

frontes duas geſtat, quaſi vt auerſus incedat: Diana interim eſt altè ſuccincta venatrix: & Epheſia [a] mammis multis, & vberibus exſtructa: & [b] Triuia trinis capitibus, [c] multis manibus horrifica. Quid ipſe Iupiter veſter? modò imberbis ſtatuitur, [d] modò barbatus locatur: & cum Hammon dicitur, habet cornua; & cum Capitolinus, tunc gerit fulmina; & cum Latiaris, cruore perfunditur; [e] & cum Feretrius, non auditur. Et ne longiùs multos Ioues obeam, tot ſunt Iouis monſtra quot nomina. [f] Erigone ſuſpenſa de laqueo eſt, [g] vt virgo inter aſtra ignita ſit: [h] Caſtores alternis moriuntur, vt viuant: [i] Æſculapius vt in Deum ſurgat, fulminatur: Hercules vt hominem exuat, [k] Oetæis ignibus concrematur. Has fabulas & errores & ab imperitis parentibus diſcimus, &, quod eſt grauius, ipſis ſtudiis & diſciplinis elaboramus, carminibus præcipuè poëtarum, qui plurimumquantùm veritati ipſa ſua auctoritate nocuere. Et Plato ideò præclarè [l] Homerum illum inclytum laudatum & coronatum [m] de ciuitate [n] quam in ſermone inſtituebat, eiecit. Hic enim præcipuus bello Troico deos veſtros, etſi ludos facit, tamen in hominum rebus & actibus miſcuit. hic eorum paria compoſuit, ſauciauit Venerem, Martem vinxit, vulnerauit, fugauit: [o] Iouem narrat à Briareo liberatum, ne à diis ceteris ligaretur; & Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, fleuiſſe, & [p] loro Veneris illectum, [q] flagrantiùs quàm in adulteras ſoleat, cum Iunone vxore concumbere: alibi Hercules ſtercora egerit, & Apollo Admeto pecus paſcit. Laomedonti vero muros Nuptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accepit. illic Iouis fulmen cum Æneæ armis in incude fabricatur: cum cælum & fulmina & fulgura longè antè fuerint, quàm Iupiter in Creta naſceretur, & flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipſe Iupiter non vereri. Quid

A … B … C

a Mammis mvltis *& vberibus exſtructa*] In Ms. legitur, Veribus. duabus litteris antiquario more in vnam contractis. In archetypo ſcriptum fortaſſè fuit, vueribus, quod eſt, vberibus, vt iuua pro iuba. Ceres mammoſa Lucretio, Diana multimammia, πολύμαστος, Hieronymo in proœmio, Epiſt. Pauli ad Epheſ. Ceres, Diana, Hecate, ſunt vnius eiuſdemque fabuloſi numinis appellationes variæ. Quod autem legitur in Ms. veribus exſtructa, etſi Virgilio verua dicantur iacula & mucrones teretes, nihilominus impropria locutio fuerit, ſi quis Dianam dicat exſtructam veribus & iaculis. At conuenientiſſimè dicetur exſtructa vberibus. talis enim cernitur in numis antiquis, vbi ſunt exſtructa ſeu diſpoſita vbera & mammæ tamquam cæmenta & lapides in modum columnæ, Diana ſiue Cerere mammis & pectore tenus ſuperimpoſita. Rio.

b *Triuia trinis capitibus*. Diana quæ trinis capitibus hic dicitur, ab Orpheo in argonaut. τρισοκέφαλος & Lycophrone in Caſſandra βριμὼ τρίμορφος, ac τριαύχην appellatur. τρίμορφος, quoque dicitur à Porphyrio, vt refert Euſebius, lib. 4. de præpar. Euang. Cur autem trina fronte effingeretur varij varias cauſas afferunt. Caſſiodoro aſſentimur qui Variar. lib. 5. epiſt. 42. ait. *Hanc triplicem Deum falſa imaginatione finxerunt: ipſam in cælo Lunam: ipſam in ſyluis Dianam: ipſam apud inferos Proſerpinam.* Eſt etiam τετραπρόσωπος apud Athenæum lib. 7. ſed quoniam hæc nota ſunt apud ſcriptores Græcos & Latinos, prætermittimus quamplurima quæ multas paginas implere poſſent. Pri.

c Mvltis manibvs *horrifica*.] Talis cernitur in veteri numiſmate æreo penes eruditiſſimum Io. Bap. Altinum. Conuenienter autem manus multas dederunt numini quod eſt omnia. vetus inſcriptio ἐν τῇ Σάει, apud Plutarch ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΤΟ ΠΑΝ. Alia item inſcriptio Capuæ: Tibi vna qvæ es omnia. Dea Isis. Ipſa in Apuleiana Metamorphoſ. Cuius numen vnicum, multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multiiugo totus veneratur orbis. Rio.

d Modo barbatvs locatvr.] Collocatur ſtatua in baſi. Phæd.

Æſopo ingentem ſtatuam poſuere Attici.
Seruulumque collocarunt æterna in baſi. *Idem.*

e Et cvm Feretrivs, non avditvr. Non abs re ſuſpectum habuit hunc locum Io. Voverius. Propoſuit coniecturam vna littera detracta, cum Feretrius non aditur. quæ ſanè coniectura valdè mihi videtur probabilis: verùm alio ſenſu, quàm quo Vouerius intellexit. Iouem dictum fuiſſe Feretrium à ferendo diſcimus ex ea formula qua Romulus opima ſpolia dicauit, apud Liuium lib. 1. Spolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa fabricato ad id aptè ferculo gerens in Capitolium aſcendit; ſimul cum dono deſignauit templo Iouis fines, cognomenque addidit Deo, Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero. Spolia igitur opima ferenda erant ferculo ſive feretro Feretrio Ioui. etenim ipſe Romulus ita vouerat, exſtructumque fuerat templum Ioui Feretrio. ſedem, vt ait Liuius, ſpoliis opimis quæ poſteri ferrent. At ſubinde Pompilius Numa legem de opimis ſpoliis condidit, cuius verba exſtant apud Feſtum. & ſecundùm ea Seruius Æneid. vi. tradidit, præcepiſſe Pompilium prima opima ſpolia Ioui Feretrio ſuſpendi, quod jam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus. Ergo Numa Iouem Feretrij cognomine gaudentem deſpexit, nam exinde aliis quàm Feretrio opima ſpolia ferri voluit. Propterea Minucius dixerit: Iupiter, cum dicitur Feretrius, non aditur. quia ſcilicet opima ſpolia Feretrio non ferebantur, ſed Marti, ſed Quirino. Pompilianam legem de opimis ſpoliis ſeruatam fuiſſe teſtatur Virgilius hoc verſu, de Marcello.

Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.

Hoc de tertiis quidem. At de ſecundis, erit quæſtio. Etenim Numa dixerat ferenda Marti. & tamen Liuius Ioui Feretrio ſuſpenſa fuiſſe narrat, vbi de Cornelio Coſſo. Ceterùm, ſcio veteres auctores tradidiſſe, Feretrium à feriendo dictum. quo ſenſu poſſit etiam accipi quod legitur in exemplari Minucii, cum Feretrius, non auditur, quaſi hoc in mentem Minucio venerit: Iupiter vocitatur Feretrius quia ferit; & tamen nemo ferientem audit, non auditur ferire, quieſcit ignauus: qui alias, quando Feretrius non dicitur, habeat cornua, gerat fulmina, cruore perfundatur. Sed priorem interpretationem magis probauerim. æuo Propertij non fuiſſe certam huius cognominis Feretrij cauſam, oſtendunt verſus lib. iv.

——— Cauſa Feretri,
Omine quod certo dux ferit enſe ducem.
Seu quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant.
Hinc Feretri dicta eſt ara ſuperba Iouis.

Nec certiora ſunt quæ tradidit Feſtus, neque etiam ea quæ Plutarchus tradidit. *Idem.*

f Erigone svspensa *de laqueo eſt.*] Laqueo ſibi mederi compulſa. Lactant. Thebaid. xi. nimio ſe luctus dolore laqueavit. *Idem.*

g Vt virgo *inter aſtra ignita ſit.*) Veram eſſe arbitror hanc ſcripturam. etſi in exemplari legitur, ignata. Aſtra ignita dixit Minucius, quæ æſtum ſiue æſtatem conficiunt, & ſunt igneæ ſiue ardentis naturæ. Statius Theb. iv. vim cœptis indulgent aſtra, mœæque æſtifer Erigones ſpumat canis. Paulus Alexandrinus Iſag. apoteleſm. vbi de aſtro virginis: ταύτῃ τῇ τεταρτημορίᾳ ἐπιφαίνεται ὁ τῆς θερινῆς ὥρας ἀστὴρ, ὅστις καλεῖται πῦρ. *Idem.*

h *Caſtores alternis moriuntur.* Seruius in 6. Æneid. Apollodorus lib 3. Philo decalog. Tacianus contra Græcos. Origenes lib. 3 contra Celſum. Silius Ital. lib. 9. Virgil. Æneid. 6. Lactantius lib. 1. aduerſ. gentes. Elmen.

i *Æſculapius fulminatur.* Plato lib. 3. de Repub. ex Pindaro refert, ideò Æſculapium fulminatum, quòd diuitem malum, morti iam vicinum, ſanitati reſtituerit. *Idem.*

i *Æſculapius fulminatur.* Tertullianus apolog. 14. Arnobius lib. 4. *Æſculapium fulminis transfixum eſſe telis.* Iulius Firmicus de errore profanar. religion. *Æſculapius alibi fulminatur.* Pri.

k Oetæis ignibvs.] In Ms. henneis. Dictatum fuerat, Ætnæis, prauè, pro Oetæis. Rio.

l Homervm illvm *inclytum, laudatum.*] Quem Socrates in Ione Platonico dicit eſſe ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν. *Idem.*

m De civitate eiecit.) Lib. ii. de Repub. vbi de fabulis Homericis, οὔτε γε οἱ λόγοι χαλεποί. καὶ οὐ λεκτέοι ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει. *Idem.*

n Qvam in *ſermone inſtituebat*) Sic legitur in exemplari. In ſermone, hoc eſt, dialogis. *Idem.*

o *Iouem à Briareo liberatum, &c.* Quæ hic narrantur, ea habes apud Tertullianum omnia Apolog. 14. & Arnobium lib. 4. Pri.

p Loro veneris illectvm ἱμάντι κεστῷ.

q Flagrantivs qvam *in adulteras ſoleat.*] Tertul. Fœdè ſubantem in ſororem ſub commemoratione non ita di-

Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum: & in [a] Ganymedem Iouis ſtuprum cælo conſecratum? Quæ omnia in hoc prodita, [b] vt iudiciis hominum quædam auctoritas pararetur. His atque huiuſmodi figmentis & mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia pue- A rorum; & hiſdem fabulis inhærentibus, adusque ſummæ ætatis robur adoleſcunt, & in iiſdem opinionibus miſeri conſeneſcunt: cum ſit veritas obuia, ſed requirentibus. [c] Saturnum enim principem huius generis & examinis omnes ſcriptores vetuſtatis, Græci Romanique, hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos & Caſſius in hiſtoria: & Thallus, ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus Creta profugus, Italiam metu filij ſæuientis acceſſerat, & Iani ſuſceptus hoſpitio rudes illos homines & agreſtes multa docuit, vt Græculus & politus, litteras imprimere, nummos ſignare, [d] inſtrumenta conficere. Itaque latebram ſuam, quod tutò B latuiſſet, vocari maluit Latium; & vrbem Saturniam de ſuo nomine; & Ianiculum Ianus, ad memoriam vterque poſteritatis reliquerunt. Homo igitur vtique qui fugit, homo vtique qui latuit, & pater hominis, & natus ex homine: [e] terræ enim & cæli filius, quod apud Italos eſſet ignotis parentibus proditus: vt in hodiernum [f] inopinatò viſos, cælo miſſos; ignobiles & ignotos, [g] terræ filios nominamus. Eius filius Iuppiter, Cretæ excluſo parente regnauit; illic obiit, illic filios habuit; adhuc antrum Iouis viſitur, & ſepulcrum eius oſtenditur, & ipſis ſacris ſuis humanitatis arguitur. Otioſum eſt ire per ſingulos, & totam ſeriem generis iſtius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas, in ceteros ipſos ordine ſucceſſionis influxerit. niſi fortè poſt mortem deos fingitis: & [h] peierante Proculo deus Romulus: [i] & Iuba Mauris volentibus deus eſt: & diui ceteri reges qui conſecrantur, non ad fidem numinis, ſed C ad honorem emeritæ poteſtatis. Inuitis his denique hoc nomen adſcribitur; optant in homine perſeuerare, fieri ſe deos metuunt; & ſi iam ſenes, nolunt. Ergo nec de mortuis dij; quoniam Deus mori non poſſit; nec de natis, quoniam moritur omne quod naſcitur: diuinum autem id eſt, quod nec ortum habet, nec occaſum. Cur enim ſi nati ſunt, non hodieque naſcuntur? niſi fortè iam Iupiter ſenuit, & partus in Iunone defecit: & Minerua canuit antequam peperit. An ideo ceſſauit iſta generatio, quoniam nulla huiuſmodi fabulis præbetur aſſenſio? Ceterum [k] ſi dii creare poſſent, interire non poſſent; [l] plures totis hominibus deos haberemus; vt iam eos nec cælum contineret, nec aër caperet, nec terra geſtaret. Vnde manifeſtum eſt homines illos fuiſſe, quos & natos legimus, & mortuos ſcimus. Quis ergo dubitat horum imagines conſecratas vulgus orare, & publicè colere; dum opinio & mens im- D peritorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore præſtringitur, argenti nitore & candore eboris hebetatur? Quod ſi in animum quis inducat tormentis quibus, & quibus machinis ſimulacrum omne formetur, erubeſcet [n] timere ſe materiem, ab artifice, vt deum faceret, illuſam. Deus enim ligneus, rogi fortaſſe, vel [o] infelicis ſtipitis portio, ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur. & deus æreus, vel argenteus de immundo vaſculo, vt ſæpiùs factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur: & lapideus cæditur, ſcalpitur, & ab impurato homine leuigatur, nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriam, ita vt nec poſteà de

lectarum jampridem amicatum. R I O.

a *Ganymedem Iouis, &c.* Homerus hymno in Venerem. Appollonius argonaut. lib. 3. verſ. 15. Lactant. lib. 1. cap. 2. Firmicus de errore prof. relig. E L M E N

b V T I V D I C I I S *hominum quadam auctoritas pararetur.*] Hæc ſcriptura eſt antiqui exemplaris, ſatis aperta. Etenim deprauato iudicio, hominibus malè iudicantibus, quæ leguntur, à diis vitia perpetrata pro virtutibus habentur. R I O

c S A T V R N V M E N I M *principem huius generis.*] Tertullianus Apol. & lib. 11. ad Nationes Saturnum Patriarcham deorum nuncupat, à quo cenſus totius diuinitatis. *Idem.*

d I N S T R V M E N T A C O N F I C E R E.) Ab ipſo primum tabulæ, inquit, Tertul. *Idem.*

e T E R R Æ E N I M *& cæli filius.*) Hoc de Saturno legitur apud Lactantium lib 1. diuinar. inſtit cap. 11. quaſi obſeruationis iſtius auctor eſſet Minucius. & tamen acceperat ex Tertulliani Apolog. quem librum non legerat Lactantius cum inſtitutiones ſuas ſcriberet. *Idem.*

f *Inopinatò viſos.* Tertullianus Apolog. 10. *Ex inopinato apparentes, de cælo superueniſſe dicuntur.* vnde διοπετεῖς. Herodianus in Commodo lib. 1. narrat ſimulacrum Cereris lapſum ἐξ οὐρανοῦ Claudianus Probini Panegyr.

—— *Credas ex æthere lapſam Stare pudicitiam,*

Et Tibullus lib. 1. eleg. 3. *Tunc veniam ſubitò, nec quiſquam nunciet antè, Sed videar cælo miſſus adeſſe tibi.* Mitto hic Apuleium lib. 9. Tullium in Verrem vbi de Cereris ſimulacro. Lactantium lib 1. cap. 11. Politianum Miſcellan. cap. 18. an verò hic reſpexerit Minutius ad illud θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς nolim pronuntiare. P R I.

g *Terræ filios. Terræ filios*, inquit Tertullianus Apolog. 10. *vulgus vocat quorum genus incertum eſt.* Pariter quoque Tullius epiſtolar. ad fam. lib. 7. ep. 9. & ad Atticum lib. 1. epiſt. 10. Seruius ad 1. Georg. *Achelous terræ filius fuiſſe dicitur.* Liuius lib. 1. Quintilian. cap. 8. lib. 5. *Multum auctoritatis adfert vetuſtas, vt ij qui terra dicuntur orti.* Et Ouid. lib. 1. Metamorph.

Iupiter è terra genitam mentitur, vt auctor
Deſinet inquiri.

Ij nimirum ſunt de gygantum ſtirpe, qui γηγενεῖς & παλαιγενεῖς nuncupantur. *Idem.*

h *Peierante Proculo.* Plutarchus in Romulo. Liu. lib. 1. cap. 15. Solenne autem in ἀποθεώσει imperatorum, vt aliquis iuramento aſſereret, ſe effigiem Imperatoris in cælum aſcendentem vidiſſe. Iuſtin. Apolog. 2. καὶ τί γὰρ τοὺς ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες, καὶ ὀμνύντα τινὰ προάγετε ἑωρακέναι εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαέντα καίσαρα: Vide Sen. initium de morte Claudij V O V.

i E T I V B A *Mauris volentibus Deus eſt.*) Cyprianus: Mauri verò manifeſtè reges ſuos colunt. nec vllo velamine hoc nomen obtexunt. Tertullianus dixerat: Mauritaniæ reguli ſui dij ſunt. Vtroque argutior Minucius. R I O.

i *Iuba Mauris, &c.* Mauris enim Reges ſui pro numine fuerunt. Cyprianus de vanitate gent. *Mauri manifeſtè reges colunt, nec vllo velamento hoc nomen prætexunt.* Lactantius lib. 1. cap. 15. Præ aliis autem Iuba cultus à Mauris videtur, cùm nomen eius apud auctores expreſſum inuenitur; vel etiam fortè Iubæ nomen quaſi commune regum Maurorum fuit, vti Pharaonum & Ptolemæorum in Ægypto. Magna autem affinitas eſt inter nomen *Iuba* & τετραγραμματον יהוה, ſic vt literis contractis ex hoc formatum videatur. O V Z.

k *Si Dij creare poſſent.* Subleſtam eſſe fidem deliriorum eiuſmodi gentes ipſæ ſubodoratæ ſunt. Vnde apud Senecam ſiue quem alium volueris in Octauia de Diis illis ait Nero. *Stulte verebor eſſe, cum faciam Deos.* P R I.

l P L V R E S T O T I S *hominibus Deos haberemus.*) Plinius: Hiſt nat. 11. Maior cælitum populus quam hominum intelligi poteſt. R I O.

n T I M E R E S E *materiam ab artifice illuſam.*) Lucretius Quæ finxere timent *Idem.*

o *Infelicis ſtipitis portio.* Quæ hic de materia deorum eiuſmodi referuntur, à Tertulliano expreſſa ſunt Apolog. 12. non adtexam verba quoniam longiora ſunt, dicam ſolum. *Ceteri*

de veſtra veneratione culturam ; niſi fortè nondum deus ſaxum eſt , vel lignum , vel argen- A
tum. Quando igitur hic naſcitur? ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur. nondum deus eſt. ec-
ce plumbatur, conſtruitur, erigitur. nec adhuc deus eſt. ecce ornatur , conſecratur , oratur;
tunc poſtremò deus eſt, [a] cum homo illum voluit, & dedicauit. Quantà verò de diis veſtris
[b] animalia muta naturaliter iudicant ? [c] mures, hirundines, milui, non ſentire eos ſciunt, ro-
runt, inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo dei veſtri ore nidificant. araneæ verò faciem
eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt. vos tergitis, mundatis, eraditis, & illos,
quos facitis, protegitis, & timetis. Dum vnuſquiſque veſtrûm non cogitat, priùs ſe debere
Deum noſſe, quàm colere cum inconſultè geſtiunt parentibus obedire: dum fieri malunt alie- B
ni erroris acceſſio, quàm ſibi credere: dum nihil ex his quæ timent, norunt, ſic in auro &
argento [d] auaritia conſecrata eſt; ſic ſtatuarum inanium conſignata forma; ſic nata Romana
ſuperſtitio. quorum ritus, ſi percenſeas, ridenda quammulta, multa etiam miſeranda ſunt.
[e] Nudi [f] cruda hieme diſcurrunt. alij [g] incedunt pileati, ſcuta vetera circumferunt, pelles
cædunt, [h] mendicantes vicatim deos ducunt. quædam fana ſemel anno adire permittunt.
quædam in totum nefas viſere. [i] eſt quo [k] viro non licet, & nonnulla abſque fœminis ſacra
ſunt? etiam ſeruo quibuſdam cerimoniis intereſſe piaculare flagitium eſt. alia ſacra coronat
vniuira, alia multiuira, & magna religione conquiritur, quæ plura poſſit adulteria numerare.
Quid, qui ſanguine ſuo libat, & [l] vulneribus ſupplicat, non profanus melius eſſet, quàm ſic C
religioſus? aut, cui [m] exta ſunt obſcena demeſſa, quomodo deum violat, qui hoc modo pla-
cat? cum ſi eunuchos deus vellet, poſſet procreare, non facere. Quis non intelligat male ſa-
nos, & vanæ & perditæ mentis in iſta deſipere, [n] & ipſam errantium turbam mutua ſibi pa-
trocinia præſtare? Hic defenſio communis furoris eſt furentium multitudo. At tamen iſta ip-
ſa ſuperſtitio Romanis dedit, auxit, fundauit imperium; cum non tam virtute, quàm reli-
gione & pietate pollerent. Nimirum inſignis & nobilis iuſtitia Romana ab ipſis imperii naſcen-
tis incunabulis auſpicata eſt. Nonne in ortu ſuo & ſcelere collecti & muniti immanitatis ſuæ
terrore creuerunt? Nam aſylo prima plebs congregata eſt, confluxerant perditi, facinoroſi,
inceſti, ſicarij, proditores. Et vt ipſe [o] Romulus imperator & rector populum ſuum facinore
præcelleret, paricidium fecit. Hæc prima ſunt auſpicia religioſæ ciuitatis. mox alienas virgines D
iam deſponſatas, iam deſtinatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas [p] ſine more rapuit, vio-
lauit, illuſit: & cum earum parentibus, id eſt, cum ſoceris ſuis, bellum miſcuit, propinquum
ſanguinem fudit. Quid irreligioſius, quid audacius, quid ipſa ſceleris confidentia tutius? Iam
finitimos agro pellere, ciuitates proximas euertere cum templis & altaribus: captos cogere,
damnis alienis, & ſuis ſceleribus adoleſcere cum Romulo, regibus ceteris, & poſtremis duci-
bus diſciplina communis eſt. ita quidquid Romani tenent, colunt, poſſident, audaciæ præ-
da eſt: [r] templa omnia de manubiis, id eſt, de ruinis vrbium, de ſpoliis deorum, de cædi-
bus

bus & ſtipitibus impoſitis Chriſtianos, quod ſimulacrum non priùs argilla deformas cruci & ſtipiti ſuperſtructa? PRI.

a CVM HOMO *illum voluit.*) Sic legitur in exemplari. cum homo illum voluit. nempè eſſe Deum, cum faber incertus ſcamnum faceretne Priapum, Maluit eſſet Deum. Deus inde ego, furum auiumque Maxima, formido. RIG.

b ANIMALIA MVTA *naturaliter iudicant.*) Intelligunt ſtatuas non eſſe Deos. Tertul. Apol. RIG.

c *Mures hirundines, &c.* Lactantius lib. 2. cap. 4. *Fures tam ſtulti ſunt, vt Priapi tentiginem timeant, cum aues ipſæ, ſimulacris fabrefactis inſidant, nidificent, inquinent.* Vnde Horatius lib. 1. Satyr. 8.

Mentior at ſi quid, merdis caput inquiner albis. Idem:
Coruorum, &c.

Adeoque ne ſtatuas illas ſordibus aues conſpurcarent *μηνίσκοι* ſiue lunulæ iis apponebantur in vertice. PRI.

d AVARITIA *conſecrata eſt.*) Sic ſuprà, conſecrare ſacrilegium. RIG.

e *Nudi cruda hyeme.* Lupercalibus re diuina facta, nudi diſcurrebant ludibundi, pellibus occurſantes quoſque ſibimet verberantes Lactant. lib. 1. cap. 21. Autor origin. gentis Rom. Seruius 8. Æneid. Dionyſius Halicarn. lib. 1. Plutarchus Romulo & in quæſt. Rom. Prudentius In Rom. Martyre. ELMEN.

f CRVDA HIEME.] crudeli, aſpera. RIG.

g *Incedunt pileati.* Pilei Saliorum, quod illis commune cum cæteris flaminibus, in coni formam faſtigiati erant. Vnde Romanis dicebantur *apices.* A Græcis autem *κυρβασία*, vt eſt apud Dionyſ. Halicarn. lib. 2. antiq. Rom. OVZ.

h *Mendicantes vicatim Deos.* Mos ſacerdotum Magnæ Matris, vt mendicando ſtipem vel panem quærerent, vnde & *μητραγύρται* dicti. Clemens Alex. Protrept. *Idem.*

i EST QVO *viro non licet.*] Rectiſſima eſt hæc ſcriptura veteris exemplaris. RIG.

i *Eſt quo viro non licet.* Propertius lib. 4. eleg. 9. de ſacris Bonæ Deæ.

Fœmineæ loca clauſa Deæ, fonteſque piandos,
Impunè & nullis ſacra retecta viris.

Adeò etiam, vt non ſolum viris templum Bonæ Deæ ingredi nefas eſſet; ſed & picturæ maſculæ in templo velatæ. Iuuenalis Sat 6.

——— Vbi velari pictura iubetur,
Quæcumque alterius ſexus imitata figuram.

Teſtatur & Seneca epiſt. 98. OVZ.

k VIRO NON LICET.] Teſticuli ſibi conſcius vnde fugit mus. Iuuen. RIG.

l *Vulneribus ſuis ſupplicat.* Lactant. lib. 1. cap 21. *Sunt publica ſacra matris Deum, in quibus homines ſuis ipſi virilibus litant. Amputato enim ſexu, nec viros ſe nec fœminas faciunt.* Lactant. in Statij Theb. lib. 12. Firmicus de error. prof. relig. Lucianus in Dea Syria. ELMEN.

m EXTA SVNT *obſcena demeſſa.*) Correxere, teſta. Sed vetus ſcriptura defendi poteſt. Exta obſcena dicit Minucius illa pondera Catulli, exempta ſuis alueolis ſiue folliculis. RIG.

n ET IPSAM *errantium turbam.*] Iuuenalis in eumdem ſenſum. *Idem.*

n *Errantium turbam mutua ſibi patrocinia.* Auguſtinus de ciu. Dei lib. 6. cap. 10. *Inſanitatis patrocinium, inſanientium turba eſt.* Ita enim locus iſte legi debet, non vt in vulgatis libris habetur, *ſanitatis patrimonium.* Voce *inſanitas* eadem notione vtitur Cicero, lib. 4. Tuſcul. ELMEN.

o *Romulus parricidium fecit.* Florus lib. 1. cap. 1. Liuius lib. 1. Leo ſerm. 1. de Natiu. Petri & Pauli Auguſtinus de ciu. Dei lib. 3. cap. 6. & de conſenſu Euangeliſtar. lib. 1. cap. 1. *Idem.*

p SINE MORE *rapuit.*] Alludit ad Virgilianum illud.

——— Raptas ſine more Sabinas.

Sine more, ſine exemplo. quod factum anteà non fuerat, quod inauditum & inuſitatum antè. vt contrà, idem Virgil.

——— lectas de more bidentes. RIG.

q *Sine more.* Id eſt, vt ait Lactantius in 1. Theb. Statij, *iniuſtè, ſine exemplo.* Virgil. 8. Æneid.

——— raptas ſine more Sabinas

Videndus Petrus Faber IC. lib. 1. Semeſt. cap. 18.

r *Templa omnia de manubijs.* Florus lib. 1. cap. 7. de Tarquinio ſuperbo: *de manubijs captarum vrbium templum erexit.* Manubiæ autem propriè quid ſint, & vt à prædis ſiue ſpoliis differant, docet Nonius Marcellus dum inquit, *Manubias à præda hoc diſtare veteres exiſtimarunt, vt ſit præda corpora ipſa rerum quæ capiuntur: manubiæ verò pecunia ex præda vendita*

A bus ſacerdotum. hoc inſultare & illudere eſt, victis religionibus ſeruire, captiuas eas poſt victorias adorare. Nam adorare quæ manu ceperis, [a] ſacrilegium eſt conſecrare, non numina. Toties ergo Romanis impiatum eſt, quoties triumphatum. tot de diis ſpolia, quot de gentibus & [b] tropæa. Igitur Romani non ideò tanti quòd religioſi, ſed quod impunè ſacrilegi. Neque enim potuerunt in ipſis bellis deos adiutores habere, aduerſus quos arma rapuerunt, [c] & quos poſt laureum detriumphatos colere cœperunt. Quid autem iſti dij pro Romanis poſſunt, qui nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos nouimus. Romulus, Picus, Tiberinus, & Conſus, & [d] Pilumnus, ac [e] Volumnus dij. Cloacinam Tatius & inuenit & coluit: Pauorem Hoſtilius atque Pallorem. [f] mox, à neſcio quo Febris dedicata: hæc alumna vrbis iſtius ſuperſtitio, morbi & malæ valetudines. Sanè & Acca
B Larentia, & Flora meretrices propudioſæ, inter morbos Romanorum & deos computandæ. Iſti ſcilicet aduerſus ceteros qui in gentibus colebantur Romanorum imperium protulerunt. neque enim eos [g] aduerſum ſuos homines vel Mars Thracius, vel Iupiter Creticus, vel Iuno nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna, nunc Diana Taurica, vel mater Idæa, vel Ægyptia illa non numina ſed portenta iuuerunt. Niſi fortè apud iſtos maior caſtitas virginum, aut religio ſanctior ſacerdotum: cum pænè in pluribus virginibus, & quæ inconſultiùs ſe viris miſcuiſſent, [h] Veſta ſane neſciente, ſit inceſtum vindicatum: in reſiduis impunitatem fecerit, non caſtitas tutior, ſed impudicitia felicior. [i] Vbi autem magis à ſacerdotibus, quam [l] inter aras & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentiùs denique in ædituorum cellulis, quàm in ipſis lupanaribus flagrans libido defungitur. [m] Et
C tamen ante eos, Deo diſpenſante, diu regna tenuerunt Aſſyrii, Medi, Perſæ, Græci etiam, & Ægyptii, cum Pontifices & Aruales, & Salios, & Veſtales, & Augures non haberent, nec pullos cauea reclusos, quorum cibo vel faſtidio reſpublica ſumma regeretur. Iam enim venio ad illa auſpicia & auguria Romana, quæ ſummo labore collecta teſtatus es, & pœnitenter omiſſa, & obſeruata feliciter. Clodius ſcilicet, & Flaminius, & Iunius ideò exercitus perdiderunt, [n] quod pullorum [n] ſolemniſſimum tripudium expectandum non putauerunt? Quid Regulus? nonne auguria ſeruauit, & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt & deditus. Pullos edaces habuit & Paulus apud Cannas, tamen cum maiore reipublicæ parte proſtratus eſt. Caius Cæſar, ne ante brumam in Africam nauigia tranſmitteret, auguriis & auſpiciis renitentibus, ſpreuit: eò facilius & nauigauit & vicit. Quæ verò & quanta
D de oraculis proſequar? Poſt mortem Amphiaraus ventura reſpondit, qui proditum iri ſe ob monile ab vxore neſciuit. Tireſias cæcus futura videbat, qui præſentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis [o] Pythii reſponſa confinxit, cum iam Apollo verſus facere deſiſſet: cuius tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cum & politiores homines, & minus creduli

redacta. & ſit apud plurimos. nam & Marcum Tullium de lege Agraria ita ſenſiſſe voluerunt: Prædam manubias, caſtra denique Pompeij. videbis Agellium lib. 15. cap. 25. vbi Fuſius hoc perſequitur. OVZ.

a SACRILEGIVM EST *conſecrare.*) conſecrare ſacrilegium, vt ſuprà, Auaritia conſecrata eſt. RIG.

b *Tropæa.* Tropæa quid ſint declarat Varro in Bimargo: *fuga, inquit, hoſtium Græcè τροπή: hinc ſpolia capta fixa in ſtipitibus, appellantur tropæa.* Erant propriè tropæa corpora trunca cum ſpoliis, qualia hodiéque adhuc duo Romæ in Eſquilino viſuntur, proque illis habentur, quæ Mario erecta forent. de quibus Valerius Maximus lib. 6 cap. 9. Moles enim ibi eſt latericia, in qua bina tropæa ex Marmore, quæ corpora ſunt trunca cum ſpoliis. Eorum alterum thorace ſquamoſo indutum, cum clypeis & ornamentis militaribus, ante ſe iuuenem captiuum, manibus ad tergum religatis, & vndique alatas victorias habens: alterum armis ornatum, clypeis non vſquequaque rotundis, galeis duabus, altera aperta cum cono & criſtis, altera clauſa ſine criſtis: in eodem ineſt forma chlamidis & alia quædam vetuſtate minus apparentia. Interdum tamen turres, aræ, & columnæ pro tropæis fuere. Sic Domitius Ænobarbus & Fabius Maximus, qui primi è Romanis tropæa erexere, turres ſtatuerunt, vt refert Florus lib. 3. cap. 2. OVZ.

c ET QVOS *poſt lauream detriumphatos colere cæperunt.*) Sic emendari poſſe cenſemus quod abſque vllo ſenſu legitur in exemplari, & quos poſtulauerant. Apparent priſtinæ ſcripturæ veſtigia: quod poſtulauerant, ſed abraſa eſt littera, d, & ſuperſeripta littera, ſ, ab antiqua etiam manu. RIO.

d PILVMNVS.) Pilumno Deuerram adnectit Auguſtinus, lib. VI. de ciu. Dei cap. 10. Pilumnus à pilo. Deuerram à ſcopis. *Idem.*

e VOLVMNVS. In exempl. Polumnus. Tertullianus lib. II. ad Nat. Item Voluntatis. Volumnum & Voletam. *Idem.*

f *Mox à neſcio quo ſebris dedicata.* Ælianus variæ hiſt. lib. 12 cap. 11. ὅτι Ῥωμαῖοι ὑπὸ τῷ λόφῳ τῷ Παλατίῳ πυρετοῦ καὶ νεὼν, καὶ βωμὸν ἱδρύσαντο. Lactant. lib. 1. cap. 20. Cicero de natura deor. lib. 3. Auguſtinus de conſenſ. Euangeliſtar. lib. 1. cap. 17. de ciuitat Dei lib. 2. cap. 15. lib. 3. cap. 12. & 25. lib. 4. cap. 23. Hieronymus in Ioel cap. 3. Valerius Maxim. lib. 2. cap. 5. ELMEN.

g ADVERSVM *ſuos homines.*) Sic ſuprà, Romanis hominibus cum ſua ſibi natione captiuus. RIG.

h VESTA SANE *neſciente.*) Turpe eſt deo ſiue deæ aliquid ignorare. Sed Veſta mentem non habet. etenim ignis eſt. Ouidius: Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam, Et tamen in caſu ſimili.

—— Veſta ſimulacra feruntur.
Virgineas oculis oppoſuiſſe manus.

Quàm fuère fatua illa numinum commenta. *Idem.*

i VBI AVTEM *magis quàm inter aras & del.*) Vnde illud Virgilij.

Et quò. ſed faciles nymphæ riſere ſacello.

& Iuuenalis.

Aut apud Iſiacæ potiùs ſacraria lenæ. Idem.

l *Inter aras & delubra.* Athanaſius contra gentes. Euſeb. de vita Conſtant. lib 3 cap. 53. Ruffin. lib. 11. eccl. hiſt. cap. 75. de templo Serapidis. Suetonius Tiberio. cap. 44. Iuuenalis ſat. 6. Tertull. Apol. c. 15. Pauſanias Achaicis. Ioſephus antiquit. Iudaic. 18. c. 7. ELMEN.

m ET TAMEN *ante eos Deo diſpenſante.*) Hoc habet Minucius à Tertul. Videte igitur, ne ille regna diſpenſet, cuius eſt orbis, &c. Apolog. cap. 26. RIO.

n *Quod pullorum ſolenniſſimum tripudium.* Hęc eſt lectio Rom. edit & MS. Reg. pro qua Gelenius edidit *ſoliſtimum.* ſed etſi ſoliſtimum tripudium proſperum augurium propriè dicitur, quod pueri norunt: fieri tamen poteſt, vt ſcripſerit Minucius *ſolemniſſimum*, qua reuera ſolenne id erat & vſitatum augurium, cum auſpicia ex auium volatu ipſius iam Ciceronis tempore in deſuetudinem abiiſſent, quod ipſe docet in libris de diuinat. HER.

n Solemniſſimum erat Romanos duces non pugnare, niſi auibus addicentibus. Parendum igitur fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus, inquit Cic. II. de diuinatione. Itaque ſolenniſſimum dixerit Minucius, cui de more patrio parendum fuit. Et tamen apud Ciceronem, eo loci legerat, ſoliſtimum: quod in augurali diſciplina, vſitatum erat & ſolenne. In exemplari legitur ſolemniſſimum tripudium & Tertullianus dixit, ſolenniſſimam eloquij Prophetici formam, &, ſolenniſſimum Iudæorum ſabbatum. RIO

o *Pythij reſponſa.* Quam falſa ac inania gentilium oracula

creduli eſſe cœperunt. Et Demoſthenes, quod ſciret reſponſa ſimulata, [a] φιλιππίζειν Pythiam A
querebatur. At nonnumquam tamen veritatem vel auſpicia vel oracula tetigere. Quamquam
inter multa mendacia videri poſſit induſtriam caſus imitatus, aggrediar tamen fontem ipſum
erroris & prauitatis, vnde omnis caligo iſta manauit, & altius eruere & aperire manifeſtius.
Spiritus ſunt inſinceri, vagi, à cæleſti vigore terrenis labibus & cupiditatibus degrauati. iſti
igitur ſpiritus, poſteaquàm ſimplicitatem ſubſtantiæ ſuæ onuſti & immerſi vitiis perdiderunt
ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinunt perditi iam perdere, & deprauati errorem prauitatis
infundere, & alienati à Deo, inductis prauis religionibus à Deo ſegregare. Eos ſpiritus dæmonas
eſſe poëtæ ſciunt, philoſophi diſſerunt, Socrates nouit, qui ad nutum & arbitrium
[b] aſſidentis ſibi dæmonis vel declinabat negotia vel petebat. Magi quoque, non tantùm ſciunt
dæmonas, ſed etiam quidquid [c] miraculi ludunt, per dæmonas faciunt. illis aſpirantibus B
& infundentibus præſtigias edunt; vel quæ non ſunt, videri, vel quæ ſunt, non videri. Eorum
& magorum eloquio & negotio primus [d] Hoſtanes, & verum Deum merita maieſtate
proſequitur, & angelos, id eſt, miniſtros & nuntios Dei, ſed veri, eiuſque venerationi nouit
aſſiſtere: vt & nutu ipſo & vultu domini territi contremiſcant. Idem etiam dæmonas prodidit
terrenos, vagos, humanitatis inimicos. Quid [e] Plato? qui inuenire Deum negotium
credidit, [f] nonne & angelos ſine negotio narrat & dæmonas? & in Sympoſio etiam ſuo naturam
dæmonum exprimere conititur? vult enim eſſe [g] ſubſtantiam inter mortalem immortalemque,
id eſt, inter corpus & ſpiritum mediam, terreni ponderis & cæleſtis leuitatis admixtione
concretam, [h] ex qua mouet etiam in nos [i] procupidinem amoris, & dicit informari
& labi pectoribus humanis, & ſenſum mouere, & affectus fingere, & ardorem cupiditatis C
infundere. [k] Iſti igitur impuri ſpiritus dæmones, vt oſtenſum à magis, à philoſophis, & à Platone,
ſub ſtatuis & imaginibus conſecrati deliteſcunt, & afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis
numinis conſequuntur, dum inſpirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum
nonnumquam [l] extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula
efficiunt falſis pluribus inuoluta. nam & falluntur, & fallunt, vt & neſcientes ſinceram veritatem,
& quam ſciunt, in perditionem ſui non confitentes. Sic à cælo deorſum grauant, &
à Deo vero ad materiam auocant, vitam turbant, [m] omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus
occultè, vt ſpiritus tenues: morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, D
vt ad cultum ſui cogant, vt [n] nidore altarium vel hoſtiis pecudum ſaginati, [o] remiſſis quæ
conſtrinxerant, curaſſe videantur. Hi ſunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere,
[p] vates & ipſi abſque templo, ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur; par & in illis inſti-
gatio

& vaticinationes forent, auctor noſter vt doctè, ita & eleganter in ſequentibus dum originem & fontem eorum aperte eruit, & manifeſtat, perſpicuum facit Libet autem quædam quaſi per tranſennam de oraculo Pythio notare Illud quomodo primo inuentum fuerit à capra, poſteà à paſtoribus, tradit Diodorus Sic. lib. 16 Cuius verba eum aliquo modo prolixiora ſint, quam vt hic inſeri poſſint, ipſum adire præſtat; & ſufficit nobis digitum ad fontem intendiſſe. Erat verò ibi ſpecus cuius ex intima parte ſpiritus erumpens Pythiam quæ ſeminibus diductis cortinæ inſidebat, per interfeminium ſe inſinuans, afflabat: atque tum illa ſpiritu plena vaticinabatur, vel potiùs deliria effutiebat. Schol. Ariſtoph. Priuſquam verò Pythia vaticinia dabat, è ſacro fonte potabat, laurumque manducabat. Lucianus in δὶς κατηγ. Corona quoque ornata erat, ſicut & ipſi, qui oraculum conſulerent, luto redimiti quæſita in pugillaribus ſcribebant. Ariſtophanes Pluto, vbi eius Scholiaſtes. Sic Liuius lib. 23. Fabium Pictorem laurea coronatum oraculum Apollinis adiiſſe ſcribit. aures quoque eorum qui oraculum adibant, æris tinnitu circumſonare ſolebant, ne verba ſibi malè ominata & inauſpicata audirent. Plutarchus quæſt Rom Cum ab oraculo redirent, coronati etiam erant. Athenæus lib 15. ait eos, qui ab oraculo reuerterent, coronam vnam capiti, alteram fronti, tertiam collo adhibuiſſe Ovz

a ΦΙΛΙΠΠΙΖΕΙΝ PYTHIAM QVEREBATVR.] Cicero interpretatur, quaſi eum Philippo facere. lib. de diuin. lib. II. Rio.

b *Aſſidentis ſibi Dæmonis.* πάρεδρ. Tertull. de anima cap. 28. Iuſtinus Apolog. καὶ οἱ λεγόμενοι τοῖς μάγοις ὀνειροπομποὶ καὶ πάρεδροι. Vov.

c *Miraculi ludunt.* Ludere hac in re proprium vocabulum. Arnobius lib. 1. *Magicarum artium ludi.* Cyprianus de idolorum vanit. *Et magis inde eſt ad pernicioſa vel ludicra potentia.* Tertull. Apolog. cap. 23. *Multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt.* Sic græcis quoque παίζειν dicuntur Ovz

d *Hoſtanes.* Ita Tertull. Apolog. De Pallio. Tatian. Plutarchus de defectu orac Apul Apol Lactant. in 2. Theb. & ſi qui Hoſtanis meminerunt. Quare non video, cur Soſthenes dicendus ſit. Vov.

e PLATO QVI *inuenire Deum negotium credidit.*] Negotium, rem arduam, difficilem. Εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Rio.

f *Nonne & angelos, &c.* Tertull *Angelos etiam Plato non negauit.* At Plato non narrat angelos, ſed illorum naturam & munia vt angelorum deſcribit. Vov.

g SVBSTANTIAM INTER *mortalem immortalemque mediam.*] τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων Rio.

h MOVET *etiam in nos.*] Sequuti ſumus veſtigia exemplar. s: ex qua monet etiam nos. *Idem.*

i PROCVPIDINEM *amoris.*] Qualem eſſe dicebat Epicurus πρόληψιν, quam Cicero dicit eſſe anteceptam animo rei quamdam informationem lib. 1. de nat. deor. *Idem.*

k *Iſti igitur impuri ſpiritus.* Lactant. lib. 2. cap. 16. *Iſti porrò inceſti ac vagi ſpiritus vt turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, ferunt ac miſcent falſa cum veris.* Ovz.

l *Extorum fibras animant.* Exiſtimant ſtolidæ gentes extat notis quibuſdam ſignari à diis, variéque commoueri, ac quaſi animari. *Idem.*

m OMNES *inquietant.*] Ita legitur in membranis antiquis. Sunt quibus placeat, ſomnos inquietant & ſic etiam Cyprianus legiſſe videtur. Rio.

n *Nidore altarium* Tertullianus *vt ſibi pabula nidoris, & ſanguinis procuret imaginibus oblata.* Porphyrius apud Theodoret. ſerm. 3. οὗτοι οἱ χαίροντες λοιβῇ τε κνίσῃ τε δι' ὧν αὐτῶν τὸ πνευματικὸν καὶ σωματικὸν πιαίνεται. Nidor. κνίσσα. Iuſtin. Theodoret. quam vocem retinuit Arnobius lib. 6. *Nidorem conſectatur & fumos, paſciturque de cniſsis, quas euomunt ardentia viſcera.* Heſych. auctor Etymol Vov.

o REMISSIS *quæ conſtrinxerant.*] Deſinunt lædere, vt curaſſe videantur. Tertul Apol. Rio.

o REMISSIS] Sic in Ms. & ſic legebat Cyprianus. *Idem.*

o *Remiſsis quæ conſtrinxerunt curaſſe videantur.* Tatianus adu. gentes: οἱ θεραπεύειν δαίμονες θεραπεύουσιν, ἀλλ' ... ὅταν ... ἐξαιρεθῶσι, λοιπὸν τοὺς προειρημένους λυσαῖε. Et poſteà: ... ἀπολαύουσιν ... τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκαθιστῶσιν. Ovz.

p VATES ET *ipſi abſque templo ſic inſaniunt.*] Tertullianus Locorum differentia diſtinguitur, opinor, vt à templis deos æſtimetis, quos alibi deos non dicitis. Deinde oſtendit, dæmonas etſi templa non habeant, tam eſſe deos quam ipſi qui in templis ſub ſtatuis deliteſcunt, qui non alij ſunt quam dæmones: in eamdem verò ſententiam Octauius noſter ait, furioſos, qui in publicum excurrunt, etiam deos

A gatio dæmonis; ſed argumentum diſpar furoris. De ipſis etiam illa quæ paulò antè tibi dicta ſunt, vt Iupiter ludos repeteret ex ſomnio, [a] vt cum equis Caſtores viderentur, vt cingulum matronæ nauicula ſequeretur. [b] Hæc omnia ſciunt plerique, [c] pars veſtrûm, ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties à nobis tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipſe Saturnus, & [d] Serapis, & Iupiter, & quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt eloquuntur: nec vtique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrûm aſſiſtentibus, mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos dæmonas de ſe verum confitentibus credite. [e] adiurati enim per Deum verum & ſolum, inuiti, miſeri, corporibus inhorreſcunt; & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Sic Chriſtianos de proximo fugitant, quos longè in cœtibus per vos laceſſebant. Ideò inſerti
B mentibus imperitorum, odium noſtri ſerunt occultè per timorem. [f] Naturale eſt enim & odiſſe quem timeas, & quem metueris, infeſtare ſi poſſis. Sic occupant animos, & obſtruunt pectora, vt ante nos incipiant homines odiſſe, quàm noſſe: ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint. Quàm autem iniquum ſit, [g] incognitis & inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipſis pœnitentibus credite: & nos enim idem fuimus, & eadem vobiſcum quondam adhuc cæci & hebetes ſentiebamus: quaſi Chriſtiani monſtra colerent, infantes vorarent, conuiuia inceſta miſcerent: nec intelligebamus ab his fabulas iſtas ſemper ventilari, & numquam vel inueſtigari vel probari, nec tanto tempore aliquem exiſtere qui proderet, non tantùm facti veniam, verum etiam iudicii gratiam conſecuturum. Malum autem adeò non eſſe, vt Chriſtianus reus nec erubeſceret, nec timeret, & vnum ſolummodò,
C quod non antè fuerit, pœniteret. Nos tamen cum ſacrilegos aliquos & inceſtos, paricidas etiam, defendendos & tuendos ſuſcipiebamus, hos nec audiendos in totum putamus: nonnunquam etiam miſerantes eorum, crudeliùs ſæuiebamus, vt torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, [h] exercentes in his peruerſam quæſtionem, non quæ verum erueret, ſed quæ mendacium cogeret. Et ſi quis infirmior malo preſſus & victus Chriſtianum ſe negaſſet, fauebamus ei, quaſi eierato nomine, iam omnia facta ſua illa negatione purgaret. Agnoſcitiſne eadem nos ſenſiſſe & egiſſe, quæ ſentitis & geritis? Cùm, ſi ratio, non inſtigatio dæmonis iudicaret, vrgendi magis, non vt diffiterentur ſe Chriſtianos, ſed vt de inceſtis, ſtupris, de impiatis ſacris, de infantibus immolatis faterentur. His enim & huiuſmodi fabulis iidem dæmones ad execrationis horrorem imperitorum aures aduerſus nos referſerunt. [i] Nec ta-
D men mirum. Cum hominum [k] fama, quæ ſemper inſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumitur, ſic eſt negotium dæmonum. Ab ipſis enim rumor falſus & ſeritur, & fouetur. Inde eſt quod audire te dicis caput aſini rem nobis eſſe diuinam. Quis tam ſtultus vt hoc colat

cenſeti poſſe & Vates abſque templo, quia par eſt in illis inſtigatio dæmonis, ſed argumentum diſpar furoris. Dixerat Tertullianus, Compar exitus furoris, & vna ratio eſt inſtigationis. RIG.

a VT CVM *equis caſtores viderentur.*) Tertul. Phantaſmata Caſtorum. *Idem.*

b HÆC OMNIA *ſciunt plerique pars veſtrum.*) Ita ſcriptum eſt in membranis antiquis. deinde ſequitur: ipſo dæmonas de ſemetipſos confiteri. Vnde exiſtet proba lectio huiuſmodi, Hæc omnia ſciunt plerique, pars veſtrum ipſorum, dæmonas de ſemet ipſos confiteri. *Idem.*

c PARS VESTRVM.] Mox dicet: nonnullis præſertim veſtrûm. *Idem.*

d *Serapis.* Serapis ſiue Sarapis, vt græcis ferè vocatur, idem ac Apis Ægyptiorum Deus, vt eſt apud Clementem Alex. lib. 1. Strom. qui Ariſtæam laudat auctorem. Idem & tradit ex Terentio Varone. Auguſtinus de ciu. Dei lib. 18. cap. 5. in his tamen fallunrur & fallunt, quod Apim hunc velint eſſe regem Argiuum, cum ſit Ægyptius & multò antiquior Ioue illo Argiuo, qui proprio nomine Apis vocabatur. Plerique per Serapim ab Ægyptiis cultum volunt Ioſephum, Patriarchæ Iacobi filium, eòquod Ægyptiis in fame maxima de frumento proſpexerit. Sic Firmicus de err. p. rel. manifeſtè ait Apim fuiſſe ſymbolum Ioſephi. OVZ.

e *Adiurati enim per Deum verum.* Lactantius lib. 4. cap. 27. huic muneri præfecti exorciſtæ. l. 6. C. de Epiſc. & Cler. l. 121. C. Theodoſ. de decur. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo, cuius verba Gratian. 3. parte. 4. diſtinct. c. poſtquam ſe & Iſidorus lib. 6. Orig. cap. vlt referunt. Dicuntur & Ephorciſtæ epit can. tit. 5. ſect. 2. tit. 9 ſect. 1. VOV.

f *Naturale eſt odiſſe quem times.* Philoſtratus in heroicis σύγγενες γὰρ τῷ δέει μῖσος. *cognatum eſt timori odium.* Seneca de Clementia lib. 1. cap. 12. De ira lib. 1. cap. 16 ELMEN.

g *Incognitis & inexploratis iudicare.* Seneca *qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.* Caſſiodorus. *Iuſtitia non videtur, quidquid non diſcutitur nec examinatur.* Euripides Heraclid. τίς ἂν δίκην κρίνειεν ἢ γνοίη λόγον πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς. *Nec enim,* vt ait Tacit. 11. Annal. *prohibendus eſt reus, quominus cuncta proferat, quibus innocentia eius ſubleuari poſſit.* Lactantius lib. 5. cap. 1. Maximus Tyr. diſſ. 6. Seneca in apoloc. OVZ.

h *Exercentes in his peruerſam quæſtionem.* Violata ſcilicet iudiciorum ſanctitate. Chriſtiani infanticidij & peſſimorum criminum falsò poſtulati non auditis partibus condemnabantur. cùm & hæc ignorarent non modò, ſed eos qui certò deprehendebantur, nec audiendos putarent. Illa autem iudiciorum peruerſitas ideò ſæuiebat, vt Chriſtiani fidem ſuam eiurarent, quam tamen publicè profitebantur; ſi quando rogarentur an eſſent Chriſtiani, (quoniam vnum erat illud nominis, crimen) liberè & intrepidè Chriſtianos ſe prædicabant. Vnde Tertullianus apolog. 2 cap. & Cyprianus epiſt ad Demetrianum, qui eleganti enthymemate gentiles vrget, *Quæ hæc eſt,* inquit, *inſatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido ſæuitiæ? quin potiùs elige tibi alterum de duobus: Chriſtianum eſſe aut eſt crimen, aut non eſt. Si crimen eſt, quid non interficis confitentem? ſi crimen non eſt, quid perſequeris innocentem? torqueri enim debui ſi negarem.* PRI.

i NEC TAMEN *mirum. cum omnium fama.*] Si nihil hic omiſſum eſt in exemplari, tota periodus ita conſtituenda eſt vt aliquis ſenſus eliciatur. His enim & huiuſmodi fabulis iidem dæmones ad execrationis horrorem imperitorum aures aduerſus nos referſerunt. nec tamen mirum. cùm hominum fama (quæ ſemper inſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumitur, ſic eſt negotium dæmonum. ab ipſis enim rumor falſus & ſeritur & fouetur. illa autem verba, cum hominum fama, adnecti debent iſtis, ſic eſt negotium dæmonum vt clauſula ſic accipiatur. Nec tamen mirum. ſic eſt negotium dæmonum cum hominum fama, quæ, &c Hominum intellige, Chriſtianorum. In Ms. legitur, omnium. RIG.

k *Fama quæ ſemper inſparſis mendaciis alitur.* Claudianus contra Alaric *Famaque nigrantes ſuccincta pauoribus alas.* Tertullianus Apolog. 7. famam deſcribit. *Natura famæ omnibus nota eſt, &c.* Depingitur & ab Ouidio Metamorph 12. à Statio lib. 3. Theb. dicitur *facta infecta loqui.* Nicetas Choniates in Alexio φήμην λάλον *famam loquacem vocat*, in Andronico ἀθυρογλωττίαν *effrænatæ loquacitatis.* Vnde Cedrenus de eadem loquens ἐπίσταται γὰρ αὕτη τὰ μικρὰ μεγαλύνειν καὶ τὰ πράγματα τὸ φοβερώτερον ἐξαγγέλλειν. *Nouit ipſa quippe minora augere, reſque terribiliùs exponere.* S. Hieronymus epiſt. 8. ad Rufinum presbyterum: *Multum in vtramque partem crebrò fama mentitur: & tam de bonis mala, quàm de malis bona, falſorum ora concelebrant.* PRI.

lat? quis ſtultior vt hoc coli credat? niſi quod vos & totos aſinos in ſtabulis [a] cum veſtra vel A
ſua [b] Epona conſecratis; [c] & eoſdem aſinos cum Iſide religioſè decoratis: item boum capita & capita veruecum, & immolatis, & colitis: de capro etiam & homine mixtos deos, & leonum & canum vultus deos dedicatis. Nonne & Apim bouem cum Ægyptiis adoratis & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, belluis ceteris, & auibus, & piſcibus; quorum aliquem deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur. Iidem Ægyptii cum pleriſque vobiſcum non magis Iſidem, quàm ceparum acrimonias metuunt. nec Serapidem magis, quàm [d] ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos contremiſcunt. Etiam ille qui de adoratis ſacerdotis virilibus aduerſum nos fabulatur, tentat in vos conferre quæ ſua ſunt.
Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus pro- B
ſtat, apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas: qui ſcortorum licentiæ inuident, qui medios viros lambunt, libidinoſo ore inguinibus inhæreſcunt; [e] homines malæ linguæ etiam ſi tacerent: quos priùs tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit. Proh nefas! [f] id in ſe mali facinoris admittunt, quod nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſeruitus durior. Hæc & huiuſmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere eſt. Ea enim de caſtis fingitis & pudicis, quæ fieri non crederemus, niſi de vobis probaretis. Nam quod
religionis noſtræ hominem noxium, & crucem eius adſcribitis, longè de vicinia veritatis er- C
ratis, qui putatis Deum credi, aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum. næ ille miſerabilis, cuius in homine mortali ſpes omnis innititur: totum enim eius auxilium cum extincto homine finitur. [g] Ægyptii ſanè hominem ſibi quem colant, eligunt, illum vnum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt, & ille qui ceteris deus, ſibi certè homo eſt, velit nolit: nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam. Etiam principibus & regibus, non vt magnis & electis viris, ſicut fas eſt, ſed vt deis turpiter [h] adulatio falſa blanditur, cum & præclaro viro honor verius, & optimo amor dulcius præbeatur, Sic eorum numen vocant, ad imagines ſupplicant, genium, id eſt, dæmonem eius, implorant; & eſt eis tutius per Iouis genium peierare, quàm regis. [i] Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos

a CVM VESTRA *vel ſua Epona.*] In exemplari legitur: cum Veſtra velepona. edidimus: cum Veſtra vel ſua Epona. & veram eſſe hanc ſcripturam demonſtrant iſta Tertulliani, vnde ſua ſumpſit Octauius. Vos tamen, inquit Septimius, non negabitis & iumenta omnia, & totos canterios cum ſua Epona coli à vobis. Agebat pro Chriſtianis Septimius apud Romani imperij antiſtites. cauit igitur ne quid inuerecundius diceret, & canteriis ac iumentis ſuam Eponam, ridiculum numen adſignauit. Hic verò Octauius adhuc memor Cæciliani ioci Plautinæ proſapiæ, & familiarius agens apud Minucium ſuum aduerſus Cæcilium & alios ethnicos, nominata Epona & aſinis dixit, Veſtra vel ſua, vt, Veſtra, referatur ad Cæcilium & alios ethnicos: ſua, ad aſinos. Itaque ſumpſit illud Tertulliani, cum ſua Epona, & addidit, Veſtra. cum veſtra vel ſua Epona. RIG.

b *Epona.* Scholiaſtes Iuuenalis in ſat. 8. v. 157. *Epona dea mulionum eſt.* Iuuenalis.

—— *Iurat ſolam Eponam & facies olida ad præſepia pictas.*

Iſtum locum in mente videtur habuiſſe Prudentius contra Vnionitas. *Nemo Cloacina, aut Epona ſuper aſtra deabus dat ſolium, quamuis olidam perſoluat acerram.* Ita enim hi verſus concipiuntur in tribus Mſs. exemplaribus & vetuſto codice, quem ante centum annos edidit Rudolphus Langius. libro inſcript. fol. 87. inſcript. 4. & 5. ELMEN.

c ET EOSDEM *aſinos cum Iſide Religioſe decoratis.*] Liber Ms. deuoratis, Mendosè. Scripſimus, decoratis, quod proximè accedit ad veterem ſcripturam. nec abſurdum erit opinari aſinos illos Iſidis gerulos aliqua nobiliori ſtratura cum Iſide fuiſſe decoratos, cum Apuleius ipſe narret Aſinum ſuum iſtius Deæ gerulum à nonnullis etiam hordeo fuiſſe religioſè donatum. Mileſ. VIII. RIG.

d STREPITVS PER *pudenda corporis expreſſos contremiſcunt.*] Sic habet exemplar. Hic verò vſurpare liceat quod Hieronymus lib. XIII. in Eſaiam dixit de Peluſiaco cepe, Horribile & formidoloſum fuit hortenſis apud Horatium Dei diffiſſa nate tonitru, quo decuſſi Canidiæ dentes, & exturbatum Saganæ caliendrum. & Martialis epigrammate ridetur miſellus Æthon qui Iouem ſalutans, in Capitolio pepedit; adfectus ob iſtud flagitium trinoctiali domicoenio. Cato, oratione de ſacrileg. Domicum auſpicamus, inquit, ſerui, ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit, quod ego non ſenſi, nullum mihi vitium facit. Fatuam admodum circa hæc ſuperſtitionem Metroclis Theophraſti diſcipuli narrat Laërtius. Et eſt Nicarchi epigramma εἰς πορδήν quo dicitur habere ius vitæ & necis, vt reges. Inde igitur orta eſt adorandi religio. Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα, &c. *Idem.*

e *Homines malæ linguæ.* Fellatores, quos Martialis lib. 11. epigram. 61. *lingua maritos & ore mœchos* appellat. quo morbo Leſbij maximè laborarunt, vt teſtatur Suidas in λεσβιάσαι. Firmicus aſtronomic. lib. 8. cap. 4. & 27. lib 7. cap. 16. lib. 6. cap. 32. Natalem, Hoſtium. & Scaurum adeò notæ impuritatis narrat Seneca, vt menſtrua mulierum hianti ore excepiant. Vide illum de benef. lib. 4. cap. 31. quæſt. nat. lib. 1. cap. 16. & epiſt. 87 ad Lucilium. ELMEN.

f ID IN SE *mali facinoris admittunt.*] Ferrarius & Priſcianenſis & ceteri omnes ediderunt, peſſimi facinoris. Iure idquidem. ſed aduerſus fidem exemplaris, quam etiam hic ſeruari placuit, & nihilominus Malum intelligi tribus vel etiam innumeris ſuperlatiuis peſſimis peius. RIG.

g *Ægyptij ſanè hominem, ſibi quem colant, eligunt.* Theodoretus contra Græcos orat. 3. τὸν δὲ αἰγύπτιόν φησιν ὁ προφύριος, ἐν τῇ πρὸς Ἀνεβὼ τὸν αἰγύπτιον ἐπιστολῇ, ἄνθρωπον σέβειν, ἐν Ἀνάβει κώμῃ, καὶ τούτῳ θύειν ἐπὶ τὸν βωμὸν εἶτα προσφέρειν αὐτῷ κατὰ καιρὸν τὴν οἰκείαν τροφήν. Id eſt: *Porphyrius quoque in ea epiſt. quam ſcribit ad Anebonem Ægyptium, teſtatur ab Ægyptijs hominem in Anabi villa pro Deo coli ſolitum eſſe, cui ſuper aram rem diuinam facerent, certoque ac opportuno tempore proprium illi epulum conuenienſque offerrent.* ELMEN.

h ADVLATIO *falſa blanditur*] Blanditur falſa, vt ſuprà, ſolatia rediuiua blanditur. RIG.

i CRVCES NEC *colimus nec optamus.*] Sed cum Apoſtolo gloriamur in cruce Dn. N. Ieſu Chriſti. λοιπὸν ἐστι τὸ καύχημα τοῦ σταυροῦ· ὅτι ὁ χριστὸς δι' ἐμὲ δούλου μορφὴν ἀνέλαβε, καὶ ἔπαθεν, δι' ἐμὲ τὸν δοῦλον, τὸν ἀγνώμονα. Chryſoſt. *Idem.*

i *Cruces etiam nec colimus nec optamus.* Verè Octauius. Chriſtiani enim crucem non coluerunt, ſed illum qui in cruce pependit. Nam quod ſcribunt Chryſoſtomus in epiſt. Pauli ad Corinth. 1. cap. 4. hom. 12. Damaſcenus de fide orthodoxa lib. 4 cap. 12. orat. 2. de imag. & orat. 3. autor de viſitatione infirm. apud Auguſtin. lib. 2. cap. 3. Athanaſius quæſt 39. ad Antiochum. Sedulius lib. 1. carm. & Petrus Siculus, id minimè intelligendum de adoratione arboris vel ligni. Sacrilegij enim vel maximi inſtar eſſet, ligno diuinitatis experti cultum latriæ, ſoli Deo debitum, impertire. Si enim non adorandi angeli, non omnes ſancti, non Maria ipſa, (vt rectè notant Athanaſ. ſerm 3. contra Arianos. Hieronymus epiſt. 53 ad Ryparium preſbyter. Theodoretus contra Græcos ſermon. 3. Iſidorus Hiſpal. de officiis Eccleſ. cap. 34. Epiphanius contra Collyridianos hær. 79.) quæ mundi ſoſpitatorem in vtero geſtauit, & ex qua noſtræ carnis ſubſtantiam verè aſſumpſit, multò minus honor iſte habendus cruci, quæ carnis ſubſtantiam Chriſto non ſubminiſtrauit, neque ſua virtute quidquam cooperata eſt redemptionis ſacramento, cum non eſſet rationis capax, vt ait Clichtouæus in paraph ad Damaſcen de fide orthodox per metonymiam igitur viri ſancti cruci adſcripſere quod propriè Chriſto fuit tribuendum. Ita enim Chryſoſt. in Math. cap. 16. hom 55. ὁ γὰρ σταυρὸς τὴν οἰκουμένην ἔσωσε καὶ ἐπέστρεψε, τὴν πλάνην ἐξήλασε, τὴν ἀλήθειαν ἐπανήγαγε, τὴν γῆν οὐρανὸν ἐποίησε, τοὺς ἀνθρώπους ἀγγέλους ἐποίησε. διὰ τοῦτον οἱ δαίμονες, οὐκ ἔτι φοβεροὶ, ἀλλ' εὐκαταφρόνητοι. οὐδὲ ὁ θάνατος, ἀλλ' ὕπνος. διὰ τοῦτο πάντα χαμαὶ ἔρριπται, καὶ πατεῖται τὰ πολεμοῦντα ἡμῖν. Prudentius in Roma. Ambroſius de cruce Chriſti ſerm 55. *Hodiè omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit.* Athanaſius in paſſionem

& crucem

A Plane qui ligneos deos conſecratis, cruces ligneas, vt deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. Nam & [a] ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt & ornatæ? [b] tropæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum ſanè crucis naturaliter viſimus in naui, cum velis tumentibus vehitur, cum expanſis palmulis labitur, & cum erigitur iugum, crucis ſignum eſt. & cum homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. ita ſigno crucis aut ratio naturalis innititur, aut veſtra religio formatur. Illum iam velim conuenire, qui initiari nos dicit aut credit de cæde infantis & ſanguine. Putas poſſe fieri, vt tam molle, tam paruulum corpus fata vulnerum capiat? vt quiſquam illum rudem ſanguinem nouelli, & vix dum hominis cæ-
B dat, fundat, exhauriat? nemo hoc poteſt credere, niſi qui poſſit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris & auibus exponere, nunc [c] adſtrangulatos miſero mortis genere elidere. [d] ſunt quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & [e] paricidium faciant antequam pariant. Et hæc vtique de deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt. Nam [f] Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed vorauit. [g] Meritò ei in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur, blandiciis & oſculo comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia immoletur. Tauris etiam Ponticis, & Ægyptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare: & Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. Romani Græcum
C & Græcam, [h] Gallum & Gallam ſacrificiis viuentes obruere: hodieque ab ipſis Latiaris Iupiter homicidio colitur; & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxii hominis ſanguine ſaginatur. Ipſum credo docuiſſe ſanguinis fœdere coniurare Catilinam: & [i] Bellonam ſacrum ſuum hauſtu humani cruoris imbuere: & comitialem morbum hominis ſanguine, id eſt, morbo grauiore ſanare. Non diſſimiles & qui de arena feras deuorant illitas & infectas cruore, vel membris hominis & viſcere ſaginatas. [k] Nobis homicidium nec videre fas, nec audire:

& crucem Domini. Nazianz. orat. 2. in Paſcha. orat. 2. in Iulian. Athanaſ. epiſt. ad Maximum, & de incarnat. Verbi Dei. Theodoret. de Prouid. orat. 6. Hieronym. ſerm. de Reſurr. Domini epiſt 54. Metropolitanus vrbis Berythi in Syria apud Athanaſ. lib. de paſſione imaginis Domini noſtri I. Ch. cap. 3. iubent nos adorare ſuſpenſum & crucifixum, non arborem. quibus etiam aſtipulatur Chryſoſt. loco prænotato. S. Ambroſius orat. funebri de obitu Theodoſij imp. lib. 5. epiſt. hanc σαυρολατρείαν omninò euertit & tollit. Chriſtiani igitur catholici firmiter tenent, & rectè pronuntiant, crucem (propter Chriſtum, qui in ea pependit, καὶ ὡς ἐν αὐτῷ τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων πραγματευσάμενος; vt ait Athanaſ. in parab. ſ. ſcript. quæſt. 83.) honorandam vt rem honore dignam, nihil vt numen adorandum, quod ſit factum & conditum à Deo, ſed vnum ipſum Deum, qui fecit & condidit omnia. Auguſtinus epiſt. 44. ad Maximum grammaticum Madaurenſem. ELMEN.

a SIGNA IPSA & *Cantabra.*] Tertullianus Apolog. Siphara illa vexillorum & Cantabrorum ſtolæ crucium ſunt. & lib. 1. ad Nat. In Cantabris atque vexillis, quæ non minore ſanctitate militia cuſtodit, Siphara illa veſtes crucium ſunt. & in l. 2. C. Theod. de Colleg. fit mentio ſigniferorum & Cantabrariorum. Quod in Gloſſario quodam legitur. Cantabra, vexilla, pallia; non dubito quin ille, quiſquis fuerit gloſſographus, id ſcripſerit à lectione Tertulliani. Stolas & veſtes ibi legerat, adiecit pallia. Quæ autem differentia ſit inter vexilla & cantabra, ex illis Septimij locis colligitur. Siphara ſiue ſtolas & veſtes dicit vexillorum & cantabrorum. Vexilla autem vela ſunt parua, colore quæque ſuo militibus nota. Cantabra quoque vexilla ſunt, quæ non tantùm colore militibus erant pro ſigno, ſed & carmine ſeu nomine aliquo inſcripta cantabant ſiue ſignificabant illis aliquid grati & iucundi. Cantabra omnia erant vexilla; ſed non omnia vexilla erant cantabra. Valde eſt notabilis in hanc ſententiam locus ex lib. quadrageſimo Dionis, vbi de rebus infauſtis quæ M. Craſſo acciderunt aduerſus Parthos mouenti: σημεῖον δέ τι τῶν μεγάλων, τῶν ἱστίων ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων, εἰς τὸν ποταμὸν ἐνέπεσε. RIO.

b TROPÆA *veſtra ſimplicis crucis faciem imitantur.*) Crux ſimplex, rudis palus, ſolum ſtaticulum ligni. Itaque ait Tertullianus lib. 1. ad Nationes: Cruces erant inteſtina quodammodo tropæorum, &c. Pars maior crucis eſt omne robur quod recta ſtatione defigitur. reliquæ partes ſunt antenna & ſedile. Idem Tertul. ibidem. *Idem.*

c AD STRANGVLATOS *miſero mortis genere.*) Pœna præpoſtera, incluſo ſpiritu cui quæreretur exitus. Plin. 11. cap. 63.

d. *Sunt quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis, &c.* Medicamina illa ſunt Græcis ἀμβλωθρίδια φάρμακα & φθόρια, de his Dioſcorides. Latinis ſunt, abortionis pocula, Potiones nempè quas propudioſæ mulierculæ ſumunt vt partum excutiant. Tertullianus apolog. 9. homicidium illud vocat, *homicidij feſtinatio eſt*, inquit, *prohibere naſci*. S. Auguſtinus ſerm. 111. de tempore, *nulla mulier potiones ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos aut iam natos occidat.* B. Hieronymus ad Euſtochium, *nondum nati hominis homicidium faciunt*, Tullius orat. pro Cluentio hab. *memoria teneo Mileſiam quamdam mulierem, cum eſſem in Aſia, quod ab hæredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicamentibus abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam.* qui locus refertur l. 39. D. de pœnis. vnde miror Ariſtotelem 7. politic. illud permiſiſſe, antequam vitam aut ſenſum haberet fœtus, πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωήν. Apud ipſas gentes id criminis loco ſemper fuit. Illud exagitat Iuuenalis ſat. 6.

Sed iacet aurato vix vlla puerpera lecto:
Tantum artes huius, tantum medicamina poſſunt,
Quæ ſteriles facit, atque homines in ventre necandos.

Sed profanos omitto, vt homicidij pœnæ ſubjici abortus procurantes ex antiquis Chriſtianis, & conciliis conſtare oſtendam. Athenagoras apologia pro Chriſtianis; τὰς ἀμβλωθριδίοις χρωμένας ἀνδροφονεῖν τε, καὶ λόγον ὑφέξειν τῷ θεῷ, eas qui abortionis poculis vtuntur, homicidium perpetrare, & abortionis rationem Deo reddituras. Ambroſius lib. 5. hexam. cap. 18. Lactant. lib 6. cap. 20. Auguſtinus adhuc ad Valerium de nupt. & concupiſc cap. 15. In veteri eccleſia homicidij crimen erat. ſic Trullana ſynodus can. 91. τὰς τὰ ἀμβλωθρίδια διδούσας φάρμακα, καὶ τὰς δεχομένας τὰ ἐμβρυοκτόνα δηλητήρια, τῷ τοῦ φονέως ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλεσθαι, dantes abortionis pocula, & partum interimentes potiones, homicidarum pœna ſubiici: Concilium Ancyranum aliquid mollius ſtatuit can. 21. Homicidij quoque damnat concilium Vvormaciente cap. 35. PRI.

e PARICIDIVM FACIANT *antequam pariant.*] Infrà, dicet in eumdem ſenſum: Nec fratres vos, niſi ſanè ad parricidium, recognoſcitis. RIO.

f *Saturnus filios ſuos vorauit.* Strabo Geograph lib. 10. ἐν δὲ τῷ τοῦ Κρόνου συνάγουσι εἶναι ... καταπίνειν τὰ τέκνα ἀπὸ τῆς γενέσεως εὐθύς. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. Apollodor. lib. 1. Bibl. Nonnus Dionyſiac. Tacianus contra Græcos. Pauſanias Arcad. Theophilus lib. 1. ad Autolyc. & 2. Damaſcenus de duob. Chriſti Martyrib. Epiphan. Ancorato. Athenagoras Apolog. pro Chriſt Prudent. lib. 1. contra Symmach. Theodoret. ſerm. 3. contra Græcos. Seruius in 4. Georg. & 8. Æneid. ELMEN.

g *Meritò ei in nonnullis Africæ partibus, &c.* Procopius in Eſaiæ cap. 46. φασὶ δὲ καὶ ἑλλήνας χρῆναι τῷ Κρόνῳ ... οἱ πλοῦσιοι θύειν τὰ φίλτατα. Tertull. Apolog. Plutarch. περὶ δεισιδ. Iuſtinus Apol. 1. Athenagoras. Chryſoſtomus de Babyla Martyr. Prudent. 1. Adu. Symmachum Silius Ital. lib. 4. Plin. lib. 36. cap. 5. VOV.

h GALLVM ET *Gallam ſacrificiis viuentes obruere.*] In Ms. ſacrificij. Liuius XXII. Ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta. RIO.

h GRÆCVM ET *Græcam Gallum, & Gallam.*) Illos, vt viles ac deſpicatiſſimos: iſtos, vt odioſiſſimos & infenſiſſimos hoſtes. in quorum caput omnia quæ execrarentur conuerti optarent. Inde illud Horatij: Gallis hanc, Philodemus ait.

i BELLONAM SACRVM SVVM.) Sic legitur in exemplari. Sacro Bellonæ tribuit Minucius, quod Tertullianus de ſectaris & ſeruientibus Bellonæ dixerat in Apolog. vbi & alia quædam notauimus *Idem.*

k *Nobis homicidium nec videre fas eſt.* Athenagoras Apolog. ... [Chriſtianos] ... ἰδεῖν καὶ ...

audire: tantumque ab humano ſanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis ſanguinem nouerimus. Et de inceſto conuiuio fabulam grandem a aduerſum nos dæmonum coitio mentita eſt, vt gloriam pudicitiæ deformis infamiæ auerſione macularet; vt ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandæ opinionis auerteret. Sic de iſto b & tuus Fronto non vt affirmator teſtimonium fecit, ſed conuicium vt orator aſperſit. Hæc enim potiùs de veſtris gentibus nata ſunt. Ius eſt apud Perſas miſceri cum matribus. Ægyptiis, & Athenis cum ſororibus legitima connubia. Memoriæ, & tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur, quas vos libenter & legitis & auditis: ſic & deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia, cum ſorore coniunctos. Meritò igitur inceſtum penes vos ſæpè deprehenditur; ſemper admittitur. etiam neſcientes miſeri poteſtis in illicita proruere. dum Venerem promiſcuè ſpargitis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiam c domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis, neceſſe eſt in veſtros recurrere, in filios inerrare. Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cum conſcientiam non habetis. At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus. vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus. cupiditate procreandi aut vnam ſcimus, aut nullam. conuiuia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus. caſto ſermone, corpore caſtiore, plerique d inuiolati corporis virginitate perpetua fruuntur potiùs quàm gloriantur. Tantum denique abeſt inceſti cupido, vt nonnullis e rubori ſit etiam pudica coniunctio. Nec de vltima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores veſtros & purpuras recuſamus. nec factioſi ſumus, ſi omnes vnum [bonum] ſapimus eadem congregati quiete, qua ſinguli. nec in angulis garruli ſi audire nos publicè aut erubeſcitis, aut timetis. Et quod in dies f noſtri numerus augetur non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. nam in pulcro genere viuendi & perſtat & perſeuerat ſuus, & accreſcit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, vt putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non nouimus: ſic nos, quod inuidetis, g fratres vocamus, vt vnius Dei parentis homines, vt conſortes fidei, vt ſpei coheredes. Vos enim nec inuicem agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis: h nec fratres vos, niſi ſane ad paricidium recognoſcitis. Putatis autem nos occultare quod colimus, ſi delubra & i aras non habemus? Quod enim ſimulacrum Deo fingam, cum ſi rectè exiſtimes, k ſit Dei homo ipſe ſimulacrum? templum quod ei extruam, cum totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non poſſit; & cum homo latius maneam, l intra vnam ædiculam vim tamen maieſtatis includam? Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtro imò conſecrandus eſt pectore? Hoſtias & victimas Domino offeram, quas in vſum mei protulit, vt reiiciam ei ſuum munus? ingratum eſt; cum ſit m litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſincera ſententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui iuſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſubripit, opimam victimam cædit. n Hæc noſtra ſacrificia,

A B C D

πεξ. τέτων τίς ἂν κατηγοίη ἢ ἀνδροφονίαν ἢ ἀνθρωποβορίαν; Vov.

a ADVERSVM NOS *dæmonum coitio mentita eſt.*] In exemplari ſcriptum eſt, cotio, Hactenus editum fuit, concio. quaſi hic intelligi debeat de oratione Frontonis. Rig.

b ET TVVS FRONTO.] Quem ſupra dixit Cirtenſem. Is famoſa declamatione Chriſtianos onerauerat probris atrocibus. *Idem.*

b *Tuus Fronto.* Orator magiſter Antonini. Iulius Capitol. Antonino. Auſonius grat. act. ad Gratian. Vov

c *Domi natos alienæ miſericordiæ exponitis.* Morem infantes exponendi admodum frequentem apud veteres fuiſſe arguunt ſcriptorum monimenta. hinc tam crebra infantum expoſitionis in veterum comœdiis mentio. hinc tot Chriſtianorum huius moris exprobratio. Tertull. apolog. 9. *Imprimis filios exponitis, ſuſcipiendos ab aliqua matre extranea.* Lactantius lib. 5. cap. 9. & 6. cap. 20. Ariſtoteles lib. 7. politic. cap. 17. ait lege Athenis receptum fuiſſe, vt quidquid natum nollent, id vel morti darent vel exponerent. Quæ immanitas? & hæc apud populum, qui ſapientiſſimus vulgò audiebat. Quantò humanius Thebani, apud quos partum expoſuiſſe capitale erat. Ita de illis Ælianus variar. hiſtor. lib. 2. cap. 7. Quod cum Chriſtianorum principum legibus congruit; exponebantur verò ſæpè infantes cum monimentis, generali nomine, Græcis γνωρίσματα, Latinis etiam *crepundia* dictis. Ovz.

d *Inuiolati corporis virginitate.* Athenagoras Apolog. παρθενεύοντες Tertull. παρθένων ſpecies? *sic* ἐγκρατεῖς, Tertull. θηλυφανεῖς? — [illegible] aſcetriæ. Niceph. Calliſt. lib. 1. cap. 16. Vov.

e *Rubori ſit etiam pudica coniunctio.* Athenagoras Apolog. ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι ὦ ἀπέχομεν, ὥς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι. Mira veterum Chriſtianorum continentia. Tertull. lib. 1. ad vxor. cap. 6. & cap. 13. de virginib vel. *Idem.*

f *Noſtri numerus augetur.* Apologetici primo, Tertullianus. *Obſeſſam vociferantur ciuitatem; in agris, in Caſtellis, in inſulis Chriſtianos.* Pri.

g *Fratres vocamus, &c.* Eadem ferè ratio huius ſanctiſſimi nominis apud Tertullian. Apol, Iuſtin. & Athenag. Lactant. lib. 5. c. 16. *Fratrum nomen nobis inuicem impartimur, quia pares nos eſſe credimus.* Clemens Strom. 2. Ideò nos fratres, quod eodem verbo regenerati. Euſebius Emiſſ hom. 4. Epictet. omnes natura fratres putabat. Arrian. diſſert. lib. 3. Vagas autem libidines, & promiſcuum cum fœminis coitum Chriſtianis ideò obiecerunt, quod Simonitæ, & poſteà Nicolaitæ, qui nomine Chriſtianorum cenſebantur, illo vterentur, vt tradit Irenæus lib. 1. cap 20. & 27. Euſeb. hiſt. lib 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 29. Vov.

h NEC FRATRES *vos, niſi ſanè ad paricidium recognoſcitis.*] Nefandas libidines obiicit Ethnicis. & fratres iſti paricidæ noti ſunt ſatis ex Petroniano Critone. Homo eſt etiam in ſemine, paricida eſt qui ſuum diſperdit. Rio.

i ARAS NON HABEMVS.] Et tamen libro de Oratione Tertullianus dixerat Aram Dei, menſam conuiuio Dominico paratam, & aliis paſſim libris. aras & altaria & ſacerdotes & ſacrificia. *Idem.*

k SIT DEI *homo ipſe ſimulacrum.*] Eſt quidem Dei figmentum & plaſma. ſed & dicitur Dei templum & numiſma. *Idem.*

l *Ita vnam ædiculam.* Ædiculæ dicebantur, in quibus deorum ſimulacra aſſeruabantur. Petronius Apuleius lib. 3. Mileſior. Iuuenalis ſat. 8.

Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum,
Si quis in ædicula Deus....

Tertullianus item de Idololat. cap. 8. Ædiculam Tibullus appellat exiguam ædem —— *paupere cultu*
Stabat in exigua ligneus æde Deus. Ovz.

m *Litabilis beſtia, bonus animus.* Iuſtinus martyr paræn. οὐ δεῖ σε βέλτιστε τῶν συμφερόντων ἄλλων, καὶ τύπον ἀμαρτίας, οὐδὲ ἀγλαΐας φρύαγμα, ἀλλὰ ψυχὴν καθαρὰν ὁ πάντων τετυχηκὼς [illegible]. Lactant. lib. 6. cap. 25. ex Seneca. *Vultis-ne vos Deum cogitare magnum & placidum, & maieſtate leni verendum, amicum, & ſemper in proximo. Non immolationibus & ſanguine multo colendus; (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mente pura, bono honeſtoque propoſito. Idem.*

n HÆC NOSTRA SACRIFICIA.] Notauimus ad Tertullianum in Apolog. & ad Scapulam. Rio.

A criſicia, hæc Dei ſacra ſunt. ſic apud nos religioſior eſt ille, qui iuſtior. At enim quem colimus Deum, nec oſtendimus, nec videmus. Immò ex hoc Deum credimus, quod eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus motibus virtutem eius ſemper præſentem aſpicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum ſerenat. Nec mireris ſi Deum non vides. vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus & flatus. [a] In ſole adeo, qui videndi omnibus cauſa eſt, videre non poſſumus; radiis acies ſubmouetur, obtutus intuentis hebetatur: & ſi diutiùs inſpicias, omnis viſus extinguitur. Quid? ipſum ſolis artificem, illum luminis fontem poſſis ſuſtinere, cum te ab eius fulgoribus auertas, à fulminibus abſcondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipſam animam tuam, qua viuificaris & loqueris, nec aſpicere poſſis, nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat; & in cælo conſtitutus non poteſt aut omnes obire aut ſingulos noſſe. Erras ô homo, & falleris. vnde enim Deus longè eſt, cum omnia cæleſtia, terrenaque, & quæ extra iſtam orbis prouinciam ſunt, [b] Deo cognita, plena ſint? vbique non tantùm nobis proximus, ſed infuſus eſt. In ſole adeò rurſus intende, cælo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt: pariter præſens vbique intereſt, & miſcetur omnibus: nuſquam enim claritudo violatur. quantò magis Deus auctor omnium, ac ſpeculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt, [c] intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris? [d] non tantum ſub illo agimus, ſed & cum illo, vt propè dixerim, viuimus. [e] Nec nobis de noſtra frequentia blandiamur: multi nobis videmur, ſed Deo admodum pauci ſumus. Nos gentes nationeſque diſtinguimus: [f] Deo vna domus eſt mundus hic totus. Reges tantum regni ſui per officia miniſtrorum vniuerſa nouere: Deo indiciis opus non eſt. Non ſolùm in oculis eius, ſed & in ſinu viuimus. Sed Iudæis nihil profuit quod vnum & ipſi Deum aris atque templis maxima ſuperſtitione coluerunt. Ignorantia laberis, ſi priorum aut oblitus aut inſcius, poſteriorum recordaris. Nam & ipſi, Deum noſtrum idem enim omnium Deus eſt, quamdiu caſtè, innoxiè, religioſeque coluerunt, quamdiu præceptis ſalubribus obtemperauerunt, de paucis innumeri facti, de egentibus diuites, de ſeruientibus reges; modici multos, inermi armatos dum fugiunt inſequentes, Dei iuſſu, & elementis adnitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel ſi Romanis magis gaudes, vt tranſeamus veteres, [g] Flauij Ioſephi, vel Antonii Iuliani, de Iudæis require; iam ſcies nequitia ſua hanc eos meruiſſe fortunam: nec quidquam accidiſſe, quod non ſit his, ſi in contumacia perſeuerarent, antè prædictum. Ita priùs eos deſeruiſſe comprehendes, quàm eſſe deſertos: nec vt impiè loqueris cum Deo ſuo captos, ſed à Deo, vt diſciplinæ transfugas, deditos. [h] Ceterùm de incendio mundi, aut improuiſum ignem credere, aut difficile non cadere, vulgaris erroris eſt. Quis enim ſapientium dubitat, quis ignorat, omnia quæ orta ſunt occidere, quæ facta ſunt interire? Cælum quoque cum omnibus, quæ cælo continentur, ita vt cœpiſſe, deſinere? [i] Fontium dulces aquas

(Margin letters beside the text: B at "hominis ignorat"; C at "beris, ſi priorum"; D at "lum quoque cum omnibus".)

a IN SOLE *adeò, qui videndi omnibus cauſa eſt.*) Ita ſcriptum eſt in exemplari. & hæc ſcriptura confirmatur eo quod ſequitur paulò poſt: In ſole adeò rurſus intende. RIG.

a *In ſole adeò, qui videndi omnibus cauſa eſt, videre non poſſumus, &c.* Quidam *Solem* legunt, ſed idem ſenſus manet; Ariſtoteles in ethic. ad Nicomachum de noctuarum oculis ad ſolem, comparationem inſtituit, quæ hic referri poteſt. Xenophon item lib. 4. Memorab. ἐννόει δὲ, ὅτι καὶ ὁ πᾶσι φανερὸς δοκῶν εἶναι ἥλιος, οὐκ ἐπιτρέπει τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτὸν ἀκριβῶς ὁρᾶν. ἀλλ' ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρῇ θεᾶσθαι. τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται. *Attende verò quod ſol etſi omnibus conſpicuus videatur, ſi tamen hominibus videri clare non permittit, ſed ſi quis eum temerè conſpicere tentat viſum ſtatim amittit.* Lucretius lib. 5. *Sol etiam cæcat, contra ſi cernere pergas.* Theophilus lib. 1. ad Autolycum rem clariùs explicat. εἰ τῷ ἡλίῳ οὐ δύναται ἄνθρωπος ἀτενίσαι, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν θέρμην καὶ δύναμιν, πῶς οὐχὶ μᾶλλον τῇ τοῦ θεοῦ δόξῃ ἄνθρωπος θνητὸς οὐ δύναται ἀντωπῆσαι. *Si ſolem homo ſpectare non poteſt, propter immenſum calorem & virtutem, quantò minus mortalis homo Dei maieſtatem conſpicere poterit.* Videndus Clemens Alex. in protrept. PRI.

b *Intereſt cogitationibus* Seneca epiſt. 76. *Nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis interuenit.* Iuſtin. Apolog. 1. θεὸν ἔχομεν μάρτυρα πάντων λογισμῶν, καὶ τῶν πράξεων. Epictetus apud Arrian. lib. 2. Deum, & genium noſtrum inerrare cogitationibus, & videre quæ agimus. Hermog. apud Plutarch. lib. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. VOV.

c DEO COGNITA, *plena ſunt.*) Hoc eſt, Deo cognita ſunt. Deo plena ſunt, Deo ſunt cognita, & plena ipſo. RIG.

d *Non tantùm ſub illo agimus, &c.* S. Paulus in act. apoſt. cap 17. Deus non longè ab vnoquoque noſtrûm, ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν· ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. RIG.

e NEC NOBIS *de noſtra frequentia blandiamur.*] Vt ille apud Iuuenalem Sat. XIII.

Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient?

Plinius Hiſt. nat. II. Deos agere curam rerum humanarum credi ex vſu vitæ eſt; pœnaſque maleficiis aliquando ſeras, occupato Deo in tanta mole, numquam autem irritas eſſe. *Idem.*

f *Deo vna domus eſt mundus.* Lactant. lib. 4. cap. 29. Philo. lib. 2. de Monarchia. ELMEN.

g FLAVII IOSEPHI, *vel Antonij Iuliani.* In Ms. ſcribitur Flaui Ioſephi & abraſæ membranæ ſuperficies oſtendit ſcriptum fuiſſe Antonini Iuliani. RIG.

h CETERVM DE *incendio mundi aut improuiſum ignem cadere, aut difficile non credere, vulgaris erroris eſt.*] Hæc quidem eſt antiqui exemplaris ſcriptura. ſed abſque ſenſu. Nec placet quod in quibuſdam editionibus tentatum fuiſſe video, Aut improuiſum ignem cadere aut difficilem credere. Nec tamen arguo mutandi licentiam. nam eſt ſanè leuiſſima mutatio. ſed nihil iuuat, nec tollit abſurditatem ſententiæ. Videamus igitur an reſtitui vera lectio poſſit repoſitis quæ ſunt elocata. Ceterùm, de incendio mundi, aut prouiſum ignem credere, aut difficile non cadere, vulgaris erroris eſt. Ait Minucius, eos ſentire cum vulgò, qui putant non eſſe prouiſum ignem idoneum tantæ conflagrationi; aut, ſi fuerit prouiſus, difficulter tot per ætates prohibitum, ne caderet. Hanc ſententiam viris cordatis indignam eſſe docet. cum ſit ignis apud Deum ſemper in promptu. ac proinde tam facilè ſuſtineri & cohiberi, quàm non difficilè promi. *Idem.*

i FONTIVM DVLCES *aquas maria nutrire in vim ignis abiturum.*] Loci antehac deprauatiſſimi præclaram emendationem ſuggeſſit nobis vetus exemplar. nam ſic omninò habet: Fontium dulcis aqua maria nutrire in vim ignis abiturum. Sic autem intelligenda eſt hæc ſcriptura, τὸ nutrire abiturum in vim ignis Stoicis conſtans opinio eſt. Illa verò quæ ſequuntur, Quod conſumpto humore mundus hic omnis igneſcat, ſuperuacua ſunt & ſapiunt notulam de margine abreptam. neque aliud dicunt, quàm id quod iam dictum eſt elegantius: Fontium dulces aquas maria nutrire abiturum in vim ignis. Id eſt, Maria non ampliùs nutrient fontes aquis dulcibus, ſed illud nutrire abibit in vim ignis: nutrimentum illud mutabitur in flammas, & ebullient ignei torrentes de ſcaturigine fontium. Plinius Hiſt. nat. VII. 16. Raros patribus proceriores, conſumente vbertatem ſeminum exuſtione, in cuius vices nunc vergat æuum. Et lib. II. 106. Natura ſæuit, exuſtionem terris denuncians, Heracliti

aquas maris nutrire [a] in vim ignis abiturum Stoicis conſtans opinio eſt: quod conſumpto humore mundus hic omnis igneſcat; & Epicureis de elementorum conflagratione & mundi ruina A
eadem ipſa ſententia eſt. [b] Loquitur Plato. partes orbis nunc inundare dicit, nunc alternis vicibus ardeſcere & cum ipſum mundum perpetuum & inſolubilem diceret eſſe fabricatum, addit tamen, ipſi artifici Deo ſoli & ſolubilem, & eſſe mortalem. Ita nihil mirum eſt, ſi iſta moles ab eo, quo exſtructa eſt, deſtruatur. Animaduertis philoſophos eadem diſputare quæ dicimus, non quod nos ſimus eorum veſtigia ſubſecuti, ſed [c] quod illi de diuinis prædicationibus prophetarum vmbram interpolatæ veritatis imitati ſint. Sic etiam conditionem renaſcendi ſapientium clariores, Pythagoras primus, & præcipuus Plato corrupta & dimidiata fide tradiderunt. nam B
corporibus diſſolutis ſolas animas volunt & perpetuò manere, & in alia noua corpora ſæpiùs commeare. Addunt iſtis & illa ad retorquendam veritatem, in pecudes, aues, belluas, hominum animas redire. Non philoſophi ſanè ſtudio, ſed [d] mimico vitio digna iſta ſententia eſt. Sed ad propoſitum ſatis eſt, etiam in hoc ſapientes veſtros in aliquem modum nobiſcum conſonare. Ceterùm quis tam ſtultus aut brutus eſt, vt audeat repugnare hominem à Deo vt primum potuiſſe fingi, ita poſſe denuò reformari? nihil eſſe poſt obitum, & ante ortum nihil fuiſſe: ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porrò difficilius eſt id quod non ſit incipere, quàm id quod fuerit iterare. Tu perire & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne, ſiue areſcit in puluerem, ſiue in humorem ſoluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis; ſed Deo elementorum cuſtodia reſeruatur. Nec, vt creditis, vllum damnum ſepulturæ timemus, ſed veterem & meliorem conſuetudinem humandi C
frequentamus. Vide adeò quàm in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram [e] omnis natura meditetur. [f] ſol demergit, & naſcitur; aſtra labuntur, & redeunt; flores occidunt, & reuiuiſcunt; poſt ſenium arbuſta frondeſcunt; ſemina non niſi corrupta reuireſcunt. ita corpus in ſæculo, vt arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentita. Quid feſtinas vt cruda adhuc hieme reuiuiſcat & redeat? expectandum nobis etiam corporis ver eſt. Nec ignoro pleroſque conſcientia meritorum nihil ſe eſſe poſt mortem magis optare, quàm credere. [g] malunt enim extingui penitus, quàm ad ſupplicia reparari. Quorum error augetur, & in ſæculo libertate remiſſa, & Dei patientia maxima, cuius quantò iudicium tardum, tantò magis iuſtum eſt. Et tamen admonentur homines doctiſſimorum libris, & carminibus poëtarum, illius ignei fluminis, & [h] de Stygia palude ſæpiùs ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & dæmonum indiciis, & de D
oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideò apud eos etiam ipſe rex Iupiter per torrentes ripas, & atram voraginem [i] iurat religioſè. deſtinatam enim ſibi cum ſuis cultoribus pœnam præſcius perhorreſcit. Nec tormentis aut modus vllus, aut terminus. [k] Illic ſapiens ignis membra vrit & reficit, carpit & nutrit: ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut [l] ignes Ætnæ, & Veſuuij, & ardentium vbique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur. Eos autem meritò torqueri, qui Deum neſciunt, vt impios, vt iniuſtos, niſi profanus nemo deliberat: cùm parentem omnium, & omnium dominum non minoris ſceleris ſit ignorare quàm

& Hippaſi Metapontini opinio fuit, τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ σώματα ἀναλοῦσθαι ἐν τῇ ἐκπυρώσει. Seneca nat. quæſt. III. cap. I. Ignis exitus mundi eſt. & cap. vlt. vbi de diluuio: At illo tempore ſolutus legibus, ſine modo fertur. Qua ratione, inquis? Eâdem qua conflagratio futura eſt. Vtrumque fit cum Deo viſum ordiri meliora, vetera finiri. RIG.

a *In vim ignis abiturum*. Balb. Stoicus apud Cicer. 2. de nat. deor. Iuſtin. Apol. 2. Stoicorum opinionem ipſum Deū ſolui in ignem, & mutatione mundum reparari. Plutarch. de defectu oraculor. VOV.

b LOQVITVR PLATO *partes nobis nunc inundare dicit*.) Ita diſtinguendum erit, ſi retinenda videatur hæc ſcriptura vetus. Ceterùm, malim notam & familiarem Minucio loquendi formam ſeruari detracto inutili verbo, dicit, in hunc modum: Loquitur Plato partes orbis nunc inundare, alternis vicibus ardeſcere. RIG.

b *Loquitur Plato, &c.* Platonis verba, quæ Minucius hîc innuit, comparent in Timæo. πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων, ἔσονται, πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι. OVZ.

c *Quod illi de diuinis prædictionibus*, Tertull. Apolog. apud quem ita emendo: *Quis Poëtarum, quis Sophiſtarum, qui non omnium de prophetarum fonte potarit?* Tatian. ... ἀλλὰ πολλοὶ σοφισταὶ ... τὰ ὅσα περὶ τὰ κατὰ μωσέα ἔγνωσαν, ὡς καὶ ... ἐπιχείρησαν. Euſeb. lib. 10. cap. 1. præpar. Clem. ſtrom. 1. VOV.

d MIMICO VITIO *digna iſta ſententia eſt*.] Sic eſt in exemplari Mimico vitio, hoc eſt, mimico more. nempè, riſus vndecumque captandi. Huncce morem Minucius auſteritate Chriſtiana vitium vocat, & opponit mimicum vitium philoſophi ſtudio. Quod in quibuſdam editionibus reperitur, mimi conuicio, aptius reſpondere videatur philoſophi ſtudio. Sed rectè ait Minucius ſententiam iſtam, animas hominum in pecudum & beſtiarum corpora redituras, dignam eſſe mimico vitio. nam inter alia mimicæ artis vitia, illud eſt ſanè turpiſſimum, quòd ſæpè mimi pecudum & belluarum formas induunt. RIG.

d MIMICO VITIO.] Tertullianus Apologia. Multis etiam iocis & otio opus erit, ſi velimus ad hanc partem laſciuire. quis, in quam beſtiam reformari velit. *Idem*.

e *Omnis natura meditetur*. Iiſdem argumentis in adſtruenda reſurrectione vtuntur Theophilus lib. 2. Iuſtinus apolog. 2. Cydonius de contemnenda morte. Athenagoras de reſurr. mort. Tertull. de reſurr. carn. VOV.

f *Sol demergit & naſcitur*. Prudentius lib. 2. contra Symmachum.

Solem certa tenet regio, plaga certa coercet:
Temporibus varijs diſtinguitur, aut ſubit ortu,
Aut ruit occaſu.

Catullus epigramm. 5.

Soles occidere & redire poſſunt.

OVZ

g *Malunt extingui penitùs, &c.* Hierocles in Pythagoram. οὐ βούλεται γὰρ ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ... τιμωρούμενος. Clemens recognit. lib. 5. ELMEN.

h DE STYGIA *palude ſæpius ambientis ardoris*.) Styx nouies interfuſa. Seruius. Nouem circuli Stygis inferos, id eſt, terram cingunt. RIG.

i IVRAT RELIGIOSE.] — ὅς τε μέγιστος ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.

k ILLIC SAPIENS IGNIS.] Sapientiſſimi artificis iuſſa exſequens, à ſapientiſſimo artifice datus.

k *Sapiens ignis*. Clemens Alex. Protrept. καὶ τὸν ἐν Δελφοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος νεὼν ... πῦρ σωφρονοῦν. Tertull. Adu. Gnoſt. cap. 3. quæ loca etiam notata à Fuluio Vrſino & Vouuerio. Hieronym. in Daniel. cap. 3. *O quàm ſapiens ignis, &c.* Paulinus epiſt. 9. ad Seuerum. ELMEN.

l IGNES ÆTERNÆ *& Veſuuij*.] Is Ms. hetnei montis & Ieſui montis. quæ ſunt corrupta & intricata ſuperuacuis interpretamentis. RIG.

l *Ignes Ætnæ & Veſuuij*. Vide Iſidor. Hiſpal. de nat. rer.

A quàm lædere. Et quamquam imperitia Dei ſufficiat ad pœnam, ita vt notitia proſit ad ve-
niam; tamen ſi vobiſcum Chriſtiani comparemur, quamuis in nonnullis diſciplina noſtra mi-
nor eſt, multò tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, & faci-
tis; [a] nos vxoribus noſtris ſolummodò viri naſcimur. vos ſcelera admiſſa punitis; apud nos &
cogitare peccare eſt: vos conſcios timetis; nos etiam conſcientiam ſolam, ſine qua eſſe non
poſſumus. denique [b] de veſtro numero carcer exæſtuat: Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ
religionis, [c] aut profugus. Nec de fato quiſquam aut ſolatium captet, aut excuſet. euentum
ſit ſortis, fortunæ, mens tamen libera eſt: & ideò actus hominis, non dignitas iudicatur. Quid
enim aliud eſt fatum, quàm quod de vnoquoque noſtrûm Deus fatus eſt; qui cùm poſſit præ-
ſcire materiam, pro meritis & qualitatibus ſingulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non
B genitura plectitur, ſed ingenij natura punitur. Ac de fato ſatis, vel ſi pauca pro tempore, [d] diſ-
putari alias & vberiùs & pleniùs. Ceterùm, [e] quod plerique pauperes dicimur, non eſt infa-
mia noſtra, ſed gloria. animus enim, vt luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur. & tamen quis
poteſt pauper eſſe, qui non eget, [f] qui non inhiat alieno, qui Deo diues eſt? [g] magis pauper ille
eſt, qui cum multa habeat, plura deſiderat. Dicam tandem quemadmodum ſentio: nemo tam
pauper poteſt eſſe, quàm natus eſt. Aues ſine patrimonio viuunt, & in diem paſcua paſcuntur:
& hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus. Igitur vt qui viam
terit, eò felicior, quò leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi qui paupertate ſe ſub-
leuat, non [h] ſub diuitiarum onere ſuſpirat. Et tamen facultates, ſi vtiles putaremus, à Deo
poſceremus. vtique indulgere poſſet aliquantùm, cuius eſt totum. ſed nos contemnere malu-
C mus opes, quàm continere. innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malu-
mus nos bonos eſſe, quàm prodigos. & quod corporis humana vitia ſentimus & patimur, non
eſt pœna, militia eſt. fortitudo enim infirmitatibus roboratur, [i] & calamitas ſæpiùs diſciplina
virtutis eſt: vires denique & mentis & corporis ſine laboris exercitatione torpeſcunt. omnes
adeò veſtri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis ſuis inclyti floruerunt. Itaque
& nobis Deus nec non poteſt ſubuenire, nec deſpicit; cum ſit & omnium rector, & amator
ſuorum: ſed in aduerſis vnumquemque explorat & examinat, ingenium ſingulorum periculis
penſitat, vſque ad extremam mortem voluntatem hominis ſciſcitatur, nihil ſibi poſſe perire ſe-
D curus. Itaque vt aurum ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quàm pulcrum ſpectaculum
Deo, cùm Chriſtianus cum dolore congreditur, cùm aduerſum minas & ſupplicia & tormenta
componitur; cum ſtrepitum mortis & horrorem carnificis inripiens inculcat, cum libertatem
ſuam aduerſus reges & principes erigit; ſoli Deo, cuius eſt, cedit; cum triumphator & victor,
[k] ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit, inſultat. vicit enim, qui quod contendit, obtinuit.
[l] Quis non miles ſub oculis imperatoris audaciùs periculum prouocet? [m] nemo enim præmium
percipit ante experimentum: & imperator tamen, quod non habet, non dat. non poteſt pro-
pagare vitam, poteſt honeſtare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deſeritur, [n] nec mor-
te finitur. Sic [o] Chriſtianus [p] miſer videri poteſt, non poteſt inueniri. Vos ipſi calamitoſos
viros fertis ad cælum, Mucium Scaeuolam, qui, cum errasset in regem, [q] periſſet in hoſtibus
niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris [r] non dexteram ſolùm, ſed totum corpus vri,
cremari;

cap. 46. Tertull. Apolog. cap. 48. Nazianzen. in Iulian. orat. 1. ELMEN.

a *Nos vxoribus noſtris ſolummodo viri naſcimur.*] Nam à Fide vita noſtra computatur. RIG.

b *De veſtro numero exæſtuat carcer.* Item planè & fuſius Apolog. 44. Tertullianus. *De veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur, de veſtris ſemper munerarij noxiorum greges paſcunt.* Pariter idem ad Scapulam cap. 2. Fures, blaſphemos, ſacrilegos, & qui in grauiſſimis criminibus deprehenduntur Chriſtianos non eſſe teſtatur. PRI.

c AVT PROFVGVS.] Quia iam, eò quod malus eſſe cupit, deſiit eſſe Chriſtianus. transfugit in caſtra Ethnicorum.

d DISPVTARI ALIAS *& plenius & vberius.*] In Ms. ſcriptum eſt, vetius. quod eſt vuerius, pro vberius. vt pag. 61. veribus. pro vberibus. RIG.

e *Quod plerique pauperes dicimur.* Iſidorus Peluſ. lib. 2. Epiſt. 168. & lib. 3. epiſt. 101. Lactant. lib. 5. cap. 22. Plotinus apud Theodoret. orat. 6. contra græcos. Maximus Monach. ſerm. 33. ELMEN.

f *Qui non inhiat alieno.* Valer. Max. lib. 4. cap. 4. Apuleius Apol. OVZ.

g *Magis pauper ille eſt.* Claudian. lib. 1. in Ruffinum.
—— *Semper inops quicumque cupit.*

Seneca ad Heluiam cap. 11. *Eadem natura eſt in omni deſiderio, quod non ex inopia, ſed ex vitio naſcitur. Quidquid illi congeſſeris, non finis erit cupiditatis, ſed gradus. Idem.*

h *Sub diuitiarum onere.* Syneſius περὶ βασιλείας. ἔοικε γὰρ ἀτυχία φορτίον [illegible] [illegible] τύχῃ. Apul. Flor. de Cratete. *Rem familiarem abiicit, velut onus ſtercoris, magis labori quàm vſui:* Vbi corrigendum arbitror: *onus tergoris.* VOY.

i *Et Calamitas ſæpiùs diſciplina virtutis eſt.* Seneca de prouid. cap. 4. *Calamitas virtutis occaſio eſt.* Saluian. de gubernat. Dei lib. 1. *Neque quàm nobis dolenda eſt afflictio infirmitatum quam intelligimus matrem eſſe virtutum.* Chryſoſt. in Pſal. 50. ELMEN.

k IPSI, QVI ADVERSVM *ſe ſententiam dixit inſultat.*] In exemplari: ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit inſultat. RIG.

l *Quis non miles ſub oculis Imperator. &c.* Lactant. lib. 5. cap. 19. Chryſoſt. in Matth. cap. hom. 56. ELMEN.

m *Nemo præmium percipit, ante experimentum.* Ambroſius in Lucam lib. 4. cap. 4. Auguſtinus tomo 3. de agone Chriſtian. cap. 1. *Corona victoria non promittitur niſi certantibus: Idem.*

n NEC MORTE *finitur.*] Apud Ethnicos omnia morte finiuntur, etiam ipſa mors finitur. Et mori dicunt conſumi, finiri, perire. Non item apud Chriſtianos, qui de poſtuma vita ſunt certi.

o *Chriſtianus miſer videri poteſt.* Seneca de prouid. cap. 3. *Bonus vir poteſt miſer dici, non poteſt eſſe.* ELMEN.

p MISER *videri poteſt, non inueniri,*] Non ſemper ea ſunt quæ videntur At non inueniuntur niſi quæ re vera ſunt.

q PERISSET IN HOSTIBVS.] Apud hoſtes. in hoſtico.

r NON DEXTERAM *ſolum, ſed totum corpus.*] In hunc ſenſum legitur Martialis epigramma de arenario, cui nomen inditum Mucio, quod exemplo Mucij Porſenæ focis ardentibus manum impoſuiſſet. Nam cum dicatur tunica præſente moleſta Vre manum, plus eſt dicere, Non facio. Tunc enim totus ardebit, & mortem omninò contempſerit, quàm vitare cupiebat, per ſimulatam conſtantiam manus vltrò crematæ. RIG.

cremari, ſine vllis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate: Viros cum Mucio, vel cum Aquilio aut Regulo comparo. [a] Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis ô miſeri, neminem eſſe qui aut ſine ratione velit pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deô poſſit ſuſtinere. Niſi fortè vos decipit, [b] quòd Deum neſcientes diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus. Miſeri! in hoc altiùs tolluntur, vt decidant altiùs. Hi enim vt victimæ ad ſupplicium ſaginantur, vt hoſtiæ ad pœnam coronantur. In hoc adeò quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, vt ingenium eorum [c] perditæ mentes [d] licentia poteſtatis liberè nundinentur. Abſque enim notitia Dei, quæ poteſt eſſe ſolida felicitas? [e] cum mors ſit. ſomnio ſimilis. antequam tenetur, elabitur. [f] Rex es: ſed tam times, quàm timeris: & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. Diues es: ſed fortunæ malè creditur, & magno viatico breue vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur. Faſcibus & purpuris gloriaris: vanus error hominis & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere. [g] Nobilitate generoſus es: parentes tuos laudas. [h] omnes tamen pari ſorte naſcimur, ſola virtute diſtinguimur. Nos igitur qui moribus & pudore cenſemur, meritò malis voluptatibus & pompis veſtris & ſpectaculis abſtinemus, quorum & de ſacris originem nouimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam [i] in ludis curulibus [k] quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? in gladiatoriis, homicidij diſciplinam? & in ſcenicis etiam [l] non minor furor & turpitudo prolixior. nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat. nunc eneruis hiſtrio amorem dum fingit, infligit. [m] idem deos veſtros, induendo ſtupra, ſuſpiria, odia, dedecorat. idem ſimulatis doloribus lacrymas veſtras vanis geſtibus & nutibus prouocat. ſic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis. [n] Quod verò ſacrificiorum reliquias, & pocula delibata contemnimus: non confeſſio timoris eſt, ſed veræ libertatis aſſertio. Nam etſi omne quod naſcitur, vt inuiolabile Dei munus nullo opere corrumpitur; abſtinemus tamen, ne quis exiſtimet aut dæmoniis, quibus libatum eſt, cedere, aut noſtræ religionis pudere. Quis autem ille qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus & roſam veris & lilium & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris eſt? his enim & ſparſis vtimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sanè quod [o] caput non coronamus, ignoſcite. auram boni floris naribus ducere, non occipitio [p] capillisve ſolemus haurire. [q] Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut

a *Pueri & mulierculæ noſtræ.* Vide Euſeb. lib. 5. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 3. Cyprian. epiſt. 73. Baſilium Mag. in martyr. Iulittam. Baſilium Seleuc. orat. 32. Ambroſ. lib de virginit. Nicephorum Calliſt. Eccl. hiſt. lib. 4. cap. 17. lib. 5. cap. 30. lib. 6. cap. 21. Bedæ Martyrologium. ELMEN.

b *Quod Deum neſcientes diuitiis affluant.* Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. de paupertate & diuit. & hom. 67. ad pop. & in 1. epiſt. Pauli ad Cor. cap. 11. Theodoretus orat. 6. de prouid. Lactantius lib. 5. cap. 22. lib. 7. cap. 11. Saliſberienſis lib. 1. cap. 1. Clemens lib. 5. recognition. *Idem.*

c PERDITÆ MENTES.] Delatores, calumniatores, & huiuſmodi aliæ generis humani peſtes, Suprà, pag. —— Quis non intelligat malè ſanos & vanæ & perditæ mentis in iſta deſipere? RIG.

d LICENTIA POTESTATIS.] —— Nihil eſt quod credere de ſe non poſſit, cum laudatur dIs æqua poteſtas. Iuuen. Sat. IV. *Idem.*

e CVM *mors ſit. Somnio ſimilis.*] Felicitas ſine Deô, mors eſt. Felicitas ſine Deo ſomniô ſimilis eſt. *Idem.*

f *Rex es, ſed tam times quàm timeris.* Seneca Oedipod. act. 3. Scena, *Etſi ipſe vultus. Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit timet timentes, metus in autorem redit.* Cyprianus epiſt. 1. ad Donatum. *An tu illos tutos putas, illos ſaltem inter honorum inſulas, & opes largas ſtabili firmitate ſecuros, quos regalis aulæ ſplendore fulgentes, armorum excubantium tutela circumſiſtit. major illis quam cæteris metus eſt, tam ille timere cogitur, quàm timetur.* ELMEN.

g *Nobilitate generoſus es: Parentes laudas.* Iuuenalis Sat. 8.

—— *Quis enim generoſum dixerit hunc, qui*
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis?

Et rectè Boëthius Conſol. lib. 3. Metr.

—— *Quid genus & proauos ſtrepitis?*
Si primordia veſtra
Auctoremque Deum ſpectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis peiora fouens
Proprium deſerat ortum.

Et Seneca Hercule fur.

—— *Qui genus laudat ſuum, aliena laudat.*

Subſequatur hos Romanus Martyr. cuius verè aurea hæc ſunt apud Prudentium.

—— *Abſit vt me nobilem*
Sanguis parentum præſtet, aut lex curia
Generoſa CHRISTI *ſecta nobilitat viros, &c.*

h *Omnes tamen pari ſorte naſcimur.* Hieronymus tom. 4. in Pſal. 82. *Æqualiter omnes naſcimur, & imperatores & pauperes; æqualiter & morimur omnes; æqualis enim conditio eſt.* Et lib. 3. in Ierem. cap. 4. Theodoret. orat. 6. de Prouid. *Idem.*

i IN LVDIS *curulibus.*] Circenſibus. nam in iis aurigationes equorum & curricula —— nempè volucrem. Sic laudamus equum facili cui plurima palma feruet, & exultat rauco victoria circo. Iuuen. VIII. RIG.

k *Quis non horreat populi, &c.* Paſſim Chriſtianorum veteres exprobrant, grauiſſiméque inſectantur ludorum circenſium infamiam ac furorem, amphitheatralium ſæuitiam, & atrocitatem, Theatralium impudicitiam & obſcœnitatem. Audi Tertullianum apologetico: *Nihil eſt*, inquit, *nobis dictu, viſu, auditu cum inſania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenarum, xyſti vanitate.* Et adu. Marc. lib 2. vide & illum lib. de ſpectaculis. Sic D. Hieronymus in Hilarione: *Non circi furoribus, non arenæ ſanguine, non theatri luxuria delectabatur.* Plura de his congerere ſuperuacuum eſſet. OVZ.

l NON *Minor furor & turpitudo prolixior.*] In exemplari legitur, Non minor furore turpitudo prolixior. Quod minimè ſpernendum eſt. etſi in eodem Ms. ſæpè coaleſcant huiuſmodi ſyllabæ furore turpitudo, pro Furor & turpitudo. RIG.

m *Idem Deos veſtros, &c.* Hieronymus ad Marcellam epiſt. 18. *In theatralibus ſcenis, idem nunc hiſtrio Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in venerem frangitur.* Et lib. 1. contra Pelag. cap. 7 ELMEN.

n *Quod verò ſacrificiorum reliquias contemnimus.* Clemens conſtit. apoſtol. lib. 7. cap. 22. *ἀπὸ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων φεύγετε, ἐπὶ τιμῇ γὰρ δαιμόνων θύουσι ταῦτα, ἐφ' ὕβρει δηλαδὴ τοῦ μόνου θεοῦ ὅπως μὴ γένησθε κοινωνοὶ δαιμόνων.* Cyrillus Catech. 4. & contra Iulian. imp. lib. 7. & alij innumeri. *Idem.*

o *Caput non coronamus.* Chriſtianorum veteres idcircò coronas reſpuebant, quia iis præcipuè gentiles in ſuis ſacris ac idolorum cultu vtebantur Clemens Alex. Pædagog. lib. 2. cap. 8. Ita vt etiam gentes capitib. Chriſtianorum, cum eos ad ſua ſacra compellerent, coronam imponerent; quo facto Chriſtiani adhuc magis coronarum vſum exſecrabantur. Atque hinc capiendus Cyprianus de lapſis, cum inquit, *Ab impio ſceleratoque velamine, quo illic velabantur ſacrificantium capita captiua, caput veſtrum liberum manſit, &c.* OVZ.

p CAPILLISVE *ſolemus haurire.*] videtur, inquit Septimius, qui per capillum odorantur. Sed longè plura idem, lib. de cor.

q *Nec mortuos Coronamus.* Mortui coronati. Plin. lib. 10. cap. 43. Tertullian. de corona mil. cap. 13. Clemens. Alex. Pædag. lib. 2. cap. 8. VOV.

A aut non ſentienti facem, aut non ſentienti coronam: cum & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus. At enim nos exequias adornamus eadem tranquillitate qua viuimus, nec adnectimus areſcentem coronam, ſed à Deo [a] æternis floribus viuidam ſuſtinemus, quieti, modeſti; Dei noſtri liberalitate ſecuri, ſpem futuræ felicitatis fide præſentis eius maieſtatis animamur. Sic & beati reſurgimus, & futuri contemplatione iam viuimus. Proinde [b] Socrates ſcurra Atticus viderit, [c] nihil ſe ſcire confeſſus, teſtimonio licet fallaciſſimi dæmonis glorioſus: Arceſilas quoque, & Carneades, & Pyrrho, & omnis Academicorum multitudo deliberet: Simonides etiam in perpetuum comperendinet: [d] philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus & tyrannos, & ſemper aduerſus ſua vitia facundos. Nos non habitu ſapientiam, ſed mente præferimus: non eloquimur magna, ſed viuimus: gloriamur nos conſecutos, quod illi ſumma intentione quæſiuerunt, nec inuenire
B potuerunt. Quid ingrati ſumus? quid nobis inuidemus, ſi [e] veritas diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit? Fruamur bono noſtro, & recti ſententiam temperemus: cohibeatur ſuperſtitio, impietas expietur, vera religio reſeruetur. Cum Octauius perorasſet, aliquamdiu nos ad ſilentium ſtupefacti, intentos vultus tenebamus: & quod ad me eſt, magnitudine admirationis euanui, quod ea quæ facilius eſt ſentire quam dicere; & argumentis, & exemplis, & lectionum auctoritatibus adornaſſet, & quod maleuolos iiſdem illis quibus armantur, philoſophorum telis retudiſſet: oſtendiſſet etiam veritatem non tantummodò facilem, ſed & fauorabilem. Dum iſtæc igitur apud me tacitus euoluo, Cæcilius erupit: Ego Octa-
C uio meo plurimumquantum, ſed & mihi, gratulor, nec expecto ſententiam: Vicimus, & ita, vt improbe, vſurpo victoriam: nam vt ille mei victor eſt, [f] ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat ad ſummam quæſtionis, & de prouidentia fateor, & Deo cedo; & de ſectæ iam noſtræ ſinceritate conſentio. Etiam nunc tamen aliqua conſubſidunt non obſtrepentia veritati, ſed perfectæ inſtitutioni neceſſaria, de quibus craſtino (quod iam ſol occaſui decliuis eſt) [g] vt de toto congruentius, promptius requiremus. At ego, inquam, prolixius, omnium noſtrum vice, gaudeo quod etiam mihi Octauius vicerit, cum maxima iudicandi mihi inuidia detracta ſit. Nec tamen poſſum meritum eius verborum laudibus repenſare: teſtimonium & hominis & vnius infirmum eſt: habet Dei munus eximium, à quo &
D inſpiratus orauit, & obtinuit adiutus. Poſt hæc læti, hilareſque diſceſſimus: Cæcilius quod crediderit: Octauius gaudere quod vicerit: ego & quod hic crediderit, & hic vicerit.

CÆCILII

a ÆTERNIS *florib. viuidam ſuſtinemus.*] Suſtinemus. Sic ſæpè apud Tertul. & alios. RIO.

b *Socrates ſcurra Atticus.* Lactantius lib. 3. cap. 20. & Tullius lib. 1. de nat. deor. *Zeno Socratem ſcurram Atticum fuiſſe dicebat.* PRI.

c *Nihil ſe ſcire confeſſus.* Dio Chryſoſt. orat. 12. de Dei cognitione. [illegible] Hieronymus in Ezechiel. lib. 3. cap. 42. Proemio in Abdiam proph. & de optimo genere interp. cap. 5. ad Paulinum epiſt. 103. cap. 7. Lactant. lib. 3. cap. 27. Ariſtot. de elench. Sophiſtic. lib. 1. cap. 34. Plato Theæteto. Cicero lib. 1. Acad. quæſt. & 4. ELMEN.

d *Philoſophorum ſupercilia contemnimus.* Philoſophi auſtera facie, prolixa barba, & obſtinata fronte Catonis ſe inſtitutum imitari ſimulabant; ſed hoc totum fucato mentiebantur affectu; erant enim petulantes & libidinoſis voluptatibus implicati, quas latenter exercebant, vitia publicè facundiſſimè accuſantes, intercutibus ipſi vitiis madentes. Tertull Apolog. cap. 39. *Leno eſt Philoſophus & cenſor.* Iuuenal. Sat. 2. *Idem.*

e VERITAS *diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit.*] Nato inter homines Chriſto. RIO.

f *Ità ego triumphator erroris.* Hieronymus epiſt. ad Auguſtin. *Cumque tu viceris, & ego vincam, ſi meum errorem intellexero.* Idem adu. Lucif. *Non ſolùm te viciſſe exiſtimes, vicimus vterque noſtrûm, palmam refers tu mei, & ego erroris.* VOV.

g VT DE *toto congruentius.*] Nam in iis tota erit noſtra diſputatio craſtina. Satis eſt quod hodie obtinuimus id quod erat propoſiti caput. RIO.

A

CÆCILII CYPRIANI

a DE IDOLORVM VANITATE.

Quod idola dij non ſint.
Quod Deus vnus ſit.
Quod per Chriſtum ſalus credentibus data ſit.

B

DEos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis inſtituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra: Nam & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando honore celebrabant. inde poſteris facta ſunt ſacra, quæ primis fuerant aſſumpta ſolatia. Et videamus an ſit & hæc apud ſingulos veritas. Melicertes & Leucothea præcipitantur in mari, & fiunt poſtmodum maris numina. Caſtores alternis moriuntur, vt viuant. Æſculapius vt in Deum reſurgat, fulminatur. Hercules vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. Apollo Admeto pecus pauit. Laomedonti muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. Antrum Iouis in Creta viſitur, & ſepulcrum eius oſtenditur, & ab eo Saturnum frugatum eſſe manifeſtum eſt, inde Latium de latebra eius nomen accepit: b Hic litteras imprimere, & ſignare nummos in Italia primus inſtituit, vnde ærarium Saturni vocatur, & c ruſticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens pingitur. Hunc fugatum hoſpitio Ianus exceperat, de cuius nomine Ianiculum dictum eſt; & menſis Ianuarius inſtitutus eſt. Ipſe bifrons exprimitur, quod in medio conſtitutus annum incipientem pariter & recedentem ſpectare videatur. Mauri verò manifeſtè reges ſuos colunt, nec vllo velamento hoc nomen obtexunt. Inde per gentes & prouincias ſingulas varia deorum religio mutatur, dum non vnus ab omnibus Deus colitur, ſed propria cuique maiorum ſuorum d cultura ſeruatur. Hoc ita eſſe Alexander Magnus inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de diis hominibus à ſacerdote ſecretum; quod maiorum & regum memoria ſeruata ſit; inde colendi & ſacrificandi ritus inoleuerit. Si autem aliquando dij nati ſunt, cur non hodiéque naſcuntur? niſi fortè Iuppiter ſenuit, aut partus in Iunone defecit. Cur verò deos putas pro Romanis poſſe, quos ſæpiùs videas nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuiſſe? [e Romanorum enim vernaculos Deos nouimus: eſt Romulus peierante Proculo Deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus, & Conſus; quem Deum fraudis, velùt conſiliorum Deum, coli Romulus voluit; poſtquam f in raptum Sabinarum perfidia prouenit. Deam quoque Cloacinam Tatius & inuenit & coluit. Pauorem Hoſtilius atque Pallorem. mox à neſcio quo febris dedicata, & Acca, & Flora meretrices. In tantum verò deorum vocabula apud Romanos finguntur, vt ſit apud illos & Viduus Deus qui anima corpus viduet, qui quaſi feralis & funebris intra muros non habetur, ſed foris collocatur; & nihilominus, quia extoris factus, damnatur potiùs Romana religione quàm colitur. Eſt & Scanſus ab aſcenſibus, & Forculus à foribus, & à limiuibus Limentinus, & Cardea à Cardinibus, & ab orbitatibus g Suborbana. Hi dii Romani] Ceterùm Mars Thracius & Iupiter Creticus, & Iuno vel Argiua, vel Samia, vel Pœna; & Diana Taurica, & Deum mater Idæa, & Ægyptia portenta, non numina, quæ vtique ſi quid poteſtatis habuiſſent, ſua ac ſuorum regna ſeruaſſent. Planè ſunt apud Romanos & victi Penates, quos Æneas profugus

C

D

AD OPVSC. CYPRIANI
a DE IDOLORVM VANITATE.

VVlgatum huic opuſculo titulum ſeruauimus; etſi minus conuenientem. ſed vſitatum, & in aliquot exemplaribus antiquis repertum. Opuſculum verò Cypriani adnectimus Octauio Minuciano, quia ſcilicet inde eſt à Cypriano ferè deſcriptum. Libri veteres trium articulorum diſtinctionem agnoſcunt. Duûm priorum, Quod idola dij non ſint, &, Quod Deus vnus ſit, auctorem eſſe Minucium verba ipſa teſtantur. Tertius, Quod per Chriſtum ſalus credentibus data ſit, totus ferè eſt Tertulliani. Et tamen beatus Hieronymus, qui ſanè Tertullianum & Minucium legerat, quicquid hic hiſtoriarum ſcientia, verborum & ſenſuum ſplendore laudabile continetur, Cypriano tribuit haud ſecus ac ſi Cyprianus proprio marte procudiſſet. Hæc autem ſunt ad veterum exemplarium ſcripturam expreſſa. vnde & cetera ſanctiſſimi Martyris opera propediem, ſi Deus dederit, exibunt. RIGALTIVS.

b HIC *litteras imprimere.*] Saxis, membranis, ebori. Vnde ſunt ſuaues qui typographicæ artis originem hinc repetunt. *Idem.*

c RVSTICITATIS.] Ruris, agrorum.

d CVLTVRA.] Cultus.

e ROMANORVM ENIM *vernaculos Deos nouimus.*] Sequentes periodos vncis incluſimus, quarum maxima pars in quibuſdam exemplaribus antiquis non legitur. & interiectæ ſenſum abrumpunt. Etenim illa, Quos ſæpiùs videas nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuiſſe, commodiſſimè adnexa erant iſtis, Ceterùm Mars Thracius & Iupiter Creticus, ſi quid poteſtatis habuiſſent, ſua ac ſuorum regna ſeruaſſent.

f IN RAPTVM *ſabinar. perfidia prouenit.*] Proceſſit, euentu proſpero. In Veronenſibus membranis vetuſtiſſimis legitur, peruenit.

g SVBORBANA.] Orbona Plinio dicitur, lib. 2. nat. hiſt. Suborbana ſcribitur, fortean accidit per vltimæ vocabuli præcedentis ſyllabæ replicationem. RIG.

A fugus aduexit. Eſt & Venus multò hic turpiùs Calua, quàm apud Homerum vulnerata. Regna autem non merito accidunt, ſed ſorte variantur. Ceterum, imperium ante tenuerunt & [a] Aſſyrij, & Medi, & Perſæ; & Græcos & Ægyptios regnaſſe cognouimus. Ita vicibus poteſtatum, Romanis quoque, vt & ceteris imperandi tempus obuenit. Ceterùm ſi ad originem redeas, erubeſcas. Populus de ſceleratis & nocentibus congregatur, & aſylo conſtituto facit numerum impunitas criminum; nunc [b] vt rex ipſe principatum habeat ad crimina, fit Romulus paricida. Atque vt matrimonium faciant, rem concordiæ per diſcordias auſpicantur. rapiunt, ferociunt, fallunt. Ad copiam ciuitatis augendam, nuptiæ ſunt illis rupta hoſpitii fœdera, & cum ſoceris bella crudelia. Eſt & gradus ſummus in Romanis honoribus
B Conſulatus: ſic Conſulatum cœpiſſe videmus vt regnum. Filios interficit Brutus, vt creſcat de ſuffragio ſceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religionibus ſanctis, nec de auſpiciis, aut auguriis Romana regna creuerunt, ſed acceptum tempus certo fine cuſtodiunt. Ceterùm & Regulus auſpicia ſeruauit, & captus eſt: & Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt. Et pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt. C. Cæſar ne ante brumam [c] in Africam nauigia tranſmitteret, auguriis & auſpiciis retinentibus, ſpreuit, & eò faciliùs nauigauit & vicit. Horum autem omnium ratio eſt illa, quæ fallit &
C decipit, & præſtigiis cæcantibus veritatem, [d] ſtultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus ſunt inſinceri & vagi, qui poſteaquàm terrenis vitiis immerſi ſunt, & à vigore cæleſti, terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & poëtæ dæmonas norunt; & Socrates inſtrui ſe & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat; & Magis inde eſt ad pernicioſa vel ludicra potentatus; quorum tamen præcipuus Hoſtanes & formam veri Dei negat conſpici poſſe, & Angelos veros ſedi eius dicit aſſiſtere. In quo & Plato pari ratione conſentit, & vnum Deum ſeruans, ceteros angelos, vel dæmonas dicit. Hermes quoque Triſmegiſtus vnum Deum loquitur, eúmque incomprehenſibilem atque inæſtimabilem confitetur. Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecraris deliteſcunt. hi afflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auium
D volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt. nam & falluntur & fallunt; vitam turbant, [e] ſomnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentem terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt; vt ad cultum ſui cogant, vt nidore altarium & rogis pecorum ſaginati, [f] remiſſis quæ conſtrinxerant curaſſe videantur. Hæc eſt de illis medela, cum illorum ceſſat iniuria. nec aliud illis ſtudium eſt, quàm à Deo homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis auertere; cùm ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites quos ad crimen ſuum fecerint errore participes. Hi tamen adiurari per Deum verum à nobis, ſtatim cedunt & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. [g] Videas illos noſtra voce, & operatione maieſtatis occultæ flagris cædi, igne torreri, [h] incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare,
E gemere, deprecari: vnde veniant, & quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colunt audientibus confiteri; vel exiliunt ſtatim vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Hinc vulgus in odium noſtri nominis cogunt, vt nos odiſſe incipiant homines antequam noſſe; ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint. Vnus igitur omnium Dominus vnus eſt Deus. neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cùm ſola omnem teneat poteſtatem. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regno ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? Sic Thebanorum fratrum germanitas rupta, & permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia. & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec tu de homine mireris, cùm in hoc omnis natura conſentiat. Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus. multò magis mundi vnus eſt rector qui vniuerſa, quæcumque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt: nec æſtimari, ſenſu maior

a ASSYRII ET MEDI ET PERSÆ.) In illo Veronenſi, Aſſyrij & Medi & Tyrij.

b VT REX *Ipſe principatum habeat ad crimina fit Romulus paricida.*] Minucius dixerat, vt ipſe Romulus Imperator, & rector populum ſuum facinore præcelleret, paricidium fecit.

c IN AFRICAM *nauigia tranſmitteret.*] In Corbeienſi legitur, nauta. quod elegantia non caret.

d STVLTVM ET *prodigum vulgus inducit.*] In Corbeienſi, ſtultum & crudelem, quod perfectò deprauatum eſt ex aliqua vetere ſcriptura quæ habuiſſe videtur, credulum. Illud verò, prodigum, vnde irrepſerit, non habeo dicere: niſi ſcriptum olim fuiſſe, perditum; deque illo perdito factum ab imperitis proditum, ac deinde, prodigum. Perditi homines dicuntur, ſcelerati, nefarij.

e SOMNOS INQVIETANT.) Sic legitur in optimis exemplaribus, nec dubito quin ita ſcriptum habuerit Cyprianus in exemplari ſuo Minucij, vt iam hinc emendari debeant veteres Minucij noſtri membranæ, quæ nobis exhibent, omnes inquietant, pag. 21. niſi dicamus iſtos dæmonas omnes homines inquietare, quia ſunt humanitatis inimici vt ait ipſe Minucius ex Hoſtane, pag. 22.

f REMISSIS QVÆ *conſtrinxerant.*] Hæc Minuciana locutio placet Cypriano, Nam & lib. de Mortalitate vſurpauit. Accenduntur trepidi, conſtringuntur remiſſi.

g VIDEAS ILLOS *noſtra voce.*] Cum dicto noſtro. ſimul atque iuſſimus. Sic legitur in cod. Thuani, Corbeienſi, Nauartico & Victorino. At in optimo illo Veronenſi, Videas illos, non noſtra voce, ſed operatione maieſtatis occultæ flagris cædi. Ex vtráque autem ſcriptura facilè ſenſus elicietur idem.

h INCREMENTO *pœnæ propagantis extendi.*] Idem dixit verbis iiſdem epiſt. ad Donatum. R I O.

maior eſt : & ideò ſic eum dignè æſtimamus , dum inæſtimabilem dicimus. Quod verò templum habere poſſit Deus , cuius templum totus eſt mundus ? & cùm homo latiùs maneat A
intra vnam ædiculam vim tantæ maieſtatis includam ? In noſtra dedicandus eſt mente , in noſtro conſecrandus eſt pectore. Nec nomen Dei quæras : Deus nomen eſt illi : illic vocabulis opus eſt , vbi propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt. Deo qui ſolus eſt , Deus vocabulum totum eſt. Nam & [a] vulgus in multis Deum naturaliter confitetur cùm mens & anima ſui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus , ô Deus ; & Deus videt ; & Deo commendo ; & Deus mihi reddet ; & quod vult Deus ; & ſi Deus dederit. Atque hæc eſt ſumma delicti , nolle agnoſcere quem ignorare non poſſis. Quid verò Chriſtus ſit , & quo modo per ipſum nobis ſalus venerit , ſic eſt ordo , ſic ratio. Iudæis primùm erat apud Deum gratia : ſic olim iuſti erant , ſic maiores eorum religioni obediebant. B
Inde illis & regni ſublimitas floruit , & generis magnitudo prouenit. ſed illi negligentes diſciplinarum poſtmodum facti , & fiducia patrum inflati ; dum diuina præcepta contemnunt , datam ſibi gratiam perdiderunt. Quàm verò fuerit illis profana vita , quæ contracta ſit violatæ religionis offenſa , ipſi quoque teſtantur , qui etſi voce tacent , exitu confitentur. diſperſi & palabundi vagantur , ſoli & cæli ſui profugi , per hoſpitia aliena iactantur. Necnon Deus antè prædixerat fore , vt vergente ſæculo , & mundi fine iam proximo , ex omni gente , & populo , & loco cultores ſibi allegeret Deus multò fideliores , qui indulgentiam de diuinis muneribus haurirent , quam acceptam Iudæi contemptis religionibus perdidiſſent. C
Huius igitur gratiæ diſciplinæque arbiter & magiſter ſermo & filius Dei mittitur , qui per prophetas omnes retrò illuminator & [b] deductor humani generis prædicabatur. Hic eſt virtus Dei , hic ratio , hic ſapientia eius & gloria. [c] hinc in virginem delabitur : [d] carnem Spiritus ſanctus induitur ; Deus cum homine miſcetur. hic Deus noſter , hic Chriſtus eſt , qui mediator duorum , hominem induit , quem perducat ad Patrem. quod homo eſt , eſſe Chriſtus voluit , vt & homo poſſit eſſe quod Chriſtus eſt. Sciebant & Iudæi Chriſtum eſſe venturum : nam hoc illis ſemper Prophetis admonentibus adnuntiabatur : ſed ſignificato duplici eius aduentu , vno , qui exercitio & exemplo hominis fungeretur , altero , qui Deum fateretur , non intelligendo primum aduentum , qui in paſſione præceſſit occultus ; vnum tantum credunt , qui erit in poteſtate manifeſtus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit , delictorum meritum fuit : ſic erant ſapientiæ & intelligentiæ cæcitate mulctati , vt qui vita indigni eſſent , haberent vitam ante oculos , nec viderent. Itaque cum Chriſtus Ieſus , ſecundùm à prophetis antè prædicta , verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret , paralyticos reſtringeret , leproſos purgaret , illuminaret cæcos , claudis greſſum daret , mortuos rurſus animaret , cogeret ſibi elementa famulari , ſeruire ventos , maria obedire , inferos cedere ; Iudæi qui illum crediderant hominem tantum , de humilitate carnis & corporis ; exiſtimabant magum , de licentia poteſtatis. Hunc magiſtri eorum atque primores , hoc eſt , quos & doctrina ille & ſapientia reuincebat , [e] accenſi ira & indignatione prouocati , poſtremò detentum , Pontio Pilato , qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat , tradiderunt , crucem eius & mortem ſuffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes. E
Hoc facturos & ipſe prædixerat , & prophetarum omnium teſtimonium ſic antè præceſſerat , oportere illum pati , non vt ſentiret tantùm mortem , ſed vt vinceret : & cùm paſſus eſſet , ad ſuperos denuò regredi , vt vim diuinæ maieſtatis oſtenderet. Fidem itaque rerum curſus impleuit : nam & crucifixus , præuento carnificis officio , ſpiritum ſponte dimiſit , & die tertio rurſus à mortuis ſponte ſurrexit. Apparuit diſcipulis ſuis vt fuerat , [f] agnoſcendum ſe videntibus præbuit , ſimul iunctus & ſubſtantiæ corporalis firmitate conſpicuus ad dies quadraginta remoratus eſt , vt de eo ad præcepta vitalia inſtrui poſſent , & diſcerent quæ docerent. Tunc in cælum circumfuſa nube ſublatus eſt , vt hominem quem dilexit , quem induit , quem à morte protexit , ad patrem victor imponeret ; iam venturus è cælo ad pœnam diaboli , & ad cenſuram generis humani , vltoris vigore , & iudicis poteſtate.

a VVLGVS IN *multis naturaliter Deum confitetur.*] Naturali & publico ſenſu Deum eſſe mundi rectorem agnoſcunt. Naturaliter iudicant. Vt contrà Minucius de brutis animantibus dixit , eas naturaliter ſentire , quòd idola dij non ſint. De diis veſtris , inquit , animalia multa naturaliter iudicant.

b DEDVCTOR HVMANI GENERIS.) Sic legitur in antiquiſſimis Cypriani , & Tertulliani exemplaribus.

c HIC IN *virginem delabitur.*] Tertullianus in Apolog. Delabitur in virginem quamdam.

d CARNEM SPIRITVS SANCTVS INDVITVR.) Sic habent exemplaria vetuſtiora. Quod in aliis legitur , carnem Spiritu ſancto cooperante induitur , ſequentium ætatum ſchola ſubtilior inuexit. Dei ſermo , Dei ratio , Dei virtus , Dei ſapientia , Dei ſpiritus , Dei filius carnem induitur. Angelus dixerat Mariæ , Spiritus Sanctus ſuperueniet in te , & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. ſuperuenit & obumbrauit qui ſubiit vt indueret. Obumbrauit carnem Spiritus incarnandus. Obumbratus eſt carne ſpiritus incarnatus. Spiritus autem dicitur & Dei Filius , in quo & Pater & Spiritus Sanctus. ſic tamen , vt Filius ſit incarnatus , non Pater , non Spiritus Sanctus , In exemplari Beneuentanæ bibliothecæ , quod inſpexit Auguſtinus , ita ſcriptum eſſe tradunt viri auctoritate & fide præſtantes : Hic in virginem delabitur. carnem ſpiritu ſancto induitur. Tertul. Apolog. Caro ſpiritu inſtructa nutritur , adoleſcit , affatur , docet , operatur & Chriſtus eſt.

e ACCENSI IRA ET INDIGNATIONE PROVOCATI.) In Corbeienſi legitur : Accenſa ira & indignatione reuocata. Quæ ſcriptura accedere videtur ad Manutij editionem , cui conſentanea Veronenſis.

f COGNOSCENDVM SE VIDENTIBVS PRAEBVIT SIMVL IVNCTVS] In Regio & Veronenſi legitur , ſimul iunctis , vt ſit illud Lucæ , [illegible]

A poteſtate. Per orbem verò diſcipuli [a] non magiſtro ſed Deo monente diffuſi præcepta in ſalutem dare, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducere, cæcos & ignaros ad agnitionem veritatis oculare. Ac ne eſſet probatio minus ſolida, & de Chriſto delicata confeſſio; per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor qui veritatis teſtis eſt admouetur; vt Chriſtus Dei filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantùm præconio vocis, ſed & paſſionis teſtimonio probaretur. Hunc igitur comitamur, hunc ſequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, ſalutis auctorem, cælum pariter & Patrem
B quærentibus, & credentibus pollicentem. Quod eſt Chriſtus erimus Chriſtiani, ſi Chriſtum fuerimus imitati.

a NON MAGISTRO SED DEO MONENTE.) Sic habet exemplar Veronenſe. Quod eſt rectiſſimum. Non magiſtro, id eſt, non homine aliquo præcipiente, ſed Deo.

ADDENDVM NOTIS.

PAG. 10.

MERITO.] Aut eſt, Merito Socrates dixit, Quod ſuprà nos, nihil ad nos. Quæ ſequuntur ita perducenda ſunt: *Ergo de oraculo teſtimonium meruit prudentiæ ſingularis, idcirco vniuerſis eſſe prepoſitum, non quòd omnia comperiſſet, ſed quòd nihil ſe ſcire didiciſſet.* Illud verò, *quod oraculum idem ipſe præſenſit*, per parentheſin inſerendum eſt, hoc modo: Quamquam ſi philoſophandi libido eſt, Socratem ſapientiæ principem quiſque veſtrûm tantus eſt ſi poterit imitetur. Eius viri quoties de cæleſtibus rogabatur nota reſponſio eſt: Quod ſupra nos nihil ad nos. Merito. Ergo de oraculo teſtimonium meruit prudentiæ ſingularis, (quod oraculum idem ipſe præſenſit) idcircò vniuerſis eſſe præpoſitum, non quòd omnia comperiſſet, ſed quod nihil ſe ſcire didiciſſet. ita confeſſæ imperitiæ ſumma prudentia eſt.

AVCTORES A MINVCIO CITATI.

ALEXANDER M, 17.a
ANTISTHENES, 15. b
ANTONIVS IVLIANVS, 27.c
ANAXIMENES, 15. a
ANAXAGORAS, 15.b
ARCESILAS, 10. c. 31. a
ARISTOTELES, 15. b
ARISTO CHIVS, 16. a
CARDEADES, 10. c. 31. a
CASSIVS, 19. a
CHRYSIPPVS, 16. a
CLEANTHES, 15. c
DEMOCRITVS, 15. b
DEMOSTHENES, 22. a
DIAGORAS MELICVS, 9. a
DIODORVS, 19. a
DIOGENES APOLLONIATES, 15. a
DIOGENES BABYLONIVS, 16. a
ENNIVS, 21. d
EPICVRVS, 15. b
EVEMERVS, 17. a
FRONTO CIRTENSIS, 8. c. 31. a

HERACLIDES PONTICVS, 15. c
HESIODVS, 16. a
HOMERVS, 16. a
HOSTANES 22. b
IOSEPHVS, 27. c
MEMORIÆ, 6. a
NEPOS, 19. a
ORPHEVS, 16. a
PERSEVS, 17. a
PLATO 16. b. 18. b. 22. b. 28. a. b
PRODICVS CHIVS, 17. a
PYRRHO, 31. a
PYTHAGORAS, 15. b. 28. b
SIMONIDES MELICVS, 10. d. 31. a
SOCRATES, 10. c. 22. a. 31. a
SPEVSIPPVS, 15. b
STRATON, 15. b
TERENTIVS, 17. a
THALES MILESIVS, 15. a
THALLVS, 19. a
THEODORVS CYRENÆVS, 7. a
THEOPHRASTVS, 15. c
VIRGILIVS, 14. d
XENOPHANES, 15. b
XENOPHON, 15. a
ZENO CITTIENSIS, 15. c. 16. a

INDEX

INDEX
RERVM, VERBORVM
ET NOMINVM.

Numerus 1. vel 2. poſt paginæ numerum appoſitus, Commentariorum columnam indicat.

ABORTIONIS pocula. 25. 1, quæ illorum pœna. ibid. & 2
Academicorum in ſummis quæſtionibus tuta dubitatio. 10
Acca Larentia meretrix propudioſa, inter morbos Romanorum & deos computanda. 21
Achelous terræ filius. 19. 1
Achilles Patrocli corpus diutius ſeruans. 16. 2
Actus hominis, non dignitas iudicatur. 29
Adoleſcere damnis alienis & ſuis ſceleribus. 20
Adrianus Imperator Chriſto templum conſtruere meditatur. 5. 2
Aduentus Chriſti duplex. 34
Adulteria quæ poſſit plura numerare, magna religione conquiſita. 20
Ægypti ſiccitas à Nilo flumine temperata. 14
Ægyptiorum ſacrorum ratio explicata. 17. 1. & 2
Ærarium Saturni. 32
Ærumnis ſuis florere. 29
Æſculapius Epidauriorum deus. 5
Æſculapius bene barbatus, adoleſcentis tamen Apollinis filius. 17
Æſculapius quare fulminatus. 18. & ibid. 2
Ætatis ad ſummæ robur adoleſcere. 19
Æthon affectus trinoctiali domicœnio. 24. 1
Ætnæ ignes flagrant, nec erogantur. 28
Æuum in exuſtionis vices vergens. 27. 2
Alexander Seuerus Imperator erga Chriſtum quàm bene affectus. 5. 2
Alexander Macedo *pro* Alexandro Polyhiſtore. 17. & ibid. 1
Alexandri Magni ad matrem de diis litteræ. 32
Allia nomen in fauſtum & quare. 6. & ibid. 2
Amici veri & fidelis nec non & Amicitiæ notanda deſcriptio. 1. & ibid. 2
Amicitia pares ſemper aut accipit aut facit. 13
Amoris procupidinem informari & labi pectoribus humanis, ex ſubſtantia corpus inter & ſpiritum media. 22 & ibid. 1
Amorem dum fingit, infligit eneruis hiſtrio. 30
Amphiaraus quàm vanus & falſus vates. 21
Anaxagoræ motus infinitæ mentis quis dicatur. 15. & ibid 1
Anaximenes Philoſophus quid ſenſerit de Deo. 15
de Angelis quid ſenſerint Hoſtanes & Plato. 22
Anima quâ viuificatur homo & loquitur, quam tamen nec aſpicere poteſt nec tenere, Dei ſymbolum. 27
Animal omne quod naſcitur, elementorum eſt voluntaria concretio. 4
Animalia muta de diis naturaliter iudicant. 20. & ib. 1.
Animantium aduerſus ſeſe tutela multiformis. 13. & ibid. 2. 14. 1
Animus vt luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur. 29
Annus per veſtigia ſua reuertens. 13
Annum vt ſolis ambitus faciat. ibid.
Antiſthenes populares deos multos, ſed naturalem vnum præcipuum aſſerens. 15. & ibid. 2
Anxij hominis deſcriptio. 3. & ibid. 1
Apices dicti quidam pilei. 20. & ibid. 1
Apibus Rex vnus. 14
Apis Ægyptiorum deus, an Ioſeph Patriarcha. 23. 1. de Api vt boue. 24
Apollo Delphicus. 17
Apollo multis ætatibus leuis. ibid.
Apolloniates Diogenes, eiuſque de Deo ſententia. 15
Apoſtolorum prædicatio. 35
Aræ ignotis Numinibus & Manibus extructæ 5. & ib. 2
Aras inter Ethnicorum & delubra, ſtupra, lenocinia, adulteria. 21
Araneæ de capitibus deorum ſua fila ſuſpendentes. 20
Arbitrum inter & Iudicem differentiæ. 3. & ibid. 2
Arbores è terræ viſceribus animatæ. 15
Arbuſta poſt ſenium frondeſcentia, Reſurrectionis typus. 28
Arceſilas Philoſophus, quoque modo philoſopharetur. 10. 31
Arenarum atrocitas. 30. 2
Ariſto Chius quid de Deo ſenſerit. 16
Ariſtoteles quàm variè de Deo ſenſerit. 15. & ibid. 2
in Armentis rector vnus. 14
Arreptitiorum motus vnde; & eorum deſcriptio. 22
Artium etiam ſordidarum expertes, quinam ſint, & quæ artes ſordidæ. 4. & ibid. 1
Aſini cum ſua Epona conſecrati, & cum Iſide religioſè decorati. 24. & ibid. 1
Aſpicere pro pedibus. 10
Aſſyrij & eorum regnum. 21
Aſtartes Syrorum deus. 5
Aſtra ignita quænam ſint. 18. 2
Aſtra dum labuntur & redeunt, Reſurrectionis typus. 28
Aſylo prima Romanorum plebs congregata. 20
Athenienſibus in nouiſſimè partus editos crudeliſſimè ſæuiendi facultas conceſſa. 26. 1
Atomus. *Vide* fruſtum.
Auaritia in auro & argento conſecrata. 20. & ibid. 1
Audaciæ præda eſt quicquid Romani tenent, colunt, poſſident. 20

MIN. f

Augurarentur quod nihil niſi infauſtum, notati à Luciano Chriſtiani. 9.1
Auguria barbaras etiam apud Nationes magno in honore habita. 6. & ibid. 1. quis eorum author. ibid.
Auguria & auſpicia apud Romanos, quam fuere inania & futilia. 21
Auibus ab Ægyptiis ſacra inſtituta. 24
Auiditatem deſiderij frequenti aſſiduitatis vſu implere 2
Aura aſpirans leniter membra vegetat. 2
Autumnitas in temperiem ſe dirigit. 2
Autumni maturitas grata. 13.1

B

BEllona ſacrum ſuum hauſtu humani cruoris imbuens. 25
Belluis ab Ægyptiis ſacra inſtituta. 24
Belus Chaldæorum Deus. 5
Beneficentiæ tituli. 6.2
Biuij deſcriptio. 12. & ibid. 1
Blandiri pauorem & ſolatia rediuiua. 7. & ibid. 2
Blandiri falſa. 24. & ibid. 2
Bonæ deæ templum ingredi, viris nefas. 20.1
Bos. *Vide* Apis.
in Britannia cælo etiam ſereno aër caliginoſus. 14. & ibid. 1.
Buſiridi Ægyptio hoſpites immolare ritus fuit. 25

C

CAdaueribus quid conferat ſepultura. 9
Cadauera vngendi mos vnde ortus. 10.1
Cæcilius qui & Natalis, pluresque horum nominum Epiſcopi & Preſbyteri. 2. & ibid. 1. de eo iterùm 3. quàm malè de Deo ſenſerit Cæcilius hîc laudatus & nondum Catholicus. 4. & ibid. 2
Cælum. *Vide* Cœlum.
Calamitas ſæpiùs diſciplina virtutis eſt. 29. & ibid. 2
Camilli exilium. 5
Camporum porrecta aptè diſpoſita. 13
Canes plauti qui dicantur. 11.1
Cantabra caſtrorum in modum crucis. 25
per Capillum adorari. 30. & ibid. 2
Capra nutrix Iouis. 17. & ibid. 2
de Capro & Homine mixti dij. 24
Caput aſini rem eſſe diuinam Chriſtianis, creditum à Gentilibus. 23
Capita boûm & veruecum immolata & culta. 24
Cardea dea, à cardinibus. 32
Carneades Philoſophus, eiuſque philoſophandi modus. 10. & ibid. 2. 31
Carpocratiani hæretici, quàm infames. 8
Caſæ & Paſtorum regnum. 14
Caſtores alternis moriuntur, & quare. 18. & ibid. 2
Caſtores cum equis viſi, *vel* Caſtorum phantaſmata. 23. & ibid. 1.
Caſus multa inter mendacia induſtriâ viſus imitari. 22
Catilina ſanguinis fœdere conjurans. 25
Cauillare *vel* cauillari quando dicantur fontes. 11. & ibid. 1.
Cenſeri moribus & pudore. 30
Centauri, equi ſuis hominibus implexi. 16. & ibid. 1
Ceparum acrimonias metuunt Ægyptij. 24
Ceres Eleuſiniorum dea. 5
Ceres facibus accenſis & ſerpente circumdata, filiam quærit deperditam. 17. & ibid. 2. *Vide* Epheſia.
Chimæra multiformis. 16
Chriſti imago in Alexandri Seueri Imperatoris Larario aſſeruata. 5.2
Chriſtus quid ſit, & quomodo per pſum nobis ſalus venerit. 34
in Chriſtianos cur tantoperè ſæuierit Roma. 5.2
Chriſtiani ab Ethnicis dicti deſperati & beſtiarij. 7.2
Chriſtianis quantùm illudebant Gentiles. 8. & ibid. 1. quid de eorum ſacris ſentiebant. ibid.
in Chriſtianis quid animaduertebatur ſeueriùs. 9. & ibid. 1
Chriſtiani primæui, quando maximè à Deo ſe diligi exiſtimabant. 10.1
de Chriſtiano opifice quid ſenſerit Tertullianus. 12.2
Chriſtiani cur Deum numquam publicè niſi interrogati prædicarent. 16. & ibid. 1
Chriſtianos de proximo fugitant dæmones, quos longè laceſſebant. 23
Chriſtiani, infanticidij & peſſimorum criminum falſo poſtulati. 23.2.25
Chriſtiani quo ſenſu Crucem colant. 24.2.25.1
Chriſtianis homicidium videre & audire, nefas. 25. & ibid. 2.
Chriſtiani de inceſtu & de infantium expoſitione inſimulati. 26. & ibid 1. Eorumdem commendatio.
Chriſtiani meliorem humandi conſuetudinem frequentantes. 28
Chriſtianus miſer videri poteſt, non poteſt inueniri. 29
Chriſtianorum cum Ethnicis comparatio, & inter vtrorumque mores notanda antitheſis. ibid.
Chryſippus vnitati prouidentiæ ſubſcribens. 15. & 16. 1
Cibi præcerpti quinam ſint. 10. & ibid. 1
Circi inſania. 30.2
Circumueniri incautè credulos ab his quos bonos putauerunt. 11
Claritas cæleſtis hominum oculis & ſenſibus ſeſe ingerens. 13
Cleanthes ad vnitatem prouidentiæ reuolutus. 15. & ibid. 2.
Cloacina Romanorum dea. 21
de Cniſſis quas euomunt ardentia viſcera, dæmones paſti. 22.2.
Cælum ſua materia ſuſpenſum 4. In eo quàm ſit ſummi moderatoris mira & diuina libratio. 13
in Cælo ſumma poteſtas nequit diuidi. 14
Coïtum cum fœminis promiſcuis, cur Ethnici Chriſtianis objecerint. 26
Colere quod lugeas, ridiculum. 17
Collium flexa aptè diſpoſita. 13
Comitatu multo ſtipatus, ad periculum ſolus. 30
Comitialis morbus morbo grauiore ſanatus. 25
Conchæ plautiores quæ dicantur. 11.1
Concinere, *pro* conſentire, *vel* concordare. 1
Connubia cum ſororibus apud quaſdam gentes legitima. 26
Conſerere ſapientium modo. 3. & ibid. 1
Conſulatus, gradus ſummus in Romanis honoribus. 33.
Conſus Romanorum Deus vernaculus. 21
Continentia veterum Chriſtianorum mira. 26.1
Contubernalis & Contubernium quid propriè ſignificent. 1.1. & 2. Contubernium in quo differat à matrimonio. ibid.
Conuiciorum amariſſima labes. 11. & ibid. 2
Conuiuium Chriſtianorum quàm malè habitum ab Ethnicis. 8. & ibid. 1.
Conuiuia Chriſtianorum, non tantùm pudica, ſed & ſobria. 26
Coronas ex floribus quare olim reſpuebant Chriſtiani. 30. & ibid. 2
de Corpore vel proprio vel alieno in mundi vltima clade reſurrecturo, Gentilium notanda quæſtio. 9. & ibid. 2.
Corporis inuiolati virginitate perpetua potiùs frui, quàm gloriari. 26. & ibid. 1
Corpus ita in ſæculo, vt arbores in hyberno, occultant virorem ariditate mentitâ. 28
Corybantum cymbala. 17. & ibid. 2. quid in eorum ſacris celebraretur. ibid.

Craſſus. *Vide* Diræ.
Crepundia cumquibus infantes exponebantur. 26. 1
Crocodilis ſacra ab Ægyptiis inſtituta. 24
Cruces quo ſenſu nec coluerint, nec optarint Chriſtiani. 24. ibid. 1. & 25. 1
Crucis ſignum quàm multa referant. 25. Illius deſcriptio ibid. 1.
Curtius lacus. 6. & ibid. 1
Cybele Dyndima. 17. & ibid. 1. Amaſium ſuum exſecat; & quare. ibid.
Cyprianus an fuerit Minucio Felice antiquior. 1. 1

D

DÆmonas Poëtæ ſciunt, Philoſophi diſſerunt. 22. de iis plura. ibid. & ſeq.
Debentibus operam dies videtur longa. 9
Deciorum deuotio rata. 6. & ibid. 1
Defunctis præmium, futuris exemplum. 16
Delicti ſumma eſt, nolle agnoſcere quem ignorare non poſſis. 34
Democritus atomorum inuentor, & intelligentiam Deum aſſerens. 15. & ibid. 1
Detriumphatos poſt lauream colere. 21 & ibid. 1
Deuerra Romanorum vernaculus Deus, & vnde ſic dictus. 21. 1
Deus quorumdam animalium figurâ expreſſus. 8. & ibid. 1. dictus ab Ethnicis impudenter curioſus. 9
Deum eſſe, ex mundi & hominis opificio copioſè aſſeritur. 13
Deus non vniuerſo duntaxat, ſed & vniuerſi partibus conſulit. 14
Deus natiuitatem omnibus præſtat, ſibi perpetuitatem. 14. illius magnitudinem qui ſe putat noſſe, minuit. ibid.
Deus mens, ratio & ſpiritus. 14. 15. & ibid. 1
Deum inuenire difficile, in publicum dicere, impoſſibile. 16. & ibid 1
Deum priùs oportet noſſe quàm colere. 20
Deus apud veteres, lignum, ſaxum, vel argentum, &c. quando fiebat. 20
Dei homo ipſe ſimulacrum. 26
Deus vbi dedicandus & conſecrandus. 26
Deum ex quo credant Chriſtiani. 27
Deus vbique non tantum nobis proximus, ſed & infuſus. 27. non ſolum in oculis eius, ſed & in ſinu viuimus. ibid.
Deum parentem omnium & dominum, non minoris eſt ſceleris ignorare, quàm lædere. 28. 29
Dei imperitia ſufficit ad pœnam, notitia prodeſt ad veniam. 29
Deus pro meritis & qualitatibus ſingulorum fata determinat. 29
Deus dignè æſtimatur, cùm inæſtimabilis dicitur. 34. illius nomen non quærendum. ibid.
de Diis nonnulla 5. & ibidem 1. & 2
Deorum præſentiam auſpicia conteſtata. 6
de Diis quamuis incerta ſit vel ratio, vel origo, apud Ethnicos tamen firma conſenſio. 7. & ibid. 1
Deorum pluralitas vnde originem ſumpſerit. 16. 2
Deorum natales, patria, ſepulchra 17 & ibid. 1. Deorum vocabulis res vtiles & ſalutares nũcupatæ ibid.
Dij plures quàm homines. 19. & ibid. 2
Dij Romanorum vernaculi. 21
Dij inceſti cum matre, cum filiâ, cum ſorore coniuncti. 26
Deos non eſſe quos colit vulgus, vnde notum. 32
Diagoras Melius cognomine Atheus, caputque illius ab Athenienſibus pretio talenti proſcriptum. 7. & ibid. 1
Diana Tauriorum dea. 5
Diana altè ſuccincta venatrix. 17
Diogenes Babylonius quid de diis ſenſerit. 16. & ib. 1
Dionyſij tyranni regnum. 5

Min.

Dirarum imprecationes Craſſus & meruit & irriſit. 6. & ibid. 2
Diſcordia in morte rogis diſſidentibus permanens. 33
Diſcriminibus argui. 29
in Diſputatione quid propriè requiratur. 12. & ibid. 1
Diuinitatis rationem niſi diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis. 13
Diuinitatis veritas quo tempore maturuerit. 31 & ib. 1
ſub Diuitiarum onere ſuſpirare. 29. & ibid. 1
Diuitiis qui affluunt, quanto damno. 30
Doloris anguſtia ſemper inquirit neceſſitati ſolatium. 16. 2
Dux vnus in gregibus. 14

E

ELementa *pro* diis. 16
Elementorum cuſtodia Deo reſeruatur. 28
Eleuſinia quæ, & vnde. 17
Eliquamen & eliquare. 4. 2
Emergere de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ & veritatis. 2
Epheſia mammis multis & vberibus extructa. 18
Epicurus de diis malè ſentiens, naturam tamen ſuperponens. 15. & ibid. 2
Epicureorum de mundi ruina & elementorum conflagratione ſententia. 28
Epona Aſinorum cuſtos, & Romanorum dea. 24. & ibid. 1
Erigone ſuſpenſa de laqueo. 18. & ibid. 2
Errare melius. 6. & ibid 1
Errantium turba mutua ſibi præſtat patrocinia. 20
Erroribus criſpis toroſiſque delectari. 2. & ibid. 2
Erroris alieni acceſſio. 20
Error hominis vanus, fulgere purpura, mente ſordeſcere. 30
Euangelicæ hiſtoriæ compendium. 34
Euemerus an fuerit Philoſophus, an hiſtoricus. 16. 2. 17. & ibid 1
Eunuchi ſibimet virilia amputantes in honorem Matris Deum. 20. & ibid. 2
Euphratis origo an ab Arabibus rectè deducatur. 14. & ibid. 1
Exequias quomodo adornarent Chriſtiani. 31
Exorciſtæ. *vel* Ephorciſtæ. 23. 1
Exponere infantes, mos frequens apud veteres. 26. & ibid. 1. mos & hic Chriſtianis exprobratus. ibid.
Exta obſcœna quænam ſint. 20. 2

F

FAbula pro re geſta. 3. & ibid. 1
Fabulis etiam inconditè fictis antiquitas delectata. 16. & ibid. 1
Fama inſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumitur. 23 & ibid. 2
Fana quædam veterum Ethnicorum ſemel duntaxat in anno adiri conceſſa. 20
Fata in naufragiis mixta. 5
Fato ſubſcribere crediti Chriſtiani. 9
Fata vulnerum capere. 25
Fatum nihil eſt aliud, quam quod de vnoquoque noſtrum Deus fatus eſt 29
Febris apud Romanos dedicata. 21 & ibid. 1
Felicitas ſolida non poteſt eſſe abſque notitia Dei. 29
Feretrius, nomen Iouis & cur ſic dicatur. 18. 1. & 2
Figura hominum eadem & diuerſa, quantùm Dei ſapientiam probet. 13
φιλιππίζειν Pythian querebatur Demoſthenes. 22. & ibid. 1
Flatus, quibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, qui ſub oculos tamen non veniunt, Dei ſymbolum. 27

Flora meretrix propudioſa inter morbos Romanorum & deos computanda. 21
Flores dum occidunt & reuiuiſcunt, Reſurrectionis typus 28
Floribus beatus non eget, miſer non gaudet. 31
Fluctus cani ſpumoſique. 2
Fluuiorum lapſus exerciti. 13
Fontes venis perennibus manantes. 13
Forculus Deus, à foribus. 32
Formæ hominis pulchritudo Deum fatetur artificem. 13
Forma inanium ſtatuarum conſignata. 20
Fortitudo quomodo roboretur. 29
Fortuna variis & lubricis caſibus, ſoluta legibus dominari credita. 5. & ibid. 1
Fortunæ malè creditur. 30
Fratris nomine quinam vocentur. 2. & ibid. 2. 3. & ibid. 2. 26. & ibid. 1. & 2.
Fratrum & ſororum nominibus quàm diuerſo ſenſu vtebantur Chriſtiani & ethnici 7. 2 8. 1
Fraudibus qui abſtinet, propitiat Deum. 26
Fronto, Orator Chriſtianis infenſiſſimus. 26. & ibid. 1
Frugum ordo ſtabili varietate diſtinctus. 13
Frugum repertores in deos aſſumpti. 17
Fruſta temerè concurrentia, *pro* Atomis. 13 & ibid. 1
Fulgura rutilantia. 4
Fulmina præmicantia. 4
Fulmen Iouis cum armis Æneæ fabricatum. 18
Fulminum ignes corpora tangunt, nec abſumunt. 28
Furoris communis defenſio, furentium multitudo. 20

G

GAlli quo ritu Mercurium colebant. 25. *Vide* Romani.
Ganymedes cœlo conſecratus. 19
Geminos Romanos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. 35
Generi & ſoceri bella toto orbe diffuſa. 14. & ibid. 2
Gnoſticorum execrandi ritus. 8. 1
Græci & eorum regnum. 21
Græci à Romanis viuentes ſacrificiis obruti. 25
Grandines increpantes. 4

H

HErcules œteis ignibus quare concrematus. 18. & ibid. 2 ſtercora egerit & pecus paſcit. ibid.
Hermes Triſmegiſtus virum Deum loquitur. 33
Hirundines deos ſciunt non ſentire. 10. & ibid. 1.
Homerus à Platone ejectus. 18. & ibid. 2. quæ de Diis finxerit & ſcripſerit. ibid.
Homicidij feſtinatio, prohibere naſci 25 1
Homicidij diſciplina in ludis gladiatoriis. 30
Homo ex Gentiliū ſenſu pecoribus inuidere coactus. 9
Homo quantum debeat ſe noſſe & circumſpicere. 12. & 13
Homo à feris belluis in quo præcipuè differat. 13
Homo poſtremus creaturarum. 13 1
Homo Deum faciens, Deum volens, Deum dedicans. 20. & ibid. 1
Homo præ cæteris electus in Anabi villa ab Ægyptiis coli ſolitus. 21. & ibid. 2
Homo eſt etiam in ſemine. 26. 2
Homo Dei figmentum, plaſma, templum & numiſma. ibid.
Hominibus homines multi, Deo admodum pauci. 27
Homo à Deo vt primùm potuit fingi, ita & denuò poteſt reparari. 28
quod Homo eſt Chriſtus eſſe voluit, vt & homo poſſe eſſe quod Chriſtus eſt. 34
Horarum commeatus. 9
Hortenſis Dei diffiſſa nate horrendum tonitru. 24. 1
Hoſpites immolare, quarumdam gentium ritus. 25
Hoſtanes dæmonum & Magorum eloquio & negotio verum Deum merita maieſtati proſequitur. 22. & ib. 1 quid & de dæmonibus & de Angelis ſenſerit. ibid.
Hoſtia litabilis, bonus animus, pura mens, ſincera ſententia. 26
Hoſtiæ ad pœnam coronatæ. 30
Hoſtius vir notæ impuritatis. 24. 1
Humore conſumpto mundus igneſcens. 28
Hydra felicibus vulneribus renaſcens. 16
Hyems cruda *pro* crudeli & aſpera. 20 & ibid 2

I

IAniculum à Iano. 19
Ianuarius menſis à quo dictus. 32
Ianus bifrons. 17. & 18
Ianus cur bifrons exprimatur. 32
Idololatria vnde orta. 16. 2
Ignis accendens ſydera. 4
Ignis exitus mundi ex mente Senecæ. 28. 1
Ignis ſapiens membra vrens & reficiens, carpens & nutriens. 28. & ibid. 2
Imitatio Chriſti. 35
Imperium orbis vnde crediti obtinuiſſe Romani. 5 2
Imperiis terrenis exempla de cœlo. 14
Impiatum toties Romanis, quoties triumphatum. 21
Impudicitiæ ſacra, eaque vocata vrbanitas 24
Inauditum reum condemnare, quàm ſit peruerſum. 23. & ibid. 1. & 2
de Incendio mundi. 27. & ibid. 2
de Inceſto conuiuio fabulam grandem aduerſus Chriſtianos mentita dæmonum coïtio. 26. & ibid 1. de Inceſtu plura. ibid.
Incipere quod non ſit, difficilius eſt, quàm quod fuerit iterari. 28
Incitus, *pro* incitatus *vel* furioſus, *vel* rabidus. 7. & ibid. 2
Indiciis Deo opus non eſt. 27
Indoleſcere. 4
Indus Orientem & ferens & rigans 14
Inferorum tormentis nec modus vllus, nec vllus terminus. 28
Infirmitatibus fortitudo roboratur. 29
Ingenium non dari facultatibus, nec ſtudio parari, ſed cum ipſa mentis formatione generari. 12. & ibid. 2
Inguinibus ore libidinoſo inhæreſcere. 24
Inhærere ſuperſtitioſis vanitatibus. 2. & ibid. 1
Initiari cæde & ſanguine infantis, crediti Chriſtiani. 25
Inlicitus *pro* furioſus. 7. & ibid. 1. & 2
Inlumen veracium verborum. 11
Innocentiam qui colit, Domino ſupplicat. 26
Inſanitatis patrocinium, inſanientium turba. 20. 2
Intergreſſus grauiſſimæ diſputationis. 11
Ire in ſæcula. 12. 2
Iſis Pharia, & vnde ſic dicta. 17 & ibid. 1. *Vide* Spicæ. Iſis hirundinino garritu querula ibid. 2
Iſis perditum filium cum ſuis ſacerdotibus luget, eoque inuento cum iiſdem gaudet. 17 & ibid 2
Iteratio, *vel* inſtauratio. 6. & ibid 1
Iuba Mauris volentibus Deus. 19. & ibid. 2. nomen commune Regibus Mauritaniæ. ibid 9
Iudæorum miſera gentilitas. 8. & ibid 2
Iudæi non priùs à Deo deſerti, quam ipſi Deum deſeruerint. 27
Iudæis vnde regni ſublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit. 31. quomodo inde exciderint. ibid.
Iudicem inter & Arbitrium differentiæ 3. & ibid 2
Iudiciorum peruerſitas cur olim in Chriſtianos ſæuiebat. 23. 2
Iudicium Dei quantò tardius tantò iuſtius. 28
Iuno bubulis oculis 17
Iuno nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna. 21
Iuppiter à Briareo liberatus. 18 & ibid 2. Sarpedonem filium deflet. ibid loro Veneris illectus. ibid.

Iouem qui principem volunt, falluntur in nomine, ſed de vna poteſtate conſentiunt. 14
Iuppiter Saturno ne voraretur ſubreptus. 17
Iuppiter vnde dictus Dictæus. 17. & ibid. 1
Iouis tot monſtra quot nomina. 18
Iouis antrum & ſepulcrum 19
Iuppiter mali & noxij hominis ſanguine ſaginatus. 25
Iuppiter deſtinatam ſibi cum ſuis cultoribus pœnam præſcius perhorreſcit. 28
Iuſtitiæ Romanæ tantùm laudatæ, quàm iniuſta primordia. 20
Iuſtitia non videtur quicquid non diſcutitur, nec examinatur. 23. 1
Iuſtitiam qui colit, Deo libat. 26

L

LAc. *Vide* Ros.
Lacus. *Vide* Curtius. & Thraſimenus.
Lambere medios viros. 24
ab Latiaris Iuppiter homicidio cultus. 25
Latium Saturni latebra. 19
Laudibus meritum repenſare. 31
Leo magnus ſacrorum Antiſtes apud Ægyptios. 17. 1
Leſbij quo maximè morbo laborarint. 24. 1
Leucothea in mare præcipitata, fit maris numen. 32
in Liberis quid ſit amabilius. 2. & ibid. 1
Liberos paſſim ſerere. 26
Libido in Æditŭorum cellulis flagrans. 21
Libidines vagas cur Ethnici Chriſtianis obiecerint. 26. 2
Libram tenere æquiſſimi Iudicis, *vel* Iudicij. 3 & ibid. 2
Licentiâ poteſtatis liberè nundinari. 30
Limentinus Deus, à liminibus. 32
Linguæ malæ homines quinam ſint. 24. & ibid. 1
Lingua mariti & ore mœchi. ibid. 1
Liquor. *Vide* mare.
Litteras imprimere quis primus inſtituerit 32 & ibid. 2
Loquela ipſo offenſantis linguæ fragmine dulcior. 2
Ludere propriè dictum de Magia. 22. 1
Ludi cuiuſdam puerilis deſcriptio. 3. & ibid. 1
Ludorum offenſi Iouis de ſomno plebeij hominis iteratio. 6
Ludi Curules quantùm horrori Chriſtianis. 30
Lugere quod colas ridiculum. 17
Luna vt menſem auctu, ſenio, labore circumagat. 13
Luna ſub Iſidis nomine ab Ægyptiis culta. 17. 1
Lunulæ ſtatuis deorum appoſitæ, ne aues illas ſordibus conſpurcarent. 20
in Lupercalibus veterum ridendæ ceremoniæ. 20. & ibid. 1

M

MAgi per dæmonas faciunt quicquid miraculi ludunt. 22. & ibid. 1
Malum tribus, vel etiam innumeris intellectum ſuperlatiuis. 24. 2
Mancinus religionem tenens, & ſub iugum miſſus 33
Manubiæ quid ſint, & in quo differant à prædis, ſiue ſpoliis. 20 2
Manum ori admouere, *pro* adorare. 2. & ibid 2
Mare poſitis etiam flatibus, ſemper inquietum. 2. cur eius fides vocetur infamis. ibid. 2. Liquor mare influens. 4. & ibid 2
Mare littoris lege ſtrictum. 13
Martis & Veneris adulterium deprehenſum. 19
Maria fontes aquis dulcibus nutrire aliquando deſitura. 27. 2. 28. 1
Martyrum conſtantia. 29 & ibid. 2. in pueris etiam & mulierculis. 30
Materies ab artifice, vt Deum faceret illuſa 19. & ib. 2
cum Matribus miſceri jus eſt apud Perſas. 26
Matrimonium in quo differat à Contubernio. 1. 2
Mauritaniæ Reguli, dij ſunt. 19. 2
Mauri manifeſtè reges ſuos colunt. 32
Medi & eorum regnum. 21
Medicamina, quæ Græcis ἀλεξιτήρια φάρμακα φθόρια. 25. 1
Mediocritas humana quantùm abſit ab exploratione diuina. 4
Medium ex tribus, lateris ambitione protegere. 3. & ibid. 2
Melicertes in mare præcipitatus, fit maris numen. 32
Meliora ordiri cùm viſum Deo, finiunt vetera. 28. 1
Membrorum nihil eſt in homine, quod non & neceſſitatis cauſâ ſit & decoris. 13
Memoriæ *pro* Annalibus. 6. 1
in Memorias ire quænam dicantur. 12. & ibidem 1.
Mendacium in veriſimili. 11. & ibid. 2
Mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum 19
Mendicare ſtipem, vel panem quærere, mos ſacerdotum Magnæ deæ. 20. 1
Mens vna in duobus diuiſa. 1
Mens mortalium talis, qualem parens omnium diem duxerit. 14. & ibid. 2
Mentes perditæ, *pro* delatoribus, calumniatoribus & aliis huiuſmodi generis humani peſtibus. 30. & ibid. 1
Menſtrua mulierum grandio re excepta. 24. 1
Mercurius Gallorum Deus. 5
Mercurius alatis pedibus. 17
Mercurio Galli humanas vel inhumanas victimas cædere ſoliti. 25
Metempſychoſis Pythagoræ. 28
Milui in ipſis Deorum oribus inſidentes ac nidificantes niſi abigantur. 20
Mimicum vitium Philoſophiſtudio oppoſitum. 28. & ibid. 1
Minerua cæſiis oculis. 17
M. Minucius Felix quis fuerit, & quænam de eo extent monimenta. 1. 1. an fuerit Africanus. ibid. eius ætas ſub Seuero. 6. 2
Miracula, mira monſtruoſa 16
Miſer quis videri poteſt, non inueniri. 29. & ibid. 2
Montium tecta aptè diſpoſita. 13
ſine More, *pro* iniuſtè, vel ſine exemplo. 20
Mori poſt mortem. 7
Mori ſumptum apud Ethnicos, *pro* conſumi, finire, perire. 19. 2
Mortis multas rerum natura aperuit vias. 9. 1
Mors eſt, felicitas abſque Deo. 29
Mortalitas in primis parentibus probata, in cæteros ordine ſucceſſionis influit. 19
Mortuos coronare, mos antiquus. 30. & ibid. 2. 31
Mucius Scæuola eiuſque dextera igne ambuſta. 29. & ibid. 2
Multiuira ſacra quædam coronans. 20
Mundi ortûs & quæ in eo ſunt viciſſitudinum, notanda deſcriptio. 4. & 5
Mundi ciuitatem omnium communem niſi cognoueris, non poſſis pulchrè gerere rem ciuilem. 1. & 3
Mundus hic totus, Deo vna domus eſt. 27
Mundus ex mente Platonis ſoli Deo ſolubilis, & mortalis. 28. & ibid. 1
Mures deos non ſentire probè norunt. 20. & ibid. 1
Mus mas à templi Bonæ deæ ingreſſu prohibitus. 20. 2

N

NAſci de nihilo vt licuit, ita de nihilo licet ſeparari. 28
Naſcimur omnes pari ſorte, ſola virtute diſtinguimur. 30
Natalis vir notæ impuritatis. 24. 1
Nat o latebroſa, quænam apud Ethnicos. 7. & ibid. 2
Natura ſæuit exuſtionem terris denuncians 27. 2

ex Naturæ effectibus probata Reſurrectio. 28
in Naufragiis fata mixta. 5
Naufragium ferale Claudij & Iunij. 6. & ibid. 2.
in Naui cum velis tumentibus vehitur crucis ſignum. 25
Nebulæ adoleſcentes. 4
Neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate non obſeruatum. 32
Negotium *pro* re ardua & difficili. 22. 1
Neptunus glaucis oculis. 17
Neptunus Laomedonti muros inſtituit. 18
Nero in Deum adſciſci veritus. 19. 2
Nicolaitæ heretici quam infames. 8. 1
Nicolaitæ qui nomine Chriſtianorum cenſebantur, quantum ad communem procliues libidinem. 26. 2
Nidore altarium, vel hoſtiis pecudum ſaginati dæmones. 22. & ibid. 2
Nihil poſt obitum, ante ortum nihil. 28
Nilus Ægypti fluuius, vnde ſic dictus. 14. 1
Nobilitas vera quænam ſit. 30. & ibid. 1
Nocturna ſacra cur laudata, & cur vituperata. 8. & ibid. 2
in Nolendo eſt quædam voluntas. 1. 2
Nominum additamenta à Deo auferenda, vt perſpiciatur eius claritas. 14
quod ſupra Nos, nihil ad nos. 10. & 35
Noſce teipſum: & quàm varus quibuſque hæc ſententia tribuatur. 4. & ibid. 1
Numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur. 13
Numinum fatua commenta. 21. 2
quod Numerus Chriſtianorum augeretur, non crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. 26
Nummos in Italia ſignare quis inſtituerit. 32
Nutare dictum de ſententia. 12. & ibid. 1
Nutrire maria fontium dulces aquas abiturum in vim ignis. 27. & ibid. 2. 28. 1. phraſis notanda.

O

OCeanus reciprocis æſtibus refluens. 13
Octauius, qui & Ianuarius, Minucij Felicis amicus, an ſententiam dixerit in Concilio Africano. 1. & ibid. 1
Octauius à Cæcilio laceſſitus. 11. & ibid. 1
Odiſſe quem timeas, naturale eſt. 23. & ibid. 1
Oliuitas hyberna *pro* hiberna vligine, & cur ab Authore dicatur neceſſaria. 13. & ibid. 2
Opes malle contemnere, quàm continere. 29
Opinioni cuilibet temerè ſuccumbere. 4
Oracula Gentilium quam falſa & inania. 21. & ibid. 2. 22. 1. veritatem an aliquando tetigerint, & quomodo. 22
Oracula quomodo fiant. 22
Orationis incendiis à corporibus exacti dæmones. 23
Origo futuri hominis medicaminibus extincta. 25. & ibid. 1
Orta quę ſunt omnia, occidere & interire neceſſe eſt. 27
Oſculum labiis premere. 2. & ibid. 1
Oſiris. *Vide* Serapis.
Oſtia, ciuitas amœniſſima. 2. & ibid. 1

P

PAllori & Pauori à Romanis templa erecta. 21
Pan pedibus vngulatis. 17
Parricida eſt qui ſuum diſperdit ſemen. 26. 2
Paſtorum & caſæ regnum. 14
Pauor. *Vide* Pallor.
Pauperes commenti prudentiam. 12. & ibid. 2
Pauper quis ſit, & quis non ſit. 29
Paupertas non eſt Chriſtianorum infamia, ſed gloria. 29
Pectus anguſtum eſt homini ad intellectum. 14
Periculi præſentia nemo non quatitur aut commouetur. 10. & ibid. 1
Periculo hominem qui ſubripit, optimam victimam cædit. 26
Periculis ingenia penſitare. 29
Perſæ de equorum hinnitu augurantes principatum. 14. & ibid. 1
Perſæ & eorum regnum. 21
Perſeus Zenonis auditor, quid de diis ſenſerit. 17. & ibid. 1
Phalaridis regnum. 5
Pharao nomen commune Regum Ægypti. 19. 2
Philoſophari quo genere poſſint & indocti cautè, & docti glorioſè. 10
Philoſophorum antiquorum de Deo ſententiæ. 15
Philoſophos inter & Chriſtianos conſenſus. 16
Philoſophi de diuinis prædictionibus Prophetarum, vmbram interpolatæ veritatis imitati. 28. & ibid. 1
Philoſophi aduerſus vitia facundi, intercutibus ipſi vitiis madentes. 31. & ibid. 2
Phryges quem Deum coluerint. 5
Picus Romanorum deus vernaculus. 21
Pilei Saliorum in coni formam faſtigiati, vnde & dicti apices. 20. & ibid. 1
Pilumnus Romanorum vernaculus deus, & vnde ſic dictus. 21. & ibid. 1
Piſcibus ab Ægyptijs ſacra inſtituta. 24
Piſtrinenſis militiæ dedecus ob Religionis Chriſtianæ ſimplicitatem exprobratum. 11. & ibid. 1
Platonis de Deo oratio tota cœleſtis, niſi perſuaſionis ciuilis nonnumquam admixtione ſordeſceret. 16. & ibid 1
Plato Angelos ſine negotio narrat & dæmonas. 22
Plato quid de mundi exitio & reſurrectione ſenſerit. 28
Plaudere in aliquem. 11. & ibid. 1
Pœnitentium olim ad Antiſtitum & Preſbyterorum prouolutio, quàm ſtupenda, necnon & ridicula exprobratione notata. 8. & ibid. 1
Pollinctores Ioſephi Patriarchæ. 10. 2
Pompa ſermonis *vel* facundiæ. 12. & ibid. 2
Pondera terram fundantia. 4. & ibid. 2
Præmium nemo percipit ante experimentum. 29
Prodicus Chius, qui ea quæ prodeſſent hominum vitæ, deorum in numero habita eſſe dixit. 17. & ibid. 1
Profani literarum. 4. & ibid. 1
Protagoras Abderites ob Atheiſmum damnatus ab Athenienſibus. 7. & ibid. 1
de Prouidentia quàm malè opinatus fuerit Cæcilius Minutij Felicis amicus. 4. & 5. de ea iterum. ibid 1
de Prouidentia an aliqua poſſit eſſe dubitatio. 14
Prouocare periculum. 29
Ptolemæus Regum Ægypti recentiorum nomen commune. 19
Pudorem non facie, ſed mente præſtant Chriſtiani. 26
Pulli caueâ recluſi, quorum cibo vel faſtidio reſpublicæ ſumma regeretur. 21
Pyrrho Philoſophus. 31
Pythagoræ notanda de Deo ſententia. 15
Pythij reſponſa, deque iis nonnulla notatu digna. 21. 2. 22. 1

Q

QVæſtio peruerſa non quæ verum eruat, ſed quæ mendacium cogat. 23. & ibid. 1. & 2

R

REfluere in fontem & in ſemet omnia reuolui. 4. & ibid. 2

Reformare ad veram Religionem. 2
Reges religioſè culti. 16. & ibid. 2
Reges conſecrati, non ad fidem numinis, ſed ad honorem emeritæ poteſtatis. 19
Regibus vt diis turpiter blanditur adulatio. 24
Regibus inſtituta templa. 32
Regni ſocietas nec cum fide cœpit, nec ſine cruore diſceſſit. 14
Regna non meritò accidunt, ſed ſorte variantur. 33
Religionum ritus vnde orti. 6
Religiones captiuas poſt victorias adorare. 21
Religioſior apud Chriſtianos qui iuſtior. 27
de Renaſcendi conditione quid ſenſerint Pythagoras & Plato. 28
Renunciandi Sathanæ & pompis eius, quo tempore apud Chriſtianos ritus incœperit. 10. & ibid 1
ob Reſurrectionem quam profitebantur, quantum inuiſi Gentilibus Chriſtiani. 9 & ibid. 1
Reſurrectionem futuram omnis natura meditatur. 28
Ritus Romanæ ſuperſtitionis. 20
Robora ſubſtrata nauigiis quidnam ſint. 3. & ibid. 1
Romani vniuerſarum gentium ſacra ſuſcipientes. 5. 2
Romani non tam virtute quàm religione & pietate pollentes. 20
Romani impunè ſacrilegi. 21
Romani Græcos & Gallos, mares & feminas, ſacrificiis viuentes obruere ſoliti. 25 & ibid. 2
Romulus Deus pei ierante Proculo. 19
Romulus, vt populum ſuum facinore præcelleret, parricida. 20
Romulus Romanorum vernaculus Deus. 21
Roris lactei vbertate adoleſcere. 14
Rudes ſtudiorum. 4. & ibid. 1
Rutilij exitium. 5

S

SAbinæ à Romulo raptæ. 20 & ibid. 2
Sacerdotes Iſidis calui. 17. & ibid. 2
Sacra ſacrilegiis omnibus tetriora. 8
Sacra facta quæ fuerant aſſumpta ſolatia. 16
Sacra quondam Ægypria, deinceps & Romana. 17
Sacra Dei ex mente authoris. 17
Sacrificia Chriſtianorum quænam ſint. 26. 27
Sacrificiorum ethnicorum reliquias cur contemnerent Chriſtiani. 30. & ibid. 2
Sacrilegij inſtar eſt, humi quærere quòd in ſublimi debeas inuenire. 13
Sacrilegium eſt conſecrare, & adorare quæ manu ceperis. 21
Sæcula ruſtica 11. 2
Saganæ caliendrum. 2. 1
Sancti quinam apud Ethnicos, quique apud Chriſtianos dicebantur. 1 2
Sanctitatem vnde obtineant cerimoniæ atque fana. 5
Sapientia vera quænam ſit. 2
Sarapis, *ſiue* Serapis, an idem ac Apis Ægyptiorum Deus. 23 & bid. 1. quis fuerit. ibid.
Sathanas. *vide* Renunciare.
Saturnia vrbs ex nomine Saturni. 19
Saturnus pedibus compeditis 17
Saturnus Creta profugus. 19. Iani ſuſceptus hoſpitio. ibid.
Saturno infantes à parentibus immolati, quòd proprios filios deuoraſſet. 25. & ibid 2
Saturnus cur falcem ferens pingatur. 12
Scanſus deus, ab aſcenſibus. ibid.
Scautus vir notæ impuritatis. 24. 1
de Sceleris ſuffragio commendatio dignitatis. 13
Scenæ furor & turpitudo. 30. & ibid. 2
Sciſcitari hominis voluntatem. 29
Scortorum licentiæ inuidere. 24
Scylla multiplex. 16
Secta in bonam partem & pro Chriſtiana confeſſione ſumpta. 3
Semina naturâ in ſe coëunte denſata, quænam ſint. 4. & ibid. 1
Semina nonniſi corrupta reuireſcentia, Reſurrectionis typus. 28
Sepultura cadaueribus & pœna & medicina. 9
Sepulturæ vllum damnum an timeant Chriſtiani. 28
Serapidis, ſiue Oſiridis tumulus 17. 1 & 2. *Vide* Serapis.
Sermo quò imperitior, hoc illuſtrior. 11. 2
Serpentibus ſacra ab Ægyptiis inſtituta. 24
Setuchus author Idololatriæ. 16 2
Seruo, quibuſdam ceremoniis veterum intereſſe, piaculare flagitium 20
Sexus omnis, membris omnibus præſtans impudicitiæ. 24
Signa caſtrorum in modum crucis. 25. & ibid. 1
Simonidis Melici admiranda & ſectanda cunctatio. 10
Simonides Philoſophus 31
Simonitæ nomine Chriſtianorum cenſiti, quantum ad communem procliues libidinem. 26. 2
Siphara vexillorum & cantabrorum, ſtolæ crucium ſunt 25. 1
Soceri & generi bella toto orbe diffuſa. 14. & ibid. 2
Socratis venenum 5
Socrates ſapientiæ princeps, eiuſque reſponſio, cum de cœleſtibus interrogaretur. 10
Socrates ad nutum & arbitrium aſſidentis ſibi dæmonis vel declinabat negotia, vel petebat. 11. & ibid 1
Socrates ſcurra Atticus, fallaciſſimi dæmonis teſtimonio glorioſus. 31
Solatia rediuiua. 7
Soles alij atque alij ſemper ſplendentes. 4
Sol qui videndi omnibus cauſa eſt, intuitiuè tamen videri non poteſt, Dei ſymbolum 27. & ibid 2
Solis ortus & interitus Reſurrectionis typus. 28. & ibid. 2
Sol occaſui decliuis. 31
Soliſtimum Tripudium. 21. 1
Somnio ſimilis felicitas abſque Deo. 29
cum Sororibus apud Ægyptios & Athenienſes legitima connubia. 26
Sortem qui in hominibus puniat, non voluntatem, iniquus Iudex. 9
Spectaculum Deo pulchrum. 29
Spes cuius omnis in homine mortali innititur, verè miſerabilis. 24
Speuſippi Philoſophi de Deo ſententia. 15 & ibid. 2
de Spicis Iſidis factum ad hirundinem ſiſtrum. 17. & ibid 1
Spiritus inſinceri, vagi, & à cæleſti vigore terrenis labibus & cupiditatibus degrauati, quinam ſint, & quænam eorum functio quotidiana. 22
Spiritum ſanctum carnem induere, quo ſenſu dicatur 34. & ibid. 1. & 2
ſub Statuis & imaginibus conſecrati dæmones deliteſcunt. 22
Status hominis rigidus 13
Stipitis infelicis portio, ex qua fit Deus. 19. & ibid. 2. *vide* Triuia.
Stoïcorum opinio, ipſum Deum ſolui in ignem, & mutatione mundum reparari 28. & ibid. 1
Strangulatio, pœna præpoſtera. 25 1
Strepitus per pudenda corporis expreſſos non minus quàm Serapidem metuunt Ægyptij. 24. & ibid. 1
Stuprare, *vel* ſtuprari quæ ſub terram profundi ſunt, religioſum. 4. & ibid. 1
Stygis nouem circuli Inferos cingentes. 28. & ibid. 2
Suborbana dea, ab orbitatibus 32
Subſtantia mortalem inter & immortalem, quæ ſit ex mente Platonis 22 & ibid 2
Subtilitas mira, quæ nonnumquam vbertate dicendi fidem probatæ confeſſionis imitetur. 11
à Subtilitate ſimplici procul eſt ſubtilis vrbanitas. 12. & ibid 1

Sui homines. 21. & ibid. 2
Supercilia Philoſophorum. 31
Superſtitio Romana quomodo nata. 20. quorumdam illius rituum enumeratio. ibid.
Supplicia Chriſtianis inſligi ab Ethnicis ſolita. 10. & ibid. 1
Syllabarum ſcribendarum mos antiquus. 7.1
Syllabæ duæ in vnam contractæ. 11.1
Syrophanes Ægyptius filij ſimulachrum ſeminarium doloris inuenit. 16.2

T

TAbulæ à quo primùm. 19
Tauris Ponticis hoſpites immolare ritus fuit. 25
Temetum, vnde & temulenti. 5.1
Templa. Ethnicorum deſpecta à Chriſtianis vt buſta. 7. & ibid. 2
Templa cur non haberent Chriſtiani in ipſo Chriſtianæ religionis exordio. 8. & ibid. 2
Templis an indigeant dij vt habeantur dij. 22. 2. 23. 1
Temporum ordo ſtabili varietate diſtinctus. 13. & ib. 1
Tempus acceptum certo fine cuſtodire. 33
Tendere arenas, *pro* extendere. 2. & ibid. 2
Tenebrarum & luminis recurſantes vices. 13
Terere eamdem viam rurſus terſis veſtigiis. 3
Terra. *Vide* pondus.
Terræ filij inopinatò viſi, cœlo miſſi, ignobiles & ignoti. 19. & ibid. 1
Tertullianus an fuerit Minutio Felice antiquior. 1. 1
Thales Mileſius primus omnium de cœleſtibus diſputauit, & quid ſenſerit de Deo. 15. & ibid. 1
Thebanorum par, mortua, *vel* muta fabula. 14. & ibid. 1
apud Thebanos partum expoſuiſſe, capitale. 16. 1
Thebanorum fratrum germanitas rupta. 33
Theodorus Cyrenæus Atheiſmi crimine inſimulatus 7
Theophraſtus vnitati prouidentiæ ſubſcribens. 15 & ibid. 2
Thraſimenus lacus. 6. & ibid. 2
Tiberinus Romanorum deus vernaculus. 21
Timere quod non noris, an ſit ferendum. 20
Timori cognatum eſt odium. 23. 1
Tinguere plantas in æquoris limine. 2
Tireſias in futuris oculatus, in præſentibus cæcus. 21
Tonitrua nimbis collidentibus mugientia. 4
Tori venarum & iubarum. 2. & ibid. 2
Torrentes ignei de ſcaturigine fontiũ ebullientes. 27. 2
in Traditionibus diuinis periculum quodnam ſit ex Cicerone 10. 2
Tripudium Pullorum ſolemniſſimum. 21. & ibid. 2
Trinia trinis capitibus, multis manibus horrifica 18. & ibid. 1.
Tropæa propriè quid ſint, & eorum duo genera. 21. & ibid. 1
Tropæa & crucis, & cruci affixi hominis faciem imitantia. 25
Tumor indignationis. 11. & ibid. 1
Tumor eloquentiæ. ibid. 2

V

VAnitas ſubtilis parum diſtat à fraudulento mendacio. 12 & ibid. 1
Varietatis *vel* varij vocabulũ, pro quibus vſurpatũ 14
Varietas ſubtilis quomodo ſumpta. 11. & ibid. 1
Vates pleni & mixti Deo, quantùmque crediti apud Ethnicos benefici. 6
Vatibus inſpirati dæmones, 22. an & Vates etiam dij. ibid. 2. & 23. 1
Vbera partu matureſcente lacteſcentia. 14
Vbertatem ſeminis conſumens exuſtio. 27. 2
Velle eadem & nolle, amicorum proprium. 1. & ibid. 2
Ventus qui auditur & non videtur, Dei ſymbolum 27
Venerem ſine Cerere & Libero frigere, comicus ſermo. 17
Veneris & Martis adulterium deprehenſum. 19
Venerem promiſcuè ſpargere. 26
Venus calua. 33
Veris & Autumni medium temperamentum. 13
Ver corporis expectandum. 28
Verba dimidia tentare. 2
Verborũ lenocinio à rerum intentionibus auocari. 16
Verborum tormentis à corporibus exacti dæmones 23
Veribus *pro* vberibus. 29. 1
Veritatis perſpicuæ conditio, per quid identidem mutetur. 11
Veritas obuia, ſed requirentibus. 19
Veritatem nonnumquam auſpicia tetigere. 22
Verſutia quid ſit propriè. 12. 1
Verum in incredibili. 11. & ibid. 1
Veſta neſciente in pluribus virginibus inceſtum vindicatum, in aliis non caſtitas tutior, ſed impudicitia fœlicior. 21. Quid ſit Veſta. ibid. 2
Veſuuij ignes flagrant, nec erogantur. 28
Vexilla caſtrorum in modum crucis. 25. & ibid. 1
Vexilla in quo differant à cantabris. ibid.
Viatico magno breue vitæ tempus non inſtruitur, ſed oneratur. 30
de Vicinia veritatis longè errare. 24
Vicit qui quod contendit obtinuit. 29
Victimæ ad ſupplicium ſaginatæ. 30
Viduus Deus apud Romanos, qui animâ corpus viduet. 32
Vindemia temulenta. 5
ad Vindemiam iudiciariam curam relaxare. 2
Vires mentis & corporis ſine laboris exercitatione torpeſcunt. 29
Virgilius de Deo quid ſenſerit & ſcripſerit. 14. & ibid. 2. 15. & ibid. 1
Vitia corporis humana ſentire, non eſt pœna, ſed militia. 29
Viuendi in itinere, leuior incedit qui paupertate ſe ſubleuat. 29
Vngendi cadauera mos antiquiſſimus. 10. & ibid 1.
Vnguenta olim ad quid potiſſimum adhibita. 10. 1
Vnitas in Deo aſſerta. 14
Vniuira ſacra quædam coronans. 20
Volumnus Romanorum vernaculus deus. 21. & ib 1
Vrbanitas ſubtilis. 11. & ibid. 1
Vrbanitatis nomine vocata impudicitia. 24
Vuerius *pro* vberius. 29 1
Vulcanus deorum princeps. 17. claudus & debilis ibid.
Vulgi ſermo naturalis quis ſit. 14
Vulgus ſtultum & prodigum. 33
Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur. 34
Vultus hominis erectus. 13. & ibid. 1
Vultus leonum & canum, dij dedicati. 24

X

XEnophon Socraticus quid ſenſerit de forma veri Dei. 16
Xenophanes quid ſenſerit de Deo. 15. & ibid. 2

Y

Y Litteræ vitæ humanæ curſum eſſe ſimilem. 11. 1

Z

ZEnon ad vnitatem prouidentiæ reuolutus. 15. & ibid. 2. 16

FINIS INDICIS.

AVCTORES A MINVCII COMMENTATORIBVS CITATI.

AElianus. 6.14.26
Aeſchylus. 6
Afranius. 6
Agellius. 6.21
Albericus. 17
Alciatus. 12
Alexander Polyhiſtor. 17
Altinus. 18
Ambroſius. 5.12.14.17.24.25.29.30
Ammianus Marcellinus. 8
Anaxagoras. 15
Ancyranum Concilium. 25
Anianus. 26
Apollodorus. 17.18.22.25
Apollonius Rhodius. 17.19
Apuleius. 2.8.13.17.18.19.22.24.26.29
Arnobius. 3.4.6.7.8.9.10.11.12.16.18.22
Ariſtophanis Scholiaſtes. 22
Ariſtoteles. 14.16.25.26.27.31
Athanaſius. 3.5.16.17.21.24.25
Athenæus. 10.18.22
Athenagoras. 5.7.12.14.15.25.26.28
Auguſtinus. 2.5.8.9.14.15.16.17.20.21.23.24.25.29
Aurelianus Lemouicenſis. 5
Auſonius. 25
Autor Orig. Gent. Rom. 20
Balduinus. 8
Baſilius Magnus. 7.9.13.14.30
Baſilius Seleucus. 30
Beda. 3.30
Boëtius. 4.30
Callimachus. 17
Caßianus. 3
Caßiodorus. 12.18.23
Cato. 14.24
Catullus. 7.17.20.28
Cedrenus. 23
Chalcidius. 16
Chryſoſtomus. 14.16.24.25.29.30.
Cicero. 2.3.5.6.7.8.10.11.13.14.15.16.17.19.20.21.22.25.28.31
Claudianus. 4.5.12.18.19.23.29
Clemens Alexandrinus. 3.4.7.12.16.20.26.27.28.30
Clementis Recognit. 5
Clementis conſtitut. 30
Clichtouæus. 24
Codex Regius. 6.7.34
Codex Theodoſianus. 23.25
Corbeienſis Codex. 33.34
Conſtantinus Manaſſ. 14.16
Cydonius. 28
Cyprianus. 1.2.3.12.17.19.22.30.33
Cyrillus Alexandrinus. 14.16.30

MIN.

Damaſcenus. 9.16.24.25
Democrates. 12
Demoſthenes. 3
Diagoras. 7
Digeſta. 25
Dio. 25
Dio Chryſoſtomus. 4.31
Diodorus Siculus. 10.17.22
Diogenes Laërtius. 1.5.16.24
Dionyſius Halicarnaſſæus. 20.25
Elias Cretenſis. 14
Ennodius. 1
Epictetus. 26.27
Epiphanius. 8.16.24.25
Eucherius. 1
Eugraphius. 3
Euripides. 8.25
Euſebius. 16.18.26.28.30
Euſebius Emyſſenus. 26
Euſtathius. 3
Eutropij breuiator. 6
Etymologici Magni author. 3
Petrus Faber. 20
Ferrarius. 7.9.15
Feſtus. 3.6.18
Firmicus. 4.9.17.18.19.20.23.24
Florus. 6.20.21
Fortunatus. 12
Fronto Cirtenſis. 1.8.26
Fulgentius. 11.16
Gaudentius. 5
Getulicus. 14
Gloſſarium vetus. 12.25
Gratianus. 23
Gregorius Nyſſenus. 2
Heliodorus. 12
Heraclitus. 27
Hermes. 16
Herodianus. 19
Herodotus. 10.14
Heſiodi Interpres. 17
Heſychius. 22
Hierocles. 28
Hieronymus. 1.2.3.5.11.14.15.16.17.18.20.21.23.24.25.28.30.31
Higini Aſtronomicum. 17
Hilarius. 2
Hippaſus Metapontinus. 28
Homerus. 3.14.19
Horatius. 2.9.10.20.25
Ioannes Sariſberienſis. 10
Ioſeph Abbas. 1
Ioſephus. 7.21
Irenæus. 26
Iſidorus Hiſpalenſis. 3.10.16.24.28

g

Iſidorus Paluſiota. 4.13.14.29
Iuſtinus Martyr. 15.16.19.22.25.28
Iuſtinus hiſtoricus. 4.14
Iuuenalis. 3.20.21.25.26.27.30
LActantius. 1.2.4.5.7.8.9.10.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.25.26.27.29.30.31.
Lampridius. 5.8
Langius. 24
S. Leo. 20
Tit. Liuius. 6.18.19.22.25
Lucanus. 5
D. Lucas. 1.8
Lucianus. 2.3.5.7.9.10.17.20
Lucifer Calaritanus. 9
Lucretius. 4.18.19.26
Lycophron. 18
MAcrobius. 6
Manilius. 4
Martialis. 2.7.8.24.29
Martianus Capella. 4.12
Martyrologium Bedæ. 30
Maximus Tyrius. 23
Maximus Monachus. 29
Mileſius. 23
NAuarricus Codex. 33
Nazianzenus. 15.16.25.29
Nicarchus. 24
Nicephorus Calliſtus. 26.30
Nicetas Choniates. 23
Nigrinus. 10
Nonius Marcellus. 20
Nonnus. 25
Nyſſenus. 14
ORigenes. 14.17.18
Oroſius. 6.8
Orpheus. 15.18
Ouidius. 3.5.6.12.13.19.21.23
PAlæphatus. 16
Papinius. 4
Paulinus. 28
Paulus Alexandrinus. 18
S. Paulus. 9.27
Pauſanias. 21.25
Perſeus. 17
Petronius. 3.9.11.26
Petrus Siculus. 24
Phædrus. 18
Phauorinus. 3
Philaſtrius. 16
Philo. 14.18
Philolaus. 14
Philoſtratus. 12.23
Plato. 4.16.18.22.28.31
Plautus. 3
Plinius. 2.3.4.5.6.7.8.10.14.19.25.27.30.32
Plinius junior. 12
Photinus. 29
Plutarchus. 6.10.15.16.17.18.19.20.22.25.27.28
Politianus. 19
Pollux. 3
Pontius. 2
Polybius. 6
Porphyrius. 17.18.22
Priſcianenſis. 7.9
Probus. 14
Procopius. 25
Prodicus Chius. 17
Propertius. 18.20
Prudentius. 2.7.9.10.12.13.17.20.24.25.28.30
QVintilianus.
REmigius Altiſsiodorenſis. 5
Ruffinus. 21
Rutilij itinerarium. 8
SAliſberienſis. 30
Salmaſius. 2
Saluianus. 29
Saluſtius. 1
Scaliger. 15
Scholiaſt. Lycoph. 16
Scholiaſtes Iuuenalis. 24
Schottus. 6
Sedulius. 24
Seneca Philoſophus. 3.9.11.20.23.24.27.28.29
Seneca Tragicus. 8.19.30
Septimius. 23.25
Seruius. 4.9.15.17.18.19.20.25.28
Sidonius Apollinaris. 5
Silius Italicus. 12.18.25
Sophocles. 14
Spartianus. 6
Statius. 4.9.14.17.18.20.23
Stobæus. 15.16
Strabo. 14.17
Suetonius. 3.21
Suidas. 3.5.6.7.9.12.16.24
Symmachus. 12
Sympoſius. 10
TAcitus. 2.6.23
Tatianus. 4.7.18.22.25.28
Teles. 9
Tertullianus. 1.2.3.5.6.7.8.9.12.13.14.15.16.18.19.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.34
Theodoretus. 3.4.5.7.14.16.24.25.29.30
Theophilus. 4.25.26.27.28
Thuanus Codex. 33
Tibullus. 19.26
Triſmegiſtus. 15
Trullana Synodus. 25
Tzetzes. 17
VAlerius Maximus. 6.14.21.29
Varro. 11.21
Venantius Fortunatus. 12
Verrius Flaccus. 6
Veronenſes membranæ. 32
Veronenſis Codex. 33.34.35
Victor. 2.16
Victorinus Codex. 33
Virgilius. 9.11.12.14.15.17.18.20.21
Voſsius. 7
Vvouuerius. 1.16.18.28
Vvolfius. 12
Vormacienſe concilium. 25
XEnophon. 4.13.27
ZEno Veronenſis. 11

VARIÆ LECTIONES IN
M. MINVCII FELICIS
OCTAVIVM.

PAG. 2. Verſ. 2. præcucurrit] Ita MS. & Fulvius Vrſinus. Romana editio Fauſti Sabæi, præcurrit.

Verſ. 4. tum] Ita Fulv. Vrſin. Sabæus, tunc. Aliter in Edit. noſtrâ.

Verſ. 7. annis adhuc innocentibus] Fulv. Vrſin. adhuc innocentibus.

Ibid. & verſ. 8. loquela] Fulv. Vrſin. Sab. loquelam. malè.

Verſ. 17. mollis] Fulv. Vrſin. Sab. molli.

Verſ. 19. impreſſit] Ita Fulv. Vrſin. Sab. preſſit.

Verſ. 24. tundebat] Sab. tendebat.

Verſ. 26. Toroſiſque] VVouuerius ex MS. tortuoſiſque.

Verſ. 28. alluderet] Fulv. Vrſinus. Catull. --- Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebat. Sabæi editio, illideret. Ambroſ. Hexamer. lib. 3. cap. 2. Vbi fluctus impetum ſuum ad littus illiſerit. Ruffinus Eccleſiaſt. hiſt. lib. 8. cap. 10. Si ſaxo immobili vnda alliderettur. Hieron. Epiſt. 41. ad Ruffin. illiſum ſcopulis æquor.

Pag. 3. Verſ. 8. emicaret] Sabæus emicaret, emergeret. Fulv. Vrſin. emicaret & emergeret. Sed ego cum VVouuerio τὸ emergeret, vt ſuperfluum, ſuſtuli.

Verſ. 10. exſiliret] Ita MS. & Fulv. Vrſin. Sabæus. eſiliret. Gelenius, reſiliret.

Verſ. 12. dolere] Sab. dolore.

Verſ. 17. facilius intelliget] Vouuer. ex MS. intelliget facilius eſſe, conſerere ſapientiam, quam in contubernalibus diſputare.

Verſ. 21. aut ordinis] Hæc verba MS. ignorat.

Verſ. 24. qui] Sab. cum.

Pag. 4. verſ. 2. minus] Sab. magis.

Verſ. 3. penitus] Ful. potius.

Verſ. 4. in explorando] Ful. in exploranda.

Ibid. imo] τὸ imo abeſt à MS. & Sabæi edit. ſed Fulu. addit.

Verſ. 5. audere] Ita MS. & Fulu. Sab. audire. malè.

Ibid. hos] Fulu. & hoc. Sab. & horum.

Verſ. 6. niſi] Ita Fulu. Vrſin. Sabæus, etiam.

Verſ. 7. de qua tot] MS. & Fulu. Sab. de qua tot omnibus.

Verſ. 9. ſublimata] Ita rectè VVouuer. Sabæus, ſublata. Vide Commentarium.

Verſ. 10. demerſa ſunt] Fulu. τὸ ſunt inducit.

Ibid. ſciſcitari] Ita Fulu. Sab. & MS. ſtuprari. Scaliger, ruſpari. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 15. implicemus] Ita MS. & Fulu. Sab. implicamus.

Ibid. Sint principiorum ſemina] Ita lego cum VVouuerio ex MS. Anianus ex Chryſoſt. in Matth. homil. 13. cap. 4. rerum primordia. Apuleius lib. 9. Metamorph. pag. 411. prima rerum exordia. Auguſtin. lib. 8. in Geneſ. cap. 7. primordia ſeminum. Ambroſius Hexamer. lib. 1. cap. 4. rerum exordia. Ruffin. eccleſ. hiſtor. lib. 1. cap. 1. rerum initia. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 18. ſua materia] MS. pura materia. Vvouuer. leuiſſima materia.

Ibid. pondus] Sab. pondere. Aliter in edit. noſtra.

Verſ. 20. alitur] Ita Fulu. Sab. attollitur.

Ibid. ut] MS. & Fuluius. Sabæus. id.

Verſ. 24. labentibus] MS. Sabæus, labantibus.

Verſ. 25. nubibus collidentibus] Ita emendanda hunc locum. alij legunt nimbis collidentibus. Vide Commentarium.

Verſ. 26. irruunt] Fuluius, diruunt.

Pag. 5. verſ. 4. æquatur nequitia melioribus] Fulu. Vrſin. æ. n. ſed attollitur. Sab. æ. n. m. ſ. & colitur.

Verſ. 8. ſeges cana] MS. ſeges flaua. Autor Queroli pag. 33. flaua ſeges. ſed vulgata etiam bona eſt. Vide Commentarium.

Verſ. 13. ante imbutus es timere] Ita MS. Sab. a. i. exiſtimere quam noſſe. malè.

Verſ. 14. qui] Sabæus, quia.

Verſ. 18. Magnam matrem] τὸ Magnam Fuluius addit.

Verſ. 19. Dianam Tauricos] Ita Fulu. Vrſin. Sab. Taurios.

Verſ. 23. iratus] Sabæus, iratos.

Verſ. 28. manſit] Fulu. Vrſin. maneat. MS. manſerit.

Verſ. 30. adſtruxerit] Fulu. adſtruxerat.

Pag. 6. verſ. 1. & ſic] Fulu. Vrſin. eſſe.

Verſ. 5. Mater Idæa] Ita Fulu. Vrſin. Sab. Mater Dea.

Verſ. 6. ſicut ſe oſtenderant] Ita Fulu. Vrſin. Sab. ſicut oſtenderant.

Verſ. 8. offenſo Ioue] Fuluius. & MS. Sab. offenſio Iouis. Aliter in Edit. noſtra.

Ibid. iteratio] Sab. iterato.

Verſ. 9. qui equitis ſui] Vvouuerius, q. eques, vel q. equi ſ.

Verſ. 18. inſignia] MS. inſignibus.

Pag. 6. verſ. 2. violamus] Ita Fuluius, Vrſinus, Sabæus, volumus. MS. nolumus.

Verſ. 4. & 5. tam vtiliter] τὸ tam à MS. & Sab. editione abeſt.

Verſ. 9. Athenienſes viri] Ita Rom. editio Sab. & MS. Fulu. Vrſin. τὸ viri delet. Caſſiodor. variar. lib. 11. epiſt. 1. Audiſtis principes viri. Tertullianus de pallio, Principes Africæ, viri Carthaginenſes.

Ibid. inconſultè] Sab. conſultè. malè.

Verſ. 14. deuſſerint] Ita MS. & Fulu. Sab. deriſerint. ineptè.

Verſ. 12. illicitæ] MS. & Fulu. Vrſin. Sab. inclytæ. MS. alius, inquinatæ.

Verſ. 16. lucifuga] Ita MS. & Fulu. Vrſin. Sab. editio, lucifugax.

Ibid. publico] MS. publicum.

Verſ. 17. miſerantur] Sabæus, miſerentur.

Verſ. 18. prô] Fuluius, proh.

Ibid. incredibilis] Sabæus, incredibili.

Pag. 8. verſ. 3. maximè nefaria] Ita MS. & Fulu. Vrſin. Sab. maxima & varia. malè.

Verſ. 10. imbuitur] Sab. imbuatur.

Verſ. 17. ebrietate] Sab. ebrietatis.

Pag. 9. verſ. 1. numinibus] Ita MS. & Rom. editio Fulu. Vrſini Sab. nominibus malè.

Verſ. 14. & exſtinctis] τὸ & Fuluius addit. Deeſt in Ed. noſtra.

Verſ. 19. &] Fulu. Vrſin. vt.

Verſ. 20. laboro] Fulu. Vrſin labore.

Verſ. 21. & 22. ſententiis] Fulu. ſententia.

Verſ. 22. etiam veſtra] Sab. & hæc veſtra.

Verſ. 23. addicitis] Sab. & MS. dicitis.

Verſ. 25. ſine corpore, an cum corporibus] Ita Fulu. Vrſin.

Ibid. & 26. ſine corpore, quod ſciam] Sab. ſine corpore hoc quod ſciam.

Verſ. 29. quis vnus ab inferis] Sab. quis vnus vllus ab inferis. ſed MS. & Fulu. Vrſin. non agnoſcunt τὸ vllus.

Verſ. 32. nimium] Sab. nimirum. malè.

Pag. 10. verſ. 1. ope, te, fame] Vvouuer. Sab. opere, fame.

Verſ. 3. periculo] Ita MS. & Sabæi editio. Fulu. Vrſin. legit, querquero. de qua voce vid. Arnobius lib. 1. aduerſ. Gentes pag. 7. Apuleius Apologia. Agellius lib. 20. cap. 1. Feſtus in Querquera.

Verſ. 6. & jam] Sab. etiam.

Verſ. 17. quiſquis] Sab. quiſque.

Verſ. 20. quod idem ipſe præſenſit] Ita MS. & editio Fulu. Vrſin. Sab. quod oraculum idem eſſe præſenſit.

Ibid. ſe eſſe] τὸ ſe Fulu. addit.

Verſ. 22. confeſſa imperitia] Sab. confeſſæ imperitiæ.

Verſ. 27. prorogauit] Fulu. Vrſin. prærogauit.

Pag. 11. verſ. 1. renidens] MS. renitens.

Verſ. 2. & quid] Fulu. Vrſin. ecquid.

Verſ. 11. in incredibili] τὸ in à Sab. abeſt.

Verſ. 18. in omni negocio] Sab. omni negocio.

Verſ. 12. lateat] Ita Fulu. Vrſin. Sab. ex altero latere.

Verſ. 17. refutari] Sab. reputari. MS. reputare.

Verſ. 22. verborum veracium flumine] Ita Fulu. Vrſin. MS. & Sab. v. v. in lumine.

Pag. 12. verſ. 2. ſua] Sabæus tua.

Verſ. 3 incertior] Sab. certior.

Verſ. 4. ſimplicitate] Sab. ſubtilitate.

Verſ. 5. vt ſit] Sab. vt ſit.

Verſ. 6. diffinditur] Ful. diffunditur.

Ibid. hæret anxius] Fulu. τὸ anxius delet.

Verſ. 12. ſciat] Sab. ſciret. malè.

Verſ. 16. at verò] Sab. adeò.

Verſ. 17. ſuſpicere] Sab. ſuſcipere. ineptè.

Verſ. 20. quicumque] Sab quæcumque. malè

Pag. 13. verſ. 8. Deum] Sab. Dominum.

Verſ. 14. ſupra circaque] Ita Lindenbrugius noſter in catalectis veterum poetarum. aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 21. indicant] Ita MS. Sab. inducunt.

Verſ. 35. præcipuè] Sab. præcipuæ. malè.

Pag. 14. verſ. 4. Ægypti ſiccitatem temperat Nilus] V. d. Petrus Faber IC. Semeſt. lib. 3. cap. 15.

Verſ. 13. deſilit] Ita Fulu. Vrſin. Sab. diſceſſit. malè.

Verſ. 14. præmortuam] Ita Fulu. Vrſin. Sab permortuam. Vera lectio eſt, par mortuum. Quintilianus declam. 317. par gladiatorum. Vopiſcus in Probo imp. Gladiatorum paria trecenta. Petronius Thebanum par, humilis taberna ſpectaret. Seneca de prouident. cap. 2. Par Deo dignum vir fortis cum mala fortuna compoſitus. Videndus Statius in 8 Thebaid.

Verſ. 21. nec comprehendi poteſt, tactu purior eſt] Ita Fulu. Vrſin. ex Cypriano de idolorum vanitate.

Verſ. 24. Dei] Sab. Deo.

Verſ. 33. audio] Fulu. Vrſin. audi.

Pag. 15. verſ. 1. proximius verius] Vvouuerius legit, proximius veris.

Verſ. 3. & 4. hæc enim eius verba ſunt] Ita Fulu. Vrſin. hunc locum conſtituit.

Verſ. 8. ſit] Sab. ſi. malè.

Verſ. 10. Is rerum initium aquam dixit] Sab. idem. Mileſius Thales r. i. a. d.

Verſ. 11. & altior & ſublimior] Sab. & altior & ſublimior aquæ, & ſpiritus ratio.

Verſ. 19. Deum eſſe] Ita Fulu. Vrſin. Sab. Deum noſſe.

Verſ. 23. Heraclides Ponticus. In edit. Sabai hac verba præcedunt: Ariſt Ponticus variat, alias mundo, alias menai diuinæ tribuens principatum. quæ cum Fulu. & MS. vt ſuperflua induxi.

Pag. 16. verſ. 6. & 7. Hoc genus rerum vocabula eſſe] Ita repoſui ex Ful. & MS. Sabaus, & hoc genus cæterarum rerum Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 11. Ipſe ſuo nomine] Fulu. Vrſin. ipſo nomine.

Verſ. 13. & 14. Eadem fere iſta, quæ & noſtra ſunt] Ita Fulu. Vrſin. Sab. e. f. & iſta, quæ noſtra ſunt.

Verſ. 23. Equos ſuis hominibus] Vvouuer. e. ſemihominibus.

Verſ. 26. Similiter verò] Sab. ſ. ac verò.

Verſ. 33. Hiſtoricorum] Ita MS. & Fulu. Vrſin. Sab. Stoicorum. male

Pag. 17. verſ. 3. Eleuſiniæ] Fulu. Eleuſinæ.

Ibid. aſſumptos in Deos loquitur] Ita Vvouuer. Sab prodigiis a. i. d. l. Aliter in Edit. noſtra

Verſ. 4. inuentis nouis frugibus] Fulu. Vrſin. qui inuentis nouis vtilitati.

Verſ. 9. Diſpice] Ita Fulu. Vrſin. Sab. diſpicis. Aliter in Ed. n.

Verſ. 18. at] Sab. &.

Verſ. 19. eliditur] MS. illiditur. Vvouuer. editur.

Ibid. de Cybele Dindymena] Fulu. Vrſin. Sab. Cybele Dindyma. a ij, Cybelen Dindymenam.

Verſ. 23. dedecora] Sab. decora. male

Pag. 18. verſ. 1. Diana eſt interim altè ſuccincta venatrix, verubus extructa: & Epheſia mammis multis] Ita hunc locum rectè emendat Vvouuerius in notis pag. 145. Georgius Fabricius in expoſit. ad Prudentij Roman. Martyr. pag. 245. ita citat Minutii verba: Diana Ilithyia eſt altè ſuccincta venatrix, & Epheſia mammis multis & verubus extructa. Petrus Faber IC. Semeſt. lib. 3 cap. 3. Diana interim alte ſ. v. Epheſia, & mãmis multis Ceres extructa Aliter in Ed. n.

Verſ. 10. permirum quantum] MS. plurimum quantum. Vid. Carrio antiq. lection. lib. 2. cap. 12. & lib. 2 emendat. cap. 18.

Verſ. 11. in ſermone] Fulu. & MS. ſermone.

Verſ. 15. Fleuiſſe, & ceſto Veneris illectum] Ita Fulu. Vrſin. Sab. fleuit & toro. V. illect. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 18. illic Vulcanus] Ita Fulu. Vrſin. Deeſt in Edit. noſtra.

Pag. 19. verſ. 4. iiſdem] Sab. hiſdem. malè.

Verſ. 8. acceſſit Iani ſuſceptus hoſpitio] Ita MS. & Fulu. Sab. acceſſerat ſuſceptus h.

Verſ. 11. Vrbem Saturniam dedit de ſuo nomine] Fulu. Vrſin. v. S. de ſuo nomine.

Verſ. 13. natus ex homine] Fuluius Vrſin. natus homine.

Verſ. 22. etiamſi] Fulu. etiam. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 33. materiē] Ita MS. Sab. materies. Fulu. Vrſin. materiei.

Verſ. 35. Æreus] Sab. cereus.

Verſ. 37. imputato] Ita MS. Sab. imperito.

Pag. 20. verſ. 4. quanto verius] Ita Fulu. Vrſin. Sab. quanta verò. malè.

Verſ. 5. judicant] Sab. indicant. malè.

Verſ. 6. inſultant] Ita Vvouuer. alii inculeant. malè.

Verſ. 19. teſta] Sab. extra.

Verſ. 30. cum ſoceris] Hæc Vvouuer. delet.

Pag. 21. verſ. 3. à Romanis] Ita Fulu. Sab. Romanis.

Verſ. 6. populauerant, detriumphatos] Ita Fulu. Vrſin. Sab. poſtulauerant d. malè. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 15. caſtitas. Sab. caſtitatis. malè.

Verſ. 16. vt] Sab. &.

Verſ. 19. conducuntur] Fuluius Vrſin. condicuntur.

Verſ. 23. Res ſumma] Fulu. Vrſin. Sab. reſpublica sũma. malè.

Verſ. 24. es] Sab. eſt.

Verſ. 26. ſolliſtimum] Ita MS. & Fulu. editio Sab. ſolenniſſimum. ineptè.

Verſ. 30. renitentibus] Fulu. Vrſin. retinentibus.

Verſ. 34. cautum illud] Ita Fulu. Vrſin. Sab. cantum illud.

Pag. 22. verſ. 7. perditi jam perdere] Fulu. perditi perdere.

Verſ. 10. apperebat] Ita MS. Sabaus, petebat.

Verſ. 11. miraculi] MS. miraculis.

Verſ. 13. Hoſthanes] alii, Soſthenes.

Verſ. 14. eiúſque] Fulu. eius.

Verſ. 20. procupidinem] alii, porro cupidinem.

Verſ. 21. illabi] Sab. labi.

Verſ. 22. iſti igitur impuri ſpiritus] Ita Fulu. Vrſin. Sab. iſti i. i. ſ. dæmones.

Verſ. 23. conſecratis] Fulu. Vrſin ex Cypriano. Sab. conſecrati.

Verſ. 28. ſomnos] Ita Fulu. Vrſin. Sab. omnes.

Verſ. 30. remiſſis] Sab. remiſſius, malè.

Pag. 23. verſ. 4. tormentis verborum] Ita Vvouuer. ex MS. Fulu. tormentis verberum.

Verſ. 8. miſeris] Sab. miſeri.

Verſ. 14. quantum autem vitium ſit] MS. quam autem iniquum ſit.

Verſ. 19. indicij] Sab iudicij. malè.

Verſ. 23. vrgeremus] MS. torqueremus.

Verſ. 28. vrgendi] MS. & Fulu. Vrſin. Sab. arguendi.

Pag. 24. verſ. 2. Epona] alii, Hippona.

Verſ. 7. vobis] Sab vobiſcum.

Verſ. 8. crepitus] Sab. ſtrepitus.

Verſ. 25. inuocant] Sab. vocant.

Verſ. 26. oramus] Ita Fulu. Vrſin. Sab. optamus.

Pag. 25. verſ. 2. cantabra] Fulu. Vrſin. labara, quæ vera lectio. Vide Onuphrium in Faſtis. Adrian. Turneb. aduerſarior. lib. 15. cap. 16. Lipſium epiſt. quæſtion. lib. 5. epiſt. 9. Godeſcalcum Stewechium ad lib. 5. Vegetii pag. 274. & ſequent. Iacobum Pamelium in Tertull. Apolog. cap. 16. Papias, Labarum vexillum regis.... Labarum ſignum bellicum fuit quod imperatorem præcederet, & à militibus adoraretur. id Conſtantinus in crucem mutauit. Iulianus imp. odio Chriſtianiſſimi in priſtinam formam reduxit. Nazianzen. orat. 1. in Iulianum fol. 287 Aldhelmus de laude virginit. fol. 479. Tene labarum tuum, quod ſigno Chriſti ex auro & gemmis eſt pictum. Hoc labarum tenens in dextra tua, dimitte frenum equi, vt quocunque duxerit te angelus Dei, illuc eas. Et pag 476. Chriſti labaro tutus, & Chriſti vexillo armatus.

Verſ. 10. audere] Sab. audire. malè.

Verſ. 16. immoletur] Fulu. Vrſin. immolaretur.

Verſ. 17. Gallos humanas vel inhumanas] Vvouuer. Gallos inhumanos, humanas victimas.

Pag. 26. verſ. 2. coitio] Ita Fulu. Vrſin. Sab concio. malè.

Verſ. 3. infamiæ auerſione] Vvouuer. infamiæ aſperſionē.

Verſ. 7. memoriæ] Fulu. Vrſin. comœdiæ. Sed vulgata lectio bona eſt. Vide Commentar.

Verſ. 12. inerrare] Fulu. Vrſin. errare.

Ibid. inceſti fabulam] Vvouuer. inceſtis fibulam.

Verſ. 20. vnum bonum ſapimus] Ful. Vrſin. vnum ſapimus.

Verſ. 23. notaculo] Fulu. Vrſin. occulta. Ita ſupra Cæcilius, occultis ſe notis & inſignibus noſcunt. Gloſſæ: Notaculum, nota, ſignum. Chalcidius in Platonis Timæum pag. 185. in quo imprimuntur varia ſignacula.... impreſſio ſignaculorum. Auguſtin. de moribus Manichæorum cap. XIII & XXI. ſignaculum oris & manus. Tertull. de corona militis cap. IV. ſignaculum crucis.

Verſ. 31. laxius] Ita Fulu. Vrſin. Sabaus, latius.

Verſ. 34. conſcientia] Fuluius Vrſin. Sab. ſententia. malè.

Verſ. 36. opimam] Sab optimam.

Pag. 27. verſ. 6. ſolem] Sab. in ſole.

Verſ. 10. tueri] Sab. tenere.

Verſ. 12. Deo cuncta plena ſunt] Ita Vvouuer. ex MS. Sab. Deo cognita plena ſunt.

Verſ. 14. in ſolem] Sab. in ſole.

Verſ. 18. vt propè dixerim] Fulu. Vrſin. propè dixerim.

Verſ. 21. indiciis] Sab. judiciis. male.

Ibid. non ſolum] Ita Fulu. Sab. ſolum.

Verſ. 32. difficilem] Sab. difficile.

Verſ. 34. ita vt cæpiſſet deſinere] Ita Fulu. Vrſin. Aliter in Ed. n.

Pag. 28. verſ. 3 & 4. nunc alternis vicibus] Sab. num. a. v.

Verſ. 7. prædictionibus] Sab. prædicationibus.

Verſ. 12. mimi conuitio] Ita Fulu. Vrſin. Sab. inimico vitio. MS. mimico officio. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ 14. vt primum potuit fingi. Fulu. Vrſin. v. p. potuit effingi. Aliter in Editione noſtra.

Verſ. 19. cuſtodi] Sab. cuſtodia.

Verſ. 29. hominum] Sab. homines.

Verſ. 35. ſicut ignis Ætnæ & Veſuuij] Ita Vvouuer. Sab. ſi. i. Æ. montis & V. montis.

Pag. 29. Verſ. 3. tamen] MS. tandem.

Verſ. 7. nec de fato] Totum hunc locum ita legit Petrus Faber lib. 1. ſemeſt. cap. 23. Nec de fato q. a. ſolatium capiet, aut excuſet fortunam; mens tamen libera eſt, & i. a. hominis non natiuitas iudicatur.

Verſ. 8. Fortis Fortunæ] Sab ſortis F.

Verſ. 13. quis] Vvouuer. qui.

Verſ. 16. in diem pecua paſcuntur] Ita Fulu. Vrſin. Sab. i. d. paſcua p. malè.

Verſ. 22. in infirmitatibus] Sab infirmitatibus.

Verſ. 31. irridens] Ita Fulu. Vrſin. Sab inſipiens. malè.

Pag. 30. verſ. 8. vt ingenium eorum] MS. vt ingenium eorum perditæ mentis licentiam poteſtatis liberæ nundinetur. Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 9. cum ſit ſomnio ſimilis] Sab. & MS. cum mors ſit, ſomnio ſ.

Verſ. 10. Rex es] Sab r. eſſe. malè.

Verſ. 29. quemadmodum tribuaris] Ita MS. & Fulu. Vrſin. Sab. q. t. exanimi aut non ſentienti facem, aut non ſentienti coronam. malè.

Pag. 31. verſ 2. adoramus] Ita Roman. editio Fauſti Sabæi. MS. adornamus.

Verſ. 4. ſpe] MS. & Fulu. Vrſin. Sab. ſpem.

Verſ. 10. qui] τὸ qui ex Cypriano Fulu. addit. Deeſt in Edit. n.

Verſ. 12. quid nobis] Fulu. quid vobis.

Verſ. 14 ſeruetur] Sab. reſeruetur.

Verſ. 15. intenti] MS intentos.

Verſ. 19. reuoluo] MS. euoluo.

Verſ. 20. quantum ad tranquillitatem] Ita Fulu. Vrſin. Sab. & MS. quantum eadem tranquillitate ineptè. Aliter in Edit. n.

Verſ. 21. improbus] MS. improbe.

Verſ. 22. pertinet] Sab. pertineat.

Ibid. credo] alii, cedo.

Verſ. 30. Octauius quod vicerit] Ita MS. & Fulu. Vrſin. Sabæi editio, O. gaudere q. v.

ARN.

ARNOBII AFRI
ADVERSVS GENTES
LIBRI VII.

CVM SELECTIS VARIORVM AVCTORVM.
COMMENTARIIS.

Editio nouiſſima atque omnium accuratiſſima.

IN

ARNOBII AFRI

LIBROS VII.

DVm tonat in gentes Afri facundia præceps,
Cum dîs ſuccubuit Roma profana ſuis:
Victrix Roma quidem ferro compreſſerat orbem,
Nunc mundi victrix Africa ſed calamo eſt.
Magnum eſt, immenſum ferro compeſcere mundum,
Plus eſt cum mundo vincere poſſe deos.

AD LECTOREM.

ARNOBIVM *Afrum aduerſus Gentes abſtruſæ eruditionis ſummique ingenij autorem omnium luculentis & quidem integris commentarijs auctum tibi exhibemus, Humaniſſime Lector. Recondita hoc ſapientiæ promptuarium, quo fatua Gentilium religio exploditur, vera confirmatur, omni laude maius eſt. Quis enim Eloquentiæ neruos, rationum pondera, exquiſitas ſententias cùm peruoluit, non abripitur in amorem & deſiderium tanti autoris? Vbique triumphat florentiſſima eius dictio, atque ipſi adeò Gentiles ſuo jugulantur gladio. Calamus ille ſimul omnes tacentes Gentilium deos perfodit, confecit. Ipſi dij, ſi tales dij eſſent, erubeſcerent, vbi audirent hic ſua crimina, atque inſulſas de ſe confictas fabulas. Libro quidem ſecundo Autor noſter Gnoſticorum ſequitur opinionem de Immortalitate animarum, & alijs in locis à veritate Chriſtiana nonnihil recedit. Sed hoc condonandum illi, qui ex Ethniciſmi tenebris recens ad veritatem Chriſtianam peruenerat. Idem huic autori euenit, quod iis ſolet, qui ex carcere tenebricoſo in lucem perducti viſum adhuc dubium habent. In cæteris ſubtilis, diſertus, ingenio & facundia pollens, Ethniciſmi debellator fortiſſimus. Rectè itaque Hieronymus in Epiſtola ad Tranquillinum:* Ego Origenem propter eruditionem, ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos pariter & Latinos: vt bona eorum eligamus, vitemuſque contraria, iuxta Apoſtolum dicentes, omnia probate, quod bonum eſt tenete. *Vixit autem Arnobius anno à natiuitate Chriſti 300. ſub Diocletiano Imperatore. Audi iterùm Hieronymum in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum:* Arnobius ſub Diocletiano Principe, Siccæ apud Africam, florentiſſimè Rhetoricam docuit, ſcripſitque aduerſum gentes, quæ vulgò extant volumina. *Idem alibi:* Septem libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidemque diſcipulus eius Lactantius; qui de Ira quoque & opificio Dei duo volumina condidit: quos ſi legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis Epitomen reperies. *Qua occaſione hæc ſcripſerit ex appendice chronicorum Euſebij Pamphili apparet:* Arnobius in Africa Rhetor clarus habetur, qui cùm in ciuitate Sicca ad declamandum juuenes erudiret, & adhuc Ethnicus, ad credulitatem ſomniis compelleretur, vt ab Epiſcopis impetraret fidem, quam ſemper impugnauerat, elucubrauit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros, & tandem veluti quibuſdam obſidibus impetrauit. *Scripſit etiam teſte Trithemio in Pſalterium lib.* 1. *item de Rhetorica Inſtitutione lib.* 1. *Commen-*

tarij in omnes Pſalmos excuſi primum apud Frobenium. Item in aliquot Euangeliſtarum locos excuſæ annotatiunculæ Baſileæ. Quod autem ad editionem hanc Arnobij noſtri attinet, quam accuratiſſimam hîc exhibemus. Exemplar ſecuti fuimus manu viri celeberrimi emendatum, cuius eruditio & fama in his artibus, quæ ab humanitate nomen habent, veluti Principatum tenet. Curam poſtmodum itidem viro erudito commiſimus, vt quicquid ad gloriam huius editionis colligi poſſet, in medium produceret. Itaque ſelectos commentatores cum Notis doctiſſimi Viri Priorij in vnum corpus redegimus, vt editionis huius ratio ex iis peti poſſit. Perrupit primum glaciem vir eruditiſſimus Theodorus Canterus, qui iudicij omninò exacti diligentiæque accuratæ fuit. Arnobium quidem hunc primus Romæ vulgauerat Franciſcus Priſcianenſis Florentinus, ſed vna cum veteris manuſcripti, quo vſus fuerat, fœdis admodum erroribus. Sigiſmundus poſteà Gelenius editionem hanc corruptam ſolo ingenio, vti potuit reſtituit. Sed ingenij ille fiducia malo exemplo vſus, conjecturas ſuas textui inſeruit, antiquas lectiones ſuo imperio eiecit, & Arnobium nobis effinxit, qui Arnobij ſpeciem non referret. Hanc audaciam meritò reprehendit Canterus, doctiſſimiſque autorem noſtrum annotationibus illuſtrauit. Neque pœnitendam hic operam Godeſcalcus Steuvechius poſuit, homo non vulgaris eruditionis. Diffuſum dein atque magni ſtudij commentarium edidit Gebhartus Elmenhorſtius, quibus adjectæ quoque ſunt Variæ Lectiones tum ex Mſſ. tum ex codice vetuſto Franciſci Sabæi Brixiani, qui impreſſus fuit Romæ anno CIↃ IↃXLII. *tum ex libro Fulvij Vrſini; qui ſuæ editioni aliorum correctiones præcipuè Petri Chiaconi Hiſpani, viri eruditiſſimi immiſcuit, adſperſit. Deſiderius quoque Heraldus ad Arnobij lib.* VII. *animaduerſiones luculentas & caſtigationes edidit. Vltimò deniq; Clar. Vir Priorius aliorum Notas ſelegit, & ſuas interſeruit. Quorum omnium delectas lucubrationes in vnum corpus coniecimus, ita vt nihil huic editioni deſit, quod vel votis exoptari poſſit. Obnixè tamen rogamus eruditos omnes, vt ſi nonnulla in hunc autorem noſtrum obſeruauerint, quæ editionem merentur, ad nos tranſmittant, ea confeſtim calci huius operis adijciemus. Sin autem labor hic noſter placuerit erudito huic ſæculo, conſtituimus alijs voluminibus ceteros Patres tam Græcos quàm Latinos, qui contra Gentes ſcripsêre, cum ſelectis omnium commentariis typis vulgare. Interim his vtere fruere Humaniſſime Lector, & ſi quid melius noueris, candidus imperti. Vale iterum atque iterum.*

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES
LIBER PRIMVS.

QVONIAM comperi nonnullos, qui ſe plurimùm ſapere ſuis perſuaſionibus credunt, [a] inſanire, bacchari, & velut quiddam promptum [b] ex oraculo dicere: [c] poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem periſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum: ipſos etiam cælites derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos: ſtatui pro captu ac mediocritate ſermonis contraire inuidiæ, & calumnioſas diſſoluere criminationes; ne, aut illi ſibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere, aut ſi nos talibus continuerimus à litibus, obtinuiſſe ſe cauſam putent, victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam. Neque enim negauerim validiſſimam eſſe accuſationem iſtam, hoſtilibuſque condignos odiis nos eſſe, [d] ſi apud nos eſſe conſtiterit cauſas, per quas ſuis mundus aberrauit ab legibus, exterminati ſunt Dij longè, examina tanta mœrorum mortalium importata ſunt ſæculis. Inſpiciamus igitur opinionis iſtius mentem, & hoc quod dicitur, quale ſit; ſummotiſque omnibus contentionum ſtudiis, quibus obſcurari & contegi contemplatio rerum ſolet, an ſit iſtud quod dicitur verum, momentorum parium examinatione pendamus. Efficietur enim profectò rationum conſequentium copulatu, vt non impij nos, magis ſed illi ipſi reperiantur criminis iſtius rei, qui ſe numinum profitentur eſſe cultores, atque inueteratis religionibus deditos. Ac primùm ab his illud familiari & placida oratione perquirimus: poſtquam eſſe nomen in terris Chriſtianæ religionis occœpit, quidnam inuiſitatum, quid incognitum, [e] quid contra leges principaliter inſtitutas, aut ſenſit, aut paſſa eſt rerum ipſa, quæ dicitur appellaturque natura? Numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata ſunt, ex quibus res omnes conſenſum eſt eſſe concretas? Numquid machinæ huius & molis, qua vniuerſi tegimur & continemur incluſi, parte eſt in aliqua relaxata aut diſſoluta conſtructio? Numquid vertigo hæc mundi, primigenij motus moderamen

COMMENTARIVS.

a INSANIRE, *Bacchari*, &c. Idem prorſus hæ voces ſignificant, nimirum audaciam qua hoſtes Chriſtianorum ſe ex adytis loqui ferebant. eſt enim inſanire oraculum edere, vnde Virgilius lib. 3.

Huc vbi delatas Cumæam acceſſeris vrbē
Diuinoſque lacus & Auerna ſonantia ſyluis
Inſanam vatem aſpicies.

& lib. 6. *At Phoebi nondum immanis in antro*
Bacchatur vates.

De iis quippe id vſurpatur qui fatidico ſpiritu afflati loquuntur. PRIORIVS.

b *Ex oraculo dicere.* Qui Chriſtianos conuiciis proſcindebant, vera & tamquam certa aſſeuerabant, vnde quaſi oraculo haberi volebant, veluti ac ſi Deus aliquis ἐκ τρίποδος locutus fuiſſet. *Idem.*

c *Poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, &c.* Inualeſcente Chriſtianiſmo, ſtatus Chriſtianorum miſerrimus erat, Nationes enim omnia mala, quibus genus humanum premebatur, Chriſtianis imputabant. Cùm fontem ſiccitas ſtatuebat, cum rarus imber cælo deſcendebat, cum areſcentibus campis ſementa deficiebant, cum ieiunas & ſteriles herbas terra producebat, cum vineam debilitabat grando, cum oleam detruncabat turbo ſubuertens, cum locuſtæ & mures prodigialiter efferueſcebant, frumentaque arrodebant, cum peſtilens aura cæli ſtatum corrumpebat, & morbos indicebat graues, cum fames, lues, bella, miſeram mortalitatem ancinabant, omnium illorum incommodorum Chriſtiani auctores incuſabantur, vulgóque damnabantur ad leones. ELMENHORSTIVS.

d *Si apud nos eſſe conſtiterit, &c.* Ita conſtituendus locus totus auctoritate membranarum. Cæterùm vtrobique periit ſecundum illud crimen quod infideles Chriſtianis obiectabant: ipſos ſcilicet, in cauſa eſſe, cur ſuperi ex orbe omnes exterminati, profligatique eſſent. Ipſum Arnobium audiamus, qui ait lib. 5. *Noſtra quidem nihil intereſt, quorum cauſa contenditis exterminatos eſſe à terris deos.* STEVVECHIVS.

e *Quid contra leges principaliter inſtitutas, &c.* Id eſt, à Deo rerum principe, in ipſo rerum principio & exordio

men excedens, aut tardiùs repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attollere ſe aſtra, [a] atque in ortus fieri ſignorum cœpta eſt inclinatio? Numquid ipſe [b] ſiderum Sol princeps, cuius omnia luce veſtiuntur, atque animantur calore, exarſit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis ſoliti temperamenta corrupit? Numquid [c] Luna deſiuit redintegrare ſe ipſam, atque in veteres formas nouellarum ſemper reſtitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medij, inæqualium temporum confuſionibus occiderunt? Numquid longos habere dies bruma, & reuocare tardiſſimas luces nox cœpit æſtatis? Numquid ſuas animas expirauerunt venti emortuiſque flaminibus neque cælum coactatur in nubila, nec madori ex imbribus arua ſuccedunt? [d] Commendata ſemina tellus recuſat accipere, aut frondeſcere arbores nolunt? Sapor frugibus eſculentis, & viteis liquoribus mutatus eſt? Olearum ex bacculis cruor tæter exprimitur, nec lumini ſubminiſtratur extincto? Animalia terris ſueta, atque in aquis degentia [e] non furiunt, nec concipiunt? Fœtus non in vteris ſumptos ſuis moribus, & ſua lege cuſtodiunt? Ipſi homines denique quos per inhabitabiles oras terræ ſparſit prima incipienſque natiuitas, [f] non matrimonia copulant nuptiarum ſolemnibus iuſtis? Non dulciſſimas procreant liberorum ſtirpes? Non negotia publica, non priuata, & familiares res agunt? Non, vt cuique libitum eſt per diuerſas artium diſciplinarumque rationes ingenia dirigunt, & ſtudioſæ referunt grauitatis vſuras? Non regnant? Non imperant quibus ſors rerum attributa eſt talium? Non auctiores quotidie dignitatibus, & poteſtatibus fiunt? Iudiciorum diſceptationibus præſunt? Leges interpretantur & iura? Nonne omnia cætera, quibus vita ſuccingitur & continetur humana, ſuis omnes in gentibus patriorum celebrant inſtitutionibus morum? Cùm igitur hæc ita ſint, neque ulla inruperit nouitas, quæ tenorem perpetuum rerum diſſociata continuatione diduxerit: quid eſt iſtud, quod dicitur, inuectam eſſe labem terris, poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo, & veritatis abſconditæ ſacramenta patefecit? Sed peſtilentias, inquiunt, & ſiccitates, bella, frugum inopiam, locuſtas, mures, & grandines, reſque alias noxias, quibus negotia incurſantur humana, Dii nobis important iniuriis veſtris atque offenſionibus exaſperati. Si in rebus perſpicuis, & nullam deſiderantibus defenſionem, non ſtoliditatis eſſet diutiùs immorari, oſtenderem profectò replicatis prioribus ſæculis, mala iſta, quæ dicitis, non eſſe incognita, non repentina: nec poſtquam gens noſtra felicitate donari huius vocaminis meruit, [g] irrupiſſe has labes, & infeſtari cœpiſſe diſcriminum varietate mortalia. Si enim nos ſumus in cauſa, & in noſtri criminis meritum excogitatæ ſunt hæ peſtes, vnde nouit antiquitas miſeriarum hæc nomina? Vnde bellis ſignificatum dedit? Peſtilentiam, grandines, qua potuit ratione ſignare? aut inter ſuas voces, quibus oratio explicabatur, aſſumere? Nam ſi nouella ſunt hæc mala, & ab recentibus ducunt offenſionibus cauſas, quî potuit fieri, vt eis rebus verba formaret, quas nec ipſa ſciebat expertam ſe eſſe, neque vllis comperiſſet maiorum in temporibus factitatas? Penuria, inquit, frugum, & anguſtiæ frumentariæ arctius nos habent. Antiqua enim & vetuſtiſſima ſæcula neceſſitatis iſtius aliquando fuerunt expertia? Nonne ipſa nomina, quibus cenſentur hæc mala, teſtificantur & clamant nullum ab his vmquam immunem abiſſe mortalium? Quod ſi ad credendum difficilis res eſſet, teſtimoniis agere poſſemus auctorum, quantæ, quoties, & quæ gentes famem ſenſerint horridam, & aggerata interierint vaſtitate. Caſus frequentiſſimi grandinis accidunt, atque adterunt cuncta. In literis enim priſcis comprehenſum & compoſitum non videmus, etiam [h] imbres ſaxeos totas ſæpè communiſſe regiones? Difficiles pluuiæ ſata faciunt emori, & ſterilitatem indicunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his

fuit

conſtitutas. Ita apud Tertull. non ſemel. HERALDVS.

a *Atque in ortus fieri ſignorum cœpta eſt inclinatio?* Hoc eſt εἰς τὰ προηγούμενα ſeu vt vocant contra ſeriem, quod aut ruinæ aut prodigij ſignum eſſet certiſſimum. PRI.

b *Siderum ſol Princeps.* Cicero de nat. Deor. lib. 2. *Sol aſtrorum obtinet principatum. ex æthere innumerabiles flammæ ſiderum exiſtunt, quorum eſt princeps Sol, omnia clariſſima luce colluſtrans.* lib. 4. c. 6. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 17. ELMEN.

c *Luna deſiuit redingrare ſeipſam.* In Neomeniis ſcilicet quibus ἀναϐιῶναι ſeu renaſci videtur, & ſeipſam redintegrare. PRI.

d *Commendata ſemina tellus recuſat accipere.* Varro apud Nonium. *Cum aut humus ſemina recipere non poſſit, aut recepta non reddat; aut reddita grandire nequeat.* Hunc enim locum ita legendum exiſtimo. HER.

e *Non furiunt.* Apul. Apol. *Quoties & qui anni cuiuſque eorum generis fœminæ ſubent, mares furiant.* Gloſſæ furire. κατρᾶν. Feſtus. *Ex omni manſueto pecore immundiſſimi ſunt ſues, & ardentiſſimæ libidinis: ita vt opprobrium mulieribus inde tractum ſit, cùm ſubare & furire dicuntur.* Nonius in catullire. *Catulire, ſurire, vel libidinari.* ELMENH.

f *Non matrimonia copulant nuptiarum ſolennibus iuſtis? &c.* Legendum arbitror cùm Iuriſprudentibus, *iuſta*, ſimiliter vt illi iuſtas nuptias, ſeruitutem iuſtam, iuſtam libertatem, liberos iuſtos dixere paſſim, Inſtit. tit. de libertinis. Itidem vxor Iuſta, quæ legum ſolemnitate obſeruata ducta eſt. l. ſi vxor D. de adulteris. Alciatus ad l. lege obuenire. D. de verbor. ſignif. de nuptiis iniuſtis. ita Apuleius 6. de aſino. *Impares enim nuptiæ, & præterea in villa, ſine teſtibus, & patre non conſciente, factæ, legitimæ non poſſunt videri.* STEVV.

g *Irrupiſſe eas labes &c.* Illud eſt quod exagitat Tertullianus *Apol. 40 prætexentes ſanè ad odij defenſionem, illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnes publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Chriſtianos eſſe cauſam.* Hanc objectionem refutat S. Auguſtinus epiſt. 5. ad Marcellinum, & ſerm. 59. tom. 10. *Nemo dicat, anteà melior erat mundus, quàm modo: ex quo cœpit iſte medicus artem ſuam exercere, multa hic videmus horrenda.* Mitto hic Origenem in cap. 24. Matth. & Ruffinum lib. 9. c. 7. PRI.

h *Imbres ſaxeos.* Solinus, *ſaxatilis imber.* Valer. Flacc. lib. 5. Argon. *ſaxifera ſurgit quibus imber harena.* Cicero lib. 2. de natura Deorum, Liuius libro 1. hiſt. 2. Tibullus lib. 1. ELMENH.

fuit; cùm etiam flumina cognouerimus ingentia limis inaruiſſe ſiccatis. Peſtilentiæ contagia vrunt genus humanum. [a] Annalium ſcripta percurrite linguarum diuerſitatibus ſcripta, vniuerſas diſcetis gentes ſæpenumerò deſolatas, & viduatas ſuis eſſe cultoribus. [b] Ab locuſtis, ab muribus, genus omne acciditur atque adroditur frugum. Hiſtorias ite per veſtras, & ab iſtis peſtibus inſtruemini quoties prior ætas affecta ſit, & paupertatis ad miſerias venerit. Terrarum validiſſimis motibus tremefactæ nutant vſque ad periculum ciuitates. Quid? hiatibus maximis interceptas vrbes cum gentibus ſuperiora tempora non viderunt, aut ab huiuſmodi caſibus fortunas habuere ſecuras? Quando eſt humanum genus aquarum diluuiis interemptum? Non ante nos? Quando mundus incenſus in fauillas & cineres diſſolutus eſt? Non ante nos? Quando vrbes ampliſſimæ marinis coopertæ ſunt fluctibus? Non ante nos? Quando cum feris bella, & prælia cum leonibus geſta ſunt? Non ante nos? Quando pernicies populis venenatis ab anguibus data eſt? Non ante nos? Nam quod nobis objectare conſueſtis bellorum frequentium cauſas, vaſtationes vrbium, Germanorum & Scythicas irruptiones, cum pace hoc veſtra & cum bona venia dixerim, quale ſit iſtud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis. Vt ante millia annorum decem, ab inſula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, ſicut Plato demonſtrat, magna erumperet vis hominum & innumeras funditus deleret atque extingueret nationes, nos fuimus cauſa? Vt inter Aſſyrios & Bactrianos Nino quondam Zoroaſtreque ductoribus non tantùm ferro dimicaretur & viribus, verum etiam magicis & Chaldæorum ex reconditis diſciplinis, inuidia noſtra hæc fuit? Vt Helena Diis ducibus atque impulſoribus rapta, & ſuis eſſet dirum & venturis temporibus fatum, religionis noſtræ attributum eſt crimini? [c] Vt ille immanis Xerxes mare terris immitteret, & greſſibus maria tranſiret, noſtri nominis effectum eſt cura? Vt ex Macedoniæ finibus vnus exortus adoleſcens Orientis regna & populos captiuitate & ſeruitio ſubiugaret, nos fecimus, atque excitauimus cauſas? Vt modò Romani, velut aliquod flumen torrens; cunctas ſubmergerent atque obruerent nationes, nos videlicet numina præcipitauimus in furorem? Quod ſi hominum nullus eſt, qui, quæ iamdudum geſta ſunt, noſtris audeat temporibus imputare, quemadmodum poſſimus miſeriarum eſſe præſentium cauſæ, cum noui fiat nihil, ſed ſint omnia vetera, & nullis antiquitatibus inaudita? Quamquam iſta quæ dicitis bella Religionis noſtræ ob inuidiam commoueri, non ſit difficile comprobare, poſt auditum Chriſtum in mundo non tantùm non aucta, verùm etiam maiore ex parte furiarum compreſſionibus imminuta. Nam cum hominum vis tanta magiſteriis eius acceperimus ac legibus, malum malo rependi non oportere; iniuriam perpeti quàm irrogare eſſe præſtantius; ſuum potius fundere, quàm alieno polluere manus & conſcientiam cruore: habet à Chriſto beneficium iamdudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita eſt rabies, atque hoſtiles manus cohibere à ſanguine cognati animantis occœpit. Quod ſi omnes omninò, qui homines ſe eſſe non ſpecie corporum, ſed rationis intelligunt poteſtate, ſalutaribus eius pacificiſque decretis aurem vellent commodare pauliſper, & non faſtu & ſupercilio luminis, ſuis potiùs ſenſibus quàm illius commonitionibus crederent: vniuerſus iam dudum orbis mitiora in opera conuerſis vſibus ferri, tranquillitate in molliſſima degeret, & in concordiam ſalutarem incorruptis fœderum ſanctionibus conueniret. Sed ſi per vos, inquiunt, nihil rebus incommodatur humanis, vnde ſunt hæc mala, quibus vrgetur & premitur iamdudum [d] miſeranda mortalitas? Sententiam me poſcis huic neceſſariam nihil cauſæ. Neque enim præſens atque in manibus poſita [e] diſceptatio in id ſumpta eſt, vt oſtenderem vel probarem quibus vnaquæque res cauſis & rationibus fieret: ſed vt maledicta criminis tanti procul eſſe ab nobis oſtenderem. Quod ſi præſto, ſi facto & argumentis inſignibus rei veritas explicatur, vnde ſint hæc mala, vel ex quibus profluant fontibus principiiſque, non curo. Ac ne tamen omninò quid de rebus huiuſmodi ſentiam, nihil videar interrogatus expromere, poſſum dicere. Quid enim ſi prima materies, quæ in rerum quatuor elementa

Sata faciunt emori. Virgilius ecloga. 7. -- *vitio moriens ſitit aëris herba.* & Georg. 1.
Deinde ſatis fluuium inducit, riuoſque ſequentes:
At cum exuſtus ager, morientibus æſtuat herbis.
vbi Seruius: *ſecundùm Pythagoricos, qui dicunt omne quod creſcit, animam habere. vnde eſt: atque interfice meſſes: Cyprianus* de laude martyrij. *Cum arentibus campis ſementa defecerint, & herbis terra morientibus æſtuarit.* ELMENH.

a *Annalium ſcripta percurrite.* Cornelium Tacitum lib. 15. *exorta vis locuſtarum ambederat quidquid herbidum aut frondoſum.* De eiuſmodi vaſtationibus ac damnis habes vbique exempla. PRI.

b *Ab Locuſtis, muribus, &c.* Calamitates illas omnes paucis complectitur Syneſius epiſt. 57. ad epiſcopos contra Andronicum *ὃ διόπερ γέγονε Πενταπόλεως ἐσχάτη πληγή, μετὰ σεισμὸν μετὰ ἀκρίδα μετὰ λοιμὸν, μετὰ πῦρ, μετὰ πόλεμον. non quod extrema Pentapolis clades fuerit,* Andronicus *poſt terræ motum, poſt locuſtas, famem, incendium, & bellum.* adde S. Auguſt. c. 1. lib. 3. de ciuit. Dei. *Idem.*

c *Vt ille immanis Xerxes.* Hieronymus in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum epiſcopum epiſt. 64. *Xerxes ille rex potentiſſimus qui ſubuertit montes, maria conſtrauit.* Gregorius Nazianz. orat. funebri in Baſilium M. Iuuenalis ſat. 10. Herodotus Polymnia. Diodorus Siculus lib. 11. biblioth. Valerius Maximus lib. 3. cap. 11. Iuſtinus lib. 11. Lucretius lib. 4. Dio Chryſoſtomus περὶ βασιλείας ſerm. 3. Suidas in Ξέρξης. Mela lib. 11. c. 1. ELMENH.

d *Miſeranda mortalitas.* Id eſt homines, ſeu humanum genus. Afri characteris habet veſtigium hæc vox, vt apud Tertullianum de Pallio cap. 2. *ſi tamen Ninus regnauit primus, vt autumat ſuperiorum profanitas.* ſed hac voce non ſemel vſus eſt Plinius lib. 7. cap. 40. & cap. 7. lib. 11. PRI.

e *Diſceptatio.* Cyprianus ad Demetrianum. *virtutem mentis infringe fidem deſtrue, diſceptatione, ſi potes, vince.* vtitur hac voce Cicero bis de orat. lib 3. ELMENH.

Si facto & argumentis inſignibus rei veritas explicatur. Iacobus Cuiacius iuriſconſul. Coryphæus legebat, *ſi ſaxo vt argumentis inſignibus rei veritas explicetur.* HER.

menta digeſta eſt, miſeriarum omnium cauſas ſuis continet in rationibus inuolutas? Quid ſi ſiderum motus certis ſignis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & ſubiectis afferunt variorum diſcriminum neceſſitates? Quid ſi ſtatis temporibus rerum viciſſitudines fiunt, atque vt in maritimis æſtibus, modò ſecundæ res affluunt, modò rurſus refluunt malis [a] malis reciprocantibus proſpera? Quid ſi materiæ fæx iſta, quam ſub noſtris calcamus ingreſſibus, hanc habet ſibi legem datam, vt expiret nocentiſſimos halitus, quibus corruptus aër iſte, & corporibus labem ferat, & negocia infirmet humana? Quid ſi, quod proximum vero eſt, quidquid nobis videtur aduerſum, mundo ipſi non eſt malum, omniaque quæ fiunt noſtris commoditatibus ſtatuentes, opinionibus improbis criminamur euenta naturæ? [b] Plato ille ſublimis apex philoſophorum & columen, [c] ſæua illa diluuia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum ſuis eſſe in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit humani generis ſubuerſionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innouationem vocare: etenim iuuentutem his quamdam redintegratis viribus comparari. Non pluit, inquit, cælum, & frumentorum inopia neſcio qua laboramus. Quid enim? Inſeruire elementa tuis neceſſitatibus poſtulas? atque, vt viuere molliùs & delicatiùs tu poſſis, obſequia temporum tuis debent commoditatibus ſe dare? Quid enim ſi hoc pacto nauigationis cupidiſſimus conqueratur ventos jam diu non eſſe, & cæli conquieuiſſe flaturas? Numquid ideò dicendum eſt pernicioſam eſſe tranquillitatem illam mundi, quia vectoribus impediat vota? Quid ſi [d] ſole aliquis torrere ſe ſuetus, & acquirere corpori ſiccitatem, ratione conſimili conqueratur frequentiſſimis nubilis iucunditatem ſerenitatis ablatam: numquid ideò dicenda ſunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur ocioſæ rutilare ſe flammis, & cauſas potionibus præparare? Euenta hæc omnia, quæ fiunt & accidunt mole ſub hac mundi, commodulis non noſtris, ſed ipſius pendenda ſunt rationibus ordinibuſque naturæ. Nec ſi aliquid accidit, quod noſmetipſos, aut res noſtras parùm lætis ſucceſſibus fouit, continuò malum eſt, & in exitiabilis rei opinione ponendum. Pluit mundus, aut non pluit, ſibimet pluit, aut non pluit: & quod forſitan neſcias, aut vliginem nimiam ſiccitatis ardore decoquit, aut longiſſimi temporis ariditatem pluuiarum effuſionibus temperat. Peſtilentias, morbos, fames, atque alias ſuggerit malorum exitiabiles formas. Vnde tibi eſt ſcire, ne quod exuberat, ſic tollat, vt per ſua diſpendia modum [e] rebus luxuriantibus figat? Tu audeas dicere, hoc & illud eſt in mundo malum, cuius explicare, diſſoluere neque originem valeas, neque cauſam? Et quia tuas impediat deliciarum, forſitan & libidinum, voluptates, pernicioſum eſſe atque aſperum dicas? Quid ergo, quia frigus membris tuis aduerſum eſt, & congelare, conſtringere ſanguinis tui feruorem ſolet, idcircò in mundo hiems eſſe non debet? Et quia perferre, ſuſtinere, flagrantiſſimos ſoles non potes, ex anno æſtas tollenda eſt, atque aliis legibus alia rurſus ordinanda natura? Veratrum venenum eſt hominibus. Numquid ob hanc cauſam non debuit naſci? Ouilibus inſidiatur lupus. Numquid in culpa natura eſt, quod lanitiis extulit importuniſſimam belluam? Morſu animam ſerpens tollit. Maledicam ſic primordiis rerum, [f] quod tam ſæua prodigia genituris ſpirantibus addiderunt? Superciliosa nimium res eſt, cum ipſe ſis non tuus, aliena etiam in poſſeſſione verſeris, potentioribus dare conditionem velle vt id fiat, quod cupias, non quod in rebus inueneris, antiquis conſtitutionibus fixum. Quare habere ſi locum veſtras vultis querimonias, homines prius eſt vt doceatis vnde, vel qui ſitis, vobiſne ſit genitus & fabricatus mundus, an in eum veneritis alienis ex regionibus inquilini. Quod cum dicere non ſit veſtrum, neque explicare poſſitis, cuius rei cauſa ſub hac cæli conuexione verſemini, deſiſtite arbitrari pertinere ad vos quicquam: cum ea quæ fiunt, non partiliter fiant, ſed ad cenſus ſummam redeant teferanturque totius. Chriſtianorum, inquiunt, cauſa, mala omnia Dij ferunt, & interitus comparatur ab ſuperis frugibus. Rogo cum hæc dicitis,

a *Malis reciprocantibus proſpera.* Propriè, id eſt, quaſi fluctibus fluctus recipientibus ac remittentibus. Ennius Andromeda apud Nonium: *Rurſus prorſus reciprocat fluctus, feram.* Sic enim hic locus proculdubiò legendus eſt. Ibidem ex alio ſcriptore, *reciproca animum, inquam, odioſe,* ſcribi oportuit, animam. propriè enim omninò reciprocare ſpiritum, vt infrà hoc lib HERALD.

b *Plato ille ſublimis apex philoſophorum.* Sugillat hic Platonem immodicis elogiis extollendo, vt & Tullius de nat. Deor. lib. 2. *Audiamus Platonem, quaſi quemdam Deum philoſophorum.* Tertullianus Apolog. 46. vbi philoſophos inſectatur, Platonem non omittit, eique gulam exprobrat, *Plato à Dionyſio ventris gratia venditatur.* Neque enim fœdiùs aut turpiùs Alexandro adulatus eſt Ariſtoteles, quàm Dionyſio tyranno coryphæus ille Plato, vt lautè viueret, & auaritiæ morbo quo magnopere tenebatur, præmio quodam obſequeretur. PRI.

c *Sæua illa diluuia &c.* Plato in Timæo. ὅταν δὲ αὖ οἱ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν τοῖς ὄρεσι διασώζονται, βουκόλοι, νομεῖς τε, οἱ δὲ ἐν ταῖς παρ' ὑμῖν πόλεσιν εἰς τὴν θάλατταν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται. Citat hanc Platonis ſententiam Origenes contra Celſum lib. 4. veram autem diluuij cauſam benè ſtatuunt veteres Eccleſiæ Doctores, hominum improbitatem & malitiam. D. Clemens recognit. lib. 8. Lactantius c. 10. de Orig. Error. Gaudentius, tract. 10 de lect. Exodi. ELMENH.

d *Sole aliquis torrere ſe ſuetus.* In ſe olim erant antiqui, vt corporis colorem & ſiccitatem acquirerent. Seneca epiſtol. 108. *Qui in ſolem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur.* Idem de breuit. vitæ c. 13. & de Tranquill. c 3 & Turnebus aduerſ. lib 15. c. 21. *Idem.*

e *Rebus luxuriantibus figat.* Inſoleſcere, pro luxuriari dixit Tertullianus lib. de anima cap. 3. PRI.

Non partiliter fiant. Hac voce Firmicus vtitur & alij at non eodem omnes ſignificatu. Hîc ponitur, quaſi diceret, oſtendendum eſſe calamitates quibus omnes afficiuntur, non omnibus ſed cuidam tantùm parti immiſſas, paganoſque ab iis eſſe immunes. PRI.

f *Quod tam ſæua prodigia genituris ſpirantibus addiderunt.* Cur pernicioſa animalia crearit Deus, docet Auguſtinus de Geneſi contra Manichæos. Lactant. lib. 7. c. 4. Baſilius hom. 9. in Hexam. ELMENH.

citis, [a] non calumniari vos improbè in apertis conſpicitis maniſeſtiſque mendaciis? [b] Trecenti ſunt anni fermè, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani, & terrarum in orbe cenſeri. Numquid omnibus his annis continua fuerunt bella, continuæ ſterilitates, pax nulla in terris, nulla protinus vilitas aut abundantia rerum fuit? Hoc enim primum efficiendum eſt ei, qui nos arguit, perpetuas & iuges calamitates fuiſſe has, numquam omninò reſpiraſſe mortalia, [c] & ſine vllis, vt dicitur, feriis, multiplicium formas ſuſtinuiſſe diſcriminum. Atqui vidimus mediis his annis, mediiſque temporibus, è victis hoſtibus innumerabiles eſſe victorias reportatas: prolatos imperii fines, & in poteſtatem redactas inauditi nominis nationes: ſæpenumero maximos annonæ fuiſſe prouentus, vilitates, atque abundantias rerum tantas, vt commercia ſtuperent vniuerſa, pretiorum auctoritate proſtrata. Quemadmodum enim res agi, & vſque ad hoc tempus genus qui durare mortalium, ſi non omnia, quæ vſus poſceret, ſubminiſtraret fertilitas rerum? Sed fuerunt aliquando nonnulla in neceſſitatibus tempora? & relaxata ſunt abundantiis. Rurſus contra voluntatem quædam bella adminiſtrata? & victoriis poſtmodum ſucceſſibuſque correcta. Quid ergo dicemus? iniuriarum noſtrarum deos modo memores eſſe, modo eſſe rurſus immemores? Si quo tempore fames eſt, irati eſſe dicuntur, ſequitur vt abundantiæ tempore irati & difficiles non ſint: atque ita perducitur res eò, vt vicibus ludicris & ponant, & repetant iras, & in integrum ſe ſemper offenſionum recordatione reſtituant. Quamquam iſtud quod dicitur, quale ſit explicabili non poteſt comprehenſione cognoſci. Si Alamannos, Perſas, Scythas, idcircò voluerunt deuinci, quod habitarent & degerent in eorum gentibus Chriſtiani; quemadmodum Romanis tribuere victoriam, cum habitarent & degerent in eorum quoque gentibus Chriſtiani? Si in Aſia, Syria, idcircò mures & locuſtas efferueſcere prodigialiter voluerunt, quod ratione conſimili habitarent in eorum gentibus Chriſtiani; in Hiſpania, Gallia, cur eodem tempore horum nihil natum eſt, cùm innumeri viuerent in his quoque prouinciis Chriſtiani? Si apud Getulos, Tinquitanos huius rei cauſa ſiccitatem ſatis ariditatemque miſerunt, eo anno cur meſſes ampliſſimas Mauris Nomadibuſque tribuerunt, cùm religio ſimilis his quoque in regionibus verteretur? Si in ciuitate vnaqualibet fame plurimos emori noſtri nominis auerſione fecerunt, cur ibidem annonaria caritate non tantùm corporis non noſtri, verumetiam Chriſtianos ditiores & locupletiſſimos reddiderunt? Aut igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, ſi malorum cauſa nos ſumus: nationibus enim ſumus in cunctis: aut cum mixta videatis cum incommodis læta, deſinite nobis adſcribere id quod offendit res veſtras, cum nihil lætis officiamus & proſperis. Si enim ego vt malè ſit facio, cur vt benè ſit non obſto? Si vt inopia magna ſit, meum nomen in cauſa eſt; cur nihil impedio vt ſit feracitas maxima? Si vt in bellis accipiatur vulnus ego dicor afferre fortunam; cur duelles cùm pereunt, læuum augurium non ſum, nec aduerſus ſpes bonas [d] mali ominis obſcœnitate traducor? Et tamen ô magni cultores atque antiſtites numinum, cur vt iraſci populis Chriſtianis auguſtiſſimos illos aſſeueratis Deos, [e] ita non aduertitis, non videtis, affectus quàm turpes, quàm indecoras numinibus attribuatis inſanias? [f] Quid eſt enim aliud iraſci, quàm inſanire, quàm furere, quàm in vltionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem effetati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dij magni norunt, perpetiuntur, & ſentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato in dente natrices. Quod leuitatis in homine, quod terreno in animante culpabile, eſt, præſtans illa natura, & in perpetuæ virtutis firmitate conſiſtens, ſcire aſſeueratur à vobis. Et quid ergo ſequitur neceſſariò, niſi vt ex eorum luminibus ſcintillæ emicent flammeæ, æſtuet anhelum pectus, ſpuma jaciatur ex ore, & ex verbis ardentibus labrorum ſiccitas inalbeſcat

a *Non calumniari vos improbè &c.* Calumniari improbè dixit, id eſt, impudentiſſimè, vt qui rapit propalàm, dicitur *fur improbus.* Iuriſconſul. res nota eſt vetus Perſii interpres ad hæc verba; *nec enim mihi cornea fibra eſt.* *σωτεχόλιχος*, inquit, *id eſt corneum pectus.* HER.

b *Trecenti ſunt anni fermè &c.* & lib. 2. *ante trecentos annos &c.* Ex his, paret auctorem noſtrum vixiſſe ſub Diocletiano trecentis plus minus an. poſt natum Saluatorem, opuſque hoc varia eruditione refertum ſcripſiſſe, an Chr. fermè 208. vrbis 1050. exeunte 1049. coſſ. Maximiano & Galerio, vt eruditiſſimè obſeruat vir doctiſſ. Ioan. Meurſius. ELMENH.

c *Et ſine vllis vt dicitur feriis.* Id eſt, ſine vlla bonorum intermixtione. Idcircò Philo ait Deum ſolum verè feriari; quia ſolus vero gaudio fruitur, & pace ſincera, nec vllo belli ſimulacro interrupta. comm. de Cain. HER.

d *Mali ominis obſcœnitate traducor.* Quid ſi legatur *obſcæuitate?* Obſcæuare eſt quaſi malum. Omen adferre. interprete Nonio Marcello. Plautus Aſinaria. *Metuo quid illic obſcæuauit mea falſa fallacia.* & Arnobius ipſe libro 3. STEV.

e *Ita non aduertitis, non videtis &c.* Videtur hic noſter illorum philoſophorum ſecutus opinionem, qui aſſerebant non iraſci Deum, nec in tam beneficam præſtantiſſimamque naturam, hanc animi puſillitatem, affectumque noxium cadere, nulloque modo fieri poſſe, vt illa ſancta maieſtas, id pateretur, quod proprium eſſet terrenæ fragilitatis. Grauiter illorum errorem reuincit Lactantius ad Donatum opere eleganti, De Ira, quem curæ pretium erit inſpicere. Etenim ira in Deo non eſt perturbatio animi, ſicut in hominibus: moderata enim in eo & ordinata omnia, ſed pœna & neceſſaria correptio, qua peccatores corripiuntur. ELMENH.

f *Quid eſt enim aliud iraſci, quàm inſanire &c.* Id Tullius habet apertè lib. 4. Tuſc. *An eſt quidquam ſimilius inſaniæ quàm ira, quam benè Ennius initium dixit inſaniæ?* & Horatius lib. 1. epiſt. 2. *Ira furor breuis.* -- Illa autem animi adfectio in Deo vitio non vertitur, Hac de re audi Origenem lib. 4. contra Celſum, *ὀργὴν μὲν οὖν εἶναί φαμεν θεοῦ, οὐ πάθος δ' αὐτοῦ αὐτὴν εἶναί φαμεν, ἀλλά τι παραλαμβανόμενον εἰς τὴν διὰ σκυθρωποτέρων ἀγωγὴν παίδευσιν τοῖς τὰ τοσάδε καὶ τοιάδε ἡμαρτηκόσι. Iram ſanè Dei dicimus, non autem in ipſo paſſionem dicimus: ſed aſſumptum quiddam ad correctionem peſſimorum, qui variis rationibus peccare ſolent.* PRI.

beſcat? Quod ſi verum eſt iſtud, & eſt exploratum, & cognitum, [a] efferueſcere Deos ira, & huiuſmodi motus perturbatione iactari, immortales & perpetui non ſunt, nec in diuinitatis alicuius exiſtimatione ponendi. Vbi enim eſt vllus, ſicut ſapientibus videtur, affectus, ibi eſſe neceſſe eſt paſſionem. Vbi paſſio ſita eſt, perturbationem conſentaneum eſt conſequi. Vbi perturbatio eſt, ibi dolor & ægritudo eſt. Vbi dolor & ægritudo eſt, imminutioni & corruptioni iam locus eſt. Quæ duo ſi vexant, adeſt vicinus interitus, mors omnia finiens, & cunctis adimens ſentientibus vitam. Quid quod iſto modo non tantùm illos leues & feruidos, verùm, quod ab diis conuenit procul eſſe dimotum, & iniquos inducitis, & iniuſtos, & æquitatis vel modicæ nullam prorſus obtinere rationem. Quid eſt enim tam iniuſtum, quàm aliis iraſci, & alios lædere? de hominibus conqueri, & innoxia dilacerare frumenta? [b] Chriſtianum nomen odiſſe, & diſpendiis omnibus ſuos labefactare cultores? An numquid idcircò in vos etiam ſæuiunt, vt inteſtinis vulneribus concitati in vltionem conſurgatis illorum? Ergo humana patrocinia dij quærunt, & niſi veſtra fuerint aſſertione protecti, idonei non ſunt ipſi, qui propulſare, defendere, ſuas valeant contumelias? Quinimò [c] ſi verum eſt ardere illos ira, permittite illis poteſtatem ſui, defendant ſe ipſi, atque in vltionem maieſtatis offenſæ, inteſtinas exerant experianturque virtutes. Poſſunt nos, ſi voluerint, æſtu, poſſunt nocentiſſimo frigore, poſſunt auris peſtilibus, poſſunt morborum obſcuriſſimis cauſis enecare, conſumere, atque ab omni penitus cœtu exterminare mortali. Aut ſi malum conſilium eſt aggredi nos vi, emittant aliquod indicationis ſignum, per quod eſſe liquidum cunctis poſſit inuitiſſimis nos eis habitare ſub cælo. Vobis ſecundas tribuant valetudines: aduerſas nobis, ac peſſimas. Opportunis imbribus veſtra irrigent rura: pluuiarum quicumque ſunt rores noſtris ab agellulis abigant. Lanitia curent veſtra numeroſis fœtibus multiplicari: ſterilitatem infauſtam noſtris pecuariis inferant. Ex oliuis veſtris atque vinetis plenam faciant autumnitatem fundi: at ex noſtris exprimi vnum prohibeant palmitibus rorem. Ad extremum & vltimum, in veſtro ore præcipiant ſuam fruges retinere naturam: at verò in noſtro mel amarum fieri, olearum fluenta ranceſcere, & ſub ipſis poſitum labris in acoris perfidiam vinum repentè mutari. Quod cùm minimè fieri teſtificentur res ipſæ, neque minùs ad nos quicquam, neque ad vos plurimùm redundare vitalibus ex beneficiis conſtet, libido quæ tanta eſt, inimicos atque hoſtes deos eſſe contendere Chriſtianis, [d] quos in rebus triſtiſſimis atque lætis, nihil abs te videas ratione in aliqua diſcrepare? Si verum vobis permittitis, ac ſine vllis aſſentationibus dici: verba ſunt hæc, verba ſunt, res immò per calumnias creditæ, non cognitionis alicuius teſtimonio comprobatæ. Cæterùm dij veſtri, & qui ferre nominis huius auctoritatem condigni ſunt, neque iraſcuntur, neque indignantur, neque quod alteri noceat, inſidioſis machinationibus conſtruunt. Etenim reuera eſt impium, & ſacrilegia cuncta tranſcendens, ſapientem illam credere beatiſſimamque naturam magnum aliquid putare, ſi ſe ſibi aliquis adulatoria humilitate ſubmittat: & ſi fuerit non factum, deſpectam ſe credere, & ab ſummi culminis decidiſſe faſtigio. Puerile, puſillum eſt & exile, vix & illis conueniens, quos jamdudum experientia doctorum [e] dæmonas appellat & heroas, non noſſe cæleſtia, & in hac rerum materia craſſiore conditionis ſuæ exortes verſari. Veſtra ſunt hæc, veſtra ſunt irreligioſè opinata, & irreligioſiùs credita. Quinimò, vt verius proloquar, haruſpices has fabulas, conjectores, [f] arioli, vates, & numquam non vani concinnauere fanatici: qui ne ſuæ artes intereant, ac ne ſtipes exiguas conſultoribus excutiant jam raris, ſi quando vos velle rem venire in inuidiam compererunt, negliguntur dij, clamitant, atque in templis jam raritas ſumma eſt. Iacent antiquæ deriſui cærimoniæ, & ſacrorum quondam veterrimi ritus religionum nouarum ſuperſtitionibus

a *Efferueſcere Deos ira.* lib. 2. *Quas eius contineatis offenſas, vt ad eius nominis mentionem rabidorum pectorum efferueſcatis ardoribus.* Seneca de ira c. 1. lib. 1. *Ira ſe profert, & in faciem exit: quantoque major eſt, hoc efferueſcit manifeſtius.* Vlpianus in l. *Quid ſit fugitiuus.* §. 4. D. de ædil. edict. *Sin autem in hoc tantùm latuiſſet, quoad iracundia domini efferueſceret.* Lucretius lib. 3. *iracunda mens facilè efferueſcit in iras.* lib. 27. *quod auxit ira acerbius efferueſcens.* ELMENH.

b *Chriſtianum nomen odiſſe.* Apologetici cap. 2. odium illud expendit Tertullianus, quo gentiles nomen ſolum Chriſtianum proſequebantur. *nomen valdè infeſtum,* inquit, *ſi ſolius nominis crimen eſt.* vnde Athenagoras in apol. pro Chriſtianis ὁ τῶν κρινομένων ἐξεταζέσθω βίος. τὸ δ' ὄνομα παντὸς ἀφείσθω ἐγκλήματος. *nocentium vita examinatur, nomen verò omni crimine liberetur.* PRI.

c *Si verum eſt ardere illos ira.* Stoicorum hic vt antè dogma amplecti videtur, qui in Deum iram cadere negabant. Cum tamen Epicurei Deum ſecuram vitam agere, immunem ab illa cura quam de humanis gerere dicitur. Quæ in Deum ira occurrit vitioſa non eſt, id enim vel ſomniare nefas. Locum modò Origenis adduximus, contra quem facit alter hic Gregorij Nazianz. orat. 11. quæ eſt in plagam grandinis, ἐγγὺς τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας ἐγγυητὴς καὶ ὁ νόθος φόβος ἐστὶν αὐτῷ τῆς ὀργῆς ἀφείς. *Ego diuina miſericordia fideiuſſor, & remota ira quæ ipſius naturæ repugnat.* *Idem.*

d *Quos in rebus triſtiſſimis atque lætis.* Solenne eſt Arnobio & pleriſque omnibus illius æui ſcriptoribus mutare comparationis gradus, & ſuperlatiuum accipere pro poſitiuo, vt loquuntur οἱ γραμματικῶν παῖδες. vnde & Menandri verſum φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. ita redditum apud antiquos Eccleſiæ doctores reperimus: *corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ.* Talia apud ſcriptores illos infinita. HER.

e *Dæmones appellat, & hos non eſſe cæleſtia.* Differit Arnobius Deos veros, & qui ferre huius nominis auctoritatem condigni ſunt, paſſionibus non eſſe obnoxios; quippe iraſci, gaudere, indignari, adulationem admittere, nimis eſſe indigna ſuperis. immò vix cadere in eos, quos dæmonas philoſophorum ſcholæ appellant; Semones & minorum gentium deos: de quo Apuleius lib. de Deo Socratis. STEV.

f *Arioli, vates, & numquam non vani concinnauere fanatici.* Lepidi profectò mihi videntur, qui ariolos, à fatis & fando, quaſi fariolos, vel ab Halando deducunt. Iſidorus lib. 8. ad Originem diligentiùs rimatur. *Arioli vocati propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, &*

tionibus occiderunt: & meritò humanum genus tot miſeriarum anguſtiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. Et [a] homines brutum genus, & quod ſitum ſub lumine eſt cæcitate ingenita nequeuntes videre, audent aſſeuerare furioſi, quod vos credere non erubeſcitis ſani? Ac ne quis nos tamen diffidentia reſponſionis, tranquillitatis exiſtimet deos donare muneribus, innoxias affingere his mentes, atque ab omni perturbatione dimotas; concedamus, ſicut libitum vobis eſt, intendere in nos iras, [b] ſanguinem illos ſitire noſtrum, & jamdudum nos cupere mortalium ſubmouere de ſæculis. Sed ſi non eſt moleſtum, non graue, ſi communis officij res eſt, non ex gratia ſed ex vero diſceptationis huius diſpectare momenta, audire à vobis expoſcimus, quænam ſit hæc ratio, quæ cauſa, propter quam in nos tantùm & dij ſæuiant ſuperi, & aſperati homines inardeſcant? Religiones, inquiunt, impias, atque inauditos cultus terrarum in orbem trahitis. Quid, ô participes rationis audetis homines proloqui, quid effutire, quid promere temerariæ vocis deſperatione tentatis? Deum principem, rerum cunctarum quæcumque ſunt Dominum, ſummitatem omnium ſummorum obtinentem, adorare, obſequio venerabili inuocare, in rebus feſſis totis vt ita dixerim ſenſibus amplexari, amare, ſuſpicere, execrabilis religio eſt & infauſta, impietatis & ſacrilegij plena, cærimonias antiquitus inſtitutas nouitatis ſuæ ſuperſtitione contaminans? Hoccine eſt quæſo audax illud facinus & immane, propter quod maxime cœlites aculeos in nos intendunt iratum atque indignationum ſuarum? propter quod vos ipſi, cum libido inceſſerit ſæua, exuitis nos bonis, exterminatis patriis ſedibus, irrogatis ſupplicia capitalia, torquetis, [c] dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & belluarum laniatibus obiectatis? Quiſquis iſtud in nobis damnat, aut in aliqua ducit criminatione ponendum, is aut nomine appellandus eſt hominis, quamuis ille videatur ſibi? aut Deus eſſe credendus eſt, quamuis ipſe ſe eſſe mille profiteatur in vatibus? [d] Trophonius nos impios, Dodonæus aut Iupiter nominat, & ipſe dicetur Deus, atque in ordine computabitur numinum, qui aut ſummo ſeruientibus regi crimen impietatis affingit, aut ſibi torquetur maieſtatem eius, cultumque præponi? Delius Apollo, vel Clarius, Didymæus, Phileſius, Pythius, & is habendus diuinus eſt, qui aut ſummum Imperatorem neſcit, aut ignorat à nobis quotidianis ei precibus ſupplicari? Qui ſi pectorum ſecreta neſciret, nec quid in intimis ſenſibus contineamus, agnoſceret; ſummum tamen inuocare nos Deum, & ab eo, quod poſtulamus orare, vel auribus potuit ſcire, vel ipſius vocis ſono, qua vtimur in precibus, noſcitare. Nondum eſt locus vt explicemus omnes iſti, qui nos damnant, qui ſint, vel vnde ſint; quantum poſſint, vel nouerint; cur ad Chriſti paueant mentionem; diſcipulos cur eius inimicos habeant & inuiſos: quod tamen humanum pollicentibus ſenſum vna pariter definitione figamus: nihil ſumus aliud Chriſtiani, niſi magiſtro Chriſto ſummi regis ac Principis veneratores: nihil, ſi conſideres, aliud inuenies in iſta religione verſari. Hæc totius ſumma eſt actionis: hic propoſitus terminus diuinorum officiorum, hic finis. Huic omnes ex more proſternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc iuſta, & honeſta, & auditu eius condigna depoſcimus. Non quo ipſe deſideret ſupplices nos eſſe, aut amet ſubſterni, & tot millium venerationem videre. Vtilitas hæc noſtra eſt; & commodi noſtri rationem ſpectans. Nam quia proni ad culpas, & ad libidinis varios appetitus vitio ſumus infirmitatis ingenitæ, patitur ſe ſemper noſtris cogitationibus concipi: vt dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus. Quid dicitis, ô ſacri, quid diuini interpretes iuris? Melioris ne ſunt cauſæ, qui Grundules adorant Lares, Aios Locutios, Limentinos, quàm ſumus nos omnes, qui Deum colimus rerum patrem, atque ab eo depoſcimus rebus feſſis languentibuſque tutamina? Et illi cati, ſapientes, prudentiſſimi vobis videntur, nec reprehenſionis vllius, qui Faunos, qui Fatuas, ciuitatumque Genios, qui Pauſos reuerentur, atque Bellonas. Nos hebetes, ſtolidi, fatui, obtuſi pronunciamur & bruti, qui dedidimus nos Deo, cuius nutu & arbitrio omne quod eſt, conſtat, & in ſententiæ ſuæ perpetuitate defixum eſt. Hanccine ſententiam promitis? hanc legem conſtituitis? hanc promulgatis, vt honoribus

funeſta ſacrificia offerunt, hiſque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiunt. vnde in Gloſſis, Hariolus βωμοσκόπος. Sic Tertullianus dixit cap. 23. Apolog. de iis loquens. *aquè producatur aliquis ex iis qui de cælo pati exiſtimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt.* Hos item irridet peracutè eiuſdem lib. c. 43. Pri.

a *Homines brutum genus.* Pari ſenſu Horatius lib. 1. ſat. 3 *mutum & turpe pecus* dixit, quaſi paruum rationis vſum præferens: Quod in hoc hominum genere occurrere docet Arnobius, qui furore correpti & amentia, ea aſſerere non verentur, quæ ſani cerebri homines vident ac deſpiciunt. *Idem.*

b *Sanguinem illos ſitire noſtrum,* ardentiſſimè optare, hoc eſt, græcorum αἷμα διψᾶν. Lactantius lib. 5. cap. 9. *Qui autem cultores ſe Dei non abnegauerint, in eos totis carnificina ſuæ viribus, veluti ſanguinem ſitiant, incumbunt, & deſperatos vocant. Idem.*

c *Dilaceratis* Nempè flagellis & vngulis. Ac flagellis quidem in quæſtionibus vſi antiquiſſimis temporibus. Q. Curtius lib. 6. *ac primo quamquam hinc ignis; illinc verbera, iam non ad quæſtionem ſed ad pœnam ingerebantur.* &c. Ac de vngulis, quibus deraſa & ſulcata Chriſtianorum latera, paſſiua obſeruatio eſt. Erant autem vſitatæ in Martyrum agonibus αἱ διέξοδοι τῶν μαστίγων; *inter cætera tormentorum genera, quibus eorum conſtantiam labefactare conabantur.* Her.

d *Trophonius nos impios.* Vulgare erat gentilium conuicium quo impios & ſacrilegos laceſſere ſolebant Chriſtianos. Iuſtinus Martyr. apol. 2. ἡμεῖς μὲν γὰρ πρὸς οὐδενὸς πείσεσθαί τι κακὸν λελογίσμεθα, εἰ μὴ κακίας ἐργάται ἐλεγχοίμεθα, ἢ πονηροὶ διεγνώσμεθα. *Nos quidem pro nihilo habuimus, mali quidquam perpeti, præterquam cum maleficii*

noribus afficiatur ampliſſimis quiſquis veſtros adorauerit ſeruulos?[a] crucem mereatur extremam quiſquis ipſis dominis ſupplicarit?[b] In ciuitatibus maximis, atque in potentioribus populis ſacra publicè fiunt ſcortis meritoriis quondam, atque in vulgarem libidinem proſtitutis; nullus tumor indignationis in diis eſt.[c] Templa felibus, ſcarabeis, & buculis, ſublimibus ſunt elata faſtigiis; ſilent irriſæ numinum poteſtates, nec liuore afficiuntur vllo, quod ſibi comparatas animantium vilium conſpiciunt ſanctitates. Nobis ſolis ſunt inimici, nobis aſperrimi dij hoſtes, quia patrem veneramur illorum, per quem, ſi ſunt, eſſe & habere ſubſtantiam ſui numinis maieſtatiſque cœperunt; à quo ipſam deitatem vt ita dicam ſortiti ſe eſſe ſentiunt, & in rerum numero recognoſcunt? cuius voluntate & arbitrio, & interire, & ſolui, nec ſolui poſſunt, nec interire? Nam ſi omnes concedimus vnum eſſe principem ſolum, quem nulla res alia vetuſtate temporis antecedat, poſt illum neceſſe eſt cuncta & nata eſſe & prodita, & in ſui nominis proſiluiſſe naturam. Quod ſi fixum & ratum eſt, erit nobis conſequens confiteri, & deos eſſe natiuos, & à principe rerum fonte ortus ſui originem ducere. Qui ſi ſunt natiui, & geniti, & interitionibus vtique periculiſque vicini. At enim eſſe creduntur immortales, perpetui, & nullius vmquam participes finis. Ergo iſtud munus Dei patris & donum eſt, vt infinita meruerint iidem eſſe per ſæcula, cum ſint labiles ſolubileſque naturâ. Atque vtinam daretur in vnius ſpeciem concionis toto orbe contracto oratione hac vti, & humani in generis audientia collocari. Ergone impiæ religionis ſumus apud vos rei, & quod caput rerum & columen venerabilibus adimus obſequiis, vt conuitio vtamur veſtro, infauſti & athei nuncupamur? Et quis magis rectiùs horum feret inuidiam nominum, quàm qui alium præ hoc Deum, aut nouit, aut ſciſcitatur; aut credit? Nonne huic omnes debemus hoc ipſum primum quòd ſumus? quod eſſe homines dicimur?[d] quod[e] ab eo vel miſſi, vel lapſi cæcitate huius in corporis continemur? Non quòd incedimus, quòd ſpiramus & viuimus, & ab eo ad nos venit, vique ipſa viuendi efficit nos eſſe, & animali agitatione motari? Nonne ab hoc effluunt cauſæ, per quas noſtra fulcitur ſalus variarum munificentia voluptatum? Mundus iſte in quo degitis, cuius eſt? aut quis eius vobis adtribuit fructum poſſeſſionemque retinere? Quis, vt ſubiectas res cernere, vt contrectare, vt conſiderare poſſetis, publicum iſtud lumen dedit? Quis, ne fixa pigritiæ ſtupore torpeſcerent elementa vitalia, ſolis igneis conſtituit ad rerum incrementa futuros?[f] Solem Deum cum eſſe credatis, conditorem eius, opificemque non quæritis?[g] Luna cum apud vos Dea ſit, non ſimiliter ſcire curatis genitor eius & fabricator quis ſit? Nonne cogitatio vos ſubit conſiderare, diſquirere, in cuia poſſeſſione verſemini? cuia in re ſitis? cuius iſta ſit, quam fatigatis, terra? cuius aër iſte, quem vitali reciprocatis à ſpiritu? cuius abutimini fontibus, cuius liquore? quis ventorum diſpoſuerit flamina? quis vndoſas excogitauerit nubes? quis ſeminum frugiferas poteſtates rationum proprietate diſtinxerit? Apollo vobis pluit? Mercurius vobis pluit? Æſculapius, Hercules, aut Diana rationem imbrium tempeſtatumque finxerunt? Et hoc fieri quî poteſt, cùm in mundo profiteamini eos natos, certóque tempore ſenſum arripuiſſe vitalem? Si enim temporis antiquitate mundus eos anteuenit, & priuſquàm nati ſunt, jam nouerat pluuias tempeſtateſque natura, nullum ſerius nati pluendi jus habent, neque eis inſerere rationibus ſe poſſunt, quas inuenerunt hîc agi, & majore ab auctore tractari. O maxime, ô ſumme rerum inuiſibilium procreator! O ipſe inuiſe, & nullis vnquam comprehenſe naturis! dignus es verè ſi modò te dignum mortali dicendum eſt ore, cui ſpirans omnis intelligenſque natura, & habere & agere numquam deſinat gratias: cui tota conueniat vita genu nixo procumbere, & continuatis precibus ſupplicare. Prima enim tu cauſa es, locus rerum ac ſpacium, fundamentum

vocamur aut impij vocamur. apud eumdem apol. 1. ἄθεοι ſunt Chriſtiani, & eo nomine inſigniuntur apud Euſebium lib. 4. c. 15. Suetonius in Nerone temporum corruptionem ſequitur. *Chriſtiani genus hominum ſuperſtitionis nouæ, ac maleficæ.* PRI.

a *Crucem mereatur extremam*, quo ſupplicio nullum erat tertius, nec abiectius; nullum deteſtabilius. Nam etſi ſummum ſupplicium, ἐσχάτη δίκη, ἡ αἰωνία δίκη, ἡ αἰωνία τιμωρία dicitur pœna ἡ θανάσιμος ſimpliciter: aliquando tamen extremam θανασίμου τιμωρίας ſortem ſignificat. Saluianus lib. 2. de Eccleſia Catholica. HER.

b *In ciuitatibus maximis atque potentioribus populis, &c.* Athenienſes Leænam meretricem famoſiſſimam, Romani Accam Laurentiam. & Floram, ſcorta propudioſa, poſt mortem ſacrificiis, & annuæ parentationis honore mactarunt. Lactantius lib. 1. c. 20. Gellius lib. 6. c. 7. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 10. Plutarchus in quæſt. Rom. ELMEN.

c *Templa felibus, ſcarabæis, &c.* Perſtringit Ægyptiorum ſuperſtitionem. Quod autem de ſcarabæis dicit, id Euſebio & aliis notum eſt. Cæterùm quæ conſtituebant animalibus illis templa, ea ſuperba erant, & magnifica, quare *ſublimibus elata faſtigiis* dicit Arnobius. *Idem*,

c *Templa felibus; &c.* Superſtitioſa imprimis fuit gens Ægyptiorum. Tertull. 24. Apolog *atque adeò & Ægyptiis permiſſa eſt tam vana ſuperſtitionis poteſtas auibus & beſtiis conſecrandis.* PRI.

e *Miſſi vel lapſi cæcitate huius in corporis continemur* Rationales creaturas fuiſſe in cæleſtibus, & propter quædam antiqua peccata, in corpora eſſe delapſas ad pœnas luendas, delirarunt Pythagoras, Plato & Origenes: qui ob dogma malè ſanum, doctorum ſermonibus paſſim lancinantur & vapulant. ELMEN.

d *Quod ab eo vel miſſi vel lapſi cæcitate, &c.* In Romano exemplari legitur, huius in corporis, eleganti phraſi pro hoc in corpore, quod nunc à nobis in ſuum & proprium locum reſtituitur. Sic idem auctor lib. 2. & in huius nominis ſupercilium ſuſtulerunt. STEV.

f *Solem Deum cum eſſe credatis.* Ita, vt Θεὸς ſine vlla adiectione ſol dicatur Græcis non rarò: & ἀρχόμενος & δυόμενος θεός. ſol oriens & occidens. Themiſtius Euphrades orat. 11. οἱ σφόδρα ἐπιθυμοῦντες τοῖς ὄμμασιν ἀπιδεῖν εἰς τὸν θεόν, πρῶτον μὲν ἐν τοῖς ὕδασιν καλοῦσι, καὶ διατηροῦντες τὸν ὀφθαλμὸν πρὸς τὸ φάσμα αὐτοῦ καρτερεῖν, καὶ ἀπειθεῖν. HER.

g *Luna cum apud vos Dea ſit.* Orpheus ad Lunam: Καὶ θεὰ

damentum cunctorum quæcumque ſunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus, quem nulla deliniat forma corporalis, nulla determinat circumſcriptio, qualitatis expers, quantitatis, ſine ſitu, motu, & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potis eſt ſignificatione verborum: qui, vt intelligaris, tacendum eſt; atque, vt per vmbram te poſſit errans inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omninò mutiendum. Da veniam rex ſumme tuos perſequentibus famulos: & quod tuæ benignitatis eſt proprium, fugientibus ignoſce tui nominis & religionis cultum. Non eſt mirum, ſi ignoraris: maioris eſt admirationis, ſi ſciaris. Niſi forte audet quiſquam, hoc enim furioſæ reſtat inſaniæ, ambigere, dubitare, an ſit iſte Deus, an non ſit: explorata fidei veritate, an rumoris caſſi opinatione ſit creditus. ᵃ Audimus enim quoſdam philoſophandi ſtudio deditos, partim vllam negare vim eſſe diuinam, partim an ſit quotidie quærere. Alios caſibus fortuitis, & concurſionibus temerariis ſummam rerum conſtruere, atque diuerſitatis impetu fabricari: cum quibus hoc tempore nullum nobis omninò ſuper tali erit obſtinatione certamen. Aiunt enim ſana ſentientes, contradicere rebus ſtultis ſtultitiæ eſſe maioris. Sermo cum his nobis eſt; qui diuinum eſſe conſentientes genus, de maioribus dubitant, cum ijdem eſſe plebeia atque humiliora fateantur. Quid ergo? res tantas argumentis nitemur atque elaborabimus obtinere? Diſcedat hæc longè, atque à nobis procul, procul inquam, vt dicitur, auertuncetur amentia. Ita eſt enim periculoſum argumentis aggredi, Deum principem comprobare, quàm ratione huiuſmodi eſſe illum, velle cognoſcere. Nec quidquam refert, aut diſcrepat, vtrumne neges illum, an aſſeras, atque exiſtere fatearis: cum in eadem culpa ſit, & aſſertio talis rei, & abnegatio refutatoris increduli. Quiſquamne eſt hominum, qui non cum iſtius principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? cui non ſit ingenitum, non affixum, imò ipſi penè in genitalibus matris non impreſſum; non inſitum, eſſe Regem ac Dominum, cunctorum quæcumque ſunt moderatorem? Ipſa denique hiſcere ſi animantia muta potis eſſent, ſi in linguarum noſtrarum facilitatem ſolui: immò ᵇ ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quirent & verborum articulos integrare, ita non duce natura, & magiſtra, non incorrupta ſimplicitatis fide, & intelligerent eſſe Deum, & cunctorum Dominum ſolum eſſe clamarent? Sed fruſtrà, inquit, nos falſò, & calumnioſo inceſſitis & appetitis crimine, tamquam eamus inficias eſſe Deum majorem: cùm à nobis & Iupiter nominetur, & optimus habeatur & maximus: cumque illi anguſtiſſimas ſedes, & Capitolia ᶜ conſtituerimus immania. Diſſimilia copulare, atque in vnam ſpeciem cogere inducta confuſione conanimi. Nam Deus omnipotens mente vna omnium, & communi motalitatis aſſenſu, neque genitus ſcitur, neque nouam in lucem aliquando eſſe prolatus, nec ex aliquo tempore cœpiſſe eſſe, vel ſæculo. Ipſe eſt enim fons rerum, ſator ſæculorum ac temporum. Non enim ipſa per ſe ſunt, ſed ex eius perpetuitate perpetua, & infinita ſemper continuatione procedunt. At verò Iupiter, vt vos fertis, & patrem habet & matrem, auos, auias, fratres: nunc nuper in vtero matris ſuæ formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem, ignotam ſibi in lucem ſenſu irruiſſe vitali. Ergo, ſi hæc ita ſunt, Iupiter eſſe Deus qui poteſt? cum illum eſſe perpetuum conſtet, perhibeatur alter à vobis, ᵈ & dies habuiſſe natales, & pauefactus re noua lamentabilem extuliſſe vagitum? Sed ſint, vt vultis, vnum, nec in aliquo vi numinis, & majeſtate diſtantes: ecquid ergo iniuſtis perſequimini nos odiis? Quid, vt ominis peſſimi, noſtri nominis inhorreſcitis mentione, ſi, quem Deum colitis, eum & nos? aut quid in eadem cauſa vobis eſſe contenditis familiares Deos, inimicos atque infeſtiſſimos nobis? Etenim, ſi vna religio eſt nobis vobiſque communis, ceſſat ira cæleſtium: ſin nobis infeſti ſunt ſolis, manifeſtum eſt neſcire & vos, & illos Deum: quem Iouem non eſſe ipſis clarum eſt indignationibus numinum. Sed non, inquit, idcircò dij vobis infeſti ſunt, quod omnipotentem colatis Deum: ſed quod hominem natum, ᵉ & quod perſonis infame eſt vilibus crucis ſupplicio interemptum, & Deum

Θι Θεὰ βασίλεια, φωσφόρε, δῖα σελήνη. Cicero de nat. Deorum lib. 3. *Si luna Dea eſt, ergo etiam Lucifer, cæteraque, errantes numerum Deorum obtinebunt.* Inſcriptio vetus.

SOLI. INVICTO. ET. LVNÆ. ÆTERNÆ.

Plato de legibus lib. 7. Lactantius lib. 2. cap. 5. ELMEN.

Genu nixo procumbere. Vulgatus mos veterum Chriſtianorum in orationibus, in terram poplite nixo procumbere. Origenes in Num. cap. 4. hom. 5. *Genua flectimus orantes.* Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus hom. 29. & 30. Hieronymus in epiſt. ad Epheſios cap. 5. *Idem.*

a *Audimus enim quoſdam philoſophandi ſtudio deditos.* Summam veterum philoſophorum inſcitiam cum pari coniunctam impietate, attingit, vt Epicureos, & atheos maximè inter quos primus obtinuit Diagoras ille, qui ob ſtupendam impietatem atheus dictus eſt. fuit & inſignis Protagoras Abderites, qui referente Tullio lib. 1. de nat. Deorum. in exordio libri cuiuſdam adſcripſit. *De Diis neque vt ſint neque vt non ſint, habeo dicere.* PRI.

b *Si arbores, gleba, ſaxa, ſenſu animata vitali.* Similiter hoc ipſo lib. *animalibus*, ait, *cauſis lucem ſemper, atque obſcuritatem reſumens.* Proinde hoſtiam animalem nuncupat lib. 7. Pariter apud Senecam in epiſtolis, quæ vulgò *animata, inanimata*, vocantur, *animalia inanimalia* in membranis nominari monuit doctiſſimus Franciſcus Modius noſter in ſuis nouantiquis, epiſt. 58. Itidem Chariſius lib. 1. Gramm. *materiam animalem, animalem calculum.* vocat. Pacuuius apud Cicer. *Euiſcerata, inanima cum animali ſono.* STEV.

c *Capitolia conſtituerimus immania.* Id fermè Tertul. Apologet. 25. *nam etſi à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris, aut templis, res diuina apud Romanos conſtabat. Frugi religio & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cælo.* Immane dicitur Capitolium à magnitudine & vaſtiſſima ſtructura: quo ſenſu templa immania dixit Virgilius, Vel ab ara quam extruxerant primùm Romani in illo vertice, vt habet Dionyſius Hal. lib. 6. quam Διὸς ἐξουσίας ſiue Iouis terrifici vocarunt. PRI.

d *Et Dies habuiſſe natales &c.* De ortu, natalibus, morte, & tumulo Iouis in Inſula Creta dixi ad Apol. 25. locum hunc adire potes. *Idem.*

e *Et Crucis ſuplicio interemptum.* Pagani inſultabant Chriſtianis, & irridebant eos, quòd hominem crucifixum & ig-

Deum fuiſſe contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis [a] ſupplicationibus adoratis. Si vobis iucundum eſt, amici, ediſſertate quinam ſint hi dij, qui à nobis Chriſtum coli, ſuam credant ad iniuriam pertinere? Ianus Ianiculi conditor, & ciuitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna Fatua, Fauni vxor, Bona dea quæ dicitur, ſed in vini melior & laudabilior potu? Indigetes illi, [b] qui flumen repunt, & in alueis Numici cum ranis & piſciculis degunt? Æſculapius, & Liber pater, Coronide ille natus, & ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius vtero fuſus Maiæ, &, quod eſt diuinius, candidæ. Arquitenentes Diana & Apollo, circumlati per fugas matris, atque in inſulis errantibus vix tuti? Dioneia Venus proles, viri materfamilias Troici, atque inteſtini decoris publicatrix? In Trinacriæ finibus Ceres nata; atque in floribus legendis occupata Proſerpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniæ, flammis alter concrematus Oetæis? Tyndaridæ Caſtores, equos vnus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexuperabilis ceſtu: Titanes & Bocores Mauri, & [b] quorum progenies Dij Syri? Apis Peloponneſi proditus, & in Ægypto Serapis nuncupatus? Æthiopicis ſolibus Iſis furua mærens perditum filium, & membratim coniugem lancinatum? Præterimus, & tranſgredimur Opis ſoboles regias: quas in libris auctores veſtri, quæ fuerint, & quales, vobis ediſcentibus prodiderunt. Hice ergo Chriſtum coli, & à nobis accipi, & exiſtimari pro numine, vulneratis accipiunt auribus? & obliti paulò antè ſortis fuerint & conditionis cuius, id, quod ſibi conceſſum eſt, impertiri alteri nolunt? Hæc eſt iuſtitia cælitum? hoc deorum iudicium ſanctum? Nonne iſtud liuoris eſt atque auaritiæ genus, non obtrectatio quædam ſordens, ſuas eminere tantummodo velle fortunas, aliorum res premi, & in contempta humilitate calcari? Natum hominem colimus. Quid enim? Vos hominem nullum colitis natum? non vnum & alium? non innumeros alios? quinimò non omnes, quos iam templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cælo ſideribuſque donaſtis? Si enim forte vos fugit, ſortis eos humanæ, & conditionis fuiſſe communis; replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini, ſine vllis aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt. Iam profectò diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua in nati regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, quas in rebus obeundis aduerſorum ſenſerint, ſecundantiumque fortunas. Sin autem ſcientes vteris eſſe geſtatos, & frugibus eos victitaſſe terrenis, nihilominus tamen nobis nati hominis obiectatis cultum, res agitis ſatis iniuſtas, vt id in nobis conſtituatis eſſe damnabile, quod & ipſi vos factitatis: aut, quæ vobis licere permittitis, conſimiliter aliis licitum eſſe nolitis. [c] Sed concedamus interdum, manum veſtris opinationibus dantes, vnum Chriſtum fuiſſe de nobis, mentis, animæ, corporis, fragilitatis, & conditionis vnius: nonne dignus à nobis eſt tantorum ob munerum gratiam Deus dici, Deuſque ſentiri? Si enim vos Liberum, quòd vſum reperit vini: ſi, quòd panis, Cererem: ſi Æſculapium, quòd herbarum: ſi Mineruam, quòd oleæ: ſi Triptolemum, quòd aratri; ſi denique Herculem, quòd feras, quòd fures, quòd multiplicium capitum ſuperauit compeſcuitque natrices, diuorum retuliſtis in cœtum: honoribus quantis afficiendus eſt nobis, qui ab erroribus nos magnis inſinuata veritate traduxit? Qui velut cæcos paſſim, ac ſine vllo rectore gradientes, ab deruptis, ab deuiis, locis planioribus reddidit. Qui, quod frugiferum primo atque humano generi ſalutare, Deus monſtrauit quid ſit, quis, quantus, & qualis. Qui profundas eius atque inenarrabiles altitudines, quantum noſtra quiuit mediocritas capere, & intelligere permiſit & docuit. Qui, quo autore, quo patre mundus iſte ſit conſtitutus & conditus, fecit benigniſſime ſciri. Qui natiuitatis eius exprompſit genus, & nullius aliquando cognitione præſumptam materiam illius. Vnde ignibus ſolis genitalis feruor adſcitur. Cur luna ſemper in mutuis damnis ac crementis, annualibus cauſis lucem ſemper atque obſcuritatem reſumens. Animalium origo quæ ſit: rationes quas habeant ſemina. Quis ipſum finxerit hominem, quis informarit, vel ex materiæ quo genere conſtructionem ipſam confirmauerit corporum. Quid ſit ſenſus, quid anima: aduolarit-ne ad nos ſponte, an cum ipſis ſata ſit & procreata viſceribus: mortis particeps

nominioſa morte defunctum colebant. Elmenh.

a *Supplicationibus adoratis.* Adorare vt monuit Heraldus eſt προσκυνεῖν. Quod verum, & alia etiam notione vox adorare intelligitur. Adoratio enim erat ſuam manum oſculari. Iob 31. *Si oſculatus ſum manum meam ore meo.* Minutius Felix: *Cæcilius ſimulacro Serapidis viſo, vt vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admouens, oſculum labijs preßit.* in libris Regum de illa adoratione mentionem inuenies, Sed multa apud Apuleium paſſim in Metamorphoſi & Apolog. legere poteris. Pri.

b *Qui flumen repunt.* Inſcriptum heroo: ΠΑΤΡΟϹ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ. ΟϹ ΠΟΤΑΜΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. Her.

c *Et Crucis ſupplicio interemptum.* Pagani inſultabant Chriſtianis, & irridebant eos, quod hominem crucifixum & ignominioſa morte defunctum colebant. Elmenh.

d *Onorum progenies Dij Syri.* Legebant alij Dioſcuri. De quibus Horatius ſat. 1. lib. 2.

Caſtor gaudet equis, ouo prognatus eodem pugnis. Pri.

d *Sed concedamus interdum, manum veſtris opinationibus dantes.* Sæpè interdum, pro, interim, apud hos ſcriptores: vt etiam interim, pro interdum. Quod autem ait manum dare, eſt pro, manus dare, quod eſt vſitatius Nata locutio ab iis, qui victos fatentur ſe, & victoribus manus vinciendas præbent. Quare manus protendere hominum eſt victos ſe fatentium, & mortem deprecantium. Zozimus lib. 11. πολλοὶ δὲ ζωγρίᾳ ἑάλω, τὸ δὲ λοιπὸν πλῆθος χεῖρας ἀνατεῖναν ἐδέξατο. Præterea ſupplices omnes manus pro-

particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata ſit. Qui ſtatus nos maneat, cùm diſſolutis abierimus à membris. Viſurine nos ſimus, an memoriam nullam noſtri ſenſus & recordationis habituri. Qui arrogantiam conſtrinxit noſtram, & [a] elatas ſupercilio ceruices modum fecit ſuæ infirmitatis agnoſcere. Qui animantia monſtrauit informia nos eſſe, vanis opinionibus fidere, nihil comprehenſum habere, nihil ſcire, & quæ noſtros ſita ſunt ante oculos, non videre. Qui, quod omnia ſuperauit, & tranſgreſſum eſt munera, ab religionibus nos falſis religionem traduxit ad veram. Qui ab ſignis inertibus atque ex viliſſimo formatis luto ad ſidera ſubleuauit & cælum: & cum domino rerum Deo ſupplicationum fecit verba atque orationum colloquia miſcere. Venerabar, ô cæcitas! nuper ſimulacra modò ex fornacibus prompta, in incudibus deos & ex malleis fabricatos, elephantorum oſſa: picturatas [b] veternoſis in arboribus tænias [c] ſi quando conſpexeram, [d] lubricatum lapidem & ex oliui vnguine ſordidatum, tamquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco: & eos ipſos, diuos, quos eſſe mihi perſuaſeram, afficiebam contumeliis grauibus: cùm eos eſſe credebam ligna, lapides, atque oſſa, aut in huiuſmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia iſta, quæ ſint, ſcio: digna de dignis ſentio, contumeliam nomini nullam facio diuino: & quid cuique debeatur, vel perſonæ, vel capiti, inconfuſis gradibus atque auctoritatibus tribuo. Ita ergo Chriſtus non habeatur à nobis Deus? nec qui omnium alioquin vel maximus poteſt excogitari, diuinitatis afficiatur cultu, à quo jamdudum tanta & accepimus dona viuentes, & expectamus, dies cum venerit, ampliora? Sed patibulo affixus interiit. Quid iſtud ad cauſam? Neque enim qualitas & deformitas mortis dicta eius immutat aut facta, aut eo minor videbitur diſciplinarum eius autoritas, quia vinculis corporis non naturali diſſolutione digreſſus eſt, ſed vi illata deceſſit. [e] Pythagoras Samius ſuſpicione dominationis iniuſta viuus concrematus in fano eſt: numquid ea, quæ docuit, vim propriam perdiderunt, quia non ſpiritum ſponte, ſed crudelitate appetitus effudit? Similiter [f] Socrates ciuitatis ſuæ iudicio damnatus capitali affectus eſt pœna: numquid irrita facta ſunt, quæ ſunt ab eo de moribus, virtutibus, & officiis diſputata, quia iniuria expulſus è vita eſt? Innumerabiles alij gloria, & virtute, & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas: vt [g] Aquilius, Trebonius, Regulus: numquid idcirco poſt vitam iudicati ſunt turpes; quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati, excruciatique perierunt? Nemo vmquam innocens malè interemptus infamis eſt, nec turpitudinis alicuius commaculatur nota: quia non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitate. Et tamen, ô iſti qui hominem nos colere morte functum ignominioſa ridetis; nonne Liberum & vos patrem membratim ab Titanis diſcerptum fanorum conſecratione mactatis? Nonne Æſculapium medicaminum repertorem, poſt pœnas & ſupplicia fulminis, cuſtodem nuncupaſtis & præſidem ſanitatis, valetudinis, & ſalutis? Nonne ipſum Herculem magnum ſacrificiis, hoſtiis, [h] & thure inuitatis incenſo, quem ipſi vos fertis viuum arſiſſe poſt pœnas, & concrematum [i] in funeſtis buſticetis? Nonne illum Attin Phrygem abſciſſum

tendere ſoliti: quare & ii ipſi qui victorum clementiam implorabant, manus tendebant. Virgilius

Ille humilis, ſupplexque, oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit

Sic igitur manum dare dicit Arnobius, vt Virgilius dextram protendere. HER.

a *Elatas ſupercilio ceruices.* Ceruicem tollere ſuperborum eſt. Cyprianus de Mortalitate, *ceruicem flectat ſuperbi.* Lactantius lib. 5. c. 22 Lucifer Calaritanus, Petronius; Sidonius Apoll. lib. 7. epiſt. 9. ELMENH.

b *Veternoſis in arboribus tænias*: Arbores dicit, in quibus ſpolia ſuſpenſa erant, & Diis conſecrata. Nam in ipſis donariis & anathemaſi, teniæ, & aliquid ibi depictum. Plutarchus in Timoleonte: ἐκ γὰρ τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων ταινία τις ἀπορρυεῖσα καὶ φέρουσα στεφάνους ἔχουσα, καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας ἐπέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ πυλοῦντος. ex autem arbores religioſa obſeruatione à prætereuntibus colebantur; & inuiolatæ durabant annos plurimos, quare veternoſas appellat eas Arnobius. Hæc docet elegantiſſimè Lucanus lib. 1. De cultu autem & veneratione harum arborum teſtimonia exſtant, cum alibi propè infinita, tum apud Apuleium verbis ſignificantiſſimis florida prima. HERAL.

c *Siquando conſpexeram lubricatum lapidem.* Ritum ordinandi, coronandi, vnguendi ſimulacra Deorum, illuſtraui apud Vegetium lib. 2. c. 6. Præſentem verò locum reſtituere tentaui, *& oliui vnguine exornatum*, in quæſtionibus meis ad lib. 1. florid. Apuleii, vbi plura hac de re. STEV.

d LVBRICATVM LAPIDEM &c. vnctum intelligit ſeu λιπαρὸν λίθον; Ita enim græcis dicitur vt ex Clemente Alex. videre eſt ſtrom. 7. οἱ αὐτίκα ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον λιπαρὸν προσκυνοῦντες. *idem lignum quodlibet & lapidem omnem etiam* lubricatum *dictum adorantes.* Non abludit Theophraſtus de ſuperſtit. καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν. Vnctum vocat lapidem in apolog. Apuleius, & in flor. *lapis vnguine delibutus.* PRI.

e *Pythagoras Samius.* De Pythagoræ morte diuerſæ erant opiniones, alij enim ſcribunt eum in Milonis domo concrematum: alij autem in Muſarum fano periiſſe inedia. vide Laertium. Vtramque opinionem confundit Arnobius. HER.

f *Socrates ciuitatis ſuæ iudicio damnatus.* Laertius lib. 2. in vita Socratis. Athenagoras apol. pro Chriſt. Plato in apol pro Socrate. Xenophon memorabil. Maximus Tyr. ſerm. 39. ELMENH

g *Vt Aquilius.* de Manio Aquilio Oppij legato à Mithridate crudeliſſimè interempto agere Arnobium rectè obſeruauit doctiſſimus Caſaubonus, magnum literarum lumen, & ſingularis pietatis ac probitatis exemplum. Aquilio igitur capto miris modis illuſit Mithridates, tandemque τοῦ στόματος αὐτοῦ κατεχώνευσε χρυσίον, ait Appianus in Mithridat. *aurum in os infundit* ait Plinius lib. 33. c. 3. Ejuſdem meminit Tullius de lege Manilia. HER.

h *Et ture inuitatis accenſo.* Sacrificiis igitur deos inuitabant, eoſque etiam in ipſo opere vocabant, *Adeſte* &c. Virg. *Te libans Lenæe vocat.*

Ture autem ſcriptum in exemplaribus, quomodo æuo illo ſcribebant. Seruius ad lib. 1. Georg. *Sane tus modo ſine aſpiratione dicimus. Nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τοῦ θύειν, quod diſplicuit. Tura enim à tundendo dicta eſſe voluerunt, à glebis tunſis, cum quibus dicitur ſimul ex arboribus coaleſcere. Idem.*

i *In funeſtis Buſticetis.* legunt alij *funebribus.* Diſcrimen aiunt eſſe inter rogum, pyram, & buſtum Grammatici. PRI.

ſciſſum, & ſpoliatum viro Magnæ matris in adytis deum propitium, deum ſanctum Gallorum conclamatione teſtamini? Nonne ipſum Romulum patrem, ſenatorum manibus dilaceratum centum, & [a] Quirinum eſſe Martium dicitis, & ſacerdotibus, & puluinaribus honoratis, & in ædibus adoratis ampliſſimis, & poſt hæc omnia cælum aſcendiſſe iuratis? Aut igitur ridendi & vos eſtis, qui homines grauiſſimis cruciatibus interemptos deos putatis, & colitis: aut, ſi certa eſt ratio, cur id vobis faciendum puteris, & nobis permittite ſcire, quibus iſtud cauſis, rationibuſque faciamus. Natum hominem colitis. Etiam ſi eſſet id verum, locis vt in ſuperioribus dictum eſt, tamen pro multis, & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis ſunt, Deus dici appellarique deberet. Cùm verò Deus ſit re certa, & ſine vllius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos eſſe, quàm maximè illum à nobis coli, & præſidem noſtri corporis nuncupari? Ergone, inquiet aliquis furens, iratus, & percitus, Deus ille eſt Chriſtus? Deus, reſpondebimus, & interiorum potentiarum Deus: & quod magis infidos acerbiſſimis doloribus torqueat, rei maximæ cauſa à ſummo rege ad nos miſſus. Poſtulabit forſitan inſanior & furioſior factus, an ſe ita res habeat, quemadmodum dicimus, comprobari. Nulla maior eſt comprobatio, quàm geſtarum ab eo fides rerum, quàm virtutum nouitas, quàm omnia victa decreta, diſſolutaque fatalia, quæ populi genteſque ſuo geri ſub lumine nullo diſſentiente videre: quæ nec ipſi audent falſitatis arguere, quorum antiquas ſeu patrias leges vanitatis eſſe pleniſſimas atque inaniſſimæ ſuperſtitionis oſtendit. Occurſurus forſitan rurſus eſt cum aliis multis calumnioſis illis & puerilibus vocibus: [b] magus fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina, & remotas furatus eſt diſciplinas. Quid dicitis, ô paruuli, incomperta vobis, & neſcia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Ergone illa, quæ geſta ſunt, [c] dæmonum fuere præſtigiæ, & magicarum artium ludi? Poteſtis aliquem nobis deſignare, monſtrare ex omnibus illis Magis, qui vmquam fuere per ſæcula, conſimile aliquid Chriſto milleſima ex parte qui fecerit? qui ſine vlla vi carminum, ſine herbarum & graminum ſuccis, ſine vlla aliqua obſeruatione ſollicita ſacrorum, libaminum, temporum? Non enim vrgemus, & quærimus, quæ ſeſe ſpondeant facere, vel in quibus generibus actuum ſoleat omnis illorum doctrina & experientia contineri. Quis enim hos neſciat aut imminentia ſtudia prænoſcere, quæ neceſſariò velint nolint ſuis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem: aut familiarum dirumpere charitates: aut ſine clauibus reſerare, quæ clauſa ſunt: aut ora ſilentio vincire: aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; aut vxoribus, & liberis alienis, ſiue illi mares ſint, ſiue fœminei generis, inconceſſi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates: aut ſi vtile aliquid videantur audere, non propria vi poſſe, ſed eorum, quos inuocant, poteſtate? Atqui conſtitit Chriſtum ſine vllis adminiculis rerum, ſine vllius ritus obſeruatione, vel lege, omnia illa quæ fecit, nominis ſui poſſibilitate feciſſe: & quod proprium, conſentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, ſed opiferum, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenum bonis poteſtatis munificæ liberalitate donaſſe. Quid dicitis, ô iterùm? Ergo ille mortalis, aut vnus fuit è nobis, cuius imperium, cuius vocem [d] popularibus & quotidianis verbis miſſam, valetudines, morbi, febres, atque alia corporum cruciamenta fugiebant? Vnus fuit è nobis, cuius præſentiam, cuius viſum gens illa nequibat ferre merſorum in viſceribus dæmonum, conterritáque vi noua membrorum poſſeſſione cedebat? Vnus fuit è nobis, cuius fœdæ vitiligines iuſſioni obtemperabant pulſæ ſtatim, & concordiam colorum commaculatis viſceribus relinquebant? Vnus fuit è nobis, cuius ex leui tactu ſtabant profluuia ſanguinis, & immoderatos? Vnus fuit è nobis, cuius manus intercutes veternoſæ fugiebant vndæ, penetrabilis ille vitabat liquor, & turgentia viſcera ſalutari

a *Quirinum eſſe Martium dicitis.* Vide Plutarchum in Romulo. Seruium ad lib. 1. Aen. Lactant. lib. 1. c. 21. ELMEN.

a *Et Quirinum eſſe Martium.* Martium eſſe gloſſema facilè crediderim. Et ſanè, aut valdè fallor, ita res eſt, Nam etſi plura vocabula copulare amat Arnobius, exemplum tamen videtur hic minus idoneum. Solita autem mortuis conſecratis nomina immutari, ne quis eos putaret homines fuiſſe, quod obſeruat Lactantius, notum hodiè omnibus eſt. HER.

b *Magus fuit.* Pagani, quoniam miracula à Chriſto factitata, quorum fama per totum orbem percreuerat, & multorum aſſertionibus firmiſſimis iam probata erat, nullis poterant rationibus infirmare, ne vi ipſa veritatis victi, manum dare cogerentur, & Chriſtum Deum agnoſcere, blaſphemo ore & temeraria vocis deſperatione dicebant; quæ prodigioſè fecerat Redemptor noſter, ea omnia illum non vi numinis, ſed magicarum artium perpetraſſe poteſtate. Scriba quidam profanus & furioſus ad Philippum Apoſtolum apud D. Clementem Recognit. lib. 1. ex interpretatione Ruffini. *Ieſus veſter ſigna & prodigia quæ fecit, vt magus, non vt propheta fecit.* Auguſtinus in Matth. ſerm. 11. *Pagani dicunt, Dominum Chriſtum magicis artibus feciſſe miracula.* Idem de verbis B Petri ſerm. 29. Origenes contra Celſum lib. 1 κατηγορεῖ δὲ Celſus ἐν τοῖς ἑξῆς καὶ τοῦ σωτῆρος ὡς γοητείᾳ δυνηθέντος ἃ ἔδοξε παράδοξα πεποιηκέναι, καὶ προειδότος ὅτι μέλλουσι καὶ ἄλλοι τὰ αὐτὰ μαθήματα ἐγνωκότες ποιεῖν τὸ αὐτὸ σεμνυνόμενοι, τῇ θεοῦ δυνάμει ποιεῖν, οὕς τινας ἀπελαύνει τῆς ἑαυτοῦ πολιτείας ὁ Ἰησοῦς. Horum omnium furioſam inſaniam refutant Auguſtin. de conſenſ. Euangel. lib. 1. cap. 8 9. 10. 14. Euſebius Demonſtrat. lib. 3. cap. 3. & 8. ELMEN.

c *Dæmonum fuere præſtigia & magicarum artium ludi.* Occurrit blaſphemiæ qua ethnici impiè aſſeuerabant Magiæ opera Chriſtum mira edidiſſe. Præſtigiæ enim ſunt παίγνια ſeu magorum miracula. Tertull. lib. de anima c. 57. *Magicas fallacias & præſtigias.* & B. Hieronymus lib. 1. in Daniel. c. 2. *dæmoniacas artes, atque præſtigias magorum.* & quidem verbo ludere in hac materia vſus Tertullianus cap. 23. Apolog. *Si multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt.* Miracula ille tangit Georg. 4. Virgilius

Omnia transformat ſe ſe in miracula rerum.

θαυματοποιοὶ ab illis miraculis dicuntur præſtigiatores, de quibus Plato ait τὰ θαύματα θηρεύειν. PRI.

d *Popularibus & quotidianis verbis miſſam.* Hoc ait pro-

tari ariditate deflabant? Vnus fuit è nobis, qui claudos currere præcipiebat? Etiam operis res erat porrigere mancos manus; & articuli immobilitates jam ingenitas explicabant: captos membris aſſurgere; etiam ſuos referebant lectos alienis paulò antè ceruicibus lati: viduatos videre luminibus; etiam cælum diemque cernebant nullis cum oculis procreati? Vnus, inquam, fuit è nobis, qui debilitatibus variis, morbiſque vexatos centum, aut hoc amplius, ſemel vna interceſſione ſanabat? cuius vocem ad ſimplicem furibunda & inſana explicabant ſe maria? procellarum turbines tempeſtateſque ſidebant? qui per altiſſimos gurgites pedem ferebat inlutum? [a] calcabat ponti terga vndis ipſis ſtupentibus, in famulatum ſubeunte natura? qui ſequentium ſe millia quinque, quinque ſaturauit è panibus, ac, ne eſſe præſtigiæ incredulis illis viderentur & duris, bis ſenarum ſportarum ſinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Vnus fuit è nobis, qui redire in corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos? & poſt diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri? Vnus fuit è nobis, qui, quid ſinguli voluerent, quid ſub obſcuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus peruidebat? Vnus fuit è nobis, qui cum vnam emitteret vocem, ab diuerſis populis, & diſſona oratione loquentibus, familiaribus verborum ſonis, & ſuo cuique vtens exiſtimabatur eloquio? Vnus fuit è nobis, qui cum officia religionis certæ ſuis ſectatoribus traderet, mundum totum repentè complebat, quantúſque, & qui eſſet, reuelata nominis immenſitate monſtrabat? Vnus fuit è nobis, qui depoſito corpore innumeris ſe hominum prompta in luce detexit? qui ſermonem dedit, atque accepit, docuit, caſtigauit, admonuit? qui nè illi ſe falſos vanis imaginationibus exiſtimarent, ſemel, iterùm, ſæpiùs familiari collocutione monſtrauit? qui iuſtiſſimis viris etiamnunc impollutis, ac diligentibus ſeſe, non per vana inſomnia, ſed per puræ ſpeciem ſimplicitatis apparet? [b] cuius nomen auditum fugat noxios ſpiritus? imponit ſilentium vatibus? haruſpices inconſultos reddit? [c] arrogantium magorum fruſtrari efficit actiones, non horrore, vt dicitis, nominis, ſed maioris licentia poteſtatis? Et hæc quidem ſummatim expoſita, non ea ratione protulimus, tamquam magnitudo facientis ſolis in his eſſet perſpicienda virtutibus. Quanta ſint enim hæc, vel exilitatis cuius reperientur & ludi, ſi traditum fuerit noſci, ex quibus ad nos regnis, cuius numinis miniſtrator aduenerit? Quæ quidem ab eo geſta ſunt, & factitata, non vt ſe vana oſtentatione jactaret, ſed vt homines duri, atque increduli ſcirent non eſſe, quod ſpondebatur, falſum: & ex operum benignitate, quid eſſet Deus verus, jam addiſcerent ſuſpicari. Simul & illud volumus ſciri, cum ſummatim, vt dictum eſt, enumeratio facta geſtorum eſt, non ea ſolùm Chriſtum potuiſſe, quæ fecit, ſed conſtituta etiam exuperaſſe fatorum. Nam ſi, vt liquet & conſtat, debilitates, & corporum paſſiones, ſurdi, manci, & muti, neruorum contractio, & amiſſio luminis, fatalibus accidunt irrogunturque decretis, & ſolus hæc Chriſtus correxit, reſtituit, atque ſanauit: ſole ipſo eſt clarius, potentiorem illum fuiſſe, quàm fata ſunt, cùm ea ſoluit & vicit, quæ perpetuis nexibus, & immobili fuerant neceſſitate deuincta. Sed fruſtrà; inquit neſcio quis, tantum arrogas Chriſto, cum ſæpè alios ſciamus, & ſcierimus deos, & laborantibus plurimis dediſſe medicinas, & multorum hominum morbos valetudineſque curaſſe. Non inquiro, non exigo, quis Deus, aut quo tempore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum reſtituerit ſanitati: illud ſolum audire deſidero, an ſine vllius adjunctione materiæ, id eſt, medicaminis alicuius, ad tactum morbos juſſerit ab hominibus euolare, imperauerit, fecerit & emori valetudinum cauſam, & debilium corpora ad ſuas remeare naturas. Chriſtus enim ſcitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis ſimplicis juſſione aures aperuiſſe ſurdorum, exturbaſſe ab oculis cœcitates, orationem dediſſe mutis, articulorum vincula relaxaſſe, ambulatum dediſſe contractis, vitiligines, [d] queras, atque intercutes morbos, omniaque

pter magorum ſuſurramina vocibus exoticis & barbaris, immò & horrendis concepta: quæ concitata lingua ab iis pronuntiabantur, ita vt auditorum aures ſæpiùs ferirent tantùm, nihil autem iis inſinuarent. Lucianus mort. dial. ῥῆσίν τινα μακρὰν ἐπέλεγεν, ἧς οὐ σφόδρα κατήκουον, ὥσπερ γὰρ οἱ φαῦλοι τῶν ἐν τοῖς ἀγῶσι κηρύκων, ἐπίτροχόν τι καὶ ἀσφαλὲς, legendum ἀσαφὲς, ἐφθέγγετο πλὴν ἀλλ' ἐῴκει γέ τινας ἐπικαλεῖσθαι δαίμονας. μετὰ γοῦν τὴν ἐπῳδὴν τρὶς ἄν μου πρὸς τὸ πρόσωπον ἀποπτύσας, &c. Addit poſteà παραμίγνυσι ἅμα βαρβαρικά τινα καὶ ἄσημα ὀνόματα, καὶ πολυσύλλαβα. Idcircò ſcribit Clemens Alex. preces eas exiſtimatas efficaciores, quæ verbis barbaris conciperentur. Clementis verba ſunt ſtromate 1. αἱ δὲ πρῶται καὶ γενικαὶ διάλεκτοι, βάρβαροι μὲν, φύσει δὲ τὰ ὀνόματα ἔχουσι. ἐπεὶ καὶ τὰς εὐχὰς ὁμολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι δυνατωτέρας εἶναι τὰς βαρβάρῳ φωνῇ λεγομένας. Her.

a *Calcabat ponti terga.* Superficiem maris dici terga monuit Seruius ad illud Georg. 1. Virgilij: *quæ ſuſcitat æquore terga.* Eodem ſenſu Minutius Felix dixit de Chriſto domino. *vt illud iaculum vel dorſum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur.* Quamquam diſcrimen aliquod intercedit, nam per terga ſuperficies intelligitur; per dorſum, arena quæ collidentibus & concurſantibus vndis dureſcit in morem ſaxi & puluinus dicitur, vnde de hoc poſteriore apud Homerum ſæpe παρὰ θῖνα θαλάσσης de poſteriore νῶτα θαλάσσης. B. Petr. Chryſologus hunc loquendi modum expreſſit ſermone 20. *Mare quod Chriſti pedibus tumentia terga ſubmiſit.* Pri.

b *Cuius nomen auditum fugat noxios ſpiritus.* Gregorius Nazianz. carm. 61.

οὐ μέγα, καὶ γὰρ ἐγὼ Χριστοῦ λάος, οὔνομα σεπτὸν
πολλάκις μοῦνον ἔειπον. ὁ δ' ᾤχετο τηλόθι δαίμων
τρύζων, ἀχλύεσσί τι, βοῶν θεοῦ ὑψιμέδοντος.
Non mirum, namque ſum Chriſti è populo, nomen ſanctum
Sæpè ſolum pronuntiaui, dæmon verò longè abijt
Stridens, renidens, & inclamans vim altitonantis.

Obſeruat Origenes lib. 1. contra Celſum, improbos quoque elato nomine venerabili dæmones expuliſſe, iuxta illud ſcripturæ Multi dicent in illa die in nomine tuo dæmonia ejecimus. *Idem.*

c *Arrogantium magorum.* Id eſt ἀλαζόνων, qui ea promittunt & ſpondent, quæ implere nequeunt. Nam quos Græci ἀλαζόνας appellant, eos latini *arrogantes* ſæpiſſimè verterunt Her.

d *Querqueras*, Feſtus, *febrem frigidam* interpretatur; Lucilius *querquera conſequitur; febris, capitiſque dolores.* Elmenh.

omniaque alia valetudinum genera, [a] quæ humana corpora ſuſtinere neſcio quæ voluit importuna crudelitas, verbo ſolitus imperióque ſanare. Quid ſimile dij omnes, à quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latam? Qui ſi quando vt fama eſt nonnullis attribuere medicinam, [b] aut cibum aliquem iuſſerunt capi, aut qualitatis alicuius ebibi potionem, aut herbarum & graminum ſuccos ſuperponere inquietantibus cauſis, ambulare, ceſſare, aut re aliqua, quæ officiat abſtinere: quod eſſe non magnum, nec admirationis alicuius ſtupore condignum promptum eſt, ſi volueritis attendere: medici enim ſic curant; animal humi natum, nec confiſum ſcientiæ veritate, ſed in arte ſuſpicabili poſitum, & conjecturarum æſtimationibus nutans. Nulla autem virtus eſt medicaminibus amouere, quæ noceant: beneficia iſta rerum, non ſunt curantium poteſtates: &, vt ſi laudabile ſcire, qua quos conueniat medicina aut arte curari, locus huius laudis non in Deo, ſed in homine conſtitutus eſt. Hunc enim non eſt turpe rebus extrinſecus ſumptis valetudinem hominis feciſſe meliorem: indecorum Deo eſt, non ipſum per ſe poſſe, ſed externarum adminiculis rerum ſanitatem incolumitatemque præſtare. Et quoniam beneficia ſalutis datæ aliorum numinum comparatis, & Chriſti: quot millia vultis à nobis debilium vobis oſtendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omninò retuliſſe medicinam, [c] cum per omnia ſupplices irent templa, cum deorum ante ora proſtrati, limina ipſa conuerrerent oſculis, cum Æſculapium ipſum datorem, vt prædicant, ſanitatis, quoad illis ſuperfuit vita, & precibus fatigarent, & inuitarent miſerrimis votis? Nonne alios ſcimus malis ſuis commortuos, cruciatibus alios conſenuiſſe morborum, pernicioſius alios ſeſe habere cœpiſſe, poſtquam dies noctesque in continuis precibus, & pietatis expectatione triuerunt? Quid ergo prodeſt oſtendere vnum, aut alterum fortaſſe curatos, cùm tot millibus ſubuenerit nemo: & plena ſint omnia miſerorum, infeliciumque delubra? Niſi fortè dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miſerias deſpici. Atqui Chriſtus æqualiter bonis, maliſque ſubuenit: nec repulſus ab hoc quiſquam eſt, qui rebus auxilium duris contra impetum poſtulabat iniuriaſque fortunæ. Hoc eſt enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem ſuam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minimè: [d] cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis, ſeu judicationis electio. Dicere porrò meritis opem laborantibus ab diis ferri, hoc eſt in medio ponere, & dubitabile, quod aſſeras, facere: vt & ille, qui ſanus eſt factus, fortuitò poſſit videri eſſe ſeruatus: & ille, qui non eſt, [e] non meriti cauſa, ſed infirmitate credatur valetudinem expellere non potuiſſe diuina. Quid? quòd iſtas virtutes, quæ ſunt à nobis ſummatim, non vt rei poſcebat magnitudo, depromptæ, non tantùm ipſe perfecit vi ſua, verùm quod erat ſublimius, multos alios experiri, & facere ſui nominis cum affectione permiſit. Nam cum videret futuros vos eſſe geſtarum ab ſe rerum, diuinique operis abrogatores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio, magicis ſe artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immenſa illa populi multitudine, quæ ſuam gratiam ſectabatur admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos, atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine vllis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compeſcuit verminantium membrorum cruces: & illi verbo compeſcuerunt furialium vermina paſſionum. [f] Imperio ille vno exturbauit à corporibus dæmonas, & exanimatis ſuos reſtituit ſenſus: ſub eorum tortantes & illi ſe caſibus, iuſſione non alia ſanitati & conſtantiæ reddiderunt. Ille notas albicantium vitiliginum manu admota deterſit: liniamenta & hi corporum haud diſſimili conciliauere contactu. Vliginoſa ille & turgentia viſcera ſiccitatem iuſſit recuperare natiuam: & famuli eius hoc modo ſtatuerunt errantes aquas, & à pernicie corporum ſuos labi iuſſere per tramites. Ille vlcera oris immenſi, & recuſantia perpeti ſanitatem intra vnius verbi moram continuato frenauit à paſtu: & illi haud aliter contumaciam canceris ſæui ad ſubeundam cicatricem circumſcriptis euaginationibus compulerunt. Inceſſum ille claudis dedit, viſum luminibus cæcis, [g] interemptos reuocauit ad vitam: nec minus & hi

a *Quæ humana corpora ſuſtinere neſcio quæ voluit, &c.* Blaſphemum hoc. Quaſi verò mala non proficiſcantur à Deo. mala pœnæ dico, quibus Deus vt benigniſſimus pater caſtigat, impios vt iuſtiſſimus iudex punit. Hɪʀ.

b *Aut cibum aliquem iuſſerunt capi.* Ita eſt: Dij, quorum in fanis ægri incubabant, certa remedia per ſacerdotes ſuos præſcribebant, καὶ συνέταττον. Hæc enim προστάγματα à Diis, id eſt, à dæmonibus profecta, propriè συνταγαί. Hac de re loquitur M. Antoninus Imp. & Phil. lib. 1. de vita ſua. Hɪʀ.

c *Cum per omnia ſupplices irent templa, &c.* Id auertendæ Deorum iræ cauſa, aut cum hoſtili aliquo nuntio ciuitas perculſa erat, factitatum Patet ex Dionyſ. Halicarnaſſ. lib 8. & Briſſonio de formulis lib. 1. Eʟᴍᴇɴ.

d *Cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat non voluntatis, ſed iudicationis electio.* Hoc ait Arnobius; Nos infirmitate humana peccare; nec voluntatis, ſed iudicationis electione; quia reuera nolumus malum nec eligimus; ſed id bonum iudicamus naturali cœcitate, quod tamen reapſe malum eſt, quæ fuit nonnullorum ſententia, quam confutat Ariſtoteles lib. Nicomacheor. 3. & falſiſſimum ſanè eſt, nos peccare non voluntatis electione, ſed ſola iudicij cœcitate: quam ſententiam è Platonicorum ſchola hauſerat Arnobius in doctrina Chriſtiana nondum ſatis tritus. Lactantius lib. 5. cap. 14. Hanc autem ſententiam defendit acerrimè Arrianus diſſert. Epicteti locis compluribus: & præcipuè lib. 1 cap. 27. Totum enim caput in hoc argumento occupatur. Hɪʀ.

e *Non meriti cauſa.* Hic meritum, vt cauſam dixit ſeu αἰτίαν. Ouid. Epiſt. 5. *leniter ex meritò quidquid patiare ferendum eſt.* Id adeò vulgare vt patres non modò vſurpent, ſed & optimæ latinitatis auctores. Pʀɪ.

f *Imperio ille vno exturbauit à corporibus dæmonas, &c.* Dignus profectò ſtigmate locus, ſi quis alius apud Arnobium, quæ Chriſti exempla, ſeu potiùs miracula laudat, clara ſunt, & verbis dilucidè expreſſa: quod ad ea, quæ Apoſtolos tribuit, quæque Chriſtum poteſtati eorum ſubjeciſſe ait, in iis non me explico. Sᴛᴇᴡ.

g *Interemptos reuocauit ad vitam.* Non occiſos, & vi aliena confectos: ſed ſimpliciter è medio ſublatos. Non

hi quoque contractionem relaxauere neruorum, luce oculos impleuere iam perdita, & ab tumulis remeare defunctos exequiarum conuerſione iuſſerunt. Neque quicquam eſt ab illo geſtum per admirationem ſtupentibus cunctis, quod non omne donauerit faciendum paruulis illis & ruſticis, & eorum ſubjecerit poteſtati. Quid dicitis, ô mentes incredulæ, difficiles, duræ, alicui ne mortalium Iupiter ille Capitolinus huiuſmodi poteſtatem dedit? Curionem, aut Pontificem maximum, quinimmò dialem, quod eius eſt, flaminem iſto iure donauit? Non dicam, vt mortuos excitaret, non vt cæcis reſtitueret lucem, non vt membrorum ſitum eneruatis redderet, & diſſolutis: ſed vt puſtulam, reduuiam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret. Ergo illud humanum fuit, aut ex ore terrenis ſtercoribus innutrito tale potuit jus dari, talis licentia proficiſci, & non diuinum, & ſacrum? aut ſi aliquam ſuperlationem res capit, pluſquam diuinum, & ſacrum? Nam ſi facias ipſe, quod poſſis, & quod tuis ſit viribus potentatuique conueniens, admiratio non habet quod exclamet: id enim quod potueris, feceris, & quod præſtare debuerit vis tua, vt operis eſſet vna, & ipſius qui operaretur, qualitas. Tranſcribere poſſe in hominem jus tuum: & quod facere ſolus poſſis, fragiliſſimæ rei donare, & participare faciendum, ſupra omnia ſitæ eſt poteſtatis, continentiſque ſub ſeſe eſt rerum omnium cauſas, & rationum facultatumque naturas. Age nunc veniat quæſo [a] per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroaſtres, Hermippo vt aſſentiamur autori, Bactrianus: & ille conueniat, cujus Cteſias res geſtas hiſtoriarum exponit in primo Armenius Zoſtriani nepos, & familiaris Pamphilus Cyri, [b] Apollonius, Damigero, & Dardanus, [c] Velus, Iulianus, & Bæbulus, & ſi quis eſt alius, qui principatum & nomen fertur in talibus habuiſſe præſtigiis: permittant vni ex populo in officium ſermonis dandi ora coarticulare mutorum, ſurdorum auriculas returare, ſine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas, & in frigentia olim membra ſenſus animaſque reducere. Aut ſi ardua res iſta eſt, neque aliis permittere talium poſſunt operum poteſtates, ipſi faciant, & cum ſuis ritibus faciant, quidquid malefici graminis nutricant terrarum ſinus, quidquid virium continet [d] fremor ille verborum, atque adiunctæ carminum neceſſitates, non inuidemus, adiiciant; non interdicimus, colligant. Experiri libet & recognoſcere, an cum ſuis efficere diis poſſint, quod ab ruſticis Chriſtianis juſſionibus factitatum eſt nudis. Deſiſtite, ô neſcii, in maledicta conuertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum allatura ſed vobis: periculum, inquam, non paruulum, nec in rebus exiguis, ſed in præcipuis conſtitutum. Siquidem res anima precioſa eſt, nec ipſo ſe homini quidquam poteſt carius inueniri. Nihil, vt remini, magicum, nihil humanum, præſtigioſum, aut ſubdolum, nihil fraudis delituit in Chriſto, derideatis licet ex more atque in laſciuiam diſſoluamini cachinnorum. Deus ille ſublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium principe Deus ſoſpitator eſt miſſus, quem neque ſol ipſe, neque vlla, ſi ſentiunt, ſidera, non rectores, non principes mundi, non denique dii magni, aut, qui fingentes ſe Deos genus omne mortalium territant, vnde aut qui fuerit, potuerunt noſcere vel ſuſpicari. Et meritò. Exutus at corpore, quod in exigua ſui circumferebat parte, poſtquam videri ſe paſſus eſt, cuius eſſet aut magnitudinis ſciri, nouitate rerum exterrita vniuerſa mundi ſunt elementa turbata, tellus mota contremuit, mare funditus refuſum eſt, aër globis inuolutus eſt tenebrarum, igneus orbis ſolis tepefacto ardore diriguit. Quid enim reſtabat vt fieret, poſtquam Deus eſt cognitus is, qui eſſe iamdudum vnus iudicabatur è nobis? Sed non creditis geſta hæc. Sed qui ea conſpicati ſunt fieri, & ſub oculis ſuis viderunt agi, teſtes optimi, certiſſimique auctores, & crediderunt hæc ipſi, & credenda poſteris nobis haud

exilibus

hoc interimere, è rebus humanis aliquem omninò tollere. Emere enim olim auferre, & nota vis particulæ inter in his compoſitionibus, notata ab accuratis S. Grammatico Ælio Donato. Interempti igitur qui ſæpius exemti ſimpliciter Solinus cap. 16 *Controuerſum licata ſunt funera, adeo vt exemptos gaudiis proſequantur.* HER.

a *Per igneam Zonam magus, &c.* Obſeruauit olim Heraldus legendum hic, *veniat quæſo Azonaces magus*, de hoc autem Azonace Plinius lib. 30. cap. 1. quem Hermippus Zoroaſtris præceptorem facit. Si minus vera ſit Heraldi obſeruatio, ingenioſa tamen videtur. PRI.

b *Apollonius, Damigero, & Dardanus.* Quidam addunt Hoſtanem inſignem nebulonem, & magia infamem. De eo multa fit apud auctores mentio, & ſi Phauorinum audiamus ὀνόματι ὅτι [illegible] μάγοι ἐκαλοῦντο. *Hoſtanæ olim apud Perſas magi vocabantur.* Fortè ab illo Hoſtane. Tertullianus hunc aliis annumerat de anima cap. 57. Verum alios adhuc recenſet de quibus Arnobius non loquitur. Damigero Ioanni Vviero eſt is qui demogorgon dicitur. Cum tamen exiſtimet Iunius eſſe Democriti in magicis appellationem. *Idem.*

c *Velus.* Non aſſentior Mercero, qui *Nilus* legit, Nam eſt Belus ſiue Iupiter Xiphilinus in Caracalla ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος, καὶ ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος. *Iupiter qui & Belus nominatur, & Apamea Syria colitur.* Babylonij per Belum ſolem ſeu per Iouem ſolem ipſum indicabant, Orpheus hymno in Iouem.

> ἀγλαὲ Ζεῦ, διόνυσε πάτερ πόντου, πάτερ αἴης,
> ἥλιε, παγγενέτορ, παναίολε, χρυσοφεγγές.
> *Inclyte Iupiter, Bacche maris pater, terra pater.*
> *Sol, Omniparens, omnia luſtrans, aureo lumine.*

Origo eſt hebræa à voce בעל pro qua Chaldæi בל rejecto ע ab hoc vocabulo בעל prouenitunt punica nomina, Hannibal, Aſdrubal, Maharbal, Adharbal, &c. *Idem.*

d *Fremor ille verborum.* Ideo dicit *fremorem verborum*, quoniam magi in incantationibus ſtridebant, & feralia ſua carmina immurmurabant. Hieronymus in Eſaiam cap. 8. *Cum dixerint ad vos ſcribæ & Phariſæi vt eos audiatis, qui omnia ventris cauſa faciunt, & in morem magorum ſtridunt in incantationibus vt vos decipiant.* Ambroſius Hexameron lib 4. c. 8. *Magus ferale licet carmen immurmuret, hebetatur in Chriſti nomine.* Beroſus lib. 3. antiq. *Taciteque ſubmurmurans carmine magico patri illuſit* Sidonius Apoll. panegyr. ad Anthem. *Pontificum de more ſenex arcana peregit murmura.* Prudentius in apoth.

> *Nil agit arcanum murmur, Nil Theſſala poſſunt*
> *Carmina, turbatos reuocat nulla hoſtia manes.*

Ouidius lib. 14. Metamorph.

> *Ter nouies carmen magico demurmurat ore.*

ELMENH.

exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam iſti ſint, fortaſſe quæritis? Gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum. Quod niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus huiuſmodi credulitatis ſuæ commodarent aſſenſum. An numquid dicemus illius temporis homines vſque adeò fuiſſe vanos, mendaces, ſtolidos, brutos, vt, quæ numquam viderant, vidiſſe ſe fingerent? & quæ facta omninò non erant, falſis proderent teſtimoniis, aut puerili aſſertione firmarent? cumque poſſent vobiſcum & vnanimiter viuere, & inoffenſas ducere coniunctiones, gratuita ſuſciperent odia, & execrabili haberentur in nomine? Quod ſi falſa, vt dicitis, hiſtoria illa rerum eſt, [a] vnde tam breui tempore totus mundus iſta religione completus eſt? aut in vnam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus diſſitæ, ventis, [b] cælo, conuexionibuſque dimotæ? Aſſeuerationibus illectæ ſunt nudis, inductæ in ſpes caſſas, & in pericula capitis immittere ſe ſponte [c] temeraria deſperatione voluerunt, cum nihil tale vidiſſent, quod eas in hos cultus nouitatis ſuæ poſſit excitare miraculo. Imò quia hæc omnia & ab ipſo cernebant geri, & ab eius præconibus, qui per orbem totum miſſi beneficia patris & munera ſanandis animis hominibuſque portabant, veritatis ipſius vi victæ, & dederunt ſe Deo, nec in magnis poſuere diſpendiis membra vobis proiicere, & viſcera ſua lanianda præbere. Sed conſcriptores noſtri mendaciter iſta prompſerunt, extulere in immenſum exigua geſta, & anguſtas res ſatis ambitioſo dilatauere præconio. Atqui vtinam cuncta referri in ſcripta potuiſſent, vel quæ ab ipſo geſta ſunt, vel quæ ab eius præconibus pari iure & potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, [d] aut apprehendere locum fortaſſe poſſetis quo videretur eſſe ſimillimum veri & incrementa rebus appoſita, & inditas ſcriptis & commentariis falſitates. Sed neque omnia conſcribi, aut in aures omnium peruenire potuerunt geſta gentibus in ignotis, & vſum neſcientibus literarum: aut, ſi qua ſunt literis, conſcriptionibuſque mandata, malè volentia dæmonum, quorum cura & ſtudium eſt hanc intercipi veritatem, & conſimilium his hominum, interpolata quædam, & addita, partim mutata, atque detracta, verbis, ſyllabis, literis, vt & prudentium tardaret fidem, & geſtorum corrumperet auctoritatem. Sed numquam fuerit, his benè, vt Chriſtus qui fuerit, literarum teſtimoniis colligatur: cuius in id ſolum dimiſſa ſunt cauſa, vt ſi eſſe conſtiterit ea vera, quæ dicimus, confeſſione omnium Deus fuiſſe monſtretur. Non creditis ſcriptis noſtris? & nos veſtris non credimus ſcriptis. Falſa de Chriſto compingimus? & vos de diis veſtris inania & falſa iactatis. Neque enim cælo Deus aliquis lapſus eſt, aut ſuis res veſtras commentatus eſt manibus, aut ratione conſimili noſtris rebus, & religionibus derogauit. Ab hominibus hæc ſcripta? & illa ſunt ab hominibus ſcripta, mortalibus ediſſerta ſermonibus. Et quidquid dicere de noſtris conſcriptoribus intenderitis, & de veſtris hæc dicta paribus ſumite atque habetote momentis. Vultis vera eſſe, quæ in veſtris comprehenſa ſunt ſcriptis? & quæ in noſtris conſignata ſunt literis, confiteamini neceſſe eſt eſſe vera. Falſitatis arguitis res noſtras? & nos veſtras arguimus falſitatis. Sed antiquiora, inquitis, noſtra ſunt, ac per hoc fidei & veritatis pleniſſima. Quaſi verò errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit, & non ipſa pepererit res eas, quæ turpiſſimas diis notas ignominioſis concinnauerunt in fabulis. [e] Ante millia enim annorum decem non potuerunt falſa & audiri, & credi? aut non ſimillimum veri eſt, fidem vicinis & finitimis quàm ſpatiorum ineſſe longinquitate diſtantibus? Teſtibus enim hæc, illa opinionibus aſſeruntur, & procliuius multò eſt, minus eſſe in recentibus fictionis, quàm in antiqua obſcuritate ſubmotis. Sed [f] ab indoctis hominibus, & rudibus, ſcripta ſunt, & idcircò non ſunt facili auditione credenda. Vide ne magis hæc fortior cauſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis,

a *Vnde tam breui tempore totus mundus iſta religione completus eſt?* De immenſo Chriſtianorum numero conquerebantur Ethnici, quod docet Tertullianus, 1. Apolog. *obſeſſam vociferantur ciuitatem, in agris, in caſtellis, in inſulis Chriſtianos:* Plinius notiſſimà illa epiſtola ad Traianum. *Neque enim ciuitates tantùm, ſed vicos etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt.* Vnde idem Tertullianus ad Scapulam cap. 5. *quid facias de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, &c.* PRI.

b *Cælo conuexionibuſque dimotæ.* Obertus Giſanius vir doctiſſimus, & ſumma mihi cum familiaritate coniunctus, legendum hoc loco cenſet, cælique conuexionibus. Sic etiam idem auctor noſter ſuprà ſub hac cæli conuexione. CANTERVS.

c *Temeraria deſperatione voluerunt.* Temerariam deſperationem appellat hic ἀπόνοιαν: qua quis ſe in præſentia pericula immittit. Sic ἀπονενοημένον deſcribit auctor orationum contra Ariſtogitonem: ὁ γὰρ ἀπονενοημένος ἐστιν αὐτὸν μὲν προῄρηται, καὶ τὴν ἐκ λογισμοῦ σωτηρίαν ἐκ δὲ τοῦ παραδόξου, καὶ τοῦ παραλόγου, εἰ δ᾽ ἄρα σωθῇ, οἴεται. De temeraria deſperatione plura ad lib. 6. HER.

d *Aut apprehendere locum fortaſſe poſſetis, quod videretur, &c.* Cum in libro antiquo vidiſſem ſcribi *quo videretur*; viſum fuit vt mutatem atque interpungerem locum totum ſic: *aut apprehendere fucum fortaſſe poſſetis, quo videtur eſſe ſimillimum veri, & incrementa rebus appoſita, &c.* Vt ſententiam habeat talem. Si omnia quæ Chriſtus geſſit, eiuſque diſcipuli, relata forent in literas, occurrerent fortè, quæ fucum illum detegerent, qui falsò vobis nunc blanditur, perſuadetque omnia ab iis geſta, minora multò eſſe, quàm ſcriptorum fama ferat. STEV.

e *Ante millia enim annorum decem non potuerunt falſa & audiri & credi?* Potuerunt ſanè, Poterat enim Deus mundum ante multorum ann. myriadas condidiſſe. Sed quidquid potuit Deus, id non præſtitit. PRI.

f *Ab indoctis hominibus & rudibus.* Huic calumniæ locum dedit ſinceræ veritatis ſtudiũ quam præ ſe ferebant Chriſtiani & fuci expers ſermo. Aſſueti verò ethnici orationibus ad pompam compoſitis & fallacis eloquentiæ rudes nos vocabant & imperitos. Ne verò criminis vllius in nobis hæreret vel leuiſſima ſuſpicio, criminationem diluerunt antiqui. Lactantius lib. 5. cap. 1. lib. 6. c. 21. Gregor. Naz. orat. 1. in Iulianum. Clem. Alexandrinus in protreptico & alij. *Idem.*

ciis , mente ſimplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Triuialis & ſordidus ſermo eſt. Numquam enim veritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt, circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quæritur aſſertionis, ſuſpicantes adjuuant, non veritatis liniamenta demonſtrant. Cæterùm qui ſcit, quid ſit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia ſectatur artificia verborum, quibus capi conſueti ſunt audientes, & ad conſenſum rei circumſcriptionis neceſſitate traduci. Barbariſmis, ſolœciſmis, obſitæ ſunt, inquit, res noſtræ, & vitiorum deformitate pollutæ. [a] Puerilis ſanè, atque anguſti pectoris reprehenſio: quam ſi admitteremus, vt vera ſit, abjiciamus ex vſibus noſtris quorumdam fructuum genera, quòd cum ſpinis naſcuntur, & purgamentis aliis, quæ nec alere nos poſſunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & ſaluberrimum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit, ô quæſo, aut quam præſtat intellectui tarditatem, vtrumne quid graue, an hirſuta cum aſperitate promtaur? inflectatur quòd acui, an quatur quod oportebat inflecti? aut qui animus id, quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, præpoſitione, participio, coniunctione? Pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas [b] concionibus, litibus, foro iudiciiſque ſeruetur, deturque illis imo, qui voluptatum delinimenta quærentes, omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus vtilitates; maximè cum ſciamus etiam quoſdam ſapientiæ deditos non tantùm abjeciſſe ſermonis cultum, verùm etiam, cum poſſent ornatiùs atque vberiùs eloqui, triuialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet grauitatis rigorem, [c] & ſophiſtica ſe potiùs oſtentatione jactarent. Enimverò diſſoluti eſt pectoris in rebus ſeriis quærere voluptatem: & cum tibi ſit ratio cum malè ſe habentibus atque ægris, ſonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere. Quamquam, ſi verum ſpectes, nullus ſermo natura eſt integer, vitioſus ſimiliter nullus. Quænam eſt enim ratio naturalis, aut in mundi conſtitutionibus lex ſcripta, vt hic paries dicatur, & hæc ſella? cum neque ſexus habeant fœmininis generibus maſculiniſque diſcretos, neque quiſquam docere doctiſſimus me poſſit, ipſum hic & hæc, quid ſint, aut cur ex his vnum, ſexum virile deſignet, fœmininis generibus id quod ſequitur applicetur. Humana iſta ſunt placita, & ad vſum ſermonis faciendi non ſanè omnibus neceſſaria? nam & hæc paries forſitan, & hic ſella dici ſine vlla reprehenſione potuiſſent, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, & à ſequentibus ſæculis communi eſſet in ſermocinatione ſeruatum. Et tamen, ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini fœditate, ſtribiligines & vos iſtas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius hæc vtria, alius dicit hos vtres? cælus, & cælum? non item filus & filum? non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum? non item apud vos eſt poſitum hoc pane, & hic panis? hic ſanguinis, hoc ſanguen? candelabrum & jugulum ratione eadem jugulus & candelaber? Nam ſi ſingula nomina non poſſunt genera plura habere, quàm ſingula: neque eadem poſſunt huius eſſe generis, & illius, genus enim tranſire genus in alterum non poteſt; tam peccat qui genera maſculina fœmininis pronunciat legibus, quàm ab eo peccatur, qui articulos maſculinos fœmininis generibus anteponit. Atqui vos conſpicimus & res maſculinas fœmininè, & fœmineas maſculinè, & quas eſſe dicitis neutras, & illo, & hoc modo ſine vlla diſcretione depromere. Aut igitur nulla eſt culpa indifferenter his vti, & fruſtra nos dicitis ſolæciſmorum obſcœnitate deformes: aut ſi certum eſt ſingula quibus debeant rationibus explicari, in ſimilibus vitiis vos quoque verſamini: [d] quamuis Epicadios omnes, Cæſellios, Verrios, Scauros teneatis, & Niſos. Sed ſi Deus, inquiunt, fuit

a *Puerilis ſanè & anguſti pectoris reprehenſio.* Anguſtum pectus appellat μικρόψυχον, & veluti μικρολόγον. Sic anguſtus animus μικροψυχία apud Zenonem Veronenſem ſerm. de duplici tentationum ſpecie: *Anguſtus animus, & parum putans eſſe quod naſcitur, cuius abundantia deeſſe aliquid computans: tum deinde inhumanum propoſitum impartiendi cuiquam cauſam idoneam putans.* HER.

b *Concionibus, litibus, foro iudiciiſque ſeruetur.* Conciones foro, iudiciis lites conuenire certum eſt: nihil tamen audeo his verbis mutare. De cætero, improbat diſputator acerrimus, malè collocatam quorumdam operam, qui docti videri, quam probi eſſe malunt: qui de ornatu ſermonis potiùs, quàm de vitæ puritate ſolliciti, in exprimendo, imitando alterius ſermone ætatem conſumunt. Hos Ciceronianos, ſi quid video, ſimios appellau t, ſcripſitque. *Foro iudiciiſque ſeruetur: deturque illis ſimiis, &c.* STEV.

c *Et Sophiſtica ſe potius oſtentatione iactarent.* Sophiſtas appellabant eo æuo eos præcipuè, qui literas humaniores tractabant, & in rhetoricis, & poeticis, denique in ſermonis cura, & floſculis elegantiæ colligendis ſtudium ſuũ occupabant: quæ erant Rhetorum & Grammaticorum præcipuæ partes. Clemens Alex. Strom. 1 HER.

d *Sophiſtica ſe potiùs oſtentatione jactarent.* Sophiſtæ olim appellati ſapientes, eloquentiæ, aliarumque artium bonarum doctores: eratque id nomen adeò venerabile apud omnes, vt horum hominum familiares vulgo *beati* nominarentur. Primus hoc titulo decoratus eſt Solon ab Athenienſibus teſte Iſocrate περὶ τῆς ἀντιδόσεως, aliique hoc nomen poſt illum vt honorificum vſurparunt, cui eo vſque honos manſit ſuus, dum qui hoc titulo gloriabantur, benè ſe gerebant, & quæ optima eſſe demonſtrabant aliis, ipſi factitabant. Exorti deinde, vt fit, vani nonnulli, & ſuperciliosè triſtes, qui cum præ ſe omnes mortales contemnerent, reges & rerum-publicarum moderatores facetiis iocularibus lancinarent, majoraque quàm præſtare poſſent, promitterent, ventoſa & enormi loquacitate ſua, bonos iſtos in tantum exoſos reddidere mortalibus, vt Sophiſtas eos appellarent, qui ſpe prædæ & oſtentationis cauſa philoſopharentur. ELMEN.

d *Quamuis Epicandeos omnes.* Hæc eſt lectio vetus, pro *Epicados*, vt eſt è Suetonio notum. Cætera Grammaticorum nomina ex A. Gellio, Priſciano & aliis nota ſunt. Eleganter autem numero plurali vtitur. Sic Timocles apud Athenæum lib. 6. vbi Tragœdiæ dotes commendat:

ὁ Φθιαλιᾶ τις; ὁ δὲ Φινείδας τυφλός.

Phinidem dicit pro Phineo, vt Scipiades dicitur pro Scipione. HER.

ARN.

fuit Chriſtus, cur forma eſt in hominis viſus? & cur more eſt interemptus humano? An aliter potuit inuiſibilis illa vis, & habens nullam ſubſtantiam corporalem, inferre & commodare ſe mundo, conciliis intereſſe mortalium, quàm vt aliquod tegmen materiæ ſolidioris aſſumeret, quod oculorum ſuſciperet injectum, & vbi ſe figere inertiſſimæ poſſet contemplationis obtutus? Quis eſt enim mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere, ſi talem voluiſſet inferre ſe terris, qualis ei primigenia natura eſt, & qualem ſe ipſe in ſua eſſe voluit vel qualitate, vel numine? a Aſſumpſit igitur hominis formam, & ſub noſtri generis ſimilitudine potentiam ſuam clauſit, vt & videri poſſet, & conſpici: verba faceret, & doceret: atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, ſummi regis imperio & diſpoſitione ſeruatis. Quid enim, dicit, rex ſummus ea, quæ in mundo facienda eſſe decreuerat, ſine homine ſimulato non quibat efficere? ſi oporteret ita fieri, quemadmodum dicitis, ita fortaſſe feciſſet: quia non oportuit, aliter fecit. Quare iſto voluit, & illo genere noluit, latent taliter inuolutæ, & vix vllis comprehenſibiles cauſæ, quas accipere fortaſſe potuiſſes, ſi non eſſes jamdudum ad nos accipiendum paratus: & priùs te formares ad non credendi frontem, quàm tibi eſſet expoſitum id, quod noſſe atque audire conquireres. Sed more eſt hominis interemptus. Non ipſe: neque enim cadere diuinas in res poteſt mortis occaſus: nec interitionis diſſolutione dilabi id, quod eſt vnum & ſimplex: nec vllarum partium congregatione compactum. Quis eſt ergo viſus in patibulo pendere, quis mortuus eſt? homo, quem induerat, & ſecum ipſe portabat. Incredibile dictu eſt, & cæcis obſcuritatibus inuolutum. Si velis, non cæcum eſt, & ſimilitudine proxima conſtitutum. Si quo tempore Sibylla, præſaga oracula illa depromens fundebat vi, vt dicitis, Apollinis plena, ab impiis eſſet cæſa atque interempta latronibus: numquid Apollo diceretur in ea eſſe occiſus? Si b Bacis, ſi Helenus, Martius, aliique ſimiliter vates hariolantes eſſent vita & luce priuati, numquid aliquid aliquis diceret, lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum poſtulantibus explicabant? c Mors illa, quam dicitis, aſſumpti hominis fuit, non ipſius: geſtaminis, non geſtantis: quam nec ipſam perpeti ſuccubuiſſet, tanta ſi non agenda res eſſet, & inexplicabilis ratio fati clauſis patefacienda myſteriis. Quæ ſunt iſta, inquies, clauſa atque obſcura myſteria? Quæ nulli nec homines ſcire, nec ipſi, qui appellantur dij mundi, parte queunt aliqua ſuſpicionis atque opinationis attingere, niſi quos ipſe dignatus eſt cognitionis tantæ impertire muneribus, & in abditos receſſus theſauri interioris inducere. Vides enim ſi nollet inferri ſibi à quoquam manus, ſumma illi fuiſſe contentione nitendum, vt hoſtes ab ſe ſuos vel poteſtate inuerſa prohiberet? Qui cæcis reſtituerat lumina, is efficere ſi deberet, non poterat cæcos? Qui debilibus integritatem, is debiles reddere difficultati habuit, aut labori? Qui claudos præcipiebat incedere, is motus alligare membrorum neruorum duritiâ neſciebat? qui extrahebat à tumulis mortuos; huic arduum fuerat letum cui vellet indicere? Sed quia fieri ratio ea, quæ fuerant deſtinata, poſcebat: & hic in ipſo mundo, nec modo, quàm geſtum eſt alio, inæſtimabilis illa atque incredibilis lenitas iniurias in ſe hominum, puerilibus pro ineptiis ducens, manus in ſe porrigi ab immanibus paſſa eſt duriſſimíſque latronibus, nec imputandum putauit, quid illorum diſſignaſſet audacia, dummodo ſuis oſtenderet, quid ab ſeſe expectare deberent Cum enim de animarum periculis multa, mala de illarum contra inſinuator., magiſter atque auctor, ad officiorum conuenientium fines, ſuas leges & conſtituta direxit: non ſuperbiæ faſtum comminuit? non libidinum extinxit flammas; non hiatum compreſſit auiditatis? non tela extorſit è manibus atque omnia ſeminaria totius vitioſitatis abſcidit? Ipſe denique non lenis, non placidus, non acceſſu facilis, non familiaris affatu, non humanas miſerias indoleſcens, omnes omninò crucibus & corporalibus affectos malis vnica illa benignitate miſeratus reddidit & reſtituit ſanitati? Quid ergo vos ſubigit, quid hortatur, maledicere, conuitiari, inexpiabiles cum eo conſerere ſimultates, quem redarguere, quem tenere, nemo hominum poſſit vllius facinoris in reatu? Tyrannos ac reges veſtros, qui poſtpoſito deorum metu donaria ſpoliant populanturque templorum: qui proſcriptionibus, exiliis, cædibus nudant nobilitatibus ciuitates: qui matronarum pudorem ac virginum vi ſubruunt atque eripiunt licentioſa, appellatis indigetis, d atque diuos: & quos odiis acrioribus conueniebat à vobis carpi, e puluinaribus, aris, templis, atque alio

a *Aſſumpſit igitur hominis formam.* Non video cur Heraldus ignotam fuiſſe Arnobio θεῖ ἐνανθρώπησιν dicat. Cum enim dicit omiſſam cauſam præcipuam vt verus homo pro hominibus ſatisfaceret, quid aliud hic finge re poteris quàm dolores noſtros malaque omnia tuliſſe, quando quidem *hominis formam* aſſumpſiſſe teſtatur hic auctor. PRI.

b *Bacis.* Huius mentionem facit inter viros vates Pauſanias Phociacis. ἐκ βοιωτίας βάκιν φησὶ κατάσχετον αὐδὴν ἐκ νυμφῶν. Suidas in βάκις. Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Dio Chryſoſt. orat. 13. de Exilio. eius oracula extant in carmin. lib. ſibyll. Tres ſtatuit Suidas & Ælianus var. hiſt. lib. 12. cap. 35. ELMEN.

c *Mors illa quam dicitis aſſumpti hominis fuit, non ipſius.* Mors nimirum Chriſtum veniſſe demonſtrat, vnde Tertullianus probat Marcioni lib. de Carne Chriſti capitib. 4. & 5. Chriſtum ſeu Meſſiam veniſſe, quoniam mortuus eſt. Quod idem adſtruit Ignatius epiſt. ad Trallianos PRI.

d *Atque diuos.* Annotauit Seruius ad lib. 12. Æneid. Deos eſſe æternos, diuos autem ex hominibus fieri. ἥρωας græci dicunt: quamquã aliquando etiã θεοὺς dixerint. *Idem.*

e *Puluinaribus.* Gloſſæ, puluinar, καθίδρυμα, φουρνὶ θεῖ. Val. Max. lib. 3 c. 7. *Iouis opt. max. puluinaria.* Suetonius. *Iuxta Deos puluinar, flaminem, lupercos, templa,*

alio mactatis cultu, ludorum & celebritate natalium: nec non & illos omnes, qui conſcriptione voluminum multiformi maledictis mordacibus carpunt publicos mores: qui luxurias ac vitas veſtras ſecant, vrunt, dilacerant: qui in temporis poſteris notas ſcriptorum perpetuitate prolatant: [a] qui matrimonia perſuadent habenda eſſe communia: qui cum pueris cubitant formoſis, laſciuientibus, nudis: qui pecudes vos eſſe, qui fugitiuos, qui exules, qui viliſſimæ ſeruos notæ, furioſos prædicant & inſanos: admirantes, plaudentes ad cæli ſuſtollitis ſydera, bibliothecarum reponitis in arcanis, [b] quadrigis, [c] & ſtatuis muneramini, & quantum eſt in vobis velut quadam æternitate donatis immortalium teſtificatione titulorum: ſolum Chriſtum conuellere, dilacerare, poteſtis ſi Deum, vultis, imo ſolum ſi liceat belluarum agreſtium ritu cruentis oribus mandere, comminutis cum oſſibus tranſuorare. Quodnam quæſo ob meritum, dicite, cuius ob peccati culpam? quid ab eo commiſſum eſt, quod tenorem inflecteret recti, & in odia vos aſpera furialibus ſtimulis concitaret? Quia animarum veſtrarum cuſtodem ſe miſſum ſolo indicauit ab rege? quia vobis immortalitatem ferre, quam vos habere confiditis humanis paucorum aſſeuerationibus ſuaſi? Quod ſi eſſet apud vos certum falſa illum dicere, ſpes etiam vaniſſimas polliceri, nec ſic video fuiſſe cauſam, cumdem deberetis odiſſe, cur hoſtili animaduerſione damnare. Imò, ſi animus vobis clemens fuiſſet & mitis, vel propter id ſolum eum deberetis amplecti, quòd optabilia vobis ſponderet & proſpera: quòd bonarum eſſet nuncius rerum; quòd ea prædicaret, quæ nullius animum læderent: ſecurioris quinimò expectationis impleret. O ingratum & impium ſæculum! ô in priuatam perniciem incredibili pectoris obſtinatione paratum! Si aliquis ad vos medicus ex ſummotis veniſſet & numquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale, quod à veſtris corporibus omnia omninò prohiberet morborum & valetudinum genera, non certatim omnes accurreretis? non blanditiis omnibus atque honoribus fotum familiaria ſuſciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus optaretis eſſe certiſſimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum, vſque ad vltimos fines ſponderet ætatis? & licet ambigua res eſſet, committeretis vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire ſpe ſalutis propoſita, atque amore incolumitatis incenſi. Eluxit atque apparuit Chriſtus rei maximæ nunciator, auſpicium fauſtum portans & præconium ſalutare credentibus. Quænam eſt iſta crudelitas, inhumanitas quæ tanta, quinimò, vt veriùs loquar, faſtidium, ſupercilium, nunciatorem [d] muneris & portitorem tanti; non tantum verborum maledictionibus ſcindere, verumetiam bello graui atque omnibus perſequi telorum effuſionibus & ruinis? Non placeant ea, quæ dicit, & cum offenſionibus audiuntur à vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computate. Stolidiſſimas res loquitur, & fatua dona promittit? ridete vt ſapientes vos viri, & in ſuis erroribus fatuitatem relinquite volutari. Quænam eſt hæc feritas, vt repetamus quæ dicta ſunt ſæpiùs, quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? Dilacerare, ſi detur, eum velle per viſcera, qui non modò nullum intulerit malum nulli, ſed æqualiter benignus hoſtibus diceret, quidnam his ſalutis Deo portaretur à principe: quid eſſet facto opus, vt interitum fugerent, & immortalitatem conſequerentur ignotam? Cumque nouitas rerum, & inaudita promiſſio audientium turbaret mentes, & credulitatem faceret hæſitare, virtutum omnium dominus, atque ipſius mortis extinctor hominem ſuum permiſerit interfici, vt ex rebus conſequentibus ſcirent in tuto eſſe ſpes ſuas, quas jamdudum acceperant de animarum ſalute, nec periculum mortis alia ſe poſſe ratione vitare?

ARN.

aras ſibi decerni paſſus eſt. Tacitus annal. lib. 15. Aurelius victor in Claudio, Heluidio Pertinace, & Antonino Pio. ELMEN.

a *Qui matrimonia ſuadent habenda eſſe communia.* Platonem taxat, qui in Timæo & lib. 5. de Repub. portentoſum hoc dogma introducit, & multis rationibus vtilitatem eius probare conatur. *Idem.*

b *Quadrigis & ſtatuis.* nempè ſtatuis curulibus: quæ non ſolum magnis heroibus, & bellica laude florentibus excitatæ; ſed inertibus etiam quandoque hominibus, & planè ἀπαλτίγκτοις, vt cauſidicis *Iuuen.*

Æmilio dabitur quantum petet. & melius nos
Egimus. Huius enim ſtat currus aheneus: alti
Quadrijuges in veſtibulis: atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curuatum haſtile minatur
Eminus, & ſtatua meditatur prælia luſca.

HERAL.

c *Et ſtatuis muneramini.* Mirum, Romanos ita degeneraſſe à more priſco, vt quod olim præclaris & optimè de Repub meritis viris dabatur, tribuerent inertibus & peſſimè de ſe meritis hominibus. Dio Chryſoſtom. Rhodiac. orat. 31. Quintil. lib. 3. c. 7. Firmicus Aſtron. lib. 5. c. 1. & lib. 8. c. 6. ELMENH.

d *Muneris & portitorem tanti.* Portitor hic pro nuntio vſurpatur, quod æui illius commune vocabulum videtur: vnde pro nuntiis ſeu tabellariis bajuli quibuſdam dicuntur. Munus verò de quo hic mentio, eſt ſalutis præconium & veritatis prædicatio. PRI.

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER SECVNDVS.

HOc in loco tribui ſi vlla facultas poſſet, vellem cum his omnibus, quibus nomen inuiſum eſt Chriſti, ab inſtituta principaliter defenſione diuerticulo pauliſper facto, talia verba miſcere. Si nullam eſſe ducitis contumeliam, reſpondere aliquid interrogatos; a ediſſertate nobis & dicite quid rei, quid cauſæ eſt, quod tam grauibus inſectamini Chriſtum bellis? vel quas eius continctis offenſas, vt ad eius nominis mentionem rabidorum pectorum efferueſcatis ardoribus? Numquid regiam ſibi vindicans poteſtatem, terrarum orbem cunctum legionibus infeſtiſſimis occupauit, & pacatas ab exordio nationes alias deleuit ac ſuſtulit, alias ſibi parere ceruicibus compulit ſubjugatis? Numquid ardoribus auaritiæ flagrans vniuerſas opes illas, quibus ſe genus humanum ſtudioſè contendit impleri, poſſeſſionis ſuæ mancipio vindicauit? Numquid libidinum cupiditatibus geſtiens pudicitiæ repagula vi fregit, aut alienis furtim inſidiatus eſt matrimoniis? Numquid arrogantiæ ſupercilio tumidus [b] iniurias & contumelias [c] paſſim ſine vllius perſonæ diſcriminibus irrogauit? Qui ſi dignus non eſſet, cui auſcultare deberetis, & credere: vel hoc ipſo fuerat non aſperandus à vobis, oſtenderent quod vias vobis ad cælum, & vota immortalitatis optaret, vt non in cunctos lumen & prætenderit vitæ, & periculum ignorationis amouerit? At enim odio dignus eſt, quod ex orbe religiones expulit, quod ad Deorum cultum prohibuit accedi. Ergóne d qui veram in orbem religionem induxit? qui hominibus cæcis, & reuera in impietate degentibus, pietatis aperuit januas, & cui ſe ſubmitterent, indicauit? An vlla eſt religio verior, officioſior, potentior, juſtior, quàm Deum principem noſſe, ſcire Deo principi ſupplicare, qui bonorum omnium ſolus caput, & fons eſt, perpetuarum pariter fundator & conditor rerum, à quo omnia terrena cunctaque cæleſtia animantur, motu irriganturque vitali; & qui ſi non eſſet, nulla profectò res eſſet, quæ aliquod nomen, ſubſtantiamque portaret? Niſi fortè dubitatis an ſit iſte, de quo loquimur, imperator: & magis eſſe Apollinem creditis, Dianam, Mercurium, Martem. Da verum iudicium, & hæc omnia circumſpiciens, quæ videmus, magis an ſint Dij cæteri dubitabit, quàm in Deo cunctabitur; quem eſſe omnes naturaliter ſcimus: ſiue cum exclamamus, ô Deus, ſiue cum illum teſtem Deum conſtituimus improborum, [e] quaſi nos cernat, faciem ſubleuamus ad cælum. Sed minoribus ſupplicare Diis homines vetuit. Dij enim minores qui ſint, aut vbi ſint, ſcitis? Perſtrinxit vos aliquando ſuſpicio eorum aut mentio, vt meritò feratis indignè abrogatos his cultus, & honoris impertitione viduatos. [f] Quod ſi non non mentis elatio, & typhus qui appellatur à Græcis, obſtaret atque officeret vobis, iamdudum ſcire potuiſſetis, quid aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos ſtare voluerit religionem veram, quantum vobis periculum naſceretur ex eo, quod putaretis obſequio, vel ex quibus malis emergeretis, ſi inſidioſo renunciaretis errori. Verum hæc omnia illuſtriùs commemorabuntur & planiùs, cum vlteriùs prorſus fuerimus euecti. Monſtrabimus enim Chriſtum non impietatem docuiſſe nationes, ſed ab latronibus peſſimis miſerorum hominum imprudentiam vindicaſſe. Non credimus, inquitis, vera eſſe quæ dicit. Quid enim? quæ vos negatis vera eſſe, apud vos liquent, cum imminentia, g & nondum caſſa, nullis poſſint rationibus refutari? Sed & ipſe quæ pollicetur, non probat.

a *Ediſſertate nobis &c.* Libro ſuperiori dixerat pari loquendi genere, *mortalibus ediſſertata ſermonibus.* Id eſt, explicate, exponite. PRI.

b *Iniurias & contumelias.* Seneca quoque iniuriam à contumelia diſtinguit, vultque injuriam nocentiorem eſſe & intolerabiliorem. *Quiſquis volet*, inquit epiſt 72. *tibi contumeliam facere, faciat & injuriam.* Rem totam diſertim explicat idem Stöicus lib. quo diſputat in ſapientem non cadere injuriam. cap. 4. HER.

c *Paſſim.* Sic à petulantibus iuuenibus contumeliæ obuijs paſſim ingeruntur. ſine vllo perſonarum diſcrimine. Nec vlla alia hujus laſciniæ cauſa eſt, quàm voluptas quam inde percipiunt: & quia ſe hoc modo exiſtimant ἀλλων ὑπερέχειν. Hoc docet Ariſtoteles lib. 2. Rhet. c. 2. *Idem.*

d *Qui verum in orbem religionem induxit.* Nugantur qui *in orbe* legendum putant, & lauream ex Muſtaceo quærere videntur, vt philoſophiam oſtentent, & ſcrinia forulosque venditent. PRI.

e *Et quaſi nos cernat. &c.* Tertullianus apolog. 17. *Iudicem quoque contestatur illum, Deus videt. & Deo commendo.* Plautus in captiuis. *eſt Deus in cælo, qui quæ nos gerimus, auditque & videt. Idem.*

f *Quod ſi non mentis elatio, & typhus qui appellatur à Græcis.* Suidas. τῦφος ἀλαζονεία. uiſ. *Dum veſtris fidelis cordibus, & quod typhus eſt ſapientiam vocatis.* ELMENH.

g *Et nondum caſſa.* Inf. *Periculi nihil eſt, ſi quod dicitur imminere, caſſum fiat & vacuum.* Prudentius in Rom. martyre — *nec caſſa ſentit morſuum pericula.*

probat. Ita eſt. Nulla enim, vt dixi, futurorum poteſt exiſtere comprobatio. Cùm ergo hæc ſit conditio futurorum, vt teneri & comprehendi nulliùs poſſint anticipationis attactu; nonne purior ratio eſt, ex duobus incertis, & in ambigua expectatione pendentibus, id potiùs credere quod aliquas ſpes ferat, quàm omninò quod nullas? In illo enim periculi nihil eſt, ſi quod dicitur imminere, caſſum fiat & vacuum: in hoc damnum eſt maximum, id eſt, ſalutis amiſſio, ſi cum tempus aduenerit, aperiatur non fuiſſe mendacium. Quid dicitis ô neſcij, etiam fletu & miſeratione digniſſimi? Ita non extimeſcitis, ne fortè hæc vera ſint, quæ ſunt deſpectui vobis, & præbent materiam riſus? nec ſaltem vobiſcum ſub obſcuris cogitationibus voluitis, ne quod hoc die credere obſtinata renuitis peruerſitate, redarguat ſerum tempus, & irreuocabilis pœnitentia caſtiget? [a] Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quòd jam per omnes terras in tam breui temporis ſpatio, immenſi nominis huius ſacramenta diffuſa ſunt? quòd nulla jam natio eſt tam barbari moris, & manſuetudinem neſciens, quæ non eius amore verſa molliuerit aſperitatem ſuam, & in placidos ſenſus aſſumpta tranquillitate migrauerit? quòd tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Conſulti iuris ac Medici, philoſophiæ etiam ſecreta rimantes, magiſteria hæc expetunt, ſpretis quibus paulò antè fidebant? quòd ab dominis ſe ſerui cruciatibus affici, quibus ſtatuerint, malunt, ſolui conjuges matrimoniis, exheredari à parentibus liberi, quàm fidem rumpere Chriſtianam, [b] ſalutaris militiæ ſacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta ſint à vobis propoſita religionis huius ſequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atque interdicta formidinum animoſiùs populus obnitatur, & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis excitetur? An numquid hæc fieri paſſim & inaniter creditis? fortuitis incurſibus adſumi has mentes? Itane iſtud non diuinum & ſacrum eſt, aut ſine Deo, eorum tantas animorum fieri conuerſiones, [c] vt cum carnifices vnci, alijque innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant credituris, veluti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus proponant amicitias Chriſti? Niſi fortè obtuſi & fatui videntur hi vobis, qui per orbem jam totum conſpirant, & coëunt in iſtius credulitatis aſſenſum. Quid ergo? [d] vos ſoli ſapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera, neſcio quid aliud videtis, & profundum? ſoli eſſe nugas intelligitis hæc omnia, ſoli verba & pueriles ineptias, ea quæ nobis promittimus principali ab rege ventura? Vnde quæſo eſt vobis tantum ſapientiæ traditum? vnde acuminis, & viuacitatis tantum? vel ex quibus ſcientiæ diſciplinis tantum cordis aſſumere, diuinationis tantum potuiſtis haurire? Quia per caſus, & tempora declinare verba ſcitis, & nomina? quia voces barbaras, ſolœciſmoſque vitare? quia numeroſum, & inſtructum, compoſitumque ſermonem, aut ipſi vos noſtis efferre, aut incomptus cùm fuerit, ſcire? quia Fornicem Lucilianum, & Marſyam Pomponij obſignatum memoria continetis? quia quæ ſint in litibus conſtitutiones, quot cauſarum genera, quot dictionum, quid ſit genus, quid ſpecies, oppoſitum à contrario quibus rationibus diſtinguatur; idcircò vos arbitramini ſcire quid ſit falſum, quid verum, quid fieri poſſit, aut non poſſit: quæ imorum ſummorumque natura ſit? [e] Numquam ne illud vulgatum perſtrinxit aures veſtras, Sapientiam hominis, ſtultitiam eſſe apud Deum? [f] Primum ecquid ipſi penitus perſpicitis vos ipſos, ſi quando de rebus diſceptatis obſcuris, & naturalia pergitis reſerare ſecreta, & ipſa, quæ dicitis, quæ aſſeueratis, quæ capitali plerumque contentione defenditis, neſcire, & vnumquemque [g] ſuſpiciones ſuas pro probatis, & comprehenſis pertinaci obluctatione tutari? Quid enim, ſi verum perſpiciamus, etiam ſi omnia ſæcula in rerum inueſtigatione ponantur, ſcire per nos poſſumus, quos ita cæcos & ſuperbos neſcio quæ res protulit, & concinnauit inuidia, vt

Virgil. lib. 11. Æneid. — *dixit, opemque Dei non caſſa in vota vocauit.* Seruius; *non ad inania vota poſcit auxilium.* Minutius Felix. *Quam vos irrita pollicitationis caſſa vota decipiant.* Afranius apud Nonium. *numero inepti, pertimuiſtis caſſam terriculam aduerſarij*, Idem.

a *Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt argumenta credendi.* Etſi ſolet Arnobius plura quandoque copulare, rem vnam & eamdem ſignificantia, mihi tamen perſuadere nequeo hæc eſſe ſincera, *argumenta credendi.* & profectò ita eſt: ſcripſerat aliquis ad oram lib. ſui *argumenta credendi.* Hic enim proponuntur ab Arnobio argumenta, quibus fides Chriſtiana affirmari poteſt. Her.

b *Salutaris militia ſacramenta deponere.* Alludit ad ſacramentum quo milites ad militiam aſtringebantur, pari metaphora vſus, Leo ſerm. 3. de Natiu *ſi cæleſtis militiæ ſacramentum ſeruaueris.* Item Lactantius lib 5. c. 1. *ſacramenti quod acceperat, proditor factus eſt.* Sic Tertullianus lib. ad Martyres cap. 3. *vocati ſumus ad militiam Dei &c.* & cap. 11. de cor. mil. *credimusne humanum ſacramentum, diuino ſuperinduci licere?* Transfertur enim verbum illud militare ad regni cæleſtis militiam. Pr:

c *Vt cum carnifices, vnci.* Hi vnci quorum meminit hoc loco Arnobius non ſunt vnci veterum, quibus damnatorum corpora trahebantur, ſed vngulæ. Her.

d *Vos ſoli ſapientia conditi atque intelligentia vi mera,* Nihil mutandum exiſtimo. Appellat conditos ſapientiæ atque intelligentiæ vi mera, qui non ſolùm ſapientia atque intelligentia tincti ſunt, ſed ſapientiæ atque intelligentiæ meraco immerſi. *Idem.*

e *Numquam ne illud vulgatum perſtrinxit aures veſtras; ſapientiam hominis, ſtultitiam eſſe apud Deum.* D. Paulus ad Corinth 1. c. 3. ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ θεῷ ἐστι. Doctè Origenes lib. 1. contra Celſum. Sedulius lib 2. carm. Lactantius lib. 5. cap. 15. & 18. Prudentius in Rom. martyre. Hilarius de Trinitate lib. 3. Tertull. de Idololatria c. 8. Hermias διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων. Leo ſerm. 5. de Natiuitate Domini. Elmenh.

f *Primum & ipſi penitus.* In Romano legitur, primum & quæ ipſi. Fortè legendum, vt ſequamur antiqua veſtigia, primum itaque ipſi penitùs. Cant.

g *Suſpiciones ſuas pro probatis & comprehenſis.* Suppleuimus præpoſitionem quæ deerat, *pro*, eiuſmodi autem correctiunculis, quæ vel ſtupidis in mentem venire poſſunt, gloriari, næ puerile nimis eſt, & putidum. Her.

g *Suſpiciones ſuas pro probatis.* Pertinaciam hanc videre eſt

vt cum nihil ſciamus omninò, fallamus nos tamen, & in opinionem ſcientiæ ſubinflati pectoris tumore tollamur? Vt enim diuina prætercam, & naturali obſcuritate res merſas, poteſt quiſquam explicare mortalium id, quod Socrates ille comprehendere nequit in Phædone: homo quid ſit, aut vnde ſit, anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis? in quos vſus prolatus ſit? cuius ſit excogitatus ingenio? quid in mundo faciat? cur malorum tanta experiatur examina? vtrum-ne illum tellus vliginis alicuius conuerſa putrore, tamquam vermes animauerit, tamquam mures? an fictoris alicuius, & fabricatoris manu lineamenta hæc corporis, atque oris acceperit formam? Poteſt, inquam, ſcire in medio hæc poſita, atque in ſenſibus conſtituta communibus, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus euigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa? immò quod ambigit in Theæteto Plato vigilemus aliquando, an ipſum vigilare, quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio? & quid agere videamur, inſomnium cum videre nos dicimus? Radiorum & luminis intentione videamus, an rerum imagines aduolent, & noſtris in pupillis ſidant? vtrum ſapor in rebus ſit, an palati contagionibus fiat? quibus ex cauſis pili nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, ſed paulatim adiiciendo caneſcant? Quid ſit quod humores vniuerſi vnum corpus efficiant mixtione, ſolum oleum reſpuat immerſionem in ſe pati, ſed in ſuam naturam impenetrabilem ſemper perſpicuè colligatur? Ipſe denique animus, qui immortalis à vobis & Deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus, delira, & fatua, & inſana? Quorum infirmitas, & inſcientia miſerabilis hoc magis eſt, quòd cum fieri poſſit vt veri aliquid aliquando dicamus, & hoc ipſum nobis incertum ſit, an veri aliquid dixerimus. Et [a] quoniam ridere noſtram fidem conſueſtis, atque ipſam credulitatem facetiis iocularibus lancinare, dicite ô feſtiui, & meraco ſapientiæ tincti & ſaturi potu, [b] eſtne operis in vita negociosum aliquod atque actuoſum genus, quod non fide præeunte ſuſcipiant, ſumant, atque aggrediantur actores? Peregrinamini, nauigatis: non domum vos credentes peractis negociationibus remeaturos? Terram ferro ſcinditis, atque oppletis ſeminum varietate: non credentes vos frugem percepturos eſſe vicibus temporariis? [c] Coniugalia copulatis conſortia: non futura eſſe credentes caſta, & officioſi fœderis in maritos? Liberorum ſuſcipitis prolem: non incolumem credentes fore, & per gradus ætatis venturam ſenectutis ad metas? Ægritudines corporum medicorum committitis manibus: non credentes morbos poſſe mitigata aſperitate leniri? Bella cum hoſtibus geritis: non victoriam vos credentes præliorum ſucceſſionibus relaturos? Veneramini Deos, & colitis: non credentes illos eſſe, & propitias aures veſtris ſupplicationibus accommodare? Quid illa de rebus ab humana cognitione ſepoſitis, quæ conſcribitis ipſi, quæ lectitatis, oculata vidiſtis inſpectione, & manibus tractata tenuiſtis? Nonne veſtrum quicumque eſt, huic vel illi credit auctoribus? non quod ſibi perſuaſerit quis verum dici ab altero, velut quadam fidei adſtipulatione tutatur? [d] Qui cunctorum originem eſſe dicit ignem, aut aquam, non Thaleti, aut Heraclito credit? qui cauſam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Architæ? qui animam diuidit, & incorporales conſtituit formas, non Platoni Socratico? [e] qui quintum elementum principalibus applicat cauſis, non Ariſtoteli, Peripateticorum patri? qui ignem minatur mundo, & venerit cum tempus, arſurum, non Panætio, Chryſippo, Zenoni? qui indiuiduis corporibus mundos ſemper fabricatur & deſtruit, non Epicuro, Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine comprehendi, atque omnia cæcis obſcuritatibus inuoluta, non Archeſilæ, Carneadi? non alicui denique Academiæ veteris, recentioriſque cultori? Ipſi denique principes, & prædictarum patres ſectarum, nonne ipſa ea quæ dicunt, ſuis credita ſuſpicionibus dicunt? Vidit enim Heraclitus res ignium conuerſionibus fieri? concretione aquarum Thales? Pythagoras numeros ire? incorporales formas Plato? indiuiduorum Democritus concurſiones? aut illi, qui autumant, nihil poſſe omninò comprehendi, an ſit verum

in ſcholis veterum philoſophorum, vbi nulla tam ſtulta opinio, quæ non ſuum adſertorem, vindicem repererit. STEVV.

a *Quoniam ridere noſtram fidem conſueſtis.* Ethnici ridebant Chriſtianos vt nimium credulos in Deum, accuſabantque illos, quaſi rationem fidei vel reddere, vel accipere nollent, ſed ſimpliciter ſaltem credere. Iulianus imper. apud Nazianz. inuectiua 1. ὑμέτεροι φησὶν οἱ λόγοι, καὶ τὸ ἑλληνίζειν, ὧν καὶ τὸ σέβειν θεούς, ὑμῶν δὲ ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ πίστευσον, τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας. Demoliuntur hanc inuidiam calumnioſam, & procul eam à Chriſtianis eſſe oſtendunt rationibus firmiſſimis, Origenes contra Celſum lib. 1. Theodoretus ſerm. 1. de fide contra Græcos. Auguſtinus tom. 6. ad Honoratum de vtilitate credendi. ELMENH.

b *Eſt ne operis in vita negotioſum aliquod &c.* Origenes iiſdem argumentis & exemplis Celſum oppugnat hac in eadem diſputatione. Tractarunt hoc argumentum & alij, in quibus Euſebius lib. 1. de præparat. euang. eadem prorſus inductione. HER.

c *Coniugalia copulatis conſortia.* Optimè, eſt enim vxor mariti planè conſors ac ſocia, bonorum ac malorum particeps. vnde γάμος dicitur κοινωνία. Euſebius lib. 1. de præparat. Euang. & vxor dicitur ſocia: Plautus in ſticho. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum. *Idem.*

d *Qui cunctorum originem dicit aquam, non Thaleti.* De his diuerſis philoſophorum opinationibus videndus ſextus Empiricus Pyrronius aduer. Mathem. Chalcidius in Platonis Timæum. Laertius lib. 1. Tertullianus adu. Marcionem. Lactantius lib. 1. c. 5. Minutius felix in Octau. Plutharchus de placitis philoſoph. lib. 1. Cicero lib. 4. academic. quæſt. Euſebius de præparat. Euang. lib. 1. c. 5. Hermias in irriſione philoſophorum gentilium. Iuſtinus Martyr in cohortatione ad Græcos. Theodoretus contra Græcos ſerm. 4. de materia & mundo. Nemeſius περὶ φύσεως ἀνθρώπου cap. 5. ELMENH.

e *Qui quintum elementum &c.* Omnes hi philoſophi concipere non poterant, quid eſſet decantata Ariſtotelis ἐντελέχεια, ideòque cauſis principalibus eam tribuebant. PRI.

rum quod dicunt, ſciunt? aut ipſum, quod definiunt, veritatis eſſe intelligunt pronuntiatum? Cum igitur comperti nihil habeatis & cogniti, omniaque illa, quæ ſcribitis, & librorum comprehenditis millibus, credulitate aſſeueretis duce, quænam hæc eſt iudicatio tam iujuſta, vt noſtram derideatis fidem, quam vos habere conſpicitis noſtra in credulitate communem. Sed ſapientibus vos viris omnibuſque inſtructis diſciplinarum generibus creditis? nempè illis, qui nihil ſciſcunt, nec pronunciant vnum: qui pro ſuis ſententiis bella cum aduerſantibus conſerunt, & peruicacia ſemper digladiantur hoſtili: qui dum alter alterius labefactant, deſtruunt, conuelluntque decreta, cuncta incerta fecerunt, nec poſſe aliquid ſciri ex ipſa diſſenſione monſtrarunt. Sed officiant hæc nihil, nihilque impediant, quò minus eis credere atque auſcultare debeatis: & quid eſt, quod in hac parte, aut vos plurimum habeatis, aut nos minus? [a] vos Platoni, vos Cronio, vos Numenio, vel cui libuerit creditis: nos credimus, & acquieſcimus Chriſto. Iniquitas hæc quanta eſt, vt cum vtrique auctoribus ſtemus, ſitque nobis & vobis vnum & ſocium credere, vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur, accipere, vos ea quæ proferuntur à Chriſto, audire & ſpectare nolitis? Atqui ſi cauſas cauſis, partes partibus voluerimus æquare, magis nos valemus oſtendere, quid in Chriſto fuerimus ſecuti, quàm in philoſophis quid vos. Ac nos quidem in illo ſecuti hæc ſumus: opera illa magnifica, potentiſſimáſque virtutes, quas variis edidit exhibuitque miraculis, quibus quiuis poſſet ad neceſſitatem credulitatis adduci, & judicare fideliter, non eſſe quæ fierent hominis, ſed diuinæ alicujus atque incognitæ poteſtatis. Vos in philoſophis virtutes ſecuti quas eſtis, vt magis vos illis, quàm nos Chriſto oportuerit credere? Quiſquam-ne illorum aliquando verbo vno potuit, aut vnius imperij juſſione, non dicam maris inſanias, aut tempeſtatum furores prohibere, compeſcere: non cæcis reſtituere lumina, aut ſine luminibus natis dare: non ad vitam reuocare defunctos, non annoſas diſſoluere paſſiones: ſed quod leuiſſimum multò eſt, feruunculum, ſcabiem, aut inhærentem ſpinulam callo vna interdictione ſanare? Non quo illos negemus, aut morum eſſe integritate laudabiles, aut non omni genere ſtudiorum & diſciplinarum peritos: nam & verbis eos luculentiſſimis ſcimus loqui, & compoſitionibus fluere leuigatis, concludere acutiſſimè ſyllogiſmos, ordinare ſequaciter inductiones ſuas, reddere definitionibus formulas, partiri, diuidere, multa dicere de numerorum generibus: multa de muſicis, geometricas res etiam ſuis ſcitis & præceptionibus explicare. Sed quid iſtud ad cauſam? numquid enthymemata, ſyllogiſmi, reſque aliæ ſimiles, ſcire illos veritatem ſpondent: aut ea re digni ſunt, quibus neceſſariò debeat rebus de obſcuriſſimis credi? Perſonarum contentio non eſt eloquentiæ viribus, ſed geſtorum operum virtute pendenda. Ille non eſt dicendus auctor bonus, qui ſermonem candidulè prompſit: ſed qui, quod pollicetur, diuinorum operum proſequitur ſponſione. Argumenta vos nobis, & ſuſpicionum argutias profertis, quibus ipſe ſi Chriſtus, cum pace hoc eius, & cum venia dixerim, populorum in conuentibus vteretur, quis acquieſceret, quis audiret, quis eum promitteret apertè aliquid iudicare? aut quis caſſa & nuda iactantem quamuis eſſet imprudens, & [b] facilitatis ſtolidæ ſequeretur? Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo fiebat palàm, vel ab eius præconibus celebrabatur in orbe toto: ea ſubdidit appetitionum flammas, & ad vnius credulitatis aſſenſum mente vna concurrere gentes & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes. Enumerari enim poſſunt, atque in vſum computationis venire ea, quæ in India geſta ſunt, apud Seras, Perſas, & Medos, in Arabia, Ægypto, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas, in Achaia, Macedonia, Epiro, in inſulis & prouinciis omnibus, quas Sol oriens atque occidens luſtrat: ipſam denique apud dominam Romam, in qua cum homines ſint [c] Numæ regis artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ. Viderant enim currum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant, inquam, fidentem Diis falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe præfractis: poſt deinde [d] perlatum

a *Vos Platoni, vos Cronio.* In Romano habetur, vos Platoni, vos Crotonio, ſed mendoſè, pro quo quid ſubſtituam impræſentiarum equidem ignoro. Niſi fortè vt ignotum per ignotum illuſtremus, cum Apuleio legamus, protomo, vel Prothoma. Apuleii verba ſunt è libro de Deo Socratis: Sat è Prothomo gloria, qui talis fuit vt eius nepotem non puderet. Apud quem tamen malim ad exemplum Arnobij legere, prothonio, & hoc eò libentiùs, quod in quibuſdam veteribus codicibus ſcriptum inuenerim, ſat è prothaonio gloria. quod hoc loco ſilentio præterire nolui. judicent doctiores. CANT.

a *Vos Platoni, vos Cronio.* Pro *Crotonio*, legit Fuluius vrſinus, *Cronio*, & pro, *Platoni*, *Plotino*. optimè opinor. fit enim mentio hoc loco, non veterum philoſophorum ſed recentiorum. Hi autem in recentioribus famæ fuerunt celeberrimæ. HER.

b *Facilitatis ſtolidæ*, Legendum hîc crederem *ſolidæ*, non *ſtolidæ*. de pleniſſima enim loquitur credulitate, quæ ſolida erat. Qui *ſtolida* edidit Gelenius in malam partem detorſit, quaſi ſtultam credulitatem hic innui exiſtimauerit. PRI.

c *Numæ regis artibus.* Numa multarum vanitatum auctor, apud Romanos ritus ſacrorum, ſacerdotalia officia, inſignia & priuilegia ſacerdotum, ſacrificalia miniſteria, inſtrumenta, vaſa ſacrorum, ac piaculorum expiationes inſtituit. Plutarchus in Numa. Tertull. de Præſcript. adu. Hær. c. 40. Lactantius lib. 1. c. 22. Saliſber lib. 5. cap. 3. Polycrat Ouid. lib. 15. Metamorph. ELMENH.

d *Perlatum Brundam.* Brunda eſt Brunduſium, monente Feſto Poetas quoſdam vt verſibus ſuis aptarent Brundam propter breuitatem dixiſſe. PRI.

tum Brundam, cruciatibus & pudore defeſſum ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio. Quæ omnia vos geſta neque ſcitis, neque ſcire voluiſtis, neque vnquam vobis neceſſaria iudicaſtis: ac dum veſtris fiditis cordibus, & quod typhus eſt ſapientiam vocatis, dediſtis circumſcriptoribus locum, illis inquam noxiis, quorum nomen intereſt obſoleſcieri Chriſtianum, ſuperfundendi caligines, atque obſcurandi res tantas, eripiendæ vobis fidei, ſubiiciendique contemptus: ut, quia ſibi præſentiunt finem pro meritis imminere, vobis quoque immitterent cauſam, per quam periculum adire poſſetis, & viduari benignitate diuina. Interea tamen, ô iſti, qui admiramini, qui ſtupetis doctorum & philoſophiæ ſcita, ita non iniuſtiſſimum ducitis inequitare, illudere tamquam ſtulta nobis & bruta dicentibus: cum vel ea, vel talia reperiamini & vos dicere, quæ à nobis dici pronunciarique ridetis? Nec mihi cum his ſermo eſt, qui per varia ſectarum diuerticula diſſipati, has atque illas partes opinionum diuerſitate fecerunt. Vos vos appeſſo, qui Mercurium, qui Platonem, Pythagoramque ſectamini: voſque cæteros, qui eſtis vnius mentis, & per eaſdem vias placitorum inceditis vnitate. Audetis ridere nos, quod patrem rerum, ac Deum veneramur & colimus: quoque illi dedamus & permittamus ſpes noſtras? Quid Plato veſter in Theæteto, vt eum potiſſimùm nominem, nonne animo fugere ſuadet è terris, & circa illum ſemper, quantum fieri potis eſt, cogitatione ac mente verſari? [a] Audetis ridere nos, quòd mortuorum dicamus reſurrectionem futuram? [b] quam quidem nos dicere dicere confitemur: ſed à vobis aliter, quàm ſentiamus, audiri. Quid in Politico idem Plato? nonne cum mundus occœperit ab occiduis partibus exoriri, & in cardinem vergere qui orientis eſt ſolis, rurſus erupturos homines telluris è gremio ſcribit, ſenes, canos, decrepitos, & cum anni cœperint accedere longiores, per eoſdem gradus, quibus hodiè creſcitur, ad incunabula infantiæ exituros? audetis ridere nos, quod animarum noſtrarum prouideamus ſaluti, id eſt, ipſi nobis? [c] Quid enim ſumus homines, niſi animæ corporibus clauſæ? Vos enim non omnes pro illarum geritis incolumitatibus curas? non quòd vitiis omnibus, & cupiditatibus abſtinetis, metus ille vos habet, ne, velut trabalibus clauis affixi, corporibus hæreatis? Quid illi ſibi volunt ſecretarum artium ritus, quibus affamini neſcio quas poteſtates, vt ſint vobis placidæ, neque ad ſedes remeantibus patrias [d] obſtacula impeditionis opponant? Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quoſdam ignes, in quos animas dejici ab earum hoſtibus, inimiciſque cognouimus? Quid? Plato idem veſter in eo volumine, quod de animæ immortalitate compoſuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluuios, & Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas aſſeuerat volui, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non prauæ, & examinis iudiciique perpenſi, rem inenodabilem ſuſcipit; vt cum animas dicat immortales, perpetuas, & corporali ſoliditate priuatas, puniri eas dicat tamen, & doloris afficiat ſenſu. Quis autem hominum non videt, quod ſit immortale, quod ſimplex, nullum poſſe dolorem admittere? quod autem ſentiat dolorem, immortalitatem habere non poſſe? Nec tamen eius auctoritas plurimum à veritate declinat. Quamuis enim vir lenis, & beneuolæ voluntatis inhumanum eſſe crediderit, capitali animas ſententia condemnare, non eſt tamen abſonè ſuſpicatus jaci eas in flumina torrentia flammarum globis, & cœnoſis voraginibus tetra. Iaciuntur enim, & ad nihilum redactæ, [e] interitionis perpetuæ fruſtratione vaneſcunt. Sunt enim mediæ qualitatis, ſicut Chriſto auctore compertum eſt, & interire quæ poſſint Deum ſi ignorauerint, vitæ & ab exitio liberari, ſi ad eius ſe minas atque indulgentias applicarint. Et vt quod ignotum eſt pateat, hæc eſt hominis mors vera, hæc nihil reſiduum faciens. Nam illa, quæ ſub oculis cernitur, animarum eſt à corporibus dijugatio, non finis abolitionis extremus. Hæc, inquam, eſt hominis mors vera, cum animæ neſcientes Deum per longiſſimi temporis cruciatum conſumentur igni fero,

in

a *Audetis ridere nos quod mortuorum dicamus reſurrectionem futuram.* Cùm reſurrectionem aſſerentes Chriſtianos audiebant Gentiles, ſannis & cachinnis eos excipiebant: eam quippe non credebant, neque id fieri poſſe. Origenes lib. 1. contra Celſum καὶ μὲν νικῶν τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον, θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. *Solenne verò de reſurrectione myſterium irriſionibus infidelium diuulgatur.* Lucianus de Chriſtianis πεπείκασιν αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ἀθάνατοι ἔσεσθαι, καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον. *Perſuaſerunt iis dæmones, & immortales futuros & ſemper victuros.* PRI.

b *Quam quidem nos dicere confitemur, ſed à vobis aliter.* De reſurrectione carnis, iam inde ab ipſius mundi naſcentis origine, multorum variantes, multæ & portentoſæ fuerunt opiniones, quas Athenagoras & Tertullianus in lib. de reſurr. carnis, partim recenſent, partim refutant. Noſter hic inſanit cum furentibus hominibus, Marcione, Baſilide, & Origene, qui reſurrectionem non carnis ſed corporis, & corporis quidem ſpiritualis credebant. ELMEN.

c *Quid enim ſumus homines niſi anima.* Hinc confirmari poſſe videtur prædicta de Arnobij opinione obſeruatio. Nam Marcion & cæteri hæretici, qui corporis reſurrectionem negabant, quum ſcripturæ teſtimoniis, quibus hominem reſurgere efficitur, reuincerentur, hominem diſtinguebant in interiorem & exteriorem; atque interiorem hominem, id eſt, animam, verum hominem propriè eſſe dicebant; contra quos diſputat Tertullianus libro de reſurr. carnis cap. 40. HER.

d *Obſtacula impeditionis opponant.* Exiſtimabant enim dæmonas, ſiue genios ſingulis hominibus in hanc lucem prodeuntibus, quaſi cuſtodes & totius vitæ moderatores darj; eoſdemque cuſtodias ſuas, quando hinc abeunt, in iudicium rapere: atque eorum teſtimonio ferri à judice ſententiam. Hæc erat Platonis ſententia, quam in Phædone proponit, & quam explicat Apuleius diſſertatione de Deo Socratis. *Idem.*

e *Interitionis perpetuæ fruſtratione vaneſcunt.* & hæc inter ſpicas meas colligere non negligo, *fruſtratione euaneſcunt.* Similes aliquot geminationes vna quaſi ſerie hoc loco proponendas putauimus, ne eam corrigendi ſemitam inſiſtamus ſæpiùs. infrà lib. 2. lib. 3. & lib. 7. STEV.

a *Credebat*

in quem illas jacient [a] crudeliter ſæui, & ante Chriſtum incogniti, & ab ſolo ſciente decti. Quare nihil eſt quod nos fallat, nihil quod nobis polliceatur ſpes caſſas, id quod nobis à quibuſdam dicitur viris, immoderata ſui opinione ſublatis, animas immortales eſſe, Deo, rerum ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, diuinas, ſapientes, doctas, neque vlla corporis attrectatione contiguas. Quod quia verum & certum eſt, & à perfecto ſumus inemendabili perfectione prolati, inculpabiles, & ideò irreprehenſibiles viuimus, boni, iuſti, & recti, vitioſitatis nullius rei. Nulla cupiditas nos vincit, nulla libido dehoneſtat, virtutum omnium ſeruamus atque integramus tenorem. Et quia vno ex fonte omnium noſtrûm defluunt animæ, idcircò vnum conuenienſue ſentimus: non moribus, non opinionibus diſcrepamus: Deum omnes nouimus, nec quot in orbe ſunt homines, ſunt ſententiæ totidem, neque infinita varietate diſcretæ. At dum ad corpora labimur, & properamus humana, ex mundanis circulis ſequuntur nos cauſæ, quibus mali ſimus & peſſimi, cupiditatibus atque iracundia ferueamus, exerceamus in flagitiis vitam, & in libidinem publica venalium corporum proſtitutione damnemus. Et quemadmodum ſe poſſunt incorporalibus corpora conjungere: aut à Deo principe res factæ, ab infirmioribus cauſis ad vitiorum dehoneſtamenta traduci? Vultis homines iſtum typhum, [b] ſuperciliumque deponere, qui Deum vobis adſciſcitis patrem, & cum eo contenditis immortalitatem habere vos vnam? Vultis quærere, peruestigare, rimari, quid ſitis voſipſi, cujus ſitis, cenſeamini quo patre, quid in mundo faciatis, quanam ratione naſcamini, quo pacto proſiliatis ad vitam? Vultis tumore depoſito cogitationibus tacitis peruidere animantia, nos eſſe, aut conſimilia cæteris, aut non plurima differitate diſtantia? Quid eſt enim, quod nos ab eorum indicet ſimilitudine diſcrepare? vel quæ in nobis eminentia tanta eſt, vt animantium numero dedignemur adſcribi? Oſſibus illis fundata ſunt corpora, & neruorum colligatione deuincta: & nobis comparili ratione ex oſſibus fundata ſunt corpora, & neruorum colligatione deuincta. Auras accipiunt naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt: & nos ſpiritum conſimiliter ducimus, & reſpiramus commeatibus crebris. Femininis generibus, maſculiniſque diſtincta ſunt: in totidem & nos ſexus noſtro ſumus ab auctore formati. Edunt per vteros fœtus, & corporalibus conciliis procreant: & nos corporum coniugationibus naſcimur, & ex aluis fundimur atque emittimur matrum. Cibo ſuſtentamur & potu, & ſuperfluas fœditates inferioribus egerunt abiiciuntque poſticis: & nos cibo ſuſtentamur & potu, & quod natura jam reſpuit, per eoſdem effundimus tramites. Cura illis eſt omnibus famem prohibere mortiferam, & neceſſario inuigilare pro victu: quid aliud nos tantis egimus in occupationibus vitæ, niſi vt ea quæramus, quibus famis periculum deuitetur, & infelix ſollicitudo ponatur? Morbos illa & inedias ſentiunt, & ad vltimum ſenectute ſoluuntur: quid enim? nos immunes malis ab his ſumus, & non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, & ſenectutis deſtruimur tabe? Quod ſi & illud verum eſt, quod in myſteriis ſecretioribus dicitur, [c] in pecudes atque alias belluas ire animos improborum, poſtquam ſunt humanis corporibus exemptæ, manifeſtiùs comprobatur, vicinos nos eſſe, neque interuallis longioribus diſparatos. Siquidem res eadem nobis & illis eſt vna, per quam eſſe animantia dicimur, & motum agitare vitalem. Sed [d] rationales nos ſumus, & intelligentia vincimus genus omne mutorum. Crederem iſtud veriſſimè dici, ſi cum ratione & conſilio cuncti homines viuerent, ſeruarent officiorum tenorem, abſtinerent ab illicitis ſeſe, negotia turpia non adirent, neque quiſquam prauitate conſilij, atque ignorantiæ cæcitate contraria ſibimet atque inimica depoſceret. Vellem tamen ſcire quænam ſit hæc ratio, per quam ſumus potiores animalium generibus cunctis: quia nobis domicilia fecimus, quibus poſſimus hyemalia frigora, & æſtatis flagrantias euitare? Quid? animantia cætera huius rei prouidentiam non habent? Nónne alia cernimus opportuniſſimis ſedibus nidulorum ſibi conſtruere manſiones: alia ſaxis & rupibus tegere & communire ſuſpenſis: excauare alia telluris ſola, & in foſſilibus foueis tutamina ſibimet & cubilia præparare? Quod ſi miniſtras manus illis etiam donare parens natura voluiſſet, dubitabile

a *Crudeliter ſæui.* Diabolum dicit crudeliter ſæuum, quoniam genus humanum præcipitauit in mortem. Auguſtin. tom. 10. de morte ſerm. 62. & in pſal. 48. ELMENH.

b *Superciliumque deponere.* Locus hic variis rationibus interpolatur. Mutandum tamen nihil. Inſtitutum enim appellat Arnobius *αὐθάδειαν*, ſiue obſtinationem *σκληρότητα*. Julius Firmicus lib. 8. cap. 6. HER.

c *In pecudes atque alias belluas.* De illa metempſychoſi omnes ferè antiqui aliquid attigerunt. Ariſtoteles lib. 1. de anima cap. 3. dum illam tranſmigrationem Pythagoræ tribuit, *Πυθαγορικοὺς μύθους fabulas Pythagoricas* vocat. Idem verò habet Lactantius lib. 7. *Pythagoras tranſire animas in noua corpora diſputauit; ſed inepte quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines.* S. Hieronymus contra Ruffinum cap. 10. *Apud Græcos Pythagoras primus inuenit immortales eſſe animas, & de aliis corporibus tranſire in alia.* Quod & docet Tertullianus apolog. 48. & de anima 28. PRI.

d *Rationales nos ſumus.* Saluſtius: *Noſtra omnis vis in animo ſita eſt.* Cic. lib. 1. offic. *ſed inter hominem & belluam hoc maximè intereſt, quod hæc tantum quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat: paululum admodum ſentiens, præteritum aut futurum. Homo autem qui rationis eſt particeps, conſequentia cernit principia, & cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat: ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit atque annectit futuras: facilè totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias.* ELMEN.

bitabile non foret, quin & ipſa conſtruerent mœnium alta faſtigia, & [a] artificioſa excuderent nouitate. Tamen in his ipſis, quæ roſtris atque unguibus faciunt, multa ineſſe conſpicimus rationis & ſapientiæ ſimulacra, quæ homines imitari nulla meditatione poſſumus, quamuis ſint nobis opifices manus, atque omni genere perfectionis artifices. Veſtem illa non norunt, ſellas, naues, atque aratra compingere: nec denique ſupellectilem cæteram, quam familiaris vſus expoſcit. Non ſunt iſta ſcientiæ munera, ſed pauperrimæ neceſſitatis inuenta. Neque cum animis artes cæli ex penetralibus ceciderunt: ſed exquiſitæ, & natæ ſunt in terris hic omnes, & cum proceſſu temporum paulatim meditatione conflatæ. Quòd ſi haberent ſcientias animæ, [b] quas genus & habere diuinum atque immortale condignum eſt, ab initio homines cuncti omnia ſcirent, nec ſæculum eſſet vllum, quod artis eſſet ignarum alicuius, aut rerum experientia non paratum. Nunc verò inops vita, & multarum indigens rerum, fortuita conſpiciens quædam commodulè prouenire, dum imitatur, experitur & tentat, dum labitur, reformat, immutat, ex aſſidua reprehenſione, paruas & concinnauit ſcientiolas artium, & ad vnum exitum temporibus plurimis coëmendata perduxit. Quòd ſi homines penitus aut ipſos ſe noſſent, aut intellectum Dei ſuſpicionis alicuius acciperent aura, numquam ſibi adſciſcerent diuinam immortalemque naturam: nec exiſtimarent quiddam magnificum ſe eſſe, quia ſibi craticulas, [c] trulleos, crateraſque fecerunt: quia ſubuculas, ſuppara [d] lænas, lacernulas, trabeas, cultros, loricas, & gladios: quia raſtra, ſecuriculas, vomerem. Numquam, inquam, crederent, typho & arrogantia ſubleuati, prima eſſe ſe numina, & æqualia principis ſummitati, quia grammaticam, muſicam, oratoriam pepererunt, & geometricas formulas. In quibus artificiis quidnam inſit admirabile non videmus, vt ex eorum inuentione credatur eſſe animas potiores & ſole & ſideribus cunctis, & hunc totum cuius membra ſunt hæc, mundum & dignitate & ſubſtantia præterire. Quid enim aliud ſe ſpondent vel inſinuare poſſe, vel tradere, quàm vt regulas nominum, differentiaſque noſcamus? vt interualla in vocum ſonis? vt loquamur ſuadenter in litibus? vt terrarum continentias metiamur? Quæ ſi ſecum animæ diuinis ex regionibus attuliſſent, aut eſſet neceſſarium ſcire, omnes ea jamdudnm in omni orbe tractarent: neque vllum hominum reperiretur genus, quod non eſſet his omnibus æqualiter atque vniformiter eruditum. Nunc verò in mundo quotus quiſque eſt muſicus, dialecticus, & geometres? quotus orator, poëta, grammaticus? Ex quo apparet, vt ſæpiùs dictum eſt, inuenta hæc eſſe locorum neceſſitate, ac temporum, neque diuinas, eruditas aduolauiſſe huc animas: quòd neque omnes doctæ ſint, neque diſcere omnes poſſint, & ſint in his plurimæ acuminis obtuſioris, & bardi, & [e] ad diſcedendi ſtudium plagarum coërcitione cogantur. Quòd ſi ea, quæ diſcimus, reminiſcentias eſſe conſtaret, vt antiquis opinionibus ſcitum eſt, conueniebat nos omnes ab vna veritate venientes vnum noſſe, vnumque reminiſci: non habere diuerſas, non plurimas diſſidenteſque ſententias. Nunc verò cum ſinguli aliud atque aliud afferamus, manifeſtum & promptum eſt, nihil nos attuliſſe de cælo, ſed hîc nata addiſcere, & ſuſpicionibus coalita vindicare. Et vt vobis clariùs manifeſtiuſque monſtremus cuius ſit pretij homo, quem ſimillimum creditis potentiæ ſuperioris exiſtere, concipite animis hanc imaginem veſtris, & quod fieri ſi aggrediamur poteſt, tamquam ſi ſimus aggreſſi, ſimilitudinis aſſumptione teneamus. Sit igitur nobis tellure in effoſſa locus habitabilis, formam cubilis efficiens, tecto & parietibus clauſus, non algidus in frigore, non feruoris nimius in calore: ſed ita temperatus & medius, vt nec frigoris hyemalis ſenſum, nec ardorem validum perpetiatur æſtatis. In hunc ſonus omninò nullius incidat vocis, non auis, non beſtiæ, non tempeſtatis, non hominis, non denique fragoris alicuius, aut concrepantis terribiliter cæli. Excogitemus deinde quemadmodum lumen accipiat, non ex illato igni, neque ex ſole conſpecto, [f] ſed nothum aliquid fiat, quod imaginem luminis caligine interpoſita mentiatur: janua non vna ſit, nec ſit introitus rectus: ſed adeatur inflexibus flexuoſis: nec recludatur aliquando, niſi cùm neceſſaria ratio poſtularit. Nunc quoniam imagini præparauimus ſedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum in loci illius hoſpitium, quod habeat rem nullam, & ſit inane ac vacum: Platonica licet aut Pythagorea progenie,

a *Artificioſa excuderent nouitate.* Steuechius legit *excluderent*, quod ſtare non poteſt: ſenſus enim non benè procederet. *Solus eam Polycletus*, de imagine Alexandri M. loquitur, *ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles calamine excuderet.* Fruſtra eſſet qui lectionem vellet mutare. PRI.

b *Quas genus & habere diuinum atque immortale.* Minutius Felix. *Nam corporibus diſſolutis, ſolas animas volunt perpetuò manere.* Sic Ouidius Metam. 15. apud quem loquitur Pythagoras.

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede, nouis domibus viuuntq; habitantq; receptæ.

Idem.

c *Trulleos.* Putarem ſcribi oportere, Trullas. Nam in gloſſ. Trulla eſt ἀγγεῖον. Nonius in *Trua.* & M. Varro lib. 4. de L L. *Idem.*

d *Lænas.* Læna tunica eſt, à græco χλαῖνα. *Idem.*

e *Ad diſcedendi ſtudium.* Senſus poſtulare videtur, ad diſcendi. *Idem.*

f *Sed nothum aliquid fiat.* Lumen perſpicuè non excipiatur, ſed aliunde per rimulas irrepat, adeò vt verum lumen dici non poſſit, ſed ſuppoſitiuum & νόθαιον. Sic Lucretius de Luna lib. 5.

Lunaque ſiue notho fertur loca lumine luſtrans.

& Catullus.

Tu potens Triuia, & notho es
Dicta lumine luna.

Idem.

progenie, aut horum alicuius, qui acuminis perhibentur fuiſſe diuini, aut ex Deûm reſponſis ſapientiſſimi nuncupati. Quod cùm actum fuerit, nutriri vt debeat ſequitur, vt alimoniis conuenientibus educari. Adhibeamus igitur & nutricem, quæ ſemper ad eum nuda, ſemper ſilens accedat, verbum nullum faciens, nec in ſermones aliquos ora & labra diducat: ſed cùm mammas dederit, & conſequentia ſuppleuerit officia, datum quieti linquat, & ante fores clauſas dies noctéſque continuet. Poſcit enim plerumque res, nutricias adeſſe curas, & obſeruare temporarios motus. At verò cùm cœperit ſolidioribus cibis infans debere fulciri, nutrice inferantur ab eadem, veſte vt diximus poſita, & tenore reticentiæ ſeruato. Ipſe autem, qui infertur cibus ſit vnus atque idem ſemper; nihil materia differens, nec per varios redintegratus ſapores: ſed aut fitilla de milio, aut ſit panis ex farre, aut vt ſæcula imitemur antiqua [a] ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agreſtibus bacculæ. Potio autem vini ſit prorſus incognita, nec ſedandæ aliud admoueatur ſiti, quàm liquor purus è fontibus, caldore ignis intactus: &, ſi fieri potis eſt, manibus ſubminiſtratus cauis. Fiet enim familiaris è more conſuetudo in naturam verſa; nec appetitio porrigetur vlteriùs, eſſe ampliùs neſciens, quod petatur. Quorſum igitur hæc ſpectant? Vt, quoniam creditum eſt animas diuinas à Deo, immortales eſſe, & ad hominum corpora diſciplinis cum omnibus aduolare, experiamur ex iſto, quem hoc genere voluimus educari, capiátne res fidem, an ſit leuiter credita, & fruſtrabili expectatione præſumpta. Procedat igitur nobis ſolitudine in operta nutritus, quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? Immo cùm annos fuerit quadraginta permenſus, mortalium conciliis inferatur: & ſi verum eſt illum principalis eſſe ſubſtantiæ portionem tam lætam, ex fontibus vitæ deriuatum hic agere, antequam notitiam rei ſumat alicuius, aut ſermone imbuatur humano, det reſponſum rogatus, quiſnam ſit ipſe, aut quo patre, quibus ſit in regionibus editus, quo pacto, aut quânam ratione nutritus, quid operis aut negotii celebrans anteacti temporis decurrerit æuitatem. Ita ille non omni pecore, [b] ligno, ſaxo obtuſior atque hebetior ſtabit? non miſſus in res nouas, & numquam ſibi antè cognitas, ipſum ſeſe eſt ante omnia neſciturus? Poteritne, ſi quæras, ſol quid ſit oſtendere, terra, maria, ſidera, nubes, nebula, pluuiæ, tonitrua, nix, grando? Poterit arbores ſcire quid ſint, herbæ aut gramina, taurus, equus, aut aries, camelus, elephantus, aut mulus? Eſurienti ſi dederis vuam, muſtacium, cæpe, carduum, cucumerem, ficum, ſciet poſſe ſedari omnibus ex his famem? aut quo genere ſingula eſſe debeant eſui? Ignem ſi plurimum feceris, aut venenatas circumpoſueris beſtias, nonne ibit per medias flammas, viperas, ſolifugas, eſſe noxias neſciens; & timere ipſum quid ſit ignorans? Iam verò ſi veſtem, ſi ſupellectilem ponas in medio tam vrbanam quàm ruſticam, eritne idem vt poſſit diſcriminare cui negotio res quæque conueniat? cuius muneris accommodata ſint vſui? Indicet in quos habitus veſtis ſtragula facta ſit, mitra, ſtrophium, faſcia, puluinus, [c] muccinium, læna, [d] calautica, mantele, maſtruca, ſoccus, ſolea, calceus? Quid ſi adiicias [e] rota quid ſit, aut tribula, vannus, dolium, cupa, trapetum, vomis, aut cribrum, mola, buris aut ſarculum? Quid arquata ſi ſellula, acus, ſtrigilis, polubrum, ſiliquaſtrum, trulla, lancicula, candelabrum, batiaca, ſcopæ, ſcyphus, ſaccus? Quid ſi cithara, tibia, argentum, æs, aurum, codex, radius, liber? Quid inſtrumenta ſi cætera, quibus vita ſuccingitur & continetur humana? Ita, vt diximus, ille non bouis ritu aut aſini, porci, aut ſi vllum eſt animal tardius, conſpiciet hæc quidem, formatura varia res ſpectans, ſed quæ ſint ſingula neſciens, & quam in cauſam poſſideantur ignorans? nonne vocem, ſi fuerit neceſſitate aliqua coactus emittere, vt ſollemne eſt mutis, inarticulatum neſcio quid ore hiante clamabit? Quid in Menone ô Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo ſciſcitaris, & ex eius niteris reſponſionibus comprobare, quæ diſcamus non diſcere, ſed in eorum memoriam, quæ antiquitus noueramus,

a *Ex cinere caldo glandes.* Nemò vel infans ignorat veteres glandibus primùm veſci ſolitos. Horatius lib. 1. ſat. 3.

Cùm prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter. &c.

Lucretius lib. 5.

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque.

Maximus Tyr. de amore. ἦσαν δὲ ἄρα κατὰ τὸν Ἐπίκουρον. φασὶ, βίου, αἱ τροφαὶ τοῖς ἀνθρώποις φηγοὶ καὶ ὄχναι. *erant verò, vt ferunt, vt ſolebat Epicurus, hominum alimenta glandes & pira* Iulius Pollux lib. 1. cap. 12. πρὸ πυρῶν τοὺς ἀνθρώπους ἐθρέψεν ἡ βάλανος. *antè frumenta glandibus homines veſcebantur.* Hic ex cinere calido glandes dicuntur, quia aſſabantur antequam ederentur. οἱ ἀρχαῖοι βαλάνους ἐν χοῖ ἀπωπτῶντο *veteres ſolebant glandes coquere.* inquit author Etymologici magni. PRI.

b *Ligno, ſaxo obtuſior.* Plautus in Milite:

Herus meus elephanti corio contectus eſt, non ſuo,
Neque habet plus ſapientia quam lapis.

Lapis igitur conuicium eſt Græcis & Latinis commune, quo ſtupidos, & obtuſi ingenii homines feriunt. Ariſtophanes in nubibus: λίθος ἀναίσθητος, ἀβέλτερος.

c *Muccinium.* Ita appellat dictione valdè propria, quod ſudarium & ſudariolum alij dixere, quod olim obſeruauerat præſtantiſſimus Turnebus. *Idem.*

d *Calautica.* Hæc lectio eſt è M S. Reg. ſcripſerunt tamen nonnulli *calantica.* Nam hæc lectio non ſolùm apud Nonium, ſed etiam apud Seruium ad 9. Aen. *Pilea virorum ſunt: mitra fœminarum, quas calanticas dicunt.* & nonne belluli ſunt qui calanticas referunt hic ad fœminas, vt ſint fœminæ calanticæ. *Idem.*

e *Rota quid ſit aut tribula, vannus &c.* Pro rota legunt plurimis, *traha.* cogit verſus ex lib. 1. Georgic. Virgilij vbi

Tribulaq; trahaq; & iniquo pondere raſtri.

Traha, tabula eſt quæ ad pabulum colligendum bobus trahentibus induci ſolita, ſeu traga eſt vehiculum ſine rotis, iungitur cum *tribula*, eſt verò vehiculum omni ex parte dentatum. Vannus, vas eſt vimineum, in quod primitiæ frugum coaceruabantur, vt inde Baccho ſacra fierent. Buris eſt pars curua aratri; Hæc omnia à Seruio diſcenda. PRI.

nouerannus, redire? Qui ſi tibi verè reſpondet, non enim nos conuenit fidem rebus abiudicare quas dicis, non rerum ſcientia, ſed intelligentia ducitur: & ex eo, quòd aliquos numeros quotidianis habet ex vſibus notos, fit vt ſequatur rogatus, & ipſa illum ſemper multiplicationis adducat acceſſio. Quod ſi verè confidis immortales huc animas, & plenas ſcientiæ peruolare, adoleſcentulum iſtum rogare deſinito, quem eſſe cōſpicis gnarum rerum, & humanitatis in finibus conſtitutum. Quadragenarium iſtum ad te voca, & ex eo percontare, non abſtruſum aliquid, non volutum, non de triangulis, non de quadratis, [a] quid ſit cubus, aut dynamis, ſeſquioctauus, aut ſeſquitertius vltimo; ſed quod in medio ſitum eſt, bis bina, bis terna, quam efficiant ſummulam quærito. Volumus videre, volumus ſcire, quid rogatus reſpondeat, an inquiſitam expediat quæſtionem. Ita ille ſenſurus eſt, quamuis ei pateant aures, an aliquid dicas, an aliquid quæras, an tibi ab ſeſe reſponderi aliquid poſtules: & non ſtipes vt aliquis, aut Marpeſia, vt dictum eſt, rupes, ſtabit elinguis & mutus, hoc ipſum ignorans & neſciens, ſecum potiùs an cum altero colloquaris, cum altero ſermocineris, an ſecum: oratio ſit iſta, quam promis, an ſonitus vocis, nihil rerum ſignificans, ſed inani continuatione pertractus? Quid dicitis, ô viri pluſquam ſatis eſt vobis ex aliena generoſitate tribuentes? Hæc eſt anima docta illa quam dicitis, immortalis, perfecta, diuina, poſt Deum principem rerum, & poſt mentes geminas locum obtinens quartum, & affluens ex crateribus viuis? Hic eſt ille pretioſus, & rationibus homo auguſtiſſimis præditus, mundus minor qui dicitur, & totius in ſpeciem ſimilitudinis fabricatus atque formatus: nullo melior, vt apparuit, pecore, obtuſior ligno, ſaxo. Qui neſciat homines, & in mutis ſemper ſolitudinibus degat, idem erit iners, valeat manere quamuis annis viuus innumeris, & numquam nodis corporeis eximatur. Sed cùm ſcholas attigerit, & magiſtrorum fuerit inſtitutionibus eruditus, efficietur prudens, doctus, & quam nuper habuerat, imperitiam ponet. Et aſellus, & bos æquè vſu atque aſſiduitate cogente, diſcit arare ac molere: equus jugum ſubire, & agnoſcere in curriculo flexiones: camelus ſeſe ſubmittere, ſiue cum ſumit onera, ſiue cum ponit: columba manu miſſa [b] reuolare ad Dominicas ſedes: canis cum inuenerit prædam, cohibere & continere latratum: verba pſittacus integrare, & nomina coruus expromere. Sed ego cùm audio neſcio quid præſtans animam dici, Deo vicinum & proximum, ſcientem huc omnia ſuperioribus aduentare de ſæculis: nolo illam diſcere, ſed docere: nec ex docta, vt dicitur, elementariam fieri: ſed retinentem res ſuas corporibus ſemet circumligare terrenis. Niſi enim ſeſe habuerit res ita, diſcerni qui poterit vtrum ne illud quod audit, reminiſcatur, an diſcat? cum multò facilius ſit credere, diſcere illam quod neſciat, quàm oblitam, quod paulò antè ſciebat; & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorum. Et vbi eſt illud quod dicitur, incorporales animas ſubſtantiam non habere? Quod enim nullius eſt corporis, oppoſitione alterius non impeditur, nec poteſt aliquid ſuaderi perdere id, quod non poteſt tactum rei oppoſitæ ſuſtinere. Vt enim numerus in corporibus conſtitutus, quamuis mille corporibus obruatur, intactus & inuiolabilis conſtat; ita neceſſe eſt animas, ſi ſunt, vt perhibetur, incorporeæ, obliuionem priorum nullam pati: quamuis eas ſolidiſſimæ corporum circumligauerint iunctiones. Quid, quod eadem ratio non tantum incorporeas indicat eas non eſſe, verum etiam priuat immortalitate has omni, & ad fines applicat, quibus vita conſueta eſt terminari. Quidquid enim cauſa ingruente nonnulla ita mutatur & vertitur, vt integritatem ſuam retinere non poſſit: id neceſſe eſt iudicari natura eſſe paſſiuum. Quod autem eſt promptum atque expoſitum paſſioni, corruptibile eſſe ipſa paſſibilitate interueniente denunciatur. Ergo, ſi & animæ perdunt omne quod nouerant, corporalibus vinculis occupatæ, patiantur neceſſe eſt aliquid, quod eas efficiat obliuionis inducere cæcitatem. Neque enim nihil omninò perpeſſæ, aut integritatem conſeruantes ſuam, poſſunt rerum ſcientiam ponere, aut in alios habitus ſine ſui mutabilitate tranſire. Atqui nos arbitramur, quod eſt vnum, quod immortale, quod ſimplex, quacumque in re fuerit, neceſſariò ſemper ſuam retinere naturam, nec debere aut poſſe aliquid perpeti, ſi modò eſſe perpetuum cogitat, & in finibus propriæ immortalitatis hærere. Omnis enim paſſio leti atque interitus janua eſt, ad mortem ducens via, & ineuitabilem rebus afferens functionem: quam ſi ſentiunt animæ, & tactui eius atque incurſionibus cedunt; vſu & illis eſt vita non mancipio tradita; quamuis aliter quidam inferant, & rei tantæ fidem ſuis in argumentationibus ponant. Ac ne

a *Quid ſit cubus, aut dynamis.* Sollicitat vir magnus illa verba *Quid ſit Dibus, quid Dymanus ſequi octauus*, ſed omninò nihil mutandum. Eſt enim vox è græcis petita, quales in hoc ſcriptore aliæ multæ, & binionem deſignat. Agathias in epigr. & magnus Scaliger ad Auſonium lib. 1. cap. 19. Deinde pro *Dynamus* reſcribo *Dynamis*, quæ vox ſimiliter græca, & quaternionem ſignificat. Sciendum autem à Pythagoricis inditam hanc appellationem, quia denarium, qui numerus perfectus, conſtituere poſſit. Audi ſuper hac re Hieroclem ad carm. Pyth. Martianus Capella quoque hunc ipſum numerum, *potentiam* alibi nominat, quomodo *dynamin* Arnobius. MEVRSIVS.

a *Quid ſit cubus &c.* De Dibo præter Agathiæ exemplum in anthol. quod Meurſius etiam in critico Arnobiano adfert, nihil quidquam legi. Voluiſſem ſanè, vt ille qui miratur eruditis viris *Dibum* incognitum fuiſſe, exempla aliquot prompſiſſet, vt vim huius vocis pleniùs capere poſſemus. ELMEN.

b *Reuolare ad Dominicas ſedes.* Qui *reuocare* ediderunt, à ſcopo diſceſſiſſe videntur. Melius itaque Gelenius *reuolare*. Quamquam & haud abſurda eorum conjectura qui *reuolgare* reponunt, nam volgare pro volare vſurparunt veteres PRI.

tamen inſtructi non plenius abeamus, ſcire auemus à vobis, quemadmodum dicitis, animas, cum terrenis fuerint corporibus inuolutæ, priorum reminiſcentiam non habere: cum in ipſis corporibus poſitæ, & propè inſenſibiles eorum commixtione perfectæ, pertinaciter & fideliter teneant ea, quæ ante annos plures, ſi velis dicere, vel octoginta, vel hoc amplius, vel fecerint, vel paſſæ ſunt, vel loquutæ ſunt, vel audierunt? Si enim obſtaculo perficitur corporis, ne meminerint eorum, quæ jamdudum, & ante hominem ſciebant, magis eſt vt ea debeant obliviſci, quæ concluſæ in corporibus factitarunt, quàm quæ foris poſitæ, nondum hominibus coniugatæ. Quod enim rebus ingreſſis a priorum repetentiam detrahit, & intra ſe geſta irrecordabili debet obliteratione deperdere. Vna enim cauſa res duas efficere, ac ſibi contrarias non poteſt, vt aliorum memorias ſopiat, alia patiatur actoris in recordationem venire. Quod ſi animæ, quas vocatis, membrorum impediuntur obſtaculo, quo minus artes ſuas antiquas reminiſcantur: in corporibus ipſis quemadmodum conſtitutæ meminerunt & ſciunt animas ſe eſſe, & corporalem ſubſtantiam non habere, immortalitatis conditione mactatas? quem teneant in rebus gradum? quo ſint ordine à Deo patre diſcretæ? ad infima hæc mundi quanam ratione peruenerint? quas ex quibus circulis qualitates, dum in hæc loca labuntur, attraxerint? Quemadmodum, inquam, ſciunt doctiſſimas ſe fuiſſe, & obſtructione corporum amiſiſſe quæ nouerant? Et hoc ipſum enim neſcire debuerant, ſi aliquid eis labis corporalis inuexiſſet adiunctio. Nam ſcire quid fueris, & quid hodie non ſis, non eſt ſignum memoriæ perditæ, ſed comprobatio indiciumque ſeruatæ. Quæ cum ita ſe habeant, deſinite quæſo, deſinite res paruas, atque exigui nominis immanibus pretiis æſtimare. Deſinite hominem proletarius cum ſit, claſſicis, & capite cum cenſeatur, adſcribere ordinibus primis: cum ſit inops, pauper lare, & tugurij pauperis, nec patris clari, tantis cum meritis nuncupare. Cum enim vos oporteret viros recti atque integritatis auctores, typhum & arrogantiam frangere, quorum malis cuncti extollimur, & inanium diſtendimur vanitate: non tantùm accidere mala iſta cenſetis, verùm, quod grauius multò eſt, addidiſtis cauſas, quibus & vitia creſcerent, & inemendabilis nequitia permaneret. Quis eſt enim hominum, b quamuis ille ſit indolis infamia ſemper atque ignominioſa fugientis, qui, cum dici exaudiat, viris ab ſapientibus maximè, immortales animas eſſe, nec fatorum eſſe obnoxias legibus, non in omnia flagitia præceps, ſe ruat, non ſecurus, intrepidus res obeat atque aggrediatur illicitas? non denique omnia ſuis cupiditatibus largiatur, quæ libido impotens juſſerit, impunitatis prætereà etiam libertate munita. Quid enim prohibebit, quò minus hæc faciat? metus ſupernæ poteſtatis, iudiciumque diuinum? Et qui poterit territari formidinis alicuius horrore, cui fuerit perſuaſum, tam ſe eſſe immortalem, quàm ipſum Deum primum? nec ab eo iudicari quidquam de ſe poſſe: cum ſit vna immortalitas in vtroque, nec in alterius altera conditionis poſſit æqualitate vexari. Sed memoratæ apud inferos pœnæ, & ſuppliciorum generibus multiformes? Ecquis erit tam brutus, & rerum conſequentias neſciens, qui animis incorruptibilibus credat, aut tenebras tartareas poſſe aliquid nocere, aut igneos fluuios, aut cœnoſis gurgitibus paludes, aut rotarum volubilium circumactus? Quod enim contiguum non eſt, & ab legibus diſſolutionis tutum eſt, licet omnibus ambiatur flammis torrentium fluminum, voluatur in cœno, ſaxorum imminentium caſibus, & immanium montium operiatur ruinis, illibatum neceſſe eſt permaneat & intactum, neque vllum ſenſum mortiferæ paſſionis aſſumere. Quid quòd iſta perſuaſio non tantùm eſt incitatrix ad vitia, libertate ex ipſa peccandi, verumetiam philoſophiæ ipſius cauſam tollit, & inaniter eam ſuſcipi ſuperuacanei operis difficultate declarat. c Nam ſi verum eſt, animas nullius eſſe participes finis, & cùm omnibus ſæculis æuorum perpetuitate procedere; quid periculi res habet, contemptis prætermiſſiſque virtutibus, quibus eſt contractior atque horridior vita, voluptatibus ſe dare, ac per omnia libidinum genera effrenatum ſpargere immenſæ cupiditatis ardorem? Ne deliciis marceat, & corrumpatur mollitudine vitiorum. Et qua poterit ratione corrumpi id, quod immortale, quod ſemper eſt, & nulli obnoxium paſſioni? Ne ſordeſcat, & polluatur actionum turpium fœditate. Et qui poterit pollui, corporalem quod ſubſtantiam non habet? aut vbi ſedem contaminatio ponere, vbi ſpacium nullum eſt, in quo nota ſe poſſit ipſius contaminationis affigere? Rurſus verò ſi animæ leti adeunt ianuas, Epicuri vt ſententia definitur

a *Priorum repetentiam.* Vocem hanc quæ Lucrerij eſt anteà modo vſurpauerat, vt mox etiam, *priorum reminiſcentiam.* eſt enim *repetentia* ἀνάμνησις, ſiue vt in gloſſ. ἀνάληψις. Pri.

b *Quamuis ille ſit indolis infamia ſemper &c.* Philoſophicè. Nam abſtinent à peccatis nonnulli pœnarum formidine: alij vitia ipſa execrantur, & deteſtantur; alij denique infamiam metuunt, & ſiniſtros de ſe rumores: atque idcireò rebus flagitioſis abſtinent. Hi ſunt teneræ frontis homines, ἐπιεικεῖς καὶ αἰδήμονες, quos improbi ἀπλοῖς atque inertes arbitrantur, quemadmodum contra τοὺς ἀναισχύντους conſtantes, & ἀνδρείους. His igitur verbis deſcribit Arnobius hominem αἰδήμονα. eſt enim αἰδήμων qui metuit τὰ εἰς ἀδοξίας φανερὰ φέρει, vt definit Ariſtoteles, id eſt, qui infamia atque ignominioſa fugit, vt loquitur Arnobius. Her.

c *Nam ſi verum eſt animas nullius eſſe participes finis.* Argumentatur ex conceſſis. Cùm enim ea crederent Chriſtiani, quæ credenda majorum gentium philoſophi docebant, eorum ſententiam hic expendit, docetque poſteà, falſitatem in iis occurrere quæ opponebant Gentiles. De animorum immortalite magnificè diſſeruit Plato, atque in quibuſdam nobiſcum conſentiens eſt eius doctrina, licet in aliis falſa; Epicuri verò doctrina quam modo inſectabitur, non ſolùm falſa, verùm bonis moribus eſt pernicioſa. Pri.

finitur, nec ſic cauſa eſt competens, cur experi philoſophia debeat: etiamſi verum eſt purgari hac animas, atque ab omni puras vitioſitate præſtari. Nam ſi communiter obeunt, & [a] in ipſis corporibus ſenſus eis deperit extinguiturque vitalis; non tantum eſt erroris maximi, verùm ſtolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitus, cohibere in anguſtiis vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines iuſſerint atque inſtigauerint facere, cùm nulla te præmia tanti laboris expectent cùm dies mortis aduenerit, & corporalibus fueris vinculis exolutus. Medietas ergo quædam, & animarum anceps ambiguaque natura, locum philoſophiæ peperit, & cauſam cur appeteretur inuenit: dum periculum ſcilicet ex malis iſte formidat admiſſis: alter concipit ſpes bonas, ſi nihil ſceleris faciat, & cum officio vitam juſtitiaque traducat. Inde eſt quod inter doctos viros, & ingeniorum excellentia præditos, [b] de animarum qualitate certamen eſt: & eas alii dicunt mortali eſſe natura, nec diuinam poſſe ſubſtantiam ſuſtinere: alij verò perpetuas, nec in naturam poſſe degenerare mortalem. Quod iſtud vt fiat, medietatis efficitur lege: quòd & illis argumenta ſunt præſto, quibus eas paſſiuas atque interibiles inuenitur: & his contrà non deſunt, quibus eſſe diuinas immortaleſque monſtratur. Hæc cùm ita ſe habeant, & cùm ab ſummo traditum teneamus auctore, non eſſe animas longè ab hiatibus mortis & faucibus conſtitutas: poſſe tamen longæuas ſummi principis munere ac beneficio fieri, ſi modò illum tentent ac meditentur agnoſcere, eiús enim cognitio fermentum quoddam eſt vitæ, ac rei diſſociabilis glutinum, tum deinde feritate, atque inhumanitate depoſitis, reſumant ingenia mitiora, vt ad illud, quod dabitur, eſſe poſſint paratæ, quid eſt quod à vobis tamquam bruti & ſtolidi iudicemur, ſi propter hos metus liberatori dedimus & mancipauimus nos Deo? Aduerſus ictus noxios, & venenatos colubrarum morſus remedia ſæpè conquirimus, & protegimus nos laminis, [c] Pſyllis, [d] Marſis vendentibus, aliiſque inſtitoribus atque [e] planis: ac ne nobis frigora ſoleſque incommodent rapidi, munimenta domorum ac veſtium ſolicitæ præparamus diligentia cautionis. Mortis nobis cùm proponatur metus, id eſt, animarum interitus, quid non ex communi facimus ſenſu, quo amamus nos omnes, quod eum qui nobis ſpondet tali à periculo liberaturum retinemus, amplectimur animiſque ipſis noſtris, ſi modò iuſta eſt viciſſitudo, præponimus. Vos veſtrarum animarum ſalutem in ipſis vobis reponitis, fieriqne vos Deos veſtro fiditis inteſtinoque conatu: at verò nos nobis nihil de noſtra infirmitate promittimus, naturam intuentes noſtram virium eſſe nullarum, & ab ſuis affectibus in omni rerum contentione ſuperari. Vos cùm primum ſoluti membrorum abieritis è nodis, alas vobis affuturas putatis, quibus ad cælum pergere, atque ad ſidera volare poſſitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in noſtra ducimus eſſe poſitum poteſtate ſedes ſupéras petere, cùm & hoc ipſum habeamus incertum, an vitam accipere mereamur, & ab lege mortalitatis abduci. Vos in aulam Dominicam tamquam in propriam ſedem remeaturos vos ſpontè, nullo prohibente præſumitis: at verò nos iſtud, rerum ſine Domino fieri neque ſperamus poſſe, neque vlli hominum tantùm poteſtati, attribui licentiæque cenſemus. Cum igitur hæc ita ſint, quænam iniuſtitia tanta eſt, vt fatui vobis credulitate in iſta videamur, cum vos & ſimilia credere, & in eadem videamus expectatione verſari? Si irriſione exiſtimamur digni, quòd ſpem nobis huiuſmodi pollicemur, & vos eadem expectat irriſio, qui ſpem vobis immortalitatis adſciſcitis. Si tenetis aliquam ſequiminique rationem, & nobis aliquam portionem ex iſta ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc eſt, viam fugiendæ mortis, Plato in Phædro promiſiſſet, aliuſve ex hoc choro, poſſetque eam præſtare, atque ad finem pollicitationis adducere, conſentaneum fuerat eius ſuſcipere nos cultus, à quo tantum doni expectaremus & muneris. Nunc cùm eam Chriſtus non tantùm promiſerit, verum etiam virtutibus

a *In ipſis corporibus ſenſus eis deperit.* Veterum philoſophorum contra animæ immortalitatem, præcipuum argumentum erat, animas ſenſim cum corporibus langueſcere, minui, ac denique extingui. Fusè de hac re Lucretius lib. 3. de rerum natura. hæc autem argumenta refutantur à Lactantio cap. 12. libri 7. PRI.

b *De animarum qualitate certamen eſt.* Quæſtio hæc de animarum origine & qualitate, ſummos ſemper viros, & ingeniorum excellentia præditos, non leuiter exercitos habuit. Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. dicit originem animæ in terris nullo modo poſſe inueniri. Ipſe Auguſtinus affirmat, multos mortales in hac quæſtione diutinè laboraſſe, & etiam poſteris in quo laborarent, plurimum reliquiſſe: neminem enim adhuc repertum, qui tam dilucidè de anima ſcripſerit, vt nihil amplius ſit quærendum. vide illum tomo 3. de geneſi ad litteram lib. 6. c. 29. lib. 7. c. 1. & lib. 1. Retractat. cap. 1. tom 2. de baptiſ. paruul. & epiſtola 7. ad Marcellum. epiſtola 28. ad Hieronymum. HELMEN.

c *Pſyllis.* Sariſberienſis de nugis curial. lib. 3. cap. 10. *Pſylli ſiquidem Auguſti mandato adhibiti, qui malitiam veneni ſolent linguis educere, eò quod ſerò vocati eſſent, operam ferre non voluerunt.* Adi Ælianum de hiſt animal. lib. 16. cap. 27. & 28. Solinus cap. 30. Papiam in *pſyllis*. Pauſaniam in Bœoticis. Plin. Hiſt. nat. lib. 18. c. 13. Euſtat. in Dionyſium Alex. *Idem.*

d *Marſis.* Martyrolog. vetus ms. in Babila *Marſi incantauerunt ſerpentes, verbis incantationum ſuarum: & conuerſi ſerpentes ſuper ſerpentarios, occiderunt eos.* Firmicus Aſtronom. lib. 8 c. 6. *Marſi erunt, qui peſtiferos angues, ſopitis & mitigatis aculeis opprimant* Idem lib. 4. cap. 7. lib. 8. cap. 17. & 25. Hieronymus tomo 8 de celebrat. Paſchæ. ſcholiaſtes Horatij vetus in epod. 5. Papias in *Marſis*. Adhelmus de virginitate ſeruanda. Gellius lib. 16. c. 11. Auguſtin. tom 3. in pſal. 57. Gloſſ. vetus. Abdias de vitis Apoſtolor. lib. 7. *Idem*

e *Planis.* Rectè Auguſtinus hom. 26. tomo 10. interpretatur *planum* impoſtorem. Lexicon græcolat. vetus: πλάνος Seductor. Gloſſ. Papiæ. *Planus æqualis, aut ſeductor magnus.* Cicero pro Cluentio *hic ille planus improbiſſimus, quæſtu iudiciario paſtus.* Tertull. contra Marcion. lib. 3. cap. 6. *Chriſtum aduerſati perſecutique ſunt, ſed qua ſolummodò hominem, quem planum in ſignis & æmulum in doctrinis æſtimabant. Idem.*

tutibus tantis manifeſtauerit poſſe compleri: quid alienum facimus, aut ſtultitiæ crimen quibus rationibus ſuſtinemus, ſi eius nomini, majeſtatique ſubſternimur, à quo ſperamus vtrumque, & mortem cruciabilem fugere & vitæ æternitate donari? Sed ſi animæ, inquiunt, mortales & qualitatis ſunt mediæ, immortales quemadmodum fieri mediis ex qualitatibus poſſunt? Si nos iſtud neſcire dicamus, ac tantummodò auditum ex potentiore credidiſſe, vbi noſtra videbitur credulitas lapſa, ſi omnipotenti credidimus regi nihil eſſe difficile, nihil arduum? [a] ſi quod impoſſibile nobis eſt factu, illi poſſibile, atque admodum executioni paratum? Eſt enim quod obſtare eius voluntatibus poſſit, aut quod eſſe voluerit non neceſſariò ſequatur vt fiat? An numquid noſtris ex diuiſionibus colligemus, quid aut fieri poſſit, aut non poſſit: nec rationes conſiderabimus noſtras tam eſſe mortales, quàm ſumus nos ipſi, & nullius apud principem nominis? Et tamen ô iſti, qui mediæ qualitatis animas eſſe non creditis, & in medio limite vitæ atque interitus contineri, nonne omnes omninò, quos eſſe opinatio ſuſpicatur, Dij, angeli, dæmones, aut nomine quocumque ſunt alio, qualitatis & ipſi ſunt mediæ, & in ambiguæ ſortis conditione mutabiles? Nam ſi omnes concedimus, [b] vnum eſſe rerum patrem, immortalem atque ingenitum ſolum, nihilque omninò ante illum, quod alicuius vocaminis fuerit, inuenitur: ſequitur vt hi omnes quos opinatio credidit Deos eſſe mortalium, aut ab eo ſint geniti, aut eo iubente prolati. Si ſunt prolati & geniti, & ordinis ſunt poſterioris & temporis: ſi ordinis poſterioris & temporis, ortus neceſſe eſt habeant, & exordia natiuitatis, & vitæ. Quod autem habet introitum, & vitæ incipientis exordium, neceſſariò ſequitur vt habere debeat & occaſum. Sed immortales perhibentur Dij eſſe. Non ergo natura, ſed voluntate Dei patris, ac munere. Quo igitur pacto immortalitas largitoris eſt donum Dei circa prolatos, & animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamuis eas mors ſæua poſſe videatur extinguere, & ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille diuinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens multitudini, in eo ſermone ac libro, cui nomen Timæus inſcribitur, Deos dicit & mundum corruptibiles eſſe natura, neque eſſe omninò diſſolutionis expertes: ſed voluntate Dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri. Quod enim rectè ſit vinctum, & nodis perfectiſſimis colligatum, Dei bonitate ſeruari: neque vllo ab alio, niſi ab eo qui vinxit, & diſſolui, ſi res poſcat, & ſalutari vinctione donari. Ergo ſi res eſt ita, nec aliud conuenit vel exiſtimare vel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis à nobis, cum numinibus ipſis dicat Plato medias eſſe naturas, ſed ad continuam & inocciduam vitam principali beneuolentia ſubrogari? Si enim fortè neſcitis, & anteà vobis incognitum propter rei nouitatem fuit, accipite ſerò, & diſcite ab eo, qui nouit, & protulit in medium Chriſto, non eſſe animas regis maximi filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpiſſe ſe noſſe, atque in ſui nominis eſſentia prædicari, [c] ſed alterum quempiam genitorem his eſſe, dignitatis & potentiæ gradibus ſatis plurimis ab Imperatore dijunctum: eius tamen ex aula & eminentium nobilem ſublimitate natalium. Quòd ſi eſſent, vt fama eſt, dominicæ prolis, & poteſtatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionem defuiſſet virtute perfectiſſima procreatis: vnum omnes intellectum habuiſſent, vnumque conſenſum, aulam ſemper incolerent regiam, nec prætermiſſis beatitudinis ſedibus, in quibus auguſtiſſimas nouerant retinebantque doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebroſis vt corporibus inuolutæ inter pituitas & ſanguinem degerent, inter ſtercoris hos vtres, & [d] ſaccati obſcœniſſimas ſærias. Sed habitari oportuit & has partes, & idcircò huc animas, tamquam in colonias aliquas, Deus omnipotens miſit. [e] Et quid homines proſunt mundo, aut ob rei cuius ſunt neceſſarij cauſam, vt non fruſtrà debuiſſe credantur parte in hac agere, & terreni eſſe corporis inquilini? Ad conſummandam molis huius integritatem, partem aliquam conferunt: & niſi fuerint additi, imperfecta & clauda eſt vniuerſitatis hæc ſumma? Quid ergo? ſi homines non ſint, ab officiis ſuis ceſſabit mundus? viciſſitudines ſuas non peragent ſidera? æſtates atque hiemes non erunt? ventorum flamina conticeſcent? nec ex coactis & pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui neceſſe eſt,

a *Si quod impoßibile nobis eſt factu, illi poßibile.* Sic Tertullianus cap. 3. de carne Chriſti. *Sed Deo nihil impoßibile niſi quod non vult.* & Athenagoras de reſurr. *εἰ δὲ καὶ τὸ δυνατὸν λέγειν βουλητόν, καὶ τῷ Θεῷ βουλητόν, πάντως εἶναι δυνατόν. Non autem dicere*, liceat, *id quod poßibile voluntatium eſſe, & quod Deus vult: omninò eſſe poßibile.* P R I.

b *Vnum eſſe rerum patrem.* Arnobius lib. 1. *Deus pater rerum ac Dominus, conſtitutor, moderatorque cunctorum.* Hæc Arnobius dicit ex antiquorum opinione ſapientum, qui vnum Deum principem ac patrem eſſe cunctorum Deorum & hominum affirmabant. Origenes in Geneſ. Hom. 14 c. 26. Triſmegiſtus apud Suidam &c. E L M E N.

c *Sed alterum quempiam genitorem hic eſſe &c.* Animas ab angelis aut aliis à Deo creatas falſum eſt & inter impia dogmata veterum philoſophorum, hæreticorumque, quos expendit Tertull. cap. 47. de præſcript. & de anima c. 23. Variæ de illa animarum origine opiniones extitere, quibus prætermiſſis in Theologia decernitur animas non extra corpus, nec ex corpore fieri, ſed ex nihilo in corpore. *Idem.*

d *Et ſaccati obſcœnißimas ſærias.* Sumptum è Lucretij penu.

Pueri ſæpe lacum propter, ſe ac dolia curta
Somno deuincti, credunt extollere veſtem
Totius humorem ſaccatum vt corporis fundant.

viri docti rectè capiunt *ſaccatum humorem* pro vrina per corpus quaſi ſacco percolata. Giſanius in indice Decret. Turnebus adn. lib. 15. cap. 14. E L M E N.

e *Et quid homines proſunt mundo.* Mundum non eſſe creatum hominum cauſa, inſanientium Epicureorum & Stoicorum fuit opinio. Lucretius lib. 5. *Idem.*

eſt, cuncta ſuos ire per curſus, nec ab ordinis dati continuatione diſcedere, etiam ſi nomen in mundo nullum hominis audiatur, orbiſque iſte terrarum ſolitudinis vacuæ ſilentio conticeſcat. Quemadmodum ergo jactatur habitatorem debuiſſe regionibus his addi, cùm ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionem redire, omniaque eius ſtudia commoditatem ſemper ſpectare priuatam, nec à finibus propriæ vtilitatis abſcedere? Quid enim prodeſt mundo, vt ab rebus incipiam ſeriis, maximos reges hic eſſe? Quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias atque ampliſſimas poteſtates? Quid rei militaris experientiſſimos duces, capiendarum vrbium peritos? in equeſtribus prælis aut in pedeſtri pugna immobiles atque inuictiſſimos milites? Quid oratores, grammaticos, poëtas? Quid ſcriptores, dialecticos, muſicos? Quid pantomimos, quid mimulos, hiſtriones, cantores: tuba, tibia, calamóque flatantes? Quid curſores, quid pugiles, quadrigarios, deſultores, grallatores, funiambulos, præſtigiatores? Quid cybiarios, ſalinatores, bolonas, vnguentarios, aurifices, aucupes, vannorum ſipiarumque vitores? Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, [a] panchriſtarios, muliones, lenones, lanios, meretrices? Quid inſtitorum alia genera, quid profeſſorum & artium, quibus enumerandis omnis ætas anguſta eſt, rationibus conferunt & conſtitutionibus mundi, vt ſine hominibus condi non potuiſſe credatur, nec obtenturus integritatem ſui, niſi ei conditio animalis miſeri, & ſuperuacui iungeretur? Niſi fortè rex mundi, quod temeritatis eſt maximæ humano ex ore depromere, idcircò ex ſe genitas huc animas miſit, vt quæ fuerant apud ſe deæ, corporei tactus & metariæ circumſcriptionis expertes, humana immergerentur in ſemina, fœminarum ex genitalibus proſilirent, ineptiſſimos ederent continuarentque vagitus, exugerent fellitantes mammas, proluuie linerent & madidarent ſe ſua: tum ad ſilentium pauidæ nutricis motibus, & crepitaculis adducerentur auditis. Idcircò animas miſit, vt quæ fuerant ſimplices, & bonitatis nuper innoxiæ, ſimulare in hominibus diſcerent, diſſimulare, mentiri, circumſcribere, fallere, adulatoria humilitate captare, [b] mente aliud voluere, aliud in facie polliceri: illaqueare, decipere dolis atque inſidiis neſcios, per innumeras artes malitiarum venena conquirere, & ad vſum temporis pellaci mobilitate formare? Idcircò animas miſit, vt in pacata & placita tranquillitate degentes, aſſumerent ex corporibus cauſas, quibus feræ fierent & immanes, ſimultates atque inimicitias gererent, conſererent inter ſe bella, expugnarent atque euerterent ciuitates: ſeruitutis opprimerent & manciparent ſe iugo: & ad vltimum fierent alterius altera poteſtatis natalium conditione mutata? Idcircò animas miſit, vt immemores veritatis effectæ, & quidnam eſſet Deus oblitæ, ſimulacris inertibus ſupplicarent, ligna, æra, & lapides, diuina alloquerentur vt numina, auxilia poſcerent eos cæſorum animantium cruore, nullam ſui facerent mentionem: quinimò ex his aliæ vt dubitarent ſe eſſe, aut vllum eſſe penitus abnegarent? Idcircò animas miſit, vt quæ in ſedibus propriis mente fuerant vna, intellectu & ſcientia paribus, poſtquam formas induere mortales, opinionum diſcriminibus diſſiderent, aliud aliis iuſtum, aliud vtile videretur, & rectum: de appetendis rebus, fugiendiſque certarent, malorum ac bonorum alios aliæ conſtituerent fines: veritatem cupientibus noſcere rerum opponeretur obſcuritas, & velut oculorum luminibus viduæ, nihil certum viderent, & per ancipites ſemitas ſuſpicionum inducerentur errore? Idcircò animas miſit, vt cùm animantia cætera ſponte natis alerentur, & nulla ſatione prolatis, neque domorum aut veſtium tutamina ſibi, aut velamenta conquirerent, miſerabilis iſtis neceſſitas adderetur vt cum impendiis maximis, perpetuiſque ſudoribus domos ſibi conſtruerent, membrorum conficerent tegmina, ſupellectilem variam diurnorum contraherent egeſtati, imbecillitatis auxilia animalibus mutuarentur à mutis, vim facerent terris, vt non ſua ſufficerent gramina, ſed imperatas extollerent fruges, & cum ſanguinem totum in ſubigenda tellure fudiſſent, rubigine, grandine, ſiccitate, ſpem laboris amitterent, & ad vltimum vi famis humanis cadaueribus incubarent: & ab hominum formis tabifica macie diſſociarentur abjunctæ? Idcircò animas miſit, vt quæ ſecum commorantes poſſeſſionis alicujus nullum vnquam habuiſſent amorem, auariſſimæ hic fierent, & in habendi ſtudium inexaturabili pectoris ardeſcerent appetitu: effoderent altos montes, & viſcera ignota terrarum in materias verterent alieni nominis, atque vſus: [c] penetrarent abditas diſcrimine cum capitis

a *Panchriſtarios.* Rectè doctiſſimus Turnebus panchriſtarios appellat, artifices operis dulciarij, aduerſar. lib. 13. c. 14. ELMEN.

b *Mente aliud voluere, aliud in facie polliceri.* Saluſtius in bello Catilin. *aliud clauſum in pectore, aliud promptum in lingua habere.* Firmicus aſtronom. lib. 6. c 18. Hos homines *bilingues* appellarunt Latini. Virgilius l.b. 1. Æneid. *Tyrioſque bilingues.* Firmicus aſtron. lib. 1. c. 1. *Afrorum malitioſa commenta & bilingues animos.* Lactantius de ira Dei, cap. 4. *Hic verò ſi aliud ſenſit, & aliud locutus eſt, quid aliud appellandus eſt, quam deceptor, bilinguis, malus.* Phædrus lib. 2. fab. 15.

Quantum homo bilinguis ſæpè concinnet mali. Idem.

[illegible] cum diſcrimine capitis nationes. Admiranda & laudabilis fuit abſtinentia veterum Chriſtianorum: qui delegato ſibi officio ita fungebantur, vt ferè derelictis omnibus, ad tutelam vitæ pertinentibus, non modò in futurum, ſed ne in diem quidem laborarent: abundè contenti ſorte ſua, quam Deus illis aſſignauerat. Non ſpe prædæ, aut quæſtus cauſa, mare ingrediebantur, nec ex longinquis & diſſitis locis, vitæ cum periculo, lucroſas apportabant merces. Verè cæleſtes mentes vaniſſimum putabant, noctibus & diebus ſe angere habendi ſtudio, periculoſiſſimas ſuſcipere peregrinationes, quo aggregare poſſent theſauri aceruos, quos quamdiu poſſiderent, neſcirent. Hoc pio ſtudio, eò ferè progreſſi ſunt, vt ob negotiatorum impoſturas crebras, fraudes, mendacia, blaſphemias, mercaturam planè damnauerint. *Idem.*

nationeſ, & tranſlatis mercibus caritatem ſemper, vilitatemque captarent: exercerent auidum atque iniuſtiſſimum fœnus, & miſerorum è ſanguine ſupputandis ſe augerent inſomnia nominibus. Poſſeſſionum ſemper producerent fines, & quamuis prouincias totas rus facerent vnum? pro arbore vna, pro ſulco, forum litibus tererent? cum amicis & fratribus inexpiabiles ſuſciperent ſimultates? Idcircò animas miſit, vt quæ dudùm fuerant mites & feritatis affectibus neſciæ commoueri, macella ſibi, & amphitheatra conſtituerent, loca ſanguinis & publicæ impietatis: ex quibus in altero mandi homines cernerent & beſtiarum laniatibus diſſipari: interficere ſe alios nullius ob meriti cauſam, ſed in gratiam voluptatemque ſeſſorum, ipſoſque illos dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, & feſta hilaritate ſacrarent: at in altero verò animalium miſerorum diſcerperent viſcera, alias aliæ raperent, vt canibus mos eſt & vulturiis portiones, ſubigerent dentibus, & crudeliſſimo ventri darent, & in tam ſæuis atque horridis moribus ſortem ſuam flerent, quas ab talibus menſis paupertatis anguſtiæ vindicarent: pro beatis ac felicibus viuerent, quarum ora & faciem tam crudeles polluerent apparatus? Idcircò animas miſit, vt diuini ponderis & grauitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, caſtitatis diſpendio compararent, innecterent his colla; laminas pertunderent aurium, conficiendis quærerent corporibus fucos, imminuerent frontes limbis, [a] fuligine oculos obumbrarent, nec in formis erubeſcerent maſculorum calamiſtris vibrare cæſariem, cutem corporis leuigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis & exponere, & in habitum fœminarum deliciaſque molliri? Idcircò animas miſit, vt viarum aliæ infeſtarent meatus, aliæ circumſcriberent neſcios, teſtamenta ſupponerent falſa, venenatas conficerent potiones, domos vt effringerent noctibus, ſollicitarent, abigerent, præuaricarentur & proderent, ſaporum faſtidia vt excuterent palato, vt in coquendis alitibus pinguitudinem noſſent retinere labentem, vt ſpirulas & botulos facerent, iſicia, [b] catillamenta, [c] lucanica, ſuminatam cum his carnem, & glaciali conditione [d] tuceta? Idcircò animas miſit, vt res ſancti atque auguſtiſſimi nominis ſymphoniacas agerent & fiſtulatorias hic artes, vt inflandis bucculas diſtenderent tibiis, cantionibus vt præirent obſcænis, numeroſos iterarent ſcabillorum concrepationibus ſonores, quibus animarum alia laſciuiens multitudo incompoſitos corporum diſſolueretur in motus, ſaltitaret & cantaret, [e] orbes ſaltatorios verteret, & ad vltimum clunibus & coxendicibus ſubleuatis lumborum criſpitudine fluctuaret? Idcircò animas miſit, vt in maribus exoleti, in fœminis fierent meretrices, ſambuciſtriæ, pſaltriæ, venalia vt proſternerent corpora, vilitatem ſui populo publicarent, in lupanaribus promptæ, in fornicibus obuiæ, nihil pati renuentes, ad oris ſacri comparatæ ſtuprationem? Quid dicitis, ô ſuboles, ac primi progenies numinis? Ergóne ſapientiæ illæ, atque ex cauſis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitudinum, criminum, malitiarumque nouerunt? atque vt exercerent, vt gererent, vt percelebrarent hæc mala, habitare iuſſæ ſunt has partes, & humani corporis circumjectione veſtiri? Et mortalium quiſquam eſt rationis alicuius accipiens ſenſum, qui ordinatum exiſtimet mundum propter has eſſe, ac non potiùs ſedem ac domicilium conſtitutum, in quo omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cuncta conficerent, inſidiæ, fraudes, doli, auaritia, rapinæ, vis, ſcelus, audacia, obſcœnitas, turpitudo, flagitium, mala omnia cætera, quæ in orbe homines toto mente noxia pariunt, & labem machinantur in mutuam? Sed ſua, inquitis, voluntate, non regis iuſſione venerunt. Et vbi pater omnipotens fuit, vbi regiæ ſublimitatis auctoritas, vt eas prohiberet abſcedere, nec in præcipites labi permitteret voluptates? Si enim degeneres futuras locorum immutationibus ſciebat, ſcire autem debuerat cauſarum vt omnium conſtitutor, aut extrinſecus aliquid acceſſurum his eſſe, quod eas faceret obliuiſci ſuæ dignitatis & decoris; milliés, vt ignoſcat óraucrim; vniuerſorum non alius quàm ipſe eſt cauſa: ſiquidem perpeſſus eſt euágandi eas habere ius liberum, quas retenturas non eſſe integritatis ſuæ habitum præuidebat. Atque

ita

a *Fuligine oculos obumbrarent.* Nigrum hîc innuit puluerem, quo oculos collinere ſolebant. vnde Tertullianus de cultu fœm. cap. 5. *oculos fuligine collinunt.* S. Hieronymus ad Furiam, *orbes ſtibio fuliginatos* vocat. Ouid. lib. 3. de arte.

Nec pudor eſt oculos tenui ſignaſſe fauilla
Nec prope te nato lucide Cydne croco.

Plinius lib. 11. cap. 37. *Tanta eſt decoris affectatio, vt tingantur oculi quoque.* Herodianus vt mollitiem Heliogabali & effœminatam affectationem argueret ait ὑπογραφόμενος τοὺς ὀφθαλμοὺς, *oculos ſibi pingebat.* quod de Sardanapalo Athenæus. S. Cyprianus de diſcipl. & habit. Virginum, *Deum videre non poteris, quando oculi tui non ſunt quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit* mitto hîc Clementem Alex. pædagog. lib. 3. c. 2. Ambroſium lib. 1. de Virgin. Baſilium in caput 3. Iſaiæ & alios. P R I.

b *Catillamenta, lucanica.* Legendum, *caſtillamenta, lucanica* Caſtellamenta, Clementi Alexandrino in protrept. planè ſunt πυραμίδες, vt doctè ad Minutium notauit amicus noſter vir ampliſſimus Dn. Iohan. Vvouuerius, illuſtriſſim. Principis Holſatiæ conſiliarius E L M E N.

c *Lucanica.* Gloſſæ: lucanica, *ἀλλᾶντια.* Apicius de re coquin. lib. 4. cap. 2. *cerebella elixa, lucanicas,* Cicero lib. 9. epiſt. fam. epiſt. 16. *Solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis.* Varro lib. 4. de LL. Martial. epigr. 35. lib. 13 Chariſius lib. 1. Inſtit. Gramm. *Idem.*

d *Tuceta.* Nonius; *Tuceta dicuntur eſca regia.* vide ſcholiaſten Perſij in 2. ſat. Papiam in Tuceta. *Idem.*

e *Orbes ſaltatorios verteret.* Tullius oration. in Piſonem illud idem exprobrat. *ne tum quidem cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat.* Chriſtianis verò ſaltatione omni interdictum erat, vt ex antiquis Patribus & concilijs patet: Ac quidem ſaltare prohibitum iiſdem vel in nuptijs can. 53. concilij Laodiceni. S Paulus cap. 13 epiſt. ad Romanos illud vetat, cum ambulandum docet μὴ κώμοις καὶ μέθαις. P R I.

ita perficitur, vt nihil interſit omninò voluntariè venerint, an illius obtemperauerint iuſſioni: cùm non prohibendo quod oportuerat prohiberi, ceſſatione crimen fecerit proprium, & retentionis diſſimulatione permiſerit prius. Sed procul hæc abeat ſcelerata opinionis immanitas, vt Deus credatur omnipotens, magnarum & inuiſibilium rerum ſator & conditor, procreator, tam mobiles animas genuiſſe grauitatis ac ponderis conſtantiæque nullius, in vitia labiles, in peccatorum genera vniuerſa decliues: cumque eas tales atque huiuſmodi ſciret, in corpora ire iuſſiſſe, quorum inductæ carceribus ſub procellis agerent tempeſtatibuſque quotidie fortunæ, & modò turpia facerent, modò paterentur obſcæna: naufragiis, ruinis, incendiorum conflagrationibus vt perirent. Pauperies alias, [a] alias vt mendicitas premeret, vt ferarum paterentur aliæ laniatus, muſcularum aliæ vt interirent veneno, claudæ vt incederent aliæ, vt aliæ lumen amitterent, vt articulis ſederent aliæ colligatis, morbis denique objectarentur vt cunctis, quos infelix & miſeranda mortalitas diuerſarum ſuſtinet dilaceratione pœnarum: tum deinde oblitæ vnius eſſe ſe fontis, vnius genitoris & capitis, germanitatis conuellerent atque abrumperent iura: vrbes ſuas euerterent, popularentur hoſtiliter terras, ſeruos de liberis facerent, inſultarent virginibus, & matrimoniis alienis, odiſſent inuicem ſeſe, aliorum gaudiis & felicitatibus inuiderent: tum deinde ſe omnes maledicerent, carperent, & ſæuorum dentium mordacitate laniarent. Sed procul hæc abeat, vt eadem rurſus frequentiuſque dicamus, tam immanis, & ſcelerata perſuaſio, vt ille ſalus rerum Deus, omnium virtutum caput, benignitatis & columen; atque vt eum laudibus extollamus humanis, ſapientiſſimus, juſtus, pefecta omnia faciens, & integritatis ſuæ conſeruantia manſiones, aut aliquid fecerit claudum, & quod minus eſſet à recto, aut vlli rei fuerit miſeriarum aut diſcriminum cauſa, aut ipſos actus quibus vita tranſigitur & celebratur humana, ordinauerit, juſſerit, & à ſua fluere conſtitutione præceperit. Minora hæc illo ſunt & magnitudinis eius deſtruentia poteſtatem: tantumque eſt longè vt iſtarum auctor rerum eſſe credatur, [b] vt in ſacrilegæ crimen impietatis incurrat quiſquis ab eo conceperit hominem eſſe prognatum, rem infelicem & miſeram, qui eſſe ſe doleat, qui conditionem ſuam deteſtetur & lugeat: qui nulla alia de cauſa ſeſe intelligat procreatum, quàm ne materiam non haberent per quam diffunderent ſe mala, & eſſent miſeri ſemper, quorum cruciatibus paſceretur neſcio qua vis latens, & humanitati aduerſa crudelitas. Sed ſi parens, etiam genitor animarum, inquitis, Deus non eſt, quo auctore progenitæ, & qua ſunt ratione prolatæ? Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis oſtentatione deducta; item confitemur nos iſtud ignorare, neſcire, ſcientiamque tantæ rei non tantùm noſtram ducimus infirmitatem fragilitatemque tranſire, verumetiam poteſtatum quæ in mundo ſunt, omnium, & quæ numina ſe eſſe opinionibus vſurpauere mortalium. Sed quas Dei negamus, cujus ſint debemus oſtendere? Nihil iſtud neceſſariò ſequitur. Non enim [c] ſi negemus muſcas, ſcarabæos, & cimices, nitedulas, curculiones, & tineas omnipotentis eſſe opus regis: ſequaciter poſtulandum à nobis eſt, vt quis ea fecerit, inſtitueritque dicamus. Poſſimus enim nulla çum reprehenſione neſcire, quis & illis originem dederit, & obtinere non eſſe Deo à ſuperiore prolata tam ſuperuacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes, quinimò aliquando & noxia, & neceſſariis importantia læſiones. Conſimiliter hic quoque cùm animas renuamus Dei eſſe principis prolem, non continuò ſequitur, vt explicare debeamus quonam parente ſint editæ, & cauſis cujuſmodi procreatæ. Quis enim nos prohibet, aut vnde enatæ ſint, prodierintque neſcire, aut eas non eſſe Dei progeniem ſcire? Quanam, inquitis, ratione, qua via? Quia omni vero veriſſimum eſt, certoque certiſſimum, nihil rerum à principe, ſicut ſæpius dictum eſt agi, fieri, ſtatui, niſi quod oporteat & conueniat fieri, niſi quod ſit plenum & integrum, & in ſuæ integritatis perfectione finitum. Porrò autem conſpicimus homines, id eſt, animas ipſas, quid enim ſunt homines niſi animæ corporibus illigatæ? ſcæuitate innumerabili vitiorum ipſos ſe indicare non eſſe patricii generis, ſed ex mediocribus familiis procreatos. Namque alios videmus immites, facinoroſos, [d] audaces, temerarios, [e] præcipites, cæcos, fictos, diſſimulatores, mendaces, ſuperbos, arrogantes,

a *Alias vt mendicitas premeret. &c.* Vt præcedentia, item & iſta de animabus dicta. Ego puto tangi illud genus cruciatus, quo mures aut glires, nudo torquendorum pectori imponuntur, ac poſteà pelui integuntur. inde ignem ſuperimpoſitum non ferentes, pectus lancinare incipiunt. Idcircò reſtitutum iri mihi perſuaſi hac ratione, *informorum paterentur aliæ laniatus muſculorum.* forma, deforma, & formida antiquis deſignaſſe, quod nobis calida, teſtis mihi Feſtus non vno loco. STEVV.

b *Vt in ſacrilegæ crimen impietatis incurrat.* Reuera impium eſt, & ſacrilegia cuncta tranſcendit, creationem hominis remouere Deo ab maximo, & inferioribus poteſtatibus, neſcio quibus, tribuere. Si Arnobius leuiter ſaltem libaſſet, quæ ſanctiloquus vir Dei Moyſes diuino ex pectore protulit, nunquam tam horribilem & ſceleratam opinionem mente concipere potuiſſet. ELMEN.

c *Si negemus muſcas, ſcarabæos, & cimices, nitedulas &c.* Nitedula animalculum eſt ignis ad inſtar fulgens. in Gloſſis Papiæ Nitedula eſt λαμπυρὶς, & in aliis gloſſ. λαμπυρὶς cicindela; dictæ ſunt etiam hæ lampyrides πυγολαμπίδες. Solenne verò delirium eſt Marcionis, Valentini, Apellis, & aliorum fanaticorum Deum minuta hæc animalia non creaſſe. Auguſtinus lib. 11. de ciuit. Dei cap. 15. & lib. 12. cap. 25. illud refutat. PRI.

d *Audaces, temerarios &c.* Coaceruat more ſuo plures dictiones, quæ etſi rem vnam & eamdem ſignificare videntur, differunt tamen aliquo modo, & proprietates quaſdam ſingulæ adjunctas habent, quæ non inſunt cæteris. HER.

e *Præcipites.* Iam oſtendimus fontem audaciæ & temeri-

tes, auaros, cupidos, libidinoſos, incōnſtantes, inualidos, & ſua ipſos decreta conſeruare nequeuntes. Quod vtique non eſſent, ſi generoſitas eos aſſereret principalis, & ab rerum capite deſcendentium ducerent honeſtamenta natalium. Sed & boni, dicetis, ſunt in rebus humanis viri, ſapientes, juſti, inculpatis atque emendatiſſimis moribus. Nullam referimus quæſtionem an vlli aliquando fuerint tales, in quibus omninò nihil iſta ipſa, quæ dicitur, deſideraret integritas. Sint licet perhoneſti; fuerintque laudabiles, tenuerint apicem perfectionis ſummum, nec in aliquo lapſu eorum aliquando claudicauerit vita: ſed audire depoſcimus quot ſint aut fuerint numero, vt ex multitudinis magnitudine metiamur, an oppoſitio juſta ſit facta, & an æqualitatis compenſatione librata. Vnus, duo, tres, quatuor, decem, viginti, centum: certè numero definiti, & nominum forſitan comprehenſionibus terminati. At genus humanum non ex bonis pauculis, ſed ex cæteris omnibus æſtimari conuenit, & ponderari. In toto enim pars eſt, non totum in parte: & vniuerſitas applicari. Quid enim ſi hominem dicas, captum membris omnibus, & ejulantem ex cruciatibus aſperis, idcircò eſſe ſanum, quod vnius vnguiculi nullum perpetiatur dolorem? aut eſſe auream terram, quòd in verrucula collis vnius inſint exiguæ miculæ, quibus naſcitur colliquefactis aurum, & admiratio congregatione conquiritur? Qualitatem materiæ vniuerſitas elemēnti probat, non puluiſculi ſlabiles: nec mare continuò dulce eſt, ſi mitioris aquæ guttas alicuius adieceris atque immiſeris numeri: [a] conſumitur enim minuties iſta immenſo, & modo non parui, ſed eſſe [b] nullius exiſtimandum eſt mominis, quod per omnia diffuſum perit. & in magni corporis intercipitur vaſtitate. Vos humano in genere bonos eſſe dicatis viros, qui vt eſſe credantur, comparatio forſitan efficiat peſſimorum? Quinam iſti ſunt? dicite. Philoſophi, credo, qui ſe eſſe ſolos ſapientiſſimos autumant, & vi huius nominis ſupercilium ſuſtulerunt. Nempe illi, qui cum ſuis quotidie cupiditatibus pugnant, & affectus ex animis inſitos proturbare, pellere, pertinaci moliuntur obluctatione virtutum: qui ne in vitia proritari facultatis poſſint alicuius inſtinctu, patrimonia & diuitias fugiunt, & cauſas ſibi afferant lapſus. Quod cùm faciunt & curant, apertiſſimè animas eſſe indicant labiles, & infirmitate ad vitia procliues Noſtra autem ſententia, quod bonum natura eſt, emendari, neque corrigi ſe poſcit: immò ipſum debet quid ſit malum neſcire, ſi generis forma cujuſque in ſua cogitat integritate perſtare: neque enim contrarium inſitum eſſe contrario potis eſt, aut in impari paritas, aut dulcedo in amaritudine contineri. Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere prauitates, [c] is apertiſſimè monſtrat imperfectum, probabilem ſe eſſe quamuis omni conatu & peruicacia contendat. Sed riſui vobis eſt noſtra reſponſio, quòd cùm regias ſuboles eſſe animas abnegemus, non referamus contrà, ex quibus ſint cauſis atque originibus procreatæ. Quod eſt enim criminis genus, aut rei eſſe alicuius ignarum, aut ipſum, quod neſcias, ſine aliqua profiteri diſſimulatione neſcire? Aut vter magis videtur irriſione eſſe digniſſimus vobis, qui ſibi ſcientiam nullam tenebroſæ rei alicuius aſſumit, an ille, qui retur ſe ex ſe apertiſſimè ſcire id, quod humanam tranſiliat notionem, & quod ſit cæcis obſcuritatibus inuolutum? Si penitus ſpectetur rei cuiuſque natura, in ſimili & vos eſtis, quam in nobis reprehenditis, cauſa. Non enim, quia dicitis ab ipſo animas rege deſcendere, ac ſuccedere in hominum formas, exploratum aliquid dicitis, & n luce poſitum manifeſtiſſimæ veritatis. Coniicitis enim, non ſcitis: ſuſpicamini, non tenetis. Nam ſi ſcire eſt illud, quod ipſe tu videris, aut cognoueris animo continere, nihil eorum quæ aſſeritis, poteſtis vos dicere aliquando vidiſſe: id eſt, animas, ſede ab ſupera & regione deſcendere. Suſpicione ergo vtimini, non cognitionis expreſſæ fide. Quid eſt autem ſuſpicio, niſi opinatio rerum incerta, & in nil expoſitum iaculatio mentis illata? Ergo qui ſuſpicatur, non tenet, nec in lumine poſitus cognitionis incedit. Quod ſi verum, & fixum eſt apud rectos & ſapientiſſimos iudices; & iſta veſtra, qua fiditis, pro ignoratione eſt habenda ſuſpicio. Ac ne tamen vobis tantummodò cenſeatis coniecturis vti ac ſuſpicionibus licere, & nos eaſdem poſſumus, quoniam commune eſt quod interrogatis, expromere. Vnde inquitis homines, & ipſorum hominum quid, aut vnde ſunt animæ? Vnde ſunt elephanti, tauri, cerui, muli, aſini? Vnde leones, equi, canes, lupi, pantheræ? eorúmque quæ viuunt, quid aut vnde ſunt animæ? Neque enim fidem res habet, vt Platonico ex illo cratere, quem conficit miſcetque Timæus, aut horum animæ venerint, aut locuſta, mus, ſorex, blatta, rana, centipeda, animata eſſe credantur, & viuere, quia eadem ex elementis ipſis cauſa eſt

illis

ritatis eſſe nimium ingenij feruorem & æſtum, quo abſorpti feruntur homines, ſine vlla rerum conſideratione. Hinc Horatius, vbi hunc morbum deſcribit planè deploratum.

Ingenium velox, audacia perdita: ſermo
Promptus.

Her.

a *Conſumitur enim minuties iſta immenſo.* Id eſt, exiguum illud aquæ fluuiatilis ſtatim in ſalſuginem maris tranſit, neque pro paruitate ſua mare poteſt commutare. Pri.

b *Nullius exiſtimandum eſt mominis.* Momen hic pro momento. quamquam non recuſarem admittere *nominis* quod à nonnullis correctum, idem enim eſt ſenſus, hoc eſt, nullius ponderis ac momenti. *Idem.*

c *Is apertiſſimè monſtrat imperfectum ſe eſſe.* Reſtitutum è lib. ms. *improbabilem ſe eſſe.* tractum nomen à probatoribus operum publicorum, de quibus inſcriptiones veteres, & ſcripta Romanorum millies meminere: & notarunt ea de re inter multos amici ac familiares noſtri, Ianus Gulielmius lib 2. veriſimilium cap. 8. & Franciſcus Modius in ſuis Nouantiquis, epiſtola 39. Item Carrio lib. 2. emendationum cap. 5. Stavv.

illis, atque origo naſcendi. Si ad animalia gignenda, quæ in ſingulis his degunt, inſunt abditæ atque obſcuriſſimæ rationes, a nam & videmus alios ex ſapientibus dicere, b tellurem eſſe hominum matrem, aquam cum ea alios, aërium ſpiritum alios his jungere, ſolem verò nonnullos eſſe horum opificem, & ex ignibus animatos eius vitali agitatione motari, quod ſi & hæc non ſunt, & eſt aliqua res alia, alia cauſa, alia ratio, poteſtas alia denique inauditi nobis atque incogniti nominis, genus quæ hominum finxerit, & rerum conſtitutionibus applicarit, nónne fieri potis eſt, vt exorti homines ita ſint, neç ad Deum primum natiuitatis eorum referatur auctoritas? Quid enim putamus habuiſſe rationis Platonem illum magnum, piè ſanctèque ſapientem, cum hominis fictionem Deo remouit à maximo, & ad minores neſcio quos tranſtulit: cumque eiuſdem noluit ſinceritatis eſſe mixturas humani animarum generis, cujus animam fecerat vniuerſitatis iſtius: quàm quòd hominis fabricam indignam eſſe rebatur Deo, nec rei flaccidæ fictionem magnitudini eius & eminentiæ conuenire? Ergo cum hæc ita ſint, non abſonè neque inaniter credimus, mediæ qualitatis eſſe animas hominum, vtpote ab rebus non principalibus editas, juri ſubiectas mortis, paruarum & labilium virium: perpetuitate donari, ſi ſpem muneris tanti Deum ad principem conferant, cui ſoli poteſtas eſt talia corruptione excluſa largiri. Sed ſtultè iſtud credimus. Quid ad vos? Ineptiſſime, fatue. Vbi vobis nocemus, vel quam vobis facimus aut irrogamus iniuriam, ſi omnipotentem confidimus Deum habiturum eſſe rationem noſtri, cùm abire à corporibus cœperimus, & ab orci faucibus, quemadmodum dicitur, vindicari? Ergóne, inquiet aliquis, ſine Dei voluntate quidquam potis eſt fieri? Conſiderandum eſt nobis ſollicitè, & cura inſpiciendum non parua, ne dum honorare nos Deum tali interrogatione cenſemus, in contrarium labamur nefas, maieſtatis eius eminentiam deſtruentes. Qua ratione, qua cauſa? Quoniam ſi cuncta eius voluntate conficiuntur, nec citra eius nutum quidquam poteſt in rebus vel prouenire, vel cadere, neceſſariò ſequitur vt mala etiam cuncta voluntate eius intelligantur enaſci. Sin autem dicere voluerimus contrà, peſſimorum ab eo reiicientes cauſas, c mali eſſe conſcium, generatoremque nullius: incipient videri, aut eo inuito res peſſimæ fieri, aut, quod ſit immane dixiſſe, neſciente, ignaro, ac neſcio. Rurſus autem d ſi dicere nulla eſſe voluerimus mala, ſicut eſſe nonnullis opinatum & placidum reperimus, reclamabunt cunctæ gentes, vniuerſæque nationes, cruciatus nobis oſtentantes ſuos, & diſcriminum ſpecies multiformes, quibus puncta per ſingula genus vritur, & laceratur humanum. Tum deinde à nobis exquirent, cur mala ſi nulla ſunt, ab operibus vos certis, & facinoribus abſtinetis? Cur non omnia facitis, quæ impatiens iuſſerit atque imperauerit libido? Cur in noxios denique terribilibus pœnas conſtituitis legibus? Nam ſtoliditas inueniri quæ maior poteſt, quàm mala eſſe nulla contendere, & tamquam malos perdere & condemnare peccantes? Quæ cum eſſe conſenſerimus victi, & vniuerſa his ſcatere nominaliter annuerimus humana, conſequetur vt rogitent, cur ergo hæc mala Deus omnipotens non aufert, ſed eſſe perpetitur, & cum omnibus ſæculis pertinaci continuatione procedere? Si intellectus nobis affuerit Dei regis, ac principis, nec per impias vagari ſuſpicionum voluerimus inſanias, reſpondeamus neceſſe eſt, neſcire nos iſta: nec quæ nullis poſſent facultatibus comprehendi, expetiſſe aliquando aut ſtuduiſſe cognoſcere, meliuſque ducentes, quinimò potius, magis in inſcientiæ finibus atque ignorantiæ permanere, quàm ſine Dei dicere nihil fieri voluntate, vt ſimul intelligatur, & malis eum cauſas dare, & miſeriarum eſſe innumerabilium conditorem. Mala ergo, dicetis, vnde ſunt hæc omnia? Ex elementis, inquiunt, & ex eorum inæquabilitate, ſapientes. Quod fieri qui poſſit, vt quæ ſenſum & iudicium non habent, malitioſa eſſe perhibeantur & noxia: aut non ille ſit potiùs malitioſus & noxius qui res peſſimas, & nocentiſſimas futuras in alicuius operis aſſumpſit effectum: eorum eſt, qui aſſerunt, peruidere. Quid ergo nos, vnde? Reſponſionis neceſſitas nulla eſt. Siue enim poſſumus dicere, ſiue minus valemus, nec poſſumus, vtrumque apud nos paruum

a *Nam & videmus alios ex ſapientibus dicere, tellurem eſſe hominum matrem &c.* Incluſa illa particula, *alios*, niſi abundet, atque inutilis ſit, iam ego Arnobij mentem non adſequor. Etſi enim de generatione hominum variæ, ac diſcrepantes philoſophorum fuerint opiniones & affaniæ, in eo tamen ferè omnes conſenſerunt, animam diuinæ particulam auræ deſuper humano corpori datam, eamque ſolutam corporis carcere, eodem reuolaturam. vide quid tentem: *tum alios, aerem ſpiritum his adjungere.* & ne meum hoc ſomnium depures, habe hæc Pacuuij Chryſe: *Mater eſt terra, ea parit corpus, animam æther adjugat.* Adeundus Cenſorinus de die Natali cap. 2. 3. & 13. Nam quæ de vi Solis noſter refert, inde ſcilicet animam hominibus datam, qua regerentur; id ex Chaldæorum opinione quondam credium, ille monſtrabit. STEVV.

b *Tellurem eſſe hominum matrem.* Orpheus γαῖα θεά, μήτηρ μακάρων θνητῶν τ' ἀνθρώπων. Lactant. lib. II. cap. 10. *errantes quidem philoſophi aiunt homines cæteraque animalia ſine vllo artifice orta eſſe de terra, vnde illud Virgilianum eſt:*

Terrea progenies duris caput extulit aruis.
ELMEN.

c *Mali eſſe conſcium generatoremque nullius.* Xyſtus in ſententiis, *mali nullius autor eſt Deus.* Prudentius in hamarty.

Inuentor vitij non eſt Deus, angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.

Hæret Arnobius in diſputatione de natura mali, nec ſe extricare difficili in quæſtione ſatis liquidè poteſt. dupliciter appellatur malum in Sacr. literis, nimirum: *malum culpæ, & pœna malum.* Primi iſtius auctor eſt diabolus, ſecundi Deus. Auguſt. contra Adamantium Manich. cap. 46. & de lib. arb. lib. I. cap. 10. Chryſologus ſerm. 9. Lactantius lib. 4. cap. 6. Gennadius de Eccleſiaſtic. dogmat. cap. 57. *Idem.*

d *Si dicere nulla eſſe voluerimus mala.* Hæc pertinent ad mala pœnæ: de quibus etſi nemo dubitare poterat, quin à Deo leniſſimo patre piis prouenirent ad eorum emendationem & caſtigationem: impiis autem infligerentur, ſicque eorum peccata à iuſtiſſimo iudice punirentur; ecce tamen

uum eſt: nec in magnis ponderibus ducimus, vel ignorare iſtud, vel ſcire: vnum ſolum poſuiſſe contenti, [a] nihil à Deo principe quod ſit nocens atque exitiabile proficiſci. Hoc tenemus, hoc nouimus, in hac vna conſiſtimus cognitionis & ſcientiæ veritate, nihil ab eo fieri, niſi quod ſit omnibus ſalutare, quod dulce, quod amoris & gaudij, lætitiæque pleniſſimum: quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates, quod ſibi quiſque contingere votis omnibus expetat, foriſque ab his eſſe exitiabile ac mortiferum ducat. Cætera quæcumque ſunt alia, quæ in quæſtionibus aſſolent controuerſiiſque verſari, quibus genitoribus orta ſint, vel quibus auctoribus fiant, neque noſſe contendimus, neque inquirere aut veſtigare curamus. Suis omnia relinquimus cauſis, nec ad id quod expetimus, eſſe nobis adiuncta atque applicata iudicamus. Quid eſt enim quod humana ingenia labefactare, diſſoluere ſtudio contradictionis non audeant, quamuis illud, quod infirmare moliuntur, ſit purum, & liquidum, & veritatis obſignatione munitum? Aut quid rurſus aſſerere veriſimilibus argumentis non queunt, quamuis ſit apertiſſimè falſum quamuis euidens manifeſtumque mendacium? Cùm enim ſibi perſuaſerit, quis eſſe aliquid, aut non eſſe, amat quod opinatur aſſerere, & acumine alios anteire, maximè ſi agatur res ſummota, & abdita, & caligine inuoluta naturæ. [b] Mundum quidam ex ſapientibus æſtimant neque eſſe natum, neque vllo eſſe in tempore periturum: immortalem nonnulli, quamuis eum conſcribant eſſe natum & genitum. Tertiis verò collibitum dicere eſt, & eſſe natum, & genitum, & ordinaria neceſſitate periturum. Et cùm ex iſtis opinionibus trinis vnam eſſe neceſſe ſit veram, cunctis tamen argumenta non deſunt, quibus & ſua decreta confirment, & aliorum ſubrumpant & labefaciant ſcita. Eumdem hunc alij elementis ex quatuor tradunt, & pronunciant ſtare, ex geminis alij, ex ſingulis tertii. Sunt qui ex his nullo, ſed indiuidua corpora eius eſſe materiem & primam originem dicant. Cumque ex his vera ſit vna ſententia, aut nulla ex his certa, ſimiliter hic quoque argumenta omnibus præſto ſunt, quibus & ea, quæ dicunt, vera eſſe conſtituant, & redarguant poſitas in aliorum ſententiis falſitates. Sic & Deos nonnulli eſſe abnegant: prorſus [c] dubitare ſe alii an ſint vſpiam dicunt: alii vero exiſtere, neque humana curare: immo alii perhibent, & rebus intereſſe mortalium, & terrenas adminiſtrare rationes. Cum ergo hæc ita ſint, neque aliter fiat, quin ſit vnum ex omnibus verum, pugnant tamen argumentis omnes, neque ſingulis deeſt id, quod probabiliter dicant, ſiue cum ſuas res aſſerunt, ſiue cum alienis opinionibus contradicunt. Non alia, neque abſimili ratione de animarum ab his conditione diſſeritur. Hic enim eas retur & eſſe perpetuas, & ſupereſſe mortalium functioni: ſupereſſe ille non credit, ſed cum ipſis corporibus interire. Alterius verò ſententia eſt, nihil eas continuò perpeti [d] ſed poſt hominem poſitum aliquid eis ad vitam dari; mortalitatis deinde in iura ſuccedere. Et cum omnia nequeant veri eſſe conſortia, ita tamen fortibus & validiſſimis probationibus omnes agunt, vt reperire non poſſis quidnam tibi videatur falſum: quamuis ex omni parte diuerſa dici aſpicias, & rerum contrarietatibus diſſona. Quod vtique non fieret, ſi certum aliquid tenere curioſitas poſſet humana, vel quod videretur inuentum, aliorum omnium comprobaretur aſſenſu. Inaniſſima igitur res eſt, & ſuperuacui operis, tamquam ſcias aliquid promere, aut velle ſcire contendere, quod etſi ſit verum, poſſe videas deſtrui: aut acceptare pro vero id, quod forſitan non ſit, & ex more hallucinantium proferatur. Et meritò res ita eſt. [e] Non enim diuina diuinis, ſed rationibus pendimus & coniectamus humanis: atque, vt fieri meruiſſe quid remur, ita eſſe oportere contendimus. Quid ergo? Nos ſoli ignoramus, neſcimus, quiſnam ſit animarum conditor, quiſnam conſtitutor? quæ cauſa hominem finxerit? mala vnde proruperint? vel cur ea rex ſummus & eſſe patiatur, & confici, neque à rebus propellat humanis? Vos enim horum quicquam exploratum habetis, & cognitum? Si ſuſpicionum exponere volueritis audaciam, poteſtis

in re tam clara, totque ſcripturæ teſtimoniis comprobata, caligat Arnobius, & in hæreticorum illius æui nonnullorum errore verſatur. HER.

a *Nihil à Deo principe quod ſit nocens &c.* In tota hac diſputatione Chriſtianorum leges & dogmata non ſatis callere videtur Arnobius. Cum enim prima ſit & vniuerſalis omnium cauſa Deus, *αἴτιος τῶν ὄντων*, ab ipſo pendent res omnes, & ſub ea cauſa continentur. Si verò quædam ab eo proficiſcantur quæ mala exiſtimentur, malum illud ab eo non prouenit, quamuis arcana voluntate & beneplaciti hæc fieri permittat. PRI.

a *Nihil à Deo principe quod ſit nocens.* Baſilius Magnus homil. *ὅτι οὐκ ἔστιν αἴτιος τῶν κακῶν ὁ θεός.* Theodoretus orat. 5. contra Græcos *περὶ φύσεως ἀνθρώπου.* Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 146. Caſſianus lib. 8. coll. 24. Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulian. Hieronymus tom. 5. in Eſaiam cap. 55. ELMEN.

b *Mundum quidam ex ſapientibus exiſtimant neque eſſe natum.* Heraclitus Epheſius apud Clementem Alex. lib. 6. ſtrom. *κόσμον τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν, οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν· ἀλλ' ἦν ἀεὶ καὶ ἔστιν, καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρα, καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα.* Ariſtoteles apud Lactantium lib. 11. cap. 10. Plinius lib. 1. cap. 1. Iunius Philargyr. in 2. Georg. Plutarchus de placitis philoſophorum lib. 11. cap. 4. Ambroſius lib. 1. Hexameron capit. 3. & 5. ELMEN.

c *Dubitare ſe alij an ſint &c.* Lib. de natura Deorum id agitat Tullius, & Laertius de Protagora. Quæ verò ſequuntur de Epicureis omninò intelligenda ſunt. PRI.

d *Sed poſt hominem poſitum aliquid eis ad vitam dari. &c.* Hæc erat Stoïcorum ſententia. M. Tullius lib. 1. Tuſcul. quæſt. *Stoici autem vſuram nobis largiuntur tamquam cornicibus: diu manſuros aiunt animos: ſemper negant.* ſic autem dicit *hominem ponere*, vt alibi, *hominem exuere.* HER.

e *Non enim diuina diuinis, ſed rationibus pendimus & coniectamus humanis.* Eſt lectio vetus, *commetamur* pro qua Gelenius, *commentamur.* Nolim quidquam temerè mutare. Nam *commetari* fortaſſe dicit Arnobius *ἀρχαίως* pro *commetiri*, metari enim olim pro, metiri. vnde *caſtra metari*, quod interpretantur Græci *διαμετρεῖν χωρίον τῷ στρατοπέδῳ*: & *στρατοπεδεύειν χωρία διαμετρεῖν καὶ ἀποχαράττειν.* *Idem.*

poteſtis explicare ac promere, mundus iſte, qui nos habet, vtrum non ſit genitus, an tempore in aliquo conſtitutus? Si conſtitutus, & factus eſt, quonam operis genete, aut rei cuius ob cauſam, poteſtis inducere, atque expedite rationem? cur non fixus atque immobilis maneat, ſed orbico ſemper circumferatur in motu? ſua ipſe ſe ſponte & voluntate circumagat, an virtutis alicuius impulſionibus torqueatur? locus ipſe ac ſpacium in quo ſitus eſt hac volutatur, quid ſit? infinitus, finitus? inanis, an ſolidus? axis eum ſuſtineat extremis cardinibus nitens; an ipſe ſe potius vi proptia ſufferat, & ſpiritu interiore ſuſpendat? Poteſtis interrogati planum facere, ſcientiſſimeque monſtrare, quid [a] niuem in plumeas ſubaperiat cruſtulas? Quidnam fuerit rationis & cauſæ, vt non ab occiduis partibus dies primus exurgeret, & lucem in oriente finiret? Quemadmodum ſol ipſe vno eodemque contactu tam varias res efficiat, quinimò contrarias? Quid ſit luna, quid ſtellæ? cur vna ſpecie aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus fruſtilla hæc ignea conuenerit, atque oportuerit figurari? alia ex his parua, ampliora & maiora ſint alia? obtuſi hæc luminis, acutioris illa & fulgidæ claritatis? Si præſto eſt quod libuerit ſcire, & in aperto rerum eſt ſcientia conſtituta, ediſſertate nobis & dicite, quibus modis fiant & rationibus pluuiæ? vt in ſuperis partibus, atque in aëris hoc medio ſuſpenſa aqua teneatur, natura res labilis, & ad fluorem ſemper decurſionemque tam prona. Ediſſertate, inquam, & dicite, quid ſit quod grandinem torqueat: quod guttatim faciat pluuiam labi; quod imbres: quod niues plumeas, & fulgora dilatarit: ventus vnde oriatur, & quid ſit: cur temporum viciſſitudines inſtitutæ, cum ſtatui vnum poſſet, & una eſſe ſpecies cæli, nihil vt rerum deſideraret integritas. Quæ eſt cauſa, quæ ratio, vt maria ſalſa ſint aut terrarum hæ dulces, aliæ ſint amaræ vel frigidæ? Quo ex materiæ genere humanorum corporum concreta & ſtabilita ſunt viſcera? vnde oſſa ſolidata? Quid inteſtina, quid venas fiſtulatas, & commeabiles fecerit? Cur cum eſſet vtilius oculis nos illuminare compluribus ad periculum cæcitatis, duorum ſumus anguſtiis applicati? Belluarum & anguium tam infinita atque innumerabilia genera, cujus rei ſunt cauſa vel informata, vel prodita? [b] Quid in mundo faciunt bubones, [c] immuſſuli, buteones? quid alites & volucres cæteræ? Quid formicarum & vermium genera, in varias labes pernicieſque naſcentia? quid pulices? quid impudentes muſcæ, araneæ, ſorices, mures, ſanguiſugæ, tippulæ? Quid ſpinæ, quid ſentes, quid auenæ, quid lolium? quid herbarum, [d] aut fruticum ſuaueolentia naribus, aut triſtitia in odoribus ſemina? Immò, ſi aliquid ſciri, comprehendi aut aliquid ſi poſſe cenſetis, quid ſit triticum dicite, far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, melo, cuminum, [e] porrina, vlpicum, cepe? Non enim ſi fructui vobis ſunt, & ciborum mediis in generibus conſtituta, expeditum aut promptum eſt, quid ſint ſingula, ſcire: cur talibus figurata ſint formis: fuerit neceſſitas aliqua, vt non alios ſapores, alios odores, alios colores, quàm quos habent ſingulæ res, habere debuerint, an & alios potuerint ſumere. Ipſa deinde hæc quid ſint, ſapor dico, vt eſt ſapor, & cetera qualitatum diſtantias quibus ex rationibus ducant. Ex elementis, inquitis, & ex principalibus originibus rerum. Amara ſunt enim elementa, vel dulcia, odoris ſunt alicuius, vel coloris, vt ex eorum conretione credamus partitas eſſe in naſcentibus qualitates, quibus aut ſuauitas naſcitur, aut ſenſibus offenſio comparatur? Cum igitur & vos ipſos tantarum ac tot rerum fugiant origines, fugiant cauſæ, fugiant rationes, neque dicere, neque explanare poſſitis quid ſit aut factum aut quare, aut cur oportuerit non eſſe, verecundiam conuellitis & dilaceratis noſtram, qui quæ nequeunt ſciri, neſcire nos confitemur, neque ea conquirere aut inueſtigare curamus, quæ comprehendi liquidiſſimum eſt non poſſe, quamuis mille per corda ſuſpicio ſe porrigat atque intendat humana. Et ideò Chriſtus licet vobis inuitis Deus, Deus inquam Chriſtus, hoc enim ſæpè dicendum eſt, vt infidelium diſſiliat & dirumpatur auditus, Dei principis juſſione loquens ſub hominis forma, cum mortalium ſciret cæcam eſſe naturam, neque vllam poſſe comprehendere veritatem poſitarum nec antè oculos rerum, pro comperto habere & cognito quidquid ſibi eſſe ſuaſiſſet, & prorſus ſuſpicionibus hæſitare, litigioſas ſerere atque intendere quæſtiones: omnia iſta nos linquere & poſthabère præcepit; neque in res eas, quæ ſint à noſtra pro-
cul

a *Niuem in plumeas ſubaperiat cruſtulas.* Eleganter equidem dictum, & poſteà, *quod imbres ac niues plumeas & Æoli ora dilatarit.* Sed Martialis quoque, de niuibus agens lib. 4. epigr. 3.

Adſpice quam denſum tacitarum vellus aquarum
Decidit in pectus Cæſaris inque ſinus.

Nota *vellus aquarum.* Græci enim veteres niuem periphraſticos appellabant ἐριῶδες ὕδωρ. Euſtathius ad Dionyſij περιηγησιν. τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ αἰνίσσονται οἱ παλαιοὶ φασι, τοῦ σοφοῦ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐνδόντος αὐτοῖς, ὅτε εἶπε, διδόντος χιόνα αὐτοῦ ὡσεὶ ἔριον. MEVR.

b *Quid in mundo faciunt bubones.* Bubones quid in mundo faciant docet nos Baſilius homil. 8 in hexam. ELMEN.

c *Immuſſuli.* Immuſſulum Plinius lib. 10. cap. 8. vulturis pullum interpretatur. Feſtus in *immuſſulus*, vbi vide Scaligerum. *Idem.*

d *Aut fruticum ſuaueolentia naribus, aut triſtia in odoribus.* Vide ſi quid placeat coniectura, *triſtia nidoribus*, nidorem agnoſcit hic noſter in aris ſcio non ſemel, lib. 6. & 7. Apuleius primo de aſino. *In cuius hoſpitio nec fumi, nec nidoris nebulam vererer.* Tertullianus ad vxorem lib. 2. *incipiente menſe, nidore thuris agitabitur.* STEVV.

e *Porrina.* Legunt alij *Inula*. vocamus nunc enulam à græco forte ἑλένιον, Inula verò proritat ſtomachum, & excitat appetitum. duplicis eſt generis, acidæ ſunt aliæ, aliæ amaræ. Plinius lib. 19. cap. 5. Horatius ſatyr. 2. lib. 2. *Atque acidas mauult inulas* --- & eodem lib. ſat. 8. -- *inulas ego primus amaras* -- *monſtraui incoquere.* Porrina verò huic loco magis conuenire videtur. PRI.

cui cognitione dimotæ, infructuoſas immittere cogitationes: ſed quantum fieri potis eſt, ad dominum rerum tota mente, atque animo proficiſci, ſuſtolli ab his locis, atque in eum traducere ſuſpenſas pectoris conuerſiones, memoriam eius habere perpetuam; & licet nulla poſſit imaginatione formari, auras tamen neſcio quas eius ſibi contemplationis affingere. Rebus enim ex omnibus, quæ auguſtæ continet diuinitatis obſcuritas, ſolum eſſe indubitabilem, ſolum verum, & [a] de quo nullus ambigere, niſi amens poſſit & deſperationis inſanæ; quem ſatis ſit ſcire, vt nihil aliud noueris: ſiſque veram & maximam ſcientiam conſequutus, in Deo rerum capite & cognitione defixus. Quid eſt, inquit, vobis inueſtigare, conquirere, quiſnam hominem fecerit? animarum origo quæ ſit? quis malorum excogitauerit cauſas? orbe ſit ſol amplior, [b] an pedis vnius latitudine metiatur? alieno ex lumine, an propiis luceat fulgoribus luna? quæ neque ſcire compendium, neque ignorare detrimentum eſt vllum. Remittite hæc Deo, atque ipſum ſcire concedite, quid, quare, aut vnde ſit: debuerit eſſe, aut non eſſe: ſemper natum ſit aliquid, an ortus primigenios habeat: aboleri conueniat, an reſeruari: exuri, diſſolui, an repetita integritate renouari. Veſtris non eſt rationibus liberum implicare vos talibus, & tam remota ab vtilitate curare. Res veſtra in ancipiti ſita eſt, ſalus dico animarum veſtrarum, & niſi vos applicatis Dei Principis notioni, à corporalibus vinculis exolutos expectat mors ſæua, non repentinam afferens extinctionem, ſed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate conſumens. Neque illud obrepat, aut ſpe vobis aëria blandiatur, quod à ſciolis nonnullis, & plurimum ſibi arrogantibus dicitur: Deo eſſe ſe gnatos, nec fati obnoxios legibus: ſi vitam reſtrictiùs egerint, aulam ſibi eius patere, ac poſt hominis functionem, prohibente ſe nullo, tamquam in ſedem referri patritam: neque quod Magi ſpondent, commendatitias habere ſe preces, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates, vias faciles præbeant ad cælum contendentibus ſubuolare: neque quod Etruria [c] libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine numinibus certis dato, diuinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum. Seruare animas alius, niſi Deus omnipotens non poteſt: nec prætereà quiſquam eſt, qui longæuas facere, perpetuitatis poſſit & ſpiritum ſubrogare, niſi qui immortalis & perpetuus ſolus eſt, & nullius temporis circumſcriptione finitus. Cùm enim Dij omnes, vel quicumque ſunt veri, vel qui eſſe rumore atque opinione dicuntur, immortales & perpetui voluntate eius ſint & beneficij munere; qui fieri potis eſt, vt alij præſtare id quod ipſi ſunt, valeant, cùm alienum id habeant, & majori ex potentia commodatum? Cædat licet hoſtias quantaslibet Etruria; humana ſibi omnia ſapientes negent: Magi cunctas emolliant & commulceant poteſtates: niſi à Domino rerum datum fuerit animis id, quod ratio poſtulat, idque per mandatum, multum poſteà pœnitebit fuiſſe irriſui, cum ad ſenſum cœperit interitionis accedi. Sed ſi, inquiunt, Chriſtus in hoc miſſus à Deo eſt, vt infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid ſecula commeruerunt priora, quæ ante ipſius aduentum mortalitatis conditione conſumpta ſunt? Poteſtis enim ſcire, quid ſit cum eis animis actum priſcorum veterrimorumque mortalium? Subuentum & his an ſit ratione aliqua, conſultum atque prouiſum? Poteſtis, inquam, ſcire id, quod Chriſto potuit docente cognoſci; infinita, an finita ſint ſecula, ex quo in terris eſſe genus hominum cœpit? quando primùm animæ corporibus alligatæ? quis auctor vinctionis iſtius, quinimmò ipſius quiſnam hominis fabricator? quò priorum abſceſſerint animæ? quibus in mundi partibus, aut regionibus fuerint corruptibiles, an contrà? potuerintne accedere ad periculum moriendi, niſi tempore neceſſario conſeruator occurriſſet Chriſtus? Exponite has curas, & incognitas vobis relinquite quæſtiones: miſeratio & illis impertita eſt regia, & æqualiter per omnes diuina beneficia cucurrerunt: conſeruatæ ſunt, liberatæ ſunt, & mortalitatis ſortem conditionemque poſuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, ſi typhus, ſi elatio abeſſet à vobis, iam dudum hoc eo ſcire potuiſtis auctore. Sed ſi generis Chriſtus humani, vt inquitis, conſeruator aduenit, quur omninò [d] non omnes æquali munificentia liberat? Non æqualiter liberat, [e] qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quemquam repellit, aut deſpuit, qui ſublimibus, infimis, ſeruis, fœmininis, pueris, vniformiter poteſtatem veniendi ad ſe facit? Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab iure potandi quiſquam prohibetur, aut pellitur. Si

tibi

a *De quo nullus ambigere niſi amens poßit.* Lactantius lib. 7. cap. 9. *Illos qui nullum omninò Deum eſſe dixerunt, non modo philoſophos, ſed ne homines quidem fuiße dixerim.* Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. ELMENH.

b *An pedis vnius latitudine metiatur.* Theodoretus ſerm. 1. de fide contra Græcos. *ſolem Ἡράκλειτος δὲ ὁ Ἐφέσιος ποδιαῖον ὑπάρχειν εἶναι.* Cicero lib. 4. Academ. quæſt. *Idem.*

c *Libris in Acheronticis.* Sunt quibus placet *Arunticis*, vt monet Canterus. verùm retinenda lectio de Acheronticis, nam de Hetturia mentio fit. Docet verò Seruius ad 8. Æneid. Tagen de ſacris Acheronticis, ritibuſque haruſpiſcum ſcripſiſſe, aut ſaltem id ita vulgo credi. PRI.

d *Non omnes æquali munificentia liberat.* Ambroſius in epiſt. 1 ad Timoth. cap. 2. *vult Deus omnes ſaluos fieri, ſi accedant ad eum. Non enim ſic vult, vt nolentes ſaluentur, ſed vult ipſos ſaluari, ſi ipſi volint: nam vtique qui legem omnibus dedit, nullum excepit à ſalute.* ELMEN.

e *Qui æqualiter omnes vocat.* Sic Tertullianus lib. de patientia cap. 2. *qui florem lucis huius, ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit.* & S. Cyprianus de bono patient. *Super bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oboriri, & cùm imbribus terram rigat, nemo à beneficijs eius excluditur.* PRI.

tibi faſtidium tantum eſt, vt oblati reſpuas beneficium muneris, quinimò ſi tantum ſapientia præuales, vt ea, quæ offeruntur à Chriſto, ludum atque ineptias nomines: quid inuitans in te peccat, cuius ſolæ ſunt hæ partes, vt ſub tui iuris arbitrio fructum ſuæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli eſt, inquit Plato, Deus cauſa, neque alterius voluntas adſcribi poteſt cuiquam rectè, [a] cùm voluntatis libertas in ipſius ſit poſita poteſtate, qui voluit. An numquid orandus es, vt beneficium ſalutis ab Deo digneris accipere, & tibi aſpernanti, fugientique longiſſimè, infundenda in gremium eſt diuinæ beneuolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atque in tuos vſus conuertere? conſulueris tu tibi. Aſpernaris, contemnis, & deſpicis? tu te muneris commoditate priuaueris. Nulli Deus infert neceſſitatem: imperioſa formidine nullum terret. Neque enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt, vt compendii aliquid diſpendiiue patiatur, ſi aut Deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis diſſolutione permiſerit. Immò, inquit, ſi Deus eſt potens, miſericors, conſeruator, conuertat nobis mentes, & inuitos faciat ſuis pollicitationibus credere. Vis ergo eſt iſta, non gratia: nec Dei liberalitas principis, ſed ad vincendi ſtudium, puerilis atque animi contentio. Quid eſt enim tam iniuſtum, quàm repugnantibus, quàm inuitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint & quod refugiant animis? priùs noſcere quàm proſis? & priore detracto, in alienum habitum ſententiamque traducere? Tu qui te verti, & vim deſideras perpeti, vt id quod nolis efficias, atque arripias coactus: cur reſpuis aſſumere voluntate id, quod verſus deſideras atque immutatus efficere? Nolo, inquit, & voluntatem non habeo. Qui ergo criminaris Deum, tamquam tibi deſit? Opem deſideras tibi ferre, cuius dona & munera non tantum aſperneris & fugias, verùm inania verba cognomines, & iocularibus facetiis proſequaris? Chriſtianus ergo ni fuero, ſpem ſalutis habere non potero? Ita eſt, vt ipſe proponis. Partes enim ſalutis dandæ, conferendique animis, quod tribui conuenit, neceſſariumque eſt applicari, ſolus à Deo patre iniunctum habet & traditum, ita ſe habentibus remotis atque interioribus cauſis. Vt enim Dii certi, certas apud vos habent tutelas, licentias, poteſtates, neque eorum ab aliquo id, quod eius non ſit poteſtatis ac licentiæ, poſtulatis: [b] ita vnius pontificium Chriſti eſt, dare animis ſalutem, & ſpiritum perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberum dare poſſe vindemiam, medicinam non poſſe: ſi Cererem fruges, ſi Æſculapium ſanitatem, ſi Neptunum aliud, aliud poſſe Iunonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum, rerum eſſe ſingulos certarum ac ſingularum datores: & hoc neceſſe à nobis eſt, vt debeatis accipere, à nullo animas poſſe vim vitæ atque incolumitatis accipere, niſi ab eo, quem rex ſummus huic muneri officioque præfecit. Hanc omnipotens Imperator eſſe voluit ſalutis viam: hanc vitæ, vt ita dixerim, ianuam. Per hunc ſolum eſt ingreſſus ad lucem, neque aliàs datum eſt vel irrepere, vel inuadere, cæteris omnibus clauſis atque inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus, & ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaueris illas atque inflexeris poteſtates, ad cælum redeunti ne vias claudant atque obſepiant tranſitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, niſi, quod ipſam immortalitatem facit, Chriſto attribuente perceperis, & veram fueris admiſſus ad vitam. Nam quod nobis obiectare conſueſtis, nouellam eſſe religionem noſtram, & ante dies natam propemodum paucos, [c] neque vos potuiſſe antiquam & patriam linquere, & in barbaros ritus peregrinoſque traduci, ratione iſtud intenditur nulla. Quid enim ſi hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquiſſimis ſeculis, [d] quod inuentis frugibus glandes ſpreuerint, & repudiauerint arbuta? [e] Quod corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquam veſtis excogitata eſt textilis, vſu & commoditate ſuccinctior? aut quod ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſſibus inſtitutis, non antiquas adamauerint caſulas, nec ſub rupibus & cauernis præoptauerint vt belluæ permanere? Commune eſt omnibus, & ab ipſis penè incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus vtilia præponere, & quod eſſe conſtiterit pretioſius, lætius, id conſectari & petere; in eoque defigere ſpem

priorum,

a *Cum voluntatis libertas in ipſius ſit poſita poteſtate, qui voluit.* Vid. Auguſtin. tom. 4. ad Simplicianum lib. 2. Iuſtinus Martyr apolog. 1. pro Chriſt. & apolog. 2 & Hieronymus de vita perfecta ad Demetriadem. Prudentius in hamartig. HELMEN.

b *Ita vnius Pontificium Chriſti eſt.* Veram haud dubiè ſcripturam è membranis Pariſienſibus eruit Ludouicus Carrio Iureconſultus, qui & interpretatur Pontificium, licentiam, ſiue poteſtatem; ac teſtimoniis confirmat, primùm Gellij è lib. 1. cap. 15. *Ab eo totius negotium, pontificiumque eſſet.* Item Symmachi è lib. 3. epiſt. 17. *Pontificio,* inquit, *iterati honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudij dediſti.* Subdit idem Carrio conſtitutionem principalem è cod. Theodoſiano, quam tamen inſigni mendo ab eodem liberatam vel ipſam & inuidia non iuerit infician. ſed ipſum vide lib. 1. emendat. cap. 9. STEVV.

c *Neque vos potuiſſe antiquam & patriam linquere & in barbaros ritus. &c.* Nationes religionem ſibi traditam à majoribus pertinaciſſimè tuebantur & defendebant; nec vllis rationibus poterant eò deduci, vt inueteratam patriamque linquerent, & nouos cultus amplecterentur. Cotta apud Ciceronem de nat. deor. lib. 2. vide Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. lib. 2. Lactant. lib. 2. cap. 6. lib. 5. cap. 19. Tertullian. apolog. cap. 6. Iſocrat. 2. orat. ad Nicocl. de regno. Euſebium præparat. Euang. lib. 1. cap. 1. ELMEN.

d *Quod inuentis frugibus glandes ſpreuerint.* Hæc habet à Lucretio. Sic enim ille lib. 5. vbi primorum hominum viuendi rationem deſcribit.

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque. &c.

HER.

e *Quod corticibus contegi. &c.* Prima enim primorum hominum tegumenta è corticibus fuiſſe tradebant; proxima è pellibus: his ſucceſſiſſe veſtem textilem. Lucretius lib. 5. *Idem.*

a *Mater*

ſalutis, & ſalutarium commodorum. Itaque cùm nobis intenditis auerſionem à religione priorum, cauſam conuenit vt inſpiciatis, non factum: nec quid reliquerimus opponere, ſed ſecuti quid ſumus potiſſimùm, contueri. Nam ſi mutare ſententiam culpa eſt vlla, vel crimen, & à veteribus inſtitutis in alias res nouas voluntateſque migrare; criminatio iſta & vos ſpectat; qui toties vitam conſuetudinemque mutaſtis; qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione tranſiſtis. Numquid enim quinque in claſſes habetis populum diſtributum, veſtri olim vt habuere maiores? Numquid magiſtratus per populum creatis? Militaria, vrbana, communia quæ ſint comitia, ſcitis? Seruatis de cælo, aut otioſas facitis obnunciationibus actiones? Cùm paratis bella, ſignum monſtratis ex arce? aut fetialia jura tractatis? Per clarigationem repetitis res captas? aut Martium diſcrimen obeuntes ſpem prælij ſumitis, & ex acuminibus auſpicatis? In poteſtatibus obeundis leges conſeruatis annarias? in donis, in muneribus Cincias? in cohibendis Cenſorias ſumptibus? In penetralibus coliginis perpetuos fouetis focos? Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris Deorum? Cùm in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis? Nubentium crinem cælibari haſta mulcetis? Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem? [a] Matres-familias veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas? [b] potionibus abſtinent vini? affinibus & propinquis oſculari eas jus eſt, vt ſobrias comprobent atque abſtemias ſe eſſe? In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quàm niuei tauros immolare candoris. Nonne iſtum morem religionemque mutaſtis, atque vt rufulos liceret dari Senatus conſtitutum ſanctione? Cum Romulo, Pompilioque regnantibus, percocta planè ac madida concremarentur diis exta, nonne rege ſub Tullio ſemicruda cœpiſtis, & leuiter animata porricere, priſca obſeruatione contempta? Ante aduentum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus ſupplicaretur, & hunc ſimiliter morem, [c] non fraude callidula, & nominum ambiguitate mutaſtis? Cum igitur & vos ipſi modò illos mores, modò illas leges fueritis ſequuti, multaque vel erroribus cognitis, vel animaduerſione meliorum ſint à vobis repudiata, contemta; quid eſt à nobis factum contra ſenſum iudiciumque commune, ſi maiora & certiora delegimus, nec ſumus nos paſſi falſorum religionibus attineri? Sed nouellum nomen eſt noſtrum, & ante dies paucos religio eſt nata, quam ſequimur. Vt interim concedam, id quod nobis objicitur intentionis eſſe non falſæ: quid eſt enim in negociis hominum, quod vel opere corporis & manibus fiat, vel ſolius animi diſciplina & cognitione teneatur, quod non aliquo cœperit tempore, & in vſum exierit experientiamque mortalium? Ede an Philoſophia, Muſica, cæteræque omnes artes, quibus vita eſt, & culta, & expolita communis, cum hominibus natæ ſunt, & non potiùs nuper, quinimò penè paulò antè, agitari, intelligi, celebrarique cœperunt? Antequàm Tages Thuſcus oras contingeret luminis, quiſquam hominum ſciebat, aut eſſe noſcendum, condiſcendumque curabat [d] an fulminum caſibus, aut extorum aliquid ſignificaretur in venis? Quando ſiderum motus, aut ratio cœpta eſt genethliaca ſciri? non poſt Theutin Ægyptium, aut poſt Atlantem, vt quidam ferunt, geſtatorem, bajulum, tibicinem illum ac [e] deſtinam cæli? Sed quid ego hæc parua? ipſi Dij immortales, quorum modò aditis templa, & numina ſuppliciter adoratis, ſicut veſtris literis atque opinionibus traditur, non eſſe, non ſciri ab temporibus cœperunt certis, & impoſitis nominum appellationibus nuncupari? Nam ſi verum eſt ex Saturno atque eius vxore Ioue ſuis cum fratribus procreatum; ante nuptias & partus Opis nuſquam fuerat Iuppiter tam ſupremus, quàm Stygius: nuſquam ſali dominus, nuſquam Iuno quinimò alius nullus, genitoribus duobus exceptis, cæli habitabat in ſedibus: ſed ex eorum concubitu concepti, & nati ſunt, & ſpiritum hauſere vitalem. Certo ergo à tempore Deus eſſe Iupiter cœpit, certo cultus & ſacrificia commereri, certo fratribus in poteſtatibus anteponi. Rurſus verò ſi Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Muſæ, Tyndaridæ Caſtores, ignipotenſque Vulcanus, Ioue patre ſunt proditi, & genitore Saturnio procreati,

a *Matres-familias veſtræ in atrijs operantur domorum.* Mulieres Romanorum ad diligentiam probandam, olim in primore ædium parte omne opus muliebre perficiebant. ELMEN.

b *Potionibus abſtinent vini.* Romæ vini vſu mulieribus interdictum refert Plinius lib. 14. cap. 13. cum Valerio Max. lib. 2. cap. 1. & idem docet Athenæus lib. 10. *οὐδ' ἐξέσται δὲ ἀπελευθέρᾳ γυναικὶ πιεῖν οἶνον.* *apud Romanos vetitum mulieribus erat vinum bibere.* Lactantius lib. 1. cap. 22. narrat hiſtoriam his verbis. *Clodius in eo libro, quem græcè ſcripſit, refert Fauni hanc* (fatuam) *vxorem fuiſſe, quæ quia contra morem decuſque regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrteis à viro vſque ad mortem cæſa.* ſi id per Romanorum annales excuteretur, nullus eſſet finis. PRI.

c *Non fraude callidula, &c.* Romani diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placarunt. Tandem Hercules perſuaſit illis, vt infauſta ſacrificia fauſtis mutarent, & pro humanis capitibus oſcilla, in ſimilitudinem hominis effigiata, offerrent. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 7. Dionyſ. Halicarn. lib. 1. antiq. ELMEN.

d *An Fulminum caſibus, an extorum &c.* Fulmen quia de locis ſuperis torquetur, ſi quid afflauerat, erat oſtentum non leue, & ad iram Deorum leniendam bidental ibi conſecrabatur, vbi fulmen exarſerat. HER.

e *Deſtinam.* Deſtina vox non nimis herclè vſitata, quid tamen deſignet facilè colligere ex iſtis Arnobij: vtitur quoque Corippus lib. 1.

Et Thomas libyca nutantis deſtina terræ.

Braulion in vita Iſidori. *Quem Deus poſt tot defectus, Hiſpaniæ nouiſſimis temporibus ſuſcitans, credo ad reſtaurandæ antiquorum monumenta, ne vſquequaque ruſticitate veteraſceremus, quaſi quamdam appoſuit deſtinam.* MEVR.

procreati, antequam Memoria, quàm Alcmena, Maia, Iuno, Latona, Leda, Dione, tum & Semela. a Dieſpitri factæ ſunt compreſſionibus fœtæ, nuſquam & hi gentium, nec in aliqua parte rerum fuere naturæ; ſed ex conuentu Iouis inſeminati & nati ſunt, & aliquem ſenſum ſui habere cœperunt. Et hi quoque à tempore eſſe cœperunt certo, & in numero numinum, ſacrorum ad cærimonias inuocari. Quod ipſum ſimiliter dicere tranſlatum in Mineruam licebit. Si enim Iouis, vt aſſeueratis, ex cerebro ſine vllius ſeminis emicuit jactu; antequàm eſt Dieſpiter genitus, & in vtero matris corporeæ formam circumſcriptionis accepit, certum eſt vtique Mineruam non fuiſſe, neque rerum in numero, aut vlla eſſe in ſubſtantia computatam. b Sed ex quo capite Iouis enata eſt; & eſſe res cœpit nonnulla in eſſentia conſtituta. Habet ergo primigenios ortus, & à certo cœpta eſt tempore Dea dici, ſacris in ædibus ſtatui, & inuiolabili religione ſanciri. Quod cùm ita ſe habeat; cum de nouitate loquimini religionum noſtrarum, veſtræ vobis in mentem non veniunt; nec curatis inſpicere quando ſint exorti Dij veſtri, quas origines habeant, quas cauſas, vel ex quibus proruperint emicuerintque radicibus. Cuius eſt autem pudoris, quinimò, inuerecundiæ cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poſſint reciprocata viciſſitudine retorqueri? Sed quod agimus nos nouum eſt, quod autem vos, priſcum eſt, & nimiæ vetuſtatis. Et quid iſtud aut vos juuat, aut noſtram cauſam rationemque contritat? Noua res eſt quam gerimus? quandoque & ipſa vetus fiet. Vetus quam vos agitis? ſed temporibus quibus cœpit noua fuit ac repentina. Religionis autem auctoritas non eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere qua die, ſed quid, cœperis, conuenit intueri. c Antè quadringentos annos religio, inquit, veſtra non fuit. Et Dij veſtri non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus iſtud rationibus colligi, aut quibus ſupputationibus poteſt? Non difficilibus, non obſcuris, ſed quas poſſit videre, qui volet, & contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Quis Iouem cum fratribus genuit? genialibus Opis adiunctus Saturnus, vt vos fertis, Cælo atque Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem, atque auum Latini? Saturnus, vt vos iidem veſtris ſcriptis atque auctoribus traditis. Ergo ſi hæc ita ſunt, ſequitur vt Picus & Iupiter germanitatis ſibi ſociati ſint jure, vtpote vno ex ſanguine, vnoque ex ſemine procreati. Conſentaneum eſt ita eſſe quod dicitur. Ab Ioue & Pico quot ſunt generis vſque ad Latinum gradus? trini, vt indicat ſeries. Vultis Faunus, Latinus, & Picus, annis vixerint vicenis atque centenis? vltrà enim negatur poſſe hominis vita produci. Æſtimatio iuſta & liquida eſt. Trecenti ergo ſunt pleni, & ſexaginta poſt hos anni. Res ita eſt, vt indicat ſupputatio. Cuius ſocer Latinus fuit? Æneæ. Genitor is Aſcanii. cuius? Albani oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum eſt annis? quadringentis, & propè bis denis. Ætatis vrbs Roma cuius eſſe in annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut non multùm ab his minus. Ergo ab Ioue, qui frater eſt Pici, quique pater eſt minorum, & reliquorum Deorum, anni ad hæc tempora propè millia duo ſunt, aut pleni, vt largiamur ætati. Quod cùm redargui non poſſit, non tantùm recens nata religio oſtenditur, quam obitis: ſed infantes, & paruulos eſſe ipſos adhuc Deos, quibus tauros atque alias hoſtias cum periculo corruptionis ſuggeritis, quos oportebat adhuc mammis, atque ſtillato lacte nutriri. At religiones veſtræ multis annis præcedunt noſtram, & eò ſunt veriores, quòd vetuſtatis auctoritate munitæ ſunt. Et quid eas prodeſt annis quamplurimis anteire, cùm à certo cœperint tempore? aut ſpatii cuius ſunt millia annorum duo, ſeculorum tantis comparata cum millibus? Ac tamen ne cauſam tam longa prodere diſſimulatione videamur, niſi moleſtum eſt, dicite, omnipotens, & primus Deus nouella vobis videtur res eſſe, & qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones? Eſt ne illo antiquius quicquam? aut quod eum præcedat re, tempore, nomine, poteſt aliquid inueniri? Nonne ſolus ingenitus, immortalis, & perpetuus ſolus eſt? Quis caput ac fons rerum eſt? non ipſe? Cui debet æternitas hoc ipſum, quod nuncupatur æternitas? non ipſi? Infinita vt prodeant ſecula, non ex eius perpetuitate perficitur? indubitabile iſtud & verum. Non ergo quod ſequimur nouum eſt, ſed nos ſerò addidicimus, quidnam ſequi oporteat & colere: aut vbinam conuenire, & ſpem ſalutis affigere, & ſalutaria ſubſidia collocare. Nondum enim affulſerat, qui viam monſtraret,

a *Dieſpitri.* Varro de LL. lib. 4. *Iupiter olim Diouis & Dieſpiter dictus, hoc eſt, aer, & dies pater, à quo Dei dicti qui inde.* ELMEN.

b *Sed ex quo capite Iouis enata eſt &c.* Meis auribus tinnit amplius, *nonnullam in eſſentiam conſtituta.* Feneſtram conjecturæ aperuit manuſcriptus, in quo erat, *eſſentiam.* Præterea amaſſe antiquos accuſatiuum præ ablatiuo doceo alibi, & alias Deo propitio oſtendam. vide notas noſtras ad l. vlt. C. de iure emphyteutico. STEV.

c *Ante quadringentos annos religio, inquit, veſtra non fuit.* Locum vitioſum eſſe non attinet dicere. Nam ex eo quod Arnobius lib. 1. ſcripſit, annos eſſe trecentos, plus minus, ex quo Chriſtiani eſſe cœperint, & in orbe terrarum cenſeri: facile videre eſt in objectione illa pagani, cum inquit, quadringentos in numerorum notis valdè aberratum eſſe. In conſiderationem quoque venire debet, quod ſcriptor hic mox ſubdit, annum vrbis conditæ circiter milleſimum quinquageſimum eſſe, cum hæc ſcriberet: ac duo illa annorum millia, (de quibus ſuprà) inibi reperit ac recenſet. Dum Faſtos Romanorum inſpicio, ac præter ea, quæ calculo hic ſubjicienda ſunt, Diocletiani imperium expendo, ſub quo Arnobium vixiſſe B. Hieronymus, & alij mihi teſtes: comperio in ann. vrbis Romæ conditæ milleſimum quinquageſimum, hoc eſt, conſulatum Anicij Fauſti, & Galli, incidere demum annum Chriſti CCXCVIII. quare reſtituamus apud Arnobium. *Ante CCC. annos religio, &c. Idem.*

ſtraret errantibus, & caligine in altiſſima conſtitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis diſcuteret cæcitatem. Sed cauſa in huiuſmodi vertimur ſoli? Quid? vos [a] Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Iſis eſt nomen, non poſt Piſonem & Gabinium Conſules in numerum veſtrorum retuliſtis Deorum? Quid? Phrygiam matrem, cuius eſſe conditor iudicatur vel Midas, vel Dardanus, non, [b] cùm Hannibal Pœnus res Italas raperet, & terrarum expoſceret principatum, & noſſe, & ſcire cœpiſtis, & memorabili religione ſancire? Sacra Cereris matris, non quod vobis incognita eſſent, adſcita paulò antè, obtentum eſt vt Græca dicantur, nouitatem ipſam teſtificante cognomine? Non doctorum in literis continetur, Apollinis nomen [c] Pompiliana indigitamenta neſcire? Ex quo apparet, & liquidum eſt, & hunc vobis fuiſſe incognitum, poſt autem aliquando cœpiſſe eſſe & notum. Si quis igitur vos interroget, cur eorum numinum, quorum modò fecimus mentionem, tam ſerò ſuſceperitis cultum, reſponſuros vos certum eſt, aut quia illos nuper Deorum eſſe in numero neſciebamus, aut quia illos nuper Deorum eſſe in numero neſciebamus, aut quia nunc ſumus à vatibus moniti, aut quia in rebus aſperrimis beneficiis eorum ſumus auxiliiſque ſeruati. Quod ſi à vobis rectè exiſtimabitis dici, & ex noſtris partibus ratione conſimili exiſtimatote eſſe reſponſum. Religio noſtra nunc nata eſt: [d] nunc enim miſſus aduenit, qui eam nobis oſtenderet, qui in eius induceret veritatem, qui Deus monſtraret quid ſit, qui ad eius nos cultum ab rebus opinabilibus auocaret. Et quid, inquit, eſt viſum Deo regi atque principi, vt ante horas, quemadmodum dicitur, pauculas [e] ſoſpitator ad vos Chriſtus cæli ex arcibus mitteretur? Interrogamus & vos contrà: quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt non ſuis aliquando reddantur menſibus tempora, ſed ſeriùs hiems, ſeriùs æſtas, atque autumnitas fiant? Cur poſt meſſes arefactas, atque extincta frumenta, nonnumquam decidant pluuiæ, quas rebus oportuit incolumibus labi, atque temporis opportunitatibus miniſtrari. Immò illud exquirimus potiùs, cur ſi Herculem oportuit naſci, ſi Æſculapium, Mercurium, Liberum, alioſque nonnullos, qui & conciliis adiungerentur Deorum, & mortalibus aliquid vtilitatis afferrent, tam ſerò à Ioue ſint proditi, vt ſola illos poſteritas ſciret, ſuperiorum verò ignoraret antiquitas? Rationem aliquam fuiſſe dicetis? Ratio ergo & hic fuit, cur non nuper, ſed hodie ſoſpitator noſtri generis aduenirer. Quænam igitur ratio eſt? Non imus inficias neſcire nos. Neque enim promptum eſt cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis ordinauerit res ſuas. Homo animal cæcum, & ipſum ſe neſciens, nullis poteſt rationibus conſequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere. Ipſe rerum cunctarum pater, moderator, & dominus ſcit id ſolus. Nec ſi ego nequiuero cauſas vobis expromere, cur aliquid fiat illo vel hoc modo, continuò ſequitur vt infecta fiant quæ facta ſunt, & amittat res fidem, quæ generibus virtutum tantis & poteſtatum indubitabilis eſſe monſtrata eſt. Tu opponas, & referas, cur tam ſerò emiſſus eſt ſoſpitator? In infinitis perpetuis ſeculis nihil omninò dicendum eſt ſerum. Vbi enim finis, & initium nullum eſt, nihil præmaturum eſt, nihil tardum. Tempus enim à finibus & extremitatibus noſcitur, quæ habere non poteſt ſeries & immoderata continuatio ſæculorum. Quid enim ſi res ipſæ, quibus opem conueniebat ferri, oportunitatem iſtam temporis exigebant? Quid ſi alterius conditionis antiqua, alterius fuere ſequentia? Quid ſi priſcis aliter ſubueniri, aliter debuit poſterioribus conſuli? Nonne literas auditis commemorantes veſtras, fuiſſe homines olim Semideos, Heroas, cum immanibus corporibus atque vaſtis? Non infantes ſub vberibus matrum [f] Stentoreos legitis edidiſſe vagitus, quorum oſſa variis in regionibus eruta, vix repertoribus fecerunt fidem, humanorum reliquias eſſe membrorum? Poteſt ergo fieri, vt tum demum emiſerit Chriſtum Deus omnipotens Deus ſolus, poſtquàm gens hominum fractior, & infirmior cœpit noſtra eſſe natura. Si quod hodie factum eſt, ante millia fieri oportuiſſet annorum, feciſſet iſtud rex ſummus: aut ſi poſt totidem millia id, quod hodie factum eſt, debuiſſet impleri, nihil Deum cogebat neceſſarias temporum non expectare menſuras. Rationibus fixis peraguntur res eius, & quod ſemel decretum eſt fieri, nulla poteſt nouitate mutari. Cùm ergo, inquitis, omnipotenti ſeruitis Deo, & cum habere confiditis ſalutis atque incolumitatis ve-

ſtræ

a *Ægyptiaca numina quibus Serapis atque Iſis eſt nomen.* Tullius lib. 3. de nat. Deorum. *Si dij ſunt illi quos colimus & accepimus, cur non in eodem genere Serapim & Iſim numeremus?* Deorum autem Ægyptiorum illorum turpitudinem damnat atque arguit S. Epiphanius in Ancorato. Lucanus de iis numinibus.

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſim
Semideoſque canes, & ſiſtra iubentia luctus. PRI.

b *Cum Hannibal Pœnus.* Cicero de Haruſp. reſponſ. *Hac igitur vate ſuadente quondam defeſſa Italia bello Punico, atque ab Hannibale vexata, ſacra iſta maioris noſtri aſcita ex Phrygia, Romæ collocauerunt.* ELMEN.

c *Pompiliana Indigitamenta.* Seruius ad lib. 1. Georgic. Indigitamenta interpretatur libros pontificales, qui nomina Deorum, & rationem ipſorum numinum continent. *Idem.*

d *Nunc enim miſſus aduenit.* Hoc eſt Meſſias ſeu Siló de quo Gen. cap. 49. PRI.

e *Soſpitator ad vos Chriſtus.* Soſpitator explicante Lactantio lib. 4. eſt vitæ dator. & in eumdem ſenſum Apuleius lib. de mundo dixit, *Soſpitator quidem, Deus, & genitor eſt omnium. Idem.*

f *Stentoreos legitis edidiſſe vagitos.* Adagium tractum à Stentore Græcorum vocaliſſimo, cuius mentio apud Homerum Iliad. E. & natum ab eo prouerbium, *Stentore clamoſior.* Iuuenalis ſat. 13. *Tu miſer exclamas, vt Stentora vincere poſſis.* Cæterùm quæ de immenſis Heroum corporibus dicuntur, mirum ne de gigantibus accipienda ſunt, de quibus multa Poetæ, & Beroſus lib. 1. De Oreſtis corpore ſub terra inuento, quod cubita ſeptem habuiſſe retulit Herodotus lib. 1. videndus Agellius lib. 3. c. 10. & Homerus. STEV.

ſtræ curam, a cur perſecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum & ſuppliciorum ſubire? Requirimus & nos contrà, cur & vos, cùm tantos & tam innumeros colatis Deos, cumque illis ſedes conſtituatis ſacras, ſimulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges, b acerras omnes turis plenis coniiciatis altaribus, cur non immunes agitis tot diſcriminibus, & procellis, quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicesque fortunæ? Cur, inquam, Dii veſtri ceſſant à vobis auertere tot morborum & valetudinum genera, naufragia, ruinas, incendia, peſtilentias, ſterilitatem, c amiſſionem pignorum, & proſcriptionem bonorum, diſcordias, bella, ſimultates, captiuitates vrbium, & ſublatis ingenuitatibus ſeruitutes? Sed & nobis in huiuſmodi caſibus minimè auxiliatur Deus. Prompta & manifeſta cauſa eſt. Nihil enim eſt nobis promiſſum ad hanc vitam, nec d in carunculæ huius folliculo conſtitutis opis aliquid ſponſum eſt, auxiliique decretum. Quinimò edocti ſumus minas omnes, quæcumque ſunt, parui ducere atque æſtimare fortunæ. Ac ſi quando ingruerit vis quæpiam grauior, qua finem neceſſe ſit conſequi vitæ, eam nec timere, nec fugere, quò faciliùs exui corporalibus poſſimus ex vinculis, & tenebroſam euadere cæcitatem. Itaque iſta, quam dicitis, perſecutionis aſperitas, liberatio noſtra eſt, non perſecutio: nec pœnam vexatio infert, ſed ad lucem libertatis educet. Vt ſi aliquis brutus ac ſtolidus in carcerem hominem datum quæſtionum numquam afficere ſe grauibus atque immanibus exiſtimet pœnis; niſi in ipſum ſæuiat carcerem, materiam eius comminuat atque vrat; tectum, parietem, ianuas, parteſque alias operis renudet, dejiciat, affligat, neſciens hoc facto ei, cui videatur officere, dari ab ſe lucem, & ſceleratam eripi cæcitatem: itidem & vos flammis, exiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis & diu vexatis noſtra, non vitam eripitis nobis, ſed pelliculis releuatis & cutibus vos neſcij: & quantum inſtatis & pergitis in effigies has noſtras ſpecieſque ſæuire, tantum artis & grauibus releuatis nos vinculis, & ad lumen efficitis circumciſis nexibus euolare. Quare homines e abſtinete quæſtionibus vacuis impedire ſpes veſtras: nec, ſi aliter quàm vos putatis, aliquid ſe habet, veſtris potiùs opinionibus credere, quàm rei debetis auguſtæ. Vrgent tempora periculis plena, & exitiabiles imminent pœnæ: confugiamus ad ſalutarem Deum, nec rationem muneris exigamus oblati. Cùm de animarum agitur ſalute, ac de reſpectu noſtri, aliquid & ſine ratione faciendum eſt, vt Epictetum dixiſſe approbat Arrianus. Dubitamus, ambigemus, nec eſſe quod dicitur plenum fidei ſuſpicamur: committamus nos Deo, nec plus apud nos valeat incredulitas noſtra, quàm illius nominis & potentiæ magnitudo: ne dum ipſi nobis argumenta conquirimus, quibus eſſe videatur falſum id, quod eſſe nolimus atque abnutemus verum, obrepat dies extremus, & inimicæ mortis reperiamur in faucibus.

ARNO-

a *Cur perſecutiones patitur perpeti vos.* Pagani cùm viderent Chriſtianos temporalia mala multa ſuſtinere, & diuerſis ſæpiùs miſeriis opprimi, inſultabant innocentiæ probiſſimorum hominum, illiſque dicebant: Si cordi eſtis Deo, cur perpeti patitur vos perſecutiones tam acerbas? ELMEN.

b *Acerras omnes turis plenis conijciatis altarib.* Pro *conſiciatis*, ſcribendum exiſtimo, *conijciatis*: Id eſt, acerras ipſas turis in aras infundatis, nec tantum eminulis digitulis iniiciatis. Nam qui Deos religioſiùs venerari volebant, thus ingerebant aris, & quæcumque alij in cultu deorum mediocriter faciebant, ea omnia ὑπερβαλλικῶς iſti & luxurioſè præſtabant. Hecatombas igitur mactabant, altaria thure cumulabant, vinum largiſſimè effundebant. HER.

c *Amiſſionem pignorum.* Heraldi obſeruationem non ſine aliqua jactantia pronuntiatam, qui liberos intelligit, non video quomodo probarit. Interpretem Tertulliani vrget laceſſitque, quoniam lib. de Idololatria cap. 12. pignora, de parentibus explicat. Pignora propriè de liberis dicuntur; verùm in hoc Tertulliani loco, de eo agitur qui patrem ſepeliendi tempus neglexit, vt ad Chriſtum accederet. PRI.

d *In caruncula huius Folliculo.* Nonius: *Folliculum Lucilius poſuit pro corpore.* Tertull. Apolog. cap. vlt. Adhelinus de virgin. ſeru. Lactant. de opif. Dei cap. 20. Prudentius περὶ ϛεφάνων. ELMEN.

e *Abſtinete quæſtionibus vacuis.* B. Paulus ad Titum ſcribit cauendum ab illis quæſtionibus vanis & friuolis. PRI.

ARNOBII
DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES
LIBER TERTIVS.

[a] IAMDVDVM quidem [b] criminibus his omnibus, maledictionibus potiùs, vt vera dicamus, ab excellentibus parte in hac viris, & veritatem iſtam commeritis noſſe, ſatis planè accuratéque reſponſum eſt: neque apex vllus vllius prætermiſſus eſt quæſtionis, qui non ſit modis mille, & rationibus validiſſimis refutatus. Non eſt igitur neceſſarium parte in hac cauſæ diutiùs immorari. [c] Neque enim res ſtare ſine aſſertoribus non poteſt & religio Chriſtiana: aut eo eſſe comprobabitur vera, ſi adſtipulatores habuerit plurimos, & auctoritatem ab hominibus ſumpſerit. Suis illa contenta eſt viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur: nec ſpoliatur vi ſua, etiamſi nullum habeat vindicem: immò ſi linguæ omnes contrà faciant, contráque nitantur, & ad fidem illius abrogandam conſenſionis vnitæ animoſitate conſpirent. Nunc ad ordinem reuertamur, à quo ſumus neceſſariò paulò antè digreſſi: ne diutiùs interrupta defenſio palmam criminis comprobati calumniatoribus conceſſiſſe dicatur. Subijciunt enim hæc: ſi vobis diuina res cordi eſt, cur alios nobiſcum neque Deos colitis, neque adoratis, nec cum veſtris gentibus communia ſacra miſcetis, & religionum coniungitis ritus? Poſſumus interim dicere, ad cultum diuinitatis obeundum ſatis eſt nobis Deus primus: Deus inquam primus, pater rerum ac dominus, conſtitutor moderatorque cunctorum: in hoc omne, quod colendum eſt, colimus: quod adorari conuenit, adoramus: quod obſequium venerationis expoſcit, venerationibus promeremur. Cùm enim diuinitatis ipſius teneamus caput, à quo ipſa diuinitas diuorum omnium, quicumque ſunt, ducitur, superuacuum putamus perſonas ire per ſingulas: cùm & ipſi, qui ſint & quæ habeant nomina neſciamus: & cuius ſint prætereà numeri, neque liquidum, neque comprehenſum, neque exploratum habere poſſumus. Atque vt in terreſtribus regnis neceſſitate nulla compellimur, regalibus in familiis conſtitutos [d] nominatim cum Principibus adorare, ſed in regum ipſorum cultu, quidquid illis annexum eſt, tacita & ſe ſentit honorificentia comprehendi: non alia ratione quicumque hi Dii ſunt, quos eſſe nobis proponitis: ſi ſint progenies regia, & principali oriuntur è capite, etiam ſi nullos accipiant nominatim à nobis cultus, intelligunt ſe tamen honorari communiter cum ſuo rege, atque in illius venerationibus contineri. Et hoc quidem à nobis fuerit ità prolatum, ſi modò liquet & conſtat præter ipſum regem & principem eſſe alia etiamnum capita, quæ digeſta & ſeparata per numerum, velut [e] quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant. Neque nobis in ædibus ſacris effigies pro Diis, & illa ſimulacra velitis oſtendere: [f] quæ intelligitis vos quoque, at recuſatis & renuitis confiteri, viliſſimi eſſe formas luti, & fabrorum figmenta puerilia. At cum de re loquimur diuina vobiſcum, hoc vt oſtendatis expoſcimus, eſſe Deos alios natura, vi, nomine: non in ſimulacris propoſitos, quos videmus, ſed in ea ſubſtantia, in qua conueniat æſtimari tanti eſſe nominis oportere virtutem. Sed conſilium non eſt parte in hac cauſæ diutiùs immorari, ne lites maximas concitare, ac tumultuoſa conſerere videamur velle certamina. Sit iſta, vt prædicatis, plebs numinum, ſint deorum

a *Iamdudum quidem criminibus his omnibus.* Crimina appellat accuſationes, quæ ſine maledictionibus & conuiciis ſtare poſſunt. Quoniam igitur gentium criminationes non erant ſimplices & nudæ accuſationes, ſed omni acerbitatis felle tinctæ; idcircò addit, *maledictionibus potiùs.* Similia ſunt Origenis iſta contra Celſum lib. 3: ἤρχει μὲν οὖν καὶ ταῦτα πρὸς τὰς Κέλσου λοιδορίας μᾶλλον ἢ κατηγορίας. HER.

b *Criminibus his omnibus, maledictionibus potiùs.* A crimine maximè differt maledicendi pruritus, quo in Chriſtianos ardebant Ethnici. illam autem differentiam egregiè oſtendit Tullius orat. pro M. Cœlio, ſtatim ab initio. *Sed aliud eſt*, inquit, *maledicere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teſte confirmet: maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ ſi petulantiùs iactatur, conuicium; ſi facetiùs, vrbanitas nominatur.* Non igitur crimen hærebat vllum in Chriſtianis, verùm ſola maledictione obruebantur. PRI.

c *Neque enim ſtare ſine aſſertoribus non poteſt.* Stare, hoc loco ſignificat permanere & perdurare, vt apud Virgilium lib. 4. Æneid.

Et benè apud memores veteris ſtat gratia facti.

Sueton. in Saluio Othone. cap. 5. & vetus interpres lib. Eccleſ. cap. 40. *fides in ſeculum ſtabit.* ELMEN.

d *Nominatim cum principibus adorare.* Imperatores & Principes olim adorati: Mamertinus Geneth. ad Maximinum *Qualem pietas veſtra ſpectaculum dedit, cum in Mediolanenſi palatio, qui ſacros vultus adoraturi erant, conſpecti eſtis ambo, & conſuetudinem ſimplicis adorationis, gemmato numine repente turbaſtis.* Nazianz. orat. 1. in Iulian. Chriſtiani, vt par fuit, hunc honorem ſoli Deo tribuerunt. Iuſtinus martyr apolog. 2. pro Chriſt. *Idem.*

e *Quemdam populum plebeiæ multitudinis.* Deos minorum gentium intelligit θεοὺς συγκλήτους Luciani. PRI.

f *Quæ intelligitis vos quoque. &c.* Auxi orationem ex præſcripto membraneo: *& recuſatis, & renuitis confiteri.* Iterùm eadem pagina. *adſtipulamur, adquieſcimus*, duobus ſynonimis adſtruo tertium *conniuemus*: earumdem membranarum periculo, non meo. STEVV

rum innumeræ gentilitates: adſtipulamur, acquieſcimus, conniuemus, nec in aliqua quæſtione dubitabile iſtud, ambiguumque configimus. Illud tamen à vobis audire expoſcimus & rogamus, vnde vobis compertum eſt, vel quibus rationibus comprehenſum, hinc Dii ſint in cælo, quos eſſe exiſtimatis & colitis; an neſcio qui alii, opinionis & nominis inauditi? Poteſt enim fieri, vt hi ſint, quos eſſe non remini; & quos eſſe confiditis, in nulla inueniantur parte naturæ. Neque enim cæli aliquando ſubuolaſtis ad ſidera, ſingulorum facies atque ora vidiſtis: & quos eſſe memineritis illic Deos, eoſdem hic colere, tamquam notos inſtituiſtis ac viſos. Sed & illud rurſus deſideramus audire à vobis, impoſitáne habeant hæc nomina, quibus eos vocatis, an ipſi hæc ſibi diebus impoſuerint luſtricis? Si diuina hæc ſunt & cæleſtia nomina, quis detulit ad vos ea? Sin autem à vobis appoſitas appellationes has habent, quemadmodum potuiſtis vocabula his dare, quos neque videbatis aliquando, neque quales, aut qui eſſent in vlla cognitione noratis? Sed vt vultis & creditis, atque vt vobis perſuaſum eſt, hi Dij ſint: nominibus appellentur his etiam, quibus eos populares cenſeri popularis vulgaritas ducit: vnde tamen vobis ſcire, quot nominis huius cenſum compleant, etſi ſint aliqui vobis in cognitionem, in vſum aliquando notitiamque perlati? Neque enim ſciri eſt facile, definita & certa ſit eorum numeri multitudo: an ſine vlla populoſitas ſumma ſit, nec computationis alicuius rationibus terminata. Fingamus enim [a] vos Deos mille percolere, vel millia potiùs quinque: at in rerum natura [b] poteſt forſitan fieri, vt Deorum millia centum ſint; poteſt vt hoc amplius; immò, quod diximus paulò antè, poteſt Deorum ſumma eſſe nulla, nec numerabili circumſcriptione finita. Aut igitur & vos impij, qui præter Deos paucos reliquorum officia non obitis: aut ſi vobis veniam cæterorum ignorantiæ poſtularis, eamdem & nobis conciliabitis veniam, ſi pro parte conſimili eorum religionibus abſtinemus, quos eſſe omninò neſcimus. Et tamen, ne nos quiſquam peruicaciter arbitretur [c] ſacramenta nolle ſuſcipere cæterorum, quæcumque ſunt, numinum: deuotas etenim mentes & manus protendimus ſupplices, neque aſpernamur, quocumque inuitaueritis, accedere: ſi modò diſcamus quinam iſti ſint diui, quos nobis ingeritis, & quos par ſit adiungi ſummi regis ac principis venerationi. Saturnus, inquit, & Ianus, & Minerua, Iuno, Apollo, Venus, Triptolemus, Hercules, Æſculapius, & cæteri, quibus magnificas ædes cunctis penè in vrbibus religioſa conſecrauit antiquitas. Inuitare nos forſitan ad iſtorum numinum potuiſſetis cultum, ſi non ipſi vos primi opinionum turpium fœditate talia de illis confingereris, quæ non modò illorum polluerent dignitatem, ſed minimè illos eſſe qualitatibus comprobaretis adiunctis. Adduci enim primum hoc vt credamus non poſſumus, immortalem illam præſtantiſſimamque naturam diuiſam eſſe per ſexus, & eſſe partem vnam mares, partem eſſe alteram fœminas. Quem quidem locum plenè jamdudum homines pectoris viui, tam Romanis literis explicauere, quàm Græcis: & ante omnes [d] Tullius Romani diſertiſſimus generis, nullam veritus impietatis inuidiam, ingenuè, conſtanter, & liberè, quid ſuper tali opinatione ſentiret, pietate cum maiore monſtrauit. A quo ſi res ſumere iudicij veritate conſcriptas, non verborum luculentias pergeretis: perorata eſſet & hæc cauſa: nec ſecundas vt dicitur actiones nobis ab infantibus poſtularet. Sed quid aucupia verborum, ſplendoremque ſermonis peti ab hoc dicam, cùm ſciam eſſe non paucos, qui auerſentur & fugiant libros de hoc eius; nec in aurem velint admittere lectionem opinionum ſuarum præſumpta vincentem? cumque alios audiam muſſitare indignanter, & dicere: oportere ſtatui per Senatum, aboleantur vt hæc ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas? Quinimò ſi fiditis exploratum vos dicere quicquam de Diis veſtris, erroris conuincite Ciceronem, temeraria & impia dictitare refellitote, redarguite, comprobate. Nam intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt Deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere. Ac ne tamen & nobis inconſideratus aliquis calumniam moueat, tamquam Deum quem colimus, marem eſſe credamus, ea ſcilicet cauſa, quòd eum, cùm loquimur, pronunciamus genere maſculino: intelligat non ſexum, ſed vſu, & familiaritate ſermonis appellationem eius, & ſignificantiam promi. Non enim Deus mas eſt, ſed nomen eius generis maſculini eſt: quod idem vos dicere religione in veſtra non quitis. Nam [e] conſueſtis in precibus, ſiue tu Deus es, ſiue Dea, dicere: quæ dubitationis exceptio dare vos diis

ſexum

a *Vos Deos mille percolere, vel millia potiùs quinque.* Tertullianus ſub finem cap 14. apolog. *& Romanus Cynicus Varro Trecentos Ioues, ſiue Iupitres dicendum, ſine capitibus introducit.* Per trecentos Ioues, ibi intelligit quod hic Arnobius, nempè millenos & ampliùs qui nec dij eſſent, neque vllo conſtarent egregio facinore. PRI.

b *Poteſt forſitan fieri, vt deorum millia centum ſint.* De infinito illo deorum numero alio loco diximus, vide quæ ad Tertulliani apologeticum. Nullius rei apud Gentiles vilior erat annona quàm deorum, quod hîc irridet auctor. *Idem.*

c *Sacramenta nolle ſuſcipere.* Aptè vtitur verbo militiæ. Vegetius l.b. 2. cap. 3. *Feſtinant militia ſacramenta ſuſcipere.* Gloſſæ; ſacramentum, ὅρκος στρατιωτικός. ELMEN.

d *Tullius Romani diſertiſſimus generis.* Catullus:

Diſertiſſime Romuli nepotum
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli.

Seneca epiſt. 118. *Non faciam quod Cicero vir diſertiſſimus facere Atticum iubet.* Hieronym. quæſt. hebr. ſuper Geneſim. *Tullius rex oratorum & latina lingua illuſtrator. Idem.*

e *Conſueſtis in precibus, ſiue tu Deus &c.* Paganos omnes deos vel deas confusè in ſacris inuocaſſe, docet vir magnus Barnabas Briſſonius I. Ctus, in opere docto & laborioſo de formulis & ſolennibus populi Rom. verbis lib. 1. *Idem.*

ſexum dijunctione ex ipſa declarat. Adduci ergo non poſſumus, vt corpora credamus Deum, [a] Nam neceſſe eſt corpora, ſi ſunt mares ac fœminæ, in ſignificatu eſſe è generum diſtinctione. Quis enim vel exigui ſenſus neſcit terrenorum ab illo animantium conditore non alia de cauſa generis diuerſi ſexus inſtitutos eſſe atque formatos; niſi vt per coïtus & connubia corporum res caduca & labilis, ſucceſſionis perpetuæ innouatione duraret? Quid ergo? dicemus Deos procreare? Deos naſci? & idcircò his additas genitalium membrorum partes, vt ſufficere prolem poſſent, & noua quaque ſuboriente fœtura; quidquid prior ætas abſtuliſſet, [b] recidiua ſubſtitutio ſubrogaret? Ergo ſi hæc ita ſunt, id eſt, ſi Dij procreant ſuperi, & ſi per has leges experiuntur ſe ſexus, ſuntque immortales, nec frigoribus fiunt ſenectutis effœti, ſequitur vt debeant plena eſſe Diis omnia, neque innumeros cælos eorum capere multitudinem poſſe: ſiquidem & ipſi perpetuò generant, & per ſuboles ſubolum multiplicata ſemper innumerabilitas ampliatur; aut ſi obſcœnitas coëundi, ita vt decet, ab Diis abeſt, quæ cauſa ratioque monſtrabitur, cur inſigniti ſint his locis, quibus ſexus ſe ſolent libidinum propriarum admonitionibus recognoſcere? Neque enim veri eſt ſimile haberi hæc fruſtrà, aut improuidam in illis ſuaue ludere voluiſſe naturam, vt eos his partibus aggeraret, quibus vtendum non eſt. Vt enim ad vſus certos, manus, pedes, oculi, cæteraque conſtructio membrorum ſua quæque in officia conſtituta eſt, ita conuenit credere in ſui muneris functionem has eſſe partes comparatas: aut confidendum eſt in Deorum corporibus eſſe aliquid vacuum, quod ſit fruſtra atque inaniter fabricatum. Quid dicitis ô ſancti atque impolluti Antiſtites religionum? Habent ergo Dij ſexus, & genitalium membrorum circumferunt fœditates, quas etiam ex oribus verecundis infame eſt ſuis appellationibus promere? Quid ergo iam ſupereſt, niſi vt eos credamus immundorum quadrupedum ritu, in libidinum furias geſtire; cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones, & ad poſtremum fractis diſſolutiſque corporibus, voluptatis eneruatione langueſcere? Et quoniam quædam ſunt fœminarum generis propria, ſequitur vt eas quoque credamus circumactis perſoluere ſuas menſibus leges: faſtidioſos ducere atque habere conceptus, aboriri, perferre, & præpropero partu ſeptimanas edere aliquando fœturas. O pura, ô ſancta, atque ab omni turpitudinis labe diſparata atque abjuncta diuinitas! Auet animus, atque ardet [c] in chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cæli Deos Deaſque conſpicere intectis corporibus atque nudis, ab Iaccho [d] Cererem, muſa vt prædicat Lucretij, mammoſam, Helleſpontiacum Priapum inter deas virgines atque matres circumferentem res illas, præliorum ſemper in expeditione paratas. Auet, inquam, videre deas grauidas, deas fœtas, gliſcentibuſque per dies aluis [e] inteſtini ponderis moroſitate cunctari, parturire alias tractu longo, & manus obſtetricias quærere: alias telis grauibus, & dolorum acuminibus fixas eiulare, torqueri, & inter hæc omnia ſuppetias Iunonis implorare Lucinæ. Nonne multò eſt rectius maledicere, conuitiari, atque alia ingerere Diis probra, quàm obtentu pio talia de his monſtra opinionum indignitate præſumere? Et audetis adſcribere cauſam nobis offenſionis Deorum, cùm ſi iudicatio fiat certiſſima, in vobis reperiatur hæc eſſe, & in contumelia, quam opinamini, ſtare? Nam ſi Dij, vt dicitis, afficiuntur ira, & animorum indignationibus incaleſcunt: cur eos non putemus ægrè atque acerrimè ſuſtinere, dari ſibi à vobis ſexus, quibus canes porcique formati ſunt? & cùm ita credatis, non aliter ſe fingi, & ignominioſa cum oſtentatione proponi? Ergo cùm hæc ita ſint, miſeriarum omnium cauſa vos eſtis, vos Deos impellitis, vos excitatis infeſtare omnibus malis terras, & noua quæque quotidie ſtruere, quibus vlciſci ſe poſſint tot à vobis iniuriis & maledictionibus exaſperati. Maledictionibus, inquam, & iniuriis, quas partim fabulis turpibus, partim opinionibus indecoris, quas veſtri Theologi, quas Poetæ, quas ipſi vos quoque ignominioſis celebratis in ritibus, res perditas inuenietis humanas, & abjeciſſe cla-

uium

a *Nam neceſſe eſt corpora, ſi ſunt mares ac fœminæ.* Nihil mutandum exiſtimo. Hoc enim dicere videtur Arnobius; Nam neceſſe eſt, ſi ſunt dij mares & fœminæ, deorum eſſe corpora, hinc ſignificata & demonſtrata, quia conſtituuntur diuerſa deorum genera, ſiue diuerſi ſexus. Probat autem hanc conſequutionem: quia diuerſi ſexus animalia, à Deo idcircò condita ſunt, vt corpora, quorum indiuidua labuntur & pereunt, in genere conſeruarentur. Her.

b *Recidiua ſubſtitutio ſubrogaret.* Quid iis in mentem eſſet neſcio, qui lectionem iſtam mutare voluerunt. Quid enim dici poterat elegantiùs aut expreſſiùs? Sic recidiuum annum appellat Tertullianus παλινδρομον, quem ἐνιαυτὸν Græci ideò dicunt. *Idem.*

c *In Chalcidicis illis magnis:* Arnobius lib. 4. *Scribuntur dij veſtri in tricliniis cæleſtibus, atque in Chalcidicis aureis cœnitare.* Auſonius periocha lib. 21. Odyſſ.

Chalcidicum greſſu nutrix ſuperabat anili;

Vitruuius de Architectura lib. 5. c. 1. Hyginus fabula 184. & κτήματα χαλκιδικοι apud Euſthatium in Dionyſ. ad illum verſum αὐτὸν ἀπ' ἐκ ςαίων. Feſtus in *Chalcidicum;* Elm.

d *Cererem mammoſam.* Lucretius lib. 4.

At gemina & mammoſa Ceres eſt ipſa ab Iaccho:

Arnobius lib. 7. *Ceres mammis cum grandibus.* *Idem.*

e *Inteſtini ponderis moroſitate* Inteſtinum pondus Arnobius appellat fœtum nondum in lucem prolatum. Ouid. lib. 10. Metam. & 1. Faſtor. *Onus vteri.* Apuleius lib. 10. Metam. *ſarcinam pregnationis.* Tertullian. lib. 1. ad vxorem cap. 5. *vteri ſarcinam.* Prudent Cathemer. *alui pondus.* Donatus in Terent. Adelph. actu 1. ſcen. 4. *Pondus vteri.* Quintil. declam. 6. *vteri pondus.* Arnobius lib. 4. Lucretius lib. 4. Ouid. lib. 2. Faſtor. *Idem.*

e *Inteſtini ponderis moroſitate cunctari.* Iis quæ diligenter in hunc locum adduxit Elmenhorſtius, addam; Ouidium Heroidum epiſt. 11. qui, pondus, &, onus, vocat:

Iamque tumeſcebant vitiati pondera ventris
Ægraque furtiuum membra grauabat onus.

& non multo poſt.

Vt penitus noſtris (hoc te celauimus vnum)
Viſceribus creſcens excuteretur onus.

Plautus quoque dixit in milite glor. *onus.* Quod & S. Hieronymus de obitu Bleſillæ, vbi liberos *onera* vocat. mitto Sidonium Apollinarem lib. 4. epiſt. 21. quem Auitus lib. 6. iiſdemmet verbis ſequitur.

Semina quæ patris fuerant; hæc pondera matris; Pri.

uum Deos, ſi modò illorum curam ſpectat, mortalium regere atque adminiſtrare fortunas. Nam nobis quidem cur iraſcantur, non habent: quos vident & ſentiunt, neque ſe colere, neque deridere, quod dicitur, & honeſtiùs quàm vos multò de ſui nominis dignitate exiſtimare, credere. De ſexu hactenus. Nunc ad ſpeciem veniamus & formas, quibus eſſe deſcriptos Deos ſuperos creditis: quibus immo formatis, & templorum ampliſſimis collocatis in ſedibus. Neque quiſquam Iudaicas in hoc loco nobis opponat & Sadducæi generis fabulas, tamquam [a] formas tribuant atque os Deo. Hoc enim putatur in eorum literis dici, & vt vel re certa, atque auctoritate firmari: quæ aut nihil ad nos attinent, nec ex aliqua portione quicquam habent commune nobiſcum: [b] aut ſi ſunt, vt creditur, ſociæ, quærendi ſunt vobis altioris intelligentiæ doctores, per quos poſſitis addiſcere, quibus modis conueniat literarum illarum nubes, atque inuolucra relaxare. Noſtra de hoc ſententia talis eſt: naturam omnem diuinam, quæ neque eſſe cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum ſit aliquando ventura, [c] liniamentis carere corporeis, neque vllas formarum effigies poſſidere, quibus extima circumſcriptio membrorum ſolet coagmenta finire. Quidquid enim tale eſt, mortale eſſe arbitramur & labile: nec obtinere perpetuam poſſe credimus æuitatem, quod extremis coërcitum finibus neceſſaria circumcludit extremitas. At verò vos Deos parum eſt formarum quòd amplectimini menſione, filo & adterminatis humano; & quod indignius multò eſt, terrenorum corporum circumcæſura finitis. Quid ergo? dicemus caput Deos geſtare tereti rotunditate collectum, retinaculis neruorum dorſo illigatum ac pectori, & ad ceruicum neceſſarias flexiones conſertionibus verticum, atque oſſea ſubſtructione fulciri? Quod ſi accipiamus vt verum ſit, aures etiam ſequitur vt habeant curuis pertere-bratas amfractibus: oculorum orbiculos mobiles, ſuperciliorum marginibus obumbratos ſuſpenſum imbricem natium, munctionibus mucculentis & ſpiritali commeabilem tractui: ſubactionibus ciborum [d] dentes trini generis, atque in officia trina compoſitos: manus miniſtras operum, articulis, digitis, & cubitorum mobilitate tractabiles: corporibus ſuſtinendis pedes, explicandis greſſibus, & ſuggerendis anticipationibus itionum. Quod ſi ea, quæ prompta ſunt, conſentaneum eſt & illa portari, quæ ſub coſtis, earumque ſub cratibus cutes contegunt, atque omentorum membranulæ, gurguliones, ventriculos, lienes, pulmones, veſiculas, jecora, inteſtinorum volubilium tractus, & per omnia viſcera commeantes purpurei ſanguinis venas, cum arteriis ſpiritalibus coniugatas. An numquid cœleſtium corpora fœditatibus his carent? & quoniam cibis mortalibus abſtinent, [e] edentulos eos eſſe paruulorum credendum eſt ritu? & viduatos interioribus cunctis, tamquam vtres ſufflatos, turgidorum corporum inanitate pendere? Quid, quòd ſi hæc ita ſunt, erit vobis neceſſarium contueri, ſimileſne ſint Dii omnes, an formarum diſpari circumſcriptione teneantur? Si enim par cunctis, atque vna eſt omnibus ſimilitudinis ſpecies, non abſurdum eſt credere errare eos, fallique cognitionis in mutuæ comprehenſione. Sin autem gerunt diſcrimen in vultibus, ſequitur vt intelligi debeat, non alia de cauſa diſſimilitudines his datas, niſi vt ſinguli ſe poſſent differentium ſignorum proprietatibus noſcitare. Ergo eſſe dicendum eſt quoſdam capitones, ſilunculos, frontones, labeones? in his alios mentones, næuios, atque naſicas: hos diſploſis naribus, illos reſimis: nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione ſaccibucces: [f] nanos, longos, medios, macilentos, pingues, craſſos: hos capillorum intortionibus criſpulos, caluitiis alios & glabritatibus raſos: neque opinari nos falsò, veſtræ & produnt atque indicant officinæ. Siquidem cùm facitis atque informatis Deos, hos crinitos effingitis, alios leues, ſenes, iuuenes, pueros, aquilos, cæſios, rauos, ſeminudos, intectos, aut, ne frigus incommodet, fluidarum veſtium ſuperjectione perfuſos. Quiſquamne eſt hominum rationis alicuius ſapore contactus, qui pilos & lanugines credat in Deorum corporibus naſci? qui annorum in illis ineſſe diſcrimina? qui & per varias tegminum atque amictuum formas veſtitos hos ire, atque ab æſtibus ſeſe frigoribuſ-

que

a *Formas tribuant atque os Deo.* Anthropomorphitarum non autem Sadducæorum eſt impium hoc dogma. Deum membris conſtare delirauit etiam Epicurus, de quo Tullius lib. 1. de nat. Deorum. P r i.

b *Aut ſi ſunt, vt creditur, ſociæ.* Locus habet belliſſimè. Si literæ Iudæorum, inquit, creduntur ſociæ, id eſt, nobis etiam communes, vt quod in iis dicitur etiam ad nos pertinere videatur, ſuperuacuæ ſunt igitur & inutiles quæ proponuntur hîc conlecturæ. H e r.

c *Liniamentis carere corporeis.* Gennadius de eccleſiaſticis dogm. cap. 9. *Nihil incorporeum & inuiſibile natura credendum, niſi ſolum Deum.* Auguſtin. de ciuitate Dei lib. 4. c. 27. *Verus Deus nec ſexum habet, nec ætatem, nec definita corporis membra.* Euſebius præpatat. Eccleſ. lib. 8. cap. 2. Cæſarius dial. 3. Theodoretus contra Græcos ſerm. 5 de nat. hom. Auguſtinus de definitionibus orthodoxis cap. 9 de ſpeculo cap. 23 Origenes in Geneſ. lib. 1. cap. 1. E l m e n.

d *Dentes trini generis.* Auctor de anatomia viuorum apud Galenum tom. 7. Plinius lib. 11. cap. 37. D. Clemens recogn. lib. 8. Cæſarius dialog. 3. Lactantius de Opificio Dei. cap. 10. Cicero lib. 2. de nat. deor. Ariſtoteles de animalib. lib. 3. cap. 1. *Idem.*

e *Edentulos.* Gloſſæ *edentulus*, νωδός. Pollux lib. 2. cap. 21. ὁ δ' μὴ ἔχων ὀδόντας, νωδὸς, ὡς Δίφιλος λέγει. [illegible]. Nonius; *edentulum quaſi ſine dentibus dici placuit.* Statius Cæcilius.

Tu ne amare audes edentule, & capularis ſenex,

Plautus Caſina act. 4. *vt properarem &c.*

Propter illius operam improbi, hirqui, edentuli.

Tertull. de reſurr. cap. 45. *Idem.*

f *Nanos, medios, longos.* De media & militari ſtatura, & altera eminenti, nos abundè in commentario ad Vegetium lib. 1. Nanos pro pumilionibus Laberium vſurpaſſe, auctor Agellius lib. 16 cap. 7. Apud eumdem lib 19 c 13. diſceptari video an id vocabulum latinum. Feſtus. *Nanum,* inquit, *Græci vas aquarium dicunt, humile & concauum, quod vulgò vocant ſitulum barbatum: vnde nani pumiliones appellantur.* S t e v v.

que tutari? Quod qui habet verum, & hoc neceſſe eſt tamquam verum accipiat, eſſe Deos fullones, eſſe tonſores: qui vel ſacras eluant veſtes, vel capillos imminuant ſylueſcentium crinium velleribus inuolutos. Itáne iſtud non turpe, non impietatis & contumeliæ plenum eſt, moribundi & caduci animantis liniamenta Diis dare? inſignire his partibus, quas enumerare, quas perſequi probus audeat nemo, nec ſine ſummæ fœditatis horrore, mentis imaginatione concipere? Hoccine eſt illud faſtidium veſtrum, ſapientia hæc arrogans, [a] qua deſpuitis nos vt rudes, atque omnem ſcientiam remini rerum vobis diuinarum patere? Ægyptiorum ridetis ænigmata, quòd mutorum animantium formas diuinis inſeruerint cauſis, eaſdemque quòd ſpecies multo ture accipiant, & reliquo cæremoniarum paratu: vos effigies hominum, tamquam Deorum veneramini poteſtates, nec pudet his ora terreni animalis imponere; erroris alios & ſtultitiæ condemnare, & in erroris eiuſdem ſimilitudine ac vitio deprehendi. Niſi fortè dicetis, alias quidem eſſe Diis formas, ſed honoris & dicis cauſa ſpecies vos eis accommodauiſſe mortalium. Quod maioris multò eſt contumeliæ, quàm erroris aliquid ignoratione feciſſe. Nam ſi vos fateremini id, quod veſtra ſuſpicio crediſſet, formamentis adtribuiſſe diuinis, minus erat iniuriæ præſumpta in opinatione peccaſſe. Nunc verò, cùm aliud creditis, & aliud fingitis, & in eos eſtis contumelioſi, quibus id attribuitis, quod eós confitemini non eſſe: & irreligioſi eſſe monſtramini, cum id adoratis quod fingitis, non quod in re eſſe, ipſaque in veritate eſt, cenſetis. [b] Si aſelluli, canes, porci, humanum aliquid ſaperent, fingendique haberent artes, iidemque nos vellent cultu aliquo proſequi, & ſtatuarum conſecrationibus honorare, quantas nobis iratum flammas, indignationum quos turbines concitarent, ſi ſuorum corporum formas noſtra vellent portare atque obtinere ſimulacra? Quantas, inquam, irarum flammas ſuffunderent, excitarent, ſi vrbis conditor Romulus aſinina ſtaret in facie, ſi ſanctus Pompilius in canina, ſi porcina ſub ſpecie nomen eſſet Catonis, aut Marci Ciceronis inſcriptum? Ita ergo ſtoliditatem veſtram non rideri, ſi rident, veſtris aut numinibus remini? aut, quoniam cenſeris affici eos ira, non inſanire, non furere, neque pro iniuriis & contumeliis tantis vltum ire ſe velle, iaculari que in vos ea, quæ dolor ſuetus eſt iacere; & offenſionis acerbitas comminiſci? Quantò fuerat rectius elephantorum his formas, pantherarum, aut tigridum, taurorum, equorumque donare? Nam quid in homine pulchrum eſt, quid quæſo admirabile, vel decorum, [c] niſi quod & elurino cum pecore neſcio quis auctor voluit eſſe commune? Sed ſi vobis, inquiunt, noſtra opinatio diſplicet, vos demonſtrate, vos dicite, qua ſit Deus præditus forma. Si veram vultis audire ſententiam, aut nullam habet Deus formam: aut ſi informatus eſt aliqua, ea quæ ſit, profectò neſcimus. Neque enim quod vidimus numquam, neſcire eſſe ducimus turpe: aut eá re prohibemur aliorum ſententias refutare, quia ſuper hoc noſtram nullam ipſi ſententiam promimus. Vt enim ſi vitreus eſſe dicatur mundus, ſi argenteus, ferreus, vel ex fragili, conglobatus & fabricatus teſta, non dubitemus falſum eſſe contendere, quamuis quæ ſit eius materia neſciamus: ita cùm de ſpecie agatur Dei, quam perhibetis conuincimus non eſſe, etiamſi quæ ſit minus poſſumus explicare. Quid ergo, inquiet aliquis, non audit Deus? non loquitur? non ante ſe poſitas res videt? non intuetur? Suo forſitan genere, non noſtro. Neque enim veri aliquid ſcire tanta in re poſſumus, aut ſuſpicionibus indagare: quas eſſe apud nos liquet inſtabiles, lubricas, & vanorum ſimilitudines ſomniorum. Si enim dixerimus iiſdem illum rationibus videre, quibus & nos videmus, ſequitur vt intelligi debeat ſuperjectas populis eum habere membranulas, conniuere, nictare, radiis aut imaginibus cernere, aut quod oculis commune eſt omnibus, ſine alterius luminis commixtione nihil omninò conſpicere. Quod ipſum ſimiliter de auditu, ac de eloquij forma, & verborum prolatione dicendum eſt. Si per aures audiat, eas quoque habere flexuoſis tramitibus perforatas, quà irrepere vox poſſit ſenſum nunciatura ſermonis: aut ſi verba ore funduntur, labia habere cum dentibus, quorum inflictu & mobilitate [d] multiiuga lingua ſonos articulet, & vocem in verba conformet. Si noſtri animi motum non recuſatis audire, tantum abeſt, vt nos Deo corporalia liniamenta tribuamus, vt animorum etiam decora, ipſaſque virtutes quibus eminere vix conceſſum eſt paucis, tantæ rei vereamur adſcribere. Quis enim Deum dixerit

a *Qua deſpuitis nos vt rudes.* Vulgare erat gentilium conuicium quo Chriſtianos impetebant, eos nempè rudes & imperitos vocitabant. Chriſtianorum ſocietatem aiebant coaleſcere, vt loquitur Minutius in Octauio, ex hominibus *de vltima face, collectis imperitioribus, & mulieribus credulis.* Neque enim ſecularis literaturæ, iuxta Tertullianum cap. 18. de ſpectaculis, pompam affectabant, quam Dionyſius Areopagita epiſt. ad Titum περὶ τερατολογίαν nominat, hoc eſt verborum monſtra. Ignorantiam illam objecit Iulianus Auguſtus apud Nazianzenum orat. 1. Nihil magis tritum, videndus Origenes contra Celſum lib 3. Tatianus, Theodoretus ſerm. 8. vbi Chriſtianos nec diuites aut eruditos, ſed ſimplices, & pleroſque artifices ait, Ex illa ſimplicitate & ſecularium ſtudiorũ neglectu ei promanarunt quæ habes apud Minutium in Octau. *Latebroſa &* *lucifugax natio, in publ cum muta, in angulis garrula.* PRI.

b *Si aſelluli, canes, porci &c.* Hæc expreſſa videntur è Xenophanis Colophonij verſibus, qui leguntur apud Clementem Alex. ſtrom. lib. 5. & Theodoretum contra Græcos orat. 3. ELMEN.

c *Niſi quòd & elurino cum pecore neſcio quis auctor &c.* Auctor ille eſt Ennius, cuius ad verſum hunc reſpicit,

Simia quam ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Nam, *elura* eſt πίθηκος, hoc eſt, ſimia. PRI.

d *Multiiuga lingua ſonos articulet.* Adfirmare auſim vernaculum eſſe, *multiuges lingua ſonos*, ad eam faciem alia inſuper corrigere tentaui, nullo negotio approbaturos confidens, qui ſtylum Arnobianum altiùs paulò imbiberint, hoc eſt, modum quo in conſtructione vocum ſolens vtitur, obſeruarunt. STEVV.

xerit fortem, conſtantem, frugi, ſapientem? quis probum? quis ſobrium? quis immò aliquid noſſe? quis intelligere? quis prouidere? quis ad fines officiorum certos actionum ſuarum decreta dirigentem? Humana ſunt hæc bona, & ex oppoſitione vitiorum exiſtimationem meruerunt habere laudabilem. Quis eſt autem tam obtuſi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum eſſe dicat magnum? aut ideò nominis maieſtate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum tranſilit & corrumpitur ſenſum: nec habet propriæ ſignificationis notam, quod noſtris dicitur verbis, atque ad negocia humana compoſitis. Vnus eſt hominis intellectus de Dei natura certiſſimus, ſi ſcias & ſentias, nihil de illo poſſe mortali oratione depromi. Et hæc verò prima eſt veſtrorum numinum contumelia, quam de formis, & ſexibus boni ſcilicet vindices, & religioſi conſtituiſtis auctores. Illud verò, quod ſequitur, quale eſt, quòd Deos nobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulœdos, venatores, paſtores, & quod ſupererat, ruſticos? Ille, inquit, muſicus Deus eſt: & hic alter [a] diuinus eſt. Cæteri enim Dij non ſunt, & ventura prædicere inſcitia neſciunt, atque ignorantia futurorum. Obſtetriciis ille informatus artibus, medicorum alius inſtitutus eſt diſciplinis. Ergóne ſinguli ſua in re pollent, nec in auxilium vocati alienis poſſunt in partibus ſubuenire? Hic in ſermone facundus eſt, atque in verborum continuationibus promptus: bardi enim ſunt alij, nec poſſunt aliquid ſcitum, ſi oratio facienda eſt, eloqui. At rogo, quæ ratio eſt, quæ tam dura neceſſitas, quæ cauſa, vt artificia hæc ſuperi tamquam [b] viles nouerint atque habeant ſellularij? In cælo enim cantatur & pſallitur, vt interualla & numeros vocum nouem conferant ſcitulæ ac modulentur ſorores? Sunt in ſidereis motibus ſiluæ, ſunt luſtra, ſunt nemora, [c] vt venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana? Imminentia Dij neſciunt, & ſortibus viuunt, agitanturque fatalibus, vt quid cuique craſtinus dies ferat aut hora, Latonius explicet atque aperiat vates? ipſe alio impletur Deo, & vi numinis premitur exagitaturque maioris, vt meritò dicatur habeaturque diuinus? Corripiuntur Dii morbis, & vulnerari, vexari aliqua ex re poſſunt? vt, cùm exegerit ratio, auxiliator ſubueniat Epidaurius? Parturiunt, pariunt, vt difficiles puerperiorum tricas Iuno mulceat, corripiatque Lucina? Rem ruſticam tractant, aut curant militaria munera, vt flammipotens Vulcanus fabricetur his enſes, aut ruris ferramenta procudat? Veſtis indigent tegmine, vt virgo Tritonia curioſè iis ſtamen neat; & qualitate pro temporis, aut trilices tunicas, aut de ſerico & ſine onere imponat? Accuſant, & diluunt crimina, vt Atlantea progenies eloquii primas ferat ſtudioſa exercitatione quæſiti? Erras, inquitis, & falleris: non enim ipſi opifices Dii ſunt, ſed ingeniis hominum ſubiiciunt has artes, atque vt vita ſit inſtructior, tradunt ſcienda mortalibus. Sed qui aliquam ſubiicit ignaro ac neſcio diſciplinam, ſolertemque hunc efficere nonnullius operis ſcientia contendit, ſciat ipſe neceſſe eſt primus id, quod alterum docere conſtituit. Neque enim traditor alicuius eſſe ſcientiæ potis eſt, vt non eius quod tradit præcepta habeat cognita, & rationem teneat exercitatiſſimè comprehenſam. Dij ergo ſunto artifices, primi ſunto: ſiue quòd, ipſi vt dicitis, ſubdunt ſcientiam mentibus: ſiue quod immortales & geniti numquam, genus omne terrenum vetuſtate temporis antecedunt. Hoc eſt ergo quod quæritur, cùm ſit nullus apud ſuperos artibus his locus, neque vſus illorum, neque natura depoſcat ingenioſum aliquid, aut ſellularium ſcire; cur eſſe dicatis in aliis alios perceptionibus gnarures, & habere ſolertias, in quibus ſinguli emineant, ſcientiarum cognitione diſcreti? Niſi fortè hoc dicitis, Deos artifices non eſſe, ſed eos his artibus præſidere, curare: immò ſub illorum poſita eſſe tutela omnia, quæ adminiſtramus, quæ gerimus; atque, vt benè ac feliciter cedant, illorum procisione curari. Quod quidem meritò dici ac probabiliter videretur, ſi ad voluntatem ſemper ſententiamque procederent ea, quæ obimus, quæ gerimus, aut in negociis periclitamur humanis. Cùm verò in contrarium quotidie res vertantur, neque ad propoſitum voluntatis actionum reſpondeant fines, ludentis eſt dicere Deos nobis ſupereſſe cuſtodes, quos ſuſpicio finxit noſtra, non explorata veritas comprehendit. Per maria tutiſſimas præſtat [d] Portunus commeantibus nauigationes: & cur inſanum mare tam frequentes expoſuit crudelium naufragiorum ruinas? Salutaria & fida conſilia noſtris ſuggerit

a *Diuinus eſt.* H c eſt vates, nam gloſſ. Diuinus, *μάντις*. Pri.

b *Viles nouerint atque habeant ſellularij.* Cicero: *Opificeſque omnes in ſordida arte verſantur; nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina.* Sellularij autem ſunt *τὰς ἐπιδιφρίους τέχνας ἐργαζόμενοι*. Her.

c *Venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana.* Quo modo à Minutio dicitur *altè ſuccincta venatrix.* Eò quòd venationi erat addicta, Orpheo dicitur *κυνηγέτις canum ductrix*, Callimacho *θηρόκτονε*, *fericida*, Homero in hymno Apollinis, & Heſiodo in Theog. *ἰοχέαιρα*, *quæ ſagittis delectatur.* Oppianus Cyneget. 2. Dianam inuocat, vt doceat, quis ab eâ primùm venationis artem acceperit.

μακρότερον τις ἀγασθενέων θ᾽ ἡρώων
οὓς ὑπὸ χειρὸς ἄεσε μεγακλέα δῶρα θήρης;

Pri.

c *Venationum præpotens &c.* Pollux lib. 5. cap. 9. ἡ δὲ πολέμαρχος. Θύει μὲν Ἀρτέμιδι ἀγροτέρα. Minutius Felix. *Diana interim eſt altè ſuccincta venatrix* Elmen.

d *Portunus.* Gloſſæ: *Portumnus παλαίμων δαίμων θαλάσσιος.* Ouid. lib. 6. Faſt. Phornutus περὶ τῶν θεῶν φύσεως. Cicero lib. 2. de nat. Deorum. Martianus Capella lib. 1. *Idem.*

rit cogitationibus [a] Conſus: & in contrarios exitus cur aſſiduè vertitur placitorum inopinata mutatio? [b] Armentorum & pecorum gregibus Pales præſunt Inuuſque cuſtodes: & cur ſæua contagia, & peſtilentes morbos ab æſtiuis auertere ceſſatione inimica non curant? Flora illa genitrix, & ſancta obſcœnitate ludorum, bene curat vt arua floreſcant: & cur quotidie gemmulas, & pubeſcentes herbas adurit atque interficit nocentiſſimum frigus? Puerperiis Iuno præpoſita eſt, & auxiliatur genitricibus fetis: & matrum intereunt cur quotidie millia, parricidalibus nixibus interemtæ? In tutela Vulcani eſt ignis, & materies eius in illius regimine conſtituta eſt: & cur ædes frequentiſſimè ſacras, atque vrbium portiones ad cinerem patitur flammarum voracitate collabi? Diuinitatis ſcientiam largitur hariolantibus Pythius: & [c] cur obliqua ac dubia, cur obſcuritatis ſubmerſa caligne dat ſæpius ſubminiſtratque reſponſa? Æſculapius officiis & medendi artibus præeſt: & cur plura morborum & valetudinum genera ad ſanitatem nequeunt incolumitatemque perduci, immò ſub ipſis fiunt curantium manibus atrociora? Curat Mercurius ceromas, pugillatibus & luctationibus præeſt: & cur inuictos omnes non perficit, ~~quibus præeſt?~~ cur vnius in officio præſidatus, hos victoriæ compotes, alios verò perpetitur ignominioſa infirmitate rideri? Tutelaribus, inquit, ſupplicat Diis nemo, & idcircò ſinguli familiaribus officiis atque auxiliis deſunt. Niſi enim tura & ſalſas accipiant fruges, benefacere Dij nequeunt? & niſi pecorum ſanguine delibutas ſuas conſpexerint arulas, ſuos deſerunt atque abjiciunt præſidatus? Atquin ego rebar paulò antè, ſpontaneas eſſe numinum benignitates, vltroque ab his fluere inexpectata beneuolentiæ munera. Numquid enim rex poli libamine aliquo exambitur aut hoſtia, ut omnia iſta quibus viuitur, commoda mortalium generi largiatur? Non feruorem genitalem ſolis Deus, noctis & tempora, ventos, pluuias, fruges, cunctis [d] ſubminiſtrat æqualiter bonis, malis, iuſtis, ingenuis, ſeruis, pauperibus, diuitibus? Hoc eſt enim proprium Dei potentis ac veri, inexorata beneficia præbere feſſis atque inualidis rebus, & multiformi ſemper aſperitate vallatis. Nam ſacrificiis editis id, quod poſcaris annuere, non eſt iſtud poſtulantibus ſubuenire, ſed benignitatis propriæ munificentiam venditare. Ludimus & laſciuimus tanta in re homines, & quid ſit Deus obliti, quid iſtius magnificentia nominis, quidquid vile vel ſordidum ſuſpicioſa potuimus credulitate confingere, diuis tutelaribus arrogamus. Vnctionibus, inquit, the ſupereſt Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi, [e] Victa & Potua ſanctiſſimæ, victui potuiquè procurant. O egregia numinum, & ſingularis interpretatio poteſtatum! niſi poſtes virorum adipali vnguine oblinerentur ab ſponſis: niſi virginalia vincula iam feruentes diſſoluerent atque imminentes mariti: niſi potarent & manderent homines, Dii nomina non haberent? Quid quòd non contenti tam deformibus ſubdidiſſe atque implicuiſſe Deos curis, naturas his etiam feras, truculentas, immanes, malis gaudentes ſemper, & humani generis attribuitis vaſtitate. Non commemorabimus hoc loco [f] Deam Lauernam furum, Bellonas, Diſcordias, Furias: & læua illa quæ conſtituitis numina, taciturnitatis ſilentio præteribimus. Martem ipſum ponemus in medio, & ſpecioſam illam Cupidinum matrem: ex quibus vnum præficitis præliis, amoribus alteram, & cupiditatis ardori. Poteſtatem, inquit, bellorum Mars habet. Vtrùmne vt mota compeſcat, an vt ceſſantia & quieta commoueat? Nam ſi ſedator militaris inſaniæ eſt, cur quotidie bella non deſunt? Sin autem conditor illorum eſt, Deum ergò dicemus in voluptatis ſuæ dulcedinem collidere orbem totum: diſcordiarum & diſcriminum cauſas inter gentes ſerere terrarum longinquitate diiunctas: conducere ex diuerſo tot mortalium millia, & intra verbi vnius moras campos cadaueribus aggerare, ſanguineos præcipitare torrentes, fundatiſſima delere imperia, æquare vrbes ſolo, libertatem ingenuis abrogare, & ſeruitutis conditionem imponere, diſſenſionibus gaudere ciuilibus, commorientium fratrum parricida nece, & ad vltimum filiorum & patrum parricidali congreſſionis horrore. Quod ipſum licebit in Venerem pari atque eadem ratione traducere. Nam ſi amoris hæc flammas, ſicut perhibetis & creditis, cogitationibus ſubdit humanis, ſequitur vt intelligi debeat, quidquid labis & criminis ab inſania proficiſcitur tali, id Venereis debere vulneribus

a *Conſus.* Auguſtin. de ciu. Dei lib. 4. cap. 11. *Ipſe ſit & Deus Conſus, præbendo conſilia.* Feſtus: *Conſum, Deum conſilij putabant.* Tertull. de ſpectac. cap. 5. Hieronymus de vita Hilationis cap. 16. Varro lib. 5. de LL. ELMEN.

b *Armentorum & pecorum gregibus Pales. &c.* De æſtiuis iſtis notauit Varro 2. rei ruſticæ, Romanos nimitùm pecora alibi hibernatum, alibi æſtiuatum egiſſe: ad eum ferè modum, quo alibi hiberna, alibi æſtiua, eorum militibus: pro *inimica*, vide ne reponendum ſit, *mimica*. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 28. inquit, *Pan ipſe, quem vocant Inuum.* STEVV.

c *Cur obliqua ac dubia* Ex more vaticinantium qui amentia veluti & furore correpti, obſcura & incerta pronuntiant. Sic Caſſandra apud Lycophronem ἄρξω λοξῶν ἐς διεξόδους ἐπῶν, *aggredior obliquitates verborum intricatorum,* ſeu vt vertit Magnus Scaliger, *verborum obibo flexuoſos tramites.* Apud Virgilium Sybilla Cumana,

Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obſcuris vera inuoluens. PRI.

d *Cunctis ſubminiſtrat æqualiter, bonis, malis, &c.* Tria olim libertinorum genera fuiſſe, Iureconſulti non ignorant, ciues Romanos, Latinos ac dedititios: ciues Romanos, eos vocabant, qui vindicta cenſu aut teſtamento, nullo jure impediente, manumiſſi erant, vt auctor Vlpianus: eoſque dicebant majorem & juſtam libertatem conſequi. §. Libertinorum. Inſtit. de libertinis. STEVV.

e *Victa & Potua.* Valdè vellem, *vica & Pota*, niſi in veriloquio diſſentiret Cicero. Nam quam Victam Arnobius vocare videtur, ab Romanis priſcis, *Educa* appellata fuit, & quæ *Potua* huic, illis *Potina*. Nonius. Auguſtinus de ciuit. Dei. lib. 4. cap. 11. *In diua Potina potionem miniſtret, in diua Educa eſcam præbent.* MEVR.

f *Deam Lauernam furum.* Nonius: *Lauerna dea, cui ſupplicant fures.* Plautus Cornicularia & Aulul. act. 4. ſcena. *redi quo fugis, &c* Varro lib. 4. de LL. vetus ſcholiaſtes Horatij lib. 1. epiſt. 16. Feſtus *Lauernione*s. ELMEN.

vulneribus imputari. Ergóne dea cogente in viliſſimi nominis ſcorta ſuam ſæpiùs produnt etiam nobiles dignitatem? diſiuniuntur tenacium matrimoniorum nexus? in inceſtas libidines neceſſitudo ſanguinis inardeſcit? inſaniunt in liberos matres? patres virginum ſuarum vota in ſe vertunt? contra decus ætatis ſenes in obſcœnos ingemunt curis iuuenabus appetitus? [a] ſapientes & fortes viri ſoluunt decreta conſtantiæ virilitatis vigore mollito? innectuntur ceruicibus laquei, conſcenduntur ardentes rogi, & per vaſtas atque altiſſimas rupes iaciunt ſe paſſim voluntariis ſaltibus præcipitati? Quiſquamne eſt hominum rationis alicuius primordiis imbutus, qui diuinitatis conſtantiam tam fœdis polluat aut contaminet moribus? quiſnaturas attribuat Diis tales, quas in agreſtibus belluis lenitudo ſæpè permulſit atque extenuauit humana? Vbinam quæſo eſt illud, quod ab omni perturbationis affectu Dij procul amoti ſunt? quòd lenes, placidi, mites, quòd in genere virtutis vnito perfectionis apicem, atque ipſius retinent ſapientiæ ſummitatem? aut cur eos oramus, vt à nobis aduerſa atque inimica propellant, ſi malorum omnium, quibus quotidie carpimur, ipſi eſſe nobis reperiuntur auctores? Quantumlibet nos impios, irreligioſos vocetis, aut atheos, numquam fidem facietis eſſe amorum Deos, eſſe bellorum, eſſe qui diſcordias conſerant, qui furialibus ſtimulis animos inquietent. Aut enim veriſſimè Dij ſunt, & ea quæ commemoraſtis non faciunt: aut ſi ea quæ dicitis faciunt, ſine vlla dubitatione Dij non ſunt. Et tamen poſſemus vtcumque accipere à vobis has mentes impiarum pleniſſimas fictionum, ſi non multa de Diis ipſi tam contraria promentes, diſſoluentiáque ſe ipſa, ſuſtinere animi compelleretis aſſenſum. Cùm enim in ſingulis ſingulos anteire interioris contenditis ſcientiæ laude, & Deos ipſos, quos opinamini tollitis: & reponitis alios, quos manifeſtum eſt non eſſe: & alios alius Deos in eiſdem dicitis rebus, & innumeros eſſe conſcribitis, quos eſſe ſingulos ſemper conſenſio accepit humana. Incipiamus ergo ſolenniter ab Iano & nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alij, ſolem eſſe prodidere nonnulli. Quod ſi accipiemus vt verum ſit, ſequitur, vt intelligi debeat nullum vmquam fuiſſe Ianum, quem ferunt Cælo atque Hecata procreatum in Italia regnaſſe primum, Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Iuturnæ maritum: atque ita per vos Dei nomen eraditur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis. Rurſus verò ſi Ianus eſt annus, Deus eſſe nec ſic poteſt. Quis enim annum ignorat temporis eſſe circumſcriptionem ſtatam, nec habere vim numinis id, quod ſpaciis menſum, & dierum dinumeratione concluſum eſt? Quod ipſum licebit in Saturnum non abſimili ratione traducere. Nam ſi tempus ſignificatur hoc nomine, Græcorum vt interpretes autumant, [b] vt quod chronos eſt, habeatur Cronos, nullum eſt Saturnium numen. Quis eſt enim tam demens, qui tempus eſſe dicat Deum, quod menſura cuiuſdam eſt ſpacij in continua ſerie perpetuitatis incluſi? atque ita ex ordine tolletur & iſte cæleſtium, quem Cælo eſſe editum patre, magnorum & eſſe procreatorem Daorum, [c] vitiſatorem, falciferum, vetuſtas edidit priſca, & minorum tranſmiſit ætati. Nam quid de ipſo dicemus Ioue, quem ſolem eſſe dictitauere ſapientes agitantem pinnatos currus, turba conſequente diuorum? æthera nonnulli flagrantem vi flammea, atque nidoris inextinguibili vaſtitate? Quod ſi liquet & conſtat, nullus ergo omnino eſt vobis auctoribus Iupiter, qui patre editus Saturno, atque Ope matre, vt genitoris euaderet rabiem, in Cretenſium finibus memoratur eſſe celatus. Iam verò Iunonem opinatio nónne conſimilis Deorum tollit è cenſu? Nam ſi aër illa eſt, quemadmodum vos ludere ac dictitare conſueſtis, Græci nomini præpoſteritate repetita, nulla ſoror & coniux omnipotentis reperietur Iouis, nulla Fluuionia, nulla Pomona, nulla Oſſipagina, nulla Februtis, Populonia, Cinxia, Caprotina: atque ita reperietur inaniſſima eſſe iſtius nominis fictio opinionis vacuæ celebritate vulgata. Ariſtoteles, vt Granius memorat, vir ingenio præpotens, atque in doctrina præcipuus, Mineruam eſſe Lunam probabilibus argumentis explicat, & litterata auctoritate demonſtrat. Eamdem hanc alij ætherium verticem, & ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt: memoriam nonnulli; vnde ipſum nomen Minerua, quaſi quædam Meminerua formatum eſt. Quod ſi accipit res fidem, nulla eſt ergo Mentis filia, nulla Victoriæ, [d] nulla Iouis enata de cerebro inuentrix oleæ, nulla magiſteriis artium, & diſciplinarum varietatibus erudita. Quod aqua nubat terrum, appellatus eſt, inquiunt, cognominatuſque Neptunus. Si ergo liquoris obtentio nominis huius appellatione ſignatur, nullius Deus eſt omninò Neptunus: atque ita tollitur, & remouetur è medio ſtygij

frater

a *Sapientes & fortes viri ſoluunt decreta conſtantiæ.* Loquitur verbis Stoicorum: apud quos fortes appellantur ij potiùs qui domant animum, & vitia comprimunt, quàm qui bellica laude pollent. Indidem *decreta* τὰ κεκριμένα: vnde efficit ut inuicta [illegible], atque hinc conſtantia, τὸ βέβαιον τοῦ ἤθους, quando virtus planè conſummata eſt, & firmiſſimis radicibus fundata. HER.

b *Vt quod Chronos eſt. &c.* Lactantius lib. 1. cap. 12. Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 12. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 1. antiq. Plutarchus de Iſide & Oſir. Iſidorus orig. lib. 8. cap. 11. Cicero de Nat. deor. lib. 2. Apuleius de mundo. Theophilus ad Autolycum lib. 3. Athenagoras apolog. pro Chriſtianis. ELMEN.

c *Vitiſatorem.* Gloſſæ, *vitiſator* ἀμπελοφύτης. Accius apud Macrobium lib. 6. Saturnal. cap. 5.

O Dionyſe pater optime, vitiſator, Semela genitus.

Virgil. lib. 7. Æneid....

Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem. *Idem.*

d *Nulla Iouis enata de cerebro.* Origenes contra Celſum lib 8. Pauſanias Atticis. Ouidius lib. 3. Faſtor. Seruius lib. 4. Æneid. Phornutus περὶ τῶν θεῶν φύσεως. Iſidorus lib. 8. Orig. cap. 11, Nonnus lib. 1. Dionyſ. *Idem.*

frater Iouis Olympiique germanus, tridenti armatus ferro, piſtricum Dominus atque mænarum, rex falſorum gurgitum, & tremebundi motator ſali. [a] Mercurius etiam quaſi quidam medicurrius dictus eſt: &, quod inter loquentes duos media currat & reciprocetur oratio, nominis huius concinnata eſt qualitas. Ergo ſi hæc ita ſunt, non eſt Dei Mercurius nomen, ſed ſermonis reciprocantis & vocis: atque ita hoc pacto aboletur & extinguitur [b] caducitor ille Cyllenius, in algido fuſus monte, verborum excogitator & nominum; nundinarum, [c] mercium, commerciorumque mutator. Terram quidam è vobis, quòd cunctis ſufficiat animantibus victum, Matrem eſſe dixerunt magnam: eamdem hanc aliquot, quòd ſalutarium ſeminum frugem gerat, Cererem eſſe pronunciant: nonnulli autem Veſtam, quod in mundo ſtet ſola, cæteris eius partibus mobilitate in perpetua conſtitutis. Quod ſi ratione profertur & aſſeueratur certa, trina pariter numina vobis interpretibus nulla ſunt: non Ceres, non Veſta Deorum eſſe computabuntur in faſtis: non ipſa denique Mater Deûm, quam Migidius autumat matrimonium tenuiſſe Saturni, Dea rectè poterit nuncupari: ſiquidem vnius terræ hæc ſunt omnia nomina, & his ſola prædicationibus indicatur. Prætermittimus hoc loco ſatietatis fuga Vulcanum: quem eſſe omnes ignem pari vocum pronunciatis aſſenſu: [d] quòd ad cunctos veniat, Venerem: & quod ſata in lucem proſerpant, cognominatam eſſe Proſerpinam. Qua rurſus in parte trium capita numinum tollitis: ſiquidem primum elementi eſt nomen, [e] non ſentiens vocabulum poteſtatis: libidinis alterum, per cuncta animantia diffuſæ: tertium verò ſignificat attollentia ſe germina, & frugum ſubereſcentium motiones. Quid? cum Liberum, Apollinem, Solem, vnum eſſe contenditis numen, vocabulis amplificatum tribus, nonne ſententiis veſtris Deorum imminuitur cenſus, & opinio prædicata dilabitur? Nam ſi verum eſt Solem eumdem Liberum eſſe, eundemque Apollinem, ſequitur vt in rerum natura neque Apollo ſit aliquis, neque Liber: atque ita per vos ipſos aboletur, eraditur, Semeleius, Pythius: alter feculentæ hilaritatis dator, Sminthiorum alter pernicies murum. Non indocti apud vos viri, neque quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam, caput eſſe vnius Dei triuiali germanitate pronunciant: neque, vt ſunt trinæ diſſimilitudines nominum, perſonarum differentias tres eſſe: Lunam his omnibus vocari, atque in eius vocamen reliquorum ſeriem coaceruatam eſſe cognominum. Quod ſi exploratum, ſi fixum eſt, atque ita eſſe rei veritas monſtrat, caſſum item nomen eſt Cereris, caſſum Dianæ: atque ita perducitur res eò, vt & illa frugum, ſicut perhibetis, inuentrix, vobis ducibus atque auctoribus nulla ſit: & exſpolietur Apollo germanâ, quam quondam puris in fontibus abluentem membrorum ſordes [f] corniger ille venator inſpexit, & pœnam curioſitatis inuenit. In Philoſophiæ memorabiles ſtudio, atque ad iſtius nominis columen vobis laudatoribus eleuati, vniuerſam iſtam molem mundi, cuius omnes amplexibus ambimur: tegimur, ac ſuſtinemur, [g] animans eſſe vnum, ſapiens, rationale, conſultum, probabili aſſeueratione definiunt: quorum ſi eſt vera, & fixa, certa ſententia, etiam illi continuò deſinent Dij eſſe, quos in eius portionibus paulo ante immutatis nominibus conſtituebatis. Vt enim homo vnus nequit, permanente ſui corporis integritate, in homines multos ſcindi: neque homines rurſus multi disiunctionis diſſidentia conſeruata, in vnius ſenſus ſimplicitatem conflari: ita ſi mundus vnum eſt animal, & vnius mentis agitatione motatur, nec in plura poteſt numina diſſipari, nec, ſi eius particulæ Dij ſunt, in vnius animantis conſcientiam cogi, atque verti. Luna, ſol, tellus, æther, aſtra, membra ſunt, & mundi partes: quod ſi partes & membra ſunt, animalia vtique ſui nominis non ſunt: neque enim partes hoc ipſum eſſe, quod totum eſt, aliqua in re poſſunt: aut ſibi ſapere, ſibi ſentire, quòd ſine totiùs animantis aſſenſu nullis propriis afficiatur è motibus. Quo conſtituto ac poſito, ſumma omnis illuc redit, vt neque Sol Deus ſit, neque Luna, neque Æther, Tellus, & cetera. Sunt enim partes mundi, non ſpecialia numinum nomina. Atque ita perficitur, omnia vobis turbantibus miſcentibuſque diuina, vt in rerum natura vnus Deus conſtituatur mundus, exgloſis omnibus cæteris, quinimò inaniter, vacuè, & ſine vlla ſubſtantia conſtitutis:

a *Mercurius etiam quaſi quidam medicus.* Iſidorus lib. 8. Orig. cap. 11. *Mercurius quaſi Medius currens dicitur appellatus, quod ſermo currat inter homines medius.* Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 7. c. 14. *Idem.*

b *Caducitor ille Cyllenius.* Caduceatorem habent aliæ editiones, ſed hinc nollim quidquam mutare. Tralatitium eſt Mercurium deſignari, de quo ferè omnes: Cyllenium dictum explicat Virgilius lib. 8. PRI.

c *Mercium commerciorumque mutator.* Feſtus. *Mercurius à mercibus eſt dictus: hunc enim negotiorum omnium exiſtimabant eſſe Deum.* Plautus prolog. Amphitr. Iſidorus Orig. lib. 8. c. 11. Ouid. lib. 5. Faſtorum. Pollux lib. 7. cap. 1. ELMEN.

d *Venerem quod ad cuncta veniat.* Cicero lib. 2. de nat. deorum. *Quæ autem dea ad res omnes veniret, venerem noſtri nominauerunt. Idem.*

e *Non ſentiens vocabulum poteſtatis.* Probo, *non ſentientis.* Poteſtas autem paſſim pro numine. Ac de angelorum poteſtate, atque angelis potentibus dicebamus ſupra HERAL.

f *Corniger ille Venator.* Ouid. lib. 3. Metamorph. Diodorus biblioth. lib. 4. Fulgentius Mytholog. lib. 3. Dio Chryſoſtomus de Sentis. orat. 10. Nazianzenus orat. funebri in Baſilium. ELMEN.

g ANIMANS, ESSE VNVM SAPIENS, RATIONALE. Plato in Timæo. οὕτως οὖν δὴ κτ̃ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον, ζῶον ἔμψυχον, ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν. vertit Cicero de vniuerſo. *Quam ob cauſam non eſt cunctandum profiteri, ſi modo inueſtigari aliquid coniectura poteſt, hunc mundum animal eſſe, idque intelligens, & diuina prouidentia conſtitutum.* Vidend. Philoſtratus de vita Apollonij lib. 3. capit. 11. *Idem.*

conſtitutis. Si totidem nos modis, totidémque ſententiis Deorum veſtrorum ſubrueremus fidem, nulli eſſet dubium, quin ira & rabie concitati, ignes, feras, & gladios, atque alia poſtularetis ſuppliciorum in nos genera, quibus ſitim ſoletis veſtram noſtri ſanguinis appetitione proluere. Cùm verò per vos ipſos propè omnis gens numinum ſub oſtentatione tollatur ingeniorum atque doctrinæ, audetis intendere noſtri nominis cauſa res humanas ab Diis premi: cùm quidem, ſi verum eſt eſſe illos vſpiam, atque incaleſcere irarum flammis, nihil habeant juſtius, propter quod in vos ſæuiant, quàm quòd eos negatis ſubſiſtere, neque vlla eſſe in parte naturæ. Muſas Mnaſeas eſt auctor filias eſſe Telluris & Cæli: Iouis cæteri prædicant [a] ex Memoria vxore, vel Mente. Has quidam virgines, alij matres fuiſſe conſcribunt. Libet enim iam paucis etiam illas partes attingere, quibus alius aliud eadem de re dicere opinionum diuerſitate monſtramini. Ephorus has igitur numero eſſe tres effert: Mnaſeas, quem diximus, quatuor: [b] Myrtilus inducit ſeptem: octo aſſeuerat Crates: ad extremum Heſiodus nouem cum nominibus prodit, Diis cælum & ſidera locupletans. Niſi fallimur, iſta diſſenſio nihil ſcientium verum eſt, non ab rei veritate deſcendens. Nam ſi liquidò ſciretur quid ſit, vna eſſet vox omnium, & in eiuſdem ſententiæ finem cunctorum pergeret & conueniret aſſenſio. Quonam modo igitur religionis poteſtis integrare vim plenam, cùm circa ipſos erretis Deos? aut ad venerabiles inuitare nos cultus, cùm nihil nos certi de ipſorum numinum comprehenſione doceatis? Vt enim de mediis conticeſcamus auctoribus, aut ille primus eradit atque interficit ſex diuas Muſas, ſi eſſe illas conſtat nouem: aut iſte vltimus & extremus ſex apponit, quæ nullæ ſunt, tribus ſolis in veritate conſtantibus: vt neque ſciri poſſit, aut comprehendi, quænam debeant addi, quæ demi, & in periculum deducatur religionis ipſius ſuſceptio, aut id quod non eſt colens, aut quod ſit fortaſsè præteriens. [c] Nouenſiles Piſo Deos eſſe credit nouem in Sabinis apud Trebiam conſtitutos. Hos Granius Muſas putat, conſenſum accommodans Ælio. Nouenarium numerum tradit Varro, quòd in mouendis rebus potentiſſimus ſemper habeatur & maximus. Nouitatum Cornificius præſides, quòd curantibus his omnia nouitate integrentur, & conſtent. Deos nouem Manilius, quibus ſolis Iupiter poteſtatem jaciendi ſui permiſerit fulminis. Cincius numina peregrina nouitate ex ipſa appellata pronunciat. Nam ſolere Romanos religiones vrbium ſuperatarum partim priuatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare? ac ne aliquid Deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, breuitatis & compendij cauſa vno pariter nomine cunctos Nouenſiles inuocari. Sunt prætereà nonnulli, qui ex hominibus diuos factos hac prædicant appellatione ſignari, vt eſt Hercules, Romulus, Æſculapius, Liber, Æneas. Sententiæ, vt apparet, diuerſæ ſunt hæ omnes: neque fieri per rerum naturam poteſt, vt qui opinionibus differunt, veritatis vnius habeantur auctores. Si enim Piſonis ſententia vera eſt, Ælius & Granius mentiuntur: ſi quod dicitur ab his certum eſt, peritiſſimus errat Varro, qui rebus in ſubſtantia conſtitutis inaniſſima ſubdit, & re caſſa. Si nouenarius numerus cognomen Nouenſilium ducit, [d] Cornificius balare conuincitur, qui nouitati præſidentibus diuis alienæ potentiæ vim donat. Quod ſi opinio Cornificii vera eſt, imprudens Cincius inuenitur, qui vrbium victarum Deos poteſtate afficit Nouenſilium numinum. Quod ſi hi ſunt, quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur falſum qui alieni fulminis jaculatores ſub iſtius vocaminis appellatione concludit. Quòd ſi exploratum & verum eſt id quod Manilius autumat, in errore ſunt hi maximo, qui honoribus diuinis auctos, conſecratoſque mortales ab nouitate honoris exiſtimant nuncupari. Quòd ſi Nouenſiles hi ſunt, quæ meruerunt ad ſidera ſubleuari, poſtquam ſunt vitæ mortalitate defuncti, nulli prorſus Nouenſiles Dii ſunt. Vt enim ſerui, milites, magiſtri, non ſunt perſonarum ſubjacentium nomina, ſed officiorum; conditionum, & munerum: ita cùm Nouenſiles dicimus, ſi nomen eſt iſtud Deorum, qui ex hominibus meruerunt Dii eſſe, manifeſtum & promptum eſt non perſonas ſpecialiter definitas, ſed nouitatem ipſam cognomine Nouenſilium nuncupari. Nigidius Penates Deos Neptunum eſſe atque Apollinem prodidit, qui quondam muris Troicum Ilium conditione adiuncta cinxerunt. Idem ruſus in libro ſexto exponit & decimo, diſciplinas Ethruſcas ſequens, genera eſſe Penatium quatuor, & eſſe Iouis ex his alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile neſcio quid dicens. Cæſius & ipſe id ſequens Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iouialem, ac Palem, ſed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculini

a *Ex memoria vxore.* Auguſtinus de ordine cap. 14. *Iouis & memoria filias eſſe Muſas confictum eſt.* Origenes lib. 1. contra Celſum. Cicero libro 3. de nat. deor. Phornutus περὶ τῶν θεῶν φύσεως. ELMEN.

b *Myrtilus.* Quem *Myrſilum* appellant alij, vt Clemens protreptico. Mnaſeæ autem meminit Stephanus locis compluribus. Crates autem illuſtris Grammaticus, ſatis notus. HER.

c *Nouenſiles Piſo Deos eſſe credit nouem.* Dij nouenſiles ſunt qui virtutis merito numinis auctoritatem ſunt adepti, teſte Seruio ad lib. 7. Æneid. de His Martianus Capella lib. 1. *Iuno ibi quoque domicilium poſſidebat, fons etiam, Lympha, diique Nouenſiles.* De Piſone verò conſule vide Tertullianum apolog. cap. 6. *Piſo & Gabinius conſules, non vtique Chriſtiani, euerſis etiam aris eorum abdicauerunt, &c.* Euerſionem illam numinum Piſone & Gabinio Coſſ. factam multi aſſeuerant an. V. C. 695. PRI.

d *Cornificius balare conuincitur* Balare ouium eſſe præter Feſtum, Varronem alij monuere. Vir doctiſſimus & ſummo Belgij, ac totius literariæ Reip. damno nimis ſubitò è viuis ereptus Guilielmus Canterus, reſtitutum putabat, *balare.* quod accipitur pro *mentiri.* verumtamen ſubruunt eam ſcripturam membranæ, dum reſtituunt *Labare.* Id altero & modeſtius, & Arnobio noſtro non infrequens. STEVV.

maſculini neſcio quem generis miniſtrum Iouis, ac villicum. Varro, qui ſunt introrſus atque in intimis penetralibus cæli Deos eſſe cenſet quos loquimur, nec eorũ numerum, nec nomina ſciri. Hos [a] Conſentes, & Complices Etruſci aiunt, & nominant, quòd vnà oriantur, & occidant vnà; ſex mares, & totidem fœminas nominibus ignotis, & [b] miſerationis parciſſimæ: ſed eos ſummi Iouis conſiliarios, ac principes exiſtimari. Nec defuerunt qui ſcriberent Iouem, ac Mineruam, Deos Penates exiſtere, ſine quibus viuere ac ſapere nequeamus, & qui penitus nos regant ratione, calore, ac ſpiritu. Vt videtis, & hic quoque nihil concinens dicitur, nihil vna pronunciatione finitur, nec eſt aliquid fidum, quo inſiſtere mens poſſit veritati ſuæ proxima ſuſpicione conjiciens. Ita enim labant ſententiæ, alteraque opinio ab altera conuellitur, vt aut nihil ex omnibus verum ſit: aut ſi ab aliquo dicitur, tot rerum diuerſitatibus neſciatur. Poſſumus ſi videtur, ſummatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum Deos eſſe, ex eo quòd Græci vicos cognominant lauras. In diuerſis Nigidius ſcriptis modò tectorum domuumque cuſtodes, modò Curetas illos qui occultaſſe perhibentur Iouis æribus aliquando vagitum, modo [c] Digitos Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos dactylos nuncupari. Varro ſimiliter hæſitans, nunc eſſe illos Manes, & ideò Maniam matrem eſſe cognominatam Larum: nunc aërios rurſus Deos, & Heroas pronunciat appellari: nunc antiquorum ſententias ſequens laruas eſſe dicit Lares, [d] quaſi quoſdam genios & functorum animas mortuorum. Infinitum eſt & immenſum ſpecies ire per ſingulas, atque ipſis facere promptum libris, nullum eſſe à vobis Deum, neque exiſtimatum, neque creditum, de quo non ambiguas, diſcrepanteſque ſententias opinionum mille varietatibus prompſeritis. Sed breuitatis & faſtidij cauſa ſatis hæc eſt dixiſſe, quæ dicta ſunt: & eſt operoſum nimis coaceruare in vnum multa, cùm ex vno & ex altero manifeſtum fiat & pateat, hæſitare, labare, nec quidquam vos certi de his rebus quas aſſeritis ſcire: niſi fortè dicetis, etiam ſi perſonaliter ignoramus, qui ſunt Lares, qui ſunt Nouenſiles, qui Penates, eſſe illos tamen conſenſione ipſa vindicante auctorum, & in numeris cælitum formam ſui generis obtinere. Et quemadmodum poterit an ſit Deus aliquis ſciri, ſi ignorabitur & neſcietur quid ſit? aut poſtulatio ipſa beneficiorum valere, ſi exploratum non erit, non certum, quis ad quamque debeat conſultationem vocari? Omnis enim qui quærit alicuius numinis impetrare reſponſum, debet neceſſariò ſcire cui ſupplicet, quem imploret, à quo rebus auxilia & neceſſitatibus expoſcat humanis: maximè cùm vos ipſi, & non omnes omnia deos poſſe præſtare, & diſſimilibus ritibus ſingulorum animos referatis offenſioneſque placari. Etenim ſi hic atram, ille albam deſiderat pellem: huic capite velato, illi ſacrificandum eſt nudo, [e] de matrimoniis ille conſulitur, hic medelas incommoditatibus præſtat, intereſſe non poteſt nihil, an ſit ille Nouenſilis, an ille, cùm ignoratio rerum, perſonarum confuſio, & Deos offendat, cogat & neceſſariò piaculum contrahi. Finge enim meipſum incommoditatis alicuius & declinandi periculi cauſa horum cuipiam numinum ſupplicare dicentem: Adeſte, adeſtote Dij Penates, tu Apollo, tuque Neptune, omniaque hæc mala, quibus vror, terreor, vexor, veſtri numinis auerruncate clementia: eritne ſpes aliqua referendæ ab his opis, ſi Ceres, Pales, Fortuna, Iouialis aut Genius, non Neptunus & Apollo Penates Dij erunt? aut ſi Curetas pro laribus inuocaro, quos Digitos Samothracios pars veſtrorum aſſeuerat auctorum, quemadmodum his potero auxiliatoribus & propitiis vti, cùm neque his ſua, & aliena illis impoſuero cognomina? Vſque adeò res exigit propriatim Deos ſcire, nec ambigere, nec dubitare de vniuſcuiuſque vi, nomine, ne ſi alienis ritibus & appellationibus fuerint inuocati, & aures habeant ſtructas, & piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos. Quare ſi vobis liquet, in ſublimibus palatiis cæli habitare, conſiſtere multitudinem iſtam quam enumeratis deorum, in vnius proloquij finibus conuenit vos ſtare: nec per varias diſtractos, repugnanteſque ſententias fidem ipſis rebus, quas ſtruitis, derogare. Si Ianus eſt, Ianus ſit: ſi Liber eſt, Liber ſit: ſi Summanus, Summanus ſit. Hoc eſt enim confidere, hoc tenere, exploratæ in rei cognitione defigi, non more cœcorum atque errantium ducere: Nouenſiles Muſæ ſunt,

a Trebiani

a *Conſentes.* Varro de LL lib. 7. *Dij penates, dij conſentes.* Martian. Capella de nupt. Phil. lib 1. *Poſt ipſum Iouem dij conſentes.* Auguſtin. de ciu. Dei lib. 4. c. 23 *Deos conſentes, quos dicunt in conſilium Iouis adhiberi.* Vetus inſcript. pag. 3. ELMEN.

b *Miſerationis parciſſimæ.* Illuſtriſſimus vir Ioſephus Scaliger emendat *viſcerationis.* Mihi præterea libeat ſuſpicari, temerè tamen mutare nolim ſcripſiſſe Arnobium, *viſcerationis paruiſſimæ.* Ille enim ſuperlatiuus purus putus Lucretij, quem imitari amat. ſic ait lib. 1.

——— ——— paruiſſima quaque
Corpora conſtabunt ex partibus infinitis.

& alibi. vtitur quoque Varro περὶ ἰδιωμάτων Feſtus. *Sparo paruiſſimi generis iacula.* Acron ad Od 5. lib 1 MAVR.

c *Digitos Samothracios.* Erant quum alibi legerent, *Indigetes Samothracios* nitebantur quippe Macrobij auctoritate, qui Deos magnos, Deos Samothracas, eoſque Penates vocat lib 3. Non tamen facilè mutandum *digitos.* Nam digiti ij ſunt dactyli de quibus agit. Iulius Pollux περὶ ἰδαίοις, δακτύλους κεκλῆσθαι λέγουσιν· οἱ μὲν ὅτι τὸν ἀριθμὸν ὄντες πέντε. *Idæos vocatos digitos ferunt, ob numerum; quoniam quinque ſunt.* PRI.

d *Quaſi quoſdam genios & functorum animas.* In Romano ſic habetur. Suſpicor autem gloſſemate pollutum hunc locum, & illud, animas mortuorum, gloſſema eſſe illius quod præcedit, genios defunctorum. CANT.

e *De matrimoniis ille conſulitur.* Etſi matrimoniis ſuis præſides erant, Apollinem tamen adibant, oraculum eius ſciscitaturi, ſi quando matrimonium contracturi erant: aut Augures, haruſpices, cæteroſque vanos Apollinis ſequaces conſulebant.

[a] Trebiani quinimo Dij ſunt, immò nouenarius numerus, ſubuerſarum potiùs vel vrbium præſides, & in id periculum perducere res tantas, vt dum alios tollitis, & reponitis alios poſſit iure de cunctis, an ſint vlla in parte, dubitari.

a *Trebiani quinimò dij ſunt.* De iiſdem quod à Piſone nouem eſſent, dixit ſuperiùs. Hi verò ad Lacum Trebiam in Sabinis conſtituti erant, vnde Trebiani. P r i.

ARNOBII,

DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER QVARTVS.

INTERROGARE vos libet, ipſoſque ante omnia [a] Romanos dominos rerum ac principes, vtrumne exiſtimatis pietatem, concordiam, ſalutem, honorem, virtutem, felicitatem, cæteraque huiuſmodi nomina, quibus aras videmus à vobis cum magnificis exædificatas delubris, vim habere diuinam, cælique in regionibus degere? an ita vt aſſolet dici, cauſa ex ea quod optamus & volumus bona iſta nobis contingere, ſuperorum retuleritis in cenſum? Nam ſi verba exiſtimantes hæc caſſa, & nullius ſubſtantiæ nomina, diuinis tamen religionibus conſecratis: erit vobis videndum, vtrumne iſtud puerile ſit ludicrum, an veſtrorum numinum deluſionem ſpectans, quibus coæquatis & adjungitis inanium figmenta verborum? Sin autem ex animi certiore ſententia Deos eſſe & hæc rati, templis & puluinaribus honoraſtis, inſcitiam noſtram vt doceatis oramus, victoria, pax, æquitas, & cætera quæ in ſuperioribus dicta ſunt, quanam ratione, qua via intelligi poſſunt Dii eſſe, atque ad ſuperorum concilium pertinere? Nos enim, [b] niſi fortè communem tollitis nobis atque eripitis ſenſum, nihil horum ſentimus & cernimus habere vim numinis, neque in aliqua contineri ſui generis forma: ſed eſſe virtutem viri, ſalutem ſalui, honorem honorati, victoris victoriam, concordis concordiam, pietatem pij, memoriam memoris: feliciter verò viuentis ac ſine vllis offenſionibus felicitatem. Quod à nobis veriſſimè dici ex contrariis promptum eſt oppoſitionibus noſcitare, infelicitate, diſcordia, obliuione, iniquitate, impietate, ignauia pectoris, & valetudine corporis minus fauſta. Vt enim hæc accidunt, hominumque ſunt poſita in actionibus, ac effectibus fortuitis, ita quod illis aduerſum ex qualitatibus begnioribus nominatur, in aliis neceſſe eſt hæreat, ex quibus ita formatis figuratio iſta concepta eſt nominum. Nam quod nobis [c] cateruas ignotorum aliàs inducitis Deorum, exiſtimare non poſſumus, vtrumne iſtud ſeriò, atque ex rei compertæ faciatis fide, an fictionibus ludentes caſſis ingeniorum laſciuiatis luxu. Quod abiectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca inquit, dea eſt auctore appellata Varrone. [d] Ex rerum ergo prouentu, non ex vi naturæ Dea iſta eſt prodita; & poſtquam feros morſus immanis prohibuit bellua, & ipſa eſſe occœpit, & ipſius nominis ſignificantiam traxit. Aut ſi fuit jamdudum Dea, priùs quàm Romulus naſceretur & frater: cuius fuerit nominis atque appellationis expromite. Præſtana eſt, vt perhibetis, dicta, quòd Quirinus in jaculi miſſione cunctorum præſtiterit viribus: & quòd Tito Tatio, Capitolinum vt capiat collem, viam pandere atque aperire permiſſum eſt, [e] Dea Panda eſt appellata, vel Pantica. Antè facta hæc ergo numquam fuerant numina: & niſi Romulus tenuiſſet teli trajectione palatium, nique Tarpeiam rupem rex Sabinus potuiſſet accipere, nulla eſſet Panti-ca,

a *Romanos dominos rerum.* Virgil. lib. 1 Æneid.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Auguſtin de ciu. Dei, lib 3 c. *Iuno cum Ioue ſuo iam fouebat Romanos rerum dominos.* Oroſius lib. 1. hiſtor. cap. 1 *Romanos fieri rerum dominos bonis communibus non obſtare.* Tertull. Apolog. c. 21. *dominatores gentium* Eumenes Panegyr. ad Conſtant. Imp. *Domini generis humani.* Cæſius Baſſus apud Diomedem lib 1. *Romani victores.* E l m e n.

b *Niſi fortè communem nobis eripitis ſenſum.* Cui plurimum imò pœnè totum tribuebat is, quem plurimum Arnobius miratur, Lucretius: quippe Epicuri ſectator, qui ſenſuum cognitionem exiſtimabat omnium eſſe certiſſimam, & tutiſſimam, Lucretius lib. 1.

Corpus enim per ſe communis dedicat eſſe
Senſus: quo niſi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quidquam ratione queamus.

H e r.

c *Cateruas ignotorum alias inducitis deorum.* Tanta erat Numinum copia, vt communes, barbaros, ruſticos & mille alios Deos inueherent. Vnde Tertullianus Apolog. 10. enumeratis monſtroſis illis diis, ait, *Nec ego per ſingulos decurram, tot ac tantos, nouitios, veteres, barbaros græcos &c.* & modò, *otioſum eſt etiam titulos perſequi vt colligam in compendium.* Nullius rei quàm deorum major copia, nullus fertilior prouentus. P r i.

d *Ex rerum ergo prouentu.* Arnobius lib 1. *maximos fuiſſe annona prouentus.* Plinius lib. 1. epiſt. 12. *prouentus poëtarum.* Apuleius de mundo: *prouentus artium.* Arnobius lib. 1. *nec citra eius nutum quicquam poteſt in rebus vel prauenire vel cadere.* E l m e n.

e *Dea Panda.* Gloſſæ: *Panda* [illegible] *Idem.*

cc, nulla Præſtana eſſet. Si & has dicitis ante ſui cauſam fuiſſe cognominis, quod in priore quæſitum eſt capite, cuius & hæ fuerint vocaminis indicate. Pellendorum hoſtium [a] dea potens Pellonia eſt: quorumne, niſi moleſtum eſt, edite. Confligunt partes, atque inter ſe cominus armorum collatione decernunt, & hæc illi eſt pars hoſtis, & illa huic hoſtilis: quos ergo Pellonia, cum hinc & inde pugnabitur, pellet, aut in gratiam conceſſura eſt quorum, cùm vtrique debeat parti ſui nominis vires, officiumque præſtare? Quod ſi vtrique fecerit, id eſt, partibus ſi vtriſque fauorem ac ſuffragium commodarit, nominis ſui vim perdet, quod partis vnius in pulſione formatum eſt. Niſi fortè dicetis, Romanorum tantùm eſt Dea hæc, & cum ſolis Quiritibus faciens, gratioſis ſemper opitulationibus præſto eſt. Eſſe quidem hoc ita, quòd nomini fauemus, optamus: at quæſtionem non exiguam res habet. Quid enim? Romani Deos poſſident peculiares, qui aliarum gentium non ſint? Et quemadmodum poterunt Dij eſſe, ſi non omnibus, quæ vbique ſunt gentes, æquabilitatem ſui numinis exhibebunt? & vbi quæſo jamdudum Pellonia hæc fuit, cùm apud Furculas Caudinas decus publicum ſubiugatum eſt? cùm [b] apud Thraſimeni lacum ſanguinei cucurrere torrentes? cùm [c] Diomedis campi Romanis cadaueribus aggerati ſunt? cum mille alia vulnera præliorum innumeris accepta ſunt cladibus? dormiebat, ſtertebat, aut quod vilia facere conſueta ſunt capita, in hoſtilia caſtra defugerat? [d] Dij læuia læua, [e] ſiniſtrarum tantum regionum ſunt præſides, & inimici partium dexterarum. Quod quanam iſtud ratione dicatur, quoue animi ſenſu, neque ipſi nos aſſequimur, nec à vobis confidimus poſſe in aliquam lucem communis intelligentiæ perduci. Iam primùm enim mundus ipſe per ſe ſibi neque dexteras, neque læuas, neque ſuperas regiones, neque imas, neque anticas habet, neque poſticas. Quicquid enim teres eſt, atque ex omni parte rotunditatis ſolidæ conuexione concluſum, nullum habet initium, nullum finem. Vbi finis & initium nullum eſt, eſſe aliqua portio ſui nominis, & initium non poteſt. Itaque cùm dicimus, dextera hæc regio eſt, & illa læua, non ad mundi habitum dicimus, qui ſui ſimillimus totus eſt, ſed ad poſitionem noſtram, ſitumque reuocamus, qui informati ſic ſumus, vt alia dextera, alia in nobis dicantur eſſe læua: quæ tamen hæc ipſa, quæ læua appellamus & dextera, alias in nobis nihil habent perpetuum, nihil fixum: ſed prout nos caſus, atque euentus collocauerit temporis, ita noſtris ſumunt ab lateribus figurationes. Si orientem ſolem reſpexero, cardo mihi frigoris, & Septemtrio fit læuus: in quem ſi ora traduxero, erit mihi ſiniſter Occaſus, qui ab ſole poſterganeus habebitur. Rurſus verò ſi iecero plagam in occiduam lumina, in vocabulum ſiniſtri Auſter & Meridies tranſit: in quam ſi me partem neceſſaria temporis circumegerit ratio, fit vt oriens læuus immutata corporis conuerſione dicatur. Qua ex re poterit facillimè recognoſci, neque læua natura eſſe vlla, ſed poſitionis & temporis, & prout noſtri corporis habuerit ſe ſitus, rerum ad circumſtantiam collocatus. Quod cum ita ſe habeat, quanam ratione, quo pacto ſiniſtrarum partium Dii erunt, cùm eaſdem conſtiterit regiones modò dexteras fieri, modò læuas? aut quid dexteræ meruerunt de immortalibus Dijs partes, vt ſine vllis præſidibus degerent, quas eſſe fauſtas, & proſperis ſemper cum omnibus ediderunt? Lateranus vt dicitis, Deus eſt focorum & Genius, dictuſque hoc nomine, quòd ex laterculis crudis ab hominibus caminorum iſtud exædificetur genus. [f] Quid ergo? ſi teſta, aut materia fuerint quacumque alia fabricati foci, Genios non habebunt? & ab officio tutelæ quiſquis iſte eſt Lateranus abſcedet, quòd regni ſui poſſeſſio non luteis conſtructa eſt formis? Et quid, quæſo, vt faciat, præſidatum focorum Deus iſte fortuitus eſt? Per humani generis coquinas currit, inſpiciens & explorans quibuſnam lignorum generibus ſuis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vaſculis, ne flammarum diſſiliant vi victa: curat vt ad ſenſum palati ſuis cum iucunditatibus veniant rerum incorruptarum ſapores, & an ritè pulmenta condita ſint, prægustatoris fungitur atque experitur officio. Itane iſtud non fœdum, quinimò, vt verius dixerim, non contumelioſum, non impium, ad hoc tantum inducere Deorum neſcio quas fictiones, non quas dignis honoribus proſequare, ſed quas rebus turpibus, & infami præficias actioni? Etiamne militaris Venus caſtrenſibus plagiis præſidet,

a *Dea potens pellonia.* Auguſt. de ciuit. Dei lib. cap. 21. *Cum enim eſſet inuocanda propter feſſos diua Feſſoria, propter hoſtes depellendos diua Pellonia. Idem.*

b *Apud Thraſymeni lacum.* Lacus Thraſymenus eſt hodiè *Lago de Perugia.* PRI.

c *Diomedis Campi Romanis cadaueribus aggerati ſunt?* Cannas intelligit, ignobile oppidum Apuliæ, & ſola cladis Romanæ magnitudine notum, ad quod commiſſum eſt temeritate Terentij Varronis atrox prælium in quo quadraginta Romanorum millia deſiderata ſunt. Diomedis campi ideò hîc vocantur ij tractus, quoniam Aetolia pulſus Diomedes Argyripam ſiue Argos in Apulia condidit. Hanc vrbem intelligit Virgilius lib. 8. hoc verſu:

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem. *Idem.*

d *Dij laui.* Virgil. lib. 4. Georg.

Numina laua ſinunt, auditq; vocatus Apollo.

Seruius: *Numina laua, proſpera.* ELMEN.

e *Siniſtrarum tantum regionum ſunt Præſides.* Lactantius ſiue Luctat. in 3. Thebaid. Seruius in 2. Æneid. *Idem.*

f *Quid ergo? ſi teſta.* Hæc lectio eſt è MS. Reg. Crudis autem laterculis caminos ſæpiùs exædificabant, vt etiam oſtendit Plinius: quandoque etiam teſtis, vt non temerè hoc objiciat Arnobius. Nam tubulus, quo cingebatur ἡ ὀπὴ id eſt, χαύνη ſiue foramen, per quod exibat & exhalabatur fumus, erat quandòque è teſta, vnde ὀπαίαν κεραμίδα Græci appellabant. Ἔστι δὲ αὕτη, ἡ τὴν καπνὴν... Φασὶν, ἔχουσα, inquit Euſtathius. κεραμὶς igitur ſiue quòd è teſta, ſiue quod è laterculis: nam reapſe paruum eſt diſcriminis. HERAL.

fidet, & puerorum ſtupris? Etiamne Perſica vna eſt è populo numinum, quæ obſcœnas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere? Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præſto eſt, virginalem ſcrobem effodientibus maritis? Etiamne Tutunus, cuius immanibus pudendis, horrentique faſcino, veſtras inequitare matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis? Quod ſi minimè vos admonent ad intellectum veritatis res ipſæ: nec ex ipſis ſaltem poteſtis nominibus noſcere inaniſſimæ ſuperſtitionis figmenta hæc eſſe, & falſorum imaginationes Deorum? Putationibus arborum Puta, inquitis, præſto eſt: rebus petendis Peta. Deus nemorum Nemeſtrinus eſt. Patellana numen eſt, & Patella: ex quibus vna eſt patefactis, patefaciendis rebus altera præſtituta. Nodutis dicitur Deus, qui ad nodos perducit res ſatas: & quæ præeſt frugibus terendis, Terenſis. Ab erroribus viarum dea Vibilia liberat. [a] In tutela ſunt Orbonæ orbati liberis parentes: in Næniæ, quibus extrema ſunt tempora. Nam quæ durat & ſolidat infantibus paruis oſſa, Oſſilago eſſe memoratur. Mellonia dea eſt pollens potenſque in apibus mellis curans cuſtodienſque dulcedinem. Dicite ô quæſo, ita vobis propitiæ faueant Peta, Puta, Patella, ſi omninò non eſſent apes vllæ in terris, aut ſi exos genus humanum, velut quidam vermiculi naſceremur, dea Mellonia non eſſet? aut Oſſilago ſolidatrix oſſium nomen proprium non haberet? Etenim quæro, & rogito, vtrumne vobis videantur antiquiores Dij eſſe natura, tempore, vetuſtate, an homines, an apes, fruges, virgulta, & cætera? Dubitabit hominum nemo, quin innumeris dicatis Deos ætatibus, ſæculis, cuncta quæcumque ſunt anteire. Quod ſi habet ſe ita, quî fieri per rerum naturam poteſt, vt ex rebus poſteà procreatis acciperent nomina ea, quæ ſunt priora temporibus? aut tutelas ſortirentur earum Dij rerum, quæ nondum eſſent genitæ, & in vſum mortalibus attributæ? An numquid jamdudum ſine nominibus Dij erant, & poſtquam res naſci, terriſque ineſſe cœperunt, his à vobis dignati ſunt ſignis atque appellationibus nuncupari? Et vnde ſcire potuiſtis quæ nomina ſingulis inderetis, cùm eſſe illos ignoraretis omninò: aut ineſſe potentias his certas, cùm eſſet vobis ſimiliter neſcium, quiſnam eorum quid poſſet, & cui rei deberet pro ſui numinis poteſtate præponi? Quid ergo, inquitis, hos Deos nuſquam eſſe gentium iudicatis, ſed falſis opinationibus conſtitutos? Non iſtud nos ſoli, ſed veritas ipſa dicit, & ratio, & ille communis, qui eſt cunctis in mortalibus, ſenſus. Quis eſt enim qui credat eſſe Deos Lucrios, & lucrorum conſecutionibus præſidere, cum ex turpibus cauſis frequentiſſimè veniant, & aliorum ſemper ex diſpendiis conſtent? Quis Libentinam, quis Liburnum libidinum ſupereſſe tutelis, quas iubet ſapientia fugere, & quas mille per ſpecies propudioſa experitur & exercet obſcœnitas? [b] Quis Limentinum, quis Limam cuſtodiam liminum gerere, & ianitorum officia ſuſtinere: cùm fanorum quotidie videamus, & priuatarum domorum conuelli & ſubrui: nec ſine his eſſe flagitioſos ad lupanaria commeatus? Quis curatores obliquitatum Limos? quis Saturnum præſidem ſationis? quis Montinum montium? quis [c] ſegnium Murcidam? quis ad extremum deam Pecuniam eſſe credat, quam velut maximum numen veſtræ indicant literæ donare annulos aureos, loca in ludis atque in ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem magiſtratus, & quod maximè pigri ament, ſecurum per opulentias ocium. Quod ſi habere inſiſtitis ſuos proprios præſides, oſſa, mella, & limina, cæteráque alia, quæ vel curſim perſtrinximus, vel nimietatis non attigimus tædio, licet conſimili ratióne mille alios inducere, qui rebus innumeris debeant ſuam curam, cuſtodiamque præbere. Cur enim Deus præſit melli vni tantummodò, non præſit cucurbitis, rapis, non cunilæ, naſturtio, non ficis, betaceis, caulibus? Cur ſola meruerint oſſa tutelam, non meruerint vngues, pili, cæteraque alia, quæ locis poſita in obſcuris, & verecundioribus partibus, & ſunt caſibus obnoxia plurimis, & curam magis Deorum, diligentiamque deſiderant? Aut ſi & has dicitis partes ſuis agere ſub tutelaribus diuis, incipient totidem Dij eſſe, quot res ſunt: nec explicabitur ratio, cur non rebus omnibus diuinæ præſideant curæ, ſi certas res eſſe, quibus præſint numina, & prouideant, dixeritis. [d] Quid dicitis ô patres nouarum,

a *In tutela ſunt Orbonæ orbati liberis parentes, &c.* Nolo eadem iterare ſæpiùs: nam *Oßipanga* legendum oſtendi lib. ſuperiore. De cætero orbum dicebant veteres tam patrem qui liberos, quàm liberos, qui patrem amiſiſſent. Vtriuſque teſtem habemus M. Tullium Cicer. Eodem ſpectare video iſta Pauli, apud Pompeium Feſtum: *Giba eſt quæ patrem aut matrem, aut filios quaſi lumen amiſit.* eluenda reor, *aut filios, aut ſi lumen amiſit.* altero lumine orbum. & luminibus orbum corpus Plinius dicebat. Similiter Ouid. *Luminibus orbus -- rupibus incurſat.* Iacere lumina ad plagam occiduam, dicit hic ſcriptor hoc libro; objicere lumini & conſpectui, lib. 1. STEVV.

b *Quis Limentinum.* S. Cyprianus huius Dei meminit lib. de Idolor. van. atque etiam Auguſtinus cap. 8. lib. 4. de ciuit. Dei, *Tres deos*, inquit, *iſti poſuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini.* De his etiam omnibus lib. de Idololatria cap. 15. Tertullianus, qui meritò *Inania nomina & conficta* vocat, quod eſt Gregorij Nazianz. orat. 1. ψιλὰ ὀνόματα. PRI.

c *Segnium Murcidam.* Alij, *Murciam* retinent hoc eſt deſidioſorum deam, Murcida forſan Deus eſt. Murtia apud Tertull. cap. 8. de ſpectac. eſt Dea amoris. ſed de illa non eſt hîc mentio. Deam Marmoris putauit Murciam eruditus Turnebus, in quo immeritò eum arguit ſciolus neſcio quis, nam pigros & immobiles vt marmora & ſtatuas Dea illa myſtas ſuos reddebat. *Idem.*

d *Quid dicitis ô patres nouarum religionum?* Periodum hîc inchoandam exiſtimo, ſed nec ſequentia videntur ſatis ſana. Nam quorſum eos patres appellat nouarum religionum: An quia noua dijs nomina impoſuerant, aut noua numina creauerant? frigida, opinor, ſuſpicio. Ridet eos potiùs Arnobius, & aceto ſuo vtit: tituliſque, quibus gloriabantur, ornat eos; ſimulque quàm inaniter tam magnifica elogia arrogarent, rebus ipſis, quibus nitebantur propoſitis, oſtendit. HER.

rum religionum, quid poteſtatum? Hoſcine à nobis Deos violari, & negligi ſacrilego clamitatis, quiritaminique contemptu, Lateranum genium focorum, Limentinum præſidem liminum, Pertundam, Perficam, Nodutim, Terenſem? & quia non ſupplices humi ᵃ Mutuno procumbimus atque Tutuno, ad interitum res lapſas, atque ipſum dicitis mundum leges ſuas & conſtituta mutaſſe? Atquin videte, perſpicite, ne dum talia confingitis monſtra, taliaque molimini, Deos offenderitis certiſſimos, ſi modò ſunt vlli qui iſtius nominis mereantur ſuſtinere atque habere faſtigium: nec propter aliam cauſam mala iſta, quæ dicitis, ferueant, & quotidianis acceſſionibus inoleſcant. Cur ergo, è vobis fortaſſe aliquis dixerit, eſſe falſum iſtos Deos? Et inuocati ab haruſpicibus parent, & ſuis acciti nominibus veniunt, & fidelia reddunt reſponſa quærentibus. Poſſumus obtinere falſum eſſe quod dicitur, vel quòd ſuſpicionibus pleniſſima res tota eſt: vel quòd multas quotidie prædictionum videmus, aut aliter cadere, aut in contrarios exitus fruſtrata expectatione torqueri. Sed ſint vt aſſeritis, veræ: an iidem tamen facietis fidem Melloniam, verbi cauſa, vel Limentinum inſerere ſe fibris, & ad rerum, quas quæritis, ſignificantias aptare? Numquid illorum aliquando vidiſtis os, habitum, faciem? aut eadem hæc poſſunt in pulmonibus, aut iecuſculis conſpici? Nonne accidere, fieri, licet aſtu diſſimuletis, poteſt, vt alter pro altero ſubeat, fallens, ludens, decipiens, atque inuocati ſpeciem præſtans? Si ᵇ magi haruſpicum fratres ſuis in accitionibus memorant antitheos ſæpiùs obrepere pro accitis, eſſe autem hos quoſdam materiis ex craſſioribus ſpiritus, qui Deos ſe fingant, neſciosque mendaciis & ſimulationibus ludant, cum ratione non diſpari credamus hic quoque ſubjicere ſe alios pro his qui non ſunt, vt & veſtras opinationes firment, & ſibi hoſtias cædi alienis ſub nominibus gaudeant. Aut ſi ſic accipere rei nouitate renuitis, vnde vobis eſt ſcire, an ſit vnus aliquis, qui ſuccedat pro omnibus iis quos inuocatis, partibus qui ſe cunctis locorum diuiſionumque ſupponens, multorum vobis ſpeciem diuorum præbeat & poteſtatum? Quiſnam iſte eſt vnus, interrogabit. Fortè poſſumus iſtum vobis veris auctoribus dicere: ſed ne nobis fidem habere nolitis, Ægyptios, Perſas, Indos, Chaldæos, Armenios interroget, omneſque illos alios, qui in interioribus viderunt & cognouerunt hæc artibus; jam profectò diſcetis, quiſnam ſit Deus vnus, vel ſub eo qui plurimi, qui Deos ſe fingant, & humani generis imprudentiam ludant. Iamdudum nos pudet ad eum locum venire, ᶜ in quo riſum tenere non poſſunt non tantùm puerculi, & procaces: verumetiam ſerij atque in moris tetrici aſperitatem durati. Nam cùm à doctoribus omnes noſtris inſinuatum acceperimus & traditum, in declinationibus Deorum pluratiuos numeros non eſſe, quod eſſent Dij ſinguli, nec communiter ire per plurimos vniuſcuiuſque nominis proprietas quiret: immemores vos facti, & puerilium diſciplinarum recordatione compoſita, & complures ſubditis vocabulis iiſdem Deos, & cum ſitis aliàs in eorum numero reſtrictiores, multiplices eos rurſus cogneminum ſocietate feciſtis: quam quidem olim partem judicii acris viri, atque per ingenio perſpicaci, tam ſermone Italo explicuere, quàm Græco. Et dare nobis compendium potuiſſet res iſta, ſi non & aliquos videremus literarum eſſe iſtarum expertes: & inſtitutus à nobis ſermo nos quoque compelleret nonnihil de his rebus, quamuis ab illis ſumptum, commemoratumque, depromere. Aiunt igitur Theologi veſtri, & vetuſtatis abſconditæ conditores, ᵈ tres in rerum natura Ioues eſſe: ex quibus vnus Æthere ſit patre progenitus, alter Cælo, tertius verò Saturno, apud inſulam Cretam & ſepulturæ traditus, & procreatus. Quinque Soles, & Mercurios quinque: ex quibus, vt referunt, Sol primus Iouis filius dicitur, & Ætheris habetur nepos: ſecundus æquè Iouis filius & Hyperiona proditus genitrice: tertius Vulcano, non Lemnio, ſed Nili qui fuerit filius: quartus Ialyſi pater, quem Rhodi peperit Heroïcis temporibus Acantho: quintus Scythici regis, & verſipellis habetur Circæ. Iam Mercurius primus, qui in Proſerpinam dicitur genitalibus adhinniuiſſe ſubrectis, ſupremi progenies

c *Mutuno procumbimus atque Tutuno.* Papias: *Mutunus vel Tutunus à græcis Priapus dicitur.* Auguſtin. de ciuit. Dei lib 4. cap. 11. *Ipſe ſit Mutunus vel Tutunus, qui eſt apud Græcos Priapus.* Ita vetus codex Baſilienſis: nec hic audio Viuem qui τὸ *Tutinus* inducit. ELMEN.

a *Magi haruſpicum fratres.* Genethliaci, Magi, Chaldæi, haruſpices, & alij eiuſdem artis nomine tenus tantùm differunt, & venenatiorum nomine ſignificantur apud Tertull. apolog. 43. PRI.

b *In quo riſum tenere non poſſunt, non tantum puerculi & procaces.* In MS. Reg. *puericuli.* Vnde ſuſpicantur nonnulli *pueri ridiculi*: vulgata lectio ſeruari poteſt, vt ita ſignificet Arnobius vernularum dicacitatem, & procacitatem. Ac fuiſſe puſiones dicaces, eoſque ſæpiùs ex Alexandria in deliciis veterum, notum ſatis eſt. Papinius.

Non ego mercatus Pharia de puppe procaces
Delicias, doctumve ſui conuitia Nili
Infantem, linguaque ſimul, ſalibuſque proteruum

Hic eſt ἀλεξανδρεωτικὸς ἀνδράποδος, de quo Lucianus aurea diſſertatione de iis qui ἐπὶ μισθῷ circa magnates ſunt. HER.

c *Tres in rerum natura Ioues.* Hunc locum, vt & pleraque alia huius libri, (quemadmodum ſuis locis indicabimus) deſumpſit auctor noſter, tum ex Cicerone de nat. deorum, tum etiam ex Clementis Alex. protreptico ad gentes, & hos ipſos auctores videtur innuere, cum paulò antè dixit: Quam quidem olim partem judicij acres viri, atque ingenio perſpicaci, tam ſermone Italico explicuere quàm Græco, & dare nobis compendium res iſta potuiſſet, ſi non & aliquos videremus, literarum eſſe iſtarum rudes, & inſtitutus à nobis ſermo, nos quoque compelleret, nonnihil de rebus, quamuis ab illis ſumptum commemoratumque depromere. Hunc itaque locum mutuatus eſt Arnobius noſter à Cicerone in 3. de nat. deor. eius verba hæc ſunt: Principio Ioues tres numerant ij qui Theologi nominantur &c. Huius rei etiam Clemens ſed breuiùs hoc modo meminit. αὐτίκα γοῦν εἰσὶν οἱ τρεῖς τοὺς Ζῆνας ἀναχάττων, &c. GANT.

d *Tres in rerum natura Ioues.* Teſte Tertull. apolog. 14. Varro Romanorum doctiſſimus trecentos ſine capitibus induxit. PRI.

genies Cæli eſt. Sub terra eſt alter, Trophonius qui eſſe iactatur. Maia tertius matre, & Ioue procreatus ſed tertio: quartus ſuboles Nili eſt, cuius nomen Ægyptia gens horret & reueretur expromere. Quintus Argi eſt interemptor, fugitiuus, atque exul, & proditor apud Ægyptum litterarum. Sed & Mineruæ, inquiunt, ſicut Soles & Mercurii, quinque ſunt: ex quibus prima non virgo, ſed ex Vulcano Apollinis procreatrix: Nili altera proles, & quæ eſſe perhibetur Ægyptia: ſtirps Saturni eſt tertia, & quæ vſum excogitauit armorum: Iouis quarta progenies, quam Meſſenii Coryphaſiam nuncupant: & quæ Pallantem occidit patrem, inceſtorum appetitorem, eſt quinta. Ac ne longum videamur & nimiùm minutatim velle capitaire per ſingula, aiunt iidem Theologi quatuor eſſe Vulcanos, & tres Dianas, Æſculapios totidem, & Dionyſos quinque, ter binos Hercules, & quatuor Veneres, tria genera Caſtorum, totidemque Muſarum, pinnatorum Cupidinum trigas, & [a] quadrigas Apollinarium nominum: quorum ſimiliter genitores, ſimiliter matres, loca quibus nati ſunt indicant, & originem ſingulorum ſuis cum proſapiis monſtrant. Quod ſi verum & certum eſt, & ex rei cognitæ aſſeueratione monſtratur, aut omnes Dii non ſunt, quoniam plures ſub eodem nomine, quemadmodum accepimus, eſſe non poſſunt: aut ſi aliquis ex his eſt, ignorabitur & neſcietur quid ſit, conſimilium nominum confuſione cæcatus. Atque ita per vos ipſos, quamuis fieri nolitis, efficitur, vt hæſitet religio conturbata, neque habeat finem certum, in quem dirigere ſe poſſit, & nullis cluſa ambiguitatis erroribus. Fingite nos enim vel auctoritate commotos, vel violentia terroris veſtri, induxiſſe in animum Mineruam, verbi cauſa, ſacris vobis ſollemnibus & ritu velle adorare vulgato: res ſi cùm diuinas apparamus, aggredimurque aris flammantibus ſua reddere conſtituta, Mineruæ omnes aduolent, ac de iſtius nominis poſſeſſione certantes poſcant ſibi ſingulæ apparatum illum ſacrorum reddi, quid in medio faciemus nos animal tenue, vel in partes quas potius pii muneris officia transferemus? Dicet enim forſitan prima illa, quam diximus, meum nomen eſt Mineruæ, cum numine, quæ Apollinem genui, quæ Dianam, & ex mei vteri fetu cælum numinibus auxi, & Deorum numerum multiplicaui. Immò, inquiet quinta Minerua, tu tinnis, quæ marita, & puerpera toties caſtitatis puræ [b] imminuta es ſanctitate? Nonne vides in Capitoliis omnibus virginaleis eſſe ſpecies Mineruarum, nec nuptarum his formas ab artificibus cunctis dari? Deſiſte igitur nomen iuris tibi aſciſcere non tui. Nam Mineruam me eſſe genitore ex Pallante procreatam, teſtis omnis eſt poëtarum chorus, qui Palladem me nuncupat, deriuato à patre cognomine. Quid dicis? inquiet ſecunda, hæc audiens, ergóne Mineruium nomen tu feres parricida, petulans, & ex amoris inceſti contaminatione polluta? quæ dum te fucis, atque artibus excolis meretriciis, jam patris in te mentem furialibus plenam cupiditatibus excitaſti. Perge igitur, aliud tibi quærere ſignum: nam mea res iſta eſt, quam Nilus maximus fluminum aquis generauit ex liquidis, & in virgineos habitus roris concretione conduxit. Quod ſi fidem inquiris facti, Ægyptios & ego teſtes dabo, [c] quorum ſum Neith lingua, Platonis teſtificante Timæo. Quid deinde arbitramur fore? deſiſtetne & illa Mineruam ſe dicere, cui Coryſaſiæ nomen eſt, vel ex Coryſæ matris ſigno, vel quòd ex vertice ſummo Iouis parmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus? Aut illam quæ tertia eſt ceſſuram patienter nomine, & non dictis talibus habituram rationem ſui, & primatum arrogantiam refutaturam? Itane tu audes maieſtatem tibi mei nominis vſurpare, ex cœno & ex gurgitibus prodita coagulatáque limoſis? at tibi tu aliam dignitatem aſſume, deam [d] quæ de vertice procreatam mentiris te Iouis, & Rationem te eſſe mortalibus ineptiſſimis ſuades? Ex capite conceptos filios procreat? Vt arma quæ geſtas, procudi poſſent & fabricari, in verticis ipſius cauo officina fabrilis fuit, incudes, mallei, fornaces, folles, carbones, & forcipes? At ſi verum eſt quod aſſeueras, Rationem te eſſe, deſiſte tibi nomen id, quod meum eſt, vindicare: nam, quam dicis, ratio, non eſt ſpecies numinis certa, ſed obſcurarum intelligentia cauſarum. Si ergo, vt diximus, officia nobis adeuntibus religioſa Mineruæ adſint quinque, ac de huius nominis proprietate rixantes, ſibi quæque deſideret aut turis ſuffimenta libari, aut ex pateris aureis [e] inferia vina defundi, quo diſceptatore, quo iudice controuerſias tollemus tantas? aut quis quæſitor,

quis

a *Quadrigas Apollinarium nominum.* Cicero de nat. deor. *Apollinum antiquiſſimus is, quem paulò ante ex Vulcano natum eſſe dixi, cuſtodem Athenarum, alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa inſula cum Ioue ipſo certamen fuiſſe traditur,* &c. Elmen.

b *Imminuta es.* Proprio verbo vſus eſt. Nam imminuere virginem, eſt idem quod deuirginare. Arnobius lib. 5. *quibus nihil tale metuentem caſtitate imminueres genitricem.* Apuleius in Floridis. Plautus Ciſtell. act. 1. Ita Auſonius in centone nuptiali imminutionem pro prima coitione poſuit. *Idem.*

c *Quorum ſum Neith lingua.* Plato in Timæo, cuius verba ſic vertit Chalcidius. *Eſt Ægypti regio delta, cuius vertice nihil ſcinduntur fluenta, iuxta quæ Sais nomine ciuitas magna, quam regis mos vetus & lex Saitica nuncupatur, ex hac vrbe Amaſis fuit imperator: conditor verò Deus vrbis Ægyptiaca lingua cenſetur Neith, Græca dicitur* ΑΘΗΝΑ. *Idem.*

d *Quæ de vertice procreatam mentiris te Iouis.* Seruius in 4. Æneid. *Minerua Iouis de capite procreata eſſe dicitur.* Lucianus de ſacrific. Clemens protreptico. Pauſanias Atticis. Origenes contra Celſum lib. 8. Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 4. cap. 10. Ouidius lib. 3. Faſtor. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 17. Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. cap. 26. *Idem.*

e *Inferia vina defundi.* Probè correxit Lud. Carrio *inferia vina*, cum vide lib. 2. emendat. cap. 3 & Arnobium ipſum lib. vltimo, item Iacobi Cuiacij obſeru. lib. 2. cap. 12. Stevv.

quis arbiter ceruicibus tantis erit, qui inter perſonas huiuſmodi, aut vindicias iuſtas dare, aut ſacramenta conetur pronunciare non iuſta? Nónne potiùs ibit domum, ſeſeque abſtinens ab negociis talibus tutius eſſe arbitrabitur nihil horum contingere, ne aut vni dando, quod omnium eſt, inimicas efficiat cæteras: aut ſtultitiæ crimen incurrat, ſi id attribuat cunctis, quod eſſe oportebat vnius? Poſſumus hæc eadem de Mercuriis, Solibus, imò de aliis omnibus, quorum numeros tenditis & multiplicatis, expromere. Sed ſatis eſt ex vno rationem in cæteris eamdem eſſe ſcire: & ne fortè prolixitas faſtidium audientiæ pariat, ceſſabimus ire per ſingula, ne dum vos arguimus nimietatis, loquacitatis immodicæ ſuſcipiamus & nos culpam. Quid dicitis, ô iſti, qui ad Deorum nos cultum membrorum laniatibus inuitatis, & ſuſcipere nos cultum veſtrorum compellitis numinum? Poſſumus difficiles non eſſe, ſi modo aliquid nobis dignum tanti nominis opinione monſtretur. Oſtendite nobis Mercurium, ſed vnum: date Liberum, ſed vnum: vnam Venerem, atque vnam ſimiliter Dianam. Nam eſſe Apollines quatuor, aut tris Ioues, numquam nobis facietis fidem: nec ſi teſtem ipſum citetis Iouem, aut Pythium conſtituatis auctorem. Sed ex diuerſo, neſcio quis, vnde inquit, ſcimus, an explorata & cognita Theologi ſcriptitarint, an vt viſum eſt, atque ſedit, [a] libidinoſam extulerint fictionem? Nihil iſtud ad cauſam, nec ſermonis iſtius in eo eſt ratio conſtituta, vtrumne res ita ſint, Theologorum vt indicant ſcripta, an aliter ſe habeant, & multo diſſociatæ diſcrimine. Nobis enim ſatis eſt rebus de publicatis loqui, neque quærere quid ſit in vero, ſed refutare, [b] conuincere id, quod in medio poſitum eſt, atque opinatio concepit humana. Sed ſi mendaces illi, vos, veritas quæ ſit, exponite, & irrefutabile aperite ſecretum. Et qui fieri potis eſt, remotis magiſteriis literarum? Quid eſt enim, quod dici de immortalibus Diis poſſit, quod non ex hominum de his ſcriptis ad humanas peruenerit notiones? Aut quicquam vos ipſi de illorum ritibus poteſtis, cærimoniiſque narrare, quod relatum in literas non ſit, & ſcriptorum commentariis publicatum? aut ſi ponderis exiſtimatis nullius hæc eſſe, aboleantur omnes libri, quos de Diis habetis compoſitos, Theologorum, Pontificum, nonnullorum etiam philoſophiæ deditorum: quinimmò potiùs fingamus ab exordio mundi nullum aliquando mortalium ſcripſe de Diis quicquam, experiri volumus, & cupimus ſcire, an mutire, an hiſcere Deorum in mentione poſſitis, an concipere eos mente, quos in animis veſtris nullius ſcripti informauerit notio. Cùm vero nomina, & potentias illorum ſuggerentibus vobis libris addidiciſſe vos conſtet, iniquum eſt detrahere litteris his fidem, quarum ea quæ dicitis teſtimonio atque auctoritate firmatis. Niſi fortè hæc falſa, & ea, quæ à vobis dicuntur, erunt vera. Quo argumento, quo ſigno? Cum enim homines vtrique, & qui hæc, & illa commentati ſunt, fuerint, & de rebus incertis ab vtraque ſit diſputatum parte: arrogantis eſt dicere, id quod tibi placeat eſſe verum, quod verò animum lædit, id libidinis & falſitatis arguere. Per humani generis jura, atque ipſius mortalitatis conſortia, cum auditis & legitis, ex illo atque ex illa matre Deus ille eſt proditus, nónne animi veſtri ſenſum tangit, humanum neſcio quid dici, & ex terreni generis humilitate proficiſcens? Aut cùm eſſe arbitramini vos ita, ſolicitudinem concipitis nullam, ne offenſionis aliquid apud ipſos, quicumque ſunt, contrahatis Deos; quod ex turpi concubitu creditis, atque ex ſeminis jactu ignoratam ſibi ad lucem beneficiis obſcœnitatis exiſſe? Nos enim, ne quis fortè exiſtimet ignorare, neſcire, quid iſtius nominis conueniat dignitati, aut natiuitatis expertes Deos eſſe oportere cenſemus: aut ſi aliquos ortus habent, ab domino rerum ac principe, rationibus quas ipſe nouit, ipſos ducimus atque exiſtimamus eſſe miſſos, immaculatos, caſtiſſimos, puros, neſcientes quæ ſit fœditas iſta coëundi, & vſque ad illos ipſos principali procreatione finita. At verò vos contrà majeſtatis immemores & ſublimitatis tantæ, eas illis adjungitis natiuitates, ortuſque eos adſcribitis, quos ingeniis lautioribus homines & execrationi habeant & horrori. Ex Ope, inquitis, matre, & ex genitore Saturno, cum ſuis eſt natus Dieſpiter fratribus. Vxores enim Dii habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt antè quæſitis? [c] vſu, farre, coëmptione, [d] genialis lectuli ſacramenta condicunt? habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas? Et quid de ipſis coniunctionibus loquimur, quando & quoſdam nuptias celebraſſe, & feſtas habuiſſe frequentias dicitis, & luſiſſe in his deas, & quod

[a] participes

a *Libidinoſam extulerint fictionem.* Dicit poſteà *libidinis & falſitatis arguere*, eodem ſenſu. Nam poëtæ pro libidine ac cupiditate ea comminiſci auſi ſunt quæ chartis illeuerunt. PRI.

b *Conuincere id quod in medio poſitum eſt.* Id eſt, quod publicatum eſt, vt loquebatur modò. Lucret. lib. 5.

Et celata diu in medium peccata dediſſe.

Sic Græci. Heraclitus apud Plutarchum alicubi: *ἀμαθίην κρύπτειν οὐκ ἄμεινον, ἀλλὰ εἰς μέσον τιθέναι καὶ θεραπεύειν.* ſic *εἰς μέσον φέρειν*, *εἰς μέσον ἐλθεῖν*, & ſimilia. Origenes contra Celſum lib. 3. Dio Chryſoſtom. de regno ſermon. 4. HERAL.

c *Vſu, farre, coëmptione.* Boetius in Topica Ciceron. Seruius in 1. Georgic. Anton. Auguſt. ad LL. 12. tabul. Briſſonnius de ritu nupt. Lipſius ad 4. Annalium Taciti. ELMEN.

d *Genialis lectuli ſacramenta.* Prædictæ enim ſolennitates ad fœdus conjugale ſanciendum & affirmandum adhibebantur: quare *genialis lectuli ſacramenta* dicit. ea igitur erant veluti myſtica quædam ſigna, & prætereà quaſi mutuæ fidei vincula. HER.

a participes feſcenninorum non eſſent, perturbaſſe diſcordiis omnia, & in humanum in poſterum genus exitiorum ſeuiſſe diſcrimina? Sed in cæteris forſitan minus huius eluceat turpitudinis fœditas. Ergóne ille rector poli, pater Deorum & hominum, ſupercilio & nutu totum motans & tremefaciens cælum, ex viro concretus & fœmina eſt? Et niſi ambo ſexus in obſcœnas diſſoluerentur copulatis corporibus voluptates, Iupiter ille maximus non eſſet; & vſque ad hos dies, & regem numina non haberent, & cælum ſine domino ſtaret? Et quid Iouem miramur ex fœminæ effuſum dictitare vos aluo, quando auctores veſtri & nutricem habuiſſe conſcribunt: & ex alieni vberis alimonia mox traditam retinuiſſe vitam? Quid dicitis, ô viri? Ergóne, iterùm dicam, tonans, fulgurans, & fulminans, & nubila terribilia conducens, ſuxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repſit, atque, vt fletum exponeret ineptiſſimè tractum, crepitaculis obticuit auditis, & ad ſomnos inductus eſt in molliſſimis cunis jacens, & vocibus delinitus infractis? O Deorum aſſertio religioſa! ô amplitudinis metuendæ venerabilem monſtrans atque inſinuans dignitatem! Siccine apud vos quæſo ſupernatum naſcitur eminentia poteſtatum? His in lucem prodeunt generationibus Dij veſtri, quibus aſini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis conceptatur & gignitur terrenarum proluuies beſtiarum? Nec contenti hos cœtus grauitati attribuiſſe Saturniæ, etiam ipſum regem mundi flagitioſiùs liberos procreaſſe, quam ipſe eſt natus atque editus, prædicatis. Ex Hyperiona, inquitis, matre, & ex Ioue jaculatore fulminis, Sol aureus & flagrantiſſimus natus eſt: ex Latona & eodem arquitenens Delius, & ſyluarum agitatrix Diana: ex Leda & eodem Caſtores, Græcè Dioſcuris nomen eſt: ex Alcmena & eodem Hercules ille Thebanus, quem claua pelliſque tutatæ ſunt: ex Semela atque ipſo Liber, [b] qui Bromius dicitur, & ex femine iterum natus patris: ex ipſo rurſus & Maia, [c] Mercurius ore facundus, & geſtator affabilium colubrarum. Poteſt vlla grauior contumelia Ioui veſtro infligi, aut quicquam eſt aliud, quod labefactet, aut deſtruat Deorum principis auctoritatem, quàm quod eum creditis voluptatibus aliquandó libidinoſis victum, & in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluiſſe feruore? Et quid regi Saturnio matrimoniis fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat ſatis Iuno, nec ſedare impetum cupiditatum in regina poterat numinum, cum nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas, & vlnarum niuei marmoreique candores? An vxore contentus haud vna, concubinis, pellicibus, atque amiculis delectatus impatientiam ſuam ſpargebat paſſim, vt babecali adoſcentes ſolent, ſalax Deus, & canus ex finitis corporibus flaceſcentium voluptatum reſtituebat ardorem? Quid dicitis ô impii, vel quas de veſtro Ioue opinionum confingitis fœditates? Ita non animaduertitis, non videtis, cujus eum notetis probri? cuius criminis conſtituatis auctorem? vel quas in eum labes flagitiorum, quantas coaceruetis infamias? Ad libidinem homines proni, atque ad voluptarum blanditias naturæ infirmitate proclines, adulteria tamen legibus vindicant, & [d] capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis ſe lectuli expugnatione iециſſe. Subſeſſoris & adulteri perſona cuius eſſet turpitudinis, notæ cuius regum maximus neſciebat, & ſpeculator ille, vt fama eſt, benè meritorum ac peſſimè, quidnam deceret ſe velle rationibus pectoris non perſpiciebat amiſſis. Et tolerari forſitan maletractatio hæc poſſet, ſi eum ſaltem perſonis coniungereris comparibus, & adulter à vobis immortalium conſtitueretur dearum. In humanis verò corporibus quidnam quæſo inerat pulchritudinis, quid decoris, quod irritare, quod flectere oculos poſſet in ſe Iouis? Cutes, viſcera, pituita, atque omnis illa proluuies inteſtinorum ſub inuolucris conſtituta, quam non modò Linceus ille penetrabili acie poſſit horreſcere, verumetiam quiuis alter ſola vel cogitatione vitare. O egregia merces culpæ! ô digna & pretioſa dulcedo, propter quam Iupiter maximus cygnus fieret, & taurus, & candidorùm procreator ouorum! Si aperire oculos mentis & veritatem propriam intueri ſine vlla vultis gratificatione priuata: miſeriarum omnium cauſas, quibus genus, vt dicitis, jamdudum affligitur humanum, ex huiuſmodi reperietis opinationibus fluere, quas habetis antiquitus de Diis veſtris, & quas in melius reformare ante oculos poſita veritate aenuiſtis. Nam nos quidem quidnam de illis aliquando, aut inconueniens ſenſimus, aut conſcriptionibus edidimus indecoris, vt in inuidiam

a *Participes feſcenninorum non eſſent.* Feſcennini verſus à pueris cantàri ſolebant, erantque verba nupta, ſeu omni verborum laſciuia & obſcœnitate plena, vnde *ῥήματα αἰσχρὰ καὶ ἀσχημοσύνης γέμοντα, verba turpia & obſcœnitate referta*, dicuntur illa iocularia dicta Chryſoſtomo, & Lucanus lib. 2. Pharſ. ——— *nec more Sabino*
Excepit triſtis conuicia feſta maritus.
dicti ſunt verò feſcennini, aut à Feſcennio Hetruriæ oppido, vel à faſcino. P R I.

b *Qui Bromius dicitur & ex femine, &c.* Ouidius lib. 4. Metamorp. .... *Bacchumq; vocant, Bromiumq; Lyæumq;*
Ignigenamq; ſatumq; iterùm, ſolumq; bimatrem.
Hieronymus contra hæreſes Iouin. cap. 26. *Mineruam de capite Iouis, & Liberum P. trem de femine eius procreatos doctiſſima finxit Græcia.* Fulgent. lib. 2. mythol. Lucianus deorum dialog. E L M E N.

c *Mercurius Ore facundus.* Iſidorus lib. 8. Orig. cap 11. Fulgent. Mythol. lib. 1. Ouid. lib. 5. Faſt. Clemens Alex. protrept. Horatius lib. 1. Ode. 6. *Idem.*

d *Capitalibus eos afficiunt pœnis.* Adulterium hic capitale facit, quomodo & auctor Queroli. Ammianus Marcell. hiſt. lib. 28. & Theodoretus ſerm. 9. contra Græcos. Romæ morte punitum non eſt, ſed relegatione. Tiberius imp. primus pœnam auxit: viris ſcilicet deportationem, fœminis deportationem & publicationem bonorum. Primus Conſtantinus Magnus adulterij crimen capitis pœna vindicauit, ſacrilegoſque nuptiarum temeratores gladio puniuit. vide Cuiacium lib. 6. obſeru. cap. 11. Briſſonium. ad L. Iuliam de adult. Theodorum Marcilium ad Inſtitut. Iuſtiniani. *Idem.*

nuidiam jaciantur noſtram labores generis humani, & commoditates, quibus viuitur, imminutæ? Numquid à nobis dicitur, vt ciconias, vt palumbes, ex ouis eſſe progenitos quoſdam Deos? Numquid ex pelagi ſpuma, & ex Cæli genitalibus amputatis Cythereiæ Veneris concretum coaluiſſe candorem? Numquid parricidii cauſa vinctum eſſe Saturnum, & ablui diebus ſtatis, vinculorum ponderibus & leuari? Numquid beneficio Curetum ab interitu ſeruatum Iouem? Numquid expuliſſe regno patrem, & alieni iuris imperium violentia & fraude tenuiſſe? Numquid pulſum à nobis ſenem Italorum delituiſſe in finibus, & quod tutus fuiſſet à filio, [a] nomen Latio impoſuiſſe pro munere? Numquid inceſtas nuptias cum ſorore Iouem ipſum dicimus feciſſe nos? aut inuitatum ad ius menſæ pro ſuillis viſceribus prolem neſcium Lycaoniam pranſitaſſe? [b] Numquid altero claudum pede apud inſulam Lemnum fabrilia opera exercuiſſe Vulcanum? Numquid cupidinis atque auaritiæ cauſa, ſicut canit Bœotius Pindarus, Æſculapium fulminis transfixum eſſe telo? Numquid Apollinem ditem factum, eos ipſos reges, quorum gazis fuerat locupletatus & donis, ambiguitate fefelliſſe reſponſi? Numquid furem Mercurium publicauimus? non vos eſſe Lauernam, atque cum hoc ſimul fraudibus præſidere furtiuis? Numquid ex nobis Myrtilus eſt auctor, qui Macari filias, Megalconis ancillulas, profitetur fuiſſe Muſas? Numquid rege à Cyprio, cuius nomen Cinyras eſt, ditatam meretriculam Venerem diuorum in numero conſecratam? Quis ex reliquiis Pelopis compactum eſſe palladium prodidit? non vos? Quis Spartanum fuiſſe Martem? non Epicharmus auctor veſter? Quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus cunctis conſentientibus theatris? Quis menſibus in Arcadia tribus & decem vinctum? non Melæ fluminis filius? Quis ei canes ab Caribus, quis ab Scythis aſinos immolari? non principaliter cum cæteris Apollodorus? Quis dum genialibus inſultat alienis, hæſiſſe in laqueis inuolutum? non commentarij veſtri, non ſcænæ? Numquid aliquando à nobis conſcriptum eſt, mercenariam Deos ſeruitutem ſeruiſſe? vt Herculem Sardibus amoris & petulantiæ cauſa: [c] vt Admeto Apollinem Delium: vt Laomedonti Troico Iouis fratrem: vt eidem, ſed cum paterno Pythium: vt coniugalia ſecreta miſcentibus, Mineruam luminis miniſtram, & lucernarum moderatricem? Nonne ille veſter eſt vates, qui Martem fecit & Venerem mortalium manibus vulneratos? Non ex vobis Panyaſis vnus eſt, qui ab Hercule Ditem patrem, & reginam memorat ſauciatam eſſe Iunonem? Non viraginem ab Ornyto cæſam, cruentatam, vexatam, Polemonis veſtri indicant ſcripta? Non ab Hippocoontis liberis ipſum Soſibius Herculem cruciatum retuliſſe pronunciat, & illati vulneris, & doloris? Apud inſulam Cretam ſepulturæ eſſe mandatum Iouem nobis, editum traditur? In Spartanis & Lacedæmoniis finibus nos dicimus conditos, in cunis coaliros fratres? Noſter ille eſt auctor, qui Patrocles Thurius ſcriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat, reliquiaſque Saturnias tellure in Sicula contineri? Chæroneus Plutarchus noſtrarum eſſe partium comprobatur, qui [d] in Oetæis verticibus Herculem poſt morborum comitialium ruinas diſſolutum in cinerem prodidit? Nam quid de illis amoribus dicam; quibus in fœminas ſanctos incaluiſſe cæleſtes, veſtris proditum literis atque auctoribus continetur? Numquid enim à nobis arguitur rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alopas, per furioſæ cupiditatis ardorem caſtimoniæ virginitate priuaſſe? Numquid Apollo Latonius immaculatus ille, caſtiſſimus, atque purus, Arſinoas, Æthuſas, Hypſipylas, Marpiſſas, Zeuxippas & Prothoas, Daphnas & Steropas, inconſulti pectoris appetiſſe feruoribus? Numquid ſenex Saturnus jamdudum obſitus canis, atque annorum vetuſtate jam frigidus, noſtris carminibus indicatur ab vxore in adulterio comprehenſus induiſſe formam feri, & ſub pecoris ſpecie hinnitibus euolauiſſe jactatis? Iupiter ipſe rex mundi, nonne à vobis infamis eſt iſſe per innumeras ſpecies, & petulantis amoris flammam ſeruilibus obumbrauiſſe fallaciis? Numquid à nobis aliquando conſcriptus eſt libidinoſa vt perficeret furta, modò eſſe [e] in aurum verſus, modò in ſatyrum ludicrum, in draconem, in alitem,

taurum

a *Nomen Latio impoſuiſſe.* Creta profugus in Italiam appulit, eamque de ſuo nomine Saturniam vocauit, quod autem hic refertur, *quod tutus fuiſſet à filio*, narrat Minutius, *latebram ſuam, quod tutò latuiſſet, vocari maluit Latium.* ſicque dictam Italiæ partem in qua delituerat, Latium à latendo, quod & Virgilius ſequi videtur lib 8. Æneid

—— —— Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris

& quamuis Italia tota Saturnia dicta ſit, hic tamen vrbs tantùm eo nomine innuitur. P R I.

b *Numquid altero claudum pede.* Hæc vt quæ ſequuntur, à Clemente Alexandrino mutuatus eſt Arnobius. Quod ante me obſeruauit Theodorus Canterus qui verba ex protreptico adduxit. *Idem.*

c *Vt Admeto Apollinem Delium.* Id plurimi tradiderunt, & νόμιος ideò dictus Apollo, qui paſtor ab Amphryſo Virgilio: Verùm id falsò Apollini tributum, Nam rex quidam Arcadiæ, cuius ignoratur nomen, regno pulſus, ad Admetum Theſſaliæ regem confugit, qui cum eius infortunio moueretur, populos ad amnem Amphryſum regendos commiſit, inde enata eſt fabula, de qua & Tertullianus Apolog. 14. *Hic Apollinem Admeto regi paſcendis pecoribus addicit.* In Hercule furente Seneca. *Paſtor Pheræos Delius pauit greges.* Sed non faciam vt omnes hic vel ſolum indicem tum ſacros cum profanos qui de his egetunt. *Idem.*

d *In Oetæis verticibus Herculem poſt morborum comitialium ruinas.* Morbus iſte comitialis ideò ab Ariſtotele, morbus Herculeus vocatur: Hercules apud Senecam in Oetæo Herc. plangentem matrem ſic alloquitur.

quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis injectus tulit,
Paterna cælo pars data eſt, flammis tua.

Minutius Felix in Octauio. *Hercules, vt hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur.* Oeta mons eſt in Thracia vbi vſtulatus Hercules traditur. *Idem.*

e *In aurum verſus.* Hygin. fabul. 63. *Iouis in imbrem aureum conuerſus, cum Danae concubuit.* Tertull. apolog.

taurum, & quod omnia genera contumeliatum tranſiliat, in formiculam paruulam, vt Clitoris videlicet filiam, Myrmidonis redderet apud Theſſalos matrem? Quis illum [a] in Alcmena nouem noctibus fecit peruigilaſſe continuis? non vos? Quis in amoribus deſidem derelicta cæli ſtatione jacuiſſe? non vos? Et ſanè adjungitis beneficia non parua: ſiquidem vobis Deus Hercules natus eſt, qui in rebus huiuſmodi patris ſui tranſiret exuperaretque virtutes. Ille noctibus vix nouem vnam potuit prolem extundere, concinnare, compingere: at Hercules ſanctus Deus natas quinquaginta de Theſtio nocte vna perdocuit & nomen virginitatis exponere, & genitricum pondera ſuſtinere. Quid, quòd non contenti feminei generis attribuiſſe Diis curas, etiam ſexus adiungitis adamatos ab his mares? Hylam neſcio quis diligit: Hyacintho eſt alius occupatus: ille Pelopis deſideriis flagrat: hic in Chryſippum ſuſpirat ardentiùs: [b] Catamitùs rapitur delicium futurus, & poculorum cuſtos: & vt Iouis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obſignaturque poſticis. Sed ſoli amant apud vos mares, & femineo ſexui ſua conſeruata eſt ſanctitas? Nonne veſtris cautum eſt literis, adamatum eſſe ab Aurora Tithonum, arſiſſe in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetin, Poſerpinam in Adonem, matrem eius Cererem in Iaſionem neſcio quem ruſticanum, & poſt Vulcanum, Phaëtontem, Martem, in Anchiſæ nuptias ipſam illam Venerem Æneadum matrem, & Romanæ dominationis auctorem? [c] Cum talia igitur vos probra, & flagitioſa prodigia, non in vnum aliquem nominatim, ſed in omnem pariter ſuperorum gentem quam eſſe vos remini, ſine vllius exceptione jaciatis, audetis ſalua verecundia dicere, aut eſſe nos impios, aut vos pios? cum multò maiores ferant à vobis offenſas ex omnibus probris, [d] quæ in illorum maledicta conducitis, quàm amplitudinis & honoris ex ritu atque officio cultionis? Aut enim falſa illa ſunt cuncta, quæ ſunt prompta de ſingulis, exiſtimationem illorum maieſtatemque lædentia, & res digna omninò eſt, propter quam Dij funditus genus omne debeant abolere mortalium: aut ſi explorata & vera ſunt, & ſine vllis dubitationibus comprehenſa, ad eam perducitur res ſummam, vt inuitiſſimis vobis non generis ſuperi, ſed humani eos fuiſſe credamus. Vbi enim nuptiæ, matrimonia, puerperia, nutrices, artificia, debilitates, vbi ſtatus capitis, & [e] conditio ſeruitutis, vbi vulnera, cædes, cruor, vbi amores, deſideria, voluptates, vbi omnis animorum affectio ab inquietis perturbationibus veniens, neceſſe eſt diuinum nihil iſtic eſſe: nec quod proprium caduci eſt generis, & terrenæ fragilitatis, præſtantiori poſſe adhærere naturæ. Quis eſt enim qui credat, ſi modò agnoſcit ac percipit vis iſtius potentiæ quæ ſit, aut genitabiles habuiſſe partes Deum, & abſciſſione fœdiſſima priuatum his eſſe: aut ex ſe proditas aliquando intercepiſſe proles, & vinculorum coërcitum pœnis: aut cum patre quodammodo conſeruiſſe bella ciuilia, & eum jure abſtinuiſſe regali: aut exterritum minoris metu vertiſſe exuperatum terga, & tamquam fugitiuum & exulem in ſubmotis delituiſſe ſecretis? Quis eſt, inquam, qui credat ad humanas accubuiſſe Deum menſas, interemptum auaritiæ cauſa, fefelliſſe ſupplices ambiguitate reſponſi, præcellere in furtorum dolis, adulteraſſe, ſeruiſſe, vulneratum eſſe, & adamaſſe, & per omnes libidinum formas inceſtarum cupiditatum circumegiſſe pellaciam? Atquin omnia vos iſta & fuiſſe, & ineſſe in Diis aſſeueratis veſtris: neque vllam prætermittitis ſpeciem vitioſitatis, maleficii, lapſus, quam non in conuitium numinum opinionum petulantia conferatis. Aut igitur vobis quærendi ſunt Dii alii, in quos omnia iſta non cadant; in quos enim hæc cadunt, humani ſunt generis atque terreni, aut ſi hi ſunt tantummodò, quorum publicaſtis & mores, eos opinionibus tollitis veſtris. Mortalia ſunt enim quæcùmque narratis. Et poſſumus quidem hoc in loco omnes iſtos, nobis quos inducitis atque appellatis Deos, homines fuiſſe monſtrare, [f] vel Agragantino Euhemero replicato, cuius libellos Ennius, clarum vt fieret cunctis, ſermonem in Italium tranſtulit: vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenenſi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui ſcrupuloſæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt. Poſſumus, inquam, ſi placet, & Iouis res geſtas, & Mignum,

cap. 21. Ouidius lib. 6. Metamoph. Athenagoras apolog. pro Chriſtian. Theodoretus contra græcos ſerm. 3. de diis, angelis, & dæmonibus. Seruius in 5. Æneid. Iſocrates laudat. Helenæ. Lactant lib. 1. c. 11. Epiphanius in ancorato. Prudentius lib. 1. contra Symmachum. ELMEN.

a *In Alcmena nouem noctibus fecit peruigilare.* Arnobius hîc Clementem ſequitur in protrept. Seruius in 8. Æneid. & Lucianus deor. dialog. ſcribunt Iouem trinoctium; Plautus prologo Amphitr. vnam ſaltem ſed longiorem. Hieronymus tom. 2. aduerſ. Vigilantium cap. 4. Ouidius lib. 1. Amor. eleg. 13. & Hygin. fab. 29. duas noctes congeminaſſe, dum cum Alcmena cubat. *Idem.*

b *Catamitus rapitur.* Ouid. lib. 10. Metam. Prudentius περὶ στεφάνων. Seruius ad 1. Æneid. Fulgent. lib. 1. Mythol. Hygin. fab. 271. Epiphanius in ancorato. Feſtus in *catamitus.* Lucianus deor. dial. *Idem.*

c *Cum talia igitur vos probra, & flagitioſa prodigia, &c.* Tertullianus illa flagitia & turpitudinem, vanamque de diis fingendi libidinem, notat Apolog. 14. *Hæc neque vera prodi,* inquit, *neque falſa confingi apud religioſiſſimos oportebat.* Religioſiſſimos eodem ſenſu vocat quo hic Arnobius, pios. PRI.

d *Quæ in illorum maledicta conducitis.* Proba lectio. Id eſt, quæ ad eos maledictis vexandos corraditis. nihil igitur mutandum. ſic autem *conducere* ſæpè apud Lucretium & alios. HER.

e *Conditio ſeruitutis.* Hæc à Septimio Tertull. examinantur Apolog. 14. nos ſuprà de Paſtore Apolline diximus. PRI.

f VEL AGRAGANTINO EVHEMERO. Hunc Meſſenium facit Lactantius lib. 1. c. 11. vt & Plutarchus de Iſide & Oſiride; cur verò hic Acragantius dicatur, aut ibi Meſſenius non ita facile eſt dicere. Scripſit autem Euhemerus

neruæ expromere bella, virginis & Dianæ: quibus dolis Liber Indorum affectauerit regnum, [a] cuius fuerit conditionis Venus, cuius operæ, cuius quæſtus: matrimonium Magna cuius tenuerit mater: quidnam ſpei, quid voluptatis ſpecioſo ab Attide conceperit: vnde Serapis Ægyptius, vnde Iſis, vel ex quibus cauſis appellatio ipſa concinnata ſit nominum. Sed non iſtam ſuſcepimus in eo ſermone, quem facimus, vel operulam, vel voluntatem, vt oſtendamus, & publicemus, quinam fuerint hi omnes. Illud nobis propoſitum eſt, vt quoniam nos impios & irreligioſos vocatis, vos contrà pios & Deorum contenditis eſſe cultores, demonſtrare atque in medio ponere, ab hominibus magis nullis ignominoſiùs eos tractari, quàm à vobis. Quod ſi habere ſe ita ex ipſis maledictionibus promptum eſt, ſequitur vt intelligi debeat, vos ſuperis ſtimulos indignationum furialium commouere: qui tam fœdas de illis vel auditis, vel creditis, vel ignominioſas ipſi compingitis fabulas. Non enim qui ſolicitè relegit, & immaculatas hoſtias cædit, qui aceruos turis dat concremandos igni, numina cenſendus eſt colere, aut officia ſolus religionis implere. Cultus verus in pectore eſt, atque opinatio de Diis digna: nec quicquam prodeſt illatio ſanguinis & cruoris, ſi credas de his ea, quæ non modò ſint longè ab eorum diſſita diſtantiaque natura, verùm etiam labis & turpitudinis aliquid, & maieſtati eorum concilient, & decori. Interrogare enim vos libet, & ad ſermonis exigui reſponſionem vocare, vtrumne grauius exiſtimetis nullas cædere his hoſtias, quia putes naturam tantam neque velle, neque appetere iſtas: an talia de his probra opinionum fœditate concipere, quæ cuiuſuis animum in vltionis poſſint rabiem concitare? Si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam inuidum iudicem, qui non criminoſius æſtimet maledictis inſignibus cuiuſpiam famam carpi, quàm à quoquam ſilentio præteriri. Hoc enim forſitan rationis exiſtimari poſſit & credi: illud ſacrilegæ mentis eſt, & deſperatæ in fictionibus cæcitatis. In cærimoniis veſtris, rebuſque diuinis, poſtulionibus locus eſt, & piaculi dicitur contracta eſſe commiſſio, ſi per imprudentiæ lapſum, aut in verbo quiſpiam, [b] aut ſimpuuio deerrarit, aut ſi curſu in ſolennibus ludis, curriculiſque diuinis: commiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, ſi ludius conſtitit, aut tibicen repentè conticuit: aut ſi patrimus ille qui vocitatur puer, [c] omiſit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit: & audetis abnuere in delictis tam grauibus violari ſemper à vobis Deos, cùm in leuioribus cauſis iraſci eos ipſi cum pernicie ſæpiùs confiteamini ciuitatis? Sed poëtarum inquiunt figmenta ſunt hæc omnia, & ad voluptatem compoſitæ luſiones. Non eſt quidem credibile homines minus brutos & vetuſtatis remotiſſimæ veſtigatores, aut non eas inſeruiſſe ſuis carminibus fabulas, quæ in notionibus hominum ſupereſſent, atque in auribus collocatæ: aut ipſos ſibi tantum [d] licentioſi voluiſſe juris adſciſcere, vt confingerent per ſtultitiam res eas, quæ nec ab inſania procul eſſent remotæ, & quæ illis ab Diis metum, & periculum poſſent ab hominibus comparare. Sed concedamus, vt dicitis, deformitatum tantarum concinnatores eſſe atque inuentores poëtas: immunes tamen à Deorum maletractatione nec ſic eſtis, qui aut talia ceſſatis maleficia vindicare: aut non legibus latis, & ſeueritate pœnarum tantæ iſtis obuiam temeritati, conſtitutumque à vobis eſt, ne quis poſthac hominum, id quod eſſet turpitudini proximum, aut Deorum indignum maieſtatibus, loqueretur. Quiſquis enim patitur peccare peccantem, is vires ſubminiſtrat audaciæ: & maioris contumeliæ res eſt, falſis quemquam notare atque inſignire criminibus, quàm vera ingerere atque obiectare delicta. Quod enim ſis dici, & quod eſſe te ſentias, morſum habet minorem teſtimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud verò acerbiſſimè vulnerat, quod inuritur innoxio, & quod decus nominis atque exiſtimationis infamat. Deſcribuntur Dij veſtri in tricliniis cæleſtibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare, & ad vltimum fidibus & vocum modulatione mulceri. Vos aures patientiſſimas commodatis: nec iudicatis indignum voluptates attribui Diis eas, quibus corpora terrena fulciuntur, & quas aures expetunt eneruati pectoris diſſolutione mollitæ. Inducuntur ex his alii amatores,

meros Iouis res geſtas, & aliorum qui vulgò dij habebantur. De hoc mentionem fecit Tullius lib. 1. de nat. deorum. Plutarch. de plac. phil. Clemens Alexander in protrept. Ioſephus 1. contra Appionem. Auguſtinus lib. 6. & 7. de ciu. Dei Euſebius cap. 4. lib. 11. de præp. & alij. PRI.

a *Cuius fuerit conditionis Venus, cuius opera, cuius quaſtus.* Hæc omnia ſignificantiſſimè dicuntur, *conditio*, *opera*, *quaſtus*. De conditione notauimus anteà: *opera* quoque propriè: ſic ἐργάζεσθαι dicunt, & meretrices vocantur ἐργάτιδες atque earum ἐμπολή, ac quæſtus ἐργασία. De quæſtu puerilis obſeruatio eſt. Sed obſeruent hunc locum Plauti in Aſinaria tirones.

------ mater, is quaſtus mihi eſt:

Lingua poſcit: corpus quærit: animus orat: res monet.

HERAL.

b *Aut Simpuuio deerrarit.* Alij, *ſimpulum*, vas autem erat ſacrificiis vtile, in quo lauabant ſacerdotes. Aliquando & in ſimpulo bibebatur, vnde à ſumendo deriuatum ait Varro περὶ μαθ. Iuuenalis ſat. 6.

Simpuuium videre Numa, priſcumque Catonem.

Tertullianus apol. 13. Simpuuium quod Græcis σπονδεῖον in conuiuiis primò vſurpabatur, vt gutti, ambo tamen ad ſacrificia tranſlata ſunt. PRI.

c *Omiſit per ignorantiam eorum.* Quod tenebant ii qui tenſam deducebant, vt docet Aſconius. Erat autem *tenſa*, inquit Capito apud Feſtum, *vehiculum quo exuuia deorum ludicris Circenſibus in circum ad puluinar vehuntur*, fuiſſe & ex ebore & ex argento ibidem docet. Erat igitur vehiculum: quare ὄχον appellat Dio lib. 44. καὶ ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχον ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. de honoribus Iul. Cæſari decretis, de quibus Suetonius. HER.

d *Licentioſi.* Gloſſæ: *licentioſus*, παῤῥησιαστής; Quintilianus libro 1. capite 6. *Iecur & femur controuerſiam fecerunt, quod non minùs eſt licentioſum, quàm ſi ſulphuri, & gutturi ſubiicerent in genitiuo literam o mediam.* ELMEN.

tores, adulteri caſtitatis, nec cum feminis tantùm, ſed cum viris etiam propudioſos flagitioſoſque miſcere concubitus. Vobis nulla eſt çura quid ſuper rebus dicatur tantis, neque vllo ſaltem caſtigationnis metu luxuriantium literarum coërcetis audaciam. Per inſanias, per furores orbare alij ſe, & tamquam hoſtili de ſanguine, ita ſe proprio parricidio cruentare. Sacrilegia vos illa miramini elata ſublimiter, & quod pœnis omnibus conueniebat plecti, vt animoſiùs conſurgat audacia, [a] incentiuo extollitis laudis. Illi vulnera orbitatis ingemere, & cum eiulatibus indecoris fata incuſare crudelia: vos ſtupetis eloquentiæ viribus, & quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli, percenſetis, ediſcitis, ac ne vlla intercidat obliuione curatis. Vulnerari, vexari, bella inter ſe gerere furialium memorantur ardore diſcriminum: vobis illa eſt deſcriptio voluptati, atque vt ſcriptorum tantam defendatis audaciam, allegorias res illas, & naturalis ſcientiæ mentimini eſſe doctrinas. Sed quid ego neglectas aliorum conqueror contumelias numinum? [b] Ipſe ille Iupiter, cuius vos nomen effari non ſine metu decuit & totius corporis concuſſione, amaſio captus ab vxore deſcribitur confiteri culpas ſuas, & velut demens ac neſcius, quas amiculas coniugi, quas vxori antepoſuerit pellices, obduratus inuerecundia publicare: vos talia qui extulere prodigia, poëtarum eſſe principes atque reges diuinis ingeniis prædidos, capita eſſe memoratis ſanctiſſima: tantumque ab officio religionum, quas inducitis, euolaſtis; vt grauioris ponderis ſint apud vos verba, quàm cælitum violata ſublimitas. Ita ergo non decuit, ſi modò vllus Deorum eſſet apud vos metus, aut ſi eſſe illos vſpiam præſumptionis certiſſimæ confidentia crederetis, rogationibus, plebiſcitis, conſultorum ſenatus metu intercedere, prohibere, ſancire, ne quis vellet de Diis paſſim, niſi quod eſſet plenum religionis, effari. Nec à vobis ſaltem iſtum meruerunt honorem, vt quibus expellitis à vobis, eiſdem ab his legibus propulſaretis iniurias. [c] Majeſtatis ſunt apud vos rei, qui de veſtris ſequius obmurmurauerint aliquid regibus. Magiſtratum in ordinem redigere, Senatorem aut conuitio proſequi, ſuis eſſe decreſtis periculoſiſſimùm pœnis. [d] Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus ſcitis euadere noluiſtis impunè: ac ne veſtras aures conuitio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis iniuriis. Soli Dij ſunt apud vos ſuperi inhonorati, contemptibiles, viles: in quos ius eſt à vobis datum, quæ quiſque voluerit dicere: turpitudinum jacere, quas libido confinxerit atque excogitauerit, formas. Et incuriam nobis intendere tam infamium non erubeſcetis numinum, cùm ſit rectius multò Deos eſſe non credere, quàm eſſe illos tales, talique exiſtimatione ſentire. Sed poëtis tantummodò licere voluiſtis indignas de Diis fabulas, & flagitioſa ludibria comminiſci? Quid pantomimi veſtri, quid hiſtriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo? Nonne ad vſum quæſtus ſui abutuntur Diis veſtris, & lenocinia voluptatum ex iniuriis attrahit contumeliiſque diuinis? Sedent in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium, magiſtratuumque collegia, Pontifices maximi, & maximi Curiones: [e] ſedent Quindecimviri laureati, & Diales cum apicibus Flamines: ſedent Augures interpretes diuinæ mentis & voluntatis: necnon & caſtæ virgines, perpetui nutrices & conſeruatrices ignis: ſedet cunctus populus & ſenatus: conſulatibus functi patres, Diis proximi atque auguſtiſſimi reges: & quod nefarium eſſet auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans ſaltatur Venus, & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari: ſaltatur & Magna ſacris compta cum infulis Mater; & contra decus ætatis illa Peſſinuntia Dindymene, in bubulci vnius amplexu flagitioſa fingitur appetitione geſtire: necnon & illa proles Iouis Sophoclis in Trachiniis Hercules peſtiferi tegminis circumretitus indagine miſerabiles edere inducitur eiulatus, violentia doloris frangi, atque in vltimam tabem diffluentium viſcerum maceratione conſumi. Quin & ille in fabulis maximus ipſe regnator poli, ſine vlla nominis majeſtatiſque formidine, adulterorum agere introducitur partes, atque vt fallere caſtitatem alienarum poſſit familias matrum, ora immutare pellacia, & in ſpecies conjugum ſubditiui corporis ſimulatione ſuccedere. Nec ſatis hæc culpa eſt: etiam mimis, & ſcurrilibus ludi-

cris

a *Incentiuo extollitis laudis*. Prudentius Apotheoſi, *incentiuum peccaminis*. Cyprianus de laude martyrij, *mercedis incentiuum*. ELMEN.

b *Ipſe ille Iupiter, cuius vos numen*. Alludit hoc loco ad verſus Homeri Iliad.

τὴν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεὺς
ἥρη κεῖσε μὲν ἔστι καὶ ὕστερον ὁρμηθῆναι. &c.

CANT.

c *Majeſtatis ſunt apud vos rei*. Non ſolùm maledicta aut liberiores voces, ſed quæcumque minus religiosè, minus ſeruiliter dicta de Imperatoribus erant, ea grauiſſimis pœnis à crudeliſſimis tyrannis vindicabantur. Tandem Theodoſius, Arcadius & Honorius A A A. conſtitutionem ſanxerunt ſanè mitiſſimam in eos qui Imperatori maledixiſſent. extat in cod. de famoſorum carminum coercitione, plana res eſt

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius eſt
Iudiciumque, HER.

d *Carmen malum conſcribere, &c.* Ipſam Decemvirorum legem ex XII. Tabulis rei illuſtrandæ adſcribendam puto. *Si quis carmen occentaſſit, actitaſſit, condidiſſet, quod alteri flagitium faxit, capital eſto*. Hanc non melius aliundè quàm Vlpiani verbis, interpretandam exiſtimamus. lib. 50. ad edictum. STEVV.

e *Sedent quindecimviri laureati*. Quindecimviri Sibyllinorum librorum cuſtodes: qui etſi tandem ſexaginta fuerint, remanſit tamen in his quindecim vocabulum, vt obſeruat Seruius. *laureati* autem, quia cum ludos variè coronati ſpectarent, ſanè quindecimviros qui ſibyllinas ſortes tractabant, lauro coronari erat æquiſſimum. HER.

cris ſanctiſſimorum perſonæ interponuntur Deorum. Et vt ſpectatoribus vacuis riſus poſſit atque hilaritas excitari, iocularibus feriuntur cauillationibus numina, conclamant, & aſſurgunt theatra, caueæ omnes concrepant fragoribus atque plauſu. Et quod nullis poſſit ſatisfactionibus expiari, exoletis, atque irriſoribus numinum dona inſtituuntur & munera, ab officiis ocium publicis, immunitas, & vacatio cum coronis. Et audetis poſt iſta mirari, vnde oriantur hæc mala, quibus inundatur & premitur ſine vlla intermiſſione mortalitas; cùm omnes res eas, quibus ſunt inuoluta probra numinum, & maledictionis elogia, & quotidie referatis, & ediſcatis quotidie: & ſi quando animum deſidem ocioſis vultis halucinationibus occupari, dies vobis poſcatis dari, & ſine vllis intermiſſionibus exhiberi. Quod ſi haberet vos aliqua veſtris pro religionibus indignatio; has potiùs literas, hos exurere debuiſtis olim libros, demoliri, diſſoluere theatra hæc potiùs, in quibus infamiæ numinum propudioſis quotidie publicantur in fabulis. Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter [a] conuenticula dirui? [b] in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione: in quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiaris communicatores rei, & cum omnibus [c] conſolidæ germanitatis neceſſitudine copulatos. Verùm ita ſe res habet, vt quoniam plurimum gladiis, & poteſtate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis ſcientia iudicetis: & eſſe pro Diis pios, quorum potentias primi opinionum obſcœnitate fœdaſtis. Hoc in loco, ſi ferocitas veſtra permittit, & rabies patitur, illud nobis vt reſpondeatis, oramus: vtrumne iras cadere in naturam exiſtimetis Deorum, an ab affectibus his longè diuinam eſſe beatitudinem diſiugatam? Nam ſi concipiunt has faces, & motibus exaſperantur irarum, ſicut veſtræ opinationes ferunt: nam ſæpè illos dicitis & propter ludos minùs ſollicitè factos, & propter præſules non probatos, & propter quædam ſpatiola deſanata, & propter cæremonias non ritè perfectas, tremoribus infremuiſſe terrarum, & contagione peſtilenti corrupiſſe auras temporum luctuoſa cum populi vaſtitate, ſequitur vt intelligi debeat iracundias non paruas ex opinionibus eos continere prædictis. Quod ſi datur, & illud neceſſario conſequens, miſerias has omnes, quibus olim genus accumulatur humanum, ab huiuſmodi fluere fictionibus. Quod ſi ab his cauſis indignatio proficiſcitur numinum, miſeriarum tantarum vos eſtis auctores, qui animos cælitum non ceſſatis offendere, & vltionis in rabiem concitare. Sin autem ab huiuſmodi furiis Deorum eſt genus immune, neque quid ſit iraſci Dij omninò nouerunt: & nobis ergo iraſci ſine vlla ratione dicuntur, qui ira quid ſit, ignorant. ([d] & ab eius comptu & permixtione ſunt abſoluti. Neque enim fieri per rerum naturam poteſt, vt quod vnum eſt, fiat duo: & in diuerſas res eat vnitas, ingenita ſimplicitate diuiſa.)

ARNO-

a *Conuenticula.* Conuenticula loca ſunt, vbi Chriſtiani congregati orare conſueuerunt. Auguſtin. tom. 2. epiſtol. 64. ad Aurelium vocat *domus orationum*. Maximian Imp. apud Euſebium lib. 8. Eccleſ. hiſt. c. 14. Oroſius lib. 7. cap. 12. ELMEN.

b *In quibus ſummus oratur Deus, &c.* Tertullian. apol. 29. 30. & 31. Martyrologium M S. in S. Sebaſtiano. S. Cyprianus ad Demetrianum, Cæſarius epiſcopus Arelatenſis hom. 29. Et Athenagoras pro Chriſtian. Auguſtinus ſermon. 10. de S. Stephano. *Idem.*

c *Conſolida germanitatis neceſſitudine copulatio.* Arnobius in pſalm. 131. *modo dicite mihi, quid conueniſtis omnes in vnum vos, qui fratres nominamini? aut vnde eſtis omnes fratres eſſendite? De vno,* inquit, *patre Chriſto, & de vna matre Eccleſia.* Tertullian. apolog. cap. 39. Minutius Felix Octauio. Athenagoras apolog. Philo de Charitate. Ambroſius de Abraham lib. 2. cap. 6. de Noe & Arca cap. 6. Hieronymus eruditè docet, quatuor modis in ſacris literis fratres dici. vide illum tom. 2. adu. errores Heluidij cap. 8. *Idem.*

d *Et ab eius comptu & permixtione.* Steuvechius legebat, *contentu*, verùm libentiùs ſequerer Vrſinum qui *contactu* ſcribit; Niſi *contemptu* ſcriptum quis dicat & obliteratis quibuſdam literis *comptu* remanſiſſe. Doctiſſimus Cuiacius *contenta*, augurabatur, vtrum volet lector, eligat. PRI.

ARNOBII

DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES

LIBER QVINTVS.

[a] ESTO: ab ludentibus poëtis cuncta illa ſint prodita de immortalibus Diis probra. Quid illa quæ hiſtoriæ continent graues, ſeriæ, curioſæ, quæque in arcanis myſteriis traditis poëtarum ſunt excogitata laſciuia? Quæ ſi vobis viderentur ineptiarum talium fabulæ, neque in vſu retineretis quotidianó, neque per curſus annuos lætitias exerceretis vt feſtas, neque vt rerum ſimulacra geſtarum ſacrorum conſeruaretis in ritibus. Ex quibus tam multis vnum interim ponam, moderaminis temperamentum ſecutus, in quo ſtolidus & imprudens ipſe ille inducitur Iupiter, verborum ambiguitatibus luſus. In ſecundo [b] Antiatis libro, ne quis fortè nos exiſtimet concinnare per calumnias crimina, talis perſcripta eſt fabula. Numam illum regem, cum procurandi fulminis ſcientiam non haberet, eſſetque illi cupido noſcendi, Egeriæ monitu caſtos duodecim iuuenes apud aquam celaſſe cum vinculis: vt cum Faunus, & Martius Picus ad id locorum veniſſent hauſtum, nam illis aquandi ſolenne iter huc fuit, inuaderent, conſtringerent, colligarent. Sed quò res fieri expeditiùs poſſet, regem pocula non parui numeri [c] vino, mulſoque compleſſe, circaque acceſſus fontis inſidioſam venturis oppoſuiſſe fallaciam. Illos more de ſolito bibendi appetitione correptos, ad hoſpitia nota veniſſe. Sed cum liquoribus odoratis offendiſſent fragrantia pocula, vetuſtioribus antepoſuiſſe res nouas, inuaſiſſe auiditer dulcedine potionis captos, hauſiſſe plus nimio, obdormiuiſſe factos graues: tum bis ſenos incubuiſſe ſopitis, inieciſſe madidatis vincla, expergitoſque illos ſtatim perdocuiſſe regem, quibus ad terras modis Iupiter poſſet & ſacrificiis elici: & accepta regem ſcientia rem in Auentino feciſſe diuinam, elexiſſe ad terras Iouem, ab eoque quæſiſſe ritum procurationis & morem: Iouem diu cunctatum expiabis dixe capite fulgurita: regem reſpondiſſe, cæpicio: Iouem rurſus, humano: retuliſſe regem, ſed capillo. Deum contrà, anima: piſcis, ſubjeciſſe Pompilium. Tunc ambiguis Iouem propoſitionibus captum extuliſſe hanc vocem, decepiſti me Numa; nam ego humanis capitibus procurari conſtitueram fulgurita, non capillo cæpicio: quoniam me tamen tua circumuenit aſtutia, quem, voluiſti habeto morem: & his rebus, quas pactus es, procurationem ſemper ſuſcipies fulguritorum. Quid primum, quid vltimum, vel exequatur animus, vel conticiſcat, nec facile dictu eſt, neque vllis conſiderationibus expeditum. Ita enim ſunt omnia & excogitata, & compatata deriſui, vt ſit vobis connitendum, falſa vt credantur hæc eſſe, etiam ſi ſint vera, quàm obtinere velle pro veris, & velut quiddam mirabile non ſine ipſius numinis inſinuare contemptu. Quid enim dicitis, ô iſti? Credimúſne illum Faunum, & Martium Picum, ſi ex numero ſunt Deorum, & ex illa perpetua immortalique natura, ſitis aliquando ariditate ſiccatos, atque vt æſtum poſſent irrigare venarum, fluenta iſſe per fontium? Credimuſne captos mero, & dulcedine illectos mulſi, tamdiu [d] ſe poculis ingurgitauiſſe fallacibus, vt vſque ad ebrietatis periculum veniretur? Credimuſne vinctos ſomno, atque altiſſimi ſoporis obliuione demerſos, vinciendi copiam ſui animalibus præbuiſſe terrenis? Quibus deinde partibus vinculorum illæ iniectæ ſunt nexiones, ſoliditatis habebant quicquam? aut ex duris oſſibus informatæ fuerant eorum manus, quæ conſtringi laqueis, & nodorum poſſent illigationibus coërceri? Non enim requiro, non exigo, an aliquid potuerit fari ebrietatis alienatione nutantes: an Ioue inuito, vel potiùs neſcio, protrahendi ad terras eius ritum quiſquam potuerit publicare: illud ſolum audire deſidero, cur ſi Faunus & Picus ſunt diuini generis & poteſtatis,

a *Eſto: ab ludentibus poetis.* Quæ propoſita anteà do vobis à ludentibus & laſciuientibus poëtis conficta: quo tandem pacto excuſabitis ea, quæ hiſtoriæ graues & ſeriæ produnt; quæque in ſanctiſſimis veſtris, vt exiſtimatis, myſteriis traduntur, non minus ridicula? Ait, *poetarum ſunt excogitata laſciuia.* Ita ſignificat poetarum ludos & *παιδιάς.* HER.

b *Antiatis.* Huius meminerunt Liuius lib. 3. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 13. ELMEN.

c *Mero vino.* Vinum merum dicitur, cui nihil admixtum eſt. Id Plautus Amphitr. ſcena 1. act. 1. appellat, *vinum vt à matre natum fuit.* Idem.

d *Se poculis ingurgitauiſſe fallacibus.* Dixerat modò, inſidioſam venturis oppoſuiſſe fallaciam, de eodem vino loquens. vini fallaciam ſeu fraudem eleganter Plautus adumbrat.

Magnum hoc vitium vino eſt, pedes
Captat primum, luctator doloſus eſt.

Similiter Seneca paulò grauiùs vt philoſophum decet epiſt. 114. *Sicuti in vino non antè lingua pedeſque titubant quam mens oneri ceßit, & inclinata vel prodita eat: ita iſta oratio, nulli moleſta eſt, niſi animus labat.* Mœcenatis orationem mollem & eneruatam carpebat. PRI.

ſtatis, non ipſi potiùs edidere quærenti id, quod ab ipſo Ioue periculoſiùs Numa cupiebat audire? An numquid Iupiter ſolus huius rei ſcientiam nouerat, ab ipſo enim decidunt fulmina, vt imminentia procurare alicuius debeat ſcientiæ diſciplina? An cùm ipſe jaculetur hos ignes, aliorum ſit operis ſcire, quibus modis conueniat iras eius, atque animos temperare? Etenim reuera ſtultiſſimum credere eſt, ipſum remedia ſcire, quibus auerti poſſint, quæ per fulminis jactum in humanis fieri conſtituerit rebus. Hoc eſt enim dicere: illo ritus genere meas iras placabitis: & ſi quando per fulgura ſignificauero aliquid imminere, facite hoc & illud, vt quod fieri ſtatui, inane fiat & vacuum, & ſacrorum vi vaneſcat. Sed concedamus, vt dicitur, ipſum aduerſum ſe Iouem remedia ſciſſe atque artes, quibus iri obuiam ſuis ſignificationibus conueniret: etiamne credemus Deum numinis tanti tractum eſſe ad terras, & in verrucula collis vnius cum homunculo ſtantem, altercabilem conſeruiſſe ſermonem? Et quænam illa quæſo diuina res fuit, quæ ab impetu rerum tanto Iouem compulit auocari, & mortalium ſeſe[a] denunciationibus[b] ſiſtere? mola ſalſa, tus, ſanguis, verbenarum ſuffitio, & nominum terribilium fremores. & potentiora quàm Iupiter fuerunt hæc omnia, vt eum compellerent inuitum parere præceptis, aut voluntarium ſeſe circumuentionibus tradere? Quid? quod ſequitur fidem ſumet, aut tam improuidum fuiſſe Saturnium, vt aut ea proponeret, quorum ambagbius ipſe caperetur, aut neſciret futurum, quibus luſura ſe modis aſtutia eſſet calliditaſque mortalis? Expiabis, inquit, capite fulgurita. Imperfecta adhuc vox eſt, neque plena, proloquii, circumſcriptaue ſententia. Scire enim neceſſariò conuenit, vtrumne capite veruecino, an ſuillo, an quolibet alio, expiationem iſtam ſciſcat Dieſpiter perpetrari. Quod cum nondum ſpecialiter ſtatuiſſet eſſetque adhuc pendens, & nondum ſententia terminata, qui potuit Numa ſcire hominis Iouem dicturum caput, vt anteuerteret, anteiret, & in caput cæpicij ambiguitatis illius incerta traduceret? Niſi fortè dicetis regem fuiſſe diuinum. Numquid ipſo poterat eſſe Ioue diuinior? Niſi homo præſumens, quid dicturus eſſet Iupiter, circumſcripſit: Deus ſcire non poterat, quibus modis pararet circumſcribere ſe homo. [c] Ita non in promptu eſt, & apparet puerilium eſſe ingeniola fictionum: quibus cùm acquiritur cordis Numæ viuacitas, imprudentia maxima importatur Ioui. Quid enim tam imprudens quàm confiteri te captum argutia cordis humani, & cum deceptum te doleas, in victoris concedere voluntatem, & medicinam quam obtuleras, ponere? Nam ſi fuit ratio, & quædam conuenientia naturalis, cur humano capite procuratio debuerit ſuſcipi fulguriti, non video cur ab rege relatio ſit facta cæpicij: ſin autem poterat & cæpicio tranſigi, libidinosè hominis inhiatum eſt cruori. Atque ita in contrarium pars vtraque traducitur vt nec Numam monſtretur voluiſſe ſcire, quod voluit, & crudelis Iupiter fuiſſe doceatur, qui quod à Numa potuit & cœpicio ſuſcipi, voluiſſe dixerit humanis capitibus expiari. Apud Timotheum non ignobilem Theologorum virum, nec non apud alios æquè doctos, ſuper Magna Deorum Matre, ſuperque ſacris eius, origo hæc ſita eſt, ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta, quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatque, myſteriis. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vaſtitatis petra, inquit, eſt quædam, cui nomen eſt Agdus, regionis eius ab indigenis ſic vocatæ: ex ea lapides ſumptos, ſicut Themis mandauerat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactauit & Pyrrha: ex quibus cum cæteris & hæc, Magna quæ dicitur, informata eſt Mater, atque animata diuinitus. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, quam inceſtis Iupiter cupiditatibus appetiuit. Sed cùm obluctatus diu id, quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc petra concepit, & mugitibus editis multis priùs, menſe naſcitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdeſtis. Huic robur inuictum, & ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana & [d] furialis libido & ex vtroque ſexu, vi rapta deuaſtare, diſperdere, ire immanitas quò animi duxerat: non Deos curare, non homines, nec præter ſe quidquam potentius credere: terras, cælum, & ſidera contemnere. Cuius cùm audacia quibuſdam modis poſſet vel debilitari,

vel

a *Denuntiationibus.* Denuntiatio propriè eſt interpellatio, qua quis pet officiales magiſtratus in iudicium prouocatur. Paulus I. C. lib. 5. ſentent. tit 5. Briſſon. de verborum ſignific. lib. 4. ELMEN.

a *Denunciationibus.* Idem eſt denunciatio ac condictio priſca lingua, hoc eſt, in jure augurali: vide Iuſtinianum Imper. inſtit. lib. 4. cap. 6. de actionibus. PRI.

b *Siſtere.* Vſus eſt vocabulo forenſi. Cicero pro Quintio. *Ita diſceditur vt idid. Septemb. P. Quintium ſiſti Alphenus promitteret.* & lib 3. offic. *vas factus eſt alter, eius ſiſtendi.* Vlpianus l. 1. D. de eo per quem, &c. Plautus Curcul. act. 1. ELMEN.

b *Siſtere.* Verbum illud forenſe eſt repræſentare, vnde optimè Pomponius Iuriſconſultus reprehendit definitionem Labeonis, qui exhibere definiebat, eius de quo agitur præſentiam præſtare. ſicque exhibere cum ſiſtere confundebat, licet plus ſit exhibere quàm ſiſtere. PRI.

c *Ita non in promptu eſt, & apparet puerilium eſſe ingeniola fictionum: quibus &c.* Fabulam narrauit quæ in 2. lib. Antiatis, de Ioue à Numa Pompilio, Romanorum rege circumuento, quod hic propoſitionibus captioſis, & verborum ambiguitate, fulminis procurationem ab illo expiſcatus ſit. eò & his Arnobij verbis alluſum: in quibus vernaculam ſcripturam fuiſſe *in promptum*, mihi omninò veriſimile. Iſto enim caſu loco ſexti, vſos libenter admodum antiquos, alibi diis & Muſis volentibus, oſtendam. Interim Gellius videatur lib. 1. cap. 7. item notæ noſtræ ad lib. vlt. cod. de jure emphyteutico: & electa noſtra ad lib. 6. Arnobij. STEVV.

d *Furialis libido & ex vtroque ſexu.* Pauſanias Achaicis, διὰ ὑπνωμένον ἀφεῖναι, σπέρμα εἰς γῆν, τὴν δὲ ἀνὰ χρόνον ἀνεῖναι δαίμονα, διπλᾶ ἔχοντα αἰδοῖα, τὰ μὲν ἀνδρὸς, τὰ δὲ αὐτῶ γυναικός; ὄνομα δὲ Ἄγδιστιν αὐτῷ τίθενται. ELMEN.

vel comprimi, ſæpenumerò eſſet Deorum in deliberatione quæſitum; hæſitantibus cæteris, huius muneris curam Liber in ſe ſuſcipit; familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat ſuetus & ſitiendi lenire flagrantiam, ludo & venationibus excitatam, validiſſima ſuccendit vi meri: neceſſitatis in tempore hauſtum accurrit Acdeſtis, immoderatiùs potionem hiantibus venis rapit: fit vt inſolita re victus ſoporem in altiſſimum deprimatur. Adeſt ad inſidias Liber, ex ſetis ſcientiſſimè complicatis vnum plantæ injicit laqueum, parte altera proles cum ipſis genitalibus occupat: exhalata ille vi meri corripit ſe impetu; & adducente nexus planta, ſuis ipſe ſe viribus, eo quo fuerat, priuat ſexu: cum diſcidio partium ſanguis fluit immenſus: rapiuntur, & combibuntur hæc terra: malum repentè cum pomis ex his punicum naſcitur, cuius Nana ſpeciem contemplata [a] regis Sangarij vel fluminis filia carpit mirans, atque in ſinu reponit: fit ex eo prægnans: tamquam vitiatam claudit pater, & curat vt inedia moriatur; pomis, atque aliis bacculis Deûm ſuſtentatur à Matre, enititur paruulum: ſed exponi Sangarius præcipit: repertum neſcio quis ſumit Phorbas, lacte alit hirquino: [b] & quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat, vel quia hircos Phryges ſuis Attagos elocutionibus nuncupant, inde Attis nomen vt ſortiretur, effluxit. Hunc vnicè Mater Deûm, ore fuerat quod excellentiſſimo, diligebat, & Acdeſtis blandus adulto comes, & quâ ſolum poterat minus rectis aſſentationibus vinctus, ſaltuoſa ducens per nemora, & ferarum multis muneribus donans: quæ puer Attis primò ſui eſſe dicebat laboris, atque operis glorians, per vinum deinde confitetur, & ab Acdeſti ſe diligi, & ab eo donis ſylueſtribus honorari: vnde vino, quod ſilentium prodidit, in eius nefas eſt ſanctum ſeſe inferre pollutis. Tunc Peſſinuntius rex Midas alienare cupiens tam infami puerum conjunctione, matrimonio ei ſuam filiam deſtinat: ac ne ſcæuus aliquis nuptialia interrumperet gaudia, fecit oppidum claudi. Verùm Deûm Mater adoleſcentuli fatum ſciens, interque homines illum tamdiu futurum ſaluum, quamdiu eſſet ſolutus à matrimonii fœdere, ne quid accideret mœſti, ciuitatem ingreditur clauſam, muris eius capite ſubleuatis: quod eſſe turritum ratione ab hac cœpit. Acdeſtis ſcatens ira conuulſi à ſe pueri, & vxoris ad ſtudium deriuati, conuiuantibus cunctis furorem & inſaniam ſuggerit: conclamant exterriti ad horam Phryges: mammas ſibi demetit Galli filia pellicis, rapit Attis fiſtulam, quam inſtigator ipſe geſtitabat inſaniæ, furiarum & ipſe iam plenus, perbacchatus, iactatus, proiicit ſe tandem, & ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat, dicens: Tibi Acdeſti hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcriminum concitaſti. Euolat cum profluuio ſanguinis vita: ſed abſciſſa quæ fuerant, Magna legit Mater Deûm, & injicit his terram, veſte priùs tectis, atque inuolutis defuncti. Fluore de ſanguinis viola flos naſcitur, & redimitur ex hac arbos: inde natum & ortum eſt, nunc etiam ſacras velarier & coronarier pinos. Virgo ſponſa quæ fuerat, quam Valerius pontifex iam nomine fuiſſe conſcribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, dat lachrymas cum Acdeſti, interficitque ſe ipſam: purpurantes in violas cruor vertitur interemptæ, Mater ſuffudit & has Deûm, vnde amygdalus naſcitur, amaritudinem ſignificans funeris. Tunc arborem pinum, ſub qua Attis nomine ſpoliauerat ſe viri, in antrum ſuum defert, & ſociatis planctibus cum Acdeſti tundit & ſauciat pectus [d] pauſatæ circum arboris robur. Iupiter rogatus ab Acdeſti, vt Attis reuiuiſceret, non ſinit: quod tamen fieri per fatum poſſet, ſine vlla difficultate condonat, ne corpus eius putreſcat, creſcant vt comæ ſemper, digitorum vt minimiſſimus viuat, perpetuo ſolus agitetur & motu. Quibus contentum beneficiis Acdeſtim conſecraſſe corpus in Peſſinunte: cæremoniis annuis, & ſacerdotum in teſtibus honoraſſe. Si contemptor aliquis numinum, & ſacrilegi pectoris immanitate furioſus, intendiſſet animum maledicere Diis veſtris; auderet in eos quicquam grauius dicere, quàm iſta prodit hiſtoria, quam velut quiddam mirabile commentarij contuliſtis in formulam, ac ne illam vis temporis, & vetuſtatis obſolefaceret longitudo, perpetuitatis honore mactaſtis? Quid eſt enim de Diis in ea poſitum, quidve conſcriptum, quod non, ſi in hominem dixeris pudibundis moribus & diſciplinis horridioribus educatum, & contumeliæ reus ſis, & iniuriæ, & offenſionis odium ſimultatibus ſubeas inexpiabilibus comparatum? Ex lapidibus, inquitis, quos Deucalion jactauit & Pyrrha, Deûm procreata

eſt

a *Regis Sangarij vel fluminis filia.* Sangarius Aſiæ fluuius Ptolemæo & Straboni non incognitus. Ouidius Sagarim appellauit. Naſcitur in monte Dindymo, per Phrygiam Bithyniamque in Pontum inlabitur. STEVV.

b *Et quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat.* Scitulos, decoros, formoſos. Totam illam fabulam Pauſanias, denarrat non ſine tædio in Achaicis. & ſi voluerit illam quoque alibi legere, adeat Ouidium lib. 4. Faſtorum PRI.

c *Pauſata circum arboris robur.* Velim quis me doceret quænam iſta arbor pauſata. STEVV.

d *Pauſata circum arboris robur.* Qnid appellet *pauſatam arborem* Arnobius, diuinare nequeo. Pauſare eſt ἀναπαύειν & ἀναπαύεσθαι in gloſſ. Philoxeni. Plautus in trinummo: *Pauſa, viciſti caſtigatorem tuum.* Sed *arbor pauſata* quid eſt? Exiſtimo igitur legi poſſe, *& ſauciat pectus pauſatè circum arboris robur.* Pauſatè, ſcilicet: quia certo modo ποσῶς, ac per pauſas pectus pulſabant. quando planctus ad Næniam peragebatur veris & erudis planctibus iam effuſis. Feſtus: *Præfica dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conducta, quæ dant cæteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfecta.* Sic rectè *pauſatè plangere.* Quare & Seneca *Pauſarium* appellat eum qui remigibus modos dat. epiſt. 56. Hincne etiam intelligendus in Caracalla Spartianus? *In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum ſacra Iſidis primum per hunc Romam veniſſe dicantur, cum Antoninus Commodus ita ea celebrauerit, vt & Anubim portaret, & Pauſas ederet.* Nam pinu pectus tundebant Iſiaci. HER.

Mater. Quid ô Theologi dicitis? quid ſupernarum antiſtites poteſtatum? Ergone Deûm Mater ante diluuii caſum nulla fuit in parte naturæ? & niſi omne mortalium genus interemiſſet vis imbrium, procreationis illius cauſa atque origo ceſſaret? Humanum eſt ergo munus, quod eſſe ſe ſentit: & beneficiis debet Pyrrhæ, quod orari ſe conſpicit in alicuius ſuſtantiæ qualitate: quod quidem ſi verum eſt, & illud erit neceſſariò non falſum, hominem illam fuiſſe non diuam. Nam ſi certum eſt homines ex illo lapidum iactu natiuitatis ſuæ originem ducere, & hanc neceſſe eſt credi vnam fuiſſe de nobis, conſimilium cauſarum rationibus procreatam. Neque enim fieri rerum per repugnantiam quit, vt ex vno lapidum genere, & ex eadem ratione iaciendi, immortalium quidam ſortis, conditionis alii ſubſtituerentur humanæ. a Varro ille Romanus multiformibus eminens diſciplinis, & in vetuſtatis indagatione rimator, in librorum quatuor primo, quos de gente conſcriptos Romani populi dereliquit, curioſis computationibus edocet, ab diluuii tempore, cuius ſuprà fecimus mentionem, ad vſque Hircii conſulatum & Panſæ, annorum eſſe millia nondum duo: cui dicto ſi conſtat fides, Mater quoque dicenda eſt magna intra huius numeri fines æuitatem ſuam habere concluſam. Atque ita perducitur res eò, vt quæ omnium numinum genitrix eſſe narratur, non ſit mater, ſed filia: quinimò infans & paruula, ſiquidem Deos concedimus neque initia, neque fines ſæculorum perpetua in continuatione ſortitos. Sed quid terrenis obſoluiſſe vos ſordibus Deûm loquimur Matrem, cùm ab Iouis ipſius maledictis nullam pauſam facere vel exigui temporis intercapedine quieueritis? Cùm in ſummo Agdi vertice Deûm dormiret tum genitrix, obrepere conquieſcentis pudori filius, inquitis, inſidiator eniſus eſt. Poſt innumeras virgines, & ſpoliatas caſtitate matronas, b etiamne in matrem cupiditatis infandæ ſpem Iupiter cepit, nec ab illius appetitionis ardore horror eum quiuit auertere, quem non hominibus ſolis, ſed c animalibus quoque nonnullis natura ipſa ſubjecit, & ingeneratus ille communiter ſenſus? d An reſpectus pietatis & honeſti Capitoliorum defuit præſidi; nec, quid ſceleris cuperet, conturbatis per inſaniam mentibus, aut retractare poterat, aut peruidere? Sed vt res eſt, ponderis & maieſtatis oblitus, ad furta illa flagitioſa correpens ibat, pauens ac trepidus, anhelitu oris preſſo, ſuſpenſis per formidinem greſſibus, & inter media conſtitutus ſollicitudinis ſpeique confinia e palpabat res intimas, altitudinem dormientis & matris patientiam tentans. O rerum imaginatio indecora! ô habitus fœdus Iouis ad obſcœni certaminis expeditionem parati! Ergóne ille rex mundi, cùm incautus & properus obreptionis eſſet reiectus à furto, in impetum ſe vertit: & quum rapere voluptatem inſidioſa fraude non quiuit, vi matrem aggreſſus eſt, & apertiſſimè cœpit venerabilem ſubruere caſtitatem? Colluctatus ergo diutiſſimè cum inuita eſt, victus, fractus, ſuperatuſque defecit: & quem pietas dijugare ab infando matris non valuit appetitu, effuſa libido dijunxit? Niſi fortè dicetis, conuentionis huiuſmodi cœtum genus vitat atque execratur humanum: apud Deos inceſta ſunt nulla. Et cur mater acerrimè repugnabat inferenti vim filio? cùr ab illius amplexibus tamquam illicitos vitans refugiebat attactus? Nam ſi nihil eſſet in re mali, tam gerere illa morem ſine vlla retractione debuerat, quàm volebat hic cupidè appetitionis ſuæ irritamenta complere. Et ſanè hoc loco frugalitatis magnæ viri, & circa res etiam flagitioſi operis parciores, ne ſancta illa ſeminia fruſtrà videantur effuſa, ſilex, inquit, ebibit Iouialis incontinentiæ fœditatem. Quid deinde quæſo conſecutum eſt, dicite? In ſinu medio lapidis, atque in illa cotis duritie informatus atque animatus eſt infans, Iouis magni futura progenies. Non eſt facilè contradicere tam prodigioſis conceptionibus, tamque miris. Cùm enim genus humanum ex lapidibus apud vos ortum, procreatumque dicatur, neceſſe eſt credere, & receptacula lapides habuiſſe genitalia, & iaculatam combibiſſe ſementem, & completis temporibus ſuſtuliſſe aluos graues, & ad poſtremum perperiſſe feminei moris difficultate connixos. Illud noſtram ſubigit curioſitatem requirere, cùm poſt decem menſes redditum eſſe dicatis partum: illo tempore quo in vtero lapidis

a *Varro ille Romanus multiformibus eminens doctrinis.* Romanorum hic doctiſſimum laudat M. Varronem, qui Romanus Cynicus à Tertulliano dicitur apolog. 14. vt Cynico Diogeni opponeretur. Fuit & alius Varro nempè Publius, iiſdem fermè temporibus, rerum potiente Iulio Cæſare. PRI.

b *Etiamne in matrem cupiditatis infandæ ſpem Iupiter cepit.* Auguſtinus de ciu. Dei lib. 3. cap. 4. *Habet etiam quidam erga parentes humana verecundia, quod nec ipſa nequitia poſſit auferre.* ELMEN.

c *Animalibus quoque nonnullis, &c.* Varro de re ruſtica lib. 2. cap. 7. *Cum equus matrem vt ſaliret, adduci non poſſet, & cum capite obuoluto prouiga adduxiſſet, & coegiſſet matrem inire: cum deſcendenti velum dempſiſſet ab oculis, ille impetum fecit in eum, ac mordicus interfecit. Idem.*

d *An Reſpectus pietatis ac honeſti Capitoliorum defuit præſidi.* Romani expreſſerunt hoc modo, *deſpuit præſidij.* nec hoc mendo vacat. In codice MS. extat *capitoliorum depuit præſidi*: vnde Modius faciebat *depuduit.* de quo verbo etſi alias agendum mihi erit, tamen exempla aliquot huc accerſere non videtur inconſultum. Ouid. epiſt. 4. Her.

Depuduit, profuguſque pudor ſua ſigna reliquit,
da veniam faſſæ.

Etiam Suetonium Tranq. memini dixiſſe *depudere didiceras*, pari phraſi, hyemem deſæuire, ait Virgilius libro 4. Æneid. & iram deſæuiſſe Lucanus. Liuius eius loco *exſæuiſſe* vſurpat. ſignificant autem illa, deſinere pudere, ſæuire, &c. STEVV.

e *Palpabat res intimas.* Res, pro membro genitali, vt obſeruat Scaliger in Catal. ſup. *Res flagitij operis.* lib. 3. *circumferentem res illas*, lib. 5. *artificij curas tum rebus adhibuiſſe perituris...... Corniculana deinde captiua imperauiſſe vt agnoſceret, quid ſibi res vellent.* In verſione Orphei carminum.

Objecitque oculis formatas inguinibus res:

ELMEN.

lapidis fuit clauſus, quibus alimoniis irrigatus eſt, quibus ſuccis? vel ex rigore quæ ſaxeo nutricia potuit ducere, vt eſt fœtibus ſolenne de matribus? Nondum, inquit, contigerat lucem, & tonitrus patrios jam mugiens imitus intuſque referebat. Et poſtquam illi datum eſt cælum diemque conſpicere, obuia quæque vaſtabat incurſans, atque ipſos ſibi ſpondebat Deos cæli poſſe ab regione detrudere. O cauta & prouida Deûm Mater! quæ ne nati inuidiam tam inſolentis ſubiret, aut mugiens fetus ſomnis ſuis officeret, aut interpellaret quietem, ſubtraxit ſe ipſam, & ſeminis illud nocentiſſimum virus tranſmiſit ab ſe longè, & ſaxorum aſperitatibus propinauit. Æſtuatum eſt in conciliis Deorum, quibuſnam modis poſſet intractabilis [a] illa feritatis edominari: & cùm via nulla ſupereſſet, ad opem concurſum eſt vnicam, vt mero madidaretur multo, & virilibus ſpoliaretur abſciſſis. Quaſi verò affecti corporalibus his damnis, fiant languidioris audaciæ, & non quotidie videamus eos, qui [b] ſibi demeſſuerint has partes, maioris petulantiæ fieri, atque omnibus poſtpoſitis pudoris & verecundiæ frenis, in obſcœnam prorumpere vilitatem, flagitiorum confeſſione vulgata. Vellem tamen videre, ſi eſſet mihi illis naſci temporibus datum, patrem illum Liberum, debellatorem ferocitatis Acdeſtiæ, poſt Deorum anguſtiſſimas curias cæli ab culminibus lapſum, peniculantem, decuttantem cantherios, innectentem laqueos mobiles, aquarum innoxias puritates multa ſauciantem vi meri: & poſtquam ebrietas potu emerſit, inſeruiſſe cautè manus, contrectauiſſe virilia dormientis, atque vt omnia cingerent circumpoſiti laqueorum morſus, artificij curam ſic tum rebus adhibuiſſe perituris. Hoccine de Diis quiſquam vel exigua dixerit eorum opinione polluctus? aut ſi talibus occupati ſunt negociis, cogitationibus, curis, quiſquam eos ſapiens aut Deos eſſe crediderit, aut immortalium ſaltem in numero computauerit? Acdeſtis iſte, oro, cuius obſcœnitas amputata ſecuritatem fuerat illatura cæleſtibus, ex terrenis animantibus vnus fuit, an Deorum aliquis, & immortalitatis præditus honore? Si enim noſtræ ſortis, & conditionis habebatur humanæ, cur terrorem tantum numinibus inferebat? Deus autem ſi fuerat, qui potuit decipi, aut diuino aliquid ex corpore deſecari? Sed quæſtionem mouemus parte in hac nullam: fuerit licet diuino è genere, vel ex nobis aliquis, ſi hoc rectiùs exiſtimabitis dici: [c] etiámne fluore de ſanguinis, & ex genitalibus amputatis arbor mali enata eſt punici? an tum, quum vis illa telluris cooperta eſt gremio, ſolum radice complexa eſt, in ſtipitis exiliuit robur, oneratos fudit [d] balauſtiis ramos, & in puncti ſpatio poma extulit initia perfectionis propriæ maturitate completa? & quia de rubro exorta ſunt ſanguine, idcircò illis color eſt purpurei luminis affectione ſubluteus: addite huc etiam idcircò eſſe vuida, idcircò vinoſa, quod ex ſanguine ſaporatiore genus ducant, & fabulam conuenienter impleſtis. O Abdera Abdera, dares quantas vias mortalibus irridendi, talis ſi apud te eſſet fabula ita conflata? Dicunt eam cuncti patres, & ſuperciliosæ perlegunt ciuitates, & eſſe tu fatua, & ſtoliditatis rigidiſſimæ iudicaris? Per ſinum, inquit, Nana filium concepit ex pomo: ſequitur ſe ratio: vbi enim cautes & ſaxa pariunt dura, [e] poma ibi neceſſe furiant. Glandibus atque ficis alebat Berecyntia religatam. conuenienter & rectè: pomis enim debuerat viuere, quæ mater fuerat facta de pomo. Poſtquàm fœtus emiſſus eſt, longè iuſſus eſt ab Sangario proiici: quem conceptum diuinitus credidit eſſe jamdudum, & ſi gnatus eſſet, ſubolem ſui pignoris nuncupari. Lacte infans educatus hirquino eſt. O fabulam ſexui inimicam ſemper atque infeſtiſſimam maſculino! in qua ſecus virile non ſolùm homines ponunt, ſed pecudes etiam fiunt ex maribus. Pulchritudine inclyta, & prædicabili fuit inſignitus decore: admirabilis res ſatis, quod non illum [f] fœtor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus. Mater cum dilexit Magna: ſi nepotem vt auia, res ſimplex: ſin theatra vt perercpant, infamis & flagitioſa dilectio eſt. Diligebat & Acdeſtis, venatoriis cum muneribus locupletans: ab ſemiuiro quidem nullum eſſe poterat periculum caſtitatis, ſed quid Midas horruerit, non eſt facile ſuſpicantibus exiſtimare. Ipſis mater eſt ingreſſa cum mœnibus: admiramur quidem in hac parte vires, & fortitudinem numinis: ſed culpamus negligentiam rurſus, quòd cùm legis meminiſſet & fati, patefecerit hoſtibus minùs prouida ciuitatem. Nuptialia celebrantibus vota, furias Acdeſtis inſaniamque ſubjecit: ſi Midas rex offenderat, [g] qui vxore adulèſcentulum vinciebat, quid admiſerat Gallus, quid pellicis

a *Illa feritatis edominari.* Codicem Romanorum hic amplector qui habet *intractabilis illa feritas edomari.* id ſenſus videtur poſtulare. Pri.

b *Sibi demeſſuerint has partes.* Pari ratione dixit Horatius lib. 1. ſatyr. ſat. 2. -- *vt cuidam teſtes caudamque ſalacem Demeteret ferrum.* *Idem.*

c *Etiámne fluore de ſanguinis, & ex genitalibus.* Fortè legendum, etiamne fluore de ſanguinis viola flos naſcitur, & ex genitalibus, &c. Sic enim ſuprà, fluore de ſanguinis viola flos naſcitur, & redimitur ex hac arbos. Cant.

d *Balauſtijs.* Dioſcorides lib. 1. cap. 155. βαλαύστιον ἐστιν ἀγρίας ῥοιᾶς. Plinius naturali hiſt. lib. 13. cap. 19. & lib. 23. cap. 6. Elmen.

e *Poma ibi neceſſe furiant.* Legebant alij *furgant*, ſed *furire* metaphora eſt ab immundis animalibus ducta, Illud κρεκᾷν Græci vocant. Pri.

f *Fœtor vitabilem reddidit, fugiendumque caprinus.* Grauis ille odor, *& alarum negligens ſudor.* Petronio; hircus paſſim dicitur propter fœtorem huic animali conuenientem. Horatius Epod. 12.

Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus in alis.

Et Catullus: *Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur,*
Valle ſub alarum trux habitare caper.

Idem.

g *Qui vxore adoleſcentulum vinciebat.* Apuleius lib 6. Metamor. *Luxuria puerilis, nuptialibus pedicis alliganda.* Elm.

pellicis filia, vt ille ſe viro, hæc mammarum honeſtate priuaret? Tibi habe hæc, inquit, propter quæ iras tantas animorum ſubuerſionibus concitaſti. Neſciremus adhuc omnes, quid in adulti corpore furor deſideraſſet Acdeſtius, niſi puer abſciſſas has partes obieciſſet offenſo. Quid dicitis, ô gentes? quid huiuſmodi deditæ opinionibus nationes? nónne cùm iſta promuntur, arripit vos pudor, & tantarum verecundia fœditatum? Nos auemus à vobis quid de Diis dignum vel audire, vel diſcere: at verò vos nobis mammarum expromitis exectiones, amputationes virilium veretrorum, iras, ſanguinem, furias, interitus virginum voluntarios, & ex ſanguine mortuorum flores atque arbores procreatas. Dicite, ô iterùm, ergone Deum Mater genitalia illa deſecta cum floribus, ipſa per ſe mœrens officioſa ſedulitate collegit, ipſa ſanctis manibus, ipſa diuinis contrectauit ac ſuſtulit [a] flagitioſi operis inſtrumenta fœdíque, abſcondenda etiam mandauit terræ, ac ne nuda in gremio diffluerent ſic ſoli, priuſquam veſte velaret ac tegeret, lauit vtique balſamis atque vnxit? Vnde enim violæ naſci potuiſſent odoræ, niſi putorem membri vnguentorum illa ſuffectio temperaret? Cum hiſtorias, quæſo, perlegitis tales, nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire tædioſi operis circumſcribentes moras: aut infantibus credulis auocamenta quæritantes anus longæuas, & varias fictiones ſub imagine veritatis expromere? Cum Ioue locutus eſt Acdeſtis, vt amato reſtitueret vitam: annuere Iupiter recuſauit, quia fatis potentioribus prohibebatur: ac ne eſſet omninò duriſſimus, vnam largitus eſt gratiam, ne putrore corpus diſſolueretur vllo, ſuccreſcerent comæ ſemper, minimiſſimus digitorum ſolus vt in corpore viueret, ſolus motus perpetuos exhiberet. Hoccine quiſquam admiſerit, aut credulitatis aſſenſione firmarit, [b] pilum in mortuo creſcere, partem non interiſſe, & ſejunctum ab lege putredinis mortale corpus adhuc vſque durare? Vrgere vos jamdudum ad iſtius rei comparationem poſſemus; [c] niſi ſtultitiæ pars eſſet, & talia diſcere, & huiuſmodi rerum indicia poſtulare. Sed hiſtoria hæc falſa eſt, neque vllam continet veritatis in ſe partem. Noſtra quidem nihil intereſt, quorum cauſa contenditis, exterminatos eſſe ab terris Deos, vtrùmne ſit conſtans, & fidei firmitate connixa, an contrà mendaciter, & falſitatis alicuius fictione compoſita. Nobis enim ſatis eſt, quibus hodie manifeſtare propoſitum eſt, numina iſta, quæ promitis, ſi ſunt vſpiam gentium, atque irarum feruoribus incaleſcunt, non magis à nobis, quàm à vobis accipere offenſionum furialium cauſas: & eſſe illam in rebus, & à vobis in commentariis relatam, & à volentibus quotidie perlegi, & futuri temporis pro inſtructione, per ordinem ſuccedentium tradi. Quæ ſi vtique vera eſt, nullam videmus ſubeſſe rationem, cur nobis iraſci perhibeantur Dij cælites, cùm turpitudines illorum tantas neque nos prodiderimus, neque in literas contulerimus vllas, neque in publicam teſtificationem ſacrorum celebritatibus miſerimus. Sin autem, vt remini, falſa eſt, & mendaciis interpolata fallacibus, ambigere hominum nullus poteſt, quin cauſa vos ſitis offenſæ, qui vel talia quoſdam conſcribere ſiueritis, aut conſcripta durare ſæculorum in memoria ſitis paſſi. Et tamen qui poteſtis falſitatis arguere conſcriptionem iſtam, cùm ipſa ſacra ſint teſtimonio, quæ per curſus annuos factitatis, & credi à vobis eſſe vera, & exploratæ fidei iudicari? Quid enim ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deûm Matris intromittitis ſanctuario? Nónne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix Diuum in ſolatium ſui vulneris conſecrauit? [d] Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumuoluitis ſtipitem? Nonne illarum repetitio lanarum eſt, quibus iam deficientem & contexit, & teporis aliquid rata eſt ſe poſſe membris conciliare frigentibus? Quid compti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, vti Mater primigeniis floribus adornauerit pinum miſerabilis indicem teſtimoniumque fortunæ? Quid pectoribus applodentes palmas paſſis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Acdeſti lacrymabili puerum proſecuta eſt ejulatu? [e] Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dediſtis nomen Caſtus?

a *Flagitioſi operis inſtrumenta.* Inſtrumentum, pro nota virili. Petronius: *Illud vnum memento, non me, ſed inſtrumenta peccaſſe.* ELMEN.

b *Pilum in mortuo creſcere.* Hoc tamen affirmant medicorum alumni, & ipſa experientia teſtatur, id fieri in ſuſpenſis. Vide Tertullian. de anima cap. 51. *Idem.*

c *Niſi ſtultitia pars eſſet, & talia dicere.* Iudicium penes populum eſſe ſinam, vbi monuero in veteri exemplari legi, *& talia hiſcere.* Arnobius ſibi teſtis aduocandus eſt: *experiri, ait, volumus, & cupimus ſcire, an mutire, an hiſcere Deorum in mentione poſſitis* lib. 4. STEVV.

d *Quid lanarum vellera, quibus arboris, &c.* Illud confidenter dicam, vel ob ſolum hunc locum perſanatum, debituros mihi huius auctóris ſtudioſós: & miratus ſum non ſemel in editione recenti Romana nihil hic comperiſſe vitij tam ſagaces, tam acutos indagatores; tum & codicem manuſcriptum nihil mutare. Fabula ſic habet: Attidi morienti, præter magnam Deum matrem, adfuit & Acdeſtis, adfuit & ſponſa eius Ia, cuius nomen in præcedentibus Arnobij poſtliminio donabo, reſtituendo: *Nonne illarum repetitio lanarum eſt, quibus Ia deficientem contexit?* In confirmationem coniecturæ noſtræ, en teſtem plus ſatis idoneum. Arnobius ſuprà hoc eodem libro, *Virgo*, inquit, *ſponſa qua fuerat, quam Valerius Pontifex Iam nomine fuiſſe conſcribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, &c.* De cætero in Odyſſ. Homerus iam facit Atlantis minorem filiam, ſororem Maiæ, quæ Mercurio mater fuit, Latini vocem dixerunt. STEVV.

e *Quid temperatus ab alimonio panis, &c.* Vide quàm periculoſum ſit aliquid ex ingenio & ſine libris emendare, & ab antiquis veſtigiis recedere: cum enim in Romano rectè legeretur, temperatus ab alimonio panis, Gelenius emendauit, *temperatus faba alimonio panis.* Sed ignoratio ſignificationis vocabuli, *temperatus*, ei anſam errandi præbuit, non enim hic, temperatus, pro mixtura, vt ille putauit, ſed pro temperantia & abſtinentia, accipitur. Plura de hoc loco diximus variarum lectionum lib. 2, cap. 21. CANT.

ſtus? Nonne illius temporis imitatio eſt, quo ſe numen ab Cereris fruge violentia mœroris abſtinuit? Aut ſi ea quæ dicimus, non ſunt ita, vos ediſſertate, vos dicite, [a] euirati iſti molleſque quos intereſſe vobiſcum in iſtius numinis videmus ſacris, quidnam iſtic habeant negocij, ſollicitudinis, curæ? [b] & cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos; & fortunam imitentur in lamentabili conſtitutorum ſorte? Quid coronæ? quid violæ? quid volucra, mollium & velamenta lanarum? Cur ad vltimum pinus ipſa paulò antè in dumis inertiſſimum nutans lignum, mox vt aliquod præſens atque auguſtiſſimum numen Deum Matris conſtituatur in ſedibus? Aut enim hæc cauſa eſt, quam in veſtris ſcriptis & commentariis inuenimus: & manifeſtum eſt vos non diuinas conficere cærimonias, ſed imaginem triſtium redintegrare geſtorum: aut ſi alia ratio eſt, quam myſterii nobis abnegauit obſcuritas, & ipſa quoque neceſſe eſt turpitudinis alicuius participetur infamia. Quis eſt enim, qui credat honeſtatis aliquid in ea re eſſe, quam initiant viles Galli; effœminati conficiunt exoleti? Poſtulat quidem magnitudo materiæ, atque ipſius defenſionis officium, vt ſimiliter cæteras turpitudinum ſpecies perſequamur: vel quas produnt antiquitatis hiſtoriæ, vel myſteria illa continent ſancta, quibus initiis nomen eſt, & quæ non omnibus vulgo, ſed paucorum taciturnitatibus traditis: ſed ſacrorum innumeri ritus, atque affixa deformitas ſingulis, corporaliter prohibet vniuerſa nos exequi: quinimò, vt veriùs exprimamus, à quibuſdam nos ipſi conſilio, & ratione deflectimus: ne dum explicare contendimus cuncta, expoſitionis ipſius contaminationibus polluamur. Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea, tranſeamus: quam myrteis cæſam virgis, quòd marito neſciente ſeriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat Sexto de Diis Græcò: ſignumque monſtrari, quòd cùm ei diuinam rem mulieris faciunt, vini amphora conſtituatur obtecta: nec myrteas fas ſit inferre verbenas, ſicut ſuis ſcribit in Cauſalibus Butas. Sed & Deos Conſerenteis pari more ac diſſimulatione taceamus, quos cum cæteris ſcribit Flaccus in humani penis ſimilitudinem verſos obruiſſe ſe cineri, qui ſub ollula fuerat factus extorum: quem [c] cùm Tanaquil dimoueret Etruriæ diſciplinarum perita, ſurrexiſſe ſe Deos & neruis obduruiſſe diuinis. Corniculæ inde imperauiſſe captiuæ, vt intelligeret & agnoſceret, quid ſibi res vellent: Ocriſiam prudentiſſimam feminam diuos inſeruiſſe genitali: explicuiſſe motus certos. Tunc ſancta, & feruentia numina vim vomuiſſe Lucillij, ac regem Seruium natum eſſe Romanum. Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum eſt: in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, [d] circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos Dei numine ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis. Necnon & Cypriæ Veneris abſtruſa illa initia prætereamus: quorum conditor indicatur Cinyras rex fuiſſe: in quibus ſumentes ea, certas ſtipes inferunt vt meretrici, & referunt phallos propitii numinis ſigna. Obliuioni etiam Corybantia ſacra donentur, in quibus ſanctum illud myſterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interempti ex ſanguine apium natum, prohibitum menſis olus illud apponi, ne à manibus mortui inexpiabilis contraheretur offenſio. Sed & illa deſiſtimus bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana & tacenda res proditur inſinuaturque ſacratis: vt occupatus pucrilibus ludicris, diſtractus ab Titanibus Liber ſit: vt ab iiſdem membratim ſectus, atque in ollulas conjectus vt coqueretur: quemadmodum Iupiter ſuauitate nidoris illectus, inuocatus aduolarit ad prandium, compertaque re graui graſſatores obruerit fulmine, atque in imas tartari præcipitauerit ſedes. Cuius rei teſtimonium, argumentumque fortunæ, ſuis prodidit in carminibus vates Thracius: talos, ſpeculum, turbines, volubiles rotulas, & teretes pilas, & virginibus aurea ſumpta ab Heſperidibus mala. Ea erat nobis conſilium præterire: præteruehi illa etiam myſteria, quibus Phrygia initiatur, atque omnis gens illa, niſi nomen interpoſitum his Iouis prohiberet nos ſtrictim iniurias eius ignominiaſque tranſire: non quo nobis dulce ſit, tam fœdis inequitare myſteriis: ſed vt ipſis vobis promptum etiam atque etiam fiat, quid in eos congeratis iniuriæ, quorum profitemini vos eſſe cuſtodes, vindices, veneratores. Quondam Dieſpiter, inquiunt, cùm in Cererem ſuam matrem libidinibus improbis atque inconceſſis cupiditatibus æſtuaret, nam genitrix hæc Iouis regionis eius ab accolis traditur, neque tamen auderet id, id quod procaci appetitione conceperat, apertiſſima vi petere, ingenioſas comminiſcitur captiones, quibus

nihil

a *Euirati iſti molleſque, &c.* Archigalli Deûm Matris Cybeles ſacrificuli, quos S. Hieronymus in Oſeam cap. 4. truncatos & effeminatos vocat. P R I.

b *Et cur more lugentium cadant cum pectoribus lacertos.* Hæc omnia interpretabantur allegoricè, vt Deorum mater terram ſignificaret: Galli autem lacertos ſibi lacerarent, ac virilia demeterent, propter arationem ac meſſim. Sic enim iſta ſignificabant. Hoc obſeruat Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 1. cap. 13 obſcuro loco, & quem nullomodo intelligunt interpretes. *Ipſa quoque vulgaris ſuperſtitio communis idololatria, quum in ſimulachris de nominibus & fabulis veterum mortuorum pudet, &c.* H E R.

c *Cum Tanaquil dimoueret Etruria diſciplinarum perita* Vxor erat Tarquinij regis Romanorum, inſignis diuinatrix & Hettuſcarum ſcientiarum, hoc eſt, magiæ peritiſſima. Hiſtoriam de qua hic mentio, fusè narrat Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 4. ant. Rom. P R I.

d *Circumplicatis vos anguibus.* De ſerpentibus quas ſibi circumdabant in ſacris Bacchi videndus Euripides in Bacchis. Plutarchus Alexandro. Horatius lib. 2. ode 19. & ibi eius ſcholiaſtes. Clemens protreptico. E L M E R.

nihil tale metuentem caſtitate imminueret genitricem: fit ex Deo taurus, [a] & ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animum atque audaciam celans, in ſecuram & neſciam repentina immittitur vi furens, [b] agit inceſtiùs res ſuas, & prodita per libidinem fraude, intellectus & cognitus euolat: ardeſcit furiis, atque indignationibus mater, ſpumat, anhelat, exæſtuat, nec fremitum continere tempeſtatemque irarum valens, ex continua paſſione Brimo deinceps vt appelletur, aſſumpſit: neque alia cordi eſt res ei, quàm vt audaciam filii pœnis quibus potis eſt, perſequatur. Iupiter ſatagit fractus metu: nec quibus remediis leniat violatæ animos, reperit. Fundit preces, & ſupplicat: obſtructæ ſunt dolentis aures. Allegatur Deorum vniuerſus ordo: nullius auctoritas tanta eſt vt audiatur. Ad poſtremum filius vias ſatisfactionis inquirens, comminiſcitur remedium tale: Arietem nobilem benè grandibus cum teſticulis deligit, exſecat hos ipſe, & lanato exuit ex folliculi tegmine. Accedit mœrens & ſummiſſus ad matrem, & tamquam ipſe ſententia condemnaſſet ſe ſua, in gremium proiicit & iacit hos eius. Virilitate pignoris viſa ſumit animum mitiorem, & concepti fetus reuocatur ad curam, parit menſem poſt decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium conſequens modò Liberam, modò Proſerpinam nuncupauit. Quod cùm verueceus Iupiter benè validam, floridam, & ſucci eſſe conſpiceret plenioris, [c] oblitus paulò antè quid malorum & ſceleris eſſet aggreſſus, & temeritatis quantum, redit ad priores actus: & quia nefarium videbatur ſatis, patrem cum filia comminus vxoria coniugatione miſceri, in draconis terribilem formam migrat: ingentibus ſpiris pauefactam colligat virginem, & ſub obtentu fero, molliſſimis ludit atque adulatur amplexibus. Fit vt & ipſa de ſemine fortiſſimi compleatur Iouis, ſed non eadem conditione, qua mater; nam illa filiam reddidit liniamentis deſcriptam ſuis: at ex partu virginis tauri ſpecies fuſa, Iouialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis deſiderabit rei? tum illum citabimus Tarentinum notumque ſenarium, quem antiquitas canit dicens: [d] *Taurus draconem genuit, & taurum draco.* Ipſa nouiſſimè ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus Sabadiis nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati: in quibus aureus coluber in ſinum dimittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus, atque imis. Non eſſe arbitror neceſſarium ſermone quoque hic multo membra ire per ſingula, quantæque inſint in partibus prauis turpitudinum ſcatebræ flagitiorumque monſtrare. Quis eſt enim mortalium vel exiguæ humanitatis ſenſum ferens, qui non ipſe peruideat qualia ſint hæc omnia, quàm ſcelerata, quàm fœda, quantaſque ignominias Dij ferant ex ipſis myſteriorum ſacris, & ex ſacrorum originibus indecoris? Iupiter, inquit, exarſit in Cererem. Quid tantum quæſo de vobis Iupiter iſte, quicumque eſt, meruit, quòd genus eſt nullum probri infame, adulterium nullum, quod in eius non caput, velut in aliquam congeratis vilem luteamque perſonam? Matrimonij prodidit ius Leda: Iupiter eſſe dicitur auctor culpæ. Virginitatem Danaë cuſtodire nequiuit: furtum eſſe narratur Iouis. [e] Ad mulieris nomen properauit Europa: expugnator pudicitiæ idem eſſe jactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines, ac mille matres, cumque illis Catamitus puer pudoris ſpoliatus eſt honeſtate: eadem vbique eſt Iupiter fabula, neque vllum turpitudinis genus eſt, in quo eius non nomen conſociatis libidinibus inſeratis: vt videatur miſerabilis prorſus nullam non eſſe cauſam ob aliam natus, niſi vt eſſet criminum ſedes, maledictorum materia, locus quidam expoſitus, in quem ſpurcitiæ ſe omnes ſentinarum colluuionibus deriuarent. Quem tamen ſi diceretis cum extraneis habuiſſe commercium feminis, impia res quidem, ſed tolerabilis eſſet maledictionis iniuria. Etiámne in matrem, etiámne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinniuit? neque illum ſanctitas, aut reuerentia genitricis, horror etiam pignoris ex ſe ſati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere? Vellem itaque videre patrem illum Deorum Iouem, æternam rerum atque hominum poteſtatem, bubulis eſſe cohoneſtatum cornibus, hirſutas agitantem aures, contractis in vngulas greſſibus ruminantem pallentes herbas, & ex parte poſtica caudam, ſuffragines, talos molli fimo perlitum, atque inteſtina proluuie delibutum. Vellem inquam videre, dicendum eſt enim ſæpiùs, torquentem illum ſidera, & qui pallidas nationes fragore perterret &

a *Et ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animum, &c.* Subſeſſores alieni matrimonij μεταφορικῶς dicuntur adulteri, à ſubſidendo, verbo in re militari proprio, ſed hæc nos ſuo loco, id eſt, in commentario ad Vegetium, quem vide lib. 3. cap. 6. STEVV.

b *Agit inceſtius res ſuas.* Martialis lib. 5. Epigr. 13.

Res vxoris agit; res nullas criſpulus iſte,

Res non vxoris, res agit ipſe ſuas. ELMEN.

c *Oblitus paulo antè quid malorum & ſceleris eſſet aggreſſus.* Quaſi parum, inquit, fuerit materno ſe inceſtu contaminaſſe, quam tauri aſſumpta forma inuaſerat; etiam filiam liberam aggreditur, ſed mutatus in draconem: itidem vt ſub tauri, cygni, formicæ, vel alterius animalis ſpecie, plurima illius amorum furta, atque ſubſellæ, veterum voluminibus celebrantur. STEVV.

d *Taurus draconem genuit, &c.* Huius verſus auctor fuit quidam poëta Tarentinus. Hunc verò refert Clemens Alexandr. in protrept.

ταῦρος δράκοντος καὶ δράκων ταύρου πατήρ. PRI.

e *Ad mulieris nomen properauit Europa.* Mulier facta eſt, quum eſſet virgo. Ita *mulier* ſeparata à Virgine: quod non ſolùm noſtrate lingua vſurpamus; ſed & Græci olim lingua ſua vſurparunt Sic ruſticula illa apud Theocritum deuirginata; virginem veniſſe ait ſe, redire mulierem, γυναῖκα.

παρθένος ἕρπω βαίνω, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρπω.

atque hæc diſtinctio à vulgo propriè frequentata, & quotidiano loquendi vſu quaſi ſancita. HER.

& proſternit, conſectantem veruecum greges, inſpicientem teſticulos arietinos, arripientem hos manu cenſoria illa atque diuina, qua vibrare coruſcos ignes, & ſæuire fulminibus ſuetus eſt: tum deinde ſecreta rimantem illa, ſummotiſque arbitris circumiectas prolibus diripientem membranulas, fetuentique adhuc matri velut quaſdam infulas eliciendæ miſerationis offerentem: deductum, pallidum, ſaucium, ſimulantem doloris cruces, & ad fidem facto faciendam, arietino ſanguine coinquinatum, & mendacia vulneris laneis faſciis, linteoliſque contectum. Hoccine audiri & perlegi ſub mundi hoc axe? & eos qui hæc tractant, exiſtimari ſe velle pios, ſanctos, religionumque cuſtodes? Eſtne aliquod ſacrilegium hoc maius? aut vlla gens inueniri tam irreligioſis poteſt opinionibus prædita, quam quæ talia credit, aut accipit, aut ſacrorum intimis in myſteriis prodit? Iupiter ille, quicumque eſt, ſi ſentiret ſe eſſe, aut ſi vllo ſenſu afficeretur iniuriæ, nonne digna res eſſet, propter quam iratus & percitus terram noſtris ſubduceret greſſibus, ſolis lumina extingueret atque lunæ, quinimmò res omnes in antiquæ ſpeciem confunderet vnitatis? Sed non ſunt, inquit, Reipublicæ noſtræ hæc ſacra. Quiſnam iſtud dicit, aut quis reponit? Romanus, Gallus, Hiſpanus, Afer, Germanus, aut Siculus? Et quid adiuuat cauſam, ſi veſtra hæc non ſunt, cùm qui ea conficiunt, ſint veſtratum partium? aut quid refert vtrumne ea probetis, necne: cùm quæ veſtra ſint propria, aut ſimili fœditate, aut turpitudinis genere reperiantur eſſe maiore? Vultis enim conſideremus myſteria & illa diuina, quæ [a] Theſmophoria nominantur à Græcis, quibus gente ab Attica ſancta illa peruigilia conſecrata ſunt & pannychiſmi graues? Vultis inquam videamus quas origines habeant, quáſue cauſas, vt Athenas etiam probemus ipſas, humanitatis artibus, ſtudiiſque pollentes, tam in Deos dicere contumelioſa, quàm dictitent alij: nec minora ab his probra, quàm cæteris obiiciantur à vobis, religionis ſub ſpecie publicari? Quodam, inquiunt, tempore cùm in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proſerpina: cumque illam per floream meſſem huc atque illuc paſſim lectionis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis ſpecum rex proſiliens Manium, raptam virginem ſecum vehit, & terrarum abſconditur ſucceſſibus rurſus. Quod cum factum neſciret Ceres, nec filia eſſet vbinam gentium ſuſpicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: [b] ſumit faces geminas flammis comprehenſas Ætnæis, quibus ſibi prælucens, pergit ire quæſitum terrarum in regionibus cunctis. In iſtius conquiſitionis errore Eleuſinios etiam peruehitur fines, pagi iſtud eſt nomen regione in Attica conſtituti: qui illud temporis has partes incolebant, terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, Eubuleus, Dyſaules, Eumolpus: boum iugator Triptolemus, capellarum Dyſaules cuſtos, Eubuleus parcorum, gregis lanitij Eumolpus, à quo & gens & fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui poſteà floruerunt Caduceatores, Hierophantæ, atque Præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleuſini fuiſſe pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hoſpitio Cererem, adulatur obſequiis mitibus, reficiendi corporis rogat curam vt habeat, ſitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia: aucrſatur, & reſpuit humanitatis officia mœrens Dea, nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminiſſe communis. Rogat illa atque hortatur contrà, ſicut mos eſt in huiuſmodi caſibus, ne faſtidium ſuæ humanitatis aſſumat: obſtinatiſſimè durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cum ſæpiùs fieret, neque vllis quiret obſequiis ineluctabile propoſitum fatigari, vertit Baubo artes, & quam ſeriò non quibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis: partem illam corporis, per quam ſecus fœmineum & ſubolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi, tum longiore ab incuria liberat: facit ſumere habitum puriorem, & in ſpeciem leuigari nondum duri atque ſtriculi puſionis: redit ad Deam triſtem, & inter illa communia, quibus moris eſt frangere ac temperare mœrores, retegit ſe ipſam, atque omnia illa pudoris loca reuelatis monſtrat inguinibus: atque pubi affigit oculos diua, & inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur. Tum diffuſior facta per riſum, aſpernatam ſumit atque ebibit potionem: & quod diu nequiuit verecundia Baubonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcœnitas. Calumniari nos improbè ſiquis fortè hominum ſuſpicatur, [c] libros ſumat Threicij vatis, quos antiquitatis memoratis eſſe diuinæ, & inueniet nos nihil neque callidè fingere, neque quo ſint

a *Theſmophoria.* Gloſſæ: Θεσμοφόρια, ἑορτὴ Δήμητρος. Cerealia. Pauſanias Phociacis Δήμητρος δὲ Θεσμοφόρου Δρυμαίοις ἱερόν ἐστιν ἀρχαῖον, καὶ ἄγαλμα ὀρθὸν λίθου πεποίηται, καὶ αὐτῇ Θεσμοφόρια ἑορτὴν ἀνάγουσιν ἐπέτειον. Suidas Θεσμοφόρια. Plinius lib. 24. cap. 9. Iulius Pollux lib. 1. cap. 32. Diodorus ſiculus. Biblioth. lib. 5. Theodoretus contra Græcos ſerm. 1. de fide & orat. 3. Hyginus fab. 147. E L M.

b *Sumit faces geminas flammis comprehenſas Aetnæis.* Diodorus Siculus lib. 5. biblioth. μετὰ δὲ τὴν τῆς κόρης ἁρπαγὴν μυθολογοῦσι τὴν Δήμητραν μὴ δυναμένην εὑρεῖν τὴν θυγατέρα, λαμπάδας ἐκ τῶν κατὰ τὴν Αἴτνην κρατήρων ἀναψαμένην ἐπελθεῖν ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης. Ouid. lib. 4. Faſtor. Minutius Felix Octauio. Prudentius περὶ στεφάνων in Romano martyre. Lactantius lib. 1. cap. 17. Apollodorus lib. 1. Biblioth. *Idem.*

c *Libros ſumat Threicij vatis, &c.* Circumferebant enim quoſdam Orphei libros, quibus tribuebant plurimum, negare tamen videtur Origenes vlla Orphei & Lini ſcripta ſuo æuo extitiſſe. Sic enim lib. 1. contra Celſum, qui Orpheum & Linum non ſolùm præponebat Moyſi, ſed ſolos audiendos affirmabat: καὶ τοι μὲν σοφῶν σε ποιητῶν ... μηδὲ τὰ βιβλία ἔτι σώζεσθαι φυλαχθέντα ἂν εἰ ἐντυγχάνειν ἤθελέ τις ὠφελείας. τῷ δὲ Μωϋσέως τὰ γράμματα, &c. HER.

ſint riſui Deum quærere atque efficere ſanctitates. Ipſos namque in medio ponemus verſus, quos Calliopes filius ore edidit Græco, & cantando per ſecula generi publicauit humano.

Sic effata, ſinu veſtem contraxit ab imo,
Obiecitque oculis formatas inguinibus res:
Quas caua ſuccutiens Baubo manu, nam puerilis
Ollis vultu erat, plaudit, contrectat amicè.
Tum Dea defigens augusti luminis orbes,
Triſtitias animi paulum mollita reponit:
Inde manu poclum ſumit, riſuque ſequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Quid Erechthidæ ô cati, quid ciues Mineruij dicitis? Auet animus ſcire quibus ſitis eloquiis tam ridiculoſa negocia defenſuri, vel artibus habeatis quibus tam confoſſis ſalutem dare perſonis, vulneribus, atque cauſis. Non eſt iſta falſa ſubſcriptio, nec delatione appetimini calumnioſa. Eleuſiniorum veſtrorum notas & origines producunt turpes, antiquarum elogia literarum: ipſa denique ſymbola; quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis: *Ieiunaui, atque* [a] *ebibi cyceonem, ex ciſta ſumpſi, & in calathum miſi: accepi rurſus, in ciſtulam tranſtuli.* Ergone, vt promunt ſancta illa atque arcana myſteria, rapiuntur & rapiunt Dij veſtri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtiuis? ab repugnantibus, & inuitis decus virginitatis eripitur? imminentes neſciuntur iniuriæ? quidnam raptis acciderit, ignoratur? amiſſi quæruntur vt homines? & ſub ſole clariſſimo cum lucernis & facibus orbis peragrant vaſtitatem? afficiuntur, ægreſcunt, lugentium ſumunt ſordes, & miſerorum inſignia, atque vt animum commodare alimoniis poſſint, victuique ſumendo, non ratio, non tempus, non ſermo aliquis adhibetur grauis, aut affabilitas ſeria, ſed propudioſi corporum monſtratur obſcœnitas, objectanturque partes illæ, quas pudor communis abſcondere atque naturalis verecundiæ lex iubet: quas inter aures caſtas ſine venia nefas eſt, ac ſine honoribus appellare præfatis. Quidnam, quæſo, in ſpectu tali, quid in pudendis fuit verendiſque Baubonis, quod feminei ſexus Deam, & conſimili formatam membro, in admirationem conuerteret atque riſum? quod obiectum lumini conſpectuique diuino, & obliuionem miſeriarum daret, & habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? O qualia, ô quanta irridentes potuimus, cauillanteſque depromere, ſi non religio nos gentis, & literata prohiberet auctoritas! Iam dudum me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiuerſari, tricas, quemadmodum dicitur, [b] conduplicare Tellenas, dum pudor me habet Alimontia illa proferre myſteria, quibus [c] in Liberi honorem patris phallos ſubrigit Græcia, & ſimulacris virilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt. Quid ſit iſtud, obſcurum eſt forſitan, & qua fiat ratione diſquiritur. Quiſquis iſtud ignoras, diſce: atque admiratus res tantas, puris ſemper in ſenſibus meticuloſa obſeruatione cuſtodi. Cum inter homines, inquiunt, eſſet adhuc Nyſius & Semeleius Liber, noſſe inferos expetiuit, & ſub tartari ſedibus quidnam rerum ageretur inquirere: ſed cupiditas hæc eius nonnullis difficultatibus impediebatur; quod qua iret ac pergeret, inſcitia itineris neſciebat. Proſumnus quidam exoritur, ignominioſus amator Dei, atque in nefarias libidines ſatis pronus, qui ſe januam Ditis, atque Acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi ſibi gereret morem Deus, atque vxorias voluptates pateretur ex ſe carpi. Deus facilis jurat poteſtatis futurum ac voluntatis ſe eius, ſed cùm primum ab inferis compos voti atque expeditionis rediſſet: Viam comiter [d] Proſumnus ediſſerit, atque in limine ipſo proſtituit inferorum. Intereà dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atque alias res omneis curioſa inquiſitione colluſtrat, ex viuentium numero index ille decedit, atque ex more ſepelitur humano, emergit ab inferis Euius, & recognoſcit extinctum ducem. Qui vt fidem compleret pacti, & iurandi ſolueret religione ſe iuris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis: figit ſuper aggerem tumuli, & poſtica ex parte nudatus, accedit, ſubdit, inſidit.

Laſciuia

a *Ebibi cyceonem.* Cyceon potio eſt Nicandro in alexipharm. κυκειῶνα πόροις ἐν κύαθον τελέξαι. Pharmacum eſt Homero Iliad. λ.... τοῖσι δὲ τεῦχε κυκειῶ ἐϋπλόκαμος Ἑκαμήδη. *his vero pharmacum parauit pulchricoma Hecamede.* vnde κυκάω pharmacum aut potionem miſceo. Homerus eodem libro.

ἐν τῷ δὲ κύκησε γυνὴ εἰκυῖα θεῇσιν.

Vulgò *cinnus* redditur, & pro rerum mixtione ac perturbatione ſumitur apud Lucianum & Syneſium. P R I.

b *Conduplicare Tellenas.* Adagium illud redolet Græcorum τὰ τε τιλλωνὸς ᾄδειν, in eos vſurpatum qui cantilenam ridiculam canebant. *Idem.*

c *In Liberi honorem patris phallos ſubrigit Græcia.* Præcedebat in iſtis pompis, & vt ita dicam, proceſſionibus ὁ κανηφόρος, ſequebatur deinde ὁ φαλλοφόρος, ſubſequebantur poſtremò οἱ ᾄδοντες τὸ φαλλικόν. Totum huius nefandæ ſuperſtitionis mimum habes apud Ariſtophanem, in Acharnanib. vnde etiam conſtat, probam eſſe lectionem proximè ſequentem, *territoria.* H E R.

d *Proſumnus ediſſerit.* Proſumni fabulam narrant Clemens Protreptico, Theodoretus de martyribus ſerm. 8. Gregorius Nazianzenus στηλιτευτικῷ β. Hyginus poëtico Aſtron. Scholiaſtes Nazianz. & Clemens Polymnum. Hyginus hypolipnum. Nicetas in ſancta lumina. In nomine variant; Pauſanias Corinthiacis eum appellat Πρόσυμνον. Gregorius Nazianz. & Clemens *Polymnum* Hyginus *hypolipnum.* Nicetas in Nazianz. orat. 19. & Elias Cretenſis in 3. & 4. orat. contra Iulianum, *proſymnum.* Nonnus in expoſitione profanarum hiſtor. quarum Gregorius Theologus meminit, *Polymnum.* E L M E N.

[a] Laſciuia deinde furientis aſſumpta, huc atque illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati, quod iamdudum in veritate promiſerat. Ac ne quis fortè à nobis tam impias arbitretur confictas res eſſe, Heraclito teſti non poſtulamus vt credat, nec myſteriis volumus quid ſuper talibus ſenſerit, ex ipſius accipiat lectione: totam interrogat Græciam quid ſibi velint hi phalli, quos per rura, per oppida mos ſubrigit & veneratur antiquus; inueniet cauſas & eas res eſſe quas dicimus: aut ſi fuerit pudiuum veritatem ſimpliciter explicare, quid obſcurare, quid tegere cauſam ritus, atque originem proderit, cum criminatio ipſa religionis in re ſit? Quid dicitis ô gentes? quid occupatæ, quid deditæ templorum venerationibus nationes? Ad hæccine nos ſacra, flammis, exiliis, cædibus, atque reliquo genere ſuppliciorum compellitis, & crudelitatis metu? hoſcine nobis Deos importatis, inſinuatis, infligitis: quorum ſimiles nec vos eſſe, neque alium velitis quempiam ſanguinis vobis gradu, & iure familiaritatis adiunctum? Poteſtiſne impubibus, & prætextatis veſtris, quas Liber induxerit pactiones ſuis cum amatoribus indicare? Poteſtis veſtras nurus, quinimò vobis matrimonio coniugatas, ad verecundiam Baubonis impellere, atque ad pudicas Cereris voluptates? Vultis veſtri iuuenes ſciant, audiant, diſcant, Iupiter ipſe qualis in vnam extiterit atque alteram matrem? Vultis adultæ virgines, robuſtique adhuc patres, idem iſte in filiam qua luſerit arte cognoſcant? Vultis germani iam feruidi, atque ex iiſdem ſeminibus fratres, eumdem rurſus accipiant, concubitus, lectulos non eſſe aſpernatum ſororis? Ita ergo non protinus ab huiuſmodi fugiendum Diis longè, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obſcœnitas, audientia tota claudenda eſt? Quis eſt enim mortalium tam pudicis moribus inſtitutus, quem non ad huiuſmodi furias Deorum documenta proritent? Aut quis ſuas comprimere cupiditates à cognatis valeat reuerendiſque perſonis, cum apud ſuperos ſanctum nihil in libidinum videat confuſione ſeruatum? Vbi enim primam perfectamque naturam intra fines conſtiterit iuſtos cupidinem ſuam non valuiſſe frenare, cur non in promiſcuos appetitus effundat ſe homo, & ingenita fragilitate præceps datus, & magiſterio ſanctæ diuinitatis adiutus? Iam dudum me fateor reputantem mecum in animo rerum huiuſcemodi monſtra, ſolitum eſſe mirari, audere vos dicere quemquam ex his atheum, irreligioſum, ſacrilegum, qui Deos eſſe omninò aut negent, aut dubitent: aut qui eos homines fuiſſe contendant, & poteſtatis alicuius, & meriti cauſa Deorum in numerum relatos: cùm ſi verum fiat atque habeatur examen, nullos quàm vos magis huiuſmodi par ſit appellationibus nuncupari, qui ſub ſpecie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum & criminum, quàm ſi apertè hoc facere confeſſis maledictionibus coimbibiſſetis? [b] Deos eſſe qui dubitat, aut eſſe omninò qui negat, quamuis ſequi ſententias immanes opinionum videatur audacia, ſine vllius tamen inſectatione perſonæ, fidem rebus non accommodat inuolutis: & qui generis aſſeuerat eos fuiſſe terreni, quamuis eos priuet ſublimitate cælitum, ſubſiciuis tamen accumulat laudibus: ſiquidem illos diuinitatis ad meritum beneficiis autumat & virtutum admirationibus ſubleuatos. Vos verò qui vindices, & eorum contenditis immortalitatis eſſe propagatores, vnum ex his quempiam præteriſtis, tranſiſtis veſtris maledictionibus inuulneratum? aut genus vllum eſt probri tam communi exiſtimatione damnabile, quod in eos conferre metueritis, vel nominis ſaltem auctoritate tardati? Quis caduca & mortalia corpora Deos edidit amaſſe? nòn vos? Quis illa furta dulciſſima [c] in alienis genialibus perpetraſſe? non vos? Quis cum matribus liberos, quis cum ſuis virginibus rurſus patres infauſtos miſcuiſſe concubitus? non vos? Quis ſcitulos puſiones, atque adultos venuſtiſſimis lineis, appetitos eſſe inhoneſtè? non vos? Quis abſciſſos, quis exoletos, quis verſipelles, quis fures, quis in vinculis habitos, quis in catenis, quis denique fulminibus appetitos, quis vulneratos, quis obiiſſe ſupremos dies, ſepulturas etiam meruiſſe terrenas? non vos? Cùm igitur à vobis tot & tanta conflata ſint Deorum in contumelias crimina, audetis obiicere noſtri nominis cauſa numinum eſſe offenſas mentes, cùm jamdudum vos liqueat iratum eſſe tantarum reos, & diuinæ indignationis auctores? Sed erras, inquit, & laberis, ſatiſque te eſſe imperitum, indoctum, ac ruſticum ipſa rerum inſectatione demonſtras. Nam iſtæ omnes hiſtoriæ, quæ tibi turpes videntur, atque ad labem pertinere diuinam, myſteria in ſe continent ſancta, rationes miras, atque altas, nec quas facilè quiuis poſſit ingenij viuacitate pernoſcere. Neque enim quod ſcriptum eſt, atque in prima eſt poſitum verborum fronte, id ſignificatur, & dicitur, ſed allegoricis ſenſibus, & ſubditiuis intelliguntur omnia illa ſecretis. Itaque qui dicit, cum ſua concubuit Iupiter matre, non inceſtas ſignificat aut propudioſas Veneris complexiones, ſed Io-

uem

a *Laſcinia deinde furientis.* In quibuſdam editionibus legebatur, *luxuriantis*, ſed mendum ſuſtulit Steuvechius genuinamque lectionem, *furienſis*, teſtituit, quæ cum manuſcriptis codicibus optimè conuenit. P R I.

b *Deos eſſe qui dubitat, &c.* Protagoras Abderites cuius meminit Suidas, in ea videtur fuiſſe ſententia. Ideò enim combuſti ſunt eius libri, quod aliquando dixiſſet, de diis loquens, οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔτε ὡς εἰσὶν, οὔτε ὡς οὐκ εἰσίν. *neſcio verum ſint, nec-ne. Idem.*

c *In alienis genialibus perpetraſſe.* Adulteria perpetraſſe quod pedem tollere in ſtrato extraneo vocat Petronius in ſatyrico. Tullius ad Atticum. *Noli de vno pede ſororis queri, licet etiam alterum tollas.* Martialis lib. 11, epigr. 72. pedes tollere eſt αἴρειν σκέλη Græcis. *Idem.*

uem pro pluuia, [a] pro tellure Cererem nominat. Et qui rurſus perhibet laſciuias eum exercuiſſe cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur, ſed pro imbris nomine ponit Iouem, in filiæ ſignificatione ſementem. Sic & *ille*, qui raptam Dite à patre Proſerpinam dicit, non, vt reris, in turpiſſimos appetitus virginem dicit raptam: ſed quia glebis occulimus ſemina, iſſe ſub terras Deam, & cum Orco ſignificat fœdera genitalis conciliare feturæ. Conſimili ratione & in hiſtoriis cæteris aliud quidem dicitur, ſed intelligitur aliud, & ſub vulgaris ſimplicitate ſermonis latet ratio ſecreta, & altitudo inuoluta myſterij. Argutiæ ſunt, vt apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire ſollemne eſt malas in iudiciis cauſas. Quinimò, vt verius dicam, ſophiſticarum diſputationum colores, quibus non verum, ſed imago & ſpecies veri ſemper atque vmbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, decurſum eſt in has partes, vt alia ſubiiceretur res alij, & in ſpeciem decoris, turpitudinis interpretatio cogeretur. Sed quid ad nos iſtud, an alij ſenſus, aliæque ſententiæ conſcriptionibus vanis ſubſint? Nobis enim ſatis eſt, qui Deos à vobis ſceleratè contendimus impiéque tractari, quod ſcriptum eſt, quod auditur accipere, nec curare in abdito quid ſit, cùm contumelia numinum non in obſcura ſenſuum mente, ſed in verborum eminentium ſignificatione teneatur. Ac ne tamen videamur inſpicere quale ſit iſtud quod dicitur nolle: primum illud à vobis, ſi modò commodare patientiam vultis, exquirimus primum allegorico genere vel ſcripta hæc eſſe, vel eodem modo intelligi oportere, vnde eſt vobis cognitum, vel vnde intimatum? In conſilium ſcriptores aduocauere vos? aut tum in eorum pectoribus latitabatis, cum pro aliis res alias inter veritate capta ſubdebant? Deinde ſi illi rationis alicuius, & religionis metu myſteria illa conuoluere tenebroſa obſcuritate voluerunt, quantum vobis audaciæ eſt, vt quod illi noluerunt; vos velitis intelligere: vos ſcire & cunctorum ſubſternere notioni, quod illi fruſtra verbis minus verum ſignificantibus occulerunt? Sed, vt vobis aſſentiamur in fabulis his omnibus, ceruas pro Iphigeniis dici: vnde tamen vobis liquet, cùm allegorias iſtas vel explanatis, vel expanditis, eadem vos interpretari, eademque ſentiri, quæ ſub tacitis cogitationibus ipſis ab hiſtoricis ſenſa ſunt; nec per voces proprias, ſignificationibus ſed aliis explicata? Vos Iouis & Cereris coitum, imbrem dicitis dictum, telluris in gremium lapſum: poteſt alius aliud & argutiùs fingere, & veri cum ſimilitudine ſuſpicari: poteſt aliud tertius, poteſt aliud quartus; atque vt ſe tulerint ingeniorum opinantium qualitates, ita ſingulæ res poſſunt infinitis interpretationibus explicari. Cùm enim è rebus occluſis omnis iſta quæ dicitur allegoria ſumatur, nec habeat finem certum, in quo rei quæ dicitur, ſit fixa atque immota ſententia; [b] vnicuique liberum eſt in id quo velit attrahere lectionem, & aſſirmare id poſitum, in quod eum ſua ſuſpicio & coniectura opinabilis duxerit. Quod cùm ita ſe habeat, qui poteſtis res certas rebus à dubiis ſumere, atque vnam adiungere ſignificationem dicto, quod per modos videatis innumeros expoſitionum varietate deduci? Denique ſi adcommodum ducitis, etiam illud à vobis repetita interrogatione conquirimus, omnes de dîs fabulas exiſtimetis, id eſt, ſingulas totas ambifarias ac bilingues, & verſipellibus eſſe ſcriptas modis; an alias earum partes nihil ambiguum dicere, alias verò multifidas atque allegorici tegminis ſuperiectione velatas? Si enim ad finem à capite textus omnis expoſitionis & ſeries obtentionibus allegoricis clauſa ſunt, ediſſertate, monſtrate, quid pro rebus ſingulis, quas vnaquæque eloquitur fabula, ſupponere debeamus, & promere, quaſque in res alias atque intelligentias vocare. Vt enim [c] Iouem pro pluuia, Cererem, verbi cauſa, pro terra vultis audire, & pro Libera, ac patre Dite, ſubmerſionem ſeminis atque iactum: ita dicere vos conuenit, quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atque ira? quid ſibi velit Brimo verbum, quid Iouis ſolliciti ſupplicatio? quid allegati cælites, nec auditi? quid exectus aries? quid execti arietis proles? quid ſatisfactio his facta? quid quæ rurſus geſta ſunt libidine obſcœniore cum filia? Conſimiliter & in altera fabula, [d] Hennæ nemus & flores quid ſint? quid ſumptus ignis ex Ætna, comprehenſæque iſto faces? quid peragratio cum his orbis? quid Attica regio? quid Eleuſinius pagus? quid Baubonis tugurium atque hoſpitium ruſticana? quid cycconis

a *Pro tellure Cererem nominat.* Firmicus de errore profan. relig. *Terram ipſam Cererem nominant.* Theodoretus contra Græcos ſerm. 3. Plato Cratylo D. Clemens recogn. lib 10. ELMEN.

a *Pro tellure Cererem &c.* Seruius Cereris nomen à creando deducit, quaſi frugum creatrix diceretur, Varroni, Tullio, Arnobio etiamà gerendis frugibus, quaſi *geres*, immutata priori litera ob affinitatem quod veteribus non inſolens; atque iuxta illud Etymon ab Hebr. גרש quod frumentum contritum eſt, deduci poteſt, vel ab חרש, arauit. vnde Ouidius lib. 5. Metamorph.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro.

Iulius Firmicus de errore profanarum relig. nomen ait à ſerendis frugibus mutuatum. PRI.

b *Vnicuique liberum eſt in id quo velit attrahere lectionem.* In explicatione religionis ſuæ gentiles, & fabularum enarrationi, Theologiam illam ſuperſtitioſam, pro Herculis cothurno quaſi aſſumebant, vnuſquiſque liberum ſibi credebat, explicare, fingere, immutare, mentiri. Ac procul dubio tota illa farrago, Theramenis calceo ſimilior videtur, tot enim explicationes vt falſæ ſunt nulli rei conuenire poſſunt. *Idem.*

c *Iouem pro pluuia.* Iouis pluuij imaginem præbet Baronius tom. 2. Annal. quem adi. dicitur & Elicuis ab eliciendis pluuijs, & Elicitor à Ruricio Epiſcopo lib. 2. epiſtol. Fabulas autem iſtas de pluuio Ioue, & ridicula commenta euertit Tertullianus Apolog. 40. *Idem.*

d *Henna nemus &c.* Tangit fabulam de rapto Proſerpinæ. *Idem.*

e *Quid Baubonis tugurium,* Baubonis fabula; eius hoſp.

nis ſignificet potio? quid aſpernatio potionis? quid nouatio, & reuelatio pudendorum? quid ſpectaculi flagitioſa dulcedo, & ex remediis talibus orbitatis obliuio comparata? Quòd ſi pro omnibus quod oporteat ſubiici rerum immutatione monſtratis, erit vt vobis aſſenſum ſuper tali aſſeueratione tribuamus: ſin autem ſingula ſingulis neque poteſtis ſupponere, nec alterum in ſenſum rerum vocare contextum, quid allegoriis obſcuratis honeſtis id, quod ſimpliciter ſcriptum eſt, & communem ad intelligentiam publicatum? Niſi fortè dicetis, non toto in hiſtoriæ corpore allegorias has eſſe, cæterùm partes alias eſſe communiter conſcriptas, alias verò dupliciter & ambifaria obtentione velatas. Vrbana eſt iſta ſubtilitas, & quibuſlibet brutis patens. Nam quia cuncta, quæ ſcripta ſunt, inexpeditiſſimum vobis eſt traducere, inuertere, deriuare, eligitis quædam veſtræ conuenientia voluntati, & ex ipſis obtinere contenditis nothas atque adulteras lectiones interiori eſſe ſuperpoſitas veritati. Quod tamen vt vobis ita ſeſe habere, quemadmodum dicitis, annuamus, qui ſcitis, aut vnde cognoſcitis, vtra pars ſit ſententiis hiſtoriæ ſcripta ſimplicibus, vtra vero ſit diſſonis atque alienis ſignificationibus tecta? Poteſt enim fieri, vt quod vos exiſtimatis ſic eſſe, aliter ſe habeat: aut quod aliter creditis, conceptionibus aliis contrariiſque prolatum ſit. [a] Vbi enim dicitur in vnius materiæ corpore pars eſſe allegoricè ſcripta, indubitabili altera ſermone, rectoque: nec ineſt in re ſignum, quo differitas indicari ambiguorum poſſit ſimpliciterque dictorum, tam poteſt quod ſimplex eſt, ambiformiter dictum exiſtimari, quàm quod ambiguè ſcriptum eſt, recluſis eſſe obtentionibus credi. Quod quidem quo genere aut fiat, aut fieri poſſe creditur, intelligere confitemur minimè nos poſſe. Inſpiciamus enim quod dicitur hoc modo. In nemore, inquit, Hennenſi quondam flores Proſerpina virago lectitabat. Integrum adhuc iſtud eſt, & recta pronunciatione prolatum. Nam & nemus, & flores quid ſint, quid Proſerpina, quid virago, cunctis indubitabiliter notum eſt. Emicuit Summanus è terris curru quadriiugo vectitatus. Simplex & hoc æquè eſt: nam quadrigæ, currus, atque Summanus interpretationem deſiderant nullam. Improuiſus Proſerpinam rapuit, & ſub terras ſecum auexit. Seminis, inquit, abſtruſio raptione in Proſerpinæ nuncupatur. Quid accidit, quæſo, vt in aliud ſubitò conuerteretur hiſtoria, ac ſemen Proſerpina diceretur? vt quæ virago jamdudum florum in lectionibus habebatur, poſtquam ſublata & rapta eſt, ſignificationem cœperit habere ſementis? Iupiter, inquit, in taurum verſus, concubitum matris ſuæ Cereris appetiuit. Vt expoſitum ſuprà eſt, nominibus his tellus & labens pluuia nuncupatur. Legem allegoricam video tenebroſis ambiguitatibus explicatam. Irata Ceres eſt, & exarſit, & arietis proles pro pœna atque vltione ſuſcepit. Hoc iterùm video communibus in proloquiis promptum: nam & ira, & teſtes, ſatisfactio, ſuis hic moribus, & conditionibus dicta ſunt. Quid ergo hîc accidit, vt ab Ioue qui pluuia, & ab Cerere, quæ appellata eſt terra, res tranſiret ad verum Iouem, atque ad rerum ſimpliciſſimam dictionem? Aut igitur debent allegorico genere omnia eſſe ſcripta, & poſita, demonſtrandaque vniuerſa nobis: aut genere iſto conſcriptum eſt nihil, quoniam eſſe quod creditur, quaſi parte ex hiſtoriæ non videtur. Allegorico genere ſcripta ſunt hæc omnia. Minimè iſtud videtur certum. Quæritis qua ratione, qua cauſa? quia omne quod geſtum eſt, & in alicuius operis euidentia, conſtitutum conuerſionem non poteſt in allegoricam duci. Neque enim poteſt infectum eſſe, quod factum eſt: aut rei geſtæ natura in alienam poteſt degenerare naturam. Numquid bellum Iliacum in Socraticam verti condemnationem poteſt? aut pugna illa Cannenſis proſcriptio fieri, crudelitaſque Syllana? Poteſt quidem proſcriptio, [b] quemadmodum Tullius ludit, pugna dici, appellatique Cannenſis. Sed quæ geſta eſt dudum pugna eſſe non poteſt eadem, eademque proſcriptio: neque enim quod geſtum eſt, poteſt aliud, vt dixi, quàm id eſſe quod geſtum eſt, aut in alienam migrare ſubſtantiam id, quod in vi propria, atque in ſui generis qualitate defixum eſt. Vnde igitur probamus hiſtorias has omnes rerum eſſe geſtarum conſcriptiones? Ex ſollemnibus ſcilicet ſacris atque initiorum myſteriis: vel quæ ſtatis ſunt temporibus, ac diebus, vel quæ in abdito traduntur initiatis, moris proprij perpetuitate ſeruata. Neque enim credendum eſt ſine ſuis originibus hæc eſſe, fruſtra atque inania fieri, nec habere coniunctas primis inſtitutionibus cauſas. [c] Pinus illa ſollemniter quæ in Matris infertur ſanctum Deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Attis virum, demeſſis genitalibus, abſtulit, & quam memorant diuam in ſolatium ſui conſecrauiſſe mœroris? Phallorum illa faſcinorumque ſubrectio, quos ritibus annuis

ſium, cæteraque fusè narrantur à Clemente Alexand. in protrept. PRI.

a *Vbi enim dicitur in vnius materiæ corpore pars eſſe allegoricè ſcripta, &c.* Pergit excutere pudendas illas hiſtorias, quæ licet allegoricæ ſint, turpes tamen ſunt, & diis contumelioſæ, quæ & res turpiſſimas continent, & omni verborum obſcænitate eas explicant *Idem.*

b *Quemadmodum Tullius ludit.* Cicero pro Roſcio Amerino. *Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum fecit, multos caſus non ad Thraſymenum lacum, ſed ad Seruilium.* ELMEN.

c *Pinus illa ſolemniter.* Firmicus de errore profan. relig. *In ſacris Phrygiis, quæ Matris Deum dicuntur, per annos ſingulos, arbor pinea caditur, & in media arbore ſimulacrum juuenis ſubligatur. Idem.*

Eleuſinia

annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris ſimilitudinem refert, quo ſe à debito Liber liberauit? [a] Eleuſinia illa myſteria, & ſacrorum reconditi ritus, cuius memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquiſitione Ceres feſſa, oras vt venit ad Atticas, triticeas attulit fruges, Nebridarum familiam pellicula cohoneſtauit hinnulæ, & illud ſpectaculum maximum Baubonis in inguinibus riſit? aut ſi alia cauſa eſt, nihil ad nos iſtud, dummodò cuncta iſta conſiant. Neque enim credibile eſt, nullis antecedentibus cauſis ſuſcepta hæc eſſe: aut inſanire iudicandum eſt Atticos, qui ſibi ritum religionis affixerint conflatum rationibus nullis. Quod ſi liquet & conſtat, id eſt, ſi rebus actis myſteriorum cauſæ atque origines effluunt, in allegoricas ſpecies nulla poſſunt conuerſione traduci. Quod enim factum, geſtum eſt, infectum non poteſt fieri rerum prohibente natura. Et tamen vt vobis ita ſe habere aſſentiamur res iſtas, id eſt, vt hiſtoriæ aliud verbis ſonent, neſcio quid aliud more hariolantium dicant, ita non animaduertitis, non videtis quanta iſtud dicatur & cum ignominia fieri, contumeliáque diuorum? An iniuria grauior vlla potis eſt reperiri, quàm terram, & pluuiam, vel quodlibet aliud, nihil enim refert quæ fiat interpretatione conuerſio, Iouis & Cereris dicere atque appellare concubitum? & cum Deorum criminibus labem imbris è cælo, & telluris ſignificare madorem? Poteſt irreligioſius quidpiam vel exiſtimari, vel credi, quam ſeminia terris merſa, vel quodlibet aliud, nihil enim ſimiliter refert, raptum Proſerpinæ dicere, & cum nota Ditis patris rei ruſticæ de opere proloqui? Nonne millies optatius fuit elinguem heri atque mutum, atque ſcaturiginem iſtam vocis, & ſtrepitum fœdæ loquacitatis amittere, quàm Deorum nominibus res appellare turpiſſimas? quinimmò turpibus Deorum factis negocia ſignificare vulgaria? Anteà mos fuerat in allegorica dictione, honeſtiſſimis ſenſibus obumbrare res turpes, & fœda prolatu honeſtorum conueſtirier dignitate. At verò vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graues, & caſtitate pollentia obſcœnis commemorantur in vocibus: vt quod olim prauitas fœdorum verecundia contegebatur, nunc verniliter turpiterque dicatur, dignorum elocutione mutata. Quod in adulterio dicimus Martem, inquit, & Venerem Vulcani eſſe circumretitos arte, cupiditatem dicimus atque iram, vi preſſas conſilioque rationis. Quid enim prohibebat, quid obſtabat ſuis vnamquamque rem verbis, & ſuis ſignificationibus promere? immò quid vrgebat, cum neſcio quid indicare per commentarios & ſcripta voluiſſes, nolle illud intelligi, quod indicaris, ſed contrarias res ſimul vna expoſitione ſuſcipere, ſtudium docere cupientis, & nolentis oſtendere malignitatem? An Deos adulteros dicere periculum habuit nullum? prolatio cupidinis atque iræ, linguam & os fuerant obſcœno coinquinatura contactu? Quod ſi vtique fieret, & allegoricæ cæcitatis obumbratio tolleretur, & facilis ad diſcendum res eſſet, & deorum dignitas conſeruaretur illæſa. Nunc verò cùm dicitur, in Martis & in Veneris vinctione vitiorum eſſe ſignificata compreſſio, peruerſiſſimæ res duæ ſimul iiſdem temporibus fiunt, vt & fœdæ rei ſpecies intellectum ſubiciat honeſtatis, & priùs animum turpitudo, quàm religionis alicuius perſtringat auctoritas. Niſi fortè dicetis, hoc enim ſolum reſtat quod à vobis poſſe videatur opponi, Deos ſua myſteria nolle ab hominibus ſciri: & idcircò hiſtorias ambagibus eſſe allegoricis ſcriptas. Et vnde vobis eſt liquidum, quòd hominibus ſuperi nolunt ſua myſteria publicari? Vnde illa vos ſcitis, aut cur ea diſſoluere in allegoriarum explanatione curatis? Ad extremum & vltimum, quid ſibi Dij volunt, vt honeſta cum nolint, turpiſſima de ſe dici atque indecora patiantur? Attidem cùm nominamus, ſolem inquit, ſignificamus & dicimus: ſed ſi Attis ſol eſt, quemadmodum connumeratis & dicitis, quis erit Attis ille, quem in Phrygia genitum veſtræ produnt atque indicant litteræ? quem paſſum eſſe res certas, feciſſe item res certas? quem in ſpectaculis ludicris theatra vniuerſa nouerunt? cui inter ſacros cultus res videmus fieri ſpecialiter annuas, nominatimque diuinas? Vtrumne ab ſole ad hominem, an ab homine ad ſolem vocabuli huius facta tranſlatio eſt? Si enim nomen iſtud principaliter

a *Eleuſinia illa myſteria, & ſacrorum reconditi ritus, &c.* Sacra Eleuſinia philologis notiſſima ſunt, de iis mentio occurit quam ſæpiſſime. In honorem Cereris inſtituta erant apud Athenienſes. S. Auguſtinus lib. 7. de ciu. Dei, cap. 20. *In Cereris autem ſacris prædicantur illa Eleuſinia, quæ apud Athenienſes nobiliſſima fuerunt: De quibus nihil iſte interpretatur, niſi quod attinet ad frumentum, quod Ceres inuenit, & Proſerpinam, quam rapiente Orco perdidit.* At illorum ſacrorum duo genera fuerunt; Magna enim ſacra in honorem Cereris celebrata ſunt, in mediocri Atticæ oppido quod Eleuſis dicebatur, vnde Etymologicum magnum; Ἐλευσὶν δῆμος ἀττικός, διὰ τὴν τῆς Δήμητρος ἔλευσιν, ὅτι ἐλθοῦσα, εὗρε τὴν κόρην. *Eleuſis pagus eſt Attidis propter Cereris aduentum, quoniam ibi appulſa filiam inuenit.* Idem refert Ariſtides in Eleuſinia. Diodorus tamen Siculus, propter aduectum ibi frumentum, nomen impoſitum ait lib. 5. biblioth. hiſt. τὸν γὰρ τόπον, τὸν ἐξ ἀρχῆς δεξάμενον τὴν δωρεὰν ταύτην Ἐλευσῖνα προσαγορεύουσιν, ἀπὸ τοῦ παρ' ἑτέρων ἐλθεῖν τὸ σπέρμα εἶτα κομισθέντος. *Locum enim Eleuſin vocant, qui donum illud primus excepit, quod ab alijs aduectum fuerit frumentum.* Parua autem myſteria Proſerpinæ ſacra erant. Cum enim prohibitum eſſet ne quis peregrinus initiaretur, Hercules iis ſacris adſcribi voluit, Athenienſes vt ei ſatisfacerent, ſine legis abrogatione, parua inſtituerunt. Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Plutum rem multis enarrat. Reconditi verò ritus dicuntur, quoniam noctu fiebant, νυκτὸς ἐτελεῖτο ait Ariſtophanis ſcholiaſtes in Ranis. & Euagrius hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 11. καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καθ' ἓν μόνον ἐπαινετά, ὅτι γε ἥλιος οὐχ ὁρᾷ, ἀλλὰ τὸ σκότος συνοικεῖν καταψηφίζονται. *Sacra Eleuſinia in vna re laudabilia ſunt, quod ea Sol non videt, ſed tenebris damnata creduntur.* A profanorum cognitione remota erant Ouidius de arte lib. 2.

Qui Cereris ritus audet vulgare profanis.

Is enim morte damnabatur quiſquis ea ſacra reuelaſſet, librum elegantem de iis ſacris edidit Ioannes Meurſius, in quo omnia diligenter expenduntur. PRI.

liter ab origine ſolis, quid tandem de vobis ſol aureus meruit, vt ei cum ſemiuiro faceretis vocabulum iſtud eſſe commune? ſin hirquinum, & Phrygium eſt, quid Phaëthontis genitor, pater huius luminis & claritatis admiſit, vt abſciſſo ab homine dignus videretur vocari, & auguſtior fieret euirati corporis nuncupatione ſignatus? Sed quid ſit iſtud jam promptum eſt omnibus: nam quia talium ſcriptorum hiſtoriarumque vos pudet, nec aboleri videtis poſſe ea, quæ ſunt fœdè ſemel in commentarios relata, nitimini cohoneſtare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus ſubditis, verborum inuertitis corrumpitiſque naturas: atque vt olim accidere malè ſanis aſſolet, quorum turbida vis morbi ſenſum atque intelligentiam depulit, confuſa atque incerta jactatis, & inanium per rerum figmenta bacchamini. Eſto in Iouis & Cereris cœtu irrigatio ſit ſignificata telluris: occultatio ſeminis, patris in Ditis raptu: vina per terras ſparſa diſtractis in viſceribus Liberi: cupiditatis & temeritatis compreſſio, colligatio dicta ſit adululterorum Veneris atque Martis. Sed ſi fabulas has vultis more eſſe allegorico ſcriptas, quid cæteris fiet, quas non videmus poſſe verſutas in huiuſmodi cogi? Quid enim ſubiiciemus pro illis fluctibus, quos ſuper aggerem tumuli a Semeleiæ ſubolis vrigo contorſit? Et quid pro illis b Ganymedibus raptis, atque in libidinum magiſteria ſubſtitutis? Quid pro illa conuerſione formiculæ, in quem Iupiter maximus vaſtitatis ſuæ liniamenta contraxit? Quid pro cycnis, & ſatyris? quid pro aureis imbribus, in quos idem ſe pellax fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens? Ac ne de Ioue ſolo loqui videamur voluiſſe, in amoribus numinum reliquorum eſſe allegoriæ quæ poſſunt? quæ in mercenariis conditionibus, ac ſeruitutibus? quæ in vinculis, orbitatibus, planctibus? quæ in cruciatibus, vulneribus, ſepulchris? In quo cùm vnam contrahere poſſetis culpam conſcriptione de ſuperis tali, addidiſtis, vt dicitur, garo gerrem, cum Deorum nominibus appellauiſtis res turpes, & vocabulis rurſus Deos rerum conquinauiſtis infamium. Quod ſi adeſſe hîc eos, aut eſſe illos vſpiam cognitione indubitabili crederetis: in mentione illorum facienda præſtingeret vos metus: & tamquam vos audirent, veſtraſque acciperent voces, ita credi oportuit, & haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officioſis religionibus deditos non ipſi Dij tantùm, verùm etiam nomina debent eſſe Deorum reuerenda: quantumque eſt in ipſis, qui cenſentur his nominibus, tantum eſſe par eſt in eorum appellationibus dignitatis. Da veram iudicii formam, & in illa eſtis reprehenſionis parte, quòd in vſu ſermonis veſtri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Mineruam pro ſtamine, pro obſcœnis libidinibus, Venerem. Quæ eſt enim ratio, vt cùm ſuis cenſeri appellationibus res poſſint, nominibus cognominentur Deorum, & ea fiat numinibus contumelia, quam nec homines ſuſtinemus, ſi noſtra quis nomina res ducat atque inuertat in friuolas? Sed oratio ſordida, verbis fuerit polluta ſi talibus verecunda ac laude condigna. Erubeſcitis panem & vinum nominare, & pro coïtu Venerem non metuitis dicere.

ARNO-

a *Semeleia ſubolis vrigo.* Ithyphalliorum ſacra, ſeu potiùs originem retractat, & infandum Liberi factum: de quo ſuprà hoc eodem lib. Cui nota fabula erit: neque incognitæ voces, *vrigo, vredo*, de quibus ego in quæſtionibus ad Apuleij libros de aſino ſatis abundéque notaui. STEVV.

b *Ganymedibus raptis.* Doctiſſimus iuuenis, & mihi ſumma dum viueret familiaritate coniunctus, Lucas Fruterius, legebat *raptis*, pro, *partis*: elegantiſſima, & ipſo digna conjectura. CANT.

ARNOBII
DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES
LIBER SEXTVS.

NVNC quoniam ſummatim oſtendimus, quàm impias de Diis veſtris opinionum conſtitueritis infamias; ſequitur vt de templis, de ſimulachris etiam, ſacrificiiſque dicamus: deque alia ſerie, quæ his rebus adnexa eſt, & vicina copulatione conjunctâ. In hac enim conſueſtis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, ª quod neque ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, ᵇ non Deorum alicuius ſimulachrum conſtituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras, non cæſorum ſanguinem animantium demus, non tura, neque fruges ſalſas, non denique vinum liquens paterarum effuſionibus inferamus. Quæ quidem nos ceſſamus non ideò vel exædificare, vel facere tamquam impias geramus & ſceleroſas mentes, aut aliquem ſumpſerimus temeraria in Deos deſperatione contemptum: ſed quòd eos arbitramur, & credimus, ſi modo Dij certi ſunt & nominis huius eminentia præditi, honorum hæc genera aut riſui habere, ſi rideant; aut indignè perpeti, ſi motibus exaſperentur irarum. Vt enim noſcatis quid de iſto nomine ſentiamus, iudiciique ſimus cuius, exiſtimamus nos eos ſi modò Dij certi ſunt, vt eadem rurſus ſatiateque dicantur, cunctarum eſſe debere perfectarumque virtutum, ſapientes, iuſtos, graues, ſi modò nulla eſt culpa, quòd eos laudibus accumulamus humanis, inteſtinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis ſe addicere, quo illis integritas ᶜ inoffenſæ beatitudinis compleatur; ab affectibus cunctis & cunctis perturbationibus liberos, non ira efferuere, non vllis cupiditatibus excitari; calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere voluptatem, non terrere portentis, non prodigioſas oſtentare formidines, non votorum debitis habere obnoxios & obligatos, nec piaculares hoſtias ſignis minacibus poſtulare; non peſtilentias, non morbos corruptione aëris inducere, non adurere ſiccitatibus fruges, non cædibus intereſſe bellorum, non vrbium ſtragibus; non aduerſa his velle, non illorum commoditatibus ſuffragari; ſed quod magnarum eſt mentium pari pendere cunctos lance, & indiuiduas cunctis beneuolentias exhibere. Caduci enim generis, & infirmitatis humanæ eſt, contrariis egere, eoſque quos tangat affectio, pati, dolere, diminui, ſapientium ſcita & pronunciata definiunt: nec poſſe aliter fieri, quin legibus mortalitatis adſtricti ſint, qui ſint vllis perturbationibus mancipati. Quod cùm ita ſe habeat, qui poſſumus iudicari Deos habere contemptui, quos niſi ſunt recti, & magnarum mentium admiratione laudabiles, Deos negamus exiſtere, nec poteſtatibus poſſe cælitibus applicari? Sed templa illis extruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hoſtias, non tura ac vina libamus. Et quid amplius poſſumus vel honoris eis attribuere, vel dignitatis, quàm quod eos in ea ponamus parte, qua rerum caput, ac dominum, ſummumque ipſum regem, cui debent diuina nobiſcum quod eſſe ſe ſentiunt, & vitali in ſubſtantia contineri? ᵈ Numquid enim delubris aut templorum cum conſtructionibus honoramus? Numquid & hoſtias cædimus? Numquid alias res damus, quas libare, profundere, non eſt rationis expenſæ, ſed tracti per conſuetudinem moris? Etenim plena dementia eſt, neceſſitatibus tuis potentiora metiri, & quæ tibi ſint vſui, datoribus Diis dare, & honorem iſtum, non contumeliam ducere. Templa igitur quærimus in Deorum quos vſus, aut in rei cuius neceſſitatem, aut dicitis eſſe conſtructa, aut eſſe rurſus ædificanda cenſetis? ᵉ Hiemalia ſentiunt frigora, aut ſolibus torrentur æſtiuis? pluuialibus

a *Quòd neque ædes ſacras &c.* Cæcilius apud Minutium Felicem; *Chriſtiani nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulachra.* Ad quem locum vide quæ obſeruat amicus noſter vir ampliſſim. Ioannes Vouverius, & prætereà Origenem lib. 8. contra Celſum. Clementem Alex. lib. 7. ſtrom. ELMEN.

b *Non deorum alicuius ſimulacrum conſtituamus.* Lampridius in Alexandro Seuero. *Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos accipere, quod & Adrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri. Idem.*

c *Inoffenſa beatitudinis.* Sic apud Gellium lib. 2. cap. 1. *inoffenſa valetudo.* Solin. cap. 4. *inoffenſa felicitas.* Ouid. eleg. 8. lib. 1. triſtium. *inoffenſa vita.* Plinium Iunior. *inoffenſa voluptas.* Tacitum: *inoffenſum iter. Idem.*

d *Numquid enim delubris, aut templorum, &c.* Notandum verbum *honoramus.* Ethnici templis honorari Deos exiſtimabant, quaſi locis conſecratis: Chriſtiani contrà dicebant, honores iſtos Deo non eſſe tribuendos, neque diuinitatem quaſi ſeptis quibuſdam continendam. Loca item conſtituenda, non quibus diuinitas concludi exiſtimetur, ſed in quibus Deus oretur, & religionis officia celebrentur. Quare conuenticula, eccleſias, oratoria, συνάξεις, ab vſu & fine ea loca appellabant. HER.

e *Hiemalia ſentiunt frigora.* Templorum conſtructionem conuellere incipit; Rem igitur aggreditur ab eorum vſu & fine. Templa, inquit, à vobis conſtruuntur, vel tamquam deorum domicilia, vbi ſcilicet dij veſtri repo-

pluuialibus nimbis perfluuntur, ventorum eos aut turbines vexant? incurſionem pati periclitantur hoſtilem, ferarum aut rabidos appetitus, vt meritò illos conueniat tectorum munitionibus claudere, ſaxorum aut obiectione tutari? Templa enim hæc quid ſunt? Si humanam infirmitatem roges, neſcio quid immane, atque amplum: ſi Deorum potentia metiaris, ſucceſſus quidam parui, atque, vt verius eloquar, genus anguſtiſſimum cauernarum, paupertini cordis excogitatione ſuſpenſum. Quorum ſi quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuiſſe monſtrabitur: aut, vt tradit in admirandis Varro, Iouis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis ſtructa, laquearibus aut renideant aureis, ſplendeant hic gemmæ, & ſidereos euomant variata interſtinctione fulgores; terra ſunt hæc omnia, & ex fæce vltima vilioris materiæ concreta. Neque enim, ſi vos eos pretiis carioribus penditis, delectari credendum eſt his Deos: nec recuſare, nec ſpernere, quò minus ſe ſepiant, & eorum obiectibus coërceantur incluſi. Templum, inquit, hoc Martis eſt, hoc Iunonis & Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: quid eſt aliud dicere, quàm domus hæc Martis eſt, hæc Iunonis, & Veneris, Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus. Ita non prima & maxima contumelia eſt, habitationibus Deos habere diſtrictos? tuguriola his dare, conclauia & [a] cellulas fabricari, & eis exiſtimari neceſſarias res eſſe, quæ hominibus, felibus, quæ ſunt formiculis, & lacertis, quæ fugacibus, pauidis, atque exiguis muribus? Sed non, inquit, idcircò attribuimus Diis templa, tamquam humidos ab his imbres, ventos, pluuias arceamus, aut ſoles: ſed vt eos poſſimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præſentibus quodammodo venerationum colloquia miſcere. Sub axe enim nudo, & ſub ætherio tegmine inuocati ſi fuerint, nihil audiunt: & niſi de proximo admoueantur his preces, tamquam nihil dicatur, obſtructi atque immobiles ſtabunt. Atquin nos arbitramur omnem Deum omninò, ſi modò nominis huius vi pollet, ex quacumque mundi parte, quod quiſque fuerit locutus, tamquam ſi ſit præſens, audire debere: immò quod quiſque conceperit ſub obſcuris & tacitis ſenſibus cognitione anticipata præſumere. Atque vt aſtra, ſol, luna, cùm ſupra terras meant, omnibus omninò cernentibus ſtatim ſunt & vbique præſentes; ita quoque conuenit audientiam numinum nulli eſſe clauſam linguæ, ſemperque eſſe præſentem, quamuis ad eam voces regionibus ex diſtantibus confluant. Hoc eſt enim proprium Deorum, complere omnia vi ſua: non partiliter vſpiam, ſed vbique eſſe totos: non adeſſe, non abeſſe, non cenatum ad Æthiopas pergere, & poſt dies biſſenos priuatum ad domicilium redire. Quod ſi ita non erit, tollitur omnis ſpes opis; erit in dubio audiamini ab Diis, necne, ſi quando res ſacras cæremoniarum conficitis debitis. Conſtituamus enim noſcendæ rei cauſa, templum numinis alicuius eſſe apud Canarias inſulas, eiuſdem [b] apud vltimam Thylem; eiuſdem apud Seras eſſe, apud furuos Garamantas, & ſi qui ſunt alij, quos ab ſui notitia maria, montes, ſyluæ, & quadrini diſterminant cardines. Si omnes vno in tempore rebus diuinis factis, quod ſua quoſque neceſſitas cogitare compellit, poſcant de numine, referendi beneficij quænam omnibus ſpes erit, ſi non vndique ad ſe miſſam vocem Deus exaudiet, & erit vlla longinquitas, quò penetrare non poſſit auxilium poſcentis oratio? Aut enim nullis erit partibus præſens, ſi vſpiam poterit aliquando non eſſe; aut aderit vnis tantùm, quoniam præbere communiter ſuum non poteſt atque indiſcretus auditum. Atque ita perficitur, vt aut nullis Deus opituletur omninò, ſi occupatus re aliqua ad audiendas voces non quiuerit aduolare: aut exauditi tantummodo vni, abeant ſoli, nihil egerint cæteri. Quid? quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atque oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas? Ex eo nónne patet, & promptum eſt, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut [c] inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis? In hiſtoriarum Antiochus nono, Athenis in Mineruio memorat Cecropem eſſe

mandatum

nantur, & aduerſus hominum, vel cæli injurias tuti ſint; vel vt ibi deos veſtros quaſi præſentes habeatis. vtrumque finem deſtruit. HERAL.

a *Cellulas fabricari* Cellulas partem templi ſanctiorem dicit, vbi deorum ſimulacra reponebant. Gellius lib. 7. cap. 1. Valerius Max. lib. 1. cap. 1. ELMEN.

b *Apud vltimam Thylem.* Virgilium hic noſter imitatus. etſi tamen pro conſuetudine antiqua y pro u adhibitum ſit; vnde confuſa paſſim in vetuſtiſſimis membranis hæc Gyla gula; de quo & Soſipatrum Chariſium verba facere memini, Capya & Capua; Sylla & Sulla; ſimilia ſexcenta. Virgilij verſus primo Georg.

--------- *tibi ſeruiat vltima Thyle.*

Itidem apud Claudianum ------- *procul axe remotam.*

Inſolito belli tremeſecit murmure Thulem.

STRVV.

Vltimam Thylem. Prudent. Hamartig.

-- *oppoſitos ſed tranſit lumine montes*

Oceani fines, atque vltima litora Thyles.

Solinus cap. 25. *multa & alia circum Britanniam inſula, è quibus Thule vltima, in æſtiuo ſolſtitio, ſole de cancri ſidere faciente tranſitum, nox penè nulla, brumali ſolſtitio perinde nullus dies, vt ortus iunctus ſit occaſui. vltra Thulem accepimus pigrum eſſe & concretum mare.* Statius lib. 5. ſiluar. Seruius in 1. Georgic. Plin. lib. 2. cap. 75. Strabo lib. 4. Mela lib. 5. cap. 6. ELMEN.

c *Inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, &c.* Locum iſtum vt attentiùs conſiderare cœpi, præcipitationem literæ, ſcripturæ commutandæ fuiſſe putaui: germana lectio viſa eſt, *& templa mortuorum ſuberata ſunt buſtis*, tralata voce ad tumulos humatorum. Itidem in Nonio eſt, ſuggrundaria, *nec tanta cadaueris immanitas, qua locus tumeſceret.* tumulos iſtos, aggeres alibi vocat noſter, vt Fl. Vopiſcus in Probo. & Iulianus A. in l. pergit C. de ſepulcro violat. Suadeo vt Gratiani Imper. conſtitutionem legas, quæ exſtat in l. 2. C. de ſacroſan. Eccl. STRVV.

mandatum terræ: in templo rurſus eiuſdem, quod in arce Lariſſæ eſt, conditus ſcribitur atque indicatur Acriſius: Erichthonius Poliadis in fano: Dairas & Immarus fratres in Eleuſino conſepto, quod ciuitati ſubiectum eſt. [a] Quid? Celei virgines non in Cereris Eleuſinæ humationis habuiſſe perhibentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis conſtitutum eſt Delij, Hyperocha, Laodiceque quas aduectas illuc eſſe finibus ex Hyperboreis indicatur? In Didymæo Mileſio, Clearchum dicit habuiſſe ſuprema Leandrius funeris. Leucophrynæ monumentum in fano apud Magneſiam Dianæ eſſe Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, quæ Telmeſſi apud oppidum viſitur, Telmeſſum eſſe conditum vatem, non ſcriptis conſtantibus indicatur? Ptolemæus Ageſarchi de Philopatore quem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni ſua, immò cum omni próſapia in Veneris templo ſitum eſſe, literarum auctoritate declarat. Infinitum eſt & immenſum, quibus quique in fanis totò ſint in orbe deſcribere? nec exactam deſiderat curam, quam is pœnam conſtituerit Ægyptius in eum qui publicaſſet, quibus Apis iaceret abſconditus: [b] Polyandria illa Varronis, quibus templis contegantur, quaſque in ſe habeant ſuperlati ponderis moles. Sed quid ego hæc parua? Regnatoris in populi Capitolio quis eſt hominum qui ignoret Oli eſſe ſepulchrum Vulcentani? Quis eſt, inquam, qui non ſciat ex fundaminum ſedibus caput hominis euolutum non ante plurimum temporis, aut ſolum ſiue partibus cæteris; hoc enim quidam ferunt, aut cum membris omnibus humationis officia ſortitum? Quod ſi planum fieri teſtimoniis poſtulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus vobis, & Fabius indicabunt, cuius Aulus fuerit filius, gentis & nationis cuius, vt à germani ſeruulis vita fuerit ſpoliatus & lumine: quid de ſuis commeruerit ciuibus, vt ei ſit abnegata telluris patriæ ſepultura. Condiſcetis etiam, quamuis nolle iſtud publicare ſe fingant, quid ſit capite reſecto factum, vel in parte qua rei curioſa fuerit obſcuritate concluſum: vt immobilis videlicet atque fixa obſignati ominis perpetuitas ſtaret. Quod cùm opprimi par eſſet, & vetuſtatis obliteratione celari, compoſitio nominis jecit in medium, & cum ſuis cauſis per data ſibi tempora inextinguibili fecit teſtificatione procedere. Nec erubuit ciuitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cùm vocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium, quàm ex nomine Iouio nuncupare. Satis igitur, vt opinor, oſtendimus templa Diis immortalibus aut inaniter iis eſſe conſtructa, aut contra decus, & potentiam creditam contumelioſis opinationibus fabricata. Sequitur vt [c] de ſignis aliquid, ſimulacriſque dicamus, quæ multa arte componitis, & religioſa obſeruatione curatis. Qua in parte ſi fides eſt vlla, conſtituere apud nos ipſos nullis conſiderationibus poſſumus, vtrumne iſtud ſeriò & cum propoſito faciatis graui, an ridendo res ipſas, puerili alucinatione ludatis. [d] Si enim certum eſt apud vos Deos eſſe, quos remini, atque in ſummis cæli regionibus degere, quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt ſimulachra iſta fingantur à vobis; cùm habeatis res certas, quibus preces poſſitis effundere, & auxilium rebus in exigentibus poſtulare? Sin autem non creditis, aut, vt mediocriter dicatur, ambigitis: etiam ſic, ratio quænam eſt dubiorum fingere atque inſtituere ſimulachra, & quod eſſe non credas, ventoſa imitatione formare? An numquid dicitis fortè præſentiam vobis quamdam his numinum ſub exhiberi ſimulacris, & quia Deos videre non datum eſt, eos ſic coli, iis & munia officioſa præſtari? Hoc qui dicit, & aſſerit, Deos eſſe non credit: nec habere conuincitur ſuis religionibus fidem, cui opus eſt videre, quod teneat: ne inane fortè ſit, quod obſcurum non videtur. Deos, inquitis, per ſimulachra veneramur. Quid ergo, ſi hæc non ſint, coli ſe Dij neſciunt, nec impertiri à vobis vllum ſibi exiſtimabunt honorem? Per tramites ergo quoſdam, & per quædam fideicommiſſa, vt dicitur, veſtras ſumunt, atque accipiunt cultiones: & antequàm hi ſentiant, quibus illud debetur obſequium, ſimulachris litatis priùs, & velut reliquias quaſdam aliena ad illos ex auctoritate tranſmit-

a *Quid? Celei Virgines non in Cereris Eleuſinæ humationis habuiſſe perhibentur officia?* Ceres Proſerpinam filiam quærens, ad Eleuſinum pagum delata, (Eleuſin alij quondam, modò Lepſinem vocatam aiunt, vrbem non longè ab Athenis) à Baubone hoſpitio excepta eſt, vt narrante Arnobio didicimus lib. 5. Alij tamen ab Eleuſio rege ibidem regnante; alij à Celeo rege Deam acceptam fabulantur. Ea vt ſint, ab Eleuſi loco, & fabula iſta, Eleuſinia ſacra (Theſmophoria quidam vocarunt) originem traxiſſe teſtis locupletiſſimus in Octauio ſuo Minutius Felix: Idemque Eleuſinios Cererem, vt Phrygas magnam Matrem, alios alias alioſve coluiſſe, memoriæ prodidit. Vnde non planè abſimile vero, templum Eleuſinios Cereri ſuæ habuiſſe, & in humandis ibidem hominibus virgines illas, de quibus Arnobius meminit, libitinariorum vicem fuiſſe, vel ipſas potiùs ibidem conditas. STEV.

b *Polyandria illa Varronis.* Papias: *Polyandrium, tumulus mortuorum.* Gloſſæ; ſtrages. *πολυάνδριον, σωρὸς νεκρῶν.* Lactantius Epitome diuin. inſtitution. cap. vlt. *Et congerentur in ea valle corpora mortuorum, & vocabitur nomen eius polyandrion.* Inſcriptio vetus. Pauſanias Boeoticis. Corinth. Ælianus de varia hiſt. lib. 12. c. 21. interpretes biblior. in Ezechiel. cap. 39. ELMEN.

c *De ſignis aliquid ſimulacriſque.* Hîc de ſimulacris agitur; Crimen primum illud objiciebatur Chriſtianis, quòd templa non haberent; tum verò quod ſimulacra nulla. vnde criminationem illam diluit. ſimulacrum eſt *εἴδωλον* cuius etymum explicat Tertullianus cap. 3. de Idololatr; eratque deorum: *ξόανα* Heroibus erigebantur, Regibus *ἀνδριάντες*, ſapientibus *εἰκόνα*, viris illuſtribus *βρέτεα*. PRI.

d *Si enim certum eſt apud vos Deos eſſe quos remini.* Hoc eſt primum argumentum, quo probat ſimulacra eſſe inania. Si dii ſunt re vera, inquit, quorſum ſimulacra conſtituitis, quibus preces fundatis? Sic igitur argumentatur; deos eſſe aut creditis, aut non creditis, ſiue ambigitis. Si creditis, nihil opus eſt ſimulachris, quippe cum deos ipſos re vera habeatis, quibus preces fundatis, ſi ambigitis; quorſum dubiorum ſimulacra conſtituitis? Hoc argumentum generale eſt, & ad quælibet ſimulacra pertinet. HER.

tranſmittis. Et quid fieri potis eſt iniurioſius, contumelioſius, durius, quàm Deum alterum ſcire, & rei alteri ſupplicare? opem ſperare de numine, & nullius ſenſus ad effigiem deprecari? Nónne illud eſt quæſo, quod in vulgaribus prouerbiis dicitur, fabrum cædere cum ferias fullonem? & cum hominis conſilium quæras? ab aſellis, & porculis, agendarum rerum ſententias poſtulare? Et vnde nouiſſimè ſcitis, an ſimulachra hæc omnia, quæ Diis immortalibus vicaria ſubſtitutione formatis, ſimilitudinem referant, habeantque diuinam? Poteſt enim fieri, vt barbatus in cælo ſit, qui eſſe à vobis effingitur leuis: poteſt vt ſenectute prouectior, cui puerilem commodatis ætatem: poteſt vt hic flauus ſit, qui in veritate habeat oculos cæſios: diſploſas vt geſtitet nares, quem eſſe vos facitis, figuratiſque naſicam. Neque enim rectum eſt dicere, aut appellare ſimulachrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat: quod eſſe planum & certum, manifeſtis poterit ab rebus agnoſci. Nam cùm omnes homines teretem eſſe ſolem indubitabili luminum contemplatione videamus: os illi vos hominis, & mortalium corporum liniamenta donaſtis. Luna ſemper in motu eſt, & ter denas facies in reſtitutione accipit menſtrua: vobis ducibus & figuratoribus femina eſt, vultuque eſt vno, quæ per habitus mille quotidiana inſtabilitate mutatur. Intelligimus omnes ventos aëris eſſe fluorem pulſi, & mundanis rationibus concitati: per vos hominum formæ ſunt, buccinarum animantes tortus inteſtinis & domeſticis flatibus. Inter Deos videmus veſtros leonis toruiſſimam faciem, mero oblitam minio, & nomine Frugiferi nuncupari. Si ſimulachra hæc omnia ſuperorum ſunt imagines numinum, ergo & in cælo habitare dicendus eſt Deus talis, ad cuius formam & ſpeciem ſimulachri huius ſimilitudo directa eſt: & videlicet vt hic iſte, ita illic ille, ſine reliquo corpore perſona eſt, & facies ſola, fremebundis hiatibus, toruis rictibus, ſanguinea de ceroto, malum dentibus ſuis comprimens, autque feſſi canes linguam ore de patulo potus auiditate projiciens. Quod ſi vtique non eſt, ita vt omnes exiſtimamus non eſſe, quænam tanta audacia eſt, formam tibi quam volueris fingere, ac dicere eſſe ſimulacrum Dei, quem probare non poſſis vlla eſſe in parte naturæ? Ridetis temporibus priſcis Perſas fluuium coluiſſe, memorialia vt indicant ſcripta: [a] informem Arabas lapidem: acinacem Scythiæ nationes: ramum pro Cinxia Theſpios: [b] lignum Icarios pro Diana indolatum: Peſſinuntios ſilicem pro Deûm Matre: pro Marte Romanos haſtam, Varronis vt indicant Muſæ: atque, vt Aëthlius memorat, ante vſum diſciplinamque fictorum, pluteum Samios pro Iunone: & abſtinetis à riſu, cum pro Diis immortalibus, ſigilliolis hominum, & formis ſupplicatis humanis? Quinimmò Deos eſſe ſigillaria ipſa cenſetis, nec præter hæc quicquam vim creditis habere diuinam. Quid dicitis, ô iſti! ergóne Dij cælites habent aures, & tempora, ceruices, occipitium, ſpinam, lumbos, latera, poplites, nates, ſuffragines, talos, membraque alia cætera, quibus conſtructi nos ſumus, & quæ prima in parte paulò plenius dicta ſunt, & ſcripto vberiore prolata? Vtinam liceret introſpicere ſenſus veſtros, receſſuſque ipſos mentis, quibus varias voluitis, atque initis obſcuriſſimas cogitationes! reperiremus & vos ipſos eadem ſentire, quæ nos: neque alias gerere ſuper numinum figuratione ſententias. Sed ſtudiis facere quid peruicacibus poſſumus? quid intentantibus gladios, nouaſque excogitantibus pœnas? Animantis aſſeritis malam ſcientiſſimi cauſam, & quod ſemel ſine ratione feciſtis, ne videamini aliquando neſciſſe, defenditis, meliuſque putatis non vinci, quàm confeſſæ cedere atque annuere veritati. Ex huiuſmodi cauſis illud etiam vobis conniuentibus conſecutum eſt: vt in Deorum corporibus laſciuiæ artificum luderent, darentque his formas, quæ cuilibet triſti poſſent eſſe deriſui. Itaque [c] Hammon cum cornibus jam formatur & fingitur arietinis: Saturnus cum obunca falce, cuſtos ruris vt aliquis, ramorum luxuriantium tonſor: cum petaſo gnatus Maiæ, tamquam vias aggredi præparet, & ſolem, puluereinque declinet: Liber membris cum mollibus, & liquoris feminei diſſolutiſſimus laxitate: Venus nuda, & aperta, tamquam ſi illàm dicas publicare, diuendere meritorij corporis formam: cum pileo Vulcanus, & malleo, manu liber ſed dextera, & fabrili expeditione ſuccinctus: cum plectro

a *Informem Arabas lapidem.* Suidas in Θεὺς ἄρης, auctor eſt Arabas lapidem nigrum nulla figura, pro Marte coluiſſe. ELMEN.

b *Lignum Icarios pro Diana indolatum.* Carios, alij legebant, ſed Clemens Alexandrinus Icarios perſuaſit, cui non repugnat Strabo lib. 14. qui Dianæ templum fuiſſe apud Icarios narrat. πρόκειται δὲ τῆς Σάμου νῆσος ἡ Ἰκαρία, ἀφ' ἧς τὸ Ἰκάριον πέλαγος, *Samo adjacet inſula Icaria, à qua Icarium mare,* & poſteà. ἔστι δὲ καὶ Ἀρτεμίδος καλούμενον Ταυροπόλιον ἐν τῇ νήσῳ *eſt & in inſula Cereri ſacrum Tauropolium.* PRI.

c *Hammon cum cornibus.* Hammon iſte eſt Iupiter, Ægyptiis magno in honore. Herodotus in Euterpe: Ἀμοῦν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. *Hammonem Ægyptij Iouem vocant.* eumdem hunc eſſe cum filio Noe Cham multa perſuadent, quæ eruditè exprompſit Bochartus in Geographia ſacra. Cum cornibus autem hîc dicitur, quod non infrequens, Claudian. 4. conſulat. Honorij

- - - - tibi corniger Hammon.

Ouid. lib. 3 de arte amandi.

Sed neque Phœbei tripodes nec corniger Hammon

& idem Metamor. lib. 15. Lucanus lib. 9. Pharſal.

- - - - ſed tortis cornibus Hammon

Silius lib. 9. belli Pun.

Ac patrius flexis per tempora cornibus Hammon

Cornutus verò ideò Iupiter fingebatur quoniam orbem vniuerſum vndequaque regebat; vnde Alexander M. qui Iouis Ammonis filium ſe venditabat, ob imperij amplitudinem, bicornis dictus eſt Arabibus *du-lcharnain.* Illud enim ei tribuitur quod in expeditionibus ſuis floreret ac egregiè res ei ſuccederent. קרן fortitudinem & ſplendorem ſignificat, vnde arabica vox profluxit. *Idem.*

ctro & fidibus Delius citharista, geſtus ſeruans cantaturi & nænias histrionis: cùm fuſcina rex maris, tamquam illi pugna ſit gladiatorij obeunda certaminis: neque vllum eſt reperire figmentum alicuius numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos. Ecce ſi aliquis, vobis neſcientibus & ignaris, ᵃ rex vrbanus & callidus ex foribus ſuis Solem tollat, & in Mercurij transferat ſedem: Mercurium rurſus arripiat, atque in Solis faciat commigrare delubrum, vterque enim à vobis glaber, atque ore confingitur leui, detque huic radios, Solis capiti petaſunculum ſuperponat; quibus modis internoſcere poteritis, vtrumne Sol iſte ſit, an ille Mercurius, cum habitus vobis Deos, non oris ſoleat proprietas indicare? Conſimili rurſus tranſlatione, ſi nudo Ioui cornua detrahat, & Martis temporibus affigat, Martem armis ſpoliet, & his rurſus circumcludat Hammonem; interſtitio fieri quæ poterit ſingulorum, cùm qui Iupiter fuerat, idem poſſit exiſtimari Mars eſſe, & qui Mauors fuerat, ſubintroire ſpeciem Iouis poſſit Hammonis? Vſque adeò ludus eſt, ſimulachra iſta confingere, nomina illis tamquam propria dedicare, quibus ſi habitum detrahas, tollatur cognitio ſingulorum: Deus pro Deo credi, alter videri pro altero: immò pro vtroque vterque poſſit exiſtimari. Sed quid ego Diis datas falces & fuſcinas rideo? quid cornua, malleos, & galeros? cum ſimulacra quædam ſciam certorum eſſe hominum formas, & infamium liniamenta meretricum. Quis eſt enim qui ignoret, Athenienſes illos Hermas Alcibiadei ad corporis ſimilitudinem fabricatos? Quis Praxitilem neſcit, Poſidippi ſi relegat, ad formam Cratinæ meretricis, quam infelix perditè diligebat, os Veneris Cnidiæ ſolertiarum coëgiſſe certamine? Sed ſola eſt hæc Venus, cui de ſcorti vultu tranſlaticium decus auctum eſt? ᵇ Phryna illa Theſpiaca, ſicut illi referunt, qui negotia Theſpiaca ſcriptitarunt, cùm in acumine ipſo eſſet pulchritudinis, venuſtatis, & floris, exemplarium fuiſſe perhibetur cunctarum, quæ in opinione ſunt Venerum: ſiue per vrbes Graias, ſiue iſte quo fluxit amor talium cupiditaſque ſignorum. Itaque artifices omnes ipſis iiſdem qui temporibus extiterunt, quibuſque primas dabat exprimendarum ſimilitudinum veritas, omni cura ſtudioque certabant, filum capitis proſtituti Cythereïa in ſimulachra traducere. Ardebant artificum ſcita; alterque alterum vincere contentioſa æmulatione quærebant; non Venus vt auguſtior fieret, ſed vt Phryna pro Venere ſtaret. Atque ita perducta eſt res eò, vt pro Diis immortalibus ſacra meretricibus fierent, & infelix religio ſignorum fabricationibus falleretur. Inter ſignifices ille memoratus Phidias eſt primos: cùm Olympij formam Iouis molimine operis extuliſſet immenſi, ᶜ ſuper Dei digito Pantarces inſcripſit pulcher. Nomen autem fuerat amati ab ſe pueri, atque obſcœna cupiditate dilecti: neque vllo metu eſt aut religione commotus, Deum nomine proſtibuli nuncupare: quinimò exoleto Iouis numen ſimulachrumque ſacrare. Vſque adeò ludus eſt, & puerilis affectio, ſigillaria iſta formare, adorare pro Diis ea, ſanctitatibus accumulare diuinis; cum ipſos videamus artifices in effingendis his ludere, & libidinum propriarum monumenta ſancire. Quid eſt enim, ſi quæras, cur Phidias ludere ac laſciuire dubitaret, cùm ante paululum temporis Iouem ipſum, quem fecerat, ſciret aurum fuiſſe, lapides, atque oſſa informia, diſparata, confuſa, ſeque horum omnium congregatorem, atque vinctorem, habitus eis per ſe datos in membrorum ſimilitudine fabricata, &, quod inter omnia primum eſt, ſui eſſe beneficium muneris, quod natus per ſe eſſet, atque in rebus adoraretur humanis? Libet in hoc loco, tamquam ſi omnes adſint terrarum ex orbe nationes, vnam facere concionem, atque in aures hæc omnium communiter audienda depromere. Quidnam eſt iſtud homines, quod ipſi vos vltrò in tam promptis ac perſpicuis rebus, voluntaria fallitis & circumſcribitis cæcitate? Diſcutite aliquando caliginem, regreſſique ad lumen mentis, intuemini propiùs & videte iſtud, quod agitur, quale ſit: ſi modò retinetis ius veſtrum, atque in finibus vobis datæ rationis conſiliique verſamini, Simulachra iſta, quæ vos terrent, quæque templis in omnibus proſtrati atque humiles adoratis, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta, lignum ſumptum ex arbore, ᵈ aut commixtum glutinum gypſo: ex ornatibus fortaſſè meretricis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex oſſibus, aut ex Indici animalis dente, ex caccabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obſcœnioribus vaſculis congeſta, conflata, in has ſpecies ducta ſunt, atque in formas quas cernitis exierunt: fornacibus incocta figulinis,

a *Rex vrbanus & callidus ex foribus ſuis ſolem tollat.* numquam exiſtimaſſem poſſe aliquem de hac lectione dubitare. Sol rectè in foribus, vnde προστατήριος appellabatur. Sophocles in Electra.

Κλύοις ἄν ἤδη Φοῖβε προστατήριε
κατευχομένων μου βάξιν.

Scholiastes. προστατήριε, ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἵδρυται. Atque ita Pauſanias. Tertullianus de Idololatr. *etiam apud Græcos Apollinem θυραῖον, & Antelios dæmonas oſtiorum præſides legimus.* προπυλαῖον ἀπόλλωνα dicit Ariſtides hymno in Mineruam. HER.

b *Phryna illa Theſpiaca.* Propudioſa illa mulier ob infamiam notiſſima & famoſa, tantæ fuit pulchritudinis, vt pictores, cum Venerem effingere aggrederentur ad Phrynes vultum & lineamenta opus exigerent: teſtis Alexandrinus Clemens. PRI.

c *Super Dei digito Pantarces inſcripſit pulcher.* Suidas in καλοί, dicit amatores amaſionum nomina ſcripſiſſe in parietibus, vel foliis arborum, addito titulo, ille eſt pulcher ELMEN.

d *Aut commiſtum glutinum gypſo.* Prudentius lib. 1. in Symmachum.

- - - - mellis ſi bractea gypſum
Texerit; infido rareſcit glutine ſenſim.

HERAL.

figulinis, ex incudibus & malleis nata, tornis raſa, deſcobinata delimis; ſerris, perforaculis, aſciis, ſecta, dolata, effoſſa; terebrarum excauata vertigine, [a] runcinarum leuigata de planis. Ita iſte non error eſt non, vt propriè dicatur, amentia, Deum credere, quem tute ipſe formaris? ſupplicare tremebundum fabricatæ abs te rei? & cùm ſcias, & certus ſis tui eſſe operis, & digitorum artem, pronum in faciem ruere, opem rogare ſuppliciter, aduerſiſque in rebus, atque in temporibus aſperis propitij numinis fauorem ſuccurrere? Ecce ſi aliquis ponat in medio æs rude, atque in opera nulla conjectum, argenti maſſas indomiti, infectum aurum, lignum, lapides, atque oſſa, reſque alias cæteras, quibus ſigna conſueta ſunt, & numinum ſimulachra conſtare: imò ſi aliquis ponat in medio colliſorum Deorum vultus, conflata atque imminuta ſimulachra: jubeatque vos idem fuiſtis hoſtias & fragminibus cædere, informibus maſſis ſacra & munia impertire diuina: audire à vobis expoſcimus, facturine iſtud ſitis, an contrà quàm imperabitur recurſaturi? Fortaſſe dicetis, qua cauſa? quia nemo eſt in rebus humanis tam ſtolidè cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypſum, ebur, argillam, Deorum in numerum referat, ipſaque per ſe dicat vim habere atque obtinere diuinam. Quænam eſt ergo ratio, vt ſi omnia hæc corpora intacta atque infecta permanſerint, careant vi numinis, atque auctoritate cæleſti? ea formas ſi accipiant hominum, ſi auriculas, naſos, buccas, labra, oculos, cilia, continuò Dij fiant, & in ordinem cælitum referantur, & cenſum? Nouitatis aliquid fictio corporibus his addit, vt adjectione ipſa cogamini aliquid eis credere diuinitatis maieſtatiſque collatum? In aurum æs mutat, aut teſtulæ vilitatem in argenteam cogit degenerare materiam? Quæ inſenſilia fuerunt paulò antè, facit vt ſint viua, & ſpiritali agitatione moueantur? Si quas foris habuere naturas, eas omnes retinent ſimulachrorum in corporibus conſtituta, ſtupiditas quæ tanta eſt, detrecto enim dicere cæcitatem, rerum exiſtimare naturas formarum qualitate mutari, & accipere numen exhabitu, quod in primigenio corpore iners fuerit & brutum, & ſenſus mobilitate priuatum? Itaque immemores & obliti ſimulachrorum ſubſtantiæ atque originis, quæ ſit, rationale homines animal, & ſapientiæ munere conſiliique donatum, coctilibus teſtis ſuccumbitis, æris laminas adoratis, elephantorum à dentibus ſecundas poſcitis valetudines, magiſtratus, imperia, poteſtates, victorias, adquiſitiones, lucra, meſſes opimas, feraciſſimaſque vindemias; & cùm pateat, luceat, [b] rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipſique vos vltrò credulitatis vacuæ circumſcriptione traducitis? O vtinam liceret in ſimulachri alicuius medias introire pendigines! immò vtinam liceret. [c] Olympiacos illos, & Capitolinos Ioues deducere in membra reſolutos, omneſque illas partes, quibus ſumma concluditur corporum, diſcretas ac ſingulas contueri. Iamdudum iſtos videretis Deos, quos exterior leuitas lenocinio fulgoris auguſtat, laminarum flatilium eſſe crates, particularum coagmenta deformium, ab ruinarum caſibus, & diſſolutionis metu, ſubſcudibus, & catenis, vncis, atque anſulis retentari, interque omnes ſinus, commiſſurarumque juncturas plumbum ire ſuffuſum, & ſalutares moras ſignorum diuturnitatibus commodare. Videretis, inquam, jamdudum ſolas ſine occipitiis facies, manus ſine brachiis ſemiplenas, ventres cum lateribus dimidiatos, plantarum imperfecta veſtigia; & quod maximè riſum ferat, parte ligneos ex vna, at ex altera ſaxeos, inæquabili corporum conſtructione contractos. Quæ ſi vtique perſpici obſcuritatis arte non quirent, vel ipſa vos ſaltem quæ in medio ſita ſunt, docere atque monere debuerunt, agere vos nihil, & circa res caſſas officiorum impendere vanitates. Ita enim non videtis ſpirantia hæc ſigna quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes, modò caſibus ſtillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari: vt nidoribus, atque fumo ſuffita ac decolorata nigreſcant? quemadmodum ſæcli longioris incuria perdant ſitus, ſpecies, & rubigine conuulnerentur exeſa? Ita, inquam, non videtis ſub iſtorum ſimulachrorum cauis ſtelliones, ſorices, mures, blattaſque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare? ſpurcitias huc omnes, atque alia vſibus accommodata conducere, ſemiroſi duritias panis, famis [d] oſſa in ſpem tracta; pannos, lanuginem,

a *Runcinarum leuigata de planis.* Runcina ſerræ genus eſt, ἀυξήνη vt explicat Turnebus, Hieronymus cap. 44 in Eſaiam. *Quis poßit hoc credere, quod aſcia, lima, & tereteo malleoque formetur Deus? & vel in prunis ſimulacra fundantur, vel norma, runcina, & angularibus, circinoque in Deos repentè conſurgant.* Runcinatur, in eodem ſenſu habet Minutius; & Tertullianus apolog. 12.

Validius incumbunt aſcia, & runcina, & ſcobina. Pri.

b *Rebus fieri verba cum brutis.* Sic Origenes contra Celſum lib. 3. πάντες γὰρ καθ' ὑμᾶς μεθύουσι, οἱ τοῖς ἀψύχοις ὡς θεῷ προσλαλοῦντες. καὶ τί λέγω μεθύουσι; μᾶλλον γὰρ μαινόμενοι εἰς τοὺς ναοὺς σπεύδοντες, καὶ ὡς θεοῖς τοῖς ἀγάλμασι προσκυνοῦντες. *Quicumque enim res brutas & inanimas tamquam Deum alloquuntur, ebrij habentur à nobis. Sed quid dico, ebrij? Multò enim potiùs inſanire exiſtimantur & furere, in templa itantes, & ſimulacra tamquam deos adorantes.* Her.

c *Olympiacos illos & Capitolinos Ioues.* Olympiacus Iupiter, hic eſt Iupiter Olympius, cui templum ab Antiocho ſuperbum, & Dei magnitudine dignum, excitatum. Nam de Antiocho Epiphane, ſiue potiùs Epimane accipiendum fragmentum illud T. Liuij quod extat lib. 41. quod non animaduertentes viri eruditiſſ. de Perſeo acceperunt. Atque ſi id conferas cum alio Polybij fragmento quod extat apud Athenæum lib. 5. rem inuenies vnam & eamdem ab vtroque narrati, & T. Liuium Polybij narrationem pœnè interpretari. *Idem.*

d *Oßa in ſpem tracta.* Nihil mutandum exiſtimo. Nam hoc ait Arnobius, à beſtiolis illis non ſolùm ſemiroſi duritias panis; ſed etiam oſſa contrahi, & in ſtatuarum caua ac latebras conuehi: oſſa autem in ſpem tracta: nempè quia mures, ſorices &c. etſi oſſa rodere nequeunt, ea tamen quum prædam ſuam auertunt, trahunt nihilominus: quia ſcilicet ſperant iis poſſe ſe veſci, nondum ſatis tentatis dentium viribus, nec dum iis cum oſſium duricie compoſitis. *Idem.*

a An

ruginem, chartulas, nidulorum in mollitiem ſcilicet, & miſerorum fomenta pullorum? Non in ore aliquando ſimulachri ab araneis ordiri retia, atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridularum poſſint, impudentiumque muſcarum? Non hirundines denique intra ipſos ædium circumuolantes tholos, iaculariet ſtercoris plenas, & modò ipſos vultus, modò numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliáſque omnes partes, in quaſcumque ſe detulerit deonerati proluuies podicis? Erubeſcite ergo vel ſerò, atque ab animantibus mutis vias rationis accipite: doceantque vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulacris, in quæ obſcena deiicere neque metuunt, neque vitant, leges ſuas ſequentia, & inſtincta veritate naturæ. Sed erras, inquitis, & laberis, nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus ſigna conſiunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus numina: ſed eos in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulachris. Non improba, neque aſpernabilis ratio, qua poſſit quiuis tardus, necnon & prudentiſſimus credere, Deos relictis ſedibus propriis, id eſt, cælo, non recuſare, nec fugere, habitacula inire terrena: quinimò iure dedicationis impulſos ſimulacrorum coaleſcere iunctioni. In gypſo ergo manſitant, atque in teſtulis Dij veſtri? quinimò teſtularum & gypſi, mentes, ſpiritus, atque animæ Dij ſunt? atque vt fieri auguſtiores viliſſimæ res poſſint, concludi ſe patiuntur, & in ſedis obſcuræ coërcitione latitare? Ergo illud à vobis parte in hac primùm deſideramus & poſtulamus audire, inuiti-ne hoc faciunt, id eſt, iure dedicationis attracti, ſimulachrorum ineunt manſiones? an proni, & faciles, neque vllis neceſſitatibus irrogatis? Si inuiti hoc faciunt, & qui fieri potis eſt, vt in aliquam neceſſitatem imminuta maieſtate cogantur? Si voluntariæ obſecutionis aſſenſu: & quid in teſtulis Dii petunt, vt eas ſedibus ſidereis anteponant, vinctionis vi propemodum colligati, nobilitantes teſtulas, & cætera, quibus ſigna conſiunt? Si concedamus vt cælo & ſidereis ſedibus eas anteponant, diuinitatis ſuæ perdiderint poteſtatem. Quid ergo? in materiis talibus ſemper-ne Dij manſitant, neque abeunt vſpiam, etiam ſi res poſtulauerit maxima? [a] An habent itus liberos, cùm libuerit abire quocumque, & ab ſuis ſedibus, ſimulachriſque diſcedere? Si permanendi neceſſitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe, aut quid infelicius poterit, quàm ſi eos in baſibus ita vnci retinent, & plumbeæ vinctiones? Sin autem cùm voluerint, euolant, & abſolutum ius habent, inania relinquere ſimulachra: ergo aliquo tempore deſinent eſſe Dij ſigna, & in dubio ſtabit, quando ſacra debeant reddi, quando his conueniat atque oporteat abſtinere. Sæpenumerò videmus ab artificibus hæc ſigna modò paruula fieri, & palmarem in minutiem contrahi: modò in immenſum tolli, & admirabilem in amplitudinem ſubleuari. Ratione hac ergo ſequitur, vt intelligere debeamus in ſigilliolis paruulis contrahere ſe Deos, & alieni ad corporis ſimilitudinem coarctari: at verò in vaſtis porrigere ſe longiùs, atque in maximitatem producere. Ergo ſi hoc ita eſt, [b] & in ſedentibus ſignis Deum ſedere dicendum eſt, & in ſtantibus ſtare, in procurrentibus currere, iaculariet in iacientibus tela, ad illorum formare atque aptare ſe vultus, & ad reliquos habitus figurati corporis ſimilitudinem commodare. In ſimulachris Dii habitant: ſinguli-ne in ſingulis totis, an partiliter atque in membra diuiſi? Nam neque vnus Deus in compluribus potis eſt vno tempore ineſſe ſimulachris, neque rurſus in partes ſectione interueniente diuiſus. Conſtituamus enim decem millia ſimulachrorum toto eſſe in orbe Vulcani: numquid eſſe, vt dixi, decem omnibus in millibus potis eſt vnus vno in tempore? Non opinor. Qua cauſa? Quia quæ ſunt priua ſingulariaque natura, multa fieri nequeunt ſimplicitatis ſuæ integritate ſeruata: & hoc amplius nequeunt, ſi hominum formas Dii habent, opinatio vt veſtra declarat. Neque enim manus à capite ſeparata, aut pes diuiſus à corpore, ſummam poſſunt præſtare totius: aut dicendum eſt portiones idem poſſe quod totum, cùm conſiſtere nequeat, niſi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem eſſe dicetur, perit omnis ratio atque integritas veritati, ſi hoc fuerit ſumptum, poſſe vnum in omnibus vno tempore permanere: aut Deorum eſt vnuſquiſque dicendus ita ipſum ſemet ab ipſo ſeſe diuidere, vt & ipſe ſit & alter, non aliquo diſcrimine ſeparatus, ſed ipſe idem & alius. Quod quoniam recuſat, & reſpuit, aſpernaturque natura; aut innumeros dicendum eſt, confitendumque eſſe Vulcanos, ſi in cunctis volumus eum degere, atque ineſſe ſimulachris: aut erit in nullo, quia eſſe diuiſus natura prohibetur in plurimis. Et tamen ò iſti, ſi apertum vobis & liquidum eſt, in ſignorum viſceribus Deos viuere, atque habitare cælites, cur eos ſub validiſſimis clauibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliiſque huiuſmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atque habetis incluſos; ac ne fortè fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro æditui mille protegitis, [c] atque excubito-

a *An habent itus liberos.* Rectè, nam liber παρὰ τὸ λύειν ὁ λελυμένος, qui ἐλεύθερος Græcis, quia habet itus liberos. Plautus in Menæchmis. HER.

b *Et in ſedentibus ſignis Deum ſedere dicendum eſt.* Deos enim ſuos αὐτὸ τοῦτο σχήματα διαθέσεις καὶ ἑτέρας... ἱδρῦσθαί τε καὶ στῆναι καὶ ἀμφιάσασθαι, ait apud Euſebium Porphyrius. *Idem.*

c *Atque excubitoribus mille.* Summa erat Gentilibus cura, æditucs & excubitores templis ſuis adhibere, ad tutelam deorum. S. Martyr Cyprianus ad Demetrianum: *Sic illos laſos vlcio veſtra defendit, quomodo & clauſos, ne pereant, tutela veſtra cuſtodit. Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis: pudeat de his tutelam ſperare, quos tu tueris.* Vanitatem illam multis traducit Tertullianus de corona

tibus mille? Cur canes in Capitoliis paſcitis? cur anſeribus victum, alimoniamque præbetis? Quinimò ſi fiditis Deos iſtic eſſe, nec ab ſignis vſpiam, ſimulachriſque diſcedere, permittite illis curam ſui, reſerata ſint ſemper atque aperta delubra: ac ſi quid à quopiam temeraria fuerit fraude ſubreptum, vim numinis monſtrent, & ſub ipſo furti atque operis momine ſacrilegos pœnis conuenientibus figant. Indigna enim res eſt, & potentiam deſtruens, auctoritatemque, ſummorum cuſtodiam numinum canum ſollicitudinibus credere: & cùm aliquam quæras prohibendis formidinem furibus, non ab ipſis petere, ſed in anſerum ponere & collocare gingritibus. [a] Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Iouem ex delubro aureum ſuſtuliſſe, & ex ære bratteolis ſubſtituiſſe fucatum. Si in ſimulachris præſto ſunt atque habitant Dij ſuis, quibus negociis Iupiter, quibus curis fuerat illigatus, quò minus priuatas perſequeretur iniurias, & ſuppoſitum ſe ſibi viliore in materia vindicaret? Dionyſius ille, ſed iunior, cùm velamine aureo ſpoliaret Iouem, & pro illo laneum ſubderet, iocularibus etiam facetiis ludens, cum eſſe illud in rigoribus algidum, hoc vaporum; onerosum illud in æſtatibus diceret, hoc rurſus ſub adoribus flabile. Vbinam fuerat rex poli, vt præſentem ſe eſſe formidine aliqua comprobaret, & vrbanum ſcurrulam cruciatibus reuocaret ad ſeria? Nam quid Æſculapij grauitatem ab eo eſſe commemorem riſam? quem cùm barba ſpoliaret ampliſſima, boni ponderis, & [b] philoſophicæ denſitatis, facinus eſſe dicebat indignum, ex Apolline procreatum, patre leui & glabro, ſimillimoque impuberi, ita barbatum filium fingi, vt in ancipiti relinquatur, vter eorum pater ſit, vter filius, immò an ſint generis & cognationis vnius? Quæ cum omnia fierent, & cùm ſacrilegis prædo irriſionibus iocaretur, ſi ſuberat numen in ſtatua nomini eius maieſtatique ſacrata, cur [c] oris contumeliam leuigati, & dehoneſtati vultus, non iuſta & merita perſecutus eſt vltione, demonſtrauitque hoc facto, & ſe eſſe præſentem, & cuſtodia pertinaci ſuas ædes, ſimulachraque tutari? Niſi fortè negligere Deos dicetis hæc damna, nec putare eſſe idoneam cauſam, propter quam ſe exerant, & nocentibus pœnam violatæ religionis infligant. Ergo ſi hæc ita ſunt, nec ſimulachra ipſa habere deſiderant, quæ conuelli & diripi perpetiuntur impunè: immò è contrario perdocent, aſpernari ſe illa, in quibus ſpretos ſe vltione in aliqua ſignificare non curant. Philoſtephanus in Cypriacis auctor eſt, Pygmalionem regem Cypri, ſimulachrum Veneris, quod ſanctitatis apud Cyprios & religionis habebatur antiquæ, adamaſſe vt feminam, mente, animo, lumine rationis, iudicioque cæcatis; ſolitumque dementem, tamquam ſi vxoria res eſſet, ſubleuato in lectulum numine copularier amplexibus atque ore, reſque alias agere libidinis vacua imaginatione fruſtrabiles. Conſimili ratione Poſidippus in eo libro, quem ſcriptum ſuper Grido indicat, ſuperque rebus eius, aduleſcentem haud ignobilem memorat, ſed vocabulum eius obſcurat, correptum amoribus Veneris, propter quam Gnidus in nomine, eſt amatorias & ipſum miſcuiſſe laſciuias, cum eiuſdem numinis ſigno genialibus fuſum toris, & voluptatum conſequentium finibus. Vt ſimiliter rurſus interrogem, ſi in ære, atque in materiis cæteris, quibus ſigna formata ſunt, ſuperorum potentiæ deliciſcunt, vbinam gentium fuerant vna atque altera Veneres, vt impudicam petulantiam iuuenum propulſarent ab ſe longè, & contactus impios cruciabili coërcitione punirent? Aut, quoniam mites, & ingeniis tranquillioribus Deæ ſunt, quantum fuerat, miſeris furialia vt reſtinguerent gaudia: mentemque inſanam recreatis reducerent ſenſibus? Niſi fortè, vt vos fertis, libidinis & voluptatum Deæ, contumelias iſtas habuere gratiſſimas, nec vltione facinus exiſtimauere condignum, quod ſuas quoque mulceret mentes, & quod ab ſe ſubdi humanis cupiditatibus ſcirent. Sed ſi Deæ Veneres ingeniis placidioribus præditæ, gerendum eſſe morem infortuniis iudicauere cæcorum, [d] cùm Capitolium toties edax ignis abſumeret, Iouemque ipſum Capitolinum cum vxore corripuiſſet ac filia, vbinam fulminator tempore illo fuit, vt ſceleratum illud arceret incendium, & à peſtifero caſu res ſuas ac ſemet, & cunctam familiam vindicaret? Vbi Iuno regina, cùm inclitum eius fanum, ſacerdotemque Chryſidem, eadem vis flammæ Argiua in ciuitate deleret? Vbi Serapis Ægyptius, cùm conſimili caſu iacuit ſolutus in cinerem, cum myſteriis omnibus, atque Iſide? Vbi Liber Eleutherius, cum Athenis? Vbi Diana, cum Epheſi? Vbi Dodonæus Iupiter, cum Dodonæ? Vbi denique Apollo diuinus, cùm à piratis, maritimiſque prædonibus, & ſpoliatus eſt, & incenſus, vt ex tot auri ponderibus, quæ infinita congeſſerant

ſecula,

milit. cap. 11. PRI.

a *Antiochum Cyzicenum, &c.* Furta illa & impietates Antiochi & tyranni Dionyſij habes apud Clementem Alex. in protreptico: vt alia multa quæ exinde mutuata ſunt. *Idem.*

b *Philoſophicæ denſitatis.* Philoſophi enim barbati. Prudentius lib. 2. contra Symm. *Sophiſta barbatus. & ἀειστεάτων barbatus Plato.* Iuuenalis ſat. 11. v. 11. *barbati magiſtri.* Tacianus contra Græcos. Theodoretus de prouid. ſerm. 1. ELMEN.

c *Oris contumeliam leuigati.* Barbæ euulſio cum ſummo coniuncta erat dedecore. Philoſtratus de vita Apollonii lib. 7. cap. 14. Procopius in Eſaiam. Herodian. in Maxim. & Balbo. *Idem.*

d *Cum Capitolium toties ignis edax abſumeret.* Capitolium non ſemel fulminibus corruiſſe docet Lactantius libro 3. cap. 17. & Clemens Alexand. in protrept. καὶ τὸ ἐν ῥώμῃ καπιτώλιον ἐμπεπρῆσθαι πολλάκις. *Sæpe & capitolium Romanum abſumptum eſt.* PRI.

ſecula, a ne vnum quidem habuerit ſcripulum, quod hirundinibus hoſpitis, Varro vt dicit Menippeus, oſtenderet? Infiniti operis res eſſet toto in orbe deſcribere, quæ ſint ſana conuulſa terræ motibus, & tempeſtatibus: quæ incenſa ab hoſtibus, quæ ab regibus & tyrannis, b quæ antiſtites, & ſacerdotes, & ipſi ſuſpicione auerſa nudauerint: quæ ad vltimum fures, & obſerata pandentes remedorum obſcuritate canacheni: quæ tuta vtique permanerent, & nullis obnoxia fortuitis, ſi adeſſent Dij præſides, aut haberent aliquas templorum, quemadmodum dicitur, curas. Nunc verò quia caſſa ſunt, & nullis habitatoribus tecta, habet in illis fortuna ius ſuum, & perinde cunctis ſubjecta ſunt caſibus, quàm ſunt omnia cætera motu interiore priuata. In parte hac eadem illud etiam dicere ſimulachrorum aſſertores ſolent, non ignoraſſe antiquos, nihil habere numinis ſigna, neque vllum omninò ineſſe his ſenſum: ſed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in populis atque in ciuitatibus maxima eſt, ſalutariter ea conſilioque formaſſe: vt velut quadam ſpecie objecta his numinum, abiicerent aſperitatem metu: arbitratique præſentibus ſeſe ſub Diis agere, facta impia deponerent, & ad humana officia morum mutatione tranſirent. Nec propter aliam cauſam venerabiles formas auro eis argentoque quæſitas, niſi vt adeſſe vis quædam ipſis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantùm perſtringeret ſenſum, verumetiam mentes ipſas auguſtiſſimæ lucis radiationibus territaret. Quod ratione cum aliqua videretur forſitan dici, ſi poſt condita Deorum templa, atque inſtiſtituta ſimulachra, nullus eſſet in mundo malus, nulla omnino nequitia: iuſtitia, pax, fides mortalium pectora poſſideret: neque quiſquam in terris nocens diceretur, ſceleroſa opera neſcientibus cunctis. Nunc verò cùm contra malis omnia plena ſint, c innocentiæ penè interierit nomen, per momenta, per puncta, examina maleficiorum noua noxiorum improbitate pariantur: dicere qui conuenit, ad incutiendas formidines vulgo Deorum inſtituta ſimulachra: cùm præter innumeras criminum & facinorum formas, ipſa etiam videamus templa ſacrilegis violationibus appeti ab tyrannis, ab regibus, ab latronibus, & nocturnis à furibus: ipſoſque illos Deos, quos ad metus faciendos vetus finxit & conſecrauit antiquitas, vadere in antra prædonum, cum ipſis ſuis aureis metuendiſque fulgoribus? Quid enim, ſi verum & ſine vlla gratificatione perſpicias, ſigna iſta quæ dicunt, habent in ſe magnum, vt meritò ſperarit atque exiſtimarit antiquitas, conſpectu illorum poſſe frangi hominum vitia, & mores à maleficio temperari? Falx meſſoria ſcilicet, quæ eſt attributa Saturno, metum fuerat injectura mortalibus, vitam vellent vt pacificam degere, ac malitioſas abiicere voluntates: fronte Ianus ancipiti, aut dentata illa, qua inſignitus eſt, clauis: d riciniatus Iupiter atque barbatus, dextera fomitem ſuſtinens perdolatum in fulminis morem: e Iunonius ille cæſtus, aut militari ſub galea puellula delitiſcens: Deûm Mater cum tympano: cum tibiis, & cum pſalteriis Muſæ: Mercurius pinnatus Argiphontes: Æſculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus: aut in Liberi dextera pendens potorius cantharus: Mulciber fabrili cum habitu: aut Fortuna cum cornu, pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno: ſemitectis femoribus Diana: aut ad libidinem concitans Venus nuda: f Anubis canina cum facie: aut genitalibus propriis inferior Priapus. O ſpecies formidinum diræ, metuendique terrores, propter quos genus humanum torpedine in perpetua affigeretur, nihil moliretur attonitum, ab omnique ſe actu ſceleroſo flagitioſoque frenaret! Falciculæ, claues, caliendra, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, pſalteria, mammæ promptæ atque ingentes, cantharuli, forcipes, cornuaque pomifera, nuda corpora feminarum, & veretrorum magnitudines publicatæ. Nonne ſatius fuerat ſaltitare, cantare, quàm ſub titulo grauitatis, & ſeueritatis obtentu, tam frigida, tamque inepta narrare ſimulachra, ab antiquis ad peccata cohibenda, & ad nocentium formata impiorumque formidines? Vſque adeóne mortales ſæculi illius ac temporis corde fuerunt vacui, rationis ſenſuſque nullius, vt ab actionibus improbis tamquam paruuli puſiones, perſonarum monſtruoſiſſima toruitate, ſannis etiam conſtringerentur, & manus? Et vnde eſt in contrarium res verſa, vt cùm tam multa in ciuitatibus templa ſint plena omnium ſimulachris Deorum, tot legibus, & generibus ſuppliciorum tantis, iri

a *Nec vnum quidem habuerit ſcripulum.* In Romano codice legitur: ne vnum quidem habuerit ſcrypulum, quo hirundinibus hoſpitiis (Varro vt dicit) ſe Thenipeus oſtenderet? Iudicet lector. CANT.

b *Quæ antiſtites & ſacerdotes, & ipſi ſuſpicione auerſa nudauerint: quæ ad vltimum fures.* Poſteriorem illam copulam redundare animaduertit Theodor Canterus, ideoque eiiciendam cenſuit: ego verbo ſequenti eas literas, etſi leuiter mutatas, excidiſſe potiùs credere volui, reſtituendas hoc modo, *& ſacerdotes ipſi ſuſpectione auerſa nudauerint.* De qua voce imp æſentiarum nihil dicam, niſi illam meo ſubſidio apud Flauium Vegetium, itemque Iulium Frontinum iure poſtliminij reuertiſſe: tum & opera aliorum in aliis ſcriptoribus, atque adeò in ipſo Arnobio reuocatam. Etenim Petronio Arbitro *ſuſpectandi* verbum excidiſſe non negabis potiùs mirabere nondum redditum. verba illius ſunt. *Diu fleuit, ac ne tunc quidem nos vllum adjecimus verbum, ſed attoniti ſuſpectauimus lacrymas.* STEVV.

c *Innocentiæ penè interierit nomen.* Sic eleganter Græci, quam rem penitus ſublatam ſignificare volunt, ne nomen quidem ſupereſſe dicunt. Theocritus in Hierone

- - - - ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι
λεπτὰ διαστήσαιντο. βοᾶς δ' ἔτι μηδ' ὄνομ' εἴη. Hɛk.

d *Riciniatus Iupiter.* Muliebriter caput velatus, rejecto ricinio ſiue lacinia in humeros. PRI.

e *Iunonius ille cæſtus.* Cæſtus non tantum Veneri ſed & Iunoni tributus. Martialis: *A te Iuno petat Ceſton & ipſa Venus.* Turnebus aduerſ. lib. 25. c. 27. ELMEN.

f *Anubis canina cum facie.* Anubis idem cum Cynocephalo, vnde canino capite repræſentabantur. Sic Lucanus lib. 8. *Semicanem Deum* vocat, & Virgilius 8. Æneid.

Omnigenumque Deum monſtra & latrator Anubis.

iri obuiàm nequeat multitudini noxiorum: neque vllis remediis audacia poſſit abſcidi: tantoque ſe magis maleficia congeminata multiplicent, quantò legibus iudiciiſque contenditur imminuere facta crudelia, & pœnarum coërcitione ſedare? Quod ſi metus aliquos infligerent ſimulachra mortalibus, legum latio ceſſaret, nec tam diuerſæ cruces facinoroſorum conſtituerentur audaciæ. Nunc verò quia conſtitit, comprobatumque eſt re ipſa inanem eſſe opinionem timoris, qui ab ſignis dicatur effluere, ad legum decurſum eſt ſanctiones: à quibus eſſet formido certiſſima, etiam fixa, conſtitutaque damnatio: quibus debent & ipſa ſimulachra, quòd incolumia adhuc perſtant, & honoris alicuius conceſſione munita ſunt. Quoniam ſatis, vt res tulit, quàm inaniter fiant ſimulachra monſtratum eſt; de ſacrificiis deinceps, de cædibus, atque immolationibus hoſtiarum, de mero, ture, deque aliis omnibus, quæ in parte iſta confiunt, poſcit ordo quàm paucis, & ſine vllis circumlocutionibus dicere. In hac enim conſueſtis parte inuidias nobis tumultuoſiſſimas concitare, appellare nos atheos: & quod minimè attribuamus Diis, pœnas etiam capitis belluarum crudelitatibus irrogare. Quod quidem nos fatemur non contemptu facere, atque aſpernatione diuina: ſed quod exiſtimemus huius potentias nominis nihil tale depoſcere, neque rerum huiuſmodi cupiditatibus attineri.

ARNO-

Cur autem ſic pingeretur diſcendum ex Plutarcho de Iſide & Oſyr. Hunc verò Anubim Mercurium fuiſſe, ſic cultum quod cane nihil ſagacius quidam arbitrantur: Ita Seruius ad 8. Æneid. jam indicatum. P R I.

ARNOBII
DISPVTATIONVM
ADVERSVS GENTES
LIBER SEPTIMVS.

QVID ergo, dixerit quiſpiam, [a] ſacrificia cenſetis nulla eſſe omninò facienda? Vt vobis non noſtra, ſed Varronis veſtri ſententia reſpondeamus, nulla. Quid ita? quia, inquit, Dij veri neque deſiderant ea, neque depoſcunt; ex ære autem facti, teſta, gypſo, vel marmore, multò minus hæc curant. Carent enim ſenſu, neque vlla contrahitur, ſi ea non feceris, culpa: neque vlla, ſi feceris, gratia. Sententia reperiri nulla poteſt integrior, verior & quam quiuis poſſit, quamuis ille ſit ſcæuus & difficillimus, occupare. Quis eſt enim pectoris tam obtuſi, qui aut rebus nullum habentibus ſenſum hoſtias cædat & victimas: aut eis exiſtimet dandas, qui ſint ab his longè natura & beatitudine diſiugati? Qui ſunt, inquitis, Dij veri? Vt communi vobis, & ſimplici reſpondeamus verbo, non ſcimus. Quos enim vidimus numquam, qui ſint, ſcire quemadmodum poſſumus? Ex vobis audire conſueuimus, Deos eſſe quàm plurimos, & nominum in ſerie computari: qui ſi ſunt, vt dicitis vſpiam, verique, vt Terentius credit, eos eſſe conſequitur ſui conſimiles nominis, id eſt tales, quales eos vniuerſi debere eſſe conſpicimus, & nominis huius appellatione dicendos: quinimò, vt breuiter finiam; qualis dominus rerum eſt, atque omnipotens ipſe, quem dicere nos omnes Deum ſcimus atque intelligimus verum, cum ad eius nominis acceſſimus mentionem. Deus enim ab altero, in eo quo Deus eſt, nulla in re differt: nec quod vnum eſt genere, ſuis eſſe in partibus minus aut plus poteſt, qualitatis propriæ vniformitate ſeruata. Quod cùm dubium non ſit, ſequitur vt geniti numquam, perpetuique vt debeant eſſe, extrinſecus appetentes nihil, nec carpentes aliquas terrenas ex materiæ opibus voluptates. Ergo ſi hæc ita ſunt, primum illud à vobis expetimus noſcere, quæ ſit cauſa, quæ ratio, ſacrificia vt iſta faciatis: quid deinde ex hoc lucri ad Deos ipſos perueniat, atque in eorum commoditate ſubſidat. Quidquid enim geritur, debet habere cauſam ſui: neque ita eſſe ab ratione ſeiunctum, vt in operibus feratur caſſis, & in vacuis ludat inanitatis erroribus. Numquid fortè Dij cæleſtes aluntur his ſacris, & ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus eſt ſuffectione materiæ? Et quis ita eſt hominum, Deus prorſus qui ſit, ignorans, vt eos exiſtimet contineri alicuius alimonij genere: & cibi eſſe munus, quod eos faciat viuere, & immenſa

in

a *Sacrificia cenſetis nulla eſſe facienda?* Lucianus initio de ſacrificiis, ſtultiſſimos mortales pronuntiat, quod diis offerant ſacrificia. vetus poeta apud Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 2.

τίς ὧδε μῶρος καὶ λίαν ἀνειμένος
ἅπαντος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεοὺς
ὀστῶν ἀσάρκων καὶ χολῆς πυρουμένης,
ἃ καὶ κυσὶν πεινῶσιν οὐχὶ βρώσιμα,
χαίρειν ἅπαντας καὶ γέρας λαχεῖν τόδε; ELMENH.

in perpetuitate durare? Quicquid enim cauſis & rebus fulcitur extraneis, neceſſe eſt eſſe mortale: & habere ad periculum viam pronam, vbi aliquid cœperit deeſſe, quo viuitur. Tum quod ex his rebus, quæ admouentur altaribus, nihil videmus accedere, atque ad numinum ſubſtantias peruenire. [a] Aut enim tus datur, & liquefactum carbonibus diſperit: aut animalis eſt hoſtia, & ab canibus abliguritur ſanguis: aut ſi aliquod viſcus aris fuerit traditum, ratione ardeſcit pari, & diſſolutum in cinerem labitur: [b] niſi fortè hoſtiarum Deus animas deuorat, aut ex aris ardentibus nidorem conſectatur & fumos, paſciturque de cniſſis, quas euomunt ardentia viſcera, adhuc ſuda de ſanguine, & prioribus humecta de ſuccis. Sed ſi Deus, vt dicitur, nullius eſt corporis, omnique eſt incontiguus tactu, qui fieri potis eſt, vt corporalibus rebus nutriatur incorporeum, quod mortale eſt vt immortale ſuſtineat, ſubdatque ſalutem rei quam contingere nequeat, & motus ſubminiſtrare vitales? Ceſſat ergo, vt apparet, ſacrorum hæc ratio, neque dici à quopiam potis eſt, ea cauſa ſacrificia celebrari, quòd alantur his numina, & eorum ſuſtineantur è paſtu. Numquid, ſi fortè hoc non eſt, voluptatis alicuius, animique, vt dicitur, cauſa, cæduntur Diis hoſtiæ, & ſuccenſis adiiciuntur altaribus? Et quiſquam eſt hominum, qui Deos ſibi perſuadeat voluptatum diffuſione molleſcere, geſtire in libidinis gaudium, & velut animal vile blandis ſenſibus affici, & dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri? Quod enim voluptate diſſoluitur, id contraria neceſſe eſt triſtitia contrahatur: nec immune exiſtere ab anxietate mœroris, quod lætitia trepidat, & leuitatibus extollitur gaudiorum. Vtroque autem affectu debent eſſe Dij liberi, ſi eos eſſe perpetuos, & mortalium volumus fragilitate priuatos. [c] Quid quòd omnis voluptas quaſi quædam eſt adulatio corporis, notiſque illis ſenſibus aſſumitur quinque: quam ſi ſuperi ſentiunt, & eorum neceſſe eſt eſſe participes corporum, per quæ via eſt ſenſibus, & accipiendis voluptatibus janua. Poſtremò quod gaudium eſt, innoxiorum animantium mactatione lætari, miſerabiles ſæpè exaudire mugitus, riuos ſanguinis cernere, animas cum cruore fugientes, patefactiſque ſecretis prouolui & inteſtina cum ſtercore, & ex reſiduo ſpiritu exultantia adhuc corda, tremebundaſque palpitantes in viſceribus venas? Semiferi nos homines, quinimò, potiùs vt pronunciemus quod eſt veriùs atque apertius dictu, feri, quos infelix neceſſitas, & malus vſus edocuit cibos ex his carpere: miſeratione interdum commouemur illorum, arguimus nos ipſi, penituſque re viſa, atque inſpecta damnamus, [d] quod humanitatis iure depoſito naturalis initij conſortia rupimus. Deos aliquis credit pios, beneficos, mites, cæde pecorum delectari, diffundique lætitia, ſi quando ſub his concidunt & ſpiritum miſerabiliter ponunt. Et voluptatis ergo, vt cernimus, nulla eſt in ſacrificiis cauſa, nec cur fiant, ratio eſt; quoniam nec voluptas eſt vlla: ac ſi forte eſt aliqua, in Deos eam cadere nulla poſſe ratione monſtratum eſt. Sequitur vt illam quoque inſpiciamus partem, quam jactari audimus vulgo, & populari in perſuaſione verſari: ſacrificia ſuperis ea fieri Diis cauſa, vt iras atque animos ponant, reddanturque mites & placidi, feruidorum pectorum indignatione ſedata. Et ſi definitionem teneamus illam, quam pertinaciter meminiſſe conuenit nos ſemper, vniuerſos animorum affectus ignotos Diis eſſe, conſectaneum eſt credere, numquam Deos iraſci: quinimò nullum affectum magis eſſe ab his longè, quàm qui feris & belluis proximus, turbat tempeſtatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur rei alicuius è motu, paſſibile eſſe conſtat & fragile: quod paſſioni fragilitatique ſubjectum eſt, id neceſſe eſt eſſe mortale: ira autem vexat, & patientes ſe ſoluit: ergo eſſe mortale dicendum eſt, quod paſſionibus ſubjectum eſt iræ. Atquin Deos ſcimus eſſe oportere perpetuos, & naturam immortalitatis tenere: quod ſi conſtat, & liquidum eſt, ira ab his longè & ab eorum conditione diſiuncta eſt. Nullis ergo rationibus conuenit, id in ſuperis velle placare, quod poſſe non videas in eorum beatitudinem conuenire. Sed concedamus, vt vultis, perturbationem huiuſmodi familiarem Diis eſſe, placandique eius cauſa res diuinas fieri, & ſacrorum ſolemnia celebrari: quandò ergo conueniet adhiberi hæc munia, vel in tempore quo dari? antequàm ſunt irati & perciti? an cùm fuerint moti, ipſiſque in indignationibus conſtituti? Si ne ſumant animos occurrendum eſt his antè: feras nobis proponitis, non Deos, quibus ne ſæuiant concitatæ, & cauearum diſcutiant clauſtra, objectari moris eſt eſcas, in quas rabidè ſæuiant, & cupidinem vexationis inclinent. Si autem jam feruidis, atque indignatione flagrantibus ſatisfactio iſta

ſacrificiorum

a *Aut enim tus datur.* Cum precibus deos adibant, tus illis offerebant. erudirè Barnabas Briſſonius I. C. de formul. lib. 1. ELMEN.

b *Niſi fortè hoſtiarum animas Deus deuorat.* Lucianus de ſacrif. Firmicus de errore profan. relig. Origenes contra Celſum lib. 3. Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 2. Athenagoras apolog. Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iul. Theodoretus ſerm. 3. & 7. contra Græcos. *Idem.*

c *Quid quod omnis voluptas quaſi quadam adulatio eſt corporis.* Cicero de finibus lib. 2. *voluptas omnium latinè loquentium more ponitur, cùm percipitur ea quæ ſenſum aliquem moueat, iucunditas* *Idem.*

d *Quod humanitatis iure depoſito.* Philoſophicè admodum ab Arnobio hæc dicta ſunt. Quoniam enim nulla propriè juris communio hominibus, cum animantibus brutis, non dicit ſimpliciter Arnobius, Iure rupto, aut quid ſimile; ſed *humanitatis iure depoſito.* Humanitatis jure ſcilicet quia homo natura mite animal à ceteris animantibus abſtinere debuiſſe videtur, quæ Pythagoræorum & aliorum poſteà non illorum ſententia fuit. HER.

ſacrificiorum oggeritur: non inquirò, non exigo, an illa læta & ſublimis magnanimitas numinum, homunculorum offenſione moueatur: habeatque pro vulnere ſi quid animal cæcum, atque in nubibus ſemper ignorationis incedens, diſſignauerit, dixerit, quo illorum minueretur auctoritas. Sed neque illud dici, aut audire depoſco, quas irarum in homines habeant Dii cauſas, vt ſacrificiis debeant contracta offenſione mulceri. Numquid aliquas leges ſanxere aliquando mortalibus, conſtitutumque eſt ab his vnquam, quid eos agere conueniret, vel quid non, quid conſectari, quid fugere, vel coli ſe ſaltem quibus rationibus cuperent, vt aliter, quàm imperauerant geſta, vltionibus perſequerentur irarum, contemptique ſe vellent de audacibus & tranſgreſſoribus vindicare? Vt opinor ab his numquam neque conſtitutum eſt aliquid, neque ſancitum, quoniam nec viſi aliquando, neque ſi ſunt viſi, apertiſſima potuit cognitione dignoſci. Quænam eſt ergo, juſtitia, vt eis ob aliquas cauſas iraſcantur Dij cælites, quibus neque ſe eſſe, monſtrare aliquando dignati ſunt, neque vllas dederint, aut impoſuerint leges, quas coli ab his vellent, & inuiolabili obſecutione ſeruari? Sed hoc, vt dixi, prætereo, & ſilentio patior abire donatum: vnum illud præ omnibus quæro, quæ cauſa eſt, vt ſi ego porcum occidero, Deus mutet affectum, animoſque & rabiem ponat: ſi gallinulam, vitulum, ſub illius oculis atque altaribus concremaro, obliuionem inducat iniuriæ, & ab ſenſu penitus offenſionis abſcedat? Quid ad eius dolorem ex opere hoc migrat: aut remedij cuius eſt anſer, caper, aut pauus, vt ex eius cruore medicina adhibeatur irato? [a] Ergòne iniurias ſuas Dii vendunt, atque, vt paruuli puſiones, vt animoſis parcant abſtineantque ploratibus, paſſerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus auocare ſe poſſint: ita Dij immortales placamenta iſta ſumunt, quibus iras atque animos ponant, & in gratiam ſuis cum offenſoribus redeant? Atquin ego rebar deos, ſi modò rectum eſt credere quod motibus exagitentur irarum, ſine vllis præmiis, nulliſque mercedibus, iras atque animos ponere, & peccatoribus delicta donare. Hoc eſt enim proprium numinum, liberales venias, & conceſſiones habere gratuitas. Quod ſi fieri non poteſt, ſapientius multo eſt, pertinaciter eos in offenſione durare, quàm munerum corruptione miteſcere. Creſcit enim multitudo peccantium, cùm redimendi peccati ſpes datur: & facilè itur ad culpas, vbi eſt venalis ignoſcentium gratia. Ecce ſi bos aliquis, aut quodlibet ex his animal, quod ad placandas cæditur mitigandaſque ad numinum furias, vocem hominis ſumat, eloquaturque his verbis: Ergóne ô Iupiter, aut quis alius Deus es, humanum eſt iſtud & rectum, aut æquitatis alicuius in æſtimatione ponendum, vt cùm alius peccauerit, ego occidar, & de meo ſanguine fieri tibi patiaris ſatis, qui numquam te læſerim, numquam ſciens, aut neſciens tuum numen majeſtatemque violarim, animal, vt ſcis, mutum, naturæ meæ ſimplicitatem ſequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum? Numquid aliquando tuos ludos minus ſanctè diligenterque perfeci? numquid aliquem præſulem, tuum numen qui offenderet, ante te traduxi? numquid iuraui per te falsò? numquid ſacrilegis furtis tua rapui, ſpoliauique donaria? [b] numquid erui ſacratiſſimos lucos, aut religioſa quædam loca ſubſtructionibus pollui profanauique priuatis? Quænam eſt ergo cauſa, vt alienum crimen meo luatur è ſanguine, & in nefas extraneum mea vita innocentia producatur? An quòd animal vile ſum, nec rationis, nec conſilij particeps, quemadmodum pronunciant iſti, qui ſe homines nominant, & ferocitate tranſiliunt belluas? Nónne primordiis iiſdem eadem & me genuit informauitque natura? Nonne ſpiritus vnus eſt, qui & illos, & me regit? Non conſimili ratione reſpiro, & video, & cæteris afficior ſenſibus? Habent jecora, pulmones, corda, inteſtina, ventriculos: & mihi membrorum non idem eſt numerus attributus? Amant ſuos fetus, & [c] gignendis conueniunt liberis, non & mihi prolis, & ſubrogandæ eſt cura, & dulcedo cum fuerit procreata? Sed rationales illi ſunt, & articulatas exprimunt

a *Ergo ne injurias ſuas dij vendunt, atque, vt paruuli puſiones, &c.* Pupus & pupa, pro puſionibus & puellulis, nota. Varro lib. 6. pulſum, pulſam vocat. Ab his pupis pupulus, & pupula, eadem notione diminuta ſunt Catullo, Apuleio & aliis. Ea nomina antiquitus etiam *ſigilla*, ſigillaria ſeu imagunculas, quæ hodiéque in vſu nutricibus, ac pueris, deſignabant: à quibus etiamnum noſtrare idiomatiſmo denominantur *puppen*. de quibus eſt Perſianum illud *ſ nempè hoc quod Veneri donata à virgine puppa* STEVV.

b *Numquid erui ſacratiſſimos lucos.* Quo quidem facinore ac pluſquam ſacrilegio deorum iras, atque offenſas inexpiabiles contrahi exiſtimabant. Quare Cæſariani milites quùm Maſſilienſem lucum antiquæ religionis horrore ſanctiſſimum ad bellica tormenta, & cætera obſidionis inſtrumenta cædere iuberentur; rem aggreſſuri pauidè ſubſtiterunt, veriti ne in ſe ſuæ ſecures reſilirent. Hanc militum ſuperſtitionem viuis coloribus exprimit Lucanus lib. 3.

Hanc jubet immiſſo ſyluam procumbere ferro
Nam vicina operi, belloque intacta priore
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes.
Sed fortes tremuere manus: motique verenda
Majeſtate loci, ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecures.
Implicitas magno Cæſar torpore cohortes
Vt vidit: primus raptam vibrare bipennem
Auſus, & aeriam ferro proſcindere quercum. &c.

Sacratiſſimos autem, nempè diis conſecratos, & quos ferro temerare ideò erat nefas: quemadmodum cætera omnia loca θεοῖς ἀνειμένα, ſubſtructionibus aut alio vſu profano polluere grande piaculum erat. HER.

c *Gignendis conueniunt liberis.* Auguſtinus de moribus Manich. cap. 18. *Nuptiæ, vt ipſæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum cauſa, marem, fæminamque conjungunt.* Tomo 10. ſerm. 4. de caſtitate coniugali. *Vxor non propter libidinem, ſed propter filiorum procreationem accipitur. Denique & ipſæ matrimoniales tabulæ hoc continent,* LIBERORVM PROCREANDORVM CAVSA, *videte quia non dixit libidinis cauſa, ſed liberorum procreandorum.* ELMEN.

munt voces: & vnde illis notum eſt, an & ego quod facio, meis rationibus faciam, & vox iſta, quam promo, mei generis verba ſint, & ſolis intelligantur à nobis? Interroga pietatem, vtrum ne ſit æquius me occidi, me confici, an hominem venia, & commiſſorum impunitate donari? [a] Quis in gladium formauit ferrum? non homo? quis cladem gentibus, quis nationibus impoſuit ſeruitutem? non homo? quis parentibus, fratribus, quis vxoribus, qui amicis mortiferas ſubdidit, commiſcuitque potiones? non homo? quis malefícia reperit, aut commentatus eſt tanta, quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium, vel dierum? non homo? Ita iſtud non ferum, non immane, non ſæuum eſt? non tibi, ô Iupiter, iniuſtum videtur & barbarum, me occidi, me cædi, vt fias tu placidus, & vt ſceleroſis contingat impunitas? Ergo ob hanc cauſam, id eſt, numina vt placentur irata, inaniter fieri ſacrificia conſtitit, cùm docuerit nos ratio, neque Deos iraſci aliquando, neque alterum velle pro altero confici, cædi, nec innoxij ſanguine abolitionem diſſignationibus comparari. Sed fortaſſe aliquis dicet: idcircò Diis hoſtias, & cætera impendimus munera, vt familiares quodammodo noſtris ſupplicationibus facti, res tribuant proſperas, auertantque à nobis mala, cùm gaudiis faciant agere nos ſemper, triſtitias verò propellant, & ex caſibus imminentia fortuitis. Non exiguam curam locus iſte deſiderat, nec quod dicitur facile, tam conſuetum eſt vel audiri, vel credi. Aduolabit enim continuò vniuerſus ille doctiſſimorum chorus, qui aſſeuerans, & comprobans fato fieri quæcumque fiunt, eripiat nobis è manibus opinionem iſtam: & inanibus nos arguat perſuaſionibus fidere. Quicquid in mundo, inquiet, geſtum eſt, geritur, & geretur, olim definitum, & fixum eſt; habetque immobiles cauſas, per quas ſibi res nexæ, & inexpugnabilem conſerant præteritorum cum imminentibus neceſſitatem. Si definitum & fixum eſt, quid obtingere ſingulis mali debeat, boniue iam certum eſt. Quod ſi certum eſt & fixum, vacant omnia Deorum auxilia, vacant odia, vacant benignitates. Tam enim præſtare non poſſunt id, quod non poteſt fieri, quàm prohibere ne fiat id, quod neceſſe eſt euenire: niſi quod validiùs premere opinionem iſtam ſi voluerint, quibunt, vt etiam ipſos Deos fruſtra dicant à vobis coli, & ſuperuacaneis ſupplicationibus adorari. Cum enim ordinem vertere, & fatalia nequeant conſtituta mutare, quid rei, quid cauſæ eſt fatigare, & obtundere eorum aures velle, quorum auxiliis nequeas ſupremis in neceſſitatibus fidere? Poſtremò ſi triſtia, atque importuna Dii pellunt; ſi ea quæ ſunt læta, atque amica largiuntur, vnde ſunt mundo tanti, tamque innumerabiles miſeri? vnde tot infelices lachrymabilem vitam in extrema ſorte ducentes? cur immunes à calamitatibus non ſunt, qui momenta per ſingula, qui per puncta, ſacrificiis onerant atque accumulant aras? Nonne alios, inquiunt, videmus ex illis domicilia eſſe morborum: extinctis luminibus, atque auribus obſeratis, pedum carere proceſſu, truncos ſine manibus degere, incendiis, naufragiis, & ruinis, obrui, mergi, confici: patrimoniis ab ingentibus euolutos mercenario ſeſe labore fulcire: [b] ſtipes emendicare ſupremas, exterminati, proſcribi, ſemper eſſe in luctibus, liberorum orbitatibus fractos: vexari per infortunia cætera, quorum ſpecies & formas nulla poteſt enumeratio definire? Quod vtique non fieret, ſi propulſare, ſi flectere mala iſta Dii poſſent, ſacrorum meritis obligati. Nunc verò quia caſibus nullus eſt in his locus, ſed ineluctabili omnia neceſſitate confluunt, agit ſeſe ordo præſcriptus, & quod ſemel decretum eſt, perficit. Aut ingrati eſſe dicendi ſunt cælites, ſi cùm habeant iura prohibendi, patiuntur infelix genus tot pœnis & calamitatibus implicari. Sed fortaſsè aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat fruſtratoriis, leuibus, & contemnentibus ſumi. Quas tamen nos partes, quia res nimium longi eſt multique ſermonis, inexplicatas tranſcurrimus atque intactas: ſolum illud poſuiſſe contenti, inhoneſtas vos famas adiungere Diis veſtris, ſi eos aliter negatis præſtare quæ bona ſunt, atque inimica tranſuertere, niſi priùs empti capellarum fuerint atque ouiuum ſanguine, & cæteris quæ admouentur altaribus. Indignum enim primum eſt, vt illa vis numinum ſublimitaſque cæleſtium beneficia credatur ſua habere venalia, prius ſumere, atque ita præſtare. Tum quod fœdius multò eſt niſi acceperint, prodeſſe nulli, perpetique miſerrimos diſcriminum ſubire fortunas, cum prohibere poſſint ac ſubuenire. Si ex duobus facientibus res ſacras [c] honeſtus vnus, & locuples, alter anguſto lare, ſed innocentia fuerit & probitate laudabilis: centum ille cædat boues, totidemque cum agniculis ſuis matres, tus pauper exiguum, & odoris alicuius vnam concremet glebulam: nónne erit conſequens, vt debeat credi, ſi modò nihil numina, niſi præmiis antecedentibus, præſtant, vt fauorem ſuum commodent locu-

ceſſitas

a *Quis in gladium formauit ferrum?* Iuuenal ſat. 15. v. 160.
Aſt homini ferrum lethale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt, cum raſtra, & ſarcula tantum
Adſueti coquere, & marris, ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios extundere fabri. Elmen.

b *Stipes emendicare ſupremas.* Id ſummè miſerum. Firmicus aſtronom. lib. 1. cap. 7. lib. 5. cap. 3. 8. & 10. *Idem.*

Vt etiam ipſos Deos fruſtra dicant à vobis coli. Hoc argumentum pluribus nodis nectit Lucianus in Ioue Tragœdo. Her.

c *Honeſtus vnus & locuples.* Ita honeſtus à Iureconſultis dicitur locuples, & opponitur egeno. lib. 12. §. 15. D. de furtis, opponitur vulgari perſonæ l. 5. D. de legit. tut. *Idem.*

pleti, auertant à pauperculo lumina, quem reſtrictum non animus, ſed familiaris rei neceſſitas fecit? Vbi enim venalis, & mercenarius dator eſt, ibi neceſſe eſt gratiam pro magnitudine muneris tribui, & eò inclinare ſuffragium, vnde ad eum, qui præſtat, mercedis plus multò, & indecoræ corruptionis affluxerit. Quid ſi populi rurſus duo hoſtilibus diſſidentes armis, ſacrificiis paribus ſuperorum locupletauerint aras, alterque in alterum poſtulent vires ſibi atque auxilium commodari, nónne iterum neceſſe eſt credi, ſi præmiis ſollicitantur, vt proſint, eos partes inter vtraſque debere hæſitare, defigi, nec reperire quid faciant, cùm ſuas intelligant gratias ſacrorum acceptionibus obligatas? Aut enim auxilia hinc & inde præſtabunt, id quod fieri non poteſt, pugnabunt enim contra ipſos ſeipſi, contra ſuas gratias, voluntateſque nitentur, aut ambobus populis opem ſubminiſtrare ceſſabunt, id quod ſceleris magni eſt, poſt impenſam acceptamque mercedem. Itaque ergo ab Diis longè infamia eſt iſta tota pellenda, neque eſt omninò dicendum, præmiis eos ac mercedibus allici, bonas vt res conferant, dimoueantque contrarias: ſi modò Dij veri ſunt, atque in nominis huius exceptione ponendi. Aut enim fato fiunt, quæcumque fiunt, [a] & ambitionis & gratiæ nullus locus in Diis eſt: aut ſi excluditur & eiicitur fatum, non eſt ſuperæ dignitatis, boni operis fauorem, & collatas munificentias venditare. Satis, vt opinor, oſtendimus fruſtra Diis immortalibus hoſtias rebus cum conſequentibus admoueri: quod neque alantur his, neque vllam percipiant voluptatem, neque iras, aut animos ponant, neque vt res tribuant fauſtas, neque vt abigant, auerruncentque contrarias. Sequitur vt illam quoque inſpiciamus partem, quæ ab nonnullis conſueta eſt aſſeri, & cauſis cærimonialibus applicari. Aiunt enim ſacra hæc honorandis eſſe inſtituta cæleſtibus, & ea quod faciant honoris ergo facere, & eis numinum potentias auctitare. Quid ſi ſimiliter dicant euigilare ſeſe, atque dormire, deambulare, ſubſiſtere, conſcribere aliquid, & lectitare, vt honorem Diis habeant, & dignitatibus eos faciant ampliores? Quid enim cruore de pecorum, quid ſacrorum confectione de cætera ſuperadditur his rei? quid apponitur, atque adiicitur poteſtatis? Etenim honos omnis, qui haberi ab aliquo dicitur, & reuerentiæ potioris attribui, relatiui eſt ad alterum generis, & conſtans partibus duabus, ex conceſſione tribuentis, & amplificatione ſumentis. Vt ſi quiſpiam viſo potentiſſimi nominis atque auctoritatis viro, [b] via decedat, aſſurgat, caput reuelet, vehiculoque deſiliat: tum deinde ſalutet acclinis, ancillatrum ſeruuli pauibundis trepidationibus imitatus. Video quid agatur in huiuſmodi honorationis officio: ſubmiſſione alterius datur alteri plurimum: efficiturque, vt videatur magnus, quem ſuſpectio minoris extulerit, & ſuis antepoſuerit rebus. Sed conceſſio hæc omnis, & honoris, de qua loquimur, attributio, ſolis habet in hominibus ſedem, quos naturalis infirmitas, & amor in altioribus ſtandi, docet gaudere de faſtibus, & aliorum comparationibus anteponi. At quæro in ſuperis vbi eſt honori locus? vel quas eis eminentias accedere ſacrorum ex confectionibus inuenitur? Auguſtiores, potentiores, mactatis pecudibus fiunt? additur illis ex hoc quidquam, aut eſſe Dij magis diuinitate incipiunt ampliata? Atqui ego contumeliæ proximum, quinimò eſſe plenam contumeliam iudico, cùm honorari ab homine Deus dicitur, & muneris alicuius oblatione mactari. Etenim ſi honos auget, eiuſque accumulat dignitatem, cui fuerit attributus, ſequitur vt auctior Deus fiat ab homine, à quo fuerit munere & honoris collatione donatus. Atque ita perducitur res eò, vt inferior Deus ſit, qui honoribus mactatur humanis: homo verò ſublimior qui auget potentiam numinis. Quid ergo, inquiet aliquis, honorem Diis dandum nullum eſſe omninò cenſetis? Si Deos nobis proponitis tales, quales, ſi ſunt, debent eſſe, quoſque dicere nos omnes in iſtius nominis prædicatione ſentimus: quemadmodum poſſumus honorem his non habere vel maximum, cùm etiam colere homines potentioribus accepimus imperiis, cuiuſcumque ordinis fuerint, cuiuſcumque fortunæ? Quiſnam iſte eſt maximus? Officioſior multò, quàm habetur à vobis, & potentiore in genere conſtitutus. Dicite, inquitis, quæ ſit opinio de Diis digna, recta, & honeſta, nec turpitudinis alicuius deformitate culpabilis. Primùm vt neque illos credas quidquam hominis habere conſimile, nec quicquam expectare quod ſit ab ſe foris, atque extrinſecus veniens: tum quod ſæpiùs dictum eſt, non ardeſcere irarum flammis, non geſtire corporea voluptate, non exambiri vt proſint, [c] non præmiis vt noceant proritari, benignitatem & gratiam non habere venalem, non gaudere honore collato, non indignari

a *Et ambitionis & gratiæ nullus locus in diis eſt.* Ambitio hic pro gratia & fauore, quod minimè notarem, niſi id viderem homines, qui optimos ſcriptores emendare audent, turpiſſimè ignorare. Cornelius Tacitus initio Agricolæ: *Ita celeberrimus quiſque ingenio ad prodendam virtutis memoriam, ſine gratia aut ambitione, bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebatur*, id eſt, οὐδὲν χαριζόμενος ἢ μηδεμίαν αὐτῶν χάριν μνώμενος. Sic ambitio dicitur nimia ἀρέσκεια, qua auræ populi velificamur, & apud omnes ordines gratioſi eſſe volumus. Titus Liu. lib. 43. *exercitum conſulis infrequentem commeatibus vulgò datis per ambitionem eſſe.* quapropter ambitioſi, qui hac ambitione ad fauorem graſſantur. Ibid. & alibi. & decreta ambitioſa, id eſt, gratioſa. l. 111. D. de minor. HER.

b *Via decedat, aſſurgat, caput reuelet.* Seneca epiſt. 64. *Si conſulem videro aut prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam.* ELMEN.

c *Non præmiis vt noceant proritari.* Fortè legendum, *ne noceant*; id eſt, non præmiis inuitari & allici ne noceant, eodem modo loquitur etiam infrà. CANT.

a *Puros*

indignari & affici non dato : ſed quod rei diuinæ eſt proprium , ſua ſe vi noſſe , nec ſe alienis adulationibus æſtimare. Et tamen , vt videamus iſtud quod dicitur quale ſit, quod eſt iſtud honoris genus, veruecem, arietem, taurum, Dei ſub ore connectere , conſpectuque in eius occidere? Quod eſt honoris genus , Deum inuitare ad ſanguinem, quem cum canibus videas eum ſumere , atque habere communem ? Quod eſt honoris genus lignorum ſtruicibus incenſis , cælum fumo ſubtexere , & effigies numinum nigrore offuſcare ferali ? Quod ſi ea quæ fiunt , propria vi pendere ; non antè ſumptis placet opinionibus æſtimari , aræ iſtæ , quas dicitis , altariaque hæc pulchra , infeliciſſimi animalium generis vſtrinæ , rogi , ſunt , & buſticeta in opus ſtructa fœdiſſimum , atque in ſedem fabricata fœtorum. Quid dicitis , ô iſti ! ergone ille putor , qui ex coriis tollitur atque expirat ardentibus , qui ex oſſibus , qui ex ſetis , ex agnorum lanitiis , gallinarumque de plumis , Dei munus & honor eſt ? mactanturque hoc illi , quorum templa cùm adire diſponitis , ab omni vos labe [a] puros , lautos , caſtiſſimoſque præſtatis ? Et quid eſſe his poteſt coinquinatius, infelicius, ſpurcius, quàm ſi ita facti ſunt ſui natura, vt in amoribus habeant tam ſæua, ſintque illis in voluptate putores, quos neque ipſi ſacrificantes ferre, nec ingenuæ ſuſtinere tractos valeant per ſpiritum nares? Quod ſi animantium cruore honorari , & affici ſuperorum animos exiſtimatis , cur non eis & mulos, & elephantes mactatis , & aſinos ? cur non & canes , vrſos , & vulpes , camelos , & [b] belbas, & leones ? & quoniam volucres hoſtiarum quoque in numeris ponitis , cur non vulturios, aquilas, ciconias , immuſſulos , buteones , coruos , accipitres , noctuas? cumque illis ſalamandras , natrices , viperas ſolifugas ? Nempè ſubeſt & his ſanguis , & conſimili ratione vitali agitantur ſpiritu. Quid in illis maioris eſt operis , aut ſolertiæ in his minus , vt iſta non augeant, ſuperorum illa amplificent dignitatem? Quia rebus ex his, inquit, Deos par eſt honorare cæleſtes , quibus ipſi alimur, ſuſtentamur, & viuimus , & quas nobis ad victum ſui numinis tribuere benignitate dignati ſunt. Sed & cuminum , naſturtium , rapa, bulbos , apium , carduos , radices , cucurbitas, rutam, mentam , ocimum, puleium, porrumque ſectiuum , iidem tribuere Dij vobis , eſſeque in vſibus veſtris alimoniarum in parte iuſſerunt. Quid ergo ceſſatis altaribus & hæc dare , rebuſque his omnibus cunilam ſuperſpergere bubulam , & acrimonias intermiſcere ceparum ? Ecce ſi vos canes, neceſſe eſt enim quædam fingi , perſpici vt liquidiùs res poſſint , ſi inquam canes , & aſini , ſi motacillæ cum his ſimul , ſi hirundines garrulæ, pariterque cum his porci, ſenſu aliquo humanitatis accepto , Deos putarent atque exiſtimarent vos eſſe ; ſacraque vobis intenderent honoris ergo facere , non ex materiis aliis , aliiſque de rebus , ſed quibus ali moris eſt illis , & naturali appoſitione fulciri : audire à vobis expoſcimus , vtrumne hunc honorem , an contumeliam potiùs eſſe iudicaretis ampliſſimam ? cùm hirundines vobis maſcas , motacillæ cæderent conſecrarentque formiculas : cùm altaribus veſtris darent aſini fœnum , paleaſque libarent : cùm imponerent canes oſſa , & humani ſtercoris proluuiem concremarent : cùm ad vltimum porculi cœnum vobis profunderent ex volutabris horrentibus , lutoſis & voraginibus ſumptum ? Ita ergo non deſpui veſtras inflammaremini dignitates ; [c] ſtercoribuſque vos accipi inter atroces computaretis iniurias ? Sed taurorum corporibus honoratis vos Deos , & aliorum animantium cædibus. Et quid hoc ab illo differt , cùm & ipſa ſi nondum , mox tamen futura ſint ſtercora , & exigui temporis contracta interiectione puteſcant ? Denique deſinite ſupponere aris ignem, iam profectò cernetis viſcera illa taurorum ſacra , quibus honor à vobis auctificatur Deorum , feruеſcere vermibus & fluctuare , vitiare & corrumpere ſtatum cæli , & ex odoribus morbidis regiones conſauciare vicinas : quæ ſi vobis præcipiant Dij curam , in veſtram inualetudinem vertere ; prandia inde , vel cœnas ſollemni ex more conficere ; longè fugiatis , execratique odoris genus, veniam poſcatis à ſuperis , facturoſque vos eis numquam talia ſacra iuretis ? Ita iſtud non ludere eſt, non confiteri, non pandere, quid ſit Deus neſcire , nec cui potentiæ debeat nominis huius vis ſubdi , appellatioque ſupponi ? Cibis nouis auctificatis Deos, nidoribus cohoneſtatis, & ſuccis: & quia vobis iucunda & grata ſunt , ea quæ vos alunt , Deos etiam creditis in eorum affluere voluptates , latratorum & canum ritu oſſis ſæuitias ponere, atque alludere porrigentibus ſæpiùs? Et quoniam nobis in manibus hoſtiarum ſermo verſatur , quæ cauſa , quæ ratio eſt , vt cùm Dij immortales , ſint enim & per nos licet quicumque eſſe creduntur , ſint vnius ſententiæ,

a *Puros lautos caſtiſſimoſque &c.* Hoc eſt ab omni labe vacui *[illegible]*. Pariter in amicorum periculis defendendis caſtè & integrè verſatum ſe Tullius prædicat, hoc eſt, ſine tergiuerſatione aut prævaricatione. PRI.

b *Stercoribuſque vos accipi inter atroces computaretis iniurias.* Iulius Paulus lib. 5. ſentent. cap. 4. Valerius Maxim. lib. 2. cap. 2 *legati a ſenatu Tarentum ad res petendas miſſi, cum graui ibi iniuria accepiſſent , vnus etiam vrina reſperſus eſt.* Liu. lib. 12. Florus lib. 1. cap. 2. Dionyſ. Halicarnaſſ. in excerptis de legat. ELMEN.

c *Stercoribuſque vos accipi. &c.* Iuriſconſult. l. 1. D. de extraord. crim. *ſi e iniuria contra bonos mores , veluti ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit , &c.* adde l. 27. §. 17. D. ad leg. Aquil. Sic P. R. legatos à Tarentinis lotio reperſos, *per obſcœnam , turpemque dictu contumeliam violatos* , ait Florus. Atque hæc contumelia malis ingentibus poſteà fuit expiata. Eamdem Achaici belli, quo vrbs nobiliſſima & florentiſſima Corinthus euerſa eſt , cauſam fuiſſe ſcribit Strabo. HER.

ſententiæ, vel vnius debeant eſſe naturæ, generis & qualitatis vnius, non omnibus omnes hoſtiis, ſed quibuſdam quidam ſacrorum mulceantur legibus? Quæ eſt enim cauſa, requiram vt eadem rurſus, vt ille tauris Deus, hœdis alius honoretur, aut ouibus: hic lactentibus porculis, alter intonſis agnis: hic virginibus buculis, capris ille cornutis: hic ſterilibus vacculis, [a] at ille incientibus ſcrofis: hic albentibus, ille tetris: alter fœminei generis, alter verò animantibus maſculinis? Si enim honoris & reuerentiæ cauſa mactantur Diis hoſtiæ, quid refert, aut intereſt, cuius animalis è capite luatur hoc debitum, cuius ira offenſioque ponatur? An numquid alterius alteri minus gratior & iucundior ſanguis eſt? alteri verò alterius voluptatem infundit, & gaudium? aut, vt fieri moris eſt, obſeruationis alicuius, & religionis metu, ille caprina abſtinet ſe carne, [b] porcinum alius execratur attactum, huic ouilla fœtulenta ſunt viſcera: ac ne ſtomachum fatiget inualidum, hic bubulam duritiem vitat, & lactentium lenitatem, quo digerat expeditiùs, ſumit? Sed erras, inquit, & laberis: nam Diis fœminis fœminas, mares maribus hoſtias immolare, abſtruſa & interior ratio eſt, vulgique à cognitione dimota. Non inquiro, non exigo, quid ſacrorum præcipiant, vel quid contineant leges: ſed ſi vicerit ratio, atque obtinuerit veritas, differentiam generum nullam in Diis eſſe, neque vllis ſexibus eos eſſe diſcretos, nonne ſolui neceſſe eſt rationes has omnes, & ſtultiſſimis creditas opinationibus comprobari, inueniri? Sapientium virorum non aduocabo ſententias, qui riſum nequeunt continere, cùm diſcrimina ſexuum Diis audiunt immortalibus attributa: vnoquoque ab hominum quæro, an ipſe apud ſe credat, ſibique ipſe perſuadeat, diſtinctum eſſe Deorum genus, mares, ac fœminas hos eſſe, & ad generandos fetus conuenientium membrorum diſpoſitione formatos? Sed ſi ſexibus ſexus pares, id eſt, fœminas fœminis, mares autem hoſtias Diis maribus immolari ſacrificiorum iura præſcribunt, quæ in coloribus ratio eſt, vt meritò his albas, illis atras conueniat, nigerrimaſque mactari? Quia ſuperis Diis, inquit, atque ominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus eſt, ac felix hilaritate candoris. At verò Diis læuis, ſedeſque habitantibus inferas, color furuus eſt gratior, & triſtibus ſuffectus è fucis. Sed ſi rurſus obtinuerit ratio, inferorum penitus caſſum eſſe nomen & vacuum, neque vlla ſub terris regna eſſe [c] domiciliaque Plutonia, opinionem neceſſe eſt id quoque fruſtrari, quam ſuper atris pecudibus habetis, diuiſque ſubterreis. Quod ſi inferi nulli ſunt, Deos etiam Manium neceſſe eſt eſſe nullos. Fieri enim qui poteſt, vt cùm loca ſint nulla eorum, quæ non ſunt, vlli perhibeantur eſſe cultores? Sed aſſentiamur, vt vultis, & eſſe inferos, & eſſe manes, & habitare neſcio quos in his Deos, hominibus minus fauſtos, & triſtioribus præpoſitos rebus: & quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt tetræ his hoſtiæ, nigerrimique admoueantur coloris? Quia nigra nigris conueniunt, & triſtia conſimilibus grata ſunt. Quid ergo? non videtis, vt vobiſcum & nos ſtolidè, ſimiliterque ludamus, albas eſſe hoſtiarum carnes, oſſa, dentes, pinguitias, omenta cum cerebris, molleſque in oſſibus medullas? Sed vellera nigra ſunt, nigræque animantium ſetæ. Solas ergo immolate Diis lanas, vulſaſque ex hoſtiis ſetulas: relinquite infeliciſſimas pecudes, ſpoliatas licet ac tonſas, cæli animam ducere, & paſtibus innocentiſſimas incubare. Quod ſi grata numinibus inferis ea, quæ ſunt nigra, furuique exiſtimatis coloris: cur non omnia cætera, quæ illorum inferre ſacrificiis moris eſt, ſint nigra, & fumigata, tætreque vt colorata curatis? Inficite tura, ſi dantur, ſalſas fruges, atque vniuerſa libamina: lacti, oleo, ſanguini, hic ponat vt purpureum colorem, illa vt ſint lurida, fuliginem infundite cum fauillis. Quòd ſi vobis religio nulla eſt, alba quædam ferre, & ſuos retinentia candores: ipſi veſtras religiones rationeſque diſſoluitis, cùm ſacrorum in opere nihil vnum, perpetuumque ſeruatis. Sed & illud hoc loco conſentaneum eſt ex vobis addiſcere: ſi caper cædatur Ioui, [d] quem patri ſolemne eſt Libero, Mercurio mactari: aut bos ſi ſterilis Vnxiæ, quam Proſerpinæ tribuitis, quo ritu, atque obſeruatione præcipitur: quid facinoris in hoc erit, quid malorum, ſceleriſue contractum: cùm nihil interſit obſequij, cuius animalis è capite honorarium iſtud debitum compleatur? Confundi hæc, inquit, fas non eſt, nec piaculi parui eſt, officia rituum procurationemque miſcere. Cauſam oro ediſſere: quia generis certi hoſtias certis ius eſt conſecrare numinibus, certaque eſt ſupplicamenta

a *At ille in- centibus ſcrofis.* Infrà, *Telluri matri ſcrofa inciens immolatur feta*: Feſtus *ſcropham incientem* dicit, cuius vterus iam incipit incitari. F. E L M E N.

b *Porcinum alius execratur attactum.* De Iudæis ſimili loquendi forma in iis verſibus qui Petronio à multis adſcribuntur.

Iudæus licet & porcinum numen adoret. P R I.

c *Domiciliaque Plutonia.* Horatius lib. 1. carminum od. 4. dixit, *& domus exilis Plutonia*: hoc eſt exilij, nam exilis, pro tenuis, ſumi ibi non poteſt. In Hercule fur. *nocentum exilia* vocat Seneca, & Horatius od. 3. lib. 2. *& nos in æternum exilium impoſitura cimba.* Huius porrò loci ſenſus idem eſt ac Iuuenalis ſub finem ſat. 2.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna,
Et contum, & ſtygio ranas in gurgite nigras,
Atque vna tranſire vadum tot millia cymba:
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

P R I.

d *Quem Patri ſolenne eſt Libero.* Seruius ad lib. 3. Æneid. *Hircus Libero immolatur.* Ouid. lib. 15. Metam.

Vite caper morſa Bacchi mactatus ad aras
Ducitur vltor.

E L M E N.

plicamenta præſtari. Et quæ iterùm cauſa eſt, vt generis certi hoſtias, certis ius ſit conſecrare numinibus, certaque & ſupplicamenta præſtari? Et hoc enim ius ipſum debet habere ſuam cauſam, certiſque ab rationibus exoriri, duci. Antiquitatem, conſuetudinemque dicturus es? Hominum mihi ſcita pronuncias, & cæci animalis inuenta. Ego autem cum poſtulo cauſam mihi depromi, audire deſidero, aut cælo aliquid lapſum, aut quod magis res poſcit, quid applicitum Iupiter ad tauri habeat ſanguinem, vt ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero? Aut natura quæ capri eſt, vt his rurſus accommoda, Iouialibus conueniens ſacrificiis non ſit? Animalium facta eſt inter Deos diuiſio, tranſactionis alicuius pactione conuenit, vt ille contineret ab huius ſe hoſtia, hic vt vſurpare deſineret alieni ſanguinis jura? an, vt zelotypi puſiones, communicare guſtatum ſuarum pecudum nolunt? aut, vt gentibus fieri moris diuerſiſſimi fama eſt, quæ habentur his eſui, aliarum eadem reiiciuntur ab victibus? Ergo ſi hæc caſſa ſunt, nec rationis alicuius habentia firmitatem, ſacrificiorum & ipſa inanis eſt ratio. Etenim qui potis eſt habere idoneam id, quod ſequitur, cauſam, cùm ipſum illud primum, à quo defluit ſecundum, inaniſſimum eſſe reperiatur & vacuum, & nulla ſoliditate firmatum? a Telluri, inquiunt, matri ſcrofa inciens immolatur & feta; at Mineruæ virgini virgo cæditur vitula, nullis vnquam ſtimulis, nullius operis exercitata conatu. Atquin nos arbitramur nec virginem virgini oportuiſſe mactari, ne virginitas violaretur in pecude, qua Dea plurimum pollet: nec Telluri grauidas atque fetas ob honorem fecunditatis ipſius, quam cuncti expetimus & optamus inextinguibili ſemper fecunditate procedere. Nam ſi, quia virgo Tritonia eſt, idcircò ei conueniunt virgines hoſtias immolari: & quòd Tellus eſt mater, b conſimiliter grauidis accipienda eſt ſcrofis: ergo & muſicis Apollo, quòd muſicus: & quòd medicus Æſculapius, medicis: & quòd faber Vulcanus eſt, fabris: & quòd Mercurius eloquens, eloquentibus debet diſertiſſimiſque mactari. Quòd ſi dicere illud inſanum eſt, aut, vt mediocriter pronunciem, brutum, multò illud maioris amentiæ eſt, fetas iugulare Telluri, quòd ſit fetibus grauior: Mineruæ caſtas & virgines, quia ſit pura, c virginitatis intactæ. Nam quod dici à vobis accipimus, eſſe quoſdam ex Diis bonos, alios autem malos, & ad nocendi libidinem promptiores: illiſque vt proſint, his verò ne noceant, ſacrorum ſollemnia miniſtrari: quanam iſtud ratione dicitur, intelligere confitemur non poſſe. Nam Deos benigniſſimos dicere, leneſque habere naturas, & ſanctum, & religioſum & verum eſt: malos autem, & læuos nequaquam ſumendum eſt auribus; ideò quoniam diuina illa vis ab nocendi procul eſt dimota & diſtincta natura. Quidquid autem potis eſt cauſam calamitatis inferre, quid ſit primum videndum eſt, & ab Dei nomine longiſſima debet diſſeritate ſeponi. Itaque vt vobis commodemus aſſenſum, dextrarum, ſiniſtrarumque rerum Deos eſſe fautores, vlla nec ſi ratio eſt, cur alios alliciatis ad proſpera, alios verò, ne noceant ſacrificiis commulceatis & præmiis. Primùm quòd Dij boni malè non queunt facere, etiam ſi nullo fuerint honore mactati. Quidquid enim mite eſt, placidumque natura, ab nocendi procul eſt vſu, & cogitatione diſcretum: malus verò comprimere ſuam ferociam neſcit, quamuis gregibus mille, & mille alliciatur altaribus. Neque enim in dulcedinem vertere amaritudo ſe poteſt: aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora: aut quod rei cuicumque contrarium eſt, id quod ſibi contrarium eſt, ſumere, in ſuam atque immutare naturam. Vt ſi manu viperam mulceas, venenato blandiaris aut ſcorpio, petat illa te morſu, hic contractus aculeum figat: nihilque illa proſit alluſio; cùm ad nocendum res ambæ non ſtimulis exagitentur irarum, ſed quadam proprietate naturæ. Ita nihil prodeſt promereri velle per hoſtias Deos læuos, cùm ſiue illud feceris, ſiue contrà non feceris, agant ſuam naturam, & ad ea quæ facti ſunt ingenitis legibus, & quadam neceſſitate ducantur. Quid quòd iſto modo vtrique Dij deſinunt eſſe ſuis in viribus, & ſuis in qualitatibus permanere. Nam ſi bonis vt proſint, res diuina conficitur, aliis autem ne noceant, iiſdem rationibus ſupplicatur: ſequitur vt intelligi debeat, nihil dexteros profuturos, nulla ſi acceperint munera, fierique ex hoc malos: malos autem ſi acceperint, nocendi poſituros mentem, fierique ex hoc bonos. Atque ita perducitur res eò, vt neque hi dexteri, neque illi ſint læui: aut, quod fieri non poteſt, vtrique ipſi ſint dexteri, & vtrique iterùm læui. Eſto, concedatur infeliciſſimas pecudes non ſine aliquo religionis officio diuorum apud templa mactari, & quòd ex vſu conſuetudinis factum eſt, rationis alicuius cauſam aliquam continere. Sed ſi magnificum videtur, atque amplum, jugulare Diis tauros, ſi illibata, ſi ſolida concremari animantium viſcera, d quid ſibi reliqua

a *Telluri, inquiunt, matri ſcrofa inciens.* Antonius Auguſtinus, vir extrà controuerſiam doctiſſimus, putauit hoc loco pro *feta*, legendum, *forda*. CANT.

b *Conſimiliter grauidis accipienda eſt ſcrofis.* Ita τοῖς [illegible] Græci frequenter aiunt. Artemidorus lib. 3. cap. 34. οἱ γὰρ ἐν [illegible], [illegible]. Neque enim hæc aliter accipienda ſunt. HERAL.

c *Virginitatis intactæ.* Id eſt, integræ Virginitatis. Euripidi virgines intactæ ſunt ἄζυγες κόραι. ELMEN.

d *Quid ſibi reliqua hæc volunt magorum coh..... diſciplinis?* Sunt enim vocabula tenebroſa, & quaſi barbara, qualia ſunt ea, quibus magi hominibus illudunt, vt docebamus ad lib. 1. Euſebius præfat. lib. 4. de præpar. Euang. *Idem.*

qua hæc volunt magorum cohærentia diſciplinis, quæ in ſacrorum reconditis legibus pontificalia reſtituere myſteria, & rebus inſeruere diuinis? Quid, inquam, ſibi hæc volunt, apexanes, hirciæ, ſilicernia, longaui? quæ ſunt nomina, [a] & farciminum genera hirquino alia ſanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? Quid tædæ? quid tæniæ? quid offæ? non vulgi, ſed quibus eſt nomen [b] appellatioque penitæ: ex quibus quod primum eſt, in exiguas aruina eſt miculas catillaminum inſecta de more: quod in ſecundo ſitum eſt, inteſtini eſt porrectio, per quam proluuies editur, ſuccis perexiccata vitalibus: offa autem penita eſt, cum particula viſceris cauda pecoris amputata. Quid [c] polimina? quid omenta? quid palaſea, ſiue, vt quidam cognominant, plaſea? ex quibus eſt nomen omenti pars quædam, quo receptacula ventrium circumretita finiuntur. Bouis cauda eſt plaſea, ſiligine & ſanguine delibuta. Polimina porrò ſunt ea, quæ nos proles verecundiùs dicimus: à vulgaribus autem aſſolent cognomine teſtium nuncupari. Quid [d] fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conſpolium, cubula? ex quibus duo quæ prima, ſunt pultium nomina, ſed genere & qualitate diuerſa. Series verò, quæ ſequitur, liborum ſignificantias continet: & ipſis non eſt vna eademque formatio. Non enim placet [e] carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum è coxendicibus demitur: pulpamenta non aſſa, quæ in verubus exta ſunt, animata priùs & torrefacta carbonibus: non ſalſamina denique, quæ ſunt vna commixtio quadrinis copulata de frugibus. Non ſimiliter fendicas, quæ & ipſæ ſunt hiræ, quas plebis oratio ilia ſolet, cum eloquitur, nuncupare. Non ratione eadem, ærumnas quæ ſunt prima in gurgulionibus capita, qua deiicere cibos & referre natura eſt ruminatoribus ſæculis. Non magmenta, non augmina, non mille ſpecies vel farciminum, vel fitillarum, quibus nomina indidiſtis obſcura, vulgoque vt eſſent auguſtiora feciſtis. Si enim quæcumque ab hominibus fiunt, maximeque in re ſacra, debent habere ſuas cauſas, nec ſine ratione eſt quidquam in negociis omnibus, atque in omni adminiſtratione faciendum, ediſſertate nobis, & dicite, quæ ſit cauſa, quæ ratio vt hæc etiam Diis dentur, ſacriſque adoleantur altaribus? In hoc enim diutiùs loco huic cauſæ vel maximè neceſſariò immoramur, inſiſtimus, inhæremus, cupientes addiſcere quid cum pultibus Deo ſit, quid cum libis, quid diuerſis cum fartibus confectionis iure multiplici atque impenſarum varietate conditis? Opiparis numina cœnis afficiuntur, aut prandiis, vt innumeras conueniat excogitare his dapes? auerſionibus ſtomachorum laborant, & ad expellenda faſtidia ſaporum varietas quæritur, vt modò his aſſa, modò cruda ponantur, ſemicocta modò & ſemicruda? Quod ſi omnes has partes, [f] quas proſicias dicitis, accipere Dij amant, ſuntque illis gratæ, vel voluptatis alicuius vel dulcedinis ſenſu; quid intercedit, quid prohibet, vt non ſemel hæc omnia totis cum animantibus inferatis? Quæ cauſa, quæ ratio eſt, vt caro ſtrebula ſeparatim, ruma, cauda, & plaſea ſeparatim, hiræ ſolæ, nomenque ſolum augmentorum adiiciantur in cauſam? Pulmentorum varietatibus afficiuntur Dij cælites, vt fieri mos eſt poſt cœnarum ditium & locupletium ſaginas, fruſtilla hæc paruula pro ſuauibus mateolis ſumunt, non quibus famem ſedent, ſed vt palati admoneant ocium, ſeque ipſos plenæ appetitu voracitatis inſtigent? O Deorum magnitudo mirabilis! ô nullis hominum comprehenſa, nullis intellecta naturis! ſiquidem vt proſint, teſticulis pecudum redimuntur, & rumis: neque priùs iras, atque animos ponunt, niſi ſibi adoleri paratas conſpexerint nænias, offaſque redemptas. Sequitur vt de ture, deque mero aliquid ſine vlla nimietate dicamus. Copulata enim, & mixta ſunt cærimoniarum & hæc genera, cultumque adhibentur in plurimum. Ac primum illud à vobis iſto ipſo quærimus percontamurque de ture: vnde aut quo tempore noſſe illud aut ſcire potueritis, vt meritò exiſtimetis aut eſſe Diis dandum, aut eorum acceptiſſimum voluntati. Nouella enim propemodum res eſt, neque annorum inexplicabilis ſeries, ex quo eius notitia profluxit in has partes, & delubris meruit intereſſe diuinis. Nam neque [g] temporibus, quemadmodùm creditur & perhibetur, heroicis, quidnam eſſet tus ſcitum eſt, ſcriptoribus vt comprobatur à priſcis, quorum in libris poſita nulla eius mentio reperitur: neque [h] genitrix & mater ſuperſtitionis Etruria opinionem eius nouit aut famam, ſacellorum vt indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in vſum cuiquam venit, ſacra cum res fieret:

a *Aſpexabo.* Varro de LL. lib. 5. *Quod in farcimine quidam ſummo eminet, ab eo, vt quod in capite apex, apexabo dicta.* ELMEN.

b *Apellatioque penita.* Feſtus. *Penem antiqui codam vocabant, à qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris offa penita vocatur. Idem.*

c *Polimina.* Feſtus: *Polimenta teſticuli porcorum dicuntur, cum caſtrantur. Idem.*

d *Fitilla.* Scaliger ad Varronem. *Quoddam pultis genus fritilla dicitur, à græcis ἀθάρα. Nam frit ἀθήρ. Idem.*

e *Carnem ſtrebulam.* Feſtus: *ſtrebula lingua Vmbrorum appellabant partes carnium ſacrificatarum. Idem.*

f *Quas proſicias dicitis.* Gloſſæ: proſiciæ, αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί. Martianus Capella de nupt. Philolog. lib. 1. *Fiſſiculatis extorum proſiciis viſcera loquebantur.* Varro: *Proſiciem extorum in menſam porricere.* Vid. Briſſonium de formulis lib. 1. *Idem.*

g *Temporibus heroicis.* Plinius lib. 13. natur. hiſt. cap. 1. *Iliacis temporibus dijs nec ture ſupplicabatur.* Eius loco tum oblatum pium far, vt ex ipſo Arnobio patet. *Idem*

h *Genitrix & mater ſuperſtitionis Etruria.* Ex Etruria enim acciti primum haruſpices, & qui portenta fœliciter interpretarentur. Cicero diuinat. lib. 1. & de haruſpicum reſponſ. Tertullianus de ſpectaculis cap. 5. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 9. antiq. Rom. Liuius lib. 1. *Idem.*

fieret: neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa, aut eſſe ſciuit, aut naſci: vt pium far monſtrat, quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſollemnium munia. Vnde igitur cœpta eſt vſurpatio eius aſſumi: aut in antiquam & veterem conſuetudinem quænam irruit nouitas, vt quod tempeſtatibus tantis neceſſarium non fuit, [a] locum ſumeret in cærimoniis primum? Nam ſi ſine ture religionis officium claudicat, neceſſariaque vis eius eſt, quæ propicios faciat, miteſque hominibus cælites, peccatum eſt ab antiquis, quinimò piaculis plena vita omnis illorum fuit, qui quod maximè conueniens Deorum fuerat voluptati, per incuriam neglexere libare. Sin autem temporibus priſcis, neque homines, neque Dij huius turis expetiuere materiam, comprobatur & hodiè fruſtrà illud inaniterque præſtari, quòd neque antiquitas neceſſarium credidit, & ſine vllis nouitas rationibus appetiuit. Denique vt illam ſemper regulam definitionemque teneamus, qua demonſtratum & fixum eſt, quicquid fiat ab homine, habere oportere ſuas cauſas, & in iſta quoque retinebimus parte, vt requiramus ex vobis quæ ſit cauſa, quæ ratio, vt antè ipſa numinum ſigna, tura iniiciantur altaribus, & ex eorum incendio familiaria fieri exiſtimentur & mitia. Quid ex huiuſmodi facto acquiritur his rei, aut eorum ad animos quid accedit, vt meritò iudicemus rectè iſta dependi, & non fruſtrà atque inaniter concremari? Vt enim vos debetis oſtendere cur tura Diis detis, ſic & Deos ſequitur vt debeatis expromere, habere aliquam cauſam, cur ea non reſpuant, quinimò cur ea tam familiariter concupiſcant. Honoramus, inquiet aliquis fortaſsè, his Deos. Sed nos non veſtrum, ſed numinum requirimus ſenſum: nec quid fiat à vobis, ſed pendatur ab his quanti, quod in præmium datur fauoris, interrogamus. Sed tamen, ô pietas, quantus iſte eſt honor, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, & reſina ex arboris comparatur? Nam ne fortè ignoretis quid, aut vnde ſit tus iſtud: viſcum eſt corticibus profluens, ita vt ex amygdalo, ceraſo, lacrimabili deſtillatione coaleſcens. Hoccine ergo ſuperas honorat & auctificat dignitates, aut offenſa ſi aliquando contracta eſt, turis vapore diſſoluitur, & temperata indignatione ſopitur? Quid ergo ceſſatis cuiuſlibet arboris viſcum, ſine vlla paſſim differitate comburere? Nam ſi honorantur hoc numina, nec indignè ſuſtinent [b] Panchaicas ſibi ardere reſinulas, quid intereſt, vnde fumus altaribus conficiatur in ſanctis, vel ex viſci quo genere nubes ſuffitionis exæſtuent? An numquid aliquis dicet, idcircò ſuperis tus dari, quòd odoratus habeat ſuaues, & narium commulceat ſenſum, reliqua verò ſint aſpera, & ob cauſam offenſionis excluſa? Habent enim Dij nares, quibus ducant aërios ſpiritus? Accipiunt auras, & remittunt, vt penetrare illos poſſint nidorum differentium qualitates? Quod ſi damus vt fiat, mortalitatis eos adiungimus legi, & excludimus diuinitatis à finibus. Quidquid enim ſpirat & reciprocos halitus auris commeabilibus ducit, id neceſſe eſt eſſe mortale, quia cœli ſuſtineatur è paſtu. Quidquid autem cæli ſuſtinetur è paſtu, ſi recurſus abſtuleris, quibus alternatio redditur abſtrahiturque vitalis, oblidi eius neceſſe eſt animam, & rationem ſubrui atque interire viuendi. Ergo ſi & Dij ſpirant, odoremque ad ſe attrahunt auris comitantibus inuolutum, non eſt ab re dicere & alienis eos ſuffitionibus viuere, & intercluſis poſſe ſpiraminibus interire. Et vnde nouiſſimè ſcitis, an ſi odorum ſuauitate capiuntur, eadem ſint eis iucunda quæ vobis, & parili ſenſu veſtras mulceant afficiantque naturas? Nonne fieri potis eſt, vt quæ vobis afferunt voluptatem, contrà illis aſpera videantur & triſtia? Cùm enim Deorum ſint ſententiæ diſpares, ſubſtantiæque non vnæ, quibus effici rationibus poteſt, vt quod qualitate diuerſum eſt, vnum ſentiat accipiatque contactum? An non quotidiè cernimus & inter animantia terris orta, eſſe aliis eadem vel amara vel dulcia: mortifera his eſſe, quæ illis nata in perniciem non ſunt? vt quæ alios mulceant odoribus lætis, eadem peſtiferos halitus aliorum corporibus ſpirent? Sed hoc vt fiat, & accidat, non in rebus eſt cauſa, quæ ſimul eſſe mortiferæ, ſimul ſalutares, ſimul dulces nequeunt, ſimulque amaræ conſiſtere: ſed, vt quiſque eſt factus ad extrinſecus rei venientis attactum, ita afficitur: qualitatem non accipit ex rerum impulſionibus natam, ſed ex ſui ſenſus contagiique natura. Verùm omnis hæc ratio longè ab Diis ſita, nec exigui limitis interiectione diſcreta. Nam ſi verum eſt, vt ab ſapientibus creditur, incorporales hos eſſe, nec ſoliditatis alicuius eminentia ſubleuari, inanis apud hos odor eſt, nec ſenſibiliter commouere aura eos potis eſt nidoris alicuius: non ſi mille tu pondera maſculi turis incendas, cælumque hoc totum redundantuim vaporum nebuloſitate cludatur. Quod enim non habet robur, & ſubſtantiam corporalem, contrectari à ſubſtantia non poteſt corporali: odor autem corpus eſt, tactis ſicut naribus indicatur: ab Deo ergo ſentiri ratione non poteſt vlla, qui caret re corporis, atque omni ſenſu & cogitatione priuatus eſt. [c] Merum turis eſt ſocium, quod explanari conſimiliter poſcimus, cur

ci

a *Locum ſumeret in ceremonijs primum.* Ita res eſt: Ignem accendebant; tum in aram tus ingerebant; victimas poſteà mactabant. Seneca in Oedip. H s R.

b *Panchaicas ſibi ardere reſinulas.* Panchaia Arabiæ felicis regio eſt thurifera ſiue oppidum, vt alij; Sabæorum gentem fuiſſe putat Seruius. Lucretius lib. 2.

Araque Panchæos exhalat propter odores.

Virgilius lib. 4. Georg. *Panchæis adoleſcunt ignibus aræ,* & alio loco. *Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.* P R I.

c *Merum turis eſt ſocium.* Ita eſt: iniecto in aram accen-

ei ſuperfundatur incenſioni. Niſi enim ratio cur fiat oſtenditur, nec habebit expoſitam ſui cauſam, non iam iſtud errori obiiciendum eſt ludicro, ſed vt dicatur expreſſius, inſaniæ, dementiæ, cæcitati. Vt enim iam ſæpius dictum eſt, debet omne quod geritur, cauſam ſui habere perſpicuã, nec caliginis alicuius obſcuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monſtrate, liquor iſte cur detur, id eſt, vinum ſuperfundatur altaribus. Numquid enim numinum corpora ſitim ſentiunt aridam, & eorum neceſſe eſt ſiccitates humore aliquo temperari? Numquid, nobis vt mortalibus moris eſt cœnis intermiſcere potiones, pari etiam more poſt ſolidos victus liborũ & pultium, hoſtiarumque cæſarum, quo putrefiat faciliùs, aut percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant accipiuntque ſe vino? Date quæſo immortalibus Diis bibant, ſcyphos, [a] brias, pateras, ſimpuuiaque depromite: & quoniam tauris, pinguibuſque ſe dapibus, atque opimis inferciunt eſcis ne quod in ſtomachi tramite malè tranſuoratum ſubſtiterit viſcus, ſuccurrite, properate, Ioui optimo maximo merum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis eſt: ac ni illa labatur, & diſſoluatur obſtructio, [b] periculum maximum eſt, ne obliſus interrumpatur ſpiritus, & viduatum remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cælum. Sed fruſtra, inquit, inequitas nobis: non enim nos ſuperis ob eas profundimus merum cauſas, tamquam illos exiſtimemus aut ſitire, aut bibere, aut ſuauitatis eius affectione lætari. Honoris eis ergo datur, quo fiat illorum elatior, amplior, auguſtiorque ſublimitas, altaria ſuper ipſa libamus, & venerabiles muſcos carbonibus excitamus extinctis. Et quæ grauior infligi contumelia Diis poteſt, quàm ſi eos credas accepto mero propitios fieri: aut honorem exiſtimes habitum his magnum, ſi modo vini exigui rores ſuper viuidam jeceris atque inſtillaueris prunam? Non nobis eſt ſermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non ſit communis intelligentiæ veritas: ineſt & vobis ſapientia, ineſt ſenſus, verumque nos dicere apud vos ipſi interiore iudicio ſcitis. Sed quid facere poſſumus, conſiderare nolentibus penitus res ipſas, ſecumque ipſos loqui? Facitis enim quod fieri cernitis, non quòd fieri oportere confiditis: nimirum quia apud vos plus valet nullam habens conſuetudo rationem, quàm rerum inſpecta natura veritatis examinatione pondera. Quid eſt enim Deo cum vino, aut in eius materia vis qualis, aut quanta eſt, quòd cùm effuſum fuerit, ſublimitas eius augeſcat, & honorata exiſtimetur auctoritas? Quid inquam Deo cum vino eſt, [d] Veneri is re proximæ, neruos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris, & caſtitatis inimica? quod in inſanias, & furores mentes ſæpiùs præcipitauit excitas, ipſoſque illos Deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Itane iſtud non nefas, & plenum ſacrilegij crimen eſt, honori hoc dare, quod ſi tu id auidiùs ſumpſeris, quid facias, neſcias: quid loquaris, ignores: ad extremum temulenti, luxurioſi, & perditi conuitium, infamiamque merearis? Operæpretium eſt etiam verba ipſa depromere, quibus, cùm vinum datur, vti, ac ſupplicare conſuetudo eſt. [e] *Mactus hoc vino inferio eſto.* Inferio, inquit Trebatius, verbum ea cauſa eſt additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omninò, quod in cellis, atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripiatur humanis. Addito ergo verbo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum, nec religione obligabitur cæterum. Qualis ergo hic honor eſt, in quo imponitur quaſi lex Deo, ne plus quærat quàm datum eſt? aut cuius ipſe eſt auiditatis Deus, qui niſi verbi fuerit præſcriptione ſubmotus, cupiditatem ſuam protendat vlteriùs, & apothecis ſuis ſupplicem priuet? *Mactus hoc vino inferio eſto.* Iniuria eſt iſta, non honor. Quid enim ſi diuus ampliùs hoc volet, neque erit contentus illato? nonne inſigniter dicendum eſt lædi, qui honorem accipere cum conditione cogetur? Nam ſi exceptione non addita, ſacrum neceſſe eſt fieri omne omninò quod in cellis eſt vinum, manifeſtum eſt & Deo contumeliam fieri, cui modus conſtituatur inuito: & vos ipſos in re ſacta cæremoniarum officia violare, qui non tantùm tribuitis vini, quantùm Deum videtis ſibi velle præſtari. *Mactus hoc vino inferio eſto.* Quid eſt aliud quàm dicere, tantum eſto mactus, quantum volo, tantum amplificatus, quantum iubeo: tantum honoris aſſumito, quantum te habere decerno, & verborum circumſcriptione definio? O Deorum ſublimitas præpotens, quam venerari, quam colere officiis omnibus cæremonialibus debeas? cui legem venerator imponit, quam cum pactionibus adorat & formulis: quæ per vnius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur? Sed ſit, vt vultis, honor in vino, ſit in ture, immolatione & cædibus hoſtiarum iræ numinum offenſioneſque placentur. Etiamne Dij [f] ſertis, coronis afficiuntur, & floribus? etiamne æris tinnitibus,

ſam ture, vinum ſtatim ingerebatur, & infundebatur. Ouidius: *Da mihi tura puer, pingues facientia flammas: Quodque pro fuſum ſtridat in igne merum.* Heral.

a *Merum turis eſt ſocium.* Vinum inter adolendum effundebant. Lactantius lib. 6. cap. 1. *Religioſos ſe putant, ſi templa ac aras hoſtiarum ſanguine cruentauerint, ſi focos odorati ac veteris vini profuſione madeſecerint.* Elmen.

b *Brias.* Gloſſæ: *Bria,* [illegible] *Idem.*

c *Periculum maximum eſt, ne obliſus interrumpatur ſpiritus, &c.* Quod de ſolius Iouis obſtructione, ſiue obliſione tra[illegible]tur, qui vnus cæli adminiſtrator eſt: exiſtimaui legi debere, *ſine ſuo adminiſtratoribus cælum.* quod tantumdem eſt ac ſi dicas adminiſtrationibus. Solens ac crebrum eſſe id genus nominum in hoc ſcriptore, nemo poſthac mouendus eſt. Stev.

d *Veneri is re proxima.* Valerius Max. lib. 2. cap. 1. *vini vſus olim Romanis fœminis interdictus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à libero patre, intemperantia gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit* Elmen.

e *Mactus hoc vino inferio eſto.* Seruius in lib. 9. Æneid. *Quoties aut thus aut vinum ſuper victimam fundebatur, dicebant: mactus eſt taurus vino vel thure, hoc eſt, cumulata eſt hoſtia, id eſt, magis aucta.* Iacobus Cuiacius obſeruat, lib. 2. cap. 12. Briſſonius lib. 1 de formulis. *Idem.*

f *Sertis coronis afficiuntur & floribus.* Enumerat Tertullianus lib. de corona cap. 7. ſeruias & coronas quibus deos

tinnitibus, & quaſſationibus cymbalorum? etiámne tympanis? etiámne ſymphoniis? quid efficiunt crepitus ſcabillorum, vt cùm eos audierint numina, honorificè ſecũ exiſtiment actum, & feruentes animos irarum obliuione deponant? An numquid vt paruuli puſiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: eadem ratione & omnipotentia numina tibiarum ſtridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indignatione flacceſcunt? Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiſcunt enim ſuperi, remeare vt ad vigilias debeant? quid dormitiones illæ, quibus benè vt valeant, auſpicabili ſalutatione mandatis? Somni enim quiete ſoluuntur, occuparique vt hoc poſſint, lenes audiendæ ſunt næniæ? [a] Lauatio, inquit, Deũ Matris eſt hodie. Sordeſcunt enim diui, & ad ſordes eluendas lauantibus aquis opus, atque adiuncta antiqua cineris frictione? Iouis epulũ cras eſt. Iupiter enim cœnat, magniſque implendus eſt dapibus, jamdudum inedia geſtiens, & anniuerſaria interiectione ieiunus? Æſculapij geritur, celebraturque vindemia. Colunt enim Dij vineas, & ad ſuas vſiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum? [b] Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis. Habent enim Dii lectos, atque vt ſtratis poſſint mollioribus incubare, puluinorũ tollitur atque excitatur impreſſio? Telluris natalis eſt. Dij enim ex vteris prodeũt, & habent dies lætos, quibus Floralibus, & Megalenſibus nomen eſt, cæterique omnes alij, quos eſſe ſacros voluiſtis, & religionum inter officia deputari, quam rationem habent, quam cauſam, vt inſtitui, condique debuerint, & ex numinum appellatione ſignari? Honorantur, inquit, his Dii, & ſi quas ab hominibus continent offenſionum memorias illatarum, abiiciunt, excludunt, redduntque ſe nobis redintegrata familiaritate fautores. Et quæ cauſa eſt rurſus, vt tranquilli, placidi efficiantur & mites, ineptæ ſi res fiant, & ab hominibus ocioſis multitudine ſpectante ludatur? Ponit animos Iupiter, ſi Amphitryo fuerit actus pronunciatuſque Plautinus? aut ſi Europa, ſi Leda, Ganymedes fuerit ſaltatus, aut Danaë, motum compeſcit irarum? Tranquillior, lenior, Mater magna efficitur, ſi Attidis conſpexerit priſcam refricari ab hiſtrionibus fabulã? Obliterabit offenſam Venus, ſi Adonis in habitu geſtum agere viderit ſaltatoriis in motibus pantomimum? Indignatio relangueſcet Alcidæ, ſi tragœdia Sophoclis, cui Trachiniæ nomen eſt, Euripidis aut Hercules actitatur? [c] Exiſtimatur tractari ſe honorificè Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas cõſpexerit res agi, & migratum ab lupanaribus in theatra? Itane iſtud non eſt Deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſſimas res eis, quas cenſor animus reſpuat, [d] & quarum actores inhoneſtos eſſe ius veſtrum, & inter capita cõputari iudicauit infamia? Mimis nimirum Dei gaudent, & illa vis præſtans, neque vllis hominum comprehenſa naturis, libentiſſimè commodat audiendis his aures, quorum ſymplegmatibus plurimis intermixtos ſe eſſe, deriſionis in materiam norunt. Delectantur vt res eſt, ſtupidorum capitibus raſis, [e] ſalapittarum ſonitu, atque plauſu, factis & dictis turpibus, facinorum ingentium rubore. Iam verò ſi viderint in fœmineas mollitudines eneruantes ſe viros, vociferari hos fruſtra, ſine cauſa alios curſitare, amicitiarum fide ſalua contundere ſe alios, & crudis mutilare ſe cæſtibus, certare hos ſpiritu, buccas vento diſtendere, votiſque inanibus concrepare, manus ad cælum tollunt, rebus admirabilibus moti proſiliunt, exclamant, in gratiam cum hominibus redeunt. Hæc ſi Diis immortalibus obliuionem afferunt ſimultatum, ſi ex comœdiis, attellanis, mimis, ducunt lætiſſimas voluptates, quid moramini, quid ceſſatis, quin & ipſos dicatis Deos ludere, laſciuire, ſaltare, obſcœnas compingere cantiones, & clunibus fluctuare criſpatis? Quid enim differt, aut intereſt, faciantne hæc ipſi, an ab aliis fieri in amoribus atque in deliciis ducant? Vnde igitur fluxit, vel ex quibus enata eſt cauſis opinionum hæc prauitas? Ex eo ſcilicet maximè, quod nequeuntes homines, quidnam ſit Deus ſcire, quænam ſit vis eius, natura, ſubſtantia qualis, vtrumne habeat formã, an nulla ſit corporis circumſcriptione finitus: agat aliquid, an non agat, vigilétne perpetuò, an aliquando ſoluatur in ſomnos: currat, ſedeat, ambulet, an ab huiuſmodi motibus, & ceſſatione ſit liber. Hæc omnia, vt dixi, nequeuntes ſcire, neque ratione aliqua peruidere, in eas ſunt opinationes lapſi, vt Deos ex ſe fingerent, & qualis ſibi natura eſt, & illis talem darent actionum, rerum, voluntatumque naturam. Quod ſi animal cernerent nullius eſſe ſe precij, nec inter formiculã plurimum ſeſeque eſſe diſcriminis, profectò deſinerent arbitrari quidquã ſe habere commune cum ſuperis, & intra ſuos fines humilitatis ſuæ modeſtiam continerent. Nunc verò quia cernunt ora, oculos, capita, buccas, auriculas, naſos, cæteraſque ſe alias membrorum gerere ac viſcerum portiones; & Deos exiſtimant eadem ratione formatos, habitumque illos ſuum compagine in corporea continere: & quia gaudere, lætari, mæſtoſque ſe fieri triſtioribus conſpiciunt cauſis, arbitrantur & numina ex rebus hilarioribus gaudere, & ex minus lætis animorum contractione

conduci

ſuos gentiles ornare conſueuerant, atque plura adhuc contineri in libris Claudij Saturnini, qui de iis librum ediderat. PRI.

a *Lauatio Deum Matris eſt hodiè.* Vibius Sequeſter de flumin. *Almon Romæ vbi mater Deûm 4. Cal. April. lauatur.* Valerius Flacc. lib 8 argonau.

Sic vbi Mygdonios planctus ſacer abluit Almon:
Lotaque iam Cybele, feſtaque per oppida tæda,
Quis modo iam ſanos adytis fluxiſſe cruores
Cogitet? aut ipſi qui iam meminere miniſtri. ELMEN.

b *Lectiſternium Cereris.* Lecti ſternebantur in honorem deorum dearumque. Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 3. c. 17. Inſcriptio vetus pag. 1113. Valerius Max. lib. 2. c. 4. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 6. Liuius lib. 7. *Idem.*

c *Exiſtimatur tractari ſe honorificè Flora, &c.* Floræ ludos celebrarunt Romani: Floralia nuncuparunt. In vetuſto Kalendario Rom. videmus incidiſſe in 4. Kalend. Maias, cui videtur adſtipulaturus Plinius. Ouidius tamen:

Exit & in Maias feſtum Floraie Kalendas.

Floram propudioſam meretricem fuiſſe, auctor Minutius, & Plutarchus, Ouid. Auguſtin. In deos relatam, & quare cultam, docebit ipſe Arnobius. STEVV.

Habent dies lætos. In Nataliciis enim diebus voluptatib. operam dabant. Seruius in Eclog. 3. Virgilij. Iuuenalis ſat. 12. Cenſorinus de die Natali. ELMEN.

d *Et quarum actores inhoneſtos eſſe ius veſtrum, & inter capita computari iudicauit infamia.* Iure Romanorum ludiones & ſcenici infames erant l. 2. D. de iis qui not. inf. l. imperialis. C. de nuptiis, ἀκοινωνήτους fuiſſe docent antiqui canones inter quos 51. Trullanæ ſynodi, & concilij Arelatenſis caput quintum. Vox autem, *actores*, de mimis vſurpatur ferè ſemper, *grex agit in ſcena mimum*, ait Petronius. Addo hic Tertullianum cap. 22. de ſpectac. *Immò*, inquit *quanta eſt confeſſio malæ rei, cuius actores cum acceptiſſimi ſint, ſine nota non ſunt.* PRI.

e *Salapittarum ſonitu.* Gloſſæ: *ſalapitta. ῥάπισμα.* vide Tertullianum in apolog. & ſpectac. *Idem.*

conduci. Affici ſe ludis: putant & cælitum mentes ludorum delectatione mulceri. Et quia illis ſe voluptas eſt lauacrorum refouere caldoribus: & ſuperis ducunt lauationũ eſſe munditias gratas. Vindemiamus nos homines: & Deos rentur, & credunt ſuas ducere atque agitare vindemias. Dies nobis natalicij ſunt: & potentias cælites dies autumant habere natales. Quod ſi poſſent adſcribere valetudines, ægritudines, & corporales Diis morbos, non dubitarent eos lienoſos, lippulos, atque [a] enterocelicos dicere, eò quòd ipſi, & lienoſi, & lippi ſunt ſæpè, & ingentium herniarum magnitudine ponderoſi. Age nunc ſummatim, quoniam ſermo prolatus eſt, & perductus in hæc loca, ſingulorum partium oppoſitionibus comparemus, vtrumne vos melius rebus de ſuperis ſentiatis, an potiùs nos multò & honoratius opinemur, & rectius, quodque rei diuinæ ſuam præſtet, atque attribuat dignitatem. Ac primùm vos Deos, quos in rerum natura vel arbitramini eſſe, vel creditis, quorũque in templis omnibus ſimulachra conſtituiſtis & formas, profitemini eſſe natos, & ex maſculorum fœminarumque ſeminibus conuentionum progenitos lege. At verò nos contrà, ſi modo Dij certi ſunt, habentque huius nominis auctoritatem, potentiam, dignitatem, aut ingenitos eſſe cenſemus, hoc enim religioſum eſt credere, aut ſi habent natiuitatis exordium, Dei ſummi eſt ſcire, quibus eos rationibus fecerit, aut ſæcula quanta ſint ex quo eis attribuit perpetuitatẽ ſui numinis inchoare. Vos habere ſexus Deos, alioſque ex his mares, feminni generis alios eſſe cenſetis: nos potentias cælites diſcretas eſſe ſexibus abnegamus, quoniam diſcrimen huiuſmodi terrenis animantibus datum eſt, quas coire, quas generare auctor voluit rerum, ſubſtituendis per libidinem prolibus. Vos hominum ſimilitudinem gerere, & mortalium vultibus exiſtimatis eſſe formatos: nos effigies remur ſubmotas eſſe ab his longè, quoniam forma mortalis eſt corporis: & ſi fortè eſt vlla, comprehendere neminem poſſe indubitabili aſſeueratione iuramus. A vobis artificia ſinguli opificũ more habere perhibentur: ridemus cùm audimus nos iſta: quoniam Diis artes neceſſarias ducimus arbitramurque non eſſe, & eas conſtat & liquidum eſt paupertatis ad ſubſidium comparatas. Diſcordiarum alios ex his vos, alios dicitis, qui peſtilentias irrogent, alios qui amores, qui furias, alios verò qui præſint bellis, & ſanguinis effuſione lætentur: at verò nos contrà ab ingeniis numinum iudicamus eſſe diſiunctas, aut ſi ſunt qui hæc mala miſerrimis inferant ſubiiciantque mortalibus, ab Deorum contendimus procul eſſe natura, nec ſub huius nominis prædicatione ponendos. Iraſci & perturbari vos numina, cæteriſque animorum affectibus mancipata eſſe atque obnoxia iudicatis: nos huiuſmodi motus alienos exiſtimamus ab his eſſe: ſunt enim ferocium generum, & mortalitatis obeuntium functiones. Vos pecorum ſanguine, vos cædibus & mactationibus hoſtiarum gaudere, lætari, & in gratiam cum hominibus remini offenſionibus redire ſopitis. Nos amorem ſanguinis nullũ eſſe in cælitibus ducimus: nec eſſe tam duros, vt miſerorum animantium cæde ſaturatas abiiciant iras. Vos mero, vos ture, honorem arbitramini Diis addi, & eorum angeſcere dignitates: nos monſtrum, & prodigium iudicamus, quod quiſquam hominum credat aut auguſtiorẽ fieri Deum fumo; [b] aut ex roribus exiguis vini, ipſum ſibi ab hominibus ducere ſatis ſanctè atque honorificè ſupplicatum. Vos æris tinnitibus, & tibiarum ſonis, vos equorũ curriculis, & theatralibus ludis perſuaſum habetis Deos & delectari, & affici, iraſque aliquando conceptas eorum ſatisfactione mollire. Nos inconueniens ducimus, quinimò incredibile iudicamus, eos qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis tranſierint ſummitate, in voluptatibus habere atque in deliciis eſſe res eas, quas homo ſapiens rideat, & quæ non aliis videantur continere aliquid gratiæ, quàm infantibus paruulis, & triuialiter & populariter inſtitutis. Hæc cum ita ſe habeant, cumque ſit opinionum tanta noſtrarum, veſtrarumque diuerſitas, vbi aut nos impij, aut vos pij, cum ex partium ſenſibus pietatis debeat, atque impietatis ratio ponderari? Non enim ſimulachrum qui ſibi aliquod condit, quod pro Deo veneretur, aut qui pecus trucidat innoxiũ, ſacriſque incendit altaribus, is habendus eſt rebus deditus eſſe diuinis. Opinio religionem facit, & recta de Diis mens: vt nihil eos exiſtimes contra decus præſumptæ ſublimitatis appetere. Cũ enim cuncta, quæ his dantur, ſub oculis hic noſtris videamus abſumi, quid ad eos aliud ab nobis dicendum eſt peruenire, niſi opiniones Diis dignas, & eorum conuenientiſſimas nomini? Hæc ſunt dona certiſſima, ſacrificia hæc vera: nam pulticulæ, tura cum carnibus, rapacium alimenta ſunt igniũ, & parentalibus coniunctiſſima mortuorum. Sed ſi Dii immortales nequeunt, inquit, iraſci, neque vllis animorum affectibus eorum quatitur concutiturque natura; quid hiſtoriæ ſibi volunt, quid annales, quorum in conſcriptionibus legimus, nonnullis offenſionibus Deos motos, peſtilentias, ſterilitates, ac frugum inopias, aliaque intuliſſe ciuitatibus, nationibuſque diſcrimina: eoſque rurſus ſacrorum ſatisfactione placatos, indignationũ poſuiſſe feruores, & in habitum lætiorem ſtatum cæli, tempeſtatumque mutaſſe? Quid terrarum fremitus, quid motus, quos eſſe accepimus factos, quod eſſent acti per indiligentiam ludi, nec ad ſuam formam, conditionemque curati: inſtauratis his tamen, & curioſa obſeruatione repetitis, ſuperorum conquieuiſſe terrores, & ad hominum curam, familiaritatemque reuocatos? Quoties vatum iuſſis, haruſpicumque reſponſis, poſtquam diuina res facta eſt, & ex gentibus tranſmarinis acciti Dij quidam, delubraque his facta, [c] & in altioribus columnis ſigna quædam & ſimulachra ſunt conſtituta, & imminentium auerſi ſunt periculorum metus, & grauiſſimi hoſtes pulſi, & amplificata res publica eſt, & victoriarum frequentibus gaudiis, & prouinciarum poſſeſſione complurium? Quod vtique non fieret, ſi ſacrificia, ſi ludos, cæteroſque aſpernarentur

Dij

a *Enterocelicos.* Gloſſa: *Ramex* ἐντεροκήλην. Fulgent. lib. 1. Mytholog. *Nam & emplaſtromentaticum, quem Stiſidem Aphricanum entroſophiſtes vocauit, pollici & talo imponendum præcipit. Nam & Orpheus illum eſſe principalem libidinis indicat locum. Nam denique in Enterocelicis in iiſdem locis cauteria ponenda præcipiunt.* Plinius Natural. hiſtor. lib. 20. cap. 4. *De tecto eorum poto cum vino, Enterocelicis proſunt.* ELMEN.

b *Aut ex roribus exiguis vini.* Propriè Silius Italicus:

——— ante omnia ductor honori
Numinis auguſto libat charcheſia ritu:
Cætera quem ſequitur, Bacchique ex more liquorem
Irrorat menſis turba, ardeſcitque Lyæo. HER.

c *Et in altioribus columnis ſigna quædam, &c.* Nam ſimulachra eorum quos honoratiſſimos eſſe volebant, columnis ſu-

Dij cultus: neque ſe honorari eorum procurationibus ducerent. Si ergo his datis calor omnis numinum indignatioque frigeſcunt, vertunturque in proſpera ea, quæ videbantur afferre terrores, manifeſtum eſt hæc omnia non ſine cælitum fieri voluntate, & quòd ea tribuantur à nobis, inaniter & cum tota imperitia reprehendi. Ventum eſt ergo dum loquimur ad ipſum articulum cauſę, ventum rei ad cardinem, ventum ad veram atque adiunctiſſimam quæſtionẽ, in quam conuenit, vt debeamus inſpicere, formidine ſuperſtitionis amota, & gratificatione depoſita, vtrumne hi Dii ſint, quos ſæuire aſſeueratis offenſos, reddique ludis & ſacrificiis mites: an ſint longè aliud, & ab huius vi debeant, & nominis, & potentiæ ſegregari. Non enim imus inficias, in annalium ſcriptis contineri hæc omnia, quæ ſunt à vobis in oppoſitione prolata: nam & ipſi pro modulo, ingeniique pro captu, & legimus, & eſſe poſitum ſcimus, ludis quondam ipſis Circenſibus, qui Ioui Maximo fierent, patremfamilias quemdam, antequàm inciperent res agi, ſeruum peſſimè meritum per Circi aream mediam transduxiſſe cæſum virgis, & ex more multaſſe poſt patibuli pœna. Ludis deinde jam terminatis, profligatiſque curriculis, non multi poſt temporis ſpacium ciuitatem occœpiſſe peſtilentia vaſtari. Cumque dies adderet malum malo grauius, cateruatim & populus interiret, [b] ruſticulo cuidam ſorte humilitatis obſcuro Iouem per inſomnium dixiſſe, vti ad conſules vaderet, [c] præſulem ſibi diſplicuiſſe monſtraret, poſſe melius fieri ciuitati, ſi ludis ſua religio redderetur, & ex integro rurſus curioſa obſeruatione procederent. Quod cùm ille facere minimè curaſſet, vel quòd eſſe vanum ſuſpicaretur inſomnium, nullamque habiturum apud audituros fidem: vel quòd ingenitæ humilitatis memor, poteſtatis tantæ fugeret & formidaret acceſſum, cunctatori redditum inimicum Iouem, filiorum obitus irrogauiſſe pro pœna. Mox cùm & ipſi proprium minaretur interitum, ni præſulis pergeret nuncius improbati: obeundi formidine territatum, cum iam & ipſe contactus peſtilentiæ flagraret incendio, de ſententia propinquorum perlatum ad curiam patrum, inſomniique expoſita viſione, flammas euolauiſſe contagii. Ludorum deinde inſtauratione decreta, & ſpectaculis adhibitam grauem curam & priorem populo redditam ſanitatem. Sed neque illud æquè nos negabimus ſcire, temporibus quondam ciuitatis & reipublicæ duris, vel quæ lues infeſta faciebat continua populũ contage conficiens: vel quæ hoſtes validi, & ad periculum libertatis auferendæ præliorum proſperitate iam proximi: iuſſis & monitis vatum, transmarinis ex gentibus quoſdam Deos accitos, magnificiſque honoratos templis, & luis ſedaſſe flagrantiam, & viribus hoſtium fractis, frequentiſſimè triumphatum, & auctos imperii fines, innumeraſque prouincias ſub leges veſtri cecidiſſe dominatus. Sed neque hoc noſtrã conſcientiam fugit lectum & poſitum, ictum cùm eſſet Capitolium fulmine, multaque in hoc alia, Iouis etiam ſimulachrum ſublimi quod in culmine ſtabat, ſuis eſſe ab ſedibus prouolutum. Reſponſum deinde ab haruſpicibus editum, res ſæuas triſtiſſimaſque portendi, ab incendiis, cædibus, ab legum interitu, & ab iuris occaſu, maximè tamen ab domeſticis hoſtibus, atque ab impia coniuratorum manu. Sed flecti hæc poſſe, immò aliter publicari ſcelerata non poſſe conſilia, niſi Iupiter rurſus altiore in culmine figeretur, orientalem conuerſus ad cardinẽ, radiiſque oppoſitus ſolis. Adfuiſſe dicto fidem: nam ſubrecto culmine, conuerſoque ad ſolem ſigno, patuiſſe res abditas, & reſerata in maleficia vindicatum. Habent quidem miraculi ſpeciem, quinimò habere creduntur cuncta iſta, quæ dicta ſunt, ſi ita, vt ſunt prompta, humanũ veniant ad auditum: nec diffitemur ineſſe his quiddam, quod in prima poſitum, quemadmodum dicitur, fronte, perſtringere aures poſſit, & veritatis ſimilitudine circumuenire. Cæterùm ſi penitus intueri res factas, perſonas, & perſonatum volueris voluptates, nihil eſſe reperies Diis dignum, & quod ſæpè iam dictũ eſt, quod ad huius nominis ſpeciem, dignitatemque referatur. Quis eſt enim primum, qui Deum illum fuiſſe credat, qui currentibus fruſtra delectaretur equuleis, auocarique ſe genere hoc ludicri iucundiſſimum duceret? Immò illum fuiſſe quis eſt qui aſſentiatur Iouem, quem Deũ principem dicitis, & rerum quæcumque ſunt conditorem: qui ſpectatum proficiſceretur è cælo, cantherios de velocitate certantes, [d] replicantes gyros ſeptem; & quos diſſimiles ipſe corporum eſſe in mobilitate voluiſſet, eos tamen gaudere tranſire, tranſiri, pronos & cernuos ruere, cum curtibus reſupinos verti, trahi alios cruribus & claudicare præfractis, & ineptias nugis & crudelitatibus mixtas ſummis in voluptatibus habuiſſe, quas [e] homo quiuis lætus, nec ad ſtudium plenæ grauitatis ac ponderis eruditus, puerilia duceret atque aſpernaretur vt ludicra? Quis eſt, inquam, qui credat, repetamus vt aſſiduè hanc vocem, generis eum fuiſſe diuini, qui quoniam ludis actus per Circi eſt ſpacium meritorum pœnas & ſupplicia redditurus, ira exacerbatus ardeſceret, ſeſeque ad vires accingeret vltionis? Si enim nocens ſeruus, atque illa fuerat animaduerſione puniendus, qui

perponebant. Suetonius in Galba: *ſenatus, vt primum licitum fuit, ſtatuam ei decreuerat roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte fori, qua trucidatus eſt.* Scribunt primis temporibus columnas pro ſimulacris erectas, eaſque ſimulacrorum ritu cultas: Clemens Alexand. ſtrom. 1. πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοί, ἔσεβον ταύτας ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. Idem obſeruat Euſeb. lib. 1. de præpar. Euang. HER.

b *Ruſticulo cuidam.* Macrob. lib. 1. Saturn. c. 11. Auguſt. de ciu. Dei. c. 26. lib. 4. Dionyſ. Halicarn. lib. 7. Plutarch in Coriolano. Lactant. lib. 2. cap. 7. Valer. Max. lib. 1. cap 7. ELMEN.

c *Præſulem ſibi diſplicuiſſe monſtraret.* Præſultorem dicunt alij, ὀρχηστήν, τὸν ἐν ταῖς ἱεροῖς ὀρχούμενον. Hunc autem furciferum ſeruum præſulem, ſiue præſultorem appellabat dæmon, quod qui virgis cæduntur, conuertunt ſe & trepidant ſaltantium more, atque idcircò dicuntur quandoque per ſimilitudinem ſaltare: quapropter ſcribit Artemidorus lib. 1. Oneirocr. cap. 78. multas plagas ſeruo portendi, ſi ſaltare ſe ſomniarit. HER.

d *Replicantes gyros ſeptem.* Aurigarum in Circo Rom. certamen quaſi penicillo depingit Arnobius: de quo quia diximus ad ſcriptorem rei milit. lib. 1. c. 24. in præſentia ſuperſedimus: numerum tantùm illum ſeptenarium aliquot teſtimoniis adſerturi. Numerum imparem vt magis fauſtum adamaſſe antiquos, etiam in re milit. docui non vno loco prænominati commentarij mei. attamen præter ternarium ſeptenarium etiam religioni maximè commodum fuiſſe, liquet in verbis Apuleij lib. 11. de aſino. *meque protenus purificandi ſtudio, marino lauacro trado, ſepties ſubmerſo fluctibus capite: quòd eum numerum præcipuè religioni aptiſſimum diuinus ille Pythagoras tradidit.* Venio ad gyros aurigarum ſeptem. Hieronymus in vita Hilarionis: *vt propter felicem Sabinarum raptum, ab ipſo quaſi conſiliorum deo* (Conſum intellige) *quadrigæ ſepteno currant circuitu.* Septies enim circuibant perniciſſimo curſu metas, quæ conſtitutæ in Circo. Sidonius Apollinaris in laude vrbis Narbonenſis, vbi inter alia multa hac de re ita canit. *Tu conamine duplicatus ipſo*

Stringis quadriiuges, & arte ſumma

In gyrum bene ſeptimum reſeruas. STAVV.

e *Homo quiuis lætus.* legunt alij, *lautus*, & ex gloſſis explicant λαμπροφόρος, ἐπιεικής, κόσμιος. P. R. I.

qui debuit Iupiter indignatione aliqua commoueri, cum ageretur iniuſtè nihil, immò cum nocens caput pœnis cōuenientibus plecteretur: Sin autem immunis ab ſcelere, neque vlli obnoxius crimini, vitioſi præſulis ipſe fuit in cauſa, qui cum ſubuenire potuiſſet, non fecit, immò ipſe quæſiuit, & pati quod improbabat, & ab aliis pœnas ſuæ permiſſionis exigere: & cur læſum deinde illo ſe quæſtus eſt & pronunciauit in præſule, quia crucis ad pœnas per Circi actus eſt medium, virgis dilaceratus & flagris? Et quid ex hoc facto labis potuit & fœditatis effluere, quod aut Circum faceret minus purum, aut Iouem contaminatum, cum per exigua momenta, per puncta, tot in orbe conſpiceret millia mortis in generibus variis, & cruciatibus interire diuerſis? Ante, inquit, eſt actus, ludi quàm inciperent confici. Si ſacrilego pectore, religioniſque contemptu, eſt vt ignoſcere debeamus Ioui indignanti ſe ſpretum, nec Circenſibus propriis ſollicitiorem adhibitam curam. Sin autem errore, vel caſu, latens illud non eſt animaduerſum & cognitum vitium, nonne fuerat rectum, Iouique conueniens, vt humanis ignoſceret lapſibus & imprudentiæ cæcitatem veniali conceſſione donaret? Sed vindicanda res fuit. Et poſt hæc aliquis fuiſſe illum Deum credet, qui puerilis incuriam ludicri, ciuitatis vltus eſt & perſecutus interitu? grauitatis ac ponderis, aut vllius habuiſſe conſtantiæ firmitatem, qui vt ſibi ex integro voluptatis in gaudia curreretur, venenatam in perniciem aëris hauſtus vertit, & peſtilentiæ morbo ſtragem mortalitatis indixit? Si ludorum exhibitor magiſtratus minus curauit ediſcere, quiſnam eſſet illo die Circi actus per medium, contractaque eſt ex hoc culpa, quid infelix commeruerat populus, vt aliena delicta capitis ſui diſſolueret pœnis, peſtilentibuſque contagiis crudeliter expelleretur è vita? immò quid fœminarum genus, [a] quas ab negociis publicis conditio fragilitatis excepit? quid adultæ virgines? quid pueruli fecere puſiones? quid denique adhuc parui nutricum ſub alimonia conſtituti, vt in eos immitteretur par & vna ſæuitia, priuſque acerbitatem mortis, quàm dulcedinem aliquem perciperent luminis? Si ſibi Iupiter ludos ſcrupuloſiùs fieri, reſtituique quærebat, ſi fideliter reddere ſuam populo ſanitatem, nec malum, quod fecerat, prorogari vlteriùs & augeri: nonne rectius fuerat, conſulem vt ad ipſum veniret, ſacerdotum ad aliquem publicorum, Pontificem maximum, aut ad Flaminem ſuum Dialem, eique per ſomnium, & præſulis vitium, & funeſti cauſam temporis indicaret? Quæ fuerat ratio, vt ruri hominem ſuetum, obſcuritate incognitum nominis, vrbanarum inſcium rerum, quid ſit præſul fortaſſe neſcientem, voluntatis ſuæ deligeret nuncium, & expetitæ ſatisfactionis auctorem? Quem ſi vtique ſciebat, diuinus modo ſi fuerat, tergiuerſatorem in obſequio futurum, nonne fuerat pronius, & Deo conueniens, mentem hominis vertere, & parendi ſubigere voluntatem, quàm vias aggredi ſæuiores, & latrocinij ritu ſine vlla paſſim ratione ſæuire? Si enim ruſticus, ſenior, inexpeditus in rebus obeundis, cunctabatur in re iuſſa cauſis ſuperioribus retardatus, quid infelices eius commeruerant liberi, vt in eos ira & indignatio verteretur, offenſaſque alterius, luminis ſui ſpoliatione penſarent? Et quiſquam eſt hominum, qui fuiſſe illum Deum credat tam iniuſtum, tam impium, nec mortalium ſaltem conſtituta ſeruantem, apud quos nefas haberetur magnum, alterum pro altero plecti, & aliena delicta aliorum ceruicibus vindicari? Sed & ipſum fecit peſtilitatis ſæuitia comprehendi. Nonne ergo præſtantius, quinimmò æquius fuerat, ſi hoc eſſe videbatur faciendum, vt ab ipſo patre terror coërcitionis inciperet, apud quem cauſa tanti fuerat motus, & inobœda ceſſatio, quàm in eius dolorem vim liberis facere, & innoxias vrere, atque abolere perſonas? Quænam illa ſæuitia, crudelitas fuit quæ tanta, vt extincta ſubole inteſtinis periculis poſt territaret patrem? Quod jamdudum ſi facere, id eſt, loco priore voluiſſet, nec germanitas conficeretur innoxia, & voluntas numinis cognoſceretur offenſa. At enim completo annunciationis officio, ſtatim morbus euanuit, & ſanitati homo eſt continuò reſtitutus. Et quid habet admirationis res iſta, ſi malum quod inſpirauerat, repulit: ſeſeque inani oſtentatione jactauit? Quod ſi penitus res pendas, magis illa crudelitas, quàm beneficium ſalutis fuit: ſi quidem hominem miſerum, & interire poſt filios cupientem, non gaudia ſeruauit ad vitæ, ſed vt ſuam ſolitudinem diſceret, & orbitatis cruciamenta ſentiret. Conſimili ratione per alias ire licebit hiſtorias, & oſtendere in his quoque longè aliud, quàm eſſe Dij debeant, de ipſis dici, & earum in expoſitionibus indicari: velut in hac ipſa, quam deinceps ponam, vna ei duabuſue coniunctis, [b] faſtidium ne immoderatione pariatur. [c] Poſt aduectos, inquitis, transmarinis ex gentibus Deos quoſdam, poſtque condita his templa, poſt cumulatas ſacrificiis aras, malè habens ſeſe recreatus conualuit populus, & peſtilentes morbi inducta ſinceritate fugerunt. Qui, effamini, Dij quæſo? Æſculapius, inquitis, Epidauro bonis Deus valetudinibus præſidens, & Tiberina in inſula conſtitutus Si eſſet nobis animus ſcrupuloſiùs iſta tractare, vobis ipſis obtineremus auctoribus, minime illum fuiſſe diuum, qui conceptus & natus muliebri aluo eſſet: qui annorum gradibus, ad eum finem aſcendiſſet ætatis, in quo illum vis fulminis, veſtris quemadmodum literis continetur, & vita expuliſſet & lumine Sed quæſtione ab iſta diſcedimus: Coronidis filius ſit, vt vultis, ex immortalium numero, & perpetua præditus ſublimitate cæleſti. Ex Epidauro tamen quid eſt aliud allatū, [d] niſi magni augminis coluber?

Fidem

a *Quas ab negotijs publicis conditio fragilitatis excepit.* Vlpianus lib. 1. ad Sabinum. *Fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus vel publicis remotæ ſunt.* Liuius lib. 34. *Majores noſtri nullam, ne priuatam quidem rem fœminas agere voluerunt.* ELMEN.

b *Faſtidium ne immoderatione pariatur. . . Poſt aduectos &c.* Ante verba vltima, vbi notatæ clauſulæ, liber membraneus, ac ſimiliter Vrſini editus Romæ, inſerunt paginam totam, quam nos ad finem textus Arnobiani adcudendam curauimus; ſimulq; digitum intendimus ad alium ſimilem huius ſcriptoris locum, quo facilius ſit erudito lectori de ſinceritate verborum aut ſuperfluitate, ac repetitione eiuſdem ſententiæ, ſententiam ferre. SI EV.

c *Poſt aduectos transmarinis ex gentibus deos.* Lactant. lib. 2. c. 7. *Illud æque mirum, quod lue ſæuiente Æſculapius Epidauro accitus, vrbem Romam diuturna peſtilentia liberaſſe perhibetur.* Val. Max. lib. 1. cap. 8. Ouid. lib. 15. Metamorph. Auguſtin. de ciuit. lib. 3. cap. 17. Liuius lib. 10. Oroſius lib. 3. cap. 22. ELMEN.

d *Niſi magni augminis coluber.* Lucretium imitatur more ſuo, qui augmen pro mole vſurpat lib. 1.

Non quodcumque erit, eſſe aliquid debebit id ipſum
Augmine vel grandi, vel paruo denique dum ſit.

Item lib. 3 — — — — *& tamen ex his*
Omnibus eſt vnum perfecti corporis augmen.

Papyrius apud Ciceronem lib. 9. epiſt. vlt *Academici negant in rebus quicquam reperiri poſſe tam exiguum magnitudine, atque augmine, quod non diuidi porrò queat.* Pugnat tamen Auſonius Moſella. — — — *longo vix corporis agmina ſoluit.*

fidem ſi annalium ſequimur, & exploratam eis attribuimus veritatem, nihil, vt conſcriptum eſt, aliud. Quid ergo dicimus? Æſculapius iſte quem prædicatis, Deus præſtans, ſanctus Deus, ſalutis dator, valetudinum peſſimarum propulſator, prohibitor, & extinctor ſerpentis eſt forma & circumſcriptione finitus: per terram reptans, cœno natis vt vermiculis mos eſt, ſolùm mento radit & pectore: tortuoſis voluminibus ſe trahens, atque vt pergere prorſus poſſit, partem ſui poſtremam conatibus prioris adducit. Et quoniam legitur vſus cibis etiam, quibus vita in corporibus immoratur; habet patulas fauces, quibus cibos transuoret, oris hiatibus appetitos: habet receptaculum ventris, vt ibi manſa & vorata decoquat viſcera, ſanguis detur vt corpori, & viribus redintegratio ſubrogetur: habet & extremos tramites, per quos immunda fæx eat, auerſabili corpora fœditate deonerans. Si quando mutat loca, & ab aliis tranſgredi in alias regiones parat, non vt Deus obſcurè per cæli euolat ſidera, punctoque in temporis, vbi cauſa poſtulauerit, ſiſtitur: ſed velut animal brutum, vehiculum quo ſuſtineatur, petit: vndas pelagi vitat: atque vt tutus poſſit incolumiſque præſtari, cum hominibus nauem aſcendit, & ille publicæ ſanitatis Deus, fragili ſe ligno, & tabularum compagibus credit. Non arbitramur euincere, atque obtinere vos poſſe, Æſculapium illum fuiſſe ſerpentem, niſi hunc colorem volueritis inducere, vt in anguem dicatis conuertiſſe ſe Deum, quo mentiri ſe poſſet, quiſnam eſſet, aut quales homines intueri. Quod ſi fuerit à vobis dictum, quàm infirmiter, inualideque dicatur, ipſa rerum inæqualitas indicabit. Si enim ſe Deus videri ab hominibus euitabat, nec in forma ſerpentis velle debuit conſpici: cum in qualibet forma non ab ipſo ſe alius, ſed ipſe eſſet futurus. Sin autem intenderat cernendum ſe dare: non debuit oculorum negare conſpectui: cur non talem videri ſe præbuit, qualem ſciebat ſe eſſe, qualemque ſe nouerat ſui numinis in potentia contineri? Erat enim hoc potius, multoque præſtantius, auguſtæque conueniens dignitati, quàm fieri belluam, horrentiſque animalis in ſimilitudinem verti; & dare ambiguis contradictionibus locum, eſſetne verus Deus, an neſcio quid aliud, longeque ab ſupera ſublimitate ſeiunctum. Sed ſi Deus, inquit, non erat, cur è naui poſtquam extulit ſeſe, Tyberinam ad inſulam repſit: nuſquam ſtatim comparuit, & videri vt antè deſiit? Poſſumus enim ſcire, vtrumne aliquod obſtaculum fuerit, cuius ſeſe objectu atque oppoſitione protexerit, an hiatus aliquis? Vos pronunciare, vos dicite, quidnam illud fuerit, aut cuinam rerum generi debuerit applicari, ſi perſonatum officia ſunt certa certarum veſtra. Cùm res ita ſit, deque veſtro numine, veſtraque & religione tractetur, veſtrum eſt potiùs edocere, veſtrumque monſtrare, quid illa res fuerit, noſtras velle quàm exaudire ſententias, noſtraque expectare decreta. Nam nos quidem quid aliud poſſumus dicere, niſi quod fuit, & viſum eſt: quod hiſtoriæ prodidere omnes, & oculorum ſenſibus eſt comprehenſum? Hanc tamen ſcilicet colubram validiſſimi corporis, & prolixitatis immenſæ? aut ſi nomen hoc ſordidum eſt, anguem dicimus, ſerpentem nominitamus: aut ſi quod aliud nobis vſus vocamen obtulerit, aut ampliatio ſermonis effinxerit. Si enim repſit vt coluber, non pedibus ſe ferens, neque ſuas ſubexplicans itiones, ſed ventre nixus ac pectore, ſi ex materia formatus carnis longitudinem porrigebatur in lubricam, caput ſi habuit atque caudam, ſi obſita ſquamis terga, ſi macularum ſuffectionibus varia, ſi os dentibus horridum, & ad infligendos inſtructum morſus: quid aliud poſſumus, quàm generis eum dicere fuiſſe terreni? quamuis fuerit immanis & nimius: quamuis illum, ab Regulo exercitus vi cæſum, longitudine corporis & roboris anteiret. Sed aliud nos remur, & labefacimus & deſtruimus veritatem. Ergo veſtrûm eſt explicare quidnam ille fuerit, vel cuius generis, nominis, & qualitatis cuius. Nam Deus eſſe qui potuit, cum haberet ea, quæ diximus, quæ Dii habere non debent, ſi cogitant Dii eſſe, & vocaminis huius eminentiam poſſidere. Tyberinam poſtquam ad inſulam repſit nuſquam continuò apparuit: qua ex re numen fuiſſe monſtratur. Poſſumus enim ſcire vtrumne iſtic aliquod rei fuerit alicuius obſtaculum, cuius ſeſe obiectu atque oppoſitione protexerit, an hiatus aliquis, aut ex molibus inæqualiter aggeratis ſucceſſus quidam, & fornices, in quos intulit ſe raptim, circumſcripto tuentium viſu? quid enim ſi flumen transiliuit: quid ſi transnatauit: quid ſi ſyluarum denſitatibus ſe dedit. Argumentatio flaccida eſt, ea te ſuſpicari Deum illum fuiſſe ſerpentem, quòd ab oculis ſeſe properata omni feſtinatione ſubtraxit: cùm Deum non fuiſſe eadem rurſus poſſit argumentatione monſtrari. Sed ſi Deus præſens anguis ille non fuit, cur poſt illius aduentum peſtilentiæ vis fracta eſt, & populo ſalus reddita Romano? Referimus & nos contrà: ſi [a] ex libris fatalibus, vatumque reſponſis inuitati ad vrbem Deus Æſculapius iuſſus eſt, vt ab luis contagio morbiſque peſtilentibus tutam eam incolumemque præſtaret, & venit non aſpernatus, vt dicitis, colubrarum in formam conuerſus: [b] cur toties Romana ciuitas mali huius afflicta eſt cladibus? toties aliis aliiſque tẽporibus dilacerata, vexata eſt, & innumeris ſtragibus ciuium minor facta eſt millibus? Cùm enim Deus accitus in hoc eſſe dicatur, vt omninò omnes cauſas, quibus peſtilentia conflabatur, auerreret: ſequebatur vt ciuitas intacta eſſe deberet, flatuque à noxio immunis ſemper innocuaque præſtari. Atquin videmus, vt ſuperiùs dictum eſt, ſæpenumerò his morbis curſus eam vitæ habuiſſe funeſtos: nec diſpẽdiis leuibus eſſe populi fractas debilitataſque virtutes. Vbi ergo Æſculapius fuit, vbi ille promiſſus oraculis venerabilibus? Cur templa poſt condita, ſibique exædificata delubra, diutiùs haberi perpeſſus eſt bene meritæ ciuitatis luem, cum in id eſſet accitus, vt & malis mederetur inſtantibus, nec ſineret in futurum tale aliquid quod metueretur irrepere? Niſi fortè aliquis dicet, minoribus & conſequentibus ſeculis idcircò Dei talis defuiſſe cuſtodiam, quòd impiis iam moribus & improbabilibus viueretur: opem autẽ contuliſſe maioribus, quòd innoxij

a *Ex libris fatalibus.* Romani malis oppreſſi, vel morbis impliciti, libros fatales conſulebant. Liu. lib. 5. *Deos peſtis arcenda cauſa, placandos eſſe in libris fatalibus inuentum eſt.* Idem lib. 12. ELM.

b *Cur toties Romana ciuitas mali huius afflicta eſt cladibus?* Vrget diſputator arduus impotentiam Æſculapij Dei, qui etiamſi in hoc Romam accitus, vt in poſterum peſtilitates omnes ab ea vrbe, & populo arceret, euenerit nihilominus, vt & ſæpiùs, & maximis ſtragibus vires eorum fractæ, & numerus ciuium imminutus ſit. Quam auctoris noſtri intentionem clariùs multò perſpicies ex ſequentib: STEVV.

innoxii fuerint, & ab omni ſcelerum contagione dimoti. Quod ratione cum aliqua & audiri forſitan potuiſſet, & dici, ſi aut in temporibus priſcis omnes eſſent vſque ad vnum boni: aut ſequentia tempora malos omnes generarent, & nulla diuerſitate diſcretos. Cum verò res ita ſit, vt in magnis populis, nationibus, quinimò & in ciuitatibus cunctis mixtum ſit humanum genus naturis, voluntatibus, moribus, tamque potuerint in prioribus ſeculis, quàm in nouellis ætatibus boni ſimul, malique exiſtere: ſtultum ſatis eſt dicere, propter malitias poſteros auxilia numinum non meruiſſe mortales. Si enim propter malos ſequentium ſeculorum boni non ſunt protecti temporum nouellorum, & propter antiquos malos boni æquè majores non debuerãt merere beneuolentiam numinum. Sin propter bonos priſcos mali etiam conſeruati ſunt priſci, & propter bonos minores, ætas debuit ſequens, quamuis eſſet improbabilis, protegi. Aut ergo iam fracta atque imminuta vi morbi, anguis ille perlatus [a] famam conſeruatoris aſſumpſit, cum nihil omninò commoditatis attuliſſet: aut fatalia dicenda ſunt carmina, multum veris aberrauiſſe præſagiis, cum remedium ab his datum non deinceps cunctis, ſed auxilio fuiſſe vni tantum reperiatur ætati. [b] Sed & Magna inquit, mater accita ex Phrygio Peſſinunte, juſſis conſimiliter vatum, ſalutaris populo & magnarum cauſa lætitiarum fuit. Nam & diu potens hoſtis ab Italiæ poſſeſſione detruſus eſt, & glorioſis illuſtribuſque victoriis decus vrbis reſtitutum eſt priſtinum, & imperii fines longe lateque porrecti, & innumeris gentibus, ciuitatibus, populis libertatis ius raptum eſt, & iugum ſeruitutis impoſitum: multæque res aliæ foris domique perfectæ, ineluctabili firmitate gentis nomen maieſtatemque fundarunt. Si verum loquuntur hiſtoriæ, neque vllas inſerunt rerum conſcriptionibus falſitates, allatum ex Phrygia nihil quidem aliud ſcribitur miſſum rege ab Attalo, niſi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis ſine vlla impreſſione qui poſſet, coloris furui, atque atri, angellis prominentibus inæqualis: & quem omnes hodie ipſo illo videmus in ſigno, oris loco poſitum, indolatum, & aſperum, & ſimulachro faciem minus expreſſam ſimulatione præbentem. Quid ergo dicemus? Hannibalem illum Pœnum, hoſtem potentem ac validum, ſub quo anceps & dubia res Romana contremuit, & magnitudo trepidauit, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacem, ac timidum, ſuique eſſe diſſimilem fecit? Et quòd rurſus exiliuit ad imperij columen, & regium principatum, nihil conſiliis actum eſt, nihil hominum viribus, nec ad reditum ſublimitatis antiquæ tot tantiſque ab ducibus quicquam eſt ſcientia militari, aut rerum experientia collatum? Lapis aliis vires, aliis roboris infirmitatem dedit: hos ſecundis præcipitauit ab rebus, aliorum extulit ſtratas deſperatione fortunas? Et quis hominum credat terra ſumptum lapidem, ſenſu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri corporis, Deûm fuiſſe Matrem? aut quis rurſus accipiat, hoc enim ſolum reſtat, numinis alicuius habitaſſe in ſilicis fragmentis more ſubjectam, veniſque in eius abſtruſam? Et vnde parta victoria eſt, ſi Peſſinuntio lapidi nullum inerat numen? Sedulitate poſſumus dicere, ac virtute pugnantium, vſu, tempore, conſilio, ratione, fato etiam poſſumus, & reciproca varietate fortunæ. Sed ſi auxilio lapidis res facta eſt melior, & felix recuperata victoria eſt, [c] vbinam Mater Phrygia tempore illo fuit, cum tot tantiſque exercitibus cæſis, inclinata eſt res ſumma, & ad vltimæ labis periculum venit? Cur non minaci fortiter ſe obtulit? Cur impetus tantos belli non priùs fregit, ac repulit, quàm immanes inciderent plagæ, quibus omnis effunderetur ſanguis, & exhauſtis rueret vita ipſa penè vitalibus? Adducta enim nondum, nec fauorem fuerat vt commodaret, rogata. Sed bonus auxiliator numquam rogari ſe poſcit, ſpontanea ſemper opitulatione ſubueniens. Hoſtem pellere, ac fugare non potuit, multo adhuc mari, terriſque habitabilibus diſcreta. Sed Deo, ſi Deus eſt, longum nihil omninò eſt, cui punctum terra eſt, & ſub nutu omnia conſtituta. Sed fuerit præſens, vt expoſcitis credi, illo ipſo numen in lapide: & mortalium quiſquam eſt, quamuis ille ſit credulus, & facillimas aures quibuſlibet fictionibus præbeat, qui eam iudicet fuiſſe, aut tempore illo Deum, aut hodie dici appellarique debere? quæ modò hæc appetat, modò illa depoſcat, ſuos deſerat faſtidiatque cultores: prouinciis ab humilioribus migret, potentioribus populis, ditioribuſque ſe jungat. Verùm bellicas res amat, interque eſſe deſiderat pugnis, cædibus, mortalitatibus, & cruori. Si Deorum eſt proprium, ſi modò ſunt veri, & quos deceat nuncupari vi vocis iſtius, & potentia numinis nihil facere malitioſè, nihil iniuſtè, hominibuſque ſe cunctis vna & parili gratia ſine vlla inclinatione præbere: generis eam fuiſſe diuini quiſquam ne hominem credat, aut habuiſſe æquitatem diis dignam, quæ humanis ſeſe diſcordiis inferens, aliorum opes fregit, aliis ſe præbuit exhibuitque fautricem? libertatem his abſtulit, alios ad columen dominationis erexit: quæ vt vna ciuitas emineret, in humani generis perniciem nata, orbem ſubiugauit innoxium.

INDEX

& *agmina* ſunt quæ *volumina* Virgilio, Apuleio. MEVR.

a *Famam conſeruatoris aſſumpſit.* σωτῆρος. Nam Græcam appellationem, qua inſigniebantur ſiue dij, ſiue homines qui à ceteris pericula propulſaſſe credebantur, exprimere voluit. Sic Caſtor & Pollux ἄνακτες ἄνθρωποι καὶ σωτῆρες appellantur à Plutarcho in Theſeo. HER.

b *Sed & magna, inquit, mater accita ex Phrygio Peſſinunte.* Liuius lib. 27. *Quandocumque hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia, vincique poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam aduecta eſſet.* Auguſt. de ciuit. Dei lib. 3. cap. 12. Tertull. apolog. 24. Minutius Felix. Lactantius lib. 11. cap. 7. Cicero de Haruſpicum reſp. ELMEN.

c *Vbinam mater Phrygia tempore illo fuit?* Tertullianus apol. 25. matris Peſſinuntiæ diuinitatem euertit, ridetq; Cum enim auertendæ cladis conſilium præbere crederetur, omniaq; fauſtè portenderet, non potuit tamen vllam amouere, nec quicquam ſcire, quæ M. Aurelij mortem ignorauit. *Itaque majeſtatis ſuæ in vrbem collatæ grande documentum noſtra etiam ætati propoſuit, cum M. Aurel. apud Sirmium Reipublicæ exempto, die 16. Kalend. April. Archigallus ille ſanctiſſimus die 9. Kalend. earundem, quo ſanguinem impurum, lacertos quoque caſtrando libabat pro ſalute Imperatoris Marci iam intercepti, ſolita æque imperia mandauit. O nuntios tardos! ô ſomniculoſa diplomata, quorum vitio exceſſum Imperatoris non ante Cybele cognouit! Ne deam talem riderent Chriſtiani.* PRI.

FINIS.

INDEX
RERVM, LOQVENDI FORMVLARVM AVTHORI FAMILIARIVM ET PECVLIARIVM, VERBORVM ET NOMINVM, QVÆ TAM APVD ARNOBIVM paſſim occurrunt, quàm apud eius Commentatores annotantur & explicantur, ordine Alphabetico digeſtus.

Numerus 1. vel 2. poſt paginæ numerum appoſitus, Commentariorum columnam indicat.

A

ABIRE à membris diſſolutis, pag. 11
Abrogatores diuini operis, 14
Abſcindere ſeminaria, 18
Abſtemius, 41
Acca ſcortum propudioſum apud Romanos, cui tamen poſt mortem ſacrificiis parentarunt, 8. & ibid. 1
Accuſatiuus pro ablatiuo vſurpatus ab antiquis, 42. 89. & ibid. 2.
Acdeſtis, cuius genitrix, petra, 69. 72
Acerra, 44
Achaia, 23
Acheron, fluuius, 24
Acherontici Libri, 59. & ibid. 1.
Acheruſij aditus, 77
Acinacis olim cultus vt Deus à Scythiæ nationibus, 86
In Acoris perfidiam mutari, 6
Acriſius conditus in arce Lariſſa. 85
Admero Apollo Delius ſeruiens, 63. & ibid. 1
Adorare, & Adoratio. 10. 1
Adorati olim Imperatores & Principes, 45. 2
Adrianus Imperator quid ſenſerit de Chriſto. 83. 1
Adſciſcere ſibi Deum patrem, 25
Adoleſcentulum vxore vincire, 71. & ibid. 2
Adulteri dicti Subſeſſores, 75. & ibid. 1
Adulterium capitali pœna mulctatum, 61. & ibid. 2
Æacus Iouis progenies, 84
Æditui templorum apud Ethnicos. 89. 2. & 90
Ægritudo vbi eſt, imminutioni & corruptioni locus eſt, 6
Ægyptus, 23
Ægyptiorum gens imprimis ſuperſtitioſa, 8. 2
Ægyptiaca numina, 43. & ibid. 1
Æneas, 42
Aëris Sauſtus venenatam in perniciem verſi, 10
Æſculapius 8. Coronide natus, 10. quare Deus dictus, ibid. & 13
Æſculapij tres, 60
Æſculapij grauitas à Dionyſio juniore deluſa, 90
Æſculapius ſerpentis forma & circumſcriptione munitus, 107
Æthuſæ, 63
Æuitatem decurrere, 27
Æuitatem perpetuam non obtinet quod extremis coërcitum finibus neceſſaria concludit extremitas, 48
Affectus vbi eſt, ibi eſt & paſſio, 9
Affectus animorum in deos an cadant, 93
Africia, 100
Aggerere ſinus ſportarum, 15
Aij Locutij, 7
Albani montis antiqua ſacrificia, 41
Alcmena 42
Alcmena Thebani Herculis mater, 62. 64
Alexander Seuerus erga Chriſtum benè affectus, 83. 1.
Algidus in frigore, 26
Alimontia myſteria, 77
Allegorici fabularum ſenſus ab Ethnicis oſtentati. 79. quàm latè pateat ſenſus Allegoricus, ibid.
Allegoriâ quantùm abuſi ſint Ethnici, 81
Alopæ, 63
Alternatio vitalis, 101
Ex Aluo matris fundi atque emitti, 25
Ambifaria obtentio, 80
Ambitio pro gratia & fauore, 96. 1
Ambitus orationis longior, 17
Amœnitas non eſt ſpectanda in rebus ab oſtentatione ſubmotis, 17
Amoris petulantis flammam ſeruilibus obumbrare fallaciis, 64
Amphitryo Plautinus actus, pronunciatuſque, 105
Amphitrites Rex Maris, 63
Ampliare, 47
Amygdalus vndè orta, & quid ſignificet, 70
Amymonæ, 63
Ancillarum ſeruuli pauibundis trepidationibus imitati, 95
Angere ſe ſupputandis miſerorum è ſanguine nominibus, 53
Anguium infinita, atque innumerabilia genera, 38
Anguibus circumplicari, mos in ſacris Bacchi, 74. & ibid. 2.
Anguis validiſſimi corporis, & prolixitatis immenſæ, 107
Animæ ventorum, 2
Animam habere quicquid creſcit, 3. 1
Animarum è cœleſtibus in corpora tranſmigrationes docuerunt Pythagoras, Plato & Origenes, 8. 2
Animæ efflatæ, 13
Anima res eſt pretioſa, 15
Animas immortales puniri & doloris ſenſu poſt mortem affici, exiſtimauit Plato. 24. Animæ mediæ qualitatis. ibid.
Animas Deo dignitatis gradu proximas arbitrati nonnulli. 25. ex vno fonte defluunt. ibid.
Animas genus habere diuinum & immortale, an ſit condignum, 26
Anima ex crateribus viuis affluens. 28

De Animæ præſtantia Autoris opinio, 28
Animas ad hominum corpora diſciplinis cum omnibus aduolare, an capiat fidem, vel res ſit fruſtrabili expectatione præſumpta, 27.28.29
Animæ immortalitati crimina imputata, 29
Animæ nullius participes finis, 29.2
De Animarum qualitate actamen, 30. & ibid. 1
Animarum quæ ſit origo, & de ea variæ opiniones, 31. ibid. 1. & 2. & 37. 2.
De Animarum origine ex variis Ethnicorum ſententiis, quæ ſequantur abſurda, 32. quid ſenſerit Arnobius, ibid. *& ſequent.*
Animæ hominum mediæ qualitatis, 36
Animas ſeruare ſolus Deus poteſt, 39
Animæ à quo poſſint vim vitæ, atque incolumitatis accipere, 40
Animam cœli ducere, 98
Animalia inanimalia, 9.2
Animalia minuta an non creauerit Deus, 34
In Animalibus rationis & ſapientiæ ſimulacra, 26
Animalis bruti cum homine comparatio, 94
Ex Animalibus immolatiniis quanta oriatur fœditas, & quàm ingratus putor, 97. cur non immolentur alia & alia ſine diſcrimine, ibid.
Animalium ironica inter deos diuiſio, 99
Animantium vilium ſanctitates, 8
Animantium mutorũ formæ diuinis inſertæ cauſis, 40
Ab Animantibus mutis vias rationis accipere, 89
Animata inanimata, 9.2
Animus cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus, 22
Animi improborum ire in pecudes atque alias belluas poſt mortem crediti, 25
Animi decora Deo abſcribere verentur Chriſtiani, 49
Annona apud Gentiles nulla vilior, quàm deorum, 46. 1.
Annonaria caritas, 5
Annus quid ſit, 51
Annos permetiri, 27
Anſeribus in Capitoliis cur alimoniam & victum præbebant, 90
Anthropomorphitarum dogma. 48
Antiatis liber, 68. & ibid. 1
Anticipationis attactus, 20
Antiochus Cyzicenus ſacrilegij reus, 90. & ibid. 1
Antiquitas mater errorum pleniſſima, 16
Anubis canina cum facie, 91. & ibid. 2. 92. 1. & 2
Apexabo quid ſit, 110. 1
Apexanes, 100
Apis Peloponneſi proditus, 10
Apollo cognominatus Delius, Clarius, Didymæus, Phileſius, Pythius, 7.8.43
Apollines quatuor, 61
Apollo à Pyratis ſpoliatus & incenſus, 90
Appetitio, 27
Appetitionis ſuæ initamenta complere, 71
Aquarum concretio, 22
Aqua naturâ res labilis & ad fluorem ſemper decurſionemque prona, 38
Aquili, 48
Aquilius acerbiſſimæ mortis expertus formam, 11
Ara Iouis terrifici, 9.2
Arabia, 23
Arbores veternoſæ, quare & quo modo colebantur, 11. 1
Arbuſta & herbæ cur diis non immolentur, quædam vt animalia, 57
Archeſilas Philoſophus, 22
Argiphontes, 91
Arioli vnde ſic dicti, 6. 2. & 7. 1
Ariſtoteles adulatus Alexandro, 4. 1. Peripaticorum pater, 22
Ariſtotelis de Minerua opinio. 52
Armenius Zoſtriatri nepos, 15
Arnobius. *Vide* Anima. Creatio. Homo, *& alibi paſſim*, eius de origine mali ſententia, 37. & ibid. 1
Arnobius quo tempore vixerit, 42. 2
Arquata ſellula, 27
Arſiuoæ, 63
Artium ſecretarum ritus, 24
Artes vnde prodiere, 26
Artes an ſint in cœlo, 50
Artes ad paupertatis ſubſidium comparatæ, 104
Articulis ſedere colligatis, 34
Aruina in exiguas miculas catillaminum inſecta, 100
Aſcanius Æneæ filius, 42
Aſia, 23
Aſſyrios inter & Bactrianos pugnæ, 3
Athenæ etiam in deos contumelioſæ. 76
Athei apud Ethnicos habiti Chriſtiani, 8
In Atheos, 39. & ibid. 1
Atheus an ſit, qui Deos eſſe aut omninò neget aut dubitet, 78. & ibid. 1
Atlas geſtator, baculus, tibicen, ac deſtina cœli, 41
Atlantea progenies, 50
Atteæani, 103
Attis Phryx, deus propitius & ſanctus conclamatus, 11. & 12
Attis, eiuſque reſurrectio, 70
Auctor bonus quis dicendus, 23
Audax an differat à temerario, 34. 2
Auerruncare, 9
Auiditatis hiatum comprimere, 18
Augmina, 100
Auocamenta credulis infantibus quæritantes anus longæuæ, 73
Auræ ſuſpicionis, 26
Auræ per anhelitum reciprocatæ, 25
Aurium laminas pertundere, 31
Aures curuis perterebratæ anofractibus, 48
Aures flexuoſis tramitibus perforatæ, 49
Aurigarum in circo Rom. certamen, 105. 1
Aurum in os Manilij infuſum, 11. 2
Auſpicare ex acuminibus, 41
Autumnitas fundi, 6. 43
Auxilium poſcere aliquem, *pro* ab aliquo, 32
Auxiliator bonus ſpontanea ſemper opitulatione ſubuenit, 108
Axonaces Magus, 15. 1

B

BAbecali adoleſcentes, 61
Bacchanalia immania, 74
Bacchari quid ſignificet, 1. & ibid. 1
Bacchari per inanium rerum figmenta, 81
Bacculæ olearum, 2. 27
Bacis vates, 18. & ibid. 2
Bactrianos inter & Aſſyrios pugnæ, 3
Baculum Æſculapij, 91
Babulus Magus, 15
Bajuli pro nuntiis ſeu tabellariis, 19. 2
Balare, 54. & ibid. 2
Balauſtiis onerati rami, 72. & ibid. 1
Bandigo, 88
Barbæ euulſio cum ſummo coniuncta dedecore, 90. 2
Barbati magiſtri, ibid. 1
Baſilides quid ſenſerit de Reſurrectione carnis, 24. 1
Batiaca, 27
Bambo Cereris ſoſpita, 76. 78. 79
Beatitudinis inoffenſæ integritas, 83. & ibid. 1
Belbæ, 97
Belli effectuum deſcriptio, 51
Bellonæ duæ, 7 51
Belus Iouis agnomen, 15. 1. quid per Belum intelligebant Babylonij, ibid. & 2

Beneficia per diuina currere, 39
Benignitatem ſuam nulli negare, Dei veri proprium, 14.
Beſtiarum laniatibus diſſipari, 33
Bidental, 41. 2
Bilingues, 32. 1
Bocores Mauri, 10
Bolonæ, 32
Bona, dea, 10
Botulus, 33
Bouis ad Iouem apoſtrophe. 94
Bouis cauda eſt plaſea, ſiligine & ſanguine delibuta. 100.
Briæ, 101. & ibid. 1
Brimo, 71
Bromius, 62. & ibid. 1
Brunda pro Brunduſium, 23. 2
Bubones, 38. & ibid. 1
Buculis templa erecta, 8
Bucculas i..flandis diſtendere tibijs, 51
Buris, 27
Buſticetum pro rogo funebri, 41

C

Caduceatores, 76
Caducitor ille Cyllenius, 53. & ibid. 1
Cæcitas voluntaria, 87
Cælibaris haſta, 41
Cœlum, cœlus, 17
Cærimoniæ ſacrorum Ethnicorum, 99. 100
Cæſellius Grammaticus, 17
Cæſtus Iunonius, 91. & ibid. 1
Calamitates Chriſtianis imputatæ, 1
Calamitates humanæ, 94
Calantica, vel Calantice, quid ſit, 27. & ibid. 2
Calculus animalis, 9. 2
Caldor ignis, 27
Calumniari propriè quid ſignificet, 5. 1
Camini ex qua olim conſtructi materia, 57
Canacheni, 91
Canaria inſula, 84
Canis ſæuus, 14
Candelaber, Candelabrum, 17
Canis ore de patulo linguā ſitis auiditate proijciens, 86
Canes in Capitoliis paſti, 90
Cantharus potorius pendens in Liberi dextera, 91
Cantherios decuttare, 72
Cantiones obſcœnas compingere, 103
Caper Libero ſolitus immolari, 98
Capillus cæpicius, 68
Capitolia immania, 9
Capitolium vnde ſic dictum, 85
Capitolium non ſemel fulminibus corruens, 90. & ibid. 2.
Capitones, 48
Caput geſtare tereti rotunditate collectum, 48
Capitibus humanis Dis placatus, 41 1
Caprotina, 52
Cardea cardinum dea, 58. 1
Carmen malum conſcribere, 66. & ibid. 2
Carneades Philoſophus, 22
In Carunculæ folliculo conſtitutus, 44
Caſſus, 21. 23
Caſtores Tyndaridæ, 10
Caſtorum tria genera, 60
Catamitus rapitur diis delicium futurus, 64
Catillamenta, 33. & ibid. 1
Catillamina, 100
Catumeum, 100
Cecrops terræ mandatus Athenis in Mineruio, 84. 85
Celei natæ vbi ſepulta, 85
Cellulæ quid olim in templis deorum, 84. & ibid. 1
Centipeda, 55
Ceparum acrimonias intermiſcere, 97
Ceres in Trinacriæ finibus nata, 10. quare dea dicta, ibid. 1.
Ceres ab Iaccho mammoſa, 47
Ceres ardens in Iaſionem ruſticanum, 64
Ceres, Iouis mater à Phrygiæ incolis credita, 74
Ceres filiam perditam toto in orbe conquirens, 76. & ibid. 1. inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur, ibid. 80
Ceres pro tellure vſurpata, 79. & ibid. 1
Ceres pro pane, 82
Cerotum, 86
Certum à dubio an poſſit ſumi, 79
Cetuæ pro Iphigeniis dictæ ab Ethnicis, 79
Ceruices ſupercilio elatæ, 11
Ceruicibus alienis ferri, 13
Ceruicum neceſſariæ flexiones, 48
Ceſſatio inobœda, 106
Chalcidica, 47. & ibid. 1
Chriſtianis imputata orbis pernicies, 1. 4. & ibid. 2
Chriſtiani quid ſint propriè, & quomodo erga Deum ſe gerant, 7
Chriſtiani ab Ethnicis hebetes, fatui, ſtolidi, bruti & obtuſi habiti, 7
A Chriſtianis ſummus Imperator quotidianis precibus ſupplicatur, 7
Chriſtiani apud Ethnicos gens hominum ſuperſtitionis nouæ & maleficæ, 8. 1
Chriſtiani Religionis impiæ apund Ethnicos rei, infauſti & athei. 8
Chriſtianis ſolis inimici ſunt dij & hoſtes aſperrimi, 8. & 9.
Chriſtianos humanarum calamitatum reos non eſſe, probatur, 9
Chriſtianorum veterum in orationibus mos vulgatus, 9
Chriſtianorum olim numerus immenſus, 16. 1. ſermo fuci expers, ibid. 2
Chriſtiani vt nimis in Deum creduli ridentur ab Ethnicis, 12. 21. Chriſto credunt & acquieſcunt, 25
Chriſtianos Reſurrectionem aſſerentes, ſannis & cachinnis excipiebant Ethnici, 24. 1
Chriſtiani nec moribus nec opinionibus diſcrepant, 25
Chriſtianorum veterum admiranda & laudabilis abſtinentia, 32. 2
Chriſtianis omni ſaltatione interdictum, 33. 2
Chriſtianorum religio dicta ab Ethnicis nouella, 40
Chriſtianorum perſecutionis aſperitas, illorum eſt liberatio, non perſecutio, 44
Chriſtiana Religio ſuis contenta, viribus veritatis propriæ fundaminibus nititur, 45
Chriſtiani rudes ab Ethnicis habiti, 49. & ibid 1
Chriſtianorum conuenticula, 67. & ibid. 1
Chriſtianis nihil eſt cur perhibeantur iraſci dij cœlites, 78
Chriſtianis quod nec templa nec aras extruerent, nec ſacra facerent, exprobrant Ethnici, 83. & ibid. 1
Chriſtiani ab Ethnicis appellati Athei, 92
Chriſtianos verum dicere, Ethnici non ignari, 102
Chriſtiani quid de diis ſenſerint ſecus ac Ethnici, 104
à Chriſto beneficium jamdudum habet orbis ingratus, 5
Chriſtum quod adorent Chriſtiani, queruntur Ethnici, 9. & 10
Chriſtus dignus Deus dici & Deus ſentiri, 10. 12
Chriſtus interiorum potentiarum Deus, 12
à Chriſto patrata miracula 12. & 13
Chriſtus fata ſoluit & vicit, 13
In Chriſto nihil fraudis delituit, 15
Chriſtus cur forma eſt in hominis viſus, & more interemptus humano, 17. 18
Chriſtum veniſſe mors illius demonſtrat, 18. 2
Chriſto quot nominibus gratulari & applaudere de-

buerint mortales, 19
Chriſtum cur inſectabantur Ethnici, 20
à Chriſto ſperant Chriſtiani & mortem cruciabilem ſugere, & vitæ æternitate donari, 51
Chriſtus in hoc miſſus, vt infœlices animas ab interitionis exitio liberaret, 39
Chriſtus Pontifex, & quod eius Pontificium, 40. & ibid. 1.
Chriſtus cœli ex arcibus ſoſpitator miſſus, 45
Chriſto templum exædificare cogitant Alexander Seuerus & Adrianus Imperatores, 83. 1
Chryſippus Philoſophus, 22
Chryſippus deorum amaſius, 64
Chryſis Iunonis ſacerdos, 90
Cibos ex animalibus carpere, docuit infœlix neceſſitas & malus vſus, 93
Cicero. *Vide* Tullius, 46. & ibid. 2
Ciceroniani ſinus, 17. 1
Cimices, 34
Cimilam ſuperſpergere bibulam, 97
Cinis caldus, 27
Cinnus, potionis genus, 76
Cinxia cingulorum replicationis dea, 51
Cinyras Rex Veneris abſtruſorum ſacrorum conditor, 74
Circenſibus in ludis, mos ſeruum peſſimè meritum virgis cædere, & ſuſpendio necare, 105
ex Circulis mundanis ſequuntur cauſæ, 25
Circumjectio, 33
Circumſcriptionis neceſſitate ad rei aſſenſum traduci, 17.
Circumſcriptores, 24
Clauigatio, 41
Clauius. *Vide* Apollo.
Clauis dentata, quâ inſignitus eſt Ianus, 91
Clutinum pecus, 49. & ibid. 2
Coagmentum, 48
Coaëleſcere veritati Chriſtianæ, 23
Coalitus humani generis, 66
Cocytus fluuius, 24
è Cœli paſtu quicquid ſuſtinetur, ſi recurſum habitûs abſtuleris, oblidi eius neceſſe eſt animam, 101
Cœnarum ditium & locupletium ſaginæ, 100
Coërcitione cruciabili punire, 90
Coïmbibere, *pro* conſpirare, 78
Coïre in aſſenſum credulitatis, 21
Coliginis penetralia, 41
Color purpurei luminis affectione ſubluteus, 72
Colores diis grati, 98
Coluber aureus in ſinum demiſſus, 75
Coluber magni augminis, 10
Commeatibus crebris reſpirare, 25
Commetari, *pro* commentari, 37. 2
Commixtio quadrinis copulata de frugibus, 100
Comparationis gradus mutati, 6. 2
Compendium *pro* vtilitate, 39. 40
Complexiones mutuæ, 47
Complices dij, 55
ab Comptu & permixtione abſoluti, 67. & ibid. 2
Conciliis intereſſe mortalium, 18
Concilia corporalia, 25
Conditi ſapientiæ & intelligentiæ vi mera, 21. & ibid. 2.
Conditionem dare potentioribus, 4
Conducere, *pro* corradere, 64
Conficere, *pro* conijcere, 44. 2
Conjugationes corporum, 25
Conjunctio inoffenſa, 16
Conſcriptores & conſcriptiones, 16
Conſentes dij, 55. & ibid. 1
Conſerenteis dii, eorumque turpitudo, 74
Conſerere ſimultates, 18
Conſeruatoris famam aſſumere, 108. & ibid. 1
Conſortia conjugalia copulare, 52
Conſortia initij naturalis, 93
Conſpolium, 100
Conſuetudo familiaris è more in naturam verſa, 27
ex Conſuetudinis vſu quod factum eſt, rationis alicuius cauſam aliquam continet, 99
Conſus Deus, 51
Contagio *pro* contactus, 22
Contemplatio quibus obſcurari ſoleat & obtegi, 1
Contentio perſonarum quomodo pendenda, 23
Continentias terrarum metiri, 26
Contradicere rebus ſtultis, majoris ſtultitiæ eſt, 9
Contradictiones ambiguæ, 107
Contrarium contrario an poſſit eſſe iniquum, 35
Contrariis egere, caduci generis eſt & infirmitatis humanæ, 83
Contritare, 42
Contumelias irrogare, 20
Contumelia Gentilium in deos, 50
Contumelia inexpiabilis diis facta, 84. & ibid. 1
Contumeliam judicat Arnobius, cùm honorari ab homine Deus dicitur, 96
Conuenire gignendis liberis, quid ſit, 94. & ibid. 2
Conuerſiones animorum, 21
Conuerſiones pectoris ſuſpenſas ad Deum traducere, 39.
Conuerſionem in allegoricam an poſſit duci omne quod geſtum eſt, 80
ſub Conuexione cœli verſari, 4
Conuexionibus gentes dimotæ, 26
Copulare diſſimilia, 9
Cornicula captiua, 74
Coronis affecti dij, 102. & ibid. 2. 103. 1
Corpus carceri comparatum, 44
Corpora cur diuerſi ſexus, 47
Corrumpi non poteſt quod eſt immortale, 29
Corybantia ſacra, 74
Coſtarum crates, 48
in Cotis duritie informatus atque animatus infans, 71
ex Crateribus viuis anima affluens, 28
de Creatione hominis quid ſenſerit Arnobius, 34. 1
Credere indoctis procliuius quàm doctis, & quare, 16. & 17.
Credulitatis aſſenſum commodare, 16
Credulitatis neceſſitas, 23
Crimina *pro* accuſationibus, 45. & ibid. 1
Crimina diis attributa, 65. 66. Criminum humanorum enumeratio, 44
in Criminatione ponere, 7
Crocum, *vel* crocus, 17
Cronius, 23
Crucis ſupplicio nullum olim tetrius, abjectius, deteſtabilius, 8. 1
Cruces terminantium membrorum, 14
Cruorem ſuum potiùs fundere, quàm alieno manus polluere, 3
Cruſtulæ plumeæ, 38. & ibid. 1
Cubula, 100
Cubus, 28. & ibid. 1
Cujus, cuja, cujum, 8
ad Culpas facilè itur, cùm eſt venalis ignoſcentium gratia, 94
Cultio, 78
Cultus verus in quo ſitus, 65
Cuminum, 38
Cupæ, 27
Cupidinum pinnatorum trigæ, 60
Cupidinum mater ſpecioſa, 51
in Cupiditatis infandæ matrem ſpem capere, 71. & ibid. 1.
Cupiditatis compreſſio per quid apud Ethnicos ſignificata, 82
Curculio, 34

Curetum beneficio ab interitu Iupiter ſeruatus, 63
Curioſitas humana, an poſſit certum quid tenere, 37
Cybiarij, 32
Cyceo, 75. 77. & ibid. 1. 79
Cyniras Rex Paphi, vbi ſepultus, 85
Cynocephalus idem quod Anubis, 91. 2
apud Cyprios ſimulacrum Veneris ſanctitatis & religionis antiquæ, 90
Cythereia Venus, 63

D

an in DÆmones cadant affectus humani, 6. 2
Dæmones ab improbis elato nomine venerabili expulſi, 13. 2
Dæmonum quæ ſit cura, & quod ſtudium, 16
Dæmones ſingulis hominibus in hanc lucem prodeuntibus, quaſi cuſtodes & totius vitæ moderatores dari, Ethnicorum opinio, 24. 2
Dæmones antè Chriſtum ignoti, 25
Damas vbi ſepultus, 85
Damigero Magus, 15
Daphnæ, 63
Dardanus Magus, 25
Dardanus alter, 43
Dator vbi venalis & mercenarius eſt, ibi neceſſe eſt gratiam pro magnitudine muneris tribui, 96
Decemviralibus ſcitis euadere, 66
Dedecora diis à Gentilibus attributa, 49
Defanatus, 67
Deflare, 13
Deforma, idem quod calida, 34. 1
Dehoneſtamenta vitiorum, 25
Delius. *Vide* Apollo.
Delubris an Deus honoretur, 83. & ibid. 2
Democritus Philoſophus, 22
Demogorgon Magus, 15. 1
Denſitas Philoſophica, & cur ſic dicta, 90. & ib. 1
Denuntiatio propriè quid ſit, 69 & ibid. 1
Depudere, 71. & ibid. 2
Deſperatio temeraria, quid ſit, 16. 1
Deſtina cœli, 41. & ibid. 2
Deſultores, 32
Deucalion ex iactatis lapidibus homines effingens, 69. 70.
Deus ſummitatem omnium ſummorum obtinens, 7.
Dei nutu & arbitrio omne quod eſt conſtat & in ſententiæ ſuæ perpetuitate defixum eſt, 7
Deo quid debeamus, 8
Deo cur gratiæ ſemper agendæ, 8. & 9
Deus ſine alia adiectione Sol non ratò vocatus à Græcis, 8. 2
Deus vt intelligatur, tacendum eſt, 9
Deus an ſit dubitare, furioſæ eſt inſaniæ, 9. Deum eſſe quàm multa probant, ibid.
Deus fons rerum, ſator ſæculorum ac temporum, 9.
Dei veri quidnam ſit proprium, 14
Dei poteſtas in tranſcribenda in Apoſtolos miraculorum patrandorum poteſtate, 14. 15
Deus eſt cognitus, & quid inde, 15
Deus quicquid potuit, non præſtitit, 16 2
Dei cognitio fermentum vitæ, ac rei diſſociabilis glutinum, 30
Dei laudes, 34. Dei opera, quàm ſint perfecta, ibid.
Deus nulli infert neceſſitatem, 40
Dei mentem videre non eſt promptum cuiquam, 43
in Deo colitur omne quod colendum eſt, 45
Dei forma nulla eſt, aut ſi eſt, neſcitur, 49
de Dei natura quis ſit certus hominis intellectus, 49. & 50.
Dei vnitas conſtituta, 53
Deus ab altero Deo, in eo quod Deus eſt, vlla in re an differat, 92
Deus nullius eſt corporis, omnique incontiguus tactu, 93
Dij belluis & feris comparati, 5. an poſſint iraſci, 6. an ſint Chriſtianis inimici, ibid.
Dij minorum gentium, 6. 2
Dij natiui & à Principe rerum fonte ortus ſui originem ducentes, 8
Dij Syri, ouorum progenies, 10. & ibid. 2
Deorum Gentilium ridenda & futilis inanitas deſcripta, 10
Dij in incudibus & ex malleis fabricati, 11
Deos inter & Diuos differentia, 18. 2
Dij minores, 20
Dij ex Platone natura corruptibiles, 31
de Dijs variæ ſententiæ, 37
Deorum origo, 41. & ſeq.
De Deorum plurium falſitate notanda diſſertatio, 46. eorum diuerſa genera, 47. 1
Deorum ſpecies & forma, 48
Dij fullones & tonſores, 49
Dij variarum artium & ſcientiarum ſectatores, 50
Deorum numerus variis nominibus immunitus. 52. 53
Deorum ignotorum cateruæ, 56. & ibid. 2
Dij Læui, 57. & ibid. 1
in Deorum declinationibus pluratiui numeri, 59
de Dijs figmenta ridicula, 62
Deorum amores, 63
Dij mercenariam ſeruitutem ſeruientes, 63
à Dijs Mares etiam adamati, 64
Dij ab Ethnicis ignominioſè tractati, 65
Dijs voluptates attributæ, 65. 66
Dij ſoli apud Ethnicos inhonorati, 66
Dij ſitis ariditate ſiccati, 68
De Dijs abſurda quædam, 68. 69. 70
apud Deos incerta ſunt nulla, 71
Dij indignis occupati negotijs, 72
de Dijs quid expromant Ethnici, 73
Dij quantas ignominias ferant ex ipſis myſteriorum ſacris, & ex ſacrorum originibus indecoris, 75
Deorum pater bubulis cohoneſtatus cornibus, 75
Dijs ſimiles an familiares ſuos voluiſſent Ethnici, 78
Dijs probra attributa allegoricis explicanda ſenſibus, ex mente Ethnicorum, 78. 79
Deorum contumelia in quo ſita ſit, 79
Dij non tantùm, ſed & eorum nomina debent eſſe reuerenda, 82
Deorum ſimulacra, 83. & ibid. 1
De Dijs quid ſenſerint Chriſtiani, 85
Deorum quid ſit proprium, 84
Deorum quàm abſurdæ imagines, 86. 87
Dij an in aliquam neceſſitatem imminuta Majeſtate cogantur, 89
Dij ſub clauſtris & repagulis incluſi, ibid.
Dij an poſſint eſſe ipſi iidem & alij, 89
Deos ſedibus propriis habitacula inire terrena, an ſit credibile, ibid.
Deæ Veneres ingeniis placidioribus præditæ, 90
Dijs cur venerabiles formæ auro & argẽto quæ ſit. 91
Dij feris comparati, 93
Deorum proprium eſt, liberales venias, & conceſſiones habere gratuitas, 94
Dijs quæ accedat eminentia ex confectionibus ſacrorum, 96
de Dijs quæ ſit opinio digna, recta, & honeſta, nec turpitudinis alicuius deformitate culpabilis, ibid.
Dij cur non omnibus omnes hoſtiis, ſed quibuſdam quidam ſacrorum mulceantur legibus, 98
Dij ex mente Ethnicorum alij boni, alij mali, 99
Deorum ſententiæ diſpares, ſubſtantiæ æquè non vnæ, 101
Dijs lex in ſacrificijs impoſita, 102
Deorum ex Ludis theatralibus ira mitigata, 103
de Dijs quod ſenſerunt Ethnici vnde ortum, 103
quid ſenſerint Chriſtiani, 104
Dij an ſint qui ſæuiunt offenſi, 105

Deorum in exteras regiones acceſſione, peſtis ſedata, 105.
Dextram protendere, idem quod manum dare, 11. 1
Diabolus cur dictus crudeliter ſæuus, 25. 1
Diagoras quare Atheus dictus, 9. 1
Dialis Flamen, 15. 66
Diana, 8
Dianæ tres, 60
Diana Epheſi in cineres ſoluta, 90
Diana ſemitectis femoribus, 91
Dieis cauſa, 49
Didymæus. *Vide* Apollo.
Dies cùm venerit, *pro* poſt mortem, 11
Dieſpiter, 41. & ibid. 1
Dieſpiter ex Ope matre & ex genitore Saturno natus, 61. 69
Dieſpiter in Cererem libidinibus improbis atque inconceſſis voluptatibus æſtuans, 74
Differitas, *pro* differentia, 25
Differitas ambiguorum ſimpliciterque dictorum, 80
Dijugatio, 24
Dilatare ambitioſo præconio, 16
Diluuij vera cauſa apud veteres Eccleſiæ Patres, 4. 2
Diomedis campi Romanis cadaueribus aggerati, 57
Dione, 41
Dioneia venus proles, viri mater familias Troici, 10
Dionyſio tyranno adulatus Plato, 4. 1
Dionyſius Iunior tyrannus, 90. Dionyſij quinque, 60
Dioſcuri, 62
Dis quibus ſacrificiis apud Romanos olim colebatur, 41. & ibid. 1.
Dis pater ab Hercule ſauciatus, 65
Diſcere *pro* hiſcere, 73. & ibid. 1
Diſcriminum multiplicium formas ſuſtinere, 5
per Diſpendia modum rebus luxuriantibus figere, 4
ex Diſſenſione, nihil ſciri poſſe, monſtratum, 23
Diſſignare, 18
Diſuniri, 52
Diuerticulum, 20
Diuinitatis auguſtæ obſcuritas, 39
Docilitas quorumdam animalium, 28
Dodoneus Iupiter, 7. 90
Dolor vbi eſt, imminutioni & corruptioni locus eſt, 6
Dorſum maris quod ſit, 13. 1
Draconem Taurus genuit, & Taurum Draco, 75. & ibid. 2.
Dubitabile, 25. 26
Dulcedo in amaritudine non continetur, 55
Dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri, 93
Dynanus, 28. & ibid. 1
Dyſantes cuſtos capellarum, 76

E

Ediſſertare, 10. 10
Effutire, 7
Electra, 75
Elementa noſtris vſibus inſeruire poſtulamus, 4
Elementa vitalia, 8
Elementum quintum cauſis principalibus applicatum à Platone Socratico, 22. & ibid. 2
ex Elementis origo naſcendi, 35. 36
ex Elementis an mala ducant originem, 36
Eleuſinij fines, 76. 79. Eleuſinia ſacra, 77. 81
Emere olim *pro* auferre, 15. 1
Endymion Lunæ amaſius, 64
Enterolicus, 104. & ibid. 1
Epicadius Grammaticus, 17
Epicandei, 17. 2
Epicurus Philoſophus, 22
Epicuri de animæ mortalitate vel immortalitate ſententia, 29. 30
Epidaurus auxiliator, 50
Epidaurus Æſculapij filius, 106
Epirus, 23
Epulum Iouis, 103
Equuleis currentibus delectari, 105
Erechtidæ, 77
Erichthonius conditus in fano Poliadis, 84
Eructare Iupiter cupiens, 102
Etruria genitrix & mater ſuperſtitionis, 39. 100
Euaginationes circumſcriptæ, 14
Eubuleus porcorum cuſtos, 76
Euenta naturæ improbis opinionibus homines criminantur, 4. quibus ſunt pendenda rationibus, ib.
Euirati Magnæ deum Matris ſacrificuli, 74. & ibid. 2
Euius ab inferis emergens, 77
Eumolpus gregis Lanitij cuſtos, à quo & gens fluit Eumolpidarum, 76
Eunuchi an fiant languidioris audaciæ, 72
Euripidis Hercules, Tragœdia, 103
in Europa ad mulieris nomen Ioue authore perpetrans, 75. & ibid. 2.
Exambiri, 51
Examina malorum experiri, 22
Examinis & judicij propenſi homo, 24
Excubitores templorum apud Ethnicos, 89. & ibid. 2
Exoleti, 35
Exoleti generis multitudo, 66
Exponere *pro* dimittere, 39
Exterminare patriis ſedibus, 7

F

FAbius pullus Iouis, 64
Fabulæ ignominioſæ, 16
Fabulæ Iudaicæ & Sadducæi generis, 48
Fabrum cædere cùm ferias fullonem, quid ſignificet, 56
Facilitas ſtolida, *vel* ſolida, 23. & ibid. 2
Fæx materiæ, 4
Falſitates ſcriptis inditæ, 16
Falx meſſoria Saturno attributa, 91
Farciminum genera hirquino alia ſanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus, 100
Farre peragi ſacrificiorum ſolemnium munia, mos olim fuit, 101
Faſcinorum virilium ſimulacris territoria cuncta floreſcunt, 77. 80
Faſtidium immoderatione partum, 105
Fatua dea, 7
Fatorum conſtituta exuperare, 13
Fati ratio inexplicabilis, clauſis patefacienda myſteriis, 18
Fatis potentioribus prohibitus Iupiter, 73
Fatorum leges quàm inuiolabiles, 94
Fatales libri, 107
Fax immunda, auerſabili corpora fœditate deonerans, 107.
Fauna fatua, Fauni vxor, 10. 74
Fauni dij, 7
Faunus à Numa deluſus, 68
Februris, 52
Fecialia jura, 41
Felibus templa erecta, 8
Fellitantes mammas exugere, 32
Fendicæ, 100
Feriari quid ſit, 5. 1
Feritatis affectibus neſcius commoueri, 33
Feſcennina carmina, quid, & vnde ſic dicta, 62. & ibid. 1.
Feſſoria dea, 57. 1
Feſta quædam deorum ironicè expreſſa, 103
Fide nihil non ſuſcipitur, 22
Fidem rebus abindicare, 28
Filum, filus, 17
Fitilla pultis genus, 100. & ibid. 4

Flagellis in quæſtionibus vſi veteres antiquiſſimis temporibus, 72
Flamina venitorum, 8
Flatare calamo, 32
Flora ſcortum propudioſum apud Romanos, 8. 1
Flora ſancta obſcœnitate ludorum, 51
Flora ſacra, 103. & ibid. 1. & 2
Florales deorum dies, 103
Floribus ornati dij, 102. & ibid. 2. 103. 1
Fluctuare criſpatis clunibus, 103
Flumina flammis torrentia, & cœnoſis voraginibus tetra, 24
Fluuionia, 52
Fluuius à Perſis cultus vt deus, 86
Fœminas ab negotijs publicis conditio fragilitatis excepit, 106
Fœtor caprinus, 72. & ibid. 2
Fœturæ ſeptimanæ, 47
Folliculus, 44
Fontus, 52
Forculus deus, 58. 1
Forma *in plurali*, idem quod calida, 54. 1
Forma cuiuſque generis in ſua cogitat integritate perſtare, 35
Formamenta, 49
Formiculæ conuerſio, in quam Iupiter vaſtitatis ſuæ liniamenta contraxit, 82
Formida, idem quod calida, 54. 1
Fornix Lucilianus, 21
Fortes qui ſint apud Stoïcos, 52. 1
Fortuna, 40
Fortuna in templis habet jus ſuum, 91
Fortuna cum cornu frugibus autumnalibus pleno, 91
Forum decet pompa ſermonis, non veritatem, 17
Forum litibus terere, 35
Fragilitati quod ſubjectum eſt, neceſſe eſt eſſe mortale, 93
Fratres quot modis dicti in ſacris literis, 67. 2
Frater trucidatus à fratribus, 74
Fraus callidula, 41
Femor verborum, 15
Fremores hominum terribilium, 69
Fretum, fretus, 17
Frontes Limbis imminuere, 33
Frontones, 48
Fruges à locuſtis & muribus adroſæ atque acciſæ, 3
Fruges imperatas extollere, 32
Frugiferi nomine nuncupari, 86
Frumen, 100
Fruſtilla ignea, *pro* ſtellis, 38
Fruſtrabilis expectatio, 27
Fucus à veritate eſt alienus, 17
Fucos conficiendis quærere corporibus, 33
Fulgurita, 68
Fuligine oculos obumbrare, 33 & ibid. 1
Fulmen vibratum, apud veteres oſtentum non leue, 41. 2.
Funambuli, 32
Functio ineuitabilis, 28
Functio hominis *pro* morte, 39
Furculæ Caudinæ, 57
Furor Acdeſtius, 73
Fuſcinæ dijs datæ, 87
Futurorum quæ ſit conditio, 21

G

GAlatæ, 23
G ſub Galea militari puellula deliteſcens, 91
Ganymedes rapti, atque in libidinum magiſteria ſubſtituti, 82. & ibid. 2
Garamantæ furui, 84
Garo gerrem addere, 82
Gaudia furialia, 90
de Generatione hominum variæ ac diſcrepantes affaniæ, 36. 1
de Generibus Maſculinis & Fœmininis nominum, 17
è Generum diſtinctione in ſignificatu eſſe corpora neceſſe eſt, 47
Generum nulla in dijs differentia, 98
Genethliaca ratio, 41
Genij ciuitatum, 7
Genij hominum cuſtodes crediti, 24. 2
Geniturıs ſpirantibus addita prodigia, 4
Gentes quomodo ad fidem conuerſæ, 16
Gentilitates deorum innumeræ, 45. 46
Genu nixo procumbere, 8
Germanitatis conſolidæ neceſſitudine copulari, 67. & ibid. 1.
Geſtire in libidinum furias, 47
Getuli, 5
Gingritus anſerum, 90
Glabritates, 48
Glandes inuentis frugibus ſpretæ, 40
à Gliribus quomodo ſontes cruciati, 54. 1
Glutinum commixtum gypſo, 87
Gnidia Venus & vnde ſic dicta, 90
Grammaticorum præcipuæ partes, 17. 1
Grallatores, 32
Grandinem quid torqueat, 38
Gratiæ ſemper Deo agendæ, 8
Gratilla, 100
Gratuita odia, 16
Grundules Lares, 7
Gurguliones, 48
in Gurgulionibus prima capita, 100

H

HAbere difficultati aut labori, 18
Habitare in materia, 11
Halare *pro* mentiri, 54 & ibid. 2
Halitus reciprocos quicquid auris commeabilibus ducit, mortale eſt, 101
Hammon cum cornibus, 86. & ibid. 1
Hannibal Pœnus, 43. & ibid. 1
Haſta pro Marte culta olim à Romanis, 86
Hecata, 42
Helena diis ducibus atque impulſoribus rapta, 5
Helenus vates, 18
Hennæ nemus, 79
Heraclitus Philoſophus, 22
Hercules, 8. duplex: Thebanus aut Tyrius, 10. quare Deus dictus, ibid.
Hercules magnus ſacrificiis & hoſtiis inuitatus, 11
Hercules ſex, 60
Hercules Sardibus ſeruiens amoris & petulantiæ cauſa, 65
Hercules cruciatum refert illati vulneris & doloris ab Hippocoontis liberis, 63. & ibid. 2
Hercules peſtiferi tegminis circumretitus indagine, 66
Hermes Athenienſes ad Alcibiadei corporis ſimilitudinem fabricari, 87
Hermippus Magus, 15
Heroica tempora, 100
Heroes an gigantes, 43
Heſperidum virginum mala aurea, 74
Hiatibus vrbes interceptæ, 3
Hierophantæ, 76
Hiræ, 100
Hirciæ, 100
Hippothoæ, 63
Hiſcere animalia ſi potis eſſent, 9
Homines brutum genus, 7. 1
Hominum quæ ſit infirmitas & fragilitas, 11
Homini ipſo ſe nihil poteſt carius inueniri, 15
Hominis, aliquarumque eius proprietatum ampla deſcriptio & dinumeratio, 22

Homines, animæ corporibus clauſæ, 24
Homo in interiorem & exteriorem diſtinctus, 24. 2
Hominum quales deberent eſſe mores, 25
Hominem inter & belluam quid maximè intereſt, 25.2
Hominem quo proueheret ſui notitia, 26
Homo cuius ſit pretij, 26
Hominis vilitas, 28. 29
abſque Homine imperfecta & clauda eſt hæc vniuerſitatis ſumma, 31
Hominis ſtudia commoditatem ſpectant priuatam, nec à finibus propriæ vtilitatis abſcedit, 32
Homines nihil aliud ſunt quàm animæ corporibus alligatæ, 34. Hominum vitia, ibid. *Vide* Creatio.
Homo ad miſeriam an ſit natus, 34
de Hominis creatione quid ſenſerit Arnobius, 35. alijque complures, ibid. & ſeq.
Hominis fictionem à Deo maximo cur remouerit Plato, & ad minores quoſdam deos tranſtulerit, 36
Homo animal cæcum, & ipſum ſe neſciens, 43
in Homine quid decorum. 49
Homines ſemiferi, vel potiùs feri in animalium mactatione ad cibum, 93
Homines naturalis infirmitas docet gaudere de faſtibus, 96
Hominis cæci animalis inuenta, 99
Honeſtamenta, 55
Honeſtus *pro* locuplete, & oppoſitus egeno, 95. & ibid. 2.
Hoſtanes inſignis nebulo & magiâ infamis, 15. 1
Hoſtia animalis, 9. 1
Hoſtiarum animas deos deuorare, 93
Hoſtias dijs fœminis fœminas, mares maribus immolare, abſtruſa & interior ratio eſt, 98
Humanitatis jus depoſitum, 93. & ibid. 2
Humanum genus quomodo æſtimari conueniat & ponderari, 35
Humilitate adulatoria captare, 32
Hyacinthus à diis adamatus, 64
Hylas deorum amaſius, 64
ex Hyperione matre Sol aureus & flagrantiſſimus natus, 62
Hyperocha vbi ſepulta, 85
Hypſipilæ, 63

I

IA Acdeſtis ſponſa, 73. 1
Ianus Ianiculi conditor, 10
Ianus pater propriè quis ſit, 52
Icarij quem olim Deum coluerint, 86. & ibid. 1
Ignium conuerſiones, 22
Ignorantiæ homini connaturalis & natiuæ, ampla & eximia probatio, 26, 27. & 28
Ignorati Deum, nihil eſt mirum, 9
Ignorationis cæcitas, 43
Ignorationis in nubibus incedere, 94
Imbres ſaxei, 2
Imber Iouis nomine ſignificatus, 79
Immane quare dicatur Capitolium, 9. 2
Immobilitates ingenitæ, 13
de Immortalitate animæ quid ſenſerint Plato & Ethnici, 24
Immortalitatis quæ ſint conditiones, 28
Immortalitatis conditione mactatus, 29
Immuſſuli, 38. & ibid. 1
Impertire muneribus, 18
Impropè, *pro* impudentiſſimè, 5. 1
Impudentiæ cæcitatem veniali conceſſione donare, 106.
Inæquabilitas, 36
Inalbeſcere, 5. 6
Inanitas turgidorum corporum, 48
Inardeſcere, 7. 1
Incentiuum laudis, 66. & ibid. 1
Inceſtarum cupiditatum circumagere pellaciam, 64
Inceſtus ipſis etiam animalibus brutis odioſus, 71. & ibid. 1
Incubare humanis cadaueribus vi famis, 32
Indicere letum, 18
Indigitamenta Pompiliana, 43. & ibid. 1
Indignationum aculei, 7
Indignatione mollita flacceſſere, 103
Indiuiduorum concurſiones, 22
Indoleſcere, 18
Indoles infamia ſemper atque ignominioſa fugiens, 29. & ibid. 1.
Induci ſuſpicionum errore, 32
Inemendabilis nequitia, 27
Inenodabilis, 24
Ineptiæ nugis & crudelitatibus mixtæ, 105
Inequitare *pro* inſultare, 24
Inexſaturabili pectoris appetitu in habendi ſtudium ardeſcere, 32
ad Infantiæ incunabula homines poſt ætatem decrepitam quondam exituri, 24
Inferia vina, 60. & ibid. 2
Inferio vino mactus, 112. & ibid. 2
Infirmitatis modus, 11
Inire habitaculum, 89
Initia pro ſacrificiis, 74
Injuriam perpeti, quàm irrogare præſtantius, 5
Injurias irrogare, 20
Injuriam inter & contumeliam differentia, 20. 1
Injurias ſuas an dij vendant, 94
Injurias inter atroces quid potiſſimum numeretur, 97. & ibid. 1. & 2.
Inlutus, 13
Innocens malè interemptus numquam infamis eſt, 11
Innocentiæ penè interiit nomen, 91. & ibid. 2
Innocentia in nefas extraneum producta, 94
Innouatio rerum quæ ſit ex Platone, 4
Innumerabilitas multiplicata, [illegible]
Inobœdus, 108
Inquilini alienis ex regionibus, 4
Inſaniæ ſuſpicionum, 36
Inſanire quid ſignificet, [illegible]. & ibid. 1
Inſoleſcere *pro* luxuriari, 4. 2
Inſomnia quibus modis fiant, 22
Inſtrumenta pro quo ſumantur ab Arnobio, 73. & ibid. 1.
Intercutes veternoſæ, 12. 13
Interdicta formidinum, 21
Integrare vocis ſonitum & verborum articulos, 9
Integrare tenorem virtutum, 25
Interceſſione ſanare, 13
Interempti qui ſæpiùs exemti, 15. 1
Interitionis diſſolutione dilabi, 18
Interitionis perpetuæ fruſtratione vaneſcere, 24
Interſtinctio variata, 84
Inteſtinorum volubilium tractus, 48
Inteſtini porrectio, per quam proluuies editur ſuccis perexiccata vitalibus, 100
Intortiones capillorum, 48
Inuuarus vbi ſepultus, 85
Inuitare thure incenſo, 11
Inula, 38
Inuus armentorum deus cuſtos, 51
Ioues tres in rerum naturâ, 59. & ibid. 2
Vide & Iupiter,
Iouialis incontinentiæ fœditas, 71
Ira an cadat in Deum, 5. 1. 2. 6. 1
Irarum in homines, an habeant cauſas dij, 94
Iraſci quid ſit, 5. 2
Irrecordabilis obliteratio, 29
Irrigari motu vocali, 20
Irrogare ſupplicia, 7
Iſicia, 33

Iſis ſolibus Æthiopicis furua, 10. filium perditum, & membratim conjugem lancinatum luget. ibid.
de ea, 43
Iſis ſoluitur in cinerem, 90
Iuſta quid apud Iuriſperitos, 2 & ibid. 2
Itionum anticipationes, 48
Itiones ſuas explicare, 107
Itus habere liberos, 89. & ibid. 1
Iudicatio, 14. 23
Iudiciis apta eſt pompa ſermonis; non veritati, 17
Iugulum, Iugulus, 17
Iulianus Magus, 15
Iuno, 40
Iunonis Lucinæ ſuppetias implorare, 47
Iuno puerperiis præpoſita, 51
Iuno an ſit idem quod aër, 52
Iuno ab Hercule vulnerata, 63
Iupiter Dodonæus, 9
Iouem non eſſe deum, ipſis clarum eſt indignationibus numinum, 9
Iupiter optimus maximus ab Ethnicis dictus, 9. Patrem habet & matrem, &c. ibid.
Iupiter Capitolinus, 25
Iupiter aliquando idem quod ſol, 52
Iouis ortus & multiplex proles, 61
Iupiter apud Cretam ſepulturæ mandatus, 63. Iouis amores, ibid. & 64
Iupiter culpas ſuas confitens, 66
Iupiter ſtolidus, imprudens, & verborum ambiguitatibus luſus, 68
Iouis habitus fœdus, 71
Iupiter ſuauitate nidoris illectus, 74
Iupiter ex deo taurus, 74. 75. 79. draco, 36. eius probra, ibid. & 76
Iouem cum filia concubuiſſe, allegoricè apud Ethnicos quid ſignificet, 79
Iupiter à Dionyſio Iuniore deluſus, 90
Iupiter riciniatus, 91. & ibid. 2
Iouis ſtatua ſuis in capitolio ſedibus prouoluta, & auertendi mali ominis gratia rurſus altiore in culmine fixa, 105
Iuturna, 52
Iuuenabus curis in obſcœnos appetitus ingemere, 52

L

Labeones, 48
Lacertos in Magnæ deûm Matris ſacrificiis lacerare, quid ſignificet, 74. & ibid. 1
Læna pro tunica, 26. & ibid. 2. 27
Lanarij, 52
Lancicula, 27
Lancinare facetiis jocularibus, 24
Lanitiis natura extulit importuniſſimam belluam, 4. 6
Laodamia, 75
Laodice vbi ſepulta, 85
Laomedonti Troicò Iouis frater ſeruiens, 63
Lapis vnguine delibutus, 11. 2
Lapis, conuicium Græcis & Latinis commune, 27. 2
ex Lapidibus apud Ethnicos, ortum & procreatum genus humanum, 71
Lapis niger ab Arabibus olim cultus vt deus, 86. & ibid. 1.
Lapis ex Phrygia aduectus, Annibalem Pœnum ex Italia depuliſſe creditus, 108
Lares Grundules, 7. 55
Laruæ cur dictæ Lares, 55
Laſciuia contumeliarum, 20. 1
Laterculus focorum deus & genius, 57
Latinus, Rex, 42
Latium vnde ſic dictum, 63
Latona, 42
ex Latona Delius arquitenens natus, 62
Latonius vates, 52
Lauacrorum caldores, 104
Lauatio deorum Matris, 103. & ibid. 1
Lauerna furum dea, 51. & ibid. 2
Laurentia ſcortum propudioſum, apud Romanos, 8. 1.
Leæna meretrix famoſiſſima apud Athenienſes, ibid.
Lectiſternium Cereris, 103. & ibid. 1
Leda Caſtorum mater, 42. 62
Leges terribiles, 36
Legum ſanctiones, 91
Leonis toruiſſima facies mero oblitaminio, 82
Letum indicere, 18
Leucophrynæ monumentum in fano Dianæ apud Magneſiam, 85
Leuigare cutem corporis, 33
Libentina dea, 58
Liber pater ex genitalibus matris fulmine præcipatus, 10. quare Deus dictus, ibid.
Liber pater membratim ab Titanis diſcerptus, 1
Liber pater ferocitatis Acdeſtiæ debellator, 72
Liber diſtractus à Titanibus, 74
in Liberi honorem patris phallos ſubrigit Græcia, 77. & ibid. 1.
Liber *pro* vino, 82
Liber Eleutherius ſolutus in cinerem, 90
de Libertate arbitrij, 40
Libertinorum tria olim genera, 51. 2
Libido carnifex, 19
Libidinum cupiditatibus geſtire, 20
in Libidinem damnari, 25
Libidinum omnia per genera, effrenatum ſpargere immenſæ cupiditatis ardorem, 29
Libido impatiens, 56
Libidinum propriarum admonitiones, 47
Libido furialis, 69. & ibid. 1
Libidinis res vacua imaginatione fruſtrabiles, 90
in Libidinis gaudium geſtire, 93
Libidinoſam efferre fictionem, 61. & ibid. 1
Liborum ſignificantiæ, 100
Liburnus deus, 58
Licentioſum jus, 65. & ibid. 2
Lignum pro Diana indolatum, olim Icariorum deus, 86. & ibid. 1.
Lima liminum dea, 58
Limentini, 7
Limentinus deus, 58. & ibid. 1
Limi obliquitatum curatores dij, 58
Linere ſe ſua proluuie, 53
Liniamenta, 14. veritatis liniamenta, 17
Litibus pompa ſermonis conuenit, non veritati, 17
Locuſtarum damna, 3. 5
Locutij Aij, 7
Longaui, 100
Longitudinem in lubricam porrigi, 107
Lubricatus lapis, 11
Lucanica, 33. & ibid. 2
Luci ſacratiſſimi, 94. & ibid. 1. & 2
Lucillij vini vomere, 74
Lucrij dij, 58
Ludere miracula, *pro* edere, 11. 2
Ludorum inſtauratione peſtis ſedata, 105
Ludibriorum exhilarare miraculis, 76
Ludiones apud Romanos infames, 103. 2
Lumborum criſpitudine fluctuare, 33
Luna apud Ethnicos dea, 8
Luna ſemper in mutuis damnis ac crementis, 10
Luna quid ſit, 38
Lunæ ter denæ facies, 86
Luperca dea, 56
Lycaoniam prolem Iupiter neſcius pranſitans, 63

ARN.

M

MAcedonia, 23
ex Macedoniæ finibus adoleſcens exortus, 3
Macie tabifica ab hominum formis diſſociari, 32
Mactare *pro* conſecrare, 11
Mactus hoc vino inferio eſto, vſitatus in ſacrificiis loquendi modus, 122. & ibid. 2
Madidare ſe ſua proluuie, 52
Magmenta, 100
Magna Mater ſacris cum infulis compta, 66. vnde orta, 69. de ea. 71. 73
Magnus videtur quem ſuſpectio minoris extulerit, 96
Magorum artes, 12
Magi Haruſpicum fratres, 59
Magorum cohærentia diſciplinis, 99. 100
Maja, 41
Majeſtatis rei quinam erant apud Ethnicos, 66. & ibid. 1.
Maledicendi prutitus in quo differat à crimine, 45. 1
Malerractatio, 65
Malitiarum venena conquirere, 32
Malum malo rependi non oportet, 3
Malorum exitiabiles formæ, 4
Malum duplex in Scripturis, 56. 2
Mala an ſint à Deo, 56. an ſint & mala, ibid. cur Deus non auferat, ibid. & 57. 1
Malis omnia plena, 91
Malus comprimere ſuam ferociam neſcit, 99
Mammæ grandes Cereris, 91
Mania mater, cur Larus cognominata, 55
Manium an ſint dij, 98
Manilius Aquilius à Mithridate crudeliſſimè interemptus, 11. 2
Manrile, 27
Manum *vel* manus dare, quid ſignificet, 10. 1. & 2
Manuum breuis deſcriptio, 48
Marcion quid ſenſerit de Reſurrectione carnis, 24. 1
Maris terga *pro* ſuperficie, 13. 1
Marpiſſæ, 63
Mars, 10
Mars Spartanus menſibus decem & tribus vinctus in Arcadia, 63. mortalium manibus vulneratus, ib.
Mars & Venus Vulcani arte circumretiti, quid ſignificent, 81
Mars *pro* pugna, 81
Marſi, 30. & ibid. 2
Marſyas Pomponij, 21
Marſius Vates, 18
Martius Picus à Numa deluſus, 68
Maſtruca, 27
Mater Phrygia, 108. & ibid. 2
Matris turritæ ejulatus, 73
Materiæ fæx, 4
Materia animalis, 9. 2
de Matrimoniis communibus quid ſenſerit Plato, 19
de Matrimoniis quis olim Deus conſulebatur, 55
Matulis pro ſuauibus paruulo ſumuntur fruſtilla, 100
Mauri, 5
in Maximitatem ſe producere, 89
Medi, 23
in Medio poſitum, *pro* publicatum, 65. & ibid. 1
Megalenſes deorum dies, 103
Mellonia apum dea, 58. 59
Membra proijcere, 16
Membrorum extima circumſcriptio, 48
Menalippæ, 63
Mentem inſanam recrearis reducere ſenſibus 90
Mentones. 48
Meracum ſapientiæ, 22
Mercedis incentiuum, 66. 1
Meritorij corporis formam diuendere, 86
Mercurius, 8. 24. 40. vtero ſuſus Majæ, 10
Mercurius Ceromas, 51
Mercurius quaſi Medicurrius, 53. & ibid. 1. à mercibus dictus, ibid. 1
Mercurij quinque, 59. 60
Mercurius ore facundus & geſtator affabilium colubrarum, 62. & ibid. 2
Mercurius furum Deus, 63
Mercurius pinnatus, 91
Meretricibus ſacra facta, 87
Meritum pro cauſa, 14. 2
Merops templorum ædificator, 84
Merum thuris ſocium in ſacrificiis Ethnicorum, 101. ibid. 2. & 102. 1
Metari, *pro metiri*, 37. 2
Metariæ circumſcriptionis expertes, 32
Metempſychoſis, 25. 1
Metrodorus Philoſophus, 22
ad Metus faciendos, deos vetus finxit & conſecrauit antiquitas, 91
Miculæ catillaminum, 100
Midas, 43
Midas Peſſinuntius Rex, 70
Migrare in placidos ſenſus, 21
Militiæ ſacramenta deponere, 21
Mimuli, 32
Minerua quare dicta dea, 10
Minerua ex cerebro Iouis enata, 42
Minerua quaſi Meminerua, 52
Mineruæ quinque, 60. & ibid. 2
Minerua *pro* ſtamine, 82
Mineruæ virgini virgo cæditur vitula, 99. an rectè, ibid.
Mineruij ciues, 77
Mineruium, 84
Minimiſſimus digitorum, 73
Minium merum, 86
Minuties palmaris, 89
Miraculorum à Chriſto patratorum longa & notanda enumeratio, 12. 13. & 14
Miſerationis parciſſima, 51. & ibid. 1.
Mite quicdquid eſt & placidum naturâ, ab nocedi procul eſt vſu & cogitatione diſcretum, 99
Mnaſeas, 54. & ibid. 1
Mobilitas pellax, 32
à Mœroris anxietate immune non poteſt exiſtere, quod lætitia trepidat & leuitatibus extollitur gaudiorum, 93
Mollire aſperitatem, 21
Mollitudines fœminarum diis gratæ, 103
Momen *pro* momento, 35. & ibid. 1. & 2
Montinus montium deus, 58
in Moris tetrici aſperitatem durati, 59
Morum multiplicium varietatibus lubricus, 94
Mortis qualitas aut deformitas, dicta aut facta non immutat, 11
Mortis occaſus cadere in res diuinas non poteſt, 18.
Mors quæ ſub oculis cernitur, animarum eſt à corporibus dijugatio, 24
Mors per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate conſumens, 39
Mortale eſſe neceſſe eſt, quicquid cauſis & rebus fulcitur extraneis, 93
Mortale eſt quicquid ſpirat, 101
Motarillæ, 97
Muccinium quid ſit, 27. & ibid. 2
Mulciber fabrili cum habitu, 91
Mulieres Romanæ quantum diligentiæ erant ſtudioſæ, 41
Muliones, 42
Multa fieri an queant, quæ ſunt priua ſingularia que naturâ, 89

Multijuga, lingua, 49
Munctiones mucculentæ, 48
Mundi moles & vertigo, 1. author, pater & natiuitas, 10
Mundo ſe inferre & commodare, 18
Mundus vnde oriri occœperit, 24
Mundus an potior animâ, 26
de Mundo inſanientium Epicureorum & Stoïcorum opinio, 31
Mundus ex Platone naturâ corruptibilis, 31
de Mundi origine, variæ ſententiæ, 37.1. de eius ſitu, 38
Mundi quæ ſit materia neſcitur, 49
Mundus, animans vnum, ſapiens, rationale, definitus, 53
Mundus an læuæ & dextræ habeat ſitus, 57
Murcina deſidum dea, 58. & ibid. 2
Murium damna, 3.5
Mures torquendorum pectori impoſiti, ac poſtea pelui intecti, 34.1
Murmura arcana quænam ſint, 15.2
Muſæ vnde oriundæ, 54. quot ſint, ibid.
Muſæ Macari filiæ, Megaleonis ancillulæ 63
Muſarum tibiæ & pſalteria, 91
Muſcularum veneno interire, 54
Muſci venerabiles, 102
Mutire, 9
Mutunus deus, 59. & ibid. 1
Myrtilus quis ſit, 54. & ibid. 1
Myſteria clauſa atque obſcura, 18

N

NÆnia dea, 38
Næuij, 48
Nana ex malo Punico in ſinu repoſito prægnans, 70.72
Nani *pro* pumilionibus vſurpati, 48. & ibid. 2
Naſicæ, 48
Natalis telluris, 103
Natalium honeſtamenta, 35
Narrices, 5.10
Naturalis initij conſortia rupta, 93
Nebridarum familia pellicula hinnulæ cohoneſtata, 80
Neceſſirates carminum, 15
Neceſſitatis pauperrimæ inuenta, 26
Neceſſitatibus ſuis potentiora metiri, 83
Neith lingua, 60. & ibid. 1
Nemeſtrinus deus nemorum, 58
Neptunus, 40
Neptunus *pro* aquis, 82
Nereis ardens in Æacum, 64
Neruorum contractionem relaxare, 25
Neruorum colligatio, 25
Neſcire ſe ante omnia, 27
Nidorum differentium qualitates, 101
Nigra nigris conueniunt & triſtia conſimilibus grata ſunt, 98
Nilus Mineruæ genitor, 60
Nimius feruoris in calore, 25
Ninus Aſſyriorum ductor, 3
Niſus Grammaticus, 17
Nitedulæ, 24. & ibid. 2
Niuem quid in plumeas ſubaperiat cruſtulas, 38. & ibid. 1.
Nixus parricidales, 51
Nobilitatibus nudare ciuitates, 18
Nomades, 5
Nodutis Deus, 58.59
Nomen Chriſtianum Gentilibus infenſum, 6.1
Nomina mortuis conſecratis immutari ſolita, 12.1
Noſcitare, 7
Noſſe ſe ſuâ vi, nec ſe alienis adulationibus æſtimare, rei diuinæ eſt proprium, 97
Nothum lumen, 26.2

A R N.

Nouellum nomen Chriſtianorum, 41
Nouenſiles dij, 54. & ibid. 1
Nouitatis ſuperſtitio, 7
Nudata ab Antiſtibus & Sacerdotibus templa, 91. & ibid. 1.
Numæ Regis Romanorum artes, 23. & ibid. 2
de Numa Romanorum Rege fabula, 68
Numa religionibus in comminiſcendis artifex, 101
Numenius, 23
Numeri Platonici, 27.28
Numinibus mediæ naturæ à Platone attributæ, 31
Nuptiæ propter quid contrahuntur, 94. & ibid. 2
Nutricare, 15
Nutricum ſub alimonia parui conſtituti, 106
Nyſius, 77

O

OBjectare laniatibus belluarum, 5
Obliuionis induere cæcitatem, 28
Obſcæuare quid ſit, 5.1
Obſcuritates cæcæ, 35
Obſcuritate incognitus nominis, 106
Obſoleſieri, 24
Obtentiones allegoricæ, 79
Obtinere, *pro* aſſerere, 59
Obtuſior ligno & ſaxo, 27. & ibid. 1
Ocriſia prudentiſſima fœmina, 74
Oculorum injectum ſuſcipere, *pro* videri, 18
Oculorum orbiculi mobiles, 48
Odorem attrahere auris comitantibus inuolutum, 101
in Oeteis verticibus Hercules in cineres diſſolutus, 63
Offæpenitæ, 100. & ibid. 1
in Offenſione pertinaciter durare ſatius eſt, quàm munerum corruptione mireſcere, 94
Officiorum diuinorum propoſitus terminus, 7
Oggerere, 94
Olearum bacculæ, 2
Oleum reſpuit immerſionem in ſe pati, 22
Oli Vulcentani ſepulchrum, 85
Omenta, 100
Omentorum membranulæ, 48
Omnis mali obſcœnitate traduci, 5
Omophagia, 74
Onera *pro* liberis, 47.2
Opinatio, 31
Opinionum diſcriminibus diffidere, 32
Opinionum prauitas vnde enata, 103
Ops dea, 42
Opis ſoboles regiæ, 10
Orbis calamitates Chriſtianis imputatæ, 1. & 2
Orbes ſaltatorij, 33. ſtibio fuliginati, ibid. 1
Orbicus motus, 38
Orbitatis cruciamenta ſentire, 106
Orbona liberorum orbatorum dea, 58 & ibid. 1
Origenes de creaturarum rationalium è cœleſtibus in corpora lapſu, ſententia, 8.2
Origenes quid & ſenſerit de Reſurrectione carnis, 24.1
Os dentibus horridum & ad infligendos inſtructum morſus, 107
Oſcilla in ſimilitudinem hominis effigiata, pro humanis capitibus diis oblata, 41.2
Oſſa in ſpem famis tracta, 88
Oſſilago dea, 58. & ibid. 1
Oſſipagma, 52
Orium per opulentias ſecurum, 58
Ouorum progenies dij Syri, 10. & ibid. 2

P

PAlaſcà, 100
Pales armentorum deus cuſtos, 51
Palladium vnde conflatum, 63

Palpare res intimas quid ſit, 71. & ibid. 1
Pamphilus Cyri familiaris, 15
Panætius Philoſophus, 22
Panchaia regio Arabiæ fœlicis thurifera, 101. 1
Panchriſtarij, 32. & ibid. 1
Panda, 56. & ibid. 2
Pane & Panis *in Nominat.* 17
Panis ab alimonio temperatus, 73. & ibid. 2
Pannychiſmi graues, 76
Pantarces pulcher, 87
Pantomimi, 32
Papula, 15
Paritas in impari non continetur, 35
Parthi, 23
Partiliter varia ſignificat, 4. 2
Paſſibile eſt quicquid vexatur rei alicuius è motu, 93
Paſſio vbi eſt, perturbationem conſentaneum eſt conſeique. 6
Paſſioni quod eſt expoſitum, ipſa paſſibilitate denunciatur eſſe corruptibile, 28
è Paſtu cœli ſuſtineri, 101
Patella & Patellanxa deæ, quarum vna patefactis, altera patefaciendis rebus præfecta, 58
Pater rerum quis ſit, 91. & ibid. 1
Patrimus puer, 65
Pauſatæ arboris robur, 70
Pauſi dij, 7
Peccare peccantem qui patitur, is vires ſubminiſtrat audaciæ, 65
Peccatorem facit naturalis infirmitas, non voluntatis electio; & quo ſenſu, 14
Peccati redimendi cùm ſpes datur, creſcit multitudo peccantium, 94
Pectoris anguſti reprehenſio, 17. 1
Pecunia dea, 58
Pellax, 22
Pellonia, pellendorum hoſtium potens dea, 57. & ib. 1
Pelops deorum amaſius, 64
Penatium Deorum quatuor genera, 54. 55
Peniculate, 72
Peragrare orbis vaſtitatem, 77
Percelebrare mala, 33
Perducere *pro* bibere, 77
Perfici *pro* effici, 29
Perpetuitatis ſpiritum ſubrogare, 39. *vel* apponere, 40
Perſæ, 23
Perſica obſcœnæ & luteæ voluptatis dea, 58. 59
Pertinacia veterum Ethnicorum, 21. 2. & 22. 1
Pertunda dea, 58. 59
Perturbatio vbi eſt, ibi dolor & ægritudo, 6
Perueſtigare, 25
Peruidere, ibid.
Peſſinuntia Dindymene, 66
in Peſſinunte corpus congregaſſe, 70
Peſſinuntij quem olim Deum coluerint, 86
Peſtilentiâ gentes viduatæ & deſolatæ, 3
Peſtis apud quoſdam Ethnicos graſſans, quomodo ſedata, 105
Peta rebus petendis præfecta dea, 58
Petaſus & Petaſunculus, 86. 87
Petra, cui nomen eſt Agdus, 69
Phalli propitij Numinis ſigna, 74. 77. 78. 80
Phidias primos inter ſignifices annumeratus, 87
Phileſius. *Vide* Apollo,
Philoſophia vnde orta, 30
Philoſophorum circa rem diuinam variæ opiniones, 9
in Philoſophis quid ſuſpexerint Ethnici, 25
de eorumdem Philoſophorum in prodigiis impotentia & in ſcientiis ſagacitate, 25
Philoſophi propriè quinam ſint, 35
Philoſophi barbari, 90. 1
Phinides *pro* Phineo, 17. 2
Phoroneus Ægyptius Templorum ædificator, 84
Phryges, 25
Phrygia mater, 43
Phrygia ſacra, fœda, & quænam illa, 74
ex Phrygio Peſſinunte Magna Mater accita, 108. & ibid. 1.
Phrygiones, 32
Phryna Theſpiaca, 87
Picturatus, 11
Picus Fauni pater, Latini auus, 42
Pignora propriè de liberis dicuntur, 44. 2
Pigritiæ ſtupore torpeſcere, 8
Pili quomodo caneſcant, 22
Pili an creſcant in mortuis, 73. & ibid. 1
Pinguitudinem retinere labentem, 33
Pinus deûm Matri ſtatis diebus ſacra, 73. 74. 80
Placamenta, 94
Placita humana, 17
Planus *pro* impoſtore, 30. & ibid. 2
Plaſia, 100
Plato quid de diluuijs & mundi conflagrationibus ſenſerit, 4
Plato ſublimis apex Philoſophorum, 4. quaſi quidam eorumdem deus, ibid.
Plato quid ſenſerit de animarum tranſmigratione, 8. 2. 24.
Platonis portentoſum dogma, 19. 1
Plato Socraticus, 22. 24
Plato ab Autore laceſſitus, 27. 28
Plato quid ſenſerit de diis, de homine & mundo, 30. 34. 36.
Plato barbatus, 90. 1
Plotinus, 23. 1
Pluit ſibimet mundus & non pluit, 4
Pluteus pro Iunone cultus olim à Samiis, 86
Plutonia domicilia an ſint ſub terris, 98
Pluuia Iouis nomine expreſſa, 78. 79. & ibid. 2. 80
Pluuiæ quibus modis & rationibus fiant, 18
Poculis ſe ingurgitare fallacibus, 68. & ibid. 2
Pœnis conuenientibus figere, 90
Poëtæ ludentes, 68. & ibid. 1
Polimina, 100. & ibid. 1
Politicum Platonis, 24
Pollinctores, 13
Pollui non poteſt quod eſt immortale, 29
Polubrum, 27
Polyandria Varronis, 85. & ibid. 1
Pomona, 52
Ponderis inteſtini moroſitas, 47. & ibid. 2
Pontificium vnius Chriſti, 40
Populonia, 52
Populus plebeiæ multitudinis, pro diis minorum gentium, 45. & ibid. 2
Porcinum execrari attactum, 98. & ibid. 1
Porrina, 38. & ibid. 2
Portiones an poſſint idem quod totum, 89
Portitor *pro* nuntio, 19. 2
Portunus Deus, 50. & ibid. 2
Poſcere de aliquo, 11
Poſterganeus, 57
Poſtuliones, 65
Poteſtas *pro* numine, 53. 2
Potua potûs dea, 51. & ibid. 2
Prægnatio, 47. 2
Præſidatus, 51
Præſtigiæ propriè quid ſint, 12. 2
Præſtigiatores, 31
Præſultatores quinam dicti, 105
Precibus collatis adorare, 7
Priapus Helleſpontiacus, 47
Priapus propriis genitalibus inferior, 91
Princeps vnus quem nulla res vetuſtate temporis antecedat, 8
Priuus, 89

Probatores operum publicorum, 35. 2
Procaces delicia, 59. 1
Proficiæ, 100. & ibid. 1
Prohibitionis ſtimulis excitari, 21
Prolatare, 19
Proles verecundiùs dictæ, quid vulgò ſignificent, 100
Proluuies, 32
Propriatim, 55
Proſerpina in legendis floribus occupata, 10
Proſerpina ardens in Adonem, 64
Proſerpina quæ & dicta eſt Libera, 75
Proſerpinæ raptus à Plutone, 76
Proſterne alicui, 7
Proſtibuli nomine Iupiter nuncupatus, 87
Proſumnus ignominioſus amator, 77. & ibid. 2
Protagoras Abderites Atheus dictus, 9. 1
Prothoæ, 63
Prothomus, 23. 1
Prouentus varij generis, 56. & ibid. 2
Pſaltriæ, 33
Pſylli, 30. & ibid. 1
Pudicitiæ repagula vi frangere, 10
Pudorem vi ſubruere atque eripere, 18
Puerculi, 59. & ibid. 1
Puerilis aſſertio, 16
Puerculi puſiones, 106
Puluinus maris quis ſit, 13. 2
Pulpamenta non aſta, 100
Punicum malum vnde ortum, 70. 71
Pupus, Pupula, Pulſus, pulſa, pupulus & pupula, eiuſdem ſignificati, 94. 1
Puſiones ſcituli, 78
Puſiones patuuli, 94. & ibid. 1
Puſtulæ, 15
Puta, putationibus arborum præfecta dea, 58
Pygmalion Rex Cypri ſimulachrum Veneris adamat vt fœminam, 90
Pyriphlegeton, 24
Pyrrha vxor Deucalionis. 69. 70
Pythagoræ de animarum è cœleſtibus in corpora tranſmigratione ſententia, 8. 2
Pythagoras Samius viuus in fano concrematus, 11. 22. 24.
Pythius, 51. *Vide* Apollo.

Q

QVadrigæ igneæ Petri ore diflatæ, 13
Quadrigæ Apollinarium nominum, 60. & ib. 1
Quadrigarij, 32
Quæſtionibus vacuis abſtinere, 44
Qualitas media, 31
Qualitarum diſtantiæ, 38
Qualitate quod diuerſum eſt, vnum an ſentiat, accipiatque contactum, 101
Quaſſationes cymbalorum, 103
Querqueræ, 13
Quindecimviri laureati, 66
Quirinus. 12

R

RAnceſcere, 6
Ratio quid ſit, quâ homo potior eſt animalium cunctis generibus, 25
Ratio obſcurarum intelligentia cauſarum, 69
Raui, 48
in Recentibus fictionis minus, quàm in antiqua obſcuritate ſubmotis, 16
Recidiuus annus, 47. 1
Reciprocantibus malis proſpera, 4
Reciprocare à vitali ſpiritu, 8
Reduuia, 15
Regulus acerbiſſimæ mortis expertus formam, 11
Religionis impiæ Chriſtiani apud Ethnicos rei, 8
Religio quænam ſit vera, officioſa, potens, iuſta, 10
Religionis ſuæ tenaces quantum fuerint Ethnici, 40. 2
Religionis authoritas vnde æſtimanda, 42
Religionum nouarum Patres, quinam apud Arnobium, 58. 59
Religionis impuræ obſcœnitas, 78
Religionem quid faciat, 104
Rem:are à tumulis, *pro* reſurgere, 15
Remedorum obſcuritate reſerata pandentes Canacheni, 91
Reminiſcentiæ antiqua opinio, 26
Repetentia, 28. 29
Reprehendere in altero quod agere te videas, animi eſt inuerecundi 42
Reprehenſio Ethnicorum aduerſus Chriſtianos, puerilis, atque anguſti pectoris, 17
Res in præliorum ſemper expeditione paratæ, 47
Res intimæ quid ſint, 71. & ibid. 2
Res ſuas agere, quo ſenſu dixerit Arnobius, 75. & ibid. 1.
Reſimæ nares, 48
Reſinulæ Panchaicæ, 101. & ibid. 1
Reſponſa obſcuritatis ſubmerſa caligine, 51. & ibid. 1
Reſurrectionem carnis aſſerentes Chriſtiani, ab Ethnicis excepti ſannis & cachinnis, 24
Reſurrectionem non carnis, ſed corporis, illiuſque ſpiritualis credebant nonnulli, 24. 1
Reuolare ad ſedes dominicas, 28. & ibid. 2
Rhetorum præcipuæ partes, 17. 1
Riciniatus Iupiter atque Barbatus, 91. & ibid. 2
Rituum officia procurationemque miſcere, apud Ethnicos, piaculi erat non parui, 98
Rogum inter, pyram & buſtum diſcrimen, 11. 2
Roma domina, 23
Roma peſtis cladibus ſæpè afflicta, 107
Romani degeneres, 19
Romani rerum domini, 56. & ibid 1
Romulus ſacerdotibus & puluinaribus honoratus, 12
Rota, *vel* traha, 27. & ibid. 2
Rudibus & indoctis credere, magis procliue quàm doctis, 16
Runcinarum leuigata de planis ſimulachra, 88

S

SAccati obſcœniſſimæ ſæriæ, 31. & ibid. 2
Saccibucces, 48
Sacramenta immenſi nominis, 21
Sacramentum militiæ, 21. 1
Sacramenta lectuli genialis condicere, 61. & ibid. 2
Sacrificia veterum Ethnicorum ſæpiùs immutata, 41
Sacrificia an diis offerenda, 92. & ibid. 1
Sacrificia cur diis fiant, 93
Sacrificia apud Ethnicos quænam, ibid.
Sacrificiorum dijs factorum inanitas, 94
Sacrificia an aliquid conferant ad conciliandam deorum gratiam, vel iram mitigandam, 95. 96. an & iis cedant in honorem, ibid. & 97
Sacrificia quænam Apollini, Æſculapio, Vulcano & Mercurio, ſed abſurdè, conueniant, 99
Sacrificiorum ordo, 101. 1
Sacrificia vera quænam ſint, 104
de Sæculis mortalium ſubmouere, 7
Sæcula ruminatoria, 100
Salapittarum ſonitus atque plauſus, 103. & ibid. 2
Salinatores, 32
Salinorum appoſitus, 41
Salſamina, 100
Saltare, vel in nuptiis, olim Chriſtianis prohibitum, 33. 2
de Salute hominum quæſtio, 39. & ibid. 2

Sambuciſtriæ, 33
Samij quem olim Deum coluerint, 86
Samothracij digiti, 55. & ibid. 1. & 2
Sanctitates vilium animantium, 8
Sangarius Rex, 70. & ibid. 1. 72
Sanguinem ſitire, 7. 1
Sanguen, *vel* Sanguinis *in Nominat.* 17
Sanguis ſaporatior, 72
Sapientia hominis ſtultitia apud Deum, 21
Sapientia meraco potu tinctus & ſatur, 22
Sapor an ſit in rebus, an palati contagionibus fiat, 22
Sapor vt eſt ſapor, 38
Sarcina prægnationis, 47. 2
Sabadia ſacra, 75
Sata emori, 3. 1
Satio per raptam à Dite Patre Proſerpinam ſignificata, 79. 80. 81
Saturnus quibus ſacrificiis apud Romanos olim colebatur, 41. & ibid. 1
Saturnus an ſit idem quod tempus, 52
Saturnus ſationis præſes, 58
Saturniæ reliquiæ in tellure Sicula, 63
Saxatilis imber, 2. & ibid. 2
Scabillorum concrepationibus numeroſos iterare ſonores, 33
Scabillorum crepitus, 103
Scænitas vitiorum, 34
Scarabæis templa erecta, 8
Scarabæi, 34
Scaurus Grammaticus, 17
Scenici apud Romanos infames, 103. 2
Scientiolæ artium, 26
Scientia vnde in homine, 26
Scipiades pro Scipione, 17. 2
Scire quid ſit, 55
Sciſcere *pro* ſcire, 23
Scita decemuiralia, 66
Scitulus, 50
Scituli puſiones, 78
Scortis meritoriis ſacra olim facta & templa erecta, 8
Scripta Chriſtianorum & ſcripta Ethnicorum, 16
Scripulus auri, 91. & ibid. 1
Scrofa inciens quid ſit, 98. ibid. 1 & 99
Sectarum diuerticula, 24
Secus fœmineum, 76
Sedentibus in ſignis dij ſedentes; in ſtantibus ſtantes, 89. & ibid. 1
Sellularia, 50
Sellularij viles, ibid. & 1
Semela, 42
Semela Liberi mater, 62
Semeleius fæculentæ hilaritatis dator, 53
Semeleius Liber, 77
Semeleiæ ſubolis vrigo, 82. & ibid. 1
Semina in odoribus triſtia, 38. & ibid. 2
Seminaria, 18
Seminis occultatio per quid apud Ethnicos ſignificata, 82
Semones & minorum gentium dij, 6. 2
Senectutis tabes, 25
Senectutis frigoribus effœtus, 47
Senſuum cognitio habita omnium certiſſima atque tutiſſima, 56. & ibid. 1
Senſibus blandis affici, 93
Sepulturæ in deorum templis, 85
Serapis Ægyptius, 10. 43
Serapis Ægyptius ſolutus in cinerem, 40
Seres, 23. 84
Seria meri, 74
nullus Sermo naturâ eſt integer, vitioſus ſimiliter nullus, 17
Sermonis cultus à viris ſapientibus abjectus, ibid. 1
Sermonis ornamenta ſuſpicantes adjuuant, non veritatis liniamenta demonſtrant, 17
Serpentis deſcriptio, 107
Sertis affecti dij, 102. & ibid. 2. 103. 1
Seruij Romanorum Regis ortus, 74
Serum nihil eſt dicendum in infinitis perpetuis ſæculis, 45
Sexibus dij an ſint diſcreti, 98
Sibylla Apollonis plena, 18
Sidere *pro* quieſcere, 15
in Sigilliolis paruulis contrahi, 89
Significantia *pro* ſignificatio, 56. 59
Silentio præteriri, minus eſt quam maledictionibus carpi, 65
Silentio donatus, *pro* præteritus, 49
Silex pro deorum matre cultus olim à Peſſinuntiis, 86
Silicernia, 100
Siliquaſtrum, 27
Silunculi, 48
Similitudine proxima conſtitutum, 18
Simonis Magi currus, 13. Lapſus, 14
in Simpuuio decerrare, 65. & ibid. 1
Simpuuia, 102
Simulacrum quid ſit, 85. & ibid. 2
Simulacra eſſe inania probatur, ibid.
Simulacra infamium liniamenta meretricum, 87
Simulacrorum efformandorum modi. 87. 88. quàm ſint ridicula, ibid. & 89
Simultates inexpiabiles, 35
Sipiæ, 32
Siſtere, vocabulum forenſe, 69. & ibid. 1
Sitienti adoris oggerere potionem, 76
Sitim ſanguinis appetitione proluere, 54
Socrates capitali affectus pœna, 11
Socrates de homine multa neſciens, 22
Sole ſe torrere, 4
Sol apud Ethnicos deus, 8
Solis ignibus genitalis feruor adſcitus, 10
Sol per Belum & Iouem intellectus à Babylonijs, 15. 2
de Solis curſu, 38
Soles quinque, 59
Sol per Attidem ſignificatus, 81
Solem ex foribus ſuis tollere, 87. & ibid. 1
Solæciſmorum obſcœnitas, 17
Solertiarum certamen, 87
in Somnos quibus cauſis mergantur homines, 22
Sonores munerosi, 33
Sophiſtæ quinam olim appellabantur, 1. & 2
Sophiſta barbatus, 90. 1
Sophiſticis diſputationibus, ſpecies veri, non verum conquiritur, 79
Sorex, 35
Soſpitator, 43. & ibid. 2
Spes aëria, 39
Spinæ an fructuum qui in iis naſcuntur, ortum impediant, 17
Spiraminibus interclusis interire, 101
Spiritum reciprocare, 4. 1
Spiritum ducere, 25
Spiritus obliſus, 102. & ibid. 1
Spirula, 33
Stare, *pro* perdurare, *vel* permanere, 45
Statuæ curules inertibus quandoque hominibus excitatæ, 19. 1. & 2
Stellæ quid ſint, 38
Stentorei vagitus, 43
Steropæ, 63
Stoïcorum de dijs dogma, 6. 1
Stoliditas maxima, 36
Stragula veſtis, 27
in Strato extraneo pedem ponere, 78. 2
Strebula caro, 100. & ibid. 1
Stribiligo, 17
Sticulus puſio, 76

Stridere in incantationibus, 15. 2
Strigilis, 27
Strophium, 27
ad Stuprationem oris ſacri mulier comparata, 33
Styx fluuius, 24
Suadenter loqui, 26
Subare quid ſit, 2. & ibid. 1
Subditiua ſecreta, 78
Suboles, 34. 35
Subſeſſores *pro* Adulteris, 76. & ibid. 1
Subficiuæ laudes, 78
Subſtantiam corpoream an habeant animæ, 28
Subſtantiam corporalem quod non habet, contrectari à ſubſtantia non poteſt corporali, 101
Subſtitutio recidiua, 47
Succeſſus *pro* habitatione, 40
Sufficere prolem, 47
Suffitionibus viuere, 101
Suffragines, 75
Summanus, 55
Summanus curru quadrijugo vectitatus, 80
Suminata caro, 33
Superciliorum margines, 48
Superlatio, 15
Superlatiuum *pro* Poſitiuo ſumptum, 6. 2
Supplicamenta certa, 98. 99
Supplicia irrogare, 7
Sinire quid ſit, 2. & ibid. 1. 72. & ibid. 2. 78. 1
Suſpicionum argutiæ, 23
Suſpicionibus coalita vindicare, 26
Suſpicio quid ſit, 35
Suſpiciones *pro* conjecturis, 49
Syderum motus ſibi ſubjectis mala pariunt, 4
Symplegmata, 105
Syria, 25

T

TAcendum vt Deus intelligatur, 9
Tædæ, 100
Tæniæ veternoſis in arboribus picturatæ, 11. 100
Tages Thuſcus, 41
Tanaquil vxor Tarquinij Romanorum Regis, 74. & ibid. 2.
Tauri ſpecies fuſa, Iouialis monimenta pellaciæ, 75
Tellenas conduplicare, 77. & ibid. 1
Tellus hominum mater à quibuſdam habita, 36. & ibid. 1.
Telluris irrigatio in Iouis & Cereris cœtu ſignificata, 81
Telluri matri ſcrofa inciens & fœta, olim immolata, 99. an rectè, ibid.
Telmeſſus vates vbi conditus, 85
Temerarius an differat ab audace, 34. 2
Templa animalibus ſublimibus elata faſtigiis, 8. 1
Tempus quid ſit, 52
Templa in ciuitatibus ſine ſimulacris, Adriani Imperatoris juſſu, 83. 1
Templa quid ſint reſpectu deorum & hominum, 84
Templa ſacrilegis violationibus appetita, 91
Tempora abundantiis relaxata, 5
Tempus quomodo noſcatur, 43
Tenſa quid ſit, 65. 2
Terenſis frugibus terendis dea præfecta, 58. 59
Terga ſquamis oblita, 107
Terræ validiſſimis motibus tremefactæ, 3
Terrarum purgatio quæ ſit ex Platone, 4
Terra per deorum magnam Matrem ſignificata, 74
Terrifici Iouis ara, 9. 2
Thales Philoſophus, 22
Theætetum Platonis, 24
Theſmophoria ſacra, 76. & ibid. 1
Theſpij quem olim Deum coluerint, 86
Thetis ardens in Achillis genitorem, 64
Theutis Ægyptius, 41
Thraſimeni lacus, 57. & ibid. 1
Threicius Vates, 76
Thus diis oblatum, 93
Thus vnde acceptum eſſe diis gratum, 100
ſine Thure religionis officium claudicat, 101. Thura cur injiciantur altaribus, ibid. quàm inaniter, ibid. Thus quid ſit & vnde, ibid.
Thyle vltima, 84. & ibid. 1
Timæus Platonis, 31
Tinquitani, 5
Tippulæ, 38
Titanes, 10
Tithonus ab Aurora adamatus, 64
Tortari, 47
Trachinia, Sophoclis tragœdia, 105
Tractus temporis *pro* æternitate, 59
Traduci ad vitiorum dehoneſtamenta, 25
Traha quid ſit. 27. 2
de Tranſmigratione animarum in corpora, quid ſenſerint Pythagoras, Plato & Origenes, 8. 2
Tranſuotare, 19
Tranſuorare cibos oris hiatibus appetitos, 107
Trapetum, 27
Trebiani dij, 56 & ibid. 1
Trebonius acerbiſſimæ mortis expertus formam, 11
Tricæ puerperiorum, 50
Trinacria, 10
Triptolemus quare dictus Deus, 10
Triptolemus boum jugator, 76
Tritonia Virgo, 50
Trophonius, 7
Trulla, 27
Trulleus, 26. & ibid. 1
Tuceta glaciali conditione, 33. & ibid. 2
Tullius Romani diſertiſſimus generis, quid ſenſerit de deorum pluralitate, 46. & ibid. 2
Tumore ſubinflati pectoris tolli, 22
Tunicæ trilices, 50
Tus *pro* Thus, & quare, 11. 2
Turamina veſtium, 52
Tutunus Deus, 58. 59
Tympanum matris deorum, 91
Tyndaridæ Caſtores, 10
Typhus, *vel* mentis elatio, 20. 24. 25. 26.

V

VAletudines peſſimæ, 107
Vanni, 32
Varro Romanus in vetuſtatis indagatione rimator, 71. & ibid. 1.
Vellus aquarum, 38. 1
Velus Magus, 15
Venæ fiſtulatæ & commeabiles, 38
Venæ purpurei ſanguinis cum arteriis ſpiritalibus conjugatæ, 48
Venenariorum nomine quinam intelligantur à Tertulliano, 59. 1
Ventorum animæ, 2
Venti ſunt aëris fluor pulſi, 86
Venereis quid debeatur vulneribus, 51
Venus inteſtini decoris publicatrix, 10
Venus ſic dicta quod ad cuncta veniat, 53. & ibid. 1. cur dicta & Proſerpina, ibid.
Venus militaris, 57
Veneres quatuor, 60
Venus mortalium manibus vulnerata, 63
Venus à Cinyra Rege Cyprio ditata, 61
Venus cuius conditionis, operæ & quæſtus fuerit, 65. & ibid. 1.
Venus regnatoris populi procreatrix, 66
Venus *pro* obſcœnis libidinibus, 82

Venus Cnidia ad formam Cratinæ meretricis effiɛta, 87.
Veneris ſimulacrum adamatum vt fœmina, 90. vnde dicta Gnidia, ibid.
Venus nuda ad libidinem concitans, 91
Veratrum, 4
Verba apud Ethnicos grauioris ponderis, quàm cœlitum violata ſublimitas, 66
Verborum inuerſæ & corruptæ naturæ, 81
Verbenarum ſuffitio, 69
Veretrorum magnitudines publicatæ, 91
Veritatem intercipi, ſtudium & cura eſt dæmonum, 26.
Veritas numquam ſectata eſt fucum, 17
Verrius Grammaticus, 17
Verruca collis, 35
Verſari cogitatione circa Deum, 24
in Verſuras cogi, 82
Vertere orbes ſaltatorios, 33. & ibid. 2
Verticum conſertiones, 48
Veruecceus Iupiter, 75. 76
Veri an aliquid dicant incerti homines, 22. 23
Veſtiri circumjectione humani corporis, 35
Veſtes priorum hominum quales, 38. 2
Vetuſtatis authoritas, 42
Vexationis cupidinem inclinare, 93
Via decedere honoris cauſa, 96. & ibid. 2
Vibilia viarum dea, 58
Vicibus ludicris ponere & repetere iras, 5
Vices temporariæ, 22
Viciſſitudines rerum marinis æſtibus comparatæ, 4
Viciſſitudines temporum cur inſtitutæ, 38
Victa victûs dea, 51. & ibid. 2
Viduare honoris impertitione, 20
Viduari benignitate diuina, 24
Viduatum ſuis adminiſtratoribus cœlum, 101
Vigilare an ſomni ſit perpetui portio, 22
Vilitas annonæ, 5
Vilitatem ſui publicare, 33
Vinctio, 51
Vindemia Æſculapij, 103
Vini vſu Romanis mulieribus olim interdictum, 41. 1.
Vinum per quid apud Ethnicos ſignificatum, 82
Vinum cur ſuperfundatur altaribus, 102
Vinum Veneri res proxima, illiuſque vſus Romanis fœminis olim interdictus, 102. & ibid. 2
Viola vnde orta, 70. 73
Virorum victimis Saturnus placatus, 41. 1
Virgo imminuta ſanctitate, 60. & ibid. 1
Virilitatis vigorem alieno cultu exponere, 33
Virtutibus contractior atque horridior vita, 29
Virtutes Deo adſcribere verentur Chriſtiani, 49
Viſa quibus modis fiant, 22
Viſcus in ſtomachi tramite malè tranſuoratum, 102
Viſus quomodo fiat, 22
Vitæ ſortem eligendi nulli eſt Deus cauſa, ex Platone, 40
Vitiligo fœda, 12. 13. albicans, 14
Vitiorum in Martis & Veneris tinctione ſignificata compreſſio, 81
Vitioſitatis ſeminaria abſcindere, 18
Vitiſator, 52. & ibid. 2
Vitores, 32
Vitula virgo, nullis vnquam ſtimulis, nullius operis exercitata conatu, 99
Viuendi ratio ſubruitur atque interit, 101
Vlcera oris immenſi, 14
Vliginoſa viſcera, 14
Vliginis alicujus rellus conuerſa putore, 22
Vlpicum, 38
Vltum ire, *pro* vlciſci, 49
Vnci *pro* vngulis, 81. 1. & 2
Vnguen olim, 11
Vniuerſitatis ſumma, 31
Vnum an in omnibus poſſit vno tempore permanere, 89.
Vnum quod eſt genere, ſuis eſſe in partibus, minus aut plus an poſſit, 92
Vnxia vnctionum dea, 51
Vocamen, 31. 107
Voluptatem rebus in ſeriis quærere, diſſoluti eſt pectoris, 17
Voluptas omnis quaſi quædam titillatio corporis, 93. & ibid. 1.
Volucra *pro* inuolucris, 74
Voluptatum variarum munificentia, 8
Voluntatis libertas in illius eſt poſita poteſtate, qui voluit, 40
Voluptatis eneruatione langueſcere, 47
Voluptate quod diſſoluitur, id contraria neceſſe eſt triſtitia contrahatur, 93
Vrbes hiatibus interceptæ, & marinis fluctibus coopertæ, 8
Vreri ſarcinæ, 57. 2
Vtres, vitris, 17
Vulcanus, 40
Vulcani quatuor, 62
Vulcanus altero claudus pede, 63
Vulcani decem millia ſimulacrorum ſuppoſita, & quid inde, 89
Vulgaritas popularis, 46
Vulgus indomitum atque imperitum religionis ſpecie coërcitum, 91
Vulneris mendacia laneis faſcijs, linteoliſque contectus, 76
Vulturnus, 52
Vultus leuigatus & dehoneſtatus, 90. & ibid. 2
Vxor quo fine ducenda, 94

X

Xerxes mare terris immittens, 8

Y

Y Littera pro u adhibita, 14

Z

Zelotypi puſiones, 99
Zeno Philoſophus, 22
Zeuxippæ, 63
Zoroaſter Bactrianorum ductor, 3. 151

FINIS.

CATALOGVS

CATALOGVS

SCRIPTORVM,

QVI AB ARNOBIO CITANTVR.

AElivs, 54
Æthlius, 86
Antias, 68
Antiochus Hiſtoricus, 84
Apollodorus, 63
Ariſtoteles, 52
Arrianus, 54
BVtas, 74
CÆſellius, 17
Caſius, 11
Cicero, 46. 49. 80
Cincius, 54
Clearchus, 85
Sext. Clodius, 74
Cornificius, 54
Crates, ibidem.
Crotonius, 23
Cteſias, 16
DIagoras Melius, 64
ENnius, ibid.
Ephorus, 54
Epicadius, 17
Epicharmus, 63
Epictetus, 44
Euhemerus Agragantinus, 44
Euripides, 61
FAbius, 85
Flaccus, 74
GRanius, 52. 54. 85
HEraclitus, 78
Hermippus, 15
Heſiodus, 54
Hippo Melius, 64
INdigitamenta Pompiliana, 43
LEander vel Leandrius, 81
Libri Acherontici, 39
Libri fatales, 107
Leo Pellæus, 64
Lucillius, 74
Lucretius, 47
MAnilius, 54. 97
Memoralia ſcripta, 86
Mnaſeas, 121. 54
Myrtilus, ibid. & 63
NIcagoras, vel Nicanor Cyprius, 64
Nigidius, 53. 54. 55
Niſus, 17
Numenius, 23
ORpheus, 74. 76
PAnyaſis, 63
Patrocles Thurius, ibid.
Philoſtephanus, 90
Pindarus Bœotius, 63
Piſo, 54
Plato, 3. 4. 23. 24. 27. 30. 31. 35. 40. 60
Plautulus, 103
Plutarchus Cheronæus, 63
Polemo, ibid.
Poſidippus, 87. 90
Ptolemæus Ageſarchi, 85
SAmmonicus, ibid.
Scaurus, 17
Sophocles Atticus, 63. 103
Soſibius, 63
THeodorus Cyreneus, 64
Timotheus Theologus, 69
Trebatius, 102
VAlerianus, 85
Valerius Pontifex, 70
M. Ter. Varro, 54. 56. 71. 84. 85. 86. 90
Verrius, 17
ZEno Myndius, 85

FINIS.

ALTER CATALOGVS AVTORVM,

QVI AB ARNOBII COMMENTATORIBVS CITANTVR.

ABDIAS, 30
Accius, 52
Adhelmus, 30. 44
Ælianus, 30. 85
Aelius Donatus, 15
Agathias, 28
Agellius, 43. 48
Alexander Seuerus, 83
Ambroſius, 15. 33. 37. 39. 67
Ammianus Marcellinus, 62
Apollodorus, 76
Appianus, 11
Apuleius, 2. 6. 10. 11. 23. 24. 38. 43. 47. 52. 53. 56. 59. 60. 72. 94. 105. 108
Arelaienſe Concilium, 103
Ariſtides, 81. 87
Ariſtophanes, 77
Ariſtoteles, 14. 20. 25. 29. 48. 63
Arrianus, 14
Artemidorus, 99. 105
Aſconius, 65
Athenæus, 17. 41. 88
Athenagoras, 6. 11. 31. 52. 64. 67. 93
Auguſtinus, 2. 3. 4. 12. 22. 25. 30. 34. 36. 40. 48. 51. 54. 55. 56. 57. 58. 50. 65. 67. 71. 81. 94. 103. 105. 106. 108.
Antonius Auguſtinus, 99
Auitus, 47
Aurelius victor, 19
Auſonius, 47. 60. 106
Autor de Anatomia viuorum, 48
BAronius, 79
Baſilius, 4. 33. 37. 38. 56
Beroſus, 15. 43
Bibliorum Interpres, 85
Boëtius, 61
Braulion, 41
Briſſonius, 14. 46. 61. 62. 69. 93. 100. 102
CAecilius, 83
Cæſarius Arelatenſis, 9. 48. 67
Ceſius Baſſus, 56
Calaritanus, 11
Callimachus, 50
Canterus, 39. 54. 63. 90
Capito, 65
Carrio, 35. 40. 60
Caſaubonus, 11
Caßianus, 37
Catullus, 26. 46. 72. 94
Cenſorinus, 36. 103
Chalcidias, 22
Chalcidius, 60
Chariſius, 9. 33
Chryſologus, 36
Chryſoſtomus, 62
Cicero, 4. 5. 9. 11. 22. 25. 30. 33. 37. 39. 40. 43. 44. 45. 48. 50. 51. 52. 53. 54. 58. 59. 60. 65 69. 79. 80. 93. 97. 100. 106. 108.
Claudianus, 84. 86
Clemens, 4. 12. 48. 54. 59. 60. 74. 77. 79
Clemens Alexandrinus, 11. 13. 16. 17. 18. 33. 59. 62. 63. 65. 75. 80. 85. 86. 90. 105
Corippus, 41
Cornelius Tacitus, 3. 9. 22. 83. 96
Cujacius, 3. 60. 62. 67. 102
Q. Curtius, 7
Cyprianus, 3. 11. 33. 39. 58. 66. 67. 89
DIo, 65
Dio Chryſoſtomus, 3. 18. 19. 53. 61. 65
Diodorus Siculus, 3. 53. 76. 81
Dionyſius Halicarnaſſæus, 9. 14. 41. 52. 74. 97. 100. 105
Dionyſius Areopagita. 49. 52
Dioſcorides, 72
Donatus, 47
ELias Cretenſis, 77
Ennius, 4. 49
Epicurus, 29
Epiphanius, 43. 64
Etymologici magni autor, 27
Euagrius, 81
Euhemerus, 64. 65
Eumenes, 56
Euripides, 74. 99
Euſebius, 8. 12. 22. 40. 48. 65. 67. 89. 99. 105
Euſtathius, 30. 38. 47. 57. 89
FEſtus, 2. 13. 38. 47. 48. 51. 53. 55. 58 64. 65. 98 100
Firmicus, 4. 19. 25. 30. 32. 79. 80. 93. 95
Florus, 97
Luc. Freuterius, 82
Frontinus, 91
Fulgentius, 53. 62. 64
GAudentius, 4
Gelenius, 23. 28. 73
Gellius, 8. 17. 30. 40. 69. 83. 84
Gennadius, 36. 48
Gifanius, 16. 31
Gloſſarium vetus, 30. 33. 48. 50. 52. 56. 65. 76. 85. 100 102. 103. 104. 105.
Gloſſarium Papiæ, 34
Gloſſarium Philoxeni, 70
Gratianus Imperator, 84
Gregorius Nazianzenus, 3. 6. 13. 16. 22. 37. 45. 49. 53. 58. 77. 93.

Gregorius Theologus, 77
HEraclitus Epheſius, 37. 60
Heraldus, 9. 15. 18. 44
Hermias, 21. 22
Hermippus, 15
Herodianus, 33. 90
Herodotus, 3. 43. 86
Heſiodus, 50
Hierocles, 28
Hieronymus, 3. 9. 12. 15. 25. 30. 33. 37. 40. 42. 46. 47. 51. 60. 62. 64. 67. 74. 88. 105.
Hilarius, 21
Homerus, 13. 43. 50. 66. 73. 77
Horatius, 5. 7. 10. 27. 35. 38. 62. 72. 74. 98
Hyginus, 47. 63. 64. 76. 77
IGnatius, 18
Interpres lib. Eccl. 45
Iſidorus, 6. 37. 52. 53. 62
Iſocrates, 40. 64
Iulianus Apoſtata, 84
Iulius Pollux, 27
Iulius Paulus, 97
Iunius, 15. 57
Iuſtinianus Imper. 69
Iuſtinus, 3
Iuſtinus Martyr, 7. 22. 40. 45
Iuuenalis. 3. 43. 90. 95. 98. 103
Kalendarium vetus, 103
LAberius, 48
Lactantius, 4. 5. 7. 8. 9. 11. 12. 14. 16. 21. 22. 23. 25. 30. 32. 36. 37. 39. 64. 76. 85. 90. 102. 105. 106. 108.
Lactantius, ſiue Luctatius, 57. 64
Laërtius, 11. 22. 37
Concilium Laodicenum, 33
S. Leo, 21
Lipſius, 61
Liuius, 2. 68. 71. 88. 96. 97. 100. 103. 106. 107. 108.
Lucanus, 11. 43. 62. 71. 86. 91. 94
Lucianus, 13. 24. 45. 62. 64. 77. 92. 93. 95
Lucilius, 13
Lucretius, 3. 6. 26. 29. 30. 31. 40. 47. 55. 56. 61. 101. 106.
Lycophron, 51
MAcrobius, 2. 18. 41. 51. 52. 55. 60. 68. 103. 105
Mamertinus, 45
Martialis, 35. 38. 75. 78. 91
Martianus Capella, 28. 50. 54. 55. 100
Martyrologium M. S. 67
Maximus Tyrius, 11. 27
Mela, 3. 84
Menander, 6
Mercerus, 15
Meurſius, 28
Meuſius, 81
Minutius Felix, 10. 13. 21. 22. 26. 49. 50. 63. 67. 76. 85. 88. 103. 108.
Franc. Modius, 9. 35. 71
NEmeſius, 22
Nicander, 77
Nicetas, 77
Nonius, 2. 5. 21. 26. 27. 33. 44. 48. 51. 84
Nonnus, 52. 77
OPpianus, 50
Origenes, 2. 4. 5. 8. 9. 13. 21. 22. 24. 31. 45. 48. 49. 53. 54. 60. 61. 76. 83. 88. 93.
Oroſius, 67. 106
Orpheus, 8. 15. 36. 71. 76
Ouidius, 14. 15. 23. 26. 33. 47. 50. 52. 53. 58. 60. 62. 64. 70. 71. 76. 81. 83. 86. 98. 102. 103. 106
PAcuuius, 9. 36
Papyas, 30. 59. 85
Papyrius, 106
S. Paulus, 33. 44
Paulus I. C. 69
Pauſanias, 18. 30. 52. 69. 70. 76. 77. 85
Perſius, 94
Petronius, 21. 72. 73. 78. 91. 98
B. Petrus Chryſologus, 13
Phædrus, 32
Phauorinus, 15
Philo, 5. 14. 67. 104
Philoſtratus, 53. 90
Phornutus, 50. 52. 54
Plato, 4. 8. 9. 11. 12. 19. 29. 53. 60. 79
Plautus, 20. 22. 27. 48. 51. 53. 65. 68. 70. 89
Plinius, 11. 15. 16. 30. 33. 37. 38. 41. 48. 56. 57. 58. 72. 76. 84. 100.
Plinius Iunior, 83
Plutarchus, 8. 11. 12. 23. 37. 52. 64. 65. 74. 103. 105. 108.
Poëta Tarentinus, 75
Pollux, 50. 53. 55. 76
Pomponius I. C.
Porphyrius, 89. 92. 93
Priſcianus, 17
Procopius, 90
Protagoras Abderites, 78
Prudentius, 15. 20. 21. 36. 40. 44. 47. 64. 66. 76. 84. 86. 90.
Ptolemæus, 70
Phytagoras, 8
Quintilianus, 19. 47. 65
RVffinus, 2
Ruricius Epiſcopus, 79
SAliſberienſis, 23. 30
Saluianus, 8
Saluſtius, 25. 32
Claud. Saturninus, 103
Scaliger, 28. 38. 51. 55. 71. 100
Scholiaſtes Horatij, 30. 51. 74
Scholiaſtes Perſij, 33
Scholiaſtes Nazianzeni, 77
Scholiaſtes Ariſtophanis, 81
Sedulus, 21
Seneca Philoſoph. 4. 6. 9. 20. 46. 68. 70. 96
Seneca Trag. 63. 98. 101
Seruius, 3. 11. 12. 13. 18. 27. 39. 43. 52. 54. 57. 60. 61. 64. 66. 79. 84. 95. 101. 102. 103.
Sidonius Apollinaris, 11. 15. 47. 105
Silius Italicus, 86. 104
Solinus, 2. 15. 30. 83. 84
Sophocles, 87
Spartianus, 70
Statius Cæcilius, 48. 84

Steuuechius, 67.78
Strabo, 70. 84. 86.97
Suetonius, 8.17.18.45.65.71.105
Suidas, 5. 18. 20.31.76.78.86
Symmachus, 40
Syneſius, 3.77
TAcianus, 49. 90
Tertullianus, 3. 4. 6. 7. 8. 9. 12. 15. 16. 18. 20. 21. 22. 23. 25. 30. 31. 33. 38. 39. 40. 44. 46. 47. 48. 51. 54. 56. 58. 59. 63. 64. 67. 73. 74. 79. 86. 89. 100. 102. 103. 108.
Themiſtius, 8
Theocritus, 75. 91
Theodoretus, 22. 37. 48. 49. 62. 64. 76. 77. 79. 90. 93.
Theodorus Marcilius, 62
Theophilus, 52
Theophraſtus, 11
Tibullus, 2
Triſmegiſtus, 31
Trullana Synodus, 103
Turnebus, 4. 27. 31 32. 98. 88. 91
VAlerius Flaccus, 2
Valerius Maximus, 3. 18. 41. 84. 97. 102. 103. 105. 106.
Varro, 2. 26. 33. 42. 51. 55. 59. 65. 71. 79. 90. 94. 100.
Vegetius, 11. 46. 75. 91
Virgilius, 1. 3. 9. 11. 12. 21. 27. 32. 45. 51. 52. 53. 56. 57. 63. 71. 84. 91. 101. 108.
Vitruuius, 47
Viues, 59
Vlpianus, 6. 51. 66. 69. 106
Vopiſcus, 84
Ioan. Vouuerius, 83
Ioan. Vuierus, 15
XEnophanes Colophonius, 49
Xenophon, 11
Xiphilinus, 15
Xyſtus, 36
ZEno Veronenſis, 17
Zozimus. 10.

FINIS.

COLLE-

COLLECTANEA
VARIARVM LECTIONVM
IN ARNOBIVM ADVERSVS GENTES.

PAG. 1. verſ. 11. à litibus] M S. ab litibus.

Verſ. 20. exterminati ſunt dij longe] ita M S. *Sabai edit.* e. ſumus dum longe.

16. mentem] *alij* fontem.

19. verſ. 4. impij nos magis] *Fulvius Vrſinus.* magis nos.

Pag. 2. verſ. 2. ferri] ita *Ful. Sab.* fieri.

Verſ. 9. coartatur] *Melius Fulvius*, coactatur. Vid. Arn. lib. 2. Virgil. lib. v. Æneid. Minut. Felix. Scholiaſtes vetus Horatij in Epod. 13. Cicero lib. 2. de Natur. deor. pag. 216. Ambroſius Hexameron. lib. 2. cap. 3. Hieronymus tom. 4. lib. 2. cap. 64. in Eſaiam pag. 212. Lucretius lib. 6. pag. 198.

Ibid. nec madidari ex imbribus arua ſuccedunt] *Ita Romana editio Sabai, quod fruſtra & ineptiſſime mutant. Vid. Obſeruat.*

Verſ. 11. æſculentis exuſtis liquoribus mutatus eſt] ita *Sab. edit.* M S. æſculentis & vitis liquoribus mutatus eſt.

Verſ. 13. nonne ſuriunt] *Ita recte Ful. Sabaus.* non eſuriunt, *male, Nec audio eos qui hanc lectionem defendere conantur.*

Verſ. 18. ingenia dirigunt] M S. & ingenia derigunt.

Ibid. Studioſæ referunt nativitatis] *Ful.* ſtudioſæ ref. navitatis.

Verſ. 19. quibus ſors rerum attributa eſt talium] *Ita recte emendant hunc locum ex M S.*

Verſ. 31. gens noſtra] M S. genus noſtrum, *male.*

Ibid. poſtquam] *Ful.* priuſquam.

Verſ. 32. irrupuiſſe has labes] *Steuvich.* irrupiſſe ſe h. l.

Ibid. infeſtari] *Ita Fulv. Sabaus* infeſtare. *male.*

44. Verſ. 15. adierunt] Ita M S. & *Sabai edit. Ful.* atterunt. *male vide Obſeruat.*

Ibid. compoſitum] *Ful.* poſitum.

Verſ. 46. indicunt] *Ful Sab.* inducunt. *vide Obſeruationes.*

Pag. 3. verſ. 1. inaruiſſe] *Ita Fulv. Sab.* inhorruiſſe. *Steuvich.* induruiſſe.

Verſ. 4. veſtras] ita M S. *edit. Sab.* exteras.

Ibid. occiditur] *Ful.* acciditur.

Verſ. 5. affecta ſit] *Ful.* afflicta ſit, *male. Vide Obſeruat.*

Verſ. 28. poſſumus] M S. poſſimus.

Verſ. 33. ex parte] *Sab.* de parte.

Verſ. 36. quod] ita *Ful. Sabaus*, quid.

Verſ. 38. eſſe ſe] *τὸ ſe Ful. addit.*

Verſ. 38. ſupercilio luminis] *Ita Sabaus* edit. *Gelenij.* ſupercilio tumidi *vere. Vide obſeruationes noſtras ad lib. II.*

Verſ. 44. diſcrepatio] *Ful.* diſputatio. *male.*

Verſ. 46. ſi facto] *Has duas voces delent ex M S. Cujacius legit.* Si ſaxo vt argumentis inſignibus rei veritas explicetur.

Pag. 4. verſ. 1. in rationibus] *Sab.* & M S. irrationibus. *Gelenius* rotationibus. *Steuvichius & Copterus* in rationibus.

Verſ. 10 columen] *Steuvichius* culmen. *inepte. vid. Obſeruation.*

Verſ. 13. & juventutem] *Steuvich.* etenim juventutem. *Sabaus* in juventutem.

Verſ. 21. otio ſe rutilare] *Ful.* otioſe vſtulare.

Verſ. 31. tuas impediat deliciarum ſorſitan & libidinum] M S. tuarum impediat felicitatum forſit.

Verſ. 32. congelare] *Legunt ex* M S. congelare, conſtringere.

Verſ. 33. & quia perferre] *Augent ex* M S. ſuſtinere.

Verſ. 37. maledicam ſcilicet] *Ita Ful. Sabaus.* maledicam ſi. *Steuvich.* maledicas ilicet.

Verſ. 39. potentioribus dare conditionem velle, vt id fiat] *Steuvich.* p. d. condirionem, velle vt id fiat.

Verſ. 45. ſenſus] *Ful.* cenſus.

44. Partiliter] *Ita Ful. Sabaus.* pariliter. *male.*

Verſ. 45. adierunt] *Ita Sabai.* M S. dij ferunt. *Sed nihil eſt mutandum.*

Pag. 5. verſ. 7. atqui] M S. atquin.

Verſ. 9. annonæ] ita M. S. *Sabaus.* annotum. *male*

Verſ. 11. qui duraret] *Ful.* quiret durare.

Verſ. 13. ad] *Ita Ful. Sab.* &

Verſ. 18. ſe ſemper offenſionum recordatione] *Ful.* ſeſe per offenſionum recordationem.

Verſ. 20. Alemannos] *Ful.* Alanos. *male. vide Obſeruat.*

Verſ. 25. Aquitanos] *Ful.* Tingitanos. *Recte.* Vid. Plin. lib. v. cap. 2. Philoſtratum de vita Apollonij lib. v. cap. 1.

Verſ. 30. læti] M S. lætum.

Verſ. 36. aduerſus ſpes bonas] M S. in aduerſas ſ. b. *Ful.* nec aduerſas res bonas. *alij* : nec aduerſas ſpes bonas m. o. obſcænitate traduco.

Ibid. obſcænitate] *Steuvich.* obſcævitate.

Verſ. 40. crucem] M S. crucis.

Verſ. 44. ſcire] *Ful.* ſentire. *Sed nihil eſt mutandum.* ſcire *enim eſt quod prius dixerat, noſſe, percipi, ſentire.*

Ibid. perpetuæ] *Steuvichius* perpetua.

Verſ. 45. ſcintillæ emicent, flammæ æſtuent, anhelum pectus ſpiritum] *Ful.* ſ. e. flammis æſtuet anhelum pectus, ſpumas.

Verſ. 46. jaciat] M S. jactetur.

Pag. 6. verſ. 1. efferueſcere] *Ita Ful. Sabaus.* & ferueſcere.

Verſ. p. 3. exiſtimatione] *Ful.* æſtimatione. *male.*

Verſ. 15 defendere] *Steuvichius male.* τὸ defendere *delet.*

Verſ. 17. experianturque] *Ful.* expediantque.

Verſ. 19. mortalium] *Ita Ful. Sab.* mortalia. *male.*

Ibid. vt ſi malum conſilium eſt aggredi nos vi] *Ful.* ſin alis conſilium eſt aggredi nos via.

Verſ. 20. emittant] *Ful.* mittant.

Ibid. indignationis] *Ful.* indicationis. *Steuvich.* judicationis. *inepte.*

Verſ. 24. vnum] *Ful.* vllum.

Ibid. palmites] *alij*, palmitis, *alij*, palmitibus.

Verſ. 26. olearum] *Ful.* oleorum *vel* oliui.

Ibid. ſub ipſis porum labris] *Ita Ful. Sab.* ſub ipſius potu labris.

Verſ. 33. dij veſtri] *Ful.* dij veri.

Verſ. 39. dæmones appellar & Heroas] *Ita Ful. Sab.* dæm. & errores.

Verſ. 44. atque] *Ful.* atæque.

Pag. 7. verſ. 1. occiderunt] *Ful.* conciderunt.

Verſ. 5. affingere] *Sab.* affigere, *male.*

Verſ. 12. deſperatione] *Ful.* diſparatione, *male.*

Verſ. 19. intercesſerit] *Lego* juſſerit.

Verſ. 22. hominis] *Ful.* numinis.

Ibid. ille] *Ful.* eſſe.

Verſ. 23. in vatibus profanus, nos impios Dodonæus aut Iupiter nominat] *Ita Sab. edit. Ful.* in ritib. prof. u. aut i. D. I. n. *Mercerus ſic diſtinguit hunc locum* : Is haut nomine appellandus eſt hominis, quamuis ille videatur ſibi quamuis h. d. ipſe ſe eſſe ſimilem profiteatur in vatibus. *Franciſc. Pythæus. I C.* in vatibus Trophonius nos impios, &c.

Verſ. 30. quod poſtulamus orare] *Fulvius* quo poſtulamus ore.

Verſ. 31. iſtos] M S. iſti.

Verſ. 44. juris] *Ita Fulv. Sab. edit.* viri.

Ibid. melioris ne ſunt cauſæ] *Fulv.* meliori ne ſunt cauſa.

Verſ. 45. Qui grundules adorant Lares, Aios Locutios, Limentinos] *Ita Gelenius, Sabai edit.* Q. G. a. L. Aiaceos, Boetios, Libentinos *male.* M S. Grunduleos Locutios, Ajaceos, Boëtios, Libentinos.

Verſ. 48. Fatuas] Ita M S. & *Lipſius*, *Sabai editio* ſtatuas, *male.*

Pag. 8. verſ. 4. tumor] *Ita Sabai edit. & MS. alij* timor, *inepte.*

Verſ. 9. ſortiri eſſe ſe ſentiunt] *Fulv.* ſortitos eſſe ſ. ſ.

Verſ. 19. collocare] *Ful.* collocari.

Verſ. 20. columen] *Ita Sab. & M S. quod ineptiſſime mutant* in culmen.

Verſ. 21. & quis] *Steuvich.* ecquis.

Verſ. 24. lapſi cæcitate huius in corporis] *Ful.* lapſi hoc in corpore.

Verſ. 28. poſſeſſionemque retinere] *Steuvichius ex M S.* p. cum re.

Verſ. 30. futuros] *Meurſius* foturos.

Verſ. 34. vitali reciprocatis à ſpiritu] *alij* v. r. ſpiritu.

Verſ. 38. poteſt] M S. potis eſt.

Verſ. 43. inuiſe] *Ita Ful. Sab.* inuiſus.

Pag. 9. verſ 2. corporalis] *Fulvius* corporis.

Verſ. 18. ita eſt enim] *Fulvius*, tam e. e.

Verſ. 23. ipſi] M S. ipſis.

Verſ. 25. poſſent] *Sab.* potuiſſent, *alij* potiſſent.

Verſ. 32. inducta] *Fulv.* indocta.

Verſ. 38. ſenſu irruit ſe vitali] *Ita Fulvius & Steuvechius Sab.* ſ. irruiſſe, v.

Verſ. 42. ominis peſſimi] *Sab. edit.* Quid (vt homines

nes peſſimi.]

Pag. 10. verſ. 4. Fauna] *Ita Sab.* M S. Fenta *male.*

Verſ. 5. potù]. *Sab.* pòia.

Verſ. 9. Dionea Venus proles] *Ita rectiſſime Sab.* M S. Lonica v. p. *male.*

Verſ. 10. decoris] *Ful. & M S.* dedecoris, *male.*

Verſ. 12. Tyndaridæ Caſtores] *Sab.* & M S. Tunc dari dij Caſtores.

Verſ. 13. Dioſcuri] *Ita MS.*

Ibid. Tiſianes & Bucures Mauri] *Ita Sab. edit. Gelenius,* ignes & fulgores marini, *nimis calide.*

Verſ. 17. hi] *Sab.* hinc.

Verſ. 23. non vnum] *Ful.* num:

Verſ. 24. non innumeros alios quin imo] *Ful.* non innumeros, quininiò:

Verſ. 29. qua innati regione] *alij* qua nati in r.

Verſ. 32. nati homines] *MS.* nati nobis h.

Verſ. 38. Triptolemum] *Sab.* Neoptolemum, *male.*

Verſ. 40. cœtum] *MS. & Ful.* cenſum.

Verſ. 47. Nullius aliquando cognitione præſumptam materiam illius] *Ita Ful. Sab.* n. a. cognitione præſumptam materia illius. *male.*

Verſ. 48. aſcitur] *Ful.* adſciſcitur.

Ibid. Cur luna ſemper in motu indemnis creditur] *Sabæus,* cur luna ſemper in motu : idem ne quis creditur. *Ful.* c. l. ſ. i. m. idem ne orbis redditur, *alij.* c. l. ſ. i. m. iiſdem ne o. r.

Pag. 11. verſ. 2. victurine] *alij*, viſurine.

Verſ. 3. conſtrinxit] *Sab.* conſtringit.

Verſ. 4. infortnia] *Steuvich.* infirma.

Verſ. 7. traduxit] *alij*, tranſduxit.

Verſ. 10. in incudibus deos] *Ful. male* τὸ in *delet.*

Verſ. 12 ordinatum] *Hic aqua hæret emendatoribus prurientibus. Legunt* exornatum, diuatum, odoratum, ſordidatum.

Verſ. 16. dignis] *Steuvichius* diuis.

Ibid. nomini] *alij*, numini.

Verſ. 24. in fano eſt] *alij*, in Samo eſt.

Verſ. 29. Aquilius] *Ita Sab. edition. quod inepte mutant in* Acilius.

Verſ. 33. ſæuitate] *Sab.* ſæuitatem.

Verſ. 35. mactatis] *Ita* M S. *Sab.* aptatis, *male.*

Verſ. 38. inuitatis] *Ful.* indigetatis *inepte.*

Verſ. 39 funeſtis] *alij* funebribus. M S. funeſtibus.

Pag. 12. verſ. 10. re certa] *Ful.* re vera.

Ibid. ſine vllius rei dubitationis] *Ful.* τὸ rei *delet.*

Verſ. 14. iratus & percitus] *Ful.* ita percitus. *Sed nihil eſt mutandum. Vide Obſeruationes.*

Verſ. 19. & ſeq. ſuo geri ſub lumine] *Ita Ful. Saba.* ſui generis ſub lumine, *male.*

Verſ. 33. familiarum] *Ful.* familiarium.

Verſ. 39. nominis] *Ful.* numinis.

Verſ. 40. auxiliaribus plenum bonis] *Ita Ful.* Sab. a. p. nobis. *alij*, auxiliaribus plenum. *alij*, auxiliare plena bonis.

Verſ. 43. miſſam] *Ful* emiſſam, *ſed nihil eſt mutandum.*

Ibid. valetudines] *Ita Sab.* M S. inualetudines.

Verſ. 49. penetrabilis ille vitabat.] Ful. p. euitabat.

Pag. 13. verſ 1. deflabant] *Ful.* defluebant.

Ibid. eriam] *alij* etiam.

Verſ. 2. immobilitates] *Sab.* mobilitates.

Ibid. ingenitas] *Ful.* incognitas.

Verſ. 8. inlutum] *Ful.* illotum.

Verſ. 9. ſequentium ſe millia quinque, quinque ſaturauit è panibus.] *Ita Ful. &* M S.

Verſ. 13. voluminibus] *Ita Carrio ex* M S. *Vide illum lib. 2. emendat. cap. 13.*

Verſ. 17. certæ] *Ful.* certa.

Verſ. 21. vanis imaginationibus exiſtimarent] *Ful.* v. imaginibus æſtimarent.

Ibid. ſemel] *Ful.* ſe ſemel.

Verſ. 22. etiamnum] *alij*, etiam nunc.

Verſ. 25. efficit] *Ful.* facit.

Verſ. 28 exiliatis cujus] *Ita Sab. edit.*

Ibid. noſci] *Ful.* noſſe.

Ibid. reperirentur] *Ful.* reperientur.

Ibid. traditum] *Ful.* datum.

Verſ. 29. numinis) *Sab.* nominis.

Verſ. 42. medicaminis) *Meurſius gloſſema putat.*

Verſ. 47. querquetras) *Operarum error eſt, legendum enim* querquetas.

Pag 14. verſ. 3. attribuere) *Sab.* aut tribuere.

Verſ. 5. ſuperimponi) *alij*, ſuperponere.

Verſ. 7. enim) *Sab.* etiam.

Verſ. 9. quæ) M S. qua.

Verſ. 21. triuerunt) *Sab.* tribuerunt. *male.*

Verſ. 23. dicatis) *Sab.* dicetis.

Verſ. 35. abrogatores) *Sab.* arrogatores *Steuvech.* atogatores.

Verſ. 41. ſub eorum portantes & illi ſe caſibus) *Ful.* portatos & illi ſucceſſibus juſſione nuda ſanitati.

Verſ. 42. alia) *Ful.* nuda.

Verſ. 43. liniamenta) *Ful.* linimenta. *male.*

Verſ. 44. recuperare) M S. reciperare.

Verſ. 48. euagationibus) *Sab & M S.* euaginationibus.

Verſ. 7. ſitum) M S. ſitus.

Verſ. 8. ſed vt puſtulam, reduuiam, papulam) *Ita Ful. Sab.* ſed vt pullulare dubiam papulam, *inepte.*

Verſ. 13. operis) *Ita Ful. Sab.* potueris, *male.*

Verſ. 19. Hoſtanis) *Sab. &* M S. Zoſtriani.

Verſ. 20. Velus) *Steuvich.* Belus.

Verſ. 3. delituit in Chriſto) *Ita recte hunc locum conſtituerunt viri docti.*

Verſ. 38. noſcere] MS. noſſe,

Ibid. & merito] *Steuvich.* at emerito,

Pag. 16. verſ. 8. nomine] *Ful.* omine,

Verſ. 15. munerandis animis, hominibuſque portabat] *Ful.* munera Diis hominibuſque : *vel* munera nudis animis, ominibuſque : *vel* munera piis animis ominibuſque. *Carrio* munera ſanandis animis hominibuſque. *Ex his eligat lector quod placuerit,*

Verſ. 21. quod] MS. quo,

Pag. 25. verſ. 3. intercipere] MS. intercipi,

Verſ. 26. interpolata quædam & addita] *Ful.* i. quædam; quædam e : a,

Verſ. 27. prudentium tardarent] *Ful.* id credentium tardarent,

Verſ. 29 ſunt] MS. eſt,

Verſ. 31. compingimus] *Ita Sab. Fulv.* confingimus, *male;*

Verſ. 34. ediſſerta] *Steuvich.* ediſſertata.

Verſ. 35. conſcriptoribus] *Ful.* conſcriptionibus. *Sup.* ſi quæ ſunt litteris, conſcriptionibuſque mandata.

17. verſ. 4. aſſertionis] *Ful.* aſſertioni.

Verſ. 9. admitteremus] *Ful.* admittimus.

Verſ. 13. leve] *Sab.* grave, *Ful.* lene.

Verſ. 16. illis imo] *Steuvich.* illis ſimiis :

Ibid. delinimenta] *Saba.* deliniamenta.

Verſ. 17. ſuum] *Sab.* & MS. omnes vnum.

Verſ. 29. ſexum virilem] *Carrio ex MS.* ſecus virile.

Verſ. 30. applicet] MS. applicetur.

Verſ. 33. vitiorum criminamini fœditate] *Ita Sab. Editio.*

Verſ. 34. aliud] *Lipſius*, aliubi hæc viria *Ful.* alius h : u.

Verſ. 35. filus & filum] *Fulv.* hilus & hilum.

Verſ. 41. fœminine] *Ita Fulvius.*

Verſ. 46. Epicadios] *Sab.* Epicandeos, *male.*

Pag. 18. verſ. 4. ſuſciperet] *Ful.* ſuſtineret.

Ibid. ineptiſſime] *Ful.* inertiſſime.

Verſ. 5. eſt] *Ful.* etenim.

Ibid. quiret] *Sab.* quireret, *male.*

Verſ. 7. voluit] *Sab.* noluit, *male.*

Verſ. 10. ſeruatis] *Sab.* ſetuatus, *male.*

Verſ. 13. latenter inuolutæ] *Ful.* latentes, inuolutæ : *Stevvich.* latent altæ.

Verſ. 16. quod noſſe] *Sab.* quod non eſſe.

Ibid. conquireres] *Ful.* conquiris.

Verſ. 21. &] *Ful.* ſed.

Ibid. præſaga] *Sab.* præſagia.

Verſ. 23. ſi Bacis, ſi Helenus, ſi Martius] *Ita recte emendarunt hunc locum ex MS.*

Verſ. 25. eos] *Ful.* Deos.

Verſ. 26. aſſumpti hominis fuit, non ipſius] *Ita Fulvius Vrſinus.*

Verſ. 27. ſuccubuiſſet] *Ita Fulvius.*

Verſ. 28. fati] *Sab. &* MS. fatis.

Verſ. 32. quid enim] *Sab.* vides e.

Verſ. 35. colligare] *Ita Fulvius.*

Verſ. 40. duriſſimis] *Ful.* diriſſimis.

Ibid. imputandum] *Sab.* reputandum.

Verſ. 5. medelarum contra inſinuator] *Ful.* multa de illarum natura.

Ibid. inſinuator] *alii* inſinuauit.

Verſ. 43. ſuas] *Ful.* vias.

Verſ. 52. ſuis] *Ful.* ſæuis.

Pag. 19. verſ. 3. vitas veſtras] *Ful.* vitia veſtra, *male.*

Ibid. in temporis] *Ful.* qui ſui temporis : *Stevvich.* qui in tempus poſterum.

Verſ. 9. conuelleret] MS. compellere. *male.*

Ibid. Chriſtum conuellere, dilacerare] *Ful.* C, d. ſi poſſitis, vultis.

Verſ. 20. ingratum] *Tranſpoſitionem quam hoc loco fecit Canterus, Sab. editio damnat : & MS. quoque, vt monet Stevvichius.*

Verſ. 21. paratum] *Ful.* pronum. MS. priuatum.

Verſ. 24. accuretis] *Ita MS.*

Verſ. 39. hoſtibus diceret] *Ful.* omnibus, docuerit.

AD LIB. II.

Pag. 20. verſ. 4. & dicite] *Stevvich.* edicite.

Verſ. 10. poſſeſſionem] *Ful.* poſſeſſioni.

Verſ. 11. ſine vllius perſonæ] *Ful.* ſ. vllis perſonarum.

Verſ. 15. optaret] *alij.* aptaret.

Verſ. 16. prætenderit] *Ful.* prætenderet.

Verſ. 17. orbem] *Sab.* orbe.

Verſ. 25. dá verum judicium] *alij*, ad verum judicium: *alij*, da verum animæ judicium.

Verſ. 40. caſſa] *Sab.* paſſa, *male.*

Pag. 21. verſ. 8. amore] *Ful.* ad mores.

Verſ. 17. quod ab dominis ſe ſerui] *Ful.* quod ex dominis eſſe ſerui. *Canterus.* q. a. de ſ. ſ. c. affici quibuſvis ſtatuerint, malunt ſolui coniuges matrimoniis.

Ibid. quibus ſtatuerint] *Ful.* omnibus ſtatuerint, malint ſolui.

Verſ. 22. numquid] M S. an numquid.

Verſ. 24. carnificis] *Sab.* carnifices.

Verſ. 25. impendeant] *Ful.* impendant.

Verſ. 26. cognitas] *Ful.* incognitas.

Ibid. præponant.] *Sab.* proponant, *male.*

Verſ. 27. vos ſoli ſapientia conditi atque intelligentiæ vi mera, neſcio quid aliud videtis & profundum] *Ful.* ſapientiæ atque intelligentiæ v. m. neſcio quid abditum videtis & conditum. *Cant.* v. ſ. ſ. c. a. i. m. n. quid aliud. *Stevvich.* altius & profundius.

Verſ. 35. Lucilianum] *Sab.* Lucialinum, *inepte.*

Verſ. 45. perſpiciamus] *Sab.* perſpiciam.

Verſ. 46. inuidia.] *Stevvich.* inuida.

Pag 22. verſ. 1. ſubinflati] *Ita Sab.*

Verſ. 6. verumne] *Ita MS.*

Verſ. 12. & quid] *Stevvich.* ecquid.

Verſ. 25. ſuſcipiant, ſumant, atque aggrediantur] *Ful.* ſuſcipiamus, ſumamus, atque aggrediamur.

Ibid. actoris] *alij* actores, *alij ſic diſtinguunt*: à thoris peregrinamini. *alii* an remere p. *verba hæc deſunt in noſtra Editione.*

Verſ. 36. auctori] M S. autoribus.

Verſ. 41. ignem minatur mundo] *Ful.* igne minatur mundum.

Verſ. 45. recentioriſque] *Stevvich.* recentioriſve.

Verſ. 48. ſectarum] *Sab.* ſententiarum. *male.*

Verſ. 48. ire, *alij*, coire, ſcire.

Pag. 23. verſ. 4. in] *Ful.* cum, *male.*

Verſ. 9. ſed officiant hæc nihil, nihilque impediant] *Ita Ful. &* M S. *Sab.* efficiant h. n. n. i. *male.*

Verſ. 11. & 12. vos Platoni, vos Crotonio, vos Numenio] *Gelenius*, vos, P. vos Plotino, vos N. *Theodoretus ſerm. 2. de Principiis pag. 33.* αὐτὸ γὰρ τοιοῦτον τὴν Πλάτωνος διάνοιαν ἀναπτύσσοντες, καὶ ὁ Πλωτῖνος, καὶ Νουμήνιος. *Ful.* vos Plotino, vos Cronio, vos Numenio.

Verſ. 13. cum vtrique auctoribus ſtemus] *Ita feliciter Gelenius hunc locum reſtituit. Sabæi editio*, cum vtriſque auctoribus tempus, *inepte.*

Verſ. 38. promitteret] M S. permitteret.

Verſ. 39. ſtolidæ] *Sab.* ſolidæ, *male.*

Verſ. 47. attibus] *Stevvich.* ritibus.

Verſ. 49. currum *Ita* M S. aliter, curſum.

Pag. 24. verſ 9. illudere] *Alij hanc vocem putant abundare.*

Verſ. 15. fecerunt] M S. fecerunt.

Verſ. 18. quod] *alij*, qui.

Verſ. 23. deſituros] *Ful.* reditutos. *Stevvich.* deſituros: *in hac Editione*, exitutos.

Verſ. 26. abſtineatis] *Ful.* abſtinetis.

Verſ. 36. doloribus afficiat ſenſuum] *Ita Sab.* M S. doloris affici ſenſu. *In noſtra editione, doloris afficiat ſenſu.*

Verſ. 40. condemnate [*Ita* M S. vulgò condemnari.

Verſ. 42. vaneſcunt] *Stevvich.* euaneſcunt.

Verſ. 44. ſeminas] *Sab.* ſemina. *Ful.* miſericordiam.

Verſ. 47. per longiſſimi temporis cruciatum conſumentur igni fero] *Ita M S. Fulv.* per l. te cruciatum: *Sab.* perlongiſſimi t. cruciatum c. ignifero.

Pag. 25. verſ. 2. à nouis quibuſdam] *Ful.* à bonis quidem. *Sab.* à nobis. *In noſtra hac editione id quod nobis à quibuſdam dicitur viris.*

Verſ. 3. ſui.] *Sab.* ſibi, *male.*

Verſ. 11. ſunt ſententiæ] M S. non ſunt ſententiæ.

Verſ. 14. ſed] *Sabæus* &: *ita etiam in hac edit.*

Verſ. 21. coniungere] *Ful.* jungere.

Verſ 22. infirmioribus] *Ful.* infimioribus.

Ibid. inſtitutum] *Ful.* faſti typhum. *In hac Editione* iſtum typhum.

Verſ. 26. faſtu *Sab.* fauore, *in hac Editione* rumore.

Verſ. 27. cæteris] *Sab.* cætera.

Verſ. 32. reciprocatis *Ful.* reciprocis, *male.* Arnob. lib. I. cuius aer iſte, quem vitali reciprocatis à ſpiritu. *In noſtra Editione* reciprocatas.

Ibid. Conſimiliter] *Ful.* ſimiliter.

Verſ. 45. exutæ] *Ita recte Gel. Sab.* exemptæ. M. S ſumptæ.

Verſ. 50. obirent] *Sab.* aditent. *Et ita noſtr. Edit.*

Ibid. prauitate] *Sab.* patuitate. *Ita & noſtr. Edit.*

Verſ. 55. ſaxis & rupibos] *Ful.* ſaxis ſt c. r.

Verſ. 56. foſſilibus] *alij* foſſibilibus.

Pag. 26. verſ. 2. nouitate] *Fulv.* nauitate.

Ibid. tamen] *Ful.* & tamen.

Verſ. 3. poſſuimus] *Ful.* poſſimus.

Verſ. 4. omnigenæ] *Sab.* omni genere. *Ita & noſtra Editio.*

Verſ. 11. partum] *Sab.* paratum. *vt noſtra Editio. Fulv.* petitum.

Verſ. 15. coëmendata] *Ita* M S.

Verſ. 17. noſſe] M S. eſſe. *Ita & noſtra Editio.*

Ibid. trullas] M S, trulleos. *Ita & noſtra Editio.*

Verſ. 18. crateraſque] *Ita Ful. Sab.* cæteraque.

Verſ. 21. pepererunt] *Ful.* repeterunt. *Sed nihil eſt mutãdum.*

Verſ. 22. diuinas] *Ita Sab.* & M S. *Ful*, diuinitus.

Verſ. 34. diſcendi] *Ful.* ediſcendi. *noſtra Editio diſcedendi.*

Verſ. 33. tardi] M S. barbi, *Ita & noſtra Editio.*

Verſ. 35. quod ſi ea] M S. Quod etſi ea.

Verſ. 38. nata addiſcere *Ful.* natos diſcere.

Verſ. 43. non feruoris n...ius in calore] *Ita Canterus. Fulv.* non feruens nimio calore.

Verſ. 44. hyemalis] *Ita Fulvius.*

Pag. 27. verſ. 4. nec in ſermonem aliquem ora & labra diducunt.] *Ful.* n. i. ſermones aliquos. o. e. l. d.

Verſ. 8. inferatur] M S. inferantur.

Verſ. 14. fit] *Sab.* fieri. *in noſtra Editione*, fiet.

verſ. 15. porrigetur] *Ita Ful. Sab.* corrigetur.

Verſ. 17. atque adeo] *Sab.* à Deo. & ita noſtra edit.

Verſ. 22. principalis eſſe ſubſtantiæ portionem] *Ita Ful. Stevvich.* p. e. ſ. portionem tam lectam. *Sab.* p. e. ſ. portione jam læta ex fontibus.

Verſ. 31. mulus *Stevvich. alij* miluus.

Verſ. 34. ſolifugas] *alii* ſolipugas.

Verſ. 38. calantica] *Ita MS. Sab.* vtica. *in noſtra Editione* calantica.

Verſ. 39. traha] *Sab.* rota. *& in noſtra Editione.*

Verſ. 41. polubrum] *Stevvech.* colubrum. *male.*

Ibid. ſiliquaſtrum] *Ita recte Sabæi editio, nec neceſſe vt* ſeliquaſtrum *nobis hic obtrudatur.*

Ibid. lanciciula. *Ful.* lenticula.

Ibid. ſcopæ] *alij* copæ.

Verſ. 45. equidem formaturas varias reſpectans] *Ita Ful. Sab.* hæc quidem. In noſtra Edit. *conſpiciet hæc quidem, formatura varia res ſpectant.*

Pag. 28. verſ. 1. abjudicare] *Sab.* adjudicare.

Verſ. 8. dibus] *Ful.* cubus. *male.* Ita tamen in noſtra Edit.

Ibid. dynamis] *Ita Meurſius*, *alij*, dynamus

Ibid. numerus] *Sab.* vltimus, *male.* In noſtra Edit. *vltimo.*

Verſ. 10. ſenſurus] *alij*, hæſurus.

Verſ. 19. ſimilitudinis] *Ful.* ſimilitudinemque.

Verſ. 21. iners veluti puer] *Ita Ful. Sab.* iners valeat in aëre ſenſu nullo. In noſtra Edit. *idem erit iners valeat manere*; &c.

Verſ. 24. cogente] M S. cogendi.

Verſ. 26. reuolare] *Sab.* reuocare *male.*

Verſ. 27. ſedes] *Ful.* ædes. *male.*

verſ. 28. coruus] *Ita ex M S. emendant.*

Ibid. expromere] *Ful.* exprimere. *male.*

Verſ. 28. ſcientem] *Ful.* ſcienſque.

Verſ. 29. ſæculis] *Ful.* ſedibus.

Verſ. 33. amitti repetentiam] *Ful.* amittere ſcientiam.

Ibid. incorporalem animas ſubſtantiam] *Ita Fulvius Vrſinus*, in noſtra Edit. *incorporales.*

Verſ. 35. ſuaderi] *Ful.* videri.

Verſ. 37. & 38. in corporibus] *Ful.* incorporeus.

Verſ. 39. junctiones] *alij* vinctiones.

Verſ. 46. induere] *alij*, inducere.

Pag. 29. verſ. 1. audire auemus] *Ita Fulvius.* noſtra edit. *ſcire auemus.*

Verſ. 3. eorum commiſtione perfectæ] *Ful.* commixtione eorum effectæ.

Verſ. 10. res duas] *alij* r. diuerſas. *Sab.* r. contrarias.

Verſ. 21. mominis] *alij* nominis.

Ibid. proletarius cum ſit, claſſibus & capite cum cenſeatur] *Ita Gelenius hunc locum emendauit.* In noſtra Edit. *claſſicis.*

Verſ. 22. patriciæ] *Sab.* patriæ. *male.* In noſtra Edit. *nec patris clari tantis cum meritis nuncupare.*

Verſ. 24. aliis] *Sab.* malis. & ita Edit. noſtra.

Ibid. inanium] *Ful.* inani.

Verſ. 25. mala iſta cenſetis] *Ful.* alas iſtas noluiſtis.

Verſ. 27. infamiam] *Ful.* infamiæ. noſtra Edit. *infamia.*

Verſ. 29 præceps ſe ruat] *Ita Stevv. & Fulvius.*

Ibid. intrepidus] M S. ſecurus. vtrumque additur in noſtra Edit.

Verſ. 32. ſupernæ] *alij* ſuperæ.

Verſ. 41. illibatum] M S. illæſum tamen.

Verſ. 42. aſſumere] *Ful.* aſſumat.

Verſ. 44. ſuperuacua] *Ful* ſuperuacanei. & ita noſtra Edit.

Verſ. 53. affigere] *Ful.* affingere.

Pag. 30. verſ. 12. nec in naturam poſſe degenerare mortalem] *Ita MS.*

Verſ. 13. quod] *Sab.* quid.

Verſ 22. dedimus] *Sab.* dedidimus.

Ibid. mancipauimus] *Fulvius* mancipamus.

Verſ. 27. communi] *Sab.* commodi. *male.*

Verſ. 33. è nodis] *Sab.* ſenodes. *male.*

Verſ 34. volare] *Stevvich.* auolare.

Verſ. 35. ſedes] *Ita Stevv. Sab.* res, *male.*

Pag. 31. v. 1. compleri] *Ful.* conferre.

Verſ. 2. nomini] *Stevvch.* numini.

Verſ. 3. vitæ æternitate donati] *Stevvich.* vitæ æuiternitate donari.

Ibid. ſed ſi animæ mortales qualitatis] *Ful.* ſed ſi animæ qualitatis.

Verſ. 8. executioni] M S. obſecutionis.

Verſ. 11. mominis] *Ita recte Meurſ. alij*, nominis.

Verſ. 14. mutabiles] *Sab.* nutabiles.

Verſ. 18. ſi prolati] *Ita Fulvius.*

Verſ. 22. Dei] *Ful.* Deis.

Verſ. 29. neque ab vllo alio] *Ita Fulvius.*

Ibid. miſſione] *alij* juſſione, *noſtra Edit.* vinctione.

Verſ. 35. eſſentia] *Ita Fulvius Sab.* eſſe ſententia. *male.*

Verſ. 40. habuiſſent] *Ful.* hauſiſſent.

Pag. 32. verſ. 3. mundi perfectionem] *Fulvius* mundum perfectionis.

Verſ. 15. conferunt] *alij*, confert.

Verſ. 17. contentio] *Ful.* completio. *noſtra Edit.* conditio.

Verſ. 19. tertenæ] *Sab.* temerariæ. *male. noſtra Editio* metariæ.

Verſ. 22. pauidæ] *Ita* M S. *alij*, pauidi.

Verſ. 27. pellaci] *Ita* Ful. *Sab.* pellaciæ.

Verſ. 33. poſcerent] *Sab.* poſcerentur.

Verſ. 39. noſcere] *Ful.* noſſe.

Verſ. 42. natis] *alij* nata.

Ibid. prolatis] *alij*, prolata.

Verſ. 48. conſtituerent] *alij* conſtruerent.

Pag. 33. verſ. 2. & 3. ſupputandi ſe angerent inſania] *Stevvich.* ſupputandis ſummis augerent inſomnia. *Noſtra Edit.* ſupputandis ſe angerent inſomnia nominibus.

Verſ. 13. moribus] *alij*, oribus.

Verſ. 14. viuerent] *alij*, ducerent.

Verſ. 15. faciem] *Ful.* fauces.

Verſ. 17. his] *Ful.* catenis.

Verſ. 18. limbis] *alij*, nimbis, *male.*

Verſ. 19. nec in formis] *Ita Sab. editio. nec quidquam immutandum.*

Verſ. 21. & exponere] *Fulv* deponere.

Verſ. 25. alitibus] *Ful.* altilibus.

Verſ. 34. vilitatem] *alij*, virilitatem.

Ibid. in fornicibus obuiæ, nihil pati renuentes, ad oris ſtuprum paratæ [*Ita hunc locum ex MS. & Fulvii editione recte emendaui*, aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 44. juſſione] *Ful.* & *MS.* miſſione.

Verſ. 45. abſcedere] *Sab.* abſcondere.

Verſ. 50. præuidebat] M S. prouidebat.

Pag. 34. verſ. 5. mobiles] *Stevvich.* nobiles, *male.*

Verſ. 7. juſſiſſe] *alij*, juſſiſſet.

Ibid. ſub procellis agerent] *Fulvius*, procellis agerentur.

Verſ. 10. internorum paterentur vt aliæ laniatus muſculorum] aliter in Edit. noſtra, *Ita Fulvius.*

Verſ. 21. conſeruantia] *Canterus*, conſeruans.

Verſ. 22. eminus] M S. minus.

Verſ. 30. quæ vis latens] *Ita Modius*, *MS.* quamuis.

Verſ. 31. etiam] *MS.* & *Ful.* jam.

Verſ. 50. ſæuitate] *Ful.* ſexuitate, M S. ſeruitute. *male.*

Pag. 35. v. 4. in rebus humanis viri, ſapientes] *alij ſic diſtinguunt*, i, r, humanis viri ſ.

Verſ. 6. deſideraretur] M S. deſideraret.

Verſ. 10. definiti] MS. diffiniti.

Verſ. 12. ponderari] *Ful.* penderi.

Verſ. 16. admiratio] *Ful.* adunatione. *Stev.* adnumeratio.

Verſ. 17. materiæ] *Ful.* terræ.

Verſ. 19. in immenſo] *Ita Fulvius.*

Verſ. 23. vi] *Ita Ful. alij*, in.

Verſ. 24. & 25. pertinaci] *Sab.* pertinacium.

Verſ. 26. vt cauſas ſibi auferant lapſus] *Ita MS. alij*, ne cauſas ſibi adferant.

Verſ. 28. corrigi] *Sab.* corripi.

Verſ. 30. pote eſt] *Ita Sabaus.*

Ibid. In impari] *Ita Fulvius.*

Verſ. 32. imperfectum] M S. improbabilem.

Verſ. 52. qui] *Ful.* quæ.

Verſ. 55. credantur & viuere] *Ita Ful.*

Pag. 36. verſ. 3. hominum matrem] *Ita Fulv.*

Verſ. 11. animarum] *alij*, animas.

Verſ. 15. conferimus] *alij*, conferant.

Verſ. 16. ineptiſſimi & fatui] *Ita Ful. Sab.* ineptiſſimæ, fatuæ. *ineptè.* Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 20. poteſt] M S. poris eſt.

Verſ. 30. facinoribus] *Sabaus*, fauoribus, *male.*

Verſ. 34. maior] *Sabaus*, inanior, M S. immanior.

Verſ. 42. & 43. in inſcientiæ] *Ita Fulv.*

Pag. 37. verſ. 16. & abdita] M S. & abditæ caligine.

Verſ. 21. ſubrumpant] *Ful.* & *Modius*, ſubruant. M S. ſubripiant.

Verſ. 38. diſſona] *alij*, diſſonare.

Verſ. 43. & 44. conjectamus] *Ita MS. alii*, commentamur *Sab.* commetamur.

Verſ. 46. quæ] *alii*, qua.

Pag. 38. verſ. 1. habet] *Ful.* ambit.

Verſ. 5. ſe circumagat. *Ita MS. Saba.* circumagatur.

Verſ. 6. infinitus, an finitus] *Ita Ful.*

Verſ. 9. ſubapetiat] *Stevv.* ſuboperiat.

Verſ. 13. conuenerit, oportuerit figi] *Ita Fulv.* Aliter in editione noſtra.

Verſ. 18. & dicite] *Stevvich.* edicite.

Verſ. 19. niues plumeas & Æoli ora dilatarit] *Ful.* in plumulas & foliola dilatarit; ventus vnde.

Verſ. 22. terrarum] *Ful.* cæterarum aquarum.

Ibid. ſalſa] *MS.* ſola.

Verſ. 31. tedolentia] *Sab.* adolentia. *Aliter in edit. noſtra.*

Verſ. 32. ſciri, comprehendive] *Ita Ful.*

Verſ. 37. olores] *MS.* colores.

Verſ. 38. & qualitatum] *Ita Ful.*

Pag. 39. verſ. 8. Deo] *MS.* Dei.

Verſ. 13. ſupernatum] *Fulv.* ſemper natum.

Verſ. 16. animarum veſtrarum] *Ful.* & *Stevv. hæc delent.*

Verſ. 19. ſcholis] *Ful.* ſciolis.

Verſ. 28. longævas ſ. perpetuitates] *Ful.* longævæ eas ſ. perpetuitatis.

Verſ. 33. negent] *Ful.* arrogent.

Verſ. 42. junctionis] *Ful.* vinctionis.

Verſ. 43. ipſius *MS.* potius.

Verſ. 47. deponite] *Sab.* exponite.

Verſ. 50. potuiſtis] *Ful.* potuiſſetis.

Verſ. 51. cur omnino non omnes] *Ita Fulv.*

Verſ. 53. reſpuit] M S. deſpuit.

Pag. 40. verſ. 3. peccat] *Sab.* expectat *male.*

Verſ. 4. eligendi] *MS.* eligenti.

Verſ. 9. te muneris commoditate priuaueris] *Ita Fulv.*

Verſ. 20. volo.] *Ita Ful. Sab.* nolo. *male.*

Verſ. 22. inania] *Ita Ful.*

Verſ. 24. animis] *Ita Ful.*

Verſ. 28. pontificis] *Ita Sab. editio, nec temere id reÿciendum.* M S. pontificium.

Verſ. 50. conſtiterit] *Ita Fulv.*

Pag. 41. verſ. 5. & ad vos ſpectat] *Ita* M S.

Verſ. 11. ſpem præſumitis] *Ita Fulvius, alij.* ſ. prælij ſumitis.

Verſ. 13. ignis] *Ful.* τὸ Ignis *inducit.* Aliter in edit. noſtra.

Verſ. 22. Tullio] *Sab.* Tullo.

Verſ. 32. corporis] *Ful.* τὸ corporis *delet.*

Verſ. 34. etenim] *Ita* M S. *Aliter in Edit. noſtra.*

Ibid. & culta] M S. exſtructa. *Fulv.* exculta.

Verſ. 39. Theutin] *Sab.* Theutatem.

Pag. 42. v. 1. Alcmena] *Ful.* Camena.

Ibid. genitore Saturno] M S. g. Saturnio.

Verſ. 7. corporeæ] *Ita MS.* & *Fulv. Sab.* corpore.

Verſ. 21. quadringentos] *Recte Fulvius*, treecentos. *Suſ.* treecenti ſunt anni ferme.

Verſ. 25. genitalibus Opis adjunctus] *MS.* genialibus O. adjunctis.

Verſ. 33. Æneæ genitoris Larini] *Ful.* & *Giſanius.* Æneæ genitoris? cuius; *vel* Æneæ genitoris Aſcanij, Albani o. c. *Aliter in Editione noſtra.*

Verſ. 37. haud] *Ful.* aut.

Verſ. 41. ſuggeritis] *Ful.* oggeritis.

Verſ. 48. bonam] M S. longam, *alij*, longa.

Verſ. 55. ſequimur] *Ita Fulv.*

Ibid. oporteat colere, aut vbinam conueniat] *Ita Fulvius.*

Pag. 43. v. ſola] Fulv ſolo. *Aliter in Edit. noſtra.*

Verſ. 5. indicatur] *Ita MS.* & *Fulv.*

Ibid. Italas] *Sab.* Italicas,

Verſ. 10. aliquando] *Sab.* aliquanto.

Verſ. 12. cultum] *Ful.* verum cultum.

Verſ. 18. vos] *Sab.* nos.

Verſ. 31. nullis poteſt] *Ita Fulv.* & *Sab.* M S. vllis potens.

Verſ. 36. nihil omnino] *Ita MS.* & *Fulv. Sab.* nihilominus.

Verſ. 44. fecerunt] *Ful.* fecerint.

Verſ. 47 opportuiſſet] *Sab.* potuiſſet.

Pag. 44. v. 3. ſedes] *Ful.* ædes, *male.*

Verſ. 4. plenas] *Sab.* plenis.

Verſ. 14. adſcribere infortunio, voluptatem] *Hæc delenda putat Ful. Vrſinus.*

Verſ. 17. in carcerem hominem datum] *Ita recte hunc locum conſtituit Ful. Vrſinus.*

Verſ. 22. lancinatis & diu vexatis] *Fulv.* laniatis & diuexatis.

Verſ. 29. agitur] *Sab.* agatur.

Verſ. 32. nominis] *Ful.* numinis.

AD LIB. III.

PAG. 45. verſ. 6. ſtare] *MS.* reſtare, *male.*

Verſ 24. tacita ſe ſentit honorificentia] *Sab.* t. v. t. ſ. ſ. h.

Verſ. 32. recuſatis & renuitis] *Ita in MS. legitur.*

Verſ. 35. nominis] *alij* numinis.

Pag. 46. verſ. 1. acquieſcimus, conniuemus] *Ita MS.*

Verſ. 9. diebus impoſuerint ludicris] *Ful.* de rebus l, l; *Meurſius* d, i, luſtricis. *melius.*

Verſ. 12. in vlla] *Sab.* in nulla.
Verſ. 15. ſint] *Sab.* ſunt.
Verſ. 16. populares] *Hanc vocẽ Ful. inducit*, MS. popularem.
Ibid. quæ nominibus his cenſum complent] *Ful.* qui nominis huius c, c, Aliter in edit. noſtra.
Verſ. 29. Æſculapius] *Ita Ful*
Verſ 46. dicta] *Sab.* dictare.
Verſ. 47 refellitore] *Stevvich.* refellite.
Verſ. 52. ſignificantiam] MS, ſignificationem, *male.*
Verſ. 54. ſiue tu Deus es, ſiue Dea] *Ita Stevvich, rectiſſimè.*
Pag. 47. verſ 2. nam] *Ful.* at.
Ibid. eſſe] *Ita Ful. Vrſin.* Aliter in edit. noſtrâ.
Ibid. vi ſignificata ex generum diſiunctione] *Ful.* & MS. inſignita eſſe generis diſtinctione, *bene.* Aliter in edit. noſtra.
Verſ. 7. noua quoque ſuboriente fœtura] *Ita Ful. Vrſinus*, Aliter in edit noſtra.
Verſ. 8 recidiua] *Ful.* rediuiua. *inepte.*
Verſ. 9. ſi per] *Sab.* & *MS.* ſuper.
Verſ. 15. ludere] *alij*, lucere.
Verſ. 16. non eſt] *Ful.* non eſſet.
Ibid. vt enim] *alij*, ſicut enim.
Verſ. 21. etiam] *Ita Ful. Vrſin.*
Verſ 24. ut ad poſtremum] *Ita* MS. Aliter in edit. noſtra.
Verſ. 27. aboriri] *Ful* abortiri, *inepte.*
Verſ. 29. auet animus] *Ita recte Gelen. Sab. editio.* Habet etiamnum.
Ibid. chalcidicis] *Gelenius*, chalcæicis, *male.*
Verſ. 30. ab Iaccho Cererem] *Ita Carrio ex MS.*
Verſ. 31. Lueretij] *alij*, Luererina, MS. Lucretia.
Verſ. 34. telis] *Stevvich.* tricis.
Verſ. 35. hortari] *alij*, tortari.
Verſ. 36. diis] *Sab.* de his, *male.*
Verſ. 40 acerrimè] *Ful.* ægerrime.
Pag 48. verſ. 1. ſi modo ad illorum curam ſpectat] *Ita MS.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 3. atque] *alij* quam, Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 8. & velut re certa] *Ful.* & lege certaque a, f, Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 10. credita, ſocij] *Ita Ful. Sab.* creditæ ſociæ, *male.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 18. determinatis] *Sab.* atterminatis.
Verſ. 21. vertebrarum] *Sab.* verticum.
Verſ. 27. putari] MS. portari, *alij*, portare.
Verſ. 29. lienes] *alij*, venas *Stevvich.* renes.
Verſ. 34. pendere] *Stevvich.* pedere.
Verſ. 40. ſilunculos] *alij* cilunculos.
Verſ. 41. næuios] *Sab.* næuimos, MS. næuinos.
Verſ. 42. acriuoces] *Sab.* ſacriuoces, Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 45. leues] *Sab.* lenes, *male.*
Ibid. aquilos] *Sab.* aquilios.
Pag. 49. verſ. 12. eſſe] MS. fuiſſe.
Ibid. & honoris & dicis cauſa] *Ful.* ſed h, c, d, c, *Sab.* & h & doris c, *male.*
Verſ. 15. formamentis] *Ita MS.* & *Ful, Sab.* formam mentis, *male.*
Verſ. 18. reapſe] *Ita Ful Sab* in re ipſa, *male.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 22. ſuffunderent] *Ful.* effunderent.
Verſ. 23. ſanctus Pompilius] *Forte* ſi Ancus Pompilius.
Verſ. 30. elurino] *Ita* MS. *Sab.* veterino.
Verſ. 34. prohibemur aliorum] *Sab.* prohibemus aliquorũ.
Verſ. 36. ex fragili condolatus & fabricatus ſi reſta] *Ful.* c, f, coalitus c, f, t. *Stevvich.* c, f, l, dolatus ſeu f. eſſe teſta.
Verſ. 38. perhibetis] *Sab.* perhibitis, *male.*
Verſ. 41. nos] *Ful.* vos.
Verſ. 43. pupillis] MS. pupulis.
Pag. 50. verſ. 3. dirigere] *Sab.* dirigentem.
Ibid. exiſtimationem] *Ful.* æſtimationem.
Verſ. 5. nominis] *alij*, numinis.
Verſ. 13. ſupererat] *Ita* MS. *Ful.* & *Guilh. Sab.* ſuperat, *male.*
Verſ. 15. dii] *Ful.* diuini.
Verſ. 18. continuationibus] *Ful.* concinnationibus.
Verſ. 22. motibus] *Sab.* montibus.
Verſ. 23. venationum vt præpotens habeatur] *Ita Fulv. Vrſinus.*
Verſ. 30. fabricetur] MS. fabricet.
Verſ. 33. erras] *Sab.* & erras.
Verſ. 37. colere] *Ful* callere, Aliter in Edit. noſtrâ.
Verſ. 43. præceptionibus] *Sab.* perceptionibus, *male.*
Ibid. gnariores] MS. ignariores *Scaliger.* gnarures.
Verſ. 44. in quibus ſingulis euincant] *Ful.* in q, ſinguli ſe vincat, *Stevvich.* i, q, ſ, vigeant. Aliter in Edit. noſtrâ.
Pag. 51. verſ. 3. inimica] *Stevvich* nimica.
Verſ. 8. potiores] MS. portiones.
Verſ. 10. cur obliquata, dubia, cur obſcuritatibus ſubmerſa] *Ful.* cur obliqua & obſcuritatum, ſ, c, Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 13. ceroma] *Ful.* ceromaſi, Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 14. præſtat] *Ful.* præeſt.
Verſ. 15. compotes] *Stevvich.* compotir, *ineptiſſime.*
Ibid. infirmitate] *alii*, infimitate.
Verſ. 20. inexſpectata] *Ful.* inexpetita, MS. inextorta.

Verſ. 23. malis, juſtis] *Ful.* m. juſtis, injuſtis, ingenuis ſeruis.
Verſ. 28. nominis] *alij*, numinis.
Verſ. 30. Victa] *Ful.* Victua.
Ibid. Potua] *alii*, Pota.
Verſ. 35. vaſtitatem] *Ful.* vaſtitate.
Verſ. 36. Bellonas] MS. Bellonam.
Verſ. 47 parricidalis] *Ita Ful. Sab.* parricidali.
Verſ. 50. tali] *Sab.* talibus, *male.*
Pag. 52. verſ. 2. tenacium] *Ful.* tenaces.
Ibid. inceſta libidine] *Steuv.* in inceſtas libidines.
Verſ. 11. vnito] *Ful.* vnico, *Steuv.* vnicæ.
Verſ. 20. in] *Ita Ful. Vrſinus.*
Verſ. 47. Fonti] *alij*, Fauni.
Verſ. 33. vt quod Chronos eſt, habeatur Cronos] *Hac fruſtra eruditi viri delent.*
Verſ. 34. numen] *alij*, nomen.
Verſ. 43. ac dictitare] MS. vos addictare *male.*
Verſ. 45. Fluonia] *Sab.* Fluuionia.
Ibid. Oſſipagina] *alij*, Oſſipanga.
Ibid. Februtis] *Ful.* Februlis.
Ibid. Populonia] *Ful.* Populona.
Verſ. 51. Mentis] *Ita Sab.* & *MS. Meurſ.* Metis.
Verſ. 52. nata] *Sab.* elata, *male.* Noſtra Edit. *enata.*
Pag. 53. verſ. 2. ſali] *alij*, ſoli.
Verſ. 3. duos] *Sab.* & *MS.* duo.
Verſ. 5. hoc pacto] *Sab.* hoc acto. *male.*
Verſ. 10. ſola] *Ful.* illa.
Verſ. 16. cunctos] *Ful.* cuncta.
Verſ. 17. proſerpant] *Fulv* prorepant.
Verſ. 18. ſentientis] *Sab.* ſentiens.
Verſ. 19. attollentia ſe germina] *Ita Fulvius Vrſinus.*
Verſ. 22. prædicata. *Ful.* præjudicata.
Verſ. 24. Pythius] *Ful.* Sminthius.
Verſ. 26 induxerit] *alij.* indixerit.
Verſ. 27. differentias] MS. diſſidentias.
Verſ. 29. item] *Sab.* iterum.
Verſ 31. expolietur] *Ful.* & ſpolietur. *Stevv.* deſpolietur.
Verſ. 33. memorabiles] *Sab.* memorabili, *male.*
Ibid. columen] *Ful.* & *Stevv.* culmen, *inepte.*
Verſ. 36. rationale] *Sab.* rationabile, *male.*
Verſ. 37. fixa & certa] *Ita Fulv. Vrſin.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 40. coniunctionis] *τὸ* coniunctiones *MS. recte delet*, & *Fulv. Vrſinus.* Aliter in Edit. noſtra.
Ibid. ſenſus] *Ful.* cenſum.
Verſ. 50. quinimo] *Ful.* omnino.
Pag. 54. verſ. 6. quidem] *Sab.* quidam, *male.*
Verſ. 7. vlla] *Sab.* vna, *male.*
Verſ. 11. Ephorus] *Sab.* Iforus, *male.*
Verſ. 12. Myrtulus] *Ful.* Myrtilus, MS. Murcylus, *Sab.* Myrtilis.
Verſ. 25. in mouendis] *Full.* innouandis.
Pag. 29. verſ. 2. deos omnes] MS. regiones, vrbium, *Modius*, religiones.
Verſ. 36. in ſubſtantia] *Modius*, in eſſentia, *Steuv.* inſtaria.
Verſ. 37. rationes] *Ita Ful. Vrſin.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 38. labare] *Ita MS. Sab.* balare.
Verſ. 47. nomen eorum] *Ful.* omnes nouem eorum. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 51. ipſe aſſequens] *Canterus*, ipſe has ſequens. *Aliter in Edit. noſtra.*
Pag. 55. verſ. 4. miſerationis] *Ita Sab.* MS. *Ful.* memorationis.
Verſ. 5. exiſtimari] *Ful.* æſtimari.
Verſ. 7. concinens] *Ita* MS. *Sab.* continens, *male.*
Verſ. 8. finitur] *Ful.* finitum.
Ibid. fidum] *Ful.* ſolidum.
Verſ. 13. lauras] *Ful.* λαύρας.
Verſ. 14. quos quinque] *Ful.* quoſque *inepte.*
Verſ. 18. genios defunctorum] *Ita Ful. Steuv.* & functorum animas mortuorum.
Verſ. 20. de quo ambiguas] *Ful.* d. q. non ambig.
Verſ. 22. coaceruare] MS. coadunare.
Verſ. 23. certi] *Sab.* certe. *male.*
Verſ. 24. ſcire] *Sab.* dicere.
Verſ. 28. conſultationem] MS. conſolationem, *inepte.*
Verſ. 39. vexor] *Steuv.* verſor.
Verſ. 41. Indigeres Samothraceos] MS. eſſe digitos. *S. inepte.*
Verſ. 43. cognomina] *Ful.* nomina.
Ibid. propriatim] *Canterus* propritim.
Pag. 56 verſ. 2. perducere] *alij*, adducere. *alij.* ducere.

AD LIB. IV.

PAG. 56. verſ. 2. verumne] MS. verumine.
Verſ. 7. regionibus] *Fulv.* religionibus.
Ibid. conſecraſtis] *Sab.* conſecratis.
Verſ. 9. coæquatis & adiungitis] *Ful.* coaptatis ac iungitis.
Verſ. 10. honoraſtis] MS. oneraſtis, *male.*
Verſ. 15. viri] *Steuv.* virtuoſi.

Verſ. 18. eſt oppoſitionibus] *Ful.* eſt & oppoſ.
Ibid. inquietate] *alij*, iniquitate.
Verſ. 20. in actionibus affectibus fortuitis] *Ful.* in actionibus fortuitis. *Stenvech.* i. a. effectibus. f. In noſtra Editione *i. a. ac e. f.*
Verſ. 22. ignotorum]. *Sab.* ſignatorum. *male.*
Verſ. 27. eſſe occœpit] *Ita* M S.
Verſ. 31. capiat] *Ful.* caperet.
Ibid. vel *Ful.* &.
Verſ. 32. ante facta hæc ergo] *Ita* M S. *Sab.* patefacta & h. e.
Verſ. 33. nique] *alij*, neque.
Ibid. potuiſſet accipere]. *Ful.* potiviſſet. *vel* cœpiſſet.
Pag. 57. v. 3. quorumnam] *Sab.* quorumne.
Ibid. niſi moleſtum eſt] M S. ſi ne moleſtum eſt.
Verſ. 7. vtrique] *Sab.* vtrinque.
Verſ. 8. parris ex vnius] *Ita Fulv. Aliter in Edit. noſtra.*
Ibid. expulſione] *Ful.* pulſione.
Verſ. 12 poterunt] *Sab.* potuerunt.
Verſ. 15 Thraſimenum] M S. Thraſumeni.
Verſ. 18. defugerat] *alij*, perfugerat.
Ibid. Dij læui, deæ læuæ] *Ita Stenv. Aliter in Edit noſtra.*
Verſ. 25. dicimus] *Sab.* dicemus.
Verſ. 32. tranſit] *Ita* M S. *alij*, trahet.
Verſ. 39. adauctuſque] M S. adjectuſque. *alij*, affectuſque. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 41. Quid ergo ſi teſta] *Ita* M S. *&* *Steuvich.*
Verſ. 45. ſuis] *Steuvich.* ſummis.
Pag. 58. v. 5. admonent] *Ful.* admouent.
Verſ. 7. eſſe.] *Sab.* ipſa.
Verſ. 10. terendis] *Sab.* ferendis.
Verſ 11. Vibilia] *Sab.* Vpibilia.
Verſ. 12. extrema tempora] M S. e. ſunt t.
Verſ. 15. humanum genus] *Ita Ful.*
Verſ 16. Mellonia] *alij*, Mellona.
Ibid. Oſſilago] *alij*, Oſſipago. *Steuv.* Oſſipangæ.
Verſ 27. quid] *alij*, quod.
Verſ. 28. ſed] *Sab.* &
Verſ. 29 in] *Ful.* inditus.
Ibid. quis] *Sab.* qui.
Verſ. 32. Liburnum] *Ita* M S. *Sab.* Burnum.
Verſ. 33. experitur] *Ita* M S. Sab. expeditur, *male*;
Ibid. Limam] *Sab.* Lunam. *male.*
Verſ. 34. liminum] *Sab.* luminum. *inepte.*
Verſ. 36. Limos] M S. Limones.
Ibid. ſationis] *Sab.* latinis.
Verſ 40. quod ſi haberent in ſedibus] *Ful.* Quod ſi haberent in ſe diuos. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 42. attigimus] *Sab.* attingimus,
Verſ. 45. ficis] M S. ficubus.
Verſ. 46. quæ locis] *Ita* M S.
Verſ. 48. tutelaribus] *Sab.* tutelatoribus. *male.*
Verſ. 50. & Pag. 59. v. 1. quid dicitis ô patres nouarum religionum, qui poteſtatum] *Ita Sab. &* M S. *ſenſu nullo. V. Cl. Fridericus Lindebrogius, I C. feliciter hunc locum reſtituit, legendo.* Q. d. o. p. vanarum religionum? quid proteſtamini? *&c. Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 2. quiritaminique] *Sab.* queritaminique.
Ibid. Latem] M S. Lateranum. *ſed vulgata lectio bona eſt.*
Verſ 8. inoleſcant] M S. inſoleſcant.
Ibid. contendis] *Ita Ful. Deeſt in Edit. noſtra.*
Verſ. 11. ſuſpicionibus] *Ita* M S. & *Fulv.* *Sab.* ſuperſtitionibus.
V. 13. qui tandem facietis fidem] *Ita Fulvius Vrſinus. Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 16. aſtu] *Sab.* actu. *male.*
Verſ. 18. incantationibus] *Sab.* in actionibus. *Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 19. accitis] *Ita Steuvich. Sab.* actis *Ful.* certis.
Verſ. 15. ratione non deos pati] *Ita Ful. Aliter in Editione noſtra.*
Verſ 21. his] *Ful* deis.
Verſ. 23. interrogatis] *Ful.* interrogabitis. *Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 25. iſtum] M S. inſtituti.
Verſ. 27. interrogetis] *Sab* interroget.
Verſ 30. puereuli] M S. pueriruli.
Verſ. 31 in mores tetricos] M S. mares terrici. *Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 33. eſſent] *Ful* ſint.
Verſ 34 conſopita] *Ita* M S. *Sab.* compoſita.
Verſ. 37. judicii aeris] *Ita Ful.* Sab i. acres.
Verſ. 40. commodatum] *Sab.* commemoratum.
Verſ. 43 procreatus] *Ful.* prolatus. *male. Inf.* Maja tertius natus & Ioue procreatus.
Verſ. 44. referunt] *Sab.* res ferunt. *male.*
Ibid Ætheris] M S Ætherius.
Verſ. 45. æque Iouis filius & Hyperiona proditus genitrice] *Ita* M S. ſecundus Regina & Hyperione p. g. *Quam lectionem etiam retinere poſſumus. Nam Magnam Matrem Reginam dictam affirmat Diodorus Siculus lib 3. Bibliothe. pag. 191. & Auguſtin. de ciuitate Dei lib. 11 cap 19.*
Ibid. genitrice] *Sab.* genitore.

Pag. 60. v. 8. Pallantem] *Sab.* Corypallantem *Ful.* Corya Pallantem.
Verſ. 9. minutatim] *Ita* M S. *Sab.* minutum.
Verſ. 19. idonea motos] *Ita Fulv. Vrſin.*
Verſ. 21 aggredimurque] *Sab* aggrediamurque.
Verſ 25. tum numen] *Ful.* ac nomen *Aliter in Edit noſtra.*
Verſ. 27. minime inquit quinta Minerua tu ſis] *Ita Ful. Vrſin. Aliter in Edit noſtra.*
Verſ. 33. feres] *Sab* fers.
Ibid. ex.] *Ful.* τὸ ex *delet.*
Verſ. 35 plenam] *Ful* planè.
Ibid quærere] *Sab* quære.
Verſ 38. Neith] *Ita Ful. & Canterus Sabaus.* Nili *male.*
Verſ. 41. patienter] *Sab* patientiæ.
Verſ. 43 vſurpare] *Ful.* v Sai, cum ex cœno.
Verſ. 44 alienam *Sab.* aliam.
Verſ. 47 forcipes] *Sab.* fornices
Verſ. 51. inferia] *Ita Carrio ex* M S. *Sab.* in feriam. *malè.*
Pag 61. v. 6. tenditis & multiplicatis] *Steuv.* extenditis, multiplicatis.
Verſ. 11 libidinoſa extulerint fictione] *Ita* M S. *Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 23. hominum de Scriptis] *ita Fulvius.*
Verſ. 28. meminiſſe] *Sab.* nullum eſſe. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ 36. libidinoſæ] *Lego.* libidinosè *Sab.* libidinis.
Verſ 39. vos] *Ful* *eos.*
Verſ. 41. beneficiis obſcœnitatis] *Ful.* beneficio eos o.
Verſ. 42. expertes] *Steuv.* ex M S. a. n expertos d. e. o. cenſemus, aut ſi.
Verſ. 44. miſſos] *Ful.* emiſſos.
Verſ. 51. condicunt] *Sab.* conducunt.
Pag. 62. Verſ. 2. ſeuiſſe] *Sab.* ſæuiſſe.
Verſ. 5. diſſoluerentur] *Sab.* diſſoluerent.
Verſ. 9. fulgurans] *Sab.* fulgens.
Verſ. 16. gignitur] M S. genitur.
Ibid. coitus] *Sab.* cætus.
Verſ. 18. quam ipſe eſt natus atque editus] *Ita* M S.
Verſ. 20. ſyluarum habitatrix] *Ita Fulv. Vrſinus. Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 22. & ex femine iterum natus] *Ita Steuvich. ex* M S.
Verſ. 29. oris dignitas] M S. os, dignitas.
Verſ. 43. in ſe] *Ita Meurſius rectè: Sabaus*, inde.
Verſ. 48. propriam] *Steuv.* promptam.
Verſ. 49. afflictatur] M S. flictatur
Pag. 63. v. 5. ſuis diebus tantum] *Ita Fulv.*
Ibid. releuari] *Sab.* eleuari. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 7. à Ioue] *Ita Ful.* M S. *Sab.* nobis. *ineptè.*
Verſ. 16. Myrtilus] *Ful.* Myrſilus.
Ibid. Megaleonis] *Sab.* Meglaconis. *malè.*
Verſ. 17. ditatam] *Sab.* dictatum. *malè.*
Verſ. 21. Melæ] *Lego ex Plutarcho.* Meletis.
Verſ. 23. genitalibus] M S. genialibus
Verſ. 25. ſordidi] *Ful.* Sardibus.
Verſ. 27. moderatricem] *Sab.* modulatricem.
Verſ. 42. Ætuſas] *Sab.* Chryſas. *male.*
Pag. 64. v. 2. redderet] *Ita Ful. Vrſinus.*
Verſ. 9. ſexus] M S. *rectè hanc vocem inducit.*
Verſ. 14. caurum] *Canterus* cantum.
Verſ. 22. quæ in illorum maledicta conducitis] *Ful. Vrſin.* quæ in illos veſtra maledicentia c.
Verſ. 32. genitales] M S. genitabiles.
Verſ. 35. regali] *Sab.* reguli.
Verſ. 41. dolis] *Ita Ful. &* M S.
Verſ. 51. Nicanora.] *Sab.* Nicagora. *male.*
Pag. 65. verſ. 7. vos contra pios] *Ita Ful. Vrſin.*
Verſ. 13. cenſendus] *Sab.* conſentiendus *male.*
Verſ. 24. poſtulationibus] *Ita Sab. Ful.* pollutionibus M S. poſtilionibus. *Vide Obſeruationes.*
Ibid. piaculi] *Steuv.* piacularis.
Verſ. 25. ſympuuio] *Ita* M S. *Sab.* ſympiuio.
Ibid. rurſus] *Ita* M S. *alii*, curſu.
Verſ. 27. patrimus ille qui vocitatur] *Ful.* p. i. & matrimus q. v.
Verſ. 28. terram] *alij* thenſam.
Verſ. 33. voluptatem] *Sab.* voluntatem.
Ibid. minus] *Ful* minime.
Verſ. 39. Deorum] *Sab.* eorum.
Verſ. 49. patientiſſimas] *Steuv.* patentiſſimas. *inepte.*
Pag. 150. v. 6. incentiuo] *Ita* M S.
Verſ. 7. faia] *Sab.* facta. *male.*
Verſ. 8. cætu] *Sab.* coalitu, *inepte.*
Ibid. percenſetis, ediſcitis] *Ita* M S.
Verſ. 13. nomen] *Sab.* numen.
Verſ. 14. amaſius] M S. amaſio.
Ibid. velut] *Sab.* vel.
Verſ. 17. præditos] *Sab.* proditos, *male.*
Verſ. 18. quam] *alij* quibus.
Verſ. 20. certæ] M S. certiſſimæ.
Verſ. 22. mererent] *alij* meruerunt.
Verſ. 24. ſequius] *Ita* M S. *alij*, ſecus.
Verſ. 29. in quos jus] *Ita Ful. Sabaus*, in quoſvis.
Verſ. 30. conſinxerit] *Sab.* confixerit, *male.*
Verſ. 46. circumrentus] *Ita* M S. *& Guilhel.*

Verſ. 48. numinis] *Sab.* nominis.
Ibid. introducitur] *Ful.* inducitur.
Verſ. 51. ſubditiui] *Ita* MS. *Sab.* ſubditirij.
Pag. 67. verſ. 3. plauſibus] MS. plauſu. *Sabaus*, plauſis.
Verſ. 12. meruerunt] *Ita* MS. *Sab.* meruerint.
Verſ. 16. familiaris communicatores rei] *Ita Ianus Gulielmius alii*, familiares, communicatores rei.
Verſ. 17. germanitatis n. copulatio] *Stewich.* germanitas n. copulatos. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 26. corrupiſſe] *Sabaus.* corruiſſe.
Verſ. 31. furiis] *Ita* MS.
Verſ. 33. contactu] *Steuvich.* contentu. *Sab.* contenta *alii* conceptu. MS. comptu. *mendoſe.*

AD LIB. V.

PAG. 68. v. 2. neque] *alij.* quæque.
Verſ. 4. quotidiano] *Sab.* quodam ſuo.
Verſ. 14 mero vino] *Ita recte Ful. Vrſinus. Vide Obſeruat. Aliter in noſtra Editione.*
Verſ. 23. animali] *Ful.* anima. M S. animalia.
Ibid. piſcis] *Ita rectiſſime Gelenius. Vide Obſeruat.*
Verſ. 25. non] *Sab.* Numa. *inepte.*
Verſ. 29. ſint] *Sab.* ſunt.
Verſ. 36. vinctos] *Ful.* victos.
Pag. 69. verſ. 4. operis] *Steuv.* τὸ operis *putat redundare.*
Verſ. 7. meas] *Sab.* has.
Verſ. 8. ſacrorum vi vaneſcat] *Ita Steuv.*
Verſ. 16. tradere] *Ita MS. Ful.* traditis.
Verſ. 21. veruecino] M S. ceruicino.
Ibid. ſuillo an quoliber alio M S. ſ. an bubulo, an. q. a.
Verſ. 24. cæpitum] *Sab.* cæpitij.
Verſ. 29. Ioui] *Sab.* Iouis.
Verſ. 30. Deum] *Sab.* re.
Ibid. deceptum ſe doleat] *Ita Fulv. Vrſinus.* Aliter in Editione noſtra.
Verſ. 35. potuiſſe] *Steuv.* putauit. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 36. virum] *Ful.* vnum.
Verſ. 45. hinc] *Sab.* hanc.
Verſ. 48. ex vtroque ſexu] *Ita Fulv. Vrſin.*
Verſ. 49. præter ſe. *Ful.* præ ſe.
Pag. 70. verſ. 3. validiſſimi] *Sab.* validiſſimâ.
Verſ. 4. æſtaris] *Sab.* neceſſitatis.
Verſ. 7. exhalata ille vi meri] *Ita Scaliger & Vrſin* MS. exaltata. *Sab.* exaltatus.
Verſ. 8. eo quo fuerat] *Ful.* eo quo vir erat. *Inſ.* ſub quo Atys nomine ſpoliauerit ſe viri...... vt ille ſe viro, hæc mammarum honeſtate priuaret.
Ibid. diſcidio] *Sab.* diſſidio. *male.*
Verſ. 10. Sangarij fluminis] MS. Sang. vel fluminis.
Verſ. 13. formæ *Sab.* formas. *male. Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 14. ſcitulos] *Ful.* citulos. *inepte ſup.* ſcituli puſiones.
Verſ. 16. comes] MS. comis.
Verſ. 17. mimus] *Ita Canterus*, MS. minus. *alij* mitibus.
Ibid. tectis] *Sab.* rectis. *male.*
Verſ. 20. vnde vino] *Steuv.* vnde de v. *Ful.* vnde vinum.
Ibid. ſanctum] *Fulv.* ſanctuarium. *male.*
Verſ. 21. ſeſe inferre pollutis *Ita Ful. Vrſ.*
Ibid. pollutis] *alij* polluctis.
Verſ. 28. adorandorum] MS. ad orandum. *alij.* ad ora ſanctorum. *Ful.* ad ora deorum. *Meurtius.* ad ora amborum. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 35. Ion] *Sabaus.* Iam. *male.*
Verſ. 38. ſuffodit eam Deûm] *Ful.* ſuſtulit & ſepelit e. D. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 42. puteſcat] *Ita Sab. &* MS. Aliter in Edit. noſtra.
Pag. 71. verſ. 2. caſu] *Ita Ful. Vrſin. Sab.* cauſa *inepte.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 9. jaciendi] *Ita bene Steuv. Sabaus*, faciendi.
Verſ. 10. multiformibus] M S. multiformis.
Verſ. 18. continuatione] *Ita Ful. & M S. Sab.* cognitione. *male.*
Ibid. obſoleuiſſe v. ſordibus Deum.] *Ful.* obvoluiſſe v. ſ. d. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 21. eniſus eſt] *Ita MS. Sab.* enixus.
Verſ. 25. diſpuitur præſidij. M S. depuit *Modius* depuduit; p. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 28. vt vt] *Ita Ful. Vrſinus Edit. noſtra* vt.
Verſ 30. & matris] *Ful.* matris &.
Ibid. fœdus] *Ita MS. Sab.* fœdi.
Verſ. 32. obreptionis] *Ita recte Fulv. Sab.* objectionis.
Verſ. 36. conuentionis huiuſmodi cœptum] *Guilhel.* conuentiones in h. cætum.
Verſ. 37. repugnabat] MS. pugnabat.
Verſ. 38. cupidæ] *Ful.* cupitæ. *Editio noſtra* cupidè.
Verſ. 44. jaculatum] MS. jaculatam.
Pag. 72. verſ. 38. imitabatur atque referebat] *Ita Fulvius Vrſinus.* Aliter in Edit. noſtra.
Ibid. at] *alij*, &.
Verſ. 5. regione] *Steuv.* regimine.
Verſ. 9. poſſet] *Ita Sab. & alij.* eſſet.
Ibid. edomari] MS. edominari.
Verſ. 14. illis] *alij*, his.
Verſ. 16. curias] *Steuv.* curas.
Ibid. peniculamenta decurtantem cantheriorum] *Ita Ful. & Scaliger. Sab.* peniculantem decuramenta cantherios. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 17. mobiles] *Steuv.* artificij curatum.
Verſ. 22. inmortalium] *Sab.* mortalium.
Verſ. 31. puncti ſpatio] *Ita Ful. & MS. Sab.* punctis ratio. *male.*
Verſ. 34. ſaburaro] *Ita Fulv. & MS. Sab.* ſaburatio. *Aliter in Edit. noſtra.*
Ibid. impleris] M S. impleſtis.
Verſ. 35. dicunt] *Ful.* diſcunt.
Ibid. cuncti] *Steuv.* cati.
Verſ. 37. ſurgant] *Ful.* ſuriant. *ſed nihil eſt mutandum vide Obſeruationes.*
Verſ. 40. etſi gnatus eſſet] M S. deſignatus; *Steuv.* dedignatus eſt ſobolem.
Verſ. 42. ſecus virile] *Ita* M S. *Sab.* ſexus virilis.
Verſ. 43. marres] *Sab.* mares. *Deeſt in Edit. noſtra.*
Verſ. 48. exiſtimare] *Ful.* æſtimare.
Verſ. 49. admiramur] *Ita Ful. Vrſin.*
Verſ. 50. & 51. minus prouidam] *Ful.* nimis per viam. *Florus lib. 3. cap. 18.* Miſerabili funere mediam etiam vrbem perfecit. *Aliter in Edit noſtra.*
Pag. 73. verſ. 3. abſciſſæ ſocietatis objeciſſet offenſam] *Ita Ful. Sab.* abſciſſa ſatietatis o. offenſi. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 9. deſecta cum fluoribus] *Ita recte Ful. inſ.* ſub pini arbore ſibi genitalia deſecat.
Verſ. 15. credulis] *Ful.* quærulis.
Verſ. 22. non intериſſe] *Ita Ful. Vrſin.*
Verſ. 23. comparationem] *Canterus* comprobationem.
Verſ. 24. hiſcere] M S. *alij*, diſcere, *male.*
Verſ. 30. eſſe illam in diebus] *Ita recte Ful. Sabaus.* eſſe illam in rebus.
Verſ. 31. præſtructione] *Ita Ful. Vrſ.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 35. miſerimus] *Ful.* inſeruerimus.
Verſ. 39. exploratæ] M S. *& Ful. Sab.* explicatæ, *male.*
Verſ. 40. intromittis] *Ita* MS. *alij*, intermittitis.
Verſ. 44. Ion.] M S. *Ful. Sab.* Iam. *Meurſ.* Io. *Steuv.* Ia.
Verſ. 6. velamenta] *Puto hanc vocem abundare.*
Verſ. 9. ceremonias] *Ita Ful. &* M S. Sab. quærimonias, *male.*
Verſ. 12. inhiant] *Ful.* inant *&* initient. *alij*; ineant. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 16. traditis] *alij*, tradunt.
Verſ. 17. corporaliter] *Ful.* ſpecialiter.
Verſ. 18. quibuſdam] *Ita Ful. alij*, à quibus.
Verſ. 19. Faruam] *Sab. &* M S. Fætam. *male.*
Verſ. 23. Butas] *Ita recte Gelenius, Sab. &* M S. putas. *male.*
Verſ. 27. Corniculanæ] *Ita Ful. Sab.* Corniculæ, *male.*
Verſ. 30. immania] *Sab. &* M S. inania.
Verſ. 37. trucidatus] *alii*, trucidatur.
Verſ. 42. nidoris] *Sab.* odoris.
Verſ. 45. vates Thracius] *Ita Ful. Inſ.* Libros ſumat Threicij vatis.
Verſ. 46. ſumpta] *Sab.* aſſumpta.
Pag. 75. verſ. 4. ſpumat] M S. exſpumat.
Verſ. 6. Brimo] *Ita recte Ful. &* M S. *alii*, primo. *male.*
Ibid. appelletur] M S. appellaretur.
Verſ. 11. ipſi] *Sab.* ipſe.
Verſ. 14. concepti fœtus reuocatur ad curam] *Ita Ful. & Stenvich. alii*, concepit, f. r. a. c.
Verſ. 18. actus] *Steuv.* aſtus.
Verſ. 20. feri] *alii*, *fero.*
Verſ. 21. fortiſſimi] *Ful.* ſummi. *male.*
Verſ. 23. ſpecie] *Ful.* ſpecies eſt.
Verſ. 24. rei] *Ful.* rei tantæ.
Ibid. Tarentitum] *Ful.* tritum.
Verſ. 27. dimittitur] *Ful.* demittitur.
Verſ. 32. quantaſque ignominias] *Ful.* quantumque ignominiæ.
Verſ. 41. inſeratis) *alii*, conſecratis.
Verſ. 42. ſeges) *Sab.* ſedes, *male.*
Verſ. 45. maledictionis) *Ita Canterus &* M S. *Ful.* maletractationis.
Verſ. 50. ruminantem) *Ita Sab.* M S. rumigantem, *male.*
Ibid. ſuffragines talos molli fimo perlitum) *Ita Ful. Sab.* ſuffragine talo molliſſimo perlitum.
Pag. 76 verſ. 4. ferventi ſmiia) *Ita Ful. Sab.* ferventi nullas, *male. Aliter in Edit. noſtra.*
Ibid. diripientem) *Steuv.* diribentem.
Verſ. 16. ſunt (*Sab.* ſint.
Verſ. 18. aut ſimili) M S. aut in ſimili.
Verſ. 20. & pannychia ? ni graue vultis) *Ita Fulv. Sab.* & phaunicijs migraue. *ſenſu nullo.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 23. dictitent) *alii.* dictent.
Verſ. 25. virago.) *Ita* M S. *Sab.* virgo.
Verſ. 26. ſpecum) *Sab.* ſpeluncam.
Verſ. 29. & 30. flammis comprehenſas Ætnæis) *Ita Ful.*

Sab. f. onere preſſas Æ. *male*.
Verſ. 35. effluit] *Ita Ful*. *Sab*. & fluit.
Verſ. 39. cinnum] *Ita Canterus* & M S. *Sab* cynum. *male*.
Verſ 40 fortuna] *Sab*. fortunam.
Verſ. 45. ſecus femineum] *Ita Carrio ex* M S.
Verſ. 47. ſtriculus] *alii ex* M S. iſtriculus.
Verſ. 48 redit] M S. redita. *Steuvichius* ; redit ita.
Verſ 54. calide] *alij* callide.
Ibid. fingere] *Ful*. effingere.
Pag 77. verſ. 2 generi] *Sab* juri.
Verſ. 6. quas caua] *Ful*. ſuccutiens quas Baubo caua manu, nam pueriles Ollis *&c ſed nihil eſt mutandum*.
Verſ 12. Q Erictheo ſati] *Pithœus*. quid Erichtidæ o cati. *ſed vulgata lectio bona eſt, nec mutari debet*.
Verſ. 14. ſuſpectio] *ita Lipſius & M S*. *Ful*. ſuſpitio. *Sab*. ſuſceptio. *Aliter in Edit noſtra*.
Verſ. 15. produnt vrbes] *Sab* producunt turpes.
Verſ. 22 miſerorum] *Sab* miſeriarum.
Verſ. 27. ſpectaculo] *Sab*. ſpecu. *Ar. ob. inf*. illud ſpectaculum maximum Baubonis in inguinibus riſit —— ſpectaculi flagitioſa dulcedo. *Aliter in Edit. noſtra*
Verſ. 34. Alimuntis] *Ita rectè Franſc. Pithœus*. *Sab*. alimoniæ. *malè* Edit. noſtra *Alimontia*.
Verſ. 35 territoria] *Ful* tectoria. *malè*.
Verſ. 38. Liber] τὸ Liber *delet Steuv*.
Verſ 44. expeditionis] *Ita* M S. *Sab*. expetitionis.
Verſ 46 omnes] *Sab* omni.
Verſ. 47. ille] *Sab*. inde.
Ibid. decedit] *alij* decidit.
Verſ. 51. ſubdit] M S ſubſidit.
Pag. 78. v. 1. ſurientis] M S. *Sab*. luxuriantis.
Verſ. 7. & 8 cum criminatio] τὸ cum *Ful. addit*.
Verſ. 10. reliquo] *Sab* aliquo.
Verſ. 18. & 19. concubitus] *Ful. putat abundare*.
Verſ 24. intra] *Sab*. inter.
Verſ. 32. nullos] *Sab*. nullius.
Verſ. 37 ſubſiciuis. *Ita MS & Canterus* *Ful*. ſubſitiuis.
Verſ. 39. propagatores] *Ful*. propugnatores.
Ibid. num.] *alij* vnum.
Verſ. 45. inhoneſte] *Sab*. injuſte.
Verſ. 49. contumelias] *Ita* M S. & *Sab*. *Ful*. contumeliis.
Verſ. 56. dicit] *Sab*. dicet.
Pag. 79. verſ. 4. vt reris] *Ita* M S. & *Ful*. *Sab*. vt Cereris *ineptiſſimè*.
Verſ. 11. inclinatum] *Ita Ful*. & *Sab*. M S. indecorum. *Aliter in Editione noſtra*.
Verſ. 15. primum] τὸ primum *abundat*.
Verſ. 16. in conſilium ſcriptores aduocauere] *Ita Fuluius Vrſinus*.
Verſ 17. & 18. intercepta veritate] *Sab*. inter veritate capta. *male*.
Verſ. 19. quod] *Sab*. quid.
Verſ. 23. ſentire] *Ful*. ſentiri.
Verſ. 35. totas an bifarias] *Ita* M S. *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 42 jactum] *Ful. ſupplet*. vini jactum. *Inf*. vina per terras ſparſa diſtractis in viſceribus Liberi.
Verſ. 43. Brimo] *Ita* M S.
Verſ. 46. iſto] *Ita* M S. & *Ful*. *Sab* iſtæ.
Pag. 80. Verſ. 1. nouatio] *Steuv*. uudario. *malè*. Sup partem illam corporis per quam ſecus fœminium & ſobolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, facit ſumere habitum puriorem.
Verſ. 5. nec ad rerum vocare contextum] *Sab*. nec alterum rerum vocare c. *Steuvich*, ad alterum reuocare c. *Aliter in Editione noſtra*.
Verſ. 8 vniter conſcriptas] *Ita Ful*. *Sab*. communiter ſcriptas *Aliter in Editione noſtra*.
Verſ. 18. differitas] *Ita* M S. *Sab*. differentia.
Verſ. 24. virago] *Ita Ful. Vrſin*
Verſ. 35. ſatisfactio] *Ful*. & ſatisfactio.
Ibid. moribus & conditionibus] *Ful* nominibus & diſtinctionibus. *Steuv*. notionibus.
Verſ. 41 conſtitutum] *Ita Ful*. *Sab*. conſtitutum eſt.
Verſ. 42 conuerſionem] *Ful*. *Vrſin*. conuerſione.
Ibid. allegoricam] *Ful*. allegoriam
Verſ 46 pugna eſſe. *Ful*. pugna, pugna eſſe.
Verſ. 47. eadem, eademque] *Ita Steuvich*.
Verſ. 52. gentes] *Sab*. genitis *malè*. *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 53. inaniter] *Sab*. inania.
Verſ. 54. ſanctum] *Steuv*. ſanctuarium.
Verſ. 56. Ityphallorum] M S. phallorum.
Pag. 81. v. 4. & 5. hinnulæ] *Ful* hinnulea.
Verſ. 9. è rebus] *Ita Ful. Vrſin* *Aliter in edit. noſtra*:
Verſ 19. de opere] *Ita Steuv*. ex M S.
Verſ. 21. quam] *Ita* M S. *Sab*. atque.
Verſ. 24. grauiter] *Sab*. grauitas. *Aliter in Editione noſtra*.
Verſ. 25. fœdorum verecundia contegebat] *Ita* M S. *Sab*. fœdæ rei verecundia contegebatur. *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 37. ſubeat] *Sab*. ſubijciat.
Verſ. 45. commemoratis] *Ita Canterus* *Sab*. connumeratis.
Pag. 82. verſ. 2. dignius] *Sab*. dignus *Steuvich*. diuus.
Verſ. 10. cœtu] *Sab*. coitu.

Verſ. 11. occultatio] *Sab*. occupatio.
Verſ. 15. prurigo] *Ita Ful*. *Sab*. origo. *Steuv*. vrigo.
Verſ. 16. raptis] *Ita Vrſinus & Canterus* *Sab*. partis.
Verſ. 23. conſcriptione] *Ful*. conſcriptioni.
Verſ. 24. conquinaniſtis] *Steuvich*. coinquinauiſtis.
Verſ. 30. ad] M S. da.
Verſ. 34. &] *alij* ſed.
Verſ. 36. verecundia hæc laude] *Ful*. ver. laude. *Steuv*. verecundi ac lauti condigne. M S. ver. ac l.

AD LIB. VI.

PAg. 83. v. 2. infamias] *Vrſinus*. inſanias. *Lib*. 2. Nec per impias vagari ſuſpicionum voluerimus inſanias..... ſuſpicionum argutiæ...... inſpitionum audaciæ.
Verſ. 5. affingere] *Sab*. affigere, *male*. *Lib*. 5. Qui aut ſummo ſeruientibus regi crimen impietatis affingit.
Verſ. 10. eos] *Ita* M S. *Sab*. deos.
Verſ. 17. indigere quo] *Ita Ful*. *Sab*. addicere, quod *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 24. incommoditatibus] *Ita Ful*. *Sab*. commoditatibus.
Verſ. 26. eſſet] *alij*. eſt.
Ibid. pati, dolere, diminui] *Ita* M S. & *Vrſin*. *alij*. pati dolorem, diminui.
Verſ. 30. cælitus] *Vrſ*. cælitum. *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 32. ecquid] *alij*. & quid.
Verſ. 33. ponamus] *alij*. ponimus.
Verſ. 36. Numquid ei] τὸ ei. *Vrſ. addit*. Edit. noſtra &.
Verſ. 38. potiora] *Ita* M S. *Sab*. potentiora.
Verſ. 41. aut] τὸ aut *à Cantero eſt*.
Ibid. dicitis] *Steuvich*. ducitis.
Pag. 84. verſ. 5. quidem] *alij*. quidam.
Verſ. 25. obiectionibus] M S. obiectibus.
Verſ. 13. & Veneris, Apollo hic habitat] *Supplet Steuvich*. *ex* M S. & Veneris hoc Herculis, Apollinis, Ditis, quid eſt aliud dicere, quam domus hæc Martis eſt, hæc Iunonis, & Veneris, Apollo hic habitat, in hoc manet Hercules, illa Summanus. Ita non prima, &c.
Verſ. 16. ita] *Sab*. iſta.
Verſ. 19. inquit] *Ful*. inquitis. *male*.
Verſ. 33. audiamini] *Sab*. audiamus.
Verſ. 35. cauſa templum numinis alicuius] *Steuvich*. *ex* MS. τὸ cauſa & τὸ alicuius *delet*.
Verſ. 38. rogitare] *Sab*. cogitare, *malè*.
Verſ. 43. atque ita] *Ita* M S. *alij*. at ita.
Verſ. 49. ſuperlata] *Steuv*. tuberata. *male Arnob. inf* Polyandria illa Varronis, quibus templis contegantur, quaſque in ſe habeant ſuperlati ponderis moles.
Pag. 85. verſ. 2. Immarnachus] MS. Iminatanchus. *male*. Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 3. Eleuſinius] MS. Eleuſinio.
Ibid. ciuitati] *Ful*. arci.
Ibid. Celei] *Sab*. Elei.
Verſ. 4. humationis ſortitæ perhibentur officia] *Ita Vrſin*. *Sab*. humationibus perhibentur officio. *Arnobius inf* cum membris omnibus humationis officia ſortitum. Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 5. Laodiceque] *Sab*. Elaudiceque.
Verſ. 6. Clearchum] *Ita Vrſin*. & *Clemente Alexand*. *Sab*. Cleomachum. *quomodo & Euſebius* κλεόμαχον.
Verſ. 7. Leandrus] *Sab*. Leandrius.
Verſ. 10. primo] *alii*. Brimo.
Verſ. 13. Ægyptus] *Sab*. Ægyptius.
Verſ. 20. Valerianus] *Ful*. Valerius Antias.
Verſ. 21. & 22. à germani ſeruulo] *Ita Ful*. *Sab*. germani ſeruuli. *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 24. rei] *Ful*. τὸ rei *inducit*.
Verſ. 41. ita coli] *Ita Gelenius* & MS. *Sab*. eos inſolidi, *ineptè*. Edit. noſtra *ſic coli*.
Pag. 86. verſ. 1. potè eſt] *Ita Sab. editio*, MS. potis eſt.
Verſ. 2. alteri] MS. alteræ.
Verſ. 3. vulgaribus] MS. vulgariis.
Verſ. 5. nouiſſime] *Sab*. notiſſime.
Verſ. 7. effingitur] *Ita Sab*. MS. effigitur. *Steuv*. effigiatur.
Verſ. 16. fluorem] *Ful*. fluores. MS. fluorem pulſi & m. r. concitati.
Verſ. 17. rationibus] *Ful* lationibus.
Verſ. 18. inter Deos videmus veſtros] *Ita* MS.
Verſ. 19. mero oblita minio, & nomine truci, ſerio nuncupari] *Ita Ful*. *Vrſin*. & *Lipſius*. *Sab*. m. o. m. & n. frugi. ſ. n. *alij*, & nomine trucis feræ n. *Aliter in Edit. noſtra*.
Ibid. oblita] *Ful*. oblitus. *Aliter in Edit. noſtra*.
Verſ. 20. ſuperorum] *Sab*. ſuperiorum.
Verſ. 22. facie] *Sab*. facies.
Verſ. 23. de gutture] *Ita Gelen*. & *Ful*. *Sab*. decotoro. MS. cotoro. *Rigaltius*. de ceroto. *alii*. de colore.
Verſ. 26. credere] *alij* dicere.
Verſ. 28. & 29. ramum pro Cinxia Theſpios.] *Ita Ianus Guilhelmus*, & MS. *Sab*. r. procinexia Theſpios.
Verſ. 32. Æthelus] *Sab*. Ethedius.
Ibid. pluteum] *Ita Canterus* & *Vrſ*. *Sab*. puteum.

Verſ. 34. ipſa] M S. illa.
Verſ. 36. ſuffragines] *Sab.* ſuffraginem.
Pag. 87. verſ. 11. interſtinctio] *alij* interſtitio.
Verſ. 20. ſolertiarum] *Ful.* ſolerti aliarum.
Verſ. 22. negotia Theſpiaca] *Male Vrſ.* τὸ negotia *inducit.*
Ibid. culmine] *Sab.* acumine.
Verſ. 26. veritas] *Ful.* nauitas.
Verſ. 32. Pantarces] *Sab.* Pantarches. *male.*
Verſ. 40. vinctorem] M S. junctorem.
Ibid. habitu eis per ſe datos] *Ita Fulv. Sab.* habitus e. p. ſ. datos.
Verſ. 42. adoraretur] *Ful.* adnotaretur. *male.*
Verſ. 47. vobis] *Sab.* his. *male.*
Verſ. 50. ex] *Sab.* &.
Pag. 87. verſ. 1. groſſis] *Ita Vrſinus Sab. & MS.* groſſis. *male.* Aliter in Edit. noſtra.
Ibid. & 2. forcipibus] *Ita Ful. Sab.* furfuribus. *male.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 5. artem] *Sab.* partem.
Verſ. 6. fauore] *Ful.* fauores. *Aliter in edit. noſtra.*
Ibid. & 7. ſuccurrere] *Ita Sab. &* M S. *alij*, accurrere.
Verſ. 20. æs mutat, aut teſtulæ] *Ita Stewvich. & Vrſinus. Sab.* æs mutata, vt teſtula.
Ibid. cogit] *Sab.* cogat.
Verſ. 21. inſenſilia, *alij* inſenſibilia. *male.* vid. Obſeruation.
Ibid. fuerunt] *Fulv.* fuerant.
Ibid. facit.] *Ful.* faciat.
Verſ. 22. moueantur] *Stewv.* motentur.
Ibid. retineant] *Fulv.* retinent.
Verſ. 23. corporibus] M S. corporalibus.
Verſ. 29. acquiſitiones] *Sab.* acquiſitionis.
Verſ. 31. vacuæ] *Ful.* fatuæ *inf.* vacua imagiuatione.
Verſ. 42. obſcuritatis] *Ful.* obſcurata.
Verſ. 44. vanitates] *Ful.* nauitates.
Verſ. 47. incuria] *Ful.* injuria.
Ibid. ſitu ſpeciem] *Sab.* ſitus ſpecie. *Aliter in Edit noſtra.*
Verſ. 48. cauis] *Sab.* cauſis. *male. Fulvius* caſis *Stewv.* caueis.
Verſ. 50. ſpem] *Ful.* ſtupam.
Pag. 89. verſ. 1. mollities] *Sab.* mollitie. ſollicite. *Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 4. ſplenas] *Ita Auratus Sab.* plenas. *Ful.* tela. *Sed prior lectio verior. Martialis*, ſplenia tolle, leges.
Verſ. 8. deijcere] *Ita Ful. Sab.* dicere *male.*
Verſ. 9. inſtincta] *Sab. & MS.* diſtincta.
Verſ. 15. junctioni] *Ful.* vinctioni.
Verſ. 20. irrogatis] *Sab.* irrogati.
Ibid. ſi inuiti] *Ful.* τὸ ſi *delet.*
Verſ 21. & 22. cogantur voluntariæ obſecutionis] *Ful. ſic diſtinguit*: cogantur. Voluntariæ. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 23. vincti omnes] M S. anteponant vinctiones, vt propemodum. *Aliter in Edit. noſtra.*
Ibid. nobilitent] *Sab.* nobilitatis. *male.* Aliter in Editione noſtra.
Verſ. 36. maximitatem] *Sab.* maximitate.
Verſ. 37. in ſtantibus] *Sab.* inſtantibus. *male.*
Verſ. 44. priua.] *Ita Ful. Sab.* priuata.
Verſ. 49. veritatis] *Sab.* veritati.
Pag. 90. verſ. 1. alimoniamque] M S. alimoniaque.
Verſ. 5. nomine] *Ful.* crimine, *vel* momine, *id eſt* momento.
Verſ. 13. ludens] *Ful.* luſit.
Verſ. 22. jocaretur] *Sab.* loqueretur, *male.*
Verſ. 24. ſedes] M S. ædes.
Verſ. 28. ſpretos ſe] τὸ ſe *Ful. addit.*
Verſ. 31. animo] *Sab.* anima.
Verſ. 32. vxoria] *Ful.* vxoris.
Verſ. 33. vacua] *Sab.* vacuæ.
Verſ. 35. rebus eius] M S. reapſe. *Stewvichius* reatu eius. *bene.*
Verſ. 41. quod ab ſe] *Fulvius*, quod ſe.
Verſ 53. Epheſo] *Sab.* Epheſi.
Verſ. 54. Dodone] *Sab.* Dodonæ.
Pag. 91. verſ. 1. ſcrupulum] *alij* ſcripulum.
Ibid. hoſpitis] *Sab.* hoſpitiis.
Ibid. & 2. Varro vt dicit in Menippæis] *Ita Ful. Sab.* V. v. d. ſe Thenipeus. *inepte. Aliter in Editione noſtra.*
Verſ. 4. ſuſpitione] *Stewv.* ſuſpectione.
Verſ 5. tenebrarum] *Ita Ful. Sab.* remedorum.
Verſ. 8. ſubjecta] *Sab.* objecta.
Verſ. 40. & 41. humanum] *Sab* hominum. *male.*
Verſ. 41. affigeretur] *Ful.* figeretur.
Verſ. 42. caliendra] *Sab.* caliendria.
Verſ. 49. monſtruoſiſſima toruitate animis] *Ita Fulv. Sab.* monſtruoſiſſimas toruitates annis. *male.* Aliter in Editione noſtra.
Verſ. 7. affixa] *MS.* fixa.
Verſ. 12. circumlocutionibus] *Ful.* circumlationibus.
Verſ. 13. minimum tribuamus] *Ita Ful. Sab. &* M S. q. minime attribuamus.

AD LIB. VII.

PAg. 92. verſ. 6. integrior] *M S.* verior. *Editio noſtra habet vtrumque.*
Verſ. 12. ſerie] *Ful.* ſeriem.
Verſ. 17. quod] M S. quo.
Verſ. 21. terrenæ] *Sab.* terrenas.
Pag. 93. v. 8. vda] *Sab.* ſuda. *male.*
Verſ. 10. poteſt] M S. potis eſt.
Verſ. 14. è paſtu] *Ita* M S.
Verſ. 15. ſuccenſis adijciuntur] *Stewvich.* ſ. thura. a.
Verſ. 26. prouolui & inteſtina] *Ful.* prouolui inteſtina.
Verſ. 27. tremebundas] *Ful.* tremebundis.
Verſ 28. prius] *Sab.* apertius. *Edit. noſt.* potius.
Verſ. penult. ruperimus] *Sab.* reperimus.
Verſ. 31. diffundique] *Sab.* diffindique.
Verſ. 34. nec voluptas eſt vlla] *Sab.* vna.
Verſ. 37. at] *Sab.* &.
Verſ. 39. conſentaneum] *Stewv.* ex M S. conſectaneum.
Verſ. 49. conueniet] *Sab.* conueniat.
Pag. 94. v. 1. læta] *Ful.* lauta. *Sic inf.* homo lautus --- nec ab homine lauto.
Verſ. 3. deſignauerit] M S. diſſignauerit.
Verſ. 4. quas irarum] *Sab.* quaſi parum. *inepte.*
Verſ. 11. viſi] M S. vlli.
Verſ. 12. ſeſe eſſe] *Ita M S. Edit. noſtra.* ſe.
Verſ. 15. abire] *Sab.* & M S. obire.
Verſ. 16. & 17. vitulum] *Ful.* vel pullum.
Verſ. 19. & 20. quo animis] τὸ quo *Fulvius addit.* Aliter in Edit. noſtra.
Verſ. 21. pupulos] *Stewv.* pupulas.
Verſ. 26. habere] *Ful.* tribuere.
Verſ. 32. quum] *Sab.* quod, M S. qui.
Verſ. 34. numen] *Sab.* nomen.
Ibid. vt ſcis] M S. vt ſcitis.
Verſ. 37. numen] *Sab.* nomen.
Ibid. ante] *Ful. & Gel.* aut te, *male.* Aliter in Edit. noſtr.
Verſ. 40. luatur è ſanguine] *Fulv.* τὸ è *inducit.* male
Verſ. 41. perducatur] M S. producatur.
Pag. 95. verſ. 7. commentatus] *Ful.* commentus.
Ibid. queant] *alij.* nequeant.
Verſ. 26. voluerint] *Sab.* noluerint.
Verſ. 34. inquiunt] *Ful.* inquient.
Verſ. 42. conſiunt] *Ita Cant. Sab.* conficiunt *Ful.* conficiát.
Ibid. agit] *Ful.* aut agit.
Ibid. præſcriptus] *Sab.* perſcriptus.
Pag. 96. verſ. 14. exceptione] *Ful.* acceptione.
Verſ. 16. fauorem] M S. fauores.
Verſ. 24. & 25. dignitatibus] M S. dignitatibuſque.
Verſ. 30. acclinis] *Ita* M S. *nec aliter citatur ab eruditiſſimo Briſſon. lib. 1. de Formulis. pag. 38.* Sab. accliuis. *male.*
Ibid. & 31. ancillarum ſeruuli] *Ful.* ancillæ, aut ſeruuli.
Verſ. 33. ſuſpectio] *Sab.* ſuſceptio.
Verſ. 36. comparationibus] M S. conjectionibus.
Ibid. vero] *Sab.* quarto.
Ibid. honori] *Sab.* honoris.
Verſ. 37. accedere] *Ful.* addere.
Verſ. 39. incipiunt] *Sab.* concipiunt.
Verſ. 43. vt inferior deus ſit] *Stewv. ſupplet. ex* M S vt i. d. ſ. q. h. m. h. homo vero ſublimior qui auget potentiam numinis.
Verſ. 48. potentioribus acceperimus imperiis] *Ful.* potentioris a. imperij.
Verſ. 50. ne] *Sab.* Quæ *male.*
Ibid. opinio de his] M S. o. d. h. primum digna, recta & honeſta, nec turpitudinis alicuius deformitate culpabilis. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 53. tum] *Sab.* tunc.
Pag. 97. verſ. 1. affici] *Ita Sab. Ful.* affligi. *male.*
Ibid. rei] *Ful.* naturæ.
Verſ 2 æſtimare] M S. æſtimari.
Verſ. 6. ſtruibus] M S. ſtructibus. *Aliter in Edit. noſtra.*
Verſ. 14. ſui natura] *Ita Ful. Sab.* ſenſus natura.
Verſ. 21. ſolifugas.] *Ita Sab. Ful.* ſolipungas. *male.*
Verſ. 27. iidem] *Sab.* idem.
Verſ 25. cenſu] *Lege* ſenſu.
Verſ 33. facere] *Ita Guilhel. & Ful. Sab.* facerent.
Verſ. 34. appoſitione] *Ful.* appetitione.
Verſ 43. puteſcant.] *Ita M S. & Sab. alij.* putreſcant.
Verſ. 44. cerneris] *Sab.* cernitis.
Verſ. 46. curam] *Ful.* culturam.
Verſ. 47. inualetudinem vertere] *Ful.* in voluptatem v.
Verſ 52. ea quæ] *Sab.* eaque. *male.*
Pag. 94. v. 4. buculis] *ita Ful. recte Sab.* bubulis. *Stewvich.* viculis. *male.*
Verſ 25 Inſcientibus ſcrophis] *Ita Ful. Vrſinus recte. Sab.* ingenetibus, *male. Vid. Columella lib. 7. cap. 8. Varro de re ruſtica. lib. 2. cap. 8.*
Ibid. artis] M S. tetris.
Verſ. 8. animalis] *Ful.* τὸ animalis *addidit.* Aliter in Editione *noſtra.*

Verſ. 15. & 16. vicerit] *Ita* NS. *Ful.* euicerit. *Sab.* iuſſerit.

Verſ. 18. inueniri] *Ful.* iriri.

Verſ. 24. præſcribunt] *Ita* *Ful.* *Sab.* perſcribunt.

Verſ. 25. omnium] *alij.* hominum. *male.*

Verſ. 35. coloris] *Sab.* colores.

Verſ. 41. nigra, furuique exiſtimatis] *Ful.* nigri, furuique æſtimatis.

Verſ. 45. ferre] *Ita Sab.* MS. *&* *Fulv.* *Steuv.* inferre.

Verſ. 47. addiſcere] MS. diſcere.

Verſ. 52. procurationemque] *Steuv.* procurationumque.

Pag. 99. verſ. 9. pactione] *Sab.* pactionis.

Verſ. 13. ratio] MS. datio. *male.*

Verſ. 19. fœtas] *Anton. Auguſtin.* fordas *male.* MS. majoris amentiæ eſt fœtas iugulare telluri.

Ibid. quoniam] *Sab.* quam.

Verſ. 27. &] *Ful.* τὸ & *addit. Deeſt in Edit. noſtra.*

Verſ. 30. non poſſe] MS. nos non poſſe.

Verſ. 44. contractus] *Ful.* contactus. *male.*

Verſ. 45. exagitentur] *Sab.* exagitantur.

Pag. 100. verſ. 3. longano] *Sab.* longauo. *Vide Obſeruationes.* Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 4. quid tædæ] *Ful.* tuceta.

Ibid. & 5. tæniæ] *Ita Scaliger* Sab. neniæ. *male.*

Verſ. 7. porrectio] *Petrus Daniel*, profectio.

Verſ. 10. ex quibus eſt omenti pars quædam] *Ita Ful. Vrſinus.* Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 13. fritilla] *Sab.* fit illa.

Verſ. 15. & ipſis non eſt] *Ita Ful. Vrſin.*

Verſ. 19. hiræ] *Sab.* diræ. *male.* Aliter in Edit. noſtra.

Verſ. 20. rumas] *Sab.* ærumnas. *male.*

Verſ. 21. vitulis] *Ita Ful. Vrſin. Sab. Carrio &* MS. ſeculis. *recte. Vid. Lucretius.*

Ibid. augmina] *Ful.* augmenta.

Verſ. 22. velamen ſanguinum] *Ita Sab. Ful.* vel amen ſanguinum. *Aliter in Edit noſtra.*

Verſ. 28. & 29. fratribus] *Ita Sabaus & Canterus. Ful.* fratribus. *Aliter in Edit noſtra.*

Verſ. 30. innumeras] M S. numeras.

Verſ. 33. proſicias] *Sab.* præſicias.

Verſ. 36. cauda] M S. coda.

Ibid. hiræ ſolæ, omentum ſolum magmentorum] *Sab.* iræ ſolæ nomenque ſolum augmentorum. *Aliter in Editione noſtra.*

Verſ. 38. hæc] *Ful.* ac.

Ibid. matcolis] *Ful.* macteolis.

Verſ. 39. admoueant] *alij* amoueant.

Verſ. 43. tænias] *Sab.* nænias.

Ibid. penitas] *Sab.* redemptas

Verſ. 44. ſunt] *Sab.* fiunt.

Verſ. 46. poteritis] *Ful.* potueritis.

Pag. 101. v. 16. accedit] *Sab.* accidit

Verſ. 22. odore] *Ful.* ardore.

Verſ. 39. & 40 ſuffitionibus] M S. ſuffectionibus. *malè.*

Verſ. 43. deorum] *Fulv.* τὸ Deorum *delet.*

Verſ. 47. & quæ alios] *alij*, vt quæ illos. *Aliter in Editione noſtra.*

Verſ. 50. attactu, ita afficitur] *Ita Ful. Sab.* attactum ita efficit. *Aliter in Editione noſtra*

Verſ. 51. contagij *Fulv.* compagiique.

Verſ. 53. ſoliditatis] *Sab.* & M S. validitatis. *alij* obliditatis.

Verſ. 54. neque] *Sab.* nec.

Pag. 102. v. 6 ſiccitates] *Ful.* ſiccitatem.

Verſ. 7. ſolitos] M S. ſolidos. *Bene lib. 2. fol. 58.* cum experit ſolidioribus cibis infans debere fulciri.

Verſ. 10. ſympuviaque] *Sab.* ſympiniaque. MS. ſympubiaque.

Verſ. 18. viſcus] *Ita lege, alii* miſcus. *Gelen.* cniſſas. *Aliter in Edit. noſtra.*

Verſ 24. nimirum] *Sab.* primum. *malè.*

Verſ. 25. plus] MS. τὸ plus *non habet.*

Verſ. 28. Veneri] *Sab.* Venereis. *alij.* Veneris.

Verſ. 38. & 39. obligabitur cæterum] *Ita Ful. Vrſinus.*

Pag. 103. verſ. 6. & 7. domuitiones] *Sab. &* MS. dormitiones.

Verſ. 9 lauantibus] *Canterus.* labentibus. *Sab.* lauentibus.

Ibid. antigua] *Ful.* aliqua. *Steuv.* antiquæ.

Verſ. 12. ſuaſionibus] *Steuv.* vaſionibus. *Aliter in Edit. noſtra.*

Ibid. contractis] *Sab* contracti.

Verſ. 18 illatarum] *Sab.* illatas.

Verſ. 31. ſalpictarum] *Sab* ſalpictanum. *Scaliger &* MS. ſalapittarum.

Verſ. 33. cauſa. *Sab.* culpa.

Verſ. 34. inanibus] M S. immanibus.

Verſ. 43. ceſſatione] *Ita* M S. *Sab.* ceſſione. *Ful.* ſeſſione.

Pag 104. v. 20. juramus] *Ful.* firmamus. *vel* judicamus.

Verſ. 22. quas] *Sab.* & eas. M S. eſſe & eas conſtat & l.

Ibip Diſcordiarum] *Ful.* Diſcordias.

Verſ. 24. hæc] *Sab.* vero.

Verſ. 25. disjuncta] *Sab.* disjunctas.

Verſ. 28. obeuntium] *Sab.* obeuntibus.

Verſ. 34. credat] *Sab.* credit.

Verſ. 37. mollire] *Sab.* molliti.

Verſ. 45. præſumptæ] *Sab. & MS.* promptæ.

Verſ. 48. ſed dij] *Ful. &* MS. ſed ſi dij.

Pag. 105. verſ. 5. iuſtiſſimam] *Ita Ful. Sab.* adiunctiſſimam.

Verſ. 6. ludis] *Ful.* τὸ ludis *addit.*

Verſ. 9. & eſſe] *Ful.* hæc eadem & eſſe poſita.

Verſ 15 vaderet] *Ita Lipſius & Ful. Sab.* ſuaderet. *male.*

Verſ. 18 & 19. contatori] *Ful.* cunctatori.

Verſ. 35. ſubrecto] *Ita Guilhelm. & Ful Sab.* ſubrepto. *male.*

Verſ 38. perſtringere] *Ful.* præſtringere.

Verſ. 39. penitus] *Steuvich.* penitius.

Ibid. & 40. voluntates] MS. voluptates. *male.*

Verſ. 46. trahi alios cruribus] *Ful.* t. a. debiles cruribus.

Pag. 106. v. 16. indixit] *Ful.* induxit. *male.*

Verſ. 19. adultæ] *Sab.* adulteræ.

Verſ. 22. ſe] *Sab.* ſibi.

Ibid. reddere] *Sab.* redderet.

Verſ. 23. protogare] *Sab.* protogaret. M S. prorogari.

Ibid. augere] *Sab.* augeret. M S. augeri.

Verſ. 24. aut. *Sab.* vt.

Verſ. 27. deligeret] *Sab.* diligeret.

Verſ. 37. obeundo] M S. obeda. *Meurſius*, obedientia.

Verſ. 42. repulit.] *Sab.* retulit. *male.*

Ibid inani] *Sab. &* M S. in alia *Ful.* mali.

Verſ. 48. pariatur] *Poſt hoc verbum Rom. Edit. &* M S. *hæc interſerunt, quæ ſupra etiam habentur.* Non imus inficias in annalium ſcriptis contineri hæc omnia, quæ ſunt à vobis in oppoſitione prolata: nam & ipſi pro modulo, ingeniique pro captu, & legimus hæc eadem, & eſſe poſita ſcimus, ſed quæſtionis in hoc ſumma eſt, vtrumne hi dij ſint, quos ſæuire aſſeueratis offenſos, reddique ludis & ſacrificiis mites? an ſint longe aliud, & ab huius vi debeant & nominis & potentiæ ſegregari. Quis eſt enim primum, qui eos Deos exiſtimet, aut eſſe qui credat, qui motibus & ſaltationibus ſcenicis, qui cantheriis fruſtra currentibus, voluptatum ſoluuntur in gaudia, ineptas & frigidas actiones ſpectatum proficiſcuntur è cœlo? offendique ſe doleant, & ſuis honoribus derogatum, ſi pauliſper conſtiterit ludius, aut tibicen modice interquieuerit feſſus? qui præſulem ſibi diſplicuiſſe pronuntient, ſi per Circi medium pergat nocens aliquis, meritorum pœnas & ſupplicia redditurus? Quæ ſi penitus cuncta & ſine vlla gratificatione cernantur, non tantum ab diis eſſe, reperientur aliena, verum ab homine quouis lauto, nec ad ſummos apices grauitatis ac ponderis inſtituto. Quis eſt enim primum Deos illos qui exiſtimet fuiſſe, aut eſſe qui credat, qui nocendi habeant, ſæuiendique naturam, eaſque abjiciant ruſus cyatho vno ſanguinis, & turis ſuffitione molliti? Qui motibus ſcenicis & ſaltationibus hiſtrionum feſtos dies ducant & hilaritatis pleniſſimas voluptates; qui cantherios fruſtra & ſine vlla ratione currentes ſpectatum proficiſcantur è cœlo: gaudeantque ex his alios tranſiri pronos & cernuos ruere, cum curribus reſupinos verti, trahi alios debiles, & cruribus claudicare præfractis; qui præſulem ſibi diſplicuiſſe pronuntient, ſi per Circi medium pergat nocens aliquis meritorum pœnas & ſupplicia redditurus; qui offendi ſe doleant & ſuis honoribus derogatum, ſi pauliſper conſtiterit ludius, interquieuerit tibicen feſſus, puer ille matrimus decidat fortuito alicuius inſtabilitate prolapſus. Quæ ſi penitus cuncta & ſine vlla partium gratificatione pendantur, non tantum longè longéque ab diis eſſe reperiuntur aliena, verum à quouis homine ſentiente communia, nec ad ſtudium veri rationum cognitionibus erudito.

Pag. 107. verſ. 24. dicimus] M S. diecmus.

Verſ. 15. quiſnam eſſet aut qualis. *Ful.* nec quiſquam aut qualis, poſſent homines. *Aliter in edit. noſtra.*

Verſ 16. dicatur] *Sab.* edicantur.

Verſ. 32. dicimus *Ful.* dicamus.

Verſ. 34. niſus M S. nixus.

Verſ. 35. obſita] *Sab.* oblita

Verſ. 39. quiſnam] *Sab.* quidnam

Verſ. 43. protexerit] *Ita Canterus &* M S. *alij*, protexit.

Verſ. 45. & 46. quid ſi ſyluarum denſitatibus ſe dedit] *Ita Ful. Vrſinus ſupplet.*

Pag. 52. verſ. 1. Romana] *Sab.* Roma.

Ibid. afflicta eſt cladibus] *Ita augent ex Codice* M S.

Ibid. ſpeciebus] *alij*, temporibus.

Verſ. 58. meritas ciuitates] M S. meritæ ciuitatis.

Pag 108 verſ 8 merere] M S. mereri.

Verſ. 20. angulis] M S. angellis *malè*

Verſ. 29. credat] *Sab.* credit.

Ibid. corporis] *Ful.* τὸ corporis *delet.*

Verſ. 30. quis] *Sab.* qui.

Verſ. 31 more] *Ful.* molem *male.*

Verſ. 38. fauorem] *Sab.* pauorem. *male.*

Verſ. 49. credat] τὸ credat *Fulv. addit.*

Verſ. 52. ſubjugauit] *Ful. Vrſinus putat mancum librum hunc eſſe & imperfectum.*

IVLII FIRMICI
MATERNI V.C.

DE ERRORE PROFANARVM RELIGIONVM.

AD

CONSTANTIVM ET CONSTANTEM AVGG.

IOAN. à WOVVER *recenſuit.*

IVLII FIRMICI

MATERNI V. C.

DE ERRORE PROFANARVM RELIGIONVM.

QVOD in fabricatione hominis artifex fecit, vt anteà diximus, annuis perditorum commonitionibus ac communicationibus ſpecialiter retexenda ſunt, in teſtificationem veritatis manifeſtis rationibus exemplorúmq; teſtimoniis diuinationem probabimus per diabolum eſſe inuentam & perfectam; vt per hoc ſpiritus maculata cogitatione, ſpe fluxę felicitatis, peruerſa diſcretione peruerteret miſeros homines perpetuis calamitatibus implicitos.***. Quatuor Elementa eſſe principia creaturarum nemo eſt qui dubitet [id eſt, ignem, aquam, aërem & terram,] Sed hæc Elementa diuerſa ſunt, vel in poteſtate contraria. [a] In errore ſunt itaque gentes, quæ cum elementis tribuant principatum, adhuc deputant ignem, quaſi ſummum Deum; quaſi cætera ex ipſo habeant ſubſtantiam calore: neſcientes, quòd omnia Elementa ex ipſa ſint ſua contrarietate coniuncta, & quòd & ipſa habeant fabricatorem Deum, qui ſingula ſuis locis ordinibúſque conſtituens creauit, quòd aut mente, aut cogitatione colligimus, aut certè quòd oculis cernimus diuina verbi ſui ſocietate compoſitum, æquata corporum moderatione in hoc toto. Ægypti incolæ aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis ſupplicant, aquas ſuperſtitioſa votorum continuatione venerantur. Sed in ſacris ſuis (quæ myſteria vocant) addunt tragica funera & funeſta calamitatis metuendæ certamina: Inceſtum cum ſorore adulteriúmque aiunt commiſſum, & hoc facinus ſeueris mariti animaduerſionibus vindicatum. Iſis ſoror eſt, Oſiris frater, Typhon maritus; is cum comperiſſet Iſidem vxorem inceſtis fratris cupiditatibus eſſe corruptam, occidit Oſirim, artuatimque lacerauit, & per omnes Nili fluminis ripas miſeri corporis palpitantia membra projecit. Iſis repudiato Typhone, vt & fratrem ſepeliret & coniugem, [b] adhibuit ſibi Nephthen ſororem ſociam, & Anubin venatorem. Cui ideò caninum caput impoſitum eſt, quia lacerati corporis partes artificio canis veſtigantis inuenit. Sic inuentum Oſirim Iſis tradidit ſepulturæ. Fuerant ſani hi apud Ægyptum reges pariter ac tyranni, ſed Oſiris juſtus, præter illud, quod cum ſorore commiſit. Typhon furioſus impotens ac ſuperbus. Ideo ille colitur, iſte vitatur. Hæc eſt Iſiaci ſacri ſumma. In adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, vt miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſecant cicatrices, vt annuis luctibus in animis eorum funeſtæ ac miſerandæ necis exitium renaſcatur. Et cum hæc certis diebus fecerint, tunc

fingunt

[a] *IN errore itaque ſunt gentes.*] Cultum elementorum multis refellit Athanaſ. πρὸς Ἑλλ.

Ægypti incolæ aquam colunt.] Athanaſ. πρὸς Ἑλλ. Πάντων μάλιστα Αἰγύπτιοι τὸ ὕδωρ προτετιμήκασι, καὶ θεοὺς ἀναγράφουσι.

Quæ myſteria vocant.] Gloſſema.

Iſis ſoror eſt, Oſiris frater.] Totam hanc fabulam ſingulari libro complexus Plutarchus, vnde his Firm. petenda interpretatio.

[b] *Adhibuit ſibi Nephten.*) Ità legendum docet Plutarch. περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος.

Et Anubin.] Athanaſ. Κυνοκέφαλος Ἄνουβις. Propert. latrans Anubis.

Venatorem.] Plutarch. de Iſide.

Fuerant hi apud Ægyptum reges.] Vide Syneſ. orat. Ægypt. ſiue de prouid.

Annuis luctibus plangunt.] Athanaſ. πρὸς Ἕλλην.

Radunt capita,] Prudent. 1. contra Symm.

Iſidis amiſſum ſemper plangentis Oſirim;
Mimicáque & ridenda ſuis ſollennia caluis.

Appian. IV. de bello ciu. Euſeb. Præpar. Euang. lib. II. cap. 1. Plutarch. de Iſide. Lucian. de Dea Syria. Syneſ. ἐγκ. φαλάκρας. Tonderi autem ſolitos in luctu ex Plutarch. περὶ δεισιδαιμονίας, & aliis notum

Tundunt pectus, lacerant lacertos,] Herod. Eut. ἐν δὲ Βουσίρι πόλι ὡς ἀνάγουσι τῇ Ἴσι τὴν ὁρτὴν εἴρηται πρότερόν μοι. Τύπτονται γὰρ δὴ μετὰ τὴν θυσίην πάντες, καὶ πᾶσαι, μυριάδες κάρτα πολλαὶ ἀνθρώπων, ὅσοι δὲ Καρῶν εἰσὶ ἐν Αἰγύπτῳ οἰκέοντες, οὗτοι δὲ τοσούτῳ ἔτι πλέω ποιεῦσι τούτων, ὅσῳ καὶ τὰ μέτωπα κατακόπτονται μαχαίρῃσι. Lactant. 1. cap. XXI. *Iſidis Ægyptia ſacra ſunt, quatenus filium paruulum vel perdiderit, vel inuenerit. Nam primo ſacerdotes eius deglabrato corpore ſua pectora tundunt, lamentantur, ſicut ipſa, cum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quaſi inuentus, & in lætitiam luctus ille mutatur.* Theophil. lib. 1. ad Aut.

Frugum ſemina Oſirim dicentes.] Athenag Apol Euſeb. præparat. Euang. lib. II. cap. 1. lib III. cap. II. Macrob. Sat. 1. Lactant. in 1. Stat. Theb. Aliter Plutarchus de Iſide, & Oſir. Vide Suid. Δέγμα.

Cum fruges reddunt.] Lege: redduntur.

Cum fruges genitalis terra frumento concepta omnia rurſus cæperint procreatione generari.] Emenda: cum fruges genitali terra ſemento conceptæ noua rurſus.

fingunt ſe lacerati corporis reliquias reperire, & cum inuenerint, quaſi ſopitis luctibus, gaudent. O miſera & caduca mortalitas, vt regibus tuis per annos ſingulos funeſtas mittas inferias, neglecto Deo ſummo, qui omnia diuini artificij moderatione compoſuit, & ſpem tuam perdis & vitam! Nec oſtenſi tibi luminis ſplendore corrigeris, nec recuperatæ libertatis quæris inſignia, nec ſpem redditæ tibi ſalutis agnoſcis, nec ex pœnitentia præteritorum criminum indulgentiam poſtulas. Fruſtrà tibi hanc aquam, quam colis, putas aliquando prodeſſe. Alia eſt aqua, qua renouati homines renaſcuntur. Hanc aquam, quam colis per annos ſingulos, vis alia decoctis venarum meatibus ſiccat, aut certè funeſtus regis tui ſanguis commaculat. Illa, quam deſpicis, ignita venerandi ſpiritus majeſtate decoratur: vt ex ipſa per veteres conſcientiæ cicatrices credentibus hominibus ſalutaris ſanitas irrigetur. Sed in his funeribus & luctibus, quæ verè ſunt funera, quæ facta ſunt, quorum extant hodie quoque reliquiæ (nam & ſepulchrum Oſiridis hodie in Ægypto eſt, & cremati corporis reliquiæ cernuntur) defenſores eorum volunt addere phyſicam rationem. Frugum ſemina Oſirim dicentes eſſe, Iſin terram, Typhonem calorem: Et quia maturatæ fruges calore, ad vitam hominis colliguntur, & à terræ conſortio ſeparantur, & rurſus appropinquante hyeme ſeminantur. Hanc volunt eſſe mortem Oſiridis cum fruges reddunt. Inuentionem verò cum fruges genitali terræ fomento conceptæ, noua rurſus cœperint procreatione generari. Pone hanc veram eſſe ſacrorum iſtorum rationem, pone propter fruges vota reddi numinibus, quid addis inceſtum, quid adulterium, quid miſerandæ animaduerſionis exitium? Quid errantibus hominibus & ſimpliciter peccare cupientibus de ſacris tuis malum monſtras exemplum? phyſica ratio, quam dicis, alio genere celetur. Quid autem cælari oportuit, quod omnibus notum eſt? Cur plangitis fruges terræ, & creſcentia lugetis ſemina? Ad ſuſtentationem generis humani hæc omnia diuina ſummi Dei liberalitate donata ſunt. Agendæ ſunt ſummo Deo gratiæ propter hoc, nec eſt ſummi Dei lugenda largitio. Deflete potius quòd erratis, & quod errorem veſtrum reſtauratis ſemper luctibus plangite. Nolite annuis ſacris quærere funus alienum; veſtris potiùs funeribus parate ſolatia per annos ſingulos. O miſer homo, inueniſſe te neſcio quid gaudes, cum animam tuam ex iſtis ſacris per annos ſingulos perdas! Nihil illic inuenis niſi ſimulacrum, quod ipſe poſuiſti, niſi quòd iterum aut quæras aut lugeas. Quære potius ſpem ſalutis, quære exordium lucis, quære quod te ſummo Deo aut commendet aut reddat. Et cum veram viam ſalutis inueneris, gaude, & tunc erecta ſermonis libertate proclama, [a] εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, cum ab his calamitatibus poſt pœnitentiam tuam ſummi Dei fueris indulgentia liberatus. Phryges, qui Peſſinuntem incolunt, circa Galli fluminis ripas terræ cæterorum elementorum tribuunt principatum, & hanc volunt omnium eſſe matrem. Deinde vt & ipſi annuum ſibi ſacrorum ordinem facerent, mulieris diuitis ac reginæ ſuæ amorem, quæ faſtus amati adoleſcentis tyrannicè voluit vlciſci, cum luctibus annuis conſecrarunt. Et vt ſatis iratæ mulieri facerent, aut vt pœnitenti ſolatium quærerent, quem paulò antè ſepelierant, reuixiſſe jactarunt, & cum mulieris animus ex impatientia nimij amoris arderet, mortuo adoleſcenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro iniuria ſpretæ fecerat formæ, hoc ordinantes à ſe pati voluere ſacerdotes. ſic annuis ſacris cum honore terræ iſtius funeris pompa componitur, & cum perſuadetur hominibus quòd colant terram, miſeri funeris venerantur exitium. Hic quoque, ſacratiſſimi Imperatores, vt error iſte cæletur, etiam hæc ſacra phyſica volunt eſſe ratione compoſita. Amare terram volunt fruges, amatum vero hoc ipſum volunt eſſe, quod ex frugibus naſcitur; pœnam autem, quam ſuſtinuit, hoc volunt eſſe quod falce meſſor maturis frugibus facit. Mortem ipſius dicunt, quod ſemina collecta conduntur. Vitam rurſus, quod jacta ſemina annuis vicibus reconduntur. Velim nunc mihi inquirenti reſpondeant, cur hanc ſimplicitatem ſeminum ac frugum cum facinore, cum morte, cum faſtu, cum pœna, cum amore junxerint? Irane non erat aliud, quod diceretur? Itane non erat, quod in agendis Deo ſummo pro frugibus gratiis faceret miſera mortalitas? Vt gratias pro renatis frugibus agas, vlulas; vt gaudeas, plangis. Nec te, cùm veram rationem videris, hoc aliquando feciſſe pœnituit; ſed hoc agis, vt annuis luctibus occupatus vitam ſemper fugias, mortem requiras. Dicant mihi, quid hoc frugibus profuit, vt fletus ſuos annuis vlulatibus ſeminent in triſtitia, interfecti funeris calamitatibus ingemiſcant, quod dicant phyſica ratione compoſitum, lugetis & plangitis, & luctus veſtros alia ratione cœlatis. Nouit agricola, quando terram aratro dimoueat, quando ſulcis frumenta committat. Nouit, quando maturas ſolis ardoribus colligat ſegetes. Nouit, quando toſtas terat fruges. Hæc eſt phyſica ratio, hæc ſunt vera ſacrificia, quæ ab ſanæ mentis hominibus annuo labore complentur. Hanc ſimplicitatem diuinitas quærit, vt homines in colligendis fructibus ordinatis

temporum

a Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.) Solemnia verba exclamantium in ſacris Iſidis, inuento corpore Oſiridis. Scholiaſtes Iuuenal. ad illa Sat. VIII. *Exclamare libet, populus quod clamat Oſiri inuento. Populus Ægypti inuento Oſiri dixit: εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.* Ita enim Iſidem inuentis Oſiridis membris exclamaſſe putabant. Athenag. Apolog. τὸν μὲν τὸν σῖτον ὀνομάζει, Ὄσιριν εἶναι, φασὶ μυστικῶς ἐπὶ τῇ ἀνευρέσει τῶν μελῶν ἢ τῶν καρπῶν ἐπιλεχθῆναι τῇ Ἴσιδι, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.

Phryges, qui Peſſinuntem incolunt.) Strabo lib. XII. Herod. lib. I. Ammian. lib. XXII.

Hoc ordinantes à ſe pati voluere.) Mater Deûm diligebat Atyn, is ab Acdeſti actus in furias teſtula ſibi genitalia deſecat. hoc in honorem magnæ matris imitantur Galli eius Sacerdotes Arnob. lib. V. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 2. cap. IV. Schol. Nicandri Theriac. Tatian. πρὸς Ἕλλ. Ouid. XIV. Metam. Iuſtin. Apolog. Clem. Protrep. Lucian. de dea Syr. Euſeb. præp. Euang. lib. II. cap. IV.

temporum legibus ſeruiant. Cur huic ordini miſeræ mortis figmenta quæſita ſunt? Cur cœlatur lachrymis, quod cœlari non debuit? vnde confiteantur neceſſe eſt, hæc ſacra non in honorem frugum, ſed in honorem eſſe compoſita mortis alienæ. Nam quod terram matrem eſſe omnium Deorum dicunt, qui huic elemento tribuunt primas partes, verè deorum ſuorum mater eſt, nec abnuimus aut recuſamus. Quia ab hac collectos deos ſuos, aut lapideos faciunt ſemper aut ligneos. Terram omnem circumfluunt maria, & rurſus incluſa Oceani ambientis circulo ſtringitur. Cæli etiam rotunda ſublimitate operitur, perflatur ventis, aſpergitur pluuiis, & timorem ſuum aſſidui motus tremoribus confitetur. Quid vos maneat, qui hæc colitis conſiderate, cùm dii veſtri infirmitatem ſuam vobis quotidianis profeſſionibus prodant. Aſſyrij & pars Afrorum aërem ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginata figuratione venerantur. [a] Nam hunc eumdem, nomine Iunonis vel Veneris virginis, ſi tamen Veneri placuit aliquando virginitas, conſecrarunt. Iunonem ſanè, & ne huic deeſſet inceſtus, Iouis volunt ex ſorore coniugem factam. Effœminarunt ſanè hoc elementum, neſcio qua veneratione commoti. Num quia aër interiectus eſt inter mare & cælum, effœminatis eum ſacerdotum vocibus proſequuntur? Dic mihi hoccine eſt, quod in viro fœminam quærunt, cui aliter ſeruire ſacerdotum ſuorum chorus non poteſt, niſi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem ſexum ornatu muliebri dedecorent. Videre eſt in ipſis templis cum publico gemitu miſeranda ludibria, viros muliebria pati, & hanc impuri & impudici corporis labem, glorioſa oſtentatione detegere. Publicant facinora ſua, & contaminati corporis vitium [b] cum maxima delectationis macula confitentur. Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti veſtibus vix caput laſſa ceruice ſuſtentant. Deinde, cùm ſic ſe alienos à viris fecerint, adimpleti tibiarum cantu, vocant Deam ſuam, vt nefario repleti ſpiritu vanis hominibus, quaſi futura prædicant. Quod hoc monſtrum eſt, quódve prodigium? Negant ſe viros eſſe, & ſunt; Mulieres ſe volunt credi, ſed aliud qualiſcumque qualitas corporis confitetur. Conſiderandum eſt etiam, quale ſit numen, quod ſic impuri corporis delectatur hoſpitio, quod impudicis adhæret membris, quod polluta corporis contaminatione placatur. Erubeſcite ô miſeri ſupinitatem, aliter vos Deus fecit. Cùm cohors veſtra ad tribunal iudicantis Dei acceſſerit, nihil vobiſcum afferetis, quod Deus, qui vos fecit, agnoſcat. Abiicite hunc tantæ calamitatis errorem, & ſtudia profanæ mentis aliquando deſerite. Nolite corpus, quod Deus fecit, ſcelerata Diaboli lege damnare; calamitatibus veſtris, dum adhuc tempus patitur, ſubuenite. Miſericordia Dei diues eſt, libenter ignoſcit. Relictis nonaginta nouem ouibus amiſſam quærit vnam. Et reuerſo pater prodigo filio veſtem reddit, & parat cœnam. Nulla vos deſperare faciat criminum multitudo: Deus ſummus per filium ſuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum volentes liberat, & pœnitentibus libenter ignoſcit, nec multa exigit vt ignoſcat. Fide tantùm & pœnitentia poteſtis redimere, quicquid ſceleratis diaboli perſuaſionibus perdidiſtis. Perſæ & Magi omnes, qui Perſiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi. Hi itaque Iouem in duas diuidunt poteſtates, naturam eius ad vtriuſque ſexus transferentes, & viri & fœminæ ſimulacra ignis ſubſtantiam, deputantes, & mulierē quidem triformi vultu conſtituunt, monſtroſis eam ſerpentibus illigantes. Quod ideò faciunt, ne ab autore ſuo diabolo aliqua ratione diſſentiant: ſed vt dea ſua ſerpētibus polluta, maculoſis diaboli inſignibus adornetur. Virum verò abactorem boum colentes, ſacra eius ad ignis transferunt poteſtatem.

Sicut

[a] *Nam hunc eumdem, id eſt, aërem nomine Iunonis vel Veneris.*) Illa, id eſt, aërem. ſunt gloſſographi. Aſſyrios autem ſiue Syros coluiſſe aërem, nomine Iunonis ſeu Veneris ex Plutarcho in Craſſo diſcimus, vbi de dea Hierapolitana: γίνε) δ' ὀφρα τοι αὐτῷ σημεῖον ἀπὸ τῆς θεοῦ ταύτης, ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν, καὶ φύσιν νομίζουσι, καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν. Ἀφροδίτη hæc, ἡ οὐρανία. Herodotus lib. I. ἐπιμεμαθήκασι δὲ τῇ οὐρανίῃ θύειν, παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες, καὶ Ἀραβίων. Pauſan. Atticis.

Effœminarunt ſanè hoc elementum.) Cic. II. de Nat. Deor. *Aer autem interiectus inter mare, & cælum, Iunonis nomine conſecratur: quæ eſt ſoror & coniunx Iouis, quod & ſimilitudo eſt ætheris, & cum eo ſumma coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunonique tribuerunt, quod nihil eſt eo mollius.* Heraclides Ponticus: δύο γὰρ ὄντων κατὰ τοὺς σφαιρικοὺς τῶν πνευματικῶν στοιχείων, αἰθέρος δὲ καὶ ἀέρος, τὸν μὲν Δία τὴν πυρώδη φασὶν οὐσίαν. ἡ δ' Ἥρα, μετ' αὐτὸν δ' ἀὴρ μαλακώτερον στοιχεῖον, διὰ τοῦτο καὶ θῆλυ. Philo περὶ εὐσεβείας. Ἥραν δὲ τὸν ἀέρα παρὰ τὸ αἴρεσθαι, καὶ μετεωρίζεσθαι πρὸς ὕψος. Tertull. adu. Marcion. Probus in Virgil. Eclog. VI. Seru. in I. Æneid.

[b] *Cum maxima delectationis macula*) Forte, deteſtationis.

Erubeſcite ô miſeri ſublimitatem) Lege: ſupinitatem.

Nec multa exigit.) Forte: mulctam exigit.

Ignem præferunt.) Clem. Protrept. Πέρσαι δὲ οἱ Μάγοι τὸ πῦρ τετιμήκασι. καὶ τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντες πολλοί. Strabo lib. XV. Euſtat. in Hom. Iliad. σ. Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. VI. Max Tyr. Serm. XXXI. IX. Ruffin. Hiſt. lib. II. cap. XXVI.

Hi itaque Iouem.) Perſarum peculiaris Deus Sol. Iouis & Solis idem numen oſtendit Macrobius.

Naturam eius ad vtriuſque ſexus) Athenag. Apol. εἰ μὲν γὰρ ἄῤῥεν θῆλυ. ἀρσενόθηλυν, τὸν Δία λέγουσι. Macrob. I. Saturnal.

Monſtroſis eam ſerpentibus) Cur ſolis ſtatuæ Draconis effigies ſubiungi ſolita docet Macrob lib. I Satur. cap. XIX. & XX.

Virum verò abactorem boum) Solem Perſis cultum Herodotus, Iuſtinus, Strabo, & alij prodiderunt. Herculem autem Solem multis probare conatur Macrob. Saturn. lib. I. cap. XX.

Mythram vocant.) Strabo lib. XV. de Perſis: Τιμῶσι τὸν ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. Heſych. Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Frequens in v. Inſcript. *Soli inuicto Mithra. Soli Mythra* Martian. Capell. lib. III. à Mithre, qui in Solis vrbe regnauit Plin. lib XXXV. cap. III.

Sacra eius in ſpeluncis abditis tradunt.) Porphyrius comment. de Nympharum antro. *Primus Zoroaſtres apud Perſas, vt narrat Eubulus, ſpeluncam natura factam in Perſia montibus conſecrauit, in honorem rerum omnium auctoris, & parentis Mithra, vt per ſpeluncam ſignificaret mundum à Mithra conditum.* Lactant ad illa Stat Theb. I. *Seu Perſei ſub rupibus antri Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.* Hieron. ad Lætam. *Gracchus ſpecum Mythra ſubuertit.* Tertull. de Corona mil. Iuſtin. dial. cum Tryph.

Vt armata clypeo, lorica thorace gladio, & haſta conſecratur) Forte legendum: Vt armatus. & capiendum de milite Mythræi initiari ſolito Tertull de corona militis. *Erubeſcite Romani commilitones eius, tam non ab ipſo iudicandi, ſed ab aliquo Mythræ milite. Qui cum initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam quaſi mimum martyrij monetur obuia manu capite depellere,* & de præſcript. adu. Hæret. *Signat illic in fronte milites ſuos & ſub gladio redimit coronam.* Sed potius nihil mutandum, vt hæc & ſequentia de alterius numinis poteſtate accipiamus. Niſi de Iouis fœminæ ſimulachro, quod triformi vultu conſtituiſſe ait, intelligenda ſint, Μίτραν Ἀφροδίτην Perſas coluiſſe auctor Herodotus lib. I.

Sicut Propheta eius nobis tradidit, dicens: Μυςαγωγὲ βοοκλοπίης συνδέξιε πατρὸς ἀγαυοῦ. Hunc Mithram dicunt. Sacra verò eius in ſpeluncis abditis tradunt, vt ſemper obſcuro tenebrarum ſqualore demerſi, gratiam ſplendidi ac ſereni luminis non videant. O cœca numinis conſecratio! O nefariæ legis fugienda commenta! Deum eſſe credis, cuius de ſceleribus confiteris. Vos itaque, qui dicitis in his templis ritè ſacrificari non magorum ritu Perſico, cur hæc Perſarum ſacra laudatis? Scio hoc Romano nomine dignum putatis, ac Perſarum ſacris. At Perſarum legibus ſequatur.

* * * * * * vt armata clypeo, lorica, gladio & haſta conſectatur. * * * * * Tertia etiam pars eſt, qua in aſperis ſecretiſque ſyluarum agreſtiúmque ferarum ſortita imperium. Vltima pars tripartitæ iſtius diuiſionis æſtimat libidinum vias, quæ praua deſideria quæque præpoſteræ cupiditatis monſtrant illecebras. Ideò vnam partem capiti aſſignant, vt hominis iram quodammodo denotare videatur. Aliam in corde ſtatuunt, vt diuerſarum cogitationum varietatem, quas multiplici intentione concipimus, in modum ſyluarum tenere videatur. Tertia pars conſtituitur in jecore, vnde libido naſcitur & voluptas. Illic enim genitalium ſeminum collecta fœcunditas naturalibus ſtimulis deſiderium cupiditatis exagitat. Quid ergò perficit iſta diuiſio, diligenter aſpicite, vt cernatis, quàm facilè commentum ratio veritatis impugnet. Si diuiditur anima, & ſubſtantia eius diuerſo efficaciæ genere ſeparatur, diſſoluto ordine ſuo, incipit eſſe quod fuerat. Aliud enim mens eſt, aliud ira, aliud libido. Animam ergo ſeparatio iſta diſſoluit, & patitur maximam ex iſta partitione jacturam, nec integram ſui ſpeciem res iſta cuſtodit, quæ per tres contrarias ſeparatim diuiditur, & (vt verum dicam) fit ex ipſa diuiſione mortalis. Etenim quod poteſt diuidi, corpus eſt. Quod autem corpus eſt, neceſſe eſt eſſe mortale. Ergo ſi anima diuiditur, corpus eſt. Si corpus eſt, neceſſe eſt ſit res mortalis. Egregia erroris iſtius, ac præclara comitantia. Maximum nobis beneficium ex iſta conſequentia confertur. Commentis iſtarum abſurditatum animas volunt eſſe mortales. Sic ſunt ſacratiſſimi Imperatores, elementa à perditis hominibus conſectata. Sed adhuc ſuperſunt aliæ ſuperſtitiones, quarum ſecreta pandenda ſunt Liberi & Liberæ, quæ omnia ſacris ſenſibus veſtris ſpecialiter intimanda ſunt, vt & in iſtis profanis religionibus ſciatis mortes eſſe hominum conſecratas. [a] Liber itaque Iouis fuit filius regis ſcilicet Cretici. Hic cùm fuiſſet adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem ſtudioſiùs, quàm decebat. Vxor Iouis, cui Iunoni fuit nomen, nouercalis animi furore commota, ad necem infantis omnifariam parabat inſidias. Proficiſcens peregrè pater, quia indignationes tacitas ſciebat vxoris, ne quid ab irata muliere dolo fieret, idoneis (ſicut tibi videbatur) cuſtodibus tutelam credit filij. Tunc Iuno opportunum inſidiarum nacta tempus, & ex hoc fortiùs inflammata, quia proficiſcens pater, & ſolium regnj puero tradiderat & ſceptrum, cuſtodes primum regalibus præmiis, muneribuſque corrupit, deinde ſatellites ſuos, qui Tytanes vocabantur, in interioribus regiæ locat partibus, & crepundiis ac ſpeculo affabrè facto animos ita pueriles illexit, vt deſertis regiis ſedibus ad inſidiarum locum puerilis animi deſiderio duceretur. Illic interceptus trucidatur. Et vt nullum poſſet necis inueniri veſtigium, particulatim membra conſciſſa, ſatellitum ſibi diuidit turba. Tunc, vt huic facinori aliud facinus adderetur, quia vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra conſumunt, vt humani cadaueris, inauditis vſque in illum diem epulis veſcerentur. Cor viſum ſibi ſoror ſeruat, cui Minerua fuit nomen, quia & ipſa ſceleris fuit particeps, & vt manifeſtum eſſet delationis indicium, & vt haberet vnde furentis patris impetum mitigaret. Reuerſo Ioui filia ordinem facinoris exponit. Tunc pater funeſta calamitate cladis, & acerba luctus atrocitate commotus, Tytanes quidem vario genere ſuppliciorum excruciatos necat. Nec prætermiſſum eſt in vltione filij, aut tormentum aliquod aut pœna, ſed per omnia pœnarum genera bacchatus, necem qualitercumque filij vindicauit, affectu quidem patris, ſed tyrannica poteſtate. Tunc quia diutiùs pater ferre lugentis animi tormenta non poterat, & quia dolor ex orbitate veniens nullis ſolatiis mitigabatur, imaginem eius ex gypſo, plaſtico opere perfecit, & cor, ex quo facinus fuerat, ſorore deferente, detectum, in ea parte plaſtæ collocant, qua pectoris fuerant lineamenta formata. Poſt hæc pro tumulo extruit templum, & pædagogum pueri conſtituit ſacerdotem. Huic Silenus fuit nomen. Cretenſes vt furentis tyranni ſæuitiam mitigarent, feſtos funeris dies ſtatuunt, & annuum ſacrum trieterica conſecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut paſſus eſt. [b] viuum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis commemorationibus excitantes, & per ſecreta ſyluarum clamoribus diſſonis ejulantes fingunt animi furentis inſaniam, vt illud facinus non per fraudem factum, ſed per inſaniam crederetur: præfertur ciſta, in qua cor ſoror latenter abſconderat, tibiarum cantu, & cymbalórum tinnitu, crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiuntur,

[a] *Liber itaque Iouis fuit filius*) Clemens Protrept. τὰ γὰρ Διονύσου μυστήρια τέλεον ἀπάνθρωπα· ὃν εἰσέτι παῖδα ὄντα ἐνόπλῳ κινήσει περιχορευόντων Κουρήτων, δόλῳ δὲ ὑποδύντων Τιτάνων, ἀπατήσαντες παιδαριώδεσιν ἀθύρμασιν οὗτοι δὴ οἱ Τιτᾶνες διέσπασαν ἔτι νηπίαχον ὄντα &c. Quæ profert Euſeb. προπαρ. εὐαγγελ. Higinus Fab. CLXVII. paulò aliter fabulam narrat Arnob. lib. V.

[b] *Viuum laniant dentibus taurum.*) Heſich. ταυροφάγος. Vide Suid.

mentiuntur. Sic in honorem tyranni à ſeruiente plebe Deus factus eſt, qui habere non potuit ſepulturam. Fuit etiam alius Liber apud Thebas tyrannus, magicæ artis poteſtate conſpicuus. Hic cùm muliebres animos venenis quibuſdam, & carminibus occupaſſet, pro arbitrio ſuo crudelia facinora furentibus imperabat, vt mente captas nobiles fœminas, & libidinum miniſtras haberet & ſcelerum. Qui qualia fecerit ſcelera, vel quantum matri contra filium, vel ſororibus contra fratrem imperauerit facinus, in ſcenis quotidie à tragici carminis autoribus traditur, vt ſcelerati tyranni facinoroſa crudelitas in animis audientium funeſtis ſemper relationibus renaſcatur. Hunc Lycurgus, ſobria virorum conjuratione protectus, regno exuit, pellit patria. Neque enim effœminatus ille conſenſum virorum potuit diutiùs ſuſtinere. Effœminatum enim fuiſſe, & amatorum ſeruiſſe libidinibus, Græcorum gymnaſiis decantatur. Nec fuga eius Lycurgus tantùm eſt exilióque contentus, ſed timens ne fugiens & ab aliis receptus, ludibrioſa ſcelerum ſuorum etiam in alia regione conderet ſemina, ſuccinctus ferro, patriæ dedecus minaci perſequitur edicto. Tunc liber proiectis inſulis, quas pampineis coronarum circulis illigabat, cum ſemiviro comitatu fugiens (ſoli enim eum ſequuti ſunt ſtuporum & flagitiorum & libidinum ſocij) per omnes oras vicini maris cum ſumma trepidatione deſperationis errauit. Illic inter ebrias puellas, & vinolentos ſenes, cùm adhuc eum ſcelerum pompa præcederet, & alter nigro amictu teter, alter [a] oſtenſo angue terribilis, alter cruentus ore, dum viua pecoris membra diſcerpit, à Lycurgo comprehenſus per proximam rupem, quæ immenſum præcipitium ſaxis inuiis fecerat, in mare præcipitatur, vt lacerum corpus marinis diu jactatum fluctibus, errantium populorum animos ad ſanitatis ac ſobrietatis ordinem ſeuera animaduerſione reuocaret. Hunc finem Liberi Homerus, vt fugam & trepidationem detegeret, & vt oſtenderet mortem, ait: *Iliad.*

--------Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς.
Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα. Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
Δειδιότα, κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.

Imitatur te Lycurge, & ſobrium tuum inſtitutum ſequitur, nec à ſalutaribus tuis legibus exorbitat etiam conſul noſter Poſthumius. Nam ſicut in libris Annalibus inuenimus, bacchanaliorum ſcelera Ebutio quodam adoleſcente deferente, detecta ſunt. Erant adhuc in vrbe Roma integri mores, nec quiſquam peregrinas ſuperſtitiones diſſolutis moribus appetebat: tunc nec Senatus Conſuli nec leges Reipublicæ nec Conſul legibus defuit: Sed inueſtigatis omnibus, qui huius ſacri ſcelerata commenta tradebant, contra omnes ſeruos, imò Romanos quæſtionis examine capitalis pœna de Senatus ſententia decreta eſt. Nec tamdiu vindices gladij Conſulis conquierunt, quamdiu hoc malum fuiſſet radicitus amputatum. O digna Romano nomine animaduerſio! O priſcæ virtutis laudanda conſtantia, nec ciuibus ſuis Conſul parcere voluit, cùm ob purgandam patriam peregrina vitia corriguntur! Sequitur hanc ſacri contagionem, & imitatur ordinem funeris, à Cerere Hennenſi muliere, mors filiæ conſecrata. Nam quicquid in Creta pater ob filium fecerat, hoc totum Ceres apud Hennam amiſſa filia, impatientia materni doloris inſtituit, quod quatenus factum ſit, breui ſermone perſtringam. Vnicam Cereris filiam, quam Græci Περσεφόνην, noſtri immutato ſermone Proſerpinam dicunt, ad coniugale conſortium plures petebant. Mater ſollicitè de ſingulorum meritis judicabat. Et cùm adhuc omnibus matris ſententia videretur incerta, diues ruſticus, cui propter diuitias Πλούτων fuit nomen, temerario cupiditatis ardore, cùm moram dilationis ferre non poſſet, & cùm de præpoſteri amoris conquereretur incendiis, prope Percum inuentam virginem rapit. Percus autem lacus, in Hennæ ciuitatis finibus ſatis amœnus, & gratus, cuius amœnitas ex florum varietatibus naſcitur. Nam per omnem annum viciſſim ſibi ſuccedentibus floribus coronatur. Illic inuenies quicquid hiacynti turget in caulem; illic comam narciſſi, vel quòd auream roſam deſuper pingit: Illic albæ hederæ per terram molliter ſerpunt, & cum purpureis violis ſuauiter rubens amaracus inuenitur: nec coronam iſtam albam deſerunt lilia. Prorſus aptus locus, qui gratia ſua, puellares animos & inuitaret pariter, & teneret. In hoc loco, cùm à Plutone virgo prope veſperam fuiſſet inuenta, vi rapitur, & ſuperimpoſita vehiculo, ſciſſis veſtibus, laceratis crinibus ducitur. Nec reſeruati vngues contra amatorem ruſticum aliquid profuerunt, nec clamor atque vlulatus adiuuit, nec cæterarum ſtrepitus puellarum. Tunc vna celeri curſu, cùm de ciuitate nemo ſuccurreret, facta ex ipſo timore velocior, matri raptum virginis nunciat. Contra raptorem indignata mater, armatam manum ducit. Nec Plutonem mulieris fefellit aduentus, ſed vt retorſit ad ciuitatem oculos, & infinitos cuneos reſpexit venire cum matre, funeſtum cœpit ex deſperatione conſilium. Quadrigam, quæ vehiculum trahebat, per medium lacum dirigit. Is erat profundis voraginibus immerſus, illic cum amata ſubmerſus virgine, miſerandæ matri de morte filiæ funeſtum ſpectaculum præbuit. Hennenſes, vt poſſent maternis luctibus ex aliqua parte inuenire ſolatium, inferorum regem virginem rapuiſſe finxerunt. Et vt fides figmentum ſequeretur, prope Siracuſas cum

a *Oſtenſo angue terribilis*) Arnob. lib. v *Bacchanalia prætermittemus, in quibus furore mentito, circumplicatis vos anguibus, atque caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Schol Lycoph. de Bacchis: ὄφεις γὰρ εἰώθασι χερσὶ λαμβάνειν καὶ ἄγρια θηρία, διασπῶντας δὲ τοὺς νεβροὺς ὠμοφαγεῖν.

eum per alium locum cum virgine emerſiſſe iactarunt. Templum ſanè & raptori, & virgini accuratè collatis ſumptibus faciunt, & annua in templo vota decernunt. Sed nullo genere matris dolor vincitur, nec muliebris impatientiæ tormenta curantur. Sed credens verè filiam prope Siracuſas eſſe viſam. Triptolemo villico ſuo duce, nocturnis itineribus ad Siracuſanæ ciuitatis littus cum lugubri veſte ac ſordido ſquallore peruenit, nec illi defuit, qui credulam de calamitatibus ſuis falleret matrem. Tunc ait ſe Pandarus, neſcio quis, vidiſſe non longè à Pachyno nauem raptorem aſcendiſſe cum virgine. Perſuaſum eſt mulieri, quæ quolibet genere viuere filiam cupiebat audire, infinitis dotibus remunerat ciuitatem. Siracuſani liberalitate mulieris prouocati, raptum virginis conſecrant, & mitigantes dolorem matris pompam miſeri funeris excolunt honore templorum. Sed nec hoc ſufficit matri, ſed aſcenſa naue per peregrina littora filiam quærit. Sic fluctibus tempeſtatibuſque iactata ad Atticæ vrbis locum peruenit. Illic hoſpitio recepta, incolis incognitum adhuc triticum diuidit. Locus ex patria & ex aduentu mulieris nomen accepit. Nam [a] Eleuſis dictus eſt, quod illuc Ceres, relicta Henna, venerat. Sicque tùm ipſa diſpenſatio quod attulerat frumenta, tùm quod colligendarum frugum tradiderat diſciplinam, poſt mortem ob beneficium, quod ex frugum copia naſcebatur, & ſepulta in eo loco eſt, pariter & conſecrata, & diuino cum filia appellata nomine. Amat enim Græcorum leuitas eos, qui ſibi aliquid contulerint, vel qui conſilio, aut virtute ſe iuuerint, diuinis appellare nominibus. Et ſic ab ipſis beneficiorum gratia repenſatur, vt deos dicant, & deos eſſe credant, qui ſibi aliquando profuerint. Sic de Libero Niſa non dubitat, nec de nouis ambigit Spartata ſyderibus, cremat & conſecrat Herculem triſtis Oetas, & à vanis Cretenſibus adhuc mortui Iouis tumulus adoratur. Additur tamen, ſacratiſſimi imperatores, ad huius profani erroris augmentum, quod hos homines, [id eſt, Liberum & Proſerpinam,] maiore quaſi authoritate defendat. Nam Liberum ad Solem volunt referre commenta Græcorum, Proſerpinam verò Liberam dicentes, Lunam eſſe confingunt. Quod quàm abſurdum & quàm miſerum ſit, ex ipſa veritatis poſſumus ratione colligere. Quis vidit puerum Solem? quis fefellit? quis occidit? quis lacerauit? quis diuiſit? quis membris eius epulatus eſt? Quis Lunam rapuit? quis abſcondit? quis Plutonis coniugem fecit? Sed & errorem iſtum phyſica rurſum volunt protegere ratione, indiuiſam mentem, & diuiſam, id eſt, τὸν ἀμέριστον καὶ τὸν μεμερισμένον νοῦν, hac ſe putant poſſe ratione venerari. Dicite mihi, ô vos mortales, quid naturalibus rebus additis funera? quid Dei diſpoſitionem crudelium mortium atrocitate polluitis? quid opus erat tam duro crudelique tormento? quid ſibi vult iſta perſuaſio, vt diuinis rebus funeſtæ calamitatis ordo ſocietur? vt naturæ ſyderum, quam Deus ſummus certis legibus fecit, mortalis calamitas luctibus iungeretur? Cui rei prodeſt quod facitis? miſcetis terrena cæleſtibus, caduca ſuperis, tenebroſa lucentibus, dolores ac luctus hominum diuinis honoribus conſecrantes. Si conuocato omni genere humano Sol habita concione loqueretur, deſperationem veſtram hac forſan oratione percuteret. Quis vos caduci homines & per dies ſingulos ſummo Deo variis generibus rebellantes ad hoc tantum facinus impegit, vt profano nefariæ cupiditatis errore & mori me dicatis veſtro arbitrio & viuere? Atque vtinam vſitato more vel vno genere veſanæ cohitationis veſtræ figmenta procederent. Vtinam ſine contumelia mei, ſceleratæ cogitationis veſtræ graſſaretur improbitas. Nunc voſmet per præcipitia iactantes, mihi quoque non parcitis, nec aliquam habet veſter ſermo reuerentiam; ſed cum dedecore meo in exitium veſtrum, mortemque properatis. Alii me apud Ægyptum vndis Nili & rapidis verticibus obſtinato mentis furore ſubmergunt. Alii amputatis virilibus plangunt. Alii creduli morte cæſum, [b] aut in olla decoquunt, aut ſeptem verubus corporis mei membra lacerata ſubfigunt. Qui paululum mihi placida fuerit oratione blanditus, quadriiugi currus aurigam me eſſe confingit. Proiicite aliquando tanti furoris exitium & ſalutari perſuaſione conuicti, veram ſalutis viam quærite. Inimicus Dei eſt, qui hæc aut cogitauit, aut finxit; nec facinus eius ſimplex aut vſitata pœna comitatur, qui ſacra profanis perſuaſionibus polluit, qui de præclaro opere Dei tanta confingit. Lugete mortuos veſtros, & ipſi ſimili morte morituri. Mittite regibus veſtris, vt vultis inferias, & orbitates eorum alio remediorum genere mitigate. Lugete Liberum, lugete Proſerpinam, lugete Attin, lugete Oſyrin, ſed ſine noſtræ contumelia dignitatis. Nolo me per tumulos eorum fauillaſque ducatis, nolo vt errori veſtro nomen meum fomenta ſuppeditet. Ad lucem diei à Deo factus ſum, hoc mihi ſufficit ſolum. Quid me honeſti muneris dignitate priuatis? Aliud me Deus fecit, aliud eſſe iuſſit, & vos me pro libidine veſtra diuiditis, pro arbitrii veſtri cupiditate laceratis? Quicquid ſum ſimpliciter Deo pareo, ne aliud volo de

me

a *Eleuſis dictus eſt*) Idem tradit auctor Etymol. Ἐλευσίς.
Et à vanis Cretenſibus.) Vide Suid. πῖκος.
Rapidis verticibus.) Emenda: vorticibus.
b *Aut in olla decoquunt, aut ſeptem verubus corporis mei membra ſubfigunt.*) Apud Homerum πεμπώβολα, Iliad. α. νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσίν, quinque ſunt veruum, non ſeptem. Fortaſſis corrigendum: aut in olla decoquunt, aut diſcerpti corporis mei membra lacerata verubus ſubfigunt. Clem. Protrept. οἱ δὲ Τιτᾶνες οἱ καὶ διασπασάμενοι αὐτὸν λέβητά τινα τρίποδι ἐπιθέντες, καὶ τοῦ Διονύσου ἐμβαλόντες τὰ μέλη, καθήψουν πρότερον, ἔπειτα ὀβελίσκοις περιπείραντες ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο. Arnob. lib. v. *Deſiſtimus Bacchanalia prædicare, in quibus arcana, & tacenda res proditur ſacratis, vt occupatus puerilibus ludicris diſtractus à Titanibus Liber ſit, vt ab iiſdem membratim ſectus atque in ollulas coniectus vt coqueretur.*

me intelligatis niſi quod videtis. Hoc Deo gratum eſt, hoc Deus libenter amplectitur, hoc homines ad ſalutis viam ducit, ſi proiectis erroribus Dei gratiam ſimpliciter ac fideliter audiatis. Hæc quidem ſacratiſſimi Imperatores, proſopopœiaco me ſermone dixiſſe ſufficiat. At ego nunc ſacrarum lectionum inſtitutione formatus, perditos homines religioſo ſermone conuenio. Si Dii ſunt quos colitis, cur eos lugetis? Cur eos annuis luctibus plangitis? [a] Si lachrymis, & luctu digni ſunt, cur eos diuino honore cumulatis? Vnum itaque è duobus facite, aut nolite eos lugere, ſi Dii ſunt: aut, ſi luctu eos dignos putatis ac lachrymis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lachrymis veſtris, maieſtas diuini nominis polluatur. Sed quia mens perdita, & ſceleratæ cupiditatis laqueis implicata, nulla poteſt ratione reuocari; perſequar cætera, vt publicatis omnibus atque detectis quæ profana conſectauit improbitas, miſericordia Dei in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti lapſos erigat, fugientes ad ſe reuocet, dubitantes confirmet, errantes corrigat, & quod eſt potiſſimum, vitam morientibus donet. In plurimis Orientis ciuitatibus, licet hoc malum etiam ad nos tranſitum fecerit, Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, & percuſſor eius circumſtantibus, vulnuſque monſtratur. Mars enim in porci ſylueſtris ſpeciem formamque mutatus, vt ſibi primas partes in amore Veneris vindicaret, incautè contra ſe ruentem percutit iuuenem. Si Deus erat Adonis cur riualis inſidias neſciebat? Si homo, cur cum ſuperiore certabat? Sed & alium audio cum Venere coniugale habuiſſe conſortium. Vulcanus, niſi fallor, ab his Deorum cultoribus maritus Veneris eſſe perhibetur. O vanorum hominum ridenda perſuaſio inter duos maritos adulter poſitus ab vno capitur, alterum vincit! Sed vide, vt adulter Deus maritum vinceret quod ſibi corpus elegit, procus eſſe maluit: qui, ſi habebat corporis mutandi poteſtatem, leonis debuit potius ſpeciem formamque ſuſcipere. Sed leonem dicunt, qui naturas animalium norunt, in illa agreſtis animi feritate pudicitiæ ſeruare virtutem. Meritò igitur ab adultero leonis ſpernitur forma & libidinoſi animalis eligitur. Hic iam Euangelicæ traditionis ſecreta tractemus. Eiecto dæmonio Dominus porcorum gregem donat. Nec immeritò, vt cum libidinoſis animalibus per dura præcipitia fluctuſque iactatus, per inortes porcorum varias, digna nece immundus ſpiritus carperetur. *Mat. 8.* *Luc. 8.* *Marc. 5.* Audio Cinyram Cyprium templum amicæ meretrici donaſſe, ei erat Venus nomen. Initiaſſe etiam Cypriæ Veneri plurimos, & vanis conſecrationibus deputaſſe. Statuiſſe etiam vt quicumque initiari vellet, [b] ſecreto Veneris ſibi tradito, aſſem in manum mercedis nomine Deæ daret. Quod ſecretum quale ſit omnes taciti intelligere debemus; quia hoc ipſum propter turpitudinem maniſeſtius explicare non poſſumus. Benè amator Cyniras meretriciis legibus ſeruit, conſecratæ Veneri à ſacerdotibus ſuis ſtipem dari iuſſit, vt ſcorto, Sebazium colentes Iouem anguem cum initiantur, per ſinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia graſſantur, & quicquid hominem perdidit, colitur, & funeſti anguis callida & malitioſa crudelitas adoratur. In ſacris Coribantum parricidium colitur. Nam vnus frater à duobus interemptus eſt, & ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret ſub radicibus Olympi montis à parricidis fratribus conſecratur. Hunc eumdem Macedonum colit ſtulta perſuaſio. Hic eſt Cabirus, cui Theſſalonicenſes quondam cruento, cruentis manibus ſupplicabant. Conſiderandum itaque eſt, quale ſit numen, quod parricidalis amentia, vt parricidium

a *Si lacrymis & luctu digni ſunt.*) Planè ſunt illa apud Clem. Protrept. εἰ θεοὺς νομίζετε, μὴ θρηνεῖτε αὐτούς, μηδὲ κόπτεσθε. εἰ δὲ πενθεῖτε αὐτούς, μηκέτι τούτους ἡγεῖσθε εἶναι θεούς. Sunt autem Xenophanis Colophonij ad Ægyptios. Plutarch. de Iſide. Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος, ἠξίου τοὺς Αἰγυπτίους εἰ θεοὺς νομίζουσι, μὴ θρηνεῖν. εἰ δὲ θρηνοῦσι θεοὺς μὴ νομίζειν, ἀλλ' ὅτι γελοῖον ἅμα θρηνεῖσθαι δ' ἀρχάς; τοὺς καρποὺς πάλιν ἀναφαίνειν καὶ τελειοῦν ἑαυτοῖς. ὅπως πάλιν ἀναλίσκωνται. καὶ θρηνῶνται.

Adonis quaſi maritus plangitur Veneris) Lucian. de Dea Syria: εἶδον δὲ καὶ ἐν Βύβλῳ μέγα ἱρὸν Ἀφροδίτης Βυβλίης, ἐν τῷ καὶ τὰ ὄργια ἐς Ἄδωνιν ἐπιτελέουσι. λέγουσι γὰρ δὴ ὦν τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἄδωνιν. ὑπὸ τοῦ συὸς, ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος, τύπτονται τε ἑκάστου ἔτεος, καὶ θρηνέουσι καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι, καὶ σφίσι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσταται. Ouid. x Metam.

> ——*luctus monimenta manebunt*
> *Semper Adoni mei, repetitaque mortis imago*
> *Annua plangoris peraget ſimulamina noſtri.*

Macrob. Saturn. lib 1. cap. 11.

Incautè contra ſerentem percutit iuuenem.) Scribe: incautè contra ſe ruentem percutit iuuenem. Ouid. Metam. x.

> *Fortè ſuem latebris veſtigia certa ſecuti*
> *Excitnere canes, ſiluiſque exire parantem*
> *Fixerat obliquo iuuenis Cinyreius ictu,*
> *Protinus excuſſit pando venabula roſtro.*

Audio Cyniram.) Lucian. de Dea Syria.

Vt quicumque initiari vellet aſſe manum mercedis nomine Deæ daret.) Lege: aſſem vnum mercedis nomine. Poſſet etiam ferri: aſſem annuum mercedis. Sed prior lectio vera.

b *Secreto Veneris ſibi tradito aſſe, manum mercedis nomine Deæ daret.*) Lege: tradito, aſſem in manum mercedis nomine Deæ daret, vel, aſſem vnum.

Quod ſecretum quale ſit) Nempe ἁλῶν χόνδρος, καὶ φαλλός. Clem. Protrept. ταύτης τῆς πελαγίας ἡδονῆς τεκμήριον τῆς γονῆς, ἁλῶν χόνδρος, καὶ φαλλὸς τοῖς μυουμένοις τῆς τέχνης τῆς μοιχικῆς, ἐπιδίδοται. νόμισμα δὲ εἰσφέρουσιν αὐτῇ οἱ μυούμενοι, ὡς ἑταίρᾳ ἐρασταί. Arnob. lib. v. *Nec Cypriæ Veneris abſtruſa illa initia præterimus, quorum conditor indicatur Cyrinas rex fuiſſe: in quibus ſumentes ea, certas ſtipes inferunt vt meretrici, & referunt phallos propitii numinis ſigna.* Vbi veriſſima coniectura reſtituendum cenſeo: in quibus ſumentes æra, certas ſtipes inferunt.

Sebazium. Vet. inſcript. Sabazium.

Q. NVNNEVS
ALEXANDER
DONVM DEDIT
IOVI SABAZIO

Vtroque enim modo ſcriptum. Cic. Arnob. Macrob. Sebadium ſcribunt. At Heſych. Σαβάζιος, ἐπώνυμον Διονύσου. ἀπὸ τοῦ σαβάζειν, id eſt; βακχεύειν. Idem adfirmat Suid. & Harpocration & Strabo lib. x. & Diodor. Sic. lib IV. Sabazium Dionyſium narrant, & eius genus, ac ſacra tradunt.

Anguem cum initiantur per ſinum ducunt.] Arnob. lib. v. *Ipſa ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus Sebadiis nomen, teſtimonio eſſe poterunt veritati, in quibus aureus coluber in ſinum demittitur conſecratis; & eximitur rurſus ab inferioribus partibus.* Clem. Protrept. Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις, ὁ διὰ κόλπου θεός. δράκων δέ ἐστιν οὗτος, διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων.

Vnus frater à duobus interemtus] Arnob. lib. v. *Obliuioni etiam Corybantia ſacra donentur; in quibus ſanctum illud Myſterium traditur: frater trucidatur à fratribus, &c.*

Hic eſt Gabirus] Scribe: Cabirus. Strabo lib. x.

Vt parricidium celaret, inuenit.] Malim: coleret.

Cruentum aliquis.] Eadem ferè apud Arnob. lib. IV.

dium coleret, inuenit. Quapropter quicumque hæc ſacra deuota mente veneratur, cuicumque placet ſuperſtitionis iſtius metuenda contagio, aut malis ſuis ſolatium quærit, aut facinora eorum tacita collaudat cogitatione, hoc optans, hoc quærens, hoc vtique magnopere deſiderans, vt & ſibi liceat, quod diis ſuis licuit, vt & ſe ad conſortium talis vitæ morum ſimilitudo perducat. Adulterio delectatur aliquis, Iouem reſpicit, & inde cupiditatis ſuæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus ſuus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in ſatyro, & vt liberalis in flagitiis eſſe conſueſcat, quod incluſam regiam virginem auro largiter fluente corruperit. Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in ſinu Iouis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amore quærentem, Hyacinti deſyderio captum Apollinem diſcat. Chryſippum alius, alius Pelopem videat, vt per Deos ſuos ſibi licere dicat, quicquid hodie ſeueriſſimè Romanis legibus vindicatur. Adulteria omnia eorum enumerare difficile eſt. Quis Amymonem? quis Alopen? quis Menalippen? [a] quis Chionem, Hippothoenque corrupit? Nempe Deus veſter hæc feciſſe memoratur. Ille, quem volunt ſeueris oraculis errantium hominum peccata corrigere, Steropen amat, Æthuſam rapit, Zeuxippen ſtuprat, quærit Prothoen, & Arſinoæ adultera cupiditate blanditur. Sed ex iſto corruptarum mulierum grege vna puella amatorem Deum vitauit & vicit. Daphnen enim diuinans Deus & futura prædicens, nec inuenire potuit, nec ſtuprare. Muliebria patitur aliquis, & effœminato corpori ſolatium quærit? Videat Liberum amatori ſuo poſt mortem etiam promiſſæ libidinis præmia imitatione flagitioſi coitus repræſentantem. Si quis monſtruoſo cupiditatis ardore in paternæ necis armatur exitium, à Ioue ſumat exemplum: Qui fraternum deſiderat ſanguinem, Corybantum ſequatur inſtitutum, & inceſtum deſiderantibus à Ioue ſumantur exempla. cum matre concubuit; ſororem duxit vxorem; & vt integrum facinus impleret inceſti, filiam quoque animo corruptoris aggreſſus eſt. Inferiores aliquis æmulo ſtridore perſequitur, & aduerſarium cupit crudeli feritate torquere, ab Apolline ex Marſiæ caſibus crudelium tormentorum caſus diſcat. Alienum aliquis deſiderat & hoc cum morte domini conatur implere, videat vt Hercules occiſo Gerion Iberas abegerit boues. Si quis promiſcua hominum cæde gaudet, præpoſteras Martis cupiditates diligenter inſpiciat. Semina penè omnium ſcelerum à diis ſuis peccantium turba collegit. Et vt perditus animus impunè facinus poſſet admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis maiore ſe autoritate defendit. Si ſtupri præmia corruptor inquirit, ſi viam optat ſollicitationis addiſcere, in ſinu corruptæ mulieris aurum videat Iouis. Si publicus parricida, commiſſam ſibi regni cuſtodiam nefaria prodere cupiditate deſiderat, reſpiciat ad eos, qui Saturnum filio prodiderunt. Quatenus ius lædatur hoſpitii, vel quatenus amicitiæ iura turbentur, vel quatenus menſæ conciliatio ſancta violetur. Si quis ad iniuriam pronus quærit eſſe, ordinem ſcelerum de Tantali caſibus diſcat! O facinoroſæ cupiditatis triſte ſolatium! O hominum deflenda perſuaſio! O infelicis imitationis cruenta meditatio. [b] Scenam de cælo feciſtis, & errantes animos per abrupta præcipitia creduli calamitate duxiſtis, cum hominibus peccare cupientibus facinorum via de Deorum monſtratur exemplis. Sed in iſta criminum lege, in iſta confeſſione ſcelerum gratias agamus illis, qui etiam exitia & mortes Deorum iſtorum nobis neſcientibus prodiderunt: vt diſceremus omnia per tot obſtantes. Fuit enim & apud veteres, licet nondum terram illuminaſſet Domini noſtri Ieſu Chriſti veneranda dignatio, in ſpernendis ſuperſtitionibus religioſa conſtantia, Diomedes pudicus ac ſobrius

a *Quis Chionem, Hippogoenque corrupit*) Emenda, Hippothoenque. Clem. Protrept. Κάλει μοι τὸν Ποσειδῶ, καὶ τὸν χορὸν τῶν διεφθαρμένων ὑπ' αὐτοῦ, τὴν Ἀμφιτρίτην, τὴν Ἀμυμώνην, τὴν Ἀλόπην, τὴν μελανίππην, τὴν Ἀλκυόνην, τὴν Ἱπποθόην, τὴν χιόνην. Arnob. lib. IV. qui vt Firmicus, Menalippen, non, Melanipen, & fortè pud eumdem Chionas, non Alcyonas.

Æthiſam rapit.) Lege: Æthuſam. Clem. Protrept. Κάλει μοι καὶ τὸν Ἀπόλλω. Φοῖβος ἐστιν οὗτος, καὶ μάντις ἁγνὸς. καὶ σύμβουλος ἀγαθὸς. ἀλλ' οὐ ταῦτα ἡ Στερόπη λέγει, οὐδὲ ἡ Αἴθουσα, οὐδὲ ἡ Ἀρσινόη. οὐδὲ ἡ Ζευξίππη, οὐδὲ ἡ Προθόη, οὐδὲ ἡ Μάρπησσα, οὐδὲ ἡ Ὑψιπύλη. Δάφνη γὰρ ἐξέφυγε μόνη καὶ τὸν μάντιν, καὶ τὴν φθοράν. Arnob. lib. IV.

Videas Liberum amatori ſuo.) Arnob. lib. V. *Liber noſſe inferos expetiuit. ſed qua iret, ac pergeret, neſciebat. Proſumnus quidam exoritur, qui ſe Acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi Deus vxorias voluptates pateretur ex ſe carpi. Deus facilis iurat poteſtatis futurum ſe eius, ſed cum primum ab inferis compos voti rediſſet; viam Proſumnus ediſſerit, atque in limine proſtituit inferorum. Interea dum Liber Stygem colluſtrat, ex viuentium numero index decedit: emergit ab inferis Euhyius, & vt fidem impleret pacti, ficorum ex arbore ramum praeſecans humani ſpeciem fabricatur in penis, & meditatur ab ligno pati, quod in veritate promiſerat.* Eadem Clem. Protrept. & Greg. Nazianzenus ϛηλιτευτικῷ β. Omnes itineris infernalis inditem Proſymnum dicunt. Higinus vero lib II. Poët. Aſtron. Hypolipnum perenti Libero deſcenſionem ad inferos monſtraſſe. Sed ex eodem Nazianzeno legendum Polyhypnus. Ex hac fabula ortum, vt Baccho φαλλοὺς erigerent. Lucian. de Dea Syria: φαλλοὺς Ἕλληνες Διονύσῳ ἐγείρουσιν ἐπὶ τῇ καὶ τοιῷδε τινι. εἰρωνικὰ ἀνδρας μικροὺς ἐκ ξύλων πεποιημένους μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας. Quæ verba repetit Schol Ariſtoph. in φίλας. Vide eumdem in ἀχαρναῖς, & Suid. φαλλοί. Inde ſolemnis feſtiuitas φαλλαγωγίας, in qua φαλλοὺς circumferebant, & adorabant. Theodoret. Serm. III. Arnob. lib. V. Notanda ſunt illa apud Marium Plotium de metris, ſcriptorem hactenus ineditum. *Ithyphallicum dictum, quod hoc ſono cantantes Athenienſes Libero patri, φαλλὸν, id eſt, faſcinum virile ἰθυνον, id eſt, erebant, dicentes, εἴθε μοι ἰθύφαλλοι.* Harpocration ἰθύφαλλοι. inde Athenis ἰθύφαλλοι, laſciui, & amori indulgentes. Demoſth. Orat. adu. Cononem: καὶ ἐρεῖ ὡς εἰσὶν ἐν τῇ πόλει πολλοὶ καὶ καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν υἱεῖς, οἳ παίζοντες σφίσιν αὐτοῖς ἐπωνυμίας πεποίηνται. καὶ καλοῦσι, τοὺς μὲν ἰθυφάλλους, τοὺς δὲ αὐτολεκύθους. Sed Demoſthenem optime interpretantur, illa quæ profert Suid. ex Semo Grammatico: οἱ δὲ ἰθύφαλλοι, προσωπεῖα μεθυόντων ἔχουσι καὶ χειρίδας ἀνθινὰς, καὶ χιτῶνα μέχρι τῶν σφυρῶν.

Semina ſcelerum à piis ſuis peccantium turba collegit.) Emenda: à diis ſuis,

Cænam de calo feciſtis.) Vera eſt emendatio: Scenam de cælo feciſtis. Plane expreſſit illa Clementis Protrept. οἴμοι τῆς ἀθεότητος. σκηνὴν πεποιήκατε τὸν οὐρανόν, καὶ τὸ θεῖον ὑμῖν δρᾶμα γεγένηται.

Oethi, & Ephialta) Lege: Oti. Homer. Iliad. E. Arnob. lib. IV.

Temporali exilio) Menſibus tribus & decem. Arnob. Hom.

Ob amorē cantamiti) Corrige: catamiti. Ganymedis. Feſtus.

Illic caſus morteſque ſaltatoris, illic Deorum in templis.) Locus mutilus fortè ita ſupplendus: illic caſus, morteſque ſaltatores exhibeant, illis Deorum in templis.

Ioſeph

ſobrius Venerem vulnerat, Martem vincit & percutit. Oti & Ephialtæ edicto Mats bellipotens temporali exilio damnatus, ferrea catenarum vincla ſuſtinuit. Sarpedonem filium mortuum in Troja Iupiter plangit. Et mercedem fabricatorum murorum, Neptunus à ſuperbo rege non recepit. Alterius regis Apollo greges paſcit. Et ſoli omnia videnti alius, occiſarum boum nunciat mortes. Caſtores ſepelit Sparta, ardet apud Oëtam Hercules, & Æſculapius alibi fulminatur, Vulcanus à patre præcipitatus pedem frangit. Lycurgum fugiens Liber moritur. Venus in adulterio deprehenſa detegitur, & poſt Dei nuptias Anchiſæ hominis cubile ſectatur. Saturnus regno timens deuorat filios. Hic ex Creta fugiens in Italia à Spartanis abſconditur. Ob amorem catamiti Iuno ſpernitur, & ad Endimionem Luna deſcendit, & contra voluntatem vxoris & filiæ Trojanis auxilium ferens deceptus Iupiter dormit. O flagitioſa confeſſio, ô miſerabiles deflendique cultus, ô duræ ſeruitutis miſeranda conditio. Ad illorum cultum deorum ſanctos homines, & Deum deuota mente colentes ſacrilegum tyrannorum traxit imperium, & vt huic facinori aliud facinus adderetur, mors eſt decreta nolentibus. Ad theatrum potiùs templa transferte, vt in ſcenis religionum iſtarum ſecreta tradantur, & vt nihil prætermittat improbitas, hiſtriones facite ſacerdotes. Alter dignior locus religionibus iſtis inueniri non poterit. illic amores deorum vilis turba decantet. illic caſus mortesque ſaltatores * * * * * * illic deorum in templis ab impiis & facinoroſis magiſtris melius mens perdita & muliebris docetur facinus. Diſcite etiam, ſanctoſancti imperatores, venerandum Alexandriæ numen vnde ſumpſerit exordium, ac à communi noſtra fragilitate detecta, ad veritatis exordium mortalitatis noſtræ ſermo reuocetur. Cùm ingrueret areſcentibus frugibus malitioſa fames, Iacobi religioſi patriarchæ ſemine procreatus iuuenis Ioſeph, interpretatuſque ſomnium Gen. 41
regis, totum quicquid innuebat, oſtendit. [a] Ioſeph (eſt Iacobi filius) qui ob pudicitiam in carcerem miſſus, ereptus poſt interpretationem ſomnij, fuit particeps regni. Nam ſeptem Gen. 39.
annorum collectis, & ſeruatis frugibus, alterius ſeptennij egeſtatem diuinæ manus prouidentia mitigauit. Huic poſt mortem Ægyptij patrio gentis ſuæ inſtituto templa fecerunt: &, vt juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quo modio eſurientibus & ementibus frumenta diuiſerat capiti is ſuperpoſitus eſt. Nomen etiam, vt ſanctiùs coleretur, ex primo autore generis accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia Gen. 21.
Dei ſuſceperat filium, Serapis dictus eſt græco ſermone, hoc eſt, Σαρᾶς ἄπι. Sed hoc inuito Ioſeph accidit, imò mortuo. Neque enim ad hoc facinus religioſus animus, & Deo ſummo dicatus adduci potuiſſet, vt erroris illecebras ex nomine ſuo ſuperſtitioſis hominibus ipſe præberet, præſertim cùm ſciret hæc eſſe in Dei ſactoſanctis legibus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur aut coleret. Hic in Ægypto colitur, hîc adoratur, huius ſimulachrum Neocororum turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus ordinem ſacrorum in honorem integerrimi, ac prudentiſſimi hominis conſtitutum, contentioſa hodie animoſitate cuſtodit. Sed & in ipſo ſimulacro, ſicut in cæteris, ex aſſiduis ſacrificiis immundi dæmonum ſpiritus colliguntur. Nihil enim operantur animæ, & cruor ex aſſidua pecudum cæde profuſus, niſi vt dæmonum ſubſtantia, qui diaboli procreatione generantur, ex illo ſanguine nutriatur. Nam ita eſſe Porphyrius defenſor Stoïcorum, hoſtis Dei & veritatis in multis ſceleratarum impietatum ſcriptis, manifeſtis nobis probationibus prodidit. In libris enim quos appellat περὶ τῆς ἐυλογίων φιλοσοφίας majeſtatem eius prædicans, de infirmitate confeſſus eſt. In primis enim librorum partibus, [id eſt in ipſis auſpiciis poſitus] dixit: *Serapis vocatus, & intra corpus hominis collocatus talia reſpondit.* Dicant nunc mihi perditi homines, quis potior eſt, qui vocat & imperat & includit, an qui voatur & paret? Et cùm venerit, in ſuſcipientis hominis corpore poteſtate jubentis includitur. Gratias agimus Porphyri quòd libris tuis deorum tuorum nobis ſubſtantiam prodidiſti. Didicimus per te, quatenus dij tui hominibus viuentibus ſeruiant. Serapis tuus ab homine vocatur, & venit, & cùm venerit ſtatim iuſſus includitur, & loquendi neceſſitas nolenti forſitan imperatur. Sic apud nos deos veſtros, cum hominibus nocere cœperint, [b] religioſi ſermonis flagella caſtigant. Sic in corpore hominum conſtituti dij veſtri verbo Dei ſpiritualium flammarum igne torquentur, & qui apud vos, quaſi dij coluntur, apud nos religioſæ fidei medela Chriſti gratia humano ſubjacentes imperio, & tormenta repugnantes ſuſtinent, & victi pœnis vltricibus ſubiugantur. Penates etiam qui ſint, explicare contendam, ne quid à me ſit prætermiſſum. Qui nihil aliud putant eſſe vitam,

niſi

Ioſeph eſt Iacobi filius.] Expunge gloſſema: eſt Iacobi filius.

Quomodo eſurientibus, & ementibus frumenta diuiſerat, capitis ſuperpoſitum eſt.) Rectè emendabis: Quo modio eſurientibus, & ementibus frumenta diuiſerat, capiti is ſuperpoſitus eſt. Ruffin. Hiſt. lib. 11. cap. xxiii. vbi multis Serapidis ſtatuam, & cultum apud Alexandrinos deſcribit: *De Serapidis origine diuerſa fertur opinio, alij Iouem putant, cuius capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura, modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulachrum ob dimenſionem frumenti, quo famis tempore ſubuenit Ægyptiis.* Vide Suid. Σάραπις.

Serapis dictus.) Alia origo nominis Serapidis ab antiquis traditur. Clem. Strom. 1 ex Nymphodoro τὸν Ἆπιν τὸν ταῦρον τελευτήσαντα εἰς σορὸν ἀποτεθῆναι τῷ ναῷ τῷ τιμωμένῳ δαίμονος, κἀντεῦθεν Σορίαπιν κληθῆναι, καὶ Σάραπιν συνηθείᾳ τινὶ τῶν ἐγχωρίων, ὕστερον. Aliorum opiniones recenſet Plutarch. de Iſide. Clem. Protrept. Ruffin. 11. Hiſt.

Huius ſimulacrum Neogrorum turba cuſtodit.] Vera eſt lectio: Neocororum turba cuſtodit. Νεώκοροι.

Nam iſta eſſe Porphyrius.] Scribe; Nam ita eſſe.

Id eſt, in ipſis auſpiciis poſitus.] Puto irrepſiſſe è gloſſa.

Religioſi ſermonis flagella caſtigant.) Infrà: *Adhærens homini laceratur, vritur, vapulat, & ſtatim de commiſſis ſceleribus confitetur* Cyprian. de Idol. vanitate. *Videas illos* (dæmonas) *noſtra voce & operatione majeſtatis occulta flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari.* Origenes homil. xxiv. in Ioſua. *Si inimica virtus dæmonis obſideat aliquibus corpus, adhibeantur autem*

niſi veſcendi & potandi licentiam, hos ſibi deos ex cupiditatis ſuæ humilitate finxerunt, nutrimenta corporis, quæ ex quotidianis epulis comparantur, hoc nomine pro ſalute hominum conſecrantes. Quia per epulas corporis reficitur infirmitas, alimenta ſolum eſſe Deum ſanxerunt, neſcientes diuini oraculi veritatem. Cùm enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum diabolo pro noſtra ſalute ſollicitus, diuina majeſtatis ſuæ colluctatione certaret, & vt de faucibus eius, quem gerebat hominem liberaret, hac eum reſponſione quaſſauit. Nam cùm
Mat. 4. diceret ei diabolus: *Si filius Dei es, fac vt iſti lapides panes fiant* Reſpondens ei Dominus dixit: *Non in pane tantùm viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Neſcientes itaque ſubſtantiam
Luc. 4. generis humani, quotidianas epulas hoc nomine conſecrarunt. Nam omne, quo veſcuntur homines penus vocatur; hinc & cella penaria, hinc & dij penates, ab abjectis & proſtratis hominibus miſera ſunt cogitatione compoſita. Veſta autem quid ſit, diſcite, ne putetis antiquum aliquid, aut cum ſummo terrore inuentum. Ignis eſt domeſticus, qui in focis quotidianis vſibus ſeruit. Quapropter coquos habeat, non miſeras virgines ſacerdotes, quæ contemnentes ignis ipſius fauillas, aut proſtituto corpore peccare coguntur, aut in virginitate perſeuerantes perdunt honeſtam glorioſi nominis dignitatem. Palladij etiam quid ſit numen audite. Simulachrum eſt ex oſſibus Pelopis factum. Hoc auarus Scytha feciſſe perhibetur, jam quale ſit conſiderate, quod Scytha barbarus conſecrauit. Eſt-ne aliquid apud Scythas humana ratione compoſitum, & illa effera gens (hominum) & crudeli atque inhumana ſemper atrocitate graſſata, in conſtituendis religionibus rectum aliquid potuit inuenire? Simulacrum hoc Trojanis auarus vendidit, ſtultis hominibus vana promittens. Vendebatur deus, vt prodeſſet emptori, & emptor ſuppliciter adorabat, quicquid paulò antè viderat ſubhaſtatum. Subſtantia autem ſimulachri ipſius ex oſſibus Pelopis eſt. Si humana vis miſeros homines oſſa venerari, purioris ſaltem & caſtioris hominis reliquias collige. Accedat idolo quod facis, ex hominis virtutibus meritum. Pelops in deliciis amatoris fuit, & diu proſtituti pudoris damna ſuſtinuit. Sed nec adulto ei ſcelus defuit. Is enim cuius filiam petebat, eum fraude proditoris occidit. Proditorem etiam ipſum perjuriis aggreſſus eſſe, & ne promiſſa redderet præmia, hunc eumdem per abrupta præcipitia jactauit. En cujus electa ſunt oſſa, vt deus fieret, qui vrbes & regna ſeruaret. Sed nec ſeruauit aliquando, nec profuit, & quid ſe maneat, ex vrbium, in quibus fuit, caſibus vidit. Incenſa eſt Troja à Græcis, à Gallis Roma, & ex vtroque incendio Palladium reſeruatum eſt. Sed reſeruatum non propriis virtutibus, ſed humano præſidio: ab vtroque enim loco homines liberant, & tranſlatum eſt, ne humano flagraret incendio. Tanto numini humana fuerunt præſidia neceſſaria, & ne arderet, humanum quæſiuit auxilium. Dilatum eſt Palladium ab incendio, non liberatum. Stat ſententia, manet pœna, ignis imminet, ignis vrget, quem vitare non poterit. Iam parturit flamma cæleſtis, iam diuinæ animaduerſionis monſtratur aduentus, iam futuræ cladis nunciatur exitium, in hoc incendio Palladium latebras inuenire non poterit, ignis iſte ſcrutatur abdita, quærit abſconſa: & quicquid errantes homines vanis perſuaſionibus perdidit, rapida flammarum populatione
Mal. 4. complectitur: *Venit enim* (inquit) *dies Domini vt ardens clibanus.* Audiſti quid veniat. Nihil eſt, quòd ex te collectum in apothecis Dominicis reponi poſſit, ardebis vt ſtipula, cuius inanis vilitas in cineres fauillaſque ſeruatur, quam rapax ignis violentia congeniti ſpiritus paſcitur. Hic eſt exitus finiſque veſter: hæc eſt pœna, quam pro deceptis hominibus Deus ſtatuit, vt perpetuis ardeat flammis, qui contra voluntatem Dei miſerum hominem aut decepit aut perdidit. Volo ſanè diligenter inquirere, cuius Mineruæ hoc volunt eſſe ſignum. Plures enim Mineruas fuiſſe conſtat, nec aliquis in iſta parte diſſentit. Singularum itaque genus, inſtitutum, artem propoſitumque dicamus, vt ex his omnibus inueniri poſſit, Palladium cuius Mineruæ ſit nomine conſecratum. [a] Quinque Mineruas fuiſſe legentibus nobis tradit antiquitas. Vna eſt Vulcani filia, quæ Athenas condidit, quam ex agreſtibus locis ad vrbanæ conuerſationis ordinem ruſtica turba comitata eſt. Fuit alia in Ægypto, Nili regis filia, textrinæ artis magiſtra. Tertia verò parre Saturno genita eſt. Sed hanc viraginem fuiſſe commemorant: nam numquam ſe intra fœminei ſexus verecundiam tenuit, ſed arma ſemper ſtrepitumque pugnarum, & cruenta ſequuta eſt ſtudia bellorum. Quarta Iouis Cretici regis fuit filia, quæ occiſum patri detulit Liberum. [b] Quinta Pallante patre, & Tritonide matre orta eſt, quæ patris appellata nomine, Pallas eſt ab hominibus nuncupata. Hæc parricidialis amentia furoris & veſanæ temeritatis inſtinctu, patrem Pallantem

crudeli

multa exerciſtarum inuocationes & ad hæc omnia ſurdus dæmon in obſeſſo corpore perſiſtat, faciliùs ferens exerciſtarum pœnas, & adhibita ſibi ex Dei nominis inuocatione tormenta. Vide, quæ notamus ad Minucium.

Penates etiam.) Cic. II. de Nat. Deorum.

Cella penaria.) Feſtus: Penora. Varro IV. de lingua Lat.

Veſta quid ſit.) Cic. II. de Nat. Deor.

Simulachrum ex oſſibus Pelopis.) Clemens Protrept. Arn. lib. 4.

a *Quinque Mineruas.)* Idem Clemens: Εἰσὶ δὲ οἱ πέντε Ἀθηνᾶς ὑποτίθενται, τὴν μὲν Ἡφαίστου, τὴν Ἀθηναίαν, τὴν δὲ Νείλου, τὴν Αἰγυπτίαν. τρίτην τὴν τοῦ Κρόνου, τὴν πολέμου εὑρέτιν. τετάρτην, τὴν Διὸς ἣν Μεσσήνιοι κορυφασίαν ἐπικεκλήκασιν. ἐπὶ πᾶσι τὴν Πάλλαντος, καὶ Τιτανίδος τῆς Ὠκεανοῦ. ἣ τὸν πατέρα δυσσεβῶς καταθύσασα, τῷ πατρῴῳ κεκόσμηται δέρματι ὥσπερ κῳδίῳ.

b *Quinta Pallantem patre, & Titanide matre orta eſt.)* Corrige: Tritonide.

Et medelas artificum aſpernatas contemnit.) Emenda: aſpernat ac contemnit.

crudeli morte iugulauit. Nec ſimplici patris morte contenta, vt diutiùs malis ſuis frueretur, & vt de morte patris crudeliùs triumpharet, exuuiis corporis eius ornata eſt, vt parricidij facinus ex crudeli oſtentatione publicaret. Huius eſt Palladium, pro nefas, nomine conſecratum. Hæc eſt Pallas quæ colitur, hæc eſt quæ pontificali lege ſeruatur, & cuius facinus ſeueriùs damnari debuerat, eius imago ſuppliciter adoratur. Apponite ignem, augete flammas, vt quotidianis ſacrificiis veſtris dicatur ardere. Quid enim meretur aliud parricida, niſi vt perpetua mutatione flammarum ante ſententiam Dei quotidie flammis vltricibus concremetur. Buſta ſunt, ſacratiſſimi imperatores, appellanda non templa. Rogi ſunt potiùs dicendi miſerorum. Nam in honorem hominum perditorum ædes pro ſepulchris miſeranda hominum ſeruitus facit. Hîc crematorum corporum fauillæ ſeruantur, hîc cineres mortuorum irreligioſa lege conduntur, vt acerbarum mortium caſus quotidiano victimatum ſanguine recrudeſcat, vt triſtis lamentationis exitus renouatus annuis luctibus renaſcatur, vt ſopitos fletus recentior vlulatus exagitet, vt parricidia, vel inceſta vel mortes ex ſacrorum ritu miſera mens hominum, & colere diſcat & facere. Amputanda ſunt hæc, ſacratiſſimi Imperatores, penitùs atque delenda, & ſeueriſſimis edictorum veſtrorum legibus corrigenda, ne diutiùs Romanum orbem præſumptionis iſtius error funeſtus commaculet, ne peſtiferæ conſuetudinis conualeſcat improbitas. Quicquid hominem Dei conatur pèrdere ne diutiùs in terra dominetur. Nolunt quidam & repugnant, & exitium ſuum prona cupiditate deſiderant: ſed ſubuenite miſeris, liberate pereuntes, ad hoc vobis Deus ſummus commiſit imperium, vt per vos vulneris iſtius plaga curetur. Facinoris eorum periculum ſcimus, erroris notæ ſunt pœnæ, ſed melius eſt, vt liberetis inuitos, quàm vt volentibus concedatis exitium. Ægrotantes contraria delectant; & cùm corpus hominis aduerſa valetudo poſſederit, contra ſalutem ſuam à laborantibus peruerſa poſcuntur. Capta mens languoris vitio, morborum ſemper augmenta deſiderat, & medelas artificum aſpernat ac contemnit, reſpuit remedium medicinæ, & in exitium ſuum prona animoſitate feſtinat. Tunc ſi malum morbi fortius creuerit, maiora remedia quæruntur, & pro ſalute hominis ſollicita fortiùs ſe medicina opponit. Aſperi cibi, amari potus nolentibus ingeruntur: & ſi conualuerit malum, & ignis adhibetur & ferrum. Sic homo recepta ſanitate & ſalute ſibi reddita, quicquid ægrotantis corporis vitio inuitus paſſus eſt, hoc totum pro vtilitate ſua factum eſſe, ſtantis animi judicio confitetur. Accipite etiam, ſacroſancti Principes, nomina eorum qua ſunt ratione compoſita; lumen hoc, quod hominibus juſſu Dei; fugatis tenebris diem reddit, quod per duodecim horarum ſpatia curſus ſui ordinem dirigit, ſolem dici volunt, non quia ſolus eſt, vt quidam volunt, quia ibi & cælum eſt & luna, & alia plurima ſydera quæ videmus, ex quibus quædam vna ſerie, & cohærentia perpetua ſimulque copulata lucent, alia tota ſparſa cælo vagos curſus ſuis metiuntur erroribus. [a] Sed ideò Sol appellatur, quia cum ortus fuerit, obſcuratis cæteris ſyderibus luceat ſolus. Luna etiam hæc eadem Lucina à nocturno lumine nomen accepit. Hanc etiam quidam dici voluerunt Dianam, quod per noctem lucens hominibus alterum pænè diem faciat. A natando Neptunum dici voluerunt, ex hoc quod libenter faciebant ſubſtantiam nominis figurantes. Terrenam vim omnem atque naturam, Ditem patrem dicunt; quia hæc eſt natura terræ, vt & recidant in eam omnia, & rurſus ex ea orta procedant, quæ res opulentiam terræ diuitiaſque monſtrauit. Frugum ſubſtantiam volunt Proſerpinam dicere; quia fruges hominibus, cùm ſeri cœperit, proſunt. Terram ipſam Cererem nominant, nomen hoc à ferendis fructibus mutuatum. Ex bellorum caſibus Mauors nomen accepit, quaſi magna vertat. Minerua ſimiliter bellicum nomen eſt, quaſi aut minuat aut minetur. Venuſtas hominum Venus dicta eſt. Apollinis nomen ex humanis finxerunt caſibus, ſermone græco, quaſi omnia commiſſa ſibi, aut amittat aut perdat. Solem etiam quidam Apollinem dicunt, quia quotidie in occaſu conſtitutus ſplendorem luminis perdat. Perdere autem græci ἀπόλλειν dicunt. Videtis vt veſtros ementitos & fictitios deos turbulentus error excogitauerit, vt ſuperſtitionibus anilibus & formæ vobis traditæ ſunt & nomina. Sed hæc omnia veritas detexit, & ratio ſanæ mentis inuenit, vt inueſtigatis omnibus atque detectis, quæ ſacrilegus error abſconderat, veritatis ſemita luceret. Hæc enim omnia cùm eſſent malè compoſita terrori primùm fuere mortalibus: dehinc conſumpta nouitate, quaſi ex longa ægritudine conualeſcentibus hominibus, natus eſt quidam ex admiratione contemptus. Sit paulatim, quod ſtupebat animus, auſus eſt diligenter inquirere, & ſtatim in arcana fictarum ac vanarum ſuperſtitionum ſagax miſit ingenium. Tunc ex aſſiduis tractatibus latentium ratione collecta peruenit ad cauſas, vt profanarum religionum miſeranda commenta humanum genus primum diſceret, & deinde contemneret, tertiò recuſaret. Libet nunc explanare quibus ſe ſignis vel quibus ſymbolis in ipſis ſuperſtitionibus miſeranda hominum turba cognoſcat. Habent enim propria ſigna, propria reſponſa, quæ illis in iſtis ſacrilegiorum cœtibus diaboli tradidit diſciplina. In quodam templo, vt in interiores partes homo moriturus poſſit admitti, dicit: de tympano manducaui, de cymbalo bibi, & religionis ſecreta perdidici. Quod græco ſermone dicitur [b] ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός.

Malè

a *Sed ideò ſol appellatur.* Hæc omnia apud Cic 11. de Nat. deor. Olympiod. in Plat. Alcibiad. Fulgent. & alios.

b Ἐκ τυμπάνου βέβρωκα.] Clemens Protrept. ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον. ἐκερνοφόρησα ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. ταῦτα οὐχ ὕβρις τὰ σύμβολα, οὐ χλεύη τὰ μυστήρια.

Malè miſer homo de admiſſo facinore confiteris, peſtiferum veneni virus hauſiſti, & nefario furoris inſtinctu lethale poculum lambis, cibum iſtum mors ſequitur ſemper, & pœna æterna. Hoc, quod bibiſſe te prædicas, vitalem venam ſtringit in mortem, & ſedes animæ contaminata malorum te continuatione conturbat. Alius eſt cibus, qui ſalutem largitur & vitam; alius eſt cibus, qui hominem ſummè Deo & commendat & reddit; eſt cibus, qui languentes reuelat, errantes reuocat, lapſos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur inſignia. Chriſti panem, Chriſti poculum quære, vt terrena fragilitate contempta, ſubſtantia hominis immortali pabulo ſaginetur. Quis eſt autem hic panis, vel quod poculum? de quo in libris Salomonis ſapientia magna voce præclamat, ait enim: *Venite, & manducate de meis panibus, &*
Prov. 9. *bibite vinum, quod miſcui.* & Melchiſedech Rex Salem, & ſacerdos ſummi Dei, reuertenti
Gen. 14. Abrahæ cum pane & vino benedictionis obtulit gratiam. Iſaac etiam cùm Iacob benedixiſſet, cùm hoc idem Eſau à patre ſuppliciter exigeret, reſpondit ei pater: *Dominum tuum feci*
Gen. 27. *illum, & omnes fratres eius feci ſeruos, tritico & vino confirmaui illum.* Tunc Eſau caſus ſuos miſera lamentatione defleuit, quia tritici & vini, id eſt, futuræ felicitatis perdidit gratiam. Quod autem conſecratis hominibus à Deo panis diuinus iſte præſtetur, per Eſaiam dicit Spiri-
Eſa. 65. tus ſanctus: *Sic dicit Dominus, Ecce qui ſeruiunt mihi manducabunt, vos autem eſurietis. Ecce qui ſeruiunt mihi, jucundabuntur, vos confundemini, vos interficiet Dominus.* Non ſolùm panis iſte à Deo ſummo ſacrilegis & impiis denegatur, ſed & pœna promittitur, & acerbæ mortis decernuntur exitia, vt eſurientibus faucibus diuinæ animaduerſionis exitus ingeratur. Sequuntur etiam hoc idem XXXIII. Pſal. veneranda reſponſa, ait enim per Dauid Spiritus ſanctus: *Guſtate & videte quoniam dulcis eſt Dominus, dulce eſt cæleſte pabulum, dulcis Dei cibus, nec habet in ſe miſera famis triſte tormentum, & de medullis hominum præcedentis veneni virus excludit.* Hæc ita eſſe ſequentia oraculi reſponſa declarant, ait enim: *Timete Dominum ſancti eius, quia non eſt inopia eis, qui metuunt eum. Diuites eguerunt, & eſurierunt; qui autem inquirunt Dominum, non indigebunt omni bono.* Qui ſic in templo prætextatus incedis, qui fulges purpura, cuius caput aut auro, aut lauro premitur, errorem tuum turpis egeſtas inſequitur, & ceruicibus tuis oneroſum paupertatis imminet pondus. Illum quem deſpicis pauperem, [a] largus & diues eſt,
Luc. 16. ſpatium illi Abraham in ſinu ſuo præparat. Tunc tu per interjecta flammarum ſpacia ad mitigandæ conſcientiæ tuæ vulnera, tenuem ab eo ſtillantis aquæ guttulam poſtulabis, nec tibi volens Lazarus lenimentum doloris tui aut dare poterit aut impetrare. Singulorum enim pari gratia merita penſantur, illi vita confertur, propter huius ſæculi mala, tibi propter huius ſæculi bona perpetua tormentorum pœna decernitur. Vt autem manifeſtiùs diceretur, quinam ille eſſet panis, per quem miſeræ mortis vincuntur exitia, ipſe Dominus ſancto ac venerando ore ſignauit, ne per diuerſos tractatus ſpes hominum prauis interpretationibus fallerentur. Dicit enim
cap. 6. in Euangelio Ioannis: *Ego ſum panis vitæ, qui venerit ad me, non eſuriet: & qui in me crediderit, non ſitiet vnquam.* Item in ſequentibus hoc idem ſimili modo ſignificat; ait enim: *Si quis ſitit veniat & bibat, qui credit in me.* Et rurſus ipſe, vt majeſtatis ſuæ ſubſtantiam credentibus traderet, ait: *Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Quare nihil vobis ſit cum tympanis, cibo odij miſeri mortales, ſalutaris cibi gratiam quærite, & immortale poculum bibite. Chriſtus vos epulis ſuis reuocat ad lucem, & graui veneno putres artus, & torpeſcentia membra viuificat. Cæleſti cibo renouate hominem perditum, vt quicquid in vobis mortuum eſt, diuinis beneficiis renaſcatur. Didiciſtis quid vos facere conueniat, eligite quod vultis; inde mors naſcitur, hinc immortalis vita donatur. Dicis etiam: χαῖρε νύμφιε χαῖρε νέον φῶς. Quid ſic miſerum hominem per abrupta præcipitas, calamitoſa perſuaſio? Quid illi falſæ ſpei polliceris inſignia? Nullum apud te lumen eſt, nec eſt aliquis ſponſus qui hoc mereatur audire. Vnum lumen eſt, vnus eſt ſponſus hominum quorum gratiam Chriſtus accepit. Non poteris ad te alienæ felicitatis transferre gloriam, nec poteris cæleſtis numinis ſplendore decorari. In tenebras ſqualloreſque projectus es: illic ſordes, ſquallor, caligo, tenebræ, & perpetuæ noctis dominatur horror. Si vis vt tenuis ſaltem tibi ſplendor luminis
Ioan. 8. luceat, erige vultus, & demerſos erige oculos, & deſertis his ad eum te confer qui dixit: *Ego ſum lux mundi*; cuius diuinis præceptis continetur, vt in hac terrena conuerſatione opus noſtrum per dies ſingulos luceat. Lucere autem non poteſt niſi immaculata nos conſcientiæ ornamenta protexerint, niſi integra nos & incorrupta vita commendet: tunc orietur nobis veri luminis gratia: tunc ſe nobis lucis autor inſinuet: tunc verum lumen & accipere poſſumus & videre. Sed vt ſacrilegæ vocis comprimatur improbitas, quis ſit verè ſponſus ſacrarum lectionum oraculis comprobabo; vt probetur ſponſum eſſe Chriſtum, ſponſam Eccleſiam: ex quo venerando patri ſpirituales filij per dies ſingulos procreantur. In hac probatione arcana prophetarum veneranda pandantur. Adſiſtat nobis ſanctorum oraculorum fides. Ioel diuino ſpiritu
cap. 1. monente ſic dicit: *Canite tuba in Syon, ſanctificate jejunium, & indicite curationem, aggregate populum, ſanctificate Eccleſiam, excipite maiores natu, colligite paruulos lactentes, procedat ſponſus de cubiculo ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo.* Hoc idem Ieremias ſimili ratione ſignificat, ait enim
cap. 16. cùm Hieroſolymæ truci minatur oraculo: *Et auferam de ciuitatibus Iuda, & de vrbibus Hieruſalem*

a *Largus & diues eſt*] Fortè: Lautus.

Hieruſalem vocem lætantium, & vocem ſponſi & vocem ſponſæ. Proceſſum ſponſi etiam per Pſalmos prædicat Spiritus ſanctus. In XIIX. Pſalmo hoc inuenitur oraculum, ait enim: *Et ipſe velut ſponſus egrediens de thalamo ſuo exultauit, vt Gigas viam currere. A ſummo cæli profectio eius, & decurſio eius vſque ad ſummum eius, & non eſt qui lateat à calore eius.* Secretiora pandantur arcana, in [a] Apocalypſi, quis ſit ſponſus inueniemus, ita enim ſcriptum eſt: *Veni oſtendam tibi nouam nuptam vxorem agni. Et duxit me in ſpiritu in montem magnum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cælo.* Inueſtigandum eſt, quid etiam nobis de hac ipſa re tradat Euangelica diſciplina; inueniemus enim in Euangelio Ioannis ita eſſe ſignatum: *Vos mihi teſtes eſtis, quoniam dixi eis, qui miſſi ſunt ab Hieroſolymis ad me, quia non ſum Chriſtus, ſed quoniam miſſus ſum ante ipſum. Qui enim habet ſponſam ſponſus eſt; amicus autem ſponſi eſt, qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Huius rei myſterium oſtenſum eſt, huius ſponſi aduentum ſapientium virginum chorus expectat, huic præfert lumina peruigili cura ſancta virginitas, expectantibus ſponſum ſeruis fœlicium præmiorum promittitur munus. Inuenimus enim in Euangelio Lucæ: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando veniat à nuptiis. Vt cum venerit, & pulſauerit aperiant illi. Felices ſerui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes.* Ecce venerandorum reſponſorum oraculis ſponſus oſtenſus eſt. Quid tu tibi in acerbis caſibus conſtitutus beatum nomen imponis? Si vis liberatus lumen ſequi ſponſi, proiice errores, & peruigili cura ſollicitus, præcedentia vitæ facinora religioſa deuotione caſtiga. Tunc te in nomine ſuo cum vigilantem inuenerit ſponſus, cum fidei tuæ merita cognouerit, dabit maximum præmium, dabit integrum munus, intrabis cum eo cæli thalamum, videbis regna mundi, & vt eorum particeps eſſe poſſis, à piiſſimo & iuſtiſſimo Domino immortalitatis tibi gratia conferetur. Alterius profani Sacramenti ſignum eſt: [b] θεὸς ἐκ πέτρας. Cur hoc ſanctum venerandumque ſecretum ad profanos actus adulterata profeſſione transfertis? Alius eſt lapis, quem Deus in confirmandis fundamentis promiſſæ Hieruſalem miſſurum ſe eſſe promiſit. Chriſtus nobis venerandi lapidis ſignificatione monſtratur. Quid tu ad commaculatas ſuperſtitiones furtiua fraude venerandi transfers nominis dignitatem? Lapidem tuum ruina ſequitur, & cadentium culminum funeſta collapſio. Noſter lapis Dei fundatus manu extruit, confirmat, erigit, munit, & reſtaurati corporis gratiam, perpetuæ immortalitatis ſplendore condecorat: ait enim de hoc Eſaias, innuente Spiritu ſancto: *Sic dicit Dominus, ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem precioſum, electum, ſummum, angularem, honoratum, & qui crediderit in eum, non confundetur.* In Pſalmis etiam ſimile reſponſum eſt: ait enim Spiritus ſanctus in CXVII. Pſal. *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. An non factus eſt iſte, & eſt mirabilis in oculis noſtris?* Per multos prophetas Spiritus ſanctus nominis iſtis ordinem monſtrat; ait enim Zacharias propheta: *Ecce ego adduco puerum meum, ortus ei nomen eſt, quoniam lapis, quem dedi coram Ieſu, ſuper lapidem ipſum vnum, ſeptem oculi ſunt.* Sed vt manifeſtius conſtet, antiquiora venerandarum lectionum ſecreta pandamus. In Deuteronomio ita comprehenſum eſt: *Et ſcribes ſuper lapidem omnem legem hanc.* Ieſus etiam Naue iuſſu diuinitatis hoc ſpecialiter comprehendit, ait enim: *Et accepit lapidem magnum, & ſtatuit eum contra Dominum. Et ait Ieſus ad populum: Ecce lapis iſte erit mihi in teſtimonium, quia iſte audiuit omnia quæ dicta ſunt à Domino quando loquutus eſt ad vos. Et erit iſte nobis in teſtimonium in nouiſſimo dierum, quando receſſeritis à Domino veſtro.* Quod autem per hunc lapidem, id eſt, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & dii iſti caſuri ſint, & multitudo templorum, aperte Daniel venerandis oraculis explicauit, ait enim, cùm interpretaretur ſomnium regis: *Et ecce imago, imago nimis magna, & contemplatio ipſius imaginis metuenda, elata ſtabat contra te, cuius caput fuit ex auro bono, pectus & brachia eius argentea, venter & femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadusque abſciſſus eſt lapis de monte, ſine manibus concidentium, & percuſſit imaginem ſuper pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos minutatim, & factum eſt ſimul ferreum & teſta, & æramentum, & argentum, & aurum facta ſunt minuta quaſi palea, & vt puluis in arida æſtate, & ventilauit illa ventus, ita vt nihil remanſerit in illis. Et lapis qui percuſſit imaginem, factus eſt mons magnus, & impleuit totam terram.* Quis locus in terra eſt, quem non Chriſti poſſederit nomen? qua Sol oritur, qua occidit, qua erigitur ſeptentrio, qua vergit auſter, totum venerandi numinis maieſtas impleuit. Et licet adhuc in quibuſdam regionibus idololatriæ morientia palpitent membra, tamen in eo res eſt, vt è Chriſtianis omnibus terris peſtiferum hoc malum funditus amputetur. De idololatrarum lapide, de quo dicunt: Θεὸς ἐκ πέτρας quid prophetarum reſpondet oraculum? quis autem reſtitit, vel cui parcit iſte lapis? Lapis autem hic ſanctus, id eſt, Chriſtus aut fidei fundamenta ſuſtentat, aut in angulo poſitus, duorum parietum membra æquata moderatione coniungit, id eſt, veteris & noui Teſtamenti in vnum colligit gentes; aut certè corporis & animi diuerſitatem, inuiolata homini immortalitate.

Marginal notes: cap. 21. — cap. 3. — Matt. 25. — cap. 12. — Eſa. 28. — cap. 3. — cap. 27. — cap. 24. — cap. 2.

a *Apocalypſi, id eſt, in reuelatione.*] Dele gloſſema: id eſt, in reuelatione.

b Θεὸς ἐκ πέτρας] Mithra, in cuius myſteriis hoc Sacramenti ſignum vſurpatum, Hieron. 1. aduerſus Iouinianum, Mithram iuxta gentilium fabulas in lapide de æſtu libidinis generatum ſcribit. Iuſtin. adu. Tryphon. οἱ δὲ τὰ τοῦ μίθρου μυστήρια παραδιδόντες λέγουσιν ἐκ πέτρας γεγενῆσθαι αὐτόν.

litate conſociat; aut legem promulgat, aut contra peccantes teſtimonium perhibet: aut (quod eſt potius) imaginem Diaboli percutit, vt ſuperato eo atque proſtrato, & in cinerem fauillaſque conuerſo, erecto ſublimitatis ſuæ vertice, purum dominationis imperium habeat. Vos nunc Conſtanti & Conſtans, ſacratiſſimi Imperatores, & venerandæ fidei veſtræ imploranda virtus eſt, quæ ſupra homines erigitur, & à terrena fragilitate ſeparatur, cæleſtiumque ſe rerum ſocietate coniungit, quæ in omnibus actibus ſuis, prout poteſt, Dei ſummi ſequitur voluntatem. [a] Modicum tantum ſupereſt, vt legibus veſtris funditus proſtratus Diabolus iaceat, vt extinctæ idololatriæ pereat funeſta contagio. Veneni huius virus euanuit, & per dies ſingulos ſubſtantia profanæ cupiditati exſpirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc diuinitas reſeruauit, cuius fauore eminentes proſtratores eſtis omnium hoſtium veſtrorum; quorum opera [b] Romanum infirmabatur imperium. Signum venerandæ legis erigite, ſancite, promulgate quod proſit; Sit fauſtum fœlixque Reip. quod tot aceruis cæſorum hoſtium proſtrauiſtis exercitum, Felices vos quoque gloriæ ac voluntatis ſuæ Deus fecit eſſe participes, idololatriæ excidium, & profanarum ædium ruinas propitius Chriſtus populo veſtris manibus reſeruauit. Ille ſpiritualibus armis malos ſpiritus, vos mala terrena viciſtis. Erigite tropæa victoriæ, & proferatur ingens titulus triumphorum: profanarum rerum ſtrage gaudentes, exultate fortius, exultare fidenter. Felicitas veſtra cum Dei virtute coniungitur, pro ſalute hominum Chriſto pugnante viciſtis. Omnia ſymbola profanæ religionis per ordinem ſuggerantur, vt probemus nequiſſimum hoſtem generis humani de ſanctis hæc venerandiſque prophetarum oraculis ad contaminata furoris ſui ſcelera tranſtuliſſe. Inueniens enim & ita dici: ἑλιλίχερες διμόρφε. Deus iſte veſter non biformis eſt, ſed multiformis. In multas enim ſpecies veteratoris forma mutatur. Ipſe eſt baſiliſcus & ſcorpio, qui fidelium ſecuris veſtigiis premitur: ipſe malicioſus anguis, cuius caput quærit decepta mortalitas:
Iob. 40. ipſe tortuoſus Draco, qui hamo ducitur, qui captiuus includitur: iſte Deus veſter Lernei anguis crinibus adornatur, videns vt percuſſo Domino morientium anguium turba ſuccedat. Quid ſic renaſcentibus hydris pullulas? quid te fœcunda ſcelerum ſobole componis? mortis tuæ viam didicimus, ſcimus quibus remediis artis tuæ venena vincantur. Chriſti immortalem ſanguinem bibimus, noſtro ſanguini Chriſti ſanguis adiunctus eſt. Hoc eſt ſalutare remedium ſcelerum tuorum, quod à Dei plebe mortiferum virus excludit. Quis Deum iſtum, quem plangunt, cum cornibus vidit? quæ ſunt iſta cornua, quæ habere ſe iactat? Alia ſunt cornua, quæ propheta ſancto Spiritu annuente commemorat, quæ tu, diabolo, ad maculatam faciem tuam putas te poſſe transferre. Vnde tibi ornamenta quæris & gloriam? Cornua nihil aliud niſi venerandum ſignum crucis monſtrant. Huius ſigni vno extenſo ac directo cornu mundus ſuſtentatur, terra conſtringitur. Et è duorum quæ per latus vadunt compagine oriens tangitur, occidens ſubleuatur, vt ſic totus orbis tripartita ſtabilitate firmatus confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur: hoc ſecretum nobis veneran-
cap. 3. dum prophetæ oraculum tradidit. Inueniemus enim in Abacuc ita eſſe perſcriptum: *Texit cælos virtus eius, & laude eius plena eſt terra. Et ſplendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic conſtabilita eſt virtus gloria eius, & conſtituet dilectionem ſuam. Ibit verbum, & precedet ſecundùm greſſus ſuos.* En veneranda crucis cornua, en ſanctæ virtutis immortale faſtigium, & glorioſi operis diuina compago. Tu Chriſte mundum ac terram extenſis manibus, tu cæleſte ſuſtentas imperium; tuis immortalibus adhæret humeris ſalus noſtra, tu Domine æternæ vitæ baiulas ſignum, tu venerando inſtinctu hoc nobis denuncias per prophetas. Ait enim Eſaias: *Ecce natus eſt nobis filius, imperium ſuper humeros eius, & vocatum eſt*
cap. 9. *nomen eius magnæ cogitationis nuncius* Hæc ſunt crucis cornua; quibus omnia & ſubleuantur pariter & continentur. His cornibus benè hominum nititur vita. Vt Amalech vincere-
Exo. 17. tur extenſis manibus Moyſes hæc imitatus eſt cornua, vt facilius impetraret, quod magnopere poſtulabat, crucem ſibi fecit ex virga. Ad hæc cornua feſtina celeritate properate, ad hæc cornua humili veneratione confugite. His vos affigant cornibus, iuſticia, æquitas, pudicitia, miſericordia, patientia, fides: vt veneranda præferentes inſignia, conſecrati fontis maieſtate gaudentes, & ſepulturæ Chriſti participes ſitis & vitæ. Aliud etiam ſymbolum proponamus, vt conamine cogitationis ſcelera reuelentur; cuius totus ordo dicendus eſt, vt apud omnes conſtet, diuinæ diſpoſitionis legem peruerſa diaboli eſſe imitatione corruptam. Nocte quadam ſimulacrum in lectica ſupinum ponitur, & per numeros digeſtis fletibus plangitur. Deinde cum ſe ficta lamentatione ſatiauerint, lumen infertur. Tunc à ſacerdote omnium qui flebant, fauces vnguntur, quibus perunctis, ſacerdos hoc lento murmure ſuſurrat.

Θαῤῥεῖτε

a *Modicum talium ſupereſt.*) Lege: modicum tantum.

b *Romanum firmabatur imperium.*) Scribe: infirmabatur.

Ελιλιχερες διμορφε.) Emenda: ἑλιξίκερως, δίμορφε. Vel potius: ἑλιξ δίκερως, δίμορφε Symbolum orgiorum Bacchi, ſiue Solis. Idem enim vtriuſque numen, vt multis docet Macrobius Saturn. Bacchus autem ταυρόμορφος, ταυρόκερως, & δίμορφος. cultus ab antiquis. Diodorus Siculus lib v. Scholiaſtes Nicandri Alexiph. Orpheus in Hym,

Κικλήσκω Διόνυσον, ἐρίβρομον, εὐαστῆρα,
Ἄγριον, ἄῤῥητον, κρύφιον, διλόφωτα, δίμορφον,
κισσόβρυον, ταυρωπὸν ——

Solem quoque taurina ſpecie cultum Porphyrius περὶ ἀγαλμ. & Lactant. ad lib. I. Thebaid. Statij tradunt.

Cornua nihil aliud) Vide Tertul. III. adu. Marcion. Auguſtin. de Ciu. Dei lib. XVIII. cap. XXXII. *Cornua in manibus eius quid eſt niſi tropæum crucis?*

Vt imperet, vt regnet, vt teneat.) Alterutrum ſuperfluum videtur. Fortaſſe melius; vt imperet, vt regna teneat.

Θαῤῥεῖτε μύσται τοῦ θεοῦ σεσωσμένου,
Ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία.

Quid miſeros hortaris vt gaudeant? quid deceptos homines lætari compellis? quam illis ſpem, quam ſalutem funeſta perſuaſione promittis? quid illos falſa pollicitatione ſollicitas? Dei tui mors nota eſt, vita non comparet, nec de reſurrectione eius diuinum aliquando reſpondit oraculum, nec hominibus ſe poſt mortem, vt ſibi crederetur, oſtendit, nulla huius operis documenta promiſit, nec ſe hoc facturum eſſe præcedentibus monſtrauit exemplis. Idolum ſepelis, idolum plangis, idolum de ſepultura profers, & miſer, cum hoc feceris, gaudes. Tu Deum tuum liberas, tu iacentia lapidis membra componis, tu inſenſibile corrigis ſaxum. Tibi habeat gratias Deus tuus, te paribus remuneret donis, & ſui velit eſſe participem, ſic moriaris vt moritur, ſic viuas vt viuit. Nam quod vnguento perunguntur fauces, quis non facinus iſtud deſpecta vanitate contemnat? Habet ergo Diabolus Chriſtos ſuos, & quia ipſe Antichriſtus eſt, ad infamiam nominis ſui miſeros homines ſcelerata ſocietate perducit. Vnguentum hoc reſerua mortuis reſerua morituris vt quos laqueis tuis ceperis, eos venenato vnguento oblitos lugubri ac funeſto ſemper mergas exitio. Aliud eſt vnguentum, quod Deus pater vnico tradidit filio, quod filius credentibus diuina nominis ſui maieſtate largitur. Chriſti vngnentum immortali compoſitione conficitur, & ſpiritualibus pigmentorum odoribus temperatur. Hoc vnguentum à mortalibus laqueis putres hominum artus exuit, vt ſepulto primo homine, ex eodem ſtatim homine homo alius fœlicius naſcatur. Et vt hoc manifeſtius explicetur, ſacrarum lectionum arcana pandenda ſunt. Ait enim Dauid, vt huius vnguenti gratiam traderet: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit tibi in æternum Accingere gladium tuum circa femur tuum potentiſsime. Specie & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſticiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.. Sagittæ acutæ potentiſsimæ populi intra te decident in corde inimicorum Regis. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi: virga recta, eſt virga regni tui. Dilexiſti iuſticiam, odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Mirrha & gutta, caſia à veſtimentis tuis de ædificiis eburneis, ex quibus te iucunditate affecerunt.* Immortalis vnguenti ſecreta peruidimus, & diuinæ nobis diſpoſitionis ordo monſtratus eſt. Regnum perpetuum, & cæli diadema Domino noſtro cum vnguenti maieſtate collatum eſt. Quis autem hic ſit qui regendi orbis accepit poteſtatem, qui venerandi nominis maieſtate decoratur, aliud nobis monſtrat oraculum: ait enim is idem Dauid: *Vt quid fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Quid te ſic extollis ſacrilega perſuaſio? quid miſeros homines effrenata temeritate circumuenis? vnguentum Chriſti cæli donat imperium, vnguentum veſtrum gehennæ ſuſcitat flammas. Sed quod impuro ore ſacerdos iſte, & polluta verborum contaminatione componit, libet diligenti inquiſitione diſcutere. Liberato Deo ſuo, bonum animum gerere ſocios, fiduciam bonæ ſpei habere perſuadet! O quàm miſeris, quàm luctuoſis ſe laqueis inuoluit caduca calliditas! Quis Deum tuum liberat? cui hoc præſtitit, quod laborat? Diſce, diſce quod neſcis, diſce quod non vides. Chriſtus filius Dei, vt humanum genus à mortis laqueis liberaret, omnia iſta ſuſtinuit, vt captiuitatis duræ iugum tolleret, vt hominem patri redderet, vt mitigata offenſa hominum cum Deo proſpera conciliatione componeret, vt promiſſæ reſurrectionis fructum proprio monſtraret exemplo, fecit filius Dei quod antè promiſerat, clauſit ianuas ſedis infernæ, & duræ legis neceſſitatem calcata morte proſtrauit. Per triduum tecens ita ab eo iuſtorum turba collecta eſt, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas, ne iuſtorum meritum ex longa deſperatione concideret, fregit clauſtra perpetua, & ferreæ fores Chriſto iubente collapſæ ſunt: ecce terra contremuit, & fundamentorum ſuorum ſtabilitate concuſſa, præſentis Chriſti numen agnouit. Ante præfinitum tempus præcipitat diem mundi rotata vertigo; & Sol non completo diurnarum horarum ſpacio properato curſu vergit in noctem. Ecce veli faſtigia ſumma finduntur, & obſcurioribus tenebris orbem terrarum caligo noctis abſcondit. Omnia elementa Chriſto pugnante turbata ſunt, tunc ſcilicet cum primùm contra mortis tyrannidem humanum corpus armauit. Per triduum iſta conflictatione pugnatum eſt, quam diu mors ſuperatis maliciæ ſuæ viribus frangeretur. Quid ſolita impatientia homo religioſe, homo Chriſti deſperas & deficis. Tridui moram non fers, ſollicitudinem ac deſperationem tuam nouis precibus confiteris? Hoc te facturum eſſe illo die Spiritus ſanctus veneranda voce ſignificat, cum per Dauid dicit: *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Exurge quare obdormis Domine? exurge & ne diſperdas vſque in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiam noſtram, & tribulationem: quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, hæſit in terra venter noſter. Exurge Domine opem fer nobis, & libera nos propter nomen tuum.* Ecce poſt triduum lucidior ſolito dies oritur, & reddita ſoli præteriti luminis gratia. Omnipotens Deus Chriſtus ſplendidioribus ſolis radiis adoratur. Exultat ſalutare numen, & triumphales currus eius iuſtorum ac ſanctorum turba comitatur. Tunc elato gaudio clamat elata mortalitas: *Vbi eſt mors aculeus tuus?* Tunc præcurrens ſalutare numen

Pſal. 44

Pſal. 2.

Luc. 23

Mat. 27

Pſal. 44

1. Cor. 15.

aperiri ſibi cæleſtes ianuas præcipit. Aperite, aperite, & immortalia clauſtra conuellite. Chriſtus Deus calcata morte ad cælum, hominem quem ſuſceperat reuocat. Hoc à venerando propheta ſancta voce præcanitur, & ex ore prophetico vox iubentis auditur, ait enim Spiritus ſanctus, vt nobis potentiam Chriſti iubentis oſtenderet: *Tollite portas Principes veſtras, & extollite vos portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Hoc angelis neſcientibus imperatur, neque enim ſcire potuerunt, quando verbum Dei deſcendit ad terram, ideò & ipſi ſollicita interrogatione reſpondent: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Quibus quærentibus perſpicua Chriſtus numinis
Pſal.24 ſui maieſtate reſpondit: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Cognoſcitur ſtatim à cuſtodibus cæli filius Dei, & quicquid illos antè fefellit, agnoſcunt. Vident proſtrati hoſtis exuuias, & recordati primæ diſpoſitionis ordinem, etiam ipſi cum aſcendentibus iterata pariter voce conclamant: *Tollite portas qui præeſtis illis, & extollite vos portæ æternæ, & introibit rex gloriæ.* Reuerſo filio promiſſa pater regni ſceptra reſtituit, & ſellam regni æqua poteſtate concedit, vt imperet [vt regnet] vt teneat, vt perpetua numinis ſui
Cap. 7. maieſtate dominetur. Audi quid de illo Danielem Spiritus ſanctus iuſſerit dicere: *Videbam in viſu nocte, & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniens, venit vſque ad veterem dierum, & ſtetit in conſpectu eius, & qui aſſiſtebant obtulerunt eum. Et data eſt ei poteſtas regia, & omnes reges terræ & regnum & omnis claritas ſeruiuit ei. Et poteſtas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.* Hæc eadem nobis ſancta reuelatione monſtrantur: in-
Cap. 1. uenimus enim in Apocalypſi ita eſſe perſcriptum: *Et conuerſus reſpexi, vt viderem vocem, quæ mecum loquebatur, & vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis veſtitum podere, & erat præcinctus ſupra mammas zona aurea. Caput autem eius & capilli erant albi, velut lana alba vt nix, oculi eius vt flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut de fornace ignea, & vox eius, vt ſonus aquarum multarum, & habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas, & ex ore eius gladius, ex vtroque acutus, & facies eius ſplendebat, vt ſol in virtute ſua. Et cum vidiſſem cecidi ad pedes eius tamquam mortuus. Et impoſuit dexteram ſuam ſuper me dicens: Noli timere, ego ſum primus, & nouiſſimus, & viuus, qui fueram mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis, & inferorum.* Poſt reſurrectionem etiam, cùm diſcipulis ſuis daret certa mandata, immortalium mandatorum ordinem iſta lege con-
Mat.28 cluſit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos obſeruare omnia, quæcumque præcepi vobis.* Quod autem Deus pater participem eum regni faciens, regalis ſellæ ei
Pſalm. 109. conceſſerit ſedes, hoc docetur oraculo: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſubpedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, dominaberis in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in claritate ſanctorum, & ex vtero ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum.* Hi ſunt inimici Dei ſacratiſſimi imperatores, qui veritatis ordinem contraria lege conturbant, qui peruerſæ cupiditatis inſtinctu ſacrilega vota concipiunt, qui profanæ mentis furore aut lignum ſemper venerantur aut lapidem. In iſto loco poſiti ordinem debemus ſanctæ diſpoſitionis aperire: vt quicquid nobis inueſtigantibus ſanctum Dei verbum, prophetica tradidit diſciplina, ad refutandas profani erroris maculas ſpecialiter explicetur, ne * * ſicut nos diximus, commenti ſunt, qui ſacrilegia errantibus tradiderunt. Sic à nobis ordo veritatis curioſius requiratur. Suſpenſis itaque paululum cæteris ad hæc explicanda, quæ vera ſunt, transferatur oratio. Vos, Domini Imperatores, ſanctarum aurium veſtrarum mihi commodate patientiam, vt totum clementiæ veſtræ, quod promittimus, explicemus. Cur Deus, id eſt, filius Dei, homo paſſus eſt fieri, breui ac vera pietati veſtræ ratione monſtrabitur.
Gen. 2.3. Cum hominem primum, id eſt, Adam, ad imaginem ſuam Deus faceret, certam illi mandatorum dedit legem. Is per fœminam, id eſt, Euam deceptus, Diaboli perſuaſionibus, promiſſæ ſibi gloriæ perdidit dignitatem. Lignum erat in Paradiſo, quo promiſſorum à Deo præmiorum perdidit gratiam. De virginis terræ limo homo factus eſt: nondum enim, vt ait ſcriptura, ſupra terram pluerat. Hic contemptis mandatis Dei, humanum genus mortalitatis laqueis afflixit. Oportebat hoc totum & reformari, & corrigi, & reformatio originis debuit reformare primordia. Ex virginis terræ limo factus Adam præuaricatione propria promiſſam perdidit vitam. Per virginem Mariam ac Spiritum ſanctum Chriſtus natus, & immortalitatem accepit & regnum. Arbor ligni peſtiferum deceptis pabulum præbuit: lignum crucis vitam immortali compage reſtituit. Contempſit Adam, obediuit Deo Chriſtus. Sic diuina diſpoſitione quicquid Adam perdidit, Chriſtus inuenit. Nam poſt multa tempora nouiſſimis temporum ſpaciis [id eſt, nouiſſima pænè ſeculorum hebdomade] verbum Dei humano ſe miſcuit corpori, vt hominem liberaret, vt mortem vinceret, vt fragilitatem humani corporis cum diuina immortalitate coniungeret. Quid enim faceret tanta turba ſanctorum? quæ illis ſpes ſalutis? quod meritorum præmium, ſi ſub vna eademque conditione ſortis ineluctabilibus mortalitatis laqueis etiam ipſa obligata teneretur? Nihil Abel, nihil Enoch, nihil Noë, nihil Sem, nihil Abraham, nihil Iſaac, nihil Iacob de Dei ſibi miſericordia ac maieſtate promitterent: irent etiam ipſi poſt tantum fidei meritum cum cæteris omnibus pariter addictis, & omnes Dei ſanctos

vnum

vnum mortis exitium exciperet, nec haberet apud Deum præmium pietas, ſi vna eadémque
omnes conditio mortis hauriret. Sed Deus Abrahæ clarius à cæli ſyderibus promiſerat regnum:
ideò ex genere Abrahæ deſcendens Maria virgo Deum concipit, vt ſupradictorum hominum
ſoboles immortalis ſocietatis vinculo iungeretur, & ſic humanum genus per hominem pariter
& Deum æquata ſocietatis comparatione coniunctum, ad immortalitatis imperium obedien-
tiæ merito perueniret. Quia itaque, ſacratiſſimi Imperatores, curioſis auribus ſatisfecimus, re-
liqua proſequamur, vt vel ſic pollutarum aurium ſordes purificans poſſit ſermo purgare. Sequi-
tur adhuc aliud ſymbolum, quod pro magno miſerorum hominum credulis auribus traditur;
a Ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταύρου πατήρ. Aliquando nobis ſigna, Diabole, maculati nominis
prodidiſti, aliquando infame nomen propria voce confeſſus es. Scio qui fueris, quid auſus ſis,
ſcio quid fecerit ſcelerum tuorum malitioſa perſuaſio. Hoc erat, quod Euæ, quum eam per-
deres, magnopere pollicebaris, cùm ei diceres: *Eritis quaſi Dij.* Tunc parabas tibi ac tuis tem- Gen. 3.
pla, & delubra faciebas, & venenati oris illuuiem nefariis ceremoniis conſecrabas. Serpis in
templis, & occiſarum hoſtiarum miſero paſceris ſanguine. Nec venenis tuis cruor defuit, nec
ſemiuſtæ crematorum corporum partes, humanarum te etiam victimarum frequenter ſanguine
cruentaſti. Et ſaciaris templi cruore, vel ara Carthaginis rabies tua, & ſiccarum faucium vene-
na nutrita ſunt. Tu hæc faciens hominibus te miſeris prodeſſe jactas, vt crudelitate tua perimas,
perſuaſione decipias, pollicitatione proſternas. Sic tuis proſpicis parricida. Fugite ô miſeri ho-
mines, fugite, & contagionem iſtam quantacumque poteſtis celeritate deſerite. Draco eſt, qui
colitur. Latere non poteſt, proprietatem nominis ſui ipſe confeſſus eſt. Confeſſum reum pœna
conſequitur. Audite quid ſanctus propheta diuina inſtigatione denunciet. Oraculum hoc Eſaiæ
nobis fides tradidit, ait enim: *In illa die ſuperinducet Deus gladium ſanctum & magnum, & for-* cap. 17.
tem ſuper Draconem, ſerpentem magnum, & tortuoſum, & interficiet Draconem. b Voluntas Dei per-
fectio operis ſubſtantia eſt. Benè Draconis lata ſententia eſt: quicquid Deus dixit factum eſt,
morituri Draconis hoc ſolatium eſt, vt exitium ſuum frequens perditorum turba comitetur. Si
mortis eius dies quæritur, tunc percuſſus eſt, cùm hominem Deum vidit, cumque nobis Chri-
ſti numen apparuit. Poſt illum diem, qui ſerpentis huius ſecutus fuerit inſtitutum, neceſſe eſt
vt cum ſerpente moriatur. Deos iſtos, quos colitis ipſe finxit, ipſe compoſuit. Si pertinaces
animi veſtri in iſto errore permanſerint, ardebitis etiam vos pariter cum Diis veſtris, vt quic-
quid autores veſtri diuina animaduerſione meruerunt, etiam ad veſtrum exitium hoc ſocieta-
tis conſortio transferatur. Mihi credite, nihil prætermiſit Diabolus, quod hominem miſerum
aut debilitaret, aut perderet: ideò ſeſe in omnes formes multiplici diuerſitate conuertit, ideò ſe
diuerſi generis calliditate compoſuit, vt variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos in-
terimeret. Sacra ſua perditus carnifex, prô nefas, per lignum ſemper renouari diſpoſuit, vt
quia ſciebat ita fore, vt ligno crucis affixa vita hominis perpetuæ immortalitatis compagine
ſtringeretur, ideò perituros homines ex ligni imitatione deciperet. In ſacris Phrygiis, quæ ma-
tris Deum dicunt, per annos ſingulos arbor pinea cæditur. In Iſiacis ſacris de pinea arbore cæ-
ditur truncus, huius trunci media pars ſubtiliter excauatur. illis de ſegminibus factum idolum
Oſiridis ſepelitur. In Proſerpinæ ſacris cæſa arbor in effigiem virginis formamque componitur,
& cum intra ciuitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadrageſima verò nocte
comburitur. Sed & illa alia ligna, quæ dixi, ſimilis flamma conſumit; nam etiam poſt annum
ipſorum lignorum rogum flamma depaſcitur. Erraſti miſer, & vehementer erraſti, nihil tibi po-
terit ignis iſte prodeſſe, fruſtra tibi ex iſta flamma blandiris, hunc ignem commentis tuis ſem-
per renouans. Ignis qui de facinoribus tuis exigit pœnas, perpetua tormentorum continuatione
graſſatur. Diuini ac liberantis ligni ordinem diſce, vt ſcias nulla tibi poſſe ratione ſuccurri. De Gen. 7.
cataclyſmo humanum genus arca lignea liberauit. Deinde Abraham ligna vnici filij humeris Gen. 22.
imponit. De Ægypto recedentem populum Dei plebem lignea virga protexit. Lignum dulcem Exod. 14
ſaporem amaræ myrrhæ fontibus reddidit. Lignea virga ex ſpirituali petra ſalutaris vnda profer- Exod. 15
tur. Et, vt Amalech vinceretur, circa virgam Moyſes expanſis manibus extenditur. Scalæ li- Exod. 17
gneæ patriarcha incumbentem angelum ſomniat, & per eamdem alios aſcendere, alios cernit Exod. 17
deſcendere. Et lex Dei arcæ ligneæ creditur, vt his omnibus, quaſi per gradus quoſdam, ad li- Gen. 28
gnum crucis ſalus hominum perueniret. Quapropter lignum crucis cæli ſuſtinet machinam, ter- Exod. 40
ræ fundamenta corroborat, affixos ſibi homines ducit ad vitam. Lignum Diaboli ardet ſemper

& mo-

a Ταῦρ⊕ δράκοντος.) Clem. Alex. Protrept. φασί τις ποιητὴς εἰδωλικὸς, ταῦρος πατὴρ δράκοντος, καὶ πατὴρ ταύρου δράκων. Arnob. lib. v. *Auctorem aliquid deſiderabit res tanta, illum citabimus tritum, notumque ſenarium, quem antiquitas canit, dicens: Taurus draconem genuit, & taurum draco.*

Nec ſe miuſto crematorum corporum partes.) Reſtituo veriſſima coniectura: Nec venenis tuis cruor defuit, nec ſemiuſtæ crematorum corporum partes, humanarum te etiam victimarum ſanguine cruentaſti.

Nec ſemiuſta crematorum corporum partes.) Non ſufficiunt tibi venena tua, etiam cruorem victimarum liguris: neque à ſemiuſtis crematorum cadauerum fruſtis abſtines, quin diripias ex rogo, &, quod omnem diritatem ſuperat, placaris infanticidiis & puerilibus Carthaginenſium & Pœnorum victimis. Ennius: *Pœni ſunt ſoliti ſos ſacrificare puellos.*

Et ſatiaris templi cruore.) Omninò emendandum cenſeo: Et Latiaris templi cruore. Porphyr. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον.

Vel ara Carthaginis.) Plutarch. περὶ δεισιδαιμονίας. Καρχηδόνιοι εἰδότες καὶ γινώσκοντες αὐτοὶ τὰ αὑτῶν τέκνα τῷ Κρόνῳ καθιέρουν. Vide quæ notamus ad Minucii Octau.

b *Voluntas Dei perfectio operis ſubſtantia eſt.*) Fortaſſe: perfectio operis ſub inſtantia eſt.

In ſacris Phrygiis.) Arnob. lib. v. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deûm matris intermittitis ſanctuario? Nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens adoleſcentulus manus intulit.* & quæ ſequuntur.

Illis de ſeminibus factum idolum Oſiridis ſepelitur.) Rectè emẽdabis: Illis de ſegminibus. Vide Plutarch de Iſide & Oſir.

& moritur, & ad ima tartari credentes homines cum fauillis ſuis ducit. Illud etiam quale ſit ratione tractetur. Arborem ſuam Diabolus conſecrans, intempeſta nocte arietem in cæſæ arboris facit radicibus immolari. Quis tibi hoc ſcelerate perſuaſit? vnde hoc peſtifera cupiditate didiciſti? Sempernè te contra Dominum ſummum nefaria cupiditate componis? ideò te de cælo ſeuerum diuinitatis iudicium caduca humilitate præcipitat, ideò tibi Dei ſententiâ perpetua pœna decernitur, quod facinoribus tuis per dies ſingulos nouum ſemper additur facinus, quod
Gen. 22. hominem Dei fraudulenta conaris perſuaſione decipere. Vide quid ſibi ludibrioſus hoſtis inuenerit. Abrahæ immolaturo filium iuſſu Dei aries ſupponitur, & in vicinæ arboris radicibus alli-
Exod. 12. gatur. Liberaturus Deus ſummus ex Ægyptiorum tyrannide plebem ſuam, arietem nocte iuſſit occidi, & ſanguine eius poſtes liniri præcepit. Ipſum à certo numero hominum per nocturnas epulas confici iubet, & ſacrificio ipſi Paſchæ nomen imponit. Sed hoc ad imaginem futurorum prouidentia diuinæ maieſtatis inuenit, vt per ſignum, verum Paſcha nobis oſtenderet. Ideò cùm de paſſione Domini noſtri diuino Spiritu iubente Propheta præcaneret, ait: *Sicut ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium*
Eſai. 53. *ei ſublatum eſt. Natiuitatem eius quis enarrauit? quoniam auferetur à terra vita eius.* Alius etiam
Hier. 11. Propheta hæc eadem ſimili reſpondit oraculo: *Domine ſignifica mihi & cognoſcam, tunc vidi meditationes eorum. Ego ſicut agnus ſine malicia perductus ſum ad victimam. In me cogitauerunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra viam eius.* Agnum autem appellari Dominum noſtrum ſancta nobis reuelatione monſtratur. In Apocalypſi enim ita
cap. 5. inuenimus eſſe perſcriptum: *Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem, quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi per orbem terræ. Et venit & accepit librum de dextra ſedentis in throno. Et cum accepiſſet librum, quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores proſtrauerunt ſe ante agnum, habentes ſinguli aureas cytharas plenas odoramentis ſupplicationum, quæ erant orationes ſanctorum, & cantauerunt nouum canticum dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire ſigna eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo ſanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione, & nos regnum Deo noſtro ſacerdoteſque feciſti, & regnabimus ſuper terram.* Iohannes quoque filium Dei agni nomine appellat, vt & ipſe
Cap. 1. propheticæ pollicitationi reſpondeat; ait enim in Euangelio: *Altero die videt Iohannes Ieſum venientem ad ſe & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui aufert peccata mundi.* Pro ſalute hominum agni iſtius venerandus ſanguis effunditur, vt ſanctos ſuos filius Dei profuſione precioſi ſanguinis redimat: vt qui Chriſti ſanguine liberantur, maieſtate prius immortali ſanguinis conſecrentur. Neminem apud idola profuſus ſanguis iuuerit. Et ne cruor pecudum miſeros homines aut decipiat aut perdat, polluit ſanguis iſte, non redimit, & per varios caſus homines premit in mortem. Miſeri ſunt, qui profuſione ſacrilegi ſanguinis cruentantur. [a] Tauribolium vel Criobolium ſcelerata te ſanguinis labe perfundit. Lauentur itaque ſordes iſtæ, quas colligis Quære fontes ingenuos, quære puros liquores, vt illic te poſt multas maculas cum Spiritu ſancto Chriſti ſanguis incandidet. Vt autem miſeros homines ad ſanam mentem reuocet plena perſuaſio, maiore autoritate opus eſt, vt curatis ac ſanatis mentibus, nullum præcedentis peſtilentiæ veſtigium relinquâtur. Quid itaque ſunt idola, vel quam habeant ſubſtantiam, prophetarum oraculis, ac diuina voce monſtratum eſt, quæ omnia ſpecialiter dicenda ſunt, vt hoc non noſtra temeritate prolatum, ſed diuino magiſterio nobis traditum, & cæleſti agnoſcatur voce ſignatum. Quæ ſit ſub-
Sap. 15. ſtantia eius ſapientiæ veneranda voce monſtratur, ait enim in libris Salomonis: *Omnia idola nationum æſtimauerant Deos, quibus neque oculorum viſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum. Sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt finxit illos. Nemo autem ſibi*

hominum

a *Tauribolum, vel Oriobolium ſcelerata te ſanguinis labe perfundit.*) Scribe. Tauribolium vel Criobolium. Vet. inſcript.

M. D. M. I. Et Attinis.
L. Cornelivs Scipio. Orsitvs.
V. C. Avgvr. Tavrobolivm
Sivs Criobolivm Fecit
Tvsco Et Anvllino Coss.

In aliis inſcript. Tauripolium ſcribitur. & apud Heſych. ταυροπόλα, ἡ Ἄρτεμις. & ταυροπόλια, ἡ εἰς ἑορτὴν ἤγοντο Ἀρτέμιδι. vide Suid. ταυροπόλια verò Ἀρτέμιδι, ut venatrici. Ita ex Vet. Inſcriptione patet inſtituta ea fuiſſe in honorē magnę matris, & Attidis, cuius venationes fabulæ narrant. Verba inſcript.

Dis. Magnis. Matri. Devm. Et. Attidi.
Sextilivs. Agesilavs. Ædisivs.
V. C. Cavsarvm. Non. Ignobilis. Africani.
Tribvnalis Orator, Tavrobolio
Crioboliōqve In Æternvm Renatvs.
Aram. Sacravit. DD. NN. Valente. V. Et.
Valentiniano Ivn. Avgg. Conss.

Hæc ſunt quæ ad Firmicum notabam, tumultuaria quidem opera, imo friuola & inani, quam tamen meliorem illi locare tædii non duxi, veritus ne quis cum Plinio obiiceret, me has horas melius perdere potuiſſe. Nam ſi excipias pauca quædā reconditæ & rarioris eruditionis, ambigo ſanè an Firmicum iterata lectione dignum exiſtimem; in quo tamen emendādo maiorem indubiè laborem, quā laudem inuenero. Neq; enim credentibus perſuaſeroquam fœdiſſimis mendis contaminatū ſuſceperim, & verè ex ſubuerbuſto, vt antiqui loquebantur, non deditiтium, ſed in fraudem legis Æliæ Sentiæ ciuem Romanū fecerim, hoc eſt, ope ingenij omni ſquallore liberarim. Quod fortaſſe non ita manifeſtò legentium oculis ſeſe offert; nam de ſingulis cùm illis deliberare ſuperuacuum arbitrabar, quod rectius ij facient, qui ocii ſui ephemeridem numquam à ſe exigunt. Nō nego tamen multa reſidua & latentia & aperta errata, quæ feſtinantes oculos meas effugerunt. Iſtiuſmodi aliorum acumini reliqui, vt ille olim, qui Veneris effigiem inchoatam aliis perficiendam expoſuerat. Inter illa hæc quoque quæ ſubnectam, in quibus cum hærerem, conſulere libuit oraculum Illuſtriſſ viri Ioſephi Scaligeri, qui pro incredibili in optimas literas ſtudio, & ſuo in me amore ita reſcripſit:

Μιλτα βοομυκα κυ . . . . . ς . . . . . κλεπτης σου . . . δητι πατρὸς ἀγαυῦ.] Emenda:

Μυσταπολε βοὸς μύστα ——
Κύκλα βοοκλοπίης συναίδετε πατρὸς ἀγαυῦ.

Mithra vocabatur βουκλόπος. Porphyrius in antro: καὶ βουκλόπος ὁ θεὸς ὁ τὴν γένεσιν λεληθότως ἀκούων, &c. Vnde eo nomine paulò antè à Firmico vocatur abactor boum, quod diſertè expreſſit Statius: *Indignata ſequi torquentē cornua Mithram.* Eius τελετὴ iccirco vocatur βουκλοπίη. & quia quotānis in orbē redibat, propterea κύκλα βουκλοπίης dixit Poëta, hoc eſt, ſolēne & in orbē rediens feſtū. Firmicus de induſtria truncauit acroteleution prioris verſus, vt ſæpè auctores ſolēt facere. Sed poſterioris verſus lacunæ ſunt à librariis, aut ab eo qui primus Firmicum edidit, quod literas δυσαναγνώστους non poſſet conſequi.

hominum poterit Deum formare: cum ſit enim mortalis, mortuum ſingit manibus iniquis. Melior eſt autem his quos colit, quoniam quidem ipſe vixit, illi numquam. Quid amplius quærimus? ſapientia nos diuina voce conuenit, & quicquid in arcanis Dei viderat docuit, & quod erat ſalubre monſtrauit, ne fragilis & caduca mortalitas in exitium ſuum mortemque properaret. Hoc idem in Pſalmis præmonet Spiritus ſanctus. Inuenimus enim in Pſalmo cxxxiv. ita eſſe perſcriptum: *Idola gentium, argentum & aurum, opus manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt. Neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum; ſimiles ſunt illis qui faciunt ea.* Si artifex, qui ad oſtentationem ingenii ſimulachrum aut ſculpſit, aut fudit diuina maledicti animaduerſione percutitur, quid ſperare debeat conſiderandum eſt, qui, quod alter vendidit, Deum dicit. Hieremias etiam cum præcepta Deo iubente plebi daret, hac populum oratione conuenit: *Dicite autem in corde veſtro, te oportet adorare Domine. Angelus autem meus vobiſcum eſt, legem autem exquiram ab animabus veſtris.* Baruch. 6.
Lingua eorum polita fabro, ipſa etiam inaurata, & inargentata falſa ſunt, & non poſſunt loqui: Et ſicut virgini hortatu amantis accepto auro fabricati ſunt coronas ſupra capita Deorum ſuorum. Eſt autem quando ſubtrahent ſacerdotes à Diis ſuis aurum & argentum, & erogabunt illud in ſemetipſos. Dabunt etiam ex ipſo & proſtitutis meretricibus, ornabuntque illos vt homines veſtimentis, Deos argenteos, & aureos, & ligneos. Addit etiam in ſequentibus, vt omnem dubitationem trepidationis excutiat: *Supra corpus eius & caput volitant noctuæ & hirundines & aues ſimiliter Vnde ſcietis quia non ſunt Dii? Non ergo timueritis eos. Aurum eſt, quod circa ſe habent ad ſpeciem, niſi aliquis extorſerit æruginem, non fulgebit. Neque enim cum conflabatur ſentiebat, precio empti ſunt in quibus ſpiritus non eſt, ſine pedibus in humeris portantur.* Addit etiam vt confirmata mens fortiùs roboretur: *Scientes itaque ex his quia non ſunt dii, ne timueritis eos.* Et vt ſacerdotum eorum miſerum dedecus monſtret, addit: *In domibus eorum ſacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſſas, & capita & barbas raſas, quorum capita nuda ſunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos, ſicut in gehenna mortui.* Quod autem & reges & gentes hæc de ipſis pronunciaturi ſunt, is idem Propheta præſaga voce ſignificat, ait enim: *Scietur poſtea, quia falſa ſunt, gentibus vniuerſis, & regibus. quia manifeſtum eſt, quod non ſunt dii, & nullum Dei opus ſit in ipſis. Regem regioni non ſuſcitabunt; neque pluuiam hominibus dabunt. Iudicium quoque non diſcernent, neque regionem liberabunt ab iniuria, quia nihil poſſunt. Et cum inciderit in domo Deorum ligneorum & inauratorum, & inargentatorum ignis, ſacerdotes illorum liberabuntur: ipſi autem ſicut trabes in medio comburentur. Regi autem & bello non reſiſtent, quomodo exiſtimandum eſt, vel recipiendum, quia ſunt Dii? Neque à furibus, neque à latronibus ſe liberabunt Dii lignei & aurati, & inargentati, quibus hi, qui fortes ſunt, aurum & argentum, quo operti ſunt, auferent illis.* Baruch. 6. Tollite, tollite ſecuri, ſacratiſſimi Imperatores, ornamenta templorum. Deos iſtos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria vniuerſa ad vtilitatem veſtram dominiumque transferte. Poſt excidia templorum in maius Dei eſtis virtute prouecti; Viciſtis hoſtes, propagaſtis imperium: &, vt virtutibus veſtris gloria maior accederet, mutato ac contempto temporum ordine. Hyeme (quod nec factum eſt aliquando, nec fiet) tumentes, ac ſæuientes vndas calcaſtis Oceani ſub remis veſtris. Incogniti iam nobis penè maris vnda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem Britannus expauit. Quid amplius vultis? Virtutibus veſtris victa elementa ceſſerunt. Quod autem Deus iubeat idola non fieri, ſacroſanctæ legis ſcripta declarant. In Exodo enim ſic inuenimus eſſe perſcriptum; *Non facietis vobis Deos argenteos, neque Deos aureos.* Et rurſus in eodem libro, vocem Dei iubentis inuenio: *Non facies idolum, nec cuiuſquam ſimilitudinem.* Pudorem miſeris indicit Spiritus ſanctus, quia cupit errantes reuocare, non perdere. Et ait per Eſaiam: *Confundemini confuſione, qui fiditis ſuper ſculptilia, qui dicitis fuſilibus: vos eſtis Dii noſtri.* Dat etiam legem, quam conſecratus populus deuota perpetuitate cuſtodiat, & ita mandat: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies.* Et in Deuteronomio ſimilia Dei mandata noſcuntur, ait enim: *Non erunt tibi Dii alii abſque me.* Addit etiam, vt animis eorum maieſtatis ſuæ pondus inſinuet: *Videte, videte quia ego ſum, & non eſt Deus præter me. Ego interimam, & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt, qui eripiat de manibus meis.* In Apocalypſi etiam hoc idem ſancta reuelatione monſtratur, ita enim ſcriptum eſt: *Et vidi alium angelum volantem medio cælo, habentem Euangelium æternum, vt annunciaret ſuper terram per omnes nationes & tribus, & linguas, & populos, dicentem voce magna: Metuite potius Dominum, & date illi claritatem. Quoniam venit hora iudicii eius, & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Dominus quoque noſter Ieſus Chriſtus paterna legis inſtituta cuſtodiens, hoc idem veneranda conſtitutione promulgat, ait enim: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt, & diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua. & de tota virtute tua, hoc primum eſt, & ſecundum ſimile huic: Diliges proximum tibi tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ.* Sequitur autem hoc diuinum venerandumque præceptum immortalis Domini ac ſancta concluſio; addit enim, vt manifeſtius viam ſalutis oſtendat, & ita loquitur: *Hæc eſt autem vita æterna, vt agnoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Sacrorum mandatorum ordinem ſcitis, quid ſequi, quid fugere debeatis, veneranda atque immortali voce didiciſtis. Audite rurſus, quod maneat contemnentes exitium, quibus illos calamitatibus neceſſitas venerandæ legis aſtrinxerit: clauſula enim venerandorum mandatorum in hæc verba colligit: *Sacrificans Diis eradicabitur, præter Domino ſoli.* Si ſolum ſacrilegum hominem metuenda pœna percuteret: ſi peccanti ſoli minaretur ſeueritas legis, benè ſe ad ſacrilegium obſtinati furoris temeritate firmaret: nunc etiam ſtirpi minatur & ſoboli, & hoc agit ne qua pars nequiſſimi ſeminis relinquatur, ne quod profani generis veſtigium maneat. *Sacrificans*, inquit, *Diis eradicabitur.* Conſidera quid agas miſera

Marginal notes: cap. 20. — cap. 20. — cap. 45. — cap. 5. — cap. 32. — cap. 14. — Mat. 22. — Luc. 10 — Mar. 12 — Exod. 22

ac luctuoſa perſuaſio. Facinus tuum plurimos perdit, & per omnem ſubſtantiam generis tui fœcunda
pœna diuiditur. Cur autem contra ſacrificantes ſic ſæuiat, ordinatæ legis autoritas in Deuterono-
Cap. 32. mio manifeſta ſignificatione monſtratur: ita enim inuenimus eſſe perſcriptum: *Sacrificauerunt dæmo-
niis, & non Deo. Ad contaminatos ac pollutos te ſpiritus ne tranferas, ab inferioribus ne ſperes au-
xilium: ne his ſupplices, quibus Dei gratia iam imperare debes. Ecce dæmon eſt quem colis, cum
Dei & Chriſti eius nomen audierit, contremiſcit, & vt interrogantibus nobis reſpondeat trepidan-
tia verba, vix ſe colligit: adhærens homini laceratur, vrirur, vapulat, & ſtatim de commiſſis ſceleri-
bus confitetur. Ne hunc colas, ne huic ſupplices, ne proſtratus huic flectas genua, interdicto vene-
randæ legis iuberis. Hinc ſeueritatis pœna, hinc animaduerſionis metu metuenda ſententia. Quid
Dei indulgentia libertate conceſſa iugum eligis ſeruitutis * * Non deſinit Deus ſummus crimen
hoc ſalutari voce pulſare, ſed miſericordia eius errantes homines corrigere frequenti comminatio-
Eſai. 1. ne feſtinat. Audi per Eſaiam Prophetam vox diuina quid dicat. *Adorauerunt Deos, quos fecerunt di-
giti eorum, & curuatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis. Et iam vos, ô profani homi-
nes, iratum numen alloquitur, & adhuc errores veſtros ſacra conuenit voce, ait enim in ſequenti-
Eſa. 17 bus per eumdem Prophetam: *Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia. Super hæc non indi-
gnabor, dicit Dominus? Adhuc indignationem ſuam ſalutaris Deus dilatat, ſeueritatem ſuſpendit, ſi
vos forſitan peccare pœniteat, vt ſacrilegæ voluntatis exitium aliquo genere relinquatis. Ecce in ip-
ſo indignationis impetu moderata rurſus voce, perſuadet, & irarum ſuarum comprimit ſtimulos,
ait enim per Hieremiam prophetam: *Nolite ambulare poſt Deos alienos, vt ſeruiatis eis; & ne adoraueri-
Cap. 25. *tis, ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum, ad diſperdendos vos.* Quid hic ad ſacrilegium pronus
aures tuas obſtruis? quid hic obſtinati furoris ardore in exitium mortemque feſtinas? Liberum te
Deus fecit, in tua manu eſt, vt aut viuas, aut pereas. Quid te per abrupta præcipitas? in lubrico itinere
conſtitutus, & in ipſo lapſu potiùs, titubantia aliquando ſuſpende veſtigia; Ecce ſententia depromi-
tur, ecce pœna decernitur, diu criminibus tuis pepercit diuina moderatio, diu facinus tuum cum
diſſimulatione reſpexit, peruenis ad illud anceps, vbi ſpes, vbi vota deficiunt. Et vt manifeſtius in-
Cap. 14. ſtruaris, animaduerſionis exitium diſce. Super hac re in Apocalypſi totus ordo reſponſi eſt, ita enim
ſcriptum eſt: *Si quis adorat beſtiam & imaginem eius, & accipit vota in fronte ſua, & in manu, bibet &
*ipſe de vino iræ Dei, mixto in poculo iræ eius. Et punietur igne & ſulphure ſub oculis agni, & fumus de tor-
*mentis eorum in ſecula ſeculorum aſcendet. Nec habebunt requiem die ac nocte, quicumque adorant beſtiam,
& imaginem eius. Sed & vobis, ſacratiſſimi Imperatores, ad vindicandum & puniendum hoc ma-
lum neceſſitas imperatur, & hoc vobis Dei ſummi lege præcipitur, vt ſeueritas veſtra idololatriæ faci-
Cap. 13. nus omnifariam perſequatur. Audite & commendate ſanctis ſenſibus veſtris quid de iſto facinore
Deus iubeat. In Deuteronomio lex iſta præſcripta eſt, ait enim: *Quod ſi rogauerit te frater tuus, aut
*filius tuus, aut vxor tua, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus tuus, qui eſt æqualis animæ tuæ, latenter dicens:
*Eamus & ſeruiamus aliis Diis gentium, non conſenties ei, & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus
*ſuper eum, & non celabis, annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit ſuper eum imprimis interficere
*eum, & manus omnis populi deinceps. Lapidabunt eum & morietur, quoniam quæſiuit auertere te à Domino
tuo. Nec filio iubet parci, nec fratri, & per amatam coniugem gladium vindicem ducit. Amicum
quoque ſublimi ſeueritate perſequitur, & ad diſcerpenda ſacrilegorum corpora omnis populus ar-
matur. Integris etiam ciuitatibus, ſi in iſto fuerint facinore deprehenſæ, decernuntur excidia: & vt
Deut. 13 hoc prouidentia veſtra manifeſtius diſcat, conſtitutæ legis ſententiam proferam. In eodem libro in
integris ciuitatibus pœnam Dominus hac voce conſtituit, ait enim: *Aut ſi audieris in vna ex ciuitati-
*bus, quas Dominus Deus tuus dat tibi, inhabitare illic, dicentes: Eamus & ſeruiamus Diis aliis, quos non
*noſtis: interficiens necabis omnes, qui ſunt in ciuitate cæde gladij, & incendens ciuitatem igni, & erit ſine
Deut. 13 *habitatore. Non ædificabitur in æternum. Et auertetur Dominus ab indignatione iræ ſuæ, & dabit tibi miſe-
*ricordiam, & miſerebitur tui, & multiplicabit te, ſi exaudieris vocem Domini Dei tui, & obſeruaueris præ-
cepta eius. Miſericordiæ ſuæ vobis ſacratiſſimi Imperatores, Deus ſummus præmia pollicetur, & am-
plificationis maximæ argumenta decernit. Facite itaque quod iubet, complete quod præcipit. Au-
ſpicia veſtra maioribus cumulata ſunt donis, initio fidei poſitæ diuini fauoris incrementa ſenſiſtis.
Nunquam vos manus Dei veneranda deſeruit, numquam vobis laborantibus denegauit auxilium.
Strati ſunt aduerſantium cunei, & rebellantia ante conſpectum veſtrum ſemper arma ceciderunt.
Miſſi ſunt ſuperbi ſub iugum populi, & Perſica vota collapſa ſunt. Nec ſtare diu contra vos poterit
malis ſuis armata crudelitas. Dei virtutem vtrique diuerſo ſenſiſtis euentu. Vobis cæleſtis victoriæ
corona collata, & felicitate veſtra noſtra releuantur incommoda. Hæc vobis Deus ſummus, ſacra-
tiſſimi Imperatores, pro fide veſtra reddidit præmia. His vos interim remuneratos inſignibus ad arca-
na venerandæ legis inuitat. Pura mente, deuota conſcientia, incorrupto animo clementia veſtra cæ-
lum ſemper aſpiciat, à Deo ſemper expectet auxilium, Chriſti venerandum numen imploret, & pro
ſalute orbis terrarum ac veſtra, ſalutari Deo ſpirituales offerat victimas. Sic vobis feliciter cuncta
prouenient, victoriæ, opulentia, pax, copia, ſanitas & triumphi, vt diuina maieſtate protecti, or-
bem terræ felici gubernetis imperio.

FINIS.

COMMODIANI INSTRVCTIONES

ADVERSVS GENTIVM DEOS.

PRO CHRISTIANA DISCIPLINA.

Tempore Siluestri P. R. ſub Conſtantino Caſ. compoſitæ.

Nunc primum typis mandatæ,

Cura & ſtudio NICOLAI RIGALTII cum eiuſdem Notis.

NICOLAI RIGALTII
DE COMMODIANO
EIVSQVE OPVSCVLIS.

BENE à Gennadio Commodianus, libello de viris illuſtribus, deſcribitur. Vir bonus, verè Chriſtianus & ſimplex; ab omni faſtu, ab omni gloriæ ſæcularis ambitione alienus; caritatis, quæ propriè Chriſtianum demonſtrat, cultor egregius: perfectiſſimus aſcetes futurus; incipiente iam tempore ſapientiæ Monachalis. Gazeum ſe dicit. An à Gaza Phœnices ſiue Paleſtinæ, an à gaza ſiue gazophylacio, nondum comperi. Ipſe ſibi cognomentum indidit, Mendico Chriſti: & gazum dixit, ærarium pauperum neceſſitatibus paratum, cui ſemper augendo, munificas opes potentiorum crebris obteſtationibus ac propè conuiciis implorat & flagitat. Huncce igitur Commodianum æuo Silueſtri primi, Eccleſiæ Romanæ Pontificis, vixiſſe, ſatis ipſe Commodianus ſignificat, opuſculo, quo Gentiles inuitat ſiue compellit ad iſtius Paſtoris præſepe. adeóque veriſimile videatur, ipſum opuſculum Romæ, aut certè in Italia, fuiſſe compoſitum. Stilus, Africanæ ferociæ ruſticitatem ſapit. quæ tamen ad acumina Tertulliani, Cypriani, Minutij non infrequenter alludit; quædam etiam interſerit Græcæ & Latinæ antiquitatis ſcita non vulgaria. Libelli vetus exemplar haud vidi. apographum habui tantum, ab eximio viro Iacobo Sirmondo; ſed fœdis vbique ferè mendis corruptum. Veterem ſcripturam, vel ipſe Sirmondus habet, vel vnde haberi queat ſcire non diffitetur. Ego quidem valdè aſſentior exiſtimantibus, futilem eſſe atque fallacem; immò plerúmque in hac litterarum parte pernicioſam, coniectandi licentiam: Sed ex iſtius libelli apographis conſtat, manum illlam antiquam fuiſſe iampridem deprauatiſſimam. Itaque, quod fieri ſolet in deſperatis, libuit in iſto miſello Commodiano, non tamquam in Care; nam eſſe pretij duco non minimi Chriſtianum, quem inter illuſtres cenſuit Gennadius, periculum facere, ſi qua poſſet induſtria libellus ſcriptoris antiquiſſimi editione noſtra reformari ac reſtaurari. Latebat inter apocrypha Gelaſij, Millenariæ fabulæ felicitatem expectans. Fabulam dico illam quæ priſcis Chriſtianis tantopere placuit, vt ſequeſtres & fidei commiſſarios interpretes habuerit Iuſtinos, Papias, Irenæos, Tertullianos, Lactantios. quorum certè virorum, in quibus & martyres quidem præclari, tanta fuit auctoritas, vt ipſum etiam Auguſtinum habuerint ſectatorem, ſpe felicitatis illius temporariæ aliquatenus & aliquandiu captum: Hieronymum quoque addubitatorem, certè non condemnatorem, ſed iudicio Domini reſeruantem. Libello ſuo Commodianus titulum fecit, Inſtructiones, ſcilicet ad Paganos, vt ab idolorum cultu ad veram Chriſtianæ legis philoſophiam conuertantur. quin etiam ad Chriſtianos ipſos, ne obliti Chriſtianorum ad ſecularia redeant. Scripſit mediocri ſermone, quaſi verſu. Etenim verſibus faciendis nec leges nec modulos

ſeruat. maior vbique acroſtichidis ratio, quàm metri. Acroſtichides verò ſunt, ex cuiuſque poëmatij titulis conſtructæ, ſic adſignata cuique verſui litera, vt à primo cuiuſque poëmatij verſu totus deinceps poëmatij titulus per litteras verſuum primas decurrat; quemadmodum fabulæ nomen in Plautinis quibuſdam comœdiarum argumentis. qui modus acroſtichidum vulgaris, apertus & innocens; abſimilis illi verſutiæ, quam Tullius in carminibus æuo iam ſuo Sibyllinis obſeruauit. Cæterùm, qualiſcumque iſte Commodianus eſſe videbitur, ab Gennadio primùm, inde ab Gelaſio citatus, hoc tandem ſæculo in Sirmondi manibus apparuit ſqualidus, tamquam ex vinculis ac diutino apud Barbaros ſitu, vindicias poſcens. Nec vindicem ſanè alium optare potuit præſtantiorem Sirmondo. Nam exinde oſtenſus & communicatus amicis, benignè excipi ac foueri cœpit. Neque ipſum hac editione ſperare aliud velim, quàm vt oblatus iterùm Sirmondo, plena demum ac juſta apud eum manumiſſione prodeat, liberali ſchemate terſus ac nitidus. Intereà verò dum id properatur, magnæ auctoritatis manumiſſorem exoratum cupio, ac, pro viri benignitate, confido fore, bonas vt in partes accipiat, horas aliquot à me impenſas homini Chriſtianæ pietatis ac diſciplinæ ſanciendæ ſtudioſiſſimo: nimirùm vt appareat hodie Cypriano, ſicut Minutius nuper adſtitit Tertulliano: & iam vterque doctor ſuo gaudeat ſequaci, ſiue diacono: vterque item miniſter ſuo ſeruiat magiſtro, ſiue ſacerdoti. Sæculum iſte ſuum malis moribus inquinatiſſimum caſtigat; acer vbique & horridus monitor. quaſi prophetico furore carminum ſonos fundit, negligens ordinis, negligens elegantiarum; aſyndeta vel anacolutha paſſim. vt tamen exiſtat in ipſo neglectu cura, & facultas, & vis aliqua dicendi, carpendique ipſos tunc temporis Chriſtianorum proceres. Obſeruationibus meis hoc præſertim ſtudui; de ſcriptoribus æuo Commodiani proximis apponere quod obſcuris daret lucem. Coniecturas propoſui, quales abſque exemplaribus antiquis præſtare nemo debeat; quibus tamen vti minimè pudeat, quamdiu non contradicent exemplaria. Denique, vſus & efficacia libelli huiuſce fuerit, conſtans & perpetuus amor Chriſti; animus ad martyrium fortis; pietas erga pauperes maxima. Hoc prætereà ſcire, vitia, quæ etiamnum Eccleſiam dehoneſtant, eſſe vetuſtiſſima. Infinitam ſemper fuiſſe de rebus diuinis diſputantium multitudinem, pauciſſimos verò Chriſtianos.

COMMODIANI INSTRVCTIONES PER LITTERAS VERSVVM PRIMAS.

I. PRÆFATIO.

PRÆFATIO noſtra viam erranti demonſtrat;
Reſpectumque bonum; cùm venerit ſæculi meta;
Æternum fieri, quod diſcredunt inſcia corda.
Ego ſimiliter erraui tempore multo,
Fana proſequendo, parentibus inſciis ipſis.
Abſtuli me tandem inde, legendo de Lege.
Teſtificor Dominum; doleo. prô ciuica turba!
Inſcia quod perdit, pergens deos quærere vanos.
Ob ea perdoctus ignaros inſtruo verum.

COMMODIANI.] Inter veteres Inſcriptiones Iani Gruteri ſtudio collectas videre eſt pag. CCCII. matriculam ordinis domus Auguſtæ Palatinæ, vbi nomen Commodiani, cum prænomine Mindij; quod occaſionem dediſſe appellationi Mendici, qua ſe Commodianus noſter inſignem fecit poëmatiorum extremo, tam vanum eſſe videbitur, quàm incertum huicce noſtro Commodiano prænomen fuiſſe Mindio. Illud ſimilius vero, dictum in ſæculo Commodianum, Chriſtiana poſtmodum ſimplicitate cognominari voluiſſe Mendicum: & Chriſti mendicum, Chriſto ditatum, iam extitiſſe verè Commodianum. ¶ COMMODIANI INSTRVCTIONES] Laterculum Gelaſij Epiſcopi Romani de Scripturis apocryphis, in Concilio Rom. I. anno Dom. CCCCXCIIII opuſcula Tertulliani, Lactantij, Commodiani inter apocrypha recenſet. Huiuſce autem Concilij canon inſertus eſt Gratiani Decreto, Diſt. XV. c. 3. omiſſis opuſculis Commodiani. PER LITT. VERS. PR.] Eugenius Ep. Toletanus, cuius opuſcula Iac. Sirmondus edidit, epitaphia duo ſcripſit per litteras verſuum primas & vltimas. ¶ RESPECTVMQVE BONVM] Septuaginta Interpretes Reſpectum dicunt EPISCOPEN, viſitationem; diuinæ ſcilicet gratiæ aut vltionis; benedictionis in vitam æternam; maledictionis in gehennam. Bonum reſpectum pollicetur ſapientia Salomonis iuſtis & ſanctis, cap. 3. Et in tempore erit reſpectus illorum: ΚΑΙ ΕΝ ΚΑΙΡΩ ΕΠΙΣΚΟΠΗΣ ΑΥΤΩΝ ΕΚΛΑΜΨΟΥΣΙ. ¶ LEGENDO DE LEGE] Legem hîc & alibi paſſim appellat libros vtriuſque teſtamenti. ¶ IGNAROS INSTRVO VERVM] Atque hinc titulus operi, Inſtructiones, Chriſtianæ videlicet pietatis. Habemus etiam ſub eodem Inſtructionum titulo, Eucherij epiſc. Lugdunenſis duos ad Salonium libros; ſæculo Theodoſij iunioris.

2. *Indignatio Dei.*

In Lege præcepit Dominus cæli terræ mariſque,
Nolite, inquit, adorare deos inanes,
De manibus veſtris factos ex ligno vel auro;
Indignatio mea ne vos diſperdat ob iſta.
Gens ante Moſen rudis, ſine lege morata,
Neſcienſque Deum, morientes deos orabant;
Ad quorum effigies faciebant idola vana,
Tranſlatis Iudæis Dominus de terra Ægypti,
Impoſuit legem poſtmodum, & iſta præcepit
Omnipotens, Sibi ſoli deſeruire, non illis,
De reſurrectione quoque docetur in ipſa,
Et ſpe, fortunatum rurſum in æuo viuendi,
Idola ſi vana relinquantur, neque colantur.

DE RESVRRECTIONE QVOQVE DOCETVR] In Lege Domini docetur de Reſurrectione corporum: docetur etiam de ſpe vitæ rurſum viuendæ in æuo. Atque hinc iam Auctor incipit dogma ſuum Millenariæ felicitatis adſtruere. ¶ ET SPE, FORTVNATVM]. Tertull. in hanc ſententiam librum ſcripſerat De ſpe fidelium. & hunc librum habuit olim in ſuo Tertulliani codice Agobardus epiſc. Lugd. ſicut indice declaratur exemplaris antiqui, quod in Bibliotheca Regia ſeruatur. ¶ RVRSVM IN ÆVO VIVENDI] In æuo, in orbe terræ, in hoc mundo.

3 *Cultura dæmonum.*

Cùm Deus omnipotens exornaret mundi naturam,
Viſitari voluit terram ab Angelis iſtam,
Legitima cuius ſpreuerunt illi dimiſſi:
Tanta fuit forma feminarum quæ flecteret illos,
Vt coinquinati non poſſent cælo redire.
Rebelles ex illo contra Deum verba miſere.
Altiſſimus inde ſententiam miſit in illos;
De ſemine quorum Gigantes nati feruntur.
Ab ipſis in terra artes prolatæ fuerunt;
Et tingere lanas docuerunt, & quæcumque geruntur.
Mortales & illis mortuis ſimulacra ponebant.
Omnipotens autem, quòd eſſent de ſemine prauo,
Non cenſuit illos recipi defunctos è morte.
Vnde modo vagi ſubuertunt corpora multa:
Maximè quos hodie colitis deos & oratis.

CVLTVRA DÆMONVM.] Quæ narrantur hac inſtructione de Angelis apoſtatis ſiue deſertoribus, vnde nati gigantes, ac de gigantibus dæmones auctores ſimulacrorum & idololatriæ, peculiaria ferè ſunt Commodiano. Etſi nolim infitiari, quæ ſunt hac de re à veteribus Chriſtianis tradita, originem traxiſſe de libro Enoch apocrypho, vnde aliquid tamen Paulus ipſe citauit. Sed tam varia ſuper hiſce ac diuerſa quiſque commentus eſt, & ſic omnes ab Auctore ſuo, & abs ſe inuicem, diſſentiunt, vt quid traditionis inſtar poni oporteat valdè ſit incertum; præter hoc vnum, valde eſſe temerarium mortali, de rebus diuinis aliquid aſſerere, vltra quod eſt ab ipſo Domino noſtro proditum. ¶ CVM DEVS OMNIPOTENS EXORNARET MVNDI NAT.] ΚΟϹΜΟΝ ΚΟϹΜΗϹΑϹ, ſtellis, angelis. ΚΟϹΜΟΝ Græci nomine ornamenti appellauère: eum & nos à perfecta abſolutaque elegantia, mundum. Plin. initio libri ſecundi. ¶ VISITARI VOLVIT TERRAM AB ANGELIS] Moſes non dixit angelos, ſed filios Dei. de quibus obſeruabimus aliquid ad Inſtr. XXXVI ¶ LEGITIMA CVIVS SPREV.] Mandata, leges. ¶ TANTA FVIT FORMA FEMINAR.] Iuſtinus, Athenagoras, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Sulpitius Seuerus, & alij, conſimilia tradiderunt ex illo apocrypho Enoc: cuius verba ipſa Ios. Scaliger edidit notis ad Græca Euſebianæ Chronologiæ, vbi de Egregoris. ¶ NON CENSVIT ILLOS RECIPI.) Lactantius: Tum in cælum ob peccata quibus ſe immerſerunt non recepti, ceciderunt in terram. ¶ SVBVERTVNT CORPORA MVLTA.) Quod fieri creditur in caducariis, epilepticis. Auguſtinus, libro de beata vita, pagin 215. *Iſti homines caducarij ſunt, quo nomine vulgò apud nos vocantur. quos comitialis morbus ſubuertit.* Obſeruauimus ad illud Tertulliani ad Scapulam, cùm à dæmone præcipitaretur.

4. *Saturnus.*

Saturnuſque ſenex, ſi Deus, quando ſeneſcit?
Aut ſi Deus erat, cur natos ille vorabat
Terroribus actus? Sed quia Deus non erat ille,
Viſcera natorum rabie monſtroſa ſumebat.
Rex fuit in terris, in monte natus Olympo;
Nec diuinus erat, ſed Deum ſeſe dicebat.
Venit inops animi, lapidem pro filio ſorpſit.
Sic Deus euaſit, dicitur modo Iupiter ille.

CVR NATOS ILLE VORABAT.) Nota eſt fabula, Saturnum filios ſuos voraſſe, quum audiſſet à filio ſe regno eſſe pellendum. & vxorem, nato Ioue, lapidem pro infante obtuliſſe voraci. Seruius ad XIII. Æneid. ¶ LAPIDEM PRO FILIO SORP.) Et lapidem omninò torminalem.

5. *Iupiter.*

Iupiter hic natus in inſula Creta Saturno,
Vt fuit adultus, patrem de regno priuauit.
Proinde nobilium vxores ſororeſque deluſit.
Præterea, ſceptra fecerat faber illi Pyracmon.
Initio cælum terram Deus & mare fecit;
Terribilis autem iſte, medio tempore natus,
Ex antro proceſſit iuuenis, furtimque nutritus.
Reſpice quod rerum auctor eſt Deus, non Iouis ille.

IVPITER) Acroſticha ſibi volunt, *Iuppiter.* ¶ NON IOVIS ILLE. Sic Inſt. ſeq. *Iouis tonat*; & ſæpè deinceps vſurpabit Iouis in primo caſu: quod eſt etiam ab auctoribus multò etiam antiquioribus factitatum.

6. *De fulmine ipſius Iouis.*

Dicitis, ô ſtulti, Iouis tonat: fulminat ipſe,
Et ſi paruulitas ſic ſenſit, cur annis ducentis
Fuiſtis infantes; numquid & ſemper eritis?
Verſa in maturum infantia non capit æuum
Luſus; puerilis ætas ceſſit, ſic & corda recedant.

Moribus virilibus conſilia veſtra debentur.
Inſipiens ergo Iouem tonitruare tu credis;
Natus hic in terris lacte caprino nutritur.
Ergo ſi illum deuoraſſet Saturnus,
In iſtis temporibus quis pluebat illo defuncto?
Præſertim ſi mortali patre Deus naſci credatur.
Saturnus in terris ſenuit, & defecit in ipſis.
Illum non aliquis prophetauit prænaſci:
Vel ſi tonat ipſe, lex ab ipſo lata fuiſſet.
Seducunt hiſtoriæ per vates confictæ.
Ille autem in Creta regnauit, & ibi defecit.
Omnipotens vobis factus Alcmenes amator;
Viuos ipſe modo ſimiliter amaret ſi viueret ille.
Impuros oratis & dicitis eſſe cæleſtes.
Semine mortali natos de Gigantibus illis.
Auditis, & legitis natum in terra fuiſſe;
Vnde benè meruit corruptor aſcendere cælum?
Dicitur & fulmen Cyclopas illi feciſſe,
Immortalis enim habuit à mortalibus arma.
Tot reum criminibus, paricidam quoque ſuorum,
Ex auctoritate veſtra contuliſtis in altum.

DE FVLMINE IPSIVS IOVIS:) Hoc tantùm in apographo. At in acroſtichide addidit Commodianus, AVDITE. ridendo ſcilicet. nam toto poëmatio docet, Iouem non eſſe Deum, non tonare, non audiri tonantem. ¶ ET SI PARVVLITAS SIC SENSIT.) Paruulos intra annum vigeſimum quintum dici Cuiacius obſeruauit, ad l. 2. De fundis patrim. quæ eſt Conſtantini, & ad l. 1. de fugit. col. quæ eſt Gratiani. Ea verò intra tempora vixit Commodianus, & ſæculi ſui ſermone vſus eſt: quo etiam ſermone vtitur vetus interpres S. Scripturæ. ¶ CVR ANNIS DVCENTIS) Annos ducentos à Chriſti ſæculo numerat, trecentis adhuc currentibus. ¶ VERSA IN MATVRVM INFANTIA.) Vetus verſio Pauli, 1. ad Cor. 13. *Cùm eſſem paruulus, ſapiebam vt paruulus; quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Apollonius apud Philoſtr. lib. 1. cap. XIII. pag. 23. ΜΕΙΡΑΚΙΟΝ ΩΝ ΕΖΗΤΗΣΑ, ΝΥΝ ΔΕ ΟΥ ΧΡΗ ΖΗΤΕΙΝ, ΑΛΛΑ ΔΙΔΑΣΚΕ ΙΝ Α ΕΥΡΗΚΑ. ¶ TONITRVARE TV CREDIS.) Gloſſæ veteres: *Tonitrum, Tonitru*, BRONTH. Aliæ, ms. BRONTH, *Tonitruum*: BRONTΩ, *Tonitruo*. BRONTAIOC, *Tonitruabilis*. Legendum *tonitrualis*; Lucr. 1. *Néue ruant cæli tonitralia templa supernè.* ¶ GANYMEDIS AMATOR.) In apographo legitur, *crme*, & ſuperſcriptum, *medis*. Feſtus, *Catamitum, pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus.* ¶ ET DICITIS ESSE CÆLESTES.) Nam & in cælum dicitur raptus ab aquila Ganymedes. Videatur opuſculum Euſebij, IIII. edit. Sirm. pag. 198. 199.

7. *De Septizonio & Stellis.*

De circulo Zonæ fallit vos imperitia veſtra,
Ex eoque forte Iouem experitis orandum.
Saturnus fertur ibi, ſed ſtella; nam ille
Expulſus à Ioue, aut Iouis in ſtella credatur!
Poli qui ſidera tractauit, ſolique ſator,
Trojanis qui bellum fecit, Venerem almam amauit,
Ipſis ſideribus aut Mars cum ipſa deprehenſus
Zelo maritali; Deus nominatur aduliſcens.
O nimium ſtulti, qui putatis Maios ab aſtris,
Naſcentes regere, aut totam mundi naturam.
In vulnera poſiti, & ipſi ſub fata viuentes,
Obſceni, curioſi, bellatores, impiæ vitæ;
Et filios totidem mortales illi fecêre;
Terribiles omnes, ſtulti, ſeptizonio fortes.
Si ſtellas colitis, colite & bis ſena ſigilla;
Tum arietem, taurum, geminos, ferumque leonem.
Et denique vadunt in piſcibus, eoque, probabis.
Lex ſine lege fuga veſtra, quod vult eſſe valebit.
Laſciua vult eſſe, ſine freno viuere quærit.
Ipſi quod vultis eritis, & deos & deas oratis.
Sic ego colui dum erraui, quod modo culpo.

DE SEPTIZONIO] Septizonium dixere & Septemzonium, & Septizodium, omnem ſeptenarium ordinem. moles, alias aliis ſuperſtructas. giganteos contextus. Septizonium Seueri. Am. Marcel. XV. Septizonium operis ambitioſi nymphaeum. Ioſ. Scaliger Animad. in Euſeb. chron. pag. 209. ¶ EXPVLSVS A IOVE) In apographo legitur, *Effugit expulſus à Ioue.* Abundat verbum, *Effugit.* itaque dempto, conſtat verſus & acroſtichis *Nam ille Expulſus à Ioue; aut Iouis in ſtella credatur.* Iouis, in primo caſu, vt Inſtr. 5. —— *non Iouis ille.* ¶ POLI QVI SIDERA TRACTAVIT, SOLIQ. SATOR] Sic emendandum videtur, vt Iouem derideat, ſoli conditorem, ſicut & poli; qui neque ſolum, neque polum condiderit. ¶ VENEREM ALMAM AMAVIT] Sic emendauimus quod eſt in apographo, *unem mortalem amauit*, mendoſe, nec ad rem faceret hiſtoria Ledæ in cycnum conuerſæ. At Iouialis in Venerem laſciuiæ plena ſunt poëtarum figmenta. ¶ IPSIS SIDERIBVS] In ipſo cælo. ¶ AVT MARS CVM IPSA DEPRENSVS] Martem notat in Venere deprenſum. ¶ CVM IPSA] Venere, quæ eſt in cælo, & in numero quidem ſtellarum. Hinc verò firmatur

coniectura proximè allata. ¶ ZELO MARITALI) Iunonigenæ Vulcani: Ouid. IIII. Faſt. ¶ DEVS NOMINATVR ADVLISCENS] Mars. ¶ QVI PVTATIS MAIORES ASTRIS) In apographo legitur, *marbos*. & ſic vbique conſtanter, vbi tamen haud dubiè legendum eſt, MAIOS, hoc eſt Maia genitos, Atlantis filia. ¶ ET FILIOS TOTIDEM MORTALES] Hoc eſt, conſimiliter mortales. ¶ ET DENIQVE VADVNT IN PISCIBVS] Etenim qui bis ſena Zodiaci ſigilla complectuntur verſiculi vulgares, ſic deſinunt, ——— *Caper*, *Amphora*, *Piſces*. Pergit Commodianus ridendo: *coque probabis*. antecedit enim Aquarius: *probabis*, experieris non eſſe Deos, & coquina ipſa probabit.

8 *De Sole & Luna.*

De ſole & Luna, licet ſint præſentanea nobis,
Erratis; quod ego prius, putatis oranda.
Sunt quidem in aſtris, ſed non ſua ſponte curruñt,
Omnipotens illos cum conderet omnia primum
Locauit ibidem cum ſtellis quarta dierum.
Errorem antiquus quin cum * * *
Et quidem in Lege iuſſit ne quis illos adoret.
Tot deos oratis, qui nihil de vita promittunt.
Lex quorum in terra non eſt, nec ipſi prædicti.
Vos autem ſeducunt ſacerdotes pauci,
Numinis quid dicant aliquid morituri prodeſſe.
Accedite, legite, & diſcite verum.

LICET SINT PRÆSENTANEA NOBIS] Aſtra præſentanea dicit Solem & Lunam, quæ apprimè omnium aſtrorum ſentiuntur à nobis; quæ ſunt efficaciſſima, validiſſima, & ſpectatiſſima. Sic diui præſentes, Virgilio, apud quem & Niſus ad Lunam: *Tu dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori.* Aeneid. IX. ¶ NIHIL DE VITA PROMITTVNT.) Vita immortali, æterna. ¶ PROMITTVNT.] Horat. *quæ medicorum, Promittunt medici.* Iuuenalis. *oculos medico nil promittente relictos.*

9 *Mercurius.*

Mercurius veſter fiat cum ſaraballo depictus,
Et galeam aut pileum pinnatus, & cetera nudus.
Rem video miram, deum cum ſaccello volare.
Currite pauperculi cum gremio quò volat ille;
Vt ſacculum effundat, vos extunc eſtote parati,
Reſpicite pictum, quoniam vobis ſic ab alto
Iactabit nummos, vos tunc ſaltate ſecuri.
Vane non inſanis? colere deos pictos in axe?
Si viuere neſcis, cum beſtiis perge morari.

CVM SARABALLO) Hieronymus in Danielem: Aquila, inquit, & Theodotio ſaraballa dixerunt, & non vt corruptè legitur, ſarabara. Heſych. ΤΑ ΠΕΡΙ ΤΑϹ ΚΝΗΜΙΔΑϹ ΕΝΔΥΜΑΤΑ. Tertullianus lib. de Pallio, vbi de Alexandro: *In captiua ſarabara deceſſit.* Idem ad Martyras. *Deus ſcilicet non audiat penulatos, qui tres ſanctos in fornace Babylonij regis orantes cum ſarabaris & tiaris ſuis exaudiuit.* Verſio latina vetus Danielis cap. III. 94. habet, ſaraballa: Græca tamen retinet ϹΑΡΑΒΑΡΑ. Iſidorus, Orig. XIX. citat ex Publio: *Vt quid ergo in ventre tuo Parthi ſarabara ſuſpenderunt?* Hieronymus in Dan. Latinè vertit, *braccas*. quæ verſio verior videtur & aptior ad mentem Publii, Tertulliani, & Commodiani. ¶ DEOS PICTOS IN AXE] Axis hoc loco ponitur eo ſenſu quo Virgilius dixit Aen. IIII. *vbi maximus Atlas Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.* In axe, in cælo. nam Axis ΑΝΑΚΤΡΟϹ, Ser. ¶ SI VIVERE NESCIS.) Hoc eſt, ſi non ſapis ad Chriſtum, vitæ auctorem æternæ. ¶ CVM BESTIIS PERGE MORARI.) Alludit ad beſtias & ΖΩΔΙΑ quæ in Zodiaco pingi ſolent; ariete, tauro, leone.

10 *Neptunus.*

Neptunum facitis deum ex Saturno pronatum:
Et tridentem gerit, vt piſces ſuffigere poſſit.
Patet eſſe deum cumatilem illo paratu.
Troianis non ipſe cum Apolline muros eduxit?
Vnde deus factus inops cæmentarius ille?
Non Cyclopem genuit monſtrum? non Maius & ipſe
Viuere non poterat de ſuo? quod ſtructura gerebat.
Sic genuit generatus, qui fuit iam mortuus olim.

TROIANIS NON IPSE CVM APOLLINE.) Vid. Seruium, ad illud Virg. Aen. II. Neptunus muros, magnoque emota tridenti Fundamenta quatit.

11 *Apollo ſortilegus, falſus.*

Apollinem facitis citharoedum atque diuinum.
Primum de Maia natus in inſula Delo,
Oblata mercede poſtmodum ſtructor, obſecutus
Laomedonti regi Troianorum muros eduxit.
Locauitque ſeſe, quem deum ſeducti putatis:

Oſſibus cuius amor Caſſandrae flagrauit,
Subdole quem luſit virgo, fallitur que diuinus.
Officio veruecis potuit ſcire bicordem.
Repudiatus enim diſceſſit inde diuinus.
Terruit hunc virgo ſpecie, quam ille deberet.
Illa prior quæ debuerat Deum amauiſſe,
Laſciuiens qui Daphnen ſic cœpit amare:
Et tamen inſequitur, dum vult violare puellam,
Gratis amat ſtultus, nec potuit conſequi curſu.
Vel, ſi deus erat, occurreret illi per auras.
Sub tectis illa prior venit, remanſitque diuinus.
Fallit vos gens hominum, nam victu triſti fuerunt.
Admeti quoque pauiſſe refertur.
Luſibus impoſitis dum mitteret diſcum in altum,
Sublapſum non potuit retinere, proſtrauit amicum;
Vltimus ille dies fuit Hyacinthi ſodalis.
Si diuinus erat, mortem præſciſſet amici.

APOLL. FACIT TE CITHAR.) Euſebius, IV. Opuſculor. à Sirm. editor. pag. 199. *Nonne & citharista ille honeſtus? Primo quidem cur citharistas Deos ponamus? &c.* ¶ OFFICIO VERVECIS] officio haruſpicis, qui exta veruecis inſpexiſſet. ¶ BICORDEM] Vafram, verſutam. Bicordem vocat, quæ duplici corde fuit, fefellitque amatorem ſuum. Vno corde promiſit amplexus ſuos Apollini, vt ab eo diſceret artem diuinandi: altero corde perfida fuit; poſtquam didicit, negauit quod promiſerat. Bicors, ambiguo corde. Heſychius, DIΨVXIA, AΠOPIA. Commodianus dixiſſet, BICORDIA. & in epiſtolis Barnabæ & Clementis, ΔIΨVXOC, ΔIΓNΩMOC, ΔIΓΛΩCCOC, ¶ TERRVIT HVNC VIRGO SPECIE.) Torruit. ¶ ILLA PRIOR QVÆ DEB.) à quo tam efficacem ſcientiam percipere cupiebat. ¶ NEC POTVIT CONSEQVI CVRSV.) Iulius Firmicus: *Sed ex iste mulierum corruptarum grege vna puella amatorem Deum & vitauit & vicit. Daphnen enim diuinans Deus & futura prædicens, nec inuenire potuit nec ſtuprare.* Euſeb. qui ſuprà: *O iniuriam! virgo ob pudicitiam fugit: Deus autem qui dicitur, ob amorem libidinis inſequitur, & non comprehendit, &c.* Et pauld poſt: *Sed forte quadam poeta facilis & inconſideratè loquens mentitus de diis est talia, & non eſt inſequutus virginem citharista, &c.* ¶ NAM VICTV TRISTI FVERVNT.) In apographo legitur *bito*, deprauatum ex *victu*. ¶ TRISTI) diro, miſero, crudo, ſiue crudeli. ¶ ADMETI PECORA) In apographo *armenta*.

12 *Liber Pater, Bacchus.*

Liberum patrem certè bis genitum dicitis ipſi.
In India natus ex Ioue, Proſerpina primum.
Belligerans contra Titanas profuſo cruore,
Expirauit enim ſicut ex mortalibus vnus.
Rurſus fato ſuo redditus in altero ventre.
Percipit hoc Semele iterùm Iouis altera Maia,
Abſciſſo cuius vtero, prope partum defunctæ,
Tollitur, & datur Niſo nutriendus alumnus.
Ex eo bis natus Dionyſus ille vocatur,
Religio cuius in vacuo falſa curatur.
Bacchantur & illi, qualia nunc ipſi videntur
Aut periculones Mimnermoniſque ſutores,
Conſpirant in malo, proludunt ficto furore,
Ceteros vt fallant, dicturos numen adeſſe.
Hinc manifeſtè vides homines ſimile viuentes,
Vino permotati primus quod expreſſerat ille,
Sub ludicro ſuo honorem illi dedêre.

LIBERVM PATREM CERTE BIS GENITVM.) Conſimilem fabulam narrat Iulius Hyginus, Aſtron. CLXVII. Liber Iouis & Proſerpinæ filius à Titanis eſt diſtractus, cuius cor contritum, Iouis Semelæ dedit in potionem. Ex eo prægnans cùm eſſet facta Iuno, in Beroen nutricem Semelæ ſe commutauit, & ait: Alumna, pete à Ioue vt ſic ad te veniat, quemadmodum ad Iunonem, vt ſcias quæ voluptas eſt cum Deo concumbere. Illa autem inſtigata petit à Ioue, & fulmine eſt icta. ex cuius vtero Iouis Liberum exſuit, & Nyſo dedit nutriendum vnde Dionyſus eſt appellatus, & Bimater eſt dictus. Idem, num. CLXXIX. Non. Dionyſiacor. VIII. initio. ¶ IOVIS ALTERA MAIA) Iouis hic primo caſu, vt ſuprà. Gloſſæ Iſidori, Maia, medica, obſtetrix. ¶ EX EO BIS NATVS DIONYSVS Hæc poëtica nominis origo. Aliam tradidit Philoſtratus, Apoll. II NVCIOC ΓAP O ΔIONYCIOC AΠO THC EN INΔOIC NYCHC. Arſaces, Armeniæ rex pardalin ſacrauit elogio: REX ARSACES DEO NYSÆO. Steph. ΛEΓETAI KAI NYCAIOC. Hoc igitur ex Philoſtr. colligere eſt, Nyſam eſſe veluti femur Cauſaci hanc verò partē fuiſſe conſitam vite, Baccho, Dionyſo; atq; inde fabulam Iouis geſtantis in femore, EN MHPΩ, Bacchum. Menſores agrorum; vt vertices & ſupercilia montium, ſic etiam femur & ſurā & crepidinem, & corrigiam & pedem dixere. vnde & poëtæ Dionyſum femori Iouis inſertum. ¶ AVT PERICVLONES) Gloſſæ veteres, PIΨOKINΔYNOC, *periculoſus*. Alii dixere, parabolum, & parabolanum. Paulus ad Philip ΠAPABOΛEYCAMENOC TH ΨYXH, verſio Latina vetus MS. *parabolatus de anima ſua.* ¶ MIMNERMONISQVE SVTORES.] Sic legitur in apographo. Fortean, ſcripſerat Commodianus, *Mimnermomerique ſutores*. ΓEΛΩTOΠOIOI, PAΨΩΔOI, qui ex Nimnermi & Homeri carminibus in alium ſenſum conſutis & concinnatis riſum captabant in theatris. videndus Athenæus lib. XIII. pag. 620. vbi de hilarodis & hilarotragœdis. ¶ SIMILE VIVENTES] vt ſuprà, hac ipſa Inſtr. *bacchantur qualia*. Iuuenalis, *bacchanalia viuunt*. Aut *ſimilè* aduerbialiter dixit, vnde ſimillimè. ¶ VINO PERMOTATI] Motantur bene poti, perpotati. Motari, frequenter motari. Frequenter moueri, ſaltare. Hor. Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus. ¶ PRIMVS QVOD EXPRESSERAT ILLE] Bacchus in India primus vini vſum monſtraſſe dicitur. Vnde & vitiſator, & vitium repertor. ¶ LVDICRO SVO) Ludis, orgiis trietericis

13. *Inuictus.*

Inuictus de petra natus, ſi deus habetur,
Nunc ergo retrò vos de iſtis date priorem.
Vicit petra deum, quærendus eſt petræ creator.
Inſuper & furem adhuc depingitis eſſe;
Cùm ſi deus eſſet vmquam, non furto viuebat.
Terrenus vtique fuit, & monſtriuora natura.
Vertebatque boues alienos ſemper in antris,
Sicut & Cacus, Vulcani filius ille.

INVICTVS) Hiſtoriam Agdeſtis huiuſce inuicti, qui fuit magnæ Matris filius, Agdi petræ, in Phrygiæ finibus, inauditæ per omnia vaſtitatis nepos, narrat ex Timotheo theologo Arnobius, lib. 5. aduerſ. Gentes, ad eamque hiſtoriam Commodianus noſter reſpexit, nec aliunde petenda eſt huic Inſtructioni hæc. Valde autem abludit Timotheus ab iis quæ de eodem Agdeſti referuntur in Achaïcis Pauſaniæ, pag. 223. ¶ INVICTVS DE PETRA NATVS.) Arnobius: *Huic robur inuictum, & ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana & furialis libido ex vtroque ſexu; vi rapta diuaſtare, diſperdere, immanitas quò animi duxerat; non deos curare, non homines, nec præter ſe quicquam potentius credere, &c.* Inuictus autem deus etiam dictus eſt Mithras, quo nomine Solem appellant Perſæ. quod in antiquis inſcriptionibus paſſim legitur. Quin & confundi aliquando videntur Agdeſtia cum Mithriacis, præſertim Chriſtianorum ſcriptis. & Mithran virum fuiſſe abactorem boum tradidit Iulius Firmicus, lib. de errore prof. relig. vnde & Statius dixit: *Indignata ſequi torquentem cornua Mithran.* quod Agdeſti Commod. imputat. ¶ NVNC ERGO RETRO VOS DE ISTIS DATE PRIOREM) In apographo: *Nunc ego reticeo*. Vnde hanc à quibuſdam video confici ſcripturam: *Nunc ergo reticeo.* quam arbitramur minimè ad Commodiani mentem facere. Nam hoc ſibi vult: Dicitis inuictum de petra natum: date igitur, hoc eſt, narrate de iſtis, Inuicto & Petra, vnde genus & originem traxerint. Etenim qui retro fuiſſe arguetur eorum parens aut creator, is haud dubie fuerit prior. ſuperior, maior. deinde ex hiſtoria Timothei ſiue Arnobii ſubiicit: *Vicit petra Deum*, cui Commodianus reponit: Si petra Deum vicit, quærendus eſt creator illius petræ, vnde prognatus eſt Deus ille veſter Inuictus. ¶ VICIT PETRA DEVM] Arnobius, vbi de lapidibus in orbem vacuum à Deucalione & Pirrha iactatis: Ex quibus, inquit, cum ceteris & hæc Magna quæ dicitur, informata eſt Mater atque animata diuinitùs. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, inceſtis Iupiter cupiditatibus appetiuit. ſed cùm obluctatus diu, id quod ſibi promiſerat *obtinere nequiuiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. &c.* En Iupiter à petra victus ¶ INSVPER ET FVREM ADHVC DEPINGITIS ESSE) Sic Inſtr. 52. *& proprium ſatellem dedicat eſſe.* & proxima Inſtr. ſeq. de Siluano: *Siluanus vnde deus iterùm apparuit eſſe.* ¶ CVM SI DEVS ESSET VNQVAM.) Eſt qui malit: *cum ſi deus eſſet, vtiq. non furto viuebat.* Sed hæc particula, *vtique*, rurſus occurret verſu proxime ſeq. ¶ MONSTRIVORA NATVRA) Placet emendatio: *Monſtruoſa*, leonino vultu. ¶ VERTEBATQVE BOVES ALIENOS) Itaque Inuictus iſte, ſicut & Mithras, prædones, abigei, indignata ſequi torquentes cornua quod ſupra notauimus ex Statio. & confirmat Luctatius ad Theb. 1. Iulius Firmicus: *Virum verò abactorem colentes, ſacra eius ad ignis naturam transferunt.*

14 *Siluanus*

Siluanus vnde deus iterùm apparuit eſſe?
Inde fortè placet, eo quòd benè fiſtula cantat,
Largitur quoniam lignum, nam fortè non eſſet.
Venalem emiſti dominum cùm empſeris illi.
Aſpice, deficit lignum. quid illi debetur?
Non te pudet ſtulte tales adorare tabellas?
Vnum quære deum qui poſt mortem viuere diat.
Secede ab iſtis qui ſunt biothanati facti.

SILVANVS.) Gloſſæ veteres: Siluanus, Pan, ΘΕΟϹ ΥΛΑΙΟϹ. Syrinx, fiſtula. vnde commenti ſunt Syringem puellam amatam Pani. Seruius, ad III. Georg. Pan, ruſticum numen. ¶ VENALEM EMISTI D.) Commodianus ſcripſiſſe videtur: *Venalem emiſti deum*, Sic inſtr. 16. Et qui fabricantur deos tibi nuncupas eſſe. ¶ CVM EMSERIS ILLI] Nempe fiſtulam: abſque illa eſſes, non haberetur deus. ¶ NON TE PVDET STVLTE TALES ADOR. TAB.] Non te etiam pudeat, alias, quamuis concinniores adorare fabellas, ſiue tabellas? ¶ QVI POST MORTEM VIVERE DIAT] Quid ſi Commodianus ſcripſerit, *duat*? archaicè, pro *dederit.* vt *fuat* pro *fuerit.* & apud Feſtum *duit* dederit. Gloſſæ veteres: *Duis*, ΔΟΙΗ, *Duint*, ΔΟΙΕΝ, ΔΩϹΩϹΙΝ. In apographo, pro emendatione ponitur, *poſt mortem viuere docet.* ¶ QVI SVNT BIOTHANATI FACTI) Biothanatos dicit, idololatras, qui peracto vitæ ſuæ curriculo præcipitantur in mortem æternam. at Chriſtiani, de morte ad vitam vocantur immortalem. Huc non pertinent quæ apud Tertullianum de aoris & biothanatis, ſiue biaiothanatis, libro de Anima.

15. *Hercules.*

Hercules quod monſtrum Auentini montis eliſit,
Euandri qui ſolitus erat armenta furari,
Ruſtica mens hominum indocilis quoque pro laude
Cùm gratias agere vellent, abſenti Tonanti
Vouerunt hoſtias inepti, vt deo orando,
Lactentes aras, in memoriam ſibi fecerunt.
Ex eo prouenit de vetuſto more colatur.
Sed deus hic non eſt, licet fuit fortis in armis.

RVSTICA MENS HOMINVM) In apographo legitur: ruſtica gens hominum. ¶ ABSENTI TONANTI.) Hoc eſt mortuo Ioui.

16 *De DIs Deabuſque.*

Dicitis eſſe deos qui ſunt manifeſtè cruenti:

Et dicitis fata geneſis adſcribere vobis.
Dicite nunc ergo quibus primùm ſacra ferantur.
Inter vtrimque vias, mors immatura vagatur.
Si tribuunt fata geneſis cur deum oratis?
Deciperis, vane, qui manes quæris orare,
Et qui fabricantur dominos tibi nuncupas eſſe,
Aut fœminas quoque neſcio quas Deas oratis,
Bellonam & Nemeſin deas, Fariam vnà Cæleſtem
Virgines, & Venerem cui coniuges veſtræ delumbant.
Sunt alia prætereà dæmonia fanis,
Quæ nec numerantur adhuc, & in collo feruntur,
Vt nec ipſi ſibi poſſint rationem reddere. Peſtes
Exportari magis in vltimas terras deberent.

ET DICTIS FATA GENESIS] ΓΕΝΕCΕΙC, geneſes. genituras. ¶ DOMINOS TIBI NVNCVPAS ESSE] Sic Inſtr. 48. *& proprium ſatellem dedicat eſſe.* In apographo legitur. *Furiam.* Et inter Deas cenſet Arnobius, Lauernam, Bellonam, Diſcordias, Furias. Hanc verò Cæleſtem, alij Lunam, alij Atargatin, ſiue Aſtarten, alij Deam Syriam nuncupant. ¶ CVI CONIVGES VESTRÆ DELVMBANT] Luxu laſciuiaque fractæ lumborum criſpitudine fluctuant. Idcircò Perſius laſciua carmina lumbos intrare dixit. Hinc etiam delumbati & elumbes. ¶ IN COLLO FERVNTVR] vt ſolent amuleta. ΠΕΡΙΑΠΤΑ: vel potiùs, ſuccollantur. Itaque mox dicet: Exportari magis in vltimas terras deberent. ¶ QVÆ NEC NVMERANTVR ADHVC.] Plinius, Hiſt. nat. II. *Et numina in iiſdem innumerabilia inuenimus: inferis quoque in genera deſcriptis, morbiſque, & multis etiam peſtibus, dum eſſe placata trepido metu cupimus.*

17 *De ſimulacris eorum.*

Deludunt vos pauci ſcelerati vates inanes,
Extricare ſuam dum quærunt vitam;
Subornant aliis eſſe ſub myſteria falſum.
Inde ſimulantes concuti numine quodam
Maieſtatemque canunt, & ſe ſub figura fatigant.
Vidiſtis Dindymarios, quali fragore
Luxurias ineunt, dum furias fingere quærunt,
Aut cum dorſa ſua allidunt ſpurca bipenne:
Cum doctrina ſua ſeruant quod cruore ſanant.
Reſpicite quo non illos nomine cogunt,
Ipſis qui ſe primum componunt integra mente.
Sed ſtipem vt tollant ingenia talia quærunt.
Ex eo videte quoniam ſunt omnia ficta.
Obumbrant populum ſimplicem, perituri ni credant.
Res ſemel in vano de vetuſtate proceſſit,
Et vaticinanti credatur prodenti falſa.
Maieſtas autem illorum nulla locuta eſt.

EXTRICARE SVAM DVM QVÆRVNT VITAM.) Sic Horat. Ser. I. Sat. 3. *Mercedem aut nummos vndeunde extricat.* Gloſſæ veteres: *Extricare*, ΕΚΠΟΔΙCΑΙ. Expedi, ΕΚΠΛΕΞΟΝ. Bibaculus, de Valerio Catone: Omnes ſoluere poſſe quæſtiones, Vnum difficilè expedire nomen. ¶ SVBORNANT ALIIS ESSE SVB MYSTERIA FALSVM.] Hoc eſt, fraudibus & impoſturis ſic illudunt oculis vulgi, vt falſitas myſterio tecta & adumbrata non deprehendatur. Ex eo genere impoſtorum Galli Matris Magnæ, Romanis, Sangarium fluuium ponte tranſgreſſis occurrere cum inſignibus ſuis, inquit Liuius lib 38. cap. 19. vaticinantes fanatico carmine, Deam Romanis vim belli & victoriam dare. Ita vero ſcripſiſſe Liuium: *vim belli & victoriam dare*, non vt in omnibus editis legitur: *viam belli*, apparet ex Polybio: ΦΑCΚΟΝΤΕC ΠΡΟCΑΓΓΕΛΛΕΙΝ ΤΗΝ ΘΕΟΝ ΝΙΚΗΝ ΚΑΙ ΚΡΑΤΟC. Inſignia impoſtorum dicit Liuius, quæ Polybius ΠΡΟCΤΗΘΙΔΙΑ ΚΑΙ ΤΥΠΟΥC. ¶ ET SE SVB FIGVRA FATIGANT.] Sub figura. ſub perſona; fictè, ſimulatè. Pub. Syrus: *Heredis fletus ſub perſona riſus eſt.* ¶ OBVMBRANT. POPVLVM) Falluut, obiecta nube & vmbra, fraudibus ¶ VIDISTIS SÆPE DINDYMARIOS] Dindymarii ſunt, pecora Dindymenæ Cybeles. Atys Catulli. ad ſuos Gallas: *Agite, ite ad alta Galla Cybeles nemora ſimul, Simul ite, Dindymena domina vaga pecora.* Martialis: *Spado Dindymus.* ¶ AVT CVM DORSA SVA ALLIDVNT) Circa iſtorum nebulonum præſtigias variant ſcriptores: Lucianus, lib. de Dea Syria, ΤΕΜΝΟΝΤΑΙ ΤΕ ΤΟΥC ΠΗΧΕΑC, ΚΑΙ ΤΟΙCΙ ΝΩΤΟΙCΙ ΠΡΟC ΑΛΛΗΛΟΥC ΤΥΠΤΟΝΤΑΙ. Apuleius, lib. VIII. Brachiis ſuis humero tenus renudatis, attollentes immanes gladios ac ſecures, euantes exſiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium. Et paulò poſt: Ad poſtremum ancipiti ferro quod gerebant brachia ſua diſſecant. Et poſt alia quædam: Arrepto flagro indidem ſeſe multinodis commulcant ictibus: myrrhæ, contra plagarum dolores, præſumptione communiti. ¶ DORSA SVA ALLIDVNT SPVRCA BIPENNE] In apographo; *parſa bipenne.* Commodianus aliquid hic propudiosè obſceni Gallis cinædis exprobrare videtur. Gloſſæ veteres: ICXION, Dorſum, Lumbi. Gloſ. aliæ: OCΦΥΕC, ICXIA. Apuleius: cerneres profectu gladiorum, ictuque flagrorum, ſolum ſpurcitia ſanguinis effeminati madeſcere. &c. ¶ CVM DOCTRINA SVA SERVANT] Hoc eſt: nequicquam doctrina ſua ſeruant, neque item cruore ſuo ſanant. ¶ STIPEM VT TOLLANT INGENIA TALIA QVÆRVNT] Suprà eadem Inſtr. dixit: Dum vitam ſuam extricare quærunt. Talia vero iam æuo ſuo agyrtarum ingenia fuiſſe teſtatur auctor libri De morbo ſacro, qui vulgo fertur Hippocratis; ΑΝΘΡΩΠΟΙ ΒΙΟΥ ΔΕΟΜΕΝΟΙ ΠΟΛΛΑ ΚΑΙ ΠΑΝΤΟΙΑ ΤΕΧΝΕΟΝΤΑΙ ΚΑΙ ΠΟΙΚΙΛΛΟΥCΙΝ. ¶ INGENIA TALIA QVÆRVNT) Sic apud Tertullianum: Ingenium decoris: ingenia pœnarum: ingenia artium. &c. ¶ DE VETVSTATE PROCESSIT] Ouidius IIII. Faſt. ——— *pro magno teſte vetuſtas creditur, acceptam parce mouere fidem.* ¶ VATICINANTI CREDATVR PRODENTI FALSA) Fortè hæc tranſpoſita fuere: *falſa prodenti.* ¶ MAIESTAS AVTEM ILLORVM NVLLA LOC. EST) Hoc de ſimulacris Gentium Commodianus, ex oraculo Pſalmi 113. *Os habent & non loquentur.* Maieſtas illorum, nempe ſimulacrorum, de quibus eſt Inſtructionis titulus. nulla locuta eſt, hoc eſt, nihil locuta eſt: nulla fudit oracula.

18 *De Ammudate & deo magno.*

Diximus iam multa de ſuperſtitione nefanda,
Et tamen exſequimur, ne quid præteriſſe dicamur.
Ammudantemque ſuum cultores more colebant,
Magnus erat illis quando fuit aurum in æde.
Mittebant capita ſub numine quaſi præſenti.
Ventum eſt ad ſummum, vt Cæſar tolleret aurum,
Defecit numen, aut fugit, aut tranſit in ignem.
Auctor huius ſceleris conſtat qui formabat eumdem.
Tot viros & magnos ſeducit falsè prophetans;
Et modò reticuit qui ſolebat eſſe diuinus.
Erumpebant enim voces, quaſi mente mutata,
Tamquam illi deus ligni loqueretur in aurem.
Dicite nunc ipſi ſi non ſint numina falſa?
Ex eo prodigio quot perdidit ille propheta?
Oblitus eſt iſte prophetare qui antè ſolebat.
Monſtra adeò iſta ficta ſunt per viniuoraces;
Audacia quorum damnabilis numina fingit.
Geſtabant enim, & aruit tale ſigillum:
Nam & ipſe ſilet, nec vllus de illo prophetat
Omninò, ſed vos ipſos perdere vultis.

DE AMMVDATE.] Gratulabor monſtranti alium ſcriptorem, qui huiuſce numinis mentionem fecerit. Terminatio Perſicam vocem indicat, vt ſunt, Mithradates, Orondates, Titidates, Meherdates. Et eſt apud Procopium in Perſicis ΑΜΜΟΥΔΙΟΣ, ager haud ignobilis, ΔΑΡΑΣ ΜΕΤΡΟΝ ΕΙΚΟΣΙ ΣΤΑΔΙΩΝ ΑΠΕΧΩΝ. vbi caſtra Perſarum aduerſus Romanos. Et apud Heſychium, Datis, nomen Imperatoris Perſæ: ſed hæc, quàm ſunt inania, ſi non aliunde confirmentur.

19. *Nemeſiacis vanis.*

Non ignominium eſt virum ſeduci prudentem,
Et colere talem, aut Dianam dicere lignum?
Mane ebrio crudo, perituro creditis viro;
Ex arte qui fictè loquitur quid illi videtur;
Seuerè dum agit, ſibi viſcera paſcit.
Incopriat ciues vnus deteſtabilis omnes.
Adplicuitque ſibi ſimili collegio facto
Cum quibus hiſtoriam fingit, vt deum adornet.
Ipſe ſibi neſcit diuinare, ceteris audet.
Succollat quando libet eum, & quando deponit.
Vertitur à ſe rotans cum ligno bifurci.
Ac ſi putes illum afflatum numine ligni.
Non deos vos colitis quos ipſi falsè prophetant;
Ipſos ſacerdotes colitis, in vano timentes.
Sed ſi corde viges, fuge iam ſacraria mortis.

NEMESSIACIS) De Gallis Cybeles, Idæis, Bellonariis, Iſiacis, & Nemeſiacis etiam ſcripta Gentium profanarum confusè differunt. Nemeſiacum deſcribit Apuleius Mil. VIII. *Infit vaticinatione clamoſa, conficto mendacio, ſemetipſum inceſſere, atque criminari, quaſi contra fas ſancta religionis deſignaſſet aliquid, & inſuper iuſtas pœnas noxij facinoris ipſe de ſuis manibus expoſcere. Arrepto denique flagro*, & cetera, quæ ſuprà de Dindymariis obſeruauimus, ad Inſtr. 17. vbi de fragore quo luxurias ineunt, & furias fingunt: qui fragor & furor etiam Nemeſiacorum fuit, vt videre eſt in iſtis Apuleianis: *Ab ingreſſu primo ſtatim abſonis vlulatibus conſtrepentes fanaticè peruolant, &c.* Proptereà Nemeſin Catullus Deam vehementem eſſe dixit, epigrammate ad Licinum: *Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te, Eſt vehemens dea, lædere hanc caueto.* Babrius, apud Suid. ΠΑΡΗΝ Δ'Η ΝΕΜΕΣΙΣ, Η Τ' ΑΔΙΚ' ΕΠΟΠΤΕΥΕΙ. & alia huiuſmodi ibidem in hanc ſententiam de ſcriptoribus antiquis citata. Ammianus Marcellinus libro XIIII. Hæc, & huiuſmodi quidem innumerabilia vltrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix operatur Adraſtia: quam vocabulo duplici etiam Nemeſin appellamus, &c. Hanc denique Apul. libro de Mundo, Neceſſitatem eſſe dicit vltionis ineffugibilem. ¶ NON IGNOMINIOSVM EST.) Iſidorus libro 4. cap. vlt. vbi de pœnis, quæ ſunt legibus conſtitutæ, Ignominium & Infamium. ¶ SIBI VISCERA PASCIT.) Apuleius: *Morſibus ſuos incurſant muſculos, brachia diſſecant.* ¶ INCOPRIAT CIVES.) Conuiciis, opprobriis conſpurcat, & quaſi ſtercore conſpergit. Gloſſ. Iſidori à Vulcanio editæ: *Scurra, qui incopriatur. Scurrula, qui incopriat.* Scurras dictos fuiſſe Græco vocabulo, ΚΟΠΡΙΑΣ, iam pridem ex Dione & Suetonio viri eruditiſſimi docuère. Suidas: ΚΟΠΡΙΟΣ ΑΝΗΡ ΩΣ ΑΠΟ ΔΗΜΟΙ ΛΕΓΕΙ ΔΕ ΤΟΝ ΚΟΠΡΟΛΟΓΟΝ. In apographo legitur *incopiat.* ¶ VERTITVR A SE ROTANS) Planus ille artificio ligni decuſſatim bifurci rotat ſeſe, vt imperita plebecula correptum à numine exiſtimet, caducaria paſſione, ſubita ruina, vertigine & rotatione diuina, arte diuino circumactum. At naſuti ridenr impoſtorem, & inclamant: Quære peregrinum. &, Tollat te qui non nouit. ¶ CVM LIGNO BIFVRCI] Agrimenſores terminum dixere bifurcium, vngulam bifurcam.

20 *Titanes.*

Titanas vobis Tutanos dicitis eſſe.
Immites tacitos ſub culmine veſtro rogatis.

Tot

Tot lares, ædiculas, ſimulacra ficta Titano.
Adoratis enim ſtulti malo leto defunctos.
Non legem ipſorum legentes. non ipſi loquuntur.
Et deos audetis æramine dicere fuſos.
Solueritis eos magis in vaſcula vobis.

TITANAS VOBIS TVTANOS) Titanas Mauri pro regibus colunt. Arnob. I. IMMITES, TACITOS) In apographo: *Aut mutas, tacitas.* ¶ SOLVERITIS EOS MAGIS) vtiliùs æramina illa conflata & colliquefacta diſſolueritis, vnde fiant vrceoli, pelues, ſartago, patellæ.

21 *Monteſianis.*

Montes & deos dicitis. dominentur in áuro.
Obſcurati malo, aliena mente iuuantes.
Nam, ſi purus animus & mens ſerena maneret,
Tu tibi de illis ipſi diſputare deberes.
Excordaris homo, ſi putas vt ipſi te ſaluent.
Seu regant ſeu minuant. ſi quid tu ſani requiris,
Iuſtitiam Legis quære magis: illa ſalutis
Auxilium portat, & fieri dicit æternum.
Nam quod in vanis ſequeris, per tempóra gaudet.
In breui lætaris, & poſtmodum plangis in imis.
Subtrahe te illis, ſi vis reſurgere cum Chriſto.

MONTES ET DEOS DICITIS.] In apographo legitur, *Monteſes deos dicitis.* quod accedere videtur ad deos Monteneſes: quorum mentio fit Inſcrip. quadam apud Gruterum pag. xxt. I. vbi legimus ex Deorum Montenſium præcepto poſitam fuiſſe aram Ioui Fulgeratori. Nihilominus tamen ſcribendum hîc eſſe arbitramur, *Montes & deos dicitis*, vt Monteſiani Commodiano ſint, qui numina quædam in Montibus eſſe crederent. Ideoque ait: *dominentur in auro obſcurati malo*; auaritiem damnans eorum qui felicitatis humanæ ſummam ponebant in nummis & auri congerie, quod eſt malorum omnium irritamentum. Iſti inquit dii dominentur in auro obſcurati malo, quaſi deſcribat deos illos Manes metallorum cuſtodes ſub obſcuris & intimis montium cauis, inuidentes mortalibus, nimium cupidis theſaurorum. qui nempe dii ſi forte proſint ſuffodientibus montium latebras auaris, proſunt inuiti, tamquam nolentés, & aliena mente, hoc eſt animo prorſus alieno ſic iuuantes, vt dici non debeant dediſſe quod niſi rapina non tollitur. nimirum expugnatione ac ruina montis, multo igne, aceto multo ſuffoſſi ruptique. Plinius, Hiſt. nat XXXIII. principio libri: *Perſequimur omnes telluris fibras, videmuſque excauatas montes, mirantes dehiſcere aliquando, aut intremiſcere illam. ceu vero non hoc etiam exemplum indignationis ſacra parentis exprimi poßit. imus in viſcera eius, & in ſede Manium opes quærimus. Illa nos ad inferos agunt quæ occultauit atque demerſit. Vtinamque poſſet è vita in totum abdicari aurum; ſacra fames, vt celeberrimi auctores dixere, proſciſſum conuiciis ab optimis quibuſque, & ad perniciem vitæ repertum.* Et cap. IV. *Opera vicerit gigantum.* Et paulò poſt: *relinquuntur itaque fornices crebri montibus ſuſtinendis. Occurſant ſilices, hos igni & aceto rumpunt.* Et poſt alia quædam: *Manes trahuntur ad homines, vt vitium impertent.*

22 *Hebetudo ſæculi.*

Heu doleo, ciues, ſic vos hebetari de mundo!
Excurrit alius ad ſortes, aues aſpicit alter
Balantum cruore fuſo, manus inſpicit alter,
Et cupit audire reſponſa vana credulus,
Tot duces, & reges, vbi ſunt conſulti de vita,
Vel portenta ſua ſciſſe quid profuit illis?
Diſcite quæſo bonum, ciues ſimulacra cauete.
Omnipotentis enim in Lege quærite cuncti;
Sic ipſi complacuit Domino dominorum in altis,
Ad probationem noſtram dæmonas in mundo vagari.
Et tamen ex alia parte mandata præmiſit,
Cæleſtes fieri qui relinquunt aras eorum.
Vnde non hoc curo diſputare paruo libello,
Lex docet, in medio ciet, Conſulite pro vobis.
In duas intraſtis vias, condicite rectam.

TOT DVCES ET REGES VBI SVNT CONSVLTI DE VITA] Huiuſce artis aſtronomicæ profeſſor Iulius Firmicus lib. II. cap. vltimo, per adulationis aulicæ prudentiam diſciplinæ ſuæ præuaricator eſſe maluit, quàm periclitari quid etiam circa regum ſiue imperatorum geneſeis valeret. Caue, inquit, ne quando de ſtatu reipublicæ, vel de vita Romani imperatoris aliquid interroganti reſpondeas. Non enim oportet, nec licet, vt de ſtatu reipub. aliquid nefaria curioſitate diſcamus. Sed nec aliquis mathematicus verum aliquid de fato Imperatoris definire potuit. Solus enim Imperator ſtellarum non ſubiacet curſibus: & ſolus eſt in cuius fato ſtellæ decernendi non habent poteſtatem. &c. ¶ PORTENTA SVA SCISSE] Quibus de ſe aliquid ſignificatur ac præmonſtratur. Gloſſæ veteres: *Portendit*, CHMAINEI ΔΙΑ TEPAC.

23 *De vbique paratis.*

Dum ventri ſeruis innocentem eſſe te dicis,
Et quaſi communis facis te vbique paratum.
Væ tibi ſtulte homo, mortem circumſpicis ipſe.

Barbaro de more ſine lege viuere quæris;
Ipſe tibi hymnificas etiam incinere de verbo,
Qui ſimplicem fingis: Simpliciter viuo cum iſto.
Viuere te credis dum ventrem cupis implere.
Exiguus tua in domo reſidere praue.
Paratus ad epulas & refugiſcere præcepta.
Aut quia diſcredis deum iudicare defunctos;
Rectorem cæli facis te inepte pro illo.
Aſpicis ad ventrem quaſi tu ſis prouidus illi.
Tu modò profanus, modò ſanctus eſſe videris.
In ſupplicem prodis dei, ſub aſpectu tyranni.
Senties in fatis cuius modo lege iuuaris.

ET QVASI COMMVNIS] Ambiguum eſt in apographo, *communis* legi debeat an *comis*. Communem animum & leuem dixit Terentius. ¶ BARBARO DE MORE] Barbaros mores nuncupat, ritus ac religiones Gentium minime Chriſtianarum: Seculi ritus, non Eccleſiæ. ¶ IPSE TIBI HYMNIFICAS] In apographo legitur, *hymnificis*. quaſi alludat Commodianus ad hinnitum iumenti. Et Græca phraſi dixerit, *Ipſe tibi hinnificas incinere*. Ipſe tamen Inſtructione LX. dicet chorum hymnificatum, pro Eccleſia quæ delectari ſolet hymnis & laudibus Dei ac Domini noſtri. Latina verſio Eſaiæ X 30. Hinni voce tua filia Gallim. ¶ EXIGVVS TVA IN DOMO) Domi tuæ exilis & præparcus. ¶ PARATVS AD EPVLAS ¶ Potentiorum: etiam vbi apponuntur idolothyta. ¶ ET REFVGISCERE PRÆCEPTA) Chriſti Domini, ſiue diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Chriſtianæ caritatis agapas. ¶ IN SVPPLICEM PRODIS DEI) Hoc eſt, Chriſto ſupplicas, adgeniculatus ſimulacro Iouis. ¶ SVB ASPECTV TYRANNI] Tyrannum dicit, Cæſarem, non Chriſtianum; Simulacrum Iouis, Diabolum.

24 *Inter vtrumque viuentibus.*

Inter vtrumque putans dubiè viuendo cauere,
Nudatus à lege, decrepitus luxu præcedis.
Tot vane proſpicis, quid quæris iniqua?
Et quicquid egiſti iſtinc remanere defuncto
Reſpice tu ſtulte: non eras, & ecce videris.
Vnde proceſſiſti neſcis, nec vnde nutriris:
Tu Deum excelſum fugis tuæ vitæ benignum,
Rectoremque tuum, qui te magis viuere vellet,
Vertis te in faciem & dorſum deo remittis,
Mergis te in tenebras dum putas te in luce morari.
Quid in ſynagoga decurris ad Phariſæos,
Vt tibi miſericors fiat, quem denegas vltrò?
Exis inde foris, iterùm tu fana requiris.
Vis inter vtrumque viuere, ſed inde peribis.
Inſuper & dicis, Quis eſt qui à morte redemit?
Vt credamus ei, quoniam ibi pœnæ aguntur,
Eia, non ſic, vt putas eſſe, maligne.
Nam illi prodeſt poſt funera, rectè qui vixit.
Tu tamen mox moriens ducèris in loco maligno:
In Chriſto credentes autem in loco benigno.
Blanditurque quibus hæret amœnitas illa.
Vobis autem dubiis, in vos ſine corpore pœna,
Suſcitat in fratrem tortoris ordo clamare.

NVDATVS A LEGE) Viduus operibus indictis Lege Chriſtiana. ¶ PRÆCEDIS] Præceſſiſſe dicuntur Chriſtiani, qui ſunt in Eccleſiæ pace dimiſſi ad Dominum. ¶ QVID IN SYN. DECVRRIS AD PHARISÆOS] In apographo legitur: *decurris ſæpe biſaries*, ¶ DVCERIS IN LOCO MALIGNO) Ad male Chriſtianum: Ducèris, inquit, in loco maligno. Ad vere Chriſtianum, Ducèris in loco benigno. Extra hoſce duos ordines Sanctus Ephrem Syrus, æuo Commodiaui proximus, ab Hieronymo, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, laudatus, alium non eſſe medium ordinem docet. Deinde ait: Loquor autem de altero quidem ſuperno, altero vero inferno: inter quos medians eſt varietas differentiæ retributionum. Idem paulò poſt: Effugere gehennam, hoc ipſum eſt regnum cælorum ingredi: quemadmodum & eo excidere, eſt gehennam introire. Hæc ſunt à Gerardo Voſſio de Græcis nondum editis Latinè verſa, atque vt ipſe Voſſius editione ſua cenſuit, neutiquam Purgatorio præiudicant. Tertullianus ad Animam *Affirmamus te manere poſt vita diſpunctionem, & expectare diem iudicii, proque meritis aut cruciatui deſtinari aut refrigerio: vtroque ſempiterno.* ¶ QVIBVS HÆRET AMOENITAS ILLA] Amœnitatem intelligit Millenariorum. ¶ IN VOS SINE CORPORE POENA.) Ignis æternus, qui etiam animas torret exutas corpore. ¶ SVSCITAT IN FRATREM CLAMARE) Per *fratrem*, intelligit fidelem, Chriſtianum. Suſcitat in fratrem clamare, hoc eſt, aduocare fratris auxilium; ſicuti faciebat diues ille purpuratus clamans ad Lazarum, vt intingueret extremum digiti ſui in aquam. Lucæ XVI. 24. ¶ TORTORIS ORDO) Tentatoris, diaboli, exprobrantis damnato cauſam ſuæ damnationis; vt hanc etiam adiiciat damnati ſupplicio contumeliam.

25 *Qui timent, & non credent.*

Quamdiu ſtulte homo Chriſtum agnoſcere non vis?
Vitas agrum pinguem, & ſterili ſemina iactas.
In ſilua manere quæris, vbi latro moratur.

Tu dicis, Et ego Dei ſum, & foras obertas.
Ingredere iam nunc toties inuitatus in aulam.
Matura iam meſſis, tempus totidemque paratum.
Ecce modo mete. quid? non te pœnitet? inde
Nunc, ſi non habes, collige: vindemia vina.
Tempus adeſt vitæ credendi tempore mortis.
Eſt Dei lex prima fundamentum poſteræ legis.
Te quidem ſignabat crediturum in lege ſecunda,
Nec minæ ex ipſo, ſed ex ipſa tibi potentes:
Obſtupe iam factus, iura te credere Chriſto.
Nam teſtamentum vetus de illo proclamat.
Credere enim opus eſt tantùm in ipſo defuncto
Reſurgere poſſe, viuere tempore toto.
Ergo ſi quis ea diſcredis eſſe futura,
Dummodo vincetur reus in morte ſecunda,
Euentura canam paucis in iſto libello.
Nam cognoſci poteſt vbi ſit ſpes anteponenda.
Tamen vos adhortor quantociùs credere Chriſto.

INGREDERE IAM NVNC TOTIENS INVITATVS] Inſtructione XXXIII. Intrate ſtabiles Silueſtri ad præſepe paſtoris. ¶ TEMPVS TOTIDEMQ. PARATVM) Totidem pro, etiam, conſimiliter. vt ſupra. ¶ EST DEI LEX PRIMA] Vetus Teſtamentum præ ſe tulit vmbras & ſacramenta ſiue myſteria Noui. ¶ NEC MINÆ [EX IPSO] Deo, ſcilicet. Nam te ſaluum fieri vult Deus. Ideoque poſita lege monſtrauit tibi viam ſalutis: quam ſi prauitate tua derelinquas, iam ipſa tibi via comminatur exitium. ¶ OBSTVPE IAM FACTVS) Varro in libris de re ruſt. dixit, Excande me fecerunt, & Conſue quoque faciunt, & Perferue ita fit. Ennius autem dixerat ——— ſaxo cere comminuam brum. ¶ VINCETVR REVS] Conuincetur. ¶ IN MORTE SECVNDA) Poſt corporis mortem, anima mortis æternæ pœnis addicta. Apoc. II. *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* Commod. Inſtr. 45. Inde qui merent, mittuntur in morte ſecunda. Tertullianus libro de Fuga in perſec. In ſtagno ſulphuris & ignis, quod eſt mors ſecunda.

15. *Repugnantibus aduerſus legem Chriſti Dei viui.*

Reſpuis infelix bonum diſciplinæ cæleſtis,
Et ruis in mortem dum vis ſine freno vagari.
Perdunt te luxuria & breuia gaudia mundi:
Vnde ſub inferno cruciaberis tempore toto.
Gaudia ſunt vana quibus oblectaris inepte.
Non illa te reddunt hominem fuiſſe defunctum?
Anni te non poſſunt iam triginta reddere doctum?
Neſcius ſi primum errasti, reſpice canum.
Tu putas nunc vitam iſtic perfrui lætam.
Iniurias inter. ibi ſunt damna tuorum,
Bella, vel infandæ fraudes, cum ſanguine furta,
Vlceribus corpus vexatur, gemiturque, ploratur,
Seu leues inuadit; aut longo morbo teneris,
Aut natis orbaris, aut perdita coniuge defles.
Deſeritur totum, heu ruunt dignitates ab alto,
Vitiis, pauperie, dupliciter certè ſi languis;
Et dicis vitam vbi vitrea vita mortalis.
Reſpice iam tandem hoc tempus irritum eſſe:
Sed in futuro tibi ſpes eſt ſine dolo viuendi.
Viuere volebant vtique paruuli rapti,
Sed vita priuati iuuenes ſeneſcere forte,
Lætitios dies, perfruique ipſi parabant;
Et tamen inuiti reponimus omnia mundo.
Gens & ego fui peruerſa mente moratus,
Et vitam iſtius ſæculi veram eſſe putabam;
Mortemque ſimiliter ſicut vos iudicabam adeſſe;
Cùm ſemel exiſſet animum periiſſe defunctum.
Hac autem ſic non ſunt, ſed conditor orbis & auctor.
Requiſiuit enim fratrem à fratre peremptum.
Impie dic, inquit, Vbinam frater. ille negauit.
Sanguis enim fratris ad me proclamauit in altum.
Torqueris video vbi nil ſentire putabas,
Ille autem viuit & loca dextera tenet;
Delicias fruitur, quas tu perdidiſti, nefande.
Et cùm reuocaſti ſæculum; & ille prægreſſus,
Immortalis erit, nam tu ſub tartara planges.

Viuit certè Deus, qui defunctos viuere fecit.
Innocuiſque bonis vt reddat præmia digna:
Veſanis autem & impiis tartara ſæua.
Incipe ſentire judicia Dei, ſeducte.

DISCIPLINA COELESTIS) Diuinæ, Chriſtianæ. ¶ NON ILLA TE REDDVNT H. P. D.) Cogitatio mortis non te reddit tibi? non te reuocat ad temetipſum? ad mentem ſanam? Fortean vero legendum, Terrebunt. Non te illa terrebit cogitatio? adſore tempus, vel intra paucos dies futurum te in ſtatu hominis defuncti, cuius anima corripietur à dæmone cruciandu. ¶ DVPLICITER CERTE ES LANGVIS) Si langues, ſi languore aliquo diuturno conſumeris; atque vt ſuprà dixit: ſi longo morbo teneris. Vnde illud: Genos eſſe miſericordiæ, citò occidi. ¶ VITREA VITA) Quod de fortuna dixit vetus Scriptor, hoc de vita humana veriſſime dicatur: Vita noſtra vitrea eſt, tunc quum ſplendet, frangitur. ¶ LAETIFICOS DIES) Lætitiæ, Lætificos, Lætos. Valde mihi ſuſpecta eſt iſtius vocabuli formatura, nec pronunciari quicqoam poteſt, niſi inſpecto codice antiquo. Vetus interpres Latinus Epiſtolæ quæ dicitur Barnabæ, ΕΥΦΡΟΣΥΝΗΝ vertit. *lætationem*. In edit. Pariſ. prauè legitur *legationem*. ¶ ILLE NEGAVIT) Etenim reſpondit, Neſcio. Negauit ſcire ſe quod certiſſimè ſciebat. nam ipſe recens adhuc erat à fratris nece. atque hoc mentitus Deo, in quem non cadit ignorantia, impudentiſſimè negauit Deum, & ſacrilego mendacio, Dei ſcientiam ſuffurari & quaſi occidere conatus eſt: optauit eripi Deo diuinitatem, ΤΟ ΘΕΙΟΝ. ¶ ET CVM REVOC. SECVLVM) Repugnans aduerſus Legem Chriſti, reuocaſti ſeculum, reuocaſti diabolum cui renunciaueras.

27. *Stulte, non permoreris Deo.*

Stulte, non permoreris, nec mortuus effugis Altum.
Tu licet diſponas nihil te ſentire defunctum,
Vinceris inſipiens, viuit Deus conditor orbis,
Legitima cuius clamant valere defunctos.
Tu autem dum præceps ſine Deo viuere quæris.
Extinctum in fatis iudicas & fatale credis.
Non ita diſpoſuit vt tu putas Deus æternus,
Obliuitos eſſe mortuos de geſto priore.
Nunc nobis imperitans fecit receptacula mortis,
Poſt cineres autem noſtros videbimus illa:
Exuere ſtulte qui putas per funera vt non ſis;
Rectorem dominumque tuum nil poſſe feciſti.
Mors autem in vacuum non eſt, ſi corde retractes.
Optandum noſcas, nam ſero ſenties illum.
Rector eras carnis, non te certè caro regebat.
Exemptus ab illa, reconditur illa, tu horſum:
Rectè mortalis homo ſeparatur à carne.
Idcircò non poterunt oculi mortales æquari.
Sic habet abyſſus noſter de Dei ſecreto.
Da nunc ergo Deo fragilis dum moreris honorem:
Et crede quod Chriſtus viuum te de mortuo reddet.
Omnipotenti laudes in Eccleſia reddere debes.

NON PERMORERIS DEO] Non ſic moreris, vt vel mortuus effugias Dei manus, vt iam in defunctum Deus non habeat quid faciat. ¶ VINCERIS INSIPIENS) Etiam inuitus inſipientiæ teneris. ¶ LEGITIMA CVIVS CLAMANT) Legitima dicit Leges & mandata Chriſti: diſciplina ex fide cuſtodita. ¶ VALERE DEFVNCTOS) Vocatos ſcilicet ad vitam æternam. ¶ OBLIVITOS ESSE MORTVOS) Obliuioni tradita eſſe quæ defunctus quiſque geſſit olim dum viueret in corpore. ¶ EXVERE STVLTE QVI PVTAS) Qui te per mortem ſic exui putas, vt iam ſis nullus, nec amplius tui ſuperſit quicquam. ¶ OPTANDVM NOSCAS] Illum videlicet Deum Patrem ac Dominum noſtrum. ¶ RECONDITVR ILLA) Sepulcro. ¶ TV.) Anima tua; principaliſſima pars tui. ¶ HORSVM) Horſum ſe capeſſit. ¶ NON POTERVNT AEQVARI] Diuinis.

28. *Iuſti reſurgunt.*

Iuſtitia & bonitas, pax & patientia vera
Viuere poſt fata faciunt, & cura de actu.
Subdola mens autem, noxia, perfida, praua,
Tollit ſe in partes, & fera morte moratur.
Impie nunc audi, quid per malefacta lucraris,
Reſpice terrenos iudices, in corpore qui nunc
Excruciant pœnis diros, aut ferro parantur
Supplicia meritis, aut longo carcere flere.
Vltime tu ſperas Deum irridere cæleſtem,
Rectoremque poli, per quem ſunt omnia facta?
Graſſaris, inſanis, detractas nunc & Dei nomen;
Vnde non effugies. pœnas per factaque ponet.
Nunc volo ſis cautus, ne venias ignis in æſtum.
Trade te iam Chriſto, vt te benefacta ſequantur.

CVRA DE ACTV) Suprà dixit: *de geſto priore*. ¶ EXCRVCIANT POENIS DIROS) Sic de ipſo Chriſto, Inſtr. 36. *per crucem dirus*. Gloſſæ veteres: *Dirus*, ΘΕΟΧΟΛΩΤΟϹ, ΔΕΙΝΟϹ. *Diritas*, ΔΕΙΝΟΤΗϹ. Aliæ Gloſſæ: ΔΕΙΝΟϹ, Malitioſus, *iniquus*, *ſæuus*, *trux*, *acerbus*, *atrox*. ΔΕΙΝΟΠΟΙΩ, *acerbo inacerbo*. Et alibi: ΘΕΟΧΟΛΩΤΟϹ *Deiratus*, *ms. deo iratus*. Et apud Feſtum: Dirus *de ira natus*, Iuuenialis, *dis ille iratis genitus*.

29. *Diuiti incredulo malo.*

Differes diues nimium tua cuncta videndo
Inſatiabiliter, quibus adhuc adhærere quæris.
Viuere poſt iſta, dicis, non ſpero defunctus.
Ingrate ſummo Deo, qui ſic Deum iudicas eſſe.
Te qui neſciente protulit, deinde nutriuit;
Ipſe prata tua gubernat, vineas ipſe,
Ipſe gregem pecorum, & quicquid poſſides ipſe.
Nec iſtis attendis, aut tu regis omnia forte.
Cælum hoc & terram & maria ſalſa qui fecit,
Reddere decreuit nos ipos in aureo ſeclo;
Et modo ſi credis viuitur in Dei ſecreto.
Diſce Deum, ſtulte, qui vult te immortalem adeſſe,
Vt gratias illi referas in agone perennes.
Lex docet ipſius, ſed quia vagari tu quæris,
Omnia diſcredis, & inde in tartaros ibis:
Mox animam reddis, duceris quò te pœnitet eſſe.
Adluitur ibi pœna ſpiritalis æterna;
Lugia ſunt ſemper, nec permoreris in illa,
Omnipotentem Deum iam nunc ibi ſero proclamans.

IN AVREO SECLO) In aurea Ieruſalem. illo ſcilicet millenario inoffenſæ felicitatis curriculo. ¶ IN DEI SECRETO) Suprà dixit: *Sic habet abyſſus noſter de Dei ſecreto.* ¶ LVGIA SVNT SEMPER) Fletus & ſtridor dentium.

30. *Diuites humiles eſtote.*

Diſce moriture bonum te oſtendere cunctis.
In medio populi quid te facis alterum eſſe?
Vadis vbi neſcis, & inſcius inde recedis.
Impie tractas, cum ipſo corpore ſitis
Tu ſemper diuitias. nimium te tollis in altum;
Et typhum ducis, nec reſpicis pauperes vltro.
Subditos nunc vobis, nec parentes paſcitis ipſos.
Heu miſeri! fugiant longiùs mediocres à vobis.
Vixit. &, Extinxi. Pauper EVPHKA clamat.
Mox furiis ageris, cùm pereas ipſe, Charybdis.
Indiſciplinati ſic vos diuites eſtis.
Legem datis iſtis, non vobis paratis ipſis.
Exue te diues tantis malis, Deo peruerſus,
Subueniat vtique tibi quod nunc operaſti, ſi forte.
Eſtote comes minimis, dum tempus habetis,
Sicut vlmus amat vitem, ſic ipſi puſillos.
Terribilem legem malis, bonis æquè benignam
Obſerua nunc ſterilis, ſubtutus in proſperis eſto:
Tollite corda fraudis diuites, & ſumite pacis.
Et ſpectate malum veſtrum. Benefacitis? Adſum.

PAVPER EVPHKA CLAMAT) In apographo: *Vixit & extinxit pauper Ebrea clamor.* Emendatio præclara: Vixit, &, Extinxit. *Pauper* EVPHKA *clamat.* Ait Commodianus verſu præcedenti *Heu miſeri! fugiant longius mediocres à vobis.* diuitibus, ſcilicet. Deinde diuitem inducit obloquentem in funere pauperis, quaſi dum viueret importuni, ac nimium inſtantis: Abegi tandem magnam à me moleſtiam: Vixit putidus ille Lazarus. Extinxi miſerum. Tum de pauperis anima corpore exuta & iam in cælum adſumpta, Pauper, inquit Commodianus, EVPHKA clamat quod eſt, Inueni quod optaueram, quod petieram à Domino: Teneo viam qua itur in cælum. Sicautem in ipſa lapidatione Stephanus, Video cælos apertos &c. ¶ FVRIIS CHARYBDIS) Angelis Satanæ in inferni voragine, vbi non eſt ſubſtantia, ſed inenatabile profundum. ¶ OBSERVA NVNC STERILIS) De ſterilibus Chriſtianis dicetur Inſtr. 51. ¶ BENEFACITIS? ADSVM) Hoc ex perſona Dej miſericordiam offerentis, & reſipiſcenti gratiam atque auxilium præſentiſſimum ſuggerentis, ſeipſum videlicet omnimodæ felicitatis auctorem.

31. *Iudicibus.*

Intuite dicta Salomonis, iudices omnes,
Vno verbo ſuo qualiter vos ille detractat.
Dona quam & xenia corrumpunt iudices: inde
Inde ius ſequitur. datores ſemper amatis.
Cúmque erit cauſa, victoriam tollit iniqua.
Innocens ſic ego ſum, nec vos incuſo puſillus,
Blaſphemium tollit Salomon quia aperte.

Vobis autem deus eſt venter & præmia iura.
Suggerit hoc Paulus Apoſtolus, nòn ego duplex.

VICTORIAM TOLLIT INIQVA] In apographo legitur, *victoria* tollit iniquam. ¶ BLASPHEMIVM TOLLIT SOLOMON] Sic in apographo legitur, vt ſuprà, Ignominium & Infamium, Inſtr.

32. *Sibi placentibus.*

Si locus aut tempus fauet, aut perſona prouexit;
Iudex eſto nouus, quid nunc extolleris inde?
Blaſphemas indocilis, de cuius præſtantia viuis
In fragilitate tanta non reſpicis vnquam.
Per gradus & lucra auidus fortunæ præſumis;
Lex tibi non vlla eſt, nec te in proſperitate dinoſcis.
Auro licet cenſeantur, bacchent aulica ſemper;
Cruciarium Domini ſi non adoraſti, periſti.
Et locus & tempus & perſona tibi donatur
Nunc, ſi tamen credis: ſin autem, pro eo timebis,
Tempera te Chriſto; & ceruicem illi depone.
Iſti honor remanet & tota fiducia rerum.
Blanditur quando tibi tempus, cautior eſto.
Vltima fatorum non prouidens quæ te oportet,
Sine Chriſto reuiuiſcere non potes vnquam.

IVDEX ESTO NOVVS] Nouum magiſtratum adeptus. ¶ DE CVIVS PRÆSTANTIA] Dei qui tanta tibi tam liberali manu præſtat. ¶ CRVCIARIVM DOMINI] Sic legitur in apographo: Cruciatum Domini, Crucem Chriſti, Chriſtum crucifixum. ΤΟΝ ΜΕΓΑΝ ΕΚΕΙΝΟΝ ΤΟΝ ΕΝ ΤΗ ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗ ΑΝΑCΚΟΛΟΠΙCΘΕΝΤΑ Pro Cruciario, Græci dixere Martyrium: quo nomine vocitatam fuiſſe baſilicam, à Conſtantino Cæs. magnificè exultam, narrat Eucherius Ep. Lugdunenſis libello, de Vrbis Hieroſolymitanæ ſitu. Ex eo vero in Vaticana libello, doctiſſimus Iac. Sirmondus obſeruauit alteram quoque Baſilicam eiuſdem Conſtantini erectam fuiſſe, appellatamque proprio nomine, Anaſtaſin. Hanc certè Latini ſcriptores eo iure nuncupauerint Reſurrectionem, quo iure Græci Crucem dixere Martyrium, baſilicæ illius nomen, cuius præcipuè mentionem fecit Eucherius. Porrò vocabulum illud, ΑΝΑCΤΑCΙΝ, pro ipſa fidelium reſurrectione, Commodianus noſter ad ſua Latina tranſtulit, Inſtr. XLIIII. Nemo tamen idcircò baſilicæ quoque nomen fuiſſe negauerit. Sed nummum ſub Conſtantino cuſum, cuius pars anterior exhibet viri, abſque nomine vllo, vultum; poſterior verò, templi inter duos milites ſtructuram Chriſti Domini effigiem præferre; non alio magis argumento probabitur, quàm quod Chriſtus ipſe dixerit deſtructurum ſe templum hoc, ſeipſum demonſtrans, & triduo poſt reparaturum; hoc eſt, ſe quoque ipſum reſurrecturum, ſignificans. Abſque illo certe ſignificatu, aduerſus eos qui forte vultum illum eſſe negauerint Chriſti, multo leuioribus aget coniecturis qui contradicet. Iam ſi veram illic eſſe Chriſti effigiem, perque annos trecentos ſeruatam fuiſſe archetypi fidem credimus, cur tamdiu premitur res tanto ſtudio cultuque Chriſtianis omnibus conſpicienda? cur autem apud illos tamdiu latuit, qui tam formoſum ſibi depingi Chriſtum volunt? Etenim Sirmondus, qui nummum vidit, hoc tantum ait, faciem eſſe viuidam & grauem. Auſteram alicubi dixi, vt ſic quam minime derogatem traditionibus Patrum primo illo Chriſti ſeculo proximorum, quibus nec pudori fuit neque fraudi, neque item odio, ΤΟ ΔΥCΕΙΔΕC, ΤΟ ΑΕΙΔΕC, ΤΟ ΕΥΤΕΛΕC ΚΑΙ ΤΗΝ ΟΨΙΝ ΑΙCΡΟΝ. ¶ TEMPERA TE CHRISTO] Obtempera Chriſto: Compone vitam tuam ad Chriſti leges, ſecundùm mandata Chriſti.

33. *Gentilibus.*

Gens ſinè paſtore ferox, iam noli vagare.
Et ego qui moneo idem fui, neſcius, errans.
Nunc ideò Domini figuram ſumite veſtri:
Tollite corda fera & exaſperata ſurſum:
Intrate ſtabiles Silueſtri ad præſepe paſtoris,
Latronibus tuti ſub regia tecta manentes.
In ſilua lupi ſunt, ideò refugite ſub antro,
Bellaris, inſanis, nec reſpicis vbi moraris.
Vni crede Deo, vti mortuus viuere poſſis;
Surgas & in regno cùm fiet reſurrectio iuſtis.

GENTILIBVS) Omnibus quidem; ſed iis præſertim qui adhuc per Italiam paſſim & Romæ ſæuiebant in Chriſtianos, aut Chriſti nomen ſiue diſciplinam oderant ac deridebant. ¶ DOMINI FIGVRAM SVMITE VESTRI) Induite Chriſtum Dominum. Paul. ad Rom. 13. & ad Gal. *In baptiſmo Chriſtum induiſtis*. Sumite figuram, characterem Chriſti; Hoc Seruate mandata & præcepta: Ipſe Chriſtus, Matth. 11 *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*. Vnde ſubiungit Commodianus: *Tollite corda fera*. ¶ TOLLITE CORDA SVRSVM) Allùdit ad ſolennem formulam, Surſum corda; ¶ INTRATE STABILES) In apographo, *Intrate ſtabilis ſilueſtri ad præſepia tauri*. In promptu fuit emendatio: *Intrate ſtabiles Silueſtri ad præſepe paſtoris*. Quæ verba ad Eccleſiæ Romanæ præſtantiam faciunt non mediocriter. ¶ SVB REGIA TECTA) In Eccleſia Chriſti. ſub Rege Chriſto. ¶ REFVGITE SVB ANTRO) In cryptis Eccleſiæ Chriſtianæ. Et fortean alludit ad illud temporis, quo Silueſter, ad montem Sorractem cum ſuis clericis delituiſſe creditur.

19. *Item Gentilibus ignaris.*

Indomita ceruix reſpuit iugum ferre laboris;
Tunc iuuat in campis craſſis ſatiari ſiliquis,
Et tamen inuita domatur vtilis equa,
Minuiturque ferox eſſe, primum dedomata.

Gens, homo, tu frater, noli pecus eſſe ferinum,
Erue te tandem, & tecum ipſe retracta;
Non vtique pecus, nec beſtia es, ſed homo natus;
Tu te ipſe doma ſapiens, & intra ſub arma,
Idola qui ſequeris, nihil niſi vanitas æui,
Leuia vos corda perdunt pænè liberatos.
Ibi aurum veſtes argentum vlnis refertur;
Bellatur ibi, dein cantatur pro pſalmis Amor.
Vitam eſſe putas vbi ludis, aut proſpicis iſta?
Sortiris ignare extincta, aurea quæris,
Inde non effugies peſtem, licet ipſe diuinus.
Gratiam quam miſit Dominus in terra legendam,
Non requiris eam, ſed ſic quaſi beſtius errans.
Aurea præfata venient tibi ſecla ſi credis,
Rurſus & incipies immortale viuere ſemper.
Illud quoque datur ſcire quod antè fuiſti,
Subiectum te præbe Deo, qui cuncta gubernat.

CRASSIS SATIARI SILIQVIS) Hor. Epiſtolar. II. Ep. I. ——— *viuit ſiliquis & pane ſecundo.* ¶ DOMATVR VTILIS EQVA) Hoc exemplo Philoſtratus narrat Apollonii fratrem à fratre ſuo iuniore fuiſſe correctum. ἈΚΕΙΝΟΝ ΜΕΝ ὩCΠΕΡ ΟΙ ΚΑΤΑΨΩΝΤΕC ΤΟΥC ΔΥCΗΝΙΟΥC ΤΕ ΚΑΙ ΜΥ ΕΥΑΓΩΓΟΥC ΤΩΝ ἸΠΠΩΝΕC ΠΕΙΘΩ ΗΓΑΓΕ ΚΑΙ ΜΕΤΕΡΡΥΘΜΗCΕ ΤΩΝ ΑΜΑΡΤΗΜΑΤΩΝ, &c. lib. I. cap. 10. ¶ INTRA SVB ARMA] In caſtris Chriſtianorum: fias miles Chriſti, in Eccleſia Chriſti. ¶ BESTIVS) De beſtia fecit maſculinum Beſtius. ¶ AVREA PRÆFATA) Hic etiam fabulam ingerit Millenariorum, ſiue aureæ & gemmatæ Ieruſalem.

35. *De ligno vitæ & mortis.*

Adam protolapſus, vt Dei præcepta vitaret,
Belias tentator fuit de inuidia palmæ,
Contulit & nobis ſeu boni ſeu mali quod egit,
Dux nati natiuitatis, morimur indeque per illum;
Ex diuino ipſe vt recedens exul à verbo.
Finitis ſex millibus annis immortales erimus.
Guſtato pomi ligno mors intrauit in orbem:
Hoc ligno mortis generamur vitæ futuræ.
In ligno pendet vita ferens poma, præcepta.
Cauete nunc vitalia poma credentes.
Lex à ligno data eſt homini primitiuo timenda,
Mors vnde prouenit neglecta lege primordi:
Nunc extende manum & ſume de ligno vitali.
Optima lex Domini ſequens de ligno proceſſit
Perdita lex prima, guſtat vnde licet illi
Qui deos adorat vetitos, mala gaudia vitæ.
Reſpuite guſtum, ſufficiet ſcire quod eſſet.
Si viuere vultis, reddite vos legi ſecundæ.
Templorum culturas, dæmonum fata vitate.
Vertite vos Chriſto, & eritis Deo ſodales.
Xanta Dei lex eſt quæ mortuos viuere docet.
Ymnum ſibi ſolus Dominus proferre præcepit,
Zabolicam legem omnes omninò vitate.

ADAM PROTOLAPSVS) Alludit ad protoplaſtum. ¶ BELIAS TENTATOR] Diabolus, beſtia pro ſerpens. Sic Inſtr. 53. *Tu tibi praterea in Beliam parcere noli.* ¶ LEGE PRIMORDI.] Legem primordialem dixit Tertul lib. adu. Iud. cap. 2. ¶ OPTIMA LEX DOM. SEQVENS] Lex ſecunda: Nouum Teſtamentum, Euangelium. ¶ REDDITE VOS &c.] Sic ſuprà, Inſtr. 26. Non illa te reddunt. ¶ DÆMONVM FATA] Oracula idolorum, idololatrarum præſtigias. ¶ XANTA DEI LEX EST] Sancta. ſic Xantones, Santones. Elias Vinetus ad Auſonii Epiſt. XI.

36. *De Crucis ſtultitia.*

De duplici ligno dixi, mors vnde proceſſit;
Et iterùm inde procedere vitam frequenter,
Crux autem ſtultitia facta eſt adulteræ genti:
Rex æternitatis per crucem dirus adumbrat,
Vt ſibi nunc credant, ô ſtulti morte viuentes!
Cain iuniorem occidit nequam repertus:
Inde Enoch ſuboles Caïnæa nati feruntur;
Sic gens iniqua increuit mundo quæ numquam

Tranſmittit animos in Deum : Credere crucem
Venit in horrorem, & dicunt ſe viuere rectè.
Lex in ligno fuit prima, & inde ſecunda.
Terribilem legem primo, cum pace reuenit.
In præuaricationes vanas elati ruerunt:
Traiectum clauis Dominum cognoſcere nolunt:
Iudicium cuius cùm venerit, ibi dignoſcent.
Abel genus autem credit modo Chriſto benigno.

DE CRVCIS STVLTITIA] Aut compoſito vocabulo legendum, *cruceſtultitia*. ΣΤΑΥΡΟΜΟΡΙΑ; aut deerit acroſtichidi verſus ¶ CRVX AVTEM STVLTITIA FACTA EST] Paulus ad Corinth. ΕΛΛΗΣΙ ΜΩΡΙΑ. Hic vero Commodianus vniuerſim ad omnes gentes quæ idola colunt vt per gentem adulteram ſignificet Cainæam ¶ PER CRVCEM DIRVS ADVMBRAT] vt ſuprà, *obumbrant populum ſimplicem*. Cruce ſua Chriſtus ſapientes ſæculi pro ſtultis & fatuis habuit. Adumbrauit eos diritate Crucis, tam admiranda diuinæ maieſtatis patrans facinora. ¶ INDE ENOCH SVBOLES CAINÆA] In apographo legitur: *Inde Nobel ſuboles Cananai*. De iſto Enoch Euſebius, priore Chronicorum libro, quem edidit Scaliger. *Iſte Enoch alter eſt; non qui tranſpoſitus eſt vt non moriatur. ille enim filius eſt Iareth ſeptimus ab Adam.* ¶ ABEL GENVS AVTEM] Imo genus Sethi, quem ipſe Adamus ait poſitum ſibi à Deo fuiſſe ſemen aliud pro Abele quem occiderat Cainus. Lucas, ad Sethum, non ad Cainum, Chriſti genealogiam refert. Quæ autem de mixigamia filiorum hominum cum filiis Dei, qui & Egregori paſſim in ſcriptis veterum reperiuntur, tot fabulatum intricata ſunt commentis, vt quid adfirmari liquidò poſſit minimè diſcernant etiam perſpicaciſſimi. Videatur Suidas, in vocabulo, ΜΙΞΙΓΑΜΙΑ, cum Excerptis Scaligerianis ex Enochi libro I. & Collectaneis Petauianis, volumine de Angelis.

37. *Qui iudæidiant fanatici.*

Quid ? medius iudæus, medius vis eſſe profanus?
Vnde non effugies iudicium Chriſti defunctus.
Ipſe cœcus eras, & ad cœcos intras, inepte:
Idcircò cœcum cœcus in foſſam deducit:
Vadis vbi neſcis, & inſcius inde recedis.
Diſcentes ad doctos eant, doctique recedant.
At tu ad eos vadis, vnde nihil diſcere poſſis.
Exis pro foribus, inde & ad idola vadis.
Interroga primum quid ſit in Lege præceptum;
Dicant illi tibi ſi iuſſum eſt deos adorare.
Ignorantur enim propter quod maximè poſſunt.
At illi quoniam rei ſunt, ex ipſo delicto
Nihil de præceptis Dei niſi mirabile narrant.
Tunc tamen in foſſam ſecum vos cæci deducunt.
Funera ſunt, nimium de illis nota referre.
Aut quia concludit agrum congeſtus aratri.
Noluit omnipotens illos intelligere Regem;
A ſcelere tanto refugit ipſe cruentus.
Tradidit ſeſe nobis ſuperaddita Lege,
Inde modo laritant nobiſcum rege deſerti.
Ceterùm in illis ſi ſpem eſſe putatis,
In totum erratis ſi Deum & fana colatis,

QVI IVDAIDIANT FAN.] Iudaizant. In antiquiſſimis Cypriani Codicibus Concil. Carthag. Exorcidiare, pro, Exorcizare. Sic & Inſtr. 25. Zabolicam legem, pro Diabolica. & paſſim Zacones, pro Diacones. ¶ FVNERA SVNT] Alludit ad vulgatum illud, ΔΙΣ ΚΡΑΜΒΗ ΘΑΝΑΤΟΣ. Crambe repoſita mors eſt. Occidit miſeros Crambe repetita magiſtros. ¶ AVT QVIA CONCLVDIT AGRVM CONG. AR.] Acroſtichidos modus non capit plura. ¶ A SCELERE TANTO] Scelus intelligit Iudæorum qui Regem ſuum Dominum noſtrum crucifixère. ¶ REFVGIT IPSE CRVENTVS] In ipſa Cruce Chriſtus conſummatis omnibus quæ Pater mandauerat, abdicauit populum ingratum, conuertitque ſeſe ad Nationes exteras. Cruentum hic dicit, quem ſuprà, *dirum*.

38. *Iudæis.*

Improbi ſemper & dura ceruice recalces,
Vinci vos non vultis, ſic exhæredes eritis.
Dixit Eſaias incraſſato corde vos eſſe.
Aſpicitis Legem quam Moſes alliſit iratus.
Et idem Dominus dedit illi Legem ſecundam,
In illa ſpem poſuit, quod vos ſubſannati reicitis.
Sed ideò digni non eritis regno cæleſti.

VINCI VOS NON VVLTIS] Sic ſuprà, Inſtr. 27. *Vinceris inſipiens*. At inſipiens, cum vinci ſe patitur, reſipiſcit. Iudæi qui recalcitrant, vinci nolunt

39. *Item Iudæis.*

Inſpice Liam typum Synagogæ fuiſſe:
Tam infirmis oculis, quam Iacob in ſigno recepit;
Et tamen ſeruiuit rurſum pro minore dilecta.
Myſterium verum & typum Eccleſiæ noſtræ.
Intuite plenè dictum Rebeccæ de cælo:
Vnde ſimilantes alienæ, Chriſto credatis:
Deinde Thamar partum geminorum adite:
Ad Caïn intendite, primum terræ cultorem,
Et Abel paſtorem qui fuit immaculatus
In fratris exitio offertor mactatus à fratre.
Sic ergo percipite, iuniores Chriſto probatos.

INSPICE LIAM] His argumentis pugnant Iuſtinus, Tertullianus, Cyprianus & alii Patres Chriſtiani aduerſus Iudæos. ¶ TAM INFIRMIS OCVLIS] Cyprianus: *Maiorem Liam oculis infirmioribus.* Sulpitius Seuerus, *Lia oculis deformior* Hancce Liam Commodianus ait typum Synagogæ fuiſſe: at Rachelem iuniorem & pulcriorem, Eccleſiæ Chriſtianæ. Quæ ſane comparatio decutit ſupercilium Iudæorum qui Synagogæ anguſtias, Eccleſiæ latitudini præferebant. Hieronymus, Epiſt. ad Dardanum 116. ¶ QVAM IACOB IN SIGNO RECEPIT] Suppoſitam ſibi, pro Rachele quam diligebat. ¶ IN SIGNO] Myſterio & figura, veteris Teſtamenti. ¶ PRO MINORE DILECTA] In apographo *pro minore delicto.* Mendosè, Cyprianus: *Minorem ſpecioſam, in typum Eccleſiæ.* ¶ SIMILANTES ALIENÆ) Virgil. ——— formam adſimilata Camerti.

40. *Iterum ipſis.*

Incredulus populus, non eſt niſi veſter, iniqui,
Tot locis & totiens reprobatus lege clamantum,
Et ſabbata veſtra ſpernit & tricenſimas Altus
Reſpuit omninò vniuerſas veſtras de Lege,
Vt ne ſacrificia faceretis illi præcepta;
Mittere qui dixit lapidem in ſcandalo veſtro.
Iniqua ſi qui non crediderint morte periiſſe;
Perque alias leges ſaluari dilectos: inde
Suſpenſam in ligno vitam, nec illi creditis,
Ipſe Deus vita eſt, pependit ipſe pro nobis.
Sed vos indurato corde ſubſannatis eumdem.

LEGE CLAMANTVM) Scriptis Prophetarum. Sic Inſtr. 56. Si propheta tantum declamaſſet in nube. ¶ ALTVS) Qui & Altiſſimus. ¶ INIQVA MORTE PERISSE) Mortuum eſſe: ſublatum de rebus humanis. Humano, ſeu potiùs Ethnico more loquitur. Neq. enim periſſe dici debet qui à mortuo tertia die reuixit.

41. *De Antichriſti tempore.*

Dixit Eſaias: Hic homo qui commouet orbem,
Et reges totidem, ſub quo fiet terra deſerta:
Audite quoniam propheta de illo prædixit:
Nihil ego compoſitè dixi, ſed neglegendo.
Tum ſcilicet mundus finitur, cùm ille parebit,
In tres imperantes ipſe diuiſerit orbem,
Cùm fuerit autem Nero de inferno leuatus,
Helias veniet priùs ſignare dilectos.
Res quas Africæ regio & Arctoa natio tota
In ſeptem annis tremebit vndique terra,
Sed medium tempus Helias, medium Nero tenebit.
Tunc Babylon meretrix incineſacta fauilla,
Inde ad Ieruſalem perget, victorque Latinus,
Tunc dicet, Ego ſum Chriſtis, quem ſemper oratis.
Et quidem conlaudant illum primitiui decepti,
Multa ſigna facit quoniam eius pſeudopropheta.
Præſertim vt credant illi loquetur imago,
Omnipotens tribuit vt talis euadat,
Recapitulantes ſcripturas ex eo Iudæi
Exclamant pariter ad excelſum ſeſe deceptos.

DIXIT ESAIAS] Quæ ſequuntur non ſunt apud Eſaiam, vt iam iſthinc veriſſima ſit Auctoris præfatio: Nihil ſe compoſitè dixiſſe. Sed eſt tamen apud Eſaiam de Noua Ieruſalem locus qui ab Iuſtino Martyre aduerſus Tryphonem citatur pro tempore illo Mille annorum. Et eſt prophetiæ cap. 65. ¶ QVI COMMOVET ORBEM, ET REGES TOT] Commouet orbem & conſimiliter Reges. Iam ſæpè obſeruauimus hanc particulam *totidem* in hoc ſignificatu. ¶ NERO DE INFERNO LEVATVS] Sic Inſtr. 61. *de cloaca leuatus.* Depravatiſſimè in apog. *Herode inferno leuatus.* ¶ MEDIVM NERO TENEBIT] Sulp. Seuerus Hiſt. 11. Opinione multorum receptum fuiſſe ait, ipſum Antichriſtum venturum,

¶ TVNC BABYLON MERETRIX) Quæ in Apocalypſi Ioannis habet in fronte nomen, Myſterium; Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Tertullianus lib. aduerſ. Iudæos, *Babylon apud Ioannem noſtrum Romanæ vrbis figura eſt. Proinde & magnæ & ſuperbæ & ſanctorum debellatricis.* Auctores finium regundor. Babylonem Romam dixere: vbi & obſeruauimus quæ huc pertineant pag. 271. & 123. ¶ VICTORQ. LATINVS] Irenæus lib. 5. cap. 25. Sed & Latinos nomen ſexcentorum ſexaginta ſex numerum. *Et valde veriſimile eſt quoniam* veriſſimum regnum hoc habet *vocabulum: Latini enim ſunt, qui* nunc regnant. Sed non *in hoc nos gloriabimur*, &c. Quam iſte Latinus ab illo Silueſtro diuerſus! ad cuius præſepe cunctos conuocat Chriſtianos Inſtr. xxx. ¶ PRIMITIVI DECEPTI] Sic Inſtr. 35. *homini primitiuo.* ¶ LOQVETVR IMAGO) Apoc. XIII. 15. Hoc etiam de Apollonii Thyanæi imagine narratur. ¶ A RECAPITVLANTES EX EO SCRIPTVRAS] Heſychius: ΑΝΑΚΕΦΑΛΙΟΥΤΑΙ, CΥΜΠΛΗΡΟΥΤΑΙ, ΕΠΑΝΑΛΑΜΒΑΝΕΙ. Frequenter vſurpat hoc verbum Irenæus, lib. 5. cap. 151. de ipſo Chriſto: *recapitulans*, inquit, *in ſe omnia quæ in cælis, & quæ in terra ſunt.* Et paulò poſt: *hic igitur in ſemetipſo recapitulatus eſt, adunans hominem Spiritui.* &c. Tertul. lib. v. adu. Marc. *Sicut verbum illud in Græco ſonat, recapitulare, id eſt, ad initium redigere, vel ab initio recenſere omnia in Chriſtum* Eſdr. IIII. 11. 25. *qui recapitulabunt impietates eius, & qui perficient nouiſſima eius.*

42. *De populo abſconſo ſancto omnipotentis Chriſti Dei viui.*

Deſideretur abſconſus vltimus ſanctus,
Et quidem ignotus à nobis vbi moretur.
Per nouem tribum agens & dimidiam nobis
O . . . .
Præcepitque per Legem viuere priſcam:
Viuamus nunc omnes nouella traditio legis,
Lex vt ipſa docet aptius iudico vobis.
Obrelictæ duæ tribuum & dimidia, quare
Ab iſtis dimidia tribuum? vt martyres eſſent
Bellum cùm inferret electis ſuis in orbem.
Seu certè ſanctorum chorus prophetarum
Conſurgeret ad plebem, qui frenum imponeret illis,
Obſceni quos equi trucidarunt calce remiſſa.
Nec rueret temerè ad pacem manus aliquando.
Semotæ ſunt iſtæ tribuum, & myſteria Chriſti
Omnia per iſtas complentur ſæculo toto.
Sunt autem de ſcelere duorum fratrum enatæ,
Auſpicio quorum facinus ſecutæ fuêre.
Non immeritò tales diſperſi ſunt ipſi cruenti
Conuenient iterùm propter myſteria Chriſti.
Tunc autem properant compleri Legis narrata.
Omnipotens deſcendit Chriſtus ad ſuos electos,
Obſcurati nobis qui fuerunt tempore tanto:
Millia tot facti, illa eſt gens vera cæleſtis.
Non natus ante patrem moritur ibi, neque dolores
In ſuis corporibus ſentiunt, aut tubera naſo.
Pauſantes in lecto ſuo maturè recedunt,
Omnia complentes Legis. ideòque tutantur.
Tranſire iubentur ad Dominum partibus dextris,
Exſiccat fluuium quibus ſicut ante traiectis
Nec minus & dominus ipſe procedit cum illis,
Tranſiit ad noſtra, veniunt cum rege cæleſti.
In quorum itinere quid dicam quod Deus educet?
Subſidunt montes ante illos & fontes erumpunt,
Cæleſtem populum gaudet creatura videre.
Hic tamen feſtinant matrem defendere captam.
Rex autem iniquus qui obtinet illam, vt audit,
In partem boreæ fugit & colligit omnes.
Sed cùm ſe inlidet exercitu Dei tyrannus
Terrore cæleſti proſternuntur milite cæli;
Ipſe cum infando comprehenditur pſeudopropheta,
Decreto Domini traduntur viui gehennæ.
Ex eo primores & duces ſeruire iubentur.
Intrabunt tunc ſancti ad antiquæ vbera matris,
Vt autem & illi refrigerent quos malè ille ſuaſit,
In variis pœnis cruciabit ſibi credentes.
Ventum eſt ad finem quo tolluntur ſcandala mundo,
Incipiet Dominus iudicium dare per ignem.

SANCTORVM CHORVS PROPHETARVM] Synodus Epiſcoporum. ¶ OBSCENI QVOS EQVI) Carpit Nouati & Nouatiani ſcelera, qui abſtenti eiectique Eccleſia plebem aduerſus Epiſcopos ſuos accenderant. Vid. Cypriani Epiſtolam 49. ¶ NEC RVERET TEMERE AD PACEM] Hoc pertinet ad hiſtoriam Lapſorum & Schiſmaticorum, qui factioſis prenſationibus Epiſcopos perurgebant, vt pacem indignis etiam inuiti concederent. ¶ DE SCELERE DVOR. FRATRVM) Quondam fratrum, hodie apoſtatarum. ¶ CRVENTI) Truces, diri, atroces. ¶ PROPTER

MYSTERIA CHRISTI] In apographo: propter myſteria caſtus. ¶ COMPLERI LEGIS NARRATA) Hac loquendi formula vſus eſt, deque antichriſto & fine ſeculi conſectanea Commodiano ſcrib. ſit, circa annum Chr. 260. Q. Iulius Hilario: *Si nos imperio Dei, quod fidele eſt, audiamus, accipiamus neceſſe eſt quicquid nobis diuina Lex fideliter enarrauit*, &c. ¶ AVT VBERA NASO) In apog. *vbera nato*, praué. Ozænam ſignificat, vel potius Polypum. Ozæna, malum vlcus in naſo, à polypo piſce nuncupatum; & eſt ΚΑΡΚΙΝΩΔΕC, nares vrget & ſtrangulat. ¶ PAVSANTES IN LECTO) Inſcriptio vetus Mediolani AVRELIVS. EVSEBIVS, MATRI. CONTRA. VOTVM. FIDEL. PAVSANT, Gruterus, pag. ML. 9. ¶ TRANSIRE IVBENTVR AD DOM.) Sic in Inſcriptione antiqua, Viennæ Allobrogum. ¶ TRANSIIT SVB DIE.... OBRIS. FAVSTO. VIRO. C........... CONSS.... PROSTERNVNTVR MILITE COALI) Vid. Apoc. XIX. 19. In apographo legitur, *proſternuntur milites Eli*. ¶ PSEVDOPROPH) Apoc. XIX. 20 ¶ PRIMORES AC DVCES SERVIRE) Infrà dicet: *Sub iugo ſeruili portent victualia collo* ¶ IVDICIVM DARE PER IGNEM) Tertullianus, lib. de reſur. car. cap. 25. Dehine & igne dato, vniuerſalis reſurrectionis cenſura de libris iudicabitur.

43 *De ſæculi iſtius fine.*

Dat tuba cælo ſignum ſublato leone
Et fiunt ſubitò tenebræ cum cæli fragore;
Summittit oculos Dominus vt terra tremiſcat;
Adclamat vt & audiant omnes in orbem:
Ecce diu tacui ſufferens tanto tempore veſtra:
Conclamant pariter plangentes ſerò gementes;
Vlulatur, ploratur, nec ſpatium datur iniquis:
Lactanti quid faciet mater! cùm ipſa crematur.
In flamma ignis dominus iudicabit iniquos:
Iuſtos autem non tanget ignis, ſed immò delinget.
Sub vno morantur, ſed pars in ſententia fleuit.
Tantus erit ardor vt lapides ipſi liqueſcant;
In fulmina coeunt venti, furit ira cæleſtis,
Vt quacumque fugit impius occupatur ab igne;
Suppetium nullum erit, nec nautica puppis:
Flammat Amen gentes, & Medi Parthique feruent;
In annis mille, vt ferunt operta Ioannis.
Nam inde poſt annos mille gehennæ traduntur,
Et fabrica cuius erant cum ipſa cremantur.

DE SECVLI FINE) Clauſulam temporum dixit Tertul. lib. de reſur. car. Alibi: Clauſulam ſacrificationis & gloriæ ſecularis. ¶ SVBLATO LEONE) Hunc fore Neronem opinabantur Chriſtiani. Sulp. Seuerus, Dial II. vbi de iis quæ angelus beato Martino nunciauerat. Cùm ab eo de fine ſeculi quæreremus, ait nobis: *Neronem & Antichriſtum prius eſſe venturos, &c.* Et paulo poſt, *Denique Neronem ab Antichriſto eſſe perimendum* &c. ¶ IN FLAM. IGNIS) Paulus II. ad Theſal. 8. ΕΝ ΠΥΡΙ ΦΛΟΓΟC. Apocal. XIX. 12. ΦΛΟΞ ΠΥΡΟC ¶ FLAMMAT AMEN) Amen. Verbum Dei. quo ipſe Dominus deſignatur: Ο ΠΙCΤΟC ΚΑΙ ΑΛΗΘΙΝΟC. Η ΑΡΧΗ ΤΗC ΚΤΙCΕΩC ΤΟΥ ΘΕΟΥ. Apoc. III. 14. Quemadmodum vero hac Inſtructione Commodianus ait Flammat Amen, ſic per Eccleſiam Romanam ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboare dixit Hieronymus, proœmio lib. II. ad Gal. Vid. Iſid. Orig. VI cap. 19. ¶ VT FERVNT OPERTA IOANNIS) in apographo legitur: Vt ferunt corpora ſanctis. quod procul dubio deprauatum eſt. Emendamus, *Vt ferunt coperta Sanctis*. vel potius *operta Ioannis*. veteres Gloſſæ: Opertum, ΑΠΟΚΡΥΦΟΝ. Apocalypſin Latini dixere, Reuelationem. De Apocalypſi Ioannis, Sulpitius Seuerus Hiſt. Eccl. IIII. 25. inter dubia recenſet. Hieronymus Epiſt. ad Dardanum, 129. vbi de epiſtola Barnabæ ad Hebræos, *Vtramque*, inquit, *recipimus, ad Hebr. & Apocalypſin*. Quæ certe reuelatio myſteria nobis exhibet valde operta & abſcondita.

44. *De reſurrectione prima.*

De cælo deſcendet ciuitas in anaſtaſi prima:
Eſt quod referamus de fabrica tanta cæleſti.
Reſurgemus illi qui fuimus illi deuoti,
Et incorrupti erunt, iam tunc ſine morte viuentes:
Sed nec dolor vllus, nec gemitus erit in illa.
Venturi ſunt illi quoque ſub antichriſto qui vincunt
Robuſta martyria: & ipſi toto tempore viuunt,
Recipiuntqne bona quoniam mala paſſi fuēre,
Et generant ipſi per annos mille nubentes:
Comparantur ibi tota vectigalia terræ,
Terra quia nimium fundit ſine fine nouata.
Inibi non pluuia, non frigus in aurea caſtra,
Obſidiæ nullæ, ſicut nunc, neque rapinæ.
Nec lucernæ lumen deſiderat ciuitas illa:
Ex auctore ſuo lucet, nec non ibi paret
Per duodecim millia ſtadia lata longa ſic alta,
Radicem in terra, ſed caput cum cælo peræquat;
In vrbe pro foribus autem Sol & Luna lucebit.
Malus in angore ſeptus propter iuſtos alendos.
Ab annis autem mille Deus omnia perdet.

DE CÆLO DESCENDIT CIVITAS) Tertullianus lib. III adu. Marc. *Confitemur in terra nobis regnum repromiſſum; ſed ante cælum, ſed alio ſtatu; vtpote poſt reſurrectionem in mille annos; in ciuitate diuini operis Ieruſalem, cælo delata; quam & Apoſtolus matrem noſtram ſurſum deſignat.* Ibidem paulò poſt *Conſtat Ethnicis quoque teſtibus in Iudæa per dies quadraginta matutinis momentis ciuitatem de cælo pependiſſe &c.* ¶ IN ANASTASI PRIMA) Apocal. XX. 5. Tertul. lib. de reſur. cat. *Diabolo in abyſſum relegato primæ reſurrectionis prærogatiua de ſoliis ordinatur.* Ex Millenariorum diſciplina duas conſtituit reſurrectiones; primam reſurgentium ad illam mille annorum terrenam felicitatem: alteram vniuerſalem, quum dabit Deus ignem totius orbis conflagratorem, ad ſupremi iudicii cenſuram. Et tamen ipſe Tertullianus alibi paſſim martyrum animas in ipſa martyrii corona ſtatim rapi ad cælum adfirmat: aliis vero, & fidelibus quidem ipſis, moram reſurrectionis opponit; ita vt apud inferos modicum quodque delictum breuiore aut longiore mora illa reſurgendi luant. Sententiis certe perplexis & intricatis; vt ſolent eſſe mortalium, Dei conſilia curioſe nimis inquirentium, vel minus verecundè ſollicitantium. Vid. lib. de An. cap. 24. & Scorp. cap. 12. Obſer. ad Cypr. Epiſt. 52. ¶ ET GENERABANT IPSI) Hoc certe fuit eximie fatuum in illa millenarii temporis fabula. Lactantius, VII. Per eoſdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit ſoboles eorum ſancta & Deo cara &c. ¶ OBSIDIA NVLLA) Infrà dicet: Obſidiando perit. ¶ MALVS IN ANGORE) Malum dicit, draconem, ſerpentem, diabolum, ſatanam, ΠΟΝΗΡΟΝ. ¶ ANGORE) Angina, cruciatu.

45. *De die iudicij.*

De die iudicij propter incredulos addo.
Emiſſus iterum Dei donabitur ignis:
Dat gemitum terra verum, tunc in vltima fine
Iter agentes, & tunc increduli cuncti.
Euitante tamen ſanctorum caſtra ſuorum.
In vna flamma conuertitur tota natura:
Vritur ab imis terra, monteſque liqueſcunt:
De mare nil remanet, vincitur ab igne potente.
Interit hoc cælum & aſtra, & iſta mutantur.
Componitur alia nouitas cæli terræque perennis.
Inde qui mereunt mittuntur in morte ſecunda.
Interioribus autem habitaculis iuſti locantur.

ITER AGENTES] Præfinitum in terra viuendi ſpatium peragentes. Vel, *In terra agentes.* EVITANTE TAMEN) Vt ſuprà, Inſtr. 41. *Iuſtos autem non tanget ignis.* MITTVNTVR IN MORTE SECVNDA] Prima eſt corporis, ſecunda animæ; quæ eſt mors æterna, ignis æternus. Vid. Inſt. 52. INTERIORIBVS AVTEM HABITACVLIS) Etenim intrare ſiue introire dicuntur ſancti in regnum Dei, in vitam æternam. Mali contrà, eiiciuntur, pelluntur, mittuntur in tenebras exteriores.

46. *Catecuminis.*

Credentes in Chriſto derelictis idolis omnes
Admoneo paucis propter ſalutaria veſtra.
Temporibus primis per errorem ſi qua gerebas,
Erogatus enim Chriſto tu cuncta relinque.
Cúmque Deum noſti eſto bonus tyro: probatus,
Virgineuſque pudor tecum verſetur in agno.
Mens bonis inuigilet: caue vt non delinquas inante.
In baptiſmo tibi genitale ſolox lauatur.
Nam ſi quis peccans catecumenus pœna notatur
In ſignis ille viuat, ſed non ſine damno.
Summa tibi. grauia peccata deuita tu ſemper.

CATECVMINIS) Hoc vocabulum ita ſcriptum vulgo fuiſſe æuo Commodiani acroſtichis indicat. Sunt autem ΚΑΘΗΧΟΥΜΕΝΟΙ, Audientes, Competentes. ΔΙΔΑΣΚΟΜΕΝΟΙ. ¶ CAVE VT NON DELINQVAS INANTE) Hoc eſt, vt vitam non viuas qualem viuebas antequam eſſes ad fidem Chriſtianam vocatus. Sic Inſtr. ſeq. *Vnde non effugies peccatum priſca ſectans.* Priſca ſectatur, qui profeſſus Chriſti nomen, redit ad vomitum, & vitam viuit ſeculi vitiis diſſolutam, qui moribus vtitur, quibus vtebatur ante fidem Chriſto datam. ¶ IN BAPTISMO TIBI GENITALE SOLOX LAVATVR) In apographo legitur: *In baptiſmo tibi genitali ſola tenantur.* Prima viſione placebat, baptiſmum genitalem dici, quo ſenſu dixit Cyprianus ad Donatum, vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labem deterſam. Vt hæc ſententia Commodiani fuerit, nouam in Chriſtiano baptiſmo nobis natiuitatem donari, qua nempe renaſcimur depoſitis ſordibus Adami veteris. Omnes enim ex eo naſcimur, eiuſque peccatum quaſi per traduces longa ſerie propagatum in nos dimanauit. At renaſcimur in Chriſto, baptiſmo videlicet genitali. Qui ſenſus ſane bonus eſt & verus. Sed quid fiet his quæ ſequuntur in apographo *ſola tenantur*, vel *ſola lauantur.* Sic igitur opinabar: ſola peccata genitalia lauari baptiſmo, non ea quæ poſt baptiſmum, violata Chriſtianæ diſciplinæ fide, committuntur. Qui ſenſus ſatis itidem commodus videatur. vt ſit genitale peccatum, quod ab origine ſua quiſque ſecum infert. Verùm, ne quid diſſimulem, diſplicebat ea ſcriptura; genitalia ſola baptiſmo lauari, quæ ipſa ſui ambiguitate riſum mouet. Itaque penſitatiùs cogitanti ſubuenit alia huiuſcemodi. *In baptiſmo tibi genitale ſolox lauatur.* Quæ lectio, etſi non penitus ſublata ambiguitate, ſed tamen correcta, lauacri genitalis neceſſitatem taxat, vt iam ſolox genitale dicantur ſordes originalis peccati, quas elui baptiſmo credimus. Solox, vetuſtum Tertulliani Pallio vocabulum, ſub Commodiani ſtilum, vt pleraque alia quæ paſſim obſeruabimus, venit. Lanam craſſam ſignificare notat Feſtus. ΟΙΣΥΠΕΙΟΝ, ΕΡΙΟΝ ΡΥΠΑΡΟΝ ΠΡΟΒΑΤΩΝ. Vnde & ſolœciſmum dixere Grãmatici, & quicquid craſſum, aut pingue, inhoneſtum & turpe. ¶ NAM SI QVIS PECCANS CATECH] Cyprianus, lib. III. ad Quirinum, Art. 98. Cathecumenum peccare iam non debere. In cuius articuli teſtimonium citat ex Epiſtola Pauli ad Rom. cap. 3. Faciamus mala, dum veniant bona. Quaſi d cerent quidam in cathecumenatu poſiti, Ludamus, Indulgeamus voluptatibus & genio quantum videbitur etenim, quicquid peccatum à nobis fuerit, abluet baptiſmus. Nimirum, fuere tam impii, qui diſtulerint baptiſmum in extrema vitæ tempora, vt malitia ſua diuturniore fruerentur, ſecuri de iſtius lauacri etiam in extremis, efficacia. Hoc verò Conſtantini Cæſaris baptiſmo crimini datum eſt. Multò prudentior & tutior illa Proſperi Aquitani confeſſio. Natum me quondam ſub lege peccati, & transfuſa in me à parentibus ordinaria mortis conditione captiuum, ne longo ferocis domini iure detinerer, inter ipſa me vitæ initia, miſericors & miſerator Domine liberaſti. Antè inueni tyrannicidam, quàm intelligerem ſeruitutem, &c. ¶ POENA NOTATVR) Mox dicet: *ſed non ſine damno.* Prolato ſcilicet, catechumenatus ſui tempore Patres Synodi Nicænæ, can. 15. De catechumenis qui prolapſi ſunt, ſtatuerunt tribus annis eos à catechumenorum oratione ſeparatos,

poſtea recipi debere. ¶ INSIGNIS ILLA VIVAT') Legendum arbitramur, Inſignis ille viuat. In ſignis, nempe Chriſtianis, vt in caſtris. ¶ SVMMA TIBI) Quaſi diceret, Hoc in ſumma tibi ſit animo & memoriæ fixum.

47. *Fidelibus.*

Fideles admoneo fratres de odio tollant:
Impia martyribus odia reputantur in ignem;
Diſtruitur martyr cuius eſt confeſſio talis:
Expiari malum nec ſanguine fuſo docetur.
Lex iniquo datur, vt poſſit ſeſe frenare.
Inde debet carere dolis; ſimiliter & tu.
Bis Deo peccas qui lites fratri protendis:
Vnde non effugies peccatum priſca ſectans.
Semel es lotus, numquid poteris denuò mergi?

FRATRES DE ODIO TOLLANT) Aduerſus hæc inter Chriſtianos odia & diſſenſiones ſtudioſiſſimè Tertullianus egit, libello ad Martyres, *In primis ergo benedicti, nolite contriſtare Spiritum ſanctum, &c.* Fratres odio tollunt, qui per odia fraternitatem euertunt; nec tantum de amicis, ſed de fratribus, faciunt inimicos. Itaque ſcribendum: Fideles admoneo, fratres ne odio tollant. ¶ LEX INIQVO DATVR) Iniquum dicit eum qui non eſt Chriſtianus. ¶ VT POSSIT SESE FRENARE) Sic etiam dicet Inſtruct. ſequenti: Lex homini data eſt & doctrina vitæ legenda, Ex qua recordatur vt poſſit viuere caute. ¶ VNDE NON EFFVGIES PECC. PRISCA SECTANS) Hoc eſt, quod ſuprà dixit: peccans in ante. Vtrum legas, *peccatum priſce ſectans,* quod eſt in apographo; aut, *priſca ſectans*, parum refert, ſenſus eſt idem. ¶ SEMEL ES LOTVS, NVMQVID POTERIS DENVO MERGI?) Amiſiſti baptiſma, quod vnum eſt. Præclara eſt Proſperi fides: Licet ego à donis tuis receſſerim, in me tamen tua dona manſerunt.

48. *Fideles cauete malum.*

Falluntur volucres & ſiluarum beſtiæ ſiluis,
Ipſis incanta, iactura quibus eſt tradita, mentis.
Decipiuntque quæſtuoſa, vt eſca, ſequentes,
Et vitare malum neſciunt, nec lege tenentur,
Lex homini data eſt & doctrina vitæ legenda,
Ex qua recordatur, vt poſſit viuere cautè,
Suique locum; mortis & deroget ea quæ ſunt.
Condemnat ſe ipſum grauiter qui Regi delinquit;
Aut ferro ligatus, aut de ſuo gradu deiectus,
Vel vita priuatus perdit quod frui deberet.
Exemplo moniti, grauiter peccare nolite.
Tranſlati lauacro magis caritatem habete.
Eſcam muſcipuli, vbi mors eſt, longè vitate.
Multa ſunt martyria quæ fiunt ſine ſanguine fuſo.
Alienum non cupere, velle martyrium habere,
Linguam refrænare, humilem te reddere debes,
Vim vltrò non facere, nec factam reddere contrà.
Mons patiens fueris, intellige te martyrem eſſe.

IPSIS INCANTA IACTVRA QVIBVS EST TRAD. MENTIS) Diſrupto vocabulo, *Incantamentis.* quo fit vt verſus etiam videatur diſruptus. Conſimiliter luſit Eugenius ille Toletanus, ad quemdam Ioannem, cui diſplicebant verſus nexi,

O, *Io*, verſiculos nexos qui deſpicis, *hannes*,
Accipe *dis* ſollers ſi noſti iungere *uiſos*.

Hæc illius æui technopaignia fuere Tmeſis: ipſis incantamentis iactura quibus eſt tradita. Hoc eſt, quæ obiecta ſunt paſſim & negligenter fallendis volucribus & beſtiis. Incantamenta dicit, ſophiſmata, omne genus fallaciarum capiendis volucribus & beſtiis. Quidni autem & incautamenta dixerit huiuſmodi dolos obiectos ſiue expoſitos fallendis auibus & beſtiis incautis. Hæc verò tmeſis, non eſt durior illa Enniana: *Saxo cere comminuam brum.* ¶ DECIPIVNT QVÆSTVOSA, VT ESCA, SEQ.] In apographo ſuperſcriptum eſt, *Decipiunt quæ aurea,* Vera fortean ſcriptura fuerit, Decipiuntque antra, vt eſca, ſequentes. Antra, foſſæ obtectæ virgultis & frondibus, ſubruendis beſtiis inſequentibus venatores. ¶ SVIQVE LOCVM.] Repetendum de præcedentibus: *recordatur:* Lex homini data, facit vt recordetur viuere cautè. facit vt recordetur locum ſui, hoc eſt, cælum, ſi cautè & rectè viuat; infernum, ſi praue. Eadem verò lex facit *vt deroget* ea quæ ſunt mortis: vt deprecetur à Deo mortem, quam peccando fortè promeruit æternam. ¶ ESCAM MVSCIPVLI] Sic emendari videtur, quod eſt in apographo deprauatum, *Et eſcam muſcipuli, vbi mort & longa vita*: Gloſſæ veteres: Muſcipulum, ΜΥΑΓΡΑ. Muſcipula, ΠΑΓΙΔΕϹ. & in ſingulari fœminino, Muſcipula. ΠΑΓΙϹ Phædrus: Qui ſæpè laqueos & muſcipula euaſerat. ¶ VELLE MARTYRII HABERE) Sic legitur in apographo: nec aliud ſignificat, quàm velle martyrium tollere, ſiue habere optare martyrium; cupere martyrem fieri.

49. *Pœnitentibus.*

Pœnitens es factus, noctibus diebuſque precare:
Attamen à matre noli diſcedere longè;
Et tibi miſericors poterit Altiſſimus eſſe:
Non fiet in vacuum confeſſio culpæ; perinde
In reatu tuo diſce manifeſtè deflere.
Tu ſi vulnus habes herbam medicumque require:
Et tamen in pœnis poteris tua damna lenire.

Namque, fatebor enim, vnum me ex vobis adeſſe,
Terroremque linquendum. ſenſi ipſe ruinam.
Idcirco commoneo vulneratos cautiùs ire.
Barbam comamque fœdare in puluere terræ,
Volutarique ſaccis, & petere ſummo de Rege:
Subueniet tibi, ne pereas forte de plebe.

POENITENS ES FACTVS) Ad pœnitentiam admiſſus. Etenim indulgeri ſibi pœnitentiæ locum ambiebant, longa pœnitentiæ demonſtratione. Aegrè pœnitentia dabatur illi qui ſic deliquerat, vt probrum Eccleſiæ obiiceret, retinenti ſecum tam ignominioſum peccatorem, vt expelli, abſtineri, ac prohiberi Eccleſia metuiſſet. qui Eccleſiam delicto ſuo fecerat vt erubeſceret. Porro eadem Eccleſia non inuidebat pœnitentibus ad Deum conuerſionem, apud quem de venia impetranda non deſperabat. ❡ A MATRE NOLI DISCEDERE) Ab Eccleſia, domina matre, cuius de vberibus alimur. ❡ SENSI IPSE RVINAM) Senſi me mori. Senſi vnde ipſe decideram. In apogr. *ſenſiſſe ruinam.* ❡ VOLVTARIQ. SACCIS) In apogr. *volutarique ſatis.* Pœnitentis habitus, mala ſui ipſius tractatio. extra lætitiam deuerſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, ab omni vitæ fruge dilati. In ſacco & cinere volutantis, concinerati & conciliciati, Tertullianus. ❡ NE PEREAS FORTE DE PLEBE) Hoc eſt, de Eccleſia, de turba fidelium; de populo Chriſti; de populo ſancto. Erat enim tunc temporis Eccleſia, Epiſcopus, preſbyter, diaconus, plebs, ſiue laici.

50. *Qui apoſtauerunt Deo.*

Quando bellum autem geritur, aut ingruit hoſtis;
Vincere qui poterit aut latere, magna trophæa.
Infelix autem erit qui fuerit captus ab illis.
Amittit patriam & Regem, qui dignè pro veritate
Pugnare pro patria qui noluit, neque pro vita:
Obiſſe deberat, quàm ire ſub barbaro rege,
Seruitiumque petat qui hoſtibus ſine lege deferre.
Tu ſi prœliando moreris pro Rege, viciſti.
At ſi manus dederis, incolumis Lege periſti.
Transfluuiat hoſtis, tu ſub latebra conde:
Aut ſi intrare poteſt: ſi necne, ne ceſſa,
Vndique te redde tutum, tuos quoque, viciſti;
Et vigilanter age, ne quis incurrat in illa.
Res infamis erit ſi quis ſe propalat hoſti.
Vincere qui neſcit & occurrit tradere ſeſe,
Nec ſibi nec patriæ laudem remiſit ineptus.
Tunc viuere noluit, cum ipſa vita peribit.
Domini ſi quis inops, aut profanus ab hoſte
Eramen ſonans facti, velut aſpides ſurdi,
Orare ſatis debent, aut ſe condere tales.

QVAM IRE SVB BARBARO REGE) Barbarum regem dicit, regem non Chriſtianum ❡ SI MANVS DEDERIS) Thus in acerram miſeris. ❡ VNDIQVE TE REDDE TVTVM) Diſſentit à Tertulliano Commodianus: conſentit autem Cypriano. ſuadet in perſecutione fugam, aut latebras. immo in latebris & in fuga martyrium eſſe docet. Omnino vetat ne quis incurrat, ne quis ſe offerat. Denique ait Chriſtianum qui ſe propalat hoſti, eſſe ſui ipſius traditorem. ſi tamen incidat in hoſtem, vel opprimatur à perſequentibus, tunc pro nomine Chriſti eſſe debere conſtantiſſimum. nam ſi vitam negando redimat. cum ipſa vita periturum. ❡ TVNC VIVERE NOLVIT) Vitam æternam viuere noluit. qui parum fortis coram præſide, coram tyranno, fuit. tura dedit idolo, vel negauit Chriſtum, æternæ vitæ renunciauit, vt momentaneam ſeruaret ❡ DOMINI SI QVIS INOPS) vt ſimpliciter ethnicus. Inopem Domini dicit, qua forma de Saturno, *venit inops animi*, Inſtr. 4 ❡ VEL PROFANVS AB HOSTE) à perſecutoribus nominis Chriſtiani ſubactus; à quibus rediit negator. ❡ AERAMEN SONANS FACTI) I. Cor. 13 1. ΑΛΑΛΑΖΟΝΤΕΣ. ❡ VEL VT ASPIDES SVRDI) Qui aduerſus Dei ſapientiam aures ſuas obturant. ❡ ORARE SATIS DEBENT) Ita vt pœnitentiæ facultatem ab epiſcopo impetrare mereantur; Eccleſia, quam negato Chriſto dehoneſtauerunt, placata per longam ac miſerabilem exomologeſin. ❡ AVT SE CONDERE TALES) Ita vt nuſpiam poſt hac in Eccleſiæ caſtris conſpiciantur.

36. *De infantibus.*

Duellum hoſtis ſubitò venit inundans,
Et priùs quàm fugerent, paruulos occupauit inertes.
Improperandum eis non eſt, licet capti videntur:
Nec quidem excuſo: ob delicta fortè parentum
Fuêre promeriti, ideò Deus tradidit illos.
Attamen adultos hortor in arma recurrant,
Naſcanturque quaſi denuo ſuæ matri de ventre.
Terribilem legem fugiant, ſemperque cruentam;
Impiam, indocilem, ferina vita viuentem.
Bellum enim aliud cùm fuerit fortè gerendum,
Vincere qui poterit, aut certè iam ſcire cauere.
S . . . .

DE INFANTIB.) Senſus eſt apertus: ſtabilienda tantum ſcriptura Inſtructionis in hunc modum, quo nunc edi curauimus: ❡ ET PRIVSQVAM FVGERENT, PARVVLOS) In apographo: *Et prinſquam fugeret paruulos oc in.* ❡ TERRI-

BILEM LEGEM FVGIANT) In apographo: *Terribilem Legem ſugiens.* Fugiant, inquit, Legem illam terribilem, Ethnicam, quæ ſacrificare idolis iubet, cuius Legis cultores flammis æternis ſunt deſtinati.

52. *Deſertores.*

Deſertores enim genere non vno dicuntur.
Eſt alius nequam, alius in parte recedit;
Sed tamen vtrique iudicia vera decernuntur.
Ecce militatur Chriſto, ſicut Cæſari paretur.
Refugium Regis pete ſi delictor fuiſti;
Tu illum implora, proſtratus illi fatêre:
Omnia concedet, cuius ſunt & omnia noſtra:
Repoſitis caſtris vlterius caue delinquas.
Errare noli diu miles per ſpelæa ferarum.
Sit tibi peccare deſiſtere geſtum immenſum.

DESERTORES) Deſertorum duo genera conſtituit. Turificatorum & Libellatorum ¶ EST ALIVS NEQVAM) qui ſacrificat idolo; quod eſt apud Deum principale crimen. ¶ ALIVS IN PARTE RECEDIT) qui ne petraharur in capitolium ſacrificaturus. paciſcitur; oblato præſidi libello ſeconcuſſori, pecunia. ¶ MILITATVR CHRISTO, SICVT CÆS. PAR.) Militatur Chriſto, qui ſacrificare idolo vetat; & in ſacrificantes, etiam mortuos, animaduertit pœnis æternis. Paretur Cæſari, qui mori iubet non ſacrificantes idolo; nec habet quid faciat mortuis. nam ſic mortui pro Chriſto, qui ſic Cæſari paruerunt, vt mortem fortiter oppetierint pro Chriſti nomine, vitam viuunt æternam. ¶ SI DELICTOR FVISTI.) Delictorem dicit, peccatorem. & ſic etiam loqui Cyprianum obſeruauimus. ¶ REPOSITIS CASTRIS) Caſtris ſcilicet aduerſus Eccleſiam rurſus poſitis, tu ipſe poſt acceptam pœnitentiam repoſitus Eccleſiæ caſtris, noli amplius eſſe deſertor. ¶ SIT TIBI PECCARE DESISTERE G. I.) Conſimile eſt illud Inſtr. 46. *Summa tibi: grauia peccata deuitato ſemper.*

53. *Militibus Chriſti.*

Militiæ nomen cùm dederis, freno teneris.
Incipe tunc ergo dimittere priſtina geſta:
Luxurias vita, quoniam labor imminet armis.
Imperio Regis omni virtute parendum,
Tempora poſtrema ſi vis pertingere læta.
Ille bonus miles, ſemper expecta fruenda;
Blandire noli tibi, deſidias omninò mitte,
Vt tuo præpoſito cottidie præſto ſis, antè
Sollicitus eſto, matutinus ſigna reuiſe.
Cùm videris bellum, agonia ſume propinqua.
Hæc gloria regis militem videre paratum.
Rex adeſt, optato propter ſpem dimicaturum.
Ille parat dona, ille pro victoria lætus
Suſcipit, & proprium ſatellem dedicat eſſe.
Tu tibi prætereà in Belian parcere noli.
Impiger eſto magis, vt reddat famam pro morte.

INCIPE TVNC ERGO DIMITTERE PRIST. GES.) Suprà dixit: caue vt non delinquas inante, Inſtr. 46. Opponit hîc, *dimittere priſtina*, illi quod Inſtr. 47. *ſectari priſca.* Priſca ſeu priſtina, ſunt quæ ante fidem commiſſa ſunt, & qualia peccant ethnici ſiue profani. ¶ IMPERIO REGIS) Regis intellige Chriſtum, Eccleſiæ caput. ¶ VT TVO PRÆPOSITO COTTIDIE PRÆSTO SIS) Emendauimus quod in apogr. deprauatum fuerat, *vt tuo propoſito*: Præpoſitum vocat, quem Iuſtinus & alii: ΠΡΟΕΣΤΩΤΑ: Tertul. *præſidentem.* qui & præpoſitum Eccleſiæ dixit, & præpoſitum baptiſmo. ¶ AGONIA SVME PROPINQVA) Sume, præſume, intellige in proximo eſſe feſtum & ſolenne certamen, ex quo patet in cælum iter. Agonalem diem & Agonalia feſta certamina dixêre Romani, quæ priùs Agonia dicebantur; teſte Ouidio, 1. Faſt. Et priùs antiquus dicebat Agonia ſermo. ¶ OPTATO PROPTER SPEM DOMINICATVRVM) Scribendum videtur: præter ſpem dimicaturum. Venturum Regem, id eſt, Chriſtum, qui præſideat martyrio, certamini. Vigilate vtique milites Chriſti, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. ¶ ET PROPRIVM SATELLEM DEDICAT ESSE) Satellem dixit pro, Satellitem. &, *proprium eſſe dedicat*, hoc eſt ſtabilem, firmum fortemque. In apogr. ſuperlitum animaduerti veteris ſcripturæ veſtigium, *deduat*, quam hic minimè conuenire arbitramur. ¶ TV TIBI PRÆTEREA IN BELIAN PARCERE NOLI) In apographo ſcriptum fuerat, *Tu tibi prætereà in delictis parcere noli.* Quæ ſcriptura ferri & explicari poſſet niſi nos admoneret is qui apographum recenſuit veterem manum fuiſſe, *in Belian.* Hoc eſt, caue ne deſidia aut ſupinitate tua, dum tibi fortè nimium blandiris, deſis tibi ipſi aduerſus Belian, ſiue diabolum; ne tibi improuido obrepat Satanas; Malus, Iniquus. ¶ IMPIGER ESTO MAGIS) Tantum abſit vt tibi perniciem inferat Belias tentationibus ſuis; quin potius ab iis famam reporta; ita vt ſis exemplo fratribus diſciplinæ ac fidei diligentiſſimè ſeruatæ.

54. *De refugis.*

Damnatorum animæ meritò ſe ipſæ ſecernunt.
Ex hoc progeniti iterùm ad ſua recurrunt.
Radix Cainæa, maledictùm ſemen erumpit,
Et in ſeruili gente ſub barbaro rege refugit.
Flamma quos æterna torquebit die decreto;
Vult vagus errare ſine diſciplina profugus,
Graſſari per fauces viarum lege ſolutus.

Iſti ergo tales, quos nulla pœna coëgit,
Si viuere nolunt, ab idolis reſpici debent.

DE REFVGIS] In apograph. legitur, de refugiis, & ante vltimum verſum apparet lacuna, quaſi *refugia* dixerit Commodianus, pro *refugis*: vt ſeruitia, pro ſeruis. Nos dreſſe quicquam non arbitramur, & Inſtructioni titulum fecimus, De refugis. ſic fuerit nota lacunæ ſuperflua. ¶ EX HOC PROGENITI] Ex hoc ſcilicet Belia, de quo Inſtr. præced. ¶ ITERVM AD SVA RECVRRVNT] ad ſuos Ethnicos, idololatras. ¶ RADIX CAINENA] vel potius, Cainæa, vt ſupra inſtr 36. In apogr. vitioſe, *Radix Cananea*. ¶ SVB BARBARO REGE] vt ſuprà, Chriſtum ſimpliciter dixit, Regem, ita hic Barbarum regem vocat Belian, Satanam, Antichriſtum. ¶ DEI DECRETO] Decretorio. cenſoriò. die iudicij, die reſpectus. In cognitione animarum. In reſpectione. ¶ SI VIVERE NOLVNT, AB IDOLIS RESPICI DEBENT] In apographo legitur: *Sydere volunt*. Secundum hæc veſtigia ſcribendum: *Si videre volunt*. Si videre volunt, quos adorent deos, nec fidem adhibere velint Deo vero, quia non vident; confidant autem ſimulacris ſuis æneis ligneiſque aſpiciant ea certe quantum voluerint, oculos habent æneos ligneoſque, nec tamen vident; ergo talium fabricatores & cultores deorum, numinibus ipſi ſuis potiores ſe faciunt, & ſubſannant oculos deorum ſuorum cæcos; adeoq. ob impietatem ſuam ab ſuis ipſi diis reſpui debent. At ſi verum amamus, præferenda erit hæc ſcriptura: *Si viuere nolunt, ab idolis reſpici debent*. Etenim tota Commodiani philoſophia eſt, vita æterna. quam ſi viuere iſti, inquit, nolunt, ab idolis reſpici debent: hoc eſt ab Satanæ miniſtris, qui nidulantur in cauis ſimulacrorum.

55. *De lolij ſemine.*

De ſemine lolij; qui ſtant in Eccleſia mixti.
Expletis temporibus meſſis ſeparatur à fructu
Lolium enatum, quod non miſerat Dominus,
Omne lolium agricola collectum ſeparat illud.
Lex ager nobis eſt, qui fecerit bonum in illa,
Ipſa vtique nobis præſtat requiem veram;
Ipſe dominator: nam lolium igne crematur.
Si ergo putatis quoniam ſub vno morantur.
Erratis. ſteriles Chriſtianos vos eſſe deſigno.
Maledicta fuit arbor ſine fructu ficulna
In verbo Domini; & ſtatim exaruit illa.
Non operas facitis, non donum gazo paratis.
Et ſic promereri Dominum putatis inanes?

LEX AGER NOBIS EST] Agri parabola ſignificat nobis Legem Chriſti. Ipſe Chriſtus; Ego ſum vitis vera. Ioan. xv. 1. ¶ STERILES CHRISTIANOS] Infrugiferos, ΑΓΟΝΟΥΣ, ſpadones. bonorum operum ſteriles. ¶ NON DONVM GAZO PARATIS] Gazum dicit, theſaurum ſacrum, Corbonam. Gazam Eccleſiæ, Gazophylacium Inſtruct. 72. In gazo præterea de labore mittere debes. Arcam dixerat Tertullianus: Alij, Concham. Hic igitur Commodianus ſteriles Chriſtianos appellat, qui de facultatibus ſuis in vſus pauperum nihil conferebant. Hanc ſterilitatem Cyprianus ſacrilegam eſſe ait, lib. de opere & eleemoſyn. Paulinus Epiſt. 34. Aridas manus dixit, eorum qui negligebant in Eccleſia poſitam à Domino menſam indigentibus. Idem: *cæleſtis igitur trapezita hæc menſa eſt, theſaurum vitæ ſtruens, & ad margaritam negotiandam Dei fenus exercens.*

56. *Diſſimulatori.*

Diſſimulas legem tanto præconio latam,
In tot prophetarum cæleſti voce clamantem.
Si propheta tantùm declamaſſet in nubem,
Sufficeret vtique Domini vox miſſa per illum.
In tot prophetarum volumina lex Domni proclamat,
Malitias nullus dimittit. ita æquè de corde
Vis bona videre, & fraudibus viuere quæris.
Lex ipſa cur ergo proceſſit tanto labore?
Abuteris Domini mandata, & te filium inquis.
Tu ſi talis eris, ſine cauſa, videris inquam.
Omnipotens mites quærit ſibi filios eſſe,
Rectos corde bono, deuotos legi diuinæ,
Immites autem iam ſcitis vbi demerſit.

DISSIMVLATORI.) Hypocritæ; qui ſe Chriſtianum ſimulat, & Antichriſtiana, ſiue Secularia & Satanica viuit ¶ ITA ÆQVE DE CORDE VIS BONA VID.) Qua mente cupis Dei benedictionibus & benefactis adfici, eadem optas per calumnias & dolos, de fratris tui ſpoliis diteſcere. ¶ OMNIPOTENS MITES QVÆRIT) Matth. v. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacificatores, ΕΙΡΗΝΟΠΟΙΟΙ. ¶ IMMITES AVTEM) Paulo ad Tim. II. 3. ΑΝΗΜΕΡΟΙ, ΑΦΙΛΑΓΑΘΟΙ, oppoſiti benignis. ¶ SCITIS VBI DEMERSIT.) In ſtagnum ignis, vbi fletus & ſtridor dentium.

57. *Sæcularia in totum fugienda.*

Si quidam doctores, dum expectant munera veſtra,
Aut timent perſonas, laxant ſingula vobis;
Et ego non doleo, ſed cogor dicere verum.
Cum caterua mali pergis ad ſpectacula vana,
Vbi Satanas fragoribus Circo operatur.

Licere perſuades tibi quodcumque placebit.
Altiſſimi proles, cum filiis Zabuli mixta,
Reſpicere num vis, queis renunciaſti, priora?
In ipſis verſaris iterùm, quid proderit Vnus?
Aut ſi pro languore datum quod ſtulte profanus
I . . . .
Nolite diligere mundum neque ambitum eius;
Tanta Dei vox eſt, & tibi proba videtur.
Obſeruas mandatum hominis, & Dei deuitas;
Tu fidis muneri, quo doctores ora procludunt,
Vt taceant, neque dicant tibi iuſſa diuina.
Me vera dicentem, ſicut tenetis, proſpice ſummum:
Filius cuius eras, illi te adſigna clientem,
Viuere ſi quæris gentiliter homo fidelis;
Gaudia te mundi remouent à gratia Chriſti:
Indiſciplinatè quod leue licere præſumis,
Et caros hiſtriones & cantica muſica quæris,
Nec tali ſubolem garrire amentia curas;
Eum vita fruniſci putas? improuidus erras.
Altiſſimus iubet, & iuſta præcepta deuitas.

SECVLARIA IN TOTVM FVG.) Hoc eſt, non eſſe diſſimulandum. neque enim conuenire Eccleſiæ cum ſeculo. Eccleſia, Chriſtus; Seculum, Satanas. Itaque non permiſcendam eſſe Altiſſimi prolem cum filiis Diaboli: neque laxandam eſſe diſciplinam nimia paſtorum indulgentia, per gratiam, aut ſordes. ¶ DOCTORES] Doctores, præpoſiti, præſides, paſtores, epiſcopi. ¶ CVM CATERVA MALI] Mali, id eſt Satanæ. ¶ VBI SATANAS FRAGORIB. CIRCO OP.] Tertullianus, lib de ſpec. Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni ſpectaculo auferimur. etiam à Circo, vbi propriè furor præſidet &c. ¶ CIRCO OPERATVR) In apographo ſcriptum fuerat, *Vbi Satanas fragoribus com, aratur.* ¶ QVÆIS RENVNCIASTI PRIORA) Priora dicit quæ ſuprà, *priſtina*, priſca, ea quæ in ante Fidem. Ea vero ſunt, Diabolus, pompa, & angeli eius. Tertul. & toto illo de Spectaculis. ¶ QVID PRODERIT VNVS] Quid proderit tibi factum fuiſſe in lauacro filium Dei, qui eſt vnus, omnipotens, Altiſſimus, cui perfidùm dixiſti ſacramentum? Imo iam iudicatus, damnatuſque es ab eo qui ſolus eſt, cui ſoli peccaſti: vt eſt in Pſal. 51. ſoli inquam. Deo, qui conſortem non habet: aduerſus quem non habes opponere alium Deum qui te eripiat Scio aduerſam huic Pſalmi verſiculo interpretationem adferri ex Ambroſio; quæ Dauidis, id eſt, regis perſonam accipit, & circa adulationem iudicari periclitatur. ¶ AVT SI PRO LANGORE DATVM) Ad refocillandas aut recreandas animi langueſcentis vires, ab iis molliſſimis & facillimis doctoribus conceſſa tibi fuerint ſpectacula. ¶ NOLITE DILIGERE MVNDVM] Ioannis 1. ¶ NEQ. AMBITVM) Hoc eſt, id omne quid mundo ambitur & continetur. Ioannes dixit, *ea quæ in mundo ſunt.* Tertullianus & Cyprianus dixère *pompa Diaboli.* ¶ OBSERVAS MANDATVM HOMINIS] Diſcernit inter mandata Dei & mandata ſiue traditiones hominum. quod oſtendimus ſæpiſſimè factum à Cypriano, ſecundùm præcepta Pauli. ¶ QVO DOCTORES ORA PROCLVD.] & fiunt muti, non valentes latrare. ¶ PROSPICE SVMMVM] Altiſſimum Deum opt. max. qui & ſummus Doctor. ¶ GENTILITER] Ethnicè. Sic Paulus ad Gal. 2. ¶ ET VITA FRVNISCI) Vita illa quam Deus Fidelibus ſuis pollicetur, frui putas? ¶ SVBOLEM GARRIRE) Loquacem nidum, dixit Iuuenalis, Sat.

58. *Chriſtianum talem eſſe.*

Cùm Dominus dicat, In gemitu edere panem:
Hîc vt quid nunc agis, qui cupis viuere lætus?
Reſcindere quæris ſententiam ſummi Dei miſſam
In protoplaſtum: vis frenum prodere Legis.
Si Deus omnipotens cum ſudore viuere iuſſit,
Tu qui iocundaris, eris iam exterus illi.
Indignatum ait Dominum ſcriptura Iudæis:
Ab eſca refecti ſurrexerunt ludere fiI.
Nunc ergo cur illos proſequimur ſponte profectos?
Vnde perierunt illi nos cauere debemus.
Maxima pars veſtrûm luxuriis dedita paret.
Tranſgrederis legem cùm te fucis inficis, in te
Apoſtolus clamat, immò Deus per illum:
Licentia veſtra vos, inquit, in ipſa deperdunt.
Eſto ergo talis, qualem vult eſſe te Chriſtus.
Mitis & in illo hilaris, nam ſæculo triſtis
Excurre, labora, ſuda, cum triſtitia pugna.
Spes cum labore venit, & victoriæ palma donatur.
Si refrigerare cupis, admartyriza.
Exſpecta requiem futuram in tranſitu mortis.

CHRISTIANVM TALEM ESSE) Non hypocritam, non diſſimulatorem, non ſecularia ſectantem. ¶ ERIS IAM EXTERVS ILLI) non coheres Chriſti, non filius Dei, non müniceps æternæ illius ciuitatis. ¶ SPONTE PROFECTOS] Iudæos recutitos, curtos, ΛΕΙΠΟΔΕΡΜΟΥΣ, verpos. ¶ SPES CVM LABORE VENIT) Spes labori conuenit. Spes alit agricolam. ¶ ADMARTYRIZA] Adſiſte martyri, procede ad martyras qui in carcere. horum neceſſitates pro facultatibus tuis adiuua; conſtantiam monitis, hortatibus foue, accende. Ipſe Commodianus, Inſtr. 6. *Certe ſi non ipſe pugnat, vel ſuggerat illis.* Vetus Inſcriptio. Romæ, via Oſtienſi. ¶ MANDROSA MARTYRVM OBSEQVIIS DEVOTA TRANSEGI FALSI SECVLI VITAM) Apud Grut pagina MLV.

59. *Matronis Eccleſiæ Dei viui.*

Matronas vis eſſe, Chriſtiana, vt ſæculi domnas,
Auro te circumdas, aut ſerica veſte, pudica;
Terrorem Legis ex auribus vento remittis:
Res vanas adfectas, cuncta de Zabuli pompa:
Ornaris ad ſpeculum, cincinnos fronte reflexos;
Necnon & inducis malis medicamina falſa:
In oculis puris ſtibium peruerſo decore,
Seu crines tingis, vt ſint toto tempore nigri.
Eſt Deus inſpector, penetrat qui ſingula corda,
Ceterùm pudicis iſta neceſſaria non ſunt.
Caſto atque pudico ſenſu pertundite pectus.
Lex Dei teſtatur tales abſcedere leges.
Ex corde qui credit feminæ marito probatæ
Sufficiat eſſe non cultibus ſed bona mente.
Induere veſtes quas optat frigus & æſtus
Aut nimium ſolis; tantum vt pudica proberis:
Et in plebe Dei facultatis dona demonſtra.
Das tibi momerium Clariſſima quondam
Exanimata iacens precibus viduarum erecta,
In dando promeruit, non comtibus, inde leuari.
Vos matronæ bonæ vanitatis fugite decorem.
In feminas congruit cultura lupanas.
Vincite malignum, pudicæ feminæ Chriſti.
In dando, diuitias veſtras oſtendite totas.

CRINES VT SINT TOTO TEMP. NIGRI) Etiam cùm appropinquante ſenio candidiores fiunt. ¶ EX CORDE QVA CREDIT FEMINÆ MARITO PROB.) Sufficiat feminam marito, qui credit ex corde, probatam eſſe, non cultibus, ſed bona mente. ¶ DAS TIBI MOMERIVM) Sic legitur in apographo Heſych. ΜΟΜΜΩ. ΟΙ ΗΜΕΙΣ ΜΟΡΜΩ ΦΑΜΕΝ. ΤΟ ΦΟΒΗΤΡΟΝ ΤΟΙΣ ΠΑΙΔΙΟΙΣ. Etymologicum: ΜΟΡΜΩ, ΟΝΟΜΑ ΓΥΝΑΙΚΟΣ. ΜΕΤΑΦΟΡΙΚΩΣ ΕΚ ΤΑΥΤΗΣ ΤΑ ΠΡΟΣ ΚΑΤΑΠΛΗΞΙΝ ΤΥΠΩΘΕΝΤΑ ΠΡΟΣΩΠΕΙΑ ΕΚΑΛΟΥΝ ΜΟΡΜΟΛΥΚΕΙΑ. Momar, Sicula dictio: habitus vituperandus & turpis. Feſtus, & Iſidorus in Gloſſis. Ait igitur Commodianus Matronas Chriſtianas indecenter excultas, ipſas ſibi momerium dare, indutas improbiore aut laſciuiore cultu comtuque. ¶ NON COMTIBVS) In apographo, *non comitibus*. & ſuperſcriptum, *cultibus*. Lucretius 1. —— *Virgineos circumdata comtus.* ¶ DAS TIBI) Circumdas. Induis. ¶ PRECIB. VIDVARVM ERECTA) Tabithæ hiſtoriam tangit. Commotus viduarum precibus Petrus, orauit Deum, vt ſuſcitaret à morte Thabitam, & erecta eſt clamante Petro, Tabitha ſurge. Act. 9. Cyprianus lib. de opere & eleemoſ. ¶ FEMINAS LVPANAS) In apographo, *Lupans*: Lupanas. ΛΥΚΑΙΝΑΣ. Lupas. Gloſſæ. ΠΟΡΝΗ, *Lupanaria*, Meretrix. ΠΟΡΝΕΙΟΝ, *Lupanarium*.

60. *Item ipſis.*

Audi vocem, quæ vis Chriſtiana manere,
Beatus Paulus qualiter te ornari præcepit.
Cæliloquus item Eſaïas doctor & auctor.
Deteſtatur enim prauitatem mundi ſequentes.
Exaltatæ, inquit, iacebunt filiæ Sion.
Fas in Deo non eſt Chriſtianam colí fidelem.
Gentili more quæris procedere, Dei ſancta,
Has Dei præcones damnant in Lege, clamantes;
Iniuſtas eſſe fœminas quæ ſe taliter ornant.
Capillos inficitis, oculos fuligine relinitis,
Leuatis comulas granulatim, fronte depicta,
Malas medicatis quodam ſuperducto rubore,
Nec non & in aures grauiſſimo pondere pendent;
Obruitis collum monilibus, gemmis & auro;
Palmas Deo dignas præſagio malo ligatis,
Quid memorem veſtes, aut totam Zabuli pompam?
Reſpuitis Legem cùm vultis mundo placere.
Saltatis in domibus, pro pſalmis cantatis amores.
Tu licet ſis caſta, non te purgas ſiniſtra ſequendo:
Vos ideò tales Chriſtus cum Gentibus æquat.
Ymnificato choro placitoque Chriſto placete;
Zelantes feruore Chriſto offerte odorem.

AVDI VOCEM) Inſtructionis iſtius verſus ſunt abecedaria. ſiue alphabetica ſerie compoſiti. ¶ FAS IN DEO NON EST) Hoc etiam habet Commodianus à Tertulliano, & quæ deinceps hac Inſtructione ſequuntur. ¶ INIVSTAS ESSE FEMINAS) Iniuſtæ ſunt quæ damnant Dei manus: exprobrant Deo quod non aliter ipſas ornauerit. adfectant quod noluit Deus. faciunt ſe alias quam fecerit Deus. quod eſt iniuſtum & inuerecundum. Sic Tertullianus iuſtum eſſe colorem

negat de colorum adulterio confectum. Auctor naturæ Deus, interpolator Satanas. Vid. lib. II. de cultu fem. ¶ OCVLOS FVLIGINE SELINITIS) nigro puluere quo oculorum exordia producuntur. ¶ LEVATIS COMVLAS) Iuuenalis in VI. —— *tot adhuc compagibus altum Ædificat caput.* ¶ GRANVLATIM) Diſcriminatis per granos capillis. Granos intellige ipſa crinium flagella. Vetus interpres hiſtoriæ Iudith. Comam diſcriminauit, id eſt, granauit fecit. & in Synodo Bracarenſi, placuit Lectores granos gentili ritu non demittant. Gloſſæ vet. *Granitum*, ΚΟΚΚΩΤΟΝ. Iſid. Orig. XI, *Granos & cinabar, Gothorum*. Iac. Sirmondus, & Io. Sauaro, ad Ep. II. lib. I. Sidonii Apollin. Alia diſpoſitio crinium in gradus & anulos toto capite comto. Quintil. XII. 10. ¶ MALAS MEDICATIS) Tertul. Cutem medicaminibus vrgent: genas rubore maculant. ¶ PALMAS DEO DIGNAS) quas dignius debeatis ad Deum orantes expandere. ¶ PRÆSAGIO MALO LIGATIS] Etenim damnationis præſagium eſt: cuius eſt apud Matthæum formula: Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores. ¶ HYMNIFICATO CHORO) Eccleſiæ Chriſti. ¶ PLACITOQVE CHRISTO PLACETE) Cui Pater de cælo: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.*

61. *In Eccleſia, omni populo Dei.*

Iuſtus ego non ſum, fratres, de cloaca leuatus:
Nec me ſupertollo, ſed doleo veſtri, qui cerno
Ex tanto populo nullum in agone coronari.
Certè ſi non ipſe pugnat, vel ſuggerat illis.
Cladem obiurgatis: ô venter effercite luxu,
Laborat frater aduerſante mundo ſub armis,
Et fartus opibus nec pugnas, nec pugnanti te ſiſtis!
Stulte, non intendis vnum bellare pro multis?
In talem pendet Eccleſia tota, ſi vincat.
Abſtineri vides fratrem, & pugnare cum hoſte.
Optas tu in caſtris, pacem foras ille repugnat.
Miſericors eſto, vt ſis ante omnia ſaluus.
Nec metuis Dominum præconio tanto clamantem:
Inimicis etiam qui iubet alimenta præbere,
Prandia ab eo proſpice Tobia, qui ſemper
Omnibus omninò diebus cum paupere ſumpſit.
Paſcere tu quæris, ſtulte, qui te denuò paſcat.
Vis ille mihi paret, qui componi proponit?
Laute cibatum diſtento ventre declamat
Oppreſſus inopia frater iuxta tabeſcens;
De die Dominica quid dicis? ſi non ante locauit;
Excita de turba pauperem, quem ad prandium ducas.
In talibus ſpes eſt veſtra de Chriſto refecto.

DE CLOACA LEVATVS) De Seculo, de Idololatria. Suprà, Inſtr. 41. *Nero de inferno leuatus.* ¶ NVLLVM IN AGONE CORONARI) Hoc deplorabat etiam Cyprianus. ¶ CLADEM OBIVRGATIS) Lapſorum deformes reliquias. Cypr. lib. de Lapſis. ¶ O VENTER EFFERCITE LVXV) In apogr. *onanter efficite luxu.* ¶ NEC PVGNANTI TE SISTIS) Vt obfirmes hortatu, conſilio, exemplo, vt refoueas ſubſidio. ¶ ABSTINERI VIDES FRATREM) Cauſa ſchiſmatis abſtentum. ¶ PVGNARE CVM HOSTE) Stare aduerſus Eccleſiam cum hoſte, cum aliis ſchiſmaticis. ¶ OPTAS TV IN CASTRIS PACEM) Ante pacem Eccleſiæ datam, optas præcipitem dari pacem abſtentis. Cypr. ¶ FORAS ILLE REPVGNAT) Ille lapſus vel abſtentus contemnit Eccleſiam, aut aduerſatur Eccleſiæ. ¶ MISERICORS ESTO) Sis molliſſimo corde pius & beneficus erga pauperes. ¶ PRANDIA AB EO PROSP. TOBIA) Propius accedet ad veſtigia ſcripturæ quæ eſt in apographo: *Prandia ab eo proſpice Tobo.* Sic in Bibl. Theodulfi præfatione aureis litteris. *Liber Tobi.* Et in veteri canone Scripturarum apud Anaſtaſium Patr. C. P. *Tobe & Tobias.* Græcè ΤΩΒΙΤ ΚΑΙ ΤΩΒΙΑϹ. Et apud Suidam, ΤΩΒΗΤ, ΟΝΟΜΑ ΚΥΡΙΟΝ, ΚΑΙ ΤΩΒΙΑϹ ΟΜΟΙΩϹ. Pater vocatur ΤΩΒΗΤ, vel ΤΩΒΙΤ, Filius ΤΩΒΙΑϹ. In apogr. *ab eo proſpice Lurna.* Supraſcriptum, *Iobba.* Tobiæ erga pauperes pietatem ſacris paginis commendatam in ſuorum Teſtimonior. lib. III. Cyprianus contulit. ¶ QVI TE DENVO PASCAT) Lucas XIIII. ¶ QVI COMPONI PROPONIT) Componi, ſepeliri. qui de ſepultura cogitat, qui ſe felicem putat, ſi quamprimum componatur. Horatius: *Omnes compoſui. Felices! nunc ego reſto confice.* Acro: *Omnes compoſui: Omnes in vrnis ſepeliui.* ¶ SI NON ANTE LOCAVIT] Promiſit alteri, qui eum vocauit, cui copiam ſui condixit ad prandium. ¶ EXCITA DE TVRBA PAVPEREM) In apographo, *Excute.* Hic vero locus indicat æuo Commodiani in Eccleſia diebus Dominicis Agapas in vſu fuiſſe. ¶ IN TABVLIS SPES EST) In tabulis Noui Teſtamenti. ¶ DE CHRISTO REFECTO) Chriſtus ipſe, Matthæi XXV, 35. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.

62. *Martyrium volenti.*

Martyrium, fili, quoniam deſideras, audi.
Abel qualis erat eſto, aut qualis Iſaac ipſe, aut
Rectam qui diligit Stephanus ſibi vitam in iter.
Tu quidem quod optas, res eſt felicibus apta.
Vince prius Malum benefactis, recte viuendo:
Rex ille tuus cum viderit, eſto ſecurus.
Ipſius eſt tempus, & nos in vtrumque gerentes;
Vt ſi bellum abeſt, in pace martyres ibunt:
Multi quidem errant dicentes, Sanguine noſtro
Vicimus Iniquum, quo manente vincere nolunt:
Obſidiando perit, & ideo ſentit Iniquus.
Legitimus autem non ſentit pœnas adactas.
Eiulatuque zelando pectus pugnis pertunde;

Nunc ſi benefactis viceris, martyr in illo.
Tu ergo qui quæris martyrium tollere verbo,
In pace te veſti bonis, & eſto ſecurus.

VINCE PRIVS MALVM] Satanam, qui in ſacris litteris Ο ΠΟΝΗΡΟΣ. ¶ REX ILLE TVVS) Chriſtus. ¶ IPSIVS EST TEMPVS] Perſecutionis & Pacis. ¶ ET NOS IN VTRVMQ. GERENTES] Ipſi Chriſto ſeruiamus in Pace & Bello. ¶ SI BELLVM ABEST) Si perſecutio ceſſat. IN PACE MARTYRES IBVNT) Vt ſuprà, martyres ſine ſanguine, quibus etſi defuere tormenta, etſi defuit tyrannus, non defuit animus aduerſus quælibet tormenta fortis. ¶ QVO MANENTE VIN. NOL.] Manente Iniquo vincere nolunt. deficiunt. non perſtant in fide. euertuntur, deiiciuntur de fide. ¶ OBSIDIANDO PERIT INIQVVS] Obſidione diuturna Satanas circa fortiſſimum Chriſtianum tandem fatigatur & frangitur. ¶ LEGITIMVS AVTEM] Fortiſſimus Chriſtianus, verus athletes, probè fidelis non vincitur, non ſentit pœnas. ipſa tormenta ſuperat ¶ EIVLATVQ. ZELANDO PEC. PVO. PERTVNDIT) eiulatum ſuum caſtigabit pugnis, & præ zelo & amore Domini zelabit mortem. Sap. 12. 11. ¶ MARTYRIVM TOLLERE) Martyrium ſubire: martyrem fieri. Sic loquitur verſio Latina vetus Euſebii Cæſ. opuſculo de Reſur. 1. *et qui occiditur & et qui martyrium tollit.*

63. *Bellum cottidianum.*

Belligerare quæris, ſtulte, quaſi bella quieſcant.
Ex protoplaſto die pugnatur in fine vobis.
Libido præcipitat, bellum eſt, pugna cum illo.
Luxuria ſuadet, abutere, bellum viciſti,
Vino copioſo parce, ne per illum aberres.
Maledicti retine linguam vnde Dominum adoras.
Compeſce furorem. pacificum redde te cunctis.
Oppreſſos miſeriis deprimere caue minores.
Tutorem adcommoda tantum, & noli nocere.
Tramite vos recto ducite ſincero præ zelo.
In tuis diuitiis comem te redde puſillis,
De labore tuo dona, nudum veſti, ſic vinces.
Inſidias nulli facias qui Deo deſeruis.
Aſpice principium, vnde periit inuidus hoſtis.
Non ſum ego doctor, ſed lex docet ipſa clamando.
Verba geris tanta vanè, qui ſub vno momento
Martyrium quæris otioſus tollere Chriſto.

BELLVM COTTIDIANVM) Hominis vita, militia eſt. ΠΕΙΡΑΤΗΡΙΟΝ. Iobi vII. 1. Hanc vero ſententiam fusè exſequitur Arrianus ad Epictetum III cap. 44. ΣΤΡΑΤΕΙΑ ΤΙΣ ΕΣΤΙΝ Ο ΒΙΟΣ ΕΚΑΣΤΟΥ, ΚΑΙ ΑΥΤΗ ΜΑΚΡΑ ΚΑΙ ΠΟΙΚΙΛΗ. &c. pag. 174. Hæc Philoſophus ille profanus, qui litteras noſtras attigerat Eſt autem multo perfectior Sapientia Chriſti apud Euſebium, ſeptimò opuſculorum quæ Sirmondus edidit Latina verſione antiqua, Græcis, ſi non iam interiere, adhuc latentibus. pag. 155: *Semper perſecutio eſt, ſemper inuiſibile bellum habetur, ſemper corona, ſemper abnegatio. Vultis videre certamina religioſitatis? Nonnumquam efferbuit quis ira aduerſus ſubditum ſibi; rememoratus autem Domini, depoſuit acerbitatem: potius enim eſt feruori incenſæ iræ reſiſtere, quam flammæ ignis quæ à foris habetur Quia igitur martyr eſt, qui propter Deum ad exteriorem flammam reſiſtit; martyr & verè martyr, qui extinguit interius incendium inuidiæ propter Dominum Ieſum.* Et paulò poſt: *Certamina igitur cottidiana ſunt iſta, quæ per dies & noctes ſunt nobis.* Dein apponit exempla. ¶ BELLIGERARE QVÆRIS) Temere & furioſe ad martyrium ruis inquietus & turbidus. ¶ COMPESCE FVROREM) Noli contra furiatæ mentis aduerſarium refuriari; nec maledicenti remaledicere, nec remordere mordentem. ¶ SINCERO PRÆ ZELO) In apogr. *ſincero perfecto* ¶ OTIOSVS CHRISTO) qui nullis operibus vaces, quæ mandatis Chriſti continentur.

64. *De zelo concupiſcentiæ.*

Dum cupis, inde peris; dum ardes proximi zelo.
Extinguis te ipſum quando te incendis abintus.
Zelaris alium, inuide, de malo laborantem,
Et te parem concupis fieri pecuniæ tantæ.
Lex ſic non aſpicit. dum illum incumbere quæris
Omnia ſuſpenſus, viuis in ardore lucrorum.
Cúmque reus tibi ſis, ipſum te iudice damnas,
Oculorum acies numquam ſatiatur auara.
Nunc ergo ſi redeas & cogites, vana cupido eſt.
C . . . .
Vnde Deus clamat, Stulte hac nocte vocaris,
Poſt te mors ruit: Cuius erunt iſta talenta?
In ſuprêma ædis iniuſta lucra condendo.
Suggeret cum Domino vnicuique vita diurna.
Congeſtet alius: tu benè viuere quære.
Et Dei cor conſcius, ages ſuper omnia victor.
Nec enim dico vt te in triuio tinnites,
Cùm pro die tuo vigilas, ſine fraude viuendo.
In eſca perit auis, aut hæret improuida viſco.
Arbitrare tibi ſimpliciter valdè cauendum.

Excedant alij finem, tu proſpice ſemper.

DVM ILLVM INCVMBERE QVÆRIS) Incumbere in illum tamquam in prædam ¶ SI REDEAS) Ad temetipſum. ¶ STVLTE HAC NOCTE VOCARIS) Lucæ xii. 20. ΤΑΥΤΗ ΤΗ ΝΥΚΤΙ ΤΗΝ ΨΥΧΗΝ COY ΑΠΑΙΤΟΥCΙΝ ΑΠΟ COY. Cyprianus lib. de Opere & Eleemoſ. Stulte, hac nocte expoſtulatur anima tua: quæ ergo paraſti, cui erunt? Martialis, viii. 44. Rape, congere, aufer, poſſide: relinquendum eſt. ¶ IN SVPREMA ÆDIS) Luc. In apothecas. ¶ VT TE IN TRIVIO TINNITES) Captandæ plebeculæ gratia cum tintinabulo incedas. ¶ SIMPLICITER VALDE CAVENDVM) Columbæ ſimplicitatem, ſerpentis prudentiá temperare debes.

65. *Qui de malo donant.*

Quid te bonum fingis alieno vulnere, vecors.
Vnde tu largiris, alter cotide plorat.
Iſta tu diſcredis Dominum videre de cælis?
Dona iniquorum non probat Altiſſimus, inquit.
Erumpes miſeris, dum fueris locum adeptus.
Munera dat alter, vt alterum reddat inanem.
Aut ſi feneraſti, duplicem centeſima nummum.
Largiri vis, vt te, quaſi malum malo depurges.
Omnipotens tales operas omninò recuſat.
Donaſti de lacrimis, candidatus ille ingratis
Oppreſſus vſuris deplorat factus egenus.
Nactus præterea tempus captatoribus, hoſtis
Ad præſens populus; pretio tu ſanctus iniquus
Nec non & de lucro mercis vis te piare;
Te ipſum inludis, non alium, inique.

QVI DE MALO DONANT) Ignatius ad Trallianos: ΠΑΡΑΙΝΕΙ ΤΙC ΤΩΝ ΠΑΛΑΙΩΝ. ΜΗΔΕΙC ΑΓΑΘΟC ΛΕΓΕCΘΩ ΚΑΚΩ ΤΟ ΑΓΑΘΟΝ ΚΕΡΑΝΝΥC. ¶ DONA INIQVOR.) Eccleſiaſtici xxxiiii. ¶ ERVMPES MISERIS) Vt ſuprà. Illum incumbere quæris, Omnia ſuſpenſus. Inſtr. 64. ¶ DVPLICEM CENTESIMA NVMMVM) Ex pecunia fenore occupata quot menſibus centeſimam exegiſti, vt apud Iuuenalem Pollio, *qui triplicem vſuram praſtare paratus. Circuit, & fatuos non inuenit.* & apud Horat. 1. Ser. Sat. 2. *Quinas qui capite mercedes exigit.* ¶ CENTESIMA) Eſdræ II. 5. Reddite eis agros ſuos quin potius & centeſimam pecuniæ. Græca Sixtinæ editionis tantum habent: ΚΑΙ ΑΠΟ ΤΟΥ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΤΟΝ CITON ΚΑΙ ΤΟΝ ΟΙΝΟΝ, ΚΑΙ ΤΟ ΕΛΑΙΟΝ ΕΞΕΝΕΓΚΑΤΕ ΕΑΥΤΟΙC. Deeſſe aliquid videtur. Latinus interpres Latina ſua, ad æui ſui vſum accommodauit. Chryſologus: *Vſura mundi, vnum ad centum. Vſura Chriſti, centum ad vnum.* ¶ CANDIDATVS) Candidatum dicit petitorem, rogatorem, mendicum, &c. candidatum fortean baptiſmi, quem Tertullianus dicit, candidatum Dei. ¶ TEMPVS CAPTATORIBVS) Annonæ flagellatoribus. ¶ HOSTIS AD PRÆSENS POPVLVS) qui iam auaritiem tuam deteſtatur: ſed in futurum habebis etiam Deum vltorem. ¶ DE LVCRO MERCIS) Turpiter comparatæ, turpiùs repoſitæ ac reſeruatæ, ad captandum ex annonæ caritate lucrum.

66. *De pace ſubdola.*

Diſpoſitum tempus venit noſtris. pax eſt in orbe;
Et ruina ſimul blandiente ſeculo premit
Præcipitis populi, quem in ſchiſma miſiſtis.
Aut facite legem ciuitatis, aut exite de illa.
Conſpicitis ſtipulam cohærentem in oculis noſtris,
Et veſtris in oculis non vultis cernere trabem.
Subdola pax vobis venit, perſecutio flagrat.
Vulnera non parent, & ſic ſine cæde ruitis.
Bellum in abſconſo geritur, ſub pace quod ipſa
De vobis vix vnus cautè ſe geſſit.
O malè muniti, & in occiſione prædicti!
Laudatis pacem ſubdolám, & vobis iniquam.
Alterius facti milites, non Chriſti. periſtis.

DISPOSITVM TEMPVS) Pacis ſubdolæ. Seculum à Deo ſic ordinatum. Eiuſmodi vero tempes à Cypriano deſcriptum fuerat, libro de Lapſis: *Traditam nobis diuinitùs diſciplinam pax longa corruperat. Studebant augendo patrimonio ſinguli &c.* ¶ PRÆCIPITIS POPVLI) Qui temere pacem dari volebat lapſis, qui ad pacem feſtinabant. ¶ FACITE LEGEM CIVITATIS) Legem, diſciplinam ciuitatis Dei; Eccleſiæ. Cypr. Epiſt. 10. 11. 12. 13. 14. ¶ ET IN OCCISIONE PRÆDICTI) Ieremiæ 48. 15. & 50. 27. ¶ LAVDATIS PACEM SVBDOLAM) Incęditis per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.

67. *Lectoribus.*

Lectores moneo quoſdam, cognoſcere tantùm,
Et dare materiam cæteris exemplo viuendi.
Certamen fugere, lites totidemque vitare.
Terrorem premere, nec vnquam eſſe ſuperbos.
Obſequia iuſta malorum quoque deferre.
Reddite vos Chriſto ſimiles, filioli magiſtro.

Inter agreſtina benefactis lilia ſitis.
Beati facti eſtis cum feritis edicta.
Vos flores in plebe, vos eſtis Chriſti lucernæ.
Seruate quod eſtis & memorare poteſtis.

LECTORES MONEO QVOSDAM) Quibus ea non erat peritia, quam Cyprianus in iis ordinandis requirebat, Epiſt. 24. 32. & 34. ¶ COGNOSCERE TANTVM) ΑΝΑΓΝΩΝΑΙ. quod à Commodiano transfertur ad ſimplicem notitiam frontis & oris & vultus. ¶ CERTAMEN FVGERE) Contentiones, iurgia. ¶ TERROREM PREMERE) Non eſſe minaces. ¶ OBSEQVIA IVSTA MALORVM] Epiſcoporum, atque etiam ceterorum, immo etiam ſecularium poteſtatum. ¶ AGRESTINA LILIA] ΚΡΙΝΑ ΤΟΥ ΑΓΡΟΥ] Matth. vi. 19. ¶ CVM FERETIS EDICTA] quæ ad martyrii coronam ducunt. ¶ VOS ESTIS CHRISTI LVCERNÆ] Etenim Lectores ex ambone & pulpito ſcripturas legebant in Eccleſia. ¶ VOS FLORES IN PLEBE] Eccleſiaſtici xxxix. 19. *Florete flores quaſi lilium* Quomodo autem in plebe Lectores, qui etiam à Cypriano tam ſtudioſè velut in gradu conſtituebantur, adhibita in conſilium plebe aut ratam habente ordinationem. nam & inter Lectores erat doctor Audientium ſiue Cathecumenorum. Erat igitur Lector in ordinatione quidem clerica, non autem ſacerdotali, quæ ab Epiſcopo, qui ſummus erat ſacerdos, vltra diaconum aut ſubdiaconum non extendebatur, adeoque florebat in plebe Lector, melloproximus ſacerdotio ſiue ordini ſacerdotali. Videantur Epiſtolæ Cypriani ſuprà citatæ. Scripturas, ſiue codices ſacros penes Lectorem fuiſſe docent Geſta purgationis Cæciliani & Felicis ſub Conſtantino & Conſtantio Coſſ.

68. *Miniſtris.*

Myſterium Chriſti Zacones exercite caſtè,
Idciro miniſtri facite præcepta magiſtri.
Nolite ludere perſonam iudicis æqui,
Integrate locum veſtrum per omnia docti,
Suſum intendentes, ſemper Deo ſummo deuoti.
Tura Deo reddite ſacra miniſteria aræ,
Rebus in diuerſis exemplum dare parati.
Inclinate caput veſtrum paſtoribus ipſi.
Sic fiet vt Chriſto poſſitis eſſe probati.

MYSTERIVM CHRISTI ZACONES] Idem Ignatius ad Trall ΔΕΙ ΔΕ ΚΑΙ ΤΟΥϹ ΔΙΑΚΟΝΟΥϹ ΟΝΤΑϹ ΜΥϹΤΗΡΙΩΝ ΧΡΙϹΤΟΥ ΙΗϹΟΥ ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΑ ΤΡΟΠΟΝ ΑΡΕϹΚΕΙΝ, &c. ¶ ZACONES) Diacones, breuiata dictione Græca, ΔΙΑΚΟΝΟΥΝΤΕϹ. ¶ MYSTERIVM CHRISTI) Sacramentum Chriſti. Corpus Chriſti pleriſque in Eccleſiis diaconi offerebant, quod poſteà vetitum Concil. Arelatenſi I. cap. 15. *De diaconis quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* Arelat. II. 15. *Vt diaconus in ſecretario inter preſbyteros non ſedeat: & corpus Chriſti præſente preſbytero tradere non præſumat.* Vnde ſequitur abſente preſbytero, tradidiſſe. Hoc verò myſterium caſtè exerceri vult Commodianus:

69. *Paſtoribus Dei.*

Paſtor, ſi confeſſus fuerit, geminauit agonem.
Apoſtolus autem tales iubet eſſe magiſtros:
Sit patiens rector, ſciat vbi frena remittat.
Terreat in primis, & poſteà melle perungat.
Obſeruetque priùs vt faciat ipſe quæ dicit.
Redditur in culpa paſtor ſecularia ſeruans,
In faciem cuius ſis auſus dicere quicquam.
Bullit in inferno rumoribus ipſa gehenna.
Væ miſeræ plebi, dubia quæ fronte vacillat.
Si talis aderit paſtor, penè perdita ſtat;
Deuotus autem continet, rectè gubernans.
Exhilarantur examina regibus aptis.
In talibus ſpes eſt, & viuit Eccleſia tota.

PASTOR SI CONFESSVS) Si de Nomine interrogatus clare & conſtanter reſponderit, Sum Chriſtianus. Si thus aceerræ profanorum imponere iuſſus, fortiter abnuendo clamauerit: Non facio. ¶ SECVLARIA SERVANS) qui ſe adhuc ſecularibus immiſceat. Secularia dicit oppoſita Chriſto: antichriſtiana. Contraria ſunt Chriſtus & Seculum, ſiue Satanas. Chriſtus perſonas non reſpicit: Seculum ſiue Satanas loquitur nobilitatem, generoſitatem, magiſtratus. Chriſtus ſimplicitatem, & ſanctam paupertatem: Seculum diuitias: Chriſtus benignitatem, miſericordiam, pietatem: Satanas regna, vltiones, perfidias, rapinas, incendia, triumphos. Plura de iſtis oſtendimus Epiſtola præfixa editioni noſtræ Cypriani, quæ ab ſeculo Commodiani ſummum cepiſſe videntur incrementum. ¶ PLEBI DVBIA QVÆ FRONTE VACIL.) Ait Commodianus Paſtores, epiſcopos, presbyteros, frontem eſſe populi Chriſtiani: Itaque, vt in acie militari, primis ordinibus colloeandos eſſe milites fortiſſimos, qui ſint exemplo ceteris. Tertullianus lib. de fuga. Sed quum ipſi ductores, id eſt ipſi diaconi, preſbyteri & epiſcopi fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit, ad gradum in acie figendum ſuadentes. &c. pag. 696. ¶ DEVOTVS AVTEM) Bonus ille paſtor, qui ponit animam ſuam pro ouibus. ¶ CONTINENT) totum ouile continet in veſtigio Fidei conſtantis. ¶ EXAMINA REGIBVS APTIS) Etenim apium examina regem ſiue ducem quæque ſuum habere dicuntur. Cypr. Ep. 69.

70. *Maioribus natis dico.*

Me ſolum expoſcit tempus vobis dicere verum.
Ab vno ſæpè monetur, quod multi detrectant.
In me ſolùm volo odia conuertere veſtra,

Omnium vt paueant præcordia tentatorem.
Reſpicite dictum, quod veritas odia tollat.
Iam prædixi quidem de pace ſubdola quanta.
Blandiens dum vobis ſubrepſit, eheu, ſeductor.
Vos quia neſciſtis laqueos inſtare, ruiſtis.
Sorbetis omninò amara, ſed eſt ſæculi ipſum.
Non gratis agit, pro quo interceditis, vllus.
Ab igne qui refugit, agit in voragine, veſtro:
Tunc petit ſuppetium miſer denudatus à vobis.
Ipſi iam horreſcunt iudices peculantia veſtra.
S...............................
De breuiori titulo non tot inararem,
Inſpicitis docentes quibus vos tenditis vltrò.
Cùm ipſis & epulas capitis, & paſcitis ipſos.
Ob ea iam terræ pænè fundamenta intratis.

MAIORIBVS NATIS) Tales erant primores, patroni, locupletes, qui tenuiores in clientelam ſuam recipiebant. ME SOLVM) Solus vt plures altare Domini circumdabo, inquit Tertullianus aduerſus Pſychicorum glorioſiſſimam multitudinem, lib. de Pudic. ¶ AB VNO SÆPE) In hanc ſententiam fabulatur Phædrus Aug. lib. IIII. fab. 3. Plus eſſe in vno ſæpè quam in turba boni. Hac autem Inſtructione Commodianus eorum qui inter æui ſui Chriſtianos auctoritate pollebant vitia carpit. Sed & cunctis paſſim Inſtructionibus de neglecta diſciplina tanto cordis affectu zeloque diſſerit, vt ſui ſeculi Chriſtianis deſperationem ſalutis incutiat. Senſit oraculi veritatem Gennadius epiſcopus Maſſilienſis, nec amolitus eſt quidem vaticinii ſiue querelæ triſtitiam, ſed Commodianum ipſum poſteris tradens, hoc diſcrimine fecit inſignem. Neque tamen iſta fuit ſolius Commodiani querela. Nam & pacem Eccleſiæ ſubdolam paulò ante Cyprianus opuſculo ſuo de Lapſis arguerat: & poſtmodum Sulpitius Seuerus hiſtoriæ ſacræ libros ſuos hac certe miſerabili deploratione concluſit. Et nunc, inquit, cùm maxime diſcordiis Epiſcoporum turbari aut miſceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconſtantia, inuidia, factione, libidine, auaritia, arrogantia, ſomno, deſidia eſſent deprauata; poſtremò plures aduerſum paucos bene conſulentes inſanis conſiliis & pertinacibus ſtudiis certabant. ¶ OMNIVM TENTATOREM) Satanam. Hic certe Commodianus incutit deſperationem Epiſcopis. ¶ QVOD VERITAS ODIA TOLLAT) Pariat, conciliet ſibi. Sic ipſe alibi dixit, Martyrium tollere, quod eſt patrare, reportare martyrii Chriſtiani gloriam. ¶ NON GRATIS AGIT) Patrocinium veſtrum venditis magno. ¶ PECVLANTIA VESTRA) Sic legitur in apographo: quæ ſcriptura, ſi vera eſt, peculantia dixerit peculatum, ΔΙΑΡΠΑΓΗΝ. ¶ ET PASCITIS IPSOS) Deuoratis. ¶ TERRÆ FVNDAMENTA) Inferos. Locus Eſaiæ cap. XIIII. ſecundùm Septuag. ſic habet: ΝΥΝ ΔΕ ΕΙϹ ΑΔΟΥ ΚΑΤΑΒΗϹΗ ΚΑΙ ΕΙϹ ΤΑ ΘΕΜΕΛΙΑ ΤΗϹ ΓΗϹ. Aquila & Theodoto dixere, ΕΙϹ ΛΑΚΚΟΝ. Latina verſio vetus: in fundamenta laci. Gloſſæ veteres, ΛΑΚΚΟϹ, Lacuna, lacus, ciſterna. Item: Lamæ. ΠΗΛΩΔΕΙϹ ΤΟΠΟΙ. Tertullianus dixit, ſtagnum ignis & ſulphuris, lib. de Fug.

71. *Infirmum ſic viſita.*

Infirmus ſi fuerit frater, de paupere dico,
Nolite vacui talem viſitare iacentem.
Fac ſub Deo bonum, obſequia redde per nummum.
Inde reualeſcit, vel ſi conciderit ille,
Refoueatur homo pauper, qui non habet vnde
Mercedem tibi, pro illo ſed conditor orbis & auctor.
Vel ſi pigeret ire ad pauperem, ſemper abosum,
Mitte nummos, & vnde ſe reſumere poſſit.
Similiterque ſoror ſi paupera lecto decumbit,
Incipiant veſtræ matronæ victualia ferre.
Clamat ipſe Deus, frange tuum panem egeno.
Verbis opus non eſt viſitare, ſed benefactis.
Iniquum eſt, frater inopia victus ægrotet.
Satagite, non verbis, eſum potumque requirit.
Inſpicite tales, ſed certè debilitatos,
Tranſigere ſeſe qui non poſſunt, date ſubinde.
A Domino vobis ſpondeo dari quadruplum.

TALEM VISITARE IACENTEM) Clinicum. Grabbatarium. ¶ PAVPEREM SEMPER ABOSVM) Importuni diuitibus, & odioſi ſolent eſſe pauperes. ſed & proximis etiam & amicis. ΦΙΛΟΙ ΜΙϹΗϹΟΥϹΙ ΦΙΛΟΥϹ ΠΤΩΧΟΥϹ, Prouerb. 14.21. ¶ VNDE SE RESVMERE POSSIT) Vnde ad ſubleuandam inopiam ſuam ſumere aliquid poſſit, & ſumpticulum facere parandis ſibi neceſſariis, quibus doleat natura negatis; ac tandem vires reſumet ſuas. ¶ VICTVALIA FERRE) Ipſe Inſtr. vlt. dicet —— portent victualia collo.

72. *Pauperibus ſanis.*

Pauperies ſana quid, niſi diuitiæ adſint?
Ars certè ſi fuerit, iam & tu communica fratri.
Vnum præſta tibi, ne ſuperbus eſſe dicaris.
Polliceor quoniam ſecurior diuite viuis.
Excipe doctrinam magni Salomonis in aures.
Reſponſorem in alto odit Deus pauperem eſſe,

Idcircò te ſubde, & honorem redde potenti.
Blandus enim ſermo, prouerbium noſti, deriget.
Vincitur officio etſi fuerit ira vetuſta.
Si lingua taceat, nil melius inueniſti.
Sanè ſi non fuerit ars vnde vita regatur,
Aut operam præbe, aut curſum, iuſſu potentis,
Non pudeat neque pigeat procurrere ſanum.
In gazo prætereà de labore mittere debes;
Sicut ſingularis illa, quam prætulit Vnctus.

PAVPERIBVS SANIS] Inſtructione præcedenti dixit, de infirmis & iacentibus: iam de valentibus & ſanis, ſed egenis: qui tamen artis ſuæ quæſtu parare ſibi poſſunt vnde ſe exhibeant. Et hos quidem aliquid de ſubſidio artis ſuæ conferre vult fratribus infirmis. ¶ PAVPERIES SANA] Eccl. xxx. 14. ΠΤΩΧΟϹ ΥΓΙΗϹ ΚΑΙ ΙϹΟΥΩΝ ΤΗ ΕΞΕΙ. ¶ RESPONSOREM IN ALTO] qui ſic reſpondit quaſi deſpiciat, Prouerb. 18. 25. *Cum obſecrationibus loquitur pauper.* ¶ BLANDVS ENIM SERMO] Blandus ſermo ſæpe apud iratos plurimum valet, & gratia ſua facit vt ſubſidant iracundo cristæ, vt feruor detumeat; conſutat animum iracundi feruidum. Sic Lucilius dixit: *Coquam ahenum cum feruit, paula confutat trua.* ¶ DERIGET] Rigorem ſoluit, emollit, fundit liquefacit. Plautus eodem ſenſu dixit, dirigere, in Curcul. Clipeatus elephantum vbi machæra dirigit: hoc eſt, ira diſcindit aut transverberat, vt effuſo ſanguine prærigida belluæ moles diſſoluatur, aut diuiſa proſternatur. Gloſſæ: ΑΠΕΥΘΥΝΩ, Derigo. ¶ PROVERBIVM NOSTI] Gloſſæ veteres: ΘΕΟΛΟΓΙΑ, *Dei prouerbia.* ¶ IN GAZO PRÆTEREA] Suprà Inſtruct. 55. *Non donum gazo paratus.* Gloſſæ, *Gaza*, ΧΡΗΜΑΤΑ, ΠΕΡΣΙΔΙ ΔΙΑΛΕΚΤΩ. Cyprianus: *Et Dominicum celebrare te credis, qui Corban non reſpicis?* Commod. 61. De die Dominica quid dicis? SINGVLARIS ILLA] Vidua. Solitaria. ¶ VNCTVS] Chriſtus. Tertul. Apolog. *Chriſtianus, quantum interpretatio eſt, de vnctione deducitur.* nomen de ſuauitate vel benignitate compoſitum.

73. *Filios non lugendos.*

Filiorum caſus licet & dolium cordis relinquat,
In nigris exire tamen nec plangere fas eſt.
Lex prudenter ait; animo, nec pompa, dolete.
In Salomoniaco libro ſeptimana finita.
Oblita Dominum de reſurrectione promiſſa,
Si martyras feceris filios, ſic voce deflebis?
Non pudet infrenem gentiliter plangere natos.
Os laceras, tundis pectus, veſtimenta deducis.
Nec metuis Dominum cuius optas regnum videre?
Luge quod fas eſt, noli tamen errare pro illis.
Vos ideò tales, quod minus quàm gentes eſtis:
Germine zabolico facitis vt turbæ pronatæ;
Extinctos clamatis. qua gratia? falſe; periſti?
Nec dolore duxit pater filium mactandum ad aram:
Dolore nec vates filium luxit defunctum?
Omnipotentis enim nec flens deducebat alumnum,
Sed Deo deuotus feſtinanter funus agebat.

IN NIGRIS EXIRE] Vt mos erat gentium minimè Chriſtianarum. Iulius Paulus, Sententiarum lib. 1. Tit. de Sepulcris & Lugendis. *Qui luget, abſtinere debet à conuiuiis, ornamentis, purpura & alba veſte.* Atra veſtis conueniens luctui color, triſtior habitus: ſpe reſurrectionis non habebant, mortuos ſuos lugebant vt perditos, vt iam nullos. At Chriſtiani qui Fideles, Fratreſque ſuos ad vitam æternam migraſſe, abiiſſe, præceſſiſſe dicebant, non exibant in nigris: ΤΟ ΓΑΡ ΜΕΛΑΝ ΘΑΝΑΤΩΔΕϹ. Itaque auerſabantur omnia mortis præſagia. Nam & nigrum illud & ferale in tumulis Thera, & nigra in veſte ſeneſcere, ad Chriſtianos pertinere negabant, de vita poſt exceſſum æterna certos. ¶ IN SALOMONIACO LIBRO] Liber inſcribitur Eccleſiaſticus, Sapientia Ieſu, filii Sirach. Salomoniacum librum vocat Commodianus, quia gnomas ſiue ſententias continet ad exemplum Salomonis. ¶ SEPTIMANA FINITA] Eccleſiaſtici xxii. 11. *Luctus mortui ſeptem dies.* Morem fuiſſe antiquiſſimum diſcimus ex hiſtoria Iacobi, Geneſ. L. 10. & ex iis quæ ſunt ad eum locum & ad Siracidem ab doctis viris notata ex Philone & Am. Marcellino. ¶ GENTILITER PLANGERE] More gentium: Paulus ad Theſſalonic. 1. ΚΡΑΘΩϹ ΚΑΙ ΟΙ ΛΟΙΠΟΙ, ΟΙ ΜΗ ΕΧΟΝΤΕϹ ΕΛΠΙΔΑ. Scilicet reſurrectionis. ¶ EXTINCTOS CLAMATIS] Vt ſuprà Inſtr. 36. Vixit. &, Extinxi. Extinctos Ethnici dicebant defunctos: Chriſtiani, Præmiſſos ad Deum tranſlatos, euocatos à Domino. ¶ NEC DOLORE DVXIT PATER] Hæc Abrahami & Dauidis exempla ad communem hunc de filiis non lugendis locum citauit Ennodius Ep. Ticinenſis, Ep. 1. lib. 11. vbi Sirmondus hoſce Commodiani verſiculos, & ipſius quidem Commodiani nomen, ab æuo Gennadii & Gelaſii ignoratum primus indicauit. Euſebius, opuſculo de reſurrectione: *Noli enim quærere ſi non eſt occiſus Iſaac: ſed ex quo propoſuit Pater, mortuus eſt patri Iſaac.* pagina 51. editione Sirmondi. ¶ DEO DEVOTVS] Gloſſæ, *Deuotiſſimus*, ΚΑΘΟϹΙΩΤΑΤΟϹ. Omnia pati & facere paratus.

74. *De pompa funeris.*

De funeris pompa ſollicitus eſſe qui quæris,
Erras, Dei ſeruus, adhuc in morte placere.
Pro! exanimum corpus ornari funeſtum.
O vanitas vera, cupere defunctis honorem.
Mens mundo detenta, nec in morte Chriſto deuota.
Prouerbia noſti. per forum efferri volebat.
Adeo illi ſimiles & fera mente viuentes,
Fauſtum feliceinque diem in exitu vultis habere,

Vt coëat populus, laudem cum luctu videre,
Non prouides quonam merearis ire defunctus.
Ecce proſequuntur illi; tu iam forte cremaris
Redactus in pœnam. quid proderit pompa defuncto?
Incuſatus eris qui ob iſta collegia quæris.
Sub Veioue cupis viuere. te decipis ipſum.

PROVERBIA NOSTI] Sic Iulianus Cæs. Dionyſio cuidam: ΜΥΘΟΝ ΑΚΗΚΟΑC. &, ΙCΤΟΡΙΑΝ ΕΠΙCΤΑCΑΙ. ¶ PER FORVM EFFERRI VOLEBAT) Quemadmodum ille apud Horatium Gargilius, *qui mane plagas, venabula, ſeruos, Differtum tranſire forum populumque iubebat.* ¶ QVI OB ISTA COLLEGIA QVÆRIS) Corporis artificum Labitinariorum, qui funera ad ritum Ethnicum miniſtrabant magnifico apparatu; numeroſiſſima turba proſequentium funus & maiorum imagines. ¶ COLLEGIA QVÆRIS) Aduocas, Sic Inſtr. 19. dixit collegium facere ——— *ſimili collegio facto.* SVB VEIOVE) Sub Idolis. In apogr, *ſub vigere.*

75. *Clericis.*

Congruit in Paſcha, die feliciſſimo noſtro,
Lætentur & illi qui poſtulant ſub acta diuina,
Erogetur eis quod ſufficit, vinum & eſca.
Reſpicite fonte quo memorentur iſta pro vobis.
In modico ſumptu deficitis Chriſto donare.
Cùm ipſi non facitis, quo modo ſuadere poteſtis
Iuſtitiam Legis talibus? vel ſemel in anno.
Sic multos vrget blaſphemia ſæpè de vobis.

CONGRVENT IN PASCHA DIE FELICISS. N.) Quo pignus & arrabonem accepimus reſurrectionis in vitam æternam. ¶ QVI POSTVLANT SVMPTA DIVINA) In apographo ſuperſcriptum eſt: *qui poſtulant ſacrata diuina.* Neutra lectio probabilis mihi videtur: Iſta vero ſenſum efficiet huic Inſtructioni conuenientiſſimum: *Lætentur & illi qui poſtulant ſub acta diuina.* Commendatur pietas erga pauperes; illos præſertim, qui poſtulant & rogant opem ac beneficia fidelium, ſub id tempus, quo ſoluitur ſynaxis die Paſchæ; ſub id tempus quo pronunciari ſolet miſſa, ſiue miſſio Paſchalis: ſub id tempus, quo dimittuntur fideles, peractis ſolennibus, peractis myſteriis, peractis rebus diuinis. ¶ RESPICITE FONTE QVO MEMORENTVR ISTA) In apogr. *Reſpues de forte quo memorentur.* Quæ ſunt corruptiſſima. ¶ CVM IPSI NON FACITIS) Suprà, Inſtr. 69. dixit: *Obſeruetque priùs vt faciat ipſe quæ dicit.* Apollonius: ΔΕΙ ΓΑΡ ΝΟΜΟΘΕΤΗΝ Α ΠΕΠΕΙΚΕΝ ΕΑΥΤΟΝ, ΤΑΥΤΑ ΕΠΙΤΑΓΜΑΤΑ ΕC ΤΟΥC ΠΟΛΛΟΥC ΠΟΙΕΙCΘΑΙ. Horatius. Si vis me flere, dolendum eſt primùm ipſi tibi. Phariſæorum eſt, dicere & non facere: imponere plebi onera, quæ ipſi ne digito quidem velint attingere. ¶ SIC MVLTOS VRGET BLASPHEMIA) Hoc de ſæculi ſui Clericis Commodianus. & Clerici vocabulum tunc pertinebat etiam ad Sacerdotem. Hoc de ſæculo quoque ſuo teſtatur etiam ad Euſtochium Hieronymus: *Clerici ipſi*, inquit, *quos & magiſterio eſſe oportuerat pariter & timeri, oſculantur capita matronarum, & extenta manu, vt benedicere eos putes velle, ſi neſcias, pretia accipiunt ſalutandi. Illa interim quæ Sacerdotes ſuo viderint indigere præſidio, eriguntur in ſuperbiam, &c.* Quanta iam illis temporibus per Eccleſias ſpatia confecerat antichriſtus? iam ipſi præſides indigebant monitoris præſidio; & qui monitis ſuis regendæ plebis pontificium ſuſceperant, mala præuaricatione præſidium ipſi ſuum deſerebant,

76. *De fabuloſis & ſilentio.*

Dum leue videtur cuicumque neque vitatur,
Et quaſi facile ruit, dum abuteris illud,
Fabulæ ſubueniunt quo veniſti fundere preces,
Aut pulſare domum ſtomachi pro delicto diurno.
Buccina præconum clamat, lectore legente,
Vt pateant aures, & tu magis obſtruis illas;
Luxaris labia, quibus ingemiſcere debes.
Obſera malis pectus, vel in pectore ſolue.
Sed quia diuitibus faciunt pecuniæ frontem,
Inde perit omnis, quando ſibi maximè fidunt.
Sic feminæ quoque coeunt quaſi initient balneo,
Et de domo Dei facitis ceu nundinas, artent.
Terruit ſanè Dominus domum orationis,
Sacerdos Domini cùm *Surſum corda* præcepit;
In prece fienda, vt fiant ſilentia veſtra;
Limpide reſpondes, nec temperas quoque promiſſis.
Exorat ille Altiſſimum pro plebe deuota,
Ne pereat aliquis, & tu te in fabulas vertis;
Tu ſubrides ibi, aut detrahis proximi famæ;
Indiſciplinatè loqueris, quaſi ſit Deus abſens,
Omnia qui fecit, nec audiat neque cernat.

DE FABVLOSIS) congerronibus, confabulatoribus. ¶ DOMVM STOMACHI] Pectus. ¶ STOMACHI] cordis, animi, conſcientiæ. ¶ PRO DELICTO DIVRNO) In apogr. legitur, *diuino.* Delictum diurnum, cottidianæ incurſiones. ¶ LVXARIS LABIA] Labia profanas, violas, diſſoluis luxu, nequitia. Vt à luxuria, luxuriari; ſic à luxu, luxari, ΑCΩΤΕΥΟΜΑΙ, *Luxo, Luxurior.* Feſtus; *Luxantur à luxu dictum, id eſt, Luxuriantur.* ¶ QVASI INITIENT BALNEO] Quaſi ineant balneum. Et verſu ſeq. *Et de domo Dei ceu nundinas facitis artent.* ¶ CEV NVNDINAS) ΟΙΚΟΝ ΕΜΠΟΡΙΟΥ. Io II. ¶ TERRVIT SANE DOMINVS DOMVM ORATIONIS) Cùm in.

torto flagello eiecit collybiſtas. Ioan. II. ¶ SVRSVM CORDA] Priſca formula poſcentis attentionem & ſilentium. Gloſſæ veteres: Sus, ΑΝΩ, Suſum, ΕΠΑΝΩ. Item. ΑΝΩ, ΚΑΤΩ, Suſum, Deorſum. ¶ PRO PLEBE DEVOTA] Pro omni fraternitate.

77. *Ebrioſis.*

Ebrioſo modum non pono, ſed belluam malo.
Bibendo ſuperbis, interior à mente recedis,
Regentis imperium tenens apud, ſtulte, Cyclopas:
Inde in hiſtoriis. dum mortuus non bibo, dicis.
Optima mihi bibere, & corda ſapere.
Subminiſtra magis, quid amplius quæris abuti,
Infimo pauperclo, & eritis ambo refecti.
Si facias iſta, extinguis tibi gehennam,

EBRIOSO MODVM NON PROBO SED BELLVAM MALO] In apographo legitur: *Ebrioſo modum non pno ſed bellua malor.* Et prima quidem lectione ſtatim ſe obtulerat emendatio: *Ebrioſo modum non pono, ſed bellua maior.* Vnde apparebat iſte ſenſus: Deditus ebrietati, modum ſibi non ponit; nec ponere monentem audit; ſed maior bellua, maior helluo modum ponit combiboni ſuo, quem turbata mente crapula conſopitum proſtrauit; iam non mentis, non rationis compotem; ac per hoc belluam. Sed hæc ſunt exquiſita & coacta nimis. Itaque placet iſta ſimplicior ſcriptura: *Ebrioſo modum non pono, ſed belluam malo.* ¶ BIBENDO SVPERBIS] In apogr. *ſupernis* vel *ſuperiis*. ¶ REGENTIS IMPERIVM TENENS APVD ST. CYCLOPAS) Polyphemi. ¶ INDE IN HISTORIIS) In fabulis, In Odyſſæ, Gloſſæ: ICTOPIAI, *Monimenta.* Heſych. ICTOPEI, ΜΥΘΕΥΕΙ. ICTOPIA, ΜΑΡΤΥΡΙΑ, ΚΑΙ ΤΑΟΜΟΙΑ. ¶ OPTIMA MIHI BIBERE) Hoc ex perſona ſua Commodianus apponit: Intelligit autem bibere vitam æternam per euangelia, præcepta & exempla Chriſti. ¶ EXTINGVIS TIBI GEHENNAM) Alludit ad hiſtoriam diuitis purpurati, cuius lingua apud inferos tam ardenti cruciatu vrebatur, vt de Lazari digito inſtillari ſibi aquæ tantillum pro ſummo leuamine exoptaret Lucæ, XVI.

78. *Paſtori.*

Paſcere qui quæris, & quod potuiſti paraſti,
Aſſiduè paſcendo rectè feciſti.
Sed tamen inuiſe pauperem qui te non repaſcat.
Tunc erit menſa tua per vnum Deum probata.
Omnipotens tales vel maximè paſci præcepit.
Reſpice cùm paſcis infirmos, & feneras Alto.
In illo vos Dominus voluit probatos adeſſe,

PASTORI) Conuiuatori. ΕCΤΙΑΤΟΡΙ. ¶ PAVPEREM QVI TE NON REP.] Inſtr. 61. ¶ FENERAS ALTO) Cypr. lib. de diſcipl. *Patrimonium tuum Deo feneras Chriſtum ciba.*

79. *Oranti.*

Orantem ſi cupias exaudiri de cælo,
Rumpe de latibulis nequitiæ vincla.
Aut ſi benefactis ores miſeratus egenis,
Ne dubites quin quod petieris detur oranti.
Tu ſanè ſi nudus benefactis Deum adores,
In totum ne facias ſic orationes inepte.

DE LATIBVLIS) De intimo receſſu cordis; de penetralibus mentis tuæ. ¶ ORES MISERATVS EGENIS] Paulinus, ep. 34. Aliud eſt quando tu ſolus oras pro te: & aliud quando multitudo pro te apud Deum trepidat.

80. *Nomen Gazai.*

Incolæ cælorum futuri cum Deo Chriſto
Tenente principium, vidente cuncta de cælo.
Simplicitas, bonitas, habitet in corpore veſtro.
Iraſci nolite ſine cauſa fratri deuoto.
Recipietis enim quicquid feceritis ab illo.
Hoc placuit Chriſto, reſurgere mortuos imo,
Cum ſuis corporibus, & quos ignis vſſit in æuo
Sex millibus annis completis mundo finito.
Vertitur intereà cælum tenore mutato:
Comburuntur enim impij tunc igne diuino.
Ira Dei ſummi ardet creatura gemendo.
Digniores, ſtemmate & generati præclaro,
Nobileſque viri ſub Antichriſto deuicto,
Ex præcepto Dei rurſum viuentes in æuo,
Mille quidem annis vt ſeruiant ſanctis & Alto,
Sub jugo ſeruili, vt portent victualia collo;

Vt iterum autem iudicentur regno finito.
Nullificantes Deum, completo milleſimo anno.
Ab igne peribunt, cum montibus ipſi loquendo.
In buſtis & tumulis omnis caro redditur acto,
Demerguntur inferno, trahunt pœnas in æuo.
Oſtenduntur illis & legunt geſta de cælo.
Memoria priſca debito & merita digno.
Merces in perpetuo ſecundùm facta Tyranno.
Omnia non poſſum comprehendere paruo libello.
Curioſitas docti inueniet nomen in iſto.

NOMEN GAZAE] Id eſt Commodiani à Gaza, Gazæus: à Commodis Commodianus, Commoda autem dicuntur opes, diuitiæ, gaza. Gloſſæ veteres: *Commoda*, ΛΥCΙΤΕΛΗ, ΧΡΗΜΑΤΑ. ¶ ET QVOS IGNIS VSSIT IN AEVO] Legibus Cæſarum de pœnis, ſumma fuit ignium pœna. Chriſtiani verò, etiam in corporibus defunctorum, rogos & buſta exhorreſcebant, præſaga formidine ignis illius æterni. Hoc igitur in primis curabant, vt martyrio deuotis obfirmarentur animi aduerſus ignium tormenta. Petrus, Ep. 1. hortatur Chriſtianos ne expaueſcant martyrium ſi per ignes & vſtionem corporis accidat, nec exhorreant vt rem nouam, inauditam, inuſitatam aut alienam Chriſtianis. ΜΗ ΞΕΝΙΖΕCΘΕ ΤΗ ΕΝ ΥΜΙΝ ΠΥΡΩCΕΙ. Cyprianus, Ep. 56. Nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem veſtram fit, &c. vbi etiam obſeruauimus nonnihil. Atque hæc parodia ſic fuerit Chriſtiana: *O quantos aſtus, quantos patere labores! Si fuerint ignes res peregrina tibi.* ¶ SEX MILLIBVS ANNIS COMPLETIS] Iuſtinus Martyr, Dial. cum Tryph. Iud. pag. 307. hoc ſe cum pleriſque aliis rectè ſentientibus credere profitetur: ΕΓΩ ΔΕ, ΚΑΙ ΟΙ ΤΙΝΕC ΕΙCΙΝ ΟΡΘΟΓΝΩΜΟΝΕC ΚΑΙ ΠΑΝΤΑ ΧΡΙCΤΙΑΝΟΙ, ΑΝΑCΤΑCΙΝ ΚΑΙ ΧΙΛΙΑ ΕΤΗ ΕΝ ΙΕΡΟΥCΑΛΗΝ, &c. Huiuſce temporis, annorum ſex mille conſummationem ſic putabat circa an. Chr. 369. Q. Iulius Hilario, quem farcinatores Bibliothecæ Patrum ediderunt ex bibliotheca Petri Pithœi; *A paſſione Domini Chriſti, ex quo tempore fide in ſe credentibus reſurrectionem pollicitus Dei filius, anni compleantur neceſſe eſt quadringenti & ſeptuaginta, vt concludatur ſumma ſex millium annorum. Septimo milleſimo incipiente, fide vera credentes liberabuntur è mundo. Tunc enim erit reſurrectio prima ſanctorum. De quadringentis vero & ſeptuaginta annis à paſſione Domini in conſulatum Cæſaris & Attici, die nono Cal. April. anni tranſierunt trecenti ſexaginta nouem. Reſtant itaque anni centum & vnus, vt conſummentur anni ſex mille, &c.* ¶ COMPLETO MILLESIMO ANNO] Epiſtola quæ tribuitur Barnabæ, pag. 54. ΟΥΚ ΟΥΝ ΤΕΚΝΑ ΕΝ ΕΞ ΗΜΕΡΑΙC, ΕΝ ΤΟΙC ΕΞΑΚΙCΧΙΛΙΟΙC ΕΤΕCΙ, CΥΝΤΕΛΕCΘΗCΕΤΑΙ ΤΑ ΠΑΝΤΑ. Vetus interpres latinus: *Vnde ſcire debetis, quia in ſex millia annorum conſummabuntur omnia.* ¶ CVM MONTIBVS IPSI LOQVENDO] Lucæ 23. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Quod Oſeas prædixerat. 10. 8. ¶ OMNIS CARO REDDITVR ACTO] Redditur & reſtituitur vnà cum actis & operibus cuique ſuis; vt ſecundùm ea quæ geſſit quiſque, ad coronam aut ad gehennam mittatur. ¶ CVRIOSITAS DOCTI INVENIET NOMEN IN ISTO) Ab hoc poſtremo pœmatis verſu ſurſum relegens per litteras verſuum primas inueniet. COMMODIANVS MENDICVS CHRISTI. & pro titulo: Nomen Gazei, quod eſt Commodiani, à gazo ſiue gazophylacio.

GENNADIVS

MASSILIENSIS EPISCOPVS.

LIB. DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

COMMODIANVS, *dum inter ſeculares litteras etiam noſtras legit, occaſionem accepit Fidei. Factus itaque Chriſtianus, & volens aliquid ſtudiorum ſuorum muneris offerre Chriſto ſuæ ſalutis Auctori, ſcripſit mediocri ſermone quaſi verſu, aduerſus Paganos. Et quia Patrum noſtrorum attigerat litteras, magis illorum dogmata deſtruere potuit, quàm noſtra firmare. Vnde & de diuinis repromiſſionibus aduerſum illos vili ſatis & craſſo vt ita dixerim, ſenſu diſſeruit: ſtuporem illis, nobis deſperationem incutiens; Tertullianum & Lactantium & Papiam auctores ſecutus. Moralem ſanè doctrinam, & maximè voluntariæ paupertatis amorem optimè proſecutus, ſtudentibus inculcauit.*

INSTRVCTIONVM

ACROSTICHA.

1. Præfatio.
2. Indignatio Dei.
3. Cultura Dæmonum.
4. Saturnus.
5. Iupiter. [Audite.
6. De fulmine ipſius Iouis.
7. De Septizonio & Stellis.
8. De Sole & Luna.
9. Mercurius.
10. Neptunus.
11. Apollo ſortilegus falſus.
12. Liber, Pater, Bacchus.
13. Inuictus.
14. Siluanus.
15. Hercules.
16. De Diis Deabuſque.
17. De ſimulacris eorum.
18. De Ammudate & Deo magno.
19. Nemeſiacis vanis.
20. Titanes.
21. Monteſianis.
22. Hebetudo ſæculi.
23. De vbique paratis.
24. Inter vtrumque viuentibus.
25. Qui timent & non credunt.
26. Repugnantibus aduerſus legem Chriſti.
27. Stulte, non permoreris Deo.

28. Iuſti reſurgunt.
29. Diuiti incredulo malo.
30. Diuites humiles eſtote.
31. Iudicibus.
32. Sibi placentibus.
33. Gentilibus.
34. Item Gentilibus ignaris.
35. De ligno vitæ & mortis.
36. De Crucis ſtultitia.
37. Qui iudæidiant fanatici.
38. Iudæis.
39. Item Iudæis.
40. Iterum ipſis.
41. De Antichriſti tempore.
42. De populo abſconſo ſancto omnipotentis Dei viui.
43. De ſæculi iſtius fine.
44. De reſurrectione prima.
45. De die iudicij
46. Catecuminis.
47. Fidelibus.
48. Fideles cauete malum.
49. Pœnitentibus.
50. Qui apoſtatauerunt Deo.
51. De infantibus.
52. Deſertores.
53. Militibus Chriſti.
54. De refugis.
55. De lolii ſemine.
56. Diſſimulatori.
57. Secularia in totum fugienda.
58. Chriſtianum talem eſſe.
59. Matronis Eccleſiæ Dei viui.
60. Item ipſis.
61. In Eccleſia, omni populo Dei.
62. Martyrium volenti.
63. Bellum cottidianum.
64. De zelo concupiſcentiæ.
65. Qui de malo donant.
66. De pace ſubdola.
67. Rectoribus.
68. Miniſtris.
69. Paſtoribus Dei.
70. Maioribus natis dico.
71. Infirmum ſic viſita.
72. Pauperibus ſanis.
73. Filios non lugendos.
74. De pompa funeris.
75. Clericis.
76. De Fabuloſis & ſilentio.
77. Ebrioſis.
78. Paſtori.
79. Oranti.
80. Nomen Gazæi.

FINIS.

ANT 1739348